E. Barclay-Smith, M.D.

Acts in 3 folio.

15

A xxxi. Hof

3 Vol. £3. 3. 0

FRIDERICI
HOFFMANNI
OPERA OMNIA,
IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

FRIDERICUS HOFFMANNUS

Regiæ Majestatis Prussicæ Consiliarius intimus Archiater et Professor Medicinæ primarius Comes Palatinus Cæsareus Academiæ Fridericianæ Senior Imperatoriæ Carolinæ Petropolitanæ Britannicæ et Prussicæ Academiæ Scientiarum Sodalis Natus 1660.

Anton Pesne Pictor R Effigiem Pinx:

Petit Sculpsit Parisiis 1739

4650

FRIDERICI HOFFMANNI

CONSILIARII REGIS BORUSSIÆ INTIMI,
ET ARCHIATRI,
PROFESSORIS MEDICINÆ PRIMARII IN ACADEMIA HALENSI,

OPERA OMNIA PHYSICO-MEDICA

Denuò revisa, correcta & aucta,

IN SEX TOMOS DISTRIBUTA;

QUIBUS CONTINENTUR

DOCTRINÆ SOLIDIS PRINCIPIIS PHYSICO-MECHANICIS,
& anatomicis, atque etiam observationibus clinico-practicis superstructæ.

METHODO FACILI AC DEMONSTRATIVA DEDUCTÆ,
& per experientiam LVII. annorum stabilitæ.

CUM VITA AUCTORIS,

Et ejus PRÆFATIONE de differente medicinæ & medicorum statu atque conditione,
& criteriis boni ac periti medici.

TOMUS PRIMUS.

Delamonce jnv. *D. Sornique sculp.*

GENEVÆ,
Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCCXL.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

CELSISSIMO POTENTISSIMOQUE

PRINCIPI,

FRIDERICO

GUILELMO,

PRUSSORUM REGI.

MARCHIONI BRANDENBURGICO

SACRI IMP. ARCHICAMERARIO

ET NOVEMVIRO ELECTORI

PIO. FELICI. AUGUSTO.

INCOMPARABILI RERUM MEDICARUM ÆSTIMATORI

PATRI PATRIÆ CLEMENTISSIMO

FELICITATEM PERPETUAM.

*

FEDERICO
GUILELMO.

SERENISSIME

ET POTENTISSIME REX

REX ET DOMINE CLEMENTISSIME.

MIHI *nunc ad illam ætatem, divini Numinis gratia, provecto, ut ultimam vitæ meæ ſcenam agi ſentiam, animum ſubinde ſubit illa cogitatio, quibus potiſſimum, ſi a Deo diſceſſerim, ea omnia debeam, quæ mihi per hos octoginta, quos tranſegi, annos fauſta ac felicia acciderunt. Et en! agnoſco, ſummorum beneficiorum à Sereniſſima domo* BORUSSICO-BRANDENBURGICA *acceptorum*

me debitorem esse gravissimum. Patere, REX ET DOMINE CLEMENTISSIME, *paucissimis me recensere, quæ longissimo ætatis decursu à* TE TUISQUE *adeptus fuerim beneficia. Inter paucissimos forte supersum, qui* gloriosissimæ memoriæ *Principi Divo* FRIDERICO GUILLELMO *avo* TUO, *honorum fortunæque exordia in acceptis referunt. Tanti enim Principis gratia ante hos quinquaginta & sex annos ego in Principatu Mindensi provinciæ illius physicus clementissime constitutus, mox præsidii ibidem militaris medicus factus, honorificam postea aulici medici dignitatem adeptus sum. Quum vero terris excessisset magnus hic Princeps, atque imperium denuo suscepisset sapientissimus* FRIDERICUS, *inter ipsa ejus primordia mihi accidit, ut ante hos quadraginta & novem annos Principatus Halberstadiensis proto-medicus designarer. Longe autem majus erat beneficium, quo gaudebam, cum ad novam studiorum universitatem, à Suo nomine vocandam, inque ea urbe, cui natales meos debeo, erigendam primus medicinæ & philosophiæ naturalis professor* An. cIↃ IↃ CXCIII. *vocarer. Accidebat tum post duodecim circiter annos, ut idem* SERENISSIMUS PRINCEPS, *procurante Illustrissimo Comite* de Wartenberg, *me rursus in locum D. Weisii, archiatri haud ita pridem defuncti suscipiendum statueret: qua tamen statione, tum ob valetudinem minus firmam, tum ob alias rationes satis urgentes, submisse deprecata, consiliarii & medici aulici dignitate ornabar munificentissime. Nihilominus* An. cIↃ IↃ C CIX. *quum* REX SERENISSIMUS *graviori decumberet morbo, me ante annum in thermis Carolinis sibi propius cognitum, celeri, ut aiunt, nuncio in consilium vocabat, & curatione ex voto peracta jubebat, ut valetudinis tuendæ procurandæque gratia archiater ordinarius ibi permanerem. Accepi summam gratiam; quamvis probe conscius, admodum lubricas esse res aulicas, munerique*

demanda-

demandato pro viribus ſatisfacturus, incolumitatem tanti Principis dies noctesque obſervavi quam diligentiſſime; donec triennio inter hæc exacto, munus academicum, quod mihi reſervaveram, ob graves quaſdam cauſſas repetii. Ego vero muſis ſic reſtitutus, redintegratis quaſi viribus ſtrenue enitebar, ut non ſolum ſalubribus doctrinis imbuerem eos, qui ſtudii medici cauſſa huc confluunt: verum etiam lucubrationibus in publicum emiſſis, & in exteris quoque regionibus recuſis, famam haud exiguam induſtriæ meæ reportarem. Non poterant hæc latere MAJESTATEM TUAM, REX ET DOMINE CLEMENTISSIME, *qui inter curas patre patriæ dignas, hanc vel maxime refers, ut illos, qui ſacras doctrinas propagant, quique corporum ſaluti tuendæ idoneos viros formant, probe cognoſcas, cognitosque exornes. Id quum antea ſæpius viſum ſit, maxime tamen ante hos ſex annos eluxit, quo tempore gravi valetudine affectus è caſtris ad Rhenum poſitis revertebaris. Clementiſſime enim ſignificabas, quantum & meæ fidei tribueres, & peritiæ tot annorum uſu acquiſitæ confideres. Annuit Deus conſiliis, & curationem feliciſſimis ornavit ſucceſſibus.* TU *autem, quæ eſt clementia* TUA, *non ſolum ſumma gratia me laudandum remunerandumque ducebas; verum etiam oſtendebas,* TE *percupere, ut perpetuo* TIBI *præſens adeſſem; niſi grandi jam ætati meæ miſſionem ac immunitatem hanc concedendam clementiſſime judicaſſes. Summo ſenectuti meæ præſidio atque ſolatio eſt iſta* CLEMENTISSIMI REGIS *erga me benigniſſima & conſtans voluntas, quam crebris etiam litteris, regia manu ſignatis, confirmatam multos per annos expertus ſum. Huic itaque otio, quod per* TE *mihi factum eſt, debetur hæc omnium, quæ diverſis vitæ temporibus elaboravi, ſcriptorum in unum faſcem collectio, cui* AUGUSTUM NOMEN TUUM *hac etiam juſta cauſſa præſcribendum putavi, ut in omnibus Europæ locis, ad quæ hæc volu-*

mina perventura ſunt , videant prædicequent homines FRIDERICI GUILLELMI *incredibile ſtudium viros in arte medica peritos æſtimandi , diſtinguendi , & , quod maximum eſt, præclare efficiendi , ut , remota omni empiria , res medicæ & chirurgicæ in provinciis* SUO *ſceptro ſubjectis floreant, vireant & nova quotidie incrementa accipiant. Effectum hoc maxime eſt ſingulari iſta providentia* TUA, *qua non ſolum collegium, quod Berolini floret, anatomico-chirurgicum largis inſtruxiſti privilegiis; ibidemque olim fundatam ſcientiarum ſocietatem bibliotheca ſatis numeroſa ſplendidoque rerum naturalium apparatu donaſti ; ſed etiam ſingulis prope annis homines quoſdam idoneos liberalitate* TUA *clementer adjutos, ad cultiſſimas gentes peregrinatum amandaſti, ut ſi quid in anatomiæ, chirurgiæ & hiſtoriæ medicæ ſtudio perfectius invenirent, id omne ſollicita diligentia domum referrent. Neque minus ſilentio prætereundum, ſed ad omnis poſteritatis memoriam propagandum eſt, quam impenſe bonarum artium & litterarum ſtudiis faveat* CELSISSIMUS *omniſque generis virtutum & ſcientiarum decoribus ornatiſſimus* PRINCEPS HERES, *à cujus imperio univerſa res publica & litteraria ſibi olim promittit pulcherrima. Eodem certe jure* SERENISSIMÆ NOSTRÆ REGINÆ *incredibilis erga eruditos, maximeque medicos amor, ejuſdemque eximium artium curioſarum, atque experimentorum tam phyſicorum , quam chymicorum ſtudium prædicandum eſt: quandoquidem cum cæteris ſapientiæ partibus illam præcipue æſtimat , unde pleniorem naturæ cognitionem nanciſcimur. Pulcherrima minerarum ex toto orbe ſpecimina, lapides pretioſiſſimos, ut & herbarum florumque collectiones elegantiſſimas lectiſſimæ* SUÆ *bibliothecæ , in quam & mea ſcripta meamque imaginem inter viros clariſſimos repoſitam ſuſcipere dignata eſt , adjecit; atque de his omnibus tam perite diſſerit , ut apertum ſit , hæc non eſſe repoſita , ut otioſa quieſcant, ſed ut plane perſpicerentur , ſubinde probeque conſiderata fuiſſe.*

Supereſt ,

EPISTOLA

Supereſt, ut, REX POTENTISSIME, TE *ſupplex rogem, velis pietatem hanc meam clementiſſime admittere, nec adſpernari munus* TIBI *debitiſſimum* TUIS *Divorumque* AVI *ac* PARENTIS TUORUM *beneficiis productum, auctum & ad maturitatem provectum. Equidem dum vivam non deſinam piis apud Deum precibus* TUAM *incolumitatem* SERENISSIMÆQUE DOMUS REGIÆ *perpetuitatem eſflagitare, eroque ad ultimum halitum*

SERENISSIME AC POTENTISSIME REX

REX ET DOMINE CLEMENTISSIME

REGIÆ MAJESTATIS TUÆ

humillime devotus ſervus
FRIDERICUS HOFFMANNUS.

COMMENTARIUS
DE VITA
FRIDERICI
HOFFMANNI

REGIS PRUSSIÆ CONSILIARII INTIMI,
Archiatrorum & Profeſſorum in Academia Regia
Halenſi Senioris &c.

AUCTORE

JOANNE HENRICO SCHULZE

Philoſophiæ ac medicinæ Profeſſore publico.

FLORENTISSIMA & per totum orbem celeberrima Academia Fridericiana, quæ Halæ Magdeburgicæ, auſpiciis FRIDERICI primi Boruſſiæ Regis & Electoris Brandenburgici, An. MDCXCIV. fundata fuit, tam felici incremento caput extulit, ut non ſolum omnes litterarias civitates ſub ejuſdem regis ſceptro degentes, & jam olim coalitas, brevi tempore ſuperaret, verum etiam vicinarum academiarum nulli quicquam concederet, ſive famam & merita docentium in iisdem patrum ſpectes, ſive litteris operantium frequentiam & nobilitatem. Tam læti & ad votum potentiſſimi fundatoris omnino fluentis ſucceſſus cauſam ſi quis quæſierit; ex hominum quidem parte non aliam potiorem facile inveniet, quam quod initio ſtatim provide curatum fuit, ne alii conſtituerentur profeſſores, niſi nominis celebritatem conſequuti, eaque ætate vigentes, qua & ſtrenuis laboribus ſufficerent, & rerum uſu jam eſſent ſubacti & exercitati. Unde factum eſt, ut tot viris lectiſſimis per omnes, ut vocari ſolent, facultates ſummis viribus ſimul enitentibus, omnique ingenio pro novæ academiæ gloria contendentibus, nulla ſive divinarum ſive humanarum rerum ſcientia fuerit, quam non nova luce colluſtrarent, adeo, ut mox in ſui admirationem plurimos raperent, nec paucos ad æmulum ſtudium provocarent.

Eluxit quam maxime inter hæc ſidera doctrinæ elegantis copia & varietate ornatiſſimus, ſplendidorum munerum meritorumque decoribus illuſtris & variis ingenii monumentis artiſque feliciſſimis operibus inclytus vir, Dominus FRIDERICUS HOFFMANNUS, Comes Palatinus Cæſareus, Regiæ Majeſtati Boruſſicæ à conſiliis ſanctioribus & valetudinis tutela, doctrinæ naturalis & medicæ primus in Academia Fridericiana Profeſſor & primarius, omniumque, qui in ea publice docent, Senior, academiæ Cæſareæ Naturæ curioſorum ut & Petropolitanæ ac regiarum ſocietatum Britannicæ ac Boruſſicæ Socius, Patronus ac Præceptor meus per-

petuo obsequio ob plurima beneficia colendus; Cujus vitam tanto majore fiducia litteris mandare adgredior, quod longa ac diuturna ejus consuetudine usus, nullaque rerum ad illum pertinentium notitia destitutus, tum Commentarii de vita HOFFMANNI, quem ipse composuit accuratissime, particeps factus, certiora omnino allaturus esse videar, quam ab aliis exspectari possint. His itaque præsidiis instructo & diligenter uso haud metuendum videtur, ne mediocre hoc ab omnique ornatu vacuum scribendi genus minus gratum atque posteritati demerendæ inidoneum existimetur.

Videor autem mihi in laudatissimos HOFFMANNI nostri majores inquirendo familiam vere Asclepiadeam intueri. Quantum enim per duo admodum sæcula respicienti patet, medici aut pharmacopœi sunt, quibus suam debet originem. Atque ut à materna stirpe initium faciam, indicandus est vir præstantissimus *Wolfgangus Holtzvvirth* ex familia nobilissima & consulari apud nos ortus, qui artis pharmaceuticæ studiosus illo tempore *Wittebergæ* versabatur, quo *Valerius Cordus* magna sui nominis gloria *Dioscoridem* ibi explicabat. Tantopere autem *Cordi* doctrina capiebatur *Holzvvirthius*, ut *Witteberga* discedentem eum Romam usque prosequeretur, atque indivulsus comes & socius cIↃ IↃ XLIV. eidem immatura morte obeunti adsisteret. Quum biennium Romæ exegisset, stimulabat ipsum plura lustrandi & simplices medicinas in patriis locis requirendi desiderium, quasi hereditate à *Cordo* præceptore acceptum ut *Venetiis* navem conscenderet & *Hierosolymam* usque pergeret. Ex longinqua peregrinatione redux *Wolfgangus* noster cIↃ IↃ LIV. viri magnifici & consultissimi *Melchioris Klingii* Archiepiscopatus *Magdeburgici* Cancellarii filiam *Catharinam* uxorem duxit, & ex hac suscepit filiam *Elisabetham*.

Hanc vero *Elisabetham Holzvvirthiam* conjugem cIↃ IↃ LXXIX. duxit LAURENTIUS HOFFMANNUS, ex celeberrima Episcopatus *Bambergensis* metropoli ortus, Lipsiæ autem artem pharmaceuticam edoctus. Hic FRIDERICI nostri proavus, atque HOFFMANNORUM *Halensium*, quotquot cognatione nostrum tangunt, sator fuit. Ex progenie hujus Laurentii maxime notari merentur duo filii *Laurentius* & *Andreas*; quorum *ille*, *Jo. Georgii* Electoris Saxoniæ archiater, eximium & immortale nomen inter præcipuos Germaniæ medicos consequutus nobilitatis insignia, tribuente divo *Ferdinando II.* Romanorum imperatore, familiæ *Hoffmannianæ* intulit, & ingenii etiam præclara monumenta reliquit: *hic* autem pharmaceuticæ rei consecratus in hac urbe mansit & ex *Gertrude*, *Friderici Seyferti*, ædilis & camerarii *Halensis* filia, progenuit FRIDERICUM HOFFMANNUM, qui *Friderici* nostri parens factus est.

Postulat hic maxime locus honorificam commemorationem *Balthasaris Brunneri*, viri inter sui temporis medicos celeberrimi & de *Hoffmanniana* familia meritissimi facere. Erat is *Halæ* natus, patre Laurentio, cive & senatore, qui originem duxerat ex Briga Silesiorum urbe & quondam sede ducali. Commendatissimus autem erat hic *Balthasar* magno trium imperatorum archiatro *Jo. Cratoni à Kraftheim*, in cujus ædibus aliquanto tempore vixit filii loco habitus. Non minus carus erat *Georgio Laureæ* electorum & marchionum Brandenburgicorum archiatro, cujus filiam uxorem ducebat. Quum vero illam immatura morte amisisset, secundis nuptiis sibi adjungebat *Laurentii Hoffmanni* viduam *Elisabetham Holzvvirthiam*, ejusque liberis *Hoffmannianis* summa benevolentia fovendis & educandis operam ita impendit, ut non in vitrici manus eos incidisse, sed amantissimum patrem in eo habere intelligeretur. Despondebat hic unicam filiam ex priori uxore susceptam, privigno *Laurentio*, quem ad optimas scientias & medicinæ penetralia deduxerat, eundemque commendatione sua potissimum juverat. Gratus hoc beneficium prædicat *Laurentius* in præfatione, quam amantissimi vitrici socerique consiliis præfixit, quum apud nos cIↃ Ic CXVII. primum ederentur. Eadem enim non ita pridem apud *Batavos*, procurante *Hermanno Boerhavio* recusa esse publice notum esse debet.

Transimus ad FRIDERICUM HOFFMANNUM, *Andreæ* filium, qui cIↃ IↃ CXXVI. apud nos natus & litteris probe tinctus, medicinæ autem scientia *Jenæ* ac *Wittebergæ* imbutus tantam crebro & felici artis exercitio famam consequutus est, ut *Augusti Saxoniæ* Ducis & Archiepiscopatus Magdeburgici administratoris, archiatri munus consequeretur. Nomen etiam illustre in republica litteraria scriptis immortalibus consequutus est, quæ inter maxime celebrantur *Methodus medendi* & *Clavis Schræderiana*. Hic in matrimonio habebat *Annam Mariam* ex antiqua & nobili *Knorriorum* gente ortam, *Friderici Knorrii*, patricii & senatoris filiam, proxima adfinitate junctam medico & chymico clarissimo *Matth. Unzero*; cujus gener fuit itidem celebris

bris *Andreas Nietnerus*, Ducis Saxoniæ & Administratoris Magdeburgici Archiepiscopatus archiater; Ex hac inter complures liberos suscepit M. D. C L X. a. d. X I X. Februarii F R I D E R I C U M nostrum, qui non solum omnes ex iisdem parentibus natos, verum etiam ejusdem familiæ majores, quantumvis laudatissimos, ut eruditionis & meritorum magnitudine ac dignitatum splendore, ita etiam longævitate, divino quidem munere, longissime superavit.

Primam ejus ætatem ad christianam pietatem & litterarum rudimenta, quantum sese explicantes animi vires capere poterant, pii parentes formarunt, eidemque tam necessario negotio idoneos homines in subsidium adhibuerunt. Quum hæc inter ætatis decimum tertium attigisset annum, publico urbis gymnasio, tunc frequentia auditorum & docentium celebritate florentissimo, tradebatur. Inter cæteros eminebat M. *Prætorii* neque minus M. *Drechsleri* fidelis industria & singularis nec omnibus concessa facilitas, qua teneris adolescentulorum animis ea instillare præcepta noverant, quibus ad altiores disciplinas cum fructu percipiendas præparari debent. Atque horum imprimis virorum fideli institutione per quatuor annos gavisus, præter pure ornateque loquendi & scribendi exercitia, per omnes etiam philosophiæ partes deductus & mathematicis insuper disciplinis large imbutus fuit. Memini ipsum sæpe auditoribus suis, sæpius filiis, iisque quos filiorum loco præter cæteros amabat, commemorare, nihil magis præclare sibi profuisse, quam quod mature ad numerorum doctrinam & mathematicas res tractandas deductus fuerit. Ita enim se se adsueviſſe clarorum & perspicuorum conceptuum desiderio, & ex cognitis certisque principiis obscuriora & incognita eliciendi demonstrandique methodo, ut deinceps, tam discendo quam docendo occupatus, non nisi quæ clara & perspicua sunt, vel ipsemet amplecteretur, vel aliis proponere amaret. Solebat in hanc rem commemorare H I P P O C R A T I S ad *Thessalum* filium epistolam, quæ hujusmodi studiorum in omni vita multiplicem fructum impense laudat, medicinæ vero cupido eadem seorsim commendat. Et ingenium omnino tale nactus erat noster, ut istiusmodi disciplinis, quæ certis conclusionibus innituntur & connexæ sunt, præcipue delectaretur: minime vero ferretur ad illa, quæ imaginationis & memoriæ ingentem vim & nativam promtitudinem poscunt, ut sunt poëtica facultas aut musica, item oratoria atque ampliſſima stirpium cognitio; quibus quidem justum pretium statuit, ipse autem severioribus istis, quæ judicium & meditationem requirunt, animum à primis annis, & per omnem deinceps vitam impendit.

Hæc inter domi ipsum ab otio illiberali satis revocabat indulgentissimi parentis semper occupatissima ad aliis inserviendum industria. Nam quum continuo illi adhærerent medicinæ studiosi, quibus per omnes artis salutaris partes instituendis operam dabat; creberrime noster doctissimo parenti adstabat, quoties vel anatomicis vel chemicis demonstrationibus occupabatur. Sicque vere illum reportabat fructum, quem isti priscorum Asclepiadarum filii, qui cum patribus, artis opera, eoque pertinentia progymnasmata, exercentibus continuo versantes, ipsi propemodum non sentientes proficiebant, tamque profunde animis visa, audita propriisque manibus tractata immittebant, ut facilius fuisset elementa litterarum oblivioni tradere, quam ex animo hæc dimittere, quibus à teneris unguiculis adsueverant.

Tam felici successu, gradibusque citatis ad metam studiorum decurrentem adolescentem acerba clades *Hoffmannianam* domum MDCLXXV. adfligens graviter perculit. Dei enim nutu fiebat, ut intra triduum uterque parens & filia natu maxima, epidemio morbo, qui veris initio tunc sæviebat, abriperentur. Non possum quin hoc loco commemorem, quod ex ore excellentissimi viri sæpe me audire cum summa jucunditate nec minori fructu meo, memini. Nam ut sæpe solebat vel liberis vel familiaribus amicis recensere, quæ sibi adversa olim visa, ad felicitatem tamen veram promovendam potentissima, divinitus evenerint; & non minus ex sobria philosophia quam pietatis christianæ intimis doctrinis de fructu ex adversis capiendo graviter differere: ita hujus quoque casus non aliter meminisse solebat, quam ut divinæ providentiæ gratias ageret, quæ hæc in maximam utilitatem sibi & suis evenire jussisset. Decesserant optimi parentes, quo tempore lubrica ætas natorum maxime indigebat parentum consiliis, monitis & multis ad vitam commodam subsidiis, ab illorum pietate & indulgentia exspectandis. Decesserant non ampliſſimo patrimonio relicto, & hujus non exiguam partem flammæ consumserant. Sed orba parentibus adolescentia ad Deo constantius fidendum, ad preces ardentius fundendum, ad virtutes amandas & honesta studia impensius colenda impulit, & loco fastus, quem feliciſſime vivere adsueti vix effugiunt, veram modestiam & inserviendi promtum honestumque

neſtumque ſtudium inſpiravit, quibus virtutibus effectum eſt, ut ſatis mediocres opes, divino adſpirante favore, ſufficerent ad illud in vita conſequendum, ut nemo illorum, quos tam gravis calamitas ſimul cum noſtro perculerat, non abunde haberet, unde vitam honeſte & cum decore toleraret. Quin nec ſtudia, quibus ſe noſter conſecraverat, detrimenti quicquam inde cepiſſe idem probe accurateque oſtendit. Nam quum mature guſtum medicinæ beatus parens præbuiſſet, verendum erat, ne ſe his, quæ huic diſciplinæ domeſtica & propria ſunt, nimis cito immergeret, eorumque dulcedine captus ſegnius aut minori ſaltem ardore ea tractaret, ſine quibus hæc, quæ ad ſublimiores ſcientias pertinent, nec bene digeri nec communicari cum aliis poſſunt.

Manſit autem gymnaſii patrii alumnus uſque ad finem An. MDCLXXVIII. quo editis ſpeciminibus eruditionis ſuæ per diſputationem *de Mundo*, præſide laudato *Prætorio* defenſam & ſolennem orationem publice eidem vale dixit, & cum patronis ac neceſſariis amicis de ratione ſtudiorum alibi locorum ineunda earumque ſede eligenda deliberavit. Amor artis ſalutaris, *Hoffmannianæ* domui quaſi gentilitius, ſemper animum noſtri tenuerat; ejus autem celeberrimus Profeſſor *Georg. Wolfgangus Wedelius* in inclyta *Jenenſi* academia tunc unus omnium maxime florebat: quare omnium conſilio hæc ipſi ſchola Aſclepiadei dogmatis eligebatur.

Quemadmodum mature cognoverat, medico futuro maxime idoneas eſſe diſciplinas mathematicas & philoſophiæ naturalis aſſiduum ſtudium: ita inprimis curæ cordique habebat, ut in hiſce magis confirmatus medicinæ operam felicius navaret. Nec deerant tam honeſto amori, qui abunde ſatisfacerent, celeberrimi tunc doctores *Erhardus Weigelius*; ille *Archimedes Jenenſium* & *Jo. Andr. Schmidius*, theologus poſtea *Helmſtadienſis* & abbas *Mariævallenſis*, quorum doctrinis ſe plurimum debere gratus ſæpe celebravit. Ad medicinæ autem doctrinas recte percipiendas præter cæteros utebatur jam laudato *Wedelio* præceptore: plurimum tamen ab aſſidua meditatione & frequenti bonorum medicinæ auctorem lectione exſpectabat. Sub hoc præſide in cathedra ſtabat An. MDCLXXIX. & de *Menſtruo ventriculi* diſputabat.

Quum annuum tempus Jenæ tranſegiſſet omnibusque commilitonibus induſtriam ſuam comprobaſſet; rogabant ipſum non pauci amicorum ſuorum, ut ſe participes redderet domeſticarum exercitationum, quibus chemiam aſſidue colebat. Horum itaque in gratiam, & ut ipſemet docendo magis confirmaretur; hunc laborem minime ſubterfugiendum duxit. Neque parum iſto ſe ſtudio tam illis, quam ſibi, profuiſſe ſenſit. Enimvero major erat cupiditas per chemiam ſperanda medico doctrinæ emolumenta conſequendi, quam ut retinere ſe ipſum poſſet, quo minus ardenti deſiderio quovis modo ſatisfaceret. Florebat tunc artis hujus ſingulari laude *Caſpar Cramerus* medicinæ in vicina *Erfordienſi* academia Profeſſor longe celeberrimus, ad quem anno cIↃ IↃ CLXXX. ineunte proficiſcebatur, ſeque omni officiorum genere in amicitiam tanti viri inſinuabat. Multum ipſi profuerunt prælectiones chemicæ, quibus aſſiduo ſtudio intererat: ſed longe plus emolumenti ex domeſtica converſatione & quotidianis colloquiis ejuſdem medici percipiebat. In hoc ſeceſſu elaborabat ad dogmata potiſſimum Helmontiana quæ tunc in ſcholis medicis regnabant, quibusque luce phyſicæ doctrinæ plenius colluſtratus nuncium remiſit, diſſertationem de *Autochiria*, quam circa finem anni Jenam reverſus illuſtri *Wedelio* legendam & percenſendam offerebat, ut, ſi luce digna eſſet, ſub ejus præſidio publice ventilaretur.

Enimvero tantopere commentatio hæc celeberrimo viro placebat ut *noſtro* aperte declararet, tam egregium ſpecimen majori præmio dignum ſe exiſtimare. Ne vero ambiguum eſſet, quorſum hæc tenderent; ſuadebat *noſtro*, ut ſe illis viris adjungeret, qui tum honores doctorales ab ordine medico petierant & propediem reportaturi erant. *Noſter* vero ſine conſilio & auctoritate illorum, quos patrum loco veneraſſet, ab ipſo tunc decano facile impetravit locupletiſſimum teſtimonium, quod tuto oblatos honores ambiret. His auſpiciis examina legibus præſcripta ſubiit, & cum omnium calculos promeruiſſet, An. cIↃ IↃ CLXXXI. ultimo Januarii die de *Autochiria*, applaudentibus omnibus, diſputavit. Hoc facto a. d. V. Februarii, quum nondum vigeſimum primum ætatis annum attigiſſet, doctorales in medicina honores, beuta & præcone toties dicto *Wedelio*, reportavit.

Enimvero *noſtro* minime illa mens erat, quæ in pluribus conſpicitur, qui publico eruditionis teſtimonio acquieſcentes, non tam amplificandæ ac ulterius comprobandæ doctrinæ ſtudent, quam emolumentis cito reportandis inhiant. Vix doctorem è

cathedra

cathedra *Wedelius noſtrum* dimiſerat, quum jam flagraret cupiditate, maxime quidem laudabili, omnibus comprobandi quam eſſet docendo, cathedræque per ſe tuendæ idoneus: Periculum itaque virium ſequenti Maio tanto cum ſucceſſu fecit, ut diſputatio, quam primam ſuis auſpiciis habuit, de *cinnabari antimonii*, mox diverſis formis recuſa prodiret, quum admirabilis & profunda chemiæ, quam pandebat, doctrina lectores ubicunque alliceret. Eſt enim *Lugduni Batavorum* procurante celeberrimo *Paulo Hermanno* cIↃ IↃ CLXXXV. 12. edita, & Francofurti ad Mœnum cIↃ IↃ CLXXXIX. 8.

Quantopere jam confiderent novi doctoris *noſtri* dexteritati ac peritiæ juvenes academici, mox elucebat, quum prælectiones in chemiam & alias univerſæ medicinæ partes inſtitueret. Majori enim numero & notabiliori ardore ad ſcholas *ejus* confluebant auditores, quam ut æquo animo ferre poſſe viderentur illi, quibus ordinarium docendi munus demandatum erat. Annuum itaque tempus, & quod excurrit utilitati artis cupidorum Jenæ impendit, hocque ad finem tendente de *morbo convulſivo ex viſo ſpectro* novam diſputationem publice propoſuit.

Hoc facto Jenam tantiſper relinquere ſtatuit, ut crebrius repetitæ invitationi generoſiſſimi & perilluſtris viri domini *Joach. Martin. Unverfaerth*, Sereniſſimi Electoris *Brandenburgici* Conſiliarii & principatus *Mindenſis* Cancellarii, affinis ſui dilectiſſimi, ſatisfaceret, jamque vacillanti valetudini ſuæ hac peregrinatione conſuleret. Evenerat enim ipſi, quod omnibus ſolet, qui intentius naturæ contemplationi & indagationi ſeſe dedunt, ut corporum ſuorum robora inquieta cogitatione nocturnaque vigilia minuant: jamque hypochondriaci morbi rudimenta non obſcure ſentiebat, & cur pulmonibus ſuis à phthiſi metueret, haud adeo læta percipiebat præſagia. Quum Mindam perveniſſet, non ſolum ipſa itineris jucunditate admodum erectas & refocillatas vires mirabatur, verum etiam in honoratiſſimi affinis dilectiſſimæque ſororis domo ita omnia ad votum ſuum comparata deprehendebat, ut reditum ſuum ad *Jenenſes* muſas, longius, quam initio ſtatuerat, differre non dubitaret. Sed quum mox intelligeret, quam planam ſibi tanti viri domus viam ad amicitiam ſummorum in illa provincia virorum panderet; divinoque beneficio contingeret, ut pluribus gravi morbo decumbentibus medicas manus ſingulari dexteritate nec minori felicitate admoveret; amantiſſimæque domus preces propriæque ſalutis rationes liquidiſſimæ accederent; ſtatuit tandem Mindæ potius benevolentia præcipuorum virorum frui ac florere, quam ſe denuo invidiæ fluctibus ac valetudinis periculo *Jenæ* exponere. Sæpius memini me ex ore ipſius audire, quod admodum jam male afflicto corpore Jena digreſſus, itinerum ac vitæ magis activæ utilitatem tum primum recte cognoverit, quum à ſedentaria vita ſemet ſubtraxiſſet. Atque ab eo tempore uſque in ſenectutem id maxime tenuit, ut quantum fieri poſſet à ſedendo ſibi caveret. Quoties itaque aliquid meditabatur, deambulabat: quæ autem ſcribenda erant, inter ambulandum dictabat. Habebat etiam complures ſemper, quibus dictabat calamo excipienda, vel deſcribenda dabat, quæ recenſuerat. Ita vero agendo & ſibi proderat, valetudinem tuendo; & illis, qui, dum ipſi à manu erant, rerum utiliſſimarum ampla cognitione vix ſentientes imbuebantur, & ad medicam prudentiam deducebantur.

Biennium hic lætus & felix exegerat, ubi animum cupido inceſſit, exteras etiam regiones adeundi. Primum itaque ad *Batavos* excurrit, ibique præcipuas & florentiſſimas civitates ordine luſtravit, neminemque, cui ab arte & eruditione nomen patratum erat, inſalutatum reliquit. Sed præcipue benevolentia celeberrimi botanici, *Pauli Hermanni*, profeſſoris Lugdunenſis, patria *Halenſis* delectabatur, qui hunc civem ſuum non ſolum peramanter hoſpitio excipiebat, verum etiam quovis officiorum genere demereri non deſiſtebat. Navem deinde conſcendit, & menſe Julio in *Britanniam* trajecit, ubi per aliquot menſes *Londini* & *Oxonii* exactos quicquid in phyſicis, anatomicis, chemicis vel mechanicis curioſum & utile obvenit, avide conſideravit, & ex clariſſimorum virorum conſuetudine fructum non mediocrem percepit. Sæpius tunc familiariter cum illuſtri domino *Roberto Boyle* verſatus fuit, qui non obſcure ſignificavit, ſe virtuti & eruditioni *noſtri* magnum pretium ſtatuere, quum ultro ſæpe ad ſe accerſeret, & de rebus chemicis ac phyſicis longum colloquium inſtitueret. Sed & *Slarii*, *Crellii* aliorumque artis ſalutaris antiſtitum amorem & benevolentiam ſibi comparavit. Tam optato hujus itineris ſucceſſu lætus Novembri menſe Mindam revertebatur; priſtinoque more ſe ægrotantium languoribus depellendis indulgebat.

Sequenti anno cIↃ IↃ CLXXXV. præſidio militari, quod apud *Mindenſes* collocatum erat, cuique generoſiſſimus & admodum ſtrenuus vir, dominus *de Zieten* cum imperio

præerat, medicus dabatur, & præter honeſtum ſalarium multum benevolentiæ tam à ſummo harum copiarum ductore, quam à centurionibus & reliquis cohortium præfectis ſemper experiebatur, quoties cum ipſis aliquid eſſet negotii. Non hic ſubſiſtebat HOFFMANNI noſtri felicitas, ſed dexteritatem artis quotidiano uſu auctam pari paſſu inſequebatur. Glorioſiſſimæ enim memoriæ princeps *Fridericus Wilhelmus* Elector Brandenburgicus, ipſum totius principatus *Mindenſis* phyſicum provincialem An. cIↃ IↃ CLXXXVI. conſtituebat, & honorificum medici aulici titulum adjungebat. Sed & præcipui per illam provinciam & comitatum *Ravenſpergenſem* nobiles ſuæ ſuorumque valetudinis curæ libentius gerendæ ipſum annuis ſtipendiis obligabant. Cumque his ita inſerviret, ut præmonendo, conſulendo, medendo induſtriam conſervandæque valetudinis & vitæ ſtudium omnes intelligerent, nunquam autem ſoſtrum à quoquam ope ſua uſo exigeret, expertus eſt hanc ſibi viam ad commendationem & opes etiam comparandas certiſſimam eſſe, à qua nunquam deinceps tota ſua vita diſceſſit.

Quum itaque ad votum omnia *noſtro* hic fluerent, accidit, ut eodem anno jam ad finem tendente ſtatus principatus *Halberſtadienſis* ipſum ad ſe invitarent, quo locum provincialis medici, morte ejus, qui munus id geſſerat, vacuefactum, capeſſeret. Non adſpernandis conditionibus vocabatur, quum præter ordinarium, quo id munus gaudet, ſalarium multi ex præcipuis tam urbis, quam provinciæ, viris annuum ipſi ſtipendium decernerent. Nullus itaque dubitabat invitantibus obſequi. Dum vero abitum in annum ſequentem differt, interea novam excurſionem, comite affine ſuo, Domino *de Unverfaerth* per *Brabantiam* & *Hollandiam* inſtituit. Ineunte igitur vere An. cIↃ IↃ CLXXXVIII. Halberſtadium petiit, incredibili omnium ſtudio exceptus. Artis crebra documenta inter omnes generis homines edebat, tantumque ſibi omnium amorem conciliabat, ut exſpectationi quiſque ſuæ abunde eſſe ſatisfactum fateretur. Eodem tempore ſolidam eruditionem ſuam medico orbi oſtendebat tractatu *de inſufficientia acidi & viſcidi* in lucem edito; quo *Cornelii Bontekoe*, archiatri *Brandenburgici* & Profeſſoris medici in Academia *Francofurtenſi* hypotheſes, tunc novitatis eximia gratia florentes, de morborum cauſſis, eosdemque ſubmovendi rationibus, oppugnavit, & multis tam ex theoria quam praxi rationali deſumtis argumentis ita deſtruxit, ut ex eo evileſcerent, plane ab omnibus exploſæ. Ejus autem ſcripti laudes vel attingere ſupervacuum fuerit, poſtquam doctiſſimi viri, qui *Acta Eruditorum Lipſiæ* ediderunt, admodum honorifico elogio illud An. cIↃ IↃ CLXXXIX. menſe Julio mactaverunt.

Hornhuſæ, in principatu *Halberſtadienſi*, larga aquarum ſalubrium ſcaturigo tunc prorumpebat; quo loco olim idem contigiſſe, ſed mox defeciſſe, aliqui reminiſcebantur. *Noſter* in aquæ ſcaturientis naturam & vires accuratius tunc inquirebat, & incredibili hominum ægrotantium multitudini, quæ brevi tempore adfluebat, omni opera & ſtudio conſulere annitebatur. Hujus vero laboris fructum hunc habuit, quod tot ægrotos inſpiciendo, & malorum originem inquirendo curationum quoque ſucceſſus obſervando & conſignando, artis peritiam inſigniter augebat, in diesque pluribus per rectorum conſiliorum optatos ſucceſſus innoteſceret & commendaretur. Exſtat de hoc fonte ſcriptum vernaculo ſermone tunc à *noſtro* editum.

Eodem tempore cœpit animum contrahendo matrimonio adpellere, tamque felicibus auſpiciis hoc negotium adgreſſus eſt, ut nulla re clarius forte intelligatur, quam bene Numen propitium rebus HOFFMANNI noſtri faverit, ſalutique ejus proſpexerit, quam conſiderata matrimonii illius felicitate. Elegit enim, Deo ſic dirigente, & electa jam anno ad finem properante cIↃ IↃ CLXXXIX. potitus eſt, virgine honeſtiſſima, & non minus venuſto corpore, quam animo vera pietate, prudentia & manſuetudine ornatiſſima *Joanna Dorothea* viri integerrimi, probe docti & artis pharmaceuticæ conſultiſſimi *Andreæ Herſtelle*, pharmacopœi *Clausthalenſis* & *Zellerfeldenſis* unica filia, fœmina ad exemplum proba & mariti per omnem vitam amantiſſima, cum qua per XLVIII. annos conjunctiſſime vixit. Deo enim viſum fuit honeſtiſſimam matronam An. MDCCXXXVII. mortalium rebus eximere; de quo inferius dicendi locus recurret.

Circa hæc tempora ad exitum felicem deducebantur diu agitata conſilia de Academia in *Halenſi* urbe erigenda; jamque in eo erat, ut per omnes ordines eligerentur ac advocarentur viri celeberrimi, à quibus exſpectari poterat, fore ut Sereniſſimi conditoris ſpei ac voluntati ſatisfieret. Aderant jam aliqui celeberrimi viri, qui omne ſublimium diſciplinarum bonarumque artium genus docendo famam novi *Heliconis* excitabant: jamque diſcendi cupidorum non manipuli, ſed cohortes adfluxerant: erant-

que

que in illa multitudine ſtudioſorum complures ex illuſtriſſimis familiis orti juvenes: prorſus, ut quemadmodum ex vegeto germine præſtantiam ac proceritatem ſtirpis, & ex primitiis fructuum meſſis ubertatem: ita ex primo hoc initio præſentem, quam intuemur, felicitatem novæ academiæ augurari liceret. His ſeſe FRIDERICUS HOFFMANNUS medicinæ ac naturalis doctrinæ Profeſſor primarius à Sereniſſimo Principe conſtitutus An. MDCLXXXXIII. a. d. Mart. in publica cathedra primum oſtendebat, initiumque publici muneris faciebat recitanda oratione de *Atheo ex artificioſiſſima corporis humani fabrica convincendo*: quam typis mox publicis exſcriptam Perilluſtri academiæ Fridericianæ Curatori ac Directori *Dan. Ludolpho de Danckelmann* dedicabat. Ita autem placuit illa eruditis viris, ut propter illam numero medicorum theologorum pridem à pluribus adſcriptus ſit & inter præcipuos relatus, qui contra atheos calamum cum fructu effatu digno ſtrinxerunt.

Prima ipſum & præcipua cura diſtinebat, ut de omnibus, quæ ad muneris ſuſcepti rationes pertinebant, provide diſpiceret. Conſcripſit itaque facultatis medicæ ſtatuta, eademque Sereniſſimo univerſitatis conditori confirmanda obtulit: ſigillum etiam facultatis, quali hodie utitur, invenit. Deinceps de collega medico cogitavit; cumque Dominus D. *Georgius Erneſtus Stahlius*, qui tunc principi Saxo-Vinarienſi faciebat medicinam, ſcriptis ad ſe litteris veterem amicitiam *Jenæ* cultam renovaret, ſeque ad novam academiam evocari cupere oſtenderet: aulæ ipſum meliori modo commendavit, & collegam ut expetiit, ita impetravit.

Proxima occupatio in uſum præſentium ſtudioſorum dirigebatur, quibus in partes medicinæ omnes intimius deducendis omnem operam navabat, ſcholaſque tam publicas, quam privatas aperiebat. Probabat autem illam medicinæ tam faciendæ quam docendæ rationem, quæ corporis curandi omnium partium ſtructuram ex anatomica autopſia ante omnia exquirit; actionum autem, quas vivæ edunt, cauſſas tam ex motuum æternis legibus, quam rerum, quæ in nos non agere non poſſunt, ut aëris, aquarum, ciborum, medicamentorumque viribus inſitis eruit & indagat, atque ad hoc tam phyſicis, quam chemicis & medico-practicis experimentis utitur. Atque anatomiæ docendæ una cum practica medicina provinciam nactus ejus multiplices utilitates ad practicum uſum inculcandi occaſionem crebram habuit; nunquam autem dimiſit, ſed luculento academiæ fructu eas adminiſtravit. Diu enim abdicaverat illa dogmatum genera, vel auctoritati veterum innixa, vel ex hypotheſi gratis adſumta ratiociniorum intortorum ancipiti nexu, magno autem loquacitatis tractu derivanda.

Quumque non minus ea, quæ vitam & ſanitatem præſtant, quam quæ vel morbos inducunt vel eoſdem expellunt; cujus generis ſunt res externæ, in ſcholis dictæ non naturales, ex neceſſitate & certis legibus agant: non poterat utique probare illorum rationes, qui talibus inſuper habitis, aut leviſſime tactis, principium aliquod vitale cogitans & intelligens præcipue reſpiciendum in medicina exiſtimant, & ab illius vel ſapientia vel erroribus omnia conſequi arbitrantur. Graviter potius & creberrime inculcabat, animæ vires in corpus utique magnas eſſe & conſpicuas, verum magis ad lædendum corpus ac variis morbis exponendum eam valere: quod adfectuum exemplo clariſſime cognoſcitur. Quicquid tamen vel mali hinc evenit vel boni, ſemper corporis ſtatui alterando cedit; ut omnino medicus non poſſit ſuccurrere ulla alia parte, quam corporis rationem habendo, inque eo occurrentes motus vel dirigendo vel moderando aut omnino ſopiendo. Urgebat autem præcipue illam medicinæ partem, quæ aëris, ventorum, regionum, aquarum, ciborum, potuum, vitæque generum inſignes vires ad vitam ſanam præſtandam, morboſque avertendos; atque ex horum prava vel conſtitutione vel uſu morborum ortus explicat; deinde vero vias recuperandi valetudinem & confirmandi ex eadem cognitione invenit & deſignat. In ipſa proinde medicina facienda ita pariter comparatus erat, atque auditores ſuos ita formabat, ut non ſperarent à medicamentis ullis curationum optatos ſucceſſus, tanquam illis perpetuæ & abſolutæ vires ineſſent; ſed ab ea corporum, quibus offeruntur, conditione, quæ efficaciæ à medicinis exſertæ vel obſecundando vel reſiſtendo & contra nitendo ad eas medendi vias ducitur, quæ præſenti curandorum ſtatui maxime congruunt & ad ſalutem requiruntur. Hanc cognitionem in medico vocabat rationem ſive potius judicium univerſæ medicinæ præſidem, cujus beneficio omnium, quæ fieri aut facta eſſe vel ipſi videmus, vel ab aliis conſignata legimus, cauſſas invenimus, facileque cognoſcimus, cur ab eodem medicamento vel auxilii genere hic optimos, alter pravos, alius omnino nullos effectus annotaverit. Ægrotantibus, aut in alicujus morbi initio poſitis, præcipue inculcabat, omnium aut ſaltem plerarumque ægritudinum ſibi quemque cauſſam eſſe; adeoque multum ſane in unoquoque ſitum eſſe,

esse, ut vel immunis à morbis ad conspicuam ætatem perveniat, vel continuo delinquendo variis morbis obnoxius reddatur, vitæque exitum immaturum sibi contrahat. Multos itaque multarum medicinarum longo usu magis indies magisque corruptos ad emendatiorem valetudinis statum deduxit hujusmodi consiliis omninoque paucis & selectis medicinis apud tales, qui monitis audientes essent, plus effecit, quam antea infinita medicamentorum farrago & varietas potuerat efficere.

Qui medicinam ad naturæ universæ rationes ita revocabat optimo sane nascentis *Fridericianæ* fato ad physicam docendam fuerat admotus. Hujus enim tantopere ad humani generis commoda multiplicia comparatæ doctrinæ scholas aperiebat, non mera ratiocinia allaturas aut veterum traditiones repetituras; sed æque perspicuis ac jucundis experimentis omnia sensibus probaturas. Splendidissimum merito dicas primum illud auditorium decem illustrissimos Comites, sex Barones, complures nobiles & honestos alios auditores complectens. Admirabilis sane ardor ille commemoratione dignus visus est, quoniam & felicitatem novæ ac nondum sollenniter dedicatæ cademiæ comprobat & præclaram fiduciam in docentis dexteritate positam ostendit. Nam quum is philosophiæ eandem partem sedecim ordine collegiis tractaverit, neque desiissent qui omni molimine applausum hunc minuere conarentur: semper tamen habuit frequens & nobilissimis civibus effulgens auditorium & in eo viros jam publicis & honorificis muneribus admotos qui assidua præsentia sua testarentur, quantum hujusmodi solidum docendi genus æstimarent, ipsoque exemplo secus sentientium non satis sincera judicia refutarent.

Quum Sereniſſimus Elector Fridericus III. à suo nomine vocandam universitatem ipsis Kalendis Juliis inaugurasset; postridie ejus diei *noster*, præsentibus Electore, aulæ, universitatis & urbis proceribus decem medicinæ Doctores solenni ritu creabat. Finitis autem solennibus, quum principi diutius Halæ commorari non liceret, isque abiens clementissime jussisset, ut patres academiæ deliberarent, si quid ad salutem *Fridericianæ* in posterum tempus sanciendum existimarent; hi quidem re mature deliberata, duos ex suo ordine ad munificentissimum suum nutritorem miserunt, qui publica universitatis negotia tractarent & conficerent. Delectus autem cum Illustri JCto & Consiliario Electoris intimo, *Samuele Stryckio noster* eo proficiscebatur. Atque hi duumviri non minori universitatis bono, quam sua gloria, ex voto perfecerunt, ut privilegia academiæ ampliſſima sancirentur.

Tertio academiæ natali magistratum ejus annuum *noster* suscipiebat ab Illustri JCto *Samuele Stryckio* ad se delatum. Vere dici potest, neminem forte ex omnibus, qui *Fridericianæ* in perpetuum prodesse annisi sunt, feliciori successu, quam FRIDERICUM HOFFMANNUM, primo hoc academico consulatu gavisum fuisse. Etenim hic fuit, cui licuit apud Perillustres *Ducatus Magdeburgici Proceres* efficere, ut viginti quatuor studiosis liberalem victum præbere annuerent; huicque beneficio mille thaleros in singulos annos præbendos adsignarent. Non satis hoc beneficio impetrato academiam sibi obligasse sese existimabat, nisi plures eidem Principi devotas provincias exoraret, ut idem exemplum sequi vellent. Feliciter res succedebat, quum ad *principatus Halberstadienses* Perillustres status deferret. Nam cum plures ex proceribus patronos sibi omni obsequio & valetudinis ipsorum prompta felicique cura parasset: facile eos exoravit, ut pro duodecim studiosis liberaliter alendis quingentos thaleros decernerent, idque suum beneficium perpetuum sancirent. Ut vero tanto munere ad reipublicæ emolumentum suumque verum commodum rectissime omnes uterentur: ipsemet tum hospitibus bonas leges præscripsit, tum etiam alumnis; quas à Perillustribus patronis ac mæcenatibus confirmatas promulgavit, & ut ab omnibus rite observarentur, eo majori semper studio quæsivit, quoniam utriusque provinciæ proceres ipsum alumnorum suorum ephorum legumque custodem constituerant.

Nec inter minima hujus magistratus referri debet quod *noster* apud Sereniſſimum Principem nutritorem impetravit, vel ex reditibus cœnobii *Hillerslebiensis* in ducatus *Magdeburgici* boreali limine inter *Haldenslebiam* novam & *Wolmirstadium* siti, quingenti quotannis thaleri academiæ donarentur, pro collegio elegantioris litteraturæ fundando. Institutum hoc erat, ut in melioris ingenii & spectatioris industriæ aliquot juvenes quadringenti thaleri quotannis impenderentur, qui se, hoc auctoramento inducti, elegantiorum litterarum sollerti cura officiis scholasticis ardentius præpararent, ut essent idonei viri, qui scholis præfici aliquando possent. Huic tanto consilio susceptæ rei præficiebatur una cum venerando theologo *Joach. Justo Breithauptio*, sacrorum *Hillerslebiensium* præposito & sacrarum litterarum Professore Seniore, vir undiquaque celeberrimus *Christoph. Cellarius*, eloquentiæ antiquitatum & historiarum

Professor

Profeſſor Publicus, cui pro labore iſto centum thaleri decernebantur.

Qui tanto *Fridericianæ* emolumento primum magiſtratum geſſerat, eundem ordine ad ſe redeuntem ter ſuſcepit, & cum ſumma integritatis laude ſuſtinuit annis hujus ſæculi quinto, decimo octavo, & vigeſimo octavo. Acceſſit autem ultimo non exiguum additamentum oneris, quum Illuſtris quondam JCtus *Nic. Hieron. Gundlingius*, ad quem faſces academici delati fuerant, longo ſatis tempore graviter decumberet, tandemque morte aufferretur, vix dimidia temporis legitimi parte abſoluta: quo fiebat, ut & languentem ſublevare oporteret, & derelictum tandem magiſtratum reſumere.

Satis hinc facile intelligitur, quam multum pro publico *Fridericianæ* bono *Hoffmannus* laboraverit. Sed non ſolum domi nulla in parte defuit ejus commodis promovendis; verum etiam peregre miſſus ejus nomine dignitatem illius decore ſuſtinuit. Nam poſt illam legationem, quam privilegiorum impetrandorum & amplificandorum cauſſa ſuſcepiſſe eum diximus, iterum *Berolinum* adiit, ut ſollennibus exſequiis, quæ reginæ An. cIↃ IↃ CCV. memorabili pompa peragebantur, intereſſet: eodemque anno *Francofurtum ad Viadrum* mittebatur, ut illi academiæ, ſæcularia gaudia celebranti, noſtræ nomine gratularetur.

Quam celebre HOFFMANNI noſtri nomen etiam primis academici muneris annis per omnem *Germaniam* fuerit, ex multis licet cognoſcere. Nam non ſolum illuſtris *Academiæ Cæſareæ naturæ curioſorum* Præſes, *Lucas Schrœkius* eum ad Societatem honorifice & ſponte invitavit, quantumque ejus in anatomicis, phyſicis & chemicis indagationibus induſtriam æſtimaret, *Democriti* nomine impoſito teſtatus eſt; verum etiam Perilluſtris Leibnitius eundem inter primos regiæ *Scientiarum ſocietatis*, quæ *Berolini* ineunte hoc ſæculo fundabatur, ſodales adſcribebat. Excitavit hoc *noſtrum* ad obſervationes barometrico-meteorologicas adornandas, quarum non nudas conſignationes, ſed ad uſum applicatas & in ætiologiam epidemiæ conſtitutionis converſas condere ephemerides cogitabat. Exſtat hujus operæ ſpecimen, omnem annum cIↃ IↃ CC. complexum: cui præmiſſæ ſunt curioſæ meditationes phyſicæ de ventorum cauſſis eorundemque viribus & operationibus tam in hominum corpora, quam in barometra. cIↃ IↃ CCXIX. in celeberrimam regiam Scientiarum Societatem Britannicam receptus, cui dein obſervationes ſuas phyſico-chymicas inſcripſit. Poſtea ſub auſpiciis *Societatis Scientiarum Ruſſicæ* per *Blumentroſtium* Archiatrum, genuinum ipſius diſcipulum, ſodalis electus & per diploma tranſmiſſum, renovata illa Societate, cIↃ IↃ CCXXXV. Kalend. Junii ſub Præſidio Illuſtriſſimi Miniſtri & Camerarii *de Korff*, pro membro honorario una cum Celeberrimi nominis in Anglia medico domino *Sloane* in claſſe phyſico-medica eſt declaratus.

Hic quoque ampliſſimus ſane dicendi locus eſſet, ſi ex diurnorum libris exhibendi eſſent, quibus ægrotantibus opi & auxilio venerit. Neque tamen poſſum quin aliquot ex maxime eminentibus & præcipuo loco poſitis attingam. Eminentiſſimus Elector *Moguntinus Lotharius Franciſcus* ex primis erat, qui *noſtrum* valetudinis tuendæ cauſſa ad ſe evocaverunt. Ad hunc ſapientiſſimum Principem An. cIↃ IↃ CCII. profectus, in aula ejus aliquamdiu retinebatur ejuſdem precibus; quippe cupiebat omnino, ut coram intuendo omne vitæ ejus genus, quæ vires corporis ejus eſſent, quæque proprietates, cognoſceret, ut tanto commodius rectis conſiliis & auxiliis ſuccurreret. Quantam in ejus fide & dexteritate fiduciam poneret tantus Princeps, non ſolum tunc oſtendit, verum etiam omni deinceps tempore. Non enim ſolum de ſuæ valetudinis ſtatu ſæpe ad ipſum clementiſſime ſcripſit; verum etiam conſilium ejus in difficilioribus caſibus ad forenſem medicinam pertinentibus, ſua manu exaratis litteris, identidem requiſivit. Eodem itinere ad aulas celſiſſimorum Landgrafiorum tam *Haſſo-Darmſtadienſis* quam, *Caſſellani* invitabatur, ut in rebus ad valetudinem Principum pertinentibus conſilia ſuppeditaret. Atque ſæpius deinceps ab aula *Caſſellana* litteras accepit, quibus vel ad curationem advocabatur, vel in medium conſulere jubebatur.

Circa idem tempus *Cizam* revocabatur à Celſiſſima Principe *Maria Amalia* Potentiſſimi Regis Boruſſiæ FRIDERICI I. Sorore, *Mauritio Wilhelmo* Duci Saxo-Cizenſi nupta: cujus gratia tantum florebat HOFFMANNUS, ut per plurimos deinceps annos ſæpius vocaretur, nunquam non clementer habitus & honorifice dimiſſus.

Neque defuerunt magni Principe, qui ipſum in ſuas terras invitarent, & ſplendida ſatis munera offerrent. Sic factum à morte Celeberrimi *Meibomii* ſcimus, ut in academiam *Juliam* ipſum pertrahere niterentur, quorum eſt de talibus negotiis deliberare. Neque minus ab aula *Guelpherbytana* in locum defuncti Behrenſii Archiater deſiderabatur. Omnium autem maxime ſerio & multum requirebatur, ut in Caſſellana aula Archiatri munus capeſſeret. Enimvero omnibus ſe modeſte excuſabat *noſter*, cui patriæ inſervire pulcherrimum videbatur; aulæ autem ſervitiis ſe mancipare non ſolum

moleſtum, ſed cum periculo etiam multo conjunctum videbatur. Et ſane plus gratiæ eſt magno & celebri medico, qui ad magnates vocatus venit & peracto negotio abit, quam qui ſemel adſtrictus cum empiricis omnis generis luctari, adverſus invidiam aquam qui ſemel adſtrictus cum empiricis omnis generis luctari, adverſus invidiam au

imperito uſu olim ſtabilitis obnoxia eadem paſſus fuerit: ut omni niſu ad rationalem uſum ea revocavetit. De aliquibus fontibus ſeorſim commentando, ut de *Selteranis* & *Lauchſtadienſibus* quorum inſigniſſimum, tum in avertendis, tum in debellandis contumacibus morbis uſum primus omnium recte detexit, & peculiaribus de iisdem conſcriptis diſſertationibus docuit, ut inde famam celebritatemque non modo per Germaniam, ſed per plurimas quoque exteras regiones teſtimonii ſui auctoritate conſequuti ſint, in non leve urbium, apud quas ſcaturiunt, incrementum, & incolarum, quod gratiſſimo etiam animo agnoſcunt, emolumentum.

Crebrorum ad fontes *Carolinos* itinerum etiam ille fructus erat, ut Potentiſſimo Regi Boruſſiæ FRIDERICO I. propius innoteſceret. Nam quum anno MDCCVIII. quo Rex fontium horum uſum experiebatur, multi ex præcipua nobilitate viri medica HOFFMANNI opera uterentur, & ad ſalutationis officium admiſſi prædicarent viri hujus peritiam: jubebat Rex ipſummet ad ſe vocari, multaque de ſuæ valetudinis ſtatu colloquutus, jubebat ut ad ſe frequentius veniret. Id quum faceret HOFFMANNUS & Rex Clementiſſimus non obſcure oſtenderet, ſe viro huic multum confidere & eruditis ſermonibus ejus plurimum delectari: jam tunc aliqui non obſcuris ſignis oſtendebant, quam ſuſpectum ipſum haberent; ſuæ ſcilicet eximationi deceſſurum rati, quantum Rex huic tribueret.

Anni hujus ultimis menſibus Rex Potentiſſimus adverſa valetudine graviter adfligebatur. Et quum nulla medicina conſtantem ferre opem videretur; in mentem Regis veniebat HOFFMANNUS, à Sereniſſima ſorore ſua toties ipſi commendatus & nuper ad *Carolinas* thermas propius cognitus. Jubebat igitur per celeres nuncios eum protinus advocari, ut inter cæteros medicos ſalutis regiæ curam ſuſciperet.

Non recuſare HOFFMANNUS poterat, quod Rex ſerio volebat; quamquam bene intelligens, quam ſit lubrica aulicorum virorum fortuna atque vita omnis libertatis & quietis ratione animi & corporis expers: Abiit igitur jam ad exitum vergente anno, divino numine fretus & ſapientiſſimi Regis gratiæ confiſus. Atque primo ſtatim adventu ſuo induſtriam fidemque ſuam Regi adeo probabat, ut is propriæ voluntatis inſtinctu noſtrum inter conſiliarios aulicos adſciſceret & archiatrorum ſuorum collegio, cum ampliſſimo ſalario, illum adjungeret. Provide tamen HOFFMANNUS, ſibi academicum munus conſervari, petebat: quum ſemper tranquillis muſis inſervire, quam in aula continuo verſari ſatius putaſſet: cui deſiderio Rex clementiſſime adnuebat.

Ab hoc itaque tempore HOFFMANNUS per tres ſolidos annos, & quod excurrit, tanta fide tamque promtis & paratis obſequiis inſerviebat aulæ, ut Regi Reginæque abunde ſatisfaceret, neque unquam in ipſo vel fides & aſſiduitas vel dexteritas deſideraretur. Non autem modici laboris res erat, Regi haud firmiſſima valetudine prædito per hibernos menſes & gravibus pathematibus vexato inſervire: ſæpeque integras noctes corporis proprii neceſſariæ curæ ſubtrahere, & cum diebus noctes continuare opus erat. Neque minus Regina ipſi laborem faceſſebat pathematibus, ſubinde gravioribus, obnoxia. Has tamen ærumnas, utpote officii partes, facile ſuperabat, & conſcientia recte diligenterque navatæ induſtriæ moleſtias omnes inde enatas ſolabatur: præſertim quum Regias perſonas clementiſſima voluntate ſe proſequi intelligeret. At vero ipſa muneris ſui tam diligens cura & indefeſſum illud ſtudium omnes officii demandati partes implendi objiciebat ipſum moleſtiſſimæ invidiæ, mox etiam capitalibus odiis, collegarum præſertim *Andreæ Gundelsheimeri*, qui nunquam promotus, quum Celeberrimo *Tournefortio* Regis Galliæ ſumtibus itinere per *Græciam* & *Ægyptum* inſtituto adfuiſſet, aulæ Berolinenſi redux commendatus, violentas medicinas etiam ex regia familia ortis porrigebat, cui *noſter* modeſte conſcientiæ vi impulſus contradicebat. Multa dici hic poſſent de controverſiis HOFFMANNO valde moleſtis, quæ ipſi cum hoc viro interceſſerunt. Quum vero neminem magnopere juvare poſſe videatur hæc recenſio; iſta vero, quæ ad concertationis hujus cauſſam pertinent, in *Medicinæ Conſultatoriæ* vol. I. pridem legantur ample expoſita, malumus rem totam ſicco pede præterire, poſtquam in vivis eſſe pridem deſierunt, qui tunc adverſarii graviſſimi fuerunt. Certe ab HOFFMANNI moribus alieniſſimum fuiſſe, ut ullum unquam hominem laceſſeret, ex eo cognoſcitur, quod nullius unquam controverſiæ initium ipſemet fecit: & quod multis ſatis diſerte contra ſe inſurgentibus, quin fere inſultantibus, nihil omnino reſpondere, reique dijudicandæ arbitrium erudito orbi permittere maluit, quam diſceptationibus bonas horas diſperdere. Quicquid autem hic fecit, quo adverſarius irritatus fuit, ita cum jurata fide, qua obſtrictus tenebatur, arcto vinculo cohærebat, ut ſine officii neglecti graviſſimo reatu non potuiſſet omitti.

Ob plura itaque & gravia tædia aulica dimiſſus HOFFMANNUS repetebat dilectiſſi-

lectiſſimam patriam An. cIↃ IↃ ccxii. menſe Junio & ad intermiſſas aliquamdiu occupationes academicas tanto majori alacritate redibat, quo majorem ex illo otio dulcedinem jucunditatemque nunc percipiebat. Non poſſum quin hoc loco commemorem, quæ medicus *Jo. Papius* ad *Keplerum* ſcripſit epiſt. de vita aulica XL. p. 76. *non eſt, quod mireris conſilium meum de migratione in Boruſſiam, locum minus, ut videri poteſt, tutum. Expertus ego ſum huc uſque vitam primum academicam tunc hic (Onolsbachii) auticam: contabeſco propemodum recordatione vitæ academicæ, tantæ ejus eſt bonitas, ſi cum cæteris conferatur. Huic ſi accedat copioſæ praxeos, ut nos loquimur, facultas, regiam fere vitam dixero. In aulis eſt ſplendida miſeria, imo omnis aularum ratio liberalibus ingeniis eſt inimiciſſima.*

Si quid temporis relinquerent vel ſtudioſæ juventutis inſtitutio, vel ægrotantium querelæ, id ita dividebat, ut partem impenderet ſcriptis olim editis nunc recenſendis & per faſciculos edendis, aliquibus etiam ab integro condendis partem alteram tribueret naturæ per experimenta chemica profundius ſcrutandæ. Hinc factum eſt, ut ab illo tempore *diſſertationum* olim emiſſarum *decuriæ* apud *Batavos* excuderentur; aliquis etiam faſciculus, ad thermas & acidulas pertinentia complexus, *Ulmæ* prelum ſubiret: quem mox alius excepit, qui diverſi argumenti minora opuſcula antea ſeparatim edita, conjungebat.

Prope jam ſexagenarius animum adjiciebat condendæ Medicinæ rationali ſyſtematicæ, cujus primam partem luci publicæ ſiſtebat An. cIↃ IↃ ccxviii. quam cæteræ ad hunc uſque præſentem, quo ultimam manum operi immortali futuro octogenarius imponit, per juſta intervalla exceperunt. Merito videntur reprehendendi, qui ad medicinæ vel cujuſcunque artis, quæ rationibus per experientiam longam comprobandis & firmandis conſtat, ſyſtemata condenda juvenes accedunt, alienaque fide conſcribunt, non ſatis intellecta. Ex quibus dum multa ratiociniis potius conſentaneis, quam certa ſcientia eruunt, curandique methodos eliciunt: fit ut & ipſi ætate jam provectiores & experiendo cautiores facti, multa inveniant, quæ corrigant, & alii eorum præſcripta ſequuti, ægrotantes non paucos peſſumdent. Quodſi ad ſcribendum nemo accederet, niſi multum experiendo confirmatus; in experiendo autem ratione prælucente duceretur ut eventuum cauſſas rite erueret; brevi omnino futurum videtur, ut certum, quod ſequamur, minime obſcurum eſſet, diſſenſionumque infinita multitudo aut omnino tolleretur, aut ad inſignem paucitatem redigeretur. HOFFMANNUS certe, qui tot annos docendo & artis opera edendo conſumſerat, ſemperque eventus fideliter notatos accurata & repetita meditatione ad veras cauſſas revocare anniſus fuerat; oſtendit ſuo exemplo, quantum in rationibus inveniendis & reddendis feliciores ſimus majoribus, qui eandem rem moliti fuerunt. Quemadmodum vero ad lucis claritatem cognoſcendam nulla alia re opus eſt niſi oculo ſano & aperto; ejuſque uſura omnibus jucunda & utilis accidit: ſic omnino *Hoffmanniana* de medicis doctrinis præcepta ita univerſis, ad quos ea penetraverunt, facilia, plana & luculenta ſunt viſa, ut vix alius liber noſtra patrumque memoria æquali plauſu ſuſceptus fuerit. Nam quum bibliopola, apud quem primum emiſſa fuerunt, plerasque partes bis terve renovare debuerit; exteri etiam in ejus meſſem involaverunt & tam extra *Germaniam*, *Venetiis* & *Baſileæ*, quam in illa *Francofurti*, recudendum illud medicinæ ſyſtematicæ opus ſuſceperunt; invito quidem auctore omnes præter honeſtiſſimos illos viros *Lugdunenſes*, à quibus omnium ſuorum ſcriptorum editionem fieri non ſolum conſenſit, verum etiam exempla paſſim correcta & locupletata iiſdem ſuppeditavit. In *Gallicum* ſermonem converſæ medicinæ ſyſtematicæ primam partem, & Pariſiis emiſſam, his diebus conſpeximus. In quo tam egregio opere, qualem ſe præſtiterit, ſera etiam poſteritas livoris expers longe adhuc apertius prædicabit. Eodem tempore, quo ad medicinam rationalem ſyſtematicam accedebat, alius utiliſſimi operis editionem aggrediebatur. Nam quum tot annis ſæpius accidiſſet, ut vel ordinis medici nomine reſpondendum eſſet de caſibus propoſitis, vel ad medicinam forenſem vel curandorum ſalutem pertinentibus; neque minus crebræ imo longe etiam frequentius ad ipſum ſolum directæ adferrentur litteræ, quibus conſilia expetebant vel ipſi decumbentes, vel de illorum ſalute ſolliciti medici: cœpit illa colligere & per faſciculos edere ſub titulo *Medicinæ Conſultatoriæ*.

Atque hujus jam duodecim tomi, quorum quisque decurias quinque complectitur, prodierunt vernaculo ſermone. Curavit autem ut inde ſelecta quædam in latinum ſermonem transferrentur & ederentur conſilia: quod opus vix apud nos prodierat, quum jam binis locis, ut Amſtelodami & Francofurti ad Mœnum, recuſum conſpiceretur.

Putares virum tot ſcriptis elaborandis, tot conſiliis ſcribendis occupatum non aliis ſemet indulgere potuiſſe laboribus. Enimvero longe aliter ſe res habet, plurimique ſunt, quibus vel in hac urbe, vel peregre degentibus operam ſuam navavit, ut graves

morbos

morbos devincerent. A quo enim tempore, aula relicta, huc reversus est, vix ulla aula Sereniſſimorum Principum *Saxoniæ* aut *Anhaltinorum* fuit, quæ non HOFFMANNI opera & conſiliis uſa fuerit, eumque identidem ad ſe invitaverit. *Schvvartzburgicus* Princeps ſemel iterumque ad ſe eum vocavit, ſub cujus clementia per auctoritatem Imperatoriam anno cIↃ IↃ ccxxvii. menſe Jul. comitis Palatini munus gratioſe obtinuit. *Caſſellas* ad Sereniſſimi Landgrafii curationem expetitus ivit, ut & *Guelpherbytum* ad Principis ſalutem procurandam accitus fuit. Longum foret, ſi Principes, comites aliosque ex prima nobilitate proceres recenſere velim, quorum valetudini tuendæ, aut languoribus tollendis conſilia miſit: aut ſi enumerare velim, quot magnates ex remotis regionibus huc venerint & curandos ſe ipſi præbuerint, magnumque fructum ab ipſo conſequuti ſint. Nolumus quoque hic referre, quantum per omnem vitam temporis impenderit litterarum commercio, quod cum ſummis noſtri ævi & medicis & philoſophis, maximeque cum magno *Leibnitio*, Imperatoris Regumque archiatris, & plurimis Profeſſoribus tam in- quam extra Germaniam de rebus phyſicis ac medicis habuit; de quibus alio forte tempore meminiſſe juvabit.

Anni cIↃ IↃ ccxxxiv. æſtate jam adulta HOFFMANNUS *Berolinum* accedebat, ut ibi habitantes cariſſimos, generum filiamque unicam cum familia ipſorum, inviſeret. Accidebat tunc, ut triſte nuncium adferretur de graviſſimo & fere deſperato viſo morbo, qui potentiſſimum Regem in caſtris ad *Rhenum*, corripuerat. Quum jam in eo eſſet, ut ad nos reverteretur, non ſolum regii miniſtri ſuadebant, ſed clementiſſima Regina jubebat diutius ſubſiſtere, ut ad manus eſſet, ſi conſilium ipſius expetendum videretur. Et ſane eadem veſpera, quæ Regem *Potsdamio* reddiderat, celerrimo nuncio accerſebatur; quo non parum faciebat, quod Celeberrimus Batavorum medicus *Hermannus Boerhave* de morbo conſultus *noſtri* potiſſimum opera uti ſuaſerat. Non levis erat morbus, qui optimum patriæ patrem adfligebat, ejuſque initia jam à tertio anno inſederant, & mora fuerant confirmata. Aſthma erat hydropicum, quod omnino plus terroris, quam bonæ ſpei oſtendebat: omninoque magni viri, quorum conſilia requiſita antea fuerant, aperte declaraverant, quod plus metuerent, quam bene ſperarent.

Enimvero Dei clementiæ tribuendum eſt, quod ex ingenti diſcrimine liberatum patriæ patrem recuperavimus. Neque parum effecit animus Regis inter tot moleſtias ſemper alacris, numquam earum gravitate depreſſus, rectisque conſiliis audiendis ac admittendis paratiſſimus. Nunquam enim diætæ præſcriptas regulas migrabat ac medicinarum uſui ſeſe libenter præbebat.

Quinque menſium ſpatio conſumto, quo tempore HOFFMANNUS regiæ valetudini recuperandæ una cum eruditis & celeberrimis viris, *Horchio* præcipue ac *Ellero* ad eandem curationem vocatis, præcipuam operam dederat, id omne effectum dabatur, quod infinita hominum millia ardentiſſimis precibus à ſummo Numine efflagitaverant. Pater patriæ non ſolum immunitatem à doloribus & moleſtiis conſequutus erat; verum etiam priſtinas vires, Dei munere, collegerat, ut prodire & negotiis ſolita alacritate peragendis impendere ſe poſſet. Eveniſſe tum omnibus diceres, quod Alexandri militibus, cum is Philippi medici arte & cura confirmatus ſubito in conſpectum illorum venit, ut quemadmodum illi non avidius ipſum Regem quam Philippum intuiti fuerant, ita omnes pari admiratione & Regem & HOFFMANNUM adſpexerint, ac pro ſe quisque gratiam habuerint regiæ valetudinis ac vitæ poſt Deum ſtatori ac conſervatori ſollertiſſimo.

Jam vero Rex Clementiſſimus nihil omittebat, quo HOFFMANNO oſtenderet, quanta ipſum gratia complecteretur. Non ſolum ſplendidis muneribus laborem ac ſtudium tanto tempore exantlatum compenſabat, verum etiam ſæpiſſime, præſentibus legatis ac proceribus, profitebatur, quod poſt Deum immortalem recuperatæ valetudinis beneficium ipſi deberet. Ornandum itaque honoribus etiam clementiſſime cenſuit: tantoque id magis ſe etiam facere profeſſus eſt, ut orbis cognoſcat, quantum amet, virum, quem alio tempore inimicorum malæ artes in eadem aula opprimere conatæ fuerant. Sua igitur ſponte ipſum *Conſiliariorum intimorum* ordini adjunxit, filioque unico cognomini, paternarum virtutum æmulo, inter *Fridericianæ* academiæ Profeſſores medicos ordinarios locum tribuit & conſiliarii aulici honorificam dignitatem adjunxit.

Nequeminus fuit in Clementiſſima Regina ſtudium HOFFMANNO benigniſſimam voluntatem ſuam declarandi. Nam inter alia præclariſſima munera donavit ipſum ſua imagine quam celeberrimus pictor ſummo artificio elaboraverat: ab eodemque pingi HOFFMANNUM jubebat, ut in regio ſeceſſu Monbijou collocaretur. Scripta etiam viri omnia mitti ſibi jubebat, bibliothecæ ejuſdem arcis inſerenda. Sæ-

pius inter hæc proponebatur ipſi, cupere utique Regem & Reginam, ut in propinquo eſſet, promteque poſſet, ſi quid accideret, ad opem ferendam advocari. Enim vero excuſabat ſeſe iisdem argumentis, quibus quondam apud Regem *Davidem* Senex Barſillæus fuerat uſus; & opus eſſe dicebat, ut in tam adulta ſenectute ad vitam beatam ſe præparet, & breve, quod ipſi vivendum ſit, tempus medicinæ ſuæ ſyſtematicæ ad finem perducendæ & conſiliis ſaluberrimis dandis impendat: neque minus clementer admiſſa hujus excuſatio fuit, quam illius fuerat.

Menſis itaque Aprilis cIↃ IↃ ccxxxv. initio Clementiſſimo Regi valedixit, ac non ſine multa gratiæ propenſiſſimæ ſignificatione, cui oſculum Rex adjiciebat, dimiſſus fuit. Ad ſuos ſalvus omnino redux maximo gaudio non ſolum domi ſuæ, à qua octo menſibus abfuerat, exceptus, verum etiam academiæ & urbis ſtudioſiſſima congratulatione, quæ venerandum ſenem, tanquam præcipuum decus ſuum & ante obſervaverat, & nunc tanto ardentius excipiebat, quum tot præclaris laudibus illud meritum divinum Numen adjeciſſet, quod Regem optimum & clementiſſimum ſervaviſſet.

Crebris ab eo tempore litteris, etiam ipſiſſima Regis manu ſignatis, & inſignibus muneribus per ſingulos fere annos tranſmiſſis certior redditus fuit de propenſiſſima in ſe voluntate, qui non ſemel regia ſua manu teſtatus eſt, vitæ ſuæ conſervationem poſt Deum ipſius curæ deberi. Ut vero etiam academia Fridericiana, cujus Senior jam eſt, cognoſceret, quantum Rex cupiat conſilia hujus tam multorum annorum uſu exercitati viri, apud eam plurimum valere, Auguſtali libello jubebatur, nullam rem alicujus momenti abſque ejus conſilio & ſententia perficere.

Tam felicem & fortunatam HOFFMANNI ſenectutem haud modice interpellabat An. cIↃ IↃ ccxxxvii. gravis morbus, qui dilectiſſimam ejus conjugem, qua cum per xxxxviii. annos conjunctiſſime vixerat, ab ipſo divellebat, in placidam ejus mortem terminatus. Sed hoc quoque adverſum eo animo, qui Chriſtianum & philoſophum decet, perferebat moderatiſſime, atque cogitationes à triſtibus avertendo impendebat piis meditationibus. Eo enim tempore omnem *Chriſtianæ doctrinæ ſummam* perſpicua & nervoſa brevitate verbisque latinis complectebatur & cum publico communicabat.

Quum de eo ſcripto apud Regem Clementiſſimum mentio facta eſſet, illeque gratioſiſſimis litteris oſtenderet, ſe cupere, illud etiam vernaculo ſermone exſtare; non poterat defugere juſſum, efficiebatque ut primo quoque tempore germanica lingua legeretur.

Nuper elapſi anni cIↃ IↃ ccxxxviii. æſtate graviſſimus morbus febrilis optimum virum occupabat & non mediocriter adfligebat: prorſus ut multis metuendi cauſſæ plures & majores, quam bene ſperandi viderentur. Divino tamen munere factum eſt, ut recuperaverimus virum, ipſiuſque vegeta & alacri ſenectute gaudeamus, nuper octogeſimum annum feliciter ingreſſa. Ultimo nec reticendum eſſe puto ſuum connatum quaſi in extrema ætate diſcentibus inſerviendi ſtudium; ſiquidem per integros jam octo annos eam publice docendi iniit rationem, ut auditores, theoreticis præceptis bene inſtructos, recta medendi ſcientia imbueret. Quem in finem quovis ſemeſtri collegium medico-practico-clinicum aperuit, in quo accurate conſcriptos & ab exteris ad ſe tranſmiſſos caſus communicavit, & ex his veras tam proximas quam mediatas cauſſas ſolide eruit, quibus dein genuinam ſanandi methodum ſuperſtruxit ac candide docuit. Dici vix poteſt, quem ſingularem plane fructum ac uſum ii inde percipiant, qui artem ſalutarem feliciter & cum laude exercere cogitant. In tota enim medica ſcientia plurimum ſibi obſervatio & longus rerum uſus vendicat, qui optimus medicinæ interpres & docendi diſcendique magiſter merito prædicatur.

Faxit Deus ut non ſolum hunc jam ingreſſum octogeſimum optabili valetudine perficiat, ſed & multos deinceps annos ſubjungat: ut optimo viro, communi utique bono, patria urbs, Fridericiana academia, regia domus, univerſum genus humanum, quibus commentando ac conſulendo prodeſt, diutiſſime ſalvo & incolumi perfruantur.

Atque nunc ſermonis filum abrumpo commentandique finem facio. Satis tenuiter hæc de ſummis viri meritis eſſe tradita, ipſemet agnoſco: quamquam, quod multa dici porro potuerint aut debuerint de laudibus ejus, optime video. Quoniam tamen ad hanc ſcriptionem accedere niſi impetrata venia & exoratis ſubſidiis nolui; non alia autem conditione illam nactus ſum, quam ut parcerem modeſtiæ ipſius, quæ profeſſam laudationem minime perferre poteſt: ſimplici hac vitæ factorumque recenſione defungendum fuit. Certe non deerit ampliſſima dicendi materia cuicunque ad laudandas virtutes, quæ illuſtres & ſummæ in eo eluxerunt, progreſſuro: atque ut vitæ etiam annorumque ſeries, longius divino beneficio producta, plurima, quæ his addi debeant, facta ſuppeditet, omnibus votis ab illo expeto, qui vitam reſque mortalium omnes liberrimo arbitrio moderatur.

FRI-

FRIDERICUS HOFFMANNUS

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

PETIERUNT nuper à me Nobiliſſimi Bibliopolæ FRATRES DE TOURNES Genevenſes, quorum nomen & merita in rem litterariam eximia jam ultrà ſæculum cognita ſunt, ut ipſis, omnium à me editorum operum & ſcriptorum novam & omnibus aliis me invito divulgatis editionibus, accuratiorem concederem editionem; eò quòd non modò in *Gallia*, ſed etiam *Hiſpania & Luſitania*, medicorum eruditiores omnia à me uſque eo edita, quibus rem medicam illuſtrare & perficere ſim annixus, aliquot voluminibus comprehenſa deſiderent avidiſſimè. Ut verò majorem fidem apud cæteros mea habeat conceſſio, petierunt inſuper à me jam *Laudati Viri*, ut omnia, quæ hactenus ſub meo nomine evulgavi, reviſerem, atque ſi opus ſit, emendarem & ulterius illuſtrarem, præfationemque toti operi præmitterem.

Ego his omnibus probè penſitatis, quum vix ullam unquam inſerviendi publico & poſteritati occaſionem prætermiſerim, nolui hiſce honeſtis & in Reipublicæ Medicæ emolumentum vergentibus precibus deeſſe, & officium meum denegare; præſertim quum *Medicinæ Syſtematicæ* Tomos, qui *Baſileæ*, *Venetiis* & noviſſimè *Francofurti*, me invito, recuſi ſunt, multis mendis & erroribus, omnem ſenſum & contextum turbantibus, refertos animadverterim; certa ſpe fretus, futurum, ut ſicuti *Domini* DE TOURNES, integerrimi viri promiſerunt, nunc longè correctiora & limatiora ſcripta mea luci ſiſtantur.

Inter immenſas igitur, quibus quotidie diſtrahor, in ſenio occupationes, horis ſubciſivis id otii & curæ ſumſi, ut non modo tomos, præcipuè priores *Medicinæ Syſtematicæ*, ante octodecim annos primum editos reviſerim & hinc inde emendaverim, verum etiam reliqua ſcripta & diſſertationes *Lugduni Batavorum* & *Ulmæ* recuſas, quibus decem adhuc alias præclari argumenti & numquam antea editas adjeci, in meliorem ordinem certasque claſſes redegerim; ut *Benevolis Lectoribus & Editoribus* ſatisfacerem pleniſſime. Neque deſtiti hiſce operibus *PRÆFATIONEM* præmittere. Argumentum ſumſi de rationalis & periti Medici, ab eo qui, ſola nixus experientia, veris & firmis principiis deſtitutus praxin exercet, differentia; ut exinde evidenter & dilucide *Lectori* innoteſcat, quæ memet impulerint cauſæ, ut artem noſtram in Rationale Syſtema methodo demonſtrativa innixum redigere, atque hoc ipſo Divinæ noſtræ artis dignitatem & præſtantiam, quam pauci pernoſcunt & capiunt, demonſtrare primus omnium allaboraverim.

Hæc, *Benevole Lector*, dicebam, in Monito ad Editores miſſo, ut Operibus meis præmitteretur: cum vero, ab eo tempore, Dei O. M. gratia, mente ſana in corpore ſano fruitus ſim, dùm hæc ſub prælo ſudabant, abſolutiſſimum de morbis

Infan-

Infantum Tractatum, à me promissum, perfeci; hunc invenies in extremo Tomo tertio. Nec silentio præterire possum, *Nobilissimos Bibliopolas* promissis suis planè stetisse, spem meam non fefellisse, mihique nihil desiderandum reliquisse quoad chartæ nitorem, typorum elegantiam, mendorumque correctionem, adeò ut Opus, quod nunc in lucem prodit, sit omni numero absolutum, illudque ut veram, genuinamque Scriptorum meorum editionem lubens agnoscam; hoc me maxima affecit lætitia; hoc, ut spero, omnibus artem Medicam colentibus jucundissimum simul & utilissimum erit: sicque meorum ipsorumque desideriis satis superque factum est.

PRÆ-

PRÆFATIO
AUCTORIS
DE DIFFERENTE ARTIS MEDICÆ & Medicorum conditione ac ſtatu & Criteriis boni ac periti Medici.

MAGNA ſunt elogia ſplendidique tituli, quibus medicinam à multis paſſim condecoratam videmus; nullum tamen, me judice, majori jure ſaluberrimæ huic arti tribuitur, quam quo ab optimo medicinæ parente *Hippocrate* divina appellatur. Et recte quidem: quia ſapientiſſimus univerſi conditor non modo in triplici naturæ regno, ad valetudinem tuendam, omnisque generis morbos profligandos, remedia recondidit aptiſſima, ſed & ipſam corporis humani naturam tam ſapienti conſtruxit ratione, ut determinato quodam motuum ordine, ſe à tetra corruptionis labe & imminente interitus periculo vindicare poſſit quam optime. Quin imo ipſe Deus in ſacris litteris ſe medicum profitetur, & Chriſtus benigniſſimus generis humani ſervator, quamdiu inter homines egit, nullam magis artem, quam medicam exercuit, ut ideo tum animæ, tum corporis medicus exſtiterit præſentiſſimus. Et profecto, ſi benefaciendo, ut conſtans fuit ſapientum ſententia, homo ad Dei naturam proxime accedit, ego certe, an ex ulla doctrina, ſi cœleſtem exceperis, majora in genus humanum beneficia, quam ex medendi ſcientia poſſint redundare, non perſpicio. Quid enim præſtantius, quid optabilius, quam corpus humanum, ſublime illud immortalis ſpiritus domicilium, diu ſanum ſervare & integrum, & non modo dolores corporique pariter ac animo infenſas ægritudines avertere, ſed mortem quoque diutiſſime arcere? Sat graves igitur rationes habuerunt veteres, quibus inducti, medicinæ inventores in Deorum numerum retulerunt; & quare primi & præſtantiſſimi heroes, qui populis præfuerunt, inque graviſſimis bellorum tempeſtatibus fortitudinis documenta dederunt, ut Chiron Centaurus, Palamedes, Achilles, Machaon & Podalirius vel docenda arte, vel diſcenda & exercenda eadem occupati ab illis deſcribuntur, qui plurimum illis adjungere laudis & honoris voluerunt.

At vero, quo nobilior, quo excellentior hæc eſt ſcientia, eo magis cum *Hippocrate* dolendum eſt, *propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, & propter eos, qui temere de medicis judicant, rem eſſe viliſſimam, omniumque opprobrio expoſitam*; ſiquidem in nulla fere profeſſione, tanta artificum ignorantia & multitudo conſpicitur, quam in medica, dum quisque fere, vel ex infima etiam plebe, ſe medicum profitetur, & medicamentum adverſus certum morbum jactitat; quare ſcite *Plinius lib. 1. cap. 29.* ait: *in hac arte ſola evenit, ut cuicunque medicum ſe profitenti ſtatim credatur, cum tamen periculum ſit in nullo mendacio majus.* Verum enim vero, ut ut ignarum vulgus medici nomine indignum prorſus æſtimandum ſit: datur tamen, etiam inter eos, qui medicinæ addiſcendæ & faciendæ ex inſtituto quaſi ſe manciparunt, ingens admodum differentia, dum auctore graviſſimo *Hippocrate loc. cit. multi fama & nomine medici, re autem vera & opere pauci dantur*; & *lib. de veter. medic.* ait: *ſunt ex iis, qui medicinæ operam dant, alii leves, alii multo præſtantes; ut enim aliarum artium opifices plurimum inter ſe differunt, ſic etiam in medica evenit arte.* Atque hoc ipſum in omnis

omnis generis disciplinis certo observari, satis in propatulo est. Neque enim omnes, qui cœlestem doctrinam profitentur, rerum divinarum cognitione earundemque tradendarum ac tuendarum dexteritate ita æquales sunt, ut ut venerandum nomen theologorum æquo jure mereantur: nec omnes, qui causas in foro agunt, statim jure consultorum nomen merentur; nec denique, qui agros vel turres metiri, aut ædificium exstruere didicerunt, mathematici habendi sunt: sed longe utique plura & majora requiruntur, quæ efficiant, ut tam pulchris tamque honorificis appellationibus, quibus exornari plerique gestiunt, peritorum judicio digni existant. Quæ vero cum ita sint, & in medicina, perinde ac in cæteris disciplinis, non omnes, qui per vicos obambulando sese fatigant & morborum curationes suscipiunt, veris ac peritis accenseri medicis debeant; operæ omnino pretium fore arbitror, paulo accuratius diducere, quænam ad nomen hoc cum laude obtinendum desiderentur; unde prodibit, num intellectu erit, perpaucos, etiam nostræ ætatis esse medicos, qui jure sibi ac merito hoc nomen possint vindicare.

Primum vero præstantis & periti in arte medica viri criterium, ex ipsa medicinæ definitione, quam *Galenus lib. de præcognit.* prodidit, ubi eam salubrium & insalubrium scientiam denominavit, desumemus; siquidem & præfixus medicinæ scopus & medici officium in eo unice consistit, ut, remotis vanarum opinionum & præjudiciorum commentis, ex fundata, solida & sufficiente ratione demonstrare ac scienter adserere possit, cur & quare hoc vel illud alimentum aut medicamentum ad valetudinem conservandam morbosque sanandos, salutare, vel minus tale sit dicendum. Ex quo consequitur, solidam omnium earum rerum cognitionem, quæ tum ad rationalem & demonstrativam explicationem, tum ad æquum rectumque judicium, de propria ægrotantis natura, morbi causa & de convenienti remediorum applicatione formandum spectant, à medico desiderari. Nam si ulla in disciplina, acriori, exquisito & quasi ad exactam lancem revocato judicio, (quod tamen non adeo facile, sed ipsius *Hippocratis* effato difficillimum esse solet,) opus est, cette illud ad artem medicam requiri arbitror. Quicunque enim ægrotantibus vel salutaria vult proponere, vel noxia dissuadere, is non modo propriam ipsius ægrotantis naturam corporisque constitutionem, morbi originem, genium & causas, symptomatumque rationes, sed & innumerabilium aliarum rerum & inprimis naturalium, atque remediorum tam à priori, quam à posteriori, vires ac effectus cognitos perspectosque habere debet accuratissime. Quo quis enim meliori rerum naturalium cognitione, quo maturiori judicio, tam ob longiorem usum, quam ob rerum salubrium & insalubrium exquisitius perspectam naturam medicus est instructus, eo certe magis aliis est præferendus. Magnifica certe & omnino præclara laus est, qua *Thuanus*, historicorum ille princeps, Hollerium, excellentem quondam medicum & professorem Parisiensem commendat, quando commemorat, *quod ipse assidua meditatione acerrimum judicium ad medendum attulerit, ut deploratos morbos, & ob festinationem ab aliis medicis per vicos vaga cursitatione mulos fatigantibus, minùs cognitos, summa felicitate curaverit.* Longe vero aliter imperiti medicorum agunt & sentiunt, qui in sola experientia medendi artem repositam existimantes, ex hac unice, quid proficuum corpori, vel noxium sit, cognosci posse arbitrantur; quum tamen & res ipsa doceat, & ipse antiquissimus artis parens confirmet, experientiam in rebus medicis admodum esse fallacem. Equidem experientiam in nostra arte tum haberi putamus, quando in morbo ad datum aliquod remedium, non semel, sed aliquoties faustum vel adversum observavimus effectum, quod quidem cum in sensus incurrat, non fallit: sed in eo fallaciam committi deprehendimus, quod nimis præcipitanter talem effectum ipsi medicamento, ceu veræ & unicæ causæ adscribere non dubitamus, cum plures sæpe aliæ ad talem effectum producendum concurrentes causæ, quas adsequi vel non possumus, vel non studemus, simul debeant considerari. Atque ex hoc falso principio, uti innumeri fere in rem medicam & artis exercitium, errores irrepserunt: ita etiam hoc malum maxime deducendum esse arbitror, quod omnis fere generis homines, ut supra jam ostendimus, ad consilia danda artemque exercendam, tam promti sint atque faciles. Nam medicina empirica tam magnum lateque diffusum, & epidemium quasi malum est, ut vix ullus à summis ad minimos usque ab eo sit immunis, sed quisque ad curandum paratus expertum remedium deprædicet; id vero cum maximo sæpius damno, ex quo eluctari, vel in clariori hujus seculi luce difficillimum est.

Et quoniam medicorum plurimi hanc sibi viam eligunt, nudæque experientiæ inhærendo, morborum curationes moliuntur, fit omnino, ut ne probabilem quidem, multo minus adæquatam & perspicuam rationem, quare hæc vel illa suas erint vel dissua-

diſſuaſerint, poſſint afferre, quin imo ſponte exinde ſequitur, ut tantæ inter medentes diſſenſiones & diſſidia circa remediorum efficaciam etiam nunc vigeant, adeo, ut quod unus in certo morbo probat atque extollit, alter penitus improbet atque rejiciat.

Quot enim noſtro tempore ſunt de venæ ſectionis in intermittentibus, inque exanthematicis febribus; de corticis chinæ & caſcarillæ ad rebelles intermittentes febres profligandas; de medicamentorum martialium uſu in cachexia & malo hypochondriaco; de purgantibus acrioribus in hydrope; de camphoræ uſu interno in malignis & deliriis; de lactis uſu in phthiſi & doloribus podagricis; de mannatis laxantibus circa tempus ſuppurationis varioloſæ, quot, in quam, de horum utilitate & noxa plane diſſidentes ac prorſus contrariæ medentum opiniones jactantur, cum tamen omnes & ſinguli, quo ſuam ſententiam defendant, ad experientiam ceu inconcuſſum veritatis medicæ fundamentum, confugiant. Conſultum itaque fore ducimus, ut non modo in veras tantarum diſſenſionum cauſas paulo accuratius inquiramus, verum etiam, quomodo ex hoc labyrintho emergere poſſimus, ſolicite circumſpiciamus.

Primum itaque ſciendum eſt, perpaucos eſſe medicorum, qui de remediorum viribus & operandi modo recte judicandi fundamentum norunt. Plurimi ſunt in hac ſententia, activis rebus, ipſisque medicamentis & alimentis certas, perpetuas & abſolutas quaſdam juvandi vel nocendi ineſſe vires, cum tamen eorum operationes & effectus, re paulo altius perſpecta, certis tantum relationibus & conditionibus nitantur, ideoque limitatæ ſint, adeo, ut pro corporum & naturarum differentia, nec non cauſarum morbificarum diverſitate, neque minus pro diverſo, quo adhibentur tempore, menſura, ordine & modo, multum inter ſe varient ac diſcrepent. Quadrat huc notiſſima illa philoſophorum regula: corpora non agere ſecundum ſphæram activitatis, ſed ſecundum modum receptivitatis.

Ut veritas hujus dicti in re medica paulo clarius innoteſcat, diverſum alimentorum & medicamentorum effectum, pro diverſitate rerum & naturarum paulo curatius conſiderabimus. Quid quæſo frequentius eſt, quam ut cibi ad ſuſtentandum optimi, ægrotantibus ſummo ſint detrimento? Aqua pura frigida exæſtuantibus fere optima & analeptica eſt medicina; cum corpori ex nimio labore ſudanti paulo largius ingurgitata pro veneno ſit. Infuſum fabarum coffee ſenibus inſignem vigorem, & corpori, & animo fœnerat; juvenibus vero, præſertim fœminis, quorum ſyſtema nervorum admodum mobile, non adeo amicum, ut moleſtum interdum artubus tremorem inducat. Ex medicamentorum claſſe magneſia alba, ubi prima regio acidis ſcatet ſuccis, egregie alvum movet, in aliis, ubi primæ viæ obſeſſæ ſunt viſcido humore, non niſi ventris tormina provocat. Mercurius dulcis eſt præſtans in infantibus adverſus vermes remedium; ſed ubi primarum viarum regio bilioſis, acribus recrementitiis ſuccis ſcatet, deleteriam ſæpe induit naturam. Suaveolentia, ut ambra & moſchus in infantibus ſæpius adverſus convulſivos & epilepticos motus ſummo cum fructu adhibentur, cum in fœminis hyſtericis & animi deliquia, & motus ſpaſticos potius augeant. Medicamenta, quæ nitrum vel opium correctum ingreditur, in illis, qui doloribus & ſpaſmis urgentur, inſigniter ſudorem & exanthemata expellunt, cum in corporibus phlegmaticis & imbecillioribus, retinendo tranſpirationem cum exanthematibus, ſummam perniciem inferant. Vidimus matura venæ ſectione juvenes ſanguineos ad phthiſin valde diſpoſitos, ab ea prorſus immunes redditos, cum alii, phlegmatici temperamenti, ex repetita venæ ſectione in hæmoptyſin & phthiſin incidêre. Spiritus cornu cervi & ſalis ammoniaci urinoſus ſanguinis maſſam omnium conſenſu nimium commovent; nihilo minus ſæpius vidi in hæmoptyſi, in narium quoque & uteri hæmorrhagia optimo cum ſucceſſu fuiſſe hæc medicamenta exhibita. Compertiſſimum porro eſt, à duobus granis reſinæ jalappæ ſolutis vel in pilulam redactis, in quibuſdam vel decem poſſe moveri ſedes, cum in aliis vix decem grana eundem effectum producant. In nonnullis mercurius parva doſi pedum malleolis inunctus brevi tempore movet ſalivationem, cum in aliis & majori doſi id fiat difficillime; idem purgans pluribus unius ejuſdemque ætatis oblatum, mirum inter ſe differentes exſerit operationes. Atque hoc ipſum ſimili ratione de reliquis & magnæ activitatis remediis, quæ vulgo heroica dicuntur, tenendum eſſe arbitramur; quare recte dictum eſt ab *Hippocrate in Lib. de priſca medicin. neminem ad medicinam addiſcendam animum applicaturum eſſe, ſi eadem vitæ & victus ratio, & ſanis & ægris accommodata eſſet; vel etiam, ſi idem ſemper effectus data remedia ſequeretur, quod tamen nullo unquam tempore expectare licebit*; nam alimenta non minus ac medicamenta tam ad juvandum, quam ad nocendum pro-ſe & ſua natura prompta atque parata ſunt; ſed tum demum proficiunt, quando prudenter, circumſpecte, & cum recta ac fundata ratione fuerunt uſitata, alias plus nocent quam proſunt.

Jam vero non immerito movetur quæſtio: in quonam rectus vel perverſus eorum uſus conſiſtat, & quomodo hic evitari debeat? Qua de re, ubi antiquiſſimos & ſummos in arte noſtra viros conſulimus, invenimus inprimis *Hippocratem*, *Galenum*, *Celſum* unanimi conſenſu affirmaſſe: in medicina cum ægrotantium emolumento facienda, non ſolum ad morbum & ejus ſymptomata eſſe reſpiciendum, ſed potiſſimum requiri, ut ad propriam cuique corpori naturam ſive idioſyncraſiam, robur quoque virium, prægreſſos morbos, diſpoſitionem ad morbum à parentibus, inſuper ad ætatem, habitum corporis, diætam & vitæ genus, conſuetudinem, clima, anni tempora, imo ad ipſius morbi tempus & progreſſum animum advertamus, quia pro horum diverſitate, medendi methodus & remediorum operationes multum admodum differunt. Ut rem in pauca contrahamus: medicus in curatione morborum & præſcribendis remediis, ad completam, ſi haberi poteſt, morbi, & ægrotantis hiſtoriam ante omnia debet advertere; quam ſi ex ſana theoria phyſico-medica quoad omnes circumſtantias, & præcipue quoad cauſam morbi & ſymptomatum recte cognoſcendam, reſolvere ſatagit, facile perſpiciet, non certa & ſpecifica quædam ad morbum ſanandum proſtare medicamenta, ſed plura ſæpius, quæ alios juvant, aliis eodem morbo laborantibus nocere. Atque hanc ob rationem clariſſime apparet, non meliorem ad medicorum diſcordiam & diſſenſiones, quas inter ſe alunt maxime de diverſis in hoc vel illo morbo medicamentorum effectibus, componendas viam dari, ac ſi ſemper, ubi fauſtus vel infauſtus in morbis effectus ab iis obſervatus fuerit, is ad circumſtantias in hiſtoriis morborum contentas referatur. Verum vulgus medicorum hæc omnia parum curat, ſed audito tantum morbi titulo, & recenſitis quibusdam ſymptomatibus, protinus ad præſcribenda remedia properat, quæ ipſi vel per experientiam in ſimili morbo viſa vel audita fuerunt ſalutaria, vel mox etiam promptus & paratus eſt ad rejicienda ea, quæ ex perverſo quodam præjudicio ipſi vel audita, vel viſa fuerunt noxia.

Deinceps præſtans & peritus medicus ex vera morbi hiſtoria & rebus antecedentibus, primam morbi originem & fontem, à quo ſymptomata ceu effectus profluunt, curate eruere ſtudet, medendique intentionem ad cauſam, maxime proximam removendam dirigit. Verum, qui ſine ratione artem exercent, ſymptomatum magis quam cauſæ rationem habent, & ad illa abigenda omne conferunt ſtudium, & varia atque minus accommodata exhibent. Eſt vero præcipuus ſagacis & rationalis medici character, non multis variisque, ſed paucis, appropriatis & efficacibus ad morbum profligandum, uti remediis. Etenim cauſæ morborum tam proximæ, quam mediatæ non tam multiplices & diffuſæ, ſed ſimplices & paucæ ſunt, licet ratione locorum valde diſſidentes effectus producant, ad quas abigendas non tanta remediorum copia & varietate opus eſſe deprehendimus, modo recto ordine, tempore & modo adhibeantur. Longe vero aliter procedit minus rationalis in morborum curatione, utpote qui, ſi exhibitum medicamentum non ſtatim deſideratum exhibet effectum, hoc facile mutat & aliud ordinat; quod ſi iterum expectationi minus reſpondeat, rurſus aliud ſubſtituit. Qua perverſa medicamentorum varietate & multitudine tantum abeſt, ut vim morbi debellet, ut potius ægrotum obruendo, morbum pejorem & contumaciorem ſæpiſſime reddat. Quæ cum ita ſint, antiquiſſimi artis noſtræ magiſtri ſat graves habuerunt cauſas, quare crebriorem remediorum mutationem tantopere prohibuerint, eamque tantum non ſemper inſecuram & ſaluti ægrotantium valde adverſam exiſtimaverint. Ea quippe cujuſvis medicamenti indoles atque facultas eſt, ut corpori inferat mutationem, quæ ſi non apta, ſed aliena, nec abigendæ morbi cauſæ accommodata eſt, longe majores ſæpe concitat turbas, ſalutares naturæ motus pervertendo. Scite itaque magnus ille Anglorum philoſophus *Verulamius Lib. I. de augment. ſcient. remediorum copiam & varietatem ignorantiæ filiam appellavit*; & medicos ad præſcribenda & mutanda remedia tam faciles juſto zelo his verbis reprehendit: *etſi ex opera medicorum quotidiana, quam inviſendo, aſſidendo, præſcribendo ægrotis præſtant, putaret quiſpiam, haud ſegniter illos curationem perſequi, atque in eadem certa quaſi via inſiſtere; tamen, ſi quis ea, quæ præſcribere & adminiſtrare ſolent medici, accuratius introſpiciat, inveniet pleraque vacillationis & inconſtantiæ plena, & quæ ex tempore excogitantur, ac in mentem illis veniunt, abſque certo aliquo præviſo curationis termino.*

Ego ſæpius à Principibus etiam viris quæſitus, quomodo peritus & præſtans medicus, cui fidere tuto poſſimus, ab imperito diſcerni poſſit, reſponſum dedi, vitandum eum eſſe, qui, antequam veram morbi indolem & cauſam, ægrotique naturam paulo penitius cognoverit, mox ad præſcribenda & ſæpius mutanda medicamenta paratus ſit; commendandum vero eum eſſe, qui, priusquam ſe accingat ad ordinandum

dum remedium, permultis quæſtionibus habitum corporis & animi, robur naturæ, digeſtionis & excretionis negotium, morbi genium, originem & cauſas remotas ex diæta, vitæ genere & aliis accuratiſſime ſcrutatur, & prægreſſa ſeria meditatione, perpauca cum debito vitæ regimine, ſed diutius continuanda remedia præſcribere conſueſcit; utpote ſemper ſuſpecta eſſe debet nimia medicamentorum mutatio, quam etiam valde improbarunt veteres, id quod *Celſus l.* 3. *c.* 1. prodidit his verbis: *oportet, ubi aliquid non reſpondet, non experiri aliud atque aliud; nam in longis morbis, quos tempus ut facit, ita ſolvit, non ſtatim condemnetur, ſi quid non ſtatim profuit, minus vero removeatur, ſi quid paulum ſaltem juvat, quia profectus tempore expletur.* Nam ſi ulla in re & arte ad exoptatum conſequendum ſcopum, temporis exſpectatione atque beneficio opus eſt: certe in operibus artis noſtræ valet; nam ad certum effectum præſtandum, ſive ad infenſum illud, quod motibus vitalibus obeſt è corpore removendum, certa proportione, menſura & numero motuum, qui tempore continetur, opus eſt. Spectat huc Juvenalis dictum: Cunctator debet eſſe, qui de ſalute judicat.

Deinceps prudens medicus in recto adminiſtrandi remedia uſu, maxime omnium naturam corporis debilem & imbecillem à valida & robuſta probe diſtinguere debet; utpote illa & omnibus morbis & gravioribus ſymptomatibus obnoxia eſt, & quam facile à cauſis atque rebus minus amicis offenditur, imo difficulter ſaneſcit, cum naturæ corporum robuſtæ morbum, validaque ad nocendum medicamenta facilius ferre, nec non ſuperare poſſint. Medici itaque periti eſt, non modo naturas robuſtas à debilibus, ſed etiam medicamenta valida, fortiora à debilibus & lenioribus probe diſcernere; nam divus ſenex in *Lib. de homin.* §. 54. perite prodidit, *medicamenta à natura fortiora, quibus vis ſtatum corporis tranſmutandi ineſt, nec in debilibus morbis, nec debilibus naturis dare oportere*; omneſque ſaniorum medicorum ſcholæ quotidie adhuc utiliſſimo hoc monito perſonant; ſed vulgares practici ſaluberrimum hoc monitum non attendentes, nec morbi vehementiam, nec vires ægrotantis imbecilles, nec medicamenti fortiorem effectum conſiderant, ſed ad contumacem & chronicum occurrentem morbum ut eradicetur, vi quadam & vectibus quaſi opus eſſe exiſtimant, & hinc fortioribus ex purgantium, ſalivantium, emeticorum, ſudoriferorum & diureticorum claſſe utendum eſſe, perverſe judicant. Sed dici vix poteſt, quantum damni malo chronico laborantes inde experiantur. Ego ſæpius non ſine dolore, à medicis etiam in dignitate conſtitutis, exitiales à medicamentis, fortioribus & ſæpius repetitis, imbecillimis adminiſtratis, errores commiſſos animadverti, ut ſplendidæ etiam perſonæ, quæ ſecurioribus poterant ſervari, perierint. Ego ſancte affirmare poſſum, me, cum ultra dimidium ſeculi innumerabilibus ægrotantibus profuerim, nunquam non ab omnibus vehementioribus ex evacuantium, ſedantium & alterantium claſſe, ſedulo & ſollicite tam in morbis acutis, quam chronicis abſtinuiſſe, ſive naturæ robuſtæ, ſive imbecilliores fuerint, ſed lenioribus, ſecurioribus uſu longo exploratis, cum patientia & expectatione temporis, curationes, benedicente Deo, abſolviſſe feliciſſime. Hac enim ſecura & leniori methodo, innumeros affectione hypochondriaca, melancholica, maniaca, cachectica, ſcorbutica, hydropica, aſthmatica, & intermittentium contumacia laborantes, me integerrime ſanaſſe certe profiteor.

Accedimus jam ad alia criteria, quibus peritus ab imperito medico poſſit diſtingui: hic quippe firmiter ſibi perſuaſum habet, non modo in quovis morbo, certa dari ſpecifica & ſalutaria medicamenta, quæ ceu arcana ſumme extollit, verum etiam medicinas exſtare univerſales, per chymicam artem, ex auro maxime paratas, quarum mirabiles in ſingulis morbis effectus deprædicando, magnam apud ignarum vulgum famam magnumque lucrum aucupatur. At vero eruditus & candidus medicus phantaſmata hæc & ludibria, quæ ex male ſana theoria phyſico-medica proveniunt, ridet, optime gnarus, morborum cauſas & tempora, ægrotantiumque naturas, multum admodum variare; ideoque nec ullum eſſe medicamentum, quod his omnibus poſſit ſatisfacere, multo minus id, quod aurum ingreditur. Siquidem abunde ſatis ex chymicis conſtat, nullum omnino in univerſa rerum natura exiſtere corpus, quod ad medicum uſum ipſo auro minus ſit idoneum, dum à nullo menſtruo liquore, niſi corroſivo, quem ex nitro & ſale communi præparare ſolemus, arctiſſima ejus compages, à qua gravitas, qua nulla major eſt, dependet, diſſolvitur; & falſiſſimum eſt, per inſipida, ut falſo perhibent, menſtrua, intimam hujus metalli ſolutionem poſſe obtineri, quæ tamen neceſſaria ſit, quando in corpore humano effectum debet præſtare.

Neque minus inter requiſita præſtantis atque vere rationalis medici, id omnium maxime debet referri, ut de rebus medicis, per experientiam nondum ſatis cognitis, rectum ferre judicium poſſit. Occurrit ſæpius medenti in artis exercitio, ad conſilium

dandum, caſus plane ſingularis, & propter varia & mirabilia ſymptomata nunquam ante annotatus, ubi diligenti circumſpectione, meditatione & acri judicio opus eſt, ut non modo morbi atque ſymptomatum rationem, ſed aptam quoque & tollendis cauſis accommodatam inveniat methodum. Neque deinceps novum, ſed frequenter obvium eſt, ob peculiarem & extra naturæ ordinem quaſi contingentem tempeſtatum & temporum anni conſtitutionem nova morborum, maximeque febrium graſſantium, prodire ſchemata, quorum commoda ſanandi ratio per experientiam nondum ſatis conſtat, ſed ſollicitam medici de ea invenienda curam omnino poſtulant. Neque hic labor medicum, rerum medicarum vere peritum, adeo multum fatigat; ſiquidem hic non minus theoria phyſico-medica, quam neceſſario obſervationum clinicarum apparatu inſtructus, attenta circumſtantiarum ac cauſarum, tam antecedentium quam conſequentium conſideratione, facile poteſt invenire, quænam medendi via ſit ineunda; & num per venæ ſectionem, per laxantia, & per acida ac nitroſa potius, quam per volatilia & ſpirituoſa inſtitui debeat curatio. Quare perite ab *Hippocrate* inter præſtantis medici notas, hanc præcipue in ejus *lib. de priſca medicina* relatam legimus, *ut aliquid poſſit invenire, ſi quando novus, & antea non obſervatus morbus occurreret.*

Notum quoque porro eſt, ſub diverſo climate, v. g. in regionibus ad ſeptentrionem vel meridiem vergentibus, certa dari morborum genera, à diverſa cœli, aëris, victus & vivendi ratione derivanda, quæ pro diverſitate ſua differentem quoque poſtulant ſanationem, dum, optime notante *Celſo Lib. I. p. 8. aliud opus eſt Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia.* Quandocunque igitur medicus rationalis, ut ſæpius evenit, locum mutare, & ex Dania & Suecia in Italiam, vel ex hac & aliis calidioribus regionibus ſeptentrionem verſus debet concedere: facile auguratur, ipſa medicamenta ſibi eſſe permutanda, longeque aliam curandi methodum excogitandam, dum fortiora & potentis indolis remedia, quorum uſum ſeptentrionales, ceu robuſtioris naturæ incolæ ſine noxa commodiſſime ferunt, calidiorum regionum gentibus, quæ ſenſibilioris ſunt naturæ, nunquam fere non graviſſimo ſolent eſſe detrimento. Accedit adhuc, quod pro temperamentorum varietate, & pro diverſa humorum in diverſis gentibus conditione, medicamentorum quoque operationes mirum in modum differant. Ita Belgis, quorum corpora rudiores habent fibras, minus elaſticas, & difficulter mobilibus ſcatent ſuccis, ſalia volatilia, ſpirituoſa & infuſa calida optime conferunt, quæ Italis contra, quorum humores fluxiliores & mobiliores, ac fibræ magis tenſæ & elaſticæ ſunt, graviter ut plurimum nocent; ſed his anodyna, lenientia, nitroſa conducunt. Id quoque circumſpectum medicum probe admonet, ut in perlegendis medicorum monumentis diligenter attendat, in quanam regione vixerit, cujus ſcripta legenda & imitanda ſibi ſumit, ne forte Belgici auctoris præſcriptas formulas, in iſta regione optime proficuas, ſine diſcrimine, ægrotantibus in calidioribus locis commendare audeat.

Magnum adhuc eſt diſcrimen inter medicum principiis phyſico-mechanicis probe inſtructum, & inter eum, qui in utiliſſimis hiſce doctrinis rudis & quaſi hoſpes eſt. Ille enim cujuſvis ſimplicis ex triplici naturæ regno petiti, v. gr. aquarum, maximeque fontium tam calidorum quam frigidorum elementa, principia & vires, licet uſu antea nunquam exploraverit, ex odore, ſapore & analyſi chymica poteſt cognoſcere; & quales in hoc illove morbo, hoc vel alio tempore, & in hac illave corporis conſtitutione effectus exſerere poſſit, prævidere. Quod ut clarius adhuc pateat, exemplum adducere placet. Satis, ut arbitror, per experientiam notum eſt, corticem caſcarillæ in nimiis alvi fluxibus, tam ſeroſis, quam ſanguineis, efficaciſſimam eſſe medicinam: quem effectum & operandi modum rationalis medicus, etiamſi nihil unquam de eo audiverit, ex penitiori, & ſecundum artis leges ſuſcepta hujus medicaminis exploratione, facile poterit cognoſcere. Etenim, quum hicce cortex gratum de ſe ſpargat odorem, & principium contineat amarum, terreum ac reſinoſum, optime exinde anodynam, roborantem & acres humores temperantem colligit virtutem.

Ulterius ſagax & peritus medicus in perſanandis, maxime acutis paſſionibus, non ſolum ad medicamenta eorumque agendi efficaciam, ſed ad beneficium quoque & miniſterium ipſius naturæ, quæ ab antiquiſſimis optima morborum medicatrix dicitur, reſpicit, eo, quod hæc ipſa ſola ſæpius, vel levi tantum arte, aut commoda diæta adjuta, in plebejis, ruſticis & iis, qui medico & medicamentis deſtituti ſunt, populis, ægritudines valde periculoſas, ut peſtem, exanthematicas, varioloſas, morbilloſas & inflammatorias febres depellit quam optime.

Perpauci vero ex medicorum numero ſunt, qui hanc ſalutarem artificioſiſſimæ corporis

poris animalis fabricæ, ſive naturæ à Deo inſitam therapiam agnoſcunt recteque intelligunt, cujus tamen ope non modo ipſum corpus animale, in ſe & ſua natura perpetuo corruptioni obnoxium, per omnem vitam à tetra putredine integrum conſervatur, verum etiam quod ſanitati & vitæ adverſum eſt, per varii generis emunctoria expellitur, amicum vero & utile intus retinetur. Rectiſſime hinc prudens medicus in morbis, maximeque acutis ſanandis, excretionum motuumque præternaturalium indolem, vim & efficaciam, & tempora quibus fiunt, probe ſcrutatur, & num ad ſalutis vitæque tutelam ac ſanitatis reſtitutionem, an potius ad corporis deſtructionem & interitum tendant, probe examinat, eosque ſi deficiunt, vel excedunt, commoda medicina moderari inque ordinem redigere ſtudet, præſertim quum in hoc naturæ miniſterio recte gubernando, artis noſtræ uſus & potentia quam maxime conſiſtat. Quum vero naturæ motus ordine & tempore ſæpius recto fiant, & per convenientia loca materia corpori infenſa expellatur; cavet omnino prudens medicus, ne forte ſalutarem naturæ ordinem inepta & vehementi medicina perturbet.

Minime vero id attendunt imperiti medici, qui naturæ legum in medendo neſcii, medicamento vel fortiori, vel leniori ſingulis fere horis repetito, ſæpiusque incongruo hunc laudatiſſimum naturæ ordinem peſſimo ritu intercipiunt, & damnum inferunt præſentiſſimum.

Verum enim vero ſurrexerunt hac tempeſtate celeberrimi nominis viri, qui huic naturæ beneficio nimium pretium tribuerunt, adeo, ut fere rationalis medicina non parum inde decrementi accipiat. Statuunt videlicet, per naturam intelligi debere animam, quæ rationis particeps eſt, & quæ ſumma ſapientia atque arte ipſum corpus formavit; & hinc non dubitandum eſſe, quin eadem ſapientia illud gubernet & conſervet; motus videlicet ita adminiſtrando & dirigendo, ut in ſtatu tam ſano, quam præternaturali, quod noxium eſt, & interitum minatur, per convenientia loca expellatur; indeque concludunt, ad artem exercendam non ſubtili theoria, vel ratione ex principiis phyſico-mechanicis petita, ad explicandas res medicas, opus eſſe; utpote quæ in conſideratione rerum inanimatarum magis, quam in corporibus, quæ ſenſu & cognitione interna prædita ſunt, locum ſibi vindicent; ſed ſufficere, ut medicus tantummodo naturam, per medicamenta pauca & ſelecta, quæ alterandis vitioſis humoribus, & iis per congrua loca blande evacuandis ſerviunt, adjuvet. Licet vero hæc ſimplex & facilis medendi methodus in perſanandis paſſionibus levioribus & quæ facile tranſeunt, & ubi ſatis virium eſt, non improbanda ſit: minime tamen eam ſolam tam in acutis quam chronicis avertendis ac vincendis morbis ſufficere arbitramur, cum natura & hæc methodus benigna in perſanandis contumacibus paſſionibus, ut ſunt lues venerea, gonorrhœa, affectio hypochondriaca, melancholica, maniaca, cachectica, ſcorbutica, hydropica, phthiſica, aſthmatica & diuturnæ intermittentes & anomalæ febres, atque epileptici, ſpaſmodici motus, parum valeat: & opus hic ſit potentioribus, & multo pluribus remediorum generibus, & magno in applicandis remediis judicio, quod plura requirit ſubſidia.

Verum, ut aperte de hac nova theoria medica noſtram interponamus ſententiam, aſſerimus, artis medicæ objectum neutiquam eſſe corpus, à ſapiente principio formandum, ſed quod jam ſapiente & divina ſemini inſita virtute formatum eſt; cujus motus tantum medicus ſua ſapientia, per convenientem rerum neceſſariarum adminiſtrationem regere debet; ſiquidem motus vitales, qui pure mechanici ſunt, in formato corpore neutiquam amplius à ſapiente interno principio fiunt & ſuſtentantur, neque ad ſalutarem finem in morbis diriguntur; ſed à cauſis mere externis, evidentibus, neceſſariis, puta elementis & alimentis, medicamentis aliiſque remediorum generibus dependent reguntur & conſervantur: Siquidem deformes poſt vulnera externarum partium relictæ cicatrices abunde docent, nihil adhuc à natura in corpore ſapienter formari. Deinceps notandum eſt, veteres per vocabulum naturæ, vel vires corporis motrices, vel ſolidarum partium ſtructuram, quæ pro diverſa ætate, ſexu, vitæ genere, & diſpoſitione nativa ac hæreditaria varia eſt & mutabilis, tantummodo indigitaſſe, ideoque has res naturales dixiſſe. Equidem non negandum eſt, magnam vim phantaſiæ eſſe vitales motus non quidem efficiendi, ſed duntaxat turbandi & pervertendi, ut videmus in animi affectibus & morbis, qui exinde fiunt; ſed hos pravos effectus, ut in ordinem redigat, nec phantaſia, nec anima rationalis quicquam valet, ſed prudens medicus ac commoda medicina id præſtare debet. Neque unquam veteribus in mentem incidiſſe reor, ut in animantibus ens cognitione interna præditum, omnis generis motus certum in finem efficiens, conſtituerint. *Hippocrates* pluribus in locis id diſertis verbis negat, qui *lib.* 1. *de diæta* §. 6. *de naturis hominum* inquit,

res

res faciunt, non ſciunt; quæ vero faciunt, ſcire ſibi videntur; & quæ quidem vident, non cognoſcunt: attamen omnia ipſis fiunt per divinam neceſſitatem. Et *lib. de morb. vulgar. Sect. VII.* §. 6. ait, *natura ipſa ſibi per ſe, non ex conſilio, motiones ad actiones ſubeundas invenit à nullo edocta, citraque diſciplinam ea quæ conveniunt, efficit.* *Helmontius*, qui aliàs multum immaterialibus animæ ideis favet, ab hac ſententia plane etiam eſt alienus; utpote in *Lib. de mort. introitu in natur. human.* lectu digniſſimo §. 10. negat, corpus humanum, quale nunc eſt lapſorum, à mente ad certum finem agente, immediate regi, quemadmodum fieri videmus in iis quæ hominum artificio inſtruuntur & perficiuntur; & ridet hoc in paſſu ipſum *Ariſtotelem* ceu naturæ plane ignarum, quod res naturales cum artificialibus confuderit, dum in his quidem cauſa finalis locum habeat, & ſupponatur artifex, qui media dirigat; in illis vero, ſeu rebus naturalibus locum non inveniat; unde, quicquid in natura fit vel generatur, ſeminum neceſſitate fieri, recte arbitratur, adeo, ut ſemina ſint rerum principia & cauſæ naturales, ac ob fines, non quidem ſibi, ſed ſoli Deo cognitas agant. *Aretæus* hinc recte *naturam artem Dei* appellare videtur. Equidem natura non eſt unum quid, ſive una cauſa, qua animales functiones reguntur; ſed vox eſt, quæ plures complectitur cauſas, & non modo organicam ſolidorum ſtructuram, & peculiarem fluidorum craſin, ſed potiſſimum mutuum atque alternum ſolidorum ac fluidorum motum ſyſtalticum & diaſtalticum, nec non progreſſivum, inteſtinum, ſecretorium & excretorium, item undulatorium & tonicum denotat; quo ſalvo, omnes functiones tam vitales & animales, quam naturales recte ſe habent.

Et quemadmodum in macrocoſmo, animantium & vegetabilium ex ſeminibus evolutio, nutritio, fœcundatio, maturatio, perfectio & vita per motum atque cauſas evidentes mere mechanico-phyſicas, & per elementa, & potiſſimum per aëreo-æthereum fluidum ſolis calore, quem veteres ignem dixerunt, agitatum producitur: ita etiam in microcoſmo id ſimili modo evenire, certiſſime colligitur; cum quotidie obſervemus, quantam mutationem in omnibus corporis humani functionibus vitæ genus, habitus corporis, diætæ, aëris, temporum anni, tempeſtatum, locorum differentia efficiant, & quomodo etiam ab hiſce rebus animi operationes, mores, inclinationes & ex parte actus rationis varient. Sed non hujus eſt loci & inſtituti, diutius hiſce immorari; id tantum dico, hanc philoſophandi rationem nihil plane ad diſciplinam medicam pertinere, ut de ea ſilere conſultius ducamus. Nam omnem rationis in rebus medicis explicandis, & cauſis morborum inveſtigandis, in quibus tamen omne medicationis momentum conſiſtit, uſum adimit, atque etiam rerum non naturalium & medicamentorum virtutem & operationem in corpus humanum dubiam nec non incertam reddit: namque illa non ex arbitrio animæ operantur, ſed inviolabili neceſſitate, ſi requiſitis conditionibus applicantur, certum ac determinatum effectum edunt. Id unicum adhuc in eorum gratiam, qui medicinam principiis phyſico-mechanicis ſuperſtructam quaſi infamare omni conatu ſtudent, ad bene expendendum addere volo: ponamus, naturam ſive animam rationalem, vitalium etiam & naturalium functionum principium & cauſam eſſe, eas in certum finem dirigendo: ſed tamen eam ipſam nihil prorſus ſine mechaniſmo, id eſt, ſine certa ſolidorum ſtructura & fluidorum diſpoſitione efficere poſſe, certiſſimum eſt. Nam hæc, ſi non conveniente temperie, proportione & ordine ſunt conſtituta, omnia fiunt præter naturam, & verſa vice. Jam vero nihil evidentius eſt, quam quod medicus arte ſua non in animam, ſed in cauſas phyſico-mechanicas, quibus hæc tanquam inſtrumentis utitur, tantummodo operationem & effectum habeat.

Permultum quoque intereſt ſcire, ad boni medici doctrinam, ſtudia & officium minime pertinere, ut ſubtiliori rerum obſcurarum meditationi & cognitioni indulgeat, ſed ea potiſſimum, quæ in ſenſus incurrunt, quæ uſum habent, & de quibus evidens ratio conſtat & dari poteſt, ſectetur. Uti enim multa in rerum natura ſunt difficultatum mæandris involuta, quæ omnem cognitionem & intellectus humani aciem exſuperant; ita etiam in philoſophia rerum naturalium & medicarum id contingit: quæ ſecreta naturæ tutius eſt mirari, quam rimari velle. Ad hunc cenſum pertinent, unde vis in quovis ſemine multiplicativa oriatur, & quomodo formatio partium in utero fiat; qua ratione cogitatio & phantaſia in corpus operetur, & rurſus, quomodo ſanguinis conſtitutio & motus, mentis uſum alterare poſſit; item, in quonam ſtupenda vis miasmatis & contagii in peſte aliisque morbis malignis conſiſtat; qualis ſit proportio inter naturæ & morbi vires; quomodo ſenſationes fiant in nervoſis partibus; an motus febriles & præternaturales propter cauſam naturæ infeſtam, bona intentione & ſæpius mala inventione; excitentur? Quæ omnia poſſunt tuto à medico ignorari,

ignorari, quia ſine his ad ſanitatem hominem poteſt perducere. Sufficit, ut is per frequentem uſum, attentamque experientiam & ſolidam demonſtrationem & rationem ſciat diſcernere pernicioſa à ſalutaribus, atque rationes phyſicas, licet non geometricas adferre. Accedit, quod hanc maxime ob cauſam nimis curioſa harum rerum imperſcrutabilium indagatio ſit evitanda, quod videlicet non niſi materiam & occaſionem peſſimarum contentionum, litium & alterationum præbeat, quæ medicorum amicam harmoniam & concordiam, in conſultationibus valde neceſſariam, dirimunt.

Ceterum ad ſagacis & præſtantis medici ſcientiam atque officium quam maxime pertinet, ut valetudinem integram, & ab omni morborum inſultu liberam idoneis remediis, ex fonte diætetico potiſſimum petitis, diutius præſtet. Nam inter partes medicinæ diætetica primas omnium tenet, & olim etiam maximi ſemper habita fuit, artisque certitudinem in avertendis morbis evidenter demonſtrat; cum longe expeditius ſit, corpus à morbis defendere, quam illud corruptum & vitioſum reſtituere. Per remedia vero diætetica ea intelligimus, quæ ex ſinu rerum non naturalium, ſeu abſolute ad vitam neceſſariarum, cumprimis deſumta ſunt. Nam quemadmodum recto harum rerum uſu, vita & ſana, & longa, diu perſiſtere poteſt: ita ex plane perverſo & inordinato harum abuſu, omnis generis vitia & mala in corpus incidere, certa & attenta obſervatione edocemur. Eſt itaque præcipua doctrinæ & ſcientiæ medicæ pars, harum rerum, quibus omni momento ad vitam opus habemus, ex ſolidis phyſicis principiis, intimam cognitionem ſibi comparare, ut quid mali ad morbos procreandos, & boni ad eos avertendos ac ſanandos efficere queant, dilucide addiſcant. Nam & elementorum, aëris potiſſimum, & alimentorum, præſertim ubi à temperie valde deflectunt & ſubito mutantur, maxima vis & poteſtas eſt in corpus humanum, ejus humores & motus immutandi, imo ipſum animum & rationem alterandi. Ideoque dantur morbi certis locis, regionibus & climatibus proprii, & pro diverſa temporum anni, tempeſtatum conſtitutione, & extraordinaria ac ſubita mutatione, varii generis mala enaſcuntur. Non datur itaque certior & ſecurior methodus & præſervatoria, & curatoria, quam per ejuſdem naturæ & generis auxilia, quia ſunt naturæ magis amica, temperatiora, nec vehementia, ſed per gradus & paulatim operantur. Inde etiam factum, ut nulla pars medicinæ, antiquiſſimis quoque temporibus, majori pretio, quam diætetica habita fuerit. *Hippocratis* monumenta, quæ poſteritati reliquit, *Libri de victu acutor. de diæta*, *Libri epidemior.*, *de natura aëris*, *aquar.* & *locor. de alimentis*, id luculenter declarant. *Aſclepiadis* tota ſanandi methodus in recta victus ratione repoſita fuit. Si *Cornel. Celſi* librum quartum evolvimus, in quo fere de omnium vitiorum, quæ in interioribus corporis partibus ſedem ſuam habent, curatione agit, hanc ipſam maxima ex parte mutatione cœli, locorum, vitæ generis, varietate ciborum atque potus, item abſtinentia, variaque corporis exercitatione & motu, fricationibus, balneis, linimentis hunc virum præſtitiſſe animadvertimus. Et inter omnes medicos, qui ſolidi quicquam & laude dignum memoriæ prodiderunt, quos imitari poſſumus, ſunt maxime Itali, ut Sanctorius, Mercurialis, Montanus; & noſtro ævo Ramazzinus, Baglivus, Lanciſius, quia hanc principem artis noſtræ partem, adjuti experimentis phyſico-mechanicis, quæ optime naturam corporum & motuum cauſas ac leges explicant, paulo ſubtilius, longeque optime excoluerunt. Sique veritatem non diſſimulemus, utique non modo in avertendis, ſed etiam ſanandis, præcipue chronicis paſſionibus, per remedia & præcepta diætetica, ſi obſerventur, plus quam per pharmaceutica & ſecreta tantopere decantata effici poſſe, certiſſimum eſt. Præterea recte ac perite *Galenus* dixit: *nullum tam efficax remedium medicinam habere, quod auxilium afferre queat, ſi ei victus vel reſiſtat, vel non adjuvet.* Neque hujus moniti deficit ratio; ſiquidem morborum origo à cauſis evidentibus, prava diæta, & malo vitæ regimine, atque ſex rerum nonnaturalium perverſo uſu, inprimisque ab imbecilli & ſenſibili natura, unice dependet; quibus cauſis permanentibus, omnis medicamenti vis infringitur. Præter hæc optime olim *Plutarchus* annotavit, *ob novam victus rationem, novos increſcere morbos, & corporum naturam aliam atque aliam inde temperaturam ſuſcipere.* Purpura chronica, quod Germaniæ incolis, noſtro jam tempore, tam familiare ſit vitium, nulla mihi videtur alia cauſa, quam frequentiſſimus infuſorum calidorum, præſertim potus coffee uſus, quo viſcidi & bilioſi recrementitii humores acuuntur, & ad ſuperficiem corporis propelluntur. Diſpoſitio quoque, quæ inclinat ad hæmorrhoides, noſtro tempore longe frequentior quam olim eſt, apud eos potiſſimum, qui cibis penetrantis ſaporis per aromata peregrina comparati, & vinis calidioribus ex Gallia, Hungaria, & exteris regionibus petitis, delectantur; quibus ſanguis circa lumbarem regionem ebulliens,

& per pilulas quas aloe ingreditur, concitatior redditus, ubi per venas ſedis exitum non invenit, non modo ſtagnans cœcas hæmorrhoides parit, ſed & ad interiora regurgitans, pathemata ſpaſmodica ſic dicta hypochondriaca excitat, qui morbus noſtro tempore nimium ſolennis eſt. Ulterius ſciendum eſt, ſagacem hominem ſibi debere eſſe medicum, obſervando ea, quæ ex cibo & potu, aliisque rebus ipſi utilia atque ſalutaria, vel minus talia ſint. Quare ſemper mihi perplacuit pulcherrimus *locus*, qui extat in *Xenophonte de dictis & factis Socratis p.* 513. *Is monebat ſuos auditores, ut magnam haberent valetudinis curam, tum à peritis diſcendo, quæ commoda ſint, tum etiam totam per vitam de ſe obſervando, quis potus, quis cibus, quisve labor conferat, quia oblivio, mœror, furor, duritiesque animi nonnunquam à mala corporis habitudine oriuntur, & quibus corpora recte valent, nullum inde ad mentem redundat periculum.* Et profecto tam mutua & amicabilis mentis & corporis communio eſt atque ſocietas, ut corpus ſanum mentis ſanitati etiam faveat; & contra ſana mens ad corporis ſanitatem ſervandam multum valeat. Spectat huc inſignis locus ex *Hippocrate*, qui extat *lib. de flatibus* §. 20. *nihil magis*, inquit, *ad prudentiam confert quam ſanguis; hic ergo cum in conſtanti habitu perſiſtit, conſiſtit etiam prudentia; ſanguine vero permutato, concidit ſimul & prudentia.* Et *lib.* 1. *de diæta* §. 30. totus in eo eſt, ut demonſtret, *animæ ſapientiam à recto victu dependere, & ſi læſa fuerit, reſtitui poſſe, illo emendato.* Quam utilis vero & neceſſaria ad tuendam vitam & ſanitatem diætetices ſit ſcientia, nullibi rectius & clarius, quam in corporibus imbecillibus, apparet; quorum in numero ſunt ſenes, & à natura debiles, à gravi morbo vix convaleſcentes, & qui ab immodica ſanguinis, ex quacunque etiam cauſa, profuſione, vel à nimiis vigiliis, fame, aut diuturno mœrore languentes redditi, vires amiſerunt: iis vel levis in diæta error nocet; ſi gravis fuerit, vel morbi antecedentis recidivam, vel alium pejorem morbum ingignit. Hos itaque ante omnia ordinate agere & leges diæteticas ſervare oportet: ne in vitia, præcipue tabem inferentia incidant, quod fit, ſi convaleſcentes à morbo, arbitrio ſuo vivant, & ſubito rurſus inordinato vitæ genere utantur. Quamvis vero doctrina harum rerum ſit longe optima & utiliſſima, mirandum tamen eſt, perpaucos ex medicinæ ſtudio deditis eſſe, qui hanc inprimis excolendam, ſibi perſuadent; & ſunt præcipue ii, qui non niſi medicamentis & arcanis adverſus morbos pugnant, & qui hanc doctrinam imbiberunt, naturam corporis humani ſatis per ſe eſſe ſapientem, ut ſi vitium quoddam in diæta acceſſerit, illud quod nimium ſit, per convenientia emunctoria expellat, ſique valde infenſum fuerit, adverſus id ſe armet, imo quandoque auctiori motu in febribus expellat; ut non tam curioſa victus obſervatione opus ſit. Et ea propter etiam doctrina & inſtitutio rerum phyſicarum, quæ per effectus & varia experimenta, tam chymica quam mechanica comparatur, nimis aperte ab his negligitur nec ſatis æſtimatur, nec aliis, ut ſcitu neceſſaria commendatur. Ego vero omni tempore, quo arti noſtræ docendo & exercendo vacavi, nihil prius, nihil poſterius habui, quam ut hanc medicinæ partem, quæ nos ad rerum naturalium, elementorum & alimentorum penitiorem cognitionem atque peritum uſum & applicationem perducit, iis omnibus, quibus ſua aliorumque ſalus curæ cordique eſt, ſummopere commendarem; idque in meis de diæta, rerumque phyſicarum indagatione editis ſcriptis ſatis oſtendi.

Reſtat jam, ut etiam de parte medicinæ omnium nobiliſſima & vetuſtiſſima chirurgica, quæ externarum partium vitiis recte medendi præcepta tradit, noſtram ſententiam dicamus; quod videlicet hæc ipſa medico ſcitu ſit ſumme neceſſaria. Complures quidem in hac perverſa verſantur opinione, hanc artem, quæ manu ſanat, & in ſectionibus atque externis remediis applicandis verſatur, directe ad medicinam non pertinere; at hi certe neſciunt, totum hominem, tam quoad externas, quam internas partes, medicinæ eſſe objectum, & has invicem tam mirabilem intercedere conſenſum, ut vitium, quod externis inhæret, perfacile tranſeat ad interiores, & iſtæ contra graviter luant, ſi hæ morboſe afficiantur. Præterea ſciendum eſt, vitia, quæ externis partibus inhæreſcunt, & quæ chirurgi ope egent, etiam internas occupare, ut dolores, tumores, extravaſationes, ſcirrhi, inflammationes, ulcera, apoſtemata; & ſingula non tantum externa, ſed etiam interna medicamenta requirere; ut adeo pateat, chirurgi & medici munus non multum differre. Neque prætereundum, topica, pro diverſa vitiorum ratione & natura corporum, inſignem, ne qua noxa innec chirurgiam rationalem, ut verum dicam, à medicinæ fundamentis nullo modo poſſe ſeparari. Recte igitur ſentiebant veteres, qui ex familia Æſculapii ortos & arte medica imbuendos, ante omnia chirurgiam edocebant; ideoque in ſuis de re me-

dica

dica monumentis ſummum eidem pretium ſtatuebant. Atque etiam olim, & noſtra hac tempeſtate, illi medici, qui paulo curatiorem corporis humani anatomen cum chirurgia excoluerunt, præ omnibus aliis magno honore habiti, ſummam celebritatis famam conſecuti ſunt. Sed quam pauci ſunt, qui egregiam hanc artem probe intelligunt! Ii quoque, quod turpe dictu eſt, qui unice huic arti operam ſuam addixerunt, eamque ex inſtituto tractare volunt, utplurimum ſuam in ea ignorantiam palam faciunt, ut ideo & ratio & ſalus reipublicæ medicum hujus artis pariter gnarum, rerumque in ea obviarum peritum jure poſtulet, quo inſcitiam chirurgorum conſilio adjuvare, & modeſta admonitione poſſit corrigere. Etenim, quicunque ex chirurgis artem ſuam non empirice, ſed ita, ut decet rationalem, tractare vult, is non modo ex anatome, corporis humani partium externarum, ut oſſium, muſculorum, nervorum, tendinum, membranarum, glandularum, vaſorum, fibrarum ſtructuram, ſitum, connexionem atque uſum tenere: ſed & inſuper doctrinam de circulo ſanguinis, de vita & conſervatione ſanguinis, de viribus & robore partium, de nutritione recte perſpectam habere debet, ut deinde eo melius de externis læſionibus, nec non de remediorum uſu & noxa, judicium ferre poſſit.

Præter hæc utique operationes manuales, congruis & aptatis inſtrumentis, omni dexteritate ac circumſpectione, adminiſtrandi rectam ſcientiam poſſideat, neceſſe eſt; quibus ſubſidiis etiam medicus probe ſit inſtructus, ut chirurgum inſcium conſilio juvare, imo ſæpius corrigere valeat. Ceterum ad medicinam rationalem & illud referri debet, ut quis ſolidum & rectum judicium de morbi eventu ſalutari vel periculoſo, de pernitialibus, quæ ſupervenire ſolent, ſymptomatibus, de medicamentorum operatione, qualis futura ſit, proferre ſciat. Nihil enim eſt, quod plus ad exiſtimationem medici cumulandam, ad artis quoque certitudinem demonſtrandam confert, quam prudens de dictis rebus prognoſis. Præclare ideo Hippocrates in Principio Prænotion. differit: medicum prænotionem adhibere, optimum eſſe mihi videtur; prænoſcens enim & prædicens apud ægrotos & præſentia, & præterita, & futura, fidem utique fecerit, quod ægrotorum res magis cognoſcat; quare gaudebunt homines ſe ipſos medico committere. At vero, quam excellens hæc præſagiendi ſcientia eſt, tam infida, incertaque ea deprehenditur, adeo, ut non immerito judicium de morborum eventu recte formandum difficillimum ſit. Plurimi medicorum vanis & inanibus ſuis de futuro eventu prædictionibus, ſæpius ſe & artem ludibrio exponunt, dum ſubinde ægrum, de cujus ſalute ſpem fecerunt certiſſimam, interire videamus. Neque alia hujus ignorantiæ datur cauſa, quam quod non ſufficiente accuratarum & completarum obſervationum clinicarum copia & apparatu inſtructi ſunt; neque, quod maximum eſt, morborum hiſtorias ex ſanioribus artis principiis rite reſolvere, neque de eo, quod per corporis humani vires & effectus, atque per medicamentorum energiam fieri poteſt, recte dijudicare valent. Veteres hanc partem medicinæ maximi ſemper æſtimarunt; ſed quoniam non ex integris morborum hiſtoriis & obſervationibus, ſed ex paucis tantum circumſtantiis ſuas regulas prognoſticas, quarum ingens copia in Hippocratis variis libris reperitur, deduxerunt, non mirum eſt, rarius illas reſpondere, ſed maxima ex parte fallere.

Accedit, quod veteres nullas veras cauſas rebus naturalibus & medicis explicandis idoneas, ob ignorantiam phyſices univerſæ & veræ medicæ phyſiologiæ afferre poterant; neque in quo vitæ, ſanitatis, mortis & morborum ratio poſita ſit, intelligebant, multo minus, per quæ principia, remedia ſuas vires exſerant, cognoſcebant; unde etiam de futuris eventibus vix ullum ſolidum judicium proferre poterant. Etenim curatior & propria cujusque corporis cognitio ad prognoſin multum valet. Pulcher hanc in rem extat locus apud *Celſum Lib.* 5. *cap.* 26. *ad prognoſin confert aliquid ætas, & corpus, & vitæ propoſitum, & anni tempus; quia facilius ſaneſcit puer vel adoleſcens, quam ſenior: valens, quam infirmus: neque nimis tenuis, neque nimis plenus, quam ſi alterum ex his eſt: integri habitus, quam corrupti: exercitatus, quam iners: ſobrius & temperans, quam vino veneriique deditus. Opportuniſſimumque curationi tempus vernum eſt; aut certe neque fervens, neque frigidum. Siquidem & nimius calor & nimium frigus infeſtant: maxime tamen horum varietas; ideoque pernicioſiſſimus autumnus eſt.* Et porro idem auctor in antecedentibus: *ante omnia ſcire medicus debet, quæ inſanabilia ſint, & quæ difficilem curationem habeant, quæ promptiorem. Eſt enim prudentis hominis, primo eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus, ut occiſi, quem ſors ipſius interemit. Deinde, ubi gravis metus ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe: ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur. Sed ut hæc prudenti viro conveniunt: ſic rurſus hiſtrionis eſt, parvam*

rem attollere, quo plus præſtitiſſe videatur. Sed nolo hiſce deducendis diutius immorari, quia hoc argumentum in diſſertatione de certo mortis in morbis præſagio fuſius perſecutus ſum.

Denique iniquum judicium, imo potius calumnia non tantum vulgi, ſed & eruditorum, quin imo medicorum eſt, theoreticum malum eſſe practicum, & eum ſapientiorem ac peritiorem eſſe, qui multos habet ægros tractandos, quam qui paucos, exiſtimant. Erroris hujus illecebra & occaſio inde naſcitur, quod medicina res exiſtimetur, uti etiam eſt, multi laboris, temporis ac experientiæ; hinc argumentantur, qui multos habet ægros ſanandos, eum peritiorem eſſe eo, qui bene & recte ratiocinari de morbis ſolet, ſed paucos habet ægrotos. At vero utique experientia, id eſt, accurata obſervatio earum rerum, quæ nocent, vel proſunt, in invenienda medicina locum præcipuum invenit, & ordine præcedit rationem: ſed cum jam dudum medicina inventa ſit, & per tot ſecula, per tot nationes ac climata, inſtituta in tot individuis experientia & obſervatione eorum, quæ corpori infenſa, vel amica ſint, à præſtantiſſimis medicis notatum fuerit; jam non tantopere amplius de experientia cogitandum, ſed eo nitendum eſt, ut remedia, quorum noti effectus ſunt, ad certa individua, ad certas morbi circumſtantias debito ordine, tempore ac loco applicemus, atque prudenter ea accommodemus. Et hæc ſpecialis medendi methodus nil niſi prudentia, conſilium ac ratio medici eſt, & ex morbi cum indole remediorum accuratiore collatione, comparatione & omnium circumſtantiarum penſitatione naſcitur & acquiritur. Ubi non negandum, quod qui tali prudentia, ratione & habitu judicandi inſtructus ſit, artis continuo exercitio multum proficiat & adhuc confirmetur. Bonus itaque theoreticus ſaniorum medicorum conſenſu is eſt, qui theoriam ac ratiocinationem ſuam accommodare hiſtoriæ morborum, nec non experientiam rationi conformem ac demonſtrativam reddere didicerit. Unde bonus theoreticus non poteſt etiam non eſſe bonus practicus. Hinc medici ratio vel theoria, debitis præſidiis inſtructa & experientiæ ſuperſtructa, magnos in medicina facit progreſſus, cauſas ac fontes morborum apte aperit, cur alia corpori noxia ſint, alia proficua, incredibili ſolertia diſquirit, veteres cum recentioribus feliciter conciliat, medendi methodum pro differentia climatum, anni temporum, ſubjectorum, ætatum, vitæ generis diſcrepantem probe diſtinguit; quin & remediorum verum uſum ab abuſu ſedulo diſcernit; præterea aliorum minus ſecuram curationem perquam facile perſpicit, multoque tutiorem & expeditiorem curandi viam in novis ingruentibus affectibus adinvenit. Quibus omnibus ille, qui ſoli inhiat praxi, utut numeroſis advera ſtolidum eſt, experientiam allegare, ubi deficit ratio, circumſtantiarum penſifuerit ægrotis, ſi inſuper theoria bona careat, deſtituitur. Solenne itaque, ſed retatio, ſubjecti & cauſæ morbi & modi agendi in remediis cognitio. Ceterum tamen non negandum, plures etiam in theoreticis committi errores, ubi nempe quis ad hypotheſes inanes, ſpeculativas, fictitias magis, obſcuris & nihil ſignificantibus terminis, quam principiis perſpicuis ſuperædificatas vult praxin accommodare, & ex hiſce principiis ea remediorum genera rejicere conatur, quæ per omnia ſecula & nationes uſu, aliorumque applauſu ſe commendarunt. Hic valet illud axioma: malum theoreticum eſſe malum practicum, ſi videlicet ex theoria hac nuda, praxin inſtruere velit.

Præterea boni & præſtantis theoretici eſt criterium, liberum animum ad veritatem inſpiciendam afferre, nullis præjudiciis, auctoritatibus, opinionibus, ſcholis & ſectis obſtrictum: nam libertas philoſophandi præſtantiſſimum eſt mentis humanæ ornamentum & munus, qua is maxime utitur, qui à natura judicii acumine inſtructus eſt; quicunque vero hoc naturæ beneficio caret, is quam maxime magiſtrorum ſuorum, quos amat, & quos audivit judicio & ſententiis firmiſſime inhæreſcit, & ſolos illos, tam in theoria, quam praxi, in eo quod laudant vel vituperant, ſequendos eſſe, exiſtimat. Quare, quum horum ſcientia tantummodo in notitia placitorum magiſtralium conſiſtat, minus firmiter de aliorum ſcientia & dogmatibus judicare poſſunt.

Ex hiſce omnibus abunde jam deductis clariſſime apparere arbitror, quam multa præclara & plane eximia, ad artem noſtram in ordinem & connexionem redigendam, & ad medicinæ rationalis ſyſtema, methodo demonſtrativa inſtruendum ſint neceſſaria; atque quam exiguus eorum ſit numerus, qui periti & rationalis medici nomen ac dignitatem jure ſibi vindicare & tueri poſſint, cum maxima ex parte undequaque ferme ars medica empirice tractetur, certis fundamentis & ſolidis rationibus deſtituta. Equidem in rebus phyſicis, anatomicis, phyſiologicis, botanicis, chymi-

chymicis egregii & pulcherrimi proſtant libri; aſt ex præcipuis, qui ad artem faciendam pertinent, quales ſunt pathologici, dogmatici & therapeutici, pauciſſimi ſunt, qui laudem merentur; plerique plus opinionibus, nutantibus hypotheſibus, auctoritatibus ac præjudiciis, quam veritatibus utilibus & neceſſariis ſuperſtructi ſunt. Proſtant quidem noſtro tempore à celebribus hinc inde viris conſcriptæ pathologiæ ſeu theoriæ morborum medicæ, quæ ab iis, quibus in verba jurare magiſtri ſolenne eſt, multum laudantur, & ſupra modum tamquam omnibus ſuis abſolutæ numeris efferuntur; quas tamen, ſi paulo accuratius conſideramus, magna ex parte mancas & imperfectas conſpicimus; ſiquidem nec perſpicuas virium & imbecillitatis corporis humani, nec veras moriendi neceſſitatis cauſas reperire ibi licet: de morborum epidemiorum, qui multum medentibus faceſſunt negotii, origine altum eſt ſilentium: humorum intemperies & virulentæ qualitates propemodum relegantur: concretionum in vaſis, quæ polyporum nomine veniunt, & immedicabiles morbos producunt, nulla fit mentio; de mirabili nervoſarum partium conſenſu, ſine cujus notitia vix ac ne vix quidem ſymptomata explicari poſſunt, ibi plane non agitur: corruptio partium ſphaceloſa, quæ plerumque mortis, tam acutis quam chronicis paſſionibus ſupervenientis, cauſam conſtituit, habetur rariſſima: doctrina de pulſibus, magnæ in judicio de eventu morbi ferendo utilitatis, ibi neglecta aut penitus omiſſa animadvertitur; & ſi ad rationalem actionum corporis noſtri præternaturalium explicationem reſpicimus, operationes animæ cum cauſis phyſico-mechanicis, & actiones morales cum phyſicis mirum quantum invicem confunduntur. Dantur adhuc alii doctiſſimorum & celebrium virorum pathologici libri, in quibus plus materiarum morbificarum, quam motuum vitioſorum habetur ratio; quandoquidem diverſiſſimæ intemperiei, pro ſtabiliendis morborum cauſis adducuntur humores; cum tamen ex motuum inæqualitate & vitio ſive errore in locis, dum ex uno loco ad alienum humorum fit tranſitus, præcipua ſymptomatum in morbis ratio deduci debeat. Deinceps in therapia recentiorum auctorum curationes morborum, quæ per abſtinentiam, quæ per decocta ſudorifera & exſiccantia, per aquæ potum & aquas minerales, acidulas & thermas, per balnea, per lac vel ſerum lactis, per acidulas cum lacte mixtas, per peregrinationes & loci ac cœli mutationes, per varia exercitationis genera, cumprimis per fricationes fiunt, penitus ſilentio involvuntur, cum tamen ad vincendas longas & rebelles paſſiones, nihil convenientius, nihil efficacius hiſce jam dictis, & olim, & noſtro jam tempore reperiatur. Præterea innumeros poſſidemus pharmaceuticos libros, qui immenſa medicamentorum ſimplicium & compoſitorum, Galenicorum & chymicorum, copia & farragine referti ſunt: in quibus proprias & veras eorum facultates & vires, quas vel in hoc, vel in illo caſu præſtare poſſint, nullo modo licet reperire, adeo ut eorum utilitas plane nulla, vel admodum exigua ſit; atque inter innumeros libros practicos, maxime obſervationes & morborum hiſtoriæ plenæ & accuratius, cum omnibus ſcilicet circumſtantiis conſcriptæ, valde deficiunt, cum tamen hæ ipſæ firmum & inconcuſſum artis noſtræ, tam theoreticæ, quam practicæ, fundamentum conſtituant.

Cum itaque à multis retro annis, magna illa, quæ artis noſtræ ſucceſſum & incrementum, ac perfectionem huc uſque retardarunt, impedimenta animadverterim, nihil magis à longo tempore ardentibus mihi in votis fuit, quam ut maturioribus annis, ſufficienti obſervationum copia, & firmiore judicio munitus, artem in ſyſtema, & corpus methodo rationali conſtitutum redigere & digerere poſſem, quod res, faciendæ medicinæ tantummodo utiles & neceſſarias complecteretur. Secutus etiam ſum ſalutare *Celſi* conſilium, qui in fine præfationis, *rationalem medicinam eſſe debere*, pronuntiat; *inſtrui vero ab evidentibus cauſis, obſcuris omnibus, non à cogitatione artificis, ſed ab ipſa arte rejectis.* Inter cauſas vero evidentes primo loco liber & æquabilis ſanguinis & fluidorum in circulum progreſſus, cum motibus ſecretoriis & excretoriis ponendus eſt; ex quo, tanquam fundamento & principio demonſtrandi, omne in rebus medicis ratiocinium deſumſimus. Deinceps per cauſas evidentes intelligimus quoque rationes ex anatome & philoſophia naturali petendas; ſine quibus theoria medica plane manca ac cruda eſt.

Divina igitur ſuffultus gratia, ſexageſimo ætis meæ anno, primum medicinæ rationalis tomum evulgare cœpi. Poſtea ſuccedentibus annis, ſub ingenti occupationum, conſultationum, itinerum onere reliqui ſecuti ſunt, ita ut ſub ſeptuageſimo octavo ætatis anno, inter vires utique valde decreſcentes, ſeptimus per Dei gratiam, abſolutus fuerit tomus. Quod ſi hoc labore & ſtudio nihil aliud conſecutus ſum, certe id me præſtitiſſe confido, ut ii, qui artis opus aggredi incipiunt, viam planam

atque apertam inveniant; cui ſi inſiſtent, non facile errare & nocere, ſed perpaucis & efficacibus remediis, accedente præſertim cum uſu rerum judicio, miſere ægrotantibus opem & levamen afferre poterunt exoptatiſſimum. Atque, quod noſtri labores, & ſtrenui artem juvandi conatus, peritioribus non diſplicuerint, vel exinde dijudicare licet, quod tomi medicinæ ſyſtematicæ, ſimul ac lucem adſpexerunt, & conſultationes ac diſſertationes varii argumenti, non modo in Germania, ſed etiam in Belgio, Helvetiis & Italia variis editionibus in lucem prodierint. Quod vero hæc in unum opus congeſta ſcripta mea, non æquali ſtili nitore atque cultu compareant, id benevolus lector meditationi & ſolertiæ continuis aliis laboribus ſæpius interruptæ, & diverſæ ætatis tempori, quo concinnata ſunt, tribuendum eſſe, judicabit. Ceterum ſermo in toto opere licet non adeo venuſtus, tamen purus, perſpicuus & dilucidus eſt, rei tradendæ accommodus, & reſectis omnibus ſuperfluis, eam præcipue medicinæ partem perſequutus ſum, in qua proprie & principaliter ars conſiſtit: in allegandis auctoribus non adeo diffuſus fui, ſed potiſſimum veteres adeundos & conſulendos putavi: quos in iis, quæ ad hiſtoriam morborum deſcribendam pertinent, & quæ experientiæ reſpondent dogmata, ſequutus ſum fideliſſime. Quod ſupereſt, Deum immortalem precor, velit arti noſtræ quam nobiliſſimæ, quam ipſe mortalium beneficio largitus eſt, quamque ipſius gratia adjutus, ultra dimidium ſæculi exercui & docui, atque his diligentiæ meæ fructibus ad omnem poſteritatem propagandis hanc promovere unice cupio, eos progreſſus largiri, ut, falſis & noxiis omnino profligatis, ejus veritas, certitudo & decor pleniſſime effulgeat, omneſque, qui ſe colendæ ipſi conſecrant, ex hiſce meis laboribus in generis humani utilitatem fructum repetant ampliſſimum.

APPROBATIONES.

NOI RIFORMATORI DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la fede di Reviſione, & Approbatione del P. F. Thomaſo Maria Zennari Inquiſitore nel Libro intitolato *Friderici Hoffmanni Medicina Rationalis Syſtematica*, non v'eſſer cos' alcuna contro la ſanta Fede Catolica, e parimente per Ateſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di ſtampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia & di Padoa. Dat. 31. Luglio 1735.

(*Zan Pietro Paſqualigo Reff.*

(*Michiel Moroſini Kau. Reff.*

Agoſtino Gadaldini Seg.

1735. 22. *Novembre.*

Regiſt. nel Magiſt. Eccell. contro la Beſtemmia.

Angelo Legrenzi Seg.

NOI RIFORMATORI DELLO STUDIO DI PADOVA.

HAvendo veduto per la fede di Reviſione, & Approbatione del P. F. Thomaſo Maria Zennari Inquiſitore, nel Libro intitolato *Friderici Hoffmanni &c. Conſultationum & Reſponſorum Medicinalium Commentaria priora Centuria prima, e Tomo uno* non v'eſſer coſa alcuna contro la ſanta Fede Catolica e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, & boni coſtumi, concedemo Licenza che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di ſtampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa. Dat. 24. Novembre 1734.

(*Andrea Soranzo Proc. Ref.*

(Z. *Pietro Paſqualigo Ref.*

Agoſtino Gadaldini Seg.

1734. 22. *Decembre.*

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo contro la Beſtemmia.

Angelo Legrenzi Seg.

CONS-

CONSPECTUS GENERALIS
TOTIUS OPERIS.

TOMUS PRIMUS.

Medicinæ Rationalis Syſtematicæ Tomus Primus.
De Philoſophia Corporis Humani vivi & ſani.
Ejuſdem Medicinæ Rationalis Syſtematicæ Tomus Secundus.
De Philoſophia Corporis Humani morboſi.
Ejuſdem Medicinæ Rationalis Syſtematicæ Tomus Tertius.
De veræ Therapiæ fundamentis, medendi methodo, & ſelectiſſimis remediis.

TOMUS SECUNDUS.

Medicinæ Rationalis Syſtematicæ Tomi Quarti Pars Prima.
De omnis generis Febribus.
Ejuſdem Tomi Quarti Pars Secunda.
De Hæmorrhagiis & Doloribus.

TOMUS TERTIUS.

Medicinæ Rationalis Syſtematicæ Tomi Quarti Pars Tertia.
De Morbis ſpaſmodicis & convulſivis.
Ejuſdem Tomi Quarti Pars Quarta.
De Morbis ex viſcerum labe partiumque ſolidarum atonia provenientibus.
Ejuſdem Tomi Quarti Pars Quinta.
De Morbis ac vitiis, externas potiſſimum partes adfligentibus; accedit ſupplementum de Morbis Infantum, nunquam editum.

TOMUS QUARTUS.

Conſultationum & Reſponſorum Medicorum Centuriæ tres.
I. *De Morbis Capitis & Pectoris.*
II. & III. *De Morbis abdominis & artuum externorum.*
Obſervationum Phyſico-Chymicarum ſelectiorum Libri tres.
Diſſertationum Phyſico-Chymicarum Trias, quarum
I. *De generatione ſalium.*
II. *De analyſi Chymico-Medica reguli Antimonii Medicinalis.*
III. *De Mercurio & medicamentis mercurialibus ſelectis.*

TOMUS QUINTUS.

I. Opuſcula Phyſica varii argumenti; *XIII. Diſſertationibus conſtantia.*
II. Opuſcula de aquis mineralibus earumque ſalutari virtute; *XIV. Diſſertationibus conſtantia.*
III. Opuſcula Diætetica; *XVII. Diſſertationibus conſtantia.*
Harum Diſſertationum Elenchus poſt hujus Tomi titulum invenitur.

TOMUS SEXTUS.

I. Opuſcula Medica de remediorum efficacia, facultatibus & viribus; *XIII. Diſſertationibus conſtantia.*
II. Opuſcula Pathologico-Practica varii argumenti; *XX. Diſſertationibus conſtantia.*
III. Opuſcula Medico-Practica, quæ curam morborum & medendi methodum nec non circumſpectum remediorum uſum ſpectant; *XI. Diſſertationibus conſtantia.*
Horum omnium Opuſculorum Elenchus adeſt poſt hujuſce Tomi titulum.

FRI-

FRIDERICI

HOFFMANNI

CONSILIARII MEDICI

& Professoris Regii nec non Com. Palat. Cæsar.

MEDICINÆ

RATIONALIS SYSTEMATICÆ

TOMUS PRIMUS,

QUO

PHILOSOPHIA CORPORIS HUMANI

VIVI ET SANI

EX SOLIDIS PHYSICO-MECHANICIS

& Anatomicis principiis, Methodo planè demonstrativa per certa theoremata ac scholia traditur;

ET

PATHOLOGIÆ AC PRAXI

MEDICÆ CLINICÆ

CEU VERUM FUNDAMENTUM PRÆMITTITUR

in Usum Docentium & Discentium.

PRÆFATIO

AD SOLIDIORIS DOCTRINÆ ET PERITIÆ MEDICOS.

MEDICINÆ rationalis ſyſtematicæ tomum primum, qui humani corporis, cum vivi, tum ſani, philoſophiam complectitur, vobis, EXPERIENTISSIMI VIRI, exhibendum conſtitui, ut judicetis, quænam utilitas & quis fructus, ad artis medendi tam deſideratam huc uſque certitudinem, ex labore hoc redundare poſſit. Neque vero adeo facilis, ſed intricata potius res eſt, rationali, id eſt, demonſtrativa methodo, univerſæ medicinæ doctrinam contexere, atque omnia in tot morborum hiſtoriis contenta phænomena, & quæ valetudini in melius, vel pejus mutandæ, idonea ſunt, ad ſolidas rationes revocare, inque aptum ordinem & nexum digerere. Poſtquam enim ſalutifera illa & pene divina ars vix ex incunabulis rudioris experientiæ ab antiquiſſimo & optimo auctore *Hippocrate* potracta fuerat, ſtatim quidem non defuerunt, qui de rationis fulcro, ut eam ſtabilirent, cogitare cœperunt. Sed quam infelici ſucceſſu id præſtitum ab eis fuerit, ipſa res ſatis abundeque loquitur. Surrexerunt deinceps, qui ex duobus principiis, laxo & ſtricto, via prorſus breviſſima, vitæ, ſanitatis, nec non morborum & curationis cauſas, explicare laborarunt, ob quam valde compendioſam docendi rationem, ejus dogmatis aſſeclæ Methodici dicti fuerunt, quorum potiora doctrinæ capita ab unico adhuc ſuperſtite *Cœlio Aureliano* & ex parte à *Celſo* referuntur. Poſtea inter rationales Medicinæ profeſſores primum fere locum occupavit *Galenus*, qui ex *Ariſtotelis* ſchola quatuor qualitates ac temperamenta in Medicinam infelici quidem ſidere introduxit. Hujus deinde veſtigia per multa ſecula univerſa fere Medicorum turba, & ex veteribus maxime, *Aëtius*, *Oribaſius*, *Paulus* nec non *Arabes*, & tandem præcipui Italiæ, ad quam tunc temporis artes tranſmigrarunt, Medici, preſſo pede & uno ore ſequuti, ejuſque placitis tanquam ſaxo adhæſerunt. Verum enim vero, ex quo rationalis illa *Galeni* diſciplina regnavit, tantum abeſt, ut ars noſtra profecerit quicquam, ut potius majora decrementa experta fuerit. Siquidem ab eo tempore Medici plus ſpeculationibus variisque commentitiis rationibus & inde enatis concertationibus inhærere cœperunt, quam ut morborum hiſtoriis & luculentis obſervationibus, quæ tamen veritatum medicarum matrem, experientiam, conſtituunt, Medicinæ dignitatem amplificarint. Poſterioribus demum ſeculis Chymiæ, Anatomes, nec non Philoſophiæ experimentalis ſcientia magis agitata & paulo ſubtilius exculta eſt. Et tunc quidem magna lux veritatibus medicis accendi potuiſſet, ſed tamen, re paulo accuratius inſpecta, parum inde augmenti ad Medicinam acceſſiſſe deprehendimus. Si quis enim illas hypotheſes, quæ ex *Paracelſi*, *Helmontii*, *Tachenii*, *Sylvii* & *Carteſianorum* aliorumque ſcholis prodierunt, intueatur, liquidiſſime apparebit, pro genuinis rerum medicarum cauſis, conficta tantum, grande ſonantia, ex parte ſenſu penitus caſſa, ut Veterum mos erat, nomina, quæ hoc loco recenſere nimis longum foret, eſſe venditata; obſervationes vero & morborum hiſtorias relictas & penitus oblivione fuiſſe ſepultas. Quot non verborum monſtra & hypotheſes ætatis noſtræ Medici nobis obtruſerunt, ad quas morborum & ſymptomatum, imo curandi rationem, detorquere conati ſunt? Reperies quoſdam, qui cum *Helmontio* principium vitæ ac omnium motionum in corpore ſubtiliori ſenſatione & cognitione præditum admittunt,

quod nocentes intro cauſas velut ex longinquo prævidetis, motu quaſi excandeſcentiæ adverſus illas exturbandas ſe armet, & hac ratione febris naturam explicare allaborant. Alii ad cauſas morborum magis reſpiciendo, ex pituita, acido & bile, nonnulli ex ſolo acido & viſcido, plurimi ex dyſcraſia humorum ſalſa, acri, ſcorbutica, maligna, vel ex obſtructionibus, aut putredine, alii rurſus ex ſola ſanguinis abundantia ejuſque ſolennibus excretionibus ſuppreſſis, omnium fere morborum originem, ſymptomatum cauſas & medendi rationem derivant. Mihi vero ſemper hæc ſtetit ſententia: hypotheſes, quæ nonniſi dubiæ & confictæ de rebus opiniones & genuinæ litigiorum procreatrices ſunt, à veritate, & quidem pretioſiſſima, quam Medicina pertractat, eſſe debere remotiſſimas. Quod autem non tantum in Medicina, verum in ceteris etiam diſciplinis, plures hypotheſes, quam veritates conſpiciantur, ego non in ipſas res, ſed in homines, qui de rebus non recte ratiocinantur, culpam transferendam eſſe judico. Cujus rei ratio eſt, quod perpauci literis dediti ſub primis ſtudiorum annis ea adminicula in pretio habeant, quæ veritatibus concipiendis, inveniendis & bene ordinandis fere unice velificantur; cujus generis ſunt ſublimior illa numerorum & quantitatum ſcientia, in qua praxis logica reſidet. Nam in hiſce nihil obſcurum admittitur, ſed omnia prius convenienti explicatione plana ac perſpicua redduntur, poſtea ignota ex notis debita & ſyllogiſtica connexione eliciuntur. Quare qui paulo maturius his ſcientiis animum aſſuefaciunt, promtiſſimi inde evadunt ad ea, quæ ex intellectu, vel quæ ex fictionibus proficiſcuntur, & quæ reales, aut nominales rerum definitiones & invalidæ concluſiones ſunt, probe diſcernenda. Ego ſicuti hanc philoſophandi rationem, ita etiam Medicinam, qua ex aliorum ſententiis bene penſitatis optimæ ſeliguntur inque ordinem rediguntur & diverſæ ſententiæ invicem conciliantur, ſemper impenſius amavi & magno in pretio habui. Et fateor, me plus operæ ac temporis ſemper experimentis tam medicis practicis, quam phyſicis, chymicis, anatomicis, chirurgicis impendiſſe, quam ut aliorum obſcuris ſpeculationibus, confictis terminis & ſterilibus theoriis, maxima ex parte verboſis, delectatus fuerim, nihil quicquam, quod non intellectui clariſſimum ac plane obvium fuit, in rationibus reddendis admittendo. Animadverti etiam, omnium veritatum principia facillima eſſe & ſimpliciſſima, & divinam ſapientiam facili & ſimplici via ſtupendos in rerum natura produxiſſe effectus. Et hinc merito viam ad veram & rationalem Medicinam ſimpliciſſimo niti principio concluſi. At vero neutiquam inficias ire poſſum, ad veram theoriam medicam condendam plura deſiderari. Primo enim opus eſt pleniori & accuratiori omnium morborum hiſtoria, quæ ægrotantium naturam, morborum, quibus ſubinde affliguntur, genium, originem, cauſas, ſigna, eventus fauſtos, vel ſiniſtros aliaſque notabiles circumſtantias complectatur. Nam hiſtoriis morborum theoria medica applicanda eſt, ut per hanc eæ explicentur. Theoria quippe obſervationum practicarum quaſi clavis eſt, & vice verſa etiam obſervationes ſunt inſtar lapidis Lydii, quo theoriæ medicæ examinari debent. Quare prius, quam quis incipiat theoriam condere, probe perſpectum habere oportet, num omnium phænomenorum in hiſtoriis morborum occurrentium explicationi illa reſpondeat. Si res ſecus ſe habet, de ejuſdem veritate omnino dubitandum eſt. Interior vero morborum notitia potiſſimum ex propria, deinde quoque ex aliorum fide dignorum experientia, comparanda eſt. Quem in finem ampliſſimam laudem & commendationem merentur ex antiquiſſimis *Hippocrates*, *Aretæus*, *Alexander Trallianus*, *Celſus*, *Cælius Aurelianus*: ex recentioribus vero *Martianus*, *Hollerius*, *Duretus*, *Ballonius*, *Jacotius*, *Montanus*, *Crato*, *Carolus Piſo*, *Alpinus*, *Hildanus*, *Foreſtus*, *Sennertus*, *Sydenhamus*, *Riverius*, *Ramazzini*, *Malpighius*, *Baglivus*, *Wepferus*, *Lanciſius* & *Boerhaven*, ceteris aliis palmam præripiunt. Spectant huc quoque *Miſcellanea Naturæ Curioſorum*, nec non, *Acta Uratislavienſium Medicorum &c.* Deinde ad bonam theoriam medicam utique rei anatomicæ, phyſicæ experimentalis, mechanices plenior & exactior notitia neceſſaria eſt, quia hæ ſcientiæ rerum corporearum, quarum maxima potentia eſt in corpus humanum, naturam, proprietates ac vires explanatiſſime aperiunt. Quo igitur omnibus pateat, cui fundamento univerſæ Medicinæ ſyſtema ſuperſtruere hactenus conſueverim, non inconſultum duco, hujus rei ſummam publico conſpectui exponere. Ego ſcilicet definitionem VITÆ univerſæ medicæ theoriæ & praxeos rationalis fundamentum conſtituo. Eſt vero VITA nihil aliud, quam motus ſanguinis & humorum in circulum abiens, à ſyſtole ac diaſtole cordis & arteriarum omniſque generis canalium ac fibrarum, ſanguinis & fluidi nervei influxu ſuſtentata, proficiſcens, qui ſecretionibus & excretionibus corpus ab omni vindicat corrup-

tione

tione & omnes ejus functiones gubernat. Hic enim circulus est ille vitalis motus, qui ipsum sanguinem, in se valde in putredinem pronum, à præsentanea corruptione defendit. Hic est, qui calorem, vires, agilitatem, robur, tonum, nec non sensum ac motum, partibus conciliat & vitæ ac sanitati utilissimas secretiones & excretiones moderatur. Ab hoc quoque diversæ hominum inclinationes, mores, ingenii dotes, imo sapientia atque insania, dependent. Neque minus diversa hominum natura & dispositio, quam veteres temperamentum dixerunt, inde proficiscitur. Hic motus præterea nutrimentum & incrementum præstat corpori, succos calore & motu deperditos reparando, vitamque sic diuturnam homini confert. Hic porro extinctus teterrimæ penitus corruptioni corpus objicit & tristissimam mortem accersit. Ab hoc denique sanitatis & integritatis omnium actionum tam corporis, quam animi, ratio ducenda est, si videlicet is liber, moderatus & æqualis sit, atque hac ratione excretiones superfluorum & inutilium succorum recte procedant. Turbato vero hoc sanguinis circuitu, quod fit, si nimis augeatur, vel plus justo impediatur, aut inæqualis reddatur, morbi, tam acuti, quam chronici, præsto sunt. Atque ex hoc sanguinis circuitu de morborum vehementia, periculo, & fausto, vel infausto eorum eventu, firmum in diagnosi & prognosi judicium petimus. Deinde quisquis humana corpora à morbis, doloribus, tristitia, præservare vel defendere velit, eum nihil aliud agere oportet, quam ut salutari consilio & convenientibus auxiliis, præsertim diæteticis, hunc motum cum excretionibus in debita proportione & moderatione conservet. Neque aliam dari medendi viam, vel etiam medentum debere esse intentionem, arbitramur, quam ut motus & excretiones, à naturali statu desciscentes, in ordinem reducantur. Omnia enim remediorum genera id tantum præstant, ut vel nimis auctos motus sedent ac moderentur, vel depressos & impeditos excitent, promoveant & rursus æquales reddant. Qua de causa scitissime ab *Hippocrate* Medicina definita est *Lib. de Flatibus*, quod sit *ablatio eorum, quæ excedunt, & appositio eorum, quæ deficiunt. Qui autem istud optime facere possit, illum optimum medicum censendum, quantumque quis ab hoc præstando deficiat, tantum deficere quoque ab ipsa arte.* Est quoque ipse sanguinis auctior circulus illa tantopere à veteribus decantata natura morborum curatrix, cujus ope, præsertim acuti, sine Medicis & medicamentorum apparatu, convenienti ordine ac tempore, sponte sanescunt. Hujus naturæ ductum arte sua sequi & imitari Medicos debere, toties ab antiquitate inculcatum fuit. Hic enim auctior sanguinis & humorum motus, infarctus viscerum & periculosas stases & stagnationes, à quibus plerique morbi proficiscuntur, successive removet atque noxios humores expellit. Quam ob rem, quum tanta beneficia in corpus nostrum ab hoc sanguinis circulo redundent, merito quæritur: à quanam causa hic motus proveniat? quum nihil se ipsum movere, vel locum mutare possit. Nam qui eas causas recte callet, illi in proclivi est perspicere, quænam huic motui conveniant, vel repugnent, sive quæ salubria & insalubria sint, in quo maxime Medici officium positum existimamus. Sunt vero duplicis generis solidorum motus, contractio nempe & dilatatio, quibus omne fluidum in universo corpore movetur atque propellitur. Hujus itaque causæ sunt inquirendæ, quarum nulla alia, meo quidem judicio, præter sanguinem reperitur. Hic non modo ex solido & humido elemento, sed & ex celerrimæ ad motum promtitudinis sulphurea, aëreo-ætherea materia, quæ in cerebro, quo nullum animal caret, quoad partem, cum tenuissima lympha, quæ ipsius vehiculum, secernitur, compositus est. Jam vero notatu perquam dignum est, nullum motum in parte quadam solida, aut musculosa, aut membranacea, celebrari posse, nisi ejus interior substantia sanguinis & fluidi nervei influxu sufficienter perfusa sit, quo intercepto, omnis movendi facultas, omne robur ac tonus exspirant. Etenim sanguis in convenienti mensura ac temperie & motu bene constitutus, omnium virium ac motuum in corpore nostro fons atque origo mihi videtur. Qui copiosiorem & benignum sanguinem in vasis capacioribus alunt & nervos robustiores obtinent, ii ceteros vigore, robore animique acumine antecellunt; quum contra observemus, eos plerumque timidiores & imbecilliores esse, qui exilioribus vasis ac nervis prædiți sunt. Neque incognitum est, omnia ea, quæ sanguinis tenuioris liberiorem in partes influxum promovent, ut sunt, præter animum tranquillum & purum ac sincerum aërem, vinum, motus, exercitatio corporis, bona alimenta & medicamenta penetrantis virtutis & fragrantiæ, vires ex diuturna fame, longiori morbo, aut largiori sanguinis effusione amissas, confestim & mirifice restaurare. Sensibilis quoque & ordinaria virium in senibus vacillatio atque inopia, utut legibus diæteticis obedientissimi sint, & absoluta atque ineluctabilis

moriendi neceſſitas, à nulla alia cauſa derivari poteſt, quam principaliter à ſanguinis, nec non fluidi nervei in officinas motuum influxu languidiori. Illud enim tenendum eſt, in decliviori ætate majorem ſemper fieri fibrarum ac membranarum duritiem ac denſitatem, & conſequenter vaſorum minimorum, quæ ex fibris & membranis contexta ſunt, anguſtiam. Per hæc autem fluidum illud movens & activum, quod cerebrum & nervos incolit, ſecernitur, tenuior ſanguinis portio ad minima fibrarum motricium & membranarum intima penetrat, & per hæc tenuiſſima quoque emunctoriorum & glandularum vaſa maxima excrementorum pars è corpore exturbatur. Si itaque declinante ſenio hæc vaſa penitus coëunt, non mirum eſt, inſignem utiliſſimorum fluidorum, quæ motum & vigorem partibus præſtant, adeoque virium, naſci defectum, impuros contra atque corruptos ſuccos ſuccreſcere & accumulari. Nunc vero dicendum eſt, quemadmodum ſanguis cum nervorum fluido vitalem illum contractionis & dilatationis motum in organis motuum efficiat. Fibræ videlicet, ex quibus tota organorum compages coagmentata eſt, magna vi elaſtica inſtructæ ſunt, quæ ſanguinis appulſu amplius expanſæ, non modo ſe contrahunt inque priſtinum locum reſtituunt, ſed & nimium coarctatæ, in priorem debitæ expanſionis ſtatum ſponte reſiliunt. Si itaque intra cor invectus ſanguis calidus ejus parietes extrorſum urget, tunc ob potentiam fibrarum, quibus conſtat, elaſticam, quæ à ſanguine ſubtiliori & rore nerveo, per vaſa coronaria & nervos continenter affluente, in magna tenſione ac reniſu ſuſtentantur, cor rurſus ſe contrahit & ſyſtolen patitur, qua ſanguis non modo in arteriam magnam, ſed in ipſam quoque cordis ſubſtantiam per coronaria vaſa refunditur, ut ejus muſculos ad novam contractionem & reactionem ſyſtalticam ſtimulare poſſit. Atque adeo diaſtole ſemper fit cauſa ſyſtoles, ac ſyſtole rurſus tranſit in cauſam diaſtoles, & hac ratione in cordis machina liquidiſſime conſpicitur perpetuum mobile, cujus inventio tot ac tanta huc uſque ingenia nimium quantum torſit ac fatigavit. Sanguis enim cor movet, & ſanguis à corde movetur, & hoc modo cauſa producit effectum, qui eandem cauſam denuo reſuſcitat. Una ergo motus ſpecies alterius cauſa eſt, & alterutra ceſſante, ceſſat & altera. Quam ob rem fieri non poteſt, quin ſola immodica auriculæ dextræ, quæ tenerioris eſt ceteris cordis muſculis texturæ, à ſanguine copioſiori & rarefacto ibi congeſto dilatatio, totum circulum vitalem ad tempus extinguat & ſyncopis cauſa fiat. Neque jam in difficili poſita eſt ratio, quare vel ſola manuum ac pedum fortior agitatio, aut frictio, vel calidum pediluvium, aut crebrior pulmonum per intentam vocem expanſio, univerſum ſanguinis circuitum accelerare ipſumque calorem ac perſpirationem intendere poſſit. Neque ullam aliam cauſam reperimus, cur in ſyncope per tempus aliquod extinctus cordis motus, ſola venæ ſectione, vel vehementiori præcordiorum frictione, ſolo forti odore, vel aquæ frigidæ aſperſione, reviviſcat, & quare modicum ſalis volatilis oleoſi cordis motum & calorem augere ipſumque ſudorem prolicere, vel pauxillum opii vigilias & dolores levare poſſit. Quum vero ſanguis, quamlibet temperatiſſimus, tandem jugi ac perenni motu & inteſtina partium agitatione, ſucceſſive conſumatur inque effoetam & inertem ad ſuſtinendos amplius vitales motus maſſam fatiſcat, idcirco opus eſt, ut excrementitiæ ac rejectaneæ partes à corpore non modo removeantur, ſed & in harum locum novi & laudabiles ſucci ſurrogentur. Et hos quidem præter aërem, qui impetum facientes partes maxima ex parte ſuggerit, alimenta, in ſinuoſo ventriculi & inteſtinorum canale probe digeſta, egregie ſuppeditant. Ex quo apparet, ad perennandos hos motus vitales, opus eſſe continuis ingeſtionibus æque, ac egeſtionibus, utpote ſine quibus nec vita, nec ſanitas diu ſalva & illibata perſiſtere poteſt. Hæ vero ut rite perficiantur, neceſſaria utique eſt circumſpecta rerum non naturalium obſervatio, quam ſalutaria diætetices præcepta uberius docent. Quo magis eorum temeritas inde elucet, qui ad tuendam valetudinem convenientem vivendi rationem & diæteticas regulas non adeo multum momenti habere contendunt, quum tamen in confeſſo ſit, homines ex his rebus vivere, ægrotare, mori amiſſamque ſanitatem recuperare. Illud autem quam maxime notari velim, quod excretiones, in homine jam adulto & qui ſtatum ac perfectum corporis robur conſequutus eſt, ipſis ingeſtis propemodum æquales eſſe debeant; id quod vel ex hoc unico experimento luculenter patet, quo corporis pondus, ante alimentorum aſſumtionem lance examinatum, elapſis aliquot diebus, licet vel centum interea alimentorum libræ ingeſtæ fuerint, plane non pondere increviſſe obſervatur. Quicunque igitur in pathologicis ex pravis ingeſtis, per quæ non modo alimenta, ſed & eas nocentis & activæ indolis materias, quæ aëris vehiculo corpus

ſubeunt,

ſubeunt, intelligimus, deinde & excretionibus, tam ſolennibus, quam extraordinariis ſanguinis, nempe per uteri & ani venas, inæqualibus, aut plane ſuppreſſis, morborum primordia ac natales arceſſit, ille à veritatis tramite neutiquam aberrare mihi videtur. Nihil enim eſt, quod vitali corporis conſervationi magis adverſetur, quam, præter vehementem animi commotionem & venenum, ſuperflua ſanguinis & ſuccorum abundantia, qua periculi plenæ ſtaſes, vel ſaltem ſtagnationes, quarum illæ acutas maxime, hæ vero tardas paſſiones excitant, gignuntur. Omnis itaque generis morbi, qui nil niſi naturalium motuum læſiones ſunt, non ſecus ac motus, qui vitæ ac ſanitati præſunt, ad duas potiſſimum claſſes, nimirum ad ſyſtolen ac diaſtolen, ſive ad contractionem ac dilatationem, referri poſſunt. Illa, ſi nimia atque intenſior eſt, ſpaſmus appellatur; hæc, ſi immodica eſt & diutius partibus inſidet, atoniæ nomine venit. In utroque hoc motu fluidorum circuitus mirum quantum perturbatur; & in illo quidem, ab æquali, in hoc autem, à liberiori ſuo curſu multum deflectit. Eſt vero hic ſpaſmus vel univerſalis, vel particularis. Ille, ſi cor cum vaſis ſuis, quæ ſanguinem & humores vehunt, hoſtili contractione aggreditur, febres producit; ſi vero magis nervorum ac membranarum ſyſtema affligit, epilepticos & convulſivos motus excitat. In illo ſanguis, in hoc fluidum nerveum, in concitatiſſimam commotionem abripitur. Quando vero ſpaſmus certas tantum partes, imprimis membranaceas, quæ exquiſito ſenſu pollent & impreſſos motus ſibi invicem communicant, violenta contorſione afficit, ob inæqualem ſanguinis circulum, ingentes fiunt aliis in partibus, quamlibet remotiſſimis, ſanguinis & humorum congeſtiones, quas pro locorum diverſitate varia ſymptomata, plerumque vero dolores, tumores, ſanguinis effuſiones, ſeri defluxiones, & ſæpe etiam inflammationes, preſſo pede inſequuntur. A tono autem & robore ſolidorum dejecto, ſanguinis & humorum ſtagnationes, viſcerum infarctus, obſtructiones, ſcirrhoſæ indurationes & corruptiones, à quibus præcipua chronicorum labes & cauſa defluit, proficiſcuntur. Cæterum ea ſpaſmorum natura & indoles eſt, ut noxiam ſæpe materiam, ſive in ſanguine, ſive in humoribus hæreat, intenſiori motu feliciſſime eliminent. Id quod maxime valet de ſpaſmis iſtis univerſalibus, qui febris naturam conſtituunt, utpote qui ſtaſes illas inflammatorias, à quibus febrium origo derivanda eſt, cum tempore propria efficacia reſolvunt, vel nocentem materiam ab humorum conſortio ſegregant ac foras propellunt. Qua ratione febres ſæpius ſunt optimo præſidio, & ſponte, ſine ulla Medicorum vel medicamentorum ope, profligantur. Si quis ſymptomatum, quæ tam acutis, quam chronicis paſſionibus propria ac familiaria eſſe ſolent, rationem commode explicare velit, ille non modo nervorum diſtributionem & nervoſarum partium conſenſum, qui non niſi mutua motuum præternaturalium inter ſe communicatio eſt; ſed & fluidorum motum ſecundum leges hydraulicas & ſtaticas probe perſpectum habere debet. Alias fieri non poteſt, quin in enodandis hiſtoriis morborum ac phænomenis, nil niſi futiles & à veritate alienas rationes in medium proferat. Quæ vero morboſis motibus producendis idoneæ ſunt cauſæ, eæ ut plurimum, ſive à quantitatis, ſive à qualitatis vitio proveniant, ex ſegniori ſanguinis per viſcera abdominis curſu & excretionibus impeditis, vel non recte procedentibus, reſultant, & maxima ex parte intra primarum viarum regionem fixam ſuam ſedem ac domicilium habent. Neque vero primis in viis tantum conſiſtunt, ſed pariter ac venenum intra corpus aſſumtum, latius graſſantur & vim ſuam pernicialem per univerſam vaſorum ac nervorum compagem longe lateque diſſeminant. Qua de cauſa, maximum, & præſervationis, & curationis momentum in eo poſitum eſſe omnes ſolidioris doctrinæ Medici affirmabunt, ut, ſpreto ſolius naturæ negotio, ab aliis ſuperſtitioſe pene laudato, materia morboſa decenti modo correcta, evacuantibus primis ex viis maturius exturbetur. Dici enim vix poteſt, quam commode graves paſſiones hac ratione prima ſtatim in herba jugulari, & naſcentes primum, vel ſupervenientes aliis morbis ægritudines, penitus averti poſſint. Secus res habet in paſſionibus acutis, ubi tota motuum, tam ſanguinis, quam fluidi nervei œconomia, turbata eſt. In his enim plus quiete, temporis exſpectatione & clementiore medicina, quam multiplici & operoſa remediorum varietate & apparatu, perficitur. Si quid vero agendum eſt, in morbi remiſſione, quam omnis morbus habet, ea potiſſimum exhibere oportet, quæ materiam nocentem aggrediuntur eamque foras ejiciunt: quæ medendi ratio etiam inter morbi initia, vel ſub ejus declinatione, opportunum maxime locum habere poteſt. Quando enim natura, ut cum Veteribus loquar, in motu, & omnia emunctoria ſpaſmo conſtricta ſunt, tantum abeſt, ut com-

commoventia quicquam prosint, ut potius insigne detrimentum afferant. Magnopere vero dolendum est, quod princeps hæc medendi regula, quo majoris momenti atque utilitatis est, eo magis à plerisque negligatur, vel plane ignoretur. In morborum autem, qui corpus diutius affligunt, curatione, ubi plus artis, quam naturæ auxilio efficitur, id saltem Medico perito agendum est, ut viscerum atoniam tollat, metus depressos excitet, obstructiones solvat & nocentem materiam per convenientia emunctoria eliminet. Ad quem scopum obtinendum diuturniori quidem remediorum usu opus est; notandum tamen, quod temperatiora longe plus in hujusmodi morbis valeant, quam nimis activa & validiora, si modo debitum tempus curationi impendatur. Quemadmodum vero perpaucæ & simplices sunt morborum origines & causæ, quæ naturalem corporis statum immutant; ita etiam perpauca sunt remediorum genera, causis hisce removendis accommodata. Universus enim remediorum apparatus, mea quidem sententia, tantummodo ad materiam nocentem emendandam ac removendam & perniciales motus tollendos, collineat. Jam quum duo tantum sint motus morbosi, intensi nimirum ac depressi; planissime inde conficitur, duo tantum statuenda esse remediorum genera, quorum alia spasticis illis motibus sedandis, alia tono partium flaccidarum restituendo, dicata sunt. Illa, recepto in scholis loquendi more, antispasmodica & sedativa, hæc roborantia & tonica appellantur. Quæ vero causis morborum amoliendis idonea sunt, ea humorum, vel copiam detrahendam, vel pravam qualitatem corrigendam, unice respiciunt. Illa evacuando, hæc alterando, suam operationem exsequuntur. Ex quo clarissime, ut puto, intelligi potest, Medicum rerum suarum satagentem, ad sanandos omnis generis affectus, non opus habere magna & multiplici remediorum farragine, vel medicamentis validioribus, aut magno & labore & pretio conquisitis. Sufficiunt enim pauca, simplicia, temperatiora & quorum virtus longo usu & experientia probata est, utpote quæ omnibus specioſis compositionibus anteferenda sunt. Et sane, ut *Helmontii* verba mea faciam, pauca sunt, quæ Medicum nobilitant, si quis modo rectam iis utendi rationem, in quo prudentiæ medicæ & methodi medendi cardo versatur, cognitam habeat & exploratam. Tot enim diversæ ratione corporis affecti, & causarum morbificarum, atque symptomatum concurrentes circumstantiæ, multum utique difficultatis Medicinæ adjiciunt, eamque ob causam acre judicium, assiduam attentionem, observationem, meditationem & crebriorem exercitationem desiderant.

Ex his igitur jam dictis inque medium prolatis, universæ Medicinæ, tam theoreticæ rationalis, quam veræ practicæ, fundamentum, nexum & ordinem cuivis facillimum erit animo comprehendere, quæ omnia in hoc, quod sub manibus habemus opere, fusiori doctrina & explicatione persequuti sumus. Nunc quidem in lucem prodit primus tomus, qui scientiam corporis humani, quatenus vivum est, quam φυσιολογικὴν Græci vocant, & alteram, quæ sanitatis tuendæ præcepta tradit & Hygieinen audit, complectitur. Hunc brevi post, sub favore divini Numinis, alter excipiet, in quo philosophia corporis humani morbosi, pathologia nimirum generalis, mortis, morborum, morbosorumque motuum natura, causæ ac genesis ex observationibus solidisque principiis deducentur. Succedet postea tertius, quo vera therapiæ fundamenta, medendi methodus & leges, tam naturæ, quam artis, nec non selectissima remedia, cum eorundem operandi & dextre applicandi ratione fideliter tradentur. Postremo autem quarto, sigillatim & ex professo, quasvis corporis humani internas passiones, artem iis medendi, cum adjunctis rationibus, cautelis & selectioribus morborum enarrationibus, saluberrimas medendi regulas illustrantibus, pertractare animus est. Neque vero aliquis siniſtre mihi hoc interpretabitur, quod in primo hoc tomo Physiologiæ Hygieinen associaverim. Hanc enim illi statim subjungendam putavi, quia rei nexus & ordo magnopere hoc mihi suadere videntur. Quem enim fugit, omnis generis morbos, ex legibus diæteticis insuper habitis ac temere neglectis, suas demum trahere origines? Placuit autem hanc physiologicam ac diæteticam scientiam corporis humani vivi & sani philosophiam appellare, eo quod artium hæc nobilissima summum sapientiæ gradum constituere mihi videatur. Hæc enim plana atque aperta nobis reddit opera summi artificis, & egregie declarat stupendum ipsius in corporis nostri constructione ordinem atque sapientiam, quæ nunquam non devota mente suspicienda est. Neque ego, præter salutarem hanc scientiam, ullam artem dari arbitror, quæ generi humano magis necessaria sit, vel majora in illud beneficia conferat. Hinc sane prudenter fecit antiquissimus medicinæ

parens,

parens, *Hippocrates*, quod hanc artem divinam, & medicum philoſophum, Deo æqualem, appellaverit. De cætero mihi conſultum viſum fuit, eam, qua Mathematici utuntur methodum, in ſcribendo adhibere, quia nihil in arte noſtra admittendum puto, niſi quod experientia & ſolidis rationibus demonſtrari poſſit. Unde ſemper in ea fui ſententia, omnes rationes, niſi ex ſcientia anatomica, vel phyſica, quæ experimentis mechanicis & chymicis nititur, depromtæ fuerint, tanto magis hypotheſes & fictiones, explodendas eſſe ac penitus è Medicina proſcribendas. Qua re impulſus, univerſum hoc artis ſyſtema ſolidis definitionibus & axiomatibus, quæ principia demonſtrandi ſunt, ſuperſtruere, omniaque præcepta variis theorematibus, ſcholiis & obſervationibus practicis, convenienti nexu & ordine diſpoſitis, non ſine inſigni labore & meditatione, ſalva tamen ubivis judicii & modeſti diſſenſus libertate, concinnare annisus ſum. Ex mechanica vero deſumtis principiis & rationibus, in adornando hoc opere, ad explicanda naturæ microcoſmicæ phænomena uſus ſum. Mechanica enim eſt motuum ſcientia, quæ eorum naturam, cauſas ac leges tradit, eaſque poſtea ad varios uſus applicat. Invento autem ſanguinis circulo & ſtructura machinæ humanæ per tot pulcherrima inventa anatomica altius perſpecta, quis jam negare auſit, vitæ, mortis, ſanitatis, morborum cauſas, remediorum vires curandique rationem, optime derivari poſſe ex ſanguinis & ſolidorum motu. Quamvis vero hæc nullo modo in dubium vocari poſſint, nonnullis tamen in eo diſſentire placuit, quod motuum, qui in corpore humano celebrantur, cauſam in intelligente quodam ac interiori vitali ſenſu prædito agente, ſive principio, quærendam eſſe putarint, eo maxime inducti, quod corporum eſſentiam mere paſſiva & ad motum inepta extenſione abſolvi, animam vero ejuſque commotiones, tam in regendis animantium artubus, quam ſanguinis & cordis motu pervertendo, magnam vim ac potentiam exercere, ideoque reliquorum etiam motuum cauſam eſſe exiſtiment. Verum enim vero minime quidem diffitendum eſt, machinæ noſtræ inſitum eſſe adhuc excellentius quoddam principium, ſentiendi & ratiocinandi facultate inſtructum, quod in motibus & actionibus voluntariis, quas Veteres animales dixerunt, celebrandis, & vitalibus ac naturalibus perturbandis, minime vero regendis, ob intimum, quod ipſi cum corpore intercedit commercium, inſigni potentia gaudeat. Sed tamen, quod hoc principium omnes motus, præſertim vitales ac naturales, qui præcipuum Medici & Medicinæ objectum, efficiat, illud eſt, quod in totum negamus, firmiter ſtatuentes, cetera omnia, quæ in corpore humano ſecundum naturam contingunt, ex cauſis mere corporeis & neceſſario agentibus, id eſt mechanico-phyſicis, proficiſci, ſi modo animi tranquillus ac pacatus ſtatus, qui nihil turbet, accedat. Primo enim penitus rejicienda eſt Veterum opinio, corporum eſſentiam in pure paſſiva extenſione conſiſtere, quum recentiori ætate ab acerrimi judicii viris paſſim oſtenſum ſit, ſubſtantiam, qua corpora operationes ſuas, quæ nil niſi certæ motuum ſpecies ſunt, exercent, in re quadam movente ac mobili, ſive vi quadam nitente ac renitente, contineri, & hinc extenſionem nihil aliud eſſe, quam ſubſtantiæ hujus agentis ac moventis diffuſionem. Deinde quum omnia corpora vi ad motum inſtructa, illorum phænomena ex hac dependere, magnamque calori, igni, ætheri ineſſe potentiam movendi & mutandi res, quotidie obſervemus, equidem non video, quare hiſce rebus virtutem movendi in corpore noſtro detrahere velimus. Et ſane magiſtra experientia docemur, alimenta, elementa, venena, medicamenta omneſque res noxias, poſſe animalium motus augere, imminuere, deſtruere, in ordinem redigere, ita prorſus, ut pro veneni diverſitate, diverſiſſimi in corpus noſtrum reſultent pravi effectus, certis etiam remediorum generibus debellandi. Accedit, quod ipſæ hæ res corporeæ & mechanicæ, animæ ac mentis operationes variis modis afficiant, ſiquidem exinde ad varios affectus diſpoſitio, diſſidentes mores, inclinationes diverſæque ingenii vires proveniunt. Si denique iis rebus, quibus tam ad præſervandum, quam ad curandum Medicus utitur & quibus quotidie vitales conſervamus motus, vires in corpus noſtrum denegare omniaque ad principium quoddam intelligens referre velimus, quid hac ratione aliud continget, quam ut uno quaſi ictu omne quod in Medicina certum, certa remediorum efficacia, omnis rationalis doctrina & ſcientiæ Phyſices ac Anatomices uſus in Medicina proſternatur. Neque etiam ego facile intelligo, quomodo omnibus numeris abſoluta theoria medica ſtabiliri poſſit, ſi principium, ſeu cauſa omnium, qui in corpore noſtro fiunt, motuum, nec definiri, nec concipi ullo modo poteſt. Nihil enim ex ejuſmodi metaphyſico principio explicari, nihil

etiam inveniri poteſt, quæ tamen duo veræ theoriæ characteres jure meritoque haberi debent. Ecquis rerum ſalubrium, virulentæ quoque materiæ morbificæ vires, vel remediorum efficaciam, aut ſymptomatum rationes, ex ejuſmodi principiis ordine quodam & nexu deducere poterit? Non dicam, quod ad commodiorem & certiorem medendi methodum nihil exinde inveniri poſſit. Theoriam itaque, quam in opere præſenti profiteor, ex anatomicis & phyſico-mechanicis principiis deſumtam, quemadmodum cum praxi cohæreat & quæ utilitas in certam & compendioſam medendi methodum inde redundet, non hominum ad judicandum ineptorum, non juvenum & in praxi plane inexercitatorum, non ſectariorum, & qui veras demonſtrandi & logicas regulas ignorant, ſed veſtro, VIRI SOLIDISSIMA PERITIA ET DOCTRINA INSTRUCTI, judicio, candori atque integritati, nec non attentiori meditationi atque experientiæ etiam atque etiam commendo.

Hæc ſunt, quæ præfari placuit, quum primum in lucem prodiret primus hic Medicinæ rationalis ſyſtematicæ tomus. Nec ſine peritiorum applauſu ipſum exceptum eſſe, confirmant reperiunda paſſim, tam in faſtis literariis, quam celeberrimorum virorum ſcriptis, publica teſtimonia. Multi etiam, & ſermone, & literis, me idemtidem hortati ſunt, ut cœptam pertexerem telam, & reliquos promiſſos operis tomos in publicum emitterem. Quorum deſideriis eo lubentius annui, quo magis nihil antiquius mihi fuit unquam, quam ut, quicquid per aſſiduam meditationem & longam experientiam, & didiceram, & confirmatum habebam, ad publicam utilitatem conferrem omne. Eaque propter biennio poſt ſecundum, & poſt hunc tertium quoque tomum, evulgavi, ſicque philoſophiam corporis humani ægri, nec non generalem medendi methodum perſpicue & candide expoſui. Nunc ſupereſt adhuc quartus, pathologiam & therapiam ſpecialem complexurus, in quo conficiendo jam, quantum quidem reliqua quotidiana multa negotia permittunt, ſum occupatus, ita, ut, ſi DEUS vitam virefque conceſſerit, eundem pariter brevi luci exponere conſtituerim. Quia vero interea temporis primus hic tomus avidius coemtus omniaque exemplaria diſtracta, majorem in modum is, cujus impenſis primum prodierat, rogavit, ut iteratam ipſius permitterem editionem, &, ſi qua emendanda, aut addenda putarem, adjicerem. Denuo igitur ad manus ſumſi librum, totum reviſi ac ut emendatior multum & auctior prodiret, operam dedi. Irrepſerant nimirum in primam editionem, typothetæ, an corrigentis culpa neſcio, innumera fere typographica, ſenſum etiam ſubinde turbantia errata, quæ adhibita omni diligentia, expungenda curavi. In numerandis quoque paginis error ſatis conſpicuus erat commiſſus, qui juſtam numerorum ſeriem ſubſtituendo & ubique ſervando, curate eſt correctus. Lima dein paſſim adhibita, & multa, quæ minus pure ac terſe ſcripta videbantur, mutata, multa etiam, quæ obſcurioris, aut æquivoci intellectus, planiori ſermone & verbis magis accommodatis expoſita. Potiſſimum vero inſignis, quoad ipſa realia, facta eſt acceſſio. Etenim non modo ſparſim inſerui nova plurima, ſed & tractationem de actionibus animalibus integris tribus capitibus adauxi, & tam ſenſuum rationem & indolem, quam quinque ſic dictorum externorum phyſiologicam conſiderationem addidi. Quæ tamen omnia legenti, & facta hujus editionis cum priore collatione, uberius pateſcent. Quod itaque ſupereſt, tibi, CANDIDE ATQUE PERITE LECTOR, novam hanc editionem iterum trado, ac ut eadem cum ampliſſimo fructu utaris, exopto. Scrib. in Fridericiana Hallenſi, Idibus Septembris, anni cIↃIↃccxxviii.

CON-

CONSPECTUS
TOMI PRIMI MEDICINÆ
Rationalis Syſtematicæ.

PROLEGOMENA

De Medicinæ natura, fundamentis, & principio demonſtrandi.

CAP. I. *De medicina ejuſque natura.*
II. *De Artis medicæ fundamentis.*
III. *De variis ſectis & opinionibus medicorum.*
IV. *De optima Hippocratis medica diſciplina.*
V. *De incrementis artis medicæ promovendis.*
VI. *De medicina eclectica.*
VII. *De fine medicinæ & poteſtate medici.*
VIII. *De vero demonſtrandi principio in medicina.*

PHILOSOPHIÆ CORPORIS HUMANI
VIVI ET SANI

LIBER PRIMUS,

SECTIO I.

De vita, ejus cauſis, & motibus vitalibus.

CAP. I. *De artificio in ſtructura humani corporis.*
II. *De vitæ ac mortis natura & cauſis.*
III. *De cauſis motuum vitalium, ſyſtoles atque diaſtoles.*
IV. *De motu fibrarum vitali elaſtico.*
V. *De ſanguine humano ejuſque natura.*
VI. *De ſanguinis circuitu.*
VII. *De ſanguinis circulo per pulmones, & reſpirationis uſu.*
VIII. *De ſanguinis circulo per viſcera & varias corporis partes.*
IX. *De excellenti circuli ſanguinis ad conſervationem corporis uſu.*

SECTIO II.

De actionibus naturalibus, ſive motibus ſecretoriis & excretoriis.

CAP. I. *De motibus & organis ſecretoriis & excretoriis in genere.*
II. *De nutritione & ſucco nutritio.*
III. *De lympha ejuſque motu & uſu.*
IV. *De alimentorum ſolutione & ſalivæ uſu.*
V. *De chyli in inteſtinis perfectione deque bilis ad hoc negotium uſu ejuſque natura & ſecretione.*
VI. *De ſecretione chyli & motu ventriculi atque inteſtinorum periſtaltico.*

VII. *De*

VII. *De excretionibus, in ſpecie ea quæ fit per alvum.*
VIII. *De ſudore & tranſpiratione.*
IIX. *De excretione urinæ.*
IX. *De excretione muci.*
X. *De excretione ſanguinis per uterum.*
XI. *De generatione corporis humani.*
XII. *De ſemine humano utriuſque ſexus.*
XIII. *De nutritione fœtus.*
XIV. *De ſecretione lactis.*

SECTIO III.

De actionibus animalibus, uſu cerebri, ſenſibus, & animæ potentia in corpus.

CAP. I. *De ſecretione tenuiſſimi in cerebro & nervis fluidi.*
II. *De uſu fluidi cerebri & nervorum.*
III. *De ſenſibus eorumque ratione & indole.*
IV. *De viſu & auditu.*
V. *De olfactu, guſtu & tactu.*
VI. *De ſomno ac vigilia.*
VII. *De anima ejuſque cum corpore commercio.*

PHILOSOPHIÆ CORPORIS HUMANI VIVI ET SANI

LIBER SECUNDUS

De vita & ſanitate per ſalubrem diætam conſervanda.

PROLEGOMENA

De ſcientia ſanitatem & vitam conſervandi.

CAP. I. *De ſanitatis natura ejuſque ſignis ac cauſis.*
II. *De animæ conditione motus vitales vel conſervante vel deſtruente.*
III. *De aëris ad ſanitatem uſu.*
IV. *De ſalubritate & inſalubritate eſculentorum.*
V. *De alimentis aliorum inſalubritatem corrigentibus.*
VI. *De potulentorum ſalubri ac inſalubri natura.*
VII. *De moderatione in victu optima ſanitatis conſervatrice.*
VIII. *De excretionibus ad vitæ ac ſanitatis tutelam neceſſariis.*
IX. *De motu optimo ſanitatis præſidio.*
X. *De quiete & ſomno.*
XI. *De diæta robuſtorum & imbecillium.*
XII. *De diverſa ratione temperamentorum, ætatum ac temporum anni diæta.*
XIII. *De diæta ſexui convenienti.*
XIV. *De conſuetudinis in tuenda valetudine efficacia.*
XV. *De remediis ad ſanitatem tuendam morboſque præcavendos accommodatis.*

PROLEGOMENA
DE
MEDICINÆ
NATURA, FUNDAMENTIS,
ET PRINCIPIO DEMONSTRANDI.

CAPUT PRIMUM.

De Medicina ejusque natura.

§. I.

AD prolegomena cujuscunque scientiæ rite & ordine tractanda pertinet, cum illius rei, de qua agitur, realem definitionem præmittere, tum principia indicare, ex quibus solida scientia hauriri possit.

§. II.

Medicina est rerum salubrium & insalubrium scientia, qua corporis humani vitam ac sanitatem, quantum fieri potest, conservamus, vel eam amissam convenientibus remediis restituimus.

Scholion.

Definitio hæc est realis, quia intimam artis medicæ naturam ac genium explicat, qua scimus, quid medicus & scire & agere debeat, item in quo ejus officium sit positum. Quæ vulgo afferri solent medicæ artis definitiones, à fine tantummodo desumtæ, minus rem exhauriunt.

§. III.

Medicus itaque appellatur is, qui recte, quæ homini ad vitæ ac sanitatis tutelam morborumque cúrationem salubria, vel viciſſim insalubria sunt, judicat.

§. IV.

Quia sanitas & vita hominis res tam magnifica, pretiosa & optabilis est; medicus in hoc negotio nihil sine solida ratione agere vel moliri debet.

Scholion.

Non sufficit, medicum omnia ea, quæ fiunt, recensere posse, sed etiam rationes dare ac demonstrare debet, quod, & cur hæc, in hoc, vel illo casu, salubria, vel insalubria sint? Unde apparet, medicinam recte definiri scientiam.

§. V.

Quia medicina non tantum in scientia eorum, quæ obsunt & prosunt, consistit; verum etiam horum usum & applicationem desiderat: hinc recte in theoreticam & practicam dividitur.

§. VI.

Sicuti theoria est scientia omnium eorum, quæ ad corpus humanum, sive sanum, sive morbis obnoxium, adeoque restituendum, pertinent: ita praxis est prudentia, recto ordine, tempore ac dosi remedia, pro cujusvis corporis & morbi ejusque caussarum conditione, applicandi.

Scholion.

Medicus in theoria magis universalia tractat, functiones partium, causas vitæ ac sanitatis explicat, & quibus remediis, qua ratione victus, quo vivendi genere hæc tuenda sit, saluberrimas præscribit regulas; tum & in singulorum morborum causſis & symptomatum rationibus investigandis, & quibus remediis tolli debeant, occupatus est. In praxi vero magis specialiter & quoad individua agit, & ipsa corpora corporumque naturam, robusta sint, an imbecilla, quæ ætas, quæ consuetudo, quis habitus corporis, qualis functionum s. & p. n. status? scrutatur, & secundum has admodum variantes circumstantias, cum judicio & diligentia, tam diætetica, quam pharmaceutica præsidia, dosi, ordine ac tempore debitis, adhibet atque disponit. In theoria omnes; ad lectum vero pauciores sanitati redduntur.

§. VII.

Quum medicus nec scienter, nec prudenter agat, si veras morborum causas, rationes symptomatum & cujusvis corporis naturam ignoret, neque remediorum vires modumque operandi ac medendi ordinem intelligat: hinc videmus, eam demum theoriam, quæ ex praxi atque experientia desumta est, & quæ historiis morborum explicandis accommodari potest ipsamque experientiam postea reddit rationalem, recte dici medicam & esse optimam.

§. VIII.

Theoria medica, nec ſolida, nec fundamentalis eſt abſque doctrina phyſica, quæ accurationem omnium rerum naturalium, quibus homo perpetuo ad vitam & ſanitatem indiget, cognitionem affert, & absque anatome, quæ intimam corporis noſtri ſtructuræ notitiam ſuppeditat.

Scholion.

Alioquin duo medicinæ oculi, anatome & aſtronomia, habiti fuerunt. Hujus vero, quia prope nulla in re medica utilitas eſt, hinc rectius ei phyſicam ſubſtituimus, ſic tamen, ut chymicam & mechanicam ſcientiam ſimul complectatur. Quicunque itaque medicorum his oculis deſtituitur, is profecto cœcus tantum per caliginem palpat. Nam omnes rationes, quas medicus unquam affert, niſi phyſicæ vel anatomicæ ſint, ut nudæ ſpeculationes & cerebri figmenta haberi debent. Rectius itaque medicus philoſophus per cultrum & ignem à quibusdam dicitur.

§. IX.

Per phyſicam non veterum ſcholaſticam nominalem, qua nihil explicatur & mera nomina grande ſonantia pro cauſis afferuntur; ſed realem & quæ uſui eſt, intelligimus, quæ vires, proprietates corporumque effectus variis experimentis, videlicet mechanicis, chymicis, anatomicis inquirit, eorumque cauſas non ex principiis abditis & incertis, ſed manifeſtis, corporum videlicet diſpoſitione, ſitu, nexu & motus natura ac legibus, & mutua eorum inter ſe actione & reactione, derivat; unde hodierna philoſophia merito experimentalis appellatur.

§. X.

Medicina in quatuor partes rectiſſime diſpeſcitur, I.) in *Phyſiologiam*, quæ ſcientia eſt corporis noſtri, quatenus vivum ac ſanum eſt. II.) in *Hygieinen*, quæ tradit præcepta ad vitæ ac ſanitatis tutelam neceſſaria. III.) in *Pathologiam*, quæ ſcientia eſt corporis noſtri, quatenus varie læditur morbisque fit obnoxium, qui ex certis ſignis & dignoſcuntur, & dijudicantur. IV.) in *Therapeuticen*, quæ regulas, leges ac methodum medendi, tam internis, quam externis humani corporis vitiis, docet.

Scholion.

Secundum ſcholas in quinque partes huc usque medicinam diviſam eſſe, atque Hygieinen quartum inter eas locum occupaſſe, novimus. At nos, melioris ordinis & connexionis cauſa, quatuor tantum partes admittimus, & phyſiologiæ, quæ corporis humani ſtructuram ejusque uſum, ad vitæ & ſanitatis negotium explicat, mox ſcientiam tuendæ valetudinis ſubnectimus, ut quomodo & quibus mediis, veluti convenienti alimentorum, aëris ac eorum, quæ excernenda ac retinenda adjuvent, uſu, ea ſervanda ſit appareat. Quum enim ex horum demum neglectu cauſarum morbificarum origo ſubnaſcatur: pathologiæ præmittendam hanc doctrinam eſſe judicamus. Neque ſemioticam diſtincte tractandam cenſemus, quia ſymptomata morborum, quæ in pathologicis tradi debent, ſigna dignoſcendi, ægritudines & earum eventus prænoſcendi miniſtrant.

CAPUT II.

De Artis Medicæ Fundamentis.

§. I.

DAntur in rerum natura corpori noſtro ſalubria & inſalubria, quæ proſunt, vel obſunt: & hoc ipſo artis medicæ exiſtentia ſatis probata eſt.

Scholion.

Utitur hoc argumento vetuſtiſſimus auctor *Hippocrates* ad artis noſtræ exiſtentiam demonſtrandam, in libro *de arte* §. *VI.* ubi ita ſcribit: *Sunt nihil minus ea, quæ damno fuerunt, quam ea, quæ opem tulerunt, in teſtimonium arti, quod ars ipſa ſit. Quæ enim profuerunt, ob rectum uſum profuerunt, quæ vero nocuerunt, ob id, quod non recte uſurpata ſunt, nocuerunt. Atqui ubi rectum & non rectum utrumque ſuum finem habet, quomodo quis hoc artem eſſe neget?*

§. II.

Medici itaque præcipuum officium eſt, ut ſalubria ab inſalubribus, tam quoad ſanitatem conſervandam, quam reſtituendam, diſcernat iisque recte utatur.

Scholion.

Nihil amplius deſideratur à medico, quam ut proponat ea, quæ ſaluti ſunt, ad uſum: & iis, quæ noxia ſunt, interdicat. Quapropter in iis certo niti fundamento oportet, quæ certitudo tamen ſine principiis claris, ex quibus ea fluant, haberi nequit. Quæ vero theoria vel hypotheſis medicorum ad hunc ſcopum directe non tendit, & rationes ſalubritatis & inſalubritatis rerum, pro tanta varietate corporum, clare reddere non poteſt: eam pro ingenii ſpeculabundi fœtu ac nullius in adjuvanda hominum ſalute fructus atque momenti agnoſcimus; ſicuti eſt illa, quæ non ex principiis phyſico-mechanicis & anatomicis, ſed magis ex pneumaticis & moralibus philoſophatur.

§. III.

Sicut vero omnes vires corporum nunquam abſolutæ ſunt, ſed relative ſemper, conditionate & limitate ſe habent: ita etiam nulla dantur ex alimentorum, vel medicamentorum claſſe, quæ abſolutè, id eſt, ſua natura ac ſemper, ſalutaria, vel noxia ſunt, ſed reſpectus ſemper corporis humani & diverſæ ejus naturæ eſſe debet. Neque enim certa quædam & eadem ſemper virtus idemque effectus ineſt remediis, utpote quæ ad nocendum, æque ac adjuvandum, promta ſunt, ſed is demum ex actione, remedii, & reactione, quæ eſt in corpore ejusque diſpoſitione, reſultat.

Scholion.

Fundamentum pernicioſiſſimæ empiriæ medicæ eſt, quod vulgus falſam hanc perſuaſionem imbiberit, dari certam medicamentorum efficaciam, ad quendam morbum vincendum potentem. Hac ducti opinione, ſine ullo reſpectu ad corporis naturam & vires, illis utuntur. Et delinquunt in eo frequenter docti alioquin medici, quod ſemel, vel iterum, dextro à dato remedio annotato effectu, ſpecificam & perpetuam adverſus hunc morbum efficaciam ei ineſſe credunt, & ſimili recurrente morbo, etiam non iisdem plane circumſtantis ſtipato, idem propinant. Ita, quum à cortice chinæ ſalutaris in tollendis intermittentibus aliquoties viſus fuerit effectus, mox pro univerſali remedio, incredibili tamen mortalium damno, is habitus eſt ad febres fugandas. Idem fieri in ceteris fere omnibus, indies, non ſine gravi dolore & detrimento, obſervamus.

§. IV.

Solidæ igitur & rationalis medicinæ cardo in eo unice vertitur, ut alimentorum & medicamentorum vires atque effectus, ſecundum differentiam corporum, quæ maxima eſt, addiſcamus, quæ res non eſt cujusvis hominis, nec tam facilis, quam quidem vulgo putatur.

§. V.

Hanc vero doctrinam longe utiliſſimam ut aſſequamur, duobus opus eſt ſubſidiis, quæ ſola & genuina fundamenta veritatis & certitudinis in arte medendi ſunt, quorum unum EXPERIENTIA, alterum RATIO appellatur.

§. VI.

Per experientiam non intellectam volumus illam temerariam & fallacem imperitorum, dum protinus fauſti, vel infauſti, à remedio aſſumto obſervati ſucceſſus cauſam,

cauſam, dato remedio adſcribunt, nullo habito ad individuum, vel ad alias circumſtantias & cauſas concurrentes, reſpectu.

Scholion.

Fallit talis experientia, quia nimis præcipitanter annotatus effectus, remedio, tanquam cauſæ adæquatæ & ſoli, adſcribitur: & ab hac judicandi præcipitantia tot tantæque practicorum diſſenſiones oriuntur, dum quidam certum remedium in morbis ad cœlum extollunt, alii ad orcum uſque deprimunt, ſinguli autem ad experientiam confugiunt.

§. VII.

Vera experientia naſcitur ex compluribus obſervationibus, magna diligentia, attentione & cura notatis, quæ integram morbi hiſtoriam, cum omnibus ad rem pertinentibus circumſtantiis, complectuntur, unde medicarum obſervationum ſumma patet utilitas.

§. VIII.

Quia vero experientia, quæ obſervationum copia acquiritur, valde difficilis & longiſſimi demum temporis filia eſt, cum corpora humana mirifice, pro diverſitate virium, climatum, temporum anni, victus, conſuetudinis, ætatis, temperamentorum innatæque diſpoſitionis diſſideant, ea propter ſola experientia inſufficiens & difficillimum eſt artis principium; alterum itaque, ſeu fulcrum, ut adjungatur, videlicet ratio, neceſſarium eſt.

Scholion.

Spectat huc *ſect. I. aphor. I. ars longa, vita brevis, experientia fallax, judicium difficile.*

§. IX.

Per rationem hoc loco non tam rectum medici judicium, ſive ſubactam recte concludendi facultatem, quæ utique ſemper ut veritas eliciatur neceſſaria eſt, quam potius veram & realem, non nominalem, quæ ſcholaſticorum eſt, theoriam medicam, intellectam volumus.

§. X.

Theoria medica vera eſt rationalis & demonſtrativa explicatio eorum, quæ in hiſtoriis morborum continentur & quæcunque per alimentorum, æque ac medicamentorum & rerum naturalium vires, ut ſanitas conſervetur & morbi propulſentur, poſſibilia ſunt.

Sholion.

Rationalis ac demonſtrativa effectuum per cauſas explicatio fit, ſi quis ex indubiis principiis, ceu primis veritatibus, apta & ſyllogiſtica connexione incognita deducit; explicat more ac methodo geometrarum, qua in demonſtrationibus ſuis uti conſueſcunt. Nam geometræ, ipſe quoque *Euclides*, ſi rem probe perpendimus, non alia ad demonſtrandas veritates uſi ſunt methodo, quam rerum ordine & ſyllogiſmorum ſerie ac connexione. Sed hanc methodum ſcribentibus laborioſam & difficillimam, legenti facillimam eſſe, quilibet harum rerum gnarus noverit.

§. XI.

Medicus, veram theoriam callens, ex morborum hiſtoriis completis, id eſt, quæ totum morbi curſum complectuntur, primo morbi origines ac cauſas ejuſque indolem ac ſymptomatum generationem inveſtigat atque explicat: ex his cognitis deinde indicationes ſibi format, quid faciendum vel omittendum ſit: tum quæ remedia, ipſi prius probe cognita, quo ordine, qua doſi & tempore ſint adhibenda, proponit: & poſthæc rectum de morbi eventu judicium in medium profert. Et hæc methodus maxime locum habet in conſiliis dandis.

§. XII.

Medicus, bonus theoreticus, ex accuratioribus obſervationibus multum ſapit, maxime vero ex his medicamentorum vires atque effectus exquiſitiſſime, pro corporum & circumſtantiarum diverſitate, inveſtigat. Tum ex particularibus & pluries obſervatis, univerſalia

præcepta ac regulas medendi ſibi colligit, neque minus ex nocumentis documenta & cautiones comparat utiliſſimas.

§. XIII.

Vera igitur theoria medica eſt fundamentum ac clavis certæ, ſecuræ ac facilis praxeos. Hac promte ſcimus, quid in morbo, etiam novo & inſolito agendum, vel omittendum, aut promittendum ſit, ne unquam noceamus, ſi prodeſſe non poſſumus, ac aliorum medicorum errores facile cognoſcimus, hac denique ſecuriorem medendi viam in difficilioribus morbis invenimus.

§. XIV.

Character itaque ſolidæ ac veræ theoriæ medicæ eſt, ſi quis ea uti poſſit ad praxin, quod fit, ſi hiſtorias morborum, quoad omnes circumſtantias, rite ac debito ordine ex ea evolvere, explicare ac demum utiliſſimas in praxi concluſiones inde derivare & conſilium medicum firmum ac fundatum dare valet.

Scholion.

Ex his clare intelligitur, quam erronea ſit communis illa ſententia, bonum theoreticum eſſe malum practicum. De perverſa theoria valere illud concedimus, vera autem & ſolida practicum, & ſolidiſſimum, & feliciſſimum reddit. Et qui caret hac, ſolidus & peritus practicus nunquam evadet, etiamſi per centum annos artis opera exerceat.

§. XV.

Nemo exquiſitam veræ theoriæ medicæ cognitionem ſibi vendicare poteſt, niſi corporis humani, ratione ſtructuræ, exactam & intimam habeat notitiam; deinde, niſi rerum, quæ illud mutare poſſunt, vires cognitas ac perſpectas habeat. Illud anatome, hoc phyſica doctrina, quæ potiſſimum ex mechanicis & chymicis experimentis depromta eſt, & maxime omnium annotata experimenta medico-practica, pandunt.

Scholion.

Ex diligenti inſpectione & penitiori ſcrutinio fabricæ corporis noſtri, ſanitatis & vitæ cauſæ, & quare corpus, in ſe ad corruptionem pronum, internis ſolidorum ac fluidorum motibus, ab ea vindicetur, manifeſtæ fiunt, quibus cognitis, longe jam eſt facilius in mortis & morborum cauſas haſque præſcindendi rationem penetrare. Accedit, quod medicus, ex frequenti & circumſpecta eorum, qui morbis extincti ſunt, ſectione, non modo mortis, ſed & morborum cauſas lethales addiſcat; quarum inſtructus cognitione, eas poſtea convenientibus remediis tanto facilius avertere & amoliri poteſt. Et quia medicus externis partium vitiis ſæpius ipſe manum adhibere debet, utique neceſſe eſt, ut, ſi id cum ratione peragere velit, omnium partium, præſertim nervorum, vaſorum, muſculorum, tendinum ſitum, connexionem, uſum atque conſenſum, tanquam digitos ſuos, in numerato habeat.

§. XVI.

Quoniam nemo vivere, vel ſanitatem ſine alimentis, ſine elementis, ſine excretis & retentis, ſine ſomno & motu tueri, neque ſine his aptiſque remediis amiſſam valetudinem recuperare poteſt; quia porro omnes morbi, ceu perverſæ actionum corporis mutationes, externis & non naturalibus rebus ſuam maxime debent originem: hinc per ſe patet, medico phyſicam ſcientiam ſumme eſſe neceſſariam, ut hac ipſa vires, proprietates & effectus rerum corporearum, in mutando corporis noſtri ſtatu, à priori juſta demonſtratione ac fundata ratione inveſtiget.

§. XVII.

Neglectus itaque anatomici & phyſici ſtudii, cauſa eſt indubia omnium errorum ac diverſiſſimarum adeoque incertarum opinionum, ſectarum & diſſenſionum, tam in theoria, quam in praxi medica.

Scholion.

Turpe eſt, medicinam nonniſi ſectis, quæ ex minus certis, imo dubiis opinionibus, & de quibus adhuc diſputatur, ortæ ſunt, huc uſque innixam fuiſſe: cum tamen vita ſit res omnium pretioſiſſima. Quare eo laborandum eſt, ut veris & inconcuſſis principiis ſtabiliatur.

CAPUT III.

De variis ſectis & opinionibus Medicorum.

§. I.

VEteres accurata corporis humani & rerum phyſicarum, quæ illud mutandi facultate pollent, notitia deſtituti, etiam vera ac rationali theoria medica carebant, unde in varias ſentiendi ac medendi vias diſceſſerunt. Atque adeo anatomes ac phyſices veræ ignorantia, tot ſectarum & opinionum cauſa omnino genuina fuit.

§. II.

Antiquiſſimi medicorum, notitia corporis humani & cauſarum morbi inſuper habita, artis certitudinem in ſenſuali ac evidenti cognitione, ſive experientia eorum, quæ in morbis profecerant, vel nocuerant, unice collocabant, evidentes vero morborum cauſas, ut frigus, calorem, famem, ſitim, intemperantiam animique affectus admittebant, & hi *empirici* vocabantur.

Scholion.

In eo laudem merentur empirici, quod ſenſualem ac evidentem cauſarum cognitionem urſerunt, abditas potiſſimum negligendo, quarum nec curatior quidem inveſtigatio, medico utilis vel neceſſaria admodum eſt. Et de his quoque perpetuum inter medicos & philoſophos eſt litigium. Intimæ enim rerum naturæ ac cauſæ, quæ virium & proprietatum in corporibus fontes ſunt, intellectus noſtri vim ferme in totum tranſcendunt. Longe itaque facilior ac tutior philoſophandi in rebus medicis via eſt, proprietates tantum & vires rerum, mutuis actionibus atque effectibus inveſtigare, idque optime fit experimentis phyſicis, chymicis, mechanicis, medico-practicis. Sic experientia recte conſtituta, recte experientiſſimi nominantur medici. At vero quia veteres & genuinam inveſtigandi vires corporum methodum per experientiam ignorabant, mutuas corporum relationes, ex quibus demum verus effectus judicandus eſt, non attendendo: hinc eorum experientia minus ſolida ac firma, ſed fallax & dubia habenda eſt.

§. III.

Alii, cum viderent, ſolam experientiam ad certitudinem artis minus ſufficere, cauſarum non modo evidentium, ſed & abditarum notitiam atque rationes, in applicandis remediis, urgebant; hinc diſſectionem corporum & rerum naturalium ſcrutinium in auxilium vocabant, & hi dicebantur *rationales*, quorum facile princeps fuit *Hippocrates*.

Scholion.

Urgebant quidem olim rationales medici, & anatomicum, & phyſicum ſtudium, tractandæ medicinæ eſſe utile, horum vero convenientem tractationem ignorabant. Siquidem manifeſtas & ſenſui propinquas, quas phænomena & experimenta ſubminiſtrant, cauſas negligebant, eas vero, quæ & rationi & ſenſibus occultæ ſunt, proſequi cœperunt. Unde vix alia, quam ſterilia nomina & figmenta in rem medicam atque phyſicam irrepſerunt, & infeliciter, quod peſſimum, pro rerum veris cauſis venditata fuerunt. At vero exquiſitior rerum naturæ cognitio eſt quoque ad verum anatomiæ uſum perquam neceſſaria, utpote phyſicæ ſcientiæ adminiculo, ea quæ ſenſu cognoſcuntur in corporum abditis, explicantur, & uſus fabricæ partium corporis inveſtigatur rectèque recluditur. Hinc facile apparet, ſine phyſica doctrina & anatomicum ſtudium non multum juvare, ſed truncum & mancum eſſe atque olim fuiſſe.

§. IV.

Quidam, ſpretis omnibus aliis, notitiam cauſarum proximarum morbificarum in praxi unice urgebant & has triplices eſſe dicebant, laxum nempe, ſtrictum & ex utroque mixtum, eamque ob cauſam triplices tantum medendi indicationes & fontes curandi ſtatuebant: ſtrictum ſcilicet eſſe laxandum, laxum vero roborandum, &, ſi neutrum fuerit, utroque modo faciendum, judicabant. Et hi medici, ob hanc compendioſam & brevem methodum, dicti fuerunt *methodici*, cujus ſectæ auctores *Themiſon Laodicenus* & *Theſſalus Trallianus* celebrantur.

Scholion.

Indicationes curandi utique ſunt paucæ & ſimplices, quia à pauciſſimis & ſimpliciſſimis cauſis morbi oriuntur. Hinc vires quoque medicamentorum à paucioribus proprietatibus pendent, eæque ad paucas claſſes reduci poſſunt. Inque eo laudanda erat methodicorum intentio; ſed quia phyſices ac anatomes ſtudio carebant, neque vires remediorum experientia practica rite conſequi poterant, neque vitæ, neque mortis, neque ſanitatis & morborum naturam, nec veras formare indicationes ac remediorum vires recte intelligere poterant. Ceterum de origine & auctoribus ſectarum in medicina legi merentur *Plinius in Hiſt. Nat. L. XXIX. C. II. Cælius Aurelianus L. I. C. 31. Corn. Celſus in præfatione operis ſui & Petrus Caſtellanus*, adde *Conringii introductionem in medicinam*, nec non *Barckhuyſen hiſtoriam medicinæ*.

§. V.

Galenus, anno poſt Chriſtum natum CXL. *Ariſtotelis* phyſica principia, quatuor elementa & ex his productas temperies ac intemperies, quatuor qualitates ac humores, infelici tamen ſidere, in medicinam induxit, quem κατ' ἐξοχήν, ad ſeculum fere decimum ſextum, plerique Arabes, Græci, Latini, Itali, Hiſpani & Germani ſecuti ſunt.

Scholion.

Non incongrue medicina in nominalem & realem diſtinguenda videtur. Illa, quæ veterum fuit, in allegandis rerum veris cauſis, tantum nominibus & compluribus diſtinctionibus nihil ſignificantibus contenta eſt, & loco proximarum & ſenſui ac rationi manifeſtarum cauſarum, ad potentias quaſdam ſpirituales, morales, ad ens interno ſenſu & cognitione præditum, vel in occultioribus ad ipſum Deum, vel dæmonem, confugit. Realis vero, quæ potiſſimum noſtri ſæculi eſt, in ipſis rebus earumque natura indaganda ſapere intendit, atque effectuum cauſſas maxime proximas, ſenſui ac rationi obvias, inquirit, ſpretis omnibus inanibus ac nihil ſignificantibus nominibus atque principiis. Sicut vero nominalis medicina, quæ eſt plurimorum veterum, maxime *Galeni*, jure ſcholaſtica & phantaſiæ tantum filia eſt, rebuſque explicandis & inveniendis minus idonea: ita recentiorum, magis realis & experimentalis, ad uſum & praxin magis accommodata eſt, magiſque obſervationis, meditationis, judicii ac rationis res exiſtit.

§. VI.

Circa exitum ſeculi decimi ſexti prodiit in Germania *Paracelſus*, qui, repudiatis Ariſtotelicorum elementis, principia chymica, ſal, ſulphur & mercurium, aſtrorum quoque potentias & influxus, in medicinam introduxit: chymica quoque, per ignem præparanda pharmaca, in praxin invexit, de quibus mire gloriatus eſt.

Scholion.

Scholion.

Neque *Paracelſi* principia, quæ ignis plus, quam naturæ producta ſunt, ullam lucem medicinæ accendebant, ſiquidem nec vitæ ac ſanitatis, nec morborum negotio coſque curandi ſcopo, poterant accommodari. Tacemus inſulſas illas ſuperſtitiones & miras arcanorum & ſpecificorum, ex minerali potiſſimum regno petitorum, jactationes, quibus plus artis noſtræ excellentiæ detraxit, tantum abeſt, ut eam perfecerit.

§. VII.

Seculo decimo ſeptimo *Helmontius* prodibat, qui Philoſophus per ignem appellari volebat. Hic etiam repudiatis maxime Galenicorum ſcitis ac placitis, in homine ac animantibus internum motus ac ſenſus vitalis quoddam principium conſtituebat, quod archeum nominabat, qui cum vitæ, tum morborum ac medicationum, omniumque actionum in homine cauſa ac fons eſſet. Omnes vero alias cauſas, etiam morborum, nec non remediorum vires, per ſe mortuas atque deſides, cum nec ſe, nec aliud quicquam movere poſſint, judicabat: ſed tantummodo has eſſe occaſionales aſſeverabat, quibus archeus excitaretur, ut vel inde expaveſceret, vel excandeſceret, aut ſedaretur, vel aliis modis afficeretur. Ceterum multum ſecutus eſt *Paracelſum* & ab eo tradita ſcriptis ſuis inſeruit. Nimium tamen paradoxis ſtuduit nimisque fuit credulus, & loco cauſarum manifeſtarum, multa rationis entia, ſpecioſa nomina, ideas, ſemina, fermenta, occultum animæ regimen, duumviratum & id genus plura, in medicinam introduxit & jure medicinæ idealis & pneumaticæ conditor dicendus.

Scholion.

In eo quidem non culpandus *Helmontius* eſt, quod in corpore humano causã vitæ, mortis, morborũ & ſanationis, item motuum ac ſenſuum, quæſiverit & ſcholas Galenicorum deſtruxerit: in hoc tamen aberravit, quod cauſis morborum, item rebus externis, videlicet alimentis, elementis remediisque, omnem actionem, motum & influxum in corpus, denegavit, archeo autem ſenſum internum vitalem, quo diſcernat, quaſi per occaſionem, noxia vitæ ab innoxiis, item pavorem, timorem, iram adjudicavit. Nam poſito ejusmodi principio & rejecta rerum externarum & corporearum vi activa, corruit omnis uſus anatomici ac phyſici ſtudii, cum tamen absque eo theoria medica plane ſit fictitia minuſque rationalis. Neque video, ſi omnes vires mortuæ ſunt, quomodo ſalubris vel inſalubris rerum uſus & abuſus adſtrui & recte explicari poſſit. Neque intelligo, quo pacto ignis, frigidi, humidi, aeris ejusque gravitatis & elateris, nec non ſalium & ſulphureorum, quorum vis in corpus noſtrum, ipſius motus & functiones mutandi, ſumma eſt, operationes, explicare ex hoc fundamento poſſimus.

§. VIII.

Superiori ſæculo egregius ex Germanis medicus, & omni laude major *Daniel Sennertus* exſtitit, qui ex Græcis, Arabibus, Italis & Gallis meliora dogmata & ſalutaria artis præcepta ſelegit, inque ſyſtema univerſam medicinam redigere & præcipue conſenſum Galenicorum cum chymicis ſtabilire allaboravit: idque non ſine magno orbis medici applauſu. Is igitur primus inter philoſophos & medicos Germaniæ eclecticus merito haberi poteſt.

§. IX.

Eodem etiam ſæculo prodiit *Takenius* aliique plures, qui ex ſale acido & alcali, quorum proprietates ac vires noxias & utiles primus fere in rem medicam *Helmontius* introduxerat, præcipuas morborum cauſas ac fundamentum curandi deduxerunt.

§. X.

Non multo poſt in Belgio ſurrexit *Sylvius*, qui novam medicis ſcholam aperuit, & ex manifeſtis cauſis agere cœpit, quum ex acido, bile & pituita, omnium morborum cauſſas deducere, & remediorum vires, adverſus acidum & bilis acrimoniam, vel inertiam, pugnantes, demonſtrare niſus eſt: inque Belgio & Germania plures ejus doctrinam, ut fieri in novis rebus aſſolet, ſequuti ſunt.

§. XI.

Carteſianæ philoſophiæ addicti medici, quorum principes fuerunt *Craanius*, *Bontekoë*, *Regius*, *Blancardus*, inter Germanos *Waldſchmidius*, ſumma ope anniſi ſunt acidum & viſcidum, & inde enatas obſtructiones, pro cauſis morborum univerſalibus obtrudere, omnemque morbis medendi rationem in fluiditate ſanguinis ejusque circulo per congrua medicamenta conſervando, poſuerunt, contemtis fere purgantibus, acidis ſanguinisque miſſionibus; plethoram quoque ex morbidarum cauſarum claſſe ejicere conati ſunt.

Scholion.

Inſufficientiam acidi & alcali, pro ſtabiliendis rerum naturalium principiis *CL. Bohnius* oſtendit. Acidi vero & viſcidi pro aſſignandis morborum omnium cauſis, item alcali fluidi, pro iisdem amoliendis, inſufficientiam, nos peculiari olim diſſertatione epiſtolari edita anno CIↃIↃCLXXXIX. evicimus.

§. XII.

Poſtquam res tam medica quam phyſica, ob circulum ſanguinis, divinum illud & incomparabile ad veritates medicas ſtabiliendas & aſſerendas inventum, item ob philoſophiam chymicam & mechanicam experimentalem, nec non ob præſtantiſſima multa alia inventa anatomica, maxima cepit incrementa: phyſica etiam corporis humani longe cultior ac perfectior reddita eſt, ſolidior tamen pathologia & huic ſuperſtructa therapia adhuc in deſiderio fuerunt. Nam plurimi recentiorum adhuc, in explicandis morborum cauſis, nimium potentiis materialibus, v. gr. ſalibus, acribus, acidis, cauſticis, item fermentis ac texturis materiarum fere inexplicabilibus, ſpreto motuum, circuli ſanguinis, nec non ſecretionum atque excretionum, ad recuperandam ſanitatem ſumme proficuarum & neceſſariarum, item circuli ſanguinis uſu, inhærent: adeoque cauſarum verus nexus cum indicationibus curativis multum hactenus neglectus fuit.

§. XIII.

Attenta obſervatione diſcimus, motum omnium mutationum in corporeis cauſam eſſe, atque motu quoque vitæ ac ſanitatis fundamentum contineri, ipſas morborum cauſas vix alio modo, quam motu, in corporis noſtri ſolidas & fluidas partes agere, neque medicamenta aliter, quam motu, operationes exſerere. Qua de cauſa in explanandis medicis rebus inque remediorum viribus explicandis, ad motum principaliter, deinde ad mobile, ſive diſpoſitionem corporum ipſasque vias, reſpiciendum eſſe exiſtimamus. Quoniam vero mechanices ſcientia diſpoſitionem corporum ad motum atque hujus naturam, cauſas, leges atque effectus clare docet & explicat, iisdemque principiis & ratiociniis ex mechanica deſumptis, præſtantiſſimi medici in cauſarum explicatione uti conſueſcunt; ideo, hæc tractandi medicinam methodus, hodie mechanica recte appellatur.

Scholion.

Hanc mechanice medicinam tractandi methodum, quæ quam maxime anatomicæ & veræ phyſicæ ſcientiæ ſuperſtructa eſt, præſtantiſſimi ævi noſtri medici, in Italia *Bellinus*, *Borellus*, *Malpighius*, *Michelotti*, *Santorini*, *Ramazzinus*, *Baglivus*, *Lanciſius*, *Bianchi*, in Belgio & Britannia, *Pitcarnius*, *Freindius*, *Keil*, *Albinus*, *Boerhaaven*, in Germania, *Bohnius*, *Brunnerus*, *Camerarius*, *Scheuchzerus*, *Bergerus*, *Vaterus*, *Zvvingerus*, *Nebelius*, *Paulli*, *Schaperus*, aliique hinc inde egregrii viri, magno cum applauſu artisque incremento amplexi ſunt.

§. XIV.

Mechanicæ medicinæ contrarii videntur ii, qui artificioſam quidem partium in corpore ſtructuram negare nequeunt, ſed admittere coguntur, materiam tamen omniaque corpora in ſe & ſua natura paſſiva & omnis actionis ac motus expertia, tantum ut inſtrumenta motuum conſiderant, unde, ut ab alio movente, quod principium motus in ſe habeat, actuentur, dijudicant, rebus etiam phyſicis & externis cauſalem efficaciam faciendi, immutandi ac deſtruendi corporis noſtri motus, denegant. In homine vero illud principium, quod vitæ, ſanitati & morborum curationi præſit, naturam, vel animam vitaliter agentem appellant, cujus actiones non ex principiis & modis agendi mechanicis, ſed rectius ex morali quadam æſtimatione explicari autumant.

Scholion.

Infeliciſſimum hoc in philoſophicis dogma, materiam in ſe & ſua natura eſſe ens mere paſſivum & ab alio ente activo actuandum, complures erroneas, in re philoſophica pariter & medica, omni tempore peperit opiniones: ſiquidem alii credebant, Deum eſſe motus cauſam, alii ſpiritum, animam, vel naturam ſubſtituebant. Ex prima aſſertione multa abſurda ipſumque fundamentum Spinoziſmi, fluunt, ſicuti id latius deduximus in *diſſ. de univerſali agente in corporibus*, item in *diſſ. de potentia diaboli in corpora*, nec non *de natura morborum medicatrice mechanica.* Qui vero mera tantum nomina pro cauſſis motuum, nec quicquam reale, vel demonſtrativum afferunt; ii nihil quod concipi poſſit, vel ad praxin utile ſit, explicant. Res potius ita ſe habet. Infinita Dei potentia produxit ſubſtantias agentes, ſeu viribus activis inſtructas, quæ ſint fontes operationum atque effectuum in aliis. Quid enim creatura, vel ſubſtantia mere paſſiva, ſine actione vel operatione eſt? certe nihil. Sicuti vero ſubſtantiæ, vel in intelligentes & libere agentes, vel in moventes, mobiles, ſive reſiſtentes atque ex neceſſitate agentes, optime diſtinguuntur, quarum priores ſpiritus, poſteriores corpora appellantur: ita & vis intelligens libereque agens, ſpiritibus, movens autem & ex neceſſitate agens, corporibus, ſubſtantialis & eſſentialis aſſignatur. Atque adeo non opus eſt, pro his peculiare agens, fingere, ſiquidem omne corpus eſt agens, & in perpetuo niſu ad motum, vel in motu, unum in alterum agit ac reagit, & mutationem, licet non ſemper ratione loci, producit. Has vires ratione effectuum quos in aliis edunt, obſervat mechanicus & menſurat geometra, quia effectus certi ſemper ex certis cauſis neceſſario ſequi debent. Igitur res externæ, elementa, alimenta ac medicamenta, quibus nec ullus hominum, vel medicorum carere poteſt, agunt in corpus noſtrum ipſique neceſſarias mutationes inferunt. Non negandum tamen eſt, mentem quoque in corpus agere & animam ſenſitivam illud turbare poſſe; ex his tamen minime conſequitur, omnes actiones, præſertim vitales & naturales, in corpore noſtro à mentis, vel animæ directione, dependere.

CAPUT IV.

De optima Hippocratis medica diſciplina.

§. I.

PRæſtantiſſimam medicinæ tractandæ diſciplinam, primus, iſque veruſtiſſimus parens, *Hippocrates*, in monumentis ſuis poſteritati tradidit.

§. II.

Graviſſimus hic auctor maxime urgebat, ad perficiendam artem in obſervando & annotando diligentiam, ut conſtat ex ejus *libris epidemiorum*, *de morbis & affectionibus.*

§. III.

Ex ſæpius obſervatis regulas univerſales, ſeu aphoriſmos concinnabat, ut in ſimilibus caſibus eximius eorum exſtaret uſus, ſicuti teſtes ſunt ejus omni laude majores *ſectiones VII. aphoriſmorum.*

§. IV.

Idem ſtudium anatomicum medicinæ ſumme neceſſarium judicabat, de quo *libri de corde*, *oſſium natura*, *venis*, *humoribus*, *genitura*, *principiis & carnibus*, *item de glandulis ac de natura humana*, teſtes ſunt.

§. V.

Exquiſitum rerum naturalium ſtudium penſi habebat: cujus teſtimonium præbent *libri de flatibus*, *de locis in homine*, *de alimentis*, *aëre*, *aquis & locis.*

Scholion.

Siquidem ex variis præcedentibus tempeſtatibus temporumque mutationibus, regionum ſitu, ſoli natura ac indole, terræ exhalationibus, aquarum qualitate & diverſa victus ratione, graſſantium ac popularium morborum cauſas tanta ſagacitate deducebat, ut certis etiam regionibus ac naturis hominum imminentes morbos potuerit prædicere.

§. VI.

Naturarum & corporum diverſitatem magna cura commendabat, quare in medendo circumſpicere jubebat, imbecilla an robuſta corpora, quis ſexus, quæ ætas, quæ vires, qualis temperatura, habitus corporis, conſuetudo vel hæreditaria diſpoſitio ſint?

§. VII.

Scientiam præſervatricem, qua nihil aut præſtantius, aut optatius eſt, excoluit.

Scholion.

Unde ſingulari ſtudio *libros tres de diæta*, item *de alimentis*, *humidorum uſu & ſalubri diæta*, compoſuit, inque morborum curatione multum fuit occupatus, ut in quibusvis, pro diverſitate naturarum, convenientem victum ac vivendi rationem præſcriberet, quod patet ex *libro de victu acutorum.*

§. VIII.

Quoad ſtudium dignoſcendi ac dijudicandi morbos, nullus ipſi fuit ſuperior.

Scholion.

Hoc videre eſt ex *aphoriſmis*, *libris prædictionum*, *prænotionibus & Coacis*, quare factum eſt, ut prudenti prognoſi magnam ſibi famam nominiſque celebritatem conciliaverit.

§. IX.

Neque minorem chirurgiæ ſtudio, quo nihil utilius eſt nihilque evidentius, navavit operam.

Scholion.

Libri ejus *de articulis*, *fracturis*, *vulneribus capitis*, *de fiſtulis*, aliaque documento ſunt.

§. X.

Morum ac decori doctrinam, & prudentem vivendi rationem, nemo ipſo rectius tenuit, & medicis quoque qui multorum conſuetudine uti debent, commendavit.

Scholion.

Hujus rei teſtimonium ejus *jusjurandum*, *liber de medico*, *de decenti habitu*, *ſive ornatu* ejuſque *præceptiones ac epiſtolæ*, lectu digniſſimæ, exhibent.

§. XI.

Hippocrates omnium primus mechanicis rationibus in difficilioribus explicandis uſus eſt, dum ex juſta menſura, proportione, temperie motuumque æquilibrio, ſanitatis naturam, & ex his deſtructis, morborum rationes apte deduxit.

Scholion.

Id ex variis locis fit conſpicuum, qui exſtant in *libris de flatibus*, *diætis*, *natura hominis*, item ex definitione

finitione medicinæ mechanica, quam optimam dedit in *libro de flatibus*, dum ait, esse additionem eorum, quæ deficiunt, & subtractionem eorum, quæ abundant: quibus luculenter indicat, medicum in eo solum occupari debere, ut mediocritatem inveniat & veram mensuram motuum ac humorum, quæ sanitati conservandæ idonea sit.

§. XII.

Circulum sanguinis, quo non excellentius in medicina inventum est, jam tum cognovisse *Hippocratem*, non obscura in scriptis ejus exstant vestigia.

Scholion.

Patet hoc ex *libro de alimentis* §. *de insomniis* §. 8. & 12. adde *librum de flatibus* §. 21.

§. XIII.

Laudandus quam maxime in eo est, quod naturæ motus motuumque ordines, successiones, ductus, vias, tempora observanda, & motus salutares, à perniciosis, in medendo distinguendos commendet, quod ex ejus aphorismis, & iis, quæ de crisi & prognosi passim memoriæ prodidit, clarum ac perspicuum fit.

Scholion.

Ex *Hippocrate* hausturi doctrinam, quod provectiorum in arte esto, commendatos sibi habeant *Foesii* labores, qui optime principem hunc medicorum & terse interpretatus est, & in adiectis annotationibus, œconomia etiam seorsim prostante, multa lectu non inutilia protulit. Sed nec omittat *Mercurialis* & *Prosperi Martiani* laudatissima scripta, ad illustrandum hunc auctorem in lucem emissa. Denique *Hollerius*, *Duretus* & *Heurnius* pariter de eodem sunt præclare meriti.

CAPUT V.

De Incrementis Artis Medicæ Promovendis.

§. I.

Hippocrates, uti primus optima solidæ medicinæ fundamenta jecit: ita mirandum est, ab ejus temporibus per multa secula non ulterius artem progressam esse.

Scholion.

Id detrimenti ars nostra maxime ab *Hippocratis* successoribus passa est, qui observationibus non ulterius insistentes, perversa potius philosophandi, & quidem secundum *Aristotelis* placita, methodo, eam plus corruperunt, tantum abest, ut observationum copia atque inventorum apparatu, eandem magis perfecerint.

§. II.

Nostrum est, laudatissimam, quam divus senex calcavit viam, omni cura prosequi, illudque quod ipsi defuit nostra industria supplere, augere variisque inventis locupletare & hac ratione ad majorem perfectionem, quoad theoriam & exercitationem, artem perducere.

§. III.

Non meliorem viam id perficiendi ingredi possumus, quam si 1) summa attentione ac diligentia observationes & historias morborum accuratas & completas in praxi conscribamus; 2) artificiosam corporis humani structuram paullo subtilius atque curatius diligenti scrutinio & cultro anatomico investigemus; & 3) beneficio solidioris physices experimentalis, quæ mechanica & chymica experimenta complectitur, abditas rerum & effectuum causas ulterius scrutemur.

Scholion.

Praxis medica incredibile damnum ac detrimentum olim passa est à tanta ineptarum compositionum pharmaceuticarum farragine & simplicium supino neglectu; neque minus quod medicina tanta ab illo tempore observationum, quæ plenam & exactam morbi historiam complectebantur, inopia laboravit: nostris vero temporibus non parum decrementi artis exercitatio passa est à chymicis, qui validissimas ex mineralium regno medicinas, magnifica arcana & specifica pro expugnandis morbis temere jactarunt, securam vero medendi viam, quæ fit per diætam & parabiliora simplicia, nihil habuerunt. Si quod igitur incrementum arti nostræ accedere & ad perfectionem propius pervenire hæc debet; certe in eo maxime laborandum erit, ut thesaurum selectissimarum observationum practicarum nobis comparemus, ut paucis, securis & probatissimis remediis uti consuescamus, eorumque vires & facultates, in tam differentibus corporibus & morbis, plenius exactiusque addiscamus; & tot practicorum compositiones & chymicorum tantopere jactata remedia missa tandem faciamus, hisque repudiatis, plus ex diæta vitæque regimine, quam ex pharmacopolio; salutem ægris afferre laboremus; præsertim in arcendis morbis.

§. IV.

Quicquid salutari nostræ arti, tam quoad theoriam, quam quoad solidiorem praxin instituendam, incrementi adhuc accessit, id maxime attentis observationibus practicis, item anatomiæ ac physices studio, debemus.

§. V.

Post nobilissimum *Harvæi* sanguinis circuli inventum, longe jam facilius est, vitæ, sanitatis ac mortis causas dare: in pathologicis vero febrium, hæmorrhagiarum, inflammationum pluriumque aliorum morborum, qui à perverso sanguinis motu fiunt, doctrinam, exponere.

§. VI.

Inventis chyli ex intestinis ad sanguinem viis, nec non detectis variis glandulis & tunicis glandulosis in intestinorum canali, observato quoque duodeni, quod recte ventriculus secundus, seu succenturiatus vocatur, in quo bini humores menstruales & fermentales, biliosus nempe & pancreaticus, confluunt, flexuoso situ, longe rectius & melius jam digestionis, chylificationis & sanguificationis negotium explicatur, & morborum, qui prima in regione consistunt, generatio perspicitur.

§. VII.

Postquam vasa, quæ lympham vehunt, à *Bartholino* & *Rudbeckio* reperta & à *Nuckio* & *Ruyschio* amplius explorata fuerunt, glandularum quoque fabrica & usus, præeunte *Whartono*, *Nic. Stenonis*, *Nuckio*, *Covvpero*, *Malpighio* & *Morgagni*, plenius innotuit; chyli etiam viæ per vasa lactea & ductum thoracicum per *Pecquetum*, *Bartholinum*, *Hornium* aliosque detectæ sunt: morborum ex vitio glandularum & lymphæ, & quæ ex depravata nutritione fiunt, longe clarior est expositio.

§. VIII.

A solertissimo *Malpighio* viscerum, pulmonum, cerebri, hepatis, ac à *Bellino* renum structura & compage perspecta, morborum, qui hisce visceribus inhærent, ut phthiseos, hydropis & nephritidis, origines longe rectius intelliguntur: ut & plurimum adjuti sumus illo studio, quod *Stenonis*, *Vieussens*, *Willisius*, *Ridleius*, *Leuvvenhoeek*, *Ruyschius* aliique cerebro & nervis penitius inspiciendi; hepati autem *Glissonius*, *Bianchi*, *Morgagnus*, pancreati *Grafius* & *Brunnerus* impenderunt.

§. IX.

Posteaquam mere vasculosam itemque celluloſam lienis compagem *Casserius* & *Ruyschius* clarissime oculis expositerunt, hujus visceris vitia ejusque morbos luculentius jam cognoscere & curandi rationem ac modum invenire licet.

§. X.

Perspecta plane peculiari venæ portæ, arteriæ & venæ munere fungentis, structura & distributione, melius quoque eruto vasorum hæmorrhoidalium numero, ortu, situ & reptatu; omnes nunc morbi, qui ex hæ-

morrhoidum vitiis & motu progreſſivo ſanguinis per viſcera abdominis intercepto proficiſcuntur, quos inter maxime eminet affectio hypochondriaca, in plano ſunt & commode ad rationes revocari poſſunt, uti quidem à nobis fuſius demonſtratum in *diſſert. de morbis ex vitio hepatis.*

§. XI.

Admiranda uteri fabrica evoluta ſanguiniſque per ipſius contorta vaſa curſu cognito; in expedito eſt morbos & vitia hujus viſceris, nec non affectus ex menſium anomaliis pullulantes perquirere ipſorumque ortum & ſypmtomata ex claris & conceptu facillimis principiis derivare, de quo videatur *diſſertatio* noſtra *de ignorata uteri ſtructura multorum in praxi errorum fonte.*

§. XII.

Nervorum ex cerebro & ſpinali medulla ortu eorumque admiranda quoad ramificationes diſtributione à *Vieuſſens* multiſque inſecutis optime inveſtigata, nunc in expedito eſt, morbos convulſivos, ſpaſmodicos, inprimis illud hypochondriacum & hyſtericum malum, explicare ſævorumque ſymptomatum cauſas aperire, ſimul quoque conſenſum partium, præcipue nervoſarum, perverſorum etiam motuum communicationem, rectius intelligere.

§. XIII.

Poſtquam *Swammerdamius* & *Graafius*, & poſt hos, *Cowperus*, *Morgagnus*, *Santorinus* aliique inſignes viri, partes, generationi utriuſque ſexus inſervientes, accuratius perluſtrarunt; ab hoc tempore ii morbi, qui ſedem ſuam ac domicilium ibi habent, ſenſui & intellectui jam facillime patent.

§. XIV.

Admirando auditus organo, à *du Verney*, *Valſalva*, & *Caſſebohmio*, eximio profeſſore noſtrate, per anatomen accuratiorem inveſtigatis, jam longe rectius auditus vitia intelliguntur.

§. XV.

Glandulis juncturarum in oſſibus à *Cloptone Havero* repertis, morborum articularium origo & cauſæ nunc magis planæ ac perſpicuæ fiunt.

§. XVI.

Ex quo à ſolertiſſimo anatomicorum *Friderico Ruyſchio*, poſt multa præclara, eaque non curioſa minus, quam utilia tentamina, per injectiones liquorum coloratorum in vaſa, innumerabilis minimorum vaſculorum & diverſiſſimus reptatus fuit detectus, organorum ſecretoriorum ac glandularum uſus, adeoque etiam læſiones & vitia, in cognitionem accuratiorem medico oblata ſunt.

§. XVII.

Quantum commodi geometrico-mechanica muſculorum ſtructura, à *Borello* & *Nic. Stenonis*, *Winslowio*, *Santorino*, *Albino* deſcripta, & cordis muſculoſa compages à *Lowwero* & *Lanciſio* detecta, in motu artuum determinando & potentia cordis ac preſſione & impulſu liquidorum intelligendo, uſum præbuerit, res in propatulo eſt.

Scholion.

Quantum utilitatis inventa anatomica feliciori medendi arti attulerint: hoc copioſius expoſuimus in diſſertatione *de uſu anatomes in praxi medica* conſcripta.

§. XVIII.

Neque minorem lucem ſalutari arti inventa phyſico-chymica fœnerarunt: ſiquidem aëris gravitate & elatere variis experimentis cognito, neque minus ignis, caloris, frigoris, gravitatis ac levitatis cauſis perſpectis, item ſolidi ac fluidi natura cognita, fermentationis quoque & putredinis indole & cauſis expoſitis, ut & effectibus, quos ſalia & ſulphura diverſæ indolis in rerum natura & per artem edunt, annotatis, potentia aëris immutandi corporis noſtri motus, ſive in pejus, ſive in melius, clare jam cognoſcitur, nec non generatio cauſarum morbificarum materialium, ipſorumque remediorum vis & efficacia innoteſcit atque perſpicua fit.

§. XIX.

Chymiæ & pharmaceuticæ nobiliſſimum ſtudium, noſtro tempore præclare excultum, ad efficaciſſima præparanda & componenda remedia multum contulit.

§. XX.

Immutabiles motuum leges, ex ſtaticis, mechanicis, hydraulicis inventis atque experimentis, jam rectius patent, unde etiam vires motrices muſculorum, cordis & fibrarum potentiam elaſticam, earum robur & atoniam, ſpaſticam contractionem, preſſionem quoque ac impetum in fluida, nec non mirificos effectus, ex inæqualitate circuitus ſanguinis prodeuntes, multo clarius exponere nobis datum eſt.

CAPUT VI.

De medicina eclectica.

§. I.

QUemadmodum ii, qui in veritate inquirenda, omni poſito præjudicio, nullius opinionis ſervi ſunt, ſed libero animo ſolidoque judicio cuncta perpendunt, de opinionibus prudenter dubitant, & nil, niſi quod clarum, facile, ſimplex atque intellectui planum eſt, amplectuntur & optima quæque ex omnibus ſeligunt, laude digni ſunt: ita quoque cordati medici eſt, nulli ſectæ, vel hypotheſi, in totum ſe mancipare, ſed potius omnia ſuis examinare ponderibus, &, quæ uſui ſunt ac veritati conſentiunt, ſeligere, variis opinionibus, quæ pernicioſarum diſſenſionum in praxi & theoria genetrices ſunt, rejectis & prorſus repudiatis.

§. II.

Ex *Hippocrate*, medicorum principe, hæc ad praxin non inutilia diſcere licet, quod natura optima ſanitatis conſervatrix & morborum quoque medicatrix ſit, & quod omne nimium & ſubita mutatio corpori periculum minetur, æquabilitas vero & moderatio ac temperies in omnibus naturæ humanæ ſemper & ubique amiciſſima, contra vero omne intemperatum & exceſſivum, præſertim quoad uſum rerum non naturalium, aëris maxime & ingeſtorum, ad morbos progignendos aptiſſimum ſit. Tum & hoc diſcere convenit, quod medicus viam ac ductum naturæ ſequi, tempora, præſertim criſeos, exſpectare & obſervare debeat. Poſtremo, quod non movere, niſi materia ſit mobilis, vel concocta, vel niſi turgeat, expediat. Eximie quoque peritiſſimus ſenex morborum ſolutionem perſequitur, dum vel excretione critica, aut abſceſſione, ſive decubitu in alias partes, materiæ, quæ in vitio eſt, morbum ſolvi, pluribus locis indicat, & quod valde periculoſum ſit, ſi ab interioribus partibus à natura propulſa ad exteriores, inde recedat.

§. III.

Ex *Methodicorum* diſciplina, illud laxum & ſtrictum in theoria, perquam commode ad fibrarum ſpaſmum & atoniam, referre licet, quod etiam in applicatione ad praxin non mediocris uſus eſt. Ad ipſam vero morborum curationem illud decerpere valde utile eſt, quod *Aſclepiades*, ut *Celſus L. I. c. 3. & L. III. c. 4.* prodidit, validiora purgantia & vomitoria & quæcunque vehementiora ex medicina expulerit, medica vero abſtinentia, motu, exercitatione, geſtatione, frictione, voce, balneis, abſtinentia à vino ac convenienti victu, graves & longos morbos curare præceperit. Quibus addendum, quod primus fuerit, qui febre ſe tanquam remedio uti profeſſus eſt.

§. IV.

§. IV.

Ex *Celso*, qui de methodicorum schola multa nobis prodidit, hoc sumendum est, quod anodynis, quæ somno dolorem levant, parcius, nisi summa necessitas urgeat, utendum sit, quia ex vehementibus medicamentis & stomacho aliena sint, & quod in febribus etiam hæc non sine periculo exhibeantur, vid. *L.* 1. *cap.* 25. Is quoque primus est, qui clysteres ex simpliciſſimis emollientibus, si opus fuit, parare jussit. vid. *L. IV. c.* 15. Tum aquæ frigidæ, tam interne, quam externe, usum, ad multa levanda vitia, commendavit.

§. V.

Cælius Aurelianus, *Galeno* superior & ex methodicorum censu unicus adhuc superstes, multa utilia & specialia ad morbos dignoscendos proponit, & ad solidorum strictura, quæ nil nisi spasmus est, solvendam, balneorum, clysterum ex meris oleis præparatorum, venæ sectionis & cucurbitularum cum ferro usum plurimi facit, in papaveraceis vero & vehementioribus evacuantibus adhibendis, admodum est circumspectus.

§. VI.

Galenus præclara circa usum rerum non naturalium ad tuendam sanitatem monita ad posteros transmisit. Hic primus aloën elotam miscuit cum aromatibus & balsamicis gummatibus, ad vitiosos ventriculi humores emendandos. Primus etiam cornu cervi ustum in usum traxit & magnopere commendavit. Ad hæc, plethoram multorum morborum chronicorum causam conjiciens, venæ sectionis auxilium aliarumque sanguinis missionum usum, adversus *Erasistratum* egregie defendit.

§. VII.

Avicennæ, qui circa medium sæculi XII. floruit, Arabumque generatim medicis conatibus hæc laus debetur, quod Galenicam praxin auxerint & instruxerint pluribus ex Ægyptorum antiquissimo usu petitis & comprobatis. Sequebantur autem maximè tutum illud genus morbis per diætetica remedia medendi, & in hunc finem ea fere tantum adhibuere, quæ sunt leniſſima. Ipsis igitur debemus, quod in officinas cassia solutiva, manna, tamarindi, rhabarbarum, senna & id genus plura leniſſima, venerunt. Sed & aliqua chymica ab illis ad nos sunt propagata, quorum in Hispania primum notitiam nacti *Arnoldus Villanovanus* & *Raymundus Lullus*, deinceps plurium studia, & præcipue *Theophrastum Paracelsum*, excitarunt. Mercurii vivi usus externus primum ab Arabibus est præmonstratus *Jacobo Berengario Carpensi*, à quo deinceps familiariſſimus factus est.

§. VIII.

Paracelsus fere primus fuit, qui medicamenta chymica nos docuit, & salium, tam alcalinorum, quam acidorum mineralium, usum in medicinam introduxit.

§. IX.

Helmontium in eo imitandum censemus, quod multifarias illas, ineptas & maximam partem effœtas veterum compositiones pharmaceuticas exagitaverit, iisque simplicium virtutes atque vires in medendo longiſſime antepoſuerit. Ceterum & funestas à purgantibus validiſſimis illatas noxas commemorat, &, quod virus quoddam foveant, atque adeo magis fugienda sint, non sine magna ratione inculcat. Sed nec prætermittendum est, secundum ipsius experientia haud destitutam sententiam, ea, quæ sedativa & anodyna vi gaudent remedia, magnas in medendo vires possidere, quum certum sit, ex irritatione, pressione, vel rosione sensibilis & nervosæ partis, graviſſima subnasci symptomata, quæ unica dosi anodyni mature data, averti possunt.

§. X.

Fernelius focum & sedem febrium, tam putridarum, quam intermittentium, in prima corporis regione rectius posuit, earumque causam in sanguine crudo, qui in venis, quæ ad ventriculum, jecur, lienem, pancreas, omentum abeunt, i. e. vena portæ, vehitur, hærere judicavit. Neque minus à ventriculi, & inteſtinorum nervis affectis, quia consentiunt cum aliis partibus exquisitius sentientibus, in intermittentibus symptomata, rigorem, horrorem, tussim siccam, oscitationem, anxietatem, præcordiorum distensionem, nauseam ac vomitum derivavit; quam sententiam etiam *Carolus Piso* plurimis observationibus corroborat.

§. XI.

Montanus, *Crato*, *Ballonius*, *Hollerius*, *Foësius*, *Duretus*, *Heurnius*, *Mercurialis*, *Jacotius*, *Joubertus*, inter veteres, qui *Hippocratem* maxime sequuti sunt, præstantiſſimi fuerunt medici, atque ex eorum scriptis multa salutaria monita diætetica & cautiones in medendo, nec non complura, quæ ad historiam morborum complendam pertinent, haurire possumus.

Scholion.

Montanus, præceptor *Cratonis*, securiſſima methodo in praxi usus est, & leniora tantum evacuantia admisit, plus quoque victu, quam medicamentis, curare annisus est, inque longis ac difficilibus morbis medicorum & medicamentorum copiam maxime damnavit.

§. XII.

Nec sua laude privandi sunt, qui, antiquorum vestigia relegentes, illustrare illud lene & manſuetum medendi genus annisi sunt. Ex his *Hieronymus Mercurialis* Veterum gymnasticam medicinam ex suis ruderibus excitare cœpit, & modum docere, per corporis motum voluntarium, tum roborandi corpora, tum etiam morbos certos profligandi. Ita quoque *Prosper Alpinus*, in utroque volumine *de secta methodicorum*, & de *medicina Aegyptia*, hanc partem incomparabili industria illustravit. Ipse *Cornelius Bontkeoë*, præco ille potus aquarum, eo bene meruit, quod hominibus auctor fuit, ut infusa calida libenter hauriant, & medicus ex præstantiſſimis herbis nostratibus necessaria & efficaciſſima possit hac forma nunc persuadere ægris, & multum boni efficere.

§. XIII.

Ex *Glaubero*, & qui hujus vestigia presse sequutus est, *Becchero*, in usum quoque tam pharmaceuticum, quam chymicum, multa præclara depromere licet, siquidem *Glauberus*, quod sciam, primus fuit, qui spiritum urinosum ex sale ammoniaco elicuit, qui sal enixum, ex sale vitrioli & communi, purgans, cujus usus hodieque in praxi est ampliſſimus, conficere docuit. Ex *Becchero* vero, præter alia laudabilia, hoc unicum ad praxin sufficere potest, quod is primus, casu forte inductus, securum aloës in pilulis usum, nobis monstravit, qui eo major est, quo magis aloë amaris extractis & balsamicis temperatis resinis immiscetur.

§. XIV.

Botallus venæ sectionis, sæpius etiam repetitum usum, in morbis, tam acutis, quam chronicis, tam curandis, quam præservandis, mirifice laudavit plurimisque experimentis & observationibus nobis probavit; & *Bellinus* nobiliſſimum hoc remedii genus ejusque usum, multis demonstrationibus mathematicis confirmare contendit.

§. XV.

Ex *Sylvio* id in usum nostrum decerpere possumus: quod plurimorum morborum focum duodenum & sic dictæ primæ viæ constituant, &, quod iis inhærentes cruditates acidæ, biliosæ & viscidæ, multorum, maxime chronicorum morborum, & symptomatum causam foveant, & eam ob causam absorbentium, fixorum alcalium & salium volatilium oleosorum usus, præstantiſſimus sit.

§. XVI.

Willisius plurima in morbis chronicis symptomata, mali inprimis hypochondriaci & hysterici, rectiſſime

ex

ex ſpaſmo & nervoſi generis afflictione & conſenſu partium derivavit; poſtquam nempe ſtructuram cerebri ac nervorum per anatomen accuratius, quam antea inveſtigarat.

§. XVII.

Sydenhamus ad curandas variolas omneſque febres acutas, temperatiſſimum externum regimen, nec non interna temperata, & quæ plus ſedandi, quam motus excitandi facultate gaudent, repudiatis omnibus calidioribus & alexipharmacis, egregie commendavit. In chronicis vero paſſionibus ſublevandis chinæ chinæ, lactis, martialium & equitationis uſum ampliſſimum, non ſine ratione & experientia nobis propoſuit.

§. XVIII.

Malpighius, *Vieuſſens* & *Lanciſius* ex frequenti diſſectione cadaverum hoc plane & perſpicue docuerunt, quod polypoſæ maſſæ, majoribus cordis, pulmonum, vel etiam uteri vaſis inhærentes, ſubitæ mortis multorumque inſuperabilium morborum, præſertim aſthmatis convulſivi & hydropis pectoris, nec non aſcitis, frequentiſſimæ cauſæ ſint.

§. XIX.

Ludovici in copia & indigeſta farragine pharmaceuticorum reformanda admodum præclaram navavit operam, nobiſque oſtendit, quod paucis, ſelectis & parabilioribus remediis, ſepoſitis tam variis & numeroſis, nec non pretioſis medicamentis, cum fructu & commodo luculento uti poſſimus.

§. XX.

Baglivus, genuinus *Malpighii* diſcipulus, in pathologicis æque, ac practicis, egregia nobis fragmenta & experimenta hujus ſummi viri tradidit, inque eo maxime laudandus eſt, quod in morbis explicandis & curandis, non tam ad fluidorum, quam potius ſolidorum, conſtitutionem, labem ac vitia reſpiciendum monuerit.

§. XXI.

Riverius ex ſagacioribus ſui ævi Practicus, Galenica cum chymicis in uſum vocanda recte docuit, & primus, uti ex ipſius obſervationibus patet, nitri puri & camphoræ internum uſum, ad graves inflammationes & hæmorrhagias vincendas, commendavit.

§. XXII.

Sanctorio, fido alias *Galeni* ſectatore & commentatore, in pereleganti *de medicina ſtatica* libello, nemo rectius & accuratius fundamenta ac leges diæteticas nobis præſcripſit, & excretionum, præſertim perſpirationis neceſſitatem maximamque in tuenda ſanitate & morbis præcavendis ſalubritatem, plurimis experimentis ſtaticis docuit & confirmavit.

§. XXIII.

Expedit, ad ſtabilienda fundamenta ſolidæ, veræ & eclecticæ medicinæ, theoriam veram & realem cum praxi, veteres cum recentioribus, & methodum medendi ſimplicioribus & facilioribus, Galenicam, cum validioribus & efficacioribus chymicorum præparatis, amice conciliare atque conjungere, multaſque ſalutares veritates ex ſingulis cum judicio haurire, poſtea eas in ordinem & connexionem attenta meditatione digerere, ut doctrina medica ſcientiæ demum opus evadat.

Scholion.

Ex veterum monumentis ea, quæ experientiæ, facti & obſervationis ſunt, & quæ ad prognoſin, prænotiones & ad victus rationem pertinent, quam maxime deprommere debemus: ex recentioribus vero egregia anatomica, phyſica, chymica, mechanica inventa, ad perficiendam meliorem theoriam, quæ tutæ, ſolidæ & rationalis praxeos baſis atque obſervationum clavis eſt, accipere oportet.

CAPUT VII.

De fine medicinæ & poteſtate medici.

§. I.

EUm in finem addiſcitur ars divina, ut vita & ſanitas diu illibata ſervetur, ut morboſæ afflictiones & quæcunque ſanitatem lædunt, quoad fieri poteſt, avertantur & depellantur.

Scholion.

Eximia ſunt, quæ *Hippocrates*, *libro de flatibus* §. 1. ſcribit: *ægrotantes artis beneficio à maximis malis, à morbis, à doloribus, à triſtitia, à morte liberantur; omnibus enim his evidens medicina reperitur.*

§. II.

Quia tanta beneficia ab arte medica in genus humanum profluunt, ab omni tempore artium nobiliſſima & Deorum inventum habita eſt. Et profecto medicus, qui eam recte callet, magno honore dignus, ipſius Spiritus ſancti teſtimonio, æſtimari debet.

§. III.

Is artis medicæ ſcopus eſt, ut hominem à tot & gravibus malis liberet: ideoque medicus nullo modo nocere, nedum vitam deſtruere, aut ſanitatem lædere debet, utpote quum medicina non nocendi, ſed juvandi ſit ſcientia.

§. IV.

Medicus, & conſilio, & auxilio, graves afflictiones, tam à corpore, quam ab animo avertit, diſſuadendo ea, quæ ullo modo nocent cauſamque malorum miniſtrant, & ſuadendo cuivis corpori & naturæ ſalutaria.

Scholion.

Non eſt in poteſtate medici cuncta pro arbitrio perficere, morbos in totum tollendo, vel vitam prolongando & ſanitatem ſine moleſtiis conſervando, quia medicus ſine ſubſidio naturæ, quæ viribus & motibus ſalutaribus inſtructa, parum boni arte ſua perficere poteſt, ideoque recte utique à Veteribus naturæ miniſter dicitur, quum illius motus ſpectare, imitari, corrigere & adjuvare debeat, nullo vero modo magiſter habendus eſt naturæ, eo quod vires remediorum non ſunt abſolutæ, ſed variis relationibus naturæ, temperamenti, ætatis, corporis aliorumque nituntur.

§. V.

Nam ſicuti perpetua eſt proportio, inter vires cauſarum, & inter productum ab iis effectum, qui nunquam ſuperior eſt illis: ita vires remediorum, quando non ſufficiunt tollendo morbo, iſte non curatur. Hinc ſapienter *Hippocrates libro de arte* §. 4. *Medicus eorum, qui à morbis victi ſunt, curationem non aggredi debet, cum id in confeſſo ſit, quod medicina tales ſervare non poſſit.*

§. VI.

Facilius eſt morbos præcavere, quam eos curare, eo, quod præſervatio conſilio, dum nocitura diſſuadentur, curatio vero auxilio, quod non perpetuo eſt in poteſtate medici, perficitur. Facilius quoque eſt morborum vehementes impetus obtundere, quam morbos in totum tollere, quia ſubinde morbi cauſa remedii effectu major eſt.

§. VII.

Si medicus vitam ac ſanitatem hominis arte ſua tueri & conſervare vult ac debet: neceſſe eſt, ut genuinas vitæ ac ſanitatis cauſas, & quomodo hæ remediis ſuſtineri debeant, & remediorum quibus ſuccurrere poteſt vires, perſpectas habeat.

§. VIII.

Quandocunque medicus præmaturam mortem & graves

graves morbos intendit à corpore arcere: tunc utique eorum primordia ac generationem, item veras causas & proximas, exquisite pernoscere debet, ut quomodo tam convenienti auxilio, quam prudenti consilio, hæc mala avertenda sint, judicare possit.

§. IX.

Medici est, aut morbos in totum tollere, aut insanabiles duntaxat mitigare: hinc morborum veras causas, & quibus remediis hæ tollendæ sint, & quare alii morbi sanabiles, alii non sint, intelligere debet.

Scholion.

Nihil in rerum natura fit sine causa, atque omnis effectus, omnis mutatio in homine, ex necessariis & adæquatis causis proficiscitur, quibus positis, ponitur effectus, quibus remotis, & ipse removetur. Quare etiam medicus, si non cœco impetu agere, vel quicquam in negotio vitæ ac sanitatis temere moliri velit, in causis investigandis omnium mutationum, quæ fiunt in corpore humano, sedulo occupatus sit necesse est.

§. X.

Cum vero genuinas rerum cognoscere causas non cujusvis hominis, sed sapientiæ ac scientiæ opus sit, quæ principia indubia, atque ex his claras demonstrationes & conclusiones desiderant: oportet medicum quoque, si cum demonstratione res suas gerere velit, de veris & perspicuis principiis, quæ commode rebus medicis applicari possint, sollicitum esse.

Scholion.

Veritatem doctrinæ recte cognoscere, est eam ex evidentibus principiis, clara connexione demonstrare. Qui vero in disciplina quadam nihil probat & demonstrat, is facile fallit & fallitur, nec quicquam cum certitudine statuit & aggreditur, sed semper hæsitantis est animi, tam paratus ad juvandum, quam ad nocendum: quod tamen ab arte salutari debet esse alieniissimum.

CAPUT VIII.

De Vero Demonstrandi Principio in Medicina.

§. I.

Sicuti methodus mathematica, quæ vere logica est, qua utuntur geometræ, in demonstrationibus ad veritates & inveniendas, & docendas, omnium est optima: ita quoque medicus & philosophus secundum hanc demonstrationes veritatum suæ disciplinæ adornare debet. Sicuti vero geometræ ex principiis & propositionibus simplicibus, facilibus ac claris & manifestis, aptas conclusiones & connexiones, debito ordine ac serie efformant, & sic difficilia explicant, deducunt ac incognita detegunt: ita etiam medicus & philosophus in omnibus quæ circa corpus humanum eveniunt mutationibus, ex claris principiis veras conclusiones & connexiones conficere & elicere debet.

Scholion.

Commendamus maxime eximiis medicinæ cultoribus methodum mathematicam addiscendam, quæ ad veritates cognoscendas ac detegendas aptissima, inque omnibus disciplinis maximæ utilitatis est, eo quod firmis demonstrationibus nititur, sine quibus nulla veritas intelligi & cognosci potest: quod etiam suo jam tempore divinæ scientiæ princeps cognovit, hincque ad *Thessalum* filium ita scribit: *ad cognoscendam geometriam & numerorum scientiam, mi fili, multum studii adhibeto. Non solum enim vitam tuam illustrem & ad multa commodam in humanarum rerum statu efficient, sed etiam animam acutiorem & clariorem reddent, ad omnium, quorum usus in medicina expetitur, utilitatem consequendam. Etenim geometriæ cognitio, quæ multiformis ac varia est, & omnia cum demonstratione transigit, utilis erit, quapropter ad hujusmodi experientiæ facultatem pervenire sedulo stude.*

§. II.

In omni disciplina scientifice tractanda principia ante omnia inquirenda sunt, ut cum iis subalternæ causæ connectantur: ideo in medica scientia quoque ejusmodi investiganda sunt omnium subalternarum causarum atque effectuum fontes, ex quibus omnia demonstrari & in quæ omnia demum resolvi debent.

§. III.

Principium in medicina debet esse perspicuum, quod concipi, quod rebus medicis, præsertim observationibus & morborum historiis, applicari potest, quo experientia rationalis, certa & minus fallax efficiatur, quo etiam omnia difficilia enodentur & explicentur.

Scholion.

Justa demonstratione, quia res difficiles faciles, incognitæ notæ, obscuræ perspicuæ redduntur: hinc principium plane obscurum, quod nec definiri, nec concipi potest, demonstrationibus est ineptum. Ex dictis jam clare patet, quid sit sentiendum de principiis veterum, videlicet calido innato, humido radicali, temperie & intemperie quatuor humorum, de facultatibus animæ, de natura morali ac sensu vitali interno prædita, sive quod idem de archeo *Helmontii*, flammula, vel luce vitali. Quæ nonnisi specioſa nomina sunt, quæ nec explicari possunt & quæ nihil explicant, adeoque in causis & effectibus rerum medicarum investigandis, nullius sunt ponderis ac momenti, & mea quidem sententia, pigrorum ingeniorum solatia & asyla.

§. IV.

Principium, quo maxime medicus in cognoscendis & indagandis veritatibus utatur, debet esse proxima causa omnium eorum, quæ existunt & eveniunt in corpore humano, sive ad negotium vitæ & sanitatis, sive ad morborum ortum & causas, eorumque curationem, sive ad vitam sanam & longam tuendam pertineant: vel etiam quatenus corporis conservationi ullo modo noxia sint & contraria.

§. V.

Quia principium demonstrationum medicarum, omnium actionum, motuum & mutationum, quæ fiunt in nobis, causa esse debet: facile intelligitur, id ipsum in corpore nostro existere & contineri debere.

Scholion.

Vulgaris, sed pessima, philosophandi est ratio, non ex ipsis rebus earumque natura sapere, neque ipsas illas veras causas, quæ etiam nobis non cogitantibus operantur, & effectus suos secundum earum vires proportionatos proferunt, investigare, sed pro lubitu fingere actionum naturalium principia & causas, de quibus nondum constat ac certum est, an realiter ita existant inque ipsorum corporum natura contineantur. Quo pertinent illa vocabula, quibus, in non mediocre artis nostræ detrimentum, adhuc plures, loco principiorum & causarum, & quidem nostra ætate celebres viri, uti non verentur. Cujus generi sunt naturæ bona vel erronea directio, sensus naturæ, sensus vitalis, moralis rerum noxiarum æstimatio, directio motuum rationalis ad elidendam morbi causam in certo gradu, tenore agendi, item certo tempore & ad certa loca, naturæ in negotiis vitalibus inque curando error, ejus bona intentio, sed mala inventio, & hujus generis ad nauseam usque plura. Quæ omnia feliciter quidem fingi, sed infeliciter in corpore humano, quoad ipsam rei existentiam, inveniri, vel demonstrari possunt.

§. VI.

Neque ad principium demonstrandi res medicas, anima rationis particeps, vel pro arbitrio agens, vis, aut alia substantia, referri debet, siquidem tali admisso principio, neque in theoria, neque in praxi medica, aliquid sciri, vel explicari potest, eo, quod concipi vel demon-

demonſtrari nequeat, quod & quomodo res intelligens & libere agens vires motrices rerum omnium corporearum, quæ præſertim ad negotium vitale ſpectant, diſponat, immutet vel dirigat.

Scholion.

Sicut enim diſtinctiſſima eſt eſſentia & operatio corporis, ab eſſentia & operationibus ſpiritus: ita ſpiritus ſine corpore, & corpus ſine ſpiritu, ſubſiſtit & operatur. Et cum in univerſo omnia ordinatiſſime, certo numero, menſura, proportione, & certo denique fine ac tempore, ſine mente vel ſpiritu rationali, fieri conſpiciamus, cur non etiam ſine ejuſmodi ſubſtantia intelligente & pro arbitrio agente, vita, ſanitas, morbus, mors, ſanatio & ſanitatis conſervatio, à cauſis mere neceſſariis & phyſicis, quarum maxima, teſte experientia, in hiſce omnibus immutandis eſt potentia, contingant? equidem non video, quamvis intellectus noſter non omnes æque facile aſſequatur vel demonſtrare valeat.

§. VII.

Neque ad explicandas res medicas indigemus principio quodam ſenſitivo, quod noxas vel cauſas nocentes prævideat, percipiat & motus ad noxium emoliendum dirigat. Nam ubi ſolo motu, qui eſt operatio corporum, quippiam explicari poteſt, non opus eſt ut peculiarem ſenſum, ſive perceptionem in auxilium vocemus; ſiquidem aliud eſt motus, aliud motuum perceptio, deinde etiam ad certas leges & regulas motus fiunt, quæ in perceptionibus neutiquam obſervantur.

§. VIII.

Medicus, in reddendis effectuum cauſis & conficiendis demonſtrationibus, contentus ſit, ſi cauſas proximas effectus & phænomenorum invenerit, quibus poſitis, ponantur, & quibus remotis, ipſa quoque removeantur; quandoquidem in rebus contingentibus cauſarum progreſſio fit in infinitum.

Scholion.

Nam una cauſa ſemper eſt effectus alterius cauſæ, & ita porro. Quantumvis vero has omnes & earum progreſſum ignoremus, tamen ad artem & ſcientiam ſatis erit, cauſas adæquatas & proximas effectuum inveſtigaſſe. Ut rem clariorem faciamus exemplo, vegetationis & foecunditatis in plantis cauſæ ſunt temperate calidum cœlum, humidum ſubtile, proportionatum, ut eſt aqua pluvialis, & ſolum leve, probe identidem temperatum; quibus præſentibus, arbor fert optimos fructus, his autem remotis, exoptata illa fœcunditas perit. Hæ cauſæ ſufficiunt pro plantarum vegetatione: neque enim amplius refert ſcire, unde temperatus ille calor, quæ aquæ pluvialis origo, qualis ejus natura & eſſentia, quænam ſit cauſſa hujus eſſentiæ, & quæ porro quæri de his poſſent.

§. IX.

Sicut nullius corporis, & omnium maxime humani, productio, conſervatio, auctio, vel etiam deſtructio, corruptio, imminutio aut reparatio, ſine motu fieri nequit: ita quoque vita, ſanitas, morborum productio, eorundem curatio, mortis quoque geneſis, ſine motu, nec fit, neque intelligi poteſt. Itaque horum omnium cauſa proxima debet eſſe motus, qui principium eſt phyſicum atque mechanicum æque ac medicum.

Scholion.

Equidem novi odioſum eſſe quibuſdam mechanices vocabulum in medicina, & cauſas has reddi, quod non omnia, quæ in corpore noſtro fiunt, ex cauſis neceſſariis corporeis proveniant: deinde quia motus ſit res incorporea, adeoque à corpore non derivanda: tandem quod ſcientia mechanica tantummodo rerum mobilium & diſpoſitionis corporum ad motum ſcientia ſit. His pauca reponimus: nos ſcilicet ultro largimur, mentem, & quod in nobis ſentit ac percipit, res non eſſe corporeas, ſed quodammodo, ex lege unionis, quia partes ſunt hominis, motus vitales conſervatorios afficere, vel potius turbare, manifeſto affectuum animi & phantaſiæ teſtimonio; ex hoc tamen non conſequitur, nullas mechanicas cauſas alias dari in corpore. Et utut phantaſia non ſit res corporea, non tamen ſine mechanicis cauſis, quales ſunt partium fluidarum & ſolidarum debita diſpoſitio & conformatio, agere poteſt. Omnes quoque effectus, quos anima præter naturam producit in corpore, ſunt non alii, quam mechanici, ſiquidem à vehementi terrore ſpaſtice extimæ partes conſtringuntur, ſanguis ad interiora pellitur, & verſus cor ac pulmones ſtagnans, ingentes anxietates & palpitationes efficit, adverſus quos pravos effectus, ſi eos removere velit medicus, vix aliud agere poteſt, quam ut mechanice, remediis convenientibus, ſtagnantem ſanguinem diſcutiat & verſus ambitum corporis eundem propellat. Quod vero maximum eſt, ipſe varius motus ſanguinis, & remedia ac alimenta, ipſam mentem & animam afficere eamque vel ſapientiorem, vel dementiorem reddere, valent. Pulchra ſunt, quæ hac de re prodidit *Hippocrates Lib. 1. de diæta* §. 34. *melior redditur anima rectæ diætæ uſu, & pejor pravæ.* Et in fine hujus §. *Si ſanum fuerit corpus & non ab aliquo alio perturbetur, animi temperamentum ſapiens exiſtit.* Quod vero in corpore animantium vita ac ſanitas, non ſecus ac mors & morbus, à cauſis etiam pure corporeis mechanicis dependeant, vel ex eo unico liquidiſſime conficitur, quod alimentis & elementis vivamus & moveamur vireſque accipiamus, iis vero detractis, omnis vis & agilitas corporis pereat & mors in propinquo ſit: item, quod convenienti & recto aëris, alimentorum rerumque non naturalium uſu, diu illibata valetudine frui poſſimus, quæ, minus provido horum uſu, protinus ſic labefactatur, ut morborum, imo brevioris vitæ & mortis, origo ac cauſa inde naſcatur. Neque etiam ullius ponderis, eorum, qui mechanicæ diſciplinæ medicorum adverſantur, erit ratio, quod mechanica mobilitatis, non vero motuum, ſit ſcientia, & motus potius res ſit incorporea. Enim vero, cui obſcurum amplius eſſe poterit, mechanicam minime tantum pro objecto habere machinas, ſed potius in eo eſſe occupatam, ut vires motrices, quæ cum maſſa corporea cohærent, in mutua actione atque reactione obſervet atque menſuret, & ita immutabiles motuum leges, tam in elaſticis ſolidis, quam fluidis corporibus condat, quæ ad effectus naturæ alios explicandos magno uſui ſint. Poſtremo vero abſonum erit dicere, motum rem incorpoream eſſe, cum motus non res ipſa ſit, ſed mutatio tantum rei, ſive mutatio ſtatus corporum.

§. X.

Principium itaque, ſeu cauſa prima & proxima omnium actionum in corpore humano, erit motus: is vero cum varius in natura ſit, plenius omnino & exactius ejus ſpeciem determinare juvabit.

§. XI.

Motus itaque, quo omne, quicquid fit & evenit in corpore noſtro, perficitur, & quo etiam medicus in demonſtrando uti debet, nullus alius eſt, quam contractio & expanſio, ſive, ſecundum Græcos, ſyſtole ac diaſtole fibrarum nervearum & muſculoſarum, & quæ ex his contexti ſunt, cordis atque arteriarum omniumque ductuum, cujus beneficio omnis generis fluida, per innumerabiles & varios canales, in orbem moventur, atque utilia ſecernuntur uſuique aſſervantur, inutilia autem ſecreta excernuntur.

Scholion.

Vix ulla datur ſimplicior motus ſpecies, quam contractio & dilatatio; hæc ipſa tamen eſt cauſa unica, quæ omnes vitales motus tuetur, quæ totum corpus à putredine vindicat, quæ univerſum ſecretionis & excretionis negotium moderatur, hac ſalva & recte ſeſe habente, omnes functiones, omnis vigor, tam animi, quam corporis, recte ſeſe habent, hac læſa, vel turbata,

omnia

omnia præter naturæ ordinem & morbi fiunt, eademque destructa, mors fit. Circulus itaque sanguinis, est primum & præcipuum fundamentum, seu principium, ex quo, tanquam ex fonte, ea, quæ fiunt in corpore nostro, explicare, & difficilia, per omnes medicinæ partes enodare, obscura perspicua reddere & veras curandi rationes ac vias derivare ac invenire, propitio Numine, in hoc opere constituimus.

§. XII.

Circulus hic sanguinis est causa vitæ. Nam quamdiu sanguis & humores, per ductus & canales corporis nostri in orbem moventur, tamdiu corpus dicitur vivere. Si vero sanguinis circuitus penitus desinit atque extinguitur, mors adest. Si sanguinis circuitus liber, moderatus & æquabilis est, corpus sanum atque vegetum est: in omni vero morbo idem circuitus vel immoderatus, vel inæqualis, aut impeditus, existit. Et morbificæ causæ non aliter suam exercent operationem, quam quod œconomiam motuum vitalium turbant, atque secretiones excretionesque pervertunt. Morbi quidem acuti stasi sanguinis, chronici vero ejus stagnatione atque viscerum & emunctoriorum obstructione, continentur. Neque medicus in præservando aliud intendere debet, quam ut per convenientia remedia, & quam maxime prudens rerum non naturalium regimen, stases, stagnationes & obstructiones impediendo, liberum sanguini & humoribus motum, per universam corporis compagem vasculosam, præstet. Neque aliud in sanandis morbis quærere debet medicus, quam, ut causas morbificas earumque noxios effectus per congrua remedia removendo, liberum sanguinis motum atque circuitum restituat.

§. XIII.

Utut progressivus per innumerabiles vasorum myriades sanguinis & humorum abiens motus, cum secretionibus & excretionibus, immediata & proxima omnium, quæ in corpore humano eveniunt actionum & functionum, causa sit; nihilo minus tamen, quia progressio omnis generis fluidorum, non modo in cordis musculo & arteriis, sed & in omnibus tubulis secretoriis & excretoriis nervoso-muscularibus, beneficio reciprocæ contractionis & dilatationis, perficitur, hæc autem ab influxu liquidi spirituosi arterioси & nervosi convenienti fit, quam facile patet, omnia ea, quæ motum hunc solidorum ulla ratione turbandi, pervertendi, vel destruendi facultate pollent, genuinas morborum causas subministrare.

§. XIV.

Certa, indubia ac constanti experientia confirmata regula, seu lex motus microcosmici est: quod omnia, quæ nervosas partes ullo modo, vel lancinando, arrodendo, irritando, aut distendendo, vel constringendo, lædunt & violenter afficiunt, universam motuum vitalium œconomiam perturbare & pervertere possint.

§. XV.

Certa pariter & immutabilis lex motus microcosmici est: motum violentum, præter naturam in parte quadam nervosa concitatum, quam maxime cum vicinis & connexis nervosis partibus, immo quandoque cum toto systemate nervorum & nervosarum partium, communicari, quod veteres consensum partium appellarunt.

Scholion.

Accuratior notitia consensus, quem partes nervosæ inter se alunt, in pathologicis & therapeuticis summæ est utilitatis. Nam plurimorum symptomatum ratio inde clare peti potest & erui, eamque in rem legi meretur, præter ea, quæ nos in *tom. III. med. systemat. sect. I. cap. V.* attulimus, doctissimus *cl. Regæ de sympathia corporis humani* tractatus.

PHILOSOPHIÆ CORPORIS HUMANI VIVI ET SANI

LIBER PRIMUS,

SECTIO I.

De vita, ejus cauſis & motibus vitalibus, ſanguiniſque & humorum circulo.

CAPUT I.

De artificio in ſtructura humani corporis.

§. I.

Vitam, mortem, ſanitatem, morborum ſanationem & horum omnium cauſas, in corpore humano conſiſtere & perfici, extra dubium poſitum eſt: quare medicus, ad meliorem horum intelligentiam, corporis humani naturam plenius atque exactius cognoſcere debet.

Scholion.

Scitiſſime *Hippocrates lib. de loc. in homine* §. 4. pronunciat: *naturam corporis humani omnis ſermonis & ratiocinationis in medicina eſſe principium.* Hic gravis auctor in morborum curatione, naturarum differentiam, robuſtæ an imbecillæ ſint, & quomodo ſeſe ad has vel illas res externas, item medicamenta habeant, paſſim & ſedulo in monumentis ſuis inculcat. Quia vero accuratiorem corporis humani cognitionem ob ingentem anatomes & veræ ſcientiæ phyſicæ id temporis defectum, non habuit: proinde quoque de natura, quatenus illa ſanitatis & morborum productrix eorundemque medicatrix eſt, ex omni parte ac numero rectiſſime & præclariſſime ſentire ac diſſerere non potuit.

§. II.

Homo rectius definitur, quod ſit mens, ſive ſubſtantia intelligens & libere agens, unita cum corpore organico, artificioſiſſime conſtructo, vivo.

Scholion.

Eſſentia humanæ naturæ in eo potiſſimum conſiſtit, quod ex duplici ſubſtantia, una immortali, quæ rationis & libertatis agendi, item conſcientiæ capax eſt, ac ſpiritus appellatur; altera corruptibili & deſtructibili, corpore ſcilicet, ſit coalita: & quamdiu hæc unio utriuſque principii, inter ſe diſtinctiſſimi, perdurat, tamdiu homo dicitur, ſimul ac vero hæc unio perit, ſpiritus abit ad altiora, corpus autem cadaver evadit.

§. III.

Neque vero mens eſt ſubjectum medicinæ, quia eſt naturæ indiviſibilis & immutabilis, adeoque in eam directe medicina non ullam habet poteſtatem; ſed ſubjectum medicinæ eſt vivum corpus, quod mentis tantiſper inſtrumentum eſt, ejuſque operationibus inſervit.

§. IV.

Corpus humanum duplici modo à medico conſiderandum venit, primo quatenus eſt mixtum, deinde quatenus eſt ſtructum.

§. V.

Totum corpus noſtrum ex ſumme corruptibili materia mixtum eſt.

§. VI.

Materia corruptibilis conſtat ex partibus diverſæ indolis, minus cohærentibus, ſed facile à ſe invicem ſecedentibus.

Scholion.

Corruptio recte opponitur durationi, quæ in unione partium, mixtum conſtituentium, conſiſtit. Tamdiu enim corpus durat, quamdiu unio partium quæ corpus conſtituunt ſalva ac integra permanet: ſimul ac vero hæc diſſolvitur parteſque à ſe in vicem ſecedunt ac ſeparantur, protinus tota textura & forma corporis mutatur atque in animantibus corruptio ingruit. Præclare hinc *Hippocrates lib. I. de diæta* §. 6. inquit: *generari idem eſt, quod commiſceri: perire, corrumpi ac minui, idem eſt, quod ſecerni.*

§. VII.

Corpus humanum, quia ex materia admodum differentis, & minus cohærentis, & hinc facile disjungibilis indolis, aquea nempe, pingui & inflammabili, item terrea ſolubili, ſive ſalina, & fixiori inſolubili, conſtat, ideo celerrimæ corruptioni obnoxium eſt.

Scholion.

Experientia quotidiana edocemur, nulla corpora tam ſubito in fœdam & putridam corruptionem ruere, quam animantium ipſiuſque hominis, ſub humido præſertim & calido cœlo. Quum vero corpus noſtrum tam corruptibilis ſit naturæ, mirandum non immerito eſt, quare, ſi vita adeſt, tamdiu duret & immune à corruptione præſtetur. Quia tamen nihil fit ſine cauſa; hinc medico maxime incumbit, hanc ipſam perſcrutari; ſiquidem univerſi medici ſtudii cardo in eo potiſſimum vertitur, ut corpus diutiſſime maneat vivum & à corruptione vindicetur. Oportet itaque ſcire cauſas, quare corpus humanum in ſe tam corruptibile, à corruptione tamdiu immune præſtetur, quibus cognitis, poſtea facilius eſt vitam diutius conſervare ac triſtiſſimam mortem avertere.

§. VIII.

§. VIII.

Est quoque corpus humanum ratione structuræ à medico spectandum, quæ est longe artificiosissima, ad ordinatos motus producendos comparata, & hoc respectu rectissime dicitur machina.

§. IX.

Machina est corpus, ex variis partibus, singulari artificis ingenio inter se unitis, constructum, eo consilio, ut certos ac ordinatos motus producat.

Scholion.

Operationes quas machinæ edunt consistunt in motibus, qui ex structura, situ, cohæsione, variæ figuræ & magnitudinis partium, secundum immutabiles leges, consequuntur & structuræ suæ perpetuo convenientes sunt. Artificium vero illud structuræ, sive ingeniosa partium unio & coordinatio, ad motum producendum dispositа & apta, à recentioribus dici solet mechanismus.

§. X.

Id machinarum & mechanismi præcipuum est requisitum, ut partes inter se junctæ cohæreant atque connexæ sint, ita prorsus, ut vitium unam partem afficiens & cohæsionem turbans, ceteras statim omnes partes in consensum trahat, & inde regulares machinæ motus pervertantur.

Scholion.

Clarissime id patet in machinis arte humana fabrefactis, ut horologiis, molendinis, ubi vitium vel unici dentis in rotula, aptum est ad motus totius machinæ inordinatos reddendos.

§. XI.

In corpore humano ita sunt inter se partes solidæ unitæ ac coordinatæ, ut hujus vel alterius notabilis læsio, hanc cum omnibus reliquis statim communicet, indeque motus regulares turbentur & inordinati fiant.

Scholion.

Præclare *Hippocrates* L. *de locis in homine* §. 3. hanc in rem scribit: *Si quis minimam corporis partem male afficere velit, totum corpus affectionem sentiet; qualiscunque tandem ea fuerit, propterea, quod minima corporis pars omnia habet, quæcunque & maxima.*

§. XII.

Machina quævis id habet, ut ex diversæ naturæ partibus mobilibus, moventibus ac instrumentis motuum composita sit, siquidem hæc omnia ad producendos motus necessaria sunt.

§. XIII.

Constat machina corporis humani ex partibus solidis ac fluidis.

§. XIV.

Solidæ sunt duræ & renitentes, quarum nonnullæ continent & vehunt liquida, ut sunt omnis generis canales & cavitates: aliæ sunt motus instrumenta, ut musculi, & ex tunicis musculosis & nerveis contextæ partes, quædam continuo moventur & non quiescunt, ut cor & arteriæ, quædam firmamentum toti machinæ præbent, ut sunt ossa, cartilagines, ligamenta.

§. XV.

Fluida corporis nostri duplicis generis sunt; alia sunt crassiora, quæ sensibus patent, ut sanguis, chylus, lympha & quæcunque secernuntur & excernuntur, & hæc omnia per tubos magis obvios & ampliores circumvehuntur; alia sunt subtiliora, agiliora & maxima vi ac potentia motus instructa, quæ ab *Hippocrate* impetum facientia, & à veteribus, quos natura tenuissimorum corporum latuit, spiritus vocari solent, eo, quod hæc tenuiora fluida motum præstent ac impetum faciant in solidis, atque adeo fluidorum cursum regant ac moderentur.

§. XVI.

Fluida tenuiora, quæ impetum faciunt & motum machinæ præstant, sunt nihil aliud, quam subtilissima & agilissima pars optimi sanguinis & lymphæ, quæ non tantum ex alimentis, sed & ex puriori aëris ac ætheris & ignis solaris parte, magna potentia elastica agente, originem habet.

Scholion.

Quantumvis propter summam tenuitatem suam spirituosæ hæ partes sensus fugiant; ex effectibus tamen earum origo & efficacia cognoscitur; siquidem certum est, bono & laudabili nutrimento, aëre quoque sereno ac temperato, vires egregie refici, cum ex alimento pravo, intemperato, vel aëre vitiato, imminuantur ac labefactentur, adeo, ut ex alimenti, vel aëris plenario defectu, omnes vires cum vita penitus extinguantur.

§. XVII.

Est structura corporis humani maxime hydraulica, cum tota fere ejus compages vasculosa sit, sive ex innumeris diversæ magnitudinis & stupendæ exiguitatis & angustia tubis conflata, per quos varii generis fluida jugi & perenni motu circumvehuntur, vel secernuntur.

Scholion.

Recentiorum anatomicorum inventis id maxime debemus, compagem ferme omnium viscerum, ut lienis, hepatis, renum, neque minus emunctoriorum, glandularum, testium quoque & ipsius cerebri corticalis substantiæ, item placentæ uterinæ, in totum canaliculosam esse, & quod nulla corporis pars vel membrana sit, quæ non tubulis, per quos fluida feruntur, minimis sit instructa. Et hæc maxima angustia vasorum in pathologia & praxi medica magnæ est considerationis; siquidem ob hanc tot frequentes stases, stagnationes & obstructiones fiunt fœcundæ morborum matrices.

§. XVIII.

Quemadmodum in machina hydraulica fluida impulsu ac pressione per varii generis tubos pelluntur ac motu agitantur: ita quoque corpus nostrum, præter tot & tam innumerabiles varii generis & magnitudinis tubos, & diversæ indolis fluida, etiam fibris, potentiis motricibus instructis, quæ quasi vectes ac elateres sunt, gaudet, quarum motu constrictorio & dilatatorio liquida indesinenter propelluntur.

Scholion.

Princeps & præcipua vis motrix est in corde, deinde in arteriis, quarum motus in perpetua coarctatione & expansione consistit, ut liquida & impellantur, & recipiantur. Prætera omnes ductus atque canales, qui liquida diversi generis vehunt, tandem etiam omnes partes, tam musculosæ, quam membranaceæ, ex fibris elasticis conflatæ sunt, quibus potentia dilatandi se & contrahendi inest.

§. XIX.

Quemadmodum mechanicus, quando construit machinam, semper sibi præfixum habet certum finem: sic Dei infinita sapientia voluit, ut machina tam artificiosa instrumentum ac domicilium esset spiritus, sive substantiæ ad imaginem Dei conditæ.

§. XX.

Quia vero ex materia valde flexili, laxa, dissolubili, adeoque corruptibili, universa corporis compages constat: hinc utique primus & principalis structuræ scopus

& ratio fuit corporis duratio, ſive ejus à corruptiva putredine præſervatio, & hic ſcopus merito vitalis dicitur & quam maxime conſiderationis medicæ eſt.

§. XXI.

Firma edocemur obſervatione, corpora liquida diverſæ indolis in putredinem admodum prona eſſe, ſolida vero & dura neutiquam.

Scholion.

Nam quia corruptio eſt diſſolutio unionis partium mixtum conſtituentium, qua à ſe invicem ſeparantur; humida vero ad disjunctionem partium, dum poros invadunt eosque relaxant, plurimum faciunt: proinde liquido apparet, duras & exſuccas partes ab ejusmodi corruptiva celeri ſolutione eſſe immunes, liquida vero, quo plus ex diverſæ indolis partibus conſtant, eo ad corruptionem exiſtere proniora, cujus generis ſunt ſanguis & animantium reliqui ſucci.

§. XXII.

Conſtat certa & firma experientia, humida quiete ad putredinem maxime diſponi, motu vero continuo, tam inteſtino, quam locali, ab ea libera permanere.

Scholion.

Etenim, quia in purtedine ſeceſſio & ſeparatio fit partium inter ſe valde diſſimilium, hæc vero ſub quiete peropportune perficitur, qua craſſiores, fixiores & graviores coëunt, ſubtiliores vero & fluidæ avolant: ex eo facile ſequitur, motum optime corpora à putredine defendere, quia hoc ipſo partes, utut diſſimilis indolis, inter ſe arctius ac intime uniuntur, miſcentur, atque combinantur.

§. XXIII.

Mirabilis itaque ſtructuræ animantium ratio in eo conſiſtit, ut partes fluidæ jugi & perenni motu ac libero curſu agitentur inque orbem moveantur.

§. XXIV.

Temperatis quoque ſuccis & moderato eorum motu opus eſt, ut animantia nutriantur, augeantur. Atque adeo temperies vitæ ac ſanitati eſt accommodatiſſima: nam ſub intemperie humorum & motuum, nutritionem, vitam ac ſanitatem diu perſiſtere non poſſe, animadvertimus.

§. XXV.

Cum vero continua & inteſtina agitatione & motu attritivo, humores temperata & blanda indole gaudentes, ſucceſſive intemperati, ſalſi, impuri, adeoque ſervationi vitali corporis minus idonei reddantur: ideo, ne perniciem inferant corpori, hi ipſi eliminandi ſunt.

Scholion.

Quæ cum ita ſint, jam facile peti poteſt ratio, quare tot colatoria & emunctoria, pro alienis diverſæ naturæ particulis & ſeparandis, & evehendis, à ſapienti architecto conſtructa conſpiciantur, & cur ſine excretionibus vita ac ſanitas diu ſalva eſſe nequeat.

§. XXVI.

Tota humorum maſſa continuo motu in excrementa ſucceſſive fatiſcit: hinc utique opus eſt, ut benigni, inſipidi, temperie gaudentes ſucci, ut ſunt lactei & gelatinoſi, in eorum locum rurſus ſuccedant.

Scholion.

Vita & conſervatio corporis non modo continuis egeſtionibus, ſed & perpetuis ingeſtionibus opus habet. Et quum humorum maſſa benigis ſuccis ſubinde renovanda ſit; ideo in hunc finem divina ſapientia tot officinis & organis pro alimentorum, digeſtione, diſſolutione & bonorum ſuccorum præparatione, animantium corporibus proſpexit.

§. XXVII.

Corporis itaque noſtri, in ſe ſumme corruptibilis, duratio & conſervatio perpetuis in circulum abeuntibus liquidorum motibus, neque minus inutilium excretionibus & utilium ingeſtonibus & appoſitionibus; optime, immo unice, impetratur atque abſolvitur.

Scholion.

Ex hiſce jam petenda venit ratio, quare, circulo ſanguinis, vel in parte, vel in toto corpore, deſtructo, ceſſet vita & preſſo pede corruptio ſequatur, & quare ingeſtionibus & egeſtionibus non recte ſe habentibus, vita & ſanitas periclitetur & morboſæ affectiones corpus invadant.

§. XXVIII.

Machina itaque corporis noſtri admodum corruptibilis, ſolo artificio mechanico, ſive motuum coordinatione, qua inſtructa ipſa eſt, à præſentaneo interitu & corruptione optime vindicatur.

Scholion.

Hoc præſtantiſſimum naturæ, quo utitur in conſervando corpore, myſterium & artificium, cognoſcere utique debet medicus, & hoc eſt, quod veteres naturæ nomine inſigniverunt, cui tam mirabiles in vita tuenda & morbis ſanandis vires adſcripſerunt, cujus ductum, vias ac motum, ut ſequatur & imitetur medicus, paſſim in monumentis ſuis magna cum ſedulitate inculcarunt.

§. XXIX.

Corpus noſtrum quia eſt machina, hinc ejus partes mirifice inter ſe conſpirant & conſentiunt, & hujus conſenſus, quo partes, tam fluidæ, quam ſolidæ, inter ſe communicant, plenior cognitio medico in praxi & pathologicis ſcitu ſumme eſt neceſſaria.

Scholion.

Conſenſum partium cum deſcribere vult *Hippocrates lib. de aliment.* ita loquitur: *conſluxus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia.*

§. XXX.

Conſenſio, quæ inter partes mutua intercedit, quam maxime conſiſtit in communicatione motuum.

Scholion.

Quemadmodum in machina, cujus effectus ſunt motus, vitium parti illatum, lædit ejus motum, eumque cum aliis ſibi connexis communicat: haud diſſimili ratione in corpore humano, læſio partis cujusdam notabilis, aliarum ſibi connexarum motum ſtatim quoque interturbat.

§. XXXI.

Eſt primo magna conſenſio motus fluidorum ſanguinisque circuli in partibus.

Scholion.

Ita videmus vaſis cujusdam majoris in corde orificio à polypoſo concreto obturato, omnes corporis partes & functione ſua, & vita privari. Auricula dextra, ob nimiam ibi ſanguinis congeſtionem vehementius expanſa, ejus contractio minuitur, hinc tam animi, quam corporis vis incipit deficere. Deinceps quandocunque in certa corporis parte, v. g. in pulmone, vehementi vocis exercitio, in manibus per harum fortiorem agitationem, aut in pedibus, facta ibi diuturniori frictione, ſanguinis progreſſio ac celeratur, tunc univerſa ſanguinis & humorum maſſa incaleſcere incipit, à motu & circulo intenſiori facto. Quando exigua ſanguinis pars, in tenuiſſimis vaſis immota hæret, univerſum inde corpus graviter luit, ſiquidem non modo pars affecta tumet, rubet, dolet, ſed & febris accenditur cum ſiti & vigilia. Sanguinis in hepate

aut

aut liene ſtagnatio, univerſi corporis functionibus turbandis idonea eſt, quandoquidem inde non modo digeſtio & alvi excretio vitium contrahit, ſed & inteſtina cum ventriculo & partibus annexis, vehementer ſpaſmis & flatibus exercentur, qui morbus vulgo mali hypochondriaci nomine inſignitur.

§. XXXII.

Mirabilis quoque eſt conſenſio & mutua communicatio partium, quæ exquiſitiori motu ac ſenſu gaudent, ut ſunt nervoſæ ac membranoſæ.

Scholion.

Ex omnibus partibus nulla majorem communicationem cum capite & univerſo nervorum genere habet, quam ventriculus ac inteſtina. Nam is flatibus vehementer diſtentus, ut fieri ſolet in affectione, quæ dicitur hypochondriaca, maximas in præcordiis anxietates, in ſpirando anguſtias, in functionibus animalibus turbationes concitat. Exigua partis ventriculi vel inteſtinorum à veneno eroſio tantum valet, ut ſumma anxietas & continuus vomendi conatus, convulſiones, ſudores frigidi, vehementes nervorum ſpaſmi, animi deliquia, fatalem cataſtrophen non raro inducant. Similiter vel levis tantum lancinatio à lumbrico in inteſtinis, quas non convulſiones & artuum ſtupendas agitationes horrendo ſpectaculo excitare valet? In infantibus ſola diſtenſio & lancinatio gingivalis carnis ab erupturo dente, complures interficit, non alia ratione, quam quod exinde febres, deliria, convulſiones, tormina, aſthmata conſequuntur. Leviſſima, in exſectione clavi pedum, aut in male adminiſtrata venæ ſectione tendinis, aut nervi punctio, funeſtam inflammationem cum febre ac delirio haud adeo raro induxiſſe viſa eſt.

§. XXXIII.

Magna quoque in corpore noſtro eſt conſenſio inter ſyſtema nervorum, & fluidorum progreſſum ac circulum, ita prorſus, ut læſis vel male affectis nervis, libera ſanguinis & humorum progreſſio inde vitium trahat, quemadmodum etiam in circuitu humorum apparens labes, protinus nervoſarum partium ſtatum & actionem perturbat.

Scholion.

Hæc mutua conſenſio & conſpiratio ſanguinis circuli in vaſis, & fluidi tenuiſſimi in nervis, in pathologicis ad morborum & ſymptomatum generationem intelligendam maximi eſt uſus atque conſiderationis. Animadvertimus enim, ſanguine in viſcere vel vaſis partium ſtagnante, aut immobili reddito, protinus genus nervorum præter naturam affici & ſpaſmodice contrahi, ut exinde dolores, febres, hæmorrhagiæ, excretionum ſuppreſſiones, oboriantur. Animadvertimus quoque, à nimia diſtenſione, vel lancinatione, aut eroſione partium nervoſarum, protinus pulſum mutari, vaſcula minima conſtringi, comprimi, hinc ſanguinis libero ac æquabili curſu intercepto, inflamatoriæ & periculoſæ ſtaſes, vel copioſioris ſanguinis ad alias partes & vaſa ampliora morboſæ congeſtiones, emergunt.

§. XXXIV.

Datur adhuc longe nobilior & ſublimior harmonia atque conſenſio inter œconomiam motuum vitalium & animalium, ita prorſus, ut vitium in circulo ſanguinis conſpicuum, protinus animales functiones alteret, ſicut rurſus depravata phantaſia, univerſi corporis functiones vitiare poteſt.

Scholion.

Hæc veritas innumeris exemplis confirmari poſſet, ſed pauca tantum adduxiſſe ſuffecerit. Quieſcente cordis motu, anima protinus in operationibus ſuis ceſſat & omnis ſapientia ac cogitatio exſpirat. Moderatus ſanguinis per cerebrum motus animi & ingenii vires in vigore conſervat; ſimul ac vero hic motus turbatur, ut vel retardetur, vel æquo celerior fiat, ſtatim ad inordinatos motus & rationis alienationes etiam anima diſponitur. Ex eodem fluit fundamento, quod animi mores ac propenſiones ſequantur corporis temperamentum, ſive rectius ſanguinis motum per cerebrum. Vinum, vel aliud quodvis aſſumtum, quod ſanguini motum ac vigorem addit, ingenii quoque vim acuere & excitare ſolet. Medicamentum, quod graveolenti vapore ſuccos contaminat, uti eſt narcoticum, omnem rationis, ingenii, memoriæ & ſenſus vim minuit & quandoque enecat. Quantam vim perverſa phantaſia & impreſſio in partium motibus alterandis poſſideat, & vehementes animi affectus, & melancholicorum perverſa phantaſia aliaque prava deſideria & averſiones luculenter teſtantur.

§. XXXV.

Ex quibus omnibus elicitur, rectiſſime corpus noſtrum machinam omnium perfectiſſimam appellari, eo, quod infinitam DEI artem pro auctore agnoſcit, quam nulla humana ratio imitari poterit & quod perfectiſſimæ regulæ ac leges hydraulicæ, ſtaticæ, opticæ, hydroſtaticæ, mechanicæ ibi reperiuntur & inde addiſci poſſunt, denique, quod tam mirabiles effectus & conſpirationes mutuæ partium in humana machina conſpiciuntur, quæ omnia longiſſime quamcunque excellentiſſimam ullius hominis artem exſuperant.

Scholion.

Ex quo jam facile liquet, perperam eos judicare, qui pro crimine habent, corpus noſtrum machinam vocare, dum ſibi perſuadent, machinas tantum eſſe artis humanæ opera. Quaſi vero intellectus humani imbecillitas regula & norma divini & ſapientiſſimi artificii eſſe debeat. Quapropter & deſinant obtrectare ii, qui non erubeſcunt aſſerere, ejusmodi doctrinas ſaniora medicinæ principia labefactare. Sed aliud eſt dicere, aliud probare.

§. XXXVI.

Infinitæ licet ſapientiæ machina corpus humanum ſit; nihilo minus ratione materiæ eſt ſumme corruptibilis, & ratione ſtructuræ & nexus partium, eſt mutabilis valde & tandem deſtructibilis, id eſt, facile integritate, mobilitate ac denique vita privari poteſt.

§. XXXVII.

Utut homo puriſſimo aëre ac temperatiſſimo & corpori congruo alimento fruatur, & ſecundum ſaluberrimæ diætæ præcepta vitæ rationem inſtituat, ipſi tamen eſt moriendum: ergo cauſa abſolutæ moriendi neceſſitatis non tam in fluidis, quam potius in ſolidis partibus quærenda eſt.

§. XXXVIII.

Experientia conſtat, animantia, quo annoſiora ſunt, eo duriores & compactiores ſolidas illorum partes fieri. Hinc quoque carnes vetuſtiores diuturniori coctione egent & cartilagines in decrepitis in oſſa tranſeunt, hæc vero ſolidiora in vetuſtis, quam juvenibus offenduntur.

Scholion.

Quum ſiccitas & durities ab appoſitione materiæ majori, quæ minimos poros & ductus replet, fiat; facile apparet, per hos fluida amplius ferri non poſſe & tenuiſſima vaſcula evaneſcere, id quod etiam in emunctoriis & ſecretoriis organis, quæ ex copia minimorum ductulorum coagmentata ſunt, evenit. Quare in ſenibus, ob vaſorum anguſtiam & minimorum plenariam occluſionem, ſucci utiliſſimi, lympha nutritia, fluidum nerveum, non tam prompte & in tanta copia ſecernuntur, inque partes influunt, ſed & inutiles, quæ retentæ ſanguinem impurum reddunt, non recte ſeparantur, hinc non mirum eſt, in nutante & extrema ætate,

nutritionem partium ſolidarum deficere, vires quoque & potentiam movendi, item animi vigorem, corporiſque agilitatem cum calore decreſcere, & ſuccos vaſorum valde impuros fieri, ut ſenectus ipſa morbus evadat & mors certo nec tardo pede, ſubſequatur.

§. XXXIX.

Ob viarum anguſtiam & partium ſolidarum majorem duritiem, nec bene humores amplius influunt, nec ſatis promte effluunt, unde conſequitur, nec machinam amplius functionibus recte obeundis aptam eſſe, ſed cum tempore eam magis magiſque reddi ad motus edendos ineptam planeque tandem fatiſcere.

Scholion.

Ductuum & vaſorum tenuitas & anguſtia, ad nutritionis negotium, ad ſecretiones tum liquidorum ſubtilium utiliſſimorum, tum inutilium, eſt ſumme neceſſaria : nihilo ſecius hæc vaſculorum anguſtia & ſubtilitas cauſa quoque eſt deſtructionis machinæ ; ſiquidem ob hanc cauſam tam facile fiunt ſtaſes, ſtagnationes, obſtructiones fœcundiſſimæ morborum, & acutorum, & chronicorum, matrices, hinc tandem machinæ perit vigor ac mors ſubſequitur. Conſpicimus ex eo, longævitatis & præſervandi à morbis præſertim chronicis fundamentum in eo potiſſimum reſidere, ut medicus tenuiſſima vaſa aperta ſervet.

§. XL.

Mutationem, corruptionem & deſtructionem, in quam corpus humanum facillime ruit, avertere & ejus vitam diutius conſervare, medici eſt præcipuum officium ; unde omnino is, in quo vitæ ratio & cauſa poſita ſit, exactius noſſe debet.

CAPUT II.

De vitæ ac mortis natura & cauſis.

§. I.

QUamvis in corpore humano omnes partes ſolidæ, ratione ſtructuræ, integræ ac ſalvæ ſint, & fluida quoque benigna temperie ac juſta quantitate conſtent ; nihilo minus ubi horum motus progreſſivus deficit, nec calor, nec agilitas, neque nutritio, neque ſenſus, multo minus cogitatio obſervantur. Simul ac vero fluida incipiunt rurſus moveri & circumvehi ; protinus hæc omnia & ſingula redeunt, & tunc dicitur adeſſe vita.

§. II.

Vita itaque rectius definitur, quod ſit motus progreſſivus, in circulum abiens ſanguinis atque humorum, ab impulſu cordis & arteriarum, nec non ab elatere fibrarum proficiſcens, ſecretionibus atque excretionibus totum corpus à corruptione atque in integritate conſervans ejuſque functiones gubernans.

§. III.

Vita non accurate per conſervationem mixti à putredine definitur.

Scholion.

Quanquam vita perpetuo conſervationem corruptibilis corporis comitem habet, dum quaſi ejus effectus eſt ; ex eo tamen minime conſequitur, hanc conſervationem & durationem corporis vitam eſſe dicendam, eo quod animantium corpora, vita diu jam privata, à putredine immunia ſolo intenſo frigore, aut ſpirituoſo liquore ſervari poſſunt.

§. IV.

Neque vero omnis motus fluidorum in machinis dici poteſt vita, ſed is tantum, qui fit à cordis reciproca ſyſtole & diaſtole, & ubi fluida in orbem mota incaleſcunt.

Scholion.

Quanquam in plantis, quæ creſcunt, motus ſuccorum animadvertitur, neutiquam tamen vitam ipſis competere recte dicitur, eo, quod carent corde & ſanguine calido ac purpureo. Qua de cauſa vegetabilia non proprie vivere, ſed creſcere, nec mori, ſed exareſcere, dicuntur.

§. V.

Quamdi in homine vel alio animante motus cordis & arteriarum ſive pulſus obſervatur, tamdiu dicitur adeſſe vita.

Scholion.

Nam quandocunque cor quieſcit, ut in ſyncope, nec ſanguis amplius movetur : tunc omnia quieſcunt ac torpent in toto corpore, omneſque partes perfrigerantur ; ſique non amplius revocari ſanguinis & cordis motus poteſt, homo recte mortuus cenſetur.

§. VI.

Cordis itaque motus eſt cauſa circularis ſanguinis motus, adeoque vitæ : & recte primum vivens & ultimum moriens dicitur.

Scholion.

Præclare *Hippocrates libr. de corde* §. 5. naturam ac cauſas deſcribit, dum de corde & venis hæc pronunciat : *hi fontes ſunt humanæ naturæ, hi flumina, quibus totum corpus irrigatur. Atque hi etiam vitam homini conferunt, & ubi reſiccati fuerint, homo moritur.*

§. VII.

Cor machina eſt motoria non ſimplex, ſed compoſita ex quatuor cavitatibus, duabus majoribus, quæ ſunt ejus ventriculi, & totidem minoribus, quæ ſunt auriculæ, quarum ſingulæ motu expanſionis & conſtrictionis gaudent.

Scholion.

Cor muſculum eſſe valde fortem dudum *Hippocrates lib. de corde* §. 4. agnovit, eo tamen ab aliis muſculis diſtinguitur, quod ejus fibræ in ſpiram productæ, cavitates efformant, quæ contrahuntur, vel ampliantur. Atque ſub ſyſtole & contractione cavitatum, cordis ſanguis expellitur in tubos annexos arterioſos, ſub diaſtole vero ſeu ampliatione, ex venis recipitur, adeoque reciproca illa ſyſtole ac diaſtole, vera eſt cauſa circulationis ſanguinis.

§. VIII.

Reciproca muſculorum cordis contractio & dilatatio cauſa eſt fluxus & refluxus ſanguinis ad cor. Nam ſi contractio tantum fieret cordis, neque eam ſequeretur rurſus dilatatio, ſanguis quidem expelleretur, non vero reciperetur : hinc opus eſt, ut pars conſtricta rurſus dilatetur, & dilatata, poſtea iterum conſtringatur.

§. IX.

Cordis potentia motrix licet validiſſima ſit, tamen regendo & impellendo tanto ponderi ſanguinis & humorum non eſſet ſufficiens, niſi magnus tubus, ſimili potentia motus inſtructus, in minima corporis eos impelleret & refluxum per venas promoveret.

§. X.

Cordis itaque & arteriarum ſyſtole & diaſtole vera & adæquata circuli ſanguinis cauſa eſt.

§. XI.

§. XI.

Cordis machina motoria tam affabre conſtructa eſt, ut ejus ſyſtole diaſtolen arteriarum, quæ pulſus eſt, producat, & diaſtole arteriarum rurſus provocet earum ſyſtolen, quæ cauſa poſtea rurſus diaſtoles cordis evadit, & ſic motus ſit perpetuus. Quam ob rem non inepte perpetuum mobile cor dici poteſt & circulus ſanguinis perpetuus motus, quamdiu nempe homo vivit.

Scholion.

Quandocumque arte humana perpetuum motum in machina producere velimus, illud requiritur, ut cauſa motum ceu effectum producat, qui effectus rurſus ſit ſimilis motus ſive effectus cauſa. Igitur meritiſſimo jure infinitam DEI ſapientiam admiramur, qui tot perpetua mobilia conſtruxit, quot ſunt animantium corda; humana vero ratio & ars in ejuſmodi machina invenienda adhuc magno labore deſudavit.

§. XII.

Quia ſucceſſiva & reciproca cordis & vaſorum ſyſtole ac diaſtole, perennis, ſanguinis in orbem, fluxus, adeoque vitæ, cauſa eſt, ipſaque ſyſtole diaſtoles, & rurſus diaſtole ſyſtoles cauſa fit: ſequitur, quieſcente uno horum motuum, ſive in corde, ſive in arteriis, totius circuli ſanguinis curſum ipſamque vitam periclitari.

Scholion.

Quando ſupra modum ex congeſto ſanguine diſtenditur auricula dextra, quæ tenerioris texturæ eſt, propter aërem nimis rarefactum, ut fit in vacuo, vel calidiſſimo aëre, ſyſtole ejus langueſcit, vel plane perit, unde ſyncope. Ex vehementiori animi affectu, vel ex dato veneno, tanta ſæpius fit ſyſtematis nervoſi, quin & cordis conſtrictio, ut ejus expanſio, qua recipitur ſanguis, aboleatur, unde immotus coagulatur ſanguis & homo moritur.

§. XIII.

Quando cordi vel arteriis quieſcentibus, unica ſyſtole in tempore rurſus procuratur; ſubito vitæ animantia morti proxima reſtituuntur.

Scholion.

In vacuo animantia, ſi extremum ſpiritum jam emittere volunt, ut nihil certius, quam mors appareat, & moderatius aër admittitur, protinus ad vitam, motum & vires priſtinas redeunt, cujus phænomeni nulla alia ſubeſt ratio, quam quod, aëre exteriori ſubtracto, ſanguis & humores intra cor & vaſa, aucto elatere, valde expandantur & ſupra modum vaſorum tunicas inque primis auriculam dextram diſtendant, ut difficilius ad contractionem redeant, qua ceſſante, ſanguis non impellitur, hinc progreſſio totius maſſæ ſanguineæ tollitur & mors in propinquo eſt. Si vero aër quantocyus, leni modo, rurſus admittitur, nimia vaſorum diſtenſio ceſſat & ſyſtole cordis atque arteriarum de novo incipit. Aëre valde rarefacto & intenſius calido necari animantia poſſe, certo certius eſt. Id fit, dum pulmonum vaſa, à nimia ſanguinis expanſione, conſtrictionem ſuam amittunt, quæ ab aëre admiſſo frigido, vel aqua adſperſa frigida, mox reſtituitur, unde morti vicina animantia & mox extremum halitum emiſſura, plenarie ad vitam hac ratione revocari poſſe non novum eſt. Memorabilis eſt obſervatio, quam profert *Sachſius in Ampelographia Sect. II. Cap. III.* in aqua ſubmerſos, ſine vita ac motu jacentes, vitæ reſtitutos fuiſſe, forti & diuturniori percuſſione pedum, quia nempe ejuſmodi contuſione, vaſa & fibræ ad motum ſyſtoles vitalem producendum excitantur. Syncopticos forti in planta pedis frictione, aſperſione aquæ frigidæ in faciem, frictione labiorum cum ſale, vel odore ſpiritus volatilis, excitari poſſe, vulgaribus experimentis conſtat. Curioſum etiam, quod Arabes in diuturniorem ſyncopen abreptos, provocato per inſtrumentum aliquod vomitu, reſtituere ſoleant.

§. XIV.

Unica quoque diaſtole, jam conquieſcenti machinæ reddita, totam ſanguinis maſſam in motum rurſus progreſſivum excitare & cordi atque arteriis motum, adeoque vitam, reſtituere poteſt.

Scholion.

Perquam curioſum & plane ſingulare experimentum eſt, quo canibus, qui thorace diſciſſo & corde diu quieſcente, vere mortui ſunt, vita ad tempus reddi poteſt: quod hoc fit, dum ſi tubulus ductui thoracico, vel venæ jugulari, aut cavæ, immittatur & aër inflетur, vel totum cor palpitare incipit, vel ad minimum auriculæ dextræ motus ad aliquot horas reſtituitur, quod etiam in homine mortuo factum eſſe *Cl. Brunnerus in tract. de glandulis duodeni*, memorabili exemplo confirmat. Intenſiori frigore, quando incipit cor quieſcere & mors præ foribus eſt, tunc ſola fortior frictio cum calido panno, in dorſo vel thorace inſtituta, vitam reddere poteſt. Vidimus quoque ſolis frictionibus moribundos ad aliquot horas adhuc ſervatos. Neque ignotum eſt, aqua ſuffocatos, vel laqueo ſtrangulatos, ſi mature frictionibus, venæ ſectione & immiſſione corporum in aquam calidam, tractentur, ad vitam revocatos fuiſſe, non aliam ob cauſam, quam quod ſanguini & humoribus, ad coagulum jam proximis, fluiditas, & cordi & arteriis, facta fibrarum à calore expanſione, motus reſtituitur.

§. XV.

Quemadmodum calor, agilitas, nutritio, integritas, ſenſuumque ac mentis vigor, uno verbo vita, motu ſyſtoles & diaſtoles ſolidorum & fluidorum progreſſu perficitur: ita horum motuum intermiſſio, vel plenaria extinctio, ſyncope, vel mors eſt.

§. XVI.

Eſt itaque mors plenaria motus cordis & arteriarum circulique ſanguinis extinctio, corruptionem corporis poſt ſe trahens.

Scholion.

Corruptio & putredo corporis, effectus quidem mortis, ſed non ſemper ejus neceſſaria cauſa eſt: nam hominem externa violentia vita privari poſſe, machina corporis diu adhuc ſalva & à corruptionis labe immuni perſiſtente, notiſſimum eſt.

§. XVII.

Quodcunque itaque cordis motum ſubito atque in totum extinguere valet, id quoque præſentaneam mortem inferre poteſt.

Scholion.

Ex hoc nunc liquido intelligitur, quare inſigne vulnus cordis vel majoris vaſis, aut polypus, orificium magnæ venæ claudens, ſubitam mortem ingeneret, & quare intenſiſſimum frigus hominem poſſit necare: ſiquidem per cordis aperturam, tanta ſanguinis copia effluente, mox in totum concidit ejus diaſtole, hinc totus ſanguinis curſus ſimul & ſemel deſinit ac in momento mors adeſt, quo vel unico argumento clariſſime mortis natura intelligitur. Polypus necat, quia ſanguinis ad cor ſufficientem affluxum, & conſequenter ejus diaſtolen, tollit, acri verò frigore, quum ſanguis coagulatur, utique ejus curſus ac fluxus omnimode ſiſtitur.

§. XVIII.

Quemadmodum liber ſanguinis circulus univerſum corpus ab abominabili corruptione & morte vindicat, ita neceſſario conſequitur, corruptionem funeſtam

partis, ſive internæ, ſive externæ, quæ tandem totum corpus in putredinem trahit & vitales motus in totum extinguit, à circulo ſanguinis ſublato originem ſuam trahere.

Scholion.

Citiſſime pars corruptioni ſphaceloſæ ſubjicitur, modo fortiſſime vinculis ſtringatur: ſic enim, ligatis vaſis, affluxus & refluxus ſanguinis impeditur, ut immotus ibi ſtagnans, promte putredinem, cujus vis eſt valde ſui multiplicativa, concipiat.

§. XIX.

Quicunque itaque medicus, quod ſuum eſt munus, mortem averrere & corpus diu vivum, ſalvum ac integrum conſervare laborat: is nihil aliud agere debet, quam ut eo omne ſuum auxilium & conſilium dirigat, quo ſanguinis liber ac perennis curſus, per omnes corporis partes, præſtetur, funeſta vero ejus ſtaſis, quies, vel ſtagnatio avertatur.

Scholion.

Neque enim ullus moritur homo, ubi non circuli ſanguinis deſtructi & mortiferæ ſtaſeos, adeoque mortis, evidentiſſima teſtimonia ac indicaturæ adſint: quapropter in omni morborum curatione, circuli ſanguinis conſervatio primum & principale debet eſſe in intentione medici, & ultimum in exſecutione. Hoc argumentum fuſius in *diſſertatione de generatione mortis in morbis* exſecuti ſumus.

§. XX.

Atqui jam liquido apparet, ea, tam ad vitam longius producendam, quam ad morboſas afflictiones præcavendas & avertendas, optima eſſe præſidia, quæ ad conſervandum ſanguinis liberum & progreſſivum motum, maxime per tot ſubtiliſſimos & innumerabiles tubulos & vaſcula minima, quibus omnes partes obſitæ ſunt, faciunt: ſicut è contrario tum ad morbos proferendos, tum ad mortem accelerandam, multum conferunt, quæ vitalem hunc motum cohibent, vel retardant atque anguſta vaſa occludunt.

Scholion.

Maximæ hinc utilitatis ad ſanam & longam vitam ſunt omnia, quæ fluiditatem ſanguinis & humorum conſervant ac perſpirationem liberam præſtant, ut infuſa calida herbarum, item motus atque exercitatio corporis, nec non quæ acidum corrigunt, item ſtomachica temperata balſamica, quæ blandam ſpirituaſcentiam chyli & ſanguinis promovent, neque minus provide adminiſtrata venæ ſectio, quæ, ſanguinis nimiam copiam ſubtrahendo, liberiorem ejus per omnis generis vaſa curſum procurat. Quam noxia vero & proferendis morbis vitæque abbreviandæ apta ſint adſtringentia, validiora purgantia, anodyna, narcotica, putridæ exhalationes, acida, nimium refrigerantia, nimia quoque repletio vitaque ſedentaria, cum affectuum animi intemperantia, à ſolidæ praxeos gnaris ignorari amplius nequit.

§. XXI.

Ergo vita & mors mechanice fiunt, & nonniſi à cauſis mechanicis, phyſicis & quæ ex neceſſitate agunt, dependent.

Scholion.

Patet ex hiſce quam ineptum conceptum de vita & morte ejuſque cauſis, veteres ſibi formarint, dum vitam actionem & imperium animæ in corpus, vel animæ conjunctionem cum corpore, mortem vero vitæ privationem, calidi innati marcorem, ſeparationem animæ à corpore, vel animæ ſeceſſum, aut animæ vel principii vitalis energiam fatiſcentem & functiones corporis deſerentem, dixerunt. Multo minus autem cauſas, cur homo mori debeat, invenire poterant, ſiquidem illorum ſapientia plus nominibus & metaphyſicis ſpeculationibus, quam rerum corporearum & ſtructuræ corporis humani cognitioni, inhærebat.

CAPUT III.

De cauſis motuum vitalium ſyſtoles atque diaſtoles.

§. I.

QUum vita à mere mechanicis & ex neceſſitate agentibus corporeis cauſis dependeat, & ſimpliciſſimus ille motus ſyſtoles & diaſtoles, qui in corde atque in univerſo canalium ſyſtemate reſidet, circuli ſanguinis omniumque ſecretionum ac excretionum cauſa ſit: plurimum utique ad rem noſtram pertinet, veras ſyſtoles ac diaſtoles cauſas inveſtigare.

§. II.

Neque ſatis erit, cum veteribus motuum vitalium cauſam nomen quoddam, ut naturam, animam, ſpiritum, archeum, aut ſapientem quendam dæmonem, vel principium certum vitale allegare, eo quod hiſce obſcuris nominibus nihil explicatur, nihil perſpicuum redditur nullaque ad uſum vel inventionem applicatio fieri poteſt.

Scholion.

Natura quidem ab *Ariſtotele* principium motus & quietis, adeoque etiam vitæ & mortis cauſa, habetur; ſed tamen hoc ipſo nihil dicitur. Nam cum principium philoſophis idem ſit ac cauſa, ideo ſequitur, ut quando naturam cauſam motuum vitalium ſyſtoles ac diaſtoles agnoſcimus, nihil aliud dicamus, quam naturam, quæ cauſa motus definitur, eſſe cauſam motuum vitalium. Sicuti vero in omni demonſtratione & ſeria veritatis indagine, petitiones principii, luſus, fictiones, ambiguæ opiniones & inania nomina procul abeſſe debent: ita tanto magis id in ea doctrina, quæ de vita ac ſanitate hominis agit, neceſſarium erit.

§. III.

Neque ſufficit, animam actionum in corpore, & hinc quoque motuum vitalium, cordiſque ſyſtoles ac diaſtoles, cauſam dicere.

Scholion.

Equidem vis illa & potentia, quæ in nobis percipit, ſibi ideas imprimit, eaſque certa ratione æſtimat: vel adhuc ſuperior ſubſtantia, quæ intelligens, conſcia & libertatis agendi particeps eſt, & mens vocatur, vi unionis certam actionem ac directionem in quoſdam corporis motus obtinet: nullo tamen ſolido ratiocinio evinci poteſt, utrumque principium proxime & directe & ſemper omnes in corpore motus, inque primis vitales illos ſyſtoles ac diaſtoles, producere, atque functiones naturales regere ac gubernare.

§. IV.

Si anima, vel aliud quoddam ens immateriale, cuncta penetrans & movens, muſculorum ipſiuſque cordis motus cauſa eſſet: tunc utique conſequi neceſſe foret, ut ſalvo ac integro exiſtente motus inſtrumento, nempe muſculo, utcunque nervi affecti, vel vaſa ligata fuerint, adhuc motus ſyſtoles ac diaſtoles vigeret, quod tamen minime evenit.

§. V.

Neque opus eſt, ut ad cauſam quandam ſuperiorem metaphyſicam, ſive pneumaticam, moralem & occultam,

tam, quæ non ſciri poteſt, refugiamus, ubi manifeſta phyſica, à vi & operatione rerum corporearum deſumta, rationi & ſenſibus obvia eſt.

§. VI.

Motus, qui fiunt in partibus ſolidis corporis noſtri, à fluidis ipſoque ſanguine calido & partibus ejus ſubtiliſſimis, ſive impetum facientibus, tam in vaſis, quam in nervis contentis, proficiſci, multis evidentibus argumentis poteſt evinci.

§. VII.

Si intercipitur ſanguinis & liquidi nervei fluxus ad partem, ligatis aut diſciſſis arteriis, vel nervis, protinus omnis potentia motrix exſpirat; ergo cauſam intermiſſionis motuum in arteriis & nervis quæri deberi, non inepte cenſemus.

§. VIII.

Ad cordis machinam motoriam non modo inſignes pari octavo & intercoſtali nervi feruntur, ſed & ingens ſanguinis quantitas, per vaſa ſic dicta coronaria, adducitur.

§. IX.

Experientia docet, liberaliori ſanguinis, aut per vulnerationem, aut per ſectam venam emiſſione, cordi potentiam motricem ſubtrahi, adeo ut quieſcere incipiat & ſyncope fiat, ſimul ac vero ille per inclinationem corporis paulatim rurſus affluit, protinus motus cordis redit.

§. X.

Obſervamus homines, quanto calidiorem & copioſiorem habent ſanguinem, tanto robuſtioris eſſe naturæ atque ad animi defectionem minus proclives.

§. XI.

Animadvertimus, diuturna inedia & defectu boni nutrimenti, univerſi corporis vires frangi, & cordis quoque motum languidiorem fieri, cum contra à paſtu, à calido potu, à vino, à pane & ſpirituoſis balſamicis aſſumtis, vires antea depreſſæ mox erigantur, pulſus quoque fortior & celerior evadat. Ergo quod cor & ſolidas partes movet iiſque vires ac vigorem addit; materialis indolis eſt, & forinſecus ex alimentis & aëre accedit.

§. XII.

Caloris ad vitam, nutritionem, propagationem & motus vitales producendos & conſervandos, maxima neceſſitas & potentia eſt.

Scholion.

Quotidiana edocemur experientia, nullum ſemen terræ mandatum, ſine calore, ad fœcunditatem produci, vel plantam ſine eo creſcere & augmentum accipere poſſe. Nunquam ex piſcium, ranarum, inſectorum, vel cujuſcunque generis volatilium ovis atque ſeminibus animalculum, vel pullus excluditur, niſi convenienti & temperato calore, vel ſolari, vel qui ab incubatu animantium provenit, prius ſota fuerint. Hirundines, Alpini mures, multa inſecta, intenſo frigore, ſine motu ſenſibili ac ſenſu jacent, acceſſu vero caloris & vernali tempore, mox motum & ſenſum recipiunt. Ægyptios furnorum temperato & æquabili calore pullos gallinaceos excludere, hiſtoriarum fide conſtat; & novis experimentis comprobatum novimus. Animantia perfectiora utero fœtus generant, eo quod calori ſanguinis materni proportionata ſemina quam optime fœcundari & nutriri poſſunt. Vernali & calidiore tempore accedente, omnia animantium & vegetabilium genera agiliora, fœcundiora & vegetiora evadunt & tota quaſi natura robur acquirit: tum fœcundus animaliuin fit congreſſus & aquatilia ova deponunt. Sine calore nullum animal vivere vel creſcere poteſt, unde integumentis, lecti vel hypocauſti calore, aut alimentis calidioribus acre frigus temperandum eſt.

§. XIII.

Calor eſt valida ætheris, in inteſtino & vorticoſo motu conſiſtentis, in partibus ſulphureis fluidorum actio, qua pori ſolidorum expanduntur, partes eorum fluidæ dividuntur, craſſiores ſubtiliores reddantur, dura & reſiſtentia flexilia evadunt.

Scholion.

Hoc theorema innumeris experimentis hydraulicis & phyſicis confirmari poteſt: ſuffecerit vero pauca attingere. Liquida, præſertim ſpirituoſa, fermenteſcibilia, vaſis firmiſſime incluſa, calore accedente, ſolidiſſima vaſa magna vehementia diſrumpunt. Aqua fontibus artificialibus incluſa, ſolo calore, in altiſſimum ſpatium evehi poteſt. Liquor thermometris incluſus calore expanditur, inque altius ſpatium attollitur. Quam mirabiles in diſſolvendis brevi tempore duris corporibus aër & aqua, in machina Papiniana incluſi, ope caloris edant effectus, res vix amplius rerum phyſicarum curioſis ignota eſſe poteſt.

§. XIV.

Longe vero majorem vim ac potentiam expanſivam calor exſerit in corpora, quæ tenuioris ſunt indolis.

Scholion.

Id clariſſime experimentis evincitur, dum aquæ fontium ſalubrium, videlicet acidularum, vel etiam vina generoſa, aut ſpiritus inflammabiles, vitris arctius incluſa, leni calore foris accedente, protinus ea in minima fruſtula diſjiciunt.

§. XV.

Atqui noſtra ſic conficitur ſententia: partem ſanguinis optimi, calida ætheris materia ſubtiliſatam, magna potentia elaſtica præditam, motuum vitalium, ſyſtoles nempe atque diaſtoles, & inde dependentis motus fluidorum, veram & adæquatam exiſtere cauſam.

Scholion.

Sanguis eſt vehiculum iſtius moventis tenuiſſimæ ſubſtantiæ, quæ à veteribus anima, calidum innatum, aut ſpiritus impetum faciens, ſive principium vitale, quod proprio conanime motum excitet, vel quod reſpondeat elemento ſtellarum, appellatur. Et quia veteres caloris magnam vim, ad ſuſtinendam vitam, deprehendebant, hinc factum eſt, ut principium vitæ & cauſam omnium functionum in animantibus θερμὸν ſubſtantiale & ἔμφυτον, quod in corde reſideat, aſſeruerint. Et ob id quoque ii, qui credebant, animam & naturam eſſe omnium actionum in animantibus cauſam, calidæ & igneæ indolis eam eſſe judicabant. Idcirco etiam *Hippocrates L. I. de diæt.* dixit: *ignem omnia per omnia movere.* Vitam in ipſo ſanguine conſiſtere ſacra nos pagina docet. Sanguis quoque primum in generatione conſpicitur, idque non ſolum in ovo, ſed in omni fœtu animaliumque conceptu contingit: & ſanguine ex venis amiſſo, vel ejus motu & calore penitus exſtincto, vita aboletur. Et quo major ſanguinis boni & ſpirituoſi copia in corporibus viſitur, eo agiliora, robuſtiora, vivaciora & ſagaciora ſunt animalia: & contra, quo parcior adeſt ſanguinis copia, isque intemperatus, vel frigidus, animalia eo ſunt timidiora, minus vivacia magisque imbecillia. Omnia denique alimenta, quæ bonum ſanguinem præbent, ut panis & carnium genus, vinum generoſum; vigorem atque agilitatem animo & corpori addunt & vires depreſſas protinus erigunt. Præterea aër purus, temperatus, ſerenus, qui in altioribus & temperatis locis, tempore verno & ſub flatu orientali animadvertitur, mire omnes vires corporis recreat & animo quoque vigorem & agilitatem reddit,

appeti-

appetitum excitat & erigit, ad venerem ſtimulat, in morbis vires inſpirat. Ex quibus omnibus rectiſſime colligimus, illam ipſam ſubſtantiam, quæ nos nutrit, ſuſtentat, roborat, animat, ſanguinem movet & vires corpori ac animo largitur, eſſe materialem, eamque exiſtere in ſanguine, cum eo etiam amitti, ejusque portionem eſſe delibatiſſimam, optimam, tenuiſſimam, magna potentia expanſiva donatam.

§. XVI.

Sanguis itaque rectiſſime theſaurus vitæ & animæ vehiculum ac vinculum ejus cum corpore dicitur.

Scholion.

Inſignis ad elucidandam hanc rem exſtat locus in *Harvæo*, qui meretur adduci. Hic *exercitatione* 71. ita diſſerit: *ſolemus rerum negligentes ſpecioſa nomina venari. Sanguis, qui nobis præ manibus atque oculis eſt, nil grande ſonat, ad ſpiritum vero & calidi innati magna nomina obſtupeſcimus, detracta autem larva, evaneſcit ut error, ſic etiam admiratio. Profecto ſi ſub lapidis philoſophici ænigmate ſanguinem quis depingeret, atque omnes ejus mirabiles dotes, operationes ac facultates proponeret, illum procul dubio pluris æſtimaret & ſupra vires elementorum agere facile crederet, corpusque illi aliud ac divinius non illibenter attribueret.* Hactenus *Harvæus*. Ego vero ænigma formabo tale: ſi quis dicat, ſibi notam eſſe univerſalem medicinam, quæ in omnibus regionibus & omni tempore haberi poſſit, inque animantium regno reperiatur, cujus tanta ſit efficacia, ut hominem ab omnis generis morbis, imo ipſa præmatura morte, præſervet, quæ univerſum corpus ab excrementitiis ſordibus liberet, quæque vigorem ac robur omnibus partibus conciliet, animoque ſapientiam ac intellectum reddat, qua porro medicus, debito regimine, omnes morbos, quantum poſſibile eſt, ſanare poſſit. Profecto ad unum omnes ejusmodi medicamenti præſtantiſſimas vires admirarentur & nulli ſtudio vel ſumptibus, ut eam inquirerent, parcerent. Quandocunque vero poſtea quis edicat, hanc medicinam ſanguinem eſſe animantium, tunc protinus omnis admiratio & æſtimatio, propter rem vilem & omnibus notam, exſpirabit. Quo ipſo noſtrum ingenium optime poteſt cognoſci, quod vilia, ſenſibus obvia & facilia ac ſimpliciſſima deſpicit, ad ignota vero, obſcura & magnifica magno impetu fertur.

§. XVII.

Reciproca & continua ſyſtole & diaſtole cordis & vaſorum ita peragitur: ſubtilior atque calidior expanſiva ſeminis & poſtea ſanguinis pars, in primis fœtus rudimentis, expanſionem fibrarum cordis incipit, quæ, elatere inſtructæ, impatientes iſtius expanſionis, ſeſe contrahendo in priſtinum ſtatum reſtituunt, & ita ſanguinem in tubos arterioſos expellunt, qui à ſanguinis expanſiva calida potentia identidem dilatantur & poſtea, ob vim quoque elaſticam, ſeſe contrahunt.

§. XVIII.

Machinæ motoriæ cordis, arteriarum, inteſtinorum & omnium, qui motu gaudent, canalium, tam ſapienter conſtructæ & eo conſilio tanta virtute ac potentia elaſtica donatæ ſunt, ut vel levior fibrarum expanſio, earum contractionem provocet, quæ poſtea novæ expanſionis in vicinis partibus cauſa fit.

Scholion.

Ita animadvertimus cor canis exemtum, prorſus in quiete conſiſtens, levi flatu admiſſo, ad motum aliquamdiu revocari poſſe. Neque ignotum eſt, cor ranarum, omni motu privatum, levi acus punctione, denuo palpitare & motum diu adhuc continuare.

§. XIX.

Magna elaſtica cordis, arteriarum aliorumque canalium potentia, non tantum ab ipſa fabrica mechanico-ſtatica, ſed quam maxime à ſubtiliſſimis fluidis expanſivis, quæ partim vaſa ſanguinea, partim etiam nervi advehunt, dependet; quæ duo elaſtica fluida, unita in fibris, tantam potentiam exſerunt.

§. XX.

Quemadmodum motus vitalis duplex eſt, diaſtole nempe atque ſyſtole: ita etiam duplex vis expanſiva utriusque cauſa exiſtit: ſanguis nempe appulſus & intra cavitatem cordis vel vaſorum contentus, copia & calore expanſivo diaſtolem efficit, fluidum vero quod per arterias coronarias ſanguinis atque nervorum agiliſſimum, quod intra fibrarum cordis ſubſtantiam & interſtitia fertur, ibique reſidet, ſuccedentis ſyſtoles ſive contractionis cauſa eſt.

§. XXI.

Quanta eſt preſſio laterum arteriarum extrorſum, à ſanguine impulſo, tanta eſt elateris fibrarum, à fluidis animatarum renitentia: atque ceſſante illo impulſu, fibrarum ad priſtinum ſtatum, nempe introrſum, fit reductio.

Scholion.

Siquidem ex mechanicis notum eſt, elaterem ſemper eſſe æqualem vi comprimentis vel tendentis corporis, & eundem quoque eſſe æqualem vi percutientis. Notum quoque eſt experimentis pneumatico-hydroſtaticis, potentiam elaſticam aëris aliorumque corporum, ingenti eorum ponderi æquari.

§. XXII.

Sicut à ſubtiliſſima & mobiliſſima calidi optimi ſanguinis parte motus vitales fibrarum dependent; ita à ſanguinis corrupti vel impuri tenuiſſima putrida parte, non modo vires corporis, ſed & animi vigor periculum patiuntur.

§. XXIII.

Sicut ſubtiliſſima, ſpirituoſa & temperate ſulphurea alimentorum & medicamentorum pars, & puriſſimus, temperate calidus aër, egregiè vires motrices reſtituunt: ita nihil magis eas deſtruit, quam putredo, ſive putridus vapor.

§. XXIV.

Putredine, quæ mixtionem & ſtructuram corporis animantium potenter deſtruit, nihil vitæ poteſt eſſe infenſius, & hæc quoque indivulſus comes atque effectus eſt extincti ſanguinis circuli, & cauſa præcipua mortis, ſive plenariæ ſyſtoles atque diaſtoles, adeoque fluidorum progreſſus, extinctionis.

Scholion.

Quod ex ſphacelo partis externæ, item ex putredine teterrima, quam cancer ſecum gerit, vitalium virium ſucceſſiva & tandem plenaria defectio fiat; vix alia eſt cauſa, quam quod ſubtiliſſimus putridus vapor nobiliſſimam ſanguinis partem, quæ vitalibus motibus præſidet, inficiat & in totum corrumpat. Peſtis, aliique maligni morbi contagioſi, non ulla alia ratione tam infenſi vitæ ſunt & tam celeriter necant, quam quod penetranti ac tenuiſſima putrilagine interiorem & ſubtiliorem ſpirituoſam ſanguinis partem inficiant, unde mox vires proſternuntur. Sique rem accuratius perpendimus, mortis præcipua & familiariſſima cauſa eſt interna ſphacelatio viſceris nobilioris, aut partium, quæ exquiſito ſenſu ac motu gaudent, ut ſunt ventriculus, inteſtina, meninges. Qua de re legatur *diſſertatio noſtra de generatione mortis in morbis*. Provocamus ad omnes, qui diſſectionibus ex

morbis

morbis defunctorum operam navarunt, an non ſemper in ſectione, etiam mox poſt mortem inſtituta, fœtidiſſima & intolerabilis putrilago, quæ neutiquam eſt in iis, qui morte violenta pereunt, obſervetur. Et quis dubitet, interitus cauſam non tam partis deſtructionem à ſphacelo, ſed potius putredinem, quæ principium illud vitale inficiat & contaminet, exiſtere? Spectat huc quoque præſagium illud mortis, quod vulgus ex corvis & noctuis importuno cantu ægrotantium domos moleſtantibus, promit, quæ effluvia putrida, ex ejusmodi corporibus exhalantia, propius accedunt. Ex hiſce jam facile quoque elicitur ratio, quare medicamenta, quæ narcoſi agunt, tam graviter vires affligant, ſtuporem, torporem ſenſibus motibusque inferant, ita, ut non immerito à cautioribus medicis venenis annumerentur. Aër vapore carbonum, vel ſulphuris vivi, aut aliis peregrinis exhalationibus refertus, non ob id ſolum interficit, quod aëris liberum acceſſum ad pulmones impediat, ſed maxime, quod ſeſe altius ſanguini inſinuans, ejus nobiliorem ſpirituoſam partem contaminet.

§. XXV.

Ergo non mens, non anima ſenſitiva, adæquata & perpetua ac proxima cauſa eſt motuum vitalium ſyſtoles & diaſtoles, quibus omnes actiones ſecundum & præter naturam celebrantur: ſed fluidum tenuiſſimum, calidum, elaſticum, quod in minimis membranarum ac nervorum tubulis & in ipſo ſanguine continetur, horum motuum, adeoque vitæ, ſanitatis & morborum cauſa eſt.

CAPUT IV.

De Motu Fibrarum vitali Elaſtico.

§. I.

DUplex motus vitalis eſt: unus in corde & arteriis atque in toto canalium genere reperitur, & in reciproca ſyſtole & diaſtole, ſive in expanſione & contractione, vaſorum conſiſtit, quo fluida à centro ad ambitum corporis pelluntur: alter in toto fibrarum & muſculorum & membranarum ſyſtemate conſpicitur, & in elaſticitate, reſiſtentia, ſive tono verſatur: uterque ad circulum ſanguinis modificandum multum contribuit.

Scholion.

Motum illum elaſticum, quem fibris partium ſolidarum adſcribimus, *Hippocrates L. de locis in homine*, cutis tenſionem & adſtrictionem, alii tonum & robur partium, nonnulli villorum contractilitatem nominant. Nos potius illum motum, quo fibræ gaudent, elaterem conſtrictorium & expanſivum, ſive motum elaſticum, appellare volumus.

§. II.

Corpus elaſticum illud eſt, quod ex variis filamentis duris, tenſilibus conſtructum & vi alterius corporis expandi ac conſtringi, ſive elongari ac abbreviari poteſt, qua vi ceſſante, in priſtinum ſtatum ſe reſtituit.

Scholion.

Ita ligna, coria, laquei, ſtramina, crines, ſpongiæ talis ſunt naturæ, ut à cauſa externa facile expandi, elongari & rurſus quoque conſtringi & abbreviari poſſint: & hæc eſt ratio, quare hæc corpora, ad præparanda pulcherrima inſtrumenta, quibus humiditatem & ſiccitatem aëris explorare ſolemus, uſurpentur, quandoquidem ſi humidum ſeſe horum poris inſinuat, diſtenſionem ac elongationem efficit, quo à calore & ſiccitate exulſo, filamenta coarctantur, inque priſtinum ſtatum revertuntur.

§. III.

Fibras, ex quibus ſolidæ partes animantium conſtructæ ſunt, ſimili motu elaſtico gaudere, pluribus & indubiis argumentis evinci poteſt.

Scholion.

Mira eſt expanſio, quam cutis in hydropicis, in gravidis, ſcrotum in hernia inteſtinali, uterus à fœtu grandiori, & non raro gemello, ventriculus à nimia ciborum copia, inteſtina à flatibus, glandulæ colli in ſcrophulis, teſtium canaliculi ab humore ibi ſtagnante, experiuntur: ubi tamen mirabile, quod remota cauſa expanſionis, brevi intervallo in priſtinum rurſus & naturale ſpatium ac ſtatum revertantur.

§. IV.

Attenta obſervatione conſtat, cœlo exiſtente humido & temperate calido, ut fit vere & autumno, ſole inclinante, vel vento ex occidente aut meridie flante, cutem totumque corporis habitum inflari ac tumidiorem reddi, vaſa quoque diſtendi ac majora apparere.

§. V.

Quo magis calor & humiditas intenditur, ut fit in balneis vaporoſis & laconicis, eo tumidior fit corporis habitus, pori ac tubuli cutis magis expanduntur, vaſorum ſanguiferorum tenuiſſimæ ramificationes in conſpectum veniunt, à nimia etiam interna ſanguinis expanſione, humor copioſe per poros extruditur.

§. VI.

Obſervamus quoque, cœlo exiſtente frigido & rigido, ut fit hyeme & borea regnante, ſub cœlo ſereno, cutim ejusque poros contrahi, vaſa detumeſcere, ut vix in conſpectum veniant.

§. VII.

Atque adeo aëris fluidum tonum ac elaterem fibrarum corporis noſtri diverſimode afficit, alterat atque immutat. Neque id tantum in externis, ſed & internis partibus viſitur.

Scholion.

Animadvertimus non raro ſub notabili aëris & tempeſtatum mutatione & quando auſtrum vel zephyrum diutius regnantem, ſubito boreas vel eurus excipit, & vice verſa, in partibus antea fauciatis, in pedum clavis ſenſum moleſtum, punctorium, cum ardore & pruritu, ſæpius perſentiri, adeo ut con incongrue dicatur, eos homines calendarium quaſi perpetuum vivum in corpore gerere. Neque id tantum exterius obſervatur, ſed & internæ partes inde mutationem quandam experiuntur: ita non ſemel notavimus, eos, qui ex pulmonum vitio laborant, vel qui calculum in veſica urinaria gerunt, à ventis ſeptentrionalibus valde & ſenſibiliter affici. Idem fit, quando calculus in renibus deliteſcit, qui à frigore aëris commoti & contracti arctius ad calculum premuntur, ſicque à calculo dolor excitatur. Multo magis vero id evenit in iis, qui ingenti capitis vel nervorum imbecillitate laborant: hi enim à quacunque levi aëris mutatione, ſtatim incommodi quippiam pati ſolent.

§. VIII.

Potentia illa fibrarum elaſtica & robur partium, à ſufficienti boni ſanguinis per vaſa arterioſa & fluidi per nervos affluxu, multum dependet.

Scholion.

Siquidem obſervamus, robuſta ea eſſe corpora & muſculos multum roboris in iis exſerere poſſe, qui temperati & benigni ſanguinis copia gaudent, imbecillia vero fieri corpora, & partes robur amittere, ſub ſanguinis boni defectu, qui ex morbis, vel ex nimia ejus profuſio-

profusione, aut ex fame fit, nihilque certius est, quam à laudabili alimento robur partium increscere.

§. IX.

Quod à sanguinis in fibras influxu earum robur dependeat, vel ex eo colligitur, quod confestim, arteria cujusdam partis ligata, ejus ad omnem motum impotentia succedat.

§. X.

Neque tantum sanguinis, sed & fluidi nervei influxus, ad robur partium gignendum, necessarius est.

Scholion.

Patet hoc ipsum in paralyticis, nec non apoplecticis, ubi, vitio vel obstructione residente in cerebro, vel in spinali medulla, atonia, resolutio & flacciditas partium subjectarum, cum impotentia motus & gravitate instar ponderis, consequitur.

§. XI.

Quod fluidum nerveum male affectum, vel præternaturaliter commotum, tonum, elaterem & robur partium immutet, animi pathemata luculentum testimonium edunt.

Scholion.

Ita observamus, à terrore partes externas fortiter constringi, ut, vasis compressis, sanguis ab ambitu ad interiora & majora vasa circa cor & pulmones feratur, unde ejus palpitatio & circa præcordia anxietas, cum extremorum frigore, suboritur. A tristitia, fluidi nervei influxus valde intercipitur, unde omnes fere universi corporis partes suum robur ac tonum amittunt, atque magna ad morbos chronicos fit dispositio: quin ob vires deperditas, affectus alias benigni, facile malignitatem, non sine periculo, induunt. Iracundiæ affectus, dum vehementer fluidum nerveum commovet, validiorem strictu̇ram in universo fibrarum systemate provocat, hinc pulsus & respiratio citatior cum augmento caloris fit, & validissimo tunc robore & potentia homines pollent.

§. XII.

Sub somno & à medicamentis, quæ eum conciliant, ordinario fibrarum relaxatio, cum habitus corporis intumescentia, fit, quod eo tempore languidior & parcior fluidi nervei & sanguinis ad partes affluxus est.

§. XIII.

In iis, qui cholericæ sunt constitutionis, vel ob largiorem vini usum, celeriorem habent sanguinis cursum, fibræ magis tensæ & validæ sunt; flaccidiores vero in phlegmaticis & cachecticis existunt.

Scholion.

Quæ omnia satis docent, robur & vim elasticam, quam exserunt partes, à fluidorum natura & affluxu plurimum dependere. Et quia robur & tonus partium, à boni sanguinis & fluidi nervei temperie ac copia in partes influente dependet, aër vero & alimenta sanguinis statum ac texturam varie alterant, sequitur, aërem utique serenum & purum & solari calore temperatum, & benigna ac congrua alimenta, ad robur partium, & conservandum, & amissum restituendum, plurimum valere, quod etiam ipsa experientia abunde corroborat. Ex hoc quoque porro conficitur, ea remedia optima esse roborantia, quæ blandam sanguinis spirituascentiam principio subtili, suavi, oleoso promovent.

§. XIV.

Eximius & plane mirabilis elateris, qui in fibris consistit, est usus ad fluidorum vitalem progressum moderandum, modificandum & facilitandum, item ad secretiones atque excretiones, ad vitam & sanitatem admodum necessarias, tuendas.

§. XV.

Fibræ musculares, tensione sua, sanguinis, ab ingenti pressione cordis & arteriarum, ad partes appulsui reluctantur; nisi enim magna vi elastica resisterent, nimia fieret vasorum & fibrarum expansio, adeoque tardissime sanguis per venas ad cor remearet & partium fieret intumescentia.

Scholion.

Notum est vasa sanguinea inter membranas & musculos ferri, quorum tonus & resistentia ejus regressum egregie adjuvat. Nam pressio mutua semper est æqualis, sive corpus elasticum tanta vi resistit, quanta comprimitur.

§. XVI.

Sanguinis affluxus & inde facta distensio, sese habet ut fibrarum & vasorum resistentia, quare aucta eorum resistentia, minus sanguinis admittitur & plus affluit alio, eadem vero rursus minuta, redit affluxus ad priorem statum.

Scholion.

Hæc fibrarum tensio & remissio magnam mutationem in sanguinis motu & affluxu ad partes efficit, & hinc maximæ in pathologicis est considerationis. Nam circuitus sanguinis inæqualis ejusque in aliis partibus nimia congestio & inde facta stagnatio, vasorum distensio, vel apertio, quæ multorum morborum productrices sunt, inde originem tradunt. Mentionem vero potentiæ ejusmodi partium tonicæ jam injicit *Hippocrates lib. de loc. in homine* §. 15. cum ait: *fluxiones propter frigus fiunt, cum caro in capite & venæ tensæ fuerint. Hæ enim horrente carne & ad angustias perveniente adstrictaque ac excludente, humiditatem exprimunt & simul carnes ipsæ contra exprimunt ad angustias pervenientes & capilli sursum erecti fiunt, utpote simul undiquaque fortiter compressi.* Quibus verbis clarissime subindicat, à tensione, angustia & adstrictione fibrarum, humores ad alia loca cogi ibique exprimi. Idem *Hippocrates* sanguinis motum translatorium ab una parte ad alteram morbiferam passim, & egregie *lib. de virginum morbis*, docuit. Neque tantum in pathologicis hæc doctrina multi usus est, sed etiam in remediorum derivantium viribus explicandis insignem lucem accendit. Hinc *Hippocrates Sect. V. aph.* 5. mulieri, ad cohibendum menstruum, cucurbitam mammis apponit. Nos, ad derivandum motum sanguinis à partibus superioribus, in hæmorrhagiis, fluxionibus capitis & oculorum, item in doloribus superiorum partium, à distensione ortis, jubemus pedes immitti in balneum, ut fibrarum tensione & resistentia minuta, humores majori copia rursus affluant, superiores deserendo. Et hujus motus fibrarum tonici usum in pathologicis & praxi nemo præclarius *Baglivo* & *Stahlio* ostendit.

CAPUT V.

De sanguine humano ejusque natura.

§. I.

Sanguis humor vitalis est, quo nullum animal perfectum caret, & in quo vita & corporis nostri robur continetur: quo effuso, omnis corporis & animæ operatio cessat; quapropter utique, ut ejus indolem plenius atque exactius cognoscamus, opus est.

Scholion.

Anima & vita, ipsius quoque scripturæ sacræ testimonio, est in sanguine, prout nempe is in orbem circumvehitur, & per universi corporis vasculosam compagem motu agitatur;

agitatur ; nam ſimul ac hic motus quieſcit, omnium partium functio & animæ operatio intercidit.

§. II.

Sanguis eſt liquor purpureus , ex parte aquea, ſulphurea & terrea ſubtiliori compoſitus.

Scholion.

Sanguis eſt humor , ex partibus indole inter ſe differentibus conſtans : nam ex ſolidis & fluidis, gravibus & levibus, diaphanis & opacis, ſubtilioribus & fixioribus, aqueis, terreis & oleoſis inflammabilibus, minus bene cohærentibus, mixtus eſt.

§. III.

Sanguis maxime ex fluido & ſolido elemento eſt conflatus.

§. IV.

Solidum inexiſtere ſanguini, vel ex eo apparet, quod liquida ejus parte leniori calore evaporata, ſicca & ſolideſcens ſubſtantia relinquatur.

§. V.

In ſanguine ſani hominis tres ordinarie partes liquidi, & una pars ſolidi continentur.

Scholion.

Quæ ſit proportio ſolidi & liquidi in ſanguine, quam optime pondus docet. *Boyle in hiſtoria naturali ſanguinis humani* ex unciis quatuor & drachmis quinque ſanguinis, unciam unam & drachmas tres atque XXXIV. grana ſolidæ ſubſtantiæ obtinuit. Nos ſemper ex quatuor unciis ſanguinis , ſive vena inciſa, ſive ſcarificatione ex poris tubulis extractus fuerit, unciam unam ſolidi & ſicci pulveris, facta prius leni in fornace calido evaporatione humidi, obtinemus. Ex hac vero theoria ſanguinis addiſcimus, potulenta tripla fere portione ſolidos cibos exſuperare debere.

§. VI.

Sanguinis humida portio longe citius in auras avolat, quam aliud quoddam aqueum.

Scholion.

Quo experimento probare poſſumus, copioſas tenues & volatiles in ſanguine hoſpitari partes, quæ calori ac motui promte obſecundant , & conſequenter mobilioris, ſubtilioris & valde expanſivæ indolis ſunt.

§. VII.

Sanguis humanus aqua ſpecie gravior eſt.

Scholion.

Utut ſanguis ex partibus aqueis valde tenuibus ſit compoſitus, tamen, propter ſolidum in eo contentum, aqua eſt ponderoſior, quod ſequenti experimento certum fit: quandocunque vas aqua repletum uncias novem & drachmas ſex ponderat, fit, ut, ſi idem vas ſanguine humano impleatur, uncias X. drachmas duas ac grana IV. pendeat. Ergo ſanguis uncia dimidia in dicta menſura aquæ præponderat. Et quod ſolidum in ſanguine, ejus ſero, ſeu liquido, gravius ſit, vel ex eo clare dignoſcitur, quod ſerum ſanguinis parti rubicundæ ſupernatet.

§. VIII.

Solida pars ſanguinis non unius ejuſdemque , ſed valde diſſimilis, eſt indolis.

Scholion.

Siquidem ſanguis humanus exſiccatus & chymico igne tractatus, primo phlegma , deinde oleum ſubtile, poſtea craſſius, fundum petens, empyreumaticum, cum ſale volatili, & denique terram fixam, in vaſis fundo relictam , elargitur. Sanguis enim omnes ejuſmodi materias continet, quales ex omnibus animantium ſolidis partibus igne eliciuntur. Quo magis confirmatur, ſolida ex fluidis ſuam indolem atque incrementum accipere.

§. IX.

Optimus ſanguis gelat iniformem conſiſtentiam habet, & non niſi gelatina purpurea videtur.

Scholion.

Sanguis valde convenit cum gelatina, qualis ex animantium carne & oſſibus excoquitur. Siquidem frigore facile concreſcit & temperatæ indolis ac nullius evidentis ſaporis eſt. Et ſicuti gelatina, evaporata aquea parte, in gluten tranſit; ita etiam ex ſanguine optimum gluten parari poteſt: quin imo calore interno ſanguinis ſerum ſubinde tam ſpiſſum evadit, ut per ſectionem venæ emiſſum, firmioris glutinis faciem ac formam frigore induat. Deinde acidum fortius gelatinæ coagulum inducit; quod evenit quoque cum humano ſanguine. Tum gelatina ſiccata & deſtillata phlegma & ſubtile oleum, cum ſale volatili & fixiori terra, largitur, non ſecus, ac cum ſanguine humano fieri ſolet. Et quod ſanguis ſit gelatina diaphana, à ſulphurea & rubicunda materia tincta, clariſſime apparet, quando ipſe guttatim in aquam immittitur, ubi rubicunda ſulphurea portio ſupernatat; vel quando ſanguis in calidam aquam effunditur , tunc non multo poſt ſubſtantiam mucidam albam , tenuibus filamentis contextam, in fundum dimittit.

§. X.

Sanguis gelatinoſæ temperatæ indolis & conſiſtentiæ eſt, ideo ſequitur, ea alimenta, quæ gelatinoſum ſuccum coctione fundunt, vel quæ principia gelatinam conſtituentia continent, optimo ſanguini ingenerando eſſe aptiſſima.

Scholion.

Atqui ex hiſce jam facile petenda eſt ratio, quare carnes juniorum animantium copioſum ſanguinem ingenerent, & cur Gallorum natio, cui optimi & gelatinoſi ſucci ac cibi familiares ſunt, tam ſubito ſanguinem amiſſum recuperet, & ob id liberaliorem ſanguinis miſſionem facilius, quam alii populi, tolerare poſſit. Neque jam in obſcuro erit ratio, quare alimenta, in quibus principium ſalinum, acidum aut ſpirituoſum prædominatur, aut quæ nimis terreæ ac compactæ ſubſtantiæ ſunt, ad ſanguinem augendum minus apta exiſtant.

§. XI.

Quanquam ſanguinis textura multum ſimilis ſit gelatinæ animantium: attamen ille differentes quoque ab hac quaſdam proprietates obtinet.

Scholion.

Primo ſanguis exſiccatus longe promtius flammam concipit ac diutius eam alit , quam ſiccata gelatina. Deinde major quantitas ſalis volatilis & olei ex ſanguine, per deſtillationem, quam ex gelatina, e. g. cornu cervi, obtinetur. Tum ſanguis putrefactus tetrum magis fœtorem , quam alia quævis gelatina corrupta, exhibet. Itaque ſanguis magis excocta & ſubtilior reddita gelatina dicenda eſt.

§. XII.

Sanguis ex parte ſubtili ſulphurea conſtat.

Scholion.

Quod copioſum ſulphur inſit ſanguini, ejus inflammabilitas teſtatur, & quod ingentem olei quantitatem ſub deſtillatione fundat & motu valde incaleſcat.

§. XIII.

Sanguinis calor dependet quam maxime à parte ejus ſubtili ſulphurea, in motum concitata.

Scholion.

Quamdiu ſanguis fertur per vaſa, tam diu ſanguis calidus obſervatur. Hinc calor nihil aliud eſt, quam inteſtinus partium ejus ſulphurearum motus, qui eo fortior eſt, quo major partium ſulphurearum copia eſt, & quo plus motu attritivo agitantur & mutua colliſione impelluntur. Hinc patet ratio, cur celeriori ſanguinis circulo facto, ut fit in febre, à vehementiori corporis exercitio, ab aſſumtis ſpirituoſis, intenſior quoque calor fiat.

§. XIV.

Calore partes temperatæ, oleoſæ ac terreæ ſanguinis alcaliſantur & ſubtiliores fiunt; quare ex connubio & mixtura principii alcalini & olei ſubtilis, purpureus ſanguinis color emergit.

Scholion.

Sal alcalinum, cum ſulphure ſubtiliori commixtum, leniori calore ac digeſtione, rubicundum induere colorem, experimentis chymicis compluribus ſtabiliri poteſt. Videmus ſpiritum vini rectificatiſſimum fortiſſimo ſali alcalino, quod fit, quando nitrum cum regulo antimonii æquali portione calcinatur, ſuperfuſum, brevi elapſo tempore, elegantiſſime rubicundo colore imbui. Olea deſtillata ſulphuri vivo, vel ſi mavis, ſali lixivioſo recluſo affuſa, leni digeſtione, rubineum colorem induunt. Spiritus ex animantium partibus deſtillati, & ſale volatili ac oleo turgidi, primo diaphani, brevi tempore colore obſcure rubicundo tinguntur. Et quod portio ſanguinis ſubtilior & ſulphurea gelatinæ ejus purpureum colorem reddat, vel hoc unicum experimentum ſatis evincere poterit, quod ſanguis ex ſecta vena in aquam tepidam effuſus, ingentem portionem ſubſtantiæ mucidæ diaphanæ in fundum demittat, aqua vero ſupernatans rubra, poſt factam evaporationem, tenuem rubicundum pulverem, qui promtiſſime ardet, relinquat.

§. XV.

Pars ſubtilior ſanguinis ſulphurea, cum teneriori terra alcalina commixta, ipſi deterſivam penetrantem vim conciliat.

Scholion.

Ex oleo cum alcali intime nupto, ſaponiformem abſterſivam texturam emergere, ex mechanica chymica compertum eſt. Et ejusmodi deterſiva & quaſi ſaponiformis materia in ſanguine animantium quoque appareret, unde ad abſtergendas pingues, viſcidas ſordes eo utiliter utuntur. Et inde fluit etiam ratio, quare ſanguis è vena emiſſus calidus & in terram prolapſus, lignis eorumque poris tam alte ſe inſinuet, ut ejus maculæ nulla fere arte poſſint extergi.

§. XVI.

Saponiformis & abſterſiva ſanguinis indoles, vitali humorum circulo conſervando admodum proficua videtur.

Scholion.

Cum enim ſanguis penetrantis alcalinæ ſulphureæ & abſtergentis indolis ſit, hinc ſimul medicam obtinet virtutem, qua viſcidum & acidum, cum chylo ex alimentis advectum, quod obſtructiones minimorum tubulorum minatur, egregie corrigit ac temperat. Unde non mirum, acidum ad ſanguinem delatum mox in ſalſum converti. Ejusmodi quoque abſterſiva alcalina ſanguinis indoles impedit, quo minus in tenuiſſimis tubulis ipſe conſiſtat & pernicioſas obſtructiones efficiat.

§. XVII.

Pars ſanguinis ſulphurea, volatilis & alcaliſata cauſa eſt, cur ſanguis tam ſubito in fœtidiſſimam putredinem ruat.

Scholion.

Quemadmodum in ſanguine, quamdiu decenti modo movetur, vita & robur univerſi corporis conſiſtit: ita etiam idem ille, omnis corporis corruptionis, putrefactionis, immo mortis, materiam ac cauſam ſubminiſtrat, quod fit, ſimul ac deſinit moveri & in parte quadam quieſcit. Nullum enim corpus tam fœtidæ putrilagini eſt obnoxium, quam ſanguis humanus, qui in habitu corporis conſiſtens, celerrime in fermentativam putrefactionem abit, quæ jure meritoque agiliori, calidæ, ſulphureæ ſanguinis parti, ad motum ejusmodi diſſolutorium inteſtinum maxime idoneæ, debetur. Et obſervamus, ſanguinem fluidiorem & floridiorem, qualis eſt ſanguineorum & cholericorum, ſi incipit quieſcere, longe citius ac vehementius putreſcere, quam qui eſt ſolidioris texturæ, qualis eſt melancholicorum; & ob hanc quoque cauſam ſanguineos plus morbis putridis, quam melancholicos infici, & eorum corpora poſt mortem citius præ aliis putreſcere, animadvertimus.

§. XVIII.

Sanguinem humanum ingreditur quoque elementum paulo fixioris naturæ, terreum nempe, quod ſulphuris nimiam activitatem infringit ipſique temperiem conciliat.

Scholion.

Aqua ſanguini fluiditatem, gelatina nutrimentum partium, ſulphurea portio calorem, rubedinem, ſubtilitatem & penetrantiam fœnerat; terra vero firmiorem ipſi conſiſtentiam largitur, ſub qua, ceu involucro, ligata ſubtilis portio retinetur.

§. XIX.

Multum ſanguinis ingredientia, & conſequenter ejus conſiſtentia, color ac virtus differunt, eaque ab alimentis, item à diſpoſitione vaſorum & ſolidorum ſtructura ac fluidorum progreſſu, maxima ex parte dependent.

Scholion.

Populi, qui victu craſſo, duro & ſalſo fruuntur, ut Finni, Weſtphali, Pomerani, item qui multum comedunt, parum corpus exercent & nullam ſanguinis evacuationem experiuntur, item ii, qui fibras duras, craſſas, denſas obtinent, ſenes, & qui temperamento melancholici ſunt, ſanguinem è vena emiſſum conſiſtentia craſſum, pondere gravem, colore nigricantem habent, qualis juxta *Celſum L. 2. c. 10.* utiliter effunditur, quia profundas inflammationes & difficiles chronicas paſſiones, quæ ex ingenti viſcerum obſtructione & infarctu oriuntur, minatur. Qui vero habitus corporis ſunt ſpongioſi, & anguſtiora, ſed copioſiora, vaſa gerunt, corpus motu exercent, & cibos boni ſucci aſſumunt, hi non modo fluidiorem & floridiorem ſanguinem alunt, ſed & copioſiorem citius generant, quare etiam ob ſanguinis fluidioris copiam & orgaſmum, hæmorrhagiis, inflammationibus, ſed levioribus, abſceſſibus, ſpaſmis, febribus admodum expoſiti ſunt.

§. XX.

Cum ſanguis ratione conſiſtentiæ, gravitatis atque indolis, tam in ſtatu ſano, quam morboſo, multum differat, ſequitur, ut medicus differentem ſanguinis indolem probe cognoſcere debeat.

Scholion.

Gravitas ſanguinis, præter alia experimenta, optime cylindro ſtatico, hunc in uſum à nobis confecto, exploratur, cujus beneficio ſanguis è vena in vitrum,

quod

quod certam capit menſuram, emiſſus, exacte ponderari poteſt.

§. XXI.

Neque nimis craſſus, niger, neque nimis fluidus, tenuis, purpureus, optimæ indolis eſt, ſed qui medio modo ſe habet, & facile in purpuream gelatinam concreſcit.

Scholion.

Quando tam craſſus eſt ſanguis ut ſerum mox in lardum, vel gluten quoddam coëat, profundæ inflammationis, vel gravis chronici morbi ex obſtructione, metus eſt. Si copioſo ſero imbutus eſt, jecoris & renum in ſecernendo imbecillitatem & morbos ab impuro ſero oriundos, ut ſcabiem, arthritidem & ſcorbuticam cachexiam indicat. Sanguis vero nimis fluidus & purpureus, qui omne coagulum & grumeſcentiam reſpuit, peſſimæ notæ eſt, & talis ſubinde ex iis, qui peſte, hectica, phthiſi, variolis & febribus acutis moriuntur, extrahitur.

§. XXII.

Ex ſolo ſanguinis aſpectu ſanitas & integritas partium corporis internarum æſtimari neutiquam poteſt.

Scholion.

Præclare *Ballonius L. 2. Ephem. p.* 191. ſcribit: *plurimis impurus ſanguis detractus eſt, quibus mortuis & ſectis, partes omnes integræ deprehenſæ, aliis purus, quibus viſcera & pulmones putres ſunt inventi. Formoſiſſimis mulieribus impurus detrahitur.* Siquidem morbi graviſſimi non tam in partibus fluidis, quam potius in ſolidis, ſedem ſuam fixam habent, quando hæ inflammatæ, ſphacelatæ, induratæ & obſtructæ ſunt.

§. XXIII.

Sanguinis quantitas non una eademque eſt in homine, ſed multum pro diverſitate habitus & ſtructuræ corporis, ætatis, alimentorum & vitæ generis variat.

Scholion.

Non nulli copioſum ſanguinem in vaſis cuſtodiunt, eumque amiſſum cito recuperant, in aliis vero hæc reparatio tardius procedit. Quod robuſti & ſani homines præ tenerioribus, imbecillioribus & valetudinariis, majorem ſanguinis copiam in venis foveant, extra dubium eſt. Hinc quoque venæ ſectio illis magis, quam his convenit.

§. XXIV.

Sanguis licet ex elementis, diſſidentis naturæ ac virtutis, & quæ male uniuntur partibus compoſitus ſit; attamen motus inteſtinus ac progreſſivus has optime miſcet & conjungit, & homogeneum vitalem liquorem reddit.

Scholion.

Sanguis in tubulo vitreo per accuratius microſcopium quando inſpicitur, apparet ut aqua, cui innumeri rubicundi globuli innatant, qui nihil aliud ſunt, quam gelatinoſa & ſulphurea ſanguinis pars, quæ per motum & inteſtinam agitationem diviſa, globoſam aſſumit figuram. Omnia enim heterogenea, in alieno fluido contenta & quaſſata, globoſam figuram accipiunt. Et quo magis hi globuli ſunt diviſi, adeoque minores & copioſiores, eo ſanguis fluidior, floridior & ad circulum vitalem tuendum aptior exiſtit: quo majores vero & pauciores hi globuli ſunt, eo craſſior ac nigricantior eſt.

§. XXV.

Motus ille inteſtinus partium ſanguinis calorem efficit, hic vero in ipſam ſanguinis texturam agit; quare non poteſt aliter fieri, quin continuus ille motus calidus ingentem ſubinde mutationem in ſanguinis conſiſtentia efficiat.

Scholion.

Motu calido inteſtino adaucto partes unitas à ſe invicem diſcerpi, diſſolvi, fixas volatiliſari, inſipidas ſapidas & ſalſas reddi, pingues ac temperatas acres & valde calidas fieri, compluribus experimentis phyſicis ac chymicis comprobari poteſt. Idem animadvertimus in ſanguine noſtro, ubi nimius calor eum ferme totum in excrementa ſalſa, ſulphurea, bilioſa, viſcida ac mucoſa, ſub febre ardente & præſertim hectica, convertit.

§. XXVI.

Motus & calor continuam in ſanguine humano facit mutationem, qua de cauſa unus idemque non diu in venis perdurare poteſt.

Scholion.

Ex quo intelligitur, quam inepte nonnulli medicorum fingant, primum à nativitate & à parentibus acceptum in utero ſanguinem adhuc corpori inexiſtere, qui ratione ſuæ mixtionis & temperiei, cauſa ſit temperamentorum.

CAPUT VI.

De Sanguinis circuitu.

§. I.

QUamquam ſanguis optime temperatus eſt & convenienti etiam quantitat egaudet; tamen, niſi continuo moveatur, perniciem, quin immo mortem, corpori infert, quia in tetram putrilaginem confeſtim ruit: ſi vero jugi & non interrupto motu per vaſa fertur, vitam conſervat & corpus ab omni corruptione vendicat; quare hujus motus vitalis naturam, cauſas & modum ſcrutari fas eſt.

§. II.

Sanguinis & humorum in animantibus progreſſivus motus eſt circularis, dum à corde, tanquam principio motus, per tubos arterioſos ad partes adducitur, & ab iis per venas ad idem principium reducitur.

Scholion.

Hinc ſanguinis & humorum in circulum abiens motus divinum profecto inventum eſt, quo non datur ad rem medicam illuſtrandum præſtantius, ſine cujus cognitione, nihil in arte ſalutari agi, vel explicari poteſt. Mirum tamen eſt, per tot ſecula illum latuiſſe, donec ab illuſtri Anglo, *Harvæo*, ſuperiori ſeculo propoſitus & inconcuſſis argumentis ſtabilitus fuit. Veſtigia quidem & indicia circuli ſanguinis magnus *Hippocrates* in monumentis ſuis reliquit; attamen propter anatomes id temporis incultum ſtudium, res non ſatis perfecte detegi potuit. Loca, quæ mentionem circuitus ſanguinis faciunt, inprimis exſtant *lib.* 11. *de diæta* §. 45. ubi diſertis verbis ſcribit: quod in febre celerem circuitum faciant ea, quæ in corpore ſunt, & quod tum totum corpus, majori tranſpiratu facto, purgetur. Item *libr. de flatibus* §. 21. ita habens: *Cum prohibetur curſus ſanguinis, alio quidem loco conſiſtit, alio lentius penetrat, alicubi autem citius pertranſit, qua inæqualitate ſanguinis tranſitus facta, omnigenæ inæqualitates per omne corpus contingunt.* Porro *libr. de alimentis* §. 4. *in pilos alimentum, id eſt ſanguis, in ungues & in extremam ſuperficiem intrinſecus pervenit, forinſecus alimentum ex extrema ſuperficie ad intima pervenit.* Nec non *libr. de locis in homine* §. 6. *ſolæ arteriæ temporales, ex venis non ſanguine irrigantur, ſed digrediuntur ex ipſis ſanguis, digreſſus vero, contrarium motum habet influendi, & di-*

greſſus quidem volens ſurſum migrare, ſuperne vero influens volens deorſum recedere, hic impelluntur ac diffunduntur & mutuo circumagitantur & pulſum venis exhibent.

§. III.

Sanguinis circuitum indubiis argumentis & experimentis demonſtrari poſſe clariſſimum eſt.

Scholion.

Motum ſanguinis & humorum in orbem redeuntem inter alia hæc clariſſime evincunt. I. Quod vaſe quodam vulnerato, omnis ex corpore ſanguis effluat, quod fieri non poſſet, niſi ex venis in arterias, & rurſus ex his in venas, tranſiret. II. Si coloratus liquor per ſiphonem in venam injicitur, tunc per arteriam in altero latere apertam effluit. III. Arteriæ ligatæ, inter vinculum & cor, ſanguine plenæ fiunt, inter ligaturas vero & partes externas, inaniuntur & detumeſcunt; venæ autem ligatæ, inter ligaturam & partes externas ſanguine implentur, inter ligaturam vero & cor deplentur; evidenti indicio, ſanguinem à corde per arterias ad partes advehi, per venas autem verſus cor revehi. IV. Ligato trunco iliaco arterioſo, omnes venarum iliacarum ramificationes, infra ligaturam, ſanguine evacuatæ conſpiciuntur. V. Transfuſio ſanguinis ex uno animante in alterum, feliciter aliquoties celebrata, hunc ſanguinis circularem motum eximie declarat. VI. Fluxus ſanguinis ex arteriis in venas, perpulchre in piſcis cauda bene elaborato microſcopio accurate conſpici poteſt.

§. IV.

Sanguinis & humorum progreſſivus & circularis motus legibus hydraulicis, quæ motum corporum fluidorum exactiſſime tradunt, ſubjectus eſt.

Scholion.

Corpus animantium machinam eſſe hydraulicam, in qua impulſu & preſſione ſolidorum, fluida per tubos moventur, jam dudum accuratiores medicorum & anatomicorum agnoverunt. Et ſicuti omnis fluidorum progreſſus, certis legibus, ſecundum quas certi & conſtantes effectus obſervantur, continetur: ita etiam has ipſas in corpore animantium deprehendere licet.

§. V.

Cor eſt principium motus & circuli ſanguinis.

Scholion.

Quemadmodum in antlia, beneficio emboli, liquida per orificia & tubos magna preſſione ejiciuntur: ita cor perfectiſſime ejusmodi antliam & machinam hydraulicam æmulatur, qua, beneficio compreſſionis ventriculorum, ſanguis in annexos tubos per eorum orificia fortiter ejicitur. Omnis enim impetus ac vehementia motus ſanguinis, non ſecus ac in hydracontiſteriis & ſiphonibus, à viribus prementibus dependet.

§. VI.

Quando cor contrahitur, ſive ſyſtolen patitur, ejus fibræ intumeſcunt, abbreviantur, conus cordis verſus baſin ejus immobilem adducitur & latera arctiſſime, non ſecus ac in follibus, comprimuntur, & ſic cavitas interna minor redditur & coarctatur, & hac violenta cavitatum coarctatione, ſanguis premitur in annexos tubos arterioſos.

Scholion.

Is eſt fibrarum in corde ſitus, ut exteriores, à ſiniſtro cordis latere verſus dextrum porrectæ, ad baſin ejus oblique deſcendant, interiores vero à dextro latere verſus ſiniſtri baſin aſſurgant, ſicque ſpirali flexu, geminam ſibi oppoſitam helicem forment, adeo, ut commode cum linteo, ad exprimendam aquam utrinque contorto, poſſint comparari.

§. VII.

Cor, ceu principium motus circularis, inſtar antliæ, & recipere, & expellere, continuo flumine debet ſanguinem; hinc pluribus cavitatibus, duobus quoque diverſis tubis, diverſæ figuræ & ſitus valvulis duabus, nec non diſtinctis motibus, inſtructum ſit neceſſe eſt.

Scholion.

Cum enim una cavitas, ſive amplus canalis, ſeu cordis ventriculus, ſanguine repletur, alter exinanitur, & contra. Et quia ad cor remeare debet ſanguis, neceſſe fuit, ut per unum tubum, qui eſt arteria, ad partes advehatur, per alterum vero, qui eſt vena, revehatur. Et quia cor recipere & expellere etiam debet ſanguinem, duplici opus erat motu, uno activo, qui eſt conſtrictionis & coarctationis, altero paſſivo, qui fit illo remittente motu, nempe relaxationis & expanſionis.

§. VIII.

Cor non unus eſt muſculus, ſed ex quatuor conflatum eſt cavitatibus muſculoſis, duabus nempe minoribus, quæ auriculæ appellantur & aſſiſtunt venarum, tam cavæ, quam pulmonalis, orificiis, & duabus majoribus, quæ cordis ventriculi vocantur. Tot itaque ſunt emboli, quot ſunt cavitates, quarum ſingulæ motu contractionis & dilatationis, ſive ſyſtole & diaſtole, gaudent.

Scholion.

Auricula dextra dum comprimitur, pellit ſanguinem ad cordis dextrum ventriculum, & ventriculus dexter dum coarctatur, ſanguinem pellit ad pulmones: & auriculæ ſiniſtræ contractione ex pulmonibus rediens cruor premitur ad ſiniſtram cavitatem, quæ contracta, ſanguinem magna vi pellit in arteriam aortam, ſive magnam, & per hanc per totum corpus. Eſt vero auricula dextra capacior ſiniſtra, quia tardius ſanguis per venam cavam ſurſum affluit: in ſiniſtram vero longe celerius ab expanſione & motu pulmonum premitur. Accedit quod ſiniſtra ſacco venæ pulmonalis appoſita ſit, in quem ſanguis gravitate ſponte deſcendit & ex hoc quoque in ſiniſtrum ventriculum.

§. IX.

Cum beneficio ſiniſtri ventriculi ſanguis per univerſum corpus propelli debeat: triplo craſſior, rugoſior & robuſtior eſt dextro, ut majori robore ac potentia motrice polleat; dein figura oblonga, pluribus hiulcis diſtincta, gaudet: quum ſi alia, cubica, vel ſphærica fuiſſet figura, nunquam tam bene potuiſſet comprimi.

Scholion.

Siniſtri ventriculi potentia & vis motrix profecto maxima eſt, quia totius ſanguinis & humorum maſſæ, quæ in univerſo vaſorum ſyſtemate continetur, pondus & reſiſtentiam vincere debet, ſiquidem in omni motu progreſſivo, movens majori inſtructum eſſe debet potentia, quam corpus mobile reſiſtens. Accedit, quod aortæ varia curvatura & divaricatio in ramos ejusque tunicarum durities ac renitentia, nec non ultimorum vaſculorum anguſtia, preſſioni huic, quæ fit à ſiniſtro ventriculo, valde etiam reſiſtat. Et propter vehementiam motus, quam hic ventriculus exercet, efficitur, ut cordis ſyſtole fortiſſima manus compreſſione non cohiberi poſſit, ſique amputato cordis cono, in ventriculum immittas digitum, is vix à manu fortius poteſt conſtringi, quam tum à ventriculi parietibus comprimitur.

§. X.

Quemadmodum in hydraulicis, quo magis fluidorum motus promoveatur, opus eſt valvulis, quæ fluidum in cavitatem vel vas admittunt, regreſſum vero per eandem viam impediunt: ita quoque, ad promtiorem &

non

non interruptum ſanguinis motum conſervandum, artificioſa & mechanica valvularum, quæ cordis vaſis aſſiſtunt, inque tubis venoſis conſpiciuntur, ſtructura, ſitus ac figura plurimum contribuit.

Scholion.

Valvulæ pelliculæ ſunt, vel triangularem, vel ſemilunarem figuram habentes. Illæ ita ſunt poſitæ, ut tranſitum humorum ad cor liberum concedant, regreſſum vero impediant, ſemilunares autem convexa ſua parte eam regionem reſpiciunt, unde ſanguis acceſſit, ſed concava parte exiguum ſacculum formant, qui impedit regreſſum, unde apparet, quare tricuſpidales venarum, ſemilunares vero arteriarum orificiis appoſitæ ſunt. Nam cum uterque ventriculus in ſua baſi geminum orificium habeat; utrique veluti janitor erat præficiendus, quorum alter in recipiendo & retinendo, alter in emittendo & excludendo, occupatus eſſe debebat, ne ſanguis per utrumque orificium fluat refluatque & hoc ipſo motus ſanguinis turbetur.

§. XI.

Ad promtiorem & non interruptum ſanguinis progreſſum muſculoſa tubi arterioſi, ſive aortæ, fabrica plurimum confert, qui ſimili dilatationis & compreſſionis motu cum corde gaudet.

Scholion.

Non modo cor emboli vicem ſuſtinet, dum hujus beneficio ſanguis ex ſiniſtro ventriculo in tubum magnum arterioſum pellitur, ſed & hic ipſe cylinder cavus & muſculoſus eſt & ex multis ſtratis fibrarum annularium & longitudinalium, potentia elaſtica gaudentium, compoſitus, qui ſimili expanſionis & coarctationis motu, ut cor, gaudet. Quando enim fibræ annulares abbreviantur & tunicæ ad ſe invicem accedunt, cavitas minor redditur & ſanguis propellitur in tubum venoſum, per quem ob aſcenſum progreſſio difficilior eſt, unde motu arteriorum opus fuit. Et quod in iiſdem magna vigeat ſanguinis preſſio, vel maxime inde apparet, quod digitus, in apertam arteriam immiſſus, valde comprimitur.

§. XII.

Sicuti in hydraulicis expeditus fluidorum motus eſt per canales continuos, licet inverſos: ita etiam in animantium corporibus tubus ille magnus arterioſus & venoſus unicum continuum canalem conicum & cylindricum inverſum efformat, cujus baſis eſt in corde, apex vero in partibus extremis.

Scholion.

Mutuam vaſorum communicationem ſuo jam tempore non ignoraſſe magnus noſter *Hippocrates* videtur, qui *libr. de locis in homine* hæc habet: *communicant omnes venæ & confluunt inter ſe mutuo, & aliæ quidem ſibi ipſis per ſe committuntur ac coincidunt, aliæ vero per venulas à venis extentas.* Hæc vaſorum continuitas partim injectionibus liquidorum, dum ea ex arteriis in venas promte tranſeunt, partim etiam ocular inſpectione in curioſiſſimis *Cl. Kuyſchii* præparatis, de quibus videndi ipſius *theſauri*, confirmatur. Equidem recentiorum nonnulli poros intermedios admittere malunt: ſed quia hi pori non confuſam, ſed ordinatam conſtructionem habere debent, ut ſanguis ab arteriolis recipiatur & in venas immittatur, alias enim perpetuæ fere eſſent ſtaſes & extravaſationes: hinc exiguam certe differentiam animadverto, an per pororum ordinatam & reticulatam texturam, an vero per minima vaſa in rete contexta, ſanguinem ex arteriis in venas progredi dicamus. Innumeræ diviſiones & ſubdiviſiones ramorum & ramuſculorum in uno trunco arteriæ vel venæ occurrunt, ut ob ſubtilitatem fere ſenſus fugiant, nihilo minus tamen per hæc ſubtiliſſima & anguſtiſſima vaſa omnis fluorum maſſa progredi debet. Sed quemadmodum liquor, etiam ſaturate coloratus, in tubos capillares vitreos receptus, colorem exuit, ita etiam nullum dubium eſt, quin ſanguis purpureus, per anguſtiſſimas vaſculorum myriades preſſus, rubedinem deponat, quæ tamen vaſcula, ſi nimium ſanguine diſtenta fuerint, ſenſum antea fugientia, poſtea ſatis diſtincte rubra conſpiciuntur, uti id fit in inflammationibus, quæ in partibus membranoſis, ut ventriculo, inteſtinis oculorumque tunicis, reſident.

§. XIII.

Ad expeditiorem ſanguinis per vaſa curſum non parum contribuit, quod vaſa eorumque extremitates ac tenuiſſimæ ramificationes intra membranarum lamellas poſitæ ſint, ne, hoc ſepimento membranaceo munitæ, nimium aut diſtendantur, aut facile aperiantur, vel diſrumpantur.

§. XIV.

Sanguinis motus per arterias multo velocior eſt ac per venas, partim quod propria gravitate ſanguis deſcendat, partim quod arteriæ motu, quo carent venæ, inſtructæ ſunt, per quas utique difficilis admodum ſanguinis reditus eſt, quia contra naturam eſt, gravia ſurſum ferri.

§. XV.

Cum ſanguinis curſus per arterias velocior ſit: hinc anguſtiores & pauciores arterias, capaciores vero & numeroſiores venas conſpicimus.

Scholion.

Capacitas & diameter venæ cavæ, item auriculæ dextræ, reſpectu ſiniſtræ & arteriæ aortæ, circa cor & omnes partes longe major eſt, & numerus quoque venarum longiſſime arteriarum numerum ſuperat. In pedibus uſque ad genua, nos conſtanti obſervatione anatomica binas imo ternas ſemper venas, inter quas arteria locata eſt, conſpeximus. Anguſtia vero & minor numerus arteriarum velocitate fluxus compenſatur, ſecundum conſtantem & immutabilem legem hydraulicam.

§. XVI.

Perpendicularis & ob id tardior ac difficilior ſanguinis per tubum venoſum regreſſus, plurimis adminiculis providentiſſime adjuvatur: ex quibus ſunt venarum juxta arterias ſitus, nec non tunicæ venarum muſculoſæ & valvularum in venis exiſtentia, item vaſorum tam arterioſorum, quam venoſorum, intra muſculos ſitus.

Scholion.

Valvularum in venis exiſtentia ad promtiorem ſanguinis fluxum non exigui uſus eſt, reperiuntur frequentiſſime circa ramificationes binæ valvulæ ita locatæ, ut ex minoribus ramis ſanguis proveniens, libere quidem penetrare poſſit, ex trunco vero majori verſus extremitates impediatur, quia, ſi illuc urgeatur, valvulæ clauduntur. Oſtendunt igitur hæ valvulæ ſanguinem ex ramificationibus minoribus venæ cavæ ad majores, & ex his ad truncum ipſumque cor, moveri. Præterea venæ quoque muſculoſa tunica donatæ ſunt, quæ tamen rarioribus & tenuioribus circularibus fibris gaudet, quibus utut manifeſtus pulſus & motus deſit, tamen robore, reſiſtentia & tono impediunt, quo minus ſanguis has tunicas ſupra modum diſtendat. Venarum vero intra muſculos ſitu non parum ſanguinis regreſſus promovetur, quod maxime a motu & exercitatione corporis accidit, dum enim fibræ tenduntur, comprimuntur, non poteſt aliter fieri, quin ſanguini in venis contento preſſio & impulſus quidam accidat: id quod clariſſime conſpicitur, quando vena inciſa ſanguis mittitur, tunc ſemper digitis manus compreſſis, celerius effluit.

§. XVII.

Ne ſanguis in anguſtiſſimis vaſis reſtagnet & totus circuitus inde impeditior fiat, longe celerius ipſe movetur in anguſtioribus, quam in capacioribus vaſis, adeo, ut pro differentia anguſtiæ, proportio reciproca velocitatis motus fluidorum creſcat.

Scholion.

Sicut æqualis capacitas tubi, æqualem liquidi progreſſum & eandem velocitatem in qualibet tubi parte efficit: ita ſi difformis tubus eſt, velocitas non eſt eadem, ſed major in ea parte, quæ anguſtior eſt. Nam ſi ponamus, vim, quæ fluidum pellit, eſſe æqualem, vas vero duplo anguſtius eſſe altero, neceſſario eadem fluidi quantitas reciprocam proportionem longitudinis in utraque canalis parte ſervabit, ut in anguſtiori contenta, duplam canalis longitudinem occupent, eadem enim hujus tubi anguſtioris longitudo, nonniſi dimidiam partem, ob ſubduplam anguſtiam, recipere valet, hinc neceſſario ſimilis adhuc longitudo ab altera dimidia occupatur, ergo dupla. Cum igitur eadem liquoris quantitas propulſa in anguſtiori tubo longius eodem tempore procedat, velocius hæc in anguſto, quam ampliori canalis loco movetur.

§. XVIII.

Motus, ſive circulus ſanguinis, pro diverſa cordis ſyſtole atque compreſſione ventriculorum, multum variat.

§. XIX.

Vis impulſiva cordis, quæ ſanguinis curſum modificat, optime arteriarum pulſu cognoſcitur.

§. XX.

Pulſus eſt diaſtole, ſive expanſio arteriarum, à ſiniſtri ventriculi coarctatione & preſſione ſanguinis in eas proveniens.

§. XXI.

Qualis itaque eſt compreſſio cordis & ſanguinis in arteriam expulſio, talis etiam eſt pulſus.

Scholion.

Si magna fit ventriculorum cordis expanſio, qua ingentem ſanguinis copiam recipiunt, & validior compreſſio ſuccedit, magna ſanguinis copia in arteriam ejicitur & ingens ejus fit dilatatio, unde pulſus plenus & magnus gignitur: ſi vero ob ſpaſticam quandam ſtricturam, vel aliam ob cauſam, cavitates cordis ſe non ſatis aperiunt, vel ſi ob defectum virium, ut in malignis morbis, non robuſta & valida fit conſtrictio, parum ſanguinis ejicitur, & pulſus parvus, debilis ac depreſſus fit, interdum etiam plane intermittit. Quod ſi vero hic motus dilatationis & conſtrictionis certo temporis intervallo ſæpius repetitur & numero creſcit: tunc pulſus frequens fit, qui de ſingulorum motuum cordis celeritate clarum præbet indicium. Equidem frequentia proprie non eſt motus affectio, ſed celeritas & tarditas de motu prædicatur; quia vero motus cordis & pulſatio arteriarum eſt motus continuus & ſinguli fere ictus non accurate determinari & menſurari poſſunt, hinc ex pulſuum frequentia, ſive eorum certo intervallo temporis ſubſequuta pluralitate, ſingulorum celeritas judicari debet. Atque adeo nihili habenda eſt hæc contradictio, pulſum celerem & frequentem in praxi multum differre, ſicuti id longius contra Cl. Virum deduximus in *diſſertatione de pulſuum theoria & praxi*. Si vero pulſus magnus cum celeri concurrit, dicitur vehemens, ſi exiguus cum celeri jungitur, debilis & frequens vocari ſolet, tardus vero pulſus eſt, ſi non multi certo dato tempore numerantur, inæqualis eſt, quando mox celer, mox tardus, interdum vehemens, paulo poſt debilis eſt, durus, ſi arteriæ valde ſunt tenſæ & renitentes, & talis tactui digitorum reſiſtit.

§. XXII.

Ex arteriarum pulſu ſanguinis per corpus progreſſio & circulus optime poteſt dignoſci, quare accuratior pulſuum exploratio in praxi medica magnæ utilitatis & uſus eſt.

Scholion.

Quanta ſanguinis copia ex corde in arterias pellitur, tanta neceſſario in cor rurſus ex venis influere debet. Si itaque pulſus eſt citatior & ſimul magnus; certum eſt indicium celerioris ſanguinis per cor & vaſa progreſſus, ſi tardus & vehemens eſt, vel exiguus & frequens, imminuti motus ſanguinis notam præbet. Ad menſurandam vero pulſuum celeritatem, ex noſtra inventione, horologium accuratius, quod minutas ſecundas indicat, egregie ſervit.

§. XXIII.

Ex pulſuum numero & magnitudine probabili conjectura aſſequi poſſumus, quot vicibus ſingulis horis univerſa ſanguinis maſſa cor pertranſeat.

Scholion.

Quandocunque in ſano & robuſto homine ad minimum ſanguinis uncia una cordis ſyſtole in aortam propellitur, & ponamus, viginti octo libras ſanguinis & lymphæ adeſſe, ſinguliſque horis ſex mille pulſus obſervari: tunc totam ſanguinis maſſam, ſingulis horis, tredecim, & intra viginti quatuor horarum ſpatium, CCCXII. vicibus, ſuum abſolvere circulum & per cor transferri, calculus indicat.

§. XXIV.

Mirum eſt, quanta differentia & mutatio pulſuum ratione temperamentorum, ætatum, aſſumtorum, aëris, motus & quietis, item ratione medicamentorum & morborum, beneficio accurati horologii, obſervetur, quæ pulſuum mutatio ſatis indicat, vim motricem cordis & arteriarum, quæ ſanguinis circuli gubernatrix eſt, à cauſis potiſſimum externis, corporeis & ex neceſſitate agentibus, ſive mechanicis, dependere.

§. XXV.

Tametſi præter potentiam fibrarum cordis elaſticam, princeps ejus motus & arteriarum vis motrix à ſanguine ejuſque turgeſcentia calida elaſtica dependeat: nihilo minus nervi plurimum quoque ad cordis atque arteriarum motum faciunt.

Scholion.

Nam nervis octavi paris in collo arcte ligatis, aut penitus abſciſſis, cor, quod paulo ante æquali pulſu agitabatur, mox tremere incipit, donec animal, uno vel altero die poſt, moriatur: quod citius fieret, niſi rami ex plexu intercoſtali ad cor ſimili modo abeuntes, liberi permanſiſſent. Qui à ſolo nervorum liquido motum cordis ducere ac derivare contendunt, mihi videntur errare, quia ſecretio liquidi nervei in cerebro jam motum cordis ſupponit, quo ceſſante, ceſſat & ſecretio & influxus liquidi nervei in cor, nihilo minus nervorum variam conſtitutionem multum mutare poſſe cordis motum, pluribus argumentis convincimur; ſiquidem ea omnis animi motus indoles eſt, ut pulſuum mutatio mox ſequatur. Deinde ſi ſpaſmo nervorum ſyſtema fortiter afficiatur, ut fit in gravioribus doloribus, hæmorrhagiis, in febribus, inflammationibus, affectu ſpaſtico-hypochondriaco & ſub omni morbi impetu, pulſus fit durior, qui magis tactui reſiſtit, declinante vero paroxyſmo & ceſſante ſpaſmo, pulſus mollior evadit, qualis liberiorem tranſpiratum & ſudorem venientem ſubindicat. Tum in paralyticis non raro ingens differentia inter pulſum læſi & ſani lateris viſitur, quæ etiam ſubinde in partibus vulneratis male-

que

que curatis notatur, qua de causa non sine ingenti ratione monemus, ut prius utriusque carpi pulsus tentetur, quam de morbi natura pronunciemus; eo, quod crebrius in una manu est naturalis, in altera præternaturalis. Convulsiones quoque nervorum transire ad motum cordis & pulsum, formicantes, caprizantes & inæquales, in morti proximis, arteriarum pulsationes satis abundeque indicare videntur.

§. XXVI.

Sanguinis varius ad cordis cavitates affluxus in pulsu mutationem quoque efficit.

Scholion.

Si enim, ut supra ostendimus, diastole causa est systoles, & systole diastoles, eæque inter se sunt æquales: facile patet, sanguinis copiosiorem ad cor affluxum, pulsum magnum, vel etiam celerem efficere. Et jam in promtu est ratio, quare febres, quarum omnium origo & genesis in universali generis fibrosi & vasculosi spastica constrictione est, item quare dolores & hæmorrhagias, plerumque celeritas, vel magnitudo pulsuum comitetur; quandoquidem hi affectus pro causa agnoscunt internarum partium spasmum, qui impetum & copiam sanguinis ad præcordia urget. Si vero cordis musculosæ cavitates nimium sanguine replentur, quod maxime evenit si polyposum inest concretum, & systole cordis, ob languidiorem vim motricem, non respondet; pulsus intermittere sæpius, sine ullo tamen vitæ discrimine, vel sanitatis dispendio, solet. Nos à stagnantibus in intestinis flatibus, pulsuum intermissionem notavimus, quæ illis discussis, protinus cessavit.

§. XXVII.

Quemadmodum in hydraulicis, permanente eadem potentia movente, fluidum si premitur, ipsius partes ad omnia vasa, pro illorum capacitate, æquali nisu tendunt, illuc vero maxime feruntur, ubi nullam, vel minorem resistentiam inveniunt: ita etiam sanguitus circuitus non ubique æqualis est, sed in partibus debilioribus, ubi minor tensio, resistentia & tonus est, cursus ejus minuitur, unde stagnatio vel infarctus fit, ubi major tensio augetur.

Scholion.

Hoc theorema in praxi rationali multum affert utilitatis, quandoquidem morbi chronici & hæreditarii ex nativa, vel etiam ascititia viscerum atonia & debilitate, plerumque sua incunabula trahunt.

§. XXVIII.

Sicut in hydraulicis aliquot canalibus, per quos antea libere ferebatur fluidum, obstructis, ejus impetus vergit in tubulos apertos, per quos celerius transfluit: ita etiam evenit in corpore nostro, ut viscerum vel partium internarum vasis & tubulis obstructis, aut sanguine stagnante infarctis, aut spasmo constrictis, indeque libero sanguinis transitu prohibito, is majori copia & impetu ad alia vasa aperta ruat.

Scholion.

Ab inæqualitate circuitus, quæ præsertim propter spasmum fit, complures morbi & symptomata suam trahunt originem, inde enim ingentes sanguinis profusiones, dolores, tumores & funestæ humorum congestiones & extravasationes nascuntur, quarum origo eos penitus latet, qui leges motus fluidorum parvi faciunt, vel parum intelligunt.

§. XXIX.

Quemadmodum fluidorum motus & affluxus se habet ut vasorum resistentia, adeo, ut hac minuta, plus affluat, eadem vero aucta, plus alteri accedat: ita etiam id fit in sangui iis affluxu ac motu.

Scholion.

Patet exinde quam clarissime usus remediorum derivantium, qui non de nihilo est, v. g. pediluviorum, clysterum, venæ sectionis, cucurbitularum atque balneorum emollientium.

§. XXX.

Quemadmodum in hydraulicis, pro diversitate pressionis & capacitate cavitatis, quæ liquida continet, nec non pro amplitudine majori, vel minori orificiorum & canalium, per quos liquida ferri & ejici debent, motus liquidorum valde differt, ratione accelerationis & tarditatis, atque adeo ratione copiæ, quæ effunditur; ita etiam nullum dubium est, quin diversitas circuli sanguinis, quæ ratione individuorum, pro differentia ætatis, & dispositione ac structura nativa partium solidarum, multum variat, à capacitate majori, vel minori cordis & vasorum eorumque ad motum dispositione, rectissime deducatur.

Scholion.

Quare doctrina veterum de temperamentis rectius ex sanguinis differente circulo, & partium solidarum ad eundem modificandum dispositione, quam ex fluidorum varia temperie, aut qualitatum, sive elementorum sanguinem constituentium, mixtione & proportione, deducitur.

§. XXXI.

Res notatu digna est, inter corda & vasa animantium exquisitam reperiri proportionem, ut ex vasorum capacitate, magnitudinem cordis optime concludere possimus.

Scholion.

Constanti & frequente observatione, per cadaverum sectionem exploratum habeo, obesa & spongiosi ac flaccidi habitus corpora, & quæ tenuia & angusta vasa habuerunt, cor etiam parvum obtinuisse. In macilentis vero & qui ampliora, sed pauciora vasa, habebant, cor longe capacius & maius deprehendimus.

§. XXXII.

Quicunque igitur cor capacius cum vasis ampliori-bus obtinent, & fibras habent strictiores, ingenti potentia elastica donatas: in iis motus cordis vegetior sanguinis motum valde accelerat.

Scholion.

Ejusmodi homines pulsu vehementi, qui ex magno & frequenti compositus est, gaudent, & magno robore, tam corporis, quam animi, pollent, & vulgo cholerici audiunt.

§. XXXIII.

Ubi cor majus cum vasis capacioribus, sed paucioribus est, genus vero fibrarum crassitie ac densitate, adeoque immobilitate laborat, sanguinis circulus tardior est, & pulsus magnus, tardus tamen evadit.

Scholion.

Ejusmodi homines sunt quidem tardiores, tam in animi, quam corporis actionibus, constantiores tamen & judicio valent & vocari solent sanguineo-melancholici: & quia senectute talis fit fibrarum dispositio, senes plerumque pulsum durum, tardum & magnum habent.

§. XXXIV.

Qui fibras valde spongiosas & laxas, venas vero cum corde parvas habent, in iis valde debiliter & languide cursus sanguinis & humorum succedit, & ii vocari solent phlegmatici: & horum actiones, tam quoad ingenium, quam quoad corpus, languidæ debilesque sunt.

§. XXXV.

Quandocunque vasa copiosa, sed non adeo ampla sunt, & cor mediocre, fibræ quoque nec adeo laxæ, nec adeo strictæ, tunc temperatior & placidior sanguinis cursus est, nec nimis celer, nec nimis tardus, nec nimis vehemens, nec nimis debilis; temperamentum sanguineum fit, quod, quia in mediocritate consistit, optimum est.

§. XXXVI.

Ubi cor angustius cum angustioribus vasis est, fibræ vero tensæ, renitentes & teneræ; pulsus celer, qui ex frequentia judicari debet, fit, & tunc sanguinis motus celeriter per corporis vasa fertur, & tales simpliciter cholerici audiunt & in omnibus actionibus valde sunt præcipites.

§. XXXVII.

Si vasculosum genus minus capax est, fibræ vero rudiores, duriores & crassiores, sanguis tardius evolvitur, & ita pure sic dictum melancholicum corporis temperamentum evadit, quod ratione corporis & animi actionum miserum est.

§. XXXVIII.

Ergo retardatio & acceleratio motus sanguinis, & exinde dependens animæ & corporis vis, vigor atque languor, à causis mere mechanicis, physicis, in structura & dispositione partium ad motum quærendis, unice requiescit.

Scholion.

Hæc omnia clarissime docent, quantum à veri tramite ii aberrent, qui, neglectis his causis manifestis, & sanguinis circuli, & diversitatem actionum corporis & animi in alio, incognito tamen principio, moralitatis, cognitionis & arbitrii participe, quærunt: cujus tamen naturam, vel proprietates, adeo explicare non possunt, ut potius loco demonstrationis, nihil aliud, quam sterile nomen, vel petitionem principii afferant.

CAPUT VII.

De sanguinis circulo per pulmones & respirationis usu.

§. I.

Vitalis sanguinis circuitus fieri nequit, nisi ex dextro ventriculo, per pulmones, ad sinistrum transeat; cum vero per pulmonum vasa complicata & collapsa pertransire nequeat: hinc opus est, ut hi expandantur, quod fit mediante respiratione, unde ejus amplissimus ad vitam patet usus.

Scholion.

Duplex in homine, extra uterum vivente, sanguinis est circulus, alter late diffusus, alter brevis, ille mediante aorta & vena cava fit per universum corpus, hic vero tantum ex uno ventriculo ad alterum, per pulmones, mediante arteria & vena dicta pulmonali. In fœtu hic circulus cessat, quia respiratio deficit, quare brevissime sanguis ex dextro ventriculo, per duos canales, unum arteriosum, cujus situs est inter arteriam pulmonalem & aortam, alterum venosum, sive foramen ovale, quod inter venam cavam & pulmonalem existit, ad sinistrum transfertur.

§. II.

Respiratio est aëris atmosphærici intra pulmones receptio & successiva emissio: sive, respiratio consistit in inspiratione & exspiratione aëris.

§. III.

In inspiratione cavitas thoracis, in qua siti sunt pulmones, amplior fit, sursum elevatis costis ac diaphragmate descendente.

§. IV.

Facto ampliore in thorace spatio, aëreum fluidum, grave & elasticum, propria vi nititur illud spatium occupare, sed quia in pulmones immediate fertur, eos expandendo, replet sic vacuum thoracis spatium, adeoque in inspiratione pulmones expanduntur.

Scholion.

Aërem corpus esse fluidum, impenetrabile, grave & elasticum, quod in spatia ab aëre vacua magno impetu ruat, compluribus experimentis physico-mechanicis, de quibus *demonstrationes nostræ physicæ* consulendæ, demonstrari potest.

§. V.

In exspiratione, costis descendentibus & sursum delato diaphragmate, redit thorax ad pristinum suum spatium, & pulmones concidunt & aër per eos & nares emittitur.

§. VI.

Ab alternata thoracis dilatatione & constrictione totum respirationis negotium dependet: quando enim aperitur & ampliatur thorax, aër, & gravitate, & elatere suo, per os & nares ingreditur & pulmonum vesiculosum corpus expandit; simul ac vero thorax contrahitur & coarctatur, idem aër ex compressis pulmonibus per easdem vias expellitur.

Scholion.

Costarum capitula cum vertebris spinæ, & illarum pars cartilaginea flexilis cum sterno, tam mirabiliter nectuntur, ut contractione intercostalium musculorum, oblique extrorsum flecti atque erigi, & eorum relaxatione, deorsum introrsumque converti possint; unde thorax nunc dilatatur & capacior redditur, nunc constringitur atque angustior fit. Dilatationem thoracis diaphragma multum auget, cujus duplex musculus, unus à costis spuriis & sterno, alterà lumborum vertebris in centrum tendinosum tendens, ita contextus est, ut utriusque contractione, ejus fornix ad figuram magis planam perveniat, hinc imi ventris viscera deorsum protruduntur atque costæ spuriæ oblique extrorsum flectuntur, & sic amplior fit thorax. Idem duplicatus musculus, quando à contractione remittit, è plano in fornicem resilit, atque intra pectoris cavum ascendit, cujus magnum spatium replet.

§. VII.

Pulmones sunt immediatum respirationis organon, quos aër reciproce & successive ingreditur, & egreditur, hinc eorum fabrica investiganda erit.

§. VIII.

Pulmones sunt corpus mere vesiculosum & vasculosum.

§. IX.

Vesiculæ sunt innumeræ, quibus pulmones constant, ex membranis orbicularibus, expansilibus & contractilibus compositæ, atque ex arteria aspera, cujus expansiones sunt, ortum suum habent & sibi invicem ita racematim adhærent, ut facile ex uno ramo tracheæ in plurimas vesiculas, & rursus ex his in illam, detur aditus.

§. X.

Vesiculæ pulmonales omnes cohærent & connexæ sunt cum aspera arteria; hinc inflata trachea, omnes vesiculæ

ficulæ pulmonales; & sic totus pulmo, expanditur, vel inflato tantummodo ramo tracheæ, vesiculæ tantum eæ, quæ ex hoc prodeunt, expanduntur, ceteræ, quæ non prodeunt ex hoc ramo, flaccidæ manent.

§. XI.

Aspera arteria innumeras ramificationes spargit per pulmones, quæ dicuntur bronchia.

§. XII.

Bronchia & vesiculæ ex his prodeuntes constant ex membranis variis, primo nempe carnea, sive musculari, quæ ex fibris longitudinalibus & annularibus contexta est, secundo nervea, tertio vasculosa, quarto glandulosa.

§. XIII.

Ratione tunicæ musculosæ & nerveæ, pulmones sensu & motu instructæ sunt, dilatationis nempe & constrictionis: nam quando ab aëre dilatantur, proprio nisu & motu activo, rursus contrahuntur & ad aëris expulsionem faciunt.

Scholion.

Par vagum octavum, ramos, partim in pulmonum membranam, partim in brochia & eorum vesiculas, quas superscandunt & circumligant, emittit, & ratione horum sanguis in pulmonum vasis stagnans maximas facit anxietates atque angustias. Quandocunque fibrarum motricium, quæ per vesiculas & bronchia expansæ sunt, contractio fit spasmodica, non modo aër, ut decet, recte neque admittitur, neque redditur, sed & ipsa vasa sanguinea, inordinate contracta, sanguinem transeuntem intercipiunt, hinc asthma fit convulsivum, certis & statis periodis revertens. Ad diaphragma vero nervi, tripla radice exorti, ex cervice per cavum thoracis descendunt, & in quatuor ramulos dividuntur, tendinosæque diaphragmatis parti inseruntur, qui vellicati, mox pectoris dilatationem excitant. Si itaque hi nervi vel paralysi tentantur, vel etiam, si per nervos octavi paris tendentes ad pulmones, fluidi nervei influxus impeditur, magna oritur spirandi difficultas, uti fit in apoplecticis & paralyticis. Si vero violenter diaphragma contrahitur & thorax dilatatur, aër magna vi, nec sine strepitu, in pulmones impellitur, sicque singultus fit. Quando diaphragmatis descensus ab inflatione ventriculi impeditur, quod facile fit in hypochondriacis, hystericis & asciticis, respiratio valde difficilis redditur.

§. XIV.

Aspera arteria, & quæ ab hac producuntur bronchia glandulis obducta sunt, quæ humidum unctuosum à sanguine separant, quod etiam exspiratione eliditur. Hanc vero utilitatem habet, ut humectet membranosam bronchiorum substantiam, ne perpetuo & irrequieto aëris appulsu exsiccetur & incommodi quippiam patiatur.

Scholion.

Quando glandulæ, arteriæ intertextæ & bronchiis adjectæ tumidæ fiunt atque increscunt, liber aëris egressus è pulmonibus impeditur, qui tunc expansi thoracis spatium replent & asthma difficillimum gignitur, quod aliquoties in dissectis asthmate defunctis vidimus.

§. XV.

Pulmo est viscus admodum vasculosum, siquidem arteria & vena pulmonalis in innumerabiles ramorum myriades dividitur, qui cum arteria aspera, in eorum medio jacenti, distribuuntur & vesicularum membranas retis in modum ambiunt & ubique celluloſa spatia occupant.

Scholion.

Dum sanguis per innumerabiles vasculorum pulmonalium myriades transire debet, quæ facile tam à sanguine, quam à sero copiosius ibi congesto, infarciuntur nimiumque distenduntur; vesiculis bronchiorum compressis, libera harum expansio impeditur & spirandi difficultas nascitur, quod cachecticis, plethoricis, & ubi solennes ac criticæ sanguinis evacuationes suppressæ sunt, familiare est. Hæc quoque vasorum angustia & copia in causa est, quod facile ibi collecti humores stagnent, corrumpantur & molliſſimam substantiam rodant; unde fit humorum & sanguinis extravasatio, indeque major stasis, acrimonia & humorum consumtio: & hunc in modum tussis humida & phthisis, cum sputo cruento & purulento, nascitur. Ob eandem vasorum angustiam fiunt etiam facile in pulmonibus tubercula & scirrhi.

§. XVI.

Quoniam in collapsis pulmonibus innumerabiles ac tenuissimæ vasorum ramificationes valde complicantur atque contrahuntur; hinc cursus sanguinis per has, nisi expandantur & elongentur, difficulter succedit.

§. XVII.

Quando aër pulmones ingreditur, omnes tracheæ tubuli vesiculæque ipsis annexæ inflantur, expanduntur, quo fit, ut non modo vesiculæ ex planiori per complicationem figura in rotundiorem extendantur, sed & innumerabiles vasorum sanguiferorum rami, antea complicati, exporrigantur, unde jam facilius sanguis per arteriam & venam pulmonalem ad sinistrum cordis ventriculum pergit atque urgetur.

§. XVIII.

In exspiratione quando elasticæ & fibrosæ pulmonum membranæ concidunt, tunc venæ non secus ac spongia comprimuntur, & ex eorum ramis minimis ad ramos majores sanguis urgetur, atque adeo, & inspiratio, & exspiratio, transitum sanguinis per pulmones promovet.

§. XIX.

Circulatio sanguinis per universum corpus sine transitu sanguinis per pulmones, & hic sine respiratione, diu permanere nequit, hinc facile patet, sublata respiratione, vitam tolli.

Scholion.

Jam clarius apparet ratio, quare constricta arteria aspera, vel si hæc ipsa aqua, vel vapore denso, sulphureo, ut carbonum accensorum, qui aëris ingressum impedit, repleta fuerit, item si stagnet ingens copia aquæ, vel puris in thorace, qua pulmonum expansio impeditur, aut subtracto aëre per antliam, vel sub aëre nimis tenui, rarefacto & calido, homo suffocetur & pereat. Nam si quando pulmonum expansio impeditur, sanguis ad sinistrum ventriculum pergere nequit, sed stagnat in dextro & deinde in toto venarum systemate, neque ad cerebrum ulterius fertur, unde vita perit.

§. XX.

Sanguis per innumerabiles vasculorum pulmonalium myriades cum premitur atque pertransit, ipse in minimas partes dividitur, conquassatur & comminuitur, unde fluidior & floridior ex pulmonibus redit, quam fuit ingressus.

Scholion.

Aër gravis & elasticus quando interiora pulmonum subit & calore adhuc magis expanditur, tunc explosiva vi vesicularum parietes undiquaque premit, & sic mirum in modum, nisibus suis, sanguinem per exilissimos membranarum tubulos transactum, quasi pistillo in minimas partes dividit atque discerpit, unde longe liquidior ad cor redit, & qui obscuriore colore tinctus erat in dextro ventriculo, nunc rutilo, comminutionis indice, conspicuus ad sinistrum revertitur.

§. XXI.

§. XXI.

Pulmonum igitur munus eſt, partes ſanguinis diverſæ indolis, graves ac leves, fluidas & ſolidas, intime inter ſe miſcere, unire, combinare, quod ad circulum ſanguinis per vaſa minima liberum promovendum & ad vitæ conſervationem admodum neceſſarium eſt.

Scholion.

Corpus noſtrum conſtare ex capillaribus & minimis vaſculis, patet autopſia. Ne itaque ſanguis ibi ſtagnet, ſed libere ea pertranſeat, opus eſt, ut in fluiditate conſervetur, quod fit, ſi partes ejus graves & ſolidæ cum aqueis, fluidis & ſubtilioribus, motu conquaſſatorio & comminutorio, intime uniantur, quod optime in pulmonibus perficitur. Et quia tranſitu ſanguinis per pulmones, eorumque motu contractionis & dilatationis, ejus partes concuſſione & conquaſſatione intime miſcentur, ut fluidus evadat, hinc ad vitalem ſanguinis per minima vaſa circulum conficiendum ſumme neceſſarius eſt. In fœtu autem, & reſpiratio, & motus pulmonum, ceſſat; ideo provida natura in pulmonum locum placentæ corpus conſtituit, quod totum, ut pulmo, vaſculoſum eſt, ſiquidem ex innumeris vaſorum umbilicalium ramificationibus conſtat, & quoties inſpiratione matris diaphragma deſcendit & imi ventris viſcera comprimit, toties quoque uterum eique cohærentem placentam concutit, motumque pulmonum ſic concuſſa placenta æmulatur.

§. XXII.

Difficiliori igitur facta reſpiratione & ſanguinis tranſitu per pulmones reddito impeditiori, mixtio intima partium ſanguinis minuitur & hinc facile graves & ſolidæ partes à fluidis ac levibus ſecedunt.

Scholion.

Ex hoc theoremate naſcitur ratio, quare in morbis, ubi ex pulmonum vitio laborat reſpiratio, ut in aſthmate, orthopnœa, pulmonum conſumtione & phthiſi, tumores aquoſi & œdematoſi pedum, hydrops thoracis, abdominis, obſtructiones & infarctus viſcerum & polypi in cordis thalamis, præſertim dextro, ſeceſſiones ſeri per alvum, ſudores immoderati, facile generentur: cum enim ſanguis ſtagnat in ſyſtemate venoſo, ſecedunt facile partes fluidæ à ſolidis.

§. XXIII.

Calor corporis à calore ſanguinis fit, hic vero à forti & inteſtina agitatione partium, præcipue ſulphurearum, gignitur, quare rectiſſime colligitur, reſpirationem & motum ſanguinis per pulmones, non refrigerium ſanguini afferre, ſed potius ejus calorem intendere.

Scholion.

Animadvertimus animantia calidiora, & quæ copiam ſanguinis calidi in venis alunt, pulmonibus gaudere; frigidiora vero, ut piſcium genera, iis deſtitui, item obſervamus, quo thorax amplior eſt & pulmones majoris molis, eo homines eſſe & calidiores, & robuſtiores, & vivaciores: deinde quo citatior eſt reſpiratio, ut fit in vocis elevatione & ſermone longo, eo magis corpus incaleſcit.

§. XXIV.

Aëris fluidum atmoſphæricum non pertranſit veſicularum pulmonalium membranas, nec immediate cum ſanguine tranſeunte miſcetur.

Scholion.

Etenim aëreum fluidum, veſicis incluſum, neque in vacuo, harum tranſit poros, multo minus, ubi vaſa liquidis repleta ſunt & pori membranarum humido obducti, in eos intrabit, præſertim cum impenetrabile aëris fluidum non ullum occupet locum, niſi vacuum ab alio corpore. Deinde aër atmoſphæricus cum liquidis non bene miſcetur, neque etiam cum ſanguine, quia ejus interſtitia jam aëre per alimenta advecto repleta ſunt.

§. XXV.

Quamvis aër in pulmones hauſtus, non cum ſanguine immediate & proxime miſceatur, ſed rurſus expellatur: nihilo minus & partes ſolidæ pulmonum, & ipſe fluor ſanguineus, eas percurrens, ab aëre inſpirato magnam mutationem accipiunt.

Scholion.

Sicut enim aëris fluidum corpus noſtrum ambiens & partes ejus ſolidas & fluidas varie afficit: ita multo magis id perficiet, quando in amplum illud pulmonum viſcus ingreſſum fuerit.

§. XXVI.

Sicut calor & frigus aëris externi liquidum thermometro incluſum multum expandit, vel condenſat, ſubeundo, & vitri, & liquidi poros: ita nullum eſt dubium, quin aër reſpiratione hauſtus, prout calidus, vel frigidus eſt, ſanguinem ſimili modo afficiat.

§. XXVII.

Sicuti aër ſerenus, vivida & expanſiva ætheris virtute imbutus, vel vaporum copia repletus ac minori elaſticitate donatus, omnia corpora, tam animata, quam inanimata, varie afficit, fibras vel conſtringendo, vel relaxando: ita nullum dubium eſt, quin ſerenus aër, fibris bronchialibus & membranoſis nerveis veſiculis tonum, robur & motum majorem afferat, levis vero & humidus, fibrarum relaxatione, tonum ac motum imminuat.

§. XXVIII.

Quo major tenſio membranarum pulmonalium, eo fortior preſſio ſanguinis, conſequenter vegetior circulatio & calor eſt.

Scholion.

Animadvertimus, ventis flantibus orientalibus ac ſeptentrionalibus, qui ſerenam & compreſſam atmoſphæram reddunt eamque ab humiditatibus purgant, omnes animi & corporis actiones fieri vegetiores, circulationem, pulſum, calorem & tranſpirationem quoque intendi: ſub atmoſphæra vero humida, cœlo exiſtente turbido, pluvioſo & nebuloſo, agilitatem partium & totius corporis, appetitum quoque, calorem & tranſpirationem etiam minui. Ratio quoque jam facile in pathologicis reddi poteſt, quare in affectibus pulmonum ſpaſticis, pleuritide, peripneumonia, tuſſi ſicca & convulſiva, aſthmate ſicco, item in hectica, aëre ſicco & ſereno exiſtente, dolores, anguſtiæ, aliaque ſymptomata majora fiant, ſub temporato vero, pluvio ac humido cœlo, decreſcant eo, quod in illis morbis jam fibræ pulmonum nimis tenſæ & conſtrictæ ſunt. Patet porro jam ratio, quare propter imminentem pluviam, aëre reddito leviori & magis rarefacto, homini ac ceteris animantibus anguſtia, anxietas circa præcordia, cum ſpirandi difficultate accedat, quia nempe tali aëre, & fibræ vaſorum, & membranarum pulmonalium, valde relaxantur & intus contenta fluida expanduntur, unde preſſio & refluxus ſanguinis ad cor fit impeditior.

§. XXIX.

Aër variis exhalationibus repletus, quamvis non eas immediate cum ſanguine miſceat, tamen & fluidis ac ſolidis, præſertim pulmonum partibus, vel noxam quandam affricat, vel etiam emolumentum affert, teſte virtute ſuffimigiorum & contagii morborum.

Scholion.

Aër exhalationibus valde ſulphureis refertus, membranas & veſiculas pulmonales exſiccat & glanduloſas

tunicas

tunicas conſtringit, unde pulmonum tabeſcentia & ſiccum aſthma fit, cui valde obnoxii ſunt, qui metalla igne tractare ſolent & qui vaporem carbonum foſſilium continuo hauriunt. Juvat vero aër, vapore ſulphuris blandi, vel balſamico refertus, eos, quibus glandulæ bronchiales nimis ſunt relaxatæ & aſpera arteria valde humida. Miaſmata vero putrida & maligna morboſa, cum aëre poris corporis noſtri, adeoque ſuccis ſeſe inſinuare, in iis maxime partibus, per quas tranſeunt, experientia proh dolor ſatis oſtendit.

§. XXX.

Reſpiratio ad recipiendum ſanguinem ex corde in pulmones & ad eum exprimendum in cor, multum facit, hinc auctiori reddita reſpiratione, circulum ſanguinis promoveri, facile intelligi poteſt.

Scholion.

Supra dictum eſt, impulſum ſanguinis ad cor, qui fit ſub ejus diaſtole, provocare ejus contractionem ſive Syſtolen, qua fit ſanguinis expulſio, & ſyſtolen rurſus provocare diaſtolen; hinc ſequitur, celeriori facta preſſione ſanguinis in pulmonibus per inſpirationem & exſpirationem, citatiori motu ipſum ferri ad cordis ſiniſtrum ventriculum, & eodem celeritatis gradu vergere per arterias: atque adeo per univerſum corpus ſanguinis circuitus fit velocior.

§. XXXI.

Vociferatione, ſermone intenſiori, tuſſi & motu corporis auctiori facto, ſanguinis circulus promovetur, adeoque & calor, & tranſpiratio, fit major.

Scholion.

Sanguinem celerius & magis cum impetu fluere ex ſecta vena ſub tuſſi & aucta reſpiratione, certa experientia confirmatur, & quia ſub labore, motu & exercitio corporis muſculi partium conſtringuntur & ſanguinem majori in copia ac celeritate urgent ad cor & pulmones, hinc quoque ſub motu creſcit perſpiratio, pulſus fit celerior, & calor ac ſudor occupat corpus.

§. XXXII.

Reſpiratio multos adhuc fines & uſus ſecundarios habet, ſiquidem ſecretiones & excretiones facilitat atque ſecundat.

Scholion.

Quoniam in inſpiratione muſculus diaphragmatis deorſum deſcendit, hinc omnia viſcera in abdomine contenta comprimuntur & abdomen expanditur, & compreſſione muſculorum abdominis, excluſio fecum alvinarum, urinæ, fœtus, ſecundinarum, multum adjuvatur.

§. XXXIII.

Multum quoque reſpiratio ad motum periſtalticum ventriculi & inteſtinorum & ad promptiorem chyli in vaſa lactea ingreſſum & contentorum per inteſtina progreſſum confert.

Scholion.

Sub ſucceſſiva enim inſpiratione & exſpiratione, muſculorum abdominis alternativa compreſſio & expanſio fit, quo motu ſubjecta inteſtina etiam afficiuntur.

§. XXXIV.

Sine inſpiratione nec olfactus, nec lactis, vel tabaci ſuctio, aut liquidorum ſorbitio, & ſine exſpiratione nulla loquela & nullus clamor fieri poteſt.

Scholion.

Nulla quidem attractio, vel ſuctio datur in rerum natura, ſed omnis motus tam ſolidorum, quam liquidorum, pulſione perficitur. Quando vero inſpiramus, majus ſpatium efficimus in thorace, quod cum aër gravis ingredi nititur, ſimul vel liquida, vel fumos in os abripit atque impellit.

CAPUT VIII.

De ſanguinis circulo per viſcera & varias corporis partes.

§. I.

PRo differente viſcerum partiumque fabrica & ſitu, ſanguinis circulus differt.

Scholion.

Quædam partium à corde remotæ admodum ſunt, ut pedes, quædam proximæ, ut pulmones, in quibusdam debet aſcendere ſanguis, ut in caput, in aliis deſcendere, ut in pedes viſceraque imi ventris, in aliis ejus motus debet ad latera dirigi, ut in renibus, liene, nonnullæ valde mollis, ſpongioſæ & meræ vaſculoſæ ſunt texturæ, ut pulmones & lien, aliæ firmioris & ſtrictioris, ut uterus, quædam ſunt ex meris membranis compoſitæ, ut ventriculus & inteſtina, quædam ex meris glandulis conflatæ, ut pancreas & mammæ. Pro diverſimoda itaque partium ſtructura & ſitu, neceſſe eſt, ut ſanguinis motus & circulus differentem modificationem habeat.

§. II.

Difficilis eſt ſanguinis motus & aſcenſio ad caput.

Scholion.

Omnia gravia natura deorſum tendunt. Hoc vero eorum motus difficilior eſt, quo major aſcenſio ad perpendiculum. Provida hinc natura caput & cerebrum non procul à corde collocavit, ut quo brevior eſt via, eo validior potentia motrix cordis ad propellendum ſurſum liquidum ſit.

§. III.

Immihuta igitur & valde languida potentia cordis motrix invalida eſt ad ſanguinem propellendum verſus cerebrum, quare in ſitu erecto facilis eſt propenſio ad animi defectionem.

Scholion.

Ubi ingens virium eſt defectus, qui fit vel à nimia ſanguinis detractione, vel in morbis malignis aut viſcerum corruptione, ibi facile ſub erecto corporis ſitu animi deliquia incidunt. Non ſemel, ſed ſæpius & iterum, in acutis, quam maxime malignis febribus, ex ſolo erecto ſitu, animæ defectionem & exinde ſummum periculum noravimus, toto morbi ſtatu & curſu immutato. In ejusmodi enim malis languida cordis contractio non ſufficit debitæ ſanguinis quantitati ad cerebrum impellendæ, hinc ſubtracto nervis & organis ſenſoriis fluido, motus & ſenſus perit. Præſtat itaque in omnibus morbis ubi vires deficiunt, corpora in declivi ſitu & decubitu ſervare.

§. IV.

Peculiaris arteriarum cerebri fabrica motum ſanguinis per caput varie quoque modificat.

Scholion.

Neque enim ignotum ex anatomicis eſt, arterias tam carotides, quam vertebrales, antequam calvariam ſubeunt, deponere craſſiorem ſuam tunicam & ex tenuibus tunicis more venarum tantum eſſe contextas, omni procul dubio eum in finem, ut ſubtilius liquidum ex ſanguine per has allato, & ſeparari, & in corticalem & tubuloſam cerebri ſubſtantiam felicius penetrare poſſit, forſan etiam, ne validior earum vibratio atque impetus, mollem cerebri pulpam nimis comprimat.

§. V.

Ob tunicarum, quibus cerebri arteriæ conſtant, tenuitatem & minorem reſiſtentiam ac debiliorem elaterem,

rem, fit, ut à copia & turgeſcentia ſanguinis, item ab omnibus vaporoſis & expandentibus rebus, nimiam dilatationem pati poſſint, qua earum contractio & ſyſtole minuitur ſanguinisque tranſitus per cerebrum difficilior redditur.

Scholion.

Hoc theorema anatomicum non mediocrem in pathologicis ad difficilia explicanda utilitatem habet. Perſpicimus enim exinde, quare ſpirituoſa, inebriativa, item anodyna, narcotica & omnia, quæ exhalationem ſulphuream copioſam, tam ſuaveolentem, quam male olentem emittunt, capiti noceant, & ad periculoſas ſanguinis ſtagnationes & congeſtiones in eo diſponant, ex quibus poſtea, tanquam ex fœcundo ſinu, dolores capitis gravativi, torpores, ſtupores ſenſuum & mentis, ſomnolentiæ, paralyſis, apoplexiæ prodeunt. Quando enim ex inferioribus partibus, ſpaſmo conſtrictis, ſanguis plus juſto ad caput urgetur, minoremque in arteriarum tunicis reſiſtentiam invenit, harum diſtenſio ſanguinisque ſtagnatio fit, ejusque impeditior per caput motus dicta hæc mala procreat. Atque etiam jam clarius perſpicimus, qua ratione anodyna, papaveracea & ex opio præparata, operationem ſuam in levandis doloribus & conciliando ſomno exſerant, & quare ad torporem & graves capitis paſſiones eorum abuſus perquam facile diſponat.

§. VI.

Ad faciliorem ſanguinis è cerebro ad cor regreſſum, ſinuum venoſorum, qui ſub dura matre latitant, ſtructura & venarum jugularium ſitus, contribuit.

Scholion.

Niſi enim dura mater & ſub ea latitantes venoſi ſinus ex tam renitentibus & elaſticis membranis eſſent compoſiti, ſanguinis ſtagnatio, propter ſitum cerebri & ſinuum horizontalem, longe facilior contingeret, quam horum vaſorum renitentia & lenior contractionis motus feliciter impedit. Præterea ſanguinis ad cor regreſſum egregie perpendicularis jugularium ſitus adjuvat. Sanguis enim per has proprio gravitatis motu ad cor deſcendens, efficit, ut, ne detur vacuum, reliquus ex ſinibus tanto promtius ſuccedat: non ſecus ac in ſiphonibus recurvis fieri ſolet, ubi per longius crus humor profluens, reliquum in minore crure, ad eundem effluxum invitat.

§. VII.

Quemadmodum corporis ſitus erectus ad faciliorem ſanguinis à cerebro ad cor regreſſum facit: ita horizontalis decubitus eidem reſiſtit.

Scholion.

Patet jam ratio, quare capitis ſitus declivior ſomnum invitet, neque unquam utilis ſit affectibus capitis, item ſomnus meridianus pleno ventre caput ad graves morbos, ex ſtagnatione humorum oriundos, diſponat. Caveant ſibi quoque omnes plethorici à decliviori capitis ſitu. Neque obſcura amplius erit cauſa, quare, ſi morti vicinis pulvinar ſubtrahatur & capitis ſitus declivior fiat, mors accelerari poſſit; reddita enim majori ſanguinis ſtagnatione in cerebro ejusque refluxu ad cor impedito, motus cordis jam languidiſſimus penitus extinguitur.

§. VIII.

Ingens illa vaſorum in ventriculo & magno inteſtinorum volumine copia & reptatus, mutuæque tam arteriarum, quam venarum anaſtomoſes, notabilis ſunt conſiderationis, ratione ſanguinis circuli per has partes.

Scholion.

Quia ſanguinea vaſa intra harum partium tunicas, tam muſculoſas, quam nerveas, ſitum ſuum habent, in nullis partibus tam prompte ſtaſes ſanguinis inflammatoriæ & valde funeſtæ, quam in his fieri poſſunt; ſiquidem hæ partes membranaceæ majori tono, elatere & robore inſtructæ ſunt & ſenſu exquiſitiori pollent. A cauſa igitur vehementi vellicante, corrodente, promtiſſime in ſpaſticas ſtricturas abripiuntur, quibus vaſa ſanguinea, non ſecus ac vinculo, conſtringuntur, unde fit, ut ſanguis motu ſuo interceptus ibique hærens, quam facile in inflammationem & ſphacelоſam corruptionem abeat. Omnia itaque acriora & draſtica & cauſtico ſtimulo agentia, ut ſunt validiora vomitoria, purgantia, venena, liquores acidi, corroſivi & acres bilioſi, nec ullis corporis partibus tam infeſta & funeſta ſunt, quam hiſce partibus, in quibus celeriter interitum producere poſſunt.

§. IX.

Per hepatis viſcus ſanguinis progreſſio difficilis admodum eſt.

Scholion.

Singulari privilegio gaudet hepar præ aliis viſceribus, quia magno vaſe advehente venoſo inſtructum eſt, quod pulſu caret, vena nimirum portæ, quum ad omnes ceteras partes arteria pulſans ſanguinem adducat; quapropter etiam peculiaris eſt hujus venæ ſtructura & optime cum arbore comparari poteſt, cujus radix in innumeras fibrillas abit, truncus in medio eſt, ex quo deinde innumerabiles quoque rami oriuntur. Hæc vena igitur diſperſa per ventriculum, inteſtina, meſenterium, omentum, pancreas & lienem, recipit ſanguinem ex arteriis in has partes adductum & in truncum invehit, ex quo poſtea innumeras ramificationes majores, minores & minimas in hepar emittit, per quas ſanguinem ad hoc viſcus adducit & hinc arteriæ munere fungitur; quia vero impulſu deſtituitur, non poteſt aliter fieri, quin tardior ſanguinis per hanc venam in hepate ſit curſus atque progreſſio.

§. X.

Difficile ſanguinis per hepar iter provida natura variis adminiculis ſecundat.

Scholion.

Primo venæ portæ in hepate exiſtentes tunicæ craſſiores ſunt ac aliæ venarum, laxeque hepatis ſubſtantiæ annectuntur, ut non facile ſubſideant, concidant, ſed tubuli & rami magis aperti maneant. Deinde motus diaphragmatis, cui firmiter ligamentis magna hepatis moles annexa eſt, aſcenſionis & deſcenſionis motu in ſpiratione, multum difficilem ſanguinis per hoc viſcus tranſitum adjuvat, eo quod continua illa ſuccuſſione, non facile in vaſis ſanguis reſtagnet. Tum ſanguis ex liene revertens tenuior, cum craſſiori, qui ex inteſtinis & meſenterio, appellitur mixtus, tranſitum ejus faciliorem per tenuiſſimas vaſorum ramificationes procurat.

§. XI.

Ob difficilem ſanguinis per venam portæ & hepar curſum, hæc vena multorum affectuum chronicorum cauſa eſt.

Scholion.

Cum enim facile in hac vena reſtagnet ſanguis, præſertim in iis, qui vitæ ſedentariæ addicti ſunt atque ſalubres corporis motus ac exercitationes intermittunt, ipſeque ad ea viſcera, quæ eadem vena tangit, ut inteſtina, lienem, omentum, pancreas, regurgitet, ferales ibi ſtagnationes, infarctus & obſtructiones fiunt, quæ magnorum morborum chronicorum, ut hydropis, cachexiæ, ſcorbuti, mali hypochondriaci, fluxus menſium & hæmorrhoidum inordinati, genitrices ſunt, de qua materia conſuli poteſt *Cl. Stahlii Diſſ. de vena portæ porta malorum.*

§. XII.

Eſt quoque peculiaris ſanguinis progreſſio per lienis humani viſcus, quia mere vaſculoſum eſt & cellulas habet.

Scholion.

Scholion.

Lien humanus nonnisi compages est mere vasculosa, ex innumerabilibus & tenuissimis vasorum arteriosorum ac venosorum ramificationibus contexta, ut egregia est *Ruyschii* anatomica observatio. Hujus visceris fabrica non alium in finem videtur elaborata, quam ut sanguis transitu per tot myriades vasculorum, non secus ac in pulmonibus, vel in placenta uterina, continua attritione intime dissolvatur, misceatur & fluidior evadat, quo sanguini, per ramos venæ portæ ex imi ventris visceribus tardius redeunti & crassiori affusus, ipsi fluiditatem ad expeditius iter per hepar conficiendum conciliet, unde liene in canibus exsecto, hepar indurescere, animantia reddi pigriora & obesiora, multis experimentis anatomicis compertum est.

§. XIII.

Propter innumerabiles & tenuissimas vasorum, quibus lien constructus est, ramificationes, nullum viscus tam facile sanguine infarciri & repleri, ad ingentem sæpe magnitudinis tumorem solet, præter hoc ipsum.

Scholion.

Ad infarctum illum & pessimam sanguinis in hoc viscere stagnationem multum facit, quod lien humanus valde tenuibus membranis cinctus sit, quæ, quia minus sanguinis appulsui resistunt, facile cedunt sanguinisque majorem affluxum & subsistentiam invitant: destructo vero sic lienis officio, sanguinis circuitus per hepar quoque vitium capit, & ad ventriculum, per vasa sic dicta brevia, regurgitat, quæ, cum sub tenuissimis membranis serpant, facile aperiri possunt, hinc sanguinis in cavum ventriculi fit effusio & vomitus cruentus nascitur, qui plus feminas, quam viros, ob menses suppressos, infestat.

§. XIV.

Paulo tardiori cursu, sanguis etiam ex colo sinistri lateris, ad ramum mesentericum sinistrum penetrat, propter situm venæ splenicæ & hæmorrhoidalis admodum in longitudinem porrectum & perpendicularem.

Scholion.

Stagnatio sanguinis in vena splenica hæmorrhoidali, atrocia pathemata & tormenta colica, præsertim si per venas sedis non exitum habet, procreat, & quia Practici rarius gravissimi ejusmodi doloris causam penetrant, hinc præposteræ curandi methodo & remediis carminativis, calidioribus, plus damni, quam emolumenti afferunt.

§. XV.

Difficilis admodum sanguinis per venam portæ, & inprimis per hepar, transitus, non modo gravissimarum chronicarum in abdomine consistentium passionum fons est, sed & corpora ad hæmorrhoidalem fluxum disponit.

Scholion.

Ratio est in procinctu, cum enim, obice in hepate posito, sanguis per venam portæ non progreditur, & ex arteria mesaraica inferiori novus ad intestinum colon & rectum fertur, fieri aliter vix potest, quin hæc vasa, sanguine mirum distenta, tandem in extremis ani partibus rumpantur. Illi ergo inepte agunt, qui causam hujus in quadam naturæ sapientia, vel intentione activa, quærunt.

§. XVI.

Neque minori difficultate circulus sanguinis per omentum laborat, quia membrana est valde tenuis, fibris motricibus nerveisque destituta, insensilis, pinguedinosa, quare sanguinis ascensus per venas, ob situm hujus membranæ identidem rectum & perpendicularem, non sine labore procedit.

Scholion.

Quia deficiunt fibræ motrices in omento, hinc motus tonici ope, sanguinis liber cursus non secundatur, & quia facile sanguis in omenti vasis stagnat, hinc in gravioribus chronicis morbis, ex vitio viscerum infimi ventris, ut hydrope, cachexia, plerumque illud corruptum, putrefactum & exesum deprehenditur, valdeque verosimile est, ex lymphaticis omenti ruptis, copiam seri, in malo hydropico, in cavum abdominis descendere.

§. XVII.

Est quoque ascensio sanguinis per venas spermaticas in primis in viris non adeo facilis, propter earum longitudinem perpendicularem & quod multas tortuosas flexuras habent.

Scholion.

A difficiliori hoc sanguinis, præsertim crassioris, per venas spermaticas regressu, herniæ varicosæ, carneæ & aquosæ, circa testiculos enatæ, virili sexui non adeo infrequentes sunt.

§. XIIX.

Neque per uteri substantiam admodum fibrosam, elasticam, compluribus plicatis & circumflexis vasorum ramificationibus instructam, tam promtus sanguinis cursus est.

§. XIX.

Quando propter copiam sanguis per vasa uterina, nimium distenta, non libere fertur & circulatur, obice in venis posito, tunc extrema, in vagina uteri posita vascula, singulis mensibus aperiuntur & sanguis effluere incipit.

Scholion.

Quomodo sanguinis menstruus fluxus contingat, id infra fusius deducere volumus.

§. XX.

Admodum vero difficilis est sanguinis reditus ex pedibus ad cor, propter ascensionem perpendicularem, tam remotam à corde.

Scholion.

Jam ratio facile inveniri poterit, quare in corporibus imbecillioribus, præsertim à diuturno morbo fractis, item in cachexia, vel gravidis, ubi utero extenso, vasa iliaca comprimi solent, tumores pedum, item varices, quæ nihil aliud sunt, quam insignes venarum tumores, à sanguine intra valvulas contento orti, facile producantur.

§. XXI.

Per nullum viscus sanguis celerius trajicitur, quam per pulmones, quia vasa pulmonalia capacissima sunt & via brevissima est à corde.

Scholion.

Illa portio sanguinis, quæ intrat pulmones & ex iis ad sinistrum tendit cordis ventriculum, mediante systole arteriarum, per canales universi corporis tam diffusos distribui debet; unde per nullam partem corporis tota sanguinis massa tam celeriter, quam per pulmones, circumfertur.

§. XXII.

Admodum impetuose & celerrime sanguis per pulmones trajicitur, hinc non mirum, vasa interdum minora valde distendi & demum disrumpi.

Scholion.

Fit id maxime in hæmoptysi, quando unam pulmonum partem obstructio, aut scirrhositas, aut corruptio, obsidet, dissectionibus hæmoptysi demortuo-

rum id teſtantibus; utpote cum hæc liberiori ſanguinis itineri majorem adhuc obicem ponant, ſanguinis copia & impetus ad alia pulmonum vaſa ruens, hæc facillime diſtendit, aperit atque diſrumpit.

§. XXIV.

Sanguinis tranſitus admodum promtus eſt per renale colatorium, ob viam à corde ad renes brevem, & quod renum pori ac tubuli urinoſi valde laxi ſunt, unde ſerum ſalſum facile abſorbetur.

Scholion.

Celerrimam ſanguinis per renes eorumque vaſa emulgentia trajectionem, clariſſime copia urinæ, quæ brevi tempore poſt potum largiorem mittitur, comprobat: neque enim ulla alia via brevior à ventriculo ad renes adhuc detecta eſt, quam quæ per vaſa lactea ad ductum thoracicum, & ad cor, & poſtea ad renes, pertingit. Et quia celerrime ſanguis per arterias emulgentes in renum ſubſtantiam adductus, per venas remeat, hinc neceſſe eſt, ut mox alius, eadem celeritate, ſequatur, quo fit, ut urinæ ſecretio cito peragatur.

CAPUT IX.

De excellenti circuli ſanguinis ad conſervationem corporis uſu.

§. I.

PRæſtantiſſimi & plane mirabiles ſunt effectus, qui à ſanguinis circulo in corpus & animam redundant.

§. II.

Circulus ſanguinis chylum mutat in ſanguinem, ſive cauſa eſt ſanguificationis.

Scholion.

Equidem chylus proxima materia ſanguinis eſt: attamen vitæ, nutritioni & actionibus animalibus minus inſervit, niſi prius in ſanguinem mutetur; quandoquidem ille valde à ſanguine differt. Nam chylus, non ſecus ac lac, ex pinguibus, aquoſis & terreis partibus, quæ facile à ſe invicem ſecedunt, eſt compoſitus, in ſanguine vero ejuſmodi partium ſeceſſio non obſervatur; chylus ſtagnatione, non ſecus ac lac, aceſcit, ſanguis vero fœtet ac putreſcit & ſal volatile exſpirat. In chylo pinguedo eſt valde temperata, in ſanguine ſalina & penetrans; chylus eſt albus & caret gelatina, ſanguis vero eſt ſuccus gelatinoſus, rubicundus.

§. III.

Ut chylus in ſanguinem mutetur, neceſſe eſt, ut nexus & unio partium, chylum conſtituentium, primo diſſolvatur, ſecundo, ut diſſolutæ partes rurſus de novo, ratione figuræ ac ſitus, combinentur, ſicut textura ſanguinis eſt; tertio, ut partes ad novam hanc texturam ſubeundam inutiles ſeparentur.

Scholion.

Novimus ex philoſophia experimentali, corporum diverſam formam, virtutes atque proprietates, à ſitu, figura & nexu partium dependere, quibus mutatis, mutatur, & qualitas, & virtus, corporis: ſi quis itaque unum corpus in aliud velit tranſmutare, opus eſt, ut priorem texturam partium diſſolvat, de novo vero talem earundem combinationem efficiat, qualem corpus, in quod tranſmutari debet, obtinet.

§. IV.

Ut chylus ſanguinis naturam induat, animadvertimus, præter ipſum ſanguinem ejuſque motum, complura viſcera conſpirare.

§. V.

Ut chyli partes à nexu ſuo liberentur & intime cum ſanguine miſceantur, id optime perficitur in pulmonibus.

Scholion.

Videmus id clariſſime, dum ſanguis, ex dextro cordis ventriculo emiſſus, craſſus apparet ipſique chylus ſupernatat, ex ſiniſtro vero ſpumoſus, floridus & fluxilis redditur.

§. VI.

Ad eandem partium chyli divulſionem & intimam cum ſanguineis combinationem, ſanguinis tranſitus per vaſculoſum lienis viſcus multum facit.

Scholion.

Quod in pulmonibus non perfectum, id ulterius lien abſolvit, cujus functio maxime in eo conſiſtit, ut partes ſanguinis & chyli, tranſitu per innumerabiles vaſculorum myriades, in minimas moleculas dividantur, divellantur atque invicem miſceantur.

§. VII.

Ut chylus ſanguinis naturam induat, id optime perficitur in venarum toto ſyſtemate, ubi tardior ſanguinis eſt progreſſio, qua optime partium aſſimilatio fieri poteſt.

§. VIII.

Sicuti portio vini immiſſa in acetum, diuturna digeſtione ac maceratione, in illud convertitur: ita etiam chylus, intime cum ſanguine mixtus, diuturniori mora & calore, demum cum ipſo confermentatur, inque vaſis maxime venoſis, figuram, texturam & ſitum partium ſanguinis aſſumit.

Scholion.

Contextus ſanguinis eſt maxime globoſus, ſive ſanguis conſtat ex minimis globulis, fluido innatantibus, qui perpetuo circa axin motu rotantur. Huic globulorum motui & colliſioni quando particulæ alienæ figuræ ſeſe interponunt, tunc prominentiæ harum facile deteruntur, abraduntur, ut figura identidem fiat globuloſa.

§. IX.

Chylus multas ſuperfluas & connubio ſanguinis repugnantes, aqueas nempe, ſalſas, mucilaginoſas, in ſinu recondit partes, à diverſitate alimentorum deſumendas, unde opus eſt, ut ab earum conſortio liberetur, in quod excretiones per omnia emunctoria conſpirant.

Scholion.

Ex dictis jam apparet, ſanguificationis officinam perperam à veteribus in hepate, & à recentioribus in corde collocari, neque hujus cauſam ſpiritum in corde vitalem, aut peculiare in ſanguine fermentum, ſtatui poſſe: ſed præcipua viſcera, emunctoria, immo ipſum ſanguinem, ſymbolum ſuum conferre, ut ex chylo ſanguis fiat.

§. X.

Chylus, dum in ſanguinem mutatur, induit colorem purpureum, qui de intima partium mutatione, mediante calore & motu facta, teſtatur.

Scholion.

Unde rubedo ſanguinis ſuam habeat originem, ſupra abunde ſatis diſcuſſimus.

§. XI.

Ad chyli mutationem in ſanguinem, & ipſe ſanguis, & omnium viſcerum functiones, conſpirant: hinc conſequitur, hiſce læſis, ceſſare quoque ſanguinis boni generationem.

Scholion.

Scholion.

Differt utique in ſanguinis productione natura à natura, corpus à corpore, in non nullis celeriter ingens ejus copia amiſſa reparatur, in quibuſdam vero valde languide id procedit. Semper vero citius ſanguis in corpore ſpongioſo & laxo, exilibus & copioſis venis inſtructo, quam in gracili, fibroſo ac majoribus, ſed paucioribus vaſis dotato, producitur.

§. XIII.

Sanguinis circulus cauſa eſt caloris in corpore noſtro.

Scholion.

Calorem eſſe inteſtinam partium ſulphurearum ſanguinis vehementiorem agitationem, vel ex eo cognoſcimus, quia, quo progreſſio & circuitus ſanguinis eſt celerior, ut in frebribus, quarum pulſus celer & vehemens certiſſimus index eſt, eo magis calor in univerſo corpore augetur, qui, depaſcendo humidum, ſitim inextinguibilem, vigiliam & marcorem infert, ſimul ac vero pulſus rurſus naturalis fit & circuli intenſio minuitur, calor etiam corpus deſerit: cum enim ſanguis celerrime per vaſa ſtrictiora & anguſtiora, propter ſpaſmum febrilem reddita, fertur, partium ejus ſulphurearum ad partes ſolidas major fit attritio, appulſio, unde æther in rapidiſſimum calidum motum conjicitur.

§. XIV.

Omnia, quæ circulum ſanguinis potenter augent, ea quoque calorem intendunt: & quæcunque ejus motum retardant, illum minuunt.

Scholion.

Quia motu laborioſo, corporis exercitatione, vehementi vocis exercitio, aëre exiſtente nimis calido, potu ſpirituoſo & volatilibus aromaticis medicamentis, pulſus celerior evadit: hinc quoque ab iis creſcit calor; ab humectantibus vero, à papaveraceis, ab acidis & nitroſis, cum pulſus debilior & tardior evadat, calor minuitur & corpus deſerit.

§. XV.

Cum calor corporis à ſanguinis affluxu dependeat; ſequitur, ejus influxu intercepto, partes frigore corripi.

Scholion.

Clariſſime id conſpicimus in principio intermittentium, ubi, ob ſpaſticas cutis ſtricturas, venæ comprimuntur, ut ad ſummam cutim ſanguis pertingere nequeat, hinc frigore & horrore ea afficitur.

§. XVI.

Calor temperatus ad vitam ac ſanitatem tuendam valde eſt neceſſarius.

Scholion.

Quia partes ſolidas ac rigidas flexiles reddit, poros & vaſa expandit ac aperit, & humores, dum fluidas partes cum ſolidis intermiſcet, tenuiores ac fluidiores reddit: quare calor ad perſpirationem, ad circulum ſanguinis per minima vaſa promovendum, ad nutritionem quoque, multum facit.

§. XVII.

Calore dura corpora flexilia reddi & poros expandi, craſſa attenuari & liquari, ut minima ſpatia ac ductus eo lubentius ſubire poſſint, chymicis ac phyſicis experimentis copioſe adſtrui poteſt.

§. XVIII.

Calor frigori ambienti reſiſtit, quod vitæ & conſervationi corporis valde eſt inimicum, humores inſpiſſando, poros occludendo & partes flexiles rigidas efficiendo.

§. XIX.

Circulus ſanguinis eſt cauſa ſecretionum & excretionum, quæ fiunt in corpore noſtro.

Scholion.

Ut corpus, in quo vita celebrari debet, ad debitum augmentum perveniat, & ut ſucci, motu continuo deperditi, reparentur, opus erat novo ſuccorum recentium apparatu, quo ingeſtio & digeſtio alimentorum ſpectat. Quia vero hæc varii generis ſuccos ſuppeditant, quorum aliæ partes utiles, aliæ inutiles ac ſuperfluæ ſunt, hinc illæ in uſum ſecernendæ, hæ vero ejiciendæ. Hinc patet, ſine ſecretionibus & excretionibus, corpora animantium conſervari non poſſe. Hæ vero non aliter niſi ſanguinis motu perficiuntur, hic enim tam utiles, quam inutiles humores recipit, & utrosque per diverſa organa & emunctotia ſeparat.

§. XX.

Utiles humores ſecreti ad conſervationem & perfectionem partium corporis noſtri faciunt, & hinc retineri, nec ſtatim ejici debent.

Scholion.

Utiliſſimi humores, qui à ſanguine ſeparantur, ſunt fluidum nerveum, ſuccus nutritius, lympha, ſemen, lac: humores vero, qui, poſtquam ſecreti ſunt, ſtatim excerni debent, ſunt ſudor & urina: qui vero, poſt factam ſecretionem, antequam ejiciantur, egregium adhuc uſum atque utilitatem exhibent, ſunt ſaliva, lympha pancreatica ventriculi & inteſtinorum, bilis & inteſtinalis mucus.

§. XXI.

Omnes ſecretiones & excretiones ope ſanguinis circuli perficiuntur: hinc ſequitur, has ceſſare deficiente ſanguinis circulo; niſi enim ſanguis ad ſpecifica ſecretoria, colatoria & emunctoria per arterias advehatur, nihil ſecerni poteſt.

§. XXII.

Quo promtior itaque ſanguinis ad colatoria eſt appulſus, eo magis ſecretionis negotium viget, & contra.

Scholion.

Hoc theorema plurimi uſus eſt in praxi. Si quando medicus intendit, ſecretionem ullius humoris utilis, vel excretionem noxii promovere, neceſſe eſt, ut reſpiciat ad colatoria & ad ſanguinis verſus has partes appulſum.

§. XXIII.

Sanguinis circulus eſt præcipua cauſa nutritionis & augmenti corporis.

Scholion.

Mediante enim motu progreſſivo, ſuccus nutritius per arterias ad partes adducitur, iis apponendus: deficiente itaque hoc motu, neceſſe eſt, partes alimento ſuo defraudari. Deinceps augmentum & incrementum corporis partium dependet maxime à repletione omnis generis tubulorum, quæ fit à ſuccis, quibus exinanitis, concidit & ſubſidet ſubſtantia partium & marcor fit.

§. XXIV.

Sanguis ejusque circulus eſt omnis agilitatis & roboris cauſa.

Scholion.

Robuſta illa corpora dicimus, quæ majoribus muſculis prædita ſunt, & quæ multum in attollendis ponderibus valent, magnos labores ac motus perferre poſſunt, neque facile a cauſa externa afficiuntur: imbecillia vero ea ſunt, quæ minus laboris ac motus, ſuſtinere valent, parum roboris in muſculis habent & quam facile à cauſa externa afficiuntur. Jam vero deprehendimus, robu-

ftiora corpora majora vaſa, cor capacius, nervos validos & ſanguinem copioſum habere, præ imbecillioribus, quæ habent vaſa tenuia, anguſta, cor minus, teneros & exiguos nervos, & parum ſanguinis in venis alunt. Robur itaque corporis perit, ſanguine plus juſto, ſive per inediam, abſumto, creſcit autem robur partium, appetitu reddito.

§. XXV.

Præcipuus quoque ſanguinis circuli uſus atque effectus eſt, ut corpus animale, in ſe & ſua natura valde corruptibile, ratione ſuæ mixtionis ac ſtructuræ, ſalvum ac integrum conſervetur & à mortifera putredine vindicetur.

Scholion.

Circulus ſanguinis vitalis eſt; quamdiu is in corpore viget, tamdiu dicitur adeſſe vita, & tamdiu etiam univerſum corpus omnesque ejus partes à putredine immunes ſunt: ſimul ac autem is extinguitur, corruptio & mors adeſt. Hæc latius deducta videas in ſuperioribus.

§. XXVI.

Continuus ſanguinis circuitus avertit omnia ea, quæ fluida in motum putredinoſum diſſolutorium conjicere apta ſunt.

Scholion.

Putreſcunt & corrumpuntur corpora liquida corruptibilia, in quiete conſtituta, ab aëre externo calido, qui motu ſuo inteſtino, nexum partium male cohærentium diſſolvit. Quandocunque vero ſunt in perpetuo motu progreſſivo, tunc ejus, vel minimæ partes, circa axin ſuam perpetuo rotantur, ſive inteſtina motione agitantur, qui motus internus aëris & ætheris actioni externæ reſiſtit. Hinc videmus vina generoſa & ſpirituoſa, ob inteſtinam partium agitationem, non vappeſcere, quæ vappeſcentia corruptiva & tenacitas, ſola agitatione & conquaſſatione, impediri poteſt. Ejusmodi agitatione & ventilatione etiam putredo à vegetabilibus in acervum congeſtis arcetur. Avertit quoque ſanguinis circulus putredinem à ſanguine, dum partes fermentescibiles agiliſſimas & heterogeneas perpetuo ſeparat; ut eſt latex ſalivalis, bilis, urina materia perſpiranda, quæ ſi remanent, & impurum, & corruptibilem ſanguinem reddunt.

§. XXVII.

Libera perſpiratio ſanguinem omniaque fluida à putredine defendit.

Scholion.

Quia motu progreſſivo ſanguinis partium inteſtinus calidus augetur, & multæ particulæ ſubtiliores, calidæ, ſalinæ, ſulphureæ, agiliſſimæ indolis gignuntur, quæ exſpirari & foras propelli debent, ne motu ſuo texturam temperatam ſanguinis invertant: inde inſignis tranſpirationis uſus, ad conſervandam genuinam ſanguinis texturam, clariſſime apparet. Et diſcimus exinde, non dari meliorem viam ab imminente putredine & corruptione ſanguinem defendendi, quam liberiori tranſpiratu reddito, quod in febribus omnibusque morbis malignis & qui ab impuritate naſcuntur, ut ſcorbuto, lue venerea, magno uſui eſſe poteſt.

§. XXIIX.

Neque datur præſentius, ad omnes præcavendos morbos, præſidium, ac liber ſanguinis & humorum circulus.

Scholion.

Quod ſi enim morborum, tam acutorum, quam chronicorum, primordia atque origines exquiſitiori paulo indagine exploramus, deprehendimus, ſanguinis & humorum ſtaſes, ſtagnationes, minimorum vaſculorum obſtructiones & excretiones, maxime vero omnium perſpirationem impeditiorem, eos progignere. Cum vero ſanguinis liber motus ac circulus has cauſas omnes avertat; facile intelligitur, in eo maximam efficaciam adverſus ingenerandas morborum materiales cauſas ſitam eſſe.

§. XXIX.

Circulus quoque ſanguinis eſt illa toties decantata natura veterum, optima morborum medicatrix.

Scholion.

Veterum ſagaciſſimi & experientiſſimi medici, quia perſpiciebant, homines periculoſe ægrotantes, ſine ullo medico & medicina, felicius ſæpe ſanitatem recuperaſſe, ac ſi ipſis uſi fuiſſent, non ſine ratione aſſeverarunt, naturam corporis humani eſſe optimam morborum medicatricem, cujus ductum & viam medicus ſequi debeat. In quonam vero hæc natura conſiſtat, ob defectum anatomes & minus cognitam machinæ noſtræ ſtructuram & motus vitales ignoratos, neutiquam comprehendere poterant: noſtro vero tempore, cum beneficio diligentioris anatomes atque experimentalis ac mechanicæ phyſicæ, motuum naturæ & cauſæ clarius pateant, conſtanter aſſerimus, naturam illam, cui tantas aſcripſerunt in curando & conſervando corpore vires, nihil aliud eſſe, quam ſanguinis liberum circulum, qui in morbis, præſertim febribus, adauctus, ſtaſes & ſtagnationes humorum removet, ſpaſticas ſtricturas partium aperit, humorum tenacitatem diſſolvit, eorumque nimiam quantitatem motu imminuit & per colatoria omne ſuperfluum excludit. Neque alia chronicas paſſiones expugnandi excogitari poteſt via, quam ut per medicamenta ſudorifera & aquas medicatas ſalubres, atque decocta medicinalia, motus ſanguinis & humorum augeatur, ut fluxiles reddantur, quo adapertis poris, maſſa ſanguinea ob omnibus excrementitiis ſordibus purgetur.

§. XXX.

Sanguis bonus & temperatus, per cerebri vaſa translatus, vigorem & robur animo infert.

Scholion.

Attenta & crebra experientia compertum habemus, quod præſentia animi & moderatio affectuum, ingenii quoque vigor, maximam partem à ſanguinis laudabili per cerebrum curſu moderatiori, dependeant: nam ſimul ac ille immoderatior fit ac nimis celer, proclivitas ad præcipites animi affectus, iram, rixas naſcitur; ſi nimis velox eſt, furoris metus ſubeſt, uti videmus in febribus; ſi ſanguis nimis paucus, ad timorem & terrorem fit proclivitas; ſi tardius movetur, mœſtitia & angor, mentem occupant.

§. XXXI.

Diverſæ animi inclinationes ad virtutes ac vitia plurimum à ſanguinis circulo per caput dependent.

Scholion.

Hinc petenda eſt ratio, cur temperamentum corporis ſequantur animi mores. Obſervamus ad ideam motus ſanguinis, fieri actiones ſic dictas animales. Cholerici, in quibus ſanguis celerius transfertur, ad temeritatem, ambitionem, factiones, ſeditiones, inimicitias, odia admodum proni ſunt. Sanguinei, in quibus placidior & facilior ſanguinis curſus eſt, ad voluptates, luxuriam, otium, libidinem & omnia, quæ ſenſus delectant, valde ſunt proclives. Phlegmatici, in quibus ſanguinis curſus admodum languidus eſt, ad ſocordiam, pigritiem, ſorditiem, turpitudinem inclinant & nihil æſtimant. Melancholici, in quibus ſanguinis motus eſt tardus, ſunt valde timidi, ſuſpicioſi, pertinaces.

§. XXXII.

Non modo temperies & motus, ſed & copia ſanguinis, animi diſpoſitionem & operationem varie modificat.

Scholion.

Scholion.

Sicuti longe diversa est ratio, aliusque effectus motus, si major, ac si minor corporis moles movetur: ita etiam in corpore nostro alia vis in animum à motu sanguinis copiosi, alia à motu parcioris redundat, ideoque observamus, si cholericus sanguine abundat, omnes ejus animi actiones vehementiores atque potentiores esse. Quare majus robur, vigor, animositas, soliditas, constantia & vehementia in agendo animo increscit, quæ omnia non parum remittunt, si exilior sanguinis in venis copia existit. In melancholicis, si copiosior & crassior sanguis per cerebri membranas earumque minima vascula fertur, magna idearum fixitas, firmior rerum impressio & major in agendo pertinacia producitur. Sanguinei, sub majori sanguinis abundantia, magis sunt voluptuosi, magis ad libidinem excitantur & animositas in animo crescit: si vero minor copia vasa perluit, timidi, fluctuantes, inconstantes evadunt.

§. XXXIII.

Sicut sanguis copiosus & crassus, ad fortitudinem & robur corporis: ita tenuis & parcus, ad timiditatem & subtiliorem sensationem disponit.

Scholion.

Egregia sunt, quæ circa hanc rem tradidit *Aristoteles Lib.* II. *de partibus Cap.* IV. ita scribens: *quorum animalium sanguis fibris multis & crassis refertus, illa animosa & furibunda sunt, solida enim omnia, quando calefacta sunt, vehementissime calefaciunt, ex quo fit, ut tauri & apri animosi, iracundi furibundique sint, sanguis enim eorum fibris refertus est.* Et idem gravis auctor *Lib.* II. *de partibus animalium Cap.* II. prodidit: *sanguinem crassiorem & calidiorem ad efficiendum robur concurrere, sed non ad intelligentiam, tenuiorem vero obtinere vim pleniorem sentiendi ac intelligendi.*

§. XXXIV.

Sanguinis itaque circulus, non modo animam cum corpore connectit, sed & illius operationes dispensat.

Scholion.

Salvo & incolumi sanguinis circulo, actiones vitales & animales recte sese habent & legitime procedunt, homo videlicet percipit, videt, audit, cogitat, & ratiocinatur, simul ac vero circuitus sanguinis minuitur, cessat, vel plane extinguitur, protinus etiam sensus, memoria, vis imaginandi, & ratiocinandi minus recte sese habent, vel plane intercidunt. Quicunque itaque cupide desiderat, ut diu anima in hoc terreno corporis domicilio commoretur & operationes suas perficiat, is eo omnem curam dirigere debet, ut circulus sanguinis & motus vitales, qui eum dispensant, maneant salvi: quod optime bona diæta perficere poterit: & quicunque etiam mentem sanam in corpore sano conservare vult, is sanguinis temperatum motum ut reddat, curam diligentiamque impendat. Optime enim *Hippocrates L. de flat.* §. 20. prodidit: *opinor, inter omnia, quæ in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quam sanguinem, qui ergo, cum in constanti habitu persistit, consistit & prudentia, sanguine vero permutato, concidit etiam prudentia. Videmus id in temulentis per ebrietatem, ubi auctо repente sanguine, percellitur animus & in animo prudentia, fiunt præsentium malorum oblivioni, & futurorum bonorum spe beantur.* Et notabile est, quod prodidit *Democritus* in quadam ad *Hippocratem* epistola: *augescit*, inquiens, *intelligentia præsente sanguine, cujus providentiam habere, honestum est eos, qui recte sentiunt. At ubi corporis habitus ægrotat, nec mens ipsa alacritatem habet ad virtutis meditationem: morbus præsens animum vehementer obscurat & intelligentiam in consensum trahit.*

PHILOSOPHIÆ CORPORIS HUMANI

LIBRI PRIMI,

SECTIO II.

De actionibus naturalibus, sive motibus secretoriis & excretoriis, chylum sanguinem & succum nutritium perficientibus ac depurantibus; item de generationis negotio.

CAPUT I.

De motibus & organis secretoriis & excretoriis in genere.

§. I.

ACtiones naturales eæ dicuntur, quæ ad naturam corporis nostri constituendam & perficiendam faciunt, succos congruos, pro nutritione partium fluidarum & solidarum, reparando.

§. II.

Actus & motus vitales, nec salvi, nec diuturni esse possunt, sine actibus & motibus naturalibus, quibus commoda materia, pro nutriendis & augendis partibus corporis, fluidis ac solidis, præparatur atque perficitur.

Scholion.

Actiones & motus vitales sunt systole & diastole cordis atque arteriarum, & thoracis constrictio & dilatatio, quibus sanguinis non interruptus fit circuitus, quo omnis corruptio à corpore, in se putrescibili, arcetur: actiones vero naturales eæ vocantur, quæ naturam corporis nostri conservant, id est, quæ partibus, tam solidis, quam fluidis, ut augescant ac reparentur, congruum succum atque materiam ex alimentis subministrant.

§. III.

Universa œconomia actionum naturalium maxime in secretionibus & excretionibus consistit, quibus utile ab inutili secernitur, & illud in usum conservatur, hoc vero foras ejicitur.

Scholion.

Quemadmodum operationes, quæ perficiuntur in universa rerum natura, synæresi & diæresi, sive conjunctione & separatione potissimum fiunt: ita etiam hisce duobus naturæ instrumentis, salva potissimum & incolumis manet totius corporis nostri œconomia; quandoquidem natura nostra microcosmica semper est occupata, ut utile ab inutili discernat, illud cum aliis uniendo, hoc vero foras ejiciendo. Ita in ventriculo & intestinorum canali, virtute succi salivalis fermentativa, & accessu bilis in duodeno, alimenta dissolvuntur, utilis & chylosus succus ex iisdem extrahitur, & postea per publicum illud colatorium, tunicam nempe intestinorum villosam, secernitur & cum sanguine demum miscetur. In extremitatibus & poris vasorum, succus γλισχυρὸς, pro nutriendis & augendis partibus solidis, separatur. In cerebro tenuissimum fluidum, ad motum & sensum præstandum, à sanguine arterioso sequestratur; in testium virilium canaliculosa textura liquor seminalis, gelatinosus, subtilissimus, ad corporis propagationem, secedit; in mammis, chylus pro nutritione infantum, à sanguine segregatur; tenuissimum & fermentativum liquidum, in glandulis salivalibus & in pancreate, pro intima alimentorum dissolutione, elaboratur; serum salino-sulphureum, viscidum, quod bilis nomine venit; in hepatis tubuloso viscere, ab advecto per venam portæ sanguine secernitur ad pleniorem chyli elaborationem; inutiles vero alimentorum reliquiæ & feces per alvum expurgantur; serum superfluum salsum, crassum, per tubulosam renum substantiam; vaporosum autem subtilius & aquosum, salso-sulphureum recrementum per transpirationem & cutis ductus ac glandulas separatur atque ejicitur; & mucositas denique superflua per glandulosas narium, bronchiorum & intestinorum crassorum tunicas utilissime sequestratur & foras ejicitur.

§. IV.

Secretio liquidorum, vel sine interventu certorum organorum, quæ glandulæ sunt, sive machinæ secretoriæ, vel earum ope perficitur: illa in succi nutritii & lymphæ secretione locum habet, hæc vero, quæ fit per glandulas, circa reliquos omnes secernendos & excernendos humores occupata est.

§. V.

Glandulæ duplicis generis sunt, vel simplices, seu conglobatæ; vel compositæ, seu conglomeratæ, ex multarum glandularum acervo aggregatæ.

§. VI.

Simplices, ex fibris elasticis motricibus & circularibus conflatæ, non separant, sed lymphæ & chylo transeunti impulsum præstant: compositæ vero humores sequestrant, ita, ut singulæ glandulæ canalem minorem habeant, quo continuato, canalem majorem constituunt, hinc ubi glandulæ sunt conglomeratæ, ibi vasa quoque excretoria conspiciuntur.

§. VII.

Secreti humores mirum inter se differunt, sicut apparet

paret in ſaliva, bile, nervorum liquido, urina, muco, ſudore, ſemine & lacte: hinc ſecretio, quæ fit per glandulas, non poteſt eſſe una eademque, unde non immerito hujus diverſæ ſecretionis ratio quærenda eſt.

Scholion.

Nonnulli cauſam hujus differentis ſecretionis collocant in peculiaribus partium fermentis, præcipitantibus, vel aſſimilatoriis; nonnulli in certa canalium figura, quæ nihil, niſi quod cum ipſa reſpondeat, admittat: ſed, ut noſtra fert ſententia, admodum falluntur, ſiquidem nec fermentorum exiſtentia, vel conſtantia in canaliculis, per quos perpetuo tranſit liquidum, multo minus eorum ſpecificus in ſecernendo effectus, intelligi poteſt. Neque liquidum ſecernendum peculiarem & conſtantem orificiorum & canalium figuram deſiderat, ſed diverſiſſimæ naturæ liquidum in omnia canalium orificia tranſit ac penetrat, modo ſint ſatis ampla, & conſiſtentia humorum ſecernendorum reſpondeat.

§. VIII.

Diverſitas ſecretionis rectiſſime à diametro & amplitudine canalium, majori, vel minori, deducitur.

§. IX.

Anguſtiſſimi canales nullum alium fluorem admittunt vel recipiunt, quam tenuiſſimum, qui ferri per has anguſtias poſſit: unde, qui craſſioris eſt indolis, remanere debet.

§. X.

Ampliores canales craſſis humoribus tranſitum præbent.

§. XI.

Quum per canalem ampliorem non modo craſſus humor, ſed & tenuis tranſfluat, hinc utique colatoria glanduloſa, laxioris conſiſtentiæ, præter humores craſſos, tenues etiam admittunt.

Scholion.

Bilis & mucus ſunt humores craſſioris conſiſtentiæ, nullumque dubium eſt, quin vaſa ſecretoria in hepate etiam ſimul lymphæ tranſgreſſum præbeant, quæ tamen de novo per alios anguſtos canales ſeparatur, hinc facile diluceſcit ratio, quare in iis locis, vel viſceribus, ubi humores craſſi ſeparantur, ut in hepate, palato & ductu narium, copioſa lymphatica vaſa conſpiciantur.

§. XII.

Diverſorum humorum ſecretio à diametro & amplitudine canalium ſecernentium dependet, quare conſequitur, anguſtos canales, ſi præter naturam amplientur, fluida craſſioris etiam conſiſtentiæ ſuſcipere poſſe.

Scholion.

Hoc theorema magni uſus in praxi medica eſt; obſervamus enim, anguſtis canalibus à copioſo humorum affluxu præter naturam ampliatis, ingentem copiam craſſiorum etiam liquidorum ſecerni. Quanta enim copia craſſioris ſputi in tuſſi humida per tunicam bronchiorum glanduloſam ejicitur? Sub cute poſitæ glandulæ, in hecticis & debilitatis nimium relaxatæ, etiam admittunt illud ſerum, quod urinæ materiam conſtituit, quæ tunc pauca redditur. Glandulæ genitalium, tam in feminis, quam in viris, ab humorum affluxu nimium relaxatæ, ingentem & copioſam viſcidam materiam ejiciunt, quod in gonorrhœa & fluore albo conſpicitur.

§. XIII.

Per canales nimis apertos etiam liquidum tenue, in ſanguine contentum, quod fluido nerveo materiam ſubminiſtrare poteſt, ſimul tranſfluit. Ex eo jam liquida ratio eſt, quare ſub diuturnis & copioſis excretionibus, vires tam motrices, quam facultas ſentiendi & cogitandi, detrimentum capiant.

Scholion.

Apparet hoc ipſum in longis diarrhœis, ſudoribus copioſis, nimio ſalivæ profluvio, item effuſione ſeri in cavitatem thoracis & abdominis, gonorrhœa, fluore albo, diuturna lactatione.

§. XIV.

Quando pori emunctoriorum laxiores, qui craſſioris texturæ humores tranſmittunt, valde anguſtantur, quod maxime fit ſpaſmis; tenues tantum & aquoſos, remanente craſſiori portione, recipiunt.

Scholion.

Videmus id clariſſime in affectibus ſpaſmodicis, qui, renum vaſa ſecretoria coarctantes, efficiunt, ut urinæ tenues ac aquoſæ mingantur. Ab iiſdem ſpaſmis ſi ductus bilioſi coarctentur, materia biliöſa manet in ſanguine, unde color cutis & faciei flaveſcens, qui ab iracundia ſæpiſſime fit, naſcitur.

§. XV.

Ampliantur ductus ſecretorii & excretorii in glandulis à copioſo ſanguinis per arterias ad has partes affluxu & impulſu, ſiquidem glandularum tubuli nonniſi continuati extremarum arteriarum ductus intorti ac involuti ſunt, unde non mirum, arteriis dilatatis, hos ductulos etiam dilatari.

Scholion.

Hæc theoria eximiam lucem in praxi medica accendit & rationes ſubminiſtrat, quare venæ ſectiones, purgationes & derivationes humorum per pediluvia, multum faciant ad nimias excretiones cohibendas.

CAPUT II.

De nutritione & ſucco nutritio.

§. I.

NUtritio eſt actus, cujus beneficio non modo corpus humanum producitur & ad conveniens augmentum pervenit, ſed & continuo reparatur ac reſtituitur.

§. II.

Sine nutritione, neque generatio corporis, neque ejus perfectio, duratio & vita conſiſtere poteſt.

Scholion.

Generatio enim corporis nihil aliud eſt, quam minutiſſimi corpuſculi, quod jam in ſemine deliteſcit, extenſio, quæ ſecundum longitudinem, latitudinem & ſoliditatem, antequam ad perfectionem veniat, ad multos annos ſe extendit, & tunc dicitur auctio.

§. III.

Non tantum partes ſolidæ, verum maxime etiam fluidæ, continuo nutrimento & jugi reparatione opus habent.

Scholion.

Inteſtinus ille calidus ſanguinis motus, qui à motu continuo progreſſivo maxima ex parte dependet, ejus eſt naturæ ac indolis, ut perpetuo in partes liquidas & etiam ſolidas corporis agat, eas ſeparando, diſſolvendo, immutando; unde animadvertimus, ſanguinem & humores temperatos & benignos, validiori calore, uti videmus in febribus, penitus fere, progreſſu temporis, in excrementa ſalino-ſulphurea viſcida converti poſſe. Et utut homo alimentis plane inſipidis expertibus veſcatur, nihilo minus, & ſudor, & urina, & alvina excrementa, copioſis particulis ſalino-ſulphureis ſcatebunt.

§. IV.

Cum calor continuo temperatos ſuccos conſumat utilesque in inutiles atque excrementitios convertat, opus utique eſt, ut in horum locum nova ſemper temperatorum acceſſio fiat.

Scholion.

Quare ingens vitæ in morbis periculum imminet, ubi calor præter naturam diu affligit & omnis appetitus extinctus eſt.

§. V.

Sanguis & humores quotidie conſumuntur & reſtituuntur.

Scholion.

Quando cibus non aſſumitur, aut non recte coquitur, univerſum inde corpus emaciatur, adeo, ut præter fibras & vaſa, in partibus vix quicquam maneat, cum contra cibo ſufficiente aſſumto & bene concocto, turgida & ſucci plena fiant. Et cum ex alimento ſucci & ſanguis generentur, idque quotidie, certum eſt, niſi iterum conſumerentur, eos in ingentem nimis copiam brevi excreſcere debere: quod tamen non accidit.

§. VI.

Nutritione etiam partes ſpirituoſæ & quæ vires ſuſtinent, reſtituuntur.

Scholion.

Diuturna inedia vires admodum conſumi extra dubium eſt, quæ, alimento bono & ſpirituoſo aſſumto, ſubito increſcunt & reparantur; ex quo clare intelligitur, robur & vires corporis noſtri à partibus ſubtilioribus alimenti potiſſimum proficiſci, quemadmodum etiam videmus, & medicamentis, & alimentis, à morbo, vel alia ex cauſa deperditas vires, reparari.

§. VII.

Succus, qui partes ſolidas corporis noſtri nutrit & auget, easque amiſſas reparat, fluidus, gelatinoſus & temperatus eſſe debet.

Scholion.

Sicut omnes partes corporis noſtri ſolidæ, carnes, oſſa, omni ſapore carent: ita etiam nutrimentum valde temperatum deſiderant, in quo nulla exceſſiva qualitas eminet; & hujus indolis eſt gelatina.

§. VIII.

Membranæ, cartilagines, oſſa, carnes animantium decenti coctione, in gelatinoſum, diaphanum ſuccum diſſolvuntur; unde recte concluditur: in quod quid reſolvitur, ex illo etiam conſtat.

§. IX.

Animadvertimus prima animantium rudimenta à ſucco lymphatico, ſive albumine ovi, incrementa ſumere, & embryones ac pullos, in aqua tepida, in liquamen pellucidum penitus diſſolvi.

Scholion.

Rectiſſime hinc concludimus: ex quibus conſtamus & generamur, ex iis etiam nutrimur.

§. X.

Gelatinoſa alimentorum ſubſtantia, quæ in ſanguine continetur ac bene elaborata eſt, eſt vera nutriendarum partium materia.

Scholion.

Quare obſervamus in robuſtis corporibus ſanguinem admodum gelatinoſum: eorum vero, qui tabe vel fame pereunt, ſanguis nimis fluidus eſt & gelatinoſo concreſcibili ſucco caret.

§. XI.

Sanguinis itaque diaphana, non rubicunda portio, nutrit.

Scholion.

Sanguinis rubicunda portio non tranſcendit ſuos alveolos, arterias & venas, neque in poroſam fibrarum, quæ ſtamina omnium partium ſunt, ſubſtantiam vertitur. In fame enectis vaſa adhuc plurimum liquoris rubicundi, ſed minus concreſcibilis, continent. Neque color muſculorum rubicundus eſt ipſis naturalis, ſed dependet à ſanguine interfluente, quo, per aquam cum ſiphone injectam, eloto, omnes fibræ carneæ albidi coloris fiunt.

§. XII.

Neque chylus proxima nutritionis materia eſt, quia nondum ſatis elaboratus, ſed multis aqueis, ſuperfluis, ſalſis, à quibus liberari debet, particulis, adhuc ſcatet.

§. XIII.

Quamvis chylus non abeat in partium ſolidarum ſubſtantiam, tamen oleoſa ejus & pinguis portio materia pinguedinis eſt, qua copioſæ corporis partes interius ſæpe perfuſæ ſunt.

Scholion.

Pinguedo in animantibus ſacculis inhæret membranaceis, qui ſanguiferorum vaſorum ramificationibus, tanquam uvæ racemis, adhærent: & ex portione chyli oleoſa originem trahit, quæ ex tenuiſſimis arteriolarum orificiis exſudat, inque membranis caloris expertibus denſatur atque concreſcit. Quicunque itaque copiam chyli pinguis generant, inſuper temperamento calido ac humido gaudent, corpus parum exercent & tranquilla mente utuntur; ii facile pingueſcunt.

§. XIV.

Quia materia nutritionis eſt gelatinoſus ſuccus, hinc alimenta, quæ copiam gelatinæ continent, nutritioni admodum idonea ſunt, quæ vero parum gelatinoſæ ſubſtantiæ complectuntur, nutritioni quoque minus apta exiſtunt.

Scholion.

Carnes itaque juniorum animantium ſucculentæ, bovinæ, vitulinæ, vervecinæ, gallinaceæ, pulli, ova quoque & ex illis parata juſcula, celerem nutritionem efficiunt & ſanguinem morbo abſumtum, vel extra largiſſime effuſum, celerrime reſtituunt; hinc Gallorum natio, quæ hoc victu delectatur, ad largas & crebras admittendas ſanguinis emiſſiones apta & promtiſſima eſt. Patet porro ex dictis ratio, quare alimenta ex plantis, vel vegetabilibus, ſi ſemina exceperis, deſumta, parum nutriant.

§. XV.

Quia auctio eſt expanſio partis quoad omnem dimenſionem, hæc vero fieri nequit, niſi ſuccus nutritius omnes poros ſubeat & fibris apponatur; non poteſt autem eos ſubire, niſi valde ſit ſubtilis, motu & preſſione intus adigatur; neque poteſt aſſimilari niſi ſub quiete: ergo ad nutritionem abſolvendam opus I.) eſt ſubtilitate partium, materiam nutritiam conſtituentium, opus quoque II.) eſt calore ac motu, quo materia intrudatur, denique opus eſt III.) quiete, ut apponatur.

Scholion.

Obſervamus in vegetabilium nutritione, aquam pluvialem, quæ omnium leviſſima & ſubtiliſſima eſt, optimam eſſe, ſique velimus per tempus virides plantas, vel flores conſervare, opus eſt, ut quotidie aquam renovemus, ex qua tantum ſubtilem & delibatiſſimam partem recipiunt, relicta inutili craſſiori, quæ facile putreſcit. Novimus quoque, albumen ovorum eſſe veram nutritionis pullorum, ovis incluſorum, materiam;

riam, quod ex tenuiſſimis partibus conſtare debet, alias calore non ita reſolvi poſſet, ut minimas in ſemine latitantes partes ſubire atque expandere poſſet.

§. XVI.

Ad tenuitatem ſucci nutritii conciliandam multum nos facere arbitramur liquidum nerveum, quod lymphæ in glandulis paſſim affunditur, quæ ſpirituoſæ materiæ conveniens eſt vehiculum.

Scholion.

Spirituoſum & ſimpliciſſimum cerebri ac nervorum fluidum materialiter quoque omnibus corporis noſtri partibus eſſe admixtum vero eſt ſimile, unde ab omnis generis excrementorum nimia profuſione ingens naſcitur debilitas: deinde obſervamus, nutritionem non bene procedere earum partium, vel corporum, quæ vitio cerebri, vel nervorum laborant.

§. XVII.

Ut nutriatur pars, ſive majorem ſoliditatem acquirat, opus eſt, ut motrice quadam vi ſuccus in poros partium adigatur; unde videmus, calorem ad omnem nutritionem eſſe neceſſarium, qui elaſtica & expanſiva vi poros partium aperiat & ſuccum nutritium in minimas moleculas diſſolvat eaſque in fibrarum minima intrudat.

Scholion.

Quod vis quædam elaſtica, potenter movens ac expandens, ad nutritionem ſit neceſſaria, vel ex eo dijudicamus, quod radices arborum, lapidum commiſſuris infixæ, ſuccreſcentes, horum pondere in incremento non impediantur, ut potius ipſas fiſſuras dilatent, ponderoſos ſæpe lapides findendo, diruendo & ſubmovendo.

§. XVIII.

Mediante pulſu & ictu arteriarum, ſuccus nutritius, qui lympha vehitur, per extrema vaſorum & poros arteriarum lateralium ſecernitur, poſtea fibras intrat, quas nove quaſi rigat & perluit, redeunte, per vaſa lymphatica, materia aquoſa & ſuperflua gelatinoſa.

Scholion.

Apparet exinde, ſanguinis circulum eſſe medium, quo advehitur ſuccus nutritius ad partes, unde ligata arteria ex toto nutritio partis perit.

§. XIX.

Ad convenientem partium nutritionem non tantum impulſus ſanguinis ac ſucci nutritii neceſſarius eſt: ſed requiritur quoque, ut pars nutrienda decenti tono ac robore gaudeat, quo ſucci alibilis debita admiſſio & ſuperfluarum fiat excluſio.

Scholion.

Tonus & robur partium utique bonæ nutritioni admodum inſervit, quia, ſi nimium conſtricti ſint pori, ut fit in ſpaſmis, nihil admittitur, ſi nimis fuerint laxi, ut in cachecticis & paralyticis, valde craſſas ac mucidas recipiunt, unde cito quidem caro, ſed non bona concreſcit, quod in partium externarum vulnerationibus ſæpius animadvertitur.

§. XX.

Ut liquidum ſolidis apponatur, quiete opus eſt, qua optime fit partium coagmentatio atque concretio.

Scholion.

Perſpicua hinc fit ratio, quare animantia æque ac homines cito & largiter nutriantur & accreſcant ſub ſomno & quiete, præſertim corpore exiſtente ſpongioſo & ſub laudabili victu: item quare ſub labore & motu graviori, vigilia, nec non ſub febrili ſanguinis commotione, corpus decreſcat & nutritio minuatur.

§. XXI.

Corpora juniora facilius nutriuntur & incrementum capiunt, quam ſenilia, quæ potius decreſcunt: in illis enim pori ſunt ampli, partes flexiles & facile ſuccos recipiunt; in ſenibus vero fibræ ſunt contractæ, earum ſpatia inanita, poris coarctatis, & partes nimis rigidæ, vel duræ, fluidi nervei ſanguiniſque & ſucci nutritii minorem quantitatem admittunt.

Scholion.

Ex dictis jam facile fluit, quod ii, quorum corpora adoleſcere debent, copioſius deſiderent nutrimentum; ſenes vero, & qui partes valde rigidas habent, parciori contenti eſſe debeant.

§. XXII.

Quia nutrimentum dulce ac temperatum eſſe debet: hinc exiſtente ſero valde impuro, excrementitio, non laudabilis fit nutritio.

Scholion.

Oſtendunt hujus theorematis veritatem omnes cachectici, ſcorbutici, cacochymici, item ad extremam ſenectutem perducti, quorum ſerum, ob occluſa emunctoria & excretiones imminutas, valde ſalſum ac impurum fit.

CAPUT III.

De lympha ejuſque motu & uſu.

§. I.

LYmphaticus quoque humor ſecernitur ab arterioſo ſanguine, & eſt liquor diaphanus, aqueus, ſubtili gelatina imbutus, qui peculiaribus vaſis, dictis lymphaticis ac pellucidis, ab ambitu corporis & ſubſtantia partium ad cor revehitur.

Scholion.

Lympha multum convenit cum ſucco nutritio, quinimo originem ſuam ex hoc mutuatur; ſiquidem ejus fluxilis & nimis aquea portio eſt & recrementum quaſi nutritionis. Lympha vero, quæ in lymphaticis vaſis vehitur, non nutrit, quia vaſa hæc revehunt à partibus, non autem advehunt: ſed potius eſt vehiculum ſanguinis.

§. II.

Duplex eſt origo vaſorum lymphaticorum, quædam ex ipſis arteriis prodeunt, alia ex poroſa & celluloſa partium ſubſtantia naſcuntur.

§. III.

Arteriæ, poſtquam in minimas ramificationes diſtributæ fuerint, tandem, pulſu ceſſante, in duplicis generis canales reflexos abeunt, & hi, qui ſunt majoris diametri, portionem ſanguinis craſſiorem & rubicundiorem recipiunt, qui minoris vero ſunt amplitudinis, tenuem tantum & fluxilem lympham, ſive aqueam ſanguinis partem, ſuſcipiunt.

Scholion.

Quod arteriæ in vaſa lymphatica terminentur, vel ex eo diluceſcit, quia flatus, vel liquor, aut argentum vivum, ſiphone per arterias immiſſa, experimento *Nuckii* & *Malpighii*, non tantum per venas, ſed & per vaſa lymphatica partium tranſeunt.

§. IV.

Lymphatica, quæ ex partium ſubſtantia oriuntur, aquoſam ſucci nutritii partem reſorbent ac revehunt ad cor.

§. V. Quia

§. V.

Quia lymphatica vaſa ex ſubſtantia partium naſcuntur, quæ ibi ſubſiſtentem aquoſam partem revehunt: hinc dari ratio poteſt, quare ab uſu fortiorum purgantium, vel diureticorum, in cachecticis, copioſum humidum ibi ſubſiſtens in hos canales reſorberi & per inteſtinorum glandulas expurgari poſſit.

§. VI.

Quia vaſa lymphatica recipiunt aqueum & fluxilem humorem ex ſanguine arterioſo: hinc facile perſpicitur ratio, quare in iis locis, vel partibus corporis, ubi regreſſus ſanguinis per venas valde eſt difficilis, copioſa vaſa lymphatica reperiantur eaque facile intumeſcant, in hydatides explicentur, vel etiam disrumpantur.

Scholion.

In procinctu jam ratio eſt, quare in hepate, item in utero, nec non in inteſtino colo, in vaſis ſpermaticis, in pedibus quoque, inſignia & plura adſint lymphatica vaſa, & quod in illis partibus facile tumores aquoſi ſuboriantur.

§. VII.

Revehunt vero omnia lymphatica, ex univerſo corpore lympham ſuam ad capſulam lumbarem & chyliferum ductum, in quem ſe exonerant.

Scholion.

Tres rami majores vaſculorum lymphaticorum, videlicet iliacus, meſentericus & hepaticus, capſulam conſtituunt; quæ vero ex partibus ſuperioribus lympham revehunt, ipſi ductui thoracio implantantur.

§. VIII.

Cum omnia vaſa lymphatica revehant lympham à circumferentia ad centrum, omnis autem regreſſus, propter aſcenſum perpendicularem, præſertim ex partibus remotioribus, contra naturam & valde difficilis ſit; hinc ſapientiſſimus opifex multa ordinavit adjumenta, quæ lymphæ regreſſum facilitant.

§. IX.

Attenta obſervatio anatomica docet, vaſa lymphatica in itinere ſuo ſemper tranſire & ſalutare glandulas conglobatas, quarum ea eſt, auctore *Nuckio*, ſtructura, ut ex multis membranis denſis & fibris elaſticis motricibus, nec non tenuiſſimis nervorum & vaſorum ſanguineorum ramis, compoſitæ ſint.

Scholion.

Animadvertimus, vaſa lymphatica ex pedibus aſcendentia, per eximias glandulas inguinales ac iliacas, itemque meſentericas, tranſire, quæ vero à ſuperiori trunco deſcendunt, per jugulares & axillares ferri. Quod vero horum tranſitus fiat per glandulas, hoc experimento perſpicuum evadit, quando videlicet ope tubuli vitrei in vas lymphaticum hydrargyrum, vel atramentum immittitur, tunc penetrat in glandularum ſubſtantiam & earum corpus argenteo, vel atro colore tingit.

§. X.

Cauſa, cur vaſa lymphatica per glandulas conglobatas tranſeant, hæc ſolertioribus anatomicorum videtur, ut fibrarum motricium contractione, preſſionem ac impulſum ipſi lymphæ ſubminiſtrent.

Scholion.

Hiſce itaque glandulis, præſertim jugularibus, vel etiam iliacis, obſtructis, vel induratis, quod ex earum pertinaci tumore cognoſcitur, lympha in ſuis vaſis ſtagnat, vappeſcit, corrumpitur & ad poroſam ſubſtantiam carnis muſculorum effunditur, & hinc rheumatiſmorum, exulcerationum, vel catarrhalium defluxionum, origo fit.

§. XI.

Ad facilitandum lymphæ regreſſum, vaſa hæc valvulis inſtructa ſunt, & quidem ſigmoidæis, numeroſioribus & anguſtioribus, quæ quidem lympham libere transmittunt, impediunt tamen, quo minus regurgitet.

§. XII.

Cauſa, quare uno arterioſo vaſi adducenti, duo revehentia, nempe venoſum & lymphaticum, appoſita ſint, hæc videtur eſſe, quia ſanguinis & humorum, propter pulſum cordis & arteriarum ac niſum liquidorum, ad inferiora celerrima eſt progreſſio, tardior vero & difficilior reditus; igitur, ne retardetur ſanguinis circuitus, ſed æqualis maneat, per duplicis generis vaſa reducentia, celeritas fluxus in arteriis compenſatur.

§. XIII.

Lympha adducta una cum chylo, quem etiam revehunt lymphatica, affunditur ſanguini, ad dextrum cordis ventriculum remeanti, paulo craſſiori, eum in finem, ut inde fluiditatem, tenuitatem ac ſpirituaſcentiam novam accipiat, quo ad circulationem per minima, eaque capillaria ſæpius vaſa idoneus reddatur.

§. XIV.

Circulus itaque lymphæ à circulo ſanguinis dependet, hinc qui lymphæ motum vult celeriorem efficere, is ſanguinis circulum augeat, neceſſe eſt.

Scholion.

Si quis itaque morbos à vitio, vel ſtagnatione lymphæ provenientes, ſanare intendit, is non alia ratione id perficere poterit, ac ſi circulum ſanguinis promoveat, nec non fibris glandularum motricibus ſtimulum quendam addat.

CAPUT IV.

De alimentorum ſolutione & ſalivæ uſu.

§. I.

SUcci corporis noſtri calore & motu ſubinde conſumuntur, hi itaque ſemper reparatione opus habent, quæ fit ſucco congruo nutritio, quem alimenta, tam ſolida, quam fluida, ſubminiſtrant.

§. II.

Ex alimentis, tam liquidis, quam ſolidis, ſuccus pro reparatione partium, tam ſolidarum, quam fluidarum, corporis noſtri, eſt extrahendus, qui vocari ſolet chylus.

§. III.

Non unius ejusdemque, ſed plane diverſæ indolis, ſunt alimenta, quibus homo utitur, alia ſunt ſolidæ & compactæ ſubſtantiæ, alia valde glutinoſam & tenacem texturam habent, multa inutilibus, terreis, incongruis & ad conſtituendum ſuccum nutritium inidoneis partibus ſcatent. Quapropter dura alimenta ſunt diſſolvenda partesque utiles ab inutilibus ſeparandæ.

§. IV.

Ut partes utiles & congruæ ab inutilibus & incongruis ſeparentur, opus eſt, ut prius earum textura intime diſſolvatur.

§. V.

Ad intimam alimentorum diſſolutionem liquor menſtrualis,

strualis, qui intime alimenta recludat, neque minus calor requiritur.

§. VI.

Salivalis latex est menstruum microcosmicum universale, quo alimenta omnis generis intime recludantur, & est humor insipidus, indolis subtilis, penetrantis, fermentescibilis & solventis.

Scholion.

Saliva merito distinguitur à submucido & spisso liquore, qui tam ex glanduloso peristromate faucium & laryngis profluit, quam ex ductu glanduloso narium screatu ejicitur.

§. VII.

Salivam liquorem esse ex subtilissimis partibus constantem, & glandularum salivalium firmior compages, & tubulorum angustia, & quod non facile in frigore concrescit inque vacuo multas bullulas more spirituosorum reddit, nec non ejus virtus medicamentosa, comprobant.

Scholion.

Glandularum salivalium, ex quibus constant tubuli angustiores, ex sero sanguinis vix aliud, quam aquam subtilem, cum multis particulis aëreo-æthereis & salinis, sulphureis, simplicissimis & tenuissimis separant, & ratione harum, saliva jejuni hominis egregiam virtutem tumores discutiendi & lichenes ac serpiginem sanandi obtinet, nec non in vacuo, subtracto per antliam aëre atmosphærico, saliva in vitro posita mire ebullit & innumeras bullulas emittit, more omnium liquorum subtilium.

§. VIII.

Saliva est fermentescibilis naturæ, hinc addita rebus ad fermentationem aptis, eam facile excitat.

Scholion.

Clarissime id conspicitur, quando saliva additur fructibus saccharo conditis, dum eos brevi in fermentationem conjicit. Simile quoque apparet, quando cibi masticati in ore & cum saliva mixti, in vitro recondantur, tunc leni calore accedente, incipiunt fermentescere.

§. IX.

Saliva est liquor potenter solvens, particulis tenuibus valde elasticis, aqueis, nec non purissimo & universali sale simplicissimo, imbutus.

Scholion.

Menstrua insipida magnam penetrantiam & potentiam solvendi habent, quod videmus in argento vivo, quod arctissima metallorum spatia & claustra subit, eorumque partes discontinuat. Visitur id quoque in aqua pluviali, quæ non modo promte omnis generis salia imbibit, glutinosos succos dissolvit & dura etiam corpora emollit, unde aselli & marini pisces, sola maceratione in aqua molliscunt, ut leni igne coqui possint, multo magis autem id fit, si sale subtili alcalino est instructa, quale etiam salivæ inesse non modo auctor est *Verheyen*, qui uncias octo salivæ leni calore inspissatas, drachmam dimidiam salis largiri affirmat, sed & experimentum cum solutione saturni, quæ salivam reddere solet turbidam eamque præcipitat, confirmat. Præter sal fixum vero, salivæ inexistere judicamus longe simplicius ac purius quoddam sal, quod tamen sensorium gustus non æque afficit.

§. X.

Neque dubitandum, portionem liquidi nervei salivalem laticem ingredi.

Scholion.

Quia insignes nervorum rami ad glandulas salivales abeunt, quales ad sensum & motum sunt superflui; & consumtis viribus per profundas meditationes, debilitatur quoque vis digestionis. Deinde motum perversum liquidi nervei, qui fit sub animi affectibus, ira, terrore, item furore, rabie, simul transire ad salivalem laticem, venenati morsus bestiarum ira percitarum, nec non funesti morsus animantium rabie tactorum, testantur.

§. XI.

Saliva itaque est verum & universale alimentorum menstruum & fermentum, quo ea intime dissolvuntur & extrahuntur.

Scholion.

Non superficiaria, sed intima solutio alimentorum in ventriculo fieri debet, qua videlicet unio & textura partium, certum mixtum constituentium, intime dissolvitur, ut hac ratione & sapor, color, odor, consistentia, & virtus prioris mixti mutetur: superficiaria vero solutio est, quando corpus in partes tantum minimas, virtute menstrui, redigitur, salva earum textura ac mixtione. Ita aurum, quando dissolvitur ab aqua regis, omnes ejus particulæ, ex menstruo rursus præcipitatæ, auri naturam, crasin ac virtutem exactissime adhuc conservant. Exemplum vero intimæ solutionis est, quando mustum motu fermentativo ita dissolvitur, ut non amplius mustum maneat, sed in vinosum liquorem transeat. Quod vero alimenta in ventriculo atque intestinis intime dissolvantur, ex eo patescit, quia post solutionem & simulac è ventriculo fuerunt egressa, color, sapor, odor & consistentia, immutantur.

§. XII.

Intima dissolutio corporum, sine fermentatione, quæ motus intestinus est, mixti partes unitas intime solvens, fieri nequit: nullum hinc dubium est, quin in ventriculo etiam atque in intestinis tenuibus actus fermentationis celebretur.

Scholion.

De fermentatione ciborum in ventriculo, ejus turgescentia & inflatio, item ructus & flatus qui prodeunt, testari possunt: & sicuti fermentationis effectus est acescentia, ita ciborum reliquiæ, quæ à resolutioue ciborum in ventriculo remanent, manifestum saporem & odorem acidum præ se ferunt, sique fermentatio paulo intensior & acrior est, quemadmodum fit in hypochondriacis, copia acidi exsuperantis in ventriculo progeneratur, adeo, ut omnia in ventriculum ingesta acescant, sive in acidum liquamen mutentur.

§. XIII.

Sicut omnis fermentatio fermentescibilium, à fermento, quod est portio massæ jam in actu fermentationis existentis, & excitatur, & adjuvatur: ita saliva utique alimentorum fermentum est, quod etiam largissime provida natura producit & cibis admiscet.

Scholion.

Non tantum eximiæ glandulæ, ut parotides & maxillares, ingentem salivæ quantitatem fundunt, sed & tota palati caro glandulosa est, nec non œsophagi, ventriculi & intestinorum glandulosæ tunicæ, quin imo glandulæ peculiares duodeni & reliquorum tenuium, præsertim ilei, maxime omnium vero pancreas, quod totum glandulosum est, salivalem illum ac fermentescibilem laticem fundunt & undiquaque fere ciborum massæ admiscent, ad plenariam & intimam alimentorum dissolutionem & utilium partium separationem.

§. XIV.

Quemadmodum omnis fermentatio & omnis solutio, admoto calore egregie juvatur: ita etiam ventriculo circumposita calida viscera, ut hepar, lien, calo-

rem

rem ipsi subministrant & digestionis negotium promovent.

§. XV.

Caloris magna vis est intime poros mixti penetrandi & expansiva virtute compagem partium dissolvendi : sicut contra frigus solutionis & digestionis actum semper retardat.

Scholion.

Clarissime apparet in fermentatione musti, item farinæ pro panificio, nec non frumentorum ad præparationem spiritus vini, quod calore intendi & frigore impediri possit.

§. XVI.

Calor agens in humidum & corpora solidiora, si loco fuerint inclusa, ut mirabilem in dissolvendo præstat effectum, ita nullum dubium, quin calor viscerum in ventriculo conclusus, potentissime in compagem alimentorum agere eamque solvere possit.

Scholion.

Non amplius naturæ curiosis sunt ignota experimenta, quæ beneficio machinæ Papinianæ, in emolliendis durissimis ossibus & in facilitanda coctione, mirabili plane ratione perficiuntur, ubi totus effectus tantum à calore & liquido incluso dependet; hinc non mirum est, quod brevi tempore, calore viscerum & fermentescibili, salivali lympha, lupus integrum cervum devorare & concoquere possit, lucius piscis integros carpiones devoret inque liquamen convertat, canes ossa, Finni ac Lappones crudas carnes & duros, exsiccatos pisces digerere possint. Curiosa vero quæstio est, cum in ventriculo insit tanta solvendi potentia, quare non ipsius substantia tandem calore & subtili salivali menstruo solvatur? cujus rei non alia videtur ratio, quam quod succus salivalis non possit ita penetrare poros & partes ventriculi, ut libere undiquaque in ejus plures superficies agere possit. Ita animadvertimus, flammam non posse accendere materiam v. g. chartam, quando duro corpori, ut plumbo, vel alii metallo, circumvoluta est, quia nempe ignis recta linea transit, non vero æquali nisu & quasi gyratorio motu, in chartam agere potest. Deinceps ventriculi compages, admodum strictior resistit, externæ actioni menstruorum. Et materia quoque calida, quæ à visceribus adjacentibus continuo influit per ventriculum ad alimenta, impedit, quo minus calor, in alimentis susceptus, agere in ipsam substantiam ventriculi, eam dissolvendo, possit.

§. XVII.

Menstrualis & fermentalis liquor ventriculi, ex intimis succis corporis nostri desumtus est, quare chylosam massam fermentatione ita disponit, ut sanguinis & humorum indolem facilius induat.

§. XVIII.

Dissolvens energia salivalis laticis multum reliquiis chymi, in ventriculo contenti, adjuvatur.

Scholion.

Est enim acidorum magna in dissolvendo potentia. Ita ossa, dentes, lapides, metalla, acidis solvi menstruis chymica docet experientia. Atque propter penetrans acidum, etiam ossa devorata, canes, item limaturam martis, homines, dissolvere possunt.

§. XIX.

Acidum in ventriculo residuum, & calore ac spirituascentia lymphæ gastricæ subtilius redditum, tunicam nerveam ventriculi, præsertim partis ejus superioris, blande vellicando, causa est appetitus.

Scholion.

Quare non obscura esse potest ratio, cur omnia acida subtiliora & spirituosa, ut spiritus salis dulcis, vinum Rhenanum, item volatilia salia & aromatica, quæ acidum fixum in ventriculo contentum subtile reddunt, appetitum languentem excitent.

§. XX.

Liquo salivalis & gastricus, cum moderato calore, causa est digestionis & solutionis alimentorum: quocirca omnia ea, quæ sanguinis calidi influxum in ventriculum impediunt, quæque menstrui virtutem dissolventem infringunt, aut ejus generationem prohibent, digestioni admodum sunt inimica; & contra, quæ salivalis menstrui influxum, proventum & activitatem procurant, digestionis & chylificationis negotio egregie favent.

Scholion.

Quare experientia discimus, nihil magis appetitum & digestionem, quam alcalina terrea, lacticinia, dulcia, farinacea, nimis pinguia, opiata, adstringentia & spirituosa morari, præsertim quando hæc copiose & jejuno ventriculo assumuntur; infusa vero herbarum calida, acidulæ, thermæ, salia neutra, aromata paulo acriora, appetitum & digestionem secundare, quia tunicas glandulosas in primis viis ab obstructione & à mucositate liberant, ut sic liberior gastricæ lymphæ fiat affluxus.

§. XXI.

Notatu digna res est, quod in omni fere morbo appetitus & digestio lædatur.

Scholion.

Quia videlicet nullus morbus est, qui non temperatum calorem sanguinis & temperiem atque influxum fermentalis liquoris in ventriculi atque intestinorum canalem interturbet. Actio igitur ventriculi merito dici potest systematica, quia à systemate, & solidarum, & fluidarum corporis nostri partium dependet, hinc iis læsis, læditur etiam digestio, quare appetitus emortuus, certum morbosæ dispositionis humorum, vel partium solidarum indicium est, & appetitus quoque restitutio, signum convalescentiæ & morbi jam victi faustum omen præbet.

§. XXII.

Salivalis latex, qui fauces & œsophagum irrigat, dirigit quoque appetentiam liquidorum, sive sitim.

Scholion.

Appetitus tam solidorum, nempe fames, quam liquidorum, sive sitis, est quidem res animæ, nihilo minus à causis mere corporeis, certis in organis, determinatur atque dirigitur.

§. XXIII.

Sitis causa minime est defectus humidi in sanguine, sed in faucibus atque œsophago.

Scholion.

Apparet id clarissime, dum in febribus, vel etiam in hydrope, ingens copia humidorum sitim non compescere potest, potus vero calidus, ut infusum herbæ thée, item nitrosa, in pauca quantitate sumta, eam sedare possunt. Quin imo observamus, sitim sæpius in affectibus spasticis ventriculi, item in frigore intermittentium urgere, quia videlicet spasmodica glandularum in faucibus & œsophago fit constrictio, & hac ratione humoris influxus in has partes impeditur.

§. XXIV.

Somnus, nec non anodyna, sitim sedandi facultate pollent.

Scholion.

Quia strictura in glandulis faucium tollunt, ductus rela-

relaxant, ut copioſior humidi ad faucium regionem fiat affuſio.

§. XXV.

Saliva facit ad ſaporem.

Scholion.

Quia ſapidas ſalinæ indolis alimentorum partes optime extrahit, ut ad papillas linguæ nerveas penetrent. Omnis ſapor fit à ſale, nullum vero ſal agit, niſi ſit ſolutum, quia alias non ingredi poros, neque ſaporis organa nervea afficere poteſt; quia vero ſaliva, propter tenuitatem partium, ex alimentis optime ſapidas partes extrahit, hinc ejus in ore præſentia multum ad ſaporem facit, atque adeo ejus defectus ac craſſities in ardentibus febribus, vel aliis morbis, ſaporis, vel nullius, vel imminuti, ampliſſima eſt cauſa.

CAPUT V.

De chyli in inteſtinis perfectione, deque bilis ad hoc negotium uſu, hujusque natura & ſecretione.

§. I.

Sicuti in ventriculo, mediante ſaliva, compages alimentorum diſſolvitur: ita in inteſtinis, præſertim in duodeno, hæc diſſolutio ulterius mediante bile perficitur, & chyloſus utilis ſuccus elaboratur.

Scholion.

Quod duodenum vice fungatur ventriculi parvi, vel ex eo patet, quia ſimilem, ut ventriculus habet flexuram, ut diutius ibi maſſa ciborum morari poſſit; & quia duo potentiſſima menſtrua, bilis nempe & ſuccus pancreaticus, affluunt, tam ad ulteriorem alimentorum digeſtionem, quam ad correctionem & meliorem chyli elaborationem.

§. II.

Bilis eſt humor reſinoſo-ſulphureus, coloris flavi, ſaporis amari, ſero dilutus inque hepate ſecretus, diſſolutioni alimentorum & ſecretioni chyli multum inſerviens.

§. III.

Bilis humor eſt reſinoſo-ſulphureus, hinc inſpiſſata bilis, non modo apertiſſimam flammam concipit, ſed & à ſpiritu vini rectificato ſolvitur, remanente mucoſitate.

Scholion.

Differt reſinoſum bilis principium ab aliis reſinis vegetabilium, quod aliæ reſinæ ſolvuntur quidem à ſpiritu vini, ſed non ab aqueo menſtruo, bilis vero inſpiſſata & extractum quoque reſinoſum, ex ejus ſolutione paratum, promte etiam aqua communi ſolvitur. Secundo, eſſentiæ aliæ reſinoſæ aquæ inſtillatæ lacteſcentem colorem faciunt, quod neutiquam ſolutio bilis præſtat. Tertio, aliæ reſinæ ex vegetabilibus acidum liquorem fundunt, bilis vero igne tractata & cremata, præter oleum, ſal volatile urinoſum præbet, ſale alcalino pauco, fixo, in cineribus relicto.

§. IV.

Reſinoſum igitur bilis principium ab aliis reſinis differt, quia has acidum ſal, illam vero alcalinum ingreditur.

Scholion.

Bilis eſt reſina ex animantium regno petita: & ſicuti ob inteſtinum calidiorem in ſuccis corporis animantium motum, inſipidæ terræ, vel etiam acida ſalia fixiora, ſubtiliſantur & alcalinam naturam ſuſcipiunt, omneſque tam fluidæ, quam ſolidæ partes, de ejuſmodi ſale volatili urinoſo participant; ita etiam bilis mixtionem ſal alcali ingreditur, quod poſtea cum ſulphureis partibus combinatum, in aquea menſtrua habet ingreſſum.

§. V.

Quod elementum alcalinum parti ſulphureæ bilis ſit admixtum, plura experimenta comprobant. Bilis I.) admixta ſyrupo violarum, virideſcentem, ut mos eſt alcalinorum, eam reddit: II.) omne acidum concentratum, ut oleum vitrioli, aqua fortis, cum bile ebullit, præſertim calore admoto, viridi colore emergente: III.) virtus ejus abſterſiva, attenuatoria & acidum temperans, id comprobat, dum optime maculas pingues detergit ex linteis, colores, uti pictoribus notum eſt, diffundit, & cereviſiarum acorem corrigit.

Scholion.

Sicut ex ſale alcali & oleo, invicem combinatis, ſaponiformis fit mixtura; ita etiam ejuſmodi ſaponiformi abſterſiva virtute gaudet bilis, unde non inepte à quibuſdam medicis ſapo animalis appellatur.

§. VI.

Bilis compoſita eſt ex particulis reſinoſo-ſulphureis, neque minus alcalinis; hinc ſanguis, qui multum ſulphuris & ſalis continet, ad copioſam bilem ingenerandam admodum idoneus eſt.

Scholion.

Patet jam ratio, quare homines qui calidiorem ſanguinem habent, ut cholerici, quique motu corpus vehementer exercent atque alimentis calidis, ſpirituoſis nimium utuntur, copiam bilis progenerent; item, cur in omni febrili æſtu, bilis copioſa in excrementis valde conſpicua, etiam ex alimentis humectantibus & refrigerantibus generetur, ſiquidem ex Chymia mechanica compertum eſt, calido inteſtino fluidi ætherei motu, materiam etiam inſipidam, terream, fixam, incombuſtibilem, ſucceſſive ſulphuream, ſalinam, volatilem & inflammabilem reddi poſſe.

§. VII.

Secernitur bilioſus humor in hepate, quod nonniſi glomeramen eſt ex vaſorum venæ portæ, cavæ, arteriæ hepaticæ & ductuum biliariorum capillamentis, ſive ſtaminibus, compoſitum.

Scholion.

Vena portæ adducit ſanguinem ad hepar, & quia eſt vas venoſum, lentior per illud curſus eſt, de quo jam ſupra latius egimus. Per venam cavam autem ſanguis reducitur verſus cor; arteria hepatica nutrimentum partibus, ex quibus hepar coagmentatum eſt, adducit, ductus vero biliarii ſecretam bilem partim per cholodochum ad duodenum, partim per cyſticum ad cyſtidem felleam deducunt, ſiquidem non alium hepar uſum atque utilitatem habet, quam ut ſulphuream, aduſtiorem & lixivioſam ſanguinis partem, una cum ſero, per venam portæ advectam, ſeparet. Hallucinati enim in eo fuerunt veteres, quod hepar præcipuam ſanguificationis officinam crediderint.

§. VIII.

Bilis, quæ eſt humor craſſus & ipſo ſanguine ponderoſior, peculiari eget apparatu mechanico ad ſuam ſecretionem.

§. IX.

Ad ſecretionem craſſioris humoris opus eſt, ut ſanguis craſſior accedat ad organon ſecretorium, ne tenue liquidum in nimia copia per ductus capaciores tranſeat.

Scholion.

Quia ſeparatio craſſioris humoris requirit canales &

ductus secretorios satis amplos, per hos autem, eadem, immo majori facilitate, liquidum tenue, quam crassum transit; hinc ne nimia tenuis lymphæ fiat separatio, opus erat, ut sanguis parte tenui lymphatica maxima ex parte prius spolietur, quod in renibus, ventriculo, toto intestinorum volumine, omento & pancreate fit, quas partes omnes prius sanguis pertransire debet antequam ad hepar deferatur.

§. X.

Ut bilis in hepate separetur, opus est tardiori per hoc viscus progressu atque itinere.

Scholion.

Nam sub tardiori motu in genere, omnes secretiones & excretiones melius, quam motu existente celerrimo, celebrantur, quia partes fluidæ à crassioribus solidioribus tunc longe facilius sese separant, & tenues aqueæ in vasa lymphatica, quorum copia in hepate est, crassiores vero per ductus biliferos vehuntur.

§. XI.

Ad separationem crassioris humoris bilioſi, singularis structura ac connexio venæ cavæ cum vena portæ, qualis in universo corpore non observatur similis, attendenda est.

Scholion.

Quandoquidem arteriarum extrema in aliis partibus cum finibus venarum conjunguntur & unum continuum canalem constituunt, in hepate vero id non evenit, sed minimæ ramificationes venæ cavæ latera venæ portæ ingrediuntur, adeo ut hæc ad angulos rectos dissecent, non alium in finem, quam ut sanguis, qui bile tenuior est, in venæ cavæ orificia, non secus ac chylus in intestinis, in vasa lactea impellatur, crassiori liquore bilioso relicto, qui deinde in ductus biliarios, venæ portæ continuos, influit, indeque per ductum cholodochum & communem, ad duodenum, & per cysticum, ad felleam vesiculam truditur.

§. XII.

Utcunque bilis sit humor, ratione suæ mixtionis, partibus corporis nostri tam solidis, quam fluidis, plane incongruus, & hujus respectu excrementitius; nihilo minus respectu elaborationis chyli, utilissimus est, unde antequam foras ejiciatur, huic negotio impendi debet.

Scholion.

Eximium bilis esse in animantibus usum compluribus argumentis comprobari potest: I.) quod nullum in rerum natura animal bile caret, utut non in omnibus vesicula fellea adsit; II.) in omni animantium genere bilis non ad intestinum rectum, sed ad duodenum, quod primum est à ventriculo, fertur, manifesto indicio peculiaris ibi præstandæ utilitatis; III.) quia amplissimum hepatis viscus nullum in alium usum in animantibus prostat, quam, ut bilem separet; IV.) quod duplici ductu, hepatico nempe & cystico, ad duodenum tendit ipsaque in cystide semper reservatur, ut ibi fiat saturatior; V.) quod insignis bilis copia ex hepate quotidie segregatur.

§. XIII.

Non tam accurate bilis quantitas, quæ singulis diebus in hepate separatur, determinari potest.

Scholion.

Ductus illi satis conspicui & capaces, cysticus & hepaticus, ex minoribus plurimis conflatus, tandem in unum amplum canalem cholodochum communem coëuntes, bilis copiosum ad massam chylosam influxum luculenter comprobant. Saturatus quoque fecum alvinarum flavus color, qui à bile est, largiorem ejus quantitatem indicat. *Bianchi* ad uncias sex quantitatem bilis æstimat, idque sequenti experimento probat, quando nempe ex ductibus biliferis & ex cystide fellea, hominis sani & violenta morte extincti, bilis per repetitas aquæ tepidæ, prius pondere examinatæ, injectiones eluitur & aqua illa cum bile mixta rursus ponderatur, tunc facile bilis pondus in toto hepate contentæ explorari potest.

§. XIV.

Duplex bilis datur, hepatica nempe & cystica, illa per ductus undique per hepar dispersos biliferos ad cholodochum, & porro ad duodenum fertur, ac longe fluidior est cystica, quæ crassior, saturatior & amaricantior est.

§. XV.

Bilis per ductus hepaticos advecta, propter obliquam & valde compressam ductus cholodochi per duodeni membranas in cavitatem ejus insertionem, in cystidem facile regurgitat. In quibusdam quoque animantibus immediate per ductus peculiares, hepatico-cysticos, ad vesiculam fertur.

§. XVI.

Bilis non tantum pondere ex ductibus biliariis & cystide defertur ad duodenum: sed motu activo proprio, contractorio, ad illud & intestina maxime fertur.

Scholion.

Non modo ipsa fellis vesicula, sed & ductus bilem vehentes, ex diversis tunicis, glandulosa nempe, nervea & carnea, fibris motricibus donata, constant, vasaque arteriosa, venosa, lymphatica & complures nervorum ramificationes obtinent, non alio fine, quam ut motus constrictionis ibi quoque exerceatur, cujus beneficio bilis motus atque effusio dispensetur. Ex quo facile emeticorum operandi ratio intelligi potest, quæ subtiliori salino-sulphureo vellicante principio, motum peristalticum citatiorem efficiendo, bilis copiosiorem ad intestina effusionem simul cient. Dein ex hoc ratio patet, quare his ductibus nerveo-musculosis, spasmo, v.g. ab iracundia, vel fortiori purgante vomitorio, aut veneno, constrictis, bilis per vasa lymphatica ad sanguinem regurgitet, unde icteri origo.

§. XVII.

Ventriculus, ab alimentis & eorum fermentatione expansus, multum affluxum bilis ex cystide fellea ad duodenum adjuvat.

Scholion.

Notabilis est vesicæ felleæ situs in homine, dum cervix fundo altior est, qui ad inferiora jacet, quare difficilis est ejus ascensus, præsertim cum ex loco latiori ad angustiorem debeat fluere; deinde, quia inter secundam & tertiam tunicam duodeni ductus cholodochus longo itinere progreditur, & demum foramine rotundo in cavum intestini hiat: non potest omni tempore, sed tantummodo relaxatis intestinis & compressa cystide à dextra ventriculi parte, quæ ciborum copia & fermentatione turget, in duodenum exonerari.

§. XVIII.

Quo copiosior est alimentorum in ventriculum ingestio, eo major ventriculi fit expansio & consequenter cystidis felleæ adjacentis compressio, unde copiosioris bilis ad intestina tunc fit affluxus.

Scholion.

Notabilis est observatio, quod in animantibus, post longam inediam flaccido existente ventriculo, cystis bile admodum turgida sit, quæ post insignem alimentorum ingestionem semiplena observatur. Notabile quoque est, in fœtibus humanis cystidem bile repletam inveniri, quia ventriculus in iis feriatur & ab expansione liber est.

§. XIX.

§. XIX.

Differt bilis cystica à bile hepatica in eo, quod illa sit crassior, saturatior, amaricantior, hæc vero tenuior & magis sero diluta.

Scholion.

Sicut vero utraque hæc bilis indole differt, ita quoque ejus virtus atque usus distinguitur, siquidem bilis hepatica non tam efficax est, quam cystica, quæ magis medicamentosa virtute prædita, & illa quoque perpetuo ad duodenum, hæc vero tantum, quando ventriculus cibis est onustus, influit.

§. XX.

Bilis cystica hunc habet usum, ut purgans quasi sit & clyster naturalis, quo tunica villosa, quæ chyli secretorium est, abstergatur & intestina ad ejectionem secum stimulentur.

Scholion.

Chylus valde viscosus, dum transit per tunicam intestinorum villosam, relinquit magnam amurcam, qua crusta villosa, sive secretorium chyli, & intestinorum parietes valde obducuntur, pori quoque ac tubuli lactei eorumque orificia oblinuntur, quo liberior progressus chyli impeditur, quare hic mucus est abstergendus, ad quod præter lympham ex glandulis & pancreate continuo stillantem, bilis acrior cystica multum contribuit, quæ lixiviosa & saponaria virtute mucum abstergit; tubulosque lacteos & oscula glandularum aperit.

§. XXI.

Quemadmodum bilis, rite constituta ac temperata, est magna & universalis medicina primarum viarum, digestioni alimentorum & excretioni alvinæ maxime inserviens: ita si intemperie & motu, item copia peccat, venenum est corpori.

Scholion.

Hanc rem olim latius in *Diss. de bile medicina & veneno corporis* exsecuti sumus.

§. XXII.

Bilis cystica chylo non æque, quam hepatica admiscetur, sed præcedit chymi egestionem ex ventriculo & viam quasi præparat: bilis vero hepatica, quæ continuo affluit, chylosæ ex ventriculo massæ semper admiscetur.

Scholion.

Patet jam ratio, quare bilis cystica stagnans in duodeno & ex mora corrupta, fœcunda plurimorum morborum, maxime ex primis viis ortorum, vomitus nempe, cardialgiæ, choleræ, dysenteriæ, inflammationis ventriculi & intestinorum ac omnium fere febrium biliosarum, mater existat.

§. XXIII.

Bilis hepatica, item cystica benignior & dilutior, in duodeno chylificationis negotium promovet, dum cum lympha pancreatica mixta, ulteriorem solutionem partium, præsertim pinguium & viscidarum in alimentis, promovet, acorem chyli, qui sanguinis temperiei infestus est, temperat & abstergit, & parte sua resinosa sulphurea subtilitatem & blandam spirituascentiam chyli procurat.

Scholion.

Ex dictis jam facile patet ratio, quare bile vitiata, multæ cruditates primis in viis accumulentur, quæ nauseam, ardorem stomachi, flatulentiam, alvum adstrictam, cachexiam ac tabem facile inferunt, & quare omnia fere amara, in chylificationis negotio secundando, in corrigendis primarum viarum vitiis & præcavendis ac sanandis multis chronicis affectionibus, tantæ utilitatis atque usus existant, quia idem præstant quod bilis, cujus defectum ac vitia emendant.

CAPUT VI.

De secretione chyli & motu ventriculi atque intestinorum peristaltico.

§. I.

ALimenta tam esculenta, quam potulenta, non modo in ventriculo, sed & in duodeno, quod ventriculus succenturiatus est, & in toto intestinorum tenuium canale, calore & menstruorum, lymphæ nempe gastricæ & bilis, ope dissolvuntur & extrahuntur in liquorem alimentarium, chylum, qui per colatorium intestinale ab inutili massa alimentorum, quæ per alvum excernenda est, secretus, peculiari mechanica motuum ad sanguinem vehitur.

Scholion.

Quod duodenum sit ventriculus succenturiatus, vel ex eo patet, quia capax satis est & flexuram habet uti ventriculus, qua fit, ut diutius in eo morari chymi massa possit. Gaudet quoque suis peculiaribus menstruis, seu liquoribus solventibus, dum non modo innumeræ glandulæ, à Cl. *Brunnero* detectæ, menstrualem lympham plorantes, ibi collocatæ sunt, sed & succus pancreaticus cum bile permixtus, ulteriorem elaborationem & rectificationem chyli absolvit.

§. II.

Chylus est liquor lacteus, insipidus, ex partibus oleosis, mucilaginosis constans, ex alimentis solutis extractus.

Scholion.

Chylus est quasi emulsio naturalis: & sicut ad hanc constituendam partes oleosæ, pingues, cum aqueis & mucilaginosis mixtæ desiderantur: ita quoque ex iisdem ingredientibus chylum compositum esse, lactis, quod nihil nisi chylus est, butyrosa, caseosa & serosa substantia demonstrat. Et sicut omnis emulsio artificialis, ex seminibus oleosis contusis cum aqua parata, colorem habet albicantem, qui ab oleo in tenuissimos globulos, radios luminis reflectentes, subacto, proficiscitur: ita etiam chyli albedo, vix aliam, quam hanc habet originem.

§. III.

Quia chyli præcipuum elementum est oleum temperatum, dulce & gelatinosa ac mucilaginosa substantia: hinc facile patet, alimenta, quæ bonum & copiosum chylum suppeditant, ea esse optima, quæ temperatam, oleosam & mucosam substantiam obtinent, ut sunt præter carnes animantium, ex vegetabilibus omnia semina farinacea.

Scholion.

Hinc patet ratio, quare solo pane & aqua homo vivere possit; nam hæc omnia chyli & sanguinis ingredientia in debita temperie & proportione complectuntur. Ex hoc identidem apparet, quare oryza populis orientalibus nutriendis loco panis sufficiat, & hordeo, avena, tritico, pisis, fabis, castaneis, homines optime nutriri & omnis generis animantia pinguia reddi possint. Ex hoc eluceſcit porro ratio, quare ex alimentis ea, quæ non temperata sunt, ut acida, spirituosa, salsa & plures vegetabilium succi, herbæ, radices, acria, aromatica, ad chylum constituendum & nutritionem præstandam minus idonea sint.

§. IV.

Chylus ex solutis alimentis extractus, per tunicam villosam tenuium intestinorum colatur osculisque vasorum lacteorum imprimitur atque infunditur.

§. V.

Tunica villoſa, quæ optime in jejuno conſpicitur, nonniſi congeries eſt innumerabilium villorum, ſive minutiſſimorum tubulorum, variis modis ſibi intertextorum, atque hæc eſt principium vaſorum lacteorum.

Scholion.

Inteſtinorum villos cavitate gaudere, microſcopiorum beneficio indaganda, *Brunnerus in Tr. de glandulis inteſtinorum* egregie demonſtravit. Eodem auctore diſcimus, quod ubi villi inteſtinorum dantur, ibi etiam reperiantur vaſa lactea, & ubi hæc non viſuntur, ut in ventriculo, ibi lactea quoque vaſa inviſibilia ſint.

§. VI.

Tunica villoſa inteſtinorum non mere ſe habet paſſive, ſed ob liquidi nervei & ſanguinis affluxum, gaudet vigore & tono, ſive motu conſtrictionis ac dilatationis, ita, ut canaliculi hi villoſi & vaſorum lacteorum orificia, & nimium contrahi, & relaxari ac aperiri poſſint.

Scholion.

In ſpaſmis ac tormentis inteſtinorum, item ab acrioribus medicamentis purgantibus, vel erodentibus venenis ſumtis, tunicam villoſam valde conſtringi, ut nonniſi tenue liquidum tranſmittatur, ſymptomata, quæ maxime hypochondriacis familiaria ſunt, & flatulentiæ ac nimiæ congeſtiones vitioſorum humorum tali in ſtatu confirmant. De quo in pathologicis prolixius agendum erit.

§. VII.

Tunica villoſa, qua gaudent maxime tenuia, eſt colatorium illud ſolenne & publicum, per quod omnis humor ex primis viis accedit ad ſanguinem & ad univerſum corpus: hinc multum intereſt, ut hoc rite ſit conſtitutum. Quod ſi enim nimis hiantia ſunt oſcula, craſſior & feculentior chyli pars recrementitia ad ſanguinem fertur: ſi vero nimis anguſtata & conſtricta ſunt, tenuis ſaltem aquoſa pars, remanente utili & alimentoſa ſolida, tranſmittitur.

§. VIII.

Quia omnis chylus & omne liquidum, per minima tunicæ villoſæ capillamenta vaſaque lactea, debet tranſire ad ſanguinem: hinc tubuli & oſcula hæc debent eſſe hiantia & aperta, non vero mucoſitate quadam obſtructa.

§. IX.

Ad obſtruendos hos tunicæ villoſæ tubulos multum contribuunt alimenta, quæ in viſcoſum coagulum abeunt, ut ſunt v. g. panis calidus & omnia farinacea ac placentæ non bene fermentatæ, lac coagulatum, cibi nimis viſcoſi & compacti, pinguedines, ut vervecina, facile in coagulum abeuntes, omniaque alimenta & medicamenta adſtringente facultate donata.

§. X.

Provida itaque natura prudenti conſilio conſtituit, ut bilis, ſaponaria & abſtergente vi, una cum lympha, ex glandulis & tunicis glanduloſis effuſa, perpetua affuſione facta, hanc tunicam ab obſtructione craſſi muci vindicent.

Scholion.

Ex quo jam apparet aquarum ſalubrium & potuum calidorum thee, coffe aliorumque infuſorum & decoctorum ex herbis inſignis utilitas, quæ in eo maxime conſiſtit, ut tunicam hanc ab obſtructione liberent & apertos tubulos teneant. Diluceſcit & inde ratio, quare hæc liquida, vel etiam aquæ ſalubres, in principio, ſi copioſius bibantur, cum ob obſtructa vaſa non bene tranſeunt, multas turbas, flatulentias, anxietates, quandoque etiam vomitum, provocent.

§. XI.

Per colatorium chyloſum prius liquidum ex alimentis tenuiſſimum ſecernitur, quod ſine obſtaculo ductus init & progreditur, hinc quoque poſt paſtum, vel potum liberaliorem, etiam aquarum ſalubrium, urina primo mere aquea & inſipida, deinde coloratior profluit.

§. XII.

Craſſiora & quæ non reſpondent orificiis vaſorum lacteorum, minus ad ſanguinem feruntur, ſed ob anguſtiam ductuum retinentur & per alvum potius eliminantur.

Scholion.

Bilis propter conſiſtentiam craſſiorem non tranſit per vaſa lactea, ſed cum alvinis fecibus eliminatur. Neque animadvertimus, amara medicamenta, vel etiam alimenta, item potus amaricantes craſſiuſculos, ut potum coffee, cereviſias craſſiores, ad ſanguinem ferri, ſed potius cum fecibus, quas etiam ſaturatiori bruno colore tingunt, craſſior & coloratior pars foras exturbatur. Neque ex medicamentis, niſi ſubtiliora, volatilia, ſalina & ſulphurea, vaſa lactea tranſcendunt, ſed plerumque inter primas vias operationes ſuas exſerunt. Si vero diutius ſub alvo ſtrictiori ibi morantur, majori facta compreſſione inteſtinorum, etiam craſſiores, ſalinæ & terreſtres partes, in ſanguinem penetrant.

§. XIII.

Non vero tantummodo ex inteſtinis tenuibus, ſed etiam ex craſſioribus, liquidum adhuc ſecernitur & per vaſa lymphatica ad ſanguinis & humorum maſſam abit.

§. XIV.

Alvo plus juſto retenta, vel adſtricta, feces, quæ prius liquidæ & foetidæ ejiciebantur, jam exſuccæ, aridæ, gravis odoris expertes prodeunt, manifeſto documento, fœtidum illud liquidum ab iis fuiſſe ſeparatum.

Scholion.

Ex dictis jam facilis dari poteſt ratio, quare alvi tardior ſeceſſio cacochymiæ procreatrix ſit, & impuros admodum humores reddat. Et quod in inteſtinis craſſis etiam adhuc ſecretio fiat, clyſteres ſic dicti nutrientes, quorum uſus non eſt de nihilo, item clyſteres antifebriles, ex cortice chinæ parati, & antiſpaſmodici ac roborantes, ex herbis nervinis & cephalicis, in capitis affectibus, abunde id comprobant.

§. XV.

Seceſſio chyli in vaſa lactea inteſtinorum motu periſtaltico valde adjuvatur.

§. XVI.

Ventriculus & inteſtina gaudent ſingulari dilatationis & conſtrictionis motu, qui ſucceſſive progreditur à ſuperioribus ad inferiora, & à Græcis periſtalticus appellari ſolet.

§. XVII.

Hujus motus organon ſunt maxime fibræ annulares, quibus totus inteſtinorum ductus, ſpiræ, vel helicis in modum, circumvolutus eſt, adeo, ut ab œſophago uſque ad anum, continuo ductu fibræ hæ producantur.

Scholion.

Confirmari hoc poteſt ſequenti experimento: dum inteſtinum animalis coquitur, & ſeparatis cum tunica exteriori fibris longitudinalibus, annulares uno continuo ductu & ſerie, inſtar fili longiſſimi, ab inteſtino

ſeparari

separari possunt. Et hæ maxime constrictionem adjuvantibus longitudinalibus præstant.

§. XVIII.

Intestinorum motus peristalticus secundum naturam valde placidus, lenis & quasi undulatorius est.

Scholion.

Quod fit eam ob causam, ne alimenta concocta nimis præcipiti cursu intestinorum canalem pertranseant, & ne justo celerius ad ejectionem vergant, quod in diarrhœa accidit. Deinde, placidiori intestinorum constrictione & dilatatione, tenuior & subtilior tantum ex massa alimentorum concoctorum chyli portio, in villos intestinales & lacteorum vasorum oscula infunditur, feculentiori & rudiori relicta: quemadmodum id fieri in omnibus transcolationibus animadvertimus, ubi cribrum leni compressione facta, tantum tenuiorem humorem transmittit, fortiori autem accedente, crassior & quæ turbida est, simul trajicitur. Tam lenis vero intestinorum motus, qui contentorum progressui servit, est, ut non nisi in grandioribus animantibus vivis dissectis, ut bobus & equis, in sensum incurrat.

§. XIX.

Sicut omnis humorum progressio atque impulsus desiderat principium quoddam magno movendi robore instructum: ita etiam in motu peristaltico canalis alimentarii triplex observatur. Primum est in pharynge, alterum in pyloro, tertium in crassioris intestini, quod colon dicitur, initio.

Scholion.

Fortiori facta pharyngis constrictione, ingesta per œsophagi canalem in cavitatem ventriculi truduntur: dextra dein & inferiori ventriculi parte atque pylori robore, ibi contenta in intestina tenuia propelluntur, donec ad capaciora & crassiora deferantur, ubi circa dextrum ileon initium coli est, ex membranis valde robustis, nerveo-musculosis ac fibrosis compositum, cujus motu ac impulsu, per totum hoc intestinum varie convolutum, excrementa usque ad ani sphincterem urgentur.

§. XX.

Motus intestinorum, quo contenta propelluntur, satis validus est, quia magnam resistentiam vincit, & argentum vivum, quod mineralium fere gravissimum est, in copia etiam haustum, per omnes intestinorum convolutiones, sursum ac deorsum, ad exclusionem per anum urget, quod animadvertimus in iis, qui passione iliaca afflicti, in ingenti sæpius copia hoc fluidum metallum non sine fructu hauriunt.

§. XXI.

Successiva & reciproca est illa constrictionis & dilatationis motio, quæ viget in intestinis. Nam quando una pars intestini contrahitur & angustatur, materia contenta ex ea in vicinam partem propellitur, quæ inde dilatatur, & mox cessante dilatatione, rursus constringitur.

Scholion.

Quemadmodum ad sanguinis & humorum progressum perpetuo conservandum, talis est fibrarum motricium in corde & arteriis constructio, ut earum dilatatio, sive diastole, fiat causa systoles, & hæc rursus diastolen producat, & sic porro: ita etiam similis fibrarum & membranarum motricium in structura intestinorum conditio observatur, ut earum dilatatio contractionem, contractio vero rursus dilatationem proferat.

§. XXII.

Quod si constrictio in intestinis eorum dilatationis causa est & dilatatio quoque constrictionem excitat, sequitur: validiori vel constrictione, vel dilatatione, in una tantum parte ventriculi & intestinorum reddita, motum peristalticum in universum accelerari, ut celeriter ingesta ejiciantur.

Scholion.

Ex quo jam facile intelligi poterit ratio, quare à purgante, quod in una sæpius intestini parte hæret & ibi dolorificam constrictionem efficit, tam celeri cursu & impetu, in intestinis contenta ejiciantur, quemadmodum id etiam ab humoribus acribus, biliosis in diarrhœis fieri animadvertimus. Patet etiam jam porro ratio, quare ab assumto in copia liquido, quod stimulante, præsertim salino elemento, imbutum est, citissime alvus dejiciatur & ingesta prodeant, quemadmodum id in thermarum ac acidularum potu videmus.

§. XXIII.

Quemadmodum robur, tonus & motus systoles activus partium motricium in universo corpore, à convenienti liquidi nervorum subtilioris & sanguinis tenuioris influxu dependet: ita etiam motus ille, quo canalis alimentorum & excrementorum gaudet, ab eadem causa proficiscitur.

Scholion.

Omnia ea remedia, quæ vires corpori addunt, quæ robur ac tonum partium augent ac restituunt, ut sunt quæ subtilissimo & suaveolenti, oleoso, aromatico oleo imbuta sunt, vel sal subtile volatile fovent, aut resina temperata ac suavi abundant; motum intestinorum quoque egregie conservant & languidiorem restituunt; cum contra omnia, quæ vires dejiciunt, motus sistunt, ut sunt graveolentia, opiata, vel etiam nimium refrigerantia, acida, adstringentia, harum partium robur non parum imminuant. Ex nervis vero promanans fluidum intestinorum motui inservire, vel ex eo elucescere arbitror, quod animi affectus, qui operationem suam maxime in hoc fluidum exercent, potenter ventriculi & intestinorum motum naturalem immutare, destruere, vel etiam intendere possint.

§. XXIV.

Motus itaque intestinorum peristalticus præcipua causa & secretionis chyli, & ejus progressus per lactea est.

Scholion.

Non parum vero chyli progressionem & iter ad sanguinem adjuvant, primo valvulæ sic dictæ conniventes, copiose in tenuibus conspicuæ, quæ impediunt, quo minus facta compressione, chylosus succus lacteorum orificia & intestinales villos statim præterlabatur, siquidem in illis moram nectere debet alimentorum digestorum massa, ut eo melius & exprimi, & succus ex ipsa delibatior in vasa impelli ibi possit. Secundo, ad receptionem chyli faciliorem in tenuissima lactea vasa & villos, horum tubulorum angustia non parum contribuit, quod eo experimento illustratur, quo cernimus, in minimos & capillares vitreos tubulos, subtile liquidum sponte ingredi. Tertio, progressum & ascensum chyli per lactea vasa & ductum thoracicum, valvulæ semilunares, quibus copiosis hæc ipsa instructa sunt, multum faciunt; illæ enim ex fibris carneis subtilioribus & motricibus constructæ sunt, quarum motu ab una valvula ad alteram liquidum promovetur. Eum quoque valvulæ habent situm, quo chylus & lympha quidem sursum ferri & progredi, minus vero regurgitare & regredi possit. Quarto, neque minus glandulæ, quæ in centro mesenterii sitæ sunt satis eximiæ, ex conglobatarum numero, impulsu fibrarum, ex quibus constructæ sunt, ulteriorem chyli progressum adjuvant.

§. XXV.

Chyli progressum per thoracicum & lacteos ductus

ad ſanguinem, reſpiratio, qua muſculorum abdominis continua & ſucceſſiva fit compreſſio & dilatatio, multum promovet.

Scholion.

Cum ſub inſpiratione & exſpiratione, muſculorum abdominis valida compreſſio & dilatatio, alimenta non modo ex ventriculo & inteſtinis, ſed & chyli expreſſionem valde urgeat, qua de cauſa, & digeſtioni alimentorum, & ſanitati, minus convenit, poſt paſtum largiorem vocem nimis intendere, vel corpus magno labore exercere. Hora autem circiter à paſtu quarta, vel quinta, quando digeſtio peracta eſt, motus & exercitatio corporis minus nocet, ſed magis proficit, ita, ut aucta reſpiratione, tunc chyli ſecretio & progreſſio melius adjuvetur.

CAPUT VII.

De excretionibus in ſpecie ea quæ fit per alvum.

§. I.

QUemadmodum ſine ingeſtionibus congruorum alimentorum, vita, ſanitas, nutritio & vires ſubſiſtere, & temperati, laudabiles humores generari nequeunt: ita etiam ſine excretione partium inutilium, ſuperfluarum, noxiarum, hæc quoque identidem non recte & ſecundum naturam ſe habent.

§. II.

Excretiones in homine perfecto & ſano ingeſtionibus, ratione quantitatis, fere reſpondere debent.

Scholion.

Equidem homo, ut vivat & ſanus ſit, quotidie alimenta aſſumere debet; horum tamen maxima pars in iis qui non amplius adoleſcunt, rurſus ejici debet. Quandoquidem poſito calculo liquidorum & ſolidorum, quæ robuſtus & laboribus aſſuetus intra ſeptimanam aſſumit, is certe ad centenarium usque ſæpius ſeſe extendet; interim tamen pondus corporis non augebitur, evidenti argumento: eandem fere quantitatem illorum, quæ aſſumuntur, rurſus debere excerni. Adeoque ſub continuis ingeſtionibus corporis vita ac ſanitas conſervatur.

§. III.

Non vero unius ejusdemque indolis ſunt, quæ excernuntur, ſed ſicuti diverſiſſimæ naturæ ea ſunt, quæ ingeruntur, videlicet ſolida, craſſa, liquida, viſcida, ſalſa, ſulphurea, pinguia: ita etiam excrementa diverſiſſimæ indolis ut ſint neceſſe eſt, quorum ſingula per congrua emunctoria ſeparantur atque excernuntur.

Scholion.

Ita craſſiora & ſolidiora, mucus quoque & bilis, per alvum, liquida vero ſalina, craſſiora & pinguia atque mucoſa, per urinam, ſubtilia autem fluida & ſalino-ſulphurea, per ſudorem & cutis poros, commodiſſime ejiciuntur.

§. IV.

Et ſicut excretio partium inutilium, ſine motu & impulſu, concipi nequit: ita etiam ad urinam & materiam tranſpirationis & ſudoris propulſandam, motu cordis & arteriarum, ad feces vero ex inteſtinis craſſioribus eliminandas, motu periſtaltico opus eſt.

§. V.

Per alvum omnia ea, quæ non lacteorum oſcula ingrediuntur, neque ad ſanguinem pervadunt, ejiciuntur. Ejuſmodi eſt alimentorum craſſior, feculenta, terreſtris, bilioſa, mucida, acida ſubſtantia.

Scholion.

Principium terreum & ſulphureum, cum acido in ſtercoribus commixtum, vel ex eo concludendum eſſe videtur, quia ex ſtercoribus humanis, ſi liquidum vitriolo imbutum infunditur, color atramento ſimilis fit: quemadmodum idem fieri animadvertimus, ſi infuſa & decocta adſtringentium, ut gallarum, corticum juglandium, granatorum, florum balauſtiorum, quæ identidem ex mixtione terræ ſolubilis & ſalis acidi exſurgunt, cum vitriolo invicem miſceantur. Neque alia poteſt dari ratio, quare ab aſſumtis martialibus, quæ in ventriculo acido ſoluta in vitriolum fatiſcunt, aut à vitriolaceis, quales ſunt tincturæ martiales, vel ab acidulis, quæ parum vitrioli ſubtilioris continent, feces, quæ prodeunt ſolidiores, atramentoſo colore tinctæ ſint.

§. VI.

Non tantum impuriores, terreſtres ſalino-ſulphureæ, ſed & aqueæ & viſcidæ ſordes per alvum ſecedunt.

Scholion.

Chymicus Pariſienſis *Homberg* cum ſtercore humano hoc fecit experimentum: uncias nempe decem indidit Mariæ balneo, ita aquæ limpidæ fœtidi odoris uncias undecim deſtillavit, relicta uncia ſolidæ materiæ. Ex quo diſci poteſt, multum aquoſi phlegmatis ſimul cum fecibus exire, ſique diutius eæ in craſſis ſtagnaverint, ut ſicciſſimæ evadant, indicium eſt, multum liquoris fœtidi per poros & vaſa lymphatica ad ſanguinis & humorum maſſam abiiſſe.

§. VII.

Quo major bilis in corporibus gignitur copia, ut in nimio æſtu, vel febre detentis, eo ſaturatior ſolet eſſe ſtercorum color.

§. VIII.

Maxima quoque acidorum liquorum pars per ſeceſſum evacuatur, unde à nimio uſu vinorum acidorum, ut Rhenani, item fructuum acidorum, fæces albidiores prodeunt, & cum teneſmo & vellicatione inteſtini recti excluduntur, acidumque adhuc ſpirant nidorem.

§. IX.

Craſſior quoque eſculentorum & potulentorum coloratior pars alvo excluditur.

Scholion.

Animadvertimus à potu coffee, item cereviſiarum lupulatarum, coloratiores fieri fæces & ab oleribus vegetabilium aſſumtis, ſtercora virideſcere.

§. X.

Fœtor ſtercorum non fit à putredine, ſed à mutua actione & reactione acidorum cum particulis ſulphureis bilioſis, non ſecus ac in chymicis ingens naſcitur fœtor, quando lixivio ſulphuris vulgaris, aut antimonii, acidus liquor affunditur. Quo copioſior vero & volatilior ſulphurea & bilioſa fecum pars eſt, & acidi parcior admixtio, eo intolerabilior fit fœtor; quo vero acidum eſt fixius & copioſius ac ſulphur parcius, eo minor & tolerabilior fœtor exſurgit.

Scholion.

Experientia & uſus docet, fœtidiſſimas ſæpenumero excludi feces in febribus ardentibus & bilioſis, præſertim ſi aliquanto diutius ſtagnaverint, longe vero intolerabilior fit fœtor, ubi ſanguis fuerit in inteſtinis extravaſatus, ejectis tunc nigerrimis. In hypochondriacis vero, ubi copia acidi primis in viis eſt, ad albedinem ſtercora inclinant & ſæpe fœtoris expertia ſunt.

§. XI.

Excrementorum alvinorum color, odor & conſiſtentia multum in hominibus variat, licet eadem alimenta aſſumſerint, quod dubio procul accidit à varia conditione humorum internorum.

Scholion.

Scholion.

Scitu dignum eſt, & canum, & hominum, ſi aqua & pane tantum veſcuntur, valde differentia eſſe alvi excrementa, id quod etiam in diverſi temperamenti & ætatis hominibus obſervatur, iiſdem licet alimentis aſſumtis. Neque enim eadem humorum, præſertim bilis, eſt conſtitutio, utut non diverſo, ſed eodem victu, homines uſi fuerint.

§. XII.

Quia alvi ſcybala diutius retenta valde exſiccantur, ob humiditatem ad vaſa & ſanguinem abeuntem, hinc clare intelligitur, quam gravis noxa impendeat iis, qui præſertim in febribus, alvum diutius clauſam habent.

Scholion.

Quum valde corrupti, tam bilioſi, quam lymphatici humores, in febrili æſtu deſcendant ad inteſtina & fœtidiſſimi quoque ejiciantur, patet, quam graviter peccent medici, ſi non caute eos ſubducant, nam diutius retenti, fœtidiſſimam putrilaginem rurſus inſinuant venis ac ſanguini, unde non mirum, alvum aliquanto diutius in febribus cohibitam, peſſima ſymptomata, ut purpuram, faucium inflammationes, cephalalgias, appetitus & virium dejectiones, inquietudines provocare.

§. XIII.

A motus periſtaltici conditione dependet fecum excluſio, hinc quo tardior & placidior ille eſt, eo ſegnius hæc, & quo citatior eſt ille, eo citius hæc procedit.

Scholion.

Cholerici citius deponunt alvum, quam phlegmatici, quia illorum motus vegetior, horum vero languidior eſt. In hypochondriacis, ob motum inteſtinorum valde deſtructum, alvi excretio ingenti vitio laborat, ita, ut quandoque ad longum tempus ne quicquam ejiciatur, alio vero tempore, citatior rurſus fiat alvus.

§. XIV.

Ordinario intra diem & noctem in ſanis alimentorum ore aſſumtorum recrementa excluduntur.

Scholion.

Sub motus periſtaltici tanta in corporibus differentia, non adeo accurate egeſtionum tempus determinari poteſt, ſiquidem & alimenta indole differentia, & copia, vel parſimonia potus, & motus ac quies corporis, ad celeriorem, vel tardiorem excretionem, multum faciunt. Nam ſi fermenteſcibiles cibi, ſale, aromatibus, vel dulcibus conditi, in copia fuerint aſſumti, expeditior fit alvus, ſicut contra ſub ſedentaria vita, potu pauco, victu duro & craſſo atque acido, difficilior hæc ſuccedit.

§. XV.

Ad tuendam itaque valetudinem & avertenda plurima mala, motum ventriculi & inteſtinorum periſtalticum naturalem medicus omni cura cuſtodire debet; quo deſtructo, nihil ad gignendos morbos perniciofius eſt.

Scholion.

Deſtruunt maxime hunc ſaluberrimum motum omnia exceſſivis qualitatibus & viribus imbuta, ut nimis acida, frigida, adſtringentia, opiata, narcotica, acria purgantia, nimium quoque humectantia ac refrigerantia, maxime omnium vero graves animi affectus, terror, diuturnus mœror, ira. Conſervant vero & tuentur hunc motum ſalutarem omnia temperata, nervina, blanda balſamica & quæ ſanguinis atque fluidi nervei influxum in membranaceas has partes procurant. Faciunt huc quoque amara, elixiria ſtomachica, ſalia volatilia oleoſa, pilulæ balſamicæ &c.

§. XVI.

Deſtructo inteſtinorum tono, alvina evacuatio non recte ſe habet, & flatulentiæ ac ſpaſmi multas moleſtias creant.

Scholion.

Profecto malum illud, quod vulgo vocari ſolet hypochondriacum, in fœminis hyſtericum, & frequentiſſimum eſt, ſpaſmis & flatulentiis maxime tyrannidem ſuam exercet, & corpori humano infenſum varia & gravia producit ſymptomata, ſique ejus originem paulo accuratius inveſtigemus, certe hæc nulla alia eſt, quam nobiliſſimarum harum partium, quæ alimentorum digeſtioni, chyli ſecretioni, & fecum alvinarum excluſioni, dicatæ ſunt, motus & toni læſio, vel deſtructio.

CAPUT VIII.

De ſudore & tranſpiratione.

§. I.

MOtus in ſanguine & ſuccis noſtris continuus viget ac calor, isque perpetuo in humidum agit, idque in tenues halitus reſolvit, qui cum contineri nequeant, hinc per poros & inſenſibilia cutis foramina exhalare debent.

§. II.

Calor exhalationum eſt cauſa efficiens, quare quo major eſt intra corpus æſtus, eo fortior quoque eſt tranſpiratio, ſicuti id manifeſto apparet in febribus, inque iis, qui motu & vehementori labore exercentur.

§. III.

Quo mitior vero eſt calor & ſanguinis curſus placidior, magis minuitur perſpiratio, ſicuti videmus in iis, qui otio & deſidiæ dediti ſunt, pulſumque habent debilem & languidum.

§. IV.

Non vero tantum ex poris, quibus innumeris ſcatet cutis, ſuperfluum humidum exhalat, ſed & per peculiares ductulos & tubulos ſubcutaneos, ſerum ſubtile, ſalſo-ſulphureum effertur.

Scholion.

Non modo cutis humana, ſed & omnia animantium coria, innumeris poris & foraminulis ſunt pertuſa, quod ex eo clarum fit, quia argentum vivum per quodvis corium compreſſione trajicitur. Recte itaque ab *Hippocrate* dictum eſt: totum noſtrum corpus eſſe perſpirabile. Glandulas exiguas & tubulos ſubcutaneos recentiores anatomicorum microſcopiorum ope detexerunt, quorum orificia foras ſpectant & inutile excrementum per ſudorem egregie evehunt. Atque adeo halituoſum & tenue per tranſpirationem, per ſudorem vero aliquanto craſſius illud educitur. Vaporum exhalatio ſub atmoſphæra maxime frigida & compreſſa, in conſpectum venit.

§. V.

Cutis univerſale illud colatorium & emunctorium ſanguinis, eſt rete mirabile, ex fibris tendineis nerveiſque, item ex arteriarum & venarum extremitatibus contextum & papillulis nerveis, pyramidalibus obſitum, cui ſubſtratæ ſunt glandulæ, majores minoreſque tubuli, ſeu ſiphunculi, in cuticulam hiantes, ex quibus, velut ex fontibus, humor ſalſus, halituoſus exit.

§. VI.

Quia cutis fibrillis nerveis ſenſibilibus inſtructa eſt,

quæ ad ipſas quoque papillulas & tubulos ſubcutaneos pertingunt, hinc ſuo quoque tono ac motu gaudet.

§. VII.

Tonus cutis ejuſque tubulorum ac pororum elater diverſimode ſudoris & tranſpirationis egreſſum modificat.

§. VIII.

Tonus hic, ſi nimis intenditur, quod fit à frigore externo, in horrore febrili, inque ſpaſmis atque doloribus, tunc ſpiracula coarctantur & parum exhalat: tono vero relaxato & poris ampliatis, quod fit ſub declinatione febris, vel ex morbo, aut alia ex cauſa debilitatis, cœlo maxime exiſtente humido & calido, ſudor largius profluit.

Scholion.

Patet jam ratio, quare in ſomno, ubi liquidi nervei influxu fibræ multum deſtituuntur, ſudor facilius producatur, item ſi aërem & halitum calidum & humidum, exſpiratione emiſſum, intra lectum contineamus, vel in balneum concedamus, ubi corpora mox fiunt exterius turgida, rubicunda & mollia. Deinde non obſcura amplius eſt ratio, quare ſedativa, opiata & quæ dolores ac ſpaſmos placant, item nitroſa & diaphoretica fixa, tranſpirationem & ſudorem quandoque reſtituant.

§. IX.

Ineſt utique tranſpirationis & ſudoris materia ſanguini ac per ejus circulum ad cutem affertur, hinc fit, ut ſanguinis circulus multum tranſpirationem modificet.

§. X.

In quibus partibus ſanguinis circulus aliquanto difficilior & calor mitior eſt, eæ quoque nec tam facile tranſpirant, nec tam bene ſudant, uti videmus in pedibus, in abdomine & partibus extremis. Ubi vero celerior ac promtior ſanguinis curſus eſt, ubi vaſa majora & calor intenſior eſt, ut in collo, dorſo, pectore, ibi etiam fortior eſt tranſpiratio.

§. XI.

Omnia itaque alimenta & medicamenta aliaque ex rebus non naturalibus, quæ citatiorem ſanguini motum inferunt, ut ſunt ſudorifera, ſpirituoſa, volatilia, potus calidi, acria, aër ſerenus & calidus, motus corporis, tranſpirationem quoque adaugent: ſicut contra quæ nimis refrigerant & quæ adſtringunt, acida ſunt, item aër frigido-humidus, tranſpirationem imminuunt, eo quod motum ſanguinis retardant.

Scholion.

Uſu diſcimus, ad nullum remedium nos fortius tranſpirare, vel ſudare, quam ad potum calidum v. g. ad infuſum thee, veronicæ, præſertim ſi medicamento oleoſo volatili fuerit acuatum: nam liquidum calidum fluxilem reddit ſanguinem, tenaces humores reſolvit, obſtructiones aperit & ſalium excrementitiorum vehiculum præbet.

§. XII.

Non vero ad excretionem ſudoris ſufficit præſentia humidi excrementitii, neque ſanguinis motus citatior ſatis eſt, ſed etiam ut viæ ſudoris, ſive tubuli & pori cutis, ſint aperti, requiritur.

Scholion.

Diſcimus exinde, male conſulere ipſis ægrotantibus medicos, qui ſub clauſis ac conſtrictis cutis ſpiraculis ac tubulis, ſicut fit in principio & ſtatu febris, ſub gravioribus doloribus & ſpaſmis, fortiora ſudorifera, calida & ſanguinem exagitantia propinant, quibus vix aliud efficiunt, quam ut æſtum, anxietates atque inquietudinem adaugeant. Hinc ſemper eo videndum eſt, ut in ſudore eliciendo, ad tonum cutis & ejus conditionem reſpiciamus.

§. XIII.

Tanta vero eſt exhalationum vis & copia, ut bene poſito calculo, omnibus ferme aliis excretionibus, junctim ſumtis, major ſit perſpiratio.

Scholion.

Siquidem ſecundum *Sanctorii* calculum, plus uno die per tranſpirationem emittimus, quam per alvum & urinam quinque diebus ejicitur; quando ſpatio unius noctis, lotii & fecum uncias ſeptem, quadraginta vero uncias per tranſpirationem amittimus; vid. *Sect. I. Obſ.* 59. 60. quamvis id experimentum non omni tempore, neque ſub omni climate & apud omnia corpora, valeat.

§. XIV.

Non vero tranſpiratione & ſudore tantum emittimus aqueum, ſed & ſalſo-ſulphureum excrementum, quod ex induſiis patet, quæ viſcida & colorata ſæpius pinguedine obducuntur, quin ſub urinæ fluxu parciori & alvo ſegniori facta, craſſa ſæpe excrementa per ſudorem, ob poros nimis ampliatos, evehuntur.

§. XV.

Exhalat quoque ex corpore, præter excrementum ſuperfluum, etiam tenue, ſpirituoſum fluidum, quod patet ex virium dejectione, quæ continuum & largum ſudorem ſequitur.

Scholion.

Recte itaque *Hippocrates Lib. de morbis* judicat: eos imbecilliores quidem eſſe, ubi corpus bene tranſpirat, ſed ſaniores, promteque ad ſanitatem redire præ aliis; nos quoque à morbis præſervari addit: unde macilentiores ſemper, teſte eodem auctore, minus morbis obnoxii & facilius quoque ab iis curantur, quam qui obeſi ſunt corporis habitus.

§. XVI.

Quum itaque tanta ſit copia excrementi, quæ per cutem quotidie effertur, facile colligitur, nullam excretionem, quam hanc, ſuppreſſam vel cohibitam, tantum detrimenti corpori eſſe allaturam.

Scholion.

Plurimi morbi, præſertim acuti & epidemici, ex tranſpiratione fiunt prohibita, ea propter, ſi eos avertere velimus, curandum eſt, ut hæc ſarta tectaque maneat, ſique eos tollere velimus, nihil plus curæ cordique habeat medicus, quam ut convenientibus remediis eam reſtituat, qua de cauſa diaphoretica omnium remediorum ſunt ſecuriſſima & optima.

CAPUT IIX.

De excretione urinæ.

§. I.

URina eſt liquor aqueus, ſalibus diverſi generis & partibus pinguibus, ſulphureis, mucidis, refertus, per renum vaſculoſo-tubuloſam ſubſtantiam colatus & in veſica ad excernendum collectus.

§. II.

Proportio fluidi & ſolidi, nec non diverſorum elementorum, quæ urinam ingrediuntur, varie ſe habet.

Scholion.

Scholion.

Quandocunque libræ duæ, ſive unciæ triginta duæ, urinæ ſani hominis in aperto vaſe leni calore exhalant, tunc remanet craſſa maſſa, quoad colorem & conſtiſtentiam melli ſimilis, quæ drachmas ſex ponderat. Igitur unciæ quinque urinæ drachmam tantummodo dimidiam ſubſtantiæ ſalino-ſulphureo-terreæ noſtro experimento complectuntur, id quod tamen non perpetuum eſt, ſed ſicuti corpora ratione ætatis temperamentorum, alimentorum, vitæ generis & climatum variant, ita quoque quantitas urinæ & proportio ingredientium differt. *Antonius de Heide Obſ.* 89. ex urinæ unciis tribus per evaporationem craſſæ materiæ pariter drachmam unam eduxit. Experimento vero à *Barckhuyſen* in *pyroſophia* allato, ex urina hæc fuerunt educta: unciæ nempe ſex urinæ ſani hominis deſtillatione dederunt uncias quinque & drachmas ſex phlegmatis, reſidui in cucurbita ſcrupuli quinque & ſcrupulus ſemis, ulterius igne tractati, ſalis volatilis drachmam ſemis, olei empyreumatici ſcrupulum ſemis, ſalis fixi & terræ grana octodecim, præbuerunt.

§. III.

Diverſi vero generis ſalia in urina continentur.

Scholion.

Primo obſervamus ſal tartareum, quod ex terra alcalina, ſale acido & pauco oleo componitur, & lateribus matulæ, vel vitri urinalis, non mediocri interdum mole ſe apponit & genuinum calculorum, tum renum, tum veſicæ, elementum ſubminiſtrat. Secundo, ſal ammoniacale, quod ex ſale volatili & acido mixtum eſt, quare urina inſpiſſata, quando miſcetur cum calce viva, vel ſale alcali, protinus odor volatilis urinoſus, æque ac cum ſale ammoniaco, diſpergitur & nares ferit. Tertio, ſal quoque in igne fixum, partim alcalinum, partim medium, ut ſal commune, in urina reperitur. Quod ſi enim urina igni ad exhalandum imponitur & remanentia in crucibulo calcinatur, & quod relinquitur ſolvitur, & ſaturatius lixivium digeſtioni exponitur; ſal medium ſali communi proximum obtinetur. Idem pateſcit ex eo, quod non modo urina inſpiſſata, adjecto vitrioli oleo, ſpiritum & vaporem ſalis communis volatilem in auras emittat; ſed & lixivium ex cineribus cremati reſidui lunam ex ſolutione in menſtruo ad fundum dejiciat.

§. IV.

Nullum ſal magis naturæ animantium accommodatum eſt, quam ſal medium illudque commune, quo cibos condire ſolemus, non tantum ad meliorem ſaporem, ſed & ad digeſtionem & excretionem facilitandam. Quia vero ſal purum vix unquam mixtionem animalem ingreditur, hinc debet è corpore rurſus expelli.

§. V.

Quamvis homo omnia inſipida & ſine ſale aſſumat alimenta, tamen ſal in ejus urina deprehendetur.

Scholion.

Tota natura animantium eſt ſalifica, id eſt, ex humoribus temperatis, motus inteſtinus calidus ſalia fixa & volatilia, & ſulphurea quoque, fabricat, nusquam vero, licet exterius aſſumatur, acidum purum in ſanguine & in ſuccis animantium reperitur, ſed omne ſal, quod ex partibus animantium igne educitur, eſt alcalinæ volatilis naturæ.

§. VI.

Calor ſalia gignit in animantium humoribus, ideo aucto calore, ut fit in febribus, urina majorem ſalium copiam complectitur & coloratior fit. Quanto mitior vero in corpore eſt calor, ut in iſtis, qui quietum vitæ genus ſequuntur, tanto dilutior urinæ color tantoque minor quantitas ſalium eſt.

§. VII.

Scorbuticorum urinæ ſalibus valde ſunt ſaturatæ & hinc coloratæ, quod analyſis docet chymica, quia obſtructis emunctoriis hepaticis & cutaneis, nec bilis bene ſecernitur, nec volatile ſal ſudore evacuatur, hinc retenta excrementitia ſalia & fortiori inteſtino calido motu ulterius agitata, increſcunt, & majorem acrimoniam concipiunt.

§. VIII.

Quanquam majori in copia acida, ut acetum, ſucci acidi vegetabilium, vinum, aſſumpta fuerint, nunquam tamen urina acida emittitur, vel ad mixtionem alcalini ſalis efferveſcit.

Scholion.

Ratio hujus rei eſt, quia acidum, licet etiam purum tranſeat ad ſanguinem, invenit ibi principium alcalinæ indolis, cum quo congrediens, mox mediam naturam induit, adeo, ut vel in ſal tartareum, vel ſal ammoniacale, commutetur.

§. IX.

Lixivioſa ſalia largiori copia ſumpta tranſeunt integra per urinam, niſi acido in primis viis hærente immutentur.

Scholion.

Obſervavimus id in thermis Carolinis, quæ præter ſal neutrum, copioſum ſal alcalinum fixum continent, hæ, ſi quotidie ad libras ſex vel octo bibuntur, urina prius ſecedit plane limpida, nullius odoris & ſaporis, dein dilutum colorem accipit, hora poſtea à paſtu tertia, vel quarta, valde ſaturata & colorata, inſtar lixivii eſt, ſaporis admodum ſalſi, & tunc cum ſpiritu acido affuſo, non ſecus ac lixivium, ebullit, & facta evaporatione, ſal inſtar tartari vitriolati emergit.

§. X.

Tranſeunt quoque per urinam partes ſulphureæ, pingues, item bilioſæ.

Scholion.

Obſervamus manifeſtam ſæpius pinguedinem, urinæ febricitantium & hecticorum ſupernatantem, & lateribus vitri ſe apponentem. Oleaginoſæ urinæ ſine ſtrepitu, ut oleum ſolet, minguntur & effunduntur. Sulphurea vero materia, in urina contenta, ex eo colligitur, quod putrefacta admodum fœteat & maſſa urinæ inſpiſſata ardeat & per deſtillationem oleum empyreumaticum ex ea eliciatur. Sulphureis quoque partibus abundare urinam ſolennis illa præparatio phosphori, qui ex urina inſpiſſata & cum pulvere carbonum mixta fit, ſatis ſuperque declarat. Bilioſas vero urinæ admixtas eſſe partes, ex eo colligimus, quod evaporata urina jumentorum relinquat magma amaricans, cui affuſus ſpiritus vini rectificatiſſimus extrahit tincturam flaviſſimam, inſtar bilis amaricantem, remanente ſale tartareiformi, inſtar terræ foliatæ tartari, cujus ſalis origo ſine omni dubitatione ex herbis comeſtis, quæ ejuſmodi ſale imbutæ ſunt, provenit. Deinde bilem tranſire cum urina icterici docent, qui mingunt urinam ſaturati bruni coloris, quæ inſtar bilis linteamina croceo colore tingit.

§. XI.

In urina ſubſtantia quoque mucoſa, viſcida continetur.

Scholion.

Conflata hæc eſt ex tenui terra, cum aqua & oleo pingui mixta & ſanguinis eſt ſoboles. Mutuatur inde urina ordinariam nubeculam & craſſius ac copioſius ſedimentum

tum inde fit, quo iſtorum urina inſtructa eſſe ſolet, qui bene pranſi ſunt & victu laudabili fruuntur.

§. XII.

Quia urina ex diverſæ indolis partibus, videlicet ex ſalſis, ſulphureis, mucidis, pinguibus, aqueis mixta eſt, hinc calore facile putreſcit & fœtidiſſimum odorem exhalat, remanente in fundo craſſa terreſtri ſubſtantia.

§. XIII.

Calor urinæ quam maxime particulis ſulphureis ſalinis commixtis debetur, unde quo major amborum ingredientium in urina eſt quantitas, ut in febricitantibus, ſcorbuticis & in iis qui parum bibunt, eo color eſt ſaturatior.

Scholion.

Sola ſalia, præſertim alcalina, cum pauxillo ſulphuris commixta & digeſta, colorem ſaturate rubicundum exhibent, cujus rei teſtis eſt tinctura antimonii acris, cujus color ad rubedinem ſaturatus, unice à ſalibus alcalinis fortiter calcinatis eſt, unde evaporato ſpiritu vini, remanet purum ſal fixum aurantii coloris, ſine ullo veſtigio ſulphuris, quæ remanentia rurſus in aqua ſoluta, eandem tincturam reſtituit. Notabile circa hanc rem eſt experimentum *Bellini*, qui urinam ſaturate rubram, admixtione aquæ, pro lubitu mutari ejusque colorem vel intendi, vel minui poſſe, ex vero tradit.

§. XIV.

Quo major in corpore calor eſt, eo ſaturatior urina eſt, eoque copioſius ſedimentum deponit.

Scholion.

Ratio ſedimenti eſt partium aquoſarum defectus, & ſalinarum, ſulphureo - mucidarum terreſtrium copia, unde frigore partes graviores coëunt & fundum petunt; quod non accidit, ſi ſufficiens adeſt phlegmatis vehiculum. Quia vero calor abſumit humidum, hinc urinam quoque ſaturatiorem efficit, ut ſedimentum promte deponat, ut videmus ceſſante febris impetu.

§. XV.

Copioſior urina redditur liberaliori potu & aliarum excretionum imminutione.

Scholion.

Largior potus copioſam reddit urinam, quia hæc maxime ex phlegmate conſtat. Ob alvum adſtrictiorem, vel tranſpirationem imminutam, ſeroſior pars ſanguinis ad renale cribrum majori in copia vergit, ibique facta ductuum renalium majori dilatatione, copioſius ſeparatur, quare atmoſphæra borealium ventorum flatu frigidiori & compreſſiori reddita, majorem & crebriorem urinæ profuſionem fieri animadvertimus.

§. XVI.

Mitior ſanguinis calor ejusque tardior progreſſio, urinæ copioſiorem facit fluxum.

Scholion.

Hinc promte peti poteſt ratio, quare refrigerantia, ut ſunt acidulæ, cereviſiæ minus ſpirituoſæ, & quæ ſubtilem acorem habent, ſerum lactis, emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidis, fraga, melones; ex remediorum claſſe nitrioſa, ſpiritus nitri, item ſalis, urinæ fluxum vehementer moveant; contra omnia ea, quæ calidum inteſtinum ſanguinis motum intendunt, ut ſunt calida, ſudorifera, ſpirituoſa, purgantia, parciorem urinæ fluxum efficiant.

§. XVII.

Renes ſunt congruum illud ſalſi laticis emunctorium & ex meris tubulis ſanguineis & urinariis ſunt compoſiti.

Scholion.

Tota renum ſubſtantia eſt contextus vaſculorum continuorum, ſiquidem ductus *Bellini*, ſive urinarii, nonniſi continuationes capillarium arteriolarum renalium ſunt, quod manifeſto evinci poteſt, dum aqua arteriæ emulgenti per ſiphonem injecta, vena, prius ligata, non interrupto itinere per ſiphunculos urinarios ad pelvim & inde ad uretheres & veſicam fertur. Quin imo teſtante *Ruyſchio in theſauro anatomico II. pag.* 64. ſi arteriæ renales materia ceracea infarciuntur, ſimul etiam ductus *Bellini* omnes urinarii, ipſique tubuli pelvis, eadem materia replentur.

§. XVIII.

Univerſa renum vaſculoſa compages, ob tunicas nerveas & muſculoſas, ex quibus ductus conſtant, peculiari elatere, tono motuque dilatationis & conſtrictionis gaudet, qui ad liberiorem ſanguinis tranſitum & urinæ ſeparationem non parum contribuit.

Scholion.

Neque enim ullum viſitur emunctorium in corpore, quod robore, tono & vigore motus deſtitutum ſit. Non hepatis mere vaſculoſa compages & ductus biliarii hepatici, cyſticus & cholodochus, non uretheres, aut veſica, neque tunica villoſa inteſtinorum, vel ſalivales glandulæ, tono, ſive potentia ſe dilatandi & contrahendi, carent. Pro varietate autem hujus toni, ſecretio & excretio humorum diverſimode modificatur.

§. XIX.

Conſtrictis renalibus, e. gr. à ſpaſmis, à doloribus, tubulis, urina inſtar aquæ pellucida, ſaporis & odoris expers, redditur.

Scholion.

Igitur urina ante coloratior, ſi ſubito in aqueam & limpidam mutatur, certiſſimum affectus ſpaſmodici, vel præſentis, vel imminentis, indicium eſt, quod in hypochondriacis, hyſtericis, calculoſis & epilepticis ſubinde obſervamus. In febrili impetu, ubi univerſalis eſt fibrarum conſtrictio, tenues, crudæ & ſine ſedimento urinæ minguntur, ſique eæ ſubito aquoſæ & largæ redduntur, ingens vitæ imminet periculum, quia partim vehementem ſpaſmum, quo ſanguis ad pectus, vel caput impellitur, partim ſeparationem ſeri à ſanguine & infarctum ab eo vaſculorum minimorum, adeoque periculoſam & lethalem in meningibus, vel ventriculo, inflammationem, denotant.

§. XX.

Sub remiſſione toni, ſive robore deperdito ductuum renalium, tardior ſanguinis & urinæ fit progreſſio.

Scholion.

Toni renalis nimia reſolutio, morborum, qui renes occupant, potiſſima cauſa & origo eſt. A nimia enim ſanguinis ibi facta congeſtione & vaſorum renalium dilatatione, renes vel in ingentem molem ſolvuntur, vel vaſorum ſanguineorum fit apertio & mictio cruenta producitur. Ob nimiam quoque tubulorum arterioſorum & urinalium dilatationem, ſerum, craſſioribus, lapideſcentibus & terreis partibus onuſtum, ſeparatur, quæ perquam facile in concretionem calculoſam coëunt. Qua de cauſa temperata adſtringentia & roborantia, in calculo, tam præſervando, quam curando, palmam cæteris præripiunt. Quo de argumento legi meretur eruditiſſima *Diſſ. Cl. Heucheri de adſtringentium uſu in calculo.*

§. XXI.

Renalium tubulorum tonus, ſpaſmis, doloribus & febrium paroxyſmis remittentibus, ordinario relaxatur.

Scholion.

Scholion.

Ea eſt indoles ſpaſinorum, ut partem, quam vehementer exagitarunt, poſtea valde debilem reddant. Nam gravem partis ſpaſmum ordinario atonia & relaxatio ſequitur. Videmus hinc, remittente dolore ex calculo, craſſam mingi urinam, quæ antea erat tenuis & pellucida. Quieſcente febrili æſtu, urina craſſior & ponderoſior, quæ facile ſedimentum deponit, emittitur, qualis à veteribus dicitur cocta, inque acutis bonam criſin & eventum morbi, in intermittentibus vero paroxyſmi ſolutionem, deſignat.

§. XXII.

Neque vero tantum renes, ſed & canales, qui urinam ad veſicam deducunt, & Græcis uretheres vocantur, dilatationis & conſtrictionis motu, tono ac potentia inſtructi ſunt.

Scholion.

Quare non ſolo pondere, ſed ſimul conſtrictione horum ductuum, humor ad veſicam propellitur. Canales hi magnam dilatationem patiuntur ab affluxu urinæ, ſi in parte inferiori horum cavitas calculo obturata fuerit. Meminimus, tunc inſtar farciminis eos diductos repertos fuiſſe. Iidem canales nimium quoque conſtringuntur & anguſtantur ex dolore, quem calculus acutus parit: hinc etiam ipſe dolor à calculo excitatus ejus per uretheres progreſſum ac tranſitum in veſicam impedit. Quare, quæ ſpaſmum & dolores ſedant, quæ partes conſtrictas emolliunt & laxant, ut balnea, ad propulſandum calculum ſunt efficaciſſima. Sæpe etiam ſpaſtica uretheris conſtrictio tanta eſt, ut alterum, utut à calculo liberum, ſimul in conſenſum trahat, quo caſu, urinæ fluxus in totum ſupprimitur & quandoque unica ſedativi vel anodyni medicamenti doſi reſtituitur.

§. XXIII.

Neque elaſtica, contractibili potentia veſica eſt deſtituta, quippe quæ ex tunicis muſculoſa, nervea & glanduloſa eſt compoſita.

§. XXIV.

Diſtenſionem patitur veſica ab urina contenta, cui ſemper elater veſicæ renititur, quare ſub mictionis actu urina in anguſtum & arctum ductum urethræ coacta, redditur. Hic reniſus veſicæ elaſticus, eſt quoque cauſa, quod urina non proprio pondere, ſphinctere veſicæ aperto, prodeat, ſed contractione & compreſſione fibrarum ejus muſculoſarum propellatur. Obſervamus, ab improvida, diuturna & moleſtiſſima urinæ copioſæ retentione, ejus exitum difficilem fieri, quia nimia urinæ copia & diſtenſione, elater veſicæ fractus & deſtructus fuit, ita prorſus, ut ad debitam conſtrictionem difficulter redeat.

§. XXV.

Urinæ inſpectio medico valde neceſſaria & inſigniſſimi in praxi medica uſus eſt.

Scholion.

Quemadmodum empiricam illam ac divinatricem artem imperitorum ex urina judicandi & ſpecialiſſima præſagiendi in totum damnamus & pro fallaci ignorantia habemus: ita ejus inſpectio perito medico magnam utilitatem fœnerat, ſiquidem hac ipſa non modo conſtitutionem ac naturam ſanguinis & humorum, ſed & eorum circulum ac progreſſum celeriorem, neque minus partium ſolidarum ipſarumque viarum urinalium ſpaſmum, tonum & conditionem cognoſcimus, quod ad morbos tam chronicos, quam acutos dijudicandos, multum utique facit.

CAPUT IX.

De excretione muci.

§. I.

Mucus eſt humor glutinoſus, qui in certis emunctoriis glanduloſis, ad varios ſæpe uſus ſecernitur & excernitur.

§. II.

Exſtant in corpore multa & varia lymphæ mucoſæ colatoria. Obſita his eſt tota narium, palati & faucium regio. Deinde tota interior arteriæ aſperæ glanduloſa tunica mucum ſæpe craſſum & copioſum ſeparat. Denique ſolenne muci emunctorium glandulæ lenticulares, quæ in inteſtinis craſſis conſiſtunt, conſtituunt.

§. III.

Tota interna faucium ac narium ſtructura ac regio oſſaque turbinata ſquamoſa & capitis oſſium cavitates tunica glanduloſa, quæ pituitaria audit, obductæ ſunt, inque his locis ſanguis & humores à muco egregie liberantur.

Scholion.

Sinus, qui in oſſibus capitis abſconditi ſunt, duodecim numerantur: duo frontales, qui in inferiori oſſis frontis parte ſiti ſunt, quorum ſinguli, tres adhuc habent concamerationes: duo ſphenoïdales, in oſſe ſphenoïdis, ſub ſella Turcica deliteſcentes, ſepto oſſeo diſtincti ſunt: ſex ethmoïdales, minimi, in oſſe ethmoïdes inter nares & oculi orbitam exſtant, & duo majores intra maxillam ſuperiorem collocati, qui ab *Highmoro* antra vocari ſolent. Hæ omnes & ſingulæ oſſium capitis ſinuoſitates tunica glanduloſa & pituitaria obductæ ſunt, quæ lympham in mucum abeuntem ſeparant eamque per ductus invicem connexos ad unum & communem narium canalem vehunt.

§. IV.

Non mucoſitas in ea forma, qua ex naribus vel aſpera arteria, aut per alvum ejicitur, ſeparatur, ſed demum facta ſeparatione, hanc conſiſtentiam induit.

Scholion.

Muci materia dum vehitur in ſanguine ſatis fluida eſt, aliàs neque ad minimas arteriolas & ductus, qui ſunt in glandulis, accedere, neque ibi ſecerni poſſet, ſpiſſam vero conſiſtentiam ſtagnatione & effuſione in cavitatibus demum acquirit, ubi partes æthereæ tenuiſſimæ, quæ fluiditatem humoribus conferunt, avolant, & aqueæ tenues per poros refluunt inque ductus lymphaticos recipiuntur. Quam facile vero fluidi & tenues humores, diſſipatis partibus ſubtilioribus, in coagulum abeant, albumen ovi documento eſt, quod calore firmum & ſtabile coagulum induit. Neque parum frigidioris aëris acceſſus in aſpera arteria inque faucibus & naribus, fluidiorem lympham ad glutinoſitatem diſponit.

§. V.

Neque tamen mucoſitas per emunctoria ſua omni tempore, neque in eadem quantitate & conſiſtentia, ſecernitur.

Scholion.

Animadvertimus copioſas mucoſitates in infantibus, in pueris, in ſenibus, in fœminis, inque phlegmaticis & qui ſpongioſi ſunt habitus corporis & delicatum ac quietum vitæ genus ſequuntur, aëre maxime humido ſecerni.

§. VI.

§. VI.

Excretoria, quæ mucum ſeparant, vaſa & ductus, peculiari tono, robore & motu conſtrictorio & dilatatorio gaudent, atque adeo pro hujus motus variatione, muci excretio diverſimode modificatur.

§. VII.

Ubi magna horum vaſorum eſt dilatatio & toni remiſſio & mucoſæ materiæ in ſanguine abundantia, tunc ductus ampliati majorem copiam lymphæ mucidæ ſeparant: contra vero, ubi horum ductuum fit conſtrictio & parcior materiæ mucidæ in ſanguine quantitas exiſtit, ibi parcior ejus eſt excretio.

Scholion.

In procinctu jam poſita eſt ratio copioſioris ſeceſſionis muci in imbecillioribus & phlegmaticis, in declinatione morborum, in fine tuſſis & coryzæ, præhumida exiſtente atmoſphæra tempore quoque verno & autumnali, neque minus in pueris & ſenibus, in phthiſicis, ubi ſicuti totius corporis, ita maxime ductuum horum excretoriorum, tonus, læſus & imminutus eſt. Supprimitur vero hæc ſalutaris excretio in ſiccioribus, in ſpaſticis affectibus, pulveris tabaci & conſtringentium calidorumque abuſu, item ab acri admiſſo frigore: leniori vero errhinorum ſtimulo, neque minus eorum, quæ humectant, humores craſſos diluunt, ut ſunt balnea, infuſa herbarum calida, thermæ, uſu promovetur.

§. VIII.

Ingentem quoque muci copiam inteſtinorum craſſa, ut colon & rectum, lenticularibus glandulis ſeparant, quæ ad humectanda ſcybala & eorum progreſſum facilitandum, multum contribuit.

Scholion.

Neque exiſtimandum eſt, mucum inteſtinalem ſub forma ſpiſſa, qua viſitur, in glandulis ſeparari, ſed omnino in principio etiam tenuis & fluidus in inteſtina influit, paulatim vero ſub tardiori alvo ſpiſſeſcit, ob ſubtiliorem aquoſitatem in eos ductus redeuntem, per quos etiam humiditas, ſi diuturniori mora ſcybala penitus exſiccantur, pertranſit.

§. IX.

Res notatu admodum digna eſt: ſolennia muci emunctoria ſingulari inter ſe commercio & communicatione gaudere & invicem conſpirare.

Scholion.

Quapropter uno ex emunctoriis iſtis obſtructo, v. g. naribus, major mucoſitatis copia in inteſtinis deprehenditur, ſique per aſperam arteriam multum ſputi & muci redditur, inteſtina & feces exſiccantur. Proinde non melior datur via ac methodus copioſum ſputum & tuſſim humidam curandi, ac ſi ſtimulo laxante, vel purgante, ad inteſtina nimia ſeroſitas alliciatur.

§. X.

Dantur adhuc alia mucidæ lymphæ ſecretoria glanduloſa, quorum in numero ſunt proſtatæ virorum, quæ corpora ſunt globoſa, inſtar nucis juglandis, ante collum veſicæ ſita, quæ liquorem albicantem ſecernunt eumque decem plerumque vel duodecim ductibus excretoriis in urethram pro ejus lubricatione ejaculantur. Huc etiam ſpectant glandulæ, quæ in vagina uteri & circa meatum urinarium, item in veſica urinaria reperiuntur, quæ mucoſum liquorem ſecernunt eumque per peculiaria oſcula, ſive lacunas, pro humectatione harum partium, excernunt.

Scholion.

Ob harum glandularum nimiam relaxationem tonumque deperditum, hi ductus identidem nimium ampliati, ingentem lymphæ mucidæ copiam ſeparant, quod in gonorrhœa & fluore albo viſitur. Interior veſicæ urinariæ nervea tunica glandulis, juxta collum maxime conſpicuis, obſita eſt, quæ mucoſum humorem, quo hæc ſenſibilis tunica ab erodente urinæ ſale defenditur, ſeparant. Huc etiam ſpectat urethræ tunica glandulis exiguis referta, quæ liquorem viſcidum, rotundis & longitudinalibus foraminulis, ad urinæ acrimoniam temperandam, plorant. Quo etiam referendæ ſunt glandulæ tres à *Conpero* inventæ, parvæ fabæ magnitudine, quæ liquorem mucidum per ſpeciales ductulos in urethram inferunt; nec non glandula *Littrii*, pollicem lata, urethram proxime infra proſtatas ambiens & aliquot oſculis liquidum mucoſum urethræ immittens. Quibus glandulis nimium relaxatis, vel eroſis, ingens muci tam in veſica, quam in urethra, fit proventus.

§. XI.

Ut omnes glandulæ, & glanduloſæ tunicæ; ita maxime, quæ mucoſi liquidi ſecretioni ſerviunt, id habent peculiare, ut eroſæ in magna copia mucum ſeparent.

Scholion.

Tunica pituitaria, quæ narium & palati oſſa cingit, ſi in lue venerea eroditur, viſcidi & glutinoſi muci copiam fundit; ſi à calculi aſperioris attritione, veſicæ tunica nerveo - glanduloſa eroditur, magna quantitas muci in urina conſpicitur; ſique glandulæ proſtatæ, vel urethræ utriuſque ſexus, aut circa collum veſicæ, in infectis, vel in ſcorbuticis, eroduntur, ingens viſcoſi humoris profuſio fit, non parum vires debilitans.

§. XII.

Dantur adhuc aliæ intra juncturas artuum glandulæ, quæ mucilaginoſæ & pinguedinoſæ appellantur, & ad eorum flexuram facilitandam, diaphanum mucum ſequeſtrant, cui fini quoque ſerviunt ligamenta glandulis obſita, quibus artus invicem colligantur.

Scholion.

Dictæ hæ glandulæ ab inſigni anatomico Anglo *Clopton Havers* inventæ ſunt, earumque inventio in pathologicis non minimum uſum fœnerat. Si enim mucus hic lymphaticus, acribus, erodentibus ſalinis particulis imbutus eſt, dolores articulorum, qui difficulter diſcuti poſſunt, ſuboriuntur, ſi tartareis, fixis, terreis, partibus onuſtus eſt, tophorum, qui arthriticis & podagricis familiares ſunt, origo fit. Hic mucus quoque copioſius tranſmiſſus, ſi in luxatis membris coagulatur, luxatorum oſſium repoſitionem impedit. Glandulis vero articulorum mucilaginoſis, aridis, exſuccis redditis, ſtrepitus oſſium, peculiare ſcorbuticorum ſymptoma, producitur.

CAPUT X.

De excretione ſanguinis per uterum.

§. I.

AD actus naturales, qui motibus vitalibus ſuccos & materiam aptam præparant, pertinet omnino menſtrua fœminarum purgatio, quatenus ſuperfluum & inutilem ſanguinem excernit, ut reliquus in venis eo melius circuletur & depuretur.

§. II.

Excretio ſanguinis ab utero, ſingulis menſibus, ob nimiam

nimiam ſanguinis in fœminis abundantiam & ob peculiarem uteri fabricam, ſanitatis & alendi fœtus cauſa fit.

§. III.

Sanguinis, qui ejicitur ſingulis menſibus, quantitas exactius determinari nequit.

Scholion.

Differt hæc ipſa pro differentia ætatis, vitæ generis & habitus corporis: primis annis ſolet eſſe parcior, in juvenili ætate plenior. Macilentiores & ſanguineæ plus quoque ſanguinis effundunt, quam obeſæ & frigidioris naturæ fœminæ: plus quoque gulæ & otio deditæ, quam quæ tenui victu & multo exercitio utuntur. *Hippocrates Lib. I.* de *morbis mulierum Sect. XV.* duas heminas aſſignat, alii libram, vel etiam libram unam & ſemis, effundi ſtatuunt.

§. IV.

Cauſa menſtrui fluxus eſt nulla alia, quam nimia ſanguinis redundantia, quæ optimo conſilio ad ſanitatem tuendam evacuatur.

Scholion.

Variæ proſtant de hujus fluxus cauſis in ſcholis medicorum opiniones. Alii ad lunæ motum & mutationem, alii ad fermentum uteri peculiare, nonnulli ad *Helmontii* archæum ſeu corporis noſtri rectorem, quidam ad arcanam & ſapientem naturæ legem, eam referunt. Nos reconditis & à communi ſenſu longiſſime remotis ejuſmodi principiis penitus neglectis, ex re maxime obvia & ſimplici, ſanguinis nempe plenitudine majori, quam neceſſaria eſt, hujus fluxus originem ac cauſam repetimus.

§. V.

Mollior & laxior ſolidarum partium in fœminis textura vaſorumque anguſtia in cauſa eſt, quod fœminæ majorem ſanguinis abundantiam habeant, quam viri.

Scholion.

Quo major partium fibroſarum eſt ſoliditas, eo majori reſiſtentia ac robore ad impellendum fluidum ſunt inſtructæ; contra quo fibræ molliores, quo laxiores ſunt, eo minoris roboris & efficaciæ ad impellendum ſunt. Quale autem eſt fibrarum robur & vaſorum capacitas, talis eſt pulſus cordis & arteriarum. In viris, qui ſolidiorem partium corporis compagem & majora vaſa obtinent, pulſus vegetior, plenior & velocior eſt, quam in mulieribus, in quibus ob vaſorum anguſtiam & fibrarum mollitiem, languidior, mollior & magis exiguus. Qualis vero eſt pulſus, talis eſt fluidorum progreſſio, & quale ſecretorii vaſis orificium, talis eſt tranſpiratio & humidi conſumtio. Et quia in fœminis minor ſanguinis velocitas & tardior circulus eſt & major capillarium anguſtia, quam in viris, minor quoque in fœminis humidi perſpirabilis erit ſecretio, & conſequenter major erit ſanguinis & humorum in vaſis redundantia. Huc accedit, quod fœminæ labore minus exerceant corpus, quam viri, quo tamen corpora ſecundum *Sanctorium Sect. V. aph. IX.* ſemper leviora fiunt, eo quod multum humoris detrahit.

§. VI.

Plethoram menſtrui fluxus cauſam eſſe, plura adhuc alia ſunt, quæ id declarant.

Scholion.

Ordinario eæ fœminæ, quæ gulæ liberalius indulgent, quæ otio fruuntur, quæ macilentiores & molliores ſunt texturæ, largiorem experiuntur menſium fluxum, propter uberiorem ſanguinis redundantiam; obeſæ vero, in quibus ſanguis, non tam intra vaſa colligitur, quam in corporis habitum diffunditur, mulieres ruſticæ, quæ labore corpus fortiter exercent, nec non quæ ex diuturniori morbo convaluerunt, aut puerperio, vel aliis evacuationibus, multum ſanguinis amiſerunt, aut lactantes ſunt; vel prægnantes, eæ vel parcius, vel plane non purgantur.

§. VII.

Optimus & nutritio ſucco refertus ſanguis, non vero corruptus, utero expurgatur.

Scholion.

Error fuit veterum, ex ſanguinis circuli ignorantia profluens, venenatum & corruptum ſanguinem eſſe menſtruum, quod ex eo dijudicabant, quia fluxus menſium ſuppreſſus, ingentem corpori ſtruit perniciem. At vero ſanguis, qui utero in ſanis purgatur, fluidus & floridus eſt, in junioribus tenuior, in adultioribus craſſior. Si vero in vaſis ſtagnaverit plus juſto, ex mora utique congrumatus, niger & fœtidus reddi poteſt.

§. VIII.

Peculiaris uteri ſtructura & fabrica in cauſa eſt, quod non per alia loca, ſed per ipſum, abundans ſanguis evacuetur.

Scholion.

Ipſius enim uteri compages ita eſt comparata, ut fibræ & vaſa in ea incredibilem in modum diſtendi & explicari, iterumque contrahi & ſponte ad priſtinum ſtatum redire poſſint; quo fit, ut ſanguis copia redundans eo quam facile ruat ibique colligatur. Vaſa dein tam arterioſa, quam venoſa, ex ſpermaticis & hypogaſtricis orta, numero fere infinitas ramificationes ad uterum ejuſque vaginam emittunt; quæ non recto curſu, ſed varie contortæ, curvæ & quaſi ſerpentinis ductibus proſerpunt, & in non gravidis minimæ ſunt, in prægnantibus vero ſenſim creſcente utero, & majores fiunt, & exporriguntur; niſi enim ejuſmodi incurvatio & flexura vaſorum eſſet, uterus a fœtu, ſine vaſorum diſruptionis metu, non poſſet diſtendi. Porro membranæ, quæ & internam, & externam uteri ſuperficiem cingunt & per quas vaſa diſſeminantur, nulla adipe obductæ ſunt; quare ejuſmodi fulcro deſtituta vaſa facilius diſtendi & aperiri poſſunt. Tum truncus aortæ deſcendens multo amplior ſemper in fœminis, quam in viris obſervatur, propter ſanguinem copioſiorem, qui ad uterum deferri debet, quod in viris non accidit. Præterea, ſicut omnem fluidi ad perpendiculum aſcenſum, ita ſanguinis per venarum ſpermaticarum admodum longum & valde tortuoſum & inflexum ductum, valde eſſe difficilem ad ſuperiora perpendiculari via curſum, animadvertimus. Demum, uti valvulæ, in aliis corporis partibus venis accretæ, ſanguinis progreſſum egregie adjuvant ejuſque reſtagnationem impediunt; ita viciſſim in venis uterinis valvulis deſtitutis, cruor utique ægrius circumagitur & in amplioribus collectus, ad minores & capillares relabitur, eorumque tenera oſcula plus juſto diſtendit ac premit. Quod ſi igitur major ſanguinis copia congeſta fuerit, quam vaſa capere & robur cordis ac ſolidorum regere poſſit, tunc in nulla parte difficilius regreditur, nullibique commodius ipſi diverticulum, quam in utero, unde in alveis vaſorum ſenſim lapſu temporis accumulatur, vaſculoſas ſinuoſitates replet ac infarcit, donec earum extremitates, quæ oblique hiant in uterum nimium diſtentæ, diſſiliant tandem & cruorem effundant.

§. IX.

Cauſa eruptionis ſanguinis per uteri vaſcula capillaria, præter ſtagnationem in venis, eſt quoque ſpaſmodica partium conſtrictio.

Scholion.

Conſtans eſt obſervatio practica, in omni majori & critica ſanguinis eruptione, extremorum quandam re-

frigerationem, dolorem dorsi & inflationem in abdomine, alvum strictam cum corporis languore & gravitate observari; siquidem nimia vasorum à sanguine repletio, secundum *Hippocratis* effatum, *aph.* 39. *Sect. VI.* efficit spasticas constrictiones, quibus liber progressus sanguinis per capillaria vascula impeditur, hinc ad vasa majora regurgitat, in corde vero nimium congestus, ejus validiorem & velociorem contractionem, quam pulsus durus & magnus, in omni sanguinis enormi eruptione conspicuus indicat, suscitat. Impetu igitur per arterias sanguis ad uteri vascula delatus, ea aperit, idque multo facilius, quia uterinæ venæ, jam tum sanguine infarctæ, liberiori sanguinis cursui obicem posuerunt.

§. X.

Sanguis menstruus per minima vasa tum uteri, tum vaginæ, evacuatur.

Scholion.

Ex quibus canalibus, utrum ex iis, qui ad uterum, an qui ad vaginam feruntur, sanguis menstruus promanet? magna inter medicos, rei anatomicæ peritos, controversia agitatur. Utraque sententia suos habet patronos, ad autopsiam provocantes. Nos utrumque fieri posse affirmamus. Quia vero plura vasa ad uterum, quam ad vaginam excurrunt, & spermaticæ, quæ ovarium perreptant, venæ, valde flexuosæ sunt, non sine ratione asserimus, largiorem sanguinis effusionem, ut in abortu, è vasis uteri apertis, ordinarium vero mensium fluxum, ex vaginæ vasis fieri. Num vero ex arteriolis, an ex venis, prodeant menses, tam exquisite determinari non potest; quia tamen guttatim succedit fluxus, potius ex venis, quam arteriolis, eum deducere vellem, præsertim cum teste *Fantoni in anatomia corporis humani pag.* 186. flatus venis uterinis immissus, in cavum uteri & vaginæ commodissime impelli possit, & venarum tunicæ facilius, quam arteriarum latera, aperiantur.

§. XI.

Periodicæ fluxionis sanguinis ab utero causæ sunt mere mechanicæ.

Scholion.

Plurimi hujus notabilis phænomeni causas in lunam rejiciunt, quia ad certum ejus statum, vel phasin recurrere solet. An vero imbecille argumentum est, astrum esse causam, ubi ad certum mensem, diem, vel horam, effectus idem recurrit. Res potius ita se habet: ob tardiorem sanguinis in fœminis progressum, ac languidiorem perspirationem, necesse est, indies quippiam succi, vel sanguinis superflui in vasis coacervari, ex quo paulatim crescit plethora. Ponamus jam, certam mensuram sanguinis abundantioris requiri, v. g. libram unam semis, ad efficiendam eruptionem per uteri vasa, ad hanc vero colligendam requiri certum tempus, v. g. viginti octo dies; manifesto exinde consequitur: non tempus esse directam fluxionis causam, sed mensuram certi temporis necessariam esse ad certam abundantioris sanguinis quantitatem accumulandam, quæ potens sit ad spasmum concitandum & vasa uteri perrumpenda. Ex quantitate igitur sanguinis, qui sub mensium fluxu singulis fœminis evacuatur, haud difficulter invenire possumus, quantum sanguinis & succi nutritii superflui in quavis fœmina singulis diebus generetur & quænam quantitas rursus debeat expelli.

§. XII.

Sanguinis menstrui in fœminis fluxus sanitati prodest.

Scholion.

Veritatem hujus problematis quotidiana comprobat experientia, siquidem recte se habente hoc fluxu mulierum quoque sanitas bene se habet, is autem, si vitium capit, vel deficiat, vel excedat, ilias morborum ingruit; vid. *Hippocratis aph.* 57. *Sect. V. Galenus libr. de venæ sectione adversus Erasistratum* ita scribit: *Nonne natura ipsa mulieres cunctas evacuat sanguine superfluo singulis mensibus foras effuso? quippe muliebre genus, quod domi ageret, neque vehementibus laboribus exerceretur, neque sub claro sole viveret, & propterea quam plurimos humores coacervaret, oportebat, opinor, evacuationem hujusce plenitudinis, tanquam remedium à natura datum, accipere.* Ad æquabilem enim, liberum & moderatum sanguinis circulum & cursum, qui omnium partium & actionum integritatem tuetur, certa & proportionata sanguinis mensura requiritur, qua læsa, sive in excessu, sive in defectu, motus ille humorum, qui sanitatem dispensat, necessario læditur.

§. XIII.

Nimia sanguinis ex suppressis mensibus redundantia circulum sanguinis impedit, & robur, elaterem & contractionem cordis vasorumque infringit, hinc valde infensæ sanguinis stases, stagnationes, congestiones, viscerumque obstructiones, quæ chronicorum morborum fœcundæ procreatrices sunt, resultant.

Scholion.

Ab imminutis vel deficientibus mensibus, magna utique muliebrium morborum copia nascitur, qui pro differentia partium valde differentes sunt. Si enim sanguis stagnat in capite, melancholiam, capitis gravem dolorem, vertiginem, oculorum, & auditus gravitatem, pallorem, insaniam, quandoque etiam apoplexiam, concitat; in præcordiis nimium congestus, dyspnœam, asthma, tussim, hæmoptysin, cordis palpitationem, syncopen parit; in ventriculo & intestinis si restagnaverit, fiunt inflationes, borborygmi, ructus, præcordiorum anxietates, cardialgiæ, vomitus etiam cruenti ac tormina; viscera abdominis, si sanguine crasso infarcta fuerint, cachexiam, totius corporis gravitatem, scorbutum, icterum, pathemata hysterica, purpuram, tumores crurum ac pedum, venarum varices, progigni in confesso est. In utero, fluor albus, ejus inflammatio, molæ uterinæ & abortus resultant, quæ omnia fluxu hoc restituto levantur vel tolluntur, vel matura sanguinis missione præcaventur. De quibus quidem omnibus iisque medendi methodo, ex instituto egimus in dissertatione, *de ignorata uteri structura multorum in praxi errorum fonte.*

§. XIV.

Circa decimum quartum annum, menses incipiunt, circa septimum vero ætatis septenarium desinunt, & tunc multa sanitatis incommoda procreari solent.

Scholion.

Incipiunt menses plerumque circa decimum quartum ætatis annum, quia hoc tempore major alimenti copia ingeritur, digeritur & plus sanguinis ingeneratur, qui prioribus annis multo serosior & nutriendo corpori inserviebat. Hic sanguinis incipiens fluxus corpus non raro à plurimis malis, quæ à copiosiori sero primis in annis nascebantur, vindicat. Cessat vero sanguinis fluxus circa quinquagesimum, quia tunc fibræ rigidiores fiunt, capillaria oscula occluduntur, & motus naturæ spastici, qui fabri solent esse excretionum sanguinearum, deficere incipiunt. Nisi itaque tunc plethoræ matura venæ sectione, aut evacuatione, per urinam, vel per transpirationem, auctiori reddita, succurramus, profecto fœminæ post quinquagesimum annum in varia & diuturna mala incurrunt.

§. XV.

Non vero tantum fœminæ, verum etiam viri, qui multum sanguinis superflui ingenerant, ejus excretionem,

nem, & quidem per venas ſic dictas hæmorrhoïdales, patiuntur.

§. XVI.

Sicut fœminæ ob laxiorem, flexiliorem ac molliorem fibrarum ſtructuram vaſorumque exilitatem, plethoricæ fiunt, & ſanguinis effuſionem cum ſanitatis emolumento experiuntur: ita etiam ejuſdem texturæ & habitudinis viri, ob plethoram auctam, per hæmorrhoïdes ſanguinem ſuperfluum emittunt.

Scholion.

Profecto hæmorrhoïdum fluxus non tam infrequens eſt ac vulgo putatur, quod medici accuratiori facto ſcrutinio optime norunt. Patent vero quam maxime huic fluxui viri ſucci pleni, facie formoſi, ſpongioſioris carnis, quia ejuſmodi corporis habitus, ob vaſorum etiam ſecretoriorum anguſtiam pulſumque languidiorem, non tantum conſumit, quantum fuerit aſſumtum. Junioribus annis ejuſmodi homines narium hæmorrhagiis obnoxii ſunt, vel etiam ad hæmoptyſin inclinant; adultiores vero facti, hæmorrhoïdalem fluxum experiuntur, qui eo largior & frequentior eſt, quo plus ſanguinis in venis coacervatur.

§. XVII.

Salubris eſt maxime hæmorrhoïdalis fluxus, quia corpus à plethora liberat, & morbos ab hac oriundos præſervat.

Scholion.

Non inepte igitur à veteribus fluxus ſanguinis per venas ſedis, propter egregium commodum, quod ſanitati præſtat, vocari ſolet aureus, *oder die güldene Ader*. Alii hunc fluxum egregium naturæ bene valentis opus ſalutant, quod longam ſanitatem ac ſenectutem polliceatur. Nihil itaque deterius eſt, ac ſi hic fluxus conſuetus & ſalutaris, prava diæta, vel medicina, intempeſtive minuatur, vel cohibeatur, ſiquidem graves viſcerum obſtructiones & infarctus, & exinde chronicæ paſſiones, ut cachexia, hydrops, calculus, flatulentia ſpaſmodica, melancholia, colica convulſiva, paſſio iſchiadica, reſultant, quæ hoc fluxu prudenter ac tempeſtive reſtituto, ſanantur. Diſtinguendum vero eſt inter fluxum hæmorrhoïdalem criticum & ſua natura ſalubrem, qui ex ſanguinis redundantia & ad eam tollendam fit, & inter eum, qui ex conſtitutione viſcerum abdominis præternaturali originem ſuam trahit; hinc obſervamus cachecticos, hypochondriacos & hydropicos fieri hæmorrhoïdarios, quæ excretio quandoque cum levamine, quandoque etiam cum detrimento fit, præſertim ſi nimia fuerit.

§. XVIII.

Conſervatio corporis noſtri valde corruptibilis, à libero ſanguinis circulo & progreſſu, hic vero à convenientibus ingeſtis, retentis & excretis, dependet.

Scholion.

Actus utique vitales in motibus tam ſolidarum, quam fluidarum partium conſiſtunt, hi vero nec diu ſubſiſtere, aut continuare poſſunt, nec materiam, in quam vim ſuam exerceant, habent, niſi per actiones naturales, quæ alimentorum congruorum ingeſtione & convenienti ſecretione ac excretione continentur. Magna itaque vis eſt ingeſtorum & egeſtorum ad vitam & ſanitatem conſervandam, & ad morborum quoque cauſas ſtatuminandas, quare medicum ad hæc ſemper diligentiſſime reſpicere oportet.

CAPUT XI.

De generatione corporis humani.

§. I.

Generatio eſt actus, quo minimum, ſed organicum corpuſculum, in ſemine præexiſtens, nutritione evolvitur ac producitur.

Scholion.

Generatio nil niſi nutritionis & auctionis ſpecies eſt, qua, mediante lympha nutritia, corpuſculum in ſemine contentum extenditur, quare etiam hæc materia ad actiones naturales recte refertur.

§. II.

Organica tantum corpora, non vero alia, virtutem ſui multiplicativam habent.

Scholion.

Per corpora naturalia organica ea intelligimus, quæ ſingulari artificio ad certos edendos motus a natura conſtructa ſunt, & quia in metallis talis organica conſtructio non datur, ideo multiplicativam vim ibi quærere vanus labor eſt: in regno autem vegetabili & animantium vis ſeminalis, ſive multiplicativa, obſervatur.

§. III.

Virtus multiplicativa in eo nobis conſiſtere videtur, quod omnes vegetabilium & animantium partes ſint organicæ, id eſt, totius corporis ideam complectantur.

Scholion.

Quemadmodum minima atomus auri totam texturam auri continet, ita etiam minima molecula plantæ, vel animantis, ejus ſtructuram complectitur. Quid enim ſemina, tam vegetabilium, quam ſubtiliſſima & delibatiſſima ſucci nutritii portio, & unica arbor, planta, aut animal, vel multa millia ſeminum producit, quorum ſingula novum & ſimile organicum corpus producunt. Neque tantum in ſeminibus vegetantium, ſed in quovis etiam minimo ramulo arborum, ut ex inſitione patet, vis propagativa conſiſtit.

§. IV.

Ergo in quovis ſemine jam totum, quamvis ſtupendæ exiguitatis, organicum corpus, latet.

Scholion.

Utut intellectus noſtri limitatæ vires minime capere poſſint modum, quo in ſemine & quavis corporis organici naturalis parte totum lateat; hoc ipſo tamen rei exiſtentia & veritas non deſtruitur, quia plura ſunt & fiunt in rerum natura, quæ limites intellectus noſtri longiſſime exſuperant. Neque ad medici ſcopum pertinet, abdita & ſublimiora hæc, quomodo videlicet organica in ſemine corpuſcula producantur, inquirere, aut ſolicitius agitare. Suffecerit, ea adeſſe, & nutritione evolvi & in conſpectum dari. In minimo, proceræ etiam arboris ſemine, jam tum ejus rudimenta plena latitare, inque inſectorum ovis, integra eorum corpuſcula jam formata contineri, inque humano ſemine viva animalcula accuratioribus microſcopiis conſpici, recentiorum curioſæ inventioni debemus.

§. V.

Subtiliſſimum illud, quod medullæ cerebri & nervorum porulos incolit, fluidum, ad ſpecificas & organicas actiones & motus recipiendos & producendos aptiſſimum eſt.

Scholion.

Singularis & plane mirifica res eſt, perverſam matris phantaſiam deformandi fœtum ejusque partium naturalem conformationem mutandi ac deſtruendi potentia inſtructam eſſe. Neque enim infantes tantum lineamentis corporis, ſed & moribus, ingenio, inclinationibus, ratione animi, parentibus ſubinde ſimiles ſunt. Admirationem meretur, quod ſcribit *Avicenna in Canone Med. Lib.* 1. *can.* 98. natum ſimilem eſſe illi, cujus imago impenſa cogitatione tempore congreſſus fuit repræſentata.

CAPUT XII.

De ſemine humano utriusque ſexus.

§. I.

AD producenda vegetabilia unicum tantum ſemen deſideratur; ad generationem vero animantis duo, maris nempe & fœminæ, ut concurrant, neceſſe eſt, ob duplicem animalium ſexum, qui in vegetantibus non obſervatur.

Scholion.

Ad arborem vel plantam producendam ut ſemen in terra fœcundetur, tantummodo ſolis calore & tenui pluviarum humido opus eſt: ad generationem vero animalis duo ſemina requiruntur, alterum quod in membranacea capſula continetur, ſive ovum, alterum fluidum, quod in ſubtiliſſimos halitus reſolvitur, quale eſt maſculinum.

§. II.

Animantium ſemen ex liquido longe tenuiſſimo conflatum eſt

Scholion.

Semina vegetabilium nihil aliud ſunt, quam ſucci nutritii ſubtiliſſima per anguſtiſſimos demum canales ſecreta portio, multo vero magis in animantibus tenuiſſima ſeminis indoles ex ſubtilitate canaliculorum, quibus ſecernitur, dijudicanda eſt. Neque ſi non adeſſet tanta in ſemine tenuitas partium, in minimos meatus corporis organici ingredi, nec motum inibi ciere, aut partes extendere poſſet.

§. III.

Semen maris eſt tenuiſſima lymphæ nutritiæ portio, in canaliculoſa teſtium fabrica à ſanguine ſecreta.

Scholion.

Anatomicis experimentis conſtat, teſtes viriles ex meris concavis, ſed tenuiſſimis tubulis, & ſecundum *Bellini* calculum triginta ulnas Florentinas exæquantibus, invicem convolutis, eſſe compoſitos, qui diuturniori, in aceto præſertim maceratione, diſſolvi poſſunt: neque minima hæc vaſcula cavitate deſtitui, vel ex eo dijudicandum eſt, quod per hæc ipſa liquidum ad vaſa deferentia, & inde ulterius ad ſeminales capſulas, quæ convoluta quaſi inteſtinula conſtituunt, deferatur. Sique interdum liquidum in minimis teſtium canaliculis reſtagnaverit, ingens ſæpe tumor naſcitur, qui reddito humore fluidiori, quam facile diſcutitur.

§. IV.

Quemadmodum per anguſtiſſimos tubulos non niſi tenuiſſimum, & quod eorum diametro reſpondet, liquidum fertur; ita longo ductuum itinere per attritivum motum multo ſubtilius redditur.

§. V.

Fluidum, quod in teſtium vaſculoſa compage ſecernitur, ejusdem fere indolis videtur, ac illud, quod corticalis & vaſculoſa cerebri ſubſtantia à ſanguine arterioſo ſeparat.

Scholion.

Fabrica enim teſtium & corticis cerebri multum inter ſe convenit. Utraque fluidum à ſanguine ſeparat tenuiſſimum, magna activitate & potentia movendi inſtructum. Et hinc petenda eſt ratio, quare ab intempeſtiva & immoderatiori venere, non modo animales functiones detrimentum capiant, ſed & vitale partium robur ac tonus inde enervetur, ita prorſus, ut qui in prima ætate frequentem venerem exercent, corpus infirmum & morbis obnoxium reddant. Id quod etiam jam ſuo tempore *Hippocrates Lib. de Genitura*, §. 1. his verbis agnovit: *Genitura viri provenit ab humido, quod in corpore eſt robuſtiſſimum; argumentum vero, quod robuſtiſſimum ſecernatur, hoc eſt, quia à veneris uſu, tam pauca materia emiſſa, imbecilles reddimur.*

§. VI.

Summa tenuitas, ſive ſpirituaſcentia ſeminis, in cauſa eſt, quod circa tempus pubertatis ingens mutatio in corpore obſervetur. Tum enim vox fit ſonora & aſpera, pili in mento & pube incipiunt creſcere, neque minus vigor ac robur animo & corpori accedit.

Scholion.

In eunuchis hæc omnia non viſuntur, neque barba in iis creſcit, neque vocem ſonoram edunt, habitus corporis manet laxus, animus eſt effœminatus, capilli ad muliebrem modum in longitudinem creſcunt. Animantibus caſtratis, ut equis, multum decedit roboris. Caro in caſtratis bobus, hircis, vervecibus, caponibus, fit ſucculentior & pinguior.

§. VII.

Subtilior ſucci nutritii pars, per teſtium canaliculoſam compagem tranſitu ſpirituoſior facta, & ex veſiculis ſeminalibus per vaſa lymphatica ad corporis ſuccos reflua, toti corpor agilitatem, ſpirituaſcentiam, elaterem, robur, calorem, quo caſtrati deſtituuntur, confert, & inſtar medicinæ optimæ confortantis & balſamicæ ſe habet.

Scholion.

Refluit ſemen retentum ex veſiculis ſeminalibus per lymphatica vaſa ad ſanguinis & lymphæ maſſam, ob vaſorum lymphaticorum communicationem, quæ ipſis cum veſiculis ſeminalibus intercedit. Nam ſi flatus per tubulum in deferentia vaſa fortiter immittitur, non modo ipſæ ſeminales capſulæ, ſed & totum lymphaticorum ſyſtema, cum ductu thoracico, inflatur.

§. VIII.

Liquoris ſeminalis, qui naturæ mobiliſſimæ, tenuiſſimæ, ſimpliciſſimæ eſt, minima pars, univerſi corporis organicam ſtructuram continet, & ſecundum hanc vividiſſime operatur.

Scholion.

Eſt enim ea indoles fluidi tenuiſſimi, ut omnium impreſſionum, quæ nonniſi veſtigia ſunt objectorum, recipiendarum capaciſſimum ſit, quemadmodum id videmus in cerebri, nervorum ac ſenſoriorum fluido, quod veteribus ſpiritus animalis nomine venit. Neque dubium eſt, vel minimam ſeminis portionem, organiſmum ſimilem corporis in quo ſubſiſtit, utut modo ineffabili, complecti. Et hoc modo veterum ſententia intelligi poteſt, ſemen à ſingulis corporis partibus decidere & animam in corpore unam eſſe, ſed totam in ſingulis ejus partibus.

§. IX.

Conſtat obſervatione, tanto ſaniorem ac robuſtiorem

rem fieri infantem, quanto semen maturius, magisque excoctum & subtile est.

Scholion.

Perfectio vegetabilium, florum quoque, multum dependet à seminis maturitate & perfectione, quare, si in horti cultura flores, ut tunicæ, primularum, auriculârum, pleniores, copiosiores & bene coloratos reddere velimus, opus est, ut non omnes seminales capsulas relinquamus, sed paucas tantum, quibus diutius aëri sereno & calido, minime vero cœlo pluvioso & frigido, expositis, semen inde magis coctum & perfectum evadit.

§. X.

A semine aquoso, minus maturo, vel cocto, debiles infantes, morbis obnoxii, neque diutius viventes & fœminæ frequentius, quam mares progignuntur.

Scholion.

Attenta observatione discimus, debiles & morbosos parentes gignere etiam ejusmodi liberos. Observamus quoque, liberos in extrema senectute, vel prima adolescentia, aut in ebrietate, vel ab iis qui venerem nimis mature & copiose exercent, genitos plerumque admodum debiles & brevioris vitæ esse.

§. XI.

Genitura virilis est soboles optimi succi nutritii, ea propter, qui benigno, temperate spirituoso alimento fruuntur, quique succi nutritii & sanguinis copiam ingenerant tardiusque congrediuntur, neque vires perdunt, ii ad coitum & procreandam sobolem sunt aptiores.

Scholion.

Recte igitur dictum: sine Cerere & Baccho frigere venerem. Et parentes, qui nec congruis alimentis, nec satis largiter fruuntur, & vires ex morbo, vel aliis causis deperdiderunt, minus bonum & laudabile semen proferunt, & ad procreandam sobolem ineptiores sunt.

§. XII.

Uti omne animal, ita etiam homo, ex ovo producitur.

Scholion.

Quare ovulum, quod nonnisi tenuissimus lymphaticus est incluśus humor in capsula membranacea, ad animalis generationem necessarium sit, hæ videntur rationes: quia in liquido incluso partium situs, formatio, nutritio commodissime, neutiquam vero in humore, qui diffluit, qui exhalat, fieri potest; deinde quia ovula fœminarum à spiritu genituræ virilis actuari & fœcundari debent, opus est, ut humor seminalis membranis includatur, per quas subtilior seminis virilis pars transire & penetrare debet.

§. XIII.

Neque tantum in minutissima genituræ virilis portione, sed & in quovis fœminæ ovulo, integra corporis organici structura, utut maxime exigua, latitat.

Scholion.

Nisi in ovulo ipsa stamina & prima rudimenta fœmellæ continerentur, nulla ratio appareret, qua ex virili semine fœmininum corpus, diversis generationis organis donatum, posset prodire. Accedit & hoc, quod infantes non tantum patris, verum etiam matris lineamenta & utriusque corporis, æque ac animi dispositionem similem habeant. Ex ovulo vero fœminino, quod vasculus generetur, id nostro quidem judicio sic procedit. Si genituræ virilis corpuscula organica majori motu & activitate prædita sunt, quam ea, quæ in ovulo continentur, tunc unum ex iis nutritur & mas fit: si vero major motus in organicis corpusculis lymphæ seminalis ovo incluśæ est, fœmina gignitur. In hanc sententiam concedit quoque *Hippocrates*, qui in *Lib. de genitura* prodidit: marem generari, si semen viri fortius & fœminæ debilis; fœminam vero nasci, quando semen maris debilius & fœminæ fortius est. Quæstio verò moveri potest: quomodo corpuscula organica mascula in ovulum perveniant? verum, si consideremus, omnes partes animantis multo magis minimas & subtilissimas, hinc seminis etiam, esse organicas, facile eas in poros ovuli ingredi illudque fœcundare posse, res non adeo intellectu difficilis est.

§. XIV.

Vulgo habitum ovarium an vera ovula generationi apta contineat, nondum res satis plana ac perspicua est.

Scholion.

Corpora globosa & membranacea, vasis dictis spermaticis, nec non vesiculis plurimis turgida & ad latera uteri posita, secundum receptam sententiam usque eo pro testibus & ovariis fœminarum habita sunt: hæc tamen assertio plurimis adhuc difficultatibus premitur. Primo, utut concedendum sit, vesiculas quasdam humore lymphatico refertas in dictis ovariis contineri, quæ etiam aquæ calidæ injectæ coagulum induant, neutiquam tamem rationem assequi licet, quomodo hæ ipsæ fœcundatæ à firmo membranarum involucro, cui altius insident, sine insigni læsione & erosione ovarii & extravasatione humorum, se liberare possint. Secundo, nullo modo concipi potest, quomodo ovulum ab ovario liberatum, per canales *Fallopianos*, ultra duos transversos digitos ab ovario distantes, recipi & ad uterum provolvi possit. Tertio, non intelligitur, quomodo genitura virilis per solidum uteri corpus, vel tubas clausas, commode ad ovarium & ovulum, salva sua textura, pervenire idque fœcundare possit.

§. XV.

Verisimilior eorum apparet sententia, qui ovarium intra uterum & circa internum ejus orificium ac cervicem constituunt, ubi utique racemus innumerorum ovulorum semper conspicitur, quæ & facilius virili semine fœcundari & a compedibus liberari possunt.

Scholion.

Recentiorum quorundam anatomicorum industriæ & dexteritati detectio novi ovarii debetur, inter quos merito ego numerare possum anatomicum peritissimum, Lipsiensem quondam Professorem, *Dn. Naboth*, qui ovarium hoc novum invenit, & in *diss. de Sterilitate* egregiis argumentis stabilivit. Is enim jam ante triginta annos, in anatomia publica cadaveris fœminini, in nostra Academia dissecti, nobis illud monstravit, & ego etiam postea semper, quoties occasio tulit, fœmininum corpus dissecandi, inveni idem aliisque monstravi. Equidem harum vesicularum jam alii etiam mentionem fecerunt, sed plurimi pro hydatidibus eas habuerunt, vel earum usum nesciverunt: uti *Grafius*, item *Novesius* in *Zodiaco medico Gallico*, itemque *Littius dans les memoires de l'Academie Royale des sciences*, nec non *Morgagni in adversariis anatomicis* abunde confirmarunt. Fatemur vero, contra hanc sententiam pugnare, quod fœtus humanus quandoque intra tubam Fallopianam incluśus repertus fuerit, deinde, quod nullus appareat testium muliebrium hactenus pro iis habitorum alius usus; cum tamen in iis ovula, calore in coagulum abeuntia, reperiantur. Ut vero ad has dubitationes paucis respondeamus, dicimus: longe facilius ovulum ex uteri cavitate ad tubam Fallopianam, fœcundo coitu, quam ex testibus sic dictis muliebribus ad tubam pervenire posse. Ad secundum reponimus: corpora, quæ huc usque pro ovariis habita sunt, potius esse fulcimenta vasorum sanguineorum, quæ inflata ad uteri substantiam copiosissima abeunt.

Tum capſulæ veſiculares, quarum humor incluſus à calore coagulatur, non modo in teſtibus vulgo habitis, ſed & in uteri ligamentis inque externa uteri ſuperficie copioſe ſubinde conſpiciuntur, quas utique, quoniam diſperſæ ſunt, longe meliori jure pro vaſorum lymphaticorum expanſionibus, quæ copioſiſſima ſunt circa uterum, quam eas, quæ in cervice hærent & quæ ſemper proſtant, ut acervatim collectæ, limitibuſque ſuis incluſæ ſunt, haberi poſſe aſſerimus.

CAPUT XIII.

De nutritione fœtus.

§. I.

NUnquam ex ovo animantis, niſi fœcundetur à ſemine virili, prodit animal. Idem etiam fit in ovo fœminino humano, quod agitari in motum, hoc eſt, fœcundari debet ſemine virili, ut calore æquabili & temperato alimento, per uteri vaſcula allato, nutriatur & augmentum accipiat.

§. II.

A ſeminis fœcundi immiſſione, mediante coitu in uterum facta, ingens in eo mutatio ſubſequitur, quia ejus vaſa incipiunt turgere, ſanguis incaleſcit ac liberius per uterum movetur, ſuccum nutritium ibi deponit, menſiumque fluxus deſinit.

Scholion.

Semen maſculinum, ex tenuiſſima elaſtica lympha compoſitum, non modo ovula, ſed & ſanguinem & ſuccos in vaſis uteri rarefacit, expandit, neque minus tonum & robur uterinis fibris confert. Jam patet ratio, quare coitus ex menſium defectu cachecticas ſanas reddere & ſalutarem hunc fluxum reſtituere ſoleat, quod etiam jam ſuo tempore optime notavit *Hippocrates Lib. de genitura*, dum ait: *coitus ſanguinem calefacit ac viam faciliorem menſibus facit.* Etenim menſium defectus, ob nimiam vaſorum uteri anguſtiam & contractionem ſubinde accidit. In quibus autem menſes fluunt, in iis coitus fœcundus eorum fluxum ſiſtere ſolet.

§. III.

Facta imprægnatione, menſes deſinunt, quia ampliori à virtute ſeminis expanſiva facto vaſorum uteri ſpatio, ſanguis jam liberius per ea circulatur, ejuſque ſtagnatio, quæ cauſam & occaſionem eruptionis ſanguineæ præbet, impeditur.

Scholion.

Supra modo demonſtravimus, redundantem ſanguinem in vaſis uteri ſtagnantem ſegniuſque progredientem, & ſpaſmi, & eruptionis cruoris menſtruæ, cauſam eſſe; quia vero à coitu fœcundo vaſa liberius expanduntur & partes fibroſæ maius robur acquirunt & vaſculorum orificia, quæ in menſium fluxu aperiri ſolent, contrahuntur, ſanguis effluere deſinit.

§. IV.

Incipit in fœminis potentia generativa cum menſium fluxu, & deſinit quoque eo deſinente.

Scholion.

Neque enim aliter generatio, ſive corporis organici in ſemine evolutio, quam actu nutritionis fit, quæ ſuccum gelatinoſum, temperatum deſiderat, & qui ſanguinis quoque materiam conſtituit. Hæc ſucci nutritii, & conſequenter etiam ſanguinis ſuperflui redundantia, circa annum decimum quartum incipit, inque non gravidis optimo conſilio omni menſis ſpatio effundirur. Quia vero in gravidis non amplius ob dictas cauſas menſes fluunt, hinc ſuccus alibilis ſuperfluus per poroſam uteri à coitu mutati ſubſtantiam filtratur ac deponitur, qui ad ovuli augmentum & infantis nutritionem ſpectat. Deſinit vero hæc potentia generandi, ſive potius nutriendi, circa annum quinquageſimum, uteri fibris tunc factis durioribus, rigidioribus & poris ac vaſculis arctioribus, ut nec ſanguis, nec ſuccus nutritius ſuperfluus, ad minima uteri vaſa amplius accedere, vel ibi deponi poſſit.

§. V.

Gravidæ prioribus menſibus à ſanguinis & ſucci nimia abundantia menſiumque defectu in gravia mala incidunt.

Scholion.

Fiunt hæc ipſa, cum ſanguis ſingulis menſibus purgari ſolitus non evacuatur, neque ad nutritionem prioribus menſibus omnis impenditur, hinc ſuperabundans & paſſim in vaſis ſtagnans, pro partium ac temperamenti differentia, graves & moleſtas parit afflictiones. In ventriculo vomitiones, nauſeæ, inflationes, inappetentia; in præcordiis anxietates, ſpirandi anguſtiæ; in capite dolores, vertigines, tinnitus & ſuſurrus aurium; in partibus externis variæ fluxiones, dolores & tumores, odontalgiæ, capitis eryſipelata, tuſſes, tumores crurum, dolores dorſi & artuum languores oriuntur, quæ cuncta ſymptomata poſterioribus menſibus, ubi infans majorem nutrimenti quantitatem expoſcit, ſua ſponte conquieſcunt, vel etiam ſi gravidæ nimium indulgent otio & gulæ, atque nimis plethoricæ ſunt, uſque ad partus tempus durant.

§. VI.

Nutritur infans mediante ſucco temperato, gelatinoſo matris, qui per ſpongioſam uteri ſubſtantiam tranſcolatur & à ſecundina recipitur, per cujus vaſa ad infantem defertur.

Scholion.

In principio ovulum fœcundatum & ingreſſu ſeminis virilis turgidum & expanſum, ſuccum tenuem, lymphaticum ex uteri oſculis ſtillantem, per poros recipit ac nutritur, donec ejus externa membrana poris uteri continua fiat, ſive eidem agglutinetur.

§. VII.

Secundina eſt corpus figuræ orbicularis, octo vel decem pollicum diametrum & unius pollicis craſſitiem habens, ex innumerabilibus majoribus & minoribus vaſis compoſitum, quod parte convexa & ſpongioſa uteri ut plurimum fundo adhæret, in parte vero concava funiculum habet, qui ex duabus arteriis, una vena & uracho, invicem contortis compoſitus, inque umbiculum infantis implantatus eſt.

Scholion.

Secundinæ primordia intra ovulum continentur & primum producuntur. Glanduloſum maxime eſſe ejus corpus eo uſque anatomici crediderunt, ſed *Cl Ruyſchius in Theſaur. anat. V. Fig.* 1. pulchre demonſtravit: ex meris & numero infinitis vaſculis illud eſſe compoſitum, cujus externa tunica, quæ chorion dicitur, utero continua eſt ipſique adhæret, & exterius quoque ipſum infantem cingit, valdeque craſſa vaſis ſanguineis referta eſt, interior vero & ſubtilior, quæ amnios dicitur, ejus concavam partem obducit & immediate ipſum involvit.

§. VIII.

Ipſa ſecundina, quatenus utero adhæret, ex ejus ſubſtantia poroſa ſuccum alibilem, non vero ſanguinem matris, recipit.

Scholion.

Scholion.

Crediderunt veteres, ſanguinem matris nutrire infantem, & vaſa uteri cum vaſis ſecundinæ & fœtus invicem connecti; ſed notabile eſt, liquorem ſiphone per umbilicales arterias injectum per venam umbilicalem redire, modo placenta illæſa fuerit, ex quo appareret, nullas dari anaſtomoſes vaſorum uteri cum vaſis ſecundinæ & fœtus, neque ſanguinem fœtus rurſus ad venas matris redire.

§. IX.

Succus nutritius & chyloſus matris, ex poris & vaſculis uterinis, interventu membranæ villoſæ tenuiſſimæ, quæ chorio contigua eſt, non ſecus ac chylus à tunica inteſtinorum villoſa recipitur, abſorbetur & per umbilicalem venam fertur, ex qua cum ſanguine ad hepar infantis deducitur.

Scholion.

Vas, quod ſuccum nutritium matris & ſanguinem per arterias ex infante refluum ad venam cavam & cor infantis adducit, eſt vena umbilicalis, quæ in venæ portæ ſinu terminatur, ubi ſanguinem cum nutritio ſucco deponit, quem vero non prius per hepatis viſcus & ramificationes venæ portæ, ſed per ſingularem venoſum cylindricum canalem, qui in *Ephemeridibus naturæ curioſis Cent. V. & VI. obſerv. 27. à Cl. Heiſtero* recte delineatur, proxime in venam cavam & exinde in cor tranſmittit, manifeſto documento, eum ſuccum & ſanguinem tam purum eſſe, ut non neceſſe ſit, biliоſas & excrementitias ſordes prius ibi ſeparari.

§. X.

Placentæ uterinæ munus eſt, non tantum ſuccum nutritium ab uteri orificiis recipere, inque corpus fœtus infundere, ſed & ſanguinem ex arteriis fœtus iliacis acceptum fluidiorem & ſubtiliorem reddere.

Scholion.

Placenta uterina ex innumeris capillaribus minimis vaſculis eſt contexta, per quæ dum tranſit ſanguis, atteritur, comminuitur inque minimas partes ac globulos dividitur, intima unione ſucci nutritii cum ſanguine facta, ut hac ratione per tenues canaliculos embryonis commodius tranſire & nutritionem præſtare poſſit: unde revera ſecundina in fœtibus vice fungitur pulmonum, qui in fœtu à munere ſuo vacant, quod identidem in intima ſanguinis partium comminutione earumque unione cum chyloſo ſucco conſiſtit. Qua de cauſa etiam vena umbilicalis id habet peculiare cum vena pulmonali, ut ſanguinem fluxilem, floridum & arterioſo ſimilem vehat, quod omnibus aliis venis negatum eſt. Gaudet præterea placenta uterina hoc officio, ut motu dilatationis & compreſſionis muſculorum abdominis, in matre compreſſa & dilatata, fluxum & refluxum ſanguinis ex fœtu in placentam, & rurſus ex ea ad hunc, egregie promoveat.

§. XI.

Quando orificia vaſorum uteri, ex quibus ſuccus nutritius à villoſa placentæ ſubſtantia recipitur, ſanguinis copioſi impetu nimium diſtenduntur & aperiuntur & ſecundina divellitur, fit abortus, qui eſt contractio uteri convulſiva fœtum ejiciens.

Scholion.

Abortum ſemper præcedere ſolet enormis uteri hæmorrhagia, & ipſe plerumque circa menſem tertium, vel quartum fit. Hæmorrhagia vero ſine nimia diſtenſione & apertione vaſorum uteri contingere nequit, qua non modo ſuccus nutritius, cujus vehiculum ſanguis eſt, infanti detrahitur, ſed & ſecundina ab utero ſeparatur atque avellitur, quia ejus conjunctio cum tenuiſſimis vaſorum uteri orificiis amplius perſiſtere nequit. Qui ſanguinis fluxus & ſeparatio, ſi levior fuerit & tantum quoad partem, ſalvus ſemper manet embryo. Neque cum hoc fluxu ſanguinis ex ſecundina divulſa confundi debet menſtruus fluxus, qui in nonnullis gravidis plethoricis per aliquot menſes, ſine ullo vitæ & ſanitatis detrimento, quandoque adhuc durat, ſed per vaginæ vaſcula effertur.

§. XII.

Quodcunque itaque impetum ſanguinis ad uteri vaſa urget eumque ad ſpaſmodicas contractiones diſponit, id abortum quam facile provocat.

Scholion.

Cujus generis ſunt motus & exagitationes corporis nimiæ, ira & terror vehementior, ex medicamentorum claſſe, fortiora purgantia, emetica, balnea ſanguinem nimis rarefacientia, ex morbis febres acutæ, variolæ, affectus hyſterici, quæ frequentiſſimæ, præſertim in diſpoſitis, ſolent eſſe abortus cauſſæ.

§. XIII.

Quæ ſemel abortum paſſæ fuerunt, facile in eundem recidunt, præſertim ſi non ita brevi poſt factæ rurſus fuerint gravidæ.

Scholion.

Quia tenuiſſimæ vaſorum uterinorum ramificationes, à ſanguinis impetu nimium diſtractæ & dilaceratæ, non tam ſubito rurſus contrahi & conſolidari poſſunt, hinc facile rurſus facta imprægnatione, à ſanguine plethorico, circa tertium, vel quartum menſem, aperiuntur. Eluceſcit inde ratio, quare prudens miſſio ſanguinis gravidas à periculo abortus ſecuriſſime præſervet.

§. XIV.

Abortus periculoſior ſolet eſſe partu, ob lethalem ſubinde evenientem hæmorrhagiam.

Scholion.

Abortus periculoſior eſt partu, quia ſi ab impetu ſanguinis vaſa uteri nimium aperiuntur & placenta avellitur, infans moritur, qui, præſertim grandior, ob vires imbecilliores matris factas, difficulter egreditur; unde utero ab infante mortuo diſtento, orificia vaſorum, ex quibus ſanguis ſtillat, aperta manent & quam facile lethalem ſanguinis profuſionem efficiunt, quæ alias poſt fœtus exitum, ſpontanea uteri contractione, clauduntur. Unde utique tali in caſu abortus, ſive cita fœtus ejectio, vel etiam ejus artificioſa extractio, ſalutifera dicenda eſt, quia morti eripit.

§. XV.

Succus nutritius matris fœtum in utero nutrit. Qualis itaque indolis is eſt, talis quoque eſt nutritio fœtus in utero.

Scholion.

A ſanitate omnino matris ejusque ſanguinis atque humorum bona temperie ac indole, fœtus humani nutritio & vigor dependet. Qua de cauſa omnia errata diætetica matris gravidæ luere debet infans, & quo melius habet ea & ſana ac integra eſt: eo robuſtior & minus morbis obnoxius infans prodit; quin imo inordinatos animi affectus in matre mox percipit fœtus in utero.

§. XVI.

Cum motus conſtrictionis & dilatationis in placenta uterina circulum ſanguinis per eandem & fœtum egregie promoveat, hic autem a reſpiratione matris dependeat, ſequitur, vitam nimis ſedentariam & otioſam infanti maxime eſſe inimicam.

Scholion.

In vita ſedentaria reſpiratio admodum lenta eſt, hinc

circulus ſanguinis in matre etiam lentior, ſuccos valde ſpiſſos gignit. Nam reſpiratio lenior, motum quoque muſculorum abdominis leniorem efficit, hinc non poteſt aliter fieri, quin placentæ motus & compreſſio ſegnior evadat: quare ſuccus & matris & infantis valde ſpiſſus & glutinoſus evadit, qui firmiorem agglutinationem in utero non modo efficit, ſed & ſuccos impuros in fœtu producit. Ex quo apparet, quam ſalutaris ſit moderatus gravidarum motus, & quam inimica ſanitati ſit nimis otioſa earum vita.

§. XVII.

Non probabile eſt, fœtum ultimis menſibus ſucco gelatinoſo in amnio contento nutriri.

Scholion.

Eronea utique videtur ſententia, infantem per os, non vero per umbilicalem funiculum, accipere nutrimentum. Nam organa, ventriculus & inteſtina cum vaſis lacteis, in tenello corpore minutiſſima ſunt, ut ſuccum nutritium non bene capere, multo minus per tam longum iter venarum lactearum & ductus thoracici ad cor deducere poſſint, cum via longe brevior & amplior ad cor per funiculum umbilicalem detur. Neque ego ullam magni momenti rationem invenire poſſum, quæ mihi nutritionem fœtus per os ultimis menſibus fieri perſuadeat. Etenim ſuctio & deglutitio ſine reſpirationis ope fieri nequit; quæ tamen in utero materno plane ceſſat. Deinde, illud tam certum eſt, quam quod certiſſimum, aquas in amnio contentas, fœtu grandiori facto, non decreſcere, ſed potius augeri, quia plus urinoſi, quamquam inſipidi, liquoris emittit. Sique fœtus in utero alimentum ore aſſumeret, tanta excrementorum moles in ejus inteſtinis colligi deberet, ut neceſſe haberet in utero alvum deponere. Neque hic objicere ſufficit, liquorem amnii eſſe nutritiis partibus turgidum; eum enim nutrire, inde haud quaquam evinci poteſt, nam ſerum hydropicorum extravaſatum ejusdem indolis eſt.

§. XVIII.

Fœtus in utero non reſpirat, ſed pulmones feriantur.

Scholion.

Deficit enim aër atmosphæricus, qui, niſi pulmonum veſicularem & vaſculoſam ſubſtantiam diſtendat, ſanguis ex uno ventriculo in alterum tranſire nequit, ſed breviorem viam, per canalem arterioſum, ex arteria pulmonali in arteriam aortam porrectum & inſertum, & per foramen ovale, quod ex auricula dextra ad venam pulmonalem ſpectat, inſtituit. Quod vero nullus aër in fœtus pulmone contineatur, experimentum per antliam pneumaticam inſtitutum probat, dum pulmo infantis, arteria aſpera conſtricta, ſub campana collocatus, educto ex eodem aëre, nihil prorſus intumeſcit aut inflatur, & aquæ immiſſus ſubmergitur. Qua etiam de cauſa non de nihilo eſt illud experimentum, quo nimirum in caſu infanticidii per pulmonem infantis injectionem in aquam explorare ſolemus, utrum fœtus vivus, an mortuus in lucem prodierit? nam in priori caſu, pulmo aquæ ſupernatat, in poſteriori, ad fundum fertur.

§. XIX.

Fœtus humanus menſe ſolari nono, ſecundum naturæ ordinem, partu excluditur.

Scholion.

Plures cauſæ partus dari ſolent, inter quas hæc mihi valde videtur veroſimilis, quod grandior fœtus majorem potentiam movendi in artubus acquirat, qua non modo, ſed & pondere, membranas, quibus includitur, ipſumque uterum diſtendit atque laceſſit, unde ſpaſmus in univerſo genere nervoſarum partium concitatur, cujus beneficio uterus comprimitur fœtusque expellitur, ipſaque ſecundina hac ratione paulatim ſeſe ab uteri villoſa ſubſtantia ſeparat atque divellitur.

§. XX.

Excluſo fœtu cum ſecundinis, uterus ſe rurſus contrahit, & humor ſanguineus dilutior ex ejus vaſis ac poris exprimitur, qui fluxus lochialis à medicis appellatur.

Scholion.

Maxima & plane mirabilis vis elaſtica utero ineſt, qua ſupra modum diſtendi & contrahi poteſt, quæ partim à fibrarum, ex quibus variis conflata eſt uteri ſubſtantia, mechanica ſtructura, partim etiam à ſubtilioribus ſuccis & ſanguine ibi contentis dependet. Compreſſionem uteri edito fœtu, externæ ligaturæ promovent, quæ ad eliciendos ex uteri poris ſtagnantes ſuccos valde neceſſaria eſt, ne ibi corrupti, putredinoſam inflammationem cauſentur.

CAPUT XIV.

De ſecretione lactis.

§. I.

POſt fœtum editum, tertio ut plurimum die, mammæ turgeſcunt, attolluntur & lac copioſum gignunt.

Scholion.

Humores redundantes inque uteri inſignioribus vaſis contenti, ejus contractione in venas ingrediuntur, inque copioſa & laxiora mammarum vaſa divertunt, eaque diſtendunt, ut lac in earum glandulis ſeparetur, quæ mutatio in mammis, nec non glandularum ac ductuum ſubita & inſolita diſtenſio, dolorem & febrem ſubinde producere ſolent, quam vocant *das Milch-Fieber*.

§. II.

Lac eſt ſuccus chyloſus, à ſanguine in glandulis mammariis ad alimoniam infantis ſecretus.

§. III.

Lac eſt chylus, non vero ſanguis, immutatus.

Scholion.

Hoc theorema pluribus argumentis demonſtrari poteſt. Etenim dantur nutrices, quæ duas lactis libras quotidie emittunt; quædam ex vaccis in Friſia ſingulis diebus triginta pintas lactis, quæ ſexaginta libras complent, reddunt: ſi vero lac eſſet ſanguis, hic non tam copioſus in venis exiſteret, neque ſine virium & vitæ detrimento poſſet amitti. Deinde ipſæ nutrices animadvertunt, non multo poſt à paſtu, calido ſumto potu, ingentem & ſenſibilem lactis ad mammas fieri adfluxum. Porro, à varietate alimentorum lactis magna eſt differentia. Ita vaccæ, quæ vere tenui gramine & herbarum floribus veſcuntur, optimum lac, flavum & butyroſum, præbent; quando vero hyeme ſtramine hordeaceo paſcuntur, lac ſaporis ſubamaricantis fit & parum butyri reddit, quod ſtatim melius evadit, ſi matres familiæ floridas herbas reponunt & pabulo admiſcent. Ipſa quoque virtus & color alimentorum tranſit in lac, & hæc eſt cauſa, quare croco, vel rhabarbaro aſſumto, tingatur, ac purgante paulo validiori nutrici dato, infantis alvum laxandi virtutem

acqui-

acquirat. Et quia sic lac suam bonitatem ab alimentis mutuatur, videndum est, ut nutrices, si salutare pro alendo infante lac gignere debent, alimenta congrua & amica assumant, vel etiam medicamentis lactis vitium corrigant. Differt demum multum sanguis à lactis textura & crasi; nam hoc in butyrum, serum & caseum facile fatiscit atque acescit, sanguis vero mora in fœtidam abit putrilaginem, neque unquam butyrum aut caseum præbet.

§. IV.

Licet sanguis non sit proxima lactis materia, ejus tamen gelatinosam & pinguem partem ad lactis generationem multum conferre, vero videtur proximum.

Scholion.

Singularem indaginem meretur; quod nutrices febribus detentæ à cibo abstinentes, nihilo minus lac in mammis copiosum subinde generent, quod citra noxam infantibus offertur; videtur hoc suam originem habere ex colliquata per calorem pinguedine, quæ cum potu tenui mixta, lacteum succum ingenerat.

§. V.

Neque tenuissimum, quod per cerebri canaliculos & nervos vehitur fluidum, à consortio & mixtione lactis alienum est.

Scholion.

Hoc subtile fluidum videtur & excrementitiis & alimentariis corporis succis admixtum esse, quorum copiosa excretione vires amitti in propatulo. Et longe quoque salubrius lac esse, quod mox ex mammis emulctum sumitur, quam si illud frigidum redditum rursus calefactum fuerit, certissimum est. Notum quoque est, à vehementi animi affectu, terrore, ira, lac insaluberrimum reddi, ita, ut epilepsiam, vel ventris tormina, in tenellis infantibus suscitet. Animam autem agere immediate in fluidum nerveum, idque inordinate movere, nulla ratione negari potest.

§. VI.

Mammæ, quæ ex copiosis glandulis, medium potissimum locum occupantibus, & ductibus lactiferis compositæ sunt, genuinum lactis colatorium constituunt.

§. VII.

In gravidis & lactantibus mammarum increscit magnitudo, quæ in virginibus & ante pubertatem minima est.

Scholion.

Mammarum, quæ ex glandulosis globis pinguedinosis, arteriis, venis & ductibus lactiferis constant, magnitudo à copiosioris sanguinis & succi chylosi affluxu, adeoque à tubulorum & vasculorum distensione, maxime dependet, unde abundantiori facto sanguine, quod fit post pubertatem, vel cessante mensium fluxu in gravidis & lactantibus, turgidiores quoque mammæ fiunt. Observamus quoque macilentiores & quæ vasa capaciora habent fœminas, mammas majores & copiosiorem lactis proventum habere, quam pingues atque exilibus vasis donatas.

§. VIII.

Neque tono & motu elastico destituuntur mammæ, ita ut & dilatari & contrahi possint.

Scholion.

Gaudent enim & glandulæ & lactiferi ductus tunicis nervosis fibrosis & sensibilibus, quarum motus est dilatationis & constrictionis. A frigore itaque, a terrore, cum ductus mammarii constringuntur, parcius lac affluit; frictionibus vero cum oleo factis, calidis & temperantibus, sedativis, quia tonus constrictus relaxatur, lac rursus copiosum reddi potest. Peti hinc quoque potest ratio; quare medicamenta sale volatili, acri, aromatico imbuta; in calidioribus & macilentis, lactis incrementum plus impediant, quam promoveant.

§. IX.

Lac difficulter profluit, sed suctione elicitur.

Scholion.

Nam tubuli lactei, ex folliculis glandulosis prodeuntes, variis ramulis & anastomosibus coëunt; illique modo expansi, modo coarctati, cellularum instar lac custodiunt, qui circa papillam in fistulas angustiores & exigua ostiola desinunt, ut exitus prohibeatur.

§. X.

Lac primum & optimum tenellorum est nutrimentum, quia in iis ventriculus valde adhuc est debilis, & salivæ, nec non bilis, tanquam liquorum solventium, atque etiam caloris digestorii ea est inertia, ut alimenta in chylosum succum minus possit dissolvere.

Scholion.

Ex hisce petenda est ratio, quare lactis potus phthisicis & imbecillis corporibus, in quibus vis digestrix & dissolutrix ventriculi languida est, saluberrima & ad reficiendas vires admodum opportuna sit medicina.

§. XI.

Cum itaque lactis materiam constituat chylus, ejus autem bona, vel mala indoles, ab assumtis & digestis alimentis & à salutaribus excretionibus, quæ chylum & sanguinem depurant, dependeat, satis apparet, ad laudabile lac pro nutrimento infantis generandum, opus esse, ut ad ingesta & excreta nutricis maxime respiciamus.

Scholion.

Attenta edocet experientia, nutritionem & sanitatem infantis à lactis materni bonitate maxima ex parte dependere. Quare, si nutrices varia incongrua devorant, corpus non motu exercent, & imminutas excretiones habent, vel animi affectionibus obnoxiæ sunt, graves statim noxas tenelli infantes experiuntur.

§ XII.

Lac mutuatur suam naturam ab alimentis ipsius nutricis: unde ex horum indole ac conditione, lactis conditio dijudicari potest.

Scholion.

Multum refert ad lactantium infantum sanitatem conservandam, ut lactis conditionem perspectam habeamus; id vero variis modis explorari potest, I.) evaporatione, II.) pondere, quod optime exploratur instrumento statico, quo specificam gravitatem cerevisiæ, vel aquæ salsæ cognoscimus, III.) affusione spiritus vini rectificatissimi; hac enim ratione, proportio solidi, crassi & terrestris elementi, neque minus fluidi, perspicitur. IV.) Butyrosa ejus substantia apparet, si per viginti quatuor horas in locum tepidum seponitur.

§. XIII.

Quoniam nutricum lac valde differt, & corpora quoque infantilia, eorumque constitutio ac vires, multum inter se ratione teneritudinis, & imbecillitatis dissident; hinc facile colligitur, non omne lac singulis infantibus convenire, ita prorsus, ut quod alii ferre possunt, ab eo alii lædantur.

Scholion.

Sicut enim & copia, & facultates, alimentorum ad corporum

porum vires æstimare, secundum sapientissimum *Hippocratis* monitum *L. de prisca medicina*, semper convenit: ita teneriores infantes à lacte crassiori, ejusque copia valde lædi, animadvertimus, siquidem exiliora eorum vasa facile obstruuntur, & ab ejus crassitie subtilior tunica villosa intestinorum obducitur, ut atrophiæ & flatulentiæ primarum viarum inde sequantur. Huc accedit, quod lac crassius in coagulum facile secedat, & diuturniori mora corruptum, corrosivum evadat, quo postea facile tormina & convulsiones concitantur.

§. XIV.

Cum major & deterior noxa à lacte crassiori, quàm à tenui metuenda sit, consultius semper est, nutricibus ejusmodi alimenta præbere, quæ lacteum humorem satis tenuem, fluxilem, ac dulcem generant.

Scholion.

Pessimus est mos & falsa vulgaris persuasio, optimum & sanitati infantis conveniens lac generari, si nutricibus alimenta substantifica, ex carne, ovis, farinaceis parata administrentur, ratio potius ex perversa hac diæta deducenda est, cur divitum liberi frequentius & facilius ægrotent & moriantur, quam pauperum. Semper itaque tutius est, primis mensibus lac tenue infantibus præbere: successive vero, & circa exitum anni primi, crassius & plus alimenti continens, minori periculo offerri potest.

PHILO-

PHILOSOPHIÆ CORPORIS HUMANI

LIBRI PRIMI,

SECTIO III.

De actionibus, animalibus, fluidi tenuiſſimi in cerebro ſecretione ejuſque uſu, atque animæ potentia in corpus, nec non ſenſuum exercitio.

CAPUT I.

De ſecretione tenuiſſimi in cerebro & nervis fluidi.

§. I.

IN cerebro fluidum ſecernitur, & mediante duræ matris tono ac motu ſyſtaltico, placide & æquabiliter tubulos corticales & medullares comprimente, ad medullam oblongatam, ac inde per nervos ad partes fertur, ut motum, ſenſum & nutritionem præſtet ac perficiat.

Scholion.

Neque enim ullus alius cerebro uſus, niſi ſecretorius aſſignari poteſt, quem tota ejus fabrica ac vaſorum apparatus ſatis abundeque oſtendit. Niſi etiam per cerebri ſubſtantiam liquidum progrederetur, periculum foret, ne in corruptionem abiret, quia vix quicquam, niſi ſolus motus ac progreſſus fluidorum, univerſi corporis partes à præſentanea corruptione defendit. Cujus vero proprietatis & indolis ſit id, quod ibi ſecernitur liquidum, de eo variæ ſunt auctorum ſententiæ. Veteres, quibus fluidorum & ſubtiliſſimorum corporum natura, agendi & movendi vis atque potentia ignota fuit, hoc ſpiritum appellarunt, & quidem animalem, quia anima hoc tanquam inſtrumento ad functiones ſuas exercendas utitur. Complures ex recentioribus hoc fluidum aëreo-æthereæ, lucidæ ac igneæ elementaris naturæ eſſe volunt. At, qui lucis, ignis, aëris & ætheris proprietates perſpectas habet, is quam facile judicabit, ejuſmodi fluidum à ſanguine per canales, utut tenuiſſimos, neque ſeparari, neque iis contineri poſſe.

§. II.

Duplex in fluido cerebri & nervorum admittenda eſt ſubſtantia, altera omnium tenuiſſima, ad motum celerrimum & varium recipiendum atque propagandum apta, altera craſſior, quæ magis humida atque illius vehiculum eſt.

Scholion.

Liquores magnæ agilitatis, qui ſpiritus à chymicis vocantur, ex tenuiſſimis, exiliſſimis vaporibus & qui celerrime in auras avolant, compoſiti, ſub phlegmate, tanquam involucro detinentur, inde fit, ut in ſpirituum mineralium præparatione, receptaculis parum aquæ indatur, quo vapores tortura ignis ex iis expreſſi, commodius in hac recipi & cuſtodiri poſſint. Similem quoque in modum tenuiſſimum ac ſpirituoſum cerebri fluidum in lymphatici humoris ſinu ſervatur.

§. III.

Fluidi tenuiſſimi ſecretorium eſt cerebri cinericea, corticalis & mere vaſculoſa compages.

Scholion.

Cerebrum jam tum olim *Hippocrates* glandulam agnoſcebat. Ex recentioribus *Malpighius* glanduloſum corticem ejus pronunciabat, ibique ſeparari tenue quoddam liquidum affirmabat. *Ruyſchius* autem *in theſauro anatomico* pulcherrimis injectionibus ad oculum demonſtravit, corticem cerebri non glanduloſum, ſed ex minimis vaſculis compoſitum eſſe, quia ater liquidi injecti color intime hunc ipſum tingit, quod etiam nobis in nuperrima anatome viſum eſt, ubi tenuis rubicundus liquor, per carotides injectus, pluribus in locis in corticem cerebri penetravit.

§. IV.

Stupenda vaſculorum, quibus cortex cerebri conſtat, anguſtia, clare docet, liquidum ſumme ſubtile, remanente craſſiori parte, ibi deponi atque ſecerni.

Scholion.

Per canales, qui ſunt amplioris diametri, liquidum non modo ſubtilius, ſed & craſſius tranſit; ubi vero ſumma canalium eſt anguſtia, nihil, niſi quod eorum diametro reſpondeat, tranſmitti poteſt. Neutiquam hinc mirandum eſt, ſi chylus multis excrementitiis & impuris particulis adhuc ſcatens & recens ſanguini affuſus atque ad caput delatus, tantummodo delibatiſſimam & ſubtiliſſimam ex alimentis portionem, non vero craſſas atque impuras aqueas partes ibi deponat.

§. V.

Materia fluidi, quod in cerebro ſeparatur, eſt ſpirituoſa & ſubtilior chyli, lymphæ & ſanguinis pars.

Scholion.

Certum eſt, neque negari poteſt, mox à paſtu, maxime vero ab alimentis roborantibus, e. g. pane, vino & aromatibus, protinus hominem refici, & corpus inde vigorem, & partes robur accipere, cum contra inedia corporis æque, ac animi vires, deficere incipiant.

Ani-

Animadvertimus quoque, à vaporibus graveolentibus, & inprimis narcoticis, languorem & ſtuporem menti ac corpori induci. Ergo neceſſe eſt, ſeparari quippiam ex alimentorum perinde ac medicamentorum teneriori ſubſtantia in cerebro, quod ſenſum, motum partiumque robur faciat, augeat, vel etiam imminuat.

§. VI.

Tertia fere pars ſanguinis cum chylo & lympha permixti tranſituque per pulmonum vaſculoſam fabricam prius inter ſe probe comminuti & ſubacti, ex ſiniſtro cordis ſinu, per arterioſa vaſa, ad cerebrum defertur.

Scholion.

Conſideratione omnino dignum eſt, quod ſanguis in dextro ventriculo, affluxu lymphæ & chyli de novo quaſi animatus, & in pulmonum canaliculoſa ſubſtantia prius comminutus, in ingenti ſatis copia, breviſſima via, & antequam contingat alias partes, per carotides & vertebrales arterias, mirifice inter ſe anaſtomoſibus junctas, protinus ad cerebrum propellatur; certe non alio fine, quam ut tenuiſſima & ſpirituoſa chyli cum ſanguine confermentati pars ibi in peculiarem uſum ſeparetur.

§. VII.

Tardior etiam ſanguinis per vaſa cerebri progreſſus multum ad ſecretionem lymphæ ſpirituoſæ fluidiſſimæ confert.

Scholion.

Validus quidem ſanguinis ad cerebrum, ob validiorem in propinquo cordis ſyſtolen, per carotides eſt impetus: nihilo minus plura ſunt, quæ eundem minuunt, infringunt atque retardant. Facit huc arteriæ magnæ, ubi è ſiniſtro cordis ventriculo egreditur, incurvatus arcus, qui propter obliquam reſiſtentiam propulſi cruoris impetum multum frangit. Deinceps curvatura carotidum, quæ obſervatur, dum per quartum foramen, ſub oſſe petroſo, in canali oſſi ſphænoideo inſculpto cranii cavum ingrediuntur & ſub dura matre prorepunt, appulſum impetuoſum refrænat. Idem præſtant variæ illæ complicationes, innumeræ diviſiones in minutiſſimos ramos & anfractuoſus tractus vaſorum, eo quod in ſingulis curvaturis & flexionibus angulus incidentiæ mutatur & nova oritur reſiſtentia. Accedit arteriarum, tam carotidum, quam vertebralium, utrarumque, æque ac ambarum, inter ſeſe connexio & mutua inoſculatio, qua ſanguis oppoſitis velut niſibus ſibi occurrit & unus impetus alterum infringit. Maxime omnium vero ad placidum ſanguinis per cerebrum progreſſum confert, quod arteriæ tum vertebrales, tum carotides, ſimul ac cranium ſubeunt, validam ſuam tendineam tunicam, cui vis ſyſtaltica elaſtica ineſt, deponant & venarum ſimiles quaſi fiant. Hæc ergo lentior ſanguinis per cerebri, & arterioſos, & venoſos, canales ac ſinus progreſſio, admodum velificatur ſecretioni ſubtiliſſimæ & ſpirituoſæ lymphæ, idque legibus naturæ microcoſmicæ admodum eſt conforme, quum in iis partibus in quibus tardius procedit ſanguinis iter, ut in meſenterio, hepate, ipſis quoque pedibus, notabilis humorum, per vaſa, præſertim lymphatica, obſervetur ſeceſſio.

§. VIII.

Separari liquidum in cerebri cortice, idque per medullarem ſubſtantiam ferri, plura ſunt, quæ confirmant.

Scholion.

Quandocunque conſideramus arteriolarum tomentoſum quaſi habitum, imperſcrutabili contextu corticem cerebri componentium, deinde arterioſi cruoris, ex pulmonibus egredientis, parte ſubtiliori lymphæ & chyli imbuti, copiam, validiori cordis vi ad cerebrum appulſum, porro ſi perpendimus, aſſidua illa, ordinata ac proportionata ſtaminum cerebri, à primo vitæ puncto, ad ultimum ipſius terminum, incrementa atque propagines, & quod lympha in cerebro contenta citiſſime exhalet, neque ad ignem concreſcat, facile apparebit, cerebri & cerebelli canaliculos eſſe debere tenuiſſimos, pervios, quod etiam *Levvenheuck*, ſe per vitra optica vidiſſe, *in epiſt.* 36. teſtatur, & qui ſubtiliſſimum corporis humorem excipiant, qui in cortice ſecretus, in minimas medullæ fiſtulas impulſus inque medulla oblongata & ſpinali collectus, undiquaque ad omnes corporis partes deferatur.

§. IX.

Non minimam, ſed inſignem eſſe liquidi, quod in cerebro ſeparatur copiam, partim ex hujus, nec non cerebelli & medullæ ſpinalis mole nervorumque copia, partim etiam ex ſanguinis appulſu, qui ad hæc loca fertur, dijudicare poſſumus.

Scholion.

Cerebri moles in homine major eſt, quam in robuſtiſſimo bove; & non raro libras quatuor ponderat, & medulla, quæ in ſpina dorſi continetur, nil niſi corticalis & medullaris cerebelli portio continuata eſt, ita tamen conſtructa, ut corticalis interior, medullaris vero exterior ſit, & quia ex hac tam numeroſa nervorum paria prodeunt, nullum eſt dubium, quin etiam in hac ingens tenuiſſimi fluidi copia ſeparetur.

§. X.

Fluidum in cortice cerebri ſeparatum, in medulla oblongata, quæ nervorum radix eſt, colligitur, & ad ſenſoria & alias partes, pro motu & ſenſu efficiendo, transfertur.

Scholion.

In cerebro novem paria ex medulla oblongata, quæ baſis & inferior pars cerebri compactior eſt, prodeunt, ſiquidem nervi olfactorii & optici ab inferiori & anteriori crurum medullæ oblongatæ parte producuntur, ideoque error eſt, ex thalamis ſic dictis opticis viſui inſervientes nervos prodire. Tertium par, quod oculorum motui deſtinatum eſt, ab antica & ſuperna, quartum & quintum à media, ſextum à poſteriori proceſſus annularis parte enaſcitur. Septimum vero ex caudice medullari prope ſecundum cerebelli proceſſum emergit. Octavum ex corporibus pyramidalibus, nonum ex olivaribus, incunabula trahere conſpicitur. Reliqua tria, quæ paria nervorum cerebri à quibuſdam venditantur, ex vertebris potius colli, ad ejus motum ſuſtinendum, prodeunt.

§. XI.

Quod liquidum nervos ingrediatur, & per eos ad muſculos pro motu efficiendo feratur, evidenti experimento evinci poteſt.

Scholion.

Quandocunque canis viventis ſternum & anterior diaphragmatis portio caute à ſe invicem ſeparantur, ita, ut nervi phrenici nil detrimenti capiant, & alteruter horum paulo ſuperius, antequam diaphragmati ſe inſerit, digitis comprimatur, tum paulo poſt moveri deſinet diaphragma, & ſi pars nervi inter diaphragma & comprimentes digitos, alterius adſtantis digitis per totum ſuum ductum ad inſertionem uſque comprimatur, ut poſſit exprimi, ſi quis ſupereſt è nervo ſuccus, & diaphragmati immitti, tum rurſus in motum redibit diaphragma, eumque ſervabit per aliquod tempus, alterne ſe contrahendo, & quando hoc peracto, amoventur per pauxillum temporis à nervi contactu digiti, & poſtea rurſus admoventur & in compreſſionem adducuntur, ceſſabit à motu diaphragma, donec pars

nervi

nervi inferius intercepta, altera manu admota, successive exinaniatur versus diaphragma, tumque rursus in motum deducetur ille musculus, eademque omnia sæpius eveniunt.

§. XII.

Medulla oblongata est omnium partium in toto corpore, si à corde discedamus, princeps & præcipua.

Scholion.

In hac enim fluidum in cerebro secretum colligitur inque nervos, sensum ac motum partibus conciliando, infunditur. Qua ex causa, vel minima etiam ejus læsio, compressio, aut dilaceratio, lethalis habetur, ut videmus in apoplecticis & graviori ac violenta capitis læsione, ubi sanguis extravasatus hanc partem si comprimit, subito mortem infert. Et notabile est, quod nulla cerebri vulnera, si modo stagnantibus humoribus exitus mature possit concedi, in se sint lethalia, quod ingens clavus, salva vita, per caput & cerebrum canis, modo non sinus cerebri vel medulla oblongata tangatur, transfigi possit.

§. XIII.

Nervi sunt fasciculi plurimorum pellucidorum & tensilium filamentorum, quorum latera interventu membranarum inter se invicem uniuntur.

§. XIV.

Nervos esse fasciculum canaliculorum, qui, intus cavi, liquidum vehunt, non facile affirmaverim. Sed tamen tenuissimum quoddam liquidum nervea stamina, à cerebro usque ad extremas partes & ubique per eorum poros, comitari ac perfundere, utique recte infertur.

Scholion.

Qui liquidi in nerveis existentiam ejusque influxum in partes negant, vel in dubium vocant, hisce argumentis utuntur: primo, quod dissectis nervis, neque ulla cavitas, neque manifesta humiditas, appareat, deinde, quod ligato nervo, non fiat inter ligaturam & cerebrum turgescentia. At vero, qui considerant, in plantarum radicibus inque ramis & foliis arborum dissectis, identidem nec ullum ad sensum succum exstillare, nec cavitatem conspici, nec etiam ligatura constricta hæc intumescere, quum tamen liquidum nutritioni & incremento serviens, per has partes ferri certum sit: is facile hujus argumenti debilitatem animadvertet. Nervos autem à ligatura non turgescere, hæc maxime est ratio, quod ipsi ex fasciculo filamentorum tenuissimorum, quorum singula subtili membrana & poris prædita sunt, & innumerabilibus ramificationibus constent: hinc facile liquidum compressum per latera in alias vicinas partes influit. Nervos vero multis poris pervios esse, vel ex hoc unico dijudicandum est, quod portio nervi cruralis abscissa, & per aliquot dies in aqua pluviali macerata, in triplo majorem excrescat magnitudinem.

§. XV.

Dura mater, motu dilatationis atque constrictionis, in cerebro, fluidi tenuissimi separationem sanguinisque progressum egregie adjuvat.

Scholion.

Mater dura refluum per venas ex arteriis piæ matris inque sinus suos receptum sanguinem reducit ad cor, & motu leniori tonico adjuvante, quo placide succussat cerebrum, liquidi nervei motum & secretionem simul promovet. Considerandus hunc in finem est peculiaris fibrarum nervearum, membranacearum & musculosarum, ex quibus componitur, apparatus, situs atque structura, siquidem situm rectum atque obliquum, non secus ac in vesica urinaria, nactæ sunt; præterquam quod circa sinus duos laterales, magis arcuatæ & circulares deprehendantur. Neque minus fibræ nerveo-carneæ, instar columnarum & lacertorum cordis, ab uno pariete transversim, in tribus majoribus sinibus dissectis, ad alterum abeunt, ibique cellulæ rotundæ atque ovales, secundum seriem vasorum. sinus ingredientium, dispositæ conspiciuntur. Fibræ hæ impediunt, quo minus ab irruente sanguine arterioso sinus plus justo dilatentur, & dum successive sese contrahunt, sanguinis progressum promtiorem efficiunt. Ipsæ vero columnæ faciunt, ut sanguis ibi magis conquassetur, & cellulæ sunt quasi valvulæ & obices, ne semel elapsus sanguis ex sinibus, in vasa eadem rursus pellatur. Quemadmodum vero omnes membranæ, ex vario situ, ductu & ordine fibrarum compositæ & sanguine arterioso & fluido per nervos subtiliori perfusæ, non magis tonum ac robur, quam successivum quendam contractionis & dilatationis motum exercent: ita etiam nullum dubium, quin dura mater non nudum cerebri involucrum, sed machina compressoria, elastica sit, cujus ordinatis systoles ac diastoles ictibus fluidum cerebri in nervorum tubulos imprimitur, & ad universi corporis partes propellitur. Nam quandocunque hæc membrana à sanguine arterioso & à pulsu arteriarum cerebrique elevatione expanditur, fit, ut tubuli cerebri nervorumque pori magis aperti, separando & recipiendo fluido fiant aptiores, remittente vero dilatatione, hæc membrana, fibrarum suarum forti elatere, sese constringit, fluidumque ex cerebri cortice in ejus medullam principiaque nervorum trudit.

§. XVI.

Pro hujus itaque membranæ elasticæ varia constitutione, robore, constrictione, laxitate, aut atonia, motus ejus systoles ac diastoles differt, unde etiam fluidum nerveum cum majori, vel minori celeritatis gradu ad partes movetur: indeque peculiares in hominibus ad sensum ac motum differentes effectus & affectiones dependent.

Scholion.

Igitur à differente & præternaturali hujus elasticæ membranæ motu atque affectione, indeque pendente multum discrepante secretione & influxu liquidi in nervos, nec non sanguinis per cerebrum circuitu, recte utique graviissimorum capitis morborum, huc usque fere incognita generatio, deduci potest. Quod si enim hæc membrana atonia laborat insigni, sanguis hinc tardius progreditur simulque per arteriolarum poros transudat humiditas nimia in medullarem substantiam, affectus nascuntur soporosi. Vicissim quando dura mater longius & validius spasmo detinetur, liber etiam sanguinis progressus intercipitur, & substantia medullaris compressa, fluidi ex tubulis cerebri nihil admittit, neque illud ad sensoria distribuit, unde omnium sensuum privatio & apoplexia emergit levior, gravior, quando disrupta vasa humorem effundunt, & quidem vel sanguineum, ut in sanguinea, vel serosum, ut in serosa. Ubi demum vehementiori & celeriori constrictorio & dilatatorio reciproco motu agitatur hoc cerebri involucrum, intenditur sanguinis motus, augetur secretio & liquidum magno impetu fertur ad nervos ac inde ad universum corpus, quo epilepsia suscitatur, quæ idem in systemate nervosarum partium, quod febris in systemate vasorum.

§. XVII.

Ex medulla spinæ osseæ inclusa, quæ nonnisi cerebelli elongatio & pia æque ac dura mater, vasis tam arteriosis, quam venosis dotatis, investitur, eodem modo ac ex cerebro & oblongata medulla prodeunt nervi; hinc nullum utique dubium, quin duræ matris

membrana, heic eodem conſtrictionis & dilatationis motu eademque functione gaudeat.

Scholion.

Morbi quorum ſedes in ſpinali medulla à Medicis adhuc non ſatis cogniti ſunt atque perſpecti; ego vero omnium motuum febrilium initium ac fundamentum ibi conſtituendum eſſe cenſeo. Nulla enim febris ſine univerſali quadam ſpaſtica tunicarum & fibrarum nervearum oritur conſtrictione, quæ meo quidem judicio, ex ſpaſmo membranarum, quæ medullam in ſpina cingunt, naſcitur, prout latius peculiari *diſſertatione de vera motuum febrilium indole ac ſede*, deduxi. A validiori autem & crebrius repetito ſyſtaltico & diaſtaltico membranæ hujus motu, motiones artuum convulſivæ, & à nimia ipſius reſolutione, paralyſes, ortum trahunt.

§. XVIII.

Fluidum nervorum, quum ex partibus admodum tenuibus, flexilibus & mobiliſſimis compoſitum, à globulis æthereis, ſolari calore vigoratis, quibus innatat, omnes in partes agitari poſſit: facile ſequitur, partim id ſanguini & lymphæ reaffundi, partim etiam inſenſibiliter perſpirare.

Scholion.

Sicut fluida corporis continuo accreſcunt & decreſcunt inque perpetua circulatione ac motu ſunt: ita nil dubii, quin nervorum fluidum, ex parte cum ſanguine & lympha rurſus mixtum per circulum transferatur, partim etiam per excretiones abeat, unde fit, ut nimiæ excretiones admodum debilitent. Ingentem vero hujus fluidi copiam lymphæ & ſalivali latici admiſceri, ex eo colligendum eſt, quod omnis generis glandulas inſignes nervorum rami ingrediuntur.

§. XIX.

Nervorum in univerſo corpore datur continuitas, unde ingens ratione motuum per eos datur conſenſio & conſpiratio, quæ in vicinis ramis maxima eſt.

Scholion.

In pathologicis ad mirabilium ſymptomatum rationes explicandas utique neceſſe eſt, nervorum per univerſum corpus ſtructuram, texturam ac propagationem noſſe, niſi mire in cauſis reddendis hallucinari vel nomina ac fictiones tantummodo afferre velimus. Conferatur noſtra *diſſert. de conſenſu partium*, item *Baglivus* in elegantiſſimo libro *de fibra motrice*, nec non *Vieuſſen in Nevrologia*, qui nervorum propagationem in corpore humano omnium optime deſcripſit. Cæterum nevrologia in corpore hydrope demortuo omnium optime demonſtratur.

CAPUT II.

De uſu fluidi cerebri ac nervorum.

§. I.

IN cerebri cortice ex ſubtiliſſima & temperata ſanguinis ac lymphæ portione ſecretum liquidum ac fluidum, & per nervos, interventu pororum, ad membranas & fibras elaſticas delatum, tam ad ſenſationes motuſque voluntarios & involuntarios, quam ad nutritionem quoque plurimum confert.

§. II.

Nervo ad partem abeunte ligato, corrupto, vel abſciſſo, ipſa pars non tantum motu & ſenſu, ſed & debita nutritione privatur.

Scholion.

Crebriori in chirurgicis experientia perſpectum nobis eſt, ſi ſphaceloſa corruptio uſque in nervum quendam penetrat, quod fit non raro in peſſimis ſcorbuticorum ulceribus, ipſam putredinem lentius continenter per tendines graſſari, nec prius ſiſti, niſi ad partes & tendines accedat, qui ab illibato alio nervo vigorem ac robur accipiunt. Spinalis medulla læſa, vel diffracta ſi fuerit, partes infra læſionem omni ſenſu, tono, vigore ac laudabili nutritione privantur, adeo, ut à levi externa læſione promtiſſimus in ſphacelum tranſitus ſit. Membra paralytica, vel tabe, vel præternaturali tumore infeſtantur: certo indicio, nec partium conſervationem, nec earum nutritionem ac debitam functionem, ſine nervorum integritate, ſine eorum fluidi ſufficienti affluxu, perſiſtere poſſe.

§. III.

Neque vero nervi materiam & ſuccum nutritium vehunt ac ſubminiſtrant.

Scholion.

Fuit hæc ſuperiori tempore nonnullorum in Anglia medicorum ſententia, quod nutritionem, vitio laborantibus nervis, admodum lædi animadvertebant. Utut vero nervi non materiam nutritionis præbeant, attamen ad eam recte perficiendam multum utique nervorum integritas confert, quia advecto ſubtiliſſimo fluido, fibræ parteſque ſolidæ robur vigorem ac tonum accipiunt, quo nutritius ſuccus ad intima fibrarum melius penetrare, apponi & purum ab impuro ac ſolidum à liquido rectius ſecedere poſſit. Demum, ſuccus, quem vehunt nervi, & propter ſummam ſubtilitatem, & propter parciorem quantitatem, minus idoneus eſt partium auctioni & ad materiam tam copioſam, quæ continuo exhalat & excernitur, reſarciendam. Neque fluidum, quod per nervos vehitur, ad ipſorum nutritionem quicquam confert, eo, quod eorum, ut aliarum partium nutritio, identidem ſanguine arteriis advecto perficitur.

§. IV.

Nervorum fluidum motuum, tam voluntariorum animalium, quam naturalium involuntariorum, ſive mechanicorum, prima & præcipua eſt cauſa.

Scholion.

Primus fuit *Williſius*, qui motus voluntarios à cerebro, involuntarios autem & automaticos, quibus maxime integritas & vita corporis efficitur, à cerebello venire notavit. Nota etiam ſunt *Bohnii* & *Perraultii* experimenta, quibus docemur, cerebrum totum fere ex canis cranio fruſtulatim eximi poſſe, ſalva tamen vita & cordis ſuccuſſione, exemto autem cerebello, integro quantumvis manente cerebro, illico vitam tolli. Is autem nobis dicitur mechanicus motus, qui ex abſoluta quadam neceſſitate, ordinariis motuum legibus, à cauſis mere corporeis proficiſcitur, quem pro lubitu nec ſiſtere, nec impedire nec ſuſcitare, nec augere poſſumus. Motus autem animalis à cauſis identidem corporeis perficitur, quia tamen anima pro arbitrio & imperio eas dirigere poteſt, voluntarius ac animalis vocatur.

§. V.

Organa motuum voluntariorum ſunt muſculi, ex fibris cylindraceis mollioribus ac poroſis, in faſciculum collectis, conſtructi: motuum autem mechanicorum inſtrumenta ſunt tunicæ nerveæ & muſculoſæ, ſeu carneæ, ex fibris maxime annularibus compoſitæ.

Scholion.

Fibræ carneæ, ſive motrices, vel rectilineum, vel tranſverſum ſitum habent, illæ longitudinales, hæ annulares

nulares vocantur. Ex duplici hoc ordine canales membranacei, qui fluida vehunt ac propellunt, compositi, motu constrictionis & dilatationis, sive systoles ac diastoles, instructi sunt, quorsum omnis generis vasa, arteriosa, lymphatica, inprimis venosos duræ matris sinus, ventriculum cum œsophago & intestinis, canales qui bilem vehunt, tubulos renum urinosos, cum uretheribus & vesica, neque minus glandularum & viscerum minimos ductus, referimus. Harum autem partium motus voluntati humanæ subjicere sapientissimus opifex, qui solus vitæ nostræ est dispensator, noluit. Nam si directam & plenam dispositionem horum motuum anima habuisset, ut pro lubitu eorum organa regere potuisset, propter innatum vivendi amorem, ipsum quoque vitæ terminum pro arbitrio disponere & prorogare potuisset.

§. VI.

Sphincteres & valvulæ, quæ ex fibrarum annularium copioso strato sunt compositæ, motibus mechanicis maxime patent.

Scholion.

Sphincteres, qui pluribus canalibus præsunt, ex copioso strato fibrarum annularium compositi sunt: ejusdem structuræ etiam solent esse valvulæ. Tales sphincteres, quibus inest magna constringendi & propellendi potentia, in sinistro & dextro ventriculi orificiis, in ano, orificio vesicæ urinariæ, nec non interno uteri ostio sunt conspicui; orificium quoque ductus cholodochi, item pancreatici, ubi duodeno inseritur, fibroso ejusmodi sphincteré munitum est. Et valvulæ, inprimis ea, quæ colli initio apponitur, ex copiosis & conspicuis carneis circularibus motricibus fibris constant.

§. VII.

Quia magna potentia motrix constrictoria ejusmodi sphincteribus & orificiis ductuum inest; in excretionibus utique sistendis & promovendis multum valent.

Scholion.

Quando spasmus ventriculi orificia constringit, vapores & flatus, ob denegatum exitum, molestam & anxiam ejus inflationem causantur. Orificium ductus cholodochi spasmis constrictum, bile regurgitante, icteritiam parit. Violenta & celerior pylori & valvulæ coli systole & diastole crebræ alvi dejectionis causa est; fortissima vero constrictio pylori cum ventriculi parte inferiori, nimiaque orificii sinistri dilatatio, vomitus procreatrix est; validior orificii interni uteri spasmus, vel ejus magna atonia, causa ut plurimum sterilitatis est. Spasmus sphincterem vesicæ cum urethra afficiens, parit dysuriam. Ani sphincter validissime una cum intestino recto constrictus flatuum & fecum descensum non modo moratur, sed & stagnationi sanguinis, adeoque cæcis hæmorrhoidibus generandis, occasionem subministrat. Neque dubium est, quin medicamenta, præsertim magnæ activitatis, ut emetica, mercurialia, purgantia, in ejusmodi machinulas activas motrices vim suam ac operationem potissimum exerceant. Quo magis instar axiomatis tenendum est, has partes, quæ fibris robustis, elasticis, copiosis, in circulum ductis donatæ sunt, præ aliis à venenis, ab animi affectibus, à morborum causis, & à validioribus quoque remediis, vehementius pati atque affici.

§. VIII.

Omne robur ac potentia motrix, quæ musculosis partibus insidet, partim ab ipsa structura fibrarum, partim à fluidis, nerveo videlicet & sanguineo, influentibus, quæ eas animant, dependet.

§. IX.

Certum est, si nervorum liquidum, vel etiam sanguinis, ad musculosas partes affluxus quocunque modo intercipiatur, earum motum, tonum, resistentiam perire, ac atoniam, sive debilem fibrarum resistentiam, produci.

Scholion.

Nusquam igitur musculus conspicitur, qui non sanguine & liquido nerveo perfundatur, neque unquam in corpore canalis vel ductus observatur, qui præter tunicam carneam, non simul etiam nervosa cinctus sit; in quam etiam ordinario sanguinea vascula nervorumque rami inferi solent.

§. X.

Quo copiosior itaque & intensior fluidi nervei & sanguinis ad partes, quæ motibus inserviunt, est affluxus, eo majori quoque robore & potentia movendi pollent.

Scholion.

Quare videmus, corpora vasis amplioribus & nervis eximioribus instructa, plus roboris & fortitudinis habere iis, quæ vasa exiliora & nervos subtiliores habent, quæ ordinario naturæ sunt imbecillioris.

§. XI.

Neque vero tantum copia succi nervei & sanguinis ad robur & vires solidorum sufficit, sed simul etiam singularis solidarum fibrarum textura requiritur.

Scholion.

Rustici magno robore pollent & summas vires in sustinendis laboribus habent, licet alimentis fruantur simplicibus & qui paucos spiritus ingenerant. Ii vero, qui lautiori cibo ac vino utuntur, subinde imbecilles observantur.

§. XII.

Certa & indubitata experientia confirmat, quod illa animantia iique homines, qui fibras valde compactas, tensas, duras & elasticas habent, plus roboris obtineant, præ iis, quibus fibræ sunt teneriores, subtiliores & laxiores.

Scholion.

Qui leones & alia fortissima animalia dissecarunt, in eorum fibris peculiarem strictúram & soliditatem, ut non facile disrumpi possent, observarunt. Veterum Romanorum & Græcorum athletæ immenso robore pollentes, cibis levioribus & simplicioribus contenti, admodum robustas fibras habebant, quas assidua exercitatione acquirebant. Et observamus quoque in mechanicis, quod funes ex cannabe confecti plus resistentiæ habeant iis, qui ex serico vel lana parati sunt. Ergo vis ingens, in obeundis motibus necessaria, non modo à fluidis, sed & a solidis eorumque varia dispositione & structura dependet.

§. XIII.

Observamus, partes eas multum ratione roboris pollere & magnam resistentiam vincere posse, quæ ex robustis & copiosis ac durioribus fibris compactæ sunt, uti videmus in corde & arteriis.

§. XIV.

Gaudent universi corporis fibræ duplici motu, systaltico, sive contractorio & diastaltico, sive expansivo, cujus beneficio circularis fluidorum progressus atque impulsus & inde dependentes secretiones & excretiones peraguntur.

Scholion.

Simplicissima hæc motus species partium solidarum rectissime vitalis dici meretur, quia hac cessante, protinus fluida stagnant & corrumpuntur, & hac recte se habente, fluidorum circulus recte & ordinate fit. Neque enim solum cor, cujus vis movendi determinata ac

limitata eſt, tantum impetum ſanguini imprimere poteſt, quantus requiritur ad ſuperandas tot reſiſtentias partium, per quas perpetuo fluit refluitque, ſed fibræ, ex quibus partes conſtant, quaſi infiniti multiplicati vectes, inſenſili ſuo ſyſtaltico motu, fluidorum curſum adjuvant, & quaſi in ſubſidium & levamen cordis factæ ſunt. Quod verum eſſe, manifeſtè oſtendit utilitas, quam ab aſſidua motione corporis & à quotidiana exercitatione percipimus, & contra ingens damnum, quod otioſa & ſedentaria vita experimur. Liquidum enim per continuas fibrarum muſcularium preſſiones impulſum, feliciter curſum per partes perpetuat & verſus cor magis magiſque urgetur, ut ab eo novum motum atque impetum ad vitam neceſſarium acquirat. Quæ preſſiones, cum in otioſis & ſedentariis vel deficiant, vel non ita vividæ ſint, neceſſe eſt, ut fluidum, quod ad contactum fibrarum circulat, tardiori motu progrediatur, atque hinc inde per fibrarum ſpatia hærendo, corpus ad cachexias tumoresque pedum diſponat, & inde alvi ſiccitates & conſuetarum evacuationum ſuppreſſiones ſuccedant.

§. XV.

Fluidum nerveum primum impulſum, ſive inſtinctum ad motum producit, vis vero ingens muſculorum, quæ in obeundis motibus eſt, partim ab elatere fibrarum, partim à ſanguinis copioſiore affluxu dependet.

Scholion.

Potentia muſculorum, quibus artus moventur, ita peragitur: anima dirigens nerveum fluidum majorem ejus efficit influxum, unde fibræ rectilineæ incurvatæ in angulos facile ducuntur, hinc partium fit contractio venarumque compreſſio, adeoque ſanguis paulo diutius in partibus conſtrictis moratur, nec tam cito refluit; remittente vero hujus liquidi preſſione atque affluxu, contractæ antea partes rurſus facile elongantur ſanguisque refluit.

§. XVI.

Utut fluidum nervorum non per canales influat, ſubtiliſſima tamen ejus ſubſtantia, qua intime & ubique nervi perfunduntur, eorum ſtamina ac filamenta ſatis valide movere, flectere atque agilia reddere poteſt.

§. XVII.

Notum ex ſtaticis eſt, vel minimam corporis vim accedentem, aut decedentem, motus facere, vel ſiſtere poſſe.

§. XIIX.

Ita videmus, infantem etiam, vel aliquot centenarios in machinis ſurſum tollere, atque etiam leve pondus in bilancibus conſtituta ingentis molis corpora deprimere & elevare poſſe, ſi illud adjicitur, vel demitur.

§. XIX.

Nervorum quoque & cerebri liquidum ad ſenſationes magni & ampliſſimi uſus eſt.

Scholion.

Dari in homine inque reliquis animantibus quoddam principium, quod varias motuum ſpecies, diverſis organis & ſenſoriis, ab objectis externis percipiat, extra omne dubium eſt, id vero mediante liquido nerveo operatur, quod ejus quaſi inſtrumentum eſt, in quod agunt objecta, & in quo etiam eorum actiones & motus percipiuntur: videntur vero actiones & motus objectorum in fluidum nervorum motu undulatorio, non ſecus ac radii luminis in undis æthereis, propagari & ad ſenſorium commune in cerebro deferri.

CAPUT III.

De ſenſibus eorumque ratione & indole.

§. I.

IN homine non tantum artificioſa illarum partium fabrica, quæ ad vitales pro incolumitare & conſervatione corruptibilis corporis motus edendos ſunt conformatæ, medico eſt pernoſcenda, verum etiam ingenioſa harum organicarum partium ſtructura atque diſpoſitio, quæ ad ſenſus, ſive perceptiones faciunt.

Scholion.

Tria potiſſimum, ratione eſſentiæ & operationum diſtincta admodum agentia in homine ſunt conſideranda & diſtinctis nominibus, ne confuſio fiat, inſignienda. Sunt hæc ſecundum Veteres natura, anima ſenſitiva & rationalis. Per naturam nihil aliud intelligendum, quam univerſa œconomia motuum, qui in partibus ſolidis ac fluidis, ad tuendam corporis vitam & incolumitatem, vigent. Anima ſic dicta ſenſitiva illud eſt agens, quod homini cum aliis animantibus commune, impreſſas à variis externis objectis in fibrillas & tunicas nervoſas peculiares motiones percipit, ſive ſentit, & inde ideas vel averſationis, vel appetentiæ excitat. Et tertium nobiliſſimum principium, quod ſenſuum miniſterio utitur & ſui & aliarum rerum ac ſenſationum conſcium eſt, ideas inde prognatas non modo conferre, ſed & æſtimare, intelligere & dijudicare novit, & libere quoque actiones ſuas inſtituit atque determinat, rationalis vocatur anima, ſive mens, qua diſtinguimur à brutis.

§. II.

Quum perceptio, appetentia, averſatio, item cogitatio, æſtimatio, liberrima actio, neque à figura, neque à ſitu, magnitudine, nexu, unione & diſpoſitione fluidi, vel ſolidi, neque à virtute nitente & renitente, pendeant, opus utique eſt, ut præter mechaniſmum, ſive coordinationem motuum, qui ex ſtructura & ſitu partium profluunt, aliud quoddam, licet ſenſibus minus obvium principium, quod ſentiat & percipiat motus eoſdemque dijudicet, ſupponatur.

Scholion.

Eſſentia quidem & natura tam pure ſenſitivi appetentis, quam intelligentis & libere in corpore agentis, in ſenſus non cadit, ſed intellectum humanum tranſcendit. Interim tamen magna utriusque eſt differentia & diverſa plane ratio, ideoque ambo non pro uno eodemque habenda, ne confuſio, quæ mater errorum eſt, oriatur, ſed probe ratione diverſarum operationum, quæ diſcrepantem etiam eſſentiam produnt, ſunt diſtinguenda. Eſt vero etiam ſummopere neceſſarium, ut medicus & philoſophus ſolicite inquirat & conſideret, quomodo bina in corpore humano ſint connexa atque unita, quomodo unum alterius miniſterio utatur & unum ab altero afficiatur, diſponatur, vel mutetur.

§. III.

Ea vero lege atque conditione anima unita eſt cum corpore, ut per certas motuum ſpecies, vibratorios ſcilicet & oſcillatorios, nervis nervoſisque partibus impreſſos, variæ perceptiones & differentes ſenſationum, gratæ etiam, vel ingratæ, ſpecies, ſuſcitentur.

§. IV.

Omnis igitur ſenſatio, ſive perceptio, duplicis generis & indolis eſt, reſpectu nimirum vel animæ vel corporis.

§. V.

§. V.

Ratione animæ perceptio nihil aliud eſt, quam certa ideæ, ſive notionis, de diverſimoda motione productio, cujus illa conſcia eſt. Hinc ubi nulla notio, ibi etiam nulla ſenſatio.

Scholion.

Vehementer igitur errant, qui animæ adſcribunt internum quendam, cujus nulla datur notio, in nerveis corporis noſtri partibus ſenſum, productum vel à morbificis quæ exitium minantur cauſis, vel à ſalubribus rebus, ut medicamentis, ita, ut occurrentibus illis, ipſa poſtea dirigat motus ad expellendas easdem, has autem applicet earumque vires ad ſalutarem effectum deducat. Nititur enim aſſertum hoc gratis ſuppoſito principio, nec prius ceu principium demonſtrandi in explicandis medicis rebus poteſt admitti, quam evidentiſſimis argumentis fuerit evictum, & interea potius ſpeculationibus tantum ſeu figmentis annumerandum.

§. VI.

Ratione corporis, ſenſatio eſt certa & ſpecifica motus, à vario objecto externo facta in partes, ſeu membranas nervoſas, quæ genuinum ſenſationis organon conſtituunt, impreſſio.

Scholion.

Senſus nusquam in ulla corporis parte viget, quam quatenus eſt nervoſa. Hinc in oſſe, cartilagine, pinguedine, ipſis quoque fibris, in quantum nervis deſtituuntur, immo in ipſa muſculoſa cordis ſubſtantia, nullus ſenſus nullusque dolor percipitur. Idem pateſcit ex noto experimento, quod ligato, abſciſſo, vel compreſſo, aut alia etiam ratione vitiato nervo, partis ad quem tendit ſenſatio vel ex toto pereat, vel valde imminuatur aut corrumpatur. Contra ea quo copioſioribus, ſubtilioribus magiſque tenſis atque expanſis tunicis nervoſis partes conſtant, eo acutiori & exquiſitiori ſenſu pollent, cujus generis ſunt perioſtium, pericranium, ventriculus, inteſtina, uretheres, ligamenta dentium, artuum, item cutis, præſertim quando præter naturam extenditur, uti fit in eryſipelate.

§. VII.

Non tamen tam nervi ipſi, quam potius eorundem expanſiones membranaceæ, proprium ſenſationis ſunt inſtrumentum.

Scholion.

Ita viſio non fit in nervo optico, ſed in retina oculi tunica, quæ non niſi tenuis membranacea hujus nervi expanſio. Neque auditus in nervo auditorio celebratur, ſed in elongata & ducta ex ipſo membrana, quæ internam auris partem, labyrinthum & cochleam, inveſtit. Olfactus etiam non in nervis olfactoriis, ſed nervoſa illa membrana, quæ interius narium cavum, maximeque oſſa ſquamoſa obducit, perficitur. Eodem modo ſapor neque in muſculoſa linguæ ſubſtantia, neque in ipſis nervis lingualibus, ſed in horum extremitatibus, papillulis nempe nerveis pyramidalibus, ſedem habet; uti etiam tactus genuinum organon nerveæ cutis fibrillæ & papillulæ conſtituunt.

§. IIX.

Quo major itque fibrarum & nervearum membranarum tenſio eſt, & vehementior earum ab objecto externo agitatio, eo acutior & ſenſibilior quoque eſt perceptio.

Scholion.

Ex quo patet ratio, quare juvenes & qui temperamento ſunt cholerici, tenſasque ac teneras fibras obtinent, acutiores dolores ac ſenſus habeant, item quare fibræ cutis tumore nimium expanſæ, ut in podagra & eryſipelate, vel à leviſſimo contactu, male & cum dolore afficiantur. Quod ab uſu externorum in cutis læſionibus alii bene, alii male ſe habeant, & quidam emplaſtra ac pinguia humidaque ferant, alii vero ab iis graviter lædantur, quidam ſpirituoſa balſamica linimenta optime tolerent, à quibus alii peſſime afficiantur, id unice à diverſitate toni fibrarum nerveo-tendinoſarum cutis dependet, quam omnino exacte noſſe in quibusvis individuis, utile non minus, quam valde neceſſarium chirurgis ac medicis eſt.

§. IX.

Viciſſim, quo magis hæ nerveæ membranæ ſunt relaxatæ atque remiſſæ, aut humore obſeſſæ; eo hebetioris ſenſus eoque plus minuitur ſenſatio.

Scholion.

In coryza olfactoriis & guſtatoriis narium membranis nervoſis multo humido obſeſſis, guſtus & olfactus perit, vel male habet. In membris paralyſi tactis nulla fit perceptio, eo quod in hoc affectu fluido elaſtico nervorum, quod tenſionem efficit, partes deſtituuntur. A tympani atonia fit ſurditas, à laxitate retinæ cæcitas ſenibus familiaris eſt.

§. X.

Neque vero in nerveis membranis, tanquam ſolidis, fit ſenſatio, ſed neceſſe eſt, ut animatæ ſint fluido tenuiſſimo, æthereo, quod in cerebro & ſpinali medulla à ſanguine ſeparatur.

Scholion.

Id vel exinde clarum redditur, quia quando ſanguinis affluxus ad cerebrum ceſſat, vel intercipitur, ut in ſyncopticis, omnis fere pereat ſenſatio, quæ mox redit, ſimul ac motus ſanguinis rurſus procedit ad caput. Deinde compreſſa, vel depreſſa medulla oblongata cerebri & principio ſpinalis medullæ, omnis ſenſus perit, & experientia docet, à valde vaporoſis rebus, item graveolentibus, ut croco, opio, papavere, ſtrammonio, hyoſcyamo, vel interne datis, vel exterius applicatis, ſenſus minui & auferri, ſalva ſtructura ſenſorii organi, neque prius redire, niſi diſcuſſis hiſce vaporibus ſulphureis, manifeſto indicio, fluido quodam bene conſtituto & naturæ amico, quo ab heterogeneis rebus alterato, vel immutato, recte ſecundum leges nec motus fiunt, nec ſenſatio rite perficitur, egere organa ſenſoria, ad percipiendos motus nervis impreſſos.

CAPUT IV.

De viſu & auditu.

§. I.

SEnſus, quorum numerantur quinque, viſus, auditus, olfactus, guſtus & tactus, menti, ſive ſubſtantiæ in homine ratiocinanti & judicanti, vi ordinationis divinæ, materiam cogitandi, ſive varias ideas, ex diverſis innumeris rebus conditis exhibere debent: unde utique ad ratiocinationis actum ſenſus quam maxime neceſſarii.

Scholion.

Homo ſenſibus, maximeque auditu & viſu, à nativitate deſtitutus, parum à beſtia differt, immo ex parte eadem inferior eſt, quia deficientibus ideis, circa quas fit cogitatio & dijudicatio, ratiocinationis actum minime exercere poteſt.

§. II.

Pro varietate autem objectorum, quæ diverſis modis debent percipi, divina ſapientia varia in machina

animali ſingulari artificio organa conſtruxit ſenſoria, quorum fabricam medicus omnino penitius debet habere perſpectam, quo eo melius varias ſenſationum læſiones earumque cauſas & modos diſtinguere, cognoſcere & tollere queat.

§. III.

Hæc inter ſupremum in corpore ſitum obtinet viſus organon, quod eſt ipſe oculus, orbitæ oſſeæ incluſus & palpebris munitus, cujus compages interior & ſtructura ex tunicis, humoribus, muſculis, nervis & vaſis artificioſiſſime eſt coagmentata.

§. IV.

Tunicæ igitur oculorum propriæ, præter exteriorem adnatam, ex ambitu orbitæ à perioſtio ortam, re paullo accuratius inſpecta, à cerebri membranis ortum ducunt. Nam vagina illa, quæ nervo optico à dura matre obducitur, quando orbitam ſubiit, in ſphæricam admodum ſolidam mox ſeſe expandit membranam, quæ anterius pellucida & prominens appellatur cornea, poſterius vero craſſior, durior, magiſque opaca eſt ac ſclerotica audit, vaſa nervoſque fulcit & muſculos, tendines eorum ſuſtinendo, firmat.

§. V.

Tenuis dein tunica, quæ immediate opticum nervum involvit, à pia eſt matre, ſubtiliſſimis ſanguineis vaſculis dotata & ſcleroticæ contigua in duas finditur lamellas & intus nigrore imbuta eſt, ſicque oculum inveſtiens, poſtica in regione choroideam, in antica autem, ad marginem corneæ reflexa, uveam ſic dictam tunicam efficit, quæ in medio rotundo pertuſa eſt foramine, quod conſtituit ſeptam colorata iride pupillam, ex cujus margine emergunt fibræ nervoſæ & muſculares, quæ in limbum orbicularem deſinentes & introrſum flexæ ligamentum, arcus inſtar & vinculi humori cryſtallino incumbens, conficiunt ciliare, atque adeo ut pupillæ ſpatium definiatur, & tam hæc, quam lens cryſtallina, motu cum pupillæ modificatione conſimili, amplietur & dilatetur, faciunt.

§. VI.

In fundo tandem oculi medulloſa interior nervi optici portio inſtar tenerrimi muci undiquaque diducta, retinam ſic dictam conſtituit tunicam, in qua pinguntur imagines & primaria viſionis ſedes.

§. VII.

Humores porro in oculo obſervantur tres pellucidi, quorum primus fluidus admodum eſt & aqueus audit. Replet hic utramque oculi cameram, tam anteriorem, quæ inrer corneam & uveam, quam poſteriorem, inter uveam & lentem cryſtallinam, atque ex oſculis arteriolarum, quæ in uvea & choroidea, profluit.

§. VIII.

Secundus humor, ob pelluciditatem, cryſtallinus vocatur, & cum tertio, vitreo dicto, tenui coërcetur membrana vaſculoſa, arachnoidea vocata. Lentiformis figuræ eſt cryſtallinus hic humor reliquiſque ſolidior, ex lamellis ſibi invicem incumbentibus conflatus, & ita locatus, ut convexa una ſuperficie pupillam reſpiciat, altera vero ſubjecto vitreo humori inhæreat eidemque fibrillarum membranacearum ope nectatur, à ciliari vero ligamento ſuſpenſus teneatur & excipiendis radiis luminoſis adaptetur.

§. IX.

Vitreus autem humor, à vitreo colore ita nuncupatus, denſior eſt aqueo reliquoſque mole ſuperat, & quidem aqueum duodecies & cryſtallinum quater. Tenui obducitur propria membrana, à choroidea elongata, poſteriorem oculi partem, retinæ ubique contiguus, occupat & anterius in excavato ſinu cryſtallinam lentem excipit. Vaſculare quoque eſt vitreum hoc corpus, & non ſecus quam ipſa cryſtallina lens, canaliculis, tam adducentibus, quam abducentibus, inſtructum, per quæ pellucida ſubtiliſſima lympha ad nutritionem circulatur.

§. X.

Hic tot diverſarum oculum conſtituentium partium apparatus univerſus, id efficit, ut in fundo oculi, recta poſt pupillam, diſtincta & vivida radiorum luminis fiat collectio, qui ab uno puncto objecti progreſſi, oculum ingredientes, per lentem cryſtallinam feruntur, ut ita in retina tot repræſententur puncta, quot fuerunt in objecto conſpicua; unde ſimilis objecti in retina pingitur imago, quæ eam ſenſorio communi offert.

Scholion.

Oculus itaque optime refert cameram obſcuram, ubi pupilla foramen, tunica uvea & choroidea locum tenebricoſum obſcurum, humor cryſtallinus & vitreus lentes, ac retina tunica papyrum efficiunt. Et uti diſtincta repræſentatio imaginis in camera obſcura à pelluciditate lentium; ita viſio quoque ab humorum perſpicuitate & figura dependet, ut videlicet radii ab uno puncto viſibilis objecti in unum diſtinctum retinæ punctum colligantur quaſi in foco, qui nec nimis remotus, nec nimis propinquus eſſe debet.

§. XI.

Accedunt muſculi oculorum motui ſervientes, quorum ſex numerantur paria, obliquum ſuperius & inferius, rectum ſuperius & inferius, ac rectum internum & externum. Primum horum vocatur etiam trochleare, amatorium & patheticum, & ab oſſe ſphenoide, juxta foramen nervi optici in parte ſuperiori recta procedens, in angulo oculi interno ſupra trochleam movetur & in ſcleroticam inſeritur, pupillæ oblique demittendæ & quadantenus educendæ ſerviens. Secundum ab oſſe maxillari, juxta foramen lacrymale, ſive in confinio oſſis zygomatici & lacrymalis, oblique verſus exteriora vergens, poſteriori & inferiori oculi parti inſeritur ad latus inſertionis nervi optici, ac ut bulbus oblique ſurſum moveri & extrorſum trahi poſſit, facit.

§. XII.

Ex reliquis quatuor rectis, idem cum pathetico ab oſſe ſphænoide, juxta foramen nervi optici, principium habentibus & eidem ſcleroticæ in confinio ambitus corneæ inſertis, ſuperius, ſuperbum alias dictum, oculum ſuperiora verſus elevat & attollit; inferius, deorſum movet, ſive deprimit oculum, humile hinc dictum; internum, bibitorium & ſtudioſum vocatum, naſo adducit oculum; & externum ab eo quo oculum afficit motu, abducens nuncupatur, ſive indignabundum.

§. XIII.

Vaſa demum & nervi oculorum ſunt multi. Ex nervis quintum par oculum prope naſum ingreditur & in retinam explicatur, opticum ideo vocatum; tertium par oculorum motorium muſculis, palpebris ipſiſque tunicis ramulos impertit; quartum muſculum trochlearem ſubit, patheticum dictum; quinti ramus ſuperior ophthalmicus & potiſſima ſexti abducentis paris portio, per muſculos, membranas & palpebras ſeſe explicant. Vaſa ex carotidibus paſſim oculos ſubeunt & ſuccos in ultimis minutiſſimis canaliculis pro humorum & tunicarum nutritione advehunt, reliquus vero ſanguis per venas partim ad ſinus duræ matris, partim ad jugulares reducitur.

§. XIV.

Anatomica hæc & physiologica organi visus considerațio insignem lucem cognitioni veræ generationis morborum oculorum, præsertim eorum in quibus visio depravata, affundit.

Scholion.

Quamvis multi & innumeri fere oculorum observentur morbi, præcipui tamen sunt ii, in quibus visus depravatur, vel plane perit, omnesque quam optime vel ex nervi optici vitio, vel ex pelluciditate humorum, qui radios luminis transmittunt depravata, possunt deduci.

§. XV.

Nimirum à vitio circularis hujus humorum per oculos motu, & vasculorum nimia, vel laxitate, vel strictura, variorum visus vitiorum genesis commode deducitur. Ubi enim nimis relaxati sunt nutrimentum humoribus advehentes canaliculi, ideoque succus crassior, turbidus, in humorem maxime aqueum, pertingit, pro diverso gradu & quantitate particularum heterogenearum, variæ emergunt suffusionum, tam perfectæ, quam imperfectæ, species. Et quando humor crystallinus ab alieno succo vitiatur & turbidus fit, glaucomatis species gignuntur.

Scholion.

Hinc facile jam patescit ratio, quare, qui sanguinem crassum & scorbuticum in venis alunt, item cachectici, scorbutici, hypochondriaci & senes, quando validiori impetu humores feruntur ad caput, hisce oculorum vitiis frequenter pateant. In proclivi quoque est ratio, quam ob causam, uti practicæ testantur observationes, ab ira, furore, phrenitide, ab assumtis emeticis, purgantibus fortioribus, inunctione mercuriali, à balneo nimis calido, vehementiori corporis exagitatione, à frigore vehementi capiti admisso, à lapsu, punctione, vel contusione oculi, varia scotomiæ & suffusionum genera sæpe inducantur, & cur hæc visionis vitia facile ophthalmias, diuturnas cephalalgias, imo apoplexiam & epilepsiam insequantur.

§. XVI.

Inprimis, quum humorum, tam aquei, quam vitrei & crystallini pelluciditas, à lympha nutritia pura & perspicua, quæ circulari motu per tenuissima tunicarum vascula adducitur & abducitur, dependeat, rectius utique tam cataracta incipiens, quam spuria & vera explicari potest.

Scholion.

Incipiens quippe cataracta est, quando muscæ & punctula nigra fixa oculo obversantur, & oriuntur à nimia relaxatione vasorum arterioso-lymphaticorum, quæ non puram & pellucidam, sed variis moleculis crassioribus perspicuitatem turbantibus lympham imbutam, in aqueum humorem transmittunt, quæ copiosiores tandem factæ & crassiores, in concrementum quoddam mucosum convertuntur, quod in camera anteriori, vel posteriori oculi subsistens, & transitum radiorum luminis impediens, cataractam inducit spuriam. Quando vero humores, vel crystallinus, vel vitreus, à defectu succi nutrientis pellucidi lymphatici, propter obstructa advehentia vascula, aridi fiunt, vel ab admixto crasso opaco succo, propter nimiam vasculorum laxitatem, turbantur, vera excluditur cataracta.

§. XVII.

Neque minus ex hac oculorum physiologia vera & recta hisce visus vitiis medendi ratio elicienda ac discenda, quæ omnium optime adornatur, per salubrem diætam, convenientia diluentia, sanguinem & lympham repurgantia, discutientia, nervina, roborantia, cinnabarina & antimonialia rite parata, nec non ea, quæ clementer per epicrasin evacuant.

§. XVIII.

Alter principalis sensus, cujus ministerio ideæ in mente suscitantur, est auditus, qui nihil aliud, quam soni ope organi auditorii perceptio.

Scholion.

Sonus autem, qui auditu percipitur, nihil aliud, quam tremulus & undulatorius aëris elastici motus, à corpore sonoro, hunc concutiente, productus, cujus propagatio fit à centro sonoro per circulos, & quidem secundum leges progressus & reflexus, quæ in radiis luminosis observantur.

§. XIX.

Ad penitiorem auditus explicationem, fabrica auris externæ & internæ, probe considerandæ, illa comprehendit auriculam cum meatu auditorio, hæc tympanum & labyrinthum.

§. XX.

Extrema auris pars sistit cartilaginem semicircularem, elasticam, tremulam, variis sulcis & fornicibus instructam, quæ membrana tensa & polita obducta est, quo radii sonori eo melius reflecti possint, nec sonus suffocetur.

§. XXI.

Orificio dein meatus auditorii apposita est in cavo conchæ cartilaginea pars erecta, triangularis, tremula, quæ facit, ut omnes huc illapsi radii sonori intra meatum auditorium determinentur.

§. XXII.

Ipse auditorius meatus tuba est figuræ cylindro-ellipticæ, progressus serpentini, quo eo melius reflexione augeat & multiplicet sonum, nec tamen uno impetu irruere sinat. Media parte cartilagineus, qui anterior est & concham auris externæ excipit, & osseus qui posterior, qui ad tympanum terminatur, uterque membrana valde nervosa vestitur, ac oblinitur pingui, flavo, mucido humore, cerumine dicto, qui ex suppositis in cartilaginea parte glandulis miliaribus flavis venit & à qualibet glandula per peculiarem ductum excretorium in meatum stillat, eum in finem, ut nimius tremor frangatur, nec jugi aëris allapsu membrana exsiccetur & arescat.

§. XXIII.

Tum tympanum, à fine meatus auditorii ad labyrinthum usque porrectum, anterius clausum est membrana ex triplici lamella conflata, quarum prima exterior, ex meatus auditorii membrana elongata, altera interior à dura matre, & inter has media vasculosa est, à *Ruyschio ep.* 38. descripta. Hæc membrana aëris & incongruorum in tympanum ingressum arcet & ita locata est, ut extus cava, intus convexa, super osseum marginem oblique expansa, ad superiora meatus inclinet ibique obtusum, ad inferiora autem acutum, cum meatu formet angulum, quo in centrum ipsius radii sonori incurrant, ipsaque fortius tremulet.

§. XXIV.

Excavatus autem in osse petroso tympani sinus, periostio vasculoso obductus, nervulum habet ex quinti & septimi paris concursu, tympani membranæ subtentum, chordam dictum, cum tribus periostio vestitis officulis. Ex his primum, malleus, ad propagandum per tympani membranam sonum, membranæ ipsius nectitur manubrio suo, & capitulo incudi committitur, prætereaque tribus firmatur musculis, uno externo

ex ſuperiori ambitu meatus auditorii, qui manubrium verſus meatum auditorium trahendo, tympani membranam laxat; altero interno, ex cartilaginea tubæ Euſtachianæ parte, qui membranam arctius ad cavum tympani adducendo, eandem tendit; & tertio obliquo, ſive ſemicirculari, ab externa oſſea ductus Euſtachiani parte oriundo, tympanum varie remittente & tendente. Omnia eum in finem, quo ſonus varie intendatur, vel remittatur, prout nempe tympani membrana recipiendis radiis ſonoris horum muſculorum ope adaptatur & aër in concha vario modo comprimitur, admittitur, vel expellitur.

§. XXV.

Alterum oſſiculorum auditus, incus dictum, cum capite malleoli, & crure longiori, interventu apophyſeos orbicularis, cum apice cavo ſtapedis eſt connexum. Stapes autem baſi ſua feneſtræ ovali immittitur & fibrillarum membranacearum ope eidem libere adhæret, ſimulque muſculo ex oſſe petroſo in capite inſtructa eſt, qui ipſam elevat & margini feneſtræ ovalis arctius adducit.

§. XXVI.

Accedit tuba, ex parte oſſea, ex parte cartilaginea & membranacea, Euſtachiana vocata, quæ ex cavo tympani egrediens, verſus palatum patet oſculo aperto & ſemilunari margine cartilaginoſo clauditur. Communicat hæc cum aëre externo, qui naribus aut ore hauritur, & facit, ut aër in loca hæc ire, exire, renovari & comprimi, radii quoque ſonori naribus aut ore admiſſi, intrare, & meatu auditorio male affecto, auditum efficere poſſint.

§. XXVII.

Intima auris pars ob mirabiles gyros & meatus audit labyrinthus, veſtibulum, canales ſemicirculares & cochleam complectens. Veſtibulum intermedia eſt pars, ad quam per feneſtram ovalem ex tympano patet aditus, qui ſtapede inſerta munitus, ut ſpatium veſtibuli majus, vel minus reddi, & aër labyrinthi ad ſonum modificandum comprimi, vel dilatari queat, facit. Canales ſemicirculares tres, inferior, ſuperior & medius, poſteriorem labyrinthi partem conſtituunt & quinque orificiis in veſtibulum hiant. Et cochlea, canalibus his oppoſita, duas cum dimidia ſpiras conficit, & à lamina ſpirali in duos diviſa eſt canales, quorum ſuperior in veſtibulum hians, ſcala veſtibuli, & inferior, membrana tenui clauſus, per feneſtram rotundam tympanum reſpiciens, ſcala tympani vocatur.

§. XXVIII.

Cochlea, veſtibulum, canales ſemicirculares tres intus veſtiti ſunt membrana ſubtiliſſima, ab expanſione mollis portionis nervi auditorii oriunda, haud ſecus ac retina in oculo in qua proinde primaria auditus ſedes.

Scholion.

Vero quippe admodum ſimile, radios ſonoros à tympani membrana repercuſſos & per oſſicula propagatos, membranam feneſtræ ovalis afficere ac tremorem inducere aëri & membranæ in cochlea & ſcala veſtibuli, ſonum inde ad veſtibulum ipſum propagatum, hujus etiam membranam nerveam commovere, pergere ad canales ſemicirculares horumque zonis imprimere diſtinctos motus, per fibrillas nerveas ſenſorio communi in cerebro ad perceptionem communicandos.

§. XXIX.

Ex hac theoria & anatomica organi auditorii perveſtigatione ejuſque naturali functione & officio, varia nunc de auditu phænomena explicari, & gravis auditus, ſive ſurditatis cauſæ, dilucide monſtrari poſſunt.

Scholion.

Patet hinc ratio, quare abſciſſis auriculis, vel meatu auditorio à craſſo & indurato cerumine infarto, auditus fiat gravior, quare auditus aperto ore intendatur, nec non quare ſurdi ſtridulum corpus dentibus continentes ipſius ſtridorem percipiant. Elucet porro quod ſurditatis cauſa ſæpe eſſe poſſit ductus Euſtachianus obturatus, vel induratus. In proclivi quoque tinnitus aurium cauſſa, ſi nimirum nimia humiditas, ex perioſtio vaſculoſo, quod intus tympanum & oſſicula auditus cingit, juſto laxiori, in internam aurem veniat ibidemque in vapores reſolvatur.

§. XXX.

Potiſſimum gravitas auditus fit, ſi tympanum, vel nimis tenditur, vel relaxatur, ſi craſſeſcit & induratur, aut plane perforatur.

Scholion.

Primum ſæpius evenit in febribus, cephalalgiis gravioribus, hypochondriacis & hyſtericis per conſenſum. Alterum contingit à copia humoris ſeroſi, per glandulas ceruminis nimis relaxatas & magnum ſanguinis & ſeri ad caput affluxum. Tertium obvium quam maxime eſt in ætate ſenili, nec non poſt uſum calidorum fomentorum & inſtillatis ſpiritibus volatilibus. Et ubi quartum præſto eſt vitium, aër, qui per tubam Euſtachianam ad cavum tympani fertur, per aurem inſtar flatus, præſertim ore clauſo, erumpit.

§. XXXI.

Sæpe etiam difficilis auditus & tinnitus, parum licet nota, cauſa eſt, glanduloſa ſinus maſtoidei membrana nimis relaxata.

Scholion.

Hæc enim quando lympham copioſiorem & craſſiorem ad membranam tympani, muſculos mallei atque ſtapedis, tympana duo minora, quæ foramen ovale atque rotundum claudunt, dimittit, partes hæ omnes, immo chorda ipſa, nimis humectantur, tonus earum naturalis remittitur ipſarumque functio pervertitur; id quod ſæpius certe in ſtatu, vel etiam declinatione acutarum accidit.

CAPUT V.

De olfactu, guſtu & tactu.

§. I.

OLfactus organon conſtituunt nares, duplicatæ ideo & ex ampliori in anguſtius ſpatium coëuntes, quo effluvia odora eo copioſius easdem ſubire & eo rectius applicari queant.

§. II.

Amplum autem & ſpatioſum eſt narium cavum, ac in utraque nare duo conſpiciuntur tubuli ſpongioſi, ex tenuiſſimis & fere papyraceis oſſeis lamellis ita complicati, ut plures in progreſſu efforment tubulos cavos, in quos hiant duodecim ſinus, duo nempe frontales, duo maxillares, duo ſphenoidei & ſex ethmoidei.

§. III.

Tam omnes hi tubuli, quam duodecim ſinus, intus duplici veſtiuntur membrana. Prima mollis & craſſa vaſculiſque copioſiſſimis & diſtinctis rotundis glandulis prædita eſt, ex quarum oſculis ſtillat lympha copioſa, tenuis & inodora, quæ aëris frigidi acceſſu craſſeſcit & in mucum denſatur. Pituitaria hinc, ſive mucoſa,

hæc

hæc audit tunica, & humectandis naribus, arcendis aëris & noxiorum injuriis, olfactui moderando, nec non particulas odoris captandis & retinendis iisdemque rectius & diutius nervis olfactoriis applicandis, ſervit.

§. IV.

Sub pituitaria latet altera tunica nervea, quæ nihil aliud quam expanſio fibrarum nervearum. Multi enim ad nares tendunt nervorum ramuli, ac non modo primum nervorum par plures teneras fibrillas per oſſis ethmoidei foramina transmittit, per totam narium ſuperficiem & in omnes ſinus ac cellulas, diſperſas, ſed & quintum par ramum per foramen cranii rotundum huc mittit inſignem ſatisque conſpicuum, in plures ſeſe diffundentem.

§. V.

Igitur in nulla corporis parte nervi tam aperti & acceſſui rerum externarum expoſiti, quam in naribus.

Scholion.

Hanc ob cauſſam odoriferorum maxima virtus in cerebrum, ejus membranas & nervos, eosdem variis modis & ſubito afficiendi, commovendi, immo lædendi. Luculenter id patet in animi deliquio laborantibus, apoplecticis, ſopore affectis & hyſtericis, qui penetranti odore excitantur & ad ſe redeunt. Idem confirmant ii, qui ob debilitatem generis nervoſi in motus ſpaſmodicos & convulſivos proclives ſunt, ut hypochondriaco & hyſterico malo laborantes, qui à ſuaveolentibus læduntur. Hæc etiam cauſa ſubeſt, quod ſternutatoria, in morbis capitis à lenta pituita ſtagnante oriundis, egregie proficiant, dum in cerebro, ejus membranis, nervis horumque fluido fortiorem excitant motum. Neque ullum dubium, quin miaſmata morborum, qui contagio inficiunt, per has vias ad cerebrum ſerpant nervorumque fluidum, ipſumque inficiendo, mox univerſam motuum vitalium œconomiam turbare & pervertere queant.

§. VI.

Hinc etiam merito concludendum, nervoſam hanc narium tunicam eſſe ipſius odoris ſedem; ita quidem, ut pro diverſa modificatione motus ab objectis odoriferis eidem impreſſi, varia in ſenſorio communi fiat perceptio.

§. VII.

Objectum vero odoris ſunt effluvia, ex particulis ſubtilioribus, ſalino-ſulphureis, quæ mediante aëris & ætheris fluido ſolvuntur, conflata, & inſpirationis ope ad intima narium deducta, nervorum fibrillis & tunicis ſeſe inſinuant. Hinc quo intenſior inſpiratio, eo penetrantior odor.

Scholion.

Patet hinc ratio, quare homo non olfaciat, quando ſpiritum cohibet, vel aërem exſpirat, nec non cur nulla odoris, quantumvis penetrantis, fiat perceptio, quando aſpera arteria diſciſſa, aër per hiantis vulneris ora ingreſſum habet. Et quoniam particulæ ſulphureæ quæ odorem excitant, volatiles ſunt & facile exhalant, hinc fit, ut calore, motu & attritu, corpora odorem ſpargant longe penetrantiorem.

§. VIII.

Notandum præterea quinti nervorum paris, quod ad nares etiam pertingit, eam eſſe diſtributionem ac connexionem, ut non modo ad linguam inſignem dimittat pro guſtu faciendo ramum, ſed & in quamplurimis cum ſexti paris propaginibus coaleſcens, nervum conficiat intercoſtalem, qui omnibus fere pectoris & abdominis viſceribus, præcipue vero organis reſpirationis, ramulos largitur & prærerea cum pari vago, idemtidem per thoracem & abdomen diſcurrente, variis paſſim plexibus cohæret. Ex quo utique variorum phænomenorum rationes eliciendæ.

Scholion.

Nimirum hinc planum fit, quare tanta inter guſtum & olfactum obſervetur conſpiratio, nec non quare odores univerſum corpus tam promte afficere, reficere, vel lædere queant. Innoteſcit exinde, cur irritatis à ſale acri ſubtili, quod ſternutamentis ineſt, naribus, par intercoſtale & vagum, nec non nervi muſculorum reſpirationi ſervientium, in conſenſum trahantur & motus ſubſequatur thoracis convulſivus, qui ſternutationis nomine inſignitur, & quo mucus intra cavitatem & ſinus narium hærens expellitur.

§. IX.

Guſtus organon præbet lingua, cujus interior ſubſtantia eſt muſculoſa, ex quinque potiſſimum muſculorum paribus conflata, ita quidem, ut fibræ eorundem tanquam ſtratum ſuper ſtratum incumbant ſibi invicem, ac uti illorum, ſic harum quoque ſit tractus, obliquus, longitudinalis, quibus omnes mirabiles linguæ motus perficiuntur.

§. X.

Exterior vero guſtui ſerviens compages ex triplici coagmentatur tunica. Prima & externa, quæ cuticulæ vicem ſuſtinet, multis pervia eſt foraminulis, quæ corpora papillaria recondunt iiſdemque quaſi vaginulas largiuntur, quo eadem tam à nimis vehementi guſtandorum impreſſione defendantur, quam ſapida eo melius recipi & applicari queant. Altera eſt retiformis, cribroſa Malpighii, hic quam maxime conſpicua, quæ tranſitum concedit papillulis.

§. XI.

Tertia, quæ carneum linguæ corpus cingit, eſt nervoſa, ex innumeris papillaribus corpuſculis conflata. Intertextæ ſunt huic etiam plures glandulæ, quæ in baſi linguæ majores & copioſiores, in apice minores, è quarum foraminulis, cellis dictis, lympha ſtillat.

§. XII.

Ipſæ papillulæ nerveæ, in quibus guſtus ſedes, nihil aliud ſunt, quam extremitates nervorum ac tendinum, in dorſo linguæ, præcipue vero in apice & ad latera conſpicuæ, quæ in lingua jejuna & famelicis eriguntur, in mortuis ſæpe diſparent. Triplicis autem magnitudinis & figuræ eſſe obſervantur. Aliæ ſunt capitatæ, quarum plures in homine, quæ referunt cornua limacum; aliæ conicæ, mollioris in homine texturæ, quæ conjunctæ pectinem carminatorium conſtituunt; & quæ in baſi linguæ conveniunt ac majores fiunt, dentem apri referunt, aperinæ ideo vocandæ.

§. XIII.

Nervi, qui ad hoc guſtus organon excurrunt, à quinto & nono ſunt nervorum pari, & plerumque illis papillulas nerveas & guſtum deberi, his vero linguæ motum perfici, cenſetur.

§. XIV.

Objectum ſaporis eſt ipſum ſal, prout varium illud eſt varieque cum particulis inſipidis, oleoſis, ſulphureis, terreis & aqueis commiſcetur. Hinc quæ ſale deſtituta, nullius ſaporis.

§. XV.

Quando igitur in ſapidis corporibus particulæ ſalinæ, mediante ſaliva & calore oris ſolvuntur, & poſtea motu

motu oris vaginulis intruduntur & papillulis applicantur, pro motus papillulis ab his impreſſi varietate, diverſa illico diverſi ſaporis in mente excitatur idea.

§. XVI.

Varius tamen ſapor eſt, nec in uno homine, ut in altero.

Scholion.

Differt enim ſaliva, quæ menſtruum eſt principii ſapidi. Ipſæ papillulæ nerveæ magis, vel minus quandoque ſunt exſuccæ, humidæ, temperato, vel præternaturali humore imbutæ. Cuticula etiam linguæ magis vel minus obſtructa, vel quandoque plane excoriata. Hinc eſt, quod non nunquam in morbis omnis ſapor ſit ſalſus, vel amarus, vel prorſus putridus.

§. XVII.

Tactus organon eſt univerſa corpori inſtrata cutis, ſeu potius exiſtentes in ipſa papillæ nerveæ pulpoſæ, quæ ex mollioribus nervorum ſubcutaneorum villis, depoſita exteriori membrana, oriuntur, tenui ſemper humectantur lympha & in locis tactui potiſſimum ſervientibus maxime conſpicuæ, uti in digitorum apicibus, volis manuum ac plantis pedum.

§. XVIII.

Acutiſſimi hæ papillulæ ſunt ſenſus & ita locatæ, ut per reticulare *Malpighii* corpus diſtincto ordine ferantur & in foveis cuticulæ deliteſcentes, ab externis corporibus facile quidem, ſed non nimium, affici poſſint.

Scholion.

Epidermiden enim, ceu ſolidam membranam, tactum moderari, patet exinde, quod exuſta, vel per veſicantia ablata eadem, dolor à tactili excitetur, & viciſſim, ſi dura nimis & calloſa fiat, ut nequeat ad papillas objecti externi actio pertingere, tactus pereat.

§. XIX.

Papillulæ hæ in corporis ſuperficie perpendicularem habent ſitum, in manuum vero & pedum digitorum apicibus ſecundum longitudinem, aucto ſemper in progreſſu ordine, exporrectæ ſunt, ubi in epidermide, ceu vagina, complicatæ, exſuccæ in ungues denſantur, quo digitorum extrema hoc munimento molles ſerventur & defendantur.

§. XX.

Tactus igitur fit, quando papillulæ nerveæ ſeſe erigentes objecto tactili applicantur, earum ſuperficies inde leni tritu afficitur, motuſque ſic ipſis impreſſus, per nerveum fluidum ad ſenſorium commune propagatur, qui in mente excitat ideam calidi, frigidi, mollis, duri, ſicci, humidi, figurati, magni, remoti &c.

§. XXI.

Ad perceptionum ſpecies merito etiam referendus dolor, qui non niſi moleſta, à violento & præternaturali per objectum externum impreſſo motu, ſenſatio eſt.

Scholion.

Doloris ſubjectum ſunt omnes membranæ ex fibris carneis & nerveis compoſitæ, adeoque præter ſummam cutim & ſentientes jam dictas membranas, intus etiam latentes partes, ex tunicis maxime muſculoſo-nerveis conflatæ, doloribus patent. Maxime omnium vero totus ille canalis, qui à faucibus ad anum porrectus, œſophagum, ventriculum & omne inteſtinorum volumen comprehendit, & alimentorum digeſtioni, ſolutioni & excretioni dicatus eſt, præcipuam variorum graviter affligentium dolorum ſedem ac domicilium conſtituit. Huc etiam pertinent pulmonum bronchia, ex tunicis valde fibroſis & nerveis conflata, uretheres, cum veſica & urethra, ductus biliarii ipſaque pleura & peritonæum, nec non membrana oſſa cingens, perioſtium dicta, quæ ſæpe atroci dolore in ſtatu præternaturali afficiuntur.

§. XXII.

Dolor, ſive moleſtus ſenſus, varius eſt & differt pro diverſitate motus, qui partibus nervoſis ab externo objecto imprimitur.

Scholion.

Omnis utique ſenſatio moleſta ſupponit motum, ab æquabili & moderato, qui naturalis eſt & omnis moleſtiæ expers, deflectentem, violentum nempe, qui vel in validiori contractione, criſpatura, vel etiam diſtenſione nimia & preſſione, aut, ut Veteres loqui amant, tentata continui ſolutione, conſiſtit. Hic prout à variis cauſis, qualitate, mole, aut motu diverſis, inductus, varius etiam & gradu diſcrepans à Medicis obſervatur, & gravativus, preſſorius, ardens, lancinatorius, pungitivus, acutus, conſtrictorius, pulſans &c. denominatur. Quicunque igitur doloribus apte mederi contendit, id efficere debet, ut vel cauſam, quæ motiones tales præternaturales in partibus ſenſu dotatis ingignit, congruis præſidiis amoveat, vel liquidi nervei, cujus miniſterio motus fit & ſolidis impreſſus ad ſenſorium commune transfertur, influxum minuat, vel ſufflaminet, id quod vaporoſorum, ut papaveraceorum, ope perficitur, quæ hinc vocantur ſtupefactiva. Sed de hac materia plura in pathologicis & therapeuticis.

CAPUT VI.

De ſomno ac vigilia.

§. I.

NUllus homo ſine ſomno & quiete diu vivere vel ſanus manere poteſt, unde ſomni natura ejuſque cauſæ Medico ſunt inveſtigandæ.

§. II.

Somnus eſt ceſſatio operationum animæ ad tempus, ob ſecretionem & influxum fluidi nervei in ſenſoria languidiorem.

Scholion.

Quia homines dormientes nec vident, nec audiunt, nec contactu facile moventur; ergo anima ceſſat operari per ſomnum, in organis maxime ſenſuum externorum; quamvis ejus operatio non ceſſet in tractandis & evolvendis ideis, quæ veſtigia ſunt cerebro impreſſa ab objectis externis, teſtantibus id inſomniis.

§. III.

Ceſſatio ſenſationum fit ab influxu fluidi tenuiſſimi in nervos & ſenſoria languidiori, unde hæc flacceſcunt, relaxantur, ut actiones & motus objectorum vivide ad ſenſorium internum, quod in cerebro eſt, perducere nequeant.

§. IV.

Prout itaque hic influxus fluidi nervorum, gradu ſecundum majus & minus diverſo, impeditus eſt, eo quoque magis, vel minus, ſomnus eſt profundus, & difficilior excitatio.

§. V.

Ceſſat & minuitur in nervos & ſenſoria liquidi nervei influxus ob tubulos cerebri & nervorum minus vegetos,

vegetos, & quodammodo à lympha roscida minus mobili ibi stagnante relaxatos & compressos.

§. VI.

Perit vigor & tonus tubulorum cerebri, vel languescit, partim quod sub diuturna vigilia ipsi debilitantur, partim quod de nocte sanguinis motus in toto corpore, adeoque in cerebro etiam, tardior & languidior evadit, unde serum & lympha roscida, quæ cum sanguine eodem gaudet progressu, ibi moratur inque majori copia secernitur, & hiantes poros ac tubulos cerebri implet, unde fluidum tenuissimum minus in nervos & principium nervorum influit. Quodcunque itaque sanguinis circulum per cerebrum languidiorem efficit, id etiam ad somnum producendum multum valet.

Scholion.

Ex hisce jam facile petenda est ratio, quare quæ vapore extendunt arterias teneras cerebri, ut sunt papaveracea, inebriativa, fumus carbonum, sulphuris, omnia graveolentia & suaveolentia, ad somnum conciliandum multum faciant; item quare aër humidus & temperate calidus, cœlum pluviosum, aër nocturnus, & deficiens in athmosphæra sol, alimenta, quæ blandis & oleosis succis scatent, fumus tabaci & humectantia roscida, circa noctem assumta, ad somnum conciliandum multum faciant. Apparet etiam porro ratio, quare nimia & laboriosa corporis præcedens defatigatio, ad somnum disponat, siquidem à motu fortiori ipsæ fibræ universi corporis ipsiusque cerebri in movendo vigorem amittunt.

§. VII.

Sub somno sanguinis cursum per ipsum caput & universum corpus languidiorem esse, & fibras corporis relaxari, plura sunt, quæ id confirmant; siquidem in somno, & pulsus arteriarum, & respiratio, longe languidior & imbecillior est, quam in vigiliis, habitus corporis cum vasis turgescit, sanguine repletur, tubuli cutis magis relaxantur, hinc etiam cutis fit humida, vel plane sudore perfunditur, sique à somno quis profundo confestim excitetur, torpor & gravitas in capite sentitur, neque sensus statim, sed successive, redeunt ad officium.

Scholion.

Quia sub somno fibræ relaxantur & flaccescunt, transpiratio & urinæ secretio melius nocte, quam de die perficitur. Qui ex summa debilitate viriumque in morbo, vel post morbum prostratione, fibrarum cutis atonia laborant, iis largiter noctu sudor sponte manat, qui cessare frequenter solet, mane ægro evigilante.

§. VIII.

Somnus utilis & necessarius corpori est, ut fibræ totius corporis & cerebri, quæ sub vigilia in perpetua agitatione erant, quiete rursus tonum, robur & nutrimentum accipiant; deinde, ut partes spirituosæ, quæ sub vigilia & motu diurno exhalant & consumuntur, recolligantur & resarciantur, quare placidus somnus optimum virium est refectorium.

§. IX.

Vigilia somno opposita est, hinc oppositas causas habeat, necesse est.

§. X.

In vigilia, & ipsum cerebrum, & nervi atque sensoria, fluido tenuissimo turgent, ejusque liber & sufficiens adest influxus, unde fibræ ac membranæ tensæ ac rigidæ manent, ut objecta externa in eas promte agant hasque actiones anima percipiat.

§. XI.

Quodcunque itaque sanguinis cursum celerem per vasa capitis & cerebri efficit, & fibras in motu & actione conservat, id quoque vigiliam assiduam efficit.

Scholion.

Jam perspicua erit ratio, quare cura & continua animæ actio in affectibus, nec non profunda & intensa cogitatio, aër valde siccus & simul calidus, potus calidi, ut herbæ thée, coffée, medicamenta acria, volatilia, ingens calor & æstus corporis in febribus, concoctio difficilis, cibi salsi & acres, somnum arceant & vigiliam procreent. Nam hæc omnia in perpetua agitatione fibras servant, serum roscidum diluunt, sanguinisque motum per cerebrum velociorem ac impetuosum reddunt.

§. XII.

Vigiliæ diuturnæ nocent corpori, quia nimium fibras corporis exsiccant, ipsis nutrimentum subtrahunt & vires consumunt.

Scholion.

Patet ex hisce, quam periculosum sit in febribus aliisque morbis symptoma assidua vigilia, quæ tamen nullo modo anodynis est sopienda, quia post vigilias nimias extreme debilitatæ sunt cerebri ac partium fibræ, unde facile dicta medicamenta exitialem stagnationem, vel stasin humorum, causantur, in morbis acutis eo majori cura pertimescenda.

CAPUT VII.

De anima ejusque cum corpore commercio.

§. I.

IN homine, præter corporis organici ordinatos motus, sentiens & appetens facultas, neque minus mens, qua intelligimus, cogitamus & libere agimus, considerari debet.

Scholion.

Tria inter se distincta, ratione naturæ & proprietatum, principia in homine invicem juncta & connexa esse, superius *capite III.* jam diximus. Ipsa vero etiam scriptura sacra in homine tres distinctas ejusmodi substantias, corpus nempe, animam & spiritum, agnoscit.

§. II.

Hæc tria, ratione naturæ, proprietatum & virium inter se distincta agentia in homine obvia, distinctim consideranda, nec invicem confundenda sunt.

Scholion.

Primum & palmarium in philosophicis præceptum est, ne res inter se distinctæ confundantur, quia confusio est fœcunda errorum mater, & errores nihil aliud ex parte sunt, quam rerum distinctarum confusiones. Itaque non sine ratione, & Veteres, & recentiores, naturam ab anima, scite & sapienter distinxerunt, utut accuratiori corporis & motus notitia caruerint. Siquidem naturam motuum vitalium, secretionum, morborum, mortis, sanationis, principium appellabant, facultatem vero sentiendi, appetendi, motusque spontaneos dirigendi, ad animam referebant.

§. III.

Actus perceptionis, imaginationis, æstimationis, neque minus memoria, docilitas, appetitus, aversatio, quum ab extensione, à figura, situ, connexione, motu, virtute nitente & renitente, derivari minime possint,

opus

opus est, ut præter mechanicam partium structuram & ex hac productos motus, aliud adhuc, à corporis proprietatibus cognitis distinctum agens, statuamus.

Scholion.

Cujus indolis sit illud principium, à quo tanquam à causa & fonte vires percipiendi, appetendi ac certos motus determinandi profluant, penitus humani intellectus captum exsuperat. Ex ejus vero operationibus cognoscimus, quod ad corporum naturam, quorum vires nobis perspectæ sunt, minus recte referri possit. Num præter corpus & spiritum, alia substantia adhuc detur, quæ elementum purissimum, homogeneum & simplicissimum, ad impressiones recipiendas & secundum has ordinatas reactiones producendas, aptissimum sit, ad altiorem metaphysicam magis, quam medicam indaginem pertinere videtur.

§. IV.

Facultas in homine sui & aliarum rerum conscia, veritates & errores distinguendi, ratiocinandi libereque agendi, quum nec à corporis, nec ab animæ sentientis essentia deduci possit, sequitur, aliud adhuc operandi principium, sive substantiam longe nobiliorem, in homine constitui debere, quam mentem Veteres, sacra vero scriptura spiritum ad imaginem Dei conditum vocat.

§. V.

Utut tria distincta in homine sint & concurrant agentia, ita tamen inter se connexa sunt ac conspirant, ut unum alterius ope & auxilio in hac vita egeat, unumque in alterum agat & invicem quoque patiantur.

Scholion.

In universo rerum naturalium ordine ita sapientissimus opifex cuncta constituit, ut unum corpus semper agat in alterum, & ex mutua actione & reactione, motus resultet, omniaque invicem ita connnexa sint, ut unam mutationem altera subinde sequatur.

§. VI.

Mens ministerio animæ sensitivæ utitur, & ab ea rerum perceptiones, impressiones & ideas accipit, quas in ordinem redigit. Læsionem quippe partium solidarum & fluidarum enormem, ut videmus in morbis, læsio facultatum, tam sensitivæ, quam rationalis, sequitur, & destructa machina, utriusque operatio cessat, ut appareat in morte.

Scholion.

Animadvertimus, variarum impressionum copia & impetu subinde recte ratiocinandi facultatem turbari, ut videmus in mente captis, in deliris, in ebriosis. Quo fluidi cerebri natura & motus temperatior est, eo nobilior quoque mentis est operatio. Deinde perversæ impressiones & cupiditates sana ratione corriguntur ac sedantur. Et mentis imperio artus moventur, idque mediante nervorum & sanguinis fluido, nec non instrumento motus bene dispositio.

§. VII.

Principium sentiens liquidi cerebri & nervorum ministerio utitur, siquidem in ipsum fiunt objectorum impressiones, & hoc mediante, etiam anima sensitiva suam movendi potentiam in corpus exercet.

Scholion.

Qui nulla ratione ducti fluidum cerebri, quod veteres spiritum animalem nominarunt, negant, ii animam proxime in nervos partesque solidas agere easque movere existimant. At vero, cum supra satis hujus fluidi existentia stabilita fuerit, id potissimum urgemus, animam longe facilius & promptius in hoc fluidum, ceu mobilissimum, quam in solidum, motui minus idoneum, agere posse, præsertim quum videamus, salvo & integro musculo, læso autem cerebro, vel nervo partis, animam nihil posse efficere.

§. VIII.

Fluidum cerebri & nervorum materiam & originem suam petit à sanguine arterioso ejusque motu ad caput, hinc facile intelligitur, sanguinis magnam esse potentiam animæ sensitivæ actiones valde alterandi & immutandi.

Scholion.

Animantia, quæ calidiorem & copiosiorem sanguinem habent, ut sunt carnivora, aliis dociliora & ferociora sunt. Sanguinei plus ingenii ac memoriæ habent, quam qui boni sanguinis penuria laborant.

§. IX.

Vires imaginationis, memoriæ, ingenii, propensionum, valde differentes, à sanguinis temperie ac motu maxima ex parte dependent.

Scholion.

Ex quo fit, ut mores & inclinationes temperamentum sequi soleant, quod experientia confirmat & jam dudum *Galenus* notavit. Nam in quorum corpore fibræ admodum sunt teneræ, tensæ, strictæ ac mobiles, & sanguinis motus celerior est, in eorum actionibus temeritatem, in moribus ambitionem, in animo vehementiam animadvertimus. Ubi vero ob fibrarum densitatem, immobilitatem viarumque angustiam, cum quadam difficultate sanguis movetur, ibi fixior est imaginatio, in moribus pertinacia, in actionibus tarditas & timiditas, in vitiis avaritia dominatur. At vero sanguine temperatiore libere ac placide corporis meatus percurrente; ingenii ac memoriæ adest alacritas, ad voluptates vero æque ac ad vitia & virtutes, prompta & mobilis est facilitas. Et quia ætas diversa, in solidis partibus, quæ motus instrumenta ac fluidorum viæ sunt, mutationem quandam affert, hinc in animo quoque morum, ingenii, inclinationum, impressionum mutationem efficit, adeo ut alii mores & vitia sint puerilis, alia juvenilis, alia senilis ætatis, uti pluribus in *diss. de temperamento fundamento morum & morborum*, docuimus.

§. X.

Cum sanguis ejusque motus, in animæ sensitivæ operationes, mediante cerebri fluido, magna polleat efficacia; sequitur, ut quoque ea, quæ sanguinis indolem ejusque motum immutandi facultatem habent, insignem potestatem in animam obtineant.

Scholion.

Minime itaque mirandum est, si clima, si alia victus ratio, si medicina, animum, & mores, & sapientiam, mutandi facultatem habeant. Sapienter adstruxit *Hippocrates Lib. 1. de diæt.* §. 30. 34. meliorem & sapientiorem diæta reddi posse animam. Et *eodem libro* scribit: *Si sanum fuerit corpus & non à morbis perturbetur, animæ quoque temperamentum sapiens existit.* Sanguinisque temperamentum multum ad sapientiam conferre, idem auctor *Lib. de flatib.* §. 20. affirmat. Deinceps inter populos, qui diversa incolunt climata, alios esse acutiores, alios obtusiores, quosdam ingenio ac judicio aliis præstare, & diversis vitiis quoque obnoxios esse, ipsa experientia edocemur. Melioris notæ vino assumto, homines alacriores & ingeniosiores, flatulentis vero cibis, ut fabis & pisis, nec non graveolentibus, ut opio, semine hyoscyami, daturæ, stupidos

stupidos atque insanos reddi, indubitata experientia constat. Neque ulli peritiori medico ignotum est, quod continua & ardens febris delirium, affectio vero flatulenta hypochondriacorum melancholiam & insaniam, efficiat.

§. XI.

Est quoque ingens, sed tamen limitata animæ, mediante liquido cerebri & nervorum, potentia in corpus ejusque fluidas & solidas partes, eas varie commovendi & mutandi.

Scholion.

Exserit sese potestas animæ maxime in musculos, qui artus movent, siquidem non modo pro arbitrio eorum motus dirigit, sed & vehementior impressio atrocissimos convulsivos motus & artuum agitationes involuntarias efficere potest, cujus rei inspirati sic dicti solenne documentum edunt.

§. XII.

Anima sensitiva vitales & naturales actiones minime pro lubitu & directe augere, vel minuere potest, utut non negandum sit, eas ab anima multum perturbari posse.

§. XIII.

Affectus animi, qui principii in nobis sentientis & appetentis actus, motus & operationes sunt, sanguinis circulum, & ab eo dependentes partium functiones, vehementer & diversimode perturbant.

Scholion.

Ex gravi iracundia confestim cordis & arteriarum motus celerior fit, ut sanguis cum impetu per vasa trajiciatur, facta respiratione citatiori, siti & vigilia. Tristitia pertinacior solidorum robur valde imminuit, ut fibræ inde flaccescant, relaxentur, earumque vigor ac tonus pereat, inappetentia, nausea, diarrhœa, alvi fluxu subsequente. Terrore partes externæ contrahuntur, frigidæ tremunt, sanguine ad cor & pulmones cum impetu congesto, à quo anxietates, tremores, palpitationes fiunt. Rectissime itaque vehementes animi affectus primum & principem inter causas, quæ morbos inferunt & quæ sanitatem destruunt, locum inveniunt.

§. XIV.

Vis quoque phantasiæ in actionibus naturalibus immutandis se valde exserit.

Scholion.

Quam nocivæ sint fœtibus phantasticæ illæ gravidarum subitæ & fortiores impressiones, cum quodam terrore junctæ, earum in corpore relicta vestigia, maculæ, deformationes partium, abunde testantur. Omnia vehementia desideria quam pernicioſa sint corporis valetudini morbosque inferant, amor insanus, malacia gravidarum & intensa cupiditas videndi patriam & parentes, luculenter comprobant. Rerum ingratarum fastidium, ex solo odore, vel aspectu, ita subvertit ventriculum, ut noxia vomitio subinde sequatur. Quantæ turbæ in universo corpore ex aversatione innata casei, selium, sanguinis fusionis, vel aliarum rerum adversarum, nasci soleant, quotidianus usus ostendit. Profunda animi meditatio atque intentio in studiis vigorem universo corpori ipsique ventriculo detrahit, & animadvertimus, magno ingenii labore, meditatione ac forti impressione, cerebri membranas valde constringi, vel relaxari, ut graves capitis affectus inde propullulent. Solo aspectu epilepticorum, vel varioloſorum, complures in eosdem morbos prolapsos fuisse, medicorum historiæ passim obviæ testantur. Ex sola impressione pestis, eadem quosdam correptos fuisse, licet non affuerit, certo certius est. Ex firmiori imaginatione nonnullos purgare, vomere, sudare, salivare posse, identidem experientia confirmat. Habent hæc omnia maxime locum, atque efficacia animæ sese potentius exserit, in corporibus sensibilioribus, imbecillioribus, vel à præcedente morbo, aut alia quadam ex causa, enervatis.

§. XV.

Igitur anima, quo magis vacua à desideriis & impressionibus, & quo tranquillior ac quietior est, eo minus corporis motus turbat atque offendit, neque alimentorum aut medicamentorum vires pervertit. Qua de causa ab omnis ævi philosophis, mentis tranquillitas, ad sanam & longam vitam, nunquam non commendata est.

§. XVI.

Neutiquam vero animæ potestas in homine eo sese extendit, ut omnium in corpore motuum, etiam morboſorum, causa efficiens sit.

Scholion.

Qui hoc statuunt & contendunt, motus veram naturam & causam corporumque essentiam ac operationem ignorant, quæ non secundum veteres in extensione quadam passiva, à DEO, vel alio quodam ente, in actum & motum deducenda, consistit; sed potius corpora sunt substantiæ activæ, viribus nitentibus ac renitentibus, quibus unum in alterum agit reagitque, donatæ, quarum operatio non alia est, nisi nisus ad motum, qui demum ex mutua & inæquali virium actione & reactione resultat. Et quemadmodum fluida, ut aër, æther calore solari animatus, celerrimæ sunt activitatis ad producendum motum, neque ullo externo alio agente egent: ita tenuissimis animantium fluidis, cur hanc movendi energiam denegare velimus, nec ullam solidam rationem invenio; utpote cum indies edoceamur, non modo à venenis, item ab alimentis & medicamentis, a solo mutato aëre ejusque calore, solidorum & fluidorum actiones & motus augeri, minui, variisque modis immutari posse. Tacemus, quod ejusmodi principium, in medicinam rationalem infelici sidere introductum, rebus corporeis activitatem demendo, omnes physicas, mechanicas & anatomicas causas & rationes uno quasi ictu prosternat, in quibus tamen certitudo ac demonstratio, si qua in medicina fieri potest, consistit. Et quæ plura firmo subnixa talo contra hanc metaphysicam de rebus medicis & physicis sententiam dici possunt tam *in præfatione* hujus libri, quam passim in aliis nostris scriptis attulimus.

§. XVII.

Utut igitur anima in homine, sive rationis particeps, sive sentiens, potentiam quandam ac directionem limitatam in corporis nostri partes obtineat; Medicina tamen, tam in theoreticis, quam practicis demonstrationibus ac deductionibus, pure mechanica est, id est, principiis mere mechanicis, quæ sunt motus & materia, innititur.

Scholion.

Neutiquam certe indicationes medentium, sive sint præservatoriæ, sive curatoriæ, vel alimentorum, aut remediorum vires ac potestates, quibus medicus omne id, quod debet, præstat, ad mentem, vel animam sensitivam, ullo modo spectant, vel eo dirigi possunt, quia horum nulla datur absoluta, vel directa in dicta agentia potestas, sed potius medicorum functio plane est mechanica, quæ in eo versatur, ut, quomodo motus varie disponat materiam, & diversa quoque materiæ indoles motum modificet, intelligant; deinde, ut sciant

nimios motus compescere, deficientes promovere, fibris motricibus & languentibus robur addere, motus fluidorum ad convenientia excretoria dirigere, præterea nocentes succorum qualitates corrigere, invertere & ad excretionem disponere, quæ pure mechanica sunt. Siquidem omnes vires corporis, immo ejus effectus, certo numero, mensura & pondere, sive efficacia ad motum, fiunt; adeoque pure mechanicæ sunt. Quare etiam medicus cujusvis naturæ & individui mechanismum, & quomodo hic conservandus, vel restituendus sit, unice omni cura aç prudentia attendere debet, ita enim solide, perite ac feliciter in operibus artis versatur. Neque alius medico aditus ad animam, sive sentientem, ejusque motus turbativos componendos, patet, vel concessus est, quam ut conveniente, vel alimentorum, vel medicamentorum usu, delinquentes motus, aut materiæ qualitates ac vires noxias, in ordinem ac statum naturalem reducat.

PHILO-

PHILOSOPHIÆ CORPORIS HUMANI VIVI ET SANI

LIBER SECUNDUS,

De Vita & Sanitate per ſalubrem diætam conſervanda & præmatura morte morbiſque avertendis.

PROLEGOMENA

De ſcientia ſanitatem & vitam tuendi.

§. I.

Cientia earum rerum, quæ ad diutius continuandos vitales machinæ animalis motus conferunt, ut homo longa vita & ſanitate fruatur, Græcis ὑγιεινή appellatur.

Scholion.

Hæc medicinæ pars omnium utiliſſima in medicorum ſcholis quartam quidem artis partem conſtituit, & poſt pathologiam tractatur, quum tamen proxime phyſiologiæ ſubjungi deberet; ſiquidem hæc genuinas vitæ ac ſanitatis cauſas explicat, hygieine vero eas pertractat, quæ ſalubritatem, vel inſalubritatem, corpori afferunt, adeoque ſcientiam tradit, qua corpus diu vivum ac ſalvum ſervatur, qua demum neglecta, origines & cauſæ morborum pullulant, hinc commodiſſime phyſiologicam corporis humani tractationem excipit, & pathologiæ præmittitur.

§. II.

Quemadmodum ſanitas omnium rerum pretium excedit omniſque felicitatis fundamentum eſt, ita ſcientia vitæ ac ſanitatis tuendæ omnium nobiliſſima omnibuſque hominibus commendatiſſima eſſe debet.

Scholion.

Vehementer profecto dolendum eſt, quod perpauci eo ſapientiæ perveniant, ut partes, quibus homo componitur, mentis nempe & corporis ſanitatem, recte curent, ſed potiſſimum hominum princeps cura & cogitatio eo in vita dirigatur, quo multis laboribus ac deſideriis ea conſequantur, quæ neque mentem, neque corpus in altiori perfectionis gradu collocare poſſunt. Quin potius cum dolore animadvertimus, noſtris etiam temporibus, utiliſſimam hanc medicinæ partem ab ipſis medicis inſuper haberi, vel parum digne tractari.

§. III.

In poteſtate medici non ſemper poſitum eſt morbos tollere & ægros ſanare, eos vero prudenti conſilio avertere & ſanum illibatumque corpus tueri, utique in poteſtate medici magis ſitum eſt.

Scholion.

Ubi enim inveterati fuerint morbi & altiores radices in viſcerum labe egerint, ut plurimum omnes remediorum vires eludunt; qui vero ex morbis acutiſſimi, & qui magnam ſtragem edunt, naturæ potius, quam artis beneficio ſaneſcunt. Id vero medicus ſua arte efficere poteſt, ut primas origines & ſemina morborum præſcindendo, diutius corpus ſalvum & à morbis ac præmatura morte liberum conſervet.

§. IV.

Quia longior vita & ſanitas integra tam chara ac pretioſa res eſt, utique in impetranda hac, medicus nihil, niſi cum certa ac fundata ratione & experientia, agere, vel præſcribere debet.

Scholion.

Sicuti therapia, ſive ars medendi morbis, huc uſque plus empirice, quam ſcientifice, ex certis atque indubiis principiis tradita eſt, ita etiam hygieinen ſolidis rationibus ac demonſtrationibus fere deſtitutam videmus, eam maxime ob rationem, quia partim vitalis corporis conſervatio, in quonam ea conſiſtat, nondum intime perſpecta, partim quia rerum ſalubrium & inſalubrium, ratio ad tot ac tam diverſa hominum corpora & naturas differens, non ſatis digne adhuc evoluta & ad liquidum perducta eſt.

§. V.

Scientia rerum homini ſalubrium & inſalubrium non tam intellectu facilis eſt, ut vulgo putatur.

Scholion.

Nullæ enim dantur res abſolute & in ſe ſalutares, vel noxiæ, ſed certis relationibus & conditionibus corporum vires nituntur. Quicunque ergo medicus præcepta cuivis ſalutaria præſcribere vult, is non modo naturam corporis in individuo perfecte noſſe, ſed relationes etiam ac reſpectus, quibus variant ſalubrium vires, accurate tenere debet.

§. VI.

Vera itaque hygieine veras vitæ & ſanitatis cauſas ſupponit; & medicus in applicatione ipſius, vires ac proprietates earum rerum, quæ ſanitatem conſervandi, vel labefactandi potentia gaudent, partim ex experientia, partim ex ſolida demonſtratione, altius perſpectas habere debet.

CAPUT I.

De ſanitatis natura ejuſque ſignis & cauſis.

§. I.

SAnitas eſt vigor actionum, tam corporis, quam animi, à temperato & libero ſolidorum ac fluidorum motu ſanguiniſque & humorum temperie, neque minus à convenientibus ſecretionibus & excretionibus, dependens.

Scholion.

Hæc definitio ſanitatis realis eſt, quia non tantum ejus formalem rationem, quæ in vigore actionum animi & corporis conſiſtit, ſed & veras ejus cauſas complectitur.

§. II.

Subjectum ſanitatis non modo eſt corpus, ſed & in corpore reſidens mens, quia corporis ſanitate deſtructa, ob mutuum commercium & vinculum, mens quoque in ſuis operationibus impeditur & turbatur.

Scholion.

Tametſi mens & anima ſentiens per ſe non ægrotent, nihilo minus tamen fit, ut corpore male affecto, ſanguiniſque temperie male ſe habente, illorum operationes quoque lædantur. Eſt enim mirifica mentis & ſanguinis motus conſpiratio, adeo, ut unius læſio in alterum repente tranſeat; quemadmodum in phyſiologicis id abunde oſtenſum atque confectum eſt. Pulchre hinc *Democritus* ſcribit, vid. *Hippocrat. Lib. de Natur. Human. p.* 281. *augeſcit intelligentia præſente ſanitate. At ubi corporis habitus ægrotat, neque mens ipſa alacritatem habet ad virtutis meditationem. Morbus enim præſens animum vehementer obſcurat, intelligentiam ad affectiones in conſenſum trahens.*

§. III.

Quia res externæ, quibus continuo utimur, ut aër, victus & aliæ ex rebus non naturalibus cauſæ, magnam potentiam in ſolidorum ac fluidorum temperiem & motus obtinent, hinc animadvertimus, ab inſalubri aëre & victu, animam quoque & mentem turbari.

Scholion.

Peritiſſime enim *Hippocrates Lib. de Diæta* ſcribit, quod ſi quis velit ſapientiorem animam reddere, hoc debeat per diætam præſtare. Nihilque familiarius eſt, quam quod in morbis acutis, ubi ſanguis per vaſa corporis celerrime trajicitur, impatientia & præcipitantia, imo inſania obſerventur, inque chronicis paſſionibus, præſertim in hypochondriaco illo malo, ſine cauſa triſtitia, timiditas & ingens in animo anxietas enaſcantur.

§. IV.

Recte igitur mentis animique vigor, quia ſanguinis motu temperato ſuſtentatur, ſanitatis indicium, & contra etiam integritas actionum animi deperdita, labefactatam corporis ſanitatem ſubindicat.

Scholion.

Quando itaque vires ingenii atque animi minuuntur, vel perverturtur, certum indicium eſt, corporis quoque vim ac robur pati, ut videmus in ſenibus, languidioribus & morbo fractis. Neque in morbis, animus erectior & alacrior factus, fallax redeuntis ſanitatis indicium præbet.

§. V.

Sanitas quoque ex vigore actionum corporis, quæ in vitales & naturales diſpeſcuntur, recte utique æſtimatur.

Scholion.

Actiones vitales, quæ vitam immediate ſuſtinent, ſunt motus, qui partim in cordis & arteriarum pulſu, partim in robore fibrarum corporiſque agilitate, item in reſpirationis actu obſervantur, & ex horum habitudine actionum vitalium vigor dijudicatur; actiones vero naturales ex appetitu, digeſtione, nutritione, maxime vero ex excretionibus per alvum, urinam, tranſpirationem, æſtimantur.

§. VI.

Is itaque ſanus ratione corporis dicendus eſt, qui pulſu gaudet magno, æquabili ac moderato, qui faciem habet bene coloratam, & calorem per univerſum corpus diffuſum obtinet, libere reſpirat, & qui corpus minus grave, ſed agile & ad labores promtum habet. Deinde, qui bene appetit, ingerit, nullas moleſtias in abdomine perſentit, & proportionate ſecundum ingeſtiones excernit, placidoque & reficiente ſomno fruitur.

Scholion.

Is itaque medicus, qui ſtatum hominis ſanum explorare vult, ad omnes has actiones reſpicere earumque vigorem, vel defectum, obſervare debet.

§. VII.

Quum in rerum natura nihil fiat ſine ſufficiente ratione, & effectus viribus cauſarum ſemper reſpondeant, vigor quoque actionum, tam animæ, quam corporis, cauſis adæquatis ut fiat neceſſe eſt, quæ utique à medico inveſtigandæ ſunt.

§. VIII.

Sicuti ſanguinis & humorum continua progreſſio, à motu cordis & fibrarum robore dependens, cauſa eſt vitæ, ita temperatus, liber & æquabilis ſanguinis & humorum progreſſus, proximam ſanitatis cauſam conſtituit.

Scholion.

Per moderatum ſanguinis circuitum eum intelligimus, qui nec nimis tardus, nec nimis celer, nec nimis vehemens, aut debilis eſt, qui optime ex pulſu cognoſcitur. Motum vero æquabilem eum appellamus, quo ſanguis eodem celeritatis gradu per vaſa fertur. Et liber eſt, qui ad omnes partes libere & ſine ullo impedimento devolvitur, neque in aliis partibus auctior, in aliis vero impeditior & tardior eſt.

§. IX.

Exiſtente ſanguinis motu per univerſi corporis partes moderato, æquabili & libero, animadvertimus univerſi corporis functiones recte ſe habere. In cerebro vigent ſenſus, ingenii adeſt alacritas, animus ad intelligentiam & moderationem affectuum compoſitus, calor eſt moderatus, facies vivida, reſpiratio bona, membris ineſt agilitas, appetitus integer, neque cibus aſſumtus moleſtiam creat. Præterea alvus recte reſpondet, urina citrinum colorem refert, ac naturali conſiſtentia gaudet, cutis, ob perſpirationem bene & ordine ſuccedentem, mollis atque uda obſervatur, corporis habitus laudabilis, neque homo à celebrato coitu facile debilitatur, & denique etiam ſomnus ac vigilia ſe moderate habent. Perſpectis itaque inſignibus beneficiis, quæ à convenienti ſanguinis ac humorum motu in corpus humanum, ipſamque ejus in ſanitatem redundant, rei ordo poſtulare videtur, ut genuinas cauſas inquiramus, quibus naturalis ſanguinis circuitus ſuſtentatur.

§. X.

Fluida autem regi à ſolidis, & ſolida à fluidis, motumque ſolidorum, cordis videlicet & arteriarum, omniſque

niſque generis fibrarum, in earum ſucceſſiva dilatatione & conſtrictione conſiſtere, ſupra ſatis demonſtratum eſt. Exinde igitur haud in difficili eſt perſpicere, motum ſanguinis ordinatum, qui ſanitatis præſes eſt, à moderato & æquabili motu & pulſu cordis atque arteriarum tonoque partium, nec nimis aucto, nec nimis remiſſo, dependere.

§. XI.

Motus ſolidorum non à ſe ipſo, ſed ab alia cauſa, nimirum fluido tenuiſſimo nervorum & influxu ſanguinis arterioſi ſubtiliſſimi, proficiſcitur.

Scholion.

Fluida hæc mira mobilitate inſtructa, cordis & arteriarum fibras ad motum impellunt, & ſolidis partibus debitum tonum fœnerant. Atque eam ob cauſam neceſſe eſt, ut & ſanguis, & quod ex eo generatur fluidum nerveum, rite ſit conſtitutum; hac enim ratione motus ordinati, qui vitæ ac ſanitati favent, optime perficiuntur.

§. XII.

Ad naturalem ſanguinis conſtitutionem, quæ ſolidorum motus ſuſtentat ac fluidorum progreſſum juvat, certa quantitas & conveniens temperies requiruntur.

§. XIII.

Debita quantitas ea eſt, quæ nec copia excedit, nec deficit. Si enim vaſorum alvei ſuperfluis humoribus inundantur, ſuccumbunt oneri, nec undas vitales per corpus rite circumferre poſſunt. Sub nimia autem humorum inopia, ſolidorum virtus hebeſcit, unde accidit, ut fluida ſufficienti in quantitate ad emunctoria & ſupremum corporis habitum provolvi nequeant.

§. XIV.

Sanguis decente gaudet temperie, quando principia, quibus ſanguis componitur, debita ac juſta proportione inter ſe invicem combinata ſunt.

Scholion.

In phyſiologicis ſatis evictum ac ſtabilitum eſt, ſanguinem ex partibus 1.) aqueis 2.) oleoſis inflammabilibus temperatis, & 3.) terreis tenerioribus eſſe coalitum, ea tamen proportione, ut ad minimum tres aquæ partes, ad unam partem ſolidi, duæ vero principii terrei ſubtilioris, ad unam partem oleoſi inflammabilis, referri debeant.

§. XV.

Temperatus itaque & optimæ indolis ſanguis eſt, qui nec humido, nec ſolido abundat, qui nec nimia craſſitie, nec tenuitate laborat, neque nimium olei, neque terræ fovet, adeoque ad motus ſubeundos nec nimis promtus, nec prorſus iners eſt.

Scholion.

Veteres, qui cognitionem principiorum ſanguinem componentium plane non caliebant, ſanguinis temperiem, quam ſanitatis cauſam agnoſcebant, in æquali ac temperata quatuor humorum & qualitatum mixtione quærebant. Qua de re præclara ſunt, quæ *Hippocrates Lib. III. de Nat. Hum.* §. 5. & 6. tradit: *Homo*, inquiens, *conſtat ex ſicco, humido, calido & frigido, hincque ſanguinem & pituitam & bilem duplicem, flavam & nigricantem habet, & ſanus maxime eſt, ubi temperamentum inter ſe habuerint moderatum, tam facultate, quam copia, & ubi maxime fuerint permixta: ægrotat autem, horum ſi quid minus, aut amplius fuerit, aut ſeparatur in corpore, & non fuerit reliquis omnibus contemperatum.* Conf. quoque locus *de Priſc. Medic.* §. 24. ubi hæc exſtant: *ineſt in homine & amarum & ſalſum, & dulce & acidum, & alia infinita omnigenas facultates habentia, copiamque ac robur. Atque hæc quidem mixta & inter ſe invicem contemperata, neque conſpicua ſunt, neque hominem lædunt. Ubi vero quid horum ſecretum fuerit, tunc & conſpicuum eſt, & hominem lædit.*

§. XVI.

Si ſanguis bene temperatus ac mixtus, inque conveniente quantitate conſtitutus, moderato & libero motu per omnis generis vaſa ac tubulos fertur atque in circulum volvitur, tunc non modo univerſum corpus à corruptione vindicatur, ſed & ſecretiones fluidi nervorum, ſucci nutritii, ſeminalis, lymphæ, item ſalivæ, recte ſeſe habent & ſanguis cæteique humores per omnia emunctoria ab omnis generis ſordibus bene deputantur, neque minus omne ſuperfluum & inutile excernitur; præterea omnes actiones, tam animæ, quam corporis, partiumque robur ac tonus, ingenii alacritas & vigor, in optimo ſtatu conſtituta ſunt.

Scholion.

In phyſiologicis ſupra ſatis clare & ſolide deductum eſt, in ſanguinis bene conſtituti motu ac circulo temperato, materiam, cauſam & originem vitæ, ſanitatis & omnium actionum, quæ ſecundum naturam in corpore fiunt, poſitam eſſe. Quare etiam veteres, ipſaque ſcriptura ſacra, non ſine ratione, vitam & animam in ſanguine collocarunt. Igitur omnia ea, quæ bonum & temperatum, quantitate minus excedentem, gignunt ſanguinem, eumque in moderatiori motu conſervant, ſanitati admodum congrua & vitalibus motibus apta judicari debent.

§. XVII.

Sanguis etiam optime tam ratione quantitatis ac temperiei, quam motus conſtitutus, continuis mutationibus, propter inteſtinum calidum motum, qui ipſum conſumit inque excrementa convertit, eſt expoſitus, quare opus eſt, ut in amiſſi locum ſemper nova materia boni ſanguinis ſubſtituatur.

§. XVIII.

Certa & attenta obſervatione conſtat, in homine robuſto ac perfecte adulto, eandem fere quantitatem ac menſuram earum rerum eſſe, quæ excernuntur & quæ ingeruntur, ſive excretiones debere eſſe æquales ac proportionatas ingeſtionibus, ſi ſanitate frui debet corpus.

Scholion.

Id liquidum & clarum evadit experimento, quo conſtat, hominem, utut per ſeptem dies vel quinquaginta libras alimentorum liquidorum ac ſolidorum aſſumat, non tamen pondere, ſi lance examinetur, creſcere; hinc neceſſario ſequitur, ut idem aſſumtorum pondus rurſus è corpore ſecedere & excerni debeat, quod ſi non accidit, certe morborum origines ac ſemina ingenerantur & ſanitas periclitatur.

§. XIX.

Novam materiam ſanguini, qui fons vitæ omniſque roboris in partibus eſt, partim aër, partim etiam alimenta ſubminiſtrant, unde homo alimentis & aëris uſu deſtitutus, mox vigorem & vitam amittit. Ergo ingeſtiones & egeſtiones, ratione vitæ tuendæ, pari ambulant paſſu.

§. XX.

Quum itaque vita & ſanitas non diu ſalva & illibata ſine aëre & alimentis perſiſtere poſſint, hæc vero mirum in modum varient, magiſque, vel minus, ſanguini bono ingenerando idonea ſint, ſequitur, diuturnæ vitæ ac ſanitatis rationem unice eſſe quærendam, tam in aëris, quam alimentorum convenienti uſu, qualis eſt, qui bonum ſanguinem ingenerat ejuſque motum liberum ac temperatum tuetur.

§. XXI.

Anima, tanquam præcipua hominis pars, magnam etiam potentiam habet motum partium corporis ſolidarum ipſiuſque ſanguinis & humorum, indeque dependentes ſecretiones & excretiones, alterandi, adeoque œconomiam actionum naturalium turbandi; eam ob cauſam recte concluditur, in animæ quoque habitu, vitæ, ſanitatis, morborum ac mortis rationem eſſe poſitam.

§. XXII.

Sine motu & labore, ſine quiete etiam & ſomno ac vigilia, homo vitam degere non poteſt; hæc vero quum diverſimode etiam & ſanguinis temperiem immutare poſſint, liquido conſtat, ſanitatis ac vitæ rationem in horum convenienti uſu quærendam eſſe.

Scholion.

Patet hinc clariſſime, quantæ utilitatis ad tuendam vitam ac ſanitatem ſit conveniens earum rerum uſus, quas res non naturales *Galenus* appellavit, & ſunt animi conditio, aër, cibus & potus, excreta & retenta, motus & quies, ſomnus ac vigilia. Quicunque igitur vitam ac ſanitatem diu ſalvam & illibatam ſervare cupit, is ad has res earumque debitum uſum, pro conſervando ſanguinis bene conſtituti motu, ſecundum cujuſvis corporis & partium ejus conſtitutionem & ſtructuram, probe attendere ac reſpicere debet.

CAPUT II.

De animæ conditione motus vitales vel conſervante vel deſtruente.

§. I.

MAgna ineſt potentia animæ, pro diverſis impreſſionibus, proxime & directe, motus vitales ac naturales afficiendi & alterandi.

Scholion.

Quia anima eſt pars hominis cum corpore intime unita, eaque variarum impreſſionum ac motuum capax eſt, magnamque & celerem potentiam poſſidet, ſaniſſimi etiam hominis ſanguinem & motus alterandi, liquido apparet, indagandum eſſe eum animæ ſtatum, qui ad motuum vitalium conſervationem multum faciat.

§. II.

Firma experientia edocemur, quemlibet animi vehementiorem affectum pulſum ac reſpirationem mutare, perſpirationem omniſque generis excretiones perturbare, & appetitum ipſumque virium robur dejicere.

§. III.

Hiſtoriæ medicæ teſtes ſunt locupletes, hominem, etiam robuſtum & perfecta ſanitate fruentem, vel ſolo improviſo ac vehementi terrore, omnibus viribus ita prorſus privari, ut, nec manum, nec pedem, movere poſſit. Quin etiam haud raro accidit, ut homo repentino & inopinato terrore perculſus, in ſummum vitæ diſcrimen adducatur, vitamque cum morte commutare neceſſe habeat.

§. IV.

Sub terrore partium extremitates coarctatæ refrigerantur & contremiſcunt, facies fœdo pallore diſcoloratur, ceſſant excretiones per alvum & urinam, ſubſiſtunt exhalationes cutaneæ, inque molliori ſexu lunare tributum ſupprimitur. Cor autem inuſitata concutitur palpitatione, & præcordia ſuffocativa propemodum anxietate ſtrangulantur.

§. V.

Frequenti conſtat obſervatione, ad concitatiorem animi ab iracundia factam commotionem, pulſum ac reſpirationem fieri citatiorem, cor cum anxia luctari palpitatione, partes extremas tremere, ac mentem de ſtatu ſuo deturbari, ita, ut interdum brevem quaſi furorem mentiatur.

§. VI.

In diuturnum tempus productus animi mœror totius corporis vires frangit, tonum ac robur partium enervat, ipſiuſque ventriculi ac viſcerum vigorem deſtruit, unde eſt, quod pertinacem animi angorem, vel nimiæ, vel deficientes excretiones, excipiant.

§. VII.

Omnis animi ardor effuſumque deſiderium, ſive in rem veneream, ſive in aliarum rerum, quæ obtineri haud poſſunt, poſſeſſionem feratur, miris modis corpus fatigat ejuſque vires obterit atque extenuat.

§. VIII.

Tam notum eſt, quam quod notiſſimum, quantum profundior & abſtruſis rebus infixa cogitatio corporis vires limare, ventriculi robur obtundere ſomnumque turbare poſſit.

§. IX.

Mens itaque tranquilla, compoſita & ab omnibus perverſis deſideriis atque averſationibus vacua, integrum corporis ſtatum optime cuſtodit vitæque conſervationi patrocinatur. Atque eam ob rationem unumquemque, cui ſanitatis tutela curæ cordique eſt, ſumma ope eniti decet, ut laudatam hanc animi tranquillitatem conſequatur.

§. X.

Quæcunque igitur ita comparata ſunt, ut mentem in ſtatu pacato & quadam quaſi malacia ponant, ea pro viribus tuendis optime militant & ſanitati ſervandæ optatiſſimum præſidium ferunt.

§. XI.

Veræ ac genuinæ virtutes, quarum in cenſu ſunt in rebus adverſis & anguſtis patientia, animi moderatio, mens præſentibus contenta, intra ſe ipſam collecta, neque in varias diffuſa agitationes, ut & veritatis inquiſitio, quoniam ejuſmodi ſunt, ut mentis pariant tranquillitatem, eamque ſuavi voluptate perfundant, utique ſanitati ac vitæ longius proferendæ velificantur.

Scholion.

Patet exinde, veræ pietatis ac virtutum culturam ſtudiumque veritatis, omnibus ac ſingulis, qui his adminiculis utuntur, ſanam & longiorem vitam promittere. Gravis autor, *Plutarchus*, tradit: plures, corpore alioquin infirmo & vacillante, philoſophiæ præceptis, vitam ſibi feciſſe protractiorem. Atque adeo præclare egiſſe videntur Platonicæ ſectæ addicti medici, quod paucis & parabilioribus remediis contenti, moralibus maxime præceptis ſanarent ægros, & difficillimos ſic morbos jugularent.

§. XII.

Mente tranquilla exiſtente, nil quicquam turbarum in motibus vitalibus percipitur, omnesque, quæ ad ſanitatem ſpectant, excretiones, recte & ordine procedunt. Hinc bene meminit *Sanctorius Sect. II. aph.* 49. nihil magis liberam reddere perſpirationem, quam animum quietum.

§. XIII.

Maxime ſanitatem juvat, eſſe animi hilaris & ab affectibus vacui, eo tempore, quo cibus vel ſomnus capitur. Digeſtio enim & requies corporis ab omni affectu

gravem

gravem patiuntur jacturam, quum tamen ſomnus & alimentorum concoctio ea ſint naturæ beneficia, quibus ſucci ac vires deperditæ reſtaurantur & totius corporis ac animi vigor acuitur.

§. XIV.

Quum omnes animi commotiones tanta corporis integritatem affligendi potentia polleant, utique pravus earum affectus omni ſtudio & circumſpectione avertendus eſt.

§. XV.

Quemadmodum à gravi terrore externæ partes ſpaſmo contractæ, ſanguinem & humores ab ambitu corporis ad interiora repellunt omnesque excretiones cohibent: hinc nihil magis periculoſum eſt, quam eo tempore frigori corpus exponere, vel frigidum potum ingurgitare. Male etiam & ſiniſtro ſucceſſu emetica, purgantia, vel opiata exhibentur, quippe quæ, motum humorum, qui extrorſum tendere debebat, ſuffiaminant ac retrahunt, vires adhuc magis infringunt & ſpaſmodicas externarum partium conſtrictiones adaugent.

Scholion.

Nihil perniciosius eſt, quam emetica, purgantia, aut aliud fortius medicamentum præſcribere, ſi quando graviori animi perturbatione œconomia motuum vitalium & ſecretoriorum in transverſum acta fuerit. Ipſi perſpectum habemus, imprudenti ac temeraria ejusmodi medicatione, inſanabiles læſiones generi nervoſo fuiſſe inductas. Præſtat potius tali in caſu motum ſanguinis ad ambitum corporis allicere, ejuſque ſpirituaſcentiam blande accendere ac vires dejectas refocillare. Quare commendanda ſunt animi & corporis quies, à cibo ac potu abſtinentia, modicus vini generoſi uſus, cum lapidibus cancrorum & pulvere quodam bezoardico, aqua liliorum convallium cum vino, balſamum noſtrum vitæ cum liquore noſtro minerali, mixtura ſimplex, & præcipue infuſa calida ex herba meliſſæ, veronicæ, ſalviæ parata; quæ omnia hoc in affectu operam locant præſtantiſſimam.

§. XVI.

In iracundia, ubi ſanguis & humores torrentis inſtar per vaſa feruntur, nihil ex alimentorum, vel remediorum claſſe quadrat, quod fortiter commovet, aut humores ad ebullitionem jam ſatis aſſurgentes magis accendere poteſt. Hinc ab omni vehementiore purgatione, vomitione, ſudoris prolectione, medicina calidiori, vino & ſpirituoſis abſtinendum eſt. Sed potius hic locum inveniunt omnia, quæ ſedativa & antiſpaſmodica virtute ſplendent; quo pertinent animi & corporis quies, pulvis præcipitans & nitroſus, aquæ antepilepticæ ex floribus concinnatæ, clyſter emolliens & laxans, rhabarbarum cum nitro & lapidibus cancrorum.

Scholion.

Vidimus multos ineffabilem feciſſe ſanitatis jacturam, qui gravi iracundia incenſi, infuſum herbæ thée copioſe & calidiſſime potarunt; id quod etiam à balneo calidiori adminiſtrato obſervavimus. Horum enim perverſus uſus dolores artuum ac tremores cum lenta febre viriumque languore poſt ſe reliquit.

§. XVII.

Quoniam contumax angor animi omnem naturæ vim hebetat ſenſimque conſumit, ac ſolidis partibus, inprimis autem ventriculo & inteſtinis, tonum ſuffuratur multumque roboris detrahit, idcirco præter moralia & ſalutaria rationis præcepta, ea in uſum vocare decet, quæ roborandi virtute inſtructa ſunt. Quo in numero habentur vinum generoſum, ambrata, balſamica, præſertim balſamum noſtrum liquidum, ſal volatile cinnamomiſatum, aër ſerenus ac purus, ſomnus & moderata corporis exercitatio. Quæ omnia ejuſmodi ſunt indolis, ut moribundam quaſi naturæ vim excitent eamque ſuaviter reficiant.

§. XIIX.

Quibus affectuum iudulgentia quaſi in conſuetudinem abiit, ii plerumque vitium aliquod ac morboſam diatheſin in viſceribus, aut partibus fluidis alunt, unde opera adhibenda eſt, ut opportuna vitæ ratione & convenienti medicina, gliſcentes hi morbi & intra viſcera lente ſerpentes, è corpore exterminentur.

Scholion.

Qui phthiſi laborant, ad impatientiam & iracundiam valde proni ac proclives ſunt. Quibus hypochondria male habent, in ſupervacaneum timorem ac triſtitiam propendent, varia ſibi ſomnia & perverſas fingunt impreſſiones, rebus ſuis diffidunt, deſpondent animum, ac tandem abruptis quaſi omnibus vitæ blandimentis, ad ultimam deſperationem adiguntur. Quo in caſu moderatiſſima & ſtrictis legibus contemperata vitæ ratio, omni medicamentorum apparatui palmam præripit, cujus uſus etiam per omnia multum valet, ubi morboſæ mentis ſuſpicio adeſt & affectuum intemperantia conſpicitur.

CAPUT III.

De aëris ad ſanitatem uſu.

§. I.

FLuidum aëreo-æthereum, mobiliſſimæ, elaſticæ, expanſivæ indolis, cum eſculentis ac potulentis intra corpus illatum, intimum cum ſuccis vitalibus ac rore nerveo init connubium, motusque ac roboris ſolidorum præcipua cauſa eſt. Deinde etiam exterius corpori incumbens aër, internum ſuccorum elaterem gravitate ſua moderatur, & reſpirationis ope intra pulmones receptus, ſanguinis preſſionem ex uno ventriculo in alterum egregie adjuvat, quare ejus uſus ad motus vitales ſuſtentandos eſt longe ampliſſimus.

Scholion.

Quamvis aër reſpiratione pulmones ſubiens cum ſanguine in iis contento non miſceatur, quod in phyſiologicis ſolide deduximus; in omnibus tamen corporis noſtri ſuccis, in ſanguine, lympha, ſaliva & bile, cunctisque excrementitiis humoribus, præſens eſt, & alimentorum vehiculo, quorum pori & intervalla ſpiris aëris imprægnata ſunt, ſe in corpus inſinuat. Imprimis veró aëris in ſanguine præſentia curioſo experimento, ope antliæ pneumaticæ inſtituto, ad oculum patet. Quam ob cauſam multum intereſt medico intelligere, qualis ſit aëris conditio, quem homines hauriunt, quippe qui ſemper multas alienas partes ſibi admixtas habet, quæ ſanitati motibusque vitalibus noxam præſentem inferre poſſunt.

§. II.

Aër, cujus pabulo homines fruuntur, non unius ejusdemque eſt indolis, ſed ratione gravitatis, elaſticitatis, caloris ac frigoris, inſigniter differt. Diverſa quoque ejus conditio eſt contentorum reſpectu, quæ partim exhalationes humidæ, partim impuritates ſalinæ cauſticæ, ſulphureæ, fermenteſcibiles, imo putredinoſæ ſunt.

Scholion.

Res extra omne dubium poſita eſt, morbos, qui eodem tempore multos adoriuntur, & vel benigniori, vel maligniori genio incedunt, non aliunde, quam ex adulterata aëris conſtitutione, ſuam trahere originem. Se-

mina enim morboſa, quæ intra aërem deliteſcunt, valde activo inſtructa principio, corpus ſubeunt, & graves ſæpe turbas ac violentas commotiones excitant; cujus rei luculentum teſtimonium edunt miaſmata, quæ contagio ſerpunt, ac fumi carbonum accenſorum aliarumque rerum odoratarum, quibus magna nocendi & commovendi vis ineſt. Atque eam ob rationem medicus exacte ſciat oportet, qualis aëris ſtatus ſanitati faveat, vel adverſetur.

§. III.

Experientia magiſtra quotidie docemur, aërem purum, ſerenum ac temperatum ſanitati ac vitæ quam maxime eſſe accommodatum.

Scholion.

Per aërem purum eum intelligimus, qui partibus heterogeneis vacat, & à variis adventitiis exhalationibus probe defœcatus eſt; præterea, qui de ſubtiliſſimo ac mobiliſſimo ætheris fluido, quod primario ejus texturam ingreditur, multum participat. Quo major enim pars ſubſtantiæ æthereæ aëri aſſociata eſt, eo liquidiori ſerenitate fulget, motuque vivido inteſtino graves ac peregrinas exhalationes à conſortio ſuo arcet. Aër vero temperatus is eſt, in quo nec calor, nec frigus, neque humiditas, modum excedunt, ſed qui blanda ac moderata temperie gaudet.

§. IV.

Purus, ſerenus ac temperatus aër ſolidorum motum contractorium & expanſivum ſartum ac tectum ſervat, fibrisque debitum robur & convenientem tonum fœnerat. Neque enim poros ac tenuiſſima vaſcula nimis conſtringit, vel juſto plus laxat, neque partium fluidarum compagem ſolvit, vel attenuat, neque etiam ſpiſſum lentorem inducit, ſed potius decentem earum mixturam ac temperiem egregie tuetur.

Scholion.

Quanta enim caloris ac frigoris in corpora ſolida æque ac fluida poteſtas ſit, mechanica, phyſica & chymica experimenta ſatis ſuperque teſtatum faciunt.

§. V.

Quum purus ac temperatus aëris habitus ſanitati ſit amiciſſimus, cauſa in propatulo eſt, quare loca montoſa, editiora, præcipue orientalibus ventis expoſita, & habitationes quoque ruſticanæ, corporis ſalubritati magnas ſuppetias ferant. Loca enim altiora aërem tenuiorem, magisque ſincerum & intaminatum alunt, quoniam ibi crebrior ventorum perflatus omnium exhalationum impurarum colluviem diffundit ac diſſipat.

§. VI.

Tempus vernale, quo temperatior ſolis æſtus aërem calefacit, ſalubritate omnibus reliquis anni partibus antecellit.

Scholion.

Circa æquinoctium vernale animantibus ſummum robur conſtare obſervamus. Hoc enim temporis tractu piſces & reliqua omnis fere generis animantia ſuam produnt fœcunditatem, ſemina & ova deponunt, & pullos excludunt, liquidiſſimo, ingentis, quo tunc temporis polleant, vigoris, indicio.

§. VII.

Neque minus Majus ac September, cæteros menſes ſalubritate ſuperant, quoniam præ aliis ſingulari temperie dotati ſunt.

Scholion.

Obvia jam ratio eſt, quare tardarum paſſionum curationes his menſibus optatiſſimo cum ſucceſſu inſtituantur; & quare præſervationis cauſa ſuſceptæ curationes, adhibito venæ ſectionis, laxantium, aquarum medicatarum, acidularum ac thermarum uſu, horum menſium favore feliciſſime eveniant. Ratio etiam in aperto eſt, cur ſalivationes & curæ mercuriales, in lue venerea affectis, intra hoc temporis intervallum ſecundiorem edant operationem, & quare mutationes cœli inque aliena loca ſanitatis ergo deſtinatæ peregrinationes, id temporis cum inſigni fructu ſuſcipiantur.

§. VIII.

Aër temperate frigidus, juſto calidiori anteponendus eſt, quia corporis vires cuſtodit, & intus quaſi concluſas detinet.

Scholion.

Præſtat itaque aëri ſubfrigido, quam nimis calido aſſuefieri. Populi ſeptentrionales, aëri frigido aſſueti, plus virium ac roboris poſſident & corpore ſunt longe habitiori, quam qui regiones ſub prælida cæli inclinatione ſitas incolunt. Nimius enim, qualis his regionibus familiaris eſt, ſolis fervor, corporis ſuccos exurit & ſupra modum expandit, auctaque præter naturam tranſpiratione, ingentem viribus facit injuriam. Pervulgatus autem ac peſſimi moris error eſt, cui obnoxiæ ſunt pleræque matres, vel etiam mulierculæ, quibus infantum cura commiſſa eſt, quando nimirum tenellos in continuo calore ſervant, & omni ex parte circumſpiciunt, ne levi aura, vel aëre frigidiuſculo, afflentur. Unde accidit, ut infantes hac ratione mirum in modum debilitati, quando ſub cœlo libero verſantur, vel mitiſſimi frigoris acceſſum, graviter, & interdum non ſine læſione, ferant. Laude hinc digna eſt veterum Germanorum conſuetudo, quibus ſolenne erat, recens natos infantes aquæ frigidæ, vel ipſis fluminibus immergere, non alium in finem, niſi ut corpora tenellorum, primis ſtatim ſub annis frigori aſſueta, conſtantius robur induerent.

§. IX.

Diſpiciendum eſt, ut eo inprimis tempore, quo cibos, vel ſomnum capimus, aëre puro ac temperato fruamur.

Scholion.

Nimirum cum cibis ac potulentis aërem in ventriculum & interiores corporis receſſus ipſumque in ſanguinem intromittimus. In ſomno autem, ſub quo ſanguinis curſus per pulmones lentiori gradu fertur, eum aërem haurire præſtat, qui elaſtica & expanſiva qualitate imbutus eſt, ut tenuiſſimas pulmonum veſiculas, perque eas retiformi contextu ſerpentes venarum ramulos, leniter coarctet & conſtringat, ne ſanguis ac humores diutius quam par eſt, ibi commorantes, pulmonum obſtructionibus, aſthmati, vel etiam polyporum generationi, velificentur. Nihil itaque perniciosius eſt, quam cubicula vel alia quævis loca incolere, quæ nimis depreſſa & terræ vicina, vel intra intra ejus viſcera concluſa jacent, & quæ variis aquarum ſtagnationibus opportuna ſunt. Neque minus eorum ſanitas periclitatur, qui hyemali tempore ſub aëre præter modum excalefacto, vel furnorum exſpirationibus & fumis carbonum accenſorum repleto, ſomno indulgent. Res vero periculi pleniſſima eſt, in eo conclavi ſomno corpus committere, cujus parietes calce viva non ita pridem incruſtati, vel luto recenter obducti ſunt. Graviſſimæ enim inde paſſiones, ut aſthmata & anginoſæ ſuffocationes, oriuntur. Vapidus denique & corruptioni proximus aër ſcorbuto & cachexiæ mirum quantum lenocinatur.

§. X.

Eorum ſanitas in præcipitio verſatur, qui intenſiori hyeme in conclavi degunt, vel etiam ſomno conquieſcunt, ubi carbones accenſi ſunt.

Scholion.

Dici vix poteſt, quam periculoſe accenſorum carbonum fumus vitæ ac ſanitati inſidietur. Teſtem citamus experientiam, quæ pluribus hiſtoriis medicis ſubnixa, penitus confirmat, multos, alias integre valentes, à ſolo accenſorum carbonum fumo, intra conclave minus ſpatioſum concluſo, eſſe jugulatos, vel affectibus apoplecticis, ſyncopticis, ſoporoſis aut epilepticis pathematibus, correptos. Qua de re legi poteſt judicium noſtrum *de noxa carbonum accenſorum.* Neque aliud quicquam, niſi nimius carbonum foſſilium uſus, in cauſa eſt, quare peripneumonia, aſthma ſiccum & phthiſis, morbi & Leodii, & Londini, endemii ſint. Conſulatur etiam *Ramazzini* Tr. *de morbis artificum*, ubi hæc res diffuſius pertractata reperitur.

§. XI.

Quemadmodum temperatus aër ſanitati amiciſſimus eſt, ita intemperatus & exceſſiva quadam qualitate peccans, inexplicabiles corporis integritati inſidias ſtruit.

§. XII.

Aër nimio calore fervens, qualis eſt circa ſolſtitium æſtivum, in ſole meridiano, in locis calidioribus, ac ventis, maxime auſtrali & orientali, regnantibus, humores corporis immodice attenuat ac raros facit, dumque pororum hiatus latiores reddit, inconſpicuas diffflationes nimis auget. Atque hac ratione ſanguinis particulas ſubtiliores, quæ virium effectrices ac motuum opifices ſunt, plus juſto eliminat, gelatinoſas vero, quæ in corporis alimentum cedunt, reſolvit, diſſipat, adeoque magnam inducit debilitatem. Quare talis aëris ſtatus, quacunque fieri poteſt ratione, fugiendus eſt.

Scholion.

Quamvis aëris ſpiræ corporis noſtri poros non ſubeant, neque intimam cum ſanguine ineant ſocietatem; materia tamen cœleſtis, ætherea, puriſſima, in celerrimo motu conſtituta, cauſa caloris eſt, omnes, quamlibet duriſſimi corporis meatus & vitra, ut in thermometris videmus, penetrat, multoque magis poros corporis animalis tranſit, ubi liquida expandit inque celerrimum motum inteſtinum rapit, à qua humidæ partes abſorbentur, oleoſæ ac terreæ magis acres ſalinæ & volatiles evadunt. Unde in procinctu eſt ratio, quare graviores morbi chronici, & paſſiones hypochondriacis & arthriticis familiares, per totum æſtatis decurſum ſileant, & febres quartanæ pertinacioris ingenii ſponte ab ægris recedant, calidiores vero regiones non adeo multum ſcorbutico malo infeſtentur.

§. XIII.

Sub immodico igitur calore, ſomnus & quies corporis, abſtinentia à potu ſpirituoſo, qui humores adhuc magis exagitat, moderatio in labore, & in omnibus iis, quæ æſtum & ebullitionem inducunt, ſaluberrimo conſilio imperantur. Præterea etiam potiones moderate frigidæ & alſæ omniaque humectantia ſuccis calore aduſtis egregium ſolamen afferunt.

§. XIV.

Frigus intenſum, quale rigidiſſima hyeme à ventis orientalibus & occidentalibus conflatur, & circa ſolſtitium vernale lociſque polo arctico adjacentibus familiare eſt, humores ſpiſſat, condenſat, poros & capita tubulorum conſtringit, & humores ab ambitu corporis retro ad interiora urget, unde fieri haud aliter poteſt, quam ut ſanitatem multis iiſque gravioribus mactet incommodis.

Scholion.

Aër frigidus iis præcipue corporis partibus infeſtus eſt, quæ parciori ſanguinis affluxu perluuntur, adeoque ſic dictis frigidis, nervoſis, tendineis, abdomini inque eo contentis inteſtinis, ut & capiti ac cerebro, maxime omnium vero pedibus eorumque plantis, inimicus eſt; quoniam hæ partes valde tendinoſæ ac nerveæ ſunt, & ſanguis per eas, à corde admodum remotas, tardiori curſu provolvitur.

§. XV.

Sub acri ac vehementi frigore hoc imprimis agendum eſt, ut habitus corporis contra frigoris ſævitiam integumentis & luculento foco circumſpecte muniatur, ut infuſa & juſcula calidiora, eaque omnia, quæ moderatum ſanguini calorem inſpirant, in frequentem uſum adhibeantur.

§. XVI.

Aër ſuperflua exundans humiditate corpori univerſo languorem inducit, humores accumulat, fibras motrices nimis laxat & reſolvit, adeoque omnibus, quæ pro ſanitate ſunt, excretionibus, obicem ponit, ex quo ſumma ejus inſalubritas nemini non eſſe poteſt perſpicua.

§. XVII.

Sub diuturna aëris intemperie prævumida, qualis à ventis occidentalibus & cœlo immiti ac pluvioſo producitur, maxime conſultum eſt, medicamentis ſpirituoſis, videlicet vino, balſamo liquido & ſale volatili oleoſo, vel motu corporis, languidiorem ſanguinis circuitum excitare, cutaneas exhalationes adjuvare, & à nimia ciborum, præſertim intemperatorum, copia, abſtinere.

§. XVIII.

Aër impuris, putridis, contagioſis ac metallicis exhalationibus refertus, variis quoque modis corporis labefactat integritatem. Convenit ergo tunc temporis abſtinere à jejunio, quoniam in jejunis vehementior eſt inſpiratio, & aër plenius ad interiora admittitur. Præſtat vero panem butyro illitum, vel infuſum calidum Thée, Coffée &c. matutinis horis aſſumere.

§. XIX.

Tandem vero nulla res ſanitati majus detrimentum affert, quam ſubita aëris, præſertim calidi in frigidum, & frigidi in calidum, mutatio.

§. XX.

Autumnus, præſertim menſis October ac November, ac veris principium, non aliam ob cauſam tot conferta morborum agmina producunt, quam ob repentinam & frequentiſſimam cœli ac tempeſtatum mutationem.

Scholion.

Aëris mutationes noſtris temporibus vix exactius inveſtigantur, quam thermometris, barometris & hygrometris, cum cura & ad amuſſim elaboratis. Siquidem barometra aëris gravitatem ac levitatem, thermometra caloris ac frigoris, hygrometra diverſos humiditatis & ſiccitatis gradus, haud fallaci indicio nobis manifeſtant. Atque ideo conveniens eorum uſus omnibus ac ſingulis, qui tuendæ ſanitati invigilant, maxime vero medicis, commendandus eſt. Nullo autem anni tempore tantas cœli & aëris mutationes, quam autumno, horum inſtrumentorum ope animadvertimus.

§. XXI.

Subita aëris calidi in frigidum & frigidi in calidum mutatio, in ſolidarum partium tonum mirifice injuria eſt, & præcipue halituoſas cutis excretiones remoratur, unde catarrhi, arthritides, rheumatiſmi, hæmorrhagiæ & humorum corruptiones, largo proventu pullulant.

§. XXII.

Quoniam omnis ſubita aëris in alium habitum tranſfor-

formatio, cum insigni sanitatis nostræ periculo conjuncta est, omni ratione dispiciendum est, ut, ubi corpus nimio solis æstu sub æstivo tempore incaluit, nocturnum & vespertinum frigus cane & angue pejus fugiamus.

§. XXIII.

Aër frigido humidus & variis vaporibus infectus, in poros corporis nimio calore expansos se altius insinuat, & imprimis in partes nervosas vim suam hostilem exserit.

Scholion.

Pessime profecto sanitati consulunt, qui die ferventissimo existente, loca frigida & humida temere subeunt, vel noctu ibi obambulant, aut sub aperto aëre somno merguntur. Nullibi autem locorum homines magis contra diæteticam legem hanc impingunt, quam in Italia, ubi plures hoc sanitatis præceptum floccipendentes, gravissimas corporis noxas sibi contrahunt.

§. XXIV.

Deinde sanitatem in gravissimorum morborum aleam committunt, qui hiemali tempore ex loco frigido, in valde calefactum conclave se recipiunt, quippe quo errore catarrhosas ac pertinaces capiti suo accersunt defluxiones. Præstat itaque, interposito quodam temporis intervallo, frigus cum calore commutare.

§. XXV.

Corporis integritatem in summum discrimen adducunt, qui membra acriori frigore tacta & quasi ambusta, excessivo calori committunt.

Scholion.

Tristibus docemur exemplis, membra ab inclementia frigoris læsa, accedente nimis calido aëre, quadam quasi corripi sideratione ac prorsus emori, non secus ac vegetabilia, quæ hac ratione celerrimam putredinem subeunt.

§. XXVI.

Sub statu itaque aëris inæquali & crebra tempestatum mutatione, nihil magis sanitati patrocinatur, quam adhibita in cibo ac potu temperantia. Si enim unquam, certe tunc temporis, nimia ciborum repletio atque ebrietas summum corpori intentant periculum. Præterea eo nitendum est, ut sol meridianus, matutinum ac vespertinum frigus, & stagnantium aquarum exhalationes, circa æquinoctia imprimis, quam fieri potest diligentissime evitentur.

CAPUT IV.

De salubritate & insalubritate esculentorum.

§. I.

CORporis humani integritas convenienti sanguinis ac humorum copiæ & qualitati, ceu fundamento superstructa est; unde facile apparet, omnia ea, quæ justam humorum temperiem & quantitatem tuentur, sanitati præsidium ferre, quæ vero his adversantur, insalubria habenda esse.

Scholion.

Sanguis enim temperatus ac decenti gaudens quantitate, commodissime in orbem circumactus & ab omnibus alienis particulis bene depuratus, nutriendis partibus ac viribus fovendis optime inservit verumque vitæ thesaurum constituit.

§. II.

Sanguis temperatus & benignissima indole dotatus, motuque, qua progressivo, qua intestino, qui per integrum vitæ curriculum perdurat, non modo continenter consumitur, sed & intemperatam indolem induit, inque impuras & excrementitias sordes degenerat.

Scholion.

Adstipulatur experientia, eorum sanguinem, qui diuturnam inediam perpessi sunt, in excrementa salsa ac biliosa, quæ per alvum, urinam & sudorem ejiciuntur, converti, imo gelatinosum suum ac dulcem habitum prorsus deponere, unde accidit, ut humorum massa nimis fluxilis & resoluta, partium nutritioni inepta evadat. Quæ res longe liquidius apparet in febribus continuis & hectica, quorum morborum indoles ita comparata est, ut brevi etiam tempore præsentes in corpore succos consumant, & temperatissimos humores in effœta, salsa, ac biliosa excrementa transmutent. Præterea etiam labor ac corporis exercitatio, quoniam sanguinis motum & intestinum & progressivum auctiorem reddunt, exundanti humorum quantitati multum detrahunt, id quod plethorici non sine insigni sanitatis fructu experiuntur.

§. III.

Quoniam sanguis jugi motu, qui vitæ auctor est, continuo consumitur, inque inertem & excrementitiam massam fatiscit, quæ solidis partibus nutriendis, & subtilissimo fluido, quod corpori sensum ac motum præstat, reparando plane inidonea est, penitissime exinde conficitur, si vita ac sanitas perstare debeant, temperatos hos motus sine ulla intermissione esse instaurandos, & novos subinde succos in eorum locum, qui per excretiones è corpore eliminantur, substituendos.

Scholion.

Obvia igitur est ratio, quare homines perpetua ingestione & egestione opus habeant. Sanitas enim diu integra esse haud potest, nisi egestione deperditorum humorum jactura aliorum ingestione resarciatur.

§. IV.

Tam alimenta, quam potulenta, amissos humores restituunt, si convenienti temperie gaudent. Adeoque in hunc censum omnia ea referri debent, quæ convenientem cum sanguine naturam & mixtionem habent.

§. V.

Sanguis & humores benigni, qui nutritioni inserviunt, temperati sunt & gelatinæ instar ex partibus terreis tenerioribus, aqueis & oleosis mobilioribus, invicem exacte mixtis, constant. Hinc omnia alimenta, quæ succum temperatum gelatinosum in sinu suo recondunt, generando sanguini maxime accommodata sunt.

§. VI.

Carnes juniorum animantium, eorumque succi & jusculæ, præsertim bovinæ, vitulinæ ac vervecinæ, copiosam gelatinam fovent, & hanc ob causam inter ea alimenta, quæ sanguinem celerrime ingenerant, primum locum sibi vindicant. Omne gallinarum & columbarum genus, cum pullis suis, nutritioni quoque est accommodatissimum, quia gelatinam subtiliorem, licet parciorem, præbent, quam carnes.

Scholion.

Notatu digna res est, quod munda animantia, quibus in sacrificiis olim teste *Mose* Israelitæ fuerunt usi, sint maxime illa, quæ salubritate & bona nutritione præ ceteris se commendant, & succum gelatinosum nutritium præbent.

§. VII.

Jusculæ, ex gelatinosis carnibus pro viribus roborandis

dis parata, non ſine ratione iis exhibentur, qui per largas hæmorrhagias ac febres nimis æſtuoſas ingentem ſanguinis jacturam fecerunt. Homines ac populi, qui ejuſmodi gelatinoſis alimentis fruuntur, quos inter Galli claſſem ducunt, & largiores, & crebriores ſanguinis miſſiones melius ferre poſſunt, quam illi, quorum palatum ejuſmodi cibis non adeo multum aſſuetum eſt.

§. VIII.

Chylus proximam ſanguinis materiam conſtituit, & emulſionem quaſi naturalem refert, quæ ex partibus oleoſis temperatis, inſipidis, aqueis & mucilaginoſis compoſita eſt. Quare alimenta, quorum mixtionem partes chyli æmulæ ingrediuntur, nutriendis partibus, lymphæque ac ſanguini ingenerando, perquam idonea ſunt.

§. X.

Lac, quod nihil aliud eſt, quam chylus, omnibus aliis, reſpectu nutritionis, antecellit & univerſale alimentum conſtituit.

Scholion.

Atque eam ob rationem lac non modo infantibus, ſed aliis etiam perfectioribus animalibus, primum alimentum ſuppeditat, ut corpora eorum citius adoleſcant & celeriter robur ac maturitatem conſequantur. Cibus enim ſolidior & compactioris naturæ, qui ventriculo negotium faceſſit, tenellis corporibus minus quadrat, quoniam ventriculus ac inteſtina non tanto robore inſtructa ſunt, quod ad ſolidorum ciborum, & ſolutionem, & expulſionem, neceſſario requiritur. Exinde autem nemini non perſpicuum evadit, quare nonnulli populorum, imprimis autem Helveti, qui lac unice in deliciis ejusque uſum frequentiſſimum habent, in tantam excreſcant corporis proceritatem, ut vix ullam Europæorum gentem dignitate corporis habeant ſuperiorem. *Plinius*, *Tacitus*, *Juſtinus*, *Cæſar*, *Saluſtius* memorant, ſolo lacte multos diu vixiſſe, & *Galenus Lib. V. de Sanit. tuend. cap.* 7. mentionem facit viri, qui ultra centum annos vixit ſolo lacte nutritus. In Hollandia & locis ſeptentrionalibus, in Friſia quoque, multi ſolo potu lactis loco cereviſiæ contenti ſunt. Et *Ovidius Lib. IV. Faſtor.* ſcribit: *Lacte mero veteres uſi memorantur & herbis, ſponte ſua ſi quas terra ferebat.*

§. X.

Omnia ſemina temperata, quæ ſucco lactiformi turgent, ad nutrientium claſſem referri debent.

Scholion.

Hinc ſua luce radiat ratio, quare omnis generis frumenta & ſemina, ut hordeum, triticum, avena, ſecale, fabæ, piſa, amygdalæ, caſtaneæ, nuces pineæ, piſtaciæ, oryza, amylum, frumentum Saracenicum, frumentum Turcicum, animantibus alendis quam maxime ſint opportuna, & quare farinæ ex frumento paratæ inque panem coctæ, inter alimenta principem locum obtineant. Et hinc nemini poteſt eſſe abſconditum, cur homo ſolo pane & aqua vitam tolerare poſſit.

§. XI.

Panis inter reliqua alimenta principem locum tenet, nec facile eo ſine ſanitatis detrimento carere poſſumus. Ejus uſus omni tempore, ætati omni ac temperamento accommodatus eſt, ideoque recte univerſale alimentum vocari poreſt, neque carnes & alia, ſine pane, facile aſſumi poſſunt, quippe quæ ſibi relicta nauſeam creant.

Scholion.

Panis textura cum ſanguinis & ſucci nutritii indole inſignem alit conformitatem, ſiquidem partes temperatas oleoſas & mucilaginoſas, ſal etiam ſubtile acidum ſibi admixtum habet, quod ventriculo valde amicum eſt, vimque ſucci fermenteſcibilis ac ſalivalis ſolventem acuit atque exaltat. Quemadmodum autem non unum ideinque frumenti genus eſt, ex quo panis conficitur; ita alius alii ſalubritate antecellit. Optimus & valentiſſimi alimenti panis ex farina ſecalis ſicca, non adeo candida, ſed cui adhuc tenuiores furfures admixti ſunt, cum fermento paratur. Teſte enim analyſi chymica, nigricans, groſſior panis, plus olei, quam candidus ac depuratus, per deſtillationem elargitur, gratiorem quoque odorem ſpargit, longeque magis vires inſtaurat. Vid. *Programma* noſtrum *de Pane groſſiori Weſtphalico*, Germ. *Pompernickel.* Qui vero ex hordeo, avena, frumento Turcico, oryza, vel etiam ex glandibus aut caſtaneis paratur, oneri eſt ventriculo, nec tanta vires reparandi facultate gaudet.

§. XII.

Ova, quoniam delibatiſſimum gelatinoſæ acc pellucidæ lymphæ florem continent, quæ proximam nutritionis materiam conſtituit, celerrimam partibus alimoniam præſtant.

Scholion.

Ova celerrime nutriunt, ſi mollia ac recentia fuerint, juxta *ſcholam Salernitanam*: *Si ſumas ovum, molle ſit atque novum.* Vitellus plures unctuoſas, pingues & ſulphureas partes fovet, albumen vero humidas habet ac mucilaginoſas, ſeroque ſanguinis conformes, adeoque ſi ullus cibus, hic certe, univerſalis eſt, & liquorem imprimis ſeminalem auget. Convenit autem maxime, ubi corpus largiori ſanguinis profuſione, vel febre conſumtum, celeriorem nutritionem deſiderat; quare etiam *Talmud* iis, quibus ſanguis è vena miſſus eſt, ova ſorbilia commendat. Præcipue tamen ſenibus conducunt, qui bono nutrimento, & quod facile à ventriculo ſubigi poteſt, indigent. Ex adverſo eorum uſum in illis improbamus, qui primam regionem bilc, vel acidorum humorum colluvie repletam habent; eo quod corpora impura quo magis nutriveris, eo magis læſeris. Sciendum vero, quod recentia exinde cognoſcantur, ſi lumini oppoſita pelluceant, & forti igne cocta, lacteum adhuc liquorem cuſtodiant.

§. XIII.

Caſeus & butyrum univerſale & præſtantiſſimum alimentum conſtituunt.

Scholion.

Quia lac in butyrum & caſeum reſolvitur, illudque ejus oleoſas, hic vero mucilaginoſas ac terreſtres partes continet, facile apparet, hæc duo, præſertim pane & aqua accedentibus, præſtantiſſimum & univerſale præbere nutrimentum, omnique tempori, vitæ generi ac temperamento conſentaneum. Quo vero recentius eſt butyrum, eo gratius eſt magisque ſanitati conducit. Diuturniori vero tempore fœdum & injucundum rancorem contrahit. Nimius ejus uſus, fibras ventriculi relaxando, ejus tonum labefactat & nauſeam excitat. Caſeus butyro adjunctus etiam valide nutrit, non tamen nimis recens, nec nimis vetus eſſe debet. Ille enim ventriculum onerat & alvum facile obſtruit; hic vero acri ſapore, & fœtido onerat & alvum facile obſtruit; hic vero acri ſapore, & fœtido odore imbutus, acrimoniam & impuritatem humorum augere ſolet.

§. XIV.

Quemadmodum ſanguis & ſuccus nutritius omnesque corporis partes ex tribus elementis ſunt coalitæ, nimirum I.) ſulphureo, oleoſo, & inflammabili, II.) terreo alcalino ſubtiliori, fixiori tamen, III.) aqueo: ita alimentorum genera & facultates ad tres etiam has claſſes commodiſſime referri poſſunt.

Scholion.

Scholion.

Hæc triplicis generis alimenta, probe inter ſe mixta & ſociata, demum ſuccum nutriendo corpori idoneum conſtituunt.

§. XV.

Sulphuream partem maxime corpori largiuntur animalia eorumque carnes, præſertim aſſæ; ubi tamen notari meretur, quod animalia fera ac ſylveſtria, domeſticis ac cicuribus, hoc reſpectu antecellant.

§. XVI.

Animantium carnes plus olei ſubtilis fovere, quam vegetabilia, vel exinde clarum ac perſpicuum evadit, quoniam tempore æſtivo celerrimam ſubeunt putredinem, & ingentem fœtorem ſpargunt, quod in vegetabilibus haud quaquam obſervatur.

Scholion.

Vegetabilia in mixtionem ſuam admittunt acidum, adeoque eorum oleum magis eſt temperatum, herbis calidioribus exceptis. Animalia vero à mixtionis ſuæ conſortio omne acidum proſcribunt, omnesque eorum partes deſtillationis ope oleum ſubtile ac ſal volatile fundunt. Hoc autem oleum inteſtinum calidum & fermentativum ſanguinis motum præcipue excitat, & penetrantiſſimi fœtoris originem præbet.

§. XVII.

Carnes aſſæ, ex animantibus feris ac volucribus deſumtæ, ſanguini majorem levioris ſulphureæ ſubſtantiæ copiam, præ carnibus elixis & à domeſticis animantibus petitis, elargiuntur.

Scholion.

Caro ferorum animalium & volucrium procul omni dubio levior, ſubtilior magisque oleoſa eſt, parciori vero mucoſæ & gelatinoſæ materiæ quantitate gaudet, eam inprimis ob rationem, quia animalia ſylveſtria vehementiori motu corpora exercent, vitamque ſub cœlo libero ac puriori degunt, & cibo ſicciori nutriuntur. Accedit, quod ipſa aſſatione multum humiditatis evaporet, unde oleoſum principium ex admixtarum partium vinculis evolutum & mediante igne exaltatum, ſui juris fit & præ reliquis eminet partibus.

§. XVIII.

Alimentis, quæ humidam partem ſanguini fœnerant, ex animantibus piſces, & ex vegetabilibus olera ac temperatæ radices, neque minus fructus quidam ex horæis, accenſeri debent.

§. XIX.

Piſces deſtillationi ſubjecti multum phlegmatis, parum olei, pauxillum vero ſalis volatilis, præbent.

Scholion.

Quoniam piſces ſaltem de exiguo oleo ac ſale volatili participant, ideo non tam facile in putredinem ruunt, eamque ob rationem in febribus non tam inſignem, quam carnes, noxam afferre ſolent.

§. XX.

Ad tertiam alimentorum claſſem, quæ fixiorem ac terream ſanguinis portionem cuſtodiunt, omnis generis accedunt frumenta, ut ſunt panis genera, oryza, piſa, fabæ, lentes, caſtaneæ, amygdalæ, fructus cacao, caſeus & reliqua diverſi generis panificia.

§. XXI.

Ex dictis nullo negotio confici poteſt, ea ſaltem alimenta, quæ temperie gaudent & proxime ad chyli & ſanguinis ſimilitudinem accedunt, nutritioni corporis eſſe accommodata.

§. XXII.

Omnia igitur, quæ à chyli & ſanguinis natura & indole recedunt, vel plane aliena ſunt, alendis partibus nequaquam inſerviunt.

§. XXIII.

Omnia, quibus nimium acidi ineſt, minus nutritioni quadrant, quia lac & ſanguis acidi conſortium reſpuunt, quippe quod indolis à ſanguine prorſus diverſæ eſt, & humoribus vitalibus coagulum inducit.

Scholion.

Haud obſcura jam eſſe poteſt ratio, quare nimius acetariorum, fructuum horæorum, præſertim qui adhuc crudi nec ſatis excocti ſunt, ut & aceti, cereviſiæ aceſcentis, & vinorum, quæ acido abundant, uſus, ſanitatem inſigniter affligat.

§. XXIV.

Nullum ſal, cujuscunque etiam generis ſit, in ſanguinis, chyli & lactis mixtionem admittitur, quare omnia ſalia, & alimenta nimio ſale condita, corporis nutritioni minus conveniunt.

§. XXV.

Sanguis & chylus nunquam cum ſpirituoſis ineunt ſocietatem, ſed potius ab iis faciunt divortium, unde in proclivi eſt judicare, quantum detrimentum à copioſo eorum uſu & ſanitas & corporis nutritio patiantur.

§. XXVI.

Dulcia, mellita & ſaccharata nullam quoque cum ſanguine & chylo convenientiam habent, ſed ab eorum textura plane diſſident; ſiquidem eminenti ſapore imbuta ſunt, quo tamen ſanguis, chylus & ſuccus nutritius deſtituuntur.

Scholion.

Quamvis dulcia temperata partium gaudeant mixtura, adeoque nutritioni quodam modo idonea videantur, quoniam tamen dulce eſt ſal ſui generis, quod in aqua liqueſcit, hinc partium ſubſtantiæ apponi haud poteſt, ſiquidem ab humido præterlabente ſtatim ſolvitur.

§. XXVII.

Alimenta, tuendæ ſanitati idonea, non tantum materiam laudabilis ſucci in ſe reconditam habere, ſed bene etiam à ventriculo diſſolvi debent. Exinde neceſſario ſequitur, ea ciborum genera, quæ ob duram & compactiorem texturam diſſolutionis negotium faceſſunt, non adeo ſanitati eſſe congrua.

§. XXVIII.

Carnes animantium ætate provectiorum, infumatæ, ſalitæ, ova indurata, & omnis fere generis piſces marini, neque minus panis groſſior ſecundarius, ob rigidiorem magisque implicitum, quo gaudent, partium contextum, difficulter à ventriculo expugnari inque ſuccum & ſanguinem converti poſſunt.

Scholion.

Ejusmodi cibi duriores, ut intricatior eorum nexus disjungatur, multum caloris, copiam fermentalis & ſalivalis lymphæ & ventriculi robur deſiderant; adeoque non niſi robuſtis corporibus, & quæ motu exercentur, conveniunt. Quam ob rem populi earum regionum, quæ verſus ſeptentrionem ſpectant, ut Sueci, Norvvegi, Lappones, Finni, Weſtphali ac Pomerani, ab ejusmodi ciborum frequentiori uſu non facile læduntur, quippe quorum ventriculus cum ab ipſa natura, tum etiam conſuetudine firmatus, compactiora hæc alimenta levi negotio atterere ac conficere poteſt.

§. XXIX

§. XXIX.

Ex vegetabilibus radices, fructus ac herbæ, præſertim ſi crudæ & ante quam debita coctione emollitæ fuerint, aſſumantur, ventriculo in ſolvendo laborem exhibent; quoniam fibroſior eorum textura ægre diſcerpitur.

§. XXX.

Alimenta ex vegetabilium regno petita eam quoque ob rationem oneri ſunt ventriculo, dum multas flatulentias producunt, quæ primas vias variis turbis exagitant.

Scholion.

In hunc cenſum tranſcribi debent omnes fructus horæi crudiores, piſa, fabæ, napi, rapæ, bulbi, braſſicæ ſpecies, allium, cepæ, raphani, acetaria ex lactuca variisque herbis parata, pira, poma, pruna, mulſum, mel, muſtum & omnia dulcia, quocunque etiam nomine veniant. Horum enim ea eſt conditio, ut facillime ſubeant fermentationem, vel etiam acorem concipiant, & ob viſcoſam ſuam tenacitatem in halituoſos vapores reſolvantur.

§. XXXI.

Tenaces ac glutinoſæ animantium partes, quarum in numero ſunt ventriculus, inteſtina, lienes, renes, roſtra, vulvæ, aures, corium, ungulæ, difficilioris quoque ſunt ſolutionis, nec menſtruo ventriculi promte obediunt.

§. XXXII.

Pinguia difficulter à ventriculo ſubjugantur; accedente enim acido, quo præſertim vegetabilia ſcatent, in coagulum abeunt.

Scholion.

Alcalinum liquorem deſiderant pinguia, qui implexam eorum compagem & coagmentationem optime recludit ac disjungit. Quare, ne pinguia ventriculum affligant, ſufficiens bilis accedat neceſſe eſt. Quando enim acidum ventriculi pinguium ſolutionem aggreditur, halitus & ructus ſulphurei ardentes exſurgunt, qui fiſtulæ cibali moleſtiam creant.

§. XXXIII.

Quo viſcoſiores magiſque rancidæ ac vetuſtæ ſunt pinguedines, eo pejoris ſunt indolis. Meliori ſe modo habent recentiores & quæ facilius ſolutioni obtemperant.

Scholion.

Elucet exinde ratio, quare pinguedo bovina, ſi cibi cum ipſa coquantur, non æque noceat, ac vervecina, hœdina, ſuilla & anſerina. Patet quoque cauſa, quare omnes carnes fumo duratæ ac vetuſtiores, ob rancorem, quem pinguia procedente tempore contrahunt, ut & lardum, quod ſitum flavumque colorem duxit, tuendæ ſanitati neutiquam conſentanea haberi debeant.

§. XXXIV.

Ut nutritionis negotium rite expediatur, cruſtæ inteſtinorum villoſæ oſcula chyli liquorem imbibere & ad ſanguinis maſſam tranſvehere debent. Quare omnia, quæ cribroſam hanc tunicam obſtruunt, vel plus juſto conſtringunt, non ſine aliquo ſanitatis diſpendio aſſumuntur.

Scholion.

Quoniam effœta alimentorum maſſa, à qua chylus jam ſeparatus eſt, motu inteſtinorum expanſivo & conſtrictorio, per tubuloſum eorum canalem foras ejici debet, propterea obvium intellectui eſt, quam ob cauſam ſanitatem offendant alimenta, quæ inteſtinorum volumen ægre trajiciunt, quæ eorum motum ſufflaminant, tonumque & robur infringunt, ſalutarem alvi excretionem ſupprimendo.

§. XXXV.

Acida, conſtringentia, mucida, glutinoſa, viſcoſa, auſtera, coagulo facile obnoxia, eam imprimis ob cauſam ſanitatem oppugnant, quia inteſtinorum tonum labefactant, & hac ratione impediunt, quo minus ſuperfluæ ciborum fœces per inferiora eliminentur.

Scholion.

Hanc inſalubritatis notam incurrunt omnes fructus horæi & immaturi, pira, mala cydonia, punica, meſpili, fructus acaciæ & myrtillorum, panis bis coctus, cruſta panis, paniis mucidus, durus ac groſſior, vel calide furno extractus, omnia farinacea, pultes ex piſis, fabis, lentibus ac milio paratæ, placentæ ac panificia non ſatis ſubacta ac fermentata, caſeus in nimia quantitate aſſumtus, lac ovillum, omniaque lacticinia & pinguedines, quæ omnia noxam inferunt inſigniorem, vino, vel acidis, vel potionibus frigidis, ſimul ſumtis; ita enim in firmum coagulum denſantur, quod inteſtinorum tunicis immobiliter infixum, tenuiſſimorum vaſorum capita ſpiſſo lentore incruſtat, unde uber flatuum & ſpaſmorum proventus eſt.

§. XXXVI.

Alimentorum inſalubritas vel ex eo æſtimari debet, quando ventriculi vim fermentativam & ſolutricem infringunt, & ita generationi cruditatum favent.

Scholion.

Fermentalis ſucci actionem nervant omnia pinguia, oleoſa, prædulcia, mel, mulſum, uvæ recentes, fructus horæi, ficus virides; omnia quoque legumina, farinacea, pultes ex milio factæ; neque minus omnia tepida, olerum radices fibroſæ, caſeus & lac coactum ac ſolidatum; quæ omnia ſanitati eo infenſiora ſunt, quo majori quantitate jejuno ventri ingeruntur.

§. XXXVII.

Omne acidum omnisque putredo corporis vitali conſervationi valde adverſantur, hinc alimenta, quæ in ventriculo facile acorem aut putredinem concipiunt, inſalubrium numero jure meritoque adſcribi debent.

Scholion.

Acidum primis viis pariter, ac ſanguini hoſtile & inimicum eſt, ſiquidem bilis balſamicam & alcalinam indolem deſtruit, ſucco chyloſo coagulum inducit alvique excretionem moratur. Deinde acidum ſanguini affuſum eum ad ſpiſſitudinem & coagulum diſponit, unde humorum ſtagnationes viſcerumque infarctus graviores proveniunt. Putredo vero, intra primam regionem concepta, latius ad interiora corporis penetralia ſerpens, ſuccis, etiam optimæ indolis, exitioſam labem affricat. Cibis vero, qui ex diuturniori mora facile in primis viis aceſcunt, annumerari debent omnes fructus horæi, lac, mel omneque piſtorium opus, dulcia variique generis vina, muſtum, mulſum & panis fermentatus. Et qui in celerrimam putredinem ruunt, quando diutius in primis viis ſubſiſtunt, præcipue ſunt carnes elixæ. Nulla enim alimenta facilius, quam carnes, in putredinem inclinant. Quare non ſine ratione natura in omnibus morbis acutis & ubi corpora variis impuritatibus repleta ſunt, ſponte à carnium uſu abhorret, cujus inſtitutum laudabiliter adjuvant medici, qui ægris juſcula nutritiva interdicunt. Hujus generis enim alimenta putredini, quæ formalem malignitatis cauſam conſtituit, mirum quantum velificantur. Unde in peſte & morbis populariter graſſantibus à carnium eſu abſtinere conſultum eſt, quo tempore acidula, quæ putredini admodum inimica ſunt, operam plane inſignem præſtant. Hoc

ipſum tamen de illis corporibus intelligendum eſt, quæ infirmiora ſunt, febre decumbunt, vel multas impuritates in humoribus accumulatas habent; unde jam olim recte dictum eſt ab *Hippocrate* : *quod corpora impura, quo plus nutriantur, eo magis lædantur.* Imprimis vero ad putredinem in corpore producendam inclinant piſces corrupti, & fœtore ac putrilagine infectæ carnes, vel etiam ex animantibus depromtæ, quæ vitioſam quandam labem intra corpus aluerunt.

CAPUT V.

De alimentis aliorum inſalubritatem corrigentibus.

§. I.

NIhil eſt, quod inſalubrium alimentorum noxam magis arceat, quam corpus humanum robuſtum ac valens, quod calore, motu, tono vivido ac vegeto fibrarum inſtructum, protinus per debita emunctoria ea expellit, adeo, ut nocere nequeant.

§. II.

Plura quoque ſunt ex alimentorum claſſe, quæ non adeo corpori amicam eſculentorum facultatem corrigunt, & ne noceant, efficiunt.

§. III.

Inter præſtantiſſima ciborum corrigentia ſunt potus calidi referendi, infuſa videlicet thée, caffée, vel aliarum herbarum, quæ cum aqua ebulliente facta & præſertim poſt digeſtionem abſolutam aſſumta, inſigni virtute pollent.

§. IV.

Potus aquæ calidæ, herbis roborantibus conditus, cruditates mucoſas, viſcidas, acidas, à digeſtione in prima regione relictas, & tunicis inteſtinorum eorumque cruſtæ villoſæ inhærentes, diluit, abſtergit, diſſolvit, temperat, ut per alvum facilius deſcendant, neque inteſtina ullo modo, vel acrimonia, vel inflatione, lædant.

§. V.

Potus caffée non modo ob calidam aquam proficuus eſt, ſed & inſuper terreo ſuo, amaricante, alcalino oleoſo principio, acido - viſcidas ſordes, ex glanduloſa inteſtinorum cruſta eluit acidumque contemperat.

Scholion.

Ex his dictis jam facile patet, potum aquarum calidum & infuſa theiformia, cum aliis præſtantibus herbis facta, non ſine ratione commendari & inſignem quoque fructum ferre, modò non ſtatim poſt cibum, vel cum ipſo ingerantur. Ingens quoque ab hiſce potibus fructus eſt exſpectandus, dum omnis generis ſuccos reddunt fluidos, omnia emunctoria aperta ſervant, ſanguinis circulum, & hujus beneficio omnes excretiones, præſertim perſpirationem, promovent.

§. VI.

Ad ſalubritatem alimentorum, & ne corpus offendant, multum faciunt condimenta, quæ cum cibis aſſumuntur.

§. VII.

Omnia condimenta in tres claſſes commodiſſime redigi poſſunt, nempe ad ſal acre & oleoſum, magis vel minus volatile, vel ad ſal acidum, vel ad ſal ſalſum.

§. VIII.

In eorum numero, quæ ſale & oleo volatili ſubtiliſſimo conſtant, condimenta ſunt ſequentia, videlicet omnia aromata, piper, zingiber, caryophylli, cinnamomum, cardamomum, nux moſchata, flores macis, cortices citri, aurantiorum, & ex plantis ſale volatili oleoſo turgentibus ſemen ſinapi, herba naſturtii, cochleariæ, raphanus ruſticanus, radix armoraciæ & omnia ceparum, allii ac porri genera, item cuminum, aniſum, anethum, thymus, ſatureja, majorana, baſilicum, origanum Creticum, ſalvia, petroſelinum, paſtinaca, radix cichorii, herba pimpinellæ, piperitis, ranunculus eſculentus, artemiſia, folia lauri, myrti, baccæ lauri, juniperi, & id genus plura alia.

Scholion.

Hæc omnia egregie mucoſitates incidunt, reſolvunt, digeſtionem promovent, flatus diſcutiunt & excretiones per alvum tranſpirationem, urinam adjuvant.

§. IX.

Ad acida corrigentia ſpectant acetum vini, vinum ipſum, ſuccus citri, aurantiorum, agreſtæ, cappares conditæ.

Scholion.

Acida, moderate cibis admixta, appetitum excitant, digeſtionem & ſolutionem ciborum, imprimis durorum & compactorum, adjuvant & putredini potenter reſiſtunt.

§. X.

Ad condimenta ſalſa ſpectat ſal commune, quod condimentorum princeps merito ſalutari debet, ſine quo omnis cibus gratiam ſaporis perdit, nec bene à ventriculo & natura corporis ſubigitur. Hinc ſale fortiter condita, ut haleces, ſartellæ, olivæ ſale conditæ, cortices citri ſale conditi, eodem effectu gaudent.

Scholion.

Hæc ſalia, quæ neutrius ſunt generis, partim mucoſitatem diſſolvendo, digeſtionem alimentorum ſecundant, partim etiam irritando alvum movent, urinam cient & excretiones omnis generis, ſine quibus ſanitas non diu ſubſiſtere poteſt, egregie promovent.

§. XI.

Multum quoque intereſt, ne ciborum qualitas & quantitas nocumentum afferant, debito ordine eos aſſumere.

§. XII.

Non convenit prandii vel jentaculi initium facere à dulcibus, à pinguibus, farinaceis, lacticiniis; quippe hæc omnia vim fermentalem ventriculi enervant & valde labefactant.

§. XIII.

Melius ſanitati conſulunt, qui prandium à paulo durioribus, induratis, ſalitis & vegetabilibus, oleraceis & leguminoſis incipiunt, utpote quæ recentem adhuc & vegetam fermenti ſalivalis vim requirunt. Hiſce ſubjungendæ ſunt carnes & poſtea farinacea, dulcia ac fructus horæi cum butyro, quæ ad expeditiorem ingeſtorum deſcenſum per alvum multum conferunt.

§. XIV.

Cœna requirit cibos facilioris ſolutionis, ne eorum ſtagnatio in ventriculo ipſum inflet ac ſomnus turbetur.

Scholion.

Præſtat itaque in cœna aſſumere juſcula & bene nutrientes cibos, ut ova ſorbilia, quia nutritio de nocte optime perficitur; abſtinere autem oportet ab omnibus durioribus, gravioribus, dulcibus & omnibus inflantibus, vel quæ ſuccos corrodentes, acres & acidos fovent.

§. XV.

§. XV.

Cavendum maximopere eſt, ne dulcia cum acidis & potibus fermenteſcibilibus, cereviſia nempe recenti, invicem ingerantur.

Scholion.

Vidimus hac ratione, in corporibus præſertim imbecillioribus, bilioſis & iracundiæ deditis, cholericas paſſiones, ac ventris & colica tormenta atrocia, non ſine periculo, excitata.

§. XVI.

Deterrima res eſt, in ventriculum acidis cruditatibus obſeſſum ingerere lacticinia, caſeum copioſum, imo pultes ex piſis, ex milio, oryza, cum lacte paratos, vel inter hæc acida & auſtera vina, aut acetoſos fructus, vel acetaria aſſumere, eo quod hac ratione nocens firmum coagulum producatur, quod ægerrime diſſolvitur & ingentes creat moleſtias.

Scholion.

Quantæ turbæ in primis viis flatulentæ & ſpaſmodicæ ab ejuſmodi alimentis & lacticiniis, quæ ventriculum ab omnibus impuritatibus, præſertim acidis, liberum deſiderant, excitentur, dici vix poteſt, & quo imbecillius & ad ejuſmodi affiictiones magis proclive corpus offendunt, eo gravior noxa inde eſt exſpectanda.

§. XVII.

Neque minus digeſtionem offendit, liquores ſpirituoſos, ipſumque ſpiritum vini, lacticiniis, dulcibus, farinaceis, neque minus duris, mucilaginoſis, alimentis, ſuperingerere.

Scholion.

Pravo & communi more receptum eſt, juvandæ digeſtionis cauſa, poſt dura & compactæ ſubſtantiæ alimenta, ſpirituoſa aſſumere; quandoquidem tantum abeſt, ut hæc diſſolvendi facultate polleant, ut potius duras jam ingeſtorum fibras rigidiores & compactiores efficiant, ac præterea chylo & ſanguini coagulum & ſpiſſitudinem inducant.

§. XVIII.

Quamvis multa ex alimentis dentur ſanitati incongrua, nihilo minus tamen minus officiunt, ſi parciori manu offerantur & cum aliis conjuncta uſurpentur.

Scholion.

Sicuti omne nimium, tam ratione quantitatis, quam qualitatis, naturæ maxime eſt inimicum, ita parum, licet intemperatum, minus nocet. Improbamus itaque frequentem & copioſum inſalubrium ciborum uſum potius, quam ut in totum eum, ſi moderatior fuerit, rejicere velimus, præſertim ſi corpus fuerit robuſtius motuque ſe exerceat & iis aſſuetum ſit. Semper enim, recte monente *Hippocrate*, conſuetudini aliquid dandum, & *conſueta*, uti habet, *aph.* 50. *Sect II. multo tempore, etiamſi deteriora fuerint, inconſuetis minus moleſtare ſolent.*

CAPUT VI.

De potulentorum ſalubri ac inſalubri natura.

§. I.

QUemadmodum ſine ſolidis alimentis, ita etiam ſine liquidis, nec homo, nec cætera animantia, vitam tueri poſſunt; quia ſolidum ac fluidum duo ſunt præcipua vitalium humorum elementa.

§. II.

Sanguis convenienti fluiditate deſtitutus, per minima vaſcula non ferri, nec circulari poteſt, hinc ad vitam liquido nequit carere ullus.

§. III.

Sine humido, nulla nutritio, nulla liquidorum progreſſio, generatio, ſecretio, excretio, neque ulla fluiditas, aut ſolidorum unio, vel mixtio, tam in vegetantium, quam in animantium regno, fieri poteſt: hinc aqua præcipuam vitalium humorum ipſiuſque ſanguinis partem conſtituit.

§. IV.

Sanguis humanus, cum cura examinatus, quando è vena mittitur, tres partes ad minimum liquidi, ad unam partem ſolidi elementi, referendas, continet: hinc facile colligitur, liquidi uſum ad vitam tuendam plus conferre, quam ſolidi rationem, & potum alimentis ſolidis prævalere.

Scholion.

Potus, modo ſit congruus & mixturæ animali non adverſus, nimia quantitas non facile nocet, quod vero de ſolidis dici nequit, unde proverbium, plures perire gula, quam potu, enatum eſt.

§. V.

Ergo potus aquæ, qui antiquiſſimus, omnium primus & communiſſimus eſt, ad vitam & ſanitatem tuendam commodiſſimus haberi debet.

Scholion.

Non modo omne animantium genus, ſed & maxima pars hominum, ſolius aquæ potu vitam conſervat; & ſaltem paucæ gentes ſunt in plaga ſeptentrionali degentes, quæ cereviſiis utuntur.

§. VI.

Aquæ potus, omnibus cereviſiis & per artem paratis liquoribus, ſalubritate antecellit, quia aqua eſt purior, ſimplicior, fluidior, omnes vero reliqui potus multis heterogeneis & ſolidioribus partibus referti ſunt.

Scholion.

Cereviſia & vina multis partibus acidis & ſpirituoſis, item glutinoſis, alimentoſis, ſubſtantificis ac ſalſis particulis ſaturati ſunt liquores, unde partim nutriunt, partim etiam non ſatis fluidum ſanguinem & excretorios tubulos apertos ſervant, ſed viſcoſitate obſtruunt & humores ſpiſſos efficiunt.

§. VII.

Aqua pura ad fluiditatem humoribus conciliandam, ad extrahendum ex cibis utilem ſuccum, ad reſerandas obſtructiones & diſſolvendas viſcoſitates, ad evehendas excrementitias ſalinas è corpore ſordes, ad ſuccum nutritium poris partium intime inſinuandum, omnibus aliis humidis præſtantior eſt, quia levior, fluidior, ſubtilior, mobilior & plus ſolidi ſolvere, abſorbere & recipere poteſt, quam aliud gravius liquidum, cujus pori multum ſunt repleti.

§. VIII.

Aquæ puriſſimæ, ſive calidæ, ſive frigidæ, potæ, digeſtione peracta, tempore matutino, aut ſi cubitum ire velimus, ſanitati admodum conducunt.

Scholion.

Qui ſanitati ſuæ conſulere & graves à corpore morbos arcere cupiunt, cereviſiis vero & vino aſſueti ſunt, iis omni modo uſum aquæ puræ, ſimplicis, frigidæ, vel calidæ, cum herbis convenientibus infuſæ, maximopere commendamus, & quidem frigidam aquam

æstate & calidioribus subjectis. Calida vero nunquam nocet, sed semper utilis est, siquidem emendat cruditates à digestione in ventriculo & primis viis relictas, abstergit oscula tunicæ villosæ ac glandulosæ, mucositates diluendo aperit, salia excrementitia vero, & biliosam pituitam diluit; tum & sanguinis circulum & omnes excretiones eximie adjuvat, unde medicina præservatoria adversus omnes morbos certe in aqua salubri requiescit.

§. IX.

Experientia constat, aquæ potatores saniores, longæviores & edaciores esse iis, quibus cerevisia in usu est.

Scholion.

Aquæ potatores dentes habere firmiores & nitidius albicantes, certissimæ experientiæ fide confirmatum est; carie vero magis laborant, facile exeduntur & albedinis gratiam exuunt, in iis, qui crassis, vel etiam dulcibus potibus fruuntur & qui scorbutico malo vexantur, luculento testimonio, aquam ab hoc malo præservare, succos vitales ab excrementitiis & corruptivis partibus vindicando. Neque dubium est, quin scorbutus, populis septentrionalibus adeo familiaris atque endemius, maxima ex parte cerevisiarum potui adscribi debeat, à quo plane immunes sunt ii populi, quibus aqua pro potu inservit. Notatu digna exstat observatio in *Misc. Nat. Curios. Dec. I. A. III Obs. XV.* de sene *CXX.* annorum, vegeto adhuc, cui integra dentitio in senectute obtigit, neque aliam proferre potuit longævitatis causam, quam potum aquarum ex scopulis & fontibus vivis scaturientium, quibus à teneris delectatus fuerat. De *Andrea Tiraquello* JCto referunt, eum solo aquæ potu contentum, tam sanum corpus, cum sana mente habuisse conjunctum, ut quadraginta liberis progenerandis, totidemque fœtibus ingenii edendis, sufficerit. Usus quoque docet, eos, qui aquam bibunt, oculorum aciem diutius conservare, quam qui vino aut cerevisiis indulgent.

§. X.

Aqua, quo purior, quo subtilior & levior est, eo magis sanitati inservit; quo vero magis heterogeneis partibus referta, quo gravior, eo minus salubris habenda est.

Scholion.

Ratio in procinctu est, quia quo purior, simplicior & magis sincera est, eo plus continet fluidi, ætherei elementi in interstitiis suis, hinc plus addit virium liquido nervorum & eo magis quoque ad solutionem partium viscidarum, ad extractionem succi chylosi, neque minus ad eluendas & evehendas excrementitias è corpore sordes apta est. Puritas vero & levitas aquarum optime cylindro statico à nobis invento, qui accuratissime etiam minimam aquæ gravitatem indicat, vel admixtione solutionum metallicarum, aut salium alcalinorum, demonstrari potest. Quæ heterogeneis partibus, præsertim calcareis refertæ, protinus, ab admixto oleo tartari per deliquium, turbidæ evadunt, lactescunt & sedimentum deponunt.

§. XI.

Aqua pluvialis, quoniam aqua destillata est, subtilior & levior est omnibus fontanis & fluviatilibus.

Scholion.

Hoc jam sua ætate agnoverunt *Hippocrates* & *Celsus*; sed opus est, ut colligatur non in urbe, sed in rure inque editioribus locis & sub libero & aperto cœlo, postea ut conservetur in figulinis, vel vasis vitreis, sedimento prius deposito, maxime in locis frigidioribus.

§. XII.

Ad aquam pluviatilem proxime accedit fontana, hac inferior est fluvialis, gravis & insalubris ex puteo, posthæc ex nive aut glacie, gravior ex lacu, gravissima ex palude.

Scholion.

Optime *Celsus Lib. II. c.* 18. de præstantia & notis bonitatis aquæ differit, *levis*, inquiens, *aqua pondere apparet & ex his, quæ pondere pares sunt, eo melior quæque est, quo celerius & calesit & frigescit, quoque celerius ex ea legumina percoquuntur.* Plura de differentiis aquarum levium à gravibus, subtilium à duris & asperis, salubrium ab insalubribus, vid. *in diss. nostra de aqua Medicina universali*, nec non *tomo II. opusculor. physico-medicor.*

§. XIII.

Aqua impurior & salubrior optime coctione, leniori tamen, vel destillatione, ut & varia rerum admixtione, corrigitur.

Scholion.

Quando diutius aqua decoquitur, particulæ omnes subtiliores nimis avolant, crassioribus relictis: nam & particulæ, quæ aquam constituunt, sunt ratione ponderis & subtilitatis differentes, hinc videmus, longe sapidiorem fieri potum coffée, quando cum aqua paratur, quæ non adeo diu percocta fuit: destillatione vero partes terrestriores & graviores ad fundum descendunt, quod liquido apparet, quando in patina sub calore leni aquas evaporari patimur. Siculi aquam palustrem per lapidem, qui filtrum dicitur, depurant, siquidem ex poris hujus lapidei filtri aqua prodit limpida, terreæ vero sordes in illo retinentur. Corrigitur vero noxa aquarum additione vini, spiritus vini, succi citri, vel etiam aceti vini, neque minus panis tosti, argillæ tostæ, vel cornu cervi usti.

§. XIV.

Nulla aqua insalubrior est, quam quæ ex lacu, ex paludibus, vel etiam ex nive, hauritur.

Scholion.

Stagnantes aquæ & solis calori expositæ incipiunt putrescere & complura exigua insecta generare, multumque terræ pinguis, viscidæ in se recipiunt, unde non modo fœtorem concipiunt, sed & pondere graviores fiunt & multum sedimenti evaporatione relinquunt, sub qua, quod curiosum est, multas bullulas cum strepitu emittunt: aqua vero nivalis & glacialis gravior est communi, quia ipsa congelatione textura aquæ immutatur & particulæ æthereæ, subtiliores, à gravioribus liquidis secessum faciunt, quæ postea liquefactione, vel si in locum calidum deferantur, cito avolant: quare aqua ante conglaciationem ponderata, & post eam liquefacta, semper paucior & levior evadit.

§. XV.

Quia liquidum, quo subtilius est, quo purius, quo facilius excretoria transit & intima corporis nostri subit, eo salubrius habendum est, hinc cerevisiæ præstantiores eæ sunt judicandæ, quæ specifica levitate gaudent, nec adeo crassæ, aut lupulo, vel alimentosa substantia saturatæ, tum quæ facile & ventriculum & omnia emunctoria transeunt & cito per urinam reduntur.

Scholion.

A salubritate & insalubritate cerevisiarum certe multorum morborum quibusdam locis familiarium ratio, & incolarum salubris, vel morbosa dispositio, dependet; unde omnis, qui artem salutarem exercere vult, ad harum naturam attendere debet.

§. XVI.

Optimæ notæ cerevisia est, si non caput gravat, in ventriculo non acescit, hypochondria non inflat, sique cito per urinam excernitur.

Scholion.

Scholion.

Sicut vero hæc indicia ſunt ſalubris cereviſiæ : ita quando contrarium evenit, malæ notæ cereviſia judicanda eſt.

§. XVII.

Bonitas cereviſiarum primo à ſalubri aqua, ſecundo à debita ingredientium coctione, denique à fermentatione multum dependet.

Scholion.

Quo ſalubrior aqua fontana eſt, eo præſtantiorem exhibet cereviſiam, & quo ſubtilior aqua, eo plus ingredientia extrahit, eoque melius fermenteſcit; deinde diuturniori coctione cereviſiæ ſalubrem naturam acquirunt & nutritiva hordei ſubſtantia coctione miteſcit & quaſi maturatur, & lupulus vaporoſum ſuum grave ſulphur in auras emittit; fermentatione vero craſſum à ſubtili ſeparatur atque extruditur.

§. XVIII.

Omnis vero cereviſia craſſa, turbida, feculenta, minus fermentata, acida & quæ non ſufficienter cocta fuit, caput gravat, flatuum eſt procreatrix, obſtructiones, ſtranguriam, aſthma & colicam generat.

§. XIX.

Vina, ſive dulcia, ſive ſpirituoſa, vel acida, aut temperata fuerint, congruum potum ad nutritionem & ad alendas corporis ſolidas & fluidas partes, minime conſtituunt, ſiquidem eorum mixtio ac craſis à natura ſanguinis plane aliena eſt.

§. XX.

Vina itaque merito inter medicamenta, ſive alimenta medicamentoſa, quibus & concoctio ciborum, & excretio alienorum, nec non virium & caloris reſtitutio, egregie adjuvatur, referenda ſunt.

Scholion.

Profecto vinum inter nobiliores medicinas principem locum tenere meretur, ſiquidem vix ulla in rerum natura medicina, quæ tanta virtute inſtructa eſt, acido, ſpirituoſo, temperato, vires ventriculi & univerſi corporis reſtaurandi & circulum ſanguinis promovendi, quam præſtantiſſimæ notæ vinum, moderate ac prudenter uſurpatum: unde etiam non ſine ratione à divo *Paulo*, modicus vini uſus, ad infirmum ventriculum roborandum, commendatur.

§. XXI.

Vinum acido-ſpirituoſum motus vitales ſyſtoles & diaſtoles in univerſo corpore reſuſcitat, hinc ſanguinis circulum & calorem auget; unde ejus uſus iis proficuus eſt, qui virium reſuſcitatione opus habent, naturæ debilioris, frigidæ & humidæ ſunt, ac multa alimenta cruda & humida aſſumſerunt, vitæque ſedentariæ indulgent & vires variis ex cauſis amiſerunt.

§. XXII.

Uſus vero vini, præſertim immoderatior, minus convenit iis, qui multum caloris habent, ut infantili, juvenili ætati & qui calidioris temperaturæ ſunt, corpus motu exercent, tempore æſtivo & qui agilioris ſunt animi pulſumque celerem habent.

Scholion.

Sicuti enim natura, ſive ſanus ac ordinatus corporis noſtri ſtatus, gaudet temperato ſanguinis motu: ita creber & immoderatus vini uſus, intemperiem caloris & motus introducendo, ad labefactandam ſanitatem paratiſſimus eſt.

§. XXIII.

Juvat egregie bonum vinum moderate ſumtum concoctionem & perſpirationem crudorum alimentorum.

Scholion.

Quare aſſumtis fructibus horæis & variis piſcium generibus, etiam maritimis, oleraceis atque inflantibus, non inconvenienter vinum admiſcetur & ſuperbibitur.

§. XXIV.

Præſtantiſſimum & ſaluberrimum vinum judicatur, quod nec nimis ſpirituoſum, nec acidum eſt, ſed temperatum, quod non gravat caput, aut in ventriculo ſtagnat, vel aceſcit, ſed cito excretoria per urinam & perſpirationem tranſit.

Scholion.

Dulcia vina augent ſanguinem & plethoram facile ingenerant; ſpirituoſa nimium commovent humores; acida ac nimis tartarea facile aceſcunt atque ſtagnant in ventriculo; quæ vero vaporoſo ſulphure ſcatent, capiti imprimis moleſta ſunt & nervos debilitant, unde ad multos & graves morbos uſus eorum frequentior diſponit.

§. XXV.

Quia igitur vinum magis vicem medicamenti, quam alimenti gerit, parciori ſemper manu præbendum eſt; & ſicuti conveniens ejus uſus optimæ medicinæ loco habendus eſt, ita etiam vini abuſus nocet ac ſanitatem offendit.

Scholion.

Experientia ſuffragatur, quod, qui vino largius indulgent & prima ſtatim ætate bibunt, minus longævi ſint, uti contra aquæ potus & vini abſtinentia multas gentes macrobios reddunt.

§. XXVI.

Vinum cum aqua pura temperatum ac dilutum, quale erat omne Græcorum vinum, ſanitati magis conducibile eſt, quam vinum purum.

Scholion.

Laudandus veterum in eo mos eſt, quod pro diverſitate naturarum, anni temporum atque ætatum, valde curioſi ac circumſpecti erant in temperando vino cum aqua, adeo, ut interdum duas partes aquæ, uni parti vini admiſcerent, interdum vero plus, vel etiam minus vini adderent. Egregia hinc ſunt, quæ habet *Tackius chryſog. anim. mineral. p.* 99. dum ait: *dilutum aqua merum, ut antiquis præferri cœpit; ſic dolendum, hodierno ſeculo id ipſum in mortalium detrimentum evileſcere cœpiſſe; quum ſic nocituri ſpiritus franguntur fæculentiæque terreſtres rectius ad uretheres, mediante lympha, deducantur, nec tam cito coagulationi ſpiritus vini pareat, ſi ſit temperatus.* Cavendum tamen eſt, ne vinis nix aut glacies admiſceatur, præſertim tempore æſtivo, quia ventriculi & inteſtinorum motus periſtalticus hac ratione facile læditur, & morbis tam acutis, quam chronicis gignendis, occaſio præbetur.

§. XXVII.

Ex ſpirituoſis, Hungaricum omnibus palmam præripit, iisque commendandum eſt, quibus cibi facile in ventriculo aceſcunt & qui morbis chronicis obnoxii ſunt.

§. XXVIII.

Largior vini boni uſus quibusdam corporibus medicinam præbet, excretiones per alvum, urinam & tranſpirationem augendo.

Scholion.

Vina Moſellana & Rhenana temperatiora illud corpori præſtant beneficium, ut largiori etiam manu ſumta, alvum ſollicitent, urinam cieant ac tranſpirationem moveant: hinc in corporibus humidioris naturæ & ubi crudorum humorum copia eſt, quandoque prōſunt, tan-

tum abeſt, ut noceant, moderatione tamen & cautione ſemper opus eſt.

§. XXIX.

Moderatus ſpiritus vini uſus, præſertim ſi cum ſaccharo dilutus fuit, in defectu vini, ad calorem reſuſcitandum, in corporibus humidioribus, admitti poteſt.

CAPUT VII.

De moderatione in victu optima ſanitatis conſervatrice.

§. I.

NUllum præſentius ad vitam producendam tuendamque ſanitatem datur præſidium, quam moderatus & conveniens cujuscunque corporis naturæ victus.

Scholion.

Omne enim moderatum conſervationi corporis noſtri eſt convenientiſſimum, ſicuti omne nimium naturæ eſt inimicum. Sub moderato & æquabili cordis & arteriarum motu ac ſyſtole, viget ſanitas, quæ etiam convenientem & moderatam menſuram, quæ nec excedat, nec deficiat, ſanguinis & humorum poſtulat. Hæc vero temperantia in victu maxime comparatur. Sapienter hinc *Hippocrates Lib. de Morb.* §. 10. *Si homo*, inquit, *parum edit, & parum bibit, in nullum morbum incidit.* Et *lib. VI. Epidem. ſanitatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis & impigrum ad laborem eſſe.* Notum hinc elegans proverbium: *modicus cibus, modicus medicus.* Antiquioris ævi philoſophi, quos inter *Plato* & *Socrates* eminent, ſimplici ac tenui victu conſenuerunt. *Pythagoras* ſuam philoſophandi rationem à ſobrietatis ſtudio exorſus eſt. Et *Plato* in *Charmide* præclare dicit, temperantiam vitæ cuſtodem eſſe; qui etiam *in Gorgia* præcipit, ut, qui vitam bēate & ſalva ſanitate traducere velit, hanc imprimis virtutem exerceat. Vid. etiam *Seneca Epiſt.* XCI. ubi graviſſimos & plures morbos, à luxuria ortos, enumerat. Cæterum *Cornarius* Venetus, qui tenui ſemper diæta uſus, vitam ad centum ac viginti annos perduxit, inſigni etiam eſt documento, quantum ſimplex & circumciſus victus, in vita proroganda efficere poſſit.

§. II.

Quemadmodum adhibita in victu moderatio vitæ ac ſanitati quam maxime patrocinatur: ita nimia ciborum repletio, & vitæ, & ſanitati, multis modis adverſa eſt.

Scholion.

Optime *Celſus Lib. I. cap.* 11. ait, *ubi ad cibum ventum eſt, nunquam tuta eſt nimia ſatietas.* Cujus in ſententiam conſpirat *Hippocrates Sect. II. Aphor. IV. Neque*, inquiens, *aliud quicquam bonum eſt, quod naturæ modum excedit.* Nimia nimirum ciborum copia, nec bene à ventriculo concoqui, neque in ſuccum laudabilem converti poteſt. Neque etiam chylus, ex nimia ciborum abundantia extractus, probe à ſanguine ſubigitur, & hinc perſpirationi parum idoneus eſt. Quemadmodum autem perpetuo inter movens & mobile juſta debet eſſe proportio, quo conveniens motus perficiatur, adeo, ut læſa hac proportione, motus ipſe etiam male ſe habeat; ita hæc proportio perturbatur, quando ſucci mobiles virtuti cordis ac fibrarum motrici nimis, quam par eſt, reſiſtunt.

§. III.

Exundans ſuccorum copia non modo ventriculi & inteſtinorum tunicas & parietes, ſed & cordis arteriarumque fibras motrices, ſupra modum diſtendit earumque elaterem ac vim contractivam labefactat; unde tardior humorum progreſſus proficiſcitur.

§. IV.

Tardiori facto ſuccorum in corpore progreſſu, ea, quæ excerni debebant, remanent, & ſucci nimium accumulantur, hinc cruditates ac ſtagnationes fiunt, & hac ratione multorum morborum origo ſtabilitur.

Scholion.

Peritiſſime dictum eſt ab *Hippocrate Sect. I. aph.* 17. cibum præter naturam copioſe ingeſtum morbum facere, atque à medicis, abdomen inſaturabile, non inepte pernicioſa ſentina omniumque tam animi, quam corporis vitiorum fons appellatur. Hinc etiam illud apud Germanos in proverbii conſuetudinem venit: *daſs der Vielfraſs mehr auffreibe, als das Schwerd, und daſs ſich viele zu Tode gefreſſen.* Quam ob rem itidem aureum eſt monitum, quod *Syracides* proponit *cap. XXXVII. v.* 32. *ſeq. Ne eſto inſaturabilis omnibus deliciis, neque projectus eſto ad eſcas. Nam multis cibis adhæret morbus, & inſatiabilis voracitas maxime accedit ad choleram. Voracitate inſatiabilis vocacitas maxime accedit ad choleram. Voracitate inſaturabili multi ſunt mortui.* Idem *cap. XXXI. v.* 22. ita fatur: *laborioſæ vigiliæ & choleræ torminaque adſunt viro inſaturabili.*

§. V.

Cibi, licet ſint ſaluberrimi, nimia aſſumti in quantitate, magis ſanitatem affligunt, quam intemperati, quando parciori modo aſſumuntur.

Scholion.

Obſervamus, à nimia repletione, & ingenii, & corporis, alacritatem peſſundari, contra vero laſſitudinem, torporem, pigritiam ac ſomnolentiam, ſub rariori præſertim labore ac motu, corpus occupare. Omne enim quod modum excedit, naturæ eſt inimicum, ſive vitalem ſanguinis circuitum lædit, quia nimia ſuccorum reſiſtentia tonum ac motum fibrarum infringit, quem intemperatum quoddam, parcius aſſumtum, non adeo labefactare poteſt.

§. VI.

Nulla quantitas in ſe & abſolute ſpectata, ſed certa ſaltem ratione ac reſpectu, mala, vel noxia vocari poteſt. Hinc etiam affluens alimentorum & ſuccorum copia, non ex ſe metienda eſt, ſed ex viribus motricibus, quibus corpora ac partes ſolidæ inſtructæ ſunt.

Scholion.

Proportio quantitatis innoxiæ, ſufficientis ac perniciosæ, in ſingulis individuis, exactiori habito ad illa reſpectu, inveſtigari debet. Quod enim in nonnullis extra modum eſt & ſanitatem oppugnat, id aliis valde eſt congruum & nullam omnino ſanitati infert injuriam. Hinc apprime ad veritatem ſunt, quæ tradidit *Hippocrates lib. de vet. med. c.* 15. *oportet*, ſcribens, *modum aliquem conjectare. Modum autem, neque pondus, neque numerum aliquem ad quem referas, cognoſces. Certitudinem enim exactam, non reperies aliam, quam corporis ſenſum.*

§. VII.

Vires corporum, quo magis fractæ ac debilitatæ ſunt, eo magis patent incommodis, quæ à nimia ciborum quantitate proficiſcuntur; quo vero firmatiores magisque robuſtæ ſunt, eo minor noxa ab abundante ciborum quantitate extimeſcenda eſt.

Scholion.

Omnibus igitur, qui imbecilliores naturæ ſunt, qui corpus cauſarium trahunt, vel etiam ex morbo, aut alia quadam cauſa vires depreſſas habent, tenuis ac parcior victus

victus omni ratione commendandus eſt, ne morbum exulcerent, vel in deteriorem incidant, aut quoque recidivam patiantur.

§. VIII.

Nimiæ & nocentis ciborum copiæ plerumque comes eſt vehemens eos ingerendi aviditas, ita, ut intra breve tempus ingenti ciborum cumulo ſe ingurgitent.

Scholion.

Hac effreni edendi cupiditate & intemperantia præcipue laborant, qui modo ex morbo convaluerunt, qui diutius inedia vel fame preſſi fuerunt, ut milites ex caſtris redeuntes, vel qui multum acidi primis in viis alunt, ut hypochondriaci, quartanarii, melancholici & maximam quoque partem pueri, qui vermibus infeſtantur. Multum ſibi etiam hac in re vindicat ſola, ſed prava conſuetudo. His vero omnibus, præſertim ob naturæ debilitatem, nimia ciborum ſatietas perquam noxia eſt, morborum ſanationem, ex quibus laborant, haud parum impediens, ipſas remediorum vires infringendo & hebetando; quare, niſi hæc tollatur voracitas, nulla prorſus ſpes morborum ſanationi relicta eſt.

§. IX.

Edendi aviditas hoc imprimis vitium ſibi conjunctum habet, ut cibi debita maſticatione non ſatis comminuantur, ſed ſubito demittantur in ventriculum, ubi ſoluturo humori gaſtrico mirum quantum refragantur.

Scholion.

Ut alimenta maſticationis ope decenter permolantur, utique ad ſecundandam concoctionem magnopere neceſſarium eſt; tunc enim ſaliva, ceu genuinum menſtruum microcoſmicum, copioſius cibis admiſcetur, qui activo hoc liquore imbuti, citius à ventriculo conficiuntur. Alias vero crudi, nec diſſoluti, intra primas vias diutius, quam par eſt, ſubſiſtunt, unde cruditates, inflationes ac tenſiones ventriculi, neque minus ſomni perturbationes proveniunt.

§. X.

Ciborum varietas nimiæ aviditati apprime multum lenocinatur & ad majorem ſatietatem invitat, eamque ob cauſam omni ſtudio ac ratione vitanda eſt.

Scholion.

Recte ſcribit *Sanctorius in Libr. de cib. ac Pot. aphor.* 51. *tria mala eveniunt ob ciborum varietatem: nimium comeditur, minus concoquitur & minus perſpirat.*

§. XI.

Quo crudiores & compactioris texturæ cibi ſunt, eo inſignior inde noxa emergit, quia non ſolum nimia eorum diſtenſio robur ventriculi deſtruit, ſed etiam eorum ſuccus ad ſanguinem delatus, non niſi difficulter perſpiratione diffari poteſt.

Scholion.

Cibi difficilioris concoctionis ſunt carnes animantium ætate provectiorum, duræ, exſiccatæ, fumo duratæ, panis cibarius groſſior, piſces marini, caro ſuilla, anguillarum, pinguia, farinacea, legumina, acetaria, vina auſtera, ova indurata & id genus plura.

§. XII.

Ciborum aviditas, ſeu feſtinata duriorum ciborum deglutitio, præcipue ab iis aliena eſſe debet, in quibus vires affectæ ſunt; quo minor enim eſt vis corporis, eo minus cibus digeritur, ſubigitur & tranſpiratione depuratur, unde cruditates morborumque origines pertendæ ſunt.

Scholion.

Quotidiana, ſed triſtis loquitur experientia, plurimum damni hac ratione pati imbecilliores, quorum in numero ſunt puerperæ omneſque valetudinarii, & qui modo ex morbo convaluerunt, aut nimiam ſanguinis jacturam perpeſſi ſunt, ut & milites ex caſtris reduces facti; quæ ſubjecta graves & inſanabiles inde morbos ſibi contrahunt.

§. XIII.

Tantum ingerendum, quantum abſumtum eſt, tantum excernendum, quantum concoctum.

Scholion.

In ſano homine & qui perfectum ſtaturæ augmentum conſequutus eſt, tantum ejicitur, quantum aſſumtum fuit; hinc natura non ante novis alimentis oneranda eſt, quam debita excretio præceſſerit. Quantitas autem evacuatæ materiæ, partim ex ipſo ejus pondere, partim ex corporis agilitate, cognoſcitur.

§. XIV.

Scite dicit *Sanctorius* Lib. II. aph. 33. *Si ſciveris quotidie, quantum cibi tibi conveniat, ſcies vitam diutiſſime conſervare.*

Scholion.

Hoc levi negotio indagari poteſt, quando non ante novus corpori cibus ingeritur, quam priora alimenta probe concocta & foras eliminata fuerint; cujus rei perſpicua indicia præbent ſomnus quietus, feces alvo excluſæ, corporis animique agilitas, levitas & ventriculus nullo afflictus incommodo. Si vero contrarium eveniat, tunc certus quis eſſe poteſt de ciborum cruditate ac impendente morbo, niſi mature ſuccurratur.

§. XV.

Præſtat alimenta, cujuſvis naturæ ratione quantitatis ac temperiei accommodata, partitis vicibus, quam ſemel & ſimul, de die aſſumere.

Scholion.

Quemadmodum omni menſtruo, cum re ſolvenda, juſta ſemper intercedere debet proportio; ita facile exinde conficitur, quod ciborum quantitas, ſimul & ſemel ingeſta, non tam exacte diſſolvatur, quam ſi partitis vicibus aſſumitur. Siquidem copia ſalivalis ac fermentalis ſucci & calor ventriculi digeſtorius, tantæ alimentorum quantitati ſolvendæ, neutiquam ſufficiunt. Optime hinc *Sanctorius* loc. cit. aph. 37. loquitur: *magis homo gravatur ob octo libris ciborum, ſemel in die ingeſtorum, quam à decem, tribus vicibus una die aſſumtis.* Conducit itaque non ſemel de die, ſed potius bis, in meridie nimirum ac veſpera, cibum capere; infantes vero & imbecilliores, parum ſaltem unica vice, ſed eo frequentius, edere oportet, ne ventriculo obruto, vires proſternantur. Noſtris temporibus, communi quidem, ſed minus laudabili conſuetudine receptum eſt, ſemel tantum de die, ſed plenius & ad ſuperfluam ſatietatem uſque, cibum capere, quæ tamen conſuetudo magis ad commodiorem rerum civilium adminiſtrationem, quam ad ſanitatis tutelam proficua eſt. Illud vero hoc loco tenendum, quod cœna parcior, & cibis facillimæ concoctionis ac boni nutrimenti inſtructa eſſe debeat. Calor enim de nocte, ob deficientem ſanguinis & corporis motum, paulo eſt moderatior, perſpiratio quidem æquabilis, ſed tardior, nutritio vero nocturno tempore commodiſſime peragitur. Quam ob rationem acciſa ciborum quantitas, & alimenta, quæ ventriculo facilius obſequuntur, cœnæ quam maxime ſunt accommodata. Expeditius autem à ventriculo digeruntur piſciculi, pulli, aviculæ, juſcula, vegetabilia cocta, panis ſimilagineus. Carnes vero induratæ, anguillæ,

guillæ, piſces marini, extremæ animantium partes, omnia pinguia, caſeus, butyrum, caſtaneæ, imprimis vero acetaria & flatulenta, minus cœnæ inſerviunt, adeoque eorum uſus tunc temporis ex toto circumcidendus eſt.

§. XVI.

Quo major ciborum copia ante præcedentium concoctionem ingeritur, eo major colligitur cruditatum congeries & ſalutaris perſpiratio ſufflaminatur.

Scholion.

Cibus in ventriculo non ſatis percoctus ibique ſtagnans, non modo eum flatu implet ac diſtendit maximaſque efficit anxietates, ſed & morborum, præſertim febrium, ſegetem ac materiam præbet. Quare ſcite dictum eſt à veteribus, vitium primæ concoctionis, non corrigi in ſecunda, vel tertia. Et quia inſenſilis perſpiratio tertiæ concoctionis excretionem conſtituit, hinc prima ceſſante concoctione, & ventriculo repleto, perſpiratio læditur. Nulla vero ſecundum *Sanctorium major peſtis eſt valetudinis, quam cibo non cocto, alium cibum ingerere.*

§. XVII.

Præclara ſunt, quæ *Sanctorius Lib. I. aph.* 54. tradit: *qui comedit*, inquiens, *magis, quam oportet, alitur minus, quam oportet.*

Scholion.

Conveniens corporis nutritio à ſucco alibili temperato perficitur, qualem indolem induit, quando perſpirationis beneficio, ab omnibus ſordibus excrementitiis probe eſt depuratus. Quia vero nimia ciborum copia, perſpirationi præcipue infenſa eſt, hinc etiam ſuccus alibilis impurus & nutriendis partibus parum idoneus evadit.

§. XVIII.

Quemadmodum nimia repletio multa corpori humano incommoda inducit: ita etiam inedia non ſemper tuta, ſed ſæpius cum quadam noxa conjuncta eſt.

Scholion.

Quicquid enim à temperie recedit, illud naturæ adverſatur; amica vero ipſi eſt mediocritas & moderatio, quæ virium cuſtos ac optima ſanitatis conſervatrix eſt, ſicuti omnis intemperies, in exceſſu, vel defectu peccans, ſanitatis peſtis ac pernicies habenda eſt.

§. XIX.

Nimia fames, ſive inedia, hominum vires inſigniter proſternit & non nunquam in ſummum vitæ diſcrimen adducit, cujus rei indubia experientia locuples teſtis eſt.

Scholion.

Hippocrates de Vet. Med. §. 15. ſatis acute tradit, *famem magnam potentiam habere in naturam corporis, ipſum ſanandi, debilitandi & occidendi.* Nimirum corporis noſtri vires partim à ſubtiliori & puriori aëris pabulo, partim à craſſioribus alimentis ſuam trahunt originem, adeoque earum eſſentiam materia quædam ſubtilis conſtituit, quæ cito collabitur, & mediante perſpiratione continuo in auras avolat. Hinc ea perpetua aëris inſpiratione & alimentorum uſu quotidie reſarciatur neceſſe eſt, quod ſi negligitur, homo ingentem virium jacturam facit, tandemque brevi tempore exacto, prorſus enecatur. Atque adeo vel hoc unico argumento, inſulſa eorum opinio deſtruitur, qui omnes vires ac motus corporis à principio quodam immateriali dependere ſtatuunt, quum tamen in confeſſo ſit, motus ac vires pro lubitu aëre & alimentis imminui & augeri, vel etiam deſtrui poſſe & conſervari.

§. XX.

Corporibus ſucci plenis & humida carne tumentibus, vel quæ multas cruditates intra primam regionem fovent, omnium maxime abſtinentia imperanda eſt.

Scholion.

Laudé dignum eſt effatum *Hippocratis Libr. de vet. Medicin.* §. 15. *fames magnam potentiam habet ſanandi homines.* Cujus ſententiæ calculum adjicit *Celſus Libr.* 11. *cap.* 16. *nulla res*, inquiens, *magis adjuvat laborantem, quam tempeſtiva abſtinentia.* Abſtinentiæ autem nonnulla genera ſunt: eſt, ubi homo nihil aſſumit, vel ſaltem exigua & parciori ciborum quantitate fruitur: eſt etiam, ubi cœnam intermittit, aut ad minimum ſemel in hebdomade jejunium inſtituit.

§. XXI.

Sicuti tempeſtive adhibita abſtinentia in repletis vires oppreſſas erigit ac reſuſcitat; ita diutius producta, in macilentis & infirmioribus eas detrahit.

Scholion.

Firmo talo ſtat *Celſi* judicium, quod *Lib.* 11. *cap.* 16. proponit his verbis: *Si fames ſanis corporibus inutilis eſt, quanto inutilior erit infirmis, nedum ægris.* Et eam ob rationem *Hippocrates Sect. II. aph.* 16. laborantibus famem interdicit.

§. XXII.

Inedia gelatinoſam ſanguinis ac lymphæ ſubſtantiam reſolvit humorumque quantitati detrahit, vires extenuat, & ſanguinis imminuta quantitate, perſpirationem reddit languidiorem.

Scholion.

Minor ſanguinis quantitas ad emunctoriorum tubulos non ſatis pertingere, neque eos apertos ſervare poteſt, hinc evenit, ut concidant & excrementis exitum ex cute intercludant, unde acrior & impurus humor in venis colligitur. Quantam vero noxam ac debilitatem fames afferat, inſigni documento ſunt milites, qui bono nutrimento in caſtris fuerunt deſtituti, vel diuturnam famem ſuſtinuerunt. Hi enim ex leviſſima ſubinde cauſa, v. g. à vulnere, non adeo per ſe periculoſo, moriuntur, vel etiam, ſi copia ciborum fractum ventriculi robur ſollicitant, febres malignas ſibi contrahunt.

§. XXIII.

Uti in diuturnum tempus producta inedia perſpirationem remoratur: ita corpore decenter rurſus nutrito, copioſius perſpirationis excrementa prodeunt ac vires magis magisque reficiuntur.

Scholion.

Accedens novus ad ſanguinem ſuccus humores ad tubulos cutis excretorios protrudit, unde interceptæ ibique ſtagnantes acres excrementorum reliquiæ eliduntur.

§. XXIV.

Cavendum eſt, ne facto inedia corpori, copia ciborum, qui difficilioris ſolutionis ſunt, aut valentiſſimum ac plenum nutrimentum præbent, ingeratur, quoniam vires corporis & alimenta aſſumta juſta ſemper inter ſe proportione ac menſura conſpirare debent.

Scholion.

Hippocrates Lib. 2. *aph.* 7. jubet: *per inediam debilitatos ſenſim reficere, non vi.* Et *Lib. de Aliment.* §. 8. inquit: *magna res eſt quantitas, ſolerti ratiocinatione adaptata.*

§. XXV.

Qui ex quacunque cauſa aliquam ſibi contraxerunt debilitatem, eos pauca ſaltem alimenta & quæ facile ſolvuntur & perſpirationi idonea ſunt, aſſumere oportet.

§. XXVI.

§. XXVI.

Nocent quam maxime infirmioribus ac diuturnam inediam paſſis intemperata, ſalſa, acria, ſpirituoſa, cruda ac dura, temperata vero eos egregie juvant.

Scholion.

Hæc enim ita comparata ſunt, ut factam humorum jacturam non reſarciant, ſed potius eorum intendant acrimoniam; cibi vero, quibus temperies ineſt, ſuccos viresque deperditas longe facilius reſtaurant.

§. XXVII.

Quemadmodum nimia ciborum repletio ac fames ſanitatem affligunt, ita & nimia potus copia ejusque defectus corporis integritati inſidias ſtruunt.

Scholion.

Omnia enim, quæ mediocritatis terminos egrediuntur, ſecundum veriſſimam *Coi* ſententiam, naturæ exoſa ſunt, adeoque omnium animis, qui ſanitatem ſalvam volunt, ſemper obverſari debet aurea hæc regula: *In omnibus moderatio & mediocritas.* Sanguis enim, ut vitæ ac nutritioni idoneus ſit, certam, qua ſolidi, qua fluidi, menſuram deſiderat, quæ ſi turbatur, vel plane invertitur, benigna etiam ac naturæ amica ejus indoles peſſum eat neceſſe eſt.

§. XXVIII.

Vitalis humorum circuitus perque minimorum vaſorum alveolos progreſſio, quæ continuas ſecretiones & excretiones ſibi conjunctas habet, plus liquidi quam ſolidi poſtulat, quare nimia liquidorum inopia incredibile quantum ſanitatem lædit.

Scholion.

Tres ferme partes liquidi ad unam ſolidi partem referendas ſanguini ineſſe, jam ſupra exquiſitioribus ratiociniis ſtabilitum eſt. Atque hinc facile colligitur, quod ad ſervandam hanc fluidi ac ſolidi proportionem, major potus, quam ciborum copia aſſumi debeat. Ubi enim contrarium accidit, ſanguini ſpiſſus ac tenax lentor inducitur humoresque tardius in orbem circumeunt, & hac ratione obſtructionibus, magnorum morborum procreatricibus, occaſio ſubminiſtratur.

§. XXIX.

Plures hominum, præſertim tamen fœminas, ſufficientis potus penuria, in graviſſimas ſubinde ægritudines præcipitat.

Scholion.

Verbis exprimi vix poteſt, quantum detrimenti afferat potus parcior, hominibus præſertim otio ac vitæ ſedentariæ addictis, quos inter fœminæ claſſem ducunt. Quanta enim morborum ſeges inde non propullulat? Alvus contrahitur, tardius procedit tranſpiratio & abdominis viſcera humorum tenacitate infarciuntur, unde menſtrui fluxus ſuppreſſiones, ac ſpaſticæ diuturnæ, quas hypochondriacas vocant, paſſiones, omniaque, quæ à ſcorbuto proficiſci dicuntur, mala, & interdum etiam ſynochæ, putridæ ac funeſtæ febres, ſatis larga meſſe proveniunt.

§. XXX.

Etſi ad tuendam boni ſanguinis indolem major liquidi quam ſolidi quantitas requiratur; eſt tamen, ubi etiam mediocritatis leges tranſcendi poſſunt, exiſtente imprimis potu incongruo.

Scholion.

Congruum potum conſtituunt aqua pura ac laudabilis, omnesque potus temperati, quorum uſus, ſi intra modum eſt, non facile aliquod corpori incommodum affert. Incongrui potus nobis audiunt cerevisia craſſa, vinum ac ſpiritus vini, à quorum copioſo & frequenti uſu, nunquam non inſignis noxa exſpectanda eſt.

CAPUT VIII.

De excretionibus ad vitæ ac ſanitatis tutelam neceſſariis.

§. I.

TOtius vitæ ac ſanitatis fundamentum perpetuis ingeſtionibus & egeſtionibus ſuperſtructum eſt, ac tota machinæ humanæ ſtructura organica cum in finem ita eſt comparata, ut ex ingeſtis, prævia ſolutione, boni ac laudabiles ſucci ad ſanguinem redundent, & omnia ſuperflua & inutilia è corpore eliminentur.

Scholion.

Vitalem corporis noſtri conſervationem, omnesque actiones animales, motu ſanguinis omniumque fluidorum perfici, jam ſupra ſolidis rationibus adſtructum eſt. Quum autem motui progreſſivo calor quaſi perpetuus comes adjunctus ſit, qui ſanguini infert mutationem, dum humores dulces, pingues ac gelatinoſos intenſiori agitatione reſolvit, qui exinde à naturali ſua temperie deflectunt, inque ſalſas, ſulphureas, mucidas & a corpore plane alienas ſordes degenerant; eam ob rationem neceſſe eſt, ut humores temperie exuti per diverſa emunctoria è corpore ejiciantur, quorum in locum novi ac recentes ſucci, corpori ac nutritioni apprime utiles, ſurrogari debent. Ad oculum exinde patet, ſumma ingeſtionum & excretionum utilitas.

§. II.

Eadem materiæ quantitas, quæ ingeſta fuit, è corpore jam plene ac perfecte adulto rurſus excerni debet.

§. III.

Homo omni ex parte ſanus & corpus labore exercens ultra viginti ſæpe libras ex potulentis & eſculentis quotidie aſſumit, quum tamen ejus corpori nulla fiat ponderis acceſſio. Penitus ergo manifeſtum eſt, ingeſtorum & egeſtorum quantitatem exactiſſime inter ſe invicem convenire.

Scholion.

Totius medicinæ cardo maxime in eo vertitur, ut medicus ad ingeſtorum & egeſtorum rationem prudenter reſpiciat. Prout enim mutuæ ingeſtiones & egeſtiones in corpore celebrantur, ita etiam ſtat, vel cadit ſanitas; ſiquidem ab incongrua ingeſtione & inconvenienti excretione, morbi maxima ex parte ſuam trahunt originem. Ipſa quoque natura in morborum amolitione excretionum beneficio utitur, quippe cujus motus adaucti eo potiſſimum collineant, ut excrementitiæ ſordes, quæ morbum accendunt, ex ambitu corporis exturbentur. Quare medicum, apud quem valetudinis & tuendæ & reſtaurandæ cura excubat, illud imprimis agere oportet, ut excretorios naturæ conatus rimetur, eosque, ſi rei neceſſitas exigat, decenti opera adjuvet & ad finem ſalutarem ſapienter dirigat. Qua in re qui ſufficienter exercitatus eſt, ille veri medici officio ſumma cum laude perfungitur.

§. IV.

Quemadmodum corpus humanum ex quatuor potiſſimum elementis mixtum eſt, terrea nimirum, aquea, ſalina & pingui, ſeu oleoſa parte: ita etiam producta ex his excrementa, ad quatuor imprimis claſſes reduci poſſunt.

§. V.

§. V.

Inutiles ac ſuperflui humores per alvum, urinam, perſpirationem, ſudorem, ſputum & mucum narium, à corpore removentur.

§. VI.

Alvus ſordes præcipue craſſiores, viſcidas, terreſtres ac mucidas è corpore excludit: urina ſerum ſuperfluum, cum ſalino ac ſulphureo principio, rudiori & craſſiori, evehit: tranſpiratio fluidum tenue, & ſubtile ſal ac ſulphur eliminat; mucus vero narium partes viſcoſas, terra & aqua mixtas, ab utilium humorum conſortio abalienat.

§. VII.

Per alvum non modo ciborum fæces & ſcoriæ, ſed & bilis, quæ ſatis copioſe ad inteſtina affluit, partes terreæ & craſſiores, una cum muco, quem inteſtinorum glandulæ largius plorant, ejiciuntur.

§. VIII.

Alvi purgamenta ex viſcida & ſolidiori materia conſtant, hinc in procinctu eſt ratio, quare diuturniori retentione auctoque corporis calore, duritiem induant.

§. IX.

Nimia alvi retentio magnam humoribus conciliat impuritatem, dum ſordes excrementitiæ, vel mora in pejorem indolem ruunt, vel etiam per inteſtinorum poros ac tubulos ad ſanguinem revertuntur. Quam ob rationem omni modo laborandum eſt, ut alvus ſanitatis tuendæ cauſa quotidie ſemel, vel repetita vice, ſuum faciat officium.

§. X.

Ex phyſiologicis perſpectum eſt, bilem alvinæ excretionis eſſe ſtimulum; idcirco bilioſus humor, vel deficiens, vel male conſtitutus, augeri, vel emendari debet.

Scholion.

Optime hoc præſtat auctior motus corporis, qui humidi ſuperfluum abſumit, tenacitatem humorum attenuat, ipſamque bilem egregie corrigit. Pertinent huc etiam cibi aromatibus & ſale conditi, omniaque amara, quæ bilis efficaciam inſigniter acuunt.

§. XI.

Labaſcente & ſegniori facto motu inteſtinorum periſtaltico, alvinarum fecum excluſio retardatur.

Scholion.

Motum ventriculi & inteſtinorum periſtalticum, alimentorum reliquias, per inteſtinalem tubum ad anum uſque devolvere, jam alio loco demonſtratum eſt. Fractum vero inteſtinorum motum excitant medicamenta maxime ſalina, ut ſal Glauberianum, nitrum, arcanum duplicatum & tartarus vitriolatus. Ex laxantibus eminent pilulæ, quas aloë in refracta doſi ingreditur & quæ ad *Becheri* exemplum confectæ ſunt. Ex alimentis autem huc ſpectant omnes cibi acres, ſalſi ac dulces, qui paulo majori in copia aſſumti, alvum egregie ducunt, eamque nunquam non laxiorem ſervant.

§. XII.

Humida alvum inſigniter fundunt, & alvinarum fæcum deſcenſum magnopere adjuvant, ideo ſufficiens potus quantitas, ad digerendam alvum, præcipue commendanda eſt.

§. XIII.

Qui alvi beneficium quotidie experiri volunt, eos à parciori potu, à cibis duris, adſtringentibus, acidis, viſcidis, mœrore, nimiaque voracitate & frequentiori ſpiritus vini uſu, abſtinere decet.

§. XIV.

Ut nimia alvi durities plurimum ſanitati adverſatur; ita nimia ejus laxitas, ſeu crebrior dejectio neutiquam pro ſanitate eſt.

Scholion.

Qui alvum fluxam ac citatiorem habent, eos omnia ſtimulantia evitare oportet, quorum in numero ſunt cibi nimium ſaliti, acres, fermenteſcibiles, dulces, aromatibus large conditi & pingues, quibus etiam ex affectibus ira adjungenda eſt. Sub nimia vero alvi laxitate, ad diluendam acrimoniam, potius abſorbentia ac diluentia, ſique deperditus inteſtinorum tonus in cauſa eſt, temperata balſamica conveniunt.

§. XV.

Urinæ fluxus ſuccos ſeroſos ſalino-ſulphureos è corpore ſubducit.

§. XVI.

Urina, quæ ſub integro corporis ſtatu redditur, non nimis tenuis, alba, aut copioſa, nec nimis parca & ſaturato colore tincta eſſe debet. Optimum vero ſanitatis vigorem ea indicat, quæ vini Rhenani colorem refert.

Scholion.

Urina, quæ tam ratione coloris & quantitatis, quam conſiſtentiæ, à naturali ſtatu deflectit, ſanguinis ac humorum & motum & temperiem depravatam deſignat. Nimis enim aquoſa ac tenuis, calorem cum ventriculi, tum totius corporis, depreſſum patefacit. Nimis vero craſſa, colorata ac ſedimentum deponens, caloris aucti humidique deficientis index eſt. Hinc nitroſa, humectantia ac diluentia, admodum accommodata ſunt, ab omnibus vero ſpirituoſis & calidioribus abſtinendum eſt. Quando urina non bene redditur, tunc morbi ex ſero ſalſo, acri propullulantes, ut catarrhi, rheumatiſmi, calculi, tumores cum cachexia, exſpectandi ſunt. Hinc ſemper omni cura providendum, ut liberior ſatisque copioſa fiat urinæ profuſio. Urinam vero majorem in modum movent cereviſiæ tenues, infuſa calida, ex alimentis radix aſparagi, fraga, mala perſica, petroſelinum, paſtinaca, ranunculi, cepæ; fructus cynosbati, baccæ juniperi, ſemen aniſi, fœniculi, lac ejusque ſerum, ſemina quatuor frigida majora, & id genus alia.

§. XVII.

Tranſpiratio maxime omnium impuras & excrementitias ſordes è corpore evehit, ſerum tenue halituoſum ſalino-ſulphureum per cutaneos poros elidendo.

Scholion.

Hoc enim intra corpus retentum, facile putridas humoribus inducit corruptiones, & febres mali moris accendit, vel etiam ſeri ſalſi decubitus, rheumatiſmos, diarrhœas, catarrhales febres cutisque exulcerationes excitat. Optime profecto annotavit *Sanctorius*, perſpirationem omnibus reliquis excretionibus, quibus humanum corpus perfungitur, antecellere; ſiquidem eas non modo excrementorum pondere, inprimis in calidioribus regionibus ſuperat, ſed corpus etiam ab iis ſordibus immune reddit, quæ intus refictæ, multas graves injurias ſanitati machinantur.

§. XVIII.

Curandum eſt, ut perſpiratio, omnium excretionum præcipua, rite ſemper ſuccedat, ne halituoſæ ſordes, quæ expelli debent, interceptæ, aliorſum, cum inſigni ſanitatis diſpendio, divertantur.

Scholion.

Perſpirationem inhibent ac retro vertunt externum frigus, ſubita aëris ac tempeſtatum mutatio, cibi acidi ac difficulter

difficulter ſolubiles inque copia aſſumti, inquies animi & nimia alvi evacuatio.

§. XIX.

Tranſpirationi favent aër purus, ſerenus ac ſiccus, cibi ſolubiles ac molles, moderatus motus, ex affectibus lætitia mentisque tranquillitas, ſomnus, ſeptem vel octo horis finitus & qui corpore contra externum aërem ſtragulis probe munito capitur. Juvant quoque potus levior ac tenuis, infuſa herbarum cum aqua calida, panis bene fermentatus & frictiones.

§. XX.

Quemadmodum à partibus ſanitatis ſemper ſtat mediocritas: ita etiam inſenſibilis hæc cutis excretio magnopere ſanitati conducit, ſi moderate ſe habet. Nimia enim perſpiratio, univerſo corpori vires detrahit; depreſſior autem, humoribus inducit putredinem.

Scholion.

Præclara ſunt, quæ *Hippocrates Sect. VII. aph.* 66. & 67. ita prodit: *qualia ſint, quæ per urinam & alvum exeunt, & quæ per carnes abeunt, ſpectare oportet: nam ſi pauca, parvus morbus eſt, ſi multa, magnus, ſi valde multa, jam erit perniciosum.* Et *Lib. de Inſomn.* §. 11. ſcribit: *ſanitatem hominis deſignat & corpus ſe recte habere, omnes circuitus & excretiones & ſecretiones ſalvas & integras eſſe.*

§. XXI.

Non inutiles tantum ac ſuperflui humores è corpore amoveri debent, ſed utiles etiam & laudabiles ſucci, ſi eorum adeſt redundantia, magna cum opportunitate è corpore exterminantur. Seminis ipſiusque ſanguinis tam per uteri, quam ani venas rejectio, ſanitati maximum ſæpe adjumentum affert.

§. XXII.

Frequenti experientia cognitum habemus, nimiam ſeminis retentionem corpori inertiam ac torporem inducere, & moleſtis ſæpe nervorum affectibus primam dare originem.

§. XXIII.

Seminalis liquor delibatiſſimus, quaſi flos ſanguinis ac liquidi nervorum eſt, hinc diligenter circumſpiciendum, ne immoderata ejus excretio ſanitatem offendat.

Scholion.

Seminis ejectio ſanum ac vegetum corpus deſiderat, quia vires exhaurit & corpus neceſſario robore defraudat. Quare rogatus *Pythagoras*, quando celebrandus eſſet concubitus? ſapienter reſpondit: *tunc, quando te ipſo vis infirmior fieri*; teſte *Lærtio in Vit. Pythag.* Eamque ob rationem imbecillioribus, pueris & qui provectioris ætatis ſunt, vel non ita pridem cum morbo in gratiam redierunt, veneris uſus ſaluberrimo conſilio diſſuadetur. Neque ſanitati ſuæ conſulunt, qui poſt graves animi labores, agitationes ac vigilias, veneri indulgent, quippe qua ratione ingentem corpori debilitatem contrahunt. Quum autem veneris exercitium non niſi vegeto & valentiſſimo corpori conveniat, hinc ejus uſus ventriculo imprimis depleto, facta perſpiratione, poſt ſomnum quietum, balneum, cibi facile ſolubilis benequе nutrientis aſſumtionem, &, quod caput rei eſt, tempore potiſſimum vernali, ſanitati quam maxime opportunus eſt. Hæc omnia enim ejusmodi ſunt, ut amiſſum robur inſtaurent, & priſtinum corpori vigorem reſtituant, adeoque veneris exercitio egregie velificentur. Qui denique veneri frequentius litare volet, eum vitare oportet omnes crapulas, inediam, labores, ſtudiorum intemperantiam, venæ ſectiones, vigilias, purgationes & omnia, quæ vires ullo modo frangere, aut deſtruere, poſſunt.

§. XXIV.

Veneris exercitium, ex *Celſi* ſententia, non inutile eſt, quod corporis neque languor, nec dolor ſequitur, ſed quod corpus excitat viresque non opprimit. Cavendum tamen eſt, ne venerem cibus, vel labor cum vigilia, ſtatim excipiat.

§. XXV.

Ut moderatio in tuenda ſanitate per omnia plurimum valet, ita ejusdem quoque ratio in convenienti veneris uſu habenda eſt.

Scholion.

Unumquemque vires ſuas metiri decet, ut quid valeant, quidve ferre recuſent, perſpectum habere poſſit: pro harum enim conditione moderatio inſtituenda eſt. Nam qui robuſtus eſt omnique ex parte valet, ille ſine ullo ſanitatis diſpendio veneri indulgere poteſt, quæ tamen alium, minori robore inſtructum, inſigniter debilitat.

§. XXVI.

Providens natura maxime in eo occupata eſt, ut omne nimium, quod ſanitati inſidiatur, è corpore proſcribat. Atque hinc nocentem materiam non modo ordinariis motibus aggreditur, ſed & novas ſæpe & inſolitas affectat vias, quibus, vel qualitate, vel abundantia, ſibi moleſtos humores è corpore protrudere & amoliri poſſit.

§. XXVII.

Homo ut plurimum majorem, quam pro ſanitate, alimentorum copiam ingerit, eamque ob cauſam ſuperfluos ſæpe humores in venis alit; hinc natura ad commune protelandum exitium ſeſe accingit, & extraordinarios producit motus, quibus inſurgens, omne ſuperfluum & quicquid noxam minatur, è corporis diverſorio profligat & excutit.

§. XXVIII.

In ſequiori ſexu, intra menſis ſpatium ſuperfluus collectus ſanguis, per uteri ejusque vaginæ venas inſigni cum ſanitatis emolumento evacuatur; ſiquidem ab hac evacuatione turbata, vel penitus oppreſſa, multorum morborum, graviumque ſymptomatum, quibuscum mollior ſexus ſubinde conflictatur, origo derivanda eſt.

Scholion.

Quoniam hæc ſanguinis rejectio fœminino generi non minus familiaris, quam ſalutaris eſt, hinc nullo modo prohibenda, vel perturbanda, ſed ſummo potius ſtudio ſervanda eſt. Si enim hoc genitale profluvium modum excedit, moderandum ac coercendum eſt, ſin plane deficit, arte proritari inque ordinem redigi debet.

§. XXIX.

Sanitas muliebris ſexus ab hac evacuatione maxime dependet; idcirco fœminas eam vivendi rationem colere & amplecti decet, quæ promovendæ huic excretioni accommodata eſt.

Scholion.

Ut ſalutaris hic fluxus ſanguinis rite & ordine procedat, caveant ſibi fœminæ ab omni graviori animi commotione, ira, terrore, mœſtitia diuturna; fugiant etiam frigoris injurias frigidasque potiones, & ex alimentis, cibos acidos, duros, flatulentos & qui ventriculo ſolventi negotium exhibent. Juvat vero quam maxime potu aquarum calidarum, quibus herbæ infuſæ fuerunt, ſanguini fluiditatem conciliare, cibis mollioribus uti, corpus moderate movere, ſemperque animum eo advertere, ut ſalutaris perſpiratio ſalva & integra conſervetur.

§. XXX.

Nobilior ſexus ſolenni quoque excretioni obnoxius eſt,

eſt, qua ſanguis, ex liberaliori victu ac motus intermiſſione, plenius & redundanter in corpore collectus, per venas hæmorrhoidales, ſtatis quibusdam temporibus, imprimis autem vere & autumno, ſalutarem prorſus in finem foras ejicitur.

Scholion.

Hæmorrhoidalem fluxum plerumque patiuntur plethorici, qui exinde haud exiguum levamen ſentiunt; quam ob cauſam quoque ſalutaris hæc ſanguinis profuſio à Germanis ſatis ſplendida appellatione, *die güldene Ader*, inſignita eſt. Adeoque provideri oportet, ne utiliſſima hæc ſanguinis depletio ulla ratione intercipiatur.

§. XXXI.

Sanguinis, quamlibet ſinceri ac laudabilis, per ani venas rejectionem, ingens corpori afferre emolumentum, vel ex eo clarum ac perſpicuum evadit, quia homines, ſalutari hoc fluxu turbato, vel penitus ſuppreſſo, graviſſimis ſubinde paſſionibus corripiuntur.

Scholion.

Oriuntur inde chronicæ & periculi plenæ ægritudines, hydropes, aſthmata, apoplexia, aphonia, tormina ventris, & plura ejus generis incommoda, quæ ſolennes ſanguinis evacuationes ſuppreſſas preſſo pede inſequuntur.

§. XXXII.

Natura alias quoque exquirit vias, quibus ſe nimia ſanguinis abundantia exoneret; ſiquidem in puerili ac juvenili ætate, ut plurimum ſanguinis per nares profuſionem molitur.

Scholion.

Sanguinis per nares fluxiones teneriori ætati familiares ſunt, ac ſæpe ſalutaris criſeos vicem ſuſtinent, quæ etiam interdum ad provectiorem ætatem usque continuantur. Hinc liquidiſſime apparet ratio, quare ejusmodi ſanguinis profuſiones, niſi homines in apertum ſanitatis ac vitæ diſcrimen adducere velimus, nunquam ſufflaminari aut plane intercipi debeant.

§. XXXIII.

Neque vero ſolum providentia naturæ accidit, ut ſuperabundans ſanguinis ſinceri copia è corpore proſcribatur, ſed eadem quoque tales adornat motus, quibus ſuperfluam ſeroſi humoris quantitatem ſanguini detrahit.

Scholion.

Non raro evenit, ut homines exundante ſero repleti, per aliquot dies alvum fluxam ſolitoque molliorem experiantur, quæ tamen copioſæ dejectiones eorum ſanitati admodum opportunæ ac fructuoſæ ſunt. Hinc neutiquam ratione deſtituitur *Celſi* hac de re judicium, *quod Lib. II. cap. 4.* hunc in modum proponit: *una die fluere alvum, quin & pluribus, ſæpe pro valetudine eſt, modo abſit febris, & intra ſeptimum diem conquieſcat.*

§. XXXIV.

Quandoque etiam ſeri ſalſi ſuperfluum largius per urinam ejicitur.

Scholion.

Notatu digna ſunt, quæ hac de re tradit *Sanctorius P. 1. aph. 65. 66. corpora*, inquiens, *ſana & moderatiſſimo victu utentia, ſingulis menſibus fiunt ponderoſiora, ita, ut ad duas libras pondus creſcat. Redeunt autem ad conſuetum pondus circa finem menſis ad inſtar mulierum, facta criſi per urinam paulo copioſiorem & turbidiorem, præcedente capitis gravitate, vel corporis laſſitudine, quæ paulo copioſiori urina ſeparata, protinus ſedantur.*

§. XXXV.

Eſt etiam ſolennis ſalſi ſeri evacuatio, quam natura vernali & autumnali maxime tempore, per nares aſperamque arteriam in catarrhis, coryza ac tuſſi inſtituit.

Scholion.

Præcedentibus enim corporis gravitate, horrore & calore, quaſi febrilem in modum aucto, ingens ſeri copia, ſæpe per aliquot dies, cum inſigni ſanitatis allevamento, ejicitur.

§. XXXVI.

In quibusdam natura certo noctis, vel anni tempore, copioſum ſudorem amat effundere; quæ tamen evacuatio nullam poſt ſe relinquit laſſitudinem, ſed potius vires mirifice erigit.

§. XXXVII.

Ad ſalutares naturæ excretiones referri debent cruſta infantum lactea, tinea capitis, ſcabies, purpura, in fœminis fluor albus, quibus ſe natura ab humoribus excrementitiis, ſalſis, acribus & corruptis vindicat.

Scholion.

Recenſitæ excretiones in ſe neutiquam inſalutares appellandæ ſunt, dum corpus à pravis humoribus liberant. Hinc nemini non poteſt eſſe perſpicuum, quam graves ii committant errores, qui has evacuationes externis conſtringentibus cohibere moliuntur. Siquidem materia, à qua omnis mali origo defluit, retro in corpus verſa, longe graviores ſymptomatum exacerbationes producit.

CAPUT IX.

De motu optimo ſanitatis præſidio.

§. I.

Nihil eſt, quod utiliſſimam ſuperflui & nocentis humidi perſpirationem tam egregie juvet, quam motus corporisque exercitatio, qua tuendæ ſanitatis vix præſentius datur auxilium.

Scholion.

Ad ſanitatis conſervationem maximum momentum habent excretiones, quarum princeps eſt inſenſibilis perſpiratio, id quod in ſuperioribus fuſe deductum eſt. Quum vero inſenſibilis perſpiratio, ſecundum *Sanctorii* calculum, plus intra diem evacuet, quam reliquæ excretiones omnes è corpore evehunt, hinc magnam ejus vim eſſe, cum in tuenda ſanitate, tum in morbis arcendis, recte colligitur.

§. II.

Perſpiratio à ſanguinis circulo dependet, quare quæ illum vel celerem reddunt, vel tardiorem, ea ſalutarem hanc evacuationem vel augent, vel minuunt.

Scholion.

Tubuli ſubcutanei excrementum halituoſum ſalſo-ſulphureum à ſanguine ſegregant, idque per cutis meatus à corpore divellunt. Quo major itaque ſanguinis ad cutaneum hoc colatorium affluxus eſt, eo major quoque copia halituoſi ſeri vitalibus ſuccis detrahitur. Quo languidior vero ſanguinis appulſus eſt, eo minus etiam ſecernendæ materiæ ſuppeditatur.

§. III.

Sub motu muſculares partium fibræ ſtringuntur, unde accidit, ut fluida majori niſu impulſa, citatiori curſu per

er vaſa progrediantur. Quo frequentior ergo & copioſior ſanguinis eſt per vaſa ad cor affluxus, eo major fit hujus expanſio, quo major ejus expanſio, eo validior contractio ſubſequitur; quare dum ſanguis sanguinem trudit, univerſa humorum maſſa vehementiori curſu per vaſorum alveos devolvitur.

Scholion.

Quum diaſtolem excipiat ſyſtole, & hæc illam vice verſa ſubſequatur, cauſa in aprico eſt, quare una ſaltem corporis parte vehementius commota, circulus ſanguinis in univerſo corpore intenſior fiat & hoc calore perfundatur, ipſaque perſpiratio promptius ſuccedat.

§. IV.

Motus ac labor, quo ſanguinis in orbem progreſſum vehementius intendit, eo magis tranſpirationi velificatur eamque depreſſam excitat.

Scholion.

Motum ac laborem ſanguinis circuitum accelerare, inter alia teſtatur calor, qui eo plus increſcit, quo rapidius ſanguis per vaſa fertur. Jam vero tam notum eſt, quam quod notiſſimum, calorem à motu ſanguinis, cum progreſſivo, tum inteſtino, auctiori proficiſci. Teſtes ſunt febres, quibus ob celeriorem ſanguinis circulum, quem pulſuum celeritas indicat, admodum intenſus calor adjunctus eſt. Præterea quotidiana experientia nos docet, frigoris hyberni ſævitiam vix ſenſum imprimere corporibus, quæ laborioſo motu exercentur.

§. V.

Motus, quia ſanguinis circulum auctiorem reddit, eum non modo attenuat, multasque ſordes ex humoribus detergit, ſed vacillantem quoque appetitum excitat, vires collapſas erigit, & tam animo, quam corpori, vigorem conciliat.

Scholion.

Per ipſam experientiam ſatis manifeſti ſunt inſignes effectus, qui ex motu in corpus redundant. Neque vero eximii hi effectus aliunde, quam ab auctiori ſanguinis & humorum circuitu proficiſcuntur. Motus enim humores non modo tenues ac fluidos reddit, ſed eos quoque in ventriculum ac digeſtionis officinam impellit, inque omnes muſculos ac fibras motrices copia majori inſinuat; hinc appetitus acuitur & robur corporis inſigne augmentum capit, id quod à ſufficiente boni ſanguinis influxu maxime dependere, in phyſiologicis jam ſatis ſuperque demonſtratum eſt.

§. VI.

Aucta tranſpiratio corporis gravitati multum detrahit, quia magna humorum quantitas difflatur.

Scholion.

Præclare *Sanctorius Lib. de Motu & Quiete* §. 9. *exercitio*, inquit, *corpora leviora fiunt; omnes enim partes, præcipue muſculi & ligamenta, motu ab excrementis purgantur, perſpirabile ad exhalationem præparatur, & ſpiritus tenuiores fiunt.*

§. VII.

Non datur præſentius ad tuendam ſanitatem morbosque avertendos motu & exercitatione corporis remedium.

Scholion.

Homines laboribus dediti à multis gravibus ac chronicis paſſionibus, calculo, podagra, arthritide, quartana, malo hypochondriaco, cachexia, ſcorbuto, hydrope plerumque immunes degunt. Nihil magis enim ſanitati adverſatur, quam diuturna quies ac vita ſedentaria cum humidi defectu; cui ſi quis ſe totum tradit, facillime ejusmodi morbis corripitur, qui ab humorum copia æque, ac impuritate, eorumque ſtagnatione, infarctu & obſtructione in viſceribus ſuam originem trahunt; quorum tamen omnium præſervatio quam maxime, in motu quærenda eſt. Motus enim exundantem humorum copiam conſumit, eoſque ab excrementitiis ſordibus probe depurat. Deinde fluiditatem humoribus conciliando eosque fortius per vaſa impellendo, tenuiſſimorum tubulorum alveolos apertos ſervat, quibus occluſis, conferta morborum agmina producuntur. Denique etiam ſubtilitatem ac ſpumeſcentiam humoribus fœnerat & ſolidorum robur inſtaurat, unde univerſa corporis natura à motu roboratur.

§. VIII.

Motus aliorum remediorum viribus, in cuſtodienda ſanitate morbisque profligandis, longiſſime antecellit.

Scholion.

Motus ſane univerſalem medicinam conſtituit, neque eo excellentius datur in rerum natura remedium, à quo tam eximia prorſus beneficia in corpus humanum redundent; ſiquidem omnes propemodum evacuationes, citra ullam virium jacturam, mirifice promovet. Quod intelligens *Galenus Com. XI.* §. 3. *exercitatio*, ait, *ſupplet purgationem vitioſorum humorum, qui in corporis profundo ſunt*: Cui ſuffragari videtur ſæpe laudatus *Sanctorius*, qui *loc. cit.* ſic prodidit: *Si homines exercitio ac labore uterentur, carere poſſent multis medicis & medicamentis.* Atque hinc *Verulamius Lib. IV. de Augment. Scient. cap.* 1. monet, *vix aliquam in morbum inclinationem inveniri, quæ non exercitatione quadam propria corrigi poſſit.* Dicente enim *Avicenna Lib.* 1. *F. E. N. cap.* 1. *poſſent homines, ſi debito tempore exercitio ac labore uterentur, omnibus medicis carere & medicamentis.* Quam ob cauſam neminem tenere debet admiratio, quare motus ipſum quoque animum afficere poſſit. Quum enim motus in univerſo corpore inſigniter ſalubres producat effectus, fieri non poteſt, quin ipſe quoque animus ob intimam, qua corpori conjunctus eſt, conſociationem, aliquid mutationis inde ſentiat. Hinc ſatis recte *Platinus Lib. de Tuend. Valetud. pag.* 145. ſcribit: *Stomachus motu, in quo calor ineſt, ad appetitum excitatur, & mens ad cognitionem rerum occultarum & mirabilium celerior & acutior redditur. Mirum quoque eſt*, inquit *Plinius epiſt.* 6. *Lib.* 1. *quam animus agitatione & motu corporis excitetur.* Et *Seneca de Tranquillitate Lib.* 1. *pag.* 56. affirmat, *quod eorum animus, qui in aperto aëre ambulant, ſeſe attollat.*

§. IX.

Variæ ſunt motus ſpecies, quarum quælibet peculiarem in corpus humanum vim habet, eique tam emolumentum, quam noxam inferre poteſt. Hinc medicus omnium earum vires ac proprietates probe perſpectas habeat neceſſe eſt.

§. X.

Ad motus ſpecies referri debent deambulatio in plano, ambulatio maxime per acclivia, curſus, equitatio, globorum luſus, palæſtra, navigatio, pilæ parvæ luſus, ſaltatio, vectura, geſtatio, venatio, peregrinatio, ſermo, clamor & motus, qui manuum agitatione peragitur.

§. XI.

Omnium leviſſima ſpecies eſt deambulatio in plano.

Scholion.

Hæc etiam poſt cibum ſumtum leniter inſtituta, nullam omnino noxam affert, & literatis maxime proficua

eſt. Eadem multum debet eſſe commendata in ſtomachi vitiis, quoniam corpus ab omnibus cruditatibus & alvi obſtructionibus vindicat. Præterea hoc etiam præſtat deambulatio, ut animus inde acuatur ſimul ſeſeque attollat. Vid. *Verulam. Lib. IV. de Augment. Scient.*

§. XII.

Curſus, pilæ parvæ luſus ac ſaltatio, vehementiori motu peraguntur, atque hinc maxime nocent corporibus, quorum venæ ſanguine craſſo & copioſo turgent.

Scholion.

Copioſus enim & craſſus ſanguis, cum impetu impulſus, vaſcula quam facillime aperit, vel ut ſtaſin ibi concipiat, efficit. Quam ob rem caveant ſibi ab hac corporis exercitatione omnes cholerici ac ſanguine pleni, macilenti inque iram proclives, qui pectus anguſtum habent, & fœminæ, quæ uterum ferunt. Exinde enim graves inflammationes, ſanguinis profuſiones & abortus proficiſci, ſatis compertum eſt.

§. XIII.

Equitatio maxime chronicis malis dicata eſt, adeoque omnium maxime quadrat hypochondriacis & qui viſcera copioſis & craſſis humoribus infarcta habent.

Scholion.

Equitatio, in leniorem gradariam, & graviorem, ſeu ſuccuſſantem, merito diſtinguenda eſt. Illa huic ſalubritate anteponenda eſt; nihilo minus tamen & hypochondriacis convenit ſuccuſſatio, quoniam maximus impetus ventrem imprimis inferiorem ferit, unde non modo meſenterii & inteſtinalium glandularum obſtructiones reſerantur, ſed & humores in viſcerum tubulis hinc inde ſtagnantes diſcutiuntur. Præterea quoque equitatio ventriculi & inteſtinorum calorem accendit, & ſanguini priſtinum vigorem reſtituit.

§. XIV.

Gradaria equitatio, quia æquali niſu omnes partes tangit, citra ullum virium decrementum ac laſſitudinem, univerſo corpori proficua eſt, perſpirationem imprimis æqualiter promovendo, unde vultus vivido colore ſuffunditur, animus nova quaſi alacritate exſurgit, ipſeque etiam appetitus acuitur.

§. XV.

Equitationi poſtponendæ omnino ſunt aliorum remediorum vires, quæ in diſpoſitione phthiſica, hectica, ſcorbutica & cachectica, alias utramque paginam facere putantur.

Scholion.

Hoc *Sydenhamus* aliique ex recentioribus frequentis experientiæ fide & ſolidis rationibus penitus confirmarunt. Neque enim erubeſcunt aſſerere, recenſitis in paſſionibus, equitationem omnibus aliis remediis eſſe ſuperiorem. Auxiliatur imprimis imbecilles, nec ita pridem è morbo expeditos, qui ob inſignem virium jacturam, corpus exercendi facultate deſtituuntur. Commode huc referri poteſt locus apud *Oribaſium Lib. IV. cap.* 24. qui ita habet: *Equitatio magis, quam omnes reliquæ exercitationes, corpus præſervat, ſtomachum confirmat, & ſenſuum organa purgat eaque reddit acutiora.*

§. XVI.

Vectura hypochondriacis ſingulariter accommodata eſt, & corpus præcipue à tardis paſſionibus vindicat; expedit etiam iis, quibus infractum corporis robur vehementiorem motum interdicit.

§. XVII.

Vectura viſcerum compagem molliter concutit, & hac ratione humorum decubitus & ſtagnationem, quæ vaſis venæ portæ admodum familiares ſunt, reſolvit ac diſſipat.

§. XVIII.

Peregrinatio ad omnium ſalubritatem pertinet, quia non modo cum continuo motu, ſed frequentiori etiam aëris inſalubris in ſalubriorem mutatione conjuncta eſt, quæ tuendæ ſanitati & corpori à pluribus morbis defendendo egregie velificantur.

Scholion.

Veteribus pro tuenda valetudine maximo in pretio erant peregrinationes, quas ſuſcipiebant in loca juvandæ ſanitati opportuna, temperata nimirum & montoſa, ubi aër purior magisque ſincerus ſpirabat. Perſpectiſſimum enim ipſis erat, peregrinationem non modo ſanguinis juvare circuitum, ſed uſuram quoque puri & intaminati aëris, deperditum ſolidorum robur & elaterem mirum in modum reſtaurare, quam in rem plura commentati ſumus in peculiari *diſſertatione de peregrinationibus ſanitatis cauſa inſtituendis.* Ratio, quæ peregrinationes tuendæ ſanitatis cauſa ſuſcipiendas ſuadet, præcipua hæc eſt, quia animus alias gravioribus curis intentus, paululum tunc temporis relaxatur, dumque frequens novarum rerum varietas oculos paſcit & animum ad ſui contemplationem blande invitat, mens etiam tranquillior evadit, omnesque ex eo ſollicitudines exulant. Quantum vero animi tranquillitas ſanitati præſidium ferat, jam ſupra dilucidius declaratum eſt.

§. XIX.

Sermo, ſeu claræ vocis exercitium, peculiarem quoque motus ſpeciem conſtituit.

Scholion.

Veteres intenſiorem vocis exercitationem iis, qui ob membrorum, præcipue vero pedum, debilitatem, à motu ac labore prohibebantur, mirifice commendabant. Vocis enim contentio ſanguinis iter & curſum per univerſum corpus accelerat, & hac ratione, & calorem, & perſpirationem, auget. Continuata enim per tempus aliquod claræ vocis prolatio reſpirationem intendit, unde ſanguinis itus ac reditus, majori facto per pulmones impulſu, ex uno ventriculo in alterum, & hoc modo per univerſi corporis compagem, celerius abſolvitur. Sanguinem vero in iis, qui vocis exercitio utuntur, celerius per vaſa devolvi, teſtimonio eſſe poſſunt concionatores, qui dum hyeme è ſuggeſtu magna vocis & laterum contentione ſermones faciunt, calore & rubore perfunduntur, audientibus interea præ vehementi frigore trementibus.

§. XX.

Vocis exercitatio præcipue in uſu eſſe debet literatis & qui ex ventriculi debilitate laborant.

Scholion.

Qui ſtudiis vacant, iis nulla motionum ſpecies accommodatior eſt, quam deambulatio & claræ vocis pronunciatio, quæ ſtomachi vitiis, quibus ſerii Muſarum cultores plerumque obnoxii ſunt, adverſa, neque ab inſtituenda meditatione aliena eſt. Vocis autem exercitationem ventriculi integritati præſidio eſſe veteres unanimi ſententia confirmant. *Hippocrates Lib. III. de Diæta* §. 23. ita ſuam hac de re ſententiam exponit: *vocis exercitatio à cœna valde commoda eſt.* Et *Lib. de inſomniis* §. 3. *vocis exercitio repletus utatur*, jubet. *Celſus Lib. I. cap. IIX.* claram vocem in ſtomachi vitiis magnopere laudat. Inſtar omnium vero eſt gravis autor, *Plutarchus*, qui *Operr. Tom. II. pag.* 130. ita differit: *Uſus ſermonis voce pronunciati quotidianus mirum dictu quam utile ſit genus exercitationis non ad ſanitatem duntaxat, ſed & ad vires, non quidem athleti-*

cas

cas eas, aut quæ carnes augeant, ſed quia principibus corporis membris, penes quæ vitæ potiſſimum facultas eſt, naturale robur verumque vigorem ingenerat.

§. XXI.

Sermonis uſus ſtomachi vitiis expedit, quia majorem ſanguinis ad ventriculi parietes influxum, adeoque ſecretionem ſalivalis ſucci, præſtat uberiorem. Deinde, quia iterum iterumque repetita diaphragmatis commotione, abdominis viſcera leniter conquaſſantur, evenit utique, ut crebrior vocis exercitatio ſtagnantes intra viſcerum diverticula humores, qui acidis cruditatibus fomitem præbent, egregie diſcutiat.

Scholion.

Pulchre *Aetius Sermon. III. cap. V.* ſcribit: *vox egregie convenit ſtomacho laborantibus & acidum eructantibus.* Siquidem cruditates acidæ & hypochondriacæ, ex acida colluvie intra ventriculum collecta maxima ex parte oriuntur.

§. XXII.

Quemadmodum moderata vocis exercitatio apprime fructuoſa eſt ſanitati, ita nimia vocis intenſio & ſine ulla intermiſſione continuata, capiti præſertim infeſta eſt, quia ſanguinis impetum ad illud urget.

Scholion.

Quare *Aretæus Lib. I. Curat. Chronic. cap.* 11. monet, *ne temere quis gravibus vocibus utatur, quia acutæ voces capitis diſtenſiones, temporum palpitationem, cerebri pulſationes, oculorum inflammationes auriumque tinnitum efficiunt, mediocris vero ejus uſus capiti prodeſt.* Et *Aetius loc. cit.* tradit: *capitis affectionibus incommodiſſima eſt vociferatio. Montanus Lib. II. cap.* 2. eandem ſententiam fovet, *vox eſt*, inquiens, *multum efficax ad caput replendum & omnes partes ſuperiores.* Vidimus multos aurium tinnitum, ſurditatem & hæmoptyſin ſibi ita contraxiſſe.

§. XXIII.

Caveant ſibi à nimia vociferatione omnes plethorici, ſanguinei, & quibus ebulliens ſanguis magno impetu ad caput vibratur.

Scholion.

Hoc cognitu eſt facillimum ex facie rubicunda, tumida, vehementi temporum pulſu, capitis dolore & ſanguinis per nares profuſione. Tales enim perquam facile in cæcitatem, ſurditatem, aut apoplexiam, facta vaſis cujuſdam ruptione, incidunt.

§. XXIV.

In leniſſimis corporis commotionibus locum quoque ſibi vindicat geſtatio, quæ vel in nave, vel lectica inſtituitur.

§. XXV.

Ad motus ſpeciem, quæ perſpirationi promovendæ plurimum velificatur, frictio quoque referenda eſt; à cujus frequenti uſu, ſenes maxime & languentes, non ſpernendum ſanitatis præſidium exſpectare poſſunt.

§. XXVI.

Frictio poros cutis patulos & apertos reddit, auctoque calore, majorem ſanguinis influxum allicit, & ſanguinem attenuando, ejus curſum accelerat, qua ratione juvandæ perſpirationi commodiſſime inſervit.

§. XXVII.

Frictio valde amica eſt ventriculo, cujus languenti digeſtioni egregie ſuccurrit.

Scholion.

Hinc *Celſus Lib. IV. cap. 6. & 13.* prolixe ſuadet, ut frictione brachiorum & crurum, ad emendandas ſtomachi affectiones, ter, vel quater de die, celebrentur. Frictio enim majorem ſanguinis affluxum, à quo vis ſolutionis maxime dependet, ad digeſtionis officinam invitat.

§. XXVIII.

Frictiones inſtituendæ ſunt molles ac prolixiores, ita, ut per univerſam cutim blandus calor provocetur.

§. XXIX.

Geſtatio, omnium exercitationum molliſſima, imprimis imbecillibus quadrat, & quibus ob dejectum virium robur ſe ipſos movere non licet; adeoque in longis & jam inclinatis morbis convenientiſſima eſt.

§. XXX.

Quemadmodum motus ſpecies dantur vehementiores, temperatæ ac leniores; ita medici prudentis eſt, pro rerum & corporum diverſitate, decentem eorum uſum vel ſuadere, vel diſſuadere.

Scholion.

Robuſta corpora ac duro victui aſſueta graves ac laborioſos motus citra ullum incommodum ferre poſſunt, quibus tamen imbecilliores majorem ſibi debilitatem contrahunt. Hinc potius clementiores exercitationum ſpecies, nimirum ambulatio, vectio & vocis uſus, illis imperari debent. Admodum vero imbecilles in geſtationibus & frictionibus acquieſcant, neceſſe eſt.

§. XXXI.

Moderatam corporis exercitationem natura maxime amat, immoderatior vero ipſi mirum quantum exoſa eſt.

Scholion.

Sicut præſtantiſſimum quodvis remedium magis nocumento, quam emolumento eſt, niſi conveniens ejus uſus cum prudentia, debito ordine ac regimine, inſtituatur: ita & hoc de motu tenendum eſt, qui pro diverſo uſu, & noxam, & præſidium, ſanitati afferre poteſt. Conſtat enim experientia, homines pariter ac animantia, nimio motu defatigari vireſque amittere.

§. XXXII.

Quærenda eſt cuivis homini moderata & æquabilis corporis motio, quæ liberum & æquabilem ſanguinis circuitum juvet, quæ vires alat, neutiquam vero deſtruat.

Scholion.

Quum homo ab homine ratione temperamenti, ætatum, virium, habitus corporis, anni temporum, victus & climatis, inſigniter differat, hinc motus cujuſvis naturæ & conſtitutioni conveniens inveſtigandus & imperandus eſt.

§. XXXIII.

Quia magna motus vis eſt & efficacia in ſuperflua humorum quantitate conſumenda omnibuſque juvandis excretionibus, ideo circumſpiciendum eſt, ut ingeſtorum menſuræ motuum quantitas exacte reſpondeat.

Scholion.

Conſentit nobiſcum *Hippocrates*, qui *Lib. Epidem. 6.* ſcite hac de re ita judicat: *Qui comedit, ſanus eſſe non poteſt, niſi laboret.* Et *Lib.* 1. *de Diæta* §. 1. *contrarias*, inquit, *inter ſe vires habent cibi ac labores. Verum inter ſe mixti, conferunt ad ſanitatem: labores enim ea, quæ inſunt, conſumere ſolent, cibi autem & potus ea, quæ evacuata ſunt, explent.* Quare qui menſuram ac proportionem laborum ad ciborum multitudinem, pro diverſa corporum, reſpectu ſtaturæ, ætatis, anni temporum ac ſitus regionum conſtitutione, ſcite & ſagaciter applicare poterit, ille profecto ſibi gratulandum habet, quod ſummum & exquiſitiſſimum

tuendæ ſanitatis præſidium invenerit. Caput totius rei hoc eſt : qui multis laboribus perfungitur, eum plus comedere, & qui plus comedit, eum frequentiori motu corpus exercere oportet. Qui vero parcius laboribus vacant, iis liberalior ciborum uſus circumcidendus eſt. Videtur huc collineare monitum ſcripturæ ſacræ, quæ ſignificanter & explanate præcipit, *ut homines, qui non laborant, nec edere debeant.* Quod præceptum neutiquam ratione deſtituitur; labor enim magnam humorum copiam abſorbet, quorum jactura facilius per cibos reſarcitur, quam ſi multum adhuc evacuandum in corpore relictum eſt.

§. XXXIV.

Corpora, quo magis ſuccis turgent & humiditate repleta ſunt, eo majori & conſtantiori motu perfungi debent. Quo autem macilentiora ſunt & velociorem ſanguinis curſum obtinent, eo parcioribus exercitiis ac laboribus vacare oportet.

Scholion.

Fœminæ, humida temperie ut plurimum præditæ, longe ſaniorem minuſque valetudinariam vitam degunt, ſi paulo liberaliori motu corpus ventilant, quam ſi vitam colunt ſedentariam. Conſtat etiam frequenti obſervatione, gravidas, quæ frequentiori, ſed moderato motu, corpus circumagunt, faciliori utero uti fœtumque edere robuſtiorem, quam, quæ continuo otio indulgent. Motus enim ea conſumit recrementa, quæ in otioſis accumulata, impuros humores & matri, & infanti, ingenerant. Præterea etiam nutrices, quæ motu ac labore corpus ſubigunt, longe ſalubrius lac infanti propinant, quam quæ continuo ſellæ & cunis affixæ hærent.

§. XXXV.

Quemadmodum humidis & ſpongioſæ carnis corporibus ſummum commodum affert moderata exercitatio, ita hæc ſiccioribus & macilentis non adeo opportuna eſt.

Scholion.

Ariſtoteles Lib. III. de Partib. Animal. pinguibus ac obeſis vehementem ſuadet exercitationem, ut proſpera ſanitate fruantur. Et *Hippocrates corpulentis itinera velociora* imperat. Contra vero *Lib. de Diæt.* omni ratione ſuadet, *ut graciles, iter facturi, lentis paſſibus incedant.* Hinc idem auctor ſapienter ait *Lib. 1. Epidem. Calidis naturis refrigeratio, aqua & quies conveniunt; & minuendus eſt iis labor ac cibus, quos ob laborem infeſtat ſitis: ubi vero fames, laborandum non eſt.*

§. XXXVI.

Quia motus perſpirationem imprimis ſartam ac tectam ſervat, hinc digeſtione peracta commodiſſime inſtituitur, ut excrementum tertiæ ſic dictæ concoctionis foras eliminetur.

Scholion.

Tempora, quæ motui celebrando favent, ſunt matutinum ac circa veſperam, & quod cibum proxime antecedit. Egregie *Sanctorius Lib. cit. aph. 72. exercitium*, ſcribit, *poſt ſeptimam uſque ad duodecimam horam ab aſſumto cibo, magis reſolvit inſenſibiliter horæ ſpatio, quam tribus temporibus alterius ſpatii.* Chylus enim ſanguini aſſociatus multis recrementitiis ſordibus ſcatet, per motum & exercitationem difflandis. Alio autem tempore, vel parum in corpore reſiduum eſt perſpirationis ope evehendum, vel, ſi maturius motus inſtituatur, nihil quicquam adhuc ad cutaneos tubulos appulſum eſt, quod per exteriorem habitum exhalare poſſit.

§. XXXVII.

Motus ante ciborum aſſumtionem maxima cum utilitate inſtituitur, tunc temporis enim non modo univerſum corpus ſuperfluum onus depoſuit, ſed & ſtomachalis liquor ab omnibus invectitiis ſordibus probe defœcatus eſt, hinc edendi cupiditas ordinario à motu accenditur.

Scholion.

Hac ratione inducti *Hippocrates* & *Galenus* omnesque ſaniores medici, uno ore pronunciant, corporis exercitationem ſemper ante cibum eſſe celebrandam.

§. XXXVIII.

Sicut corporis agitatio, ante cibum inſtituta, ſanitati egregie patrocinatur; ita, quæ ſumtum cibum ſtatim ſubſequitur, cum ſumma pernicie conjuncta eſt.

Scholion.

Vehementior motus alimenta maturius, quam par eſt, ex ventriculo præcipitat, unde debita eorum ſolutio impeditur. Deinde etiam multa obſervatione conſtat, equitatione, vel vectione à prandio inſtituta, cibos ad duodenum ac ventriculum regurgitare, ubi flatus & ructus procreant, & ſtomacho, præſertim in iis, quibus hypochondria male habent, anguſtiam & ardorem inducunt, quod maxime fit ab aſſumtis in prandio pinguibus, acidis ipſoque vino.

§. XXXIX.

Intenſior corporis exercitatio alvi dejectionem nunquam præcedere debet, quia motus ad corporis ambitum ſuccos pellit & inteſtina exſiccat.

Scholion.

Cauſa jam in propatulo eſt, quare labor ac motus iis conveniant, qui alvum juſto fluxiorem habent.

§. XL.

In motu ratio certi ordinis habenda eſt, primo enim eſſe debet lentior, poſtea vero ſenſim accelerari poteſt.

Scholion.

Quemadmodum omnis ſubita mutatio intuta, quod vero ſenſim & per gradus peragitur, omnis periculi expers eſt; ita etiam à diuturna quiete fortior inſtituta corporis commotio, ſanitati nocumentum affert. Sanguis enim craſſior & copioſus, vehementi agitatione impulſus, per minimos tubulos difficilius vibratur, dumque reſtagnat, vel ad vicina vaſa regurgitat, dolores vaſorumque tenſiones, cum inſigni corporis languore conjunctæ, oriuntur.

§. XLI.

Motum ſub aëre ſereno ac temperato celebrare oportet, qualis duabus horis poſt ſolis ortum & ante ejus occaſum obſervatur; aër vero calidus, vel nimis frigidus, ſalubri corporis exercitationi neutiquam accommodari debet.

Scholion.

Etſi ſerenus ac temperatus aër per ſe optimum vitæ pabulum & ſanitatis præſidium conſtituat: cumulus tamen ejus utilitati accedit, quando conveniens motus ipſi adjungitur. Hinc diſpiciendum, ut ſub omni corporis motu, quælibet aeris intemperies fugiatur. Nimirum, immoderate calidus aër cum fortiori motu ſanguinem accendit, perſpirationem plus juſto auget, & hac ratione corpori debilitatem inducit. Cavere itaque oportet, monente *Hippocrate*, à ſole meridiano, tempore præſertim æſtivo, mane autem ac veſperi inſtitutæ corporis commotiones egregie faciunt ad ſanitatem. Neque corpus, dum fortiori motu exagitatur, aëri nimis frigido committendum eſt, ne ceſſante motu, frigus rarefactos & expanſos corporis poros ac tubulos ſubiens, & ſolidis, & fluidis, perniciem afferat. Quamobrem *Hippocrates Lib. III. de diæta* §. 10. diſſuadet motus mane & veſperi, frigido cœlo exiſtente, neque minus corporis damnat exercitia, quæ circa flumina, ſtagna, aut nives, peraguntur. Frigus enim non tam in ipſo

motu,

motu, quam post illum pertimescendum est, quando nempe corpus diutius in eo detinetur. Fortis autem motus hieme, quam æstate conducibilior est. Unde præclare *Hippocrates Lib. de Sal. Diæt.* §. *II.* scribit: *Qui exercitio utuntur, hieme currere debent, æstate vero parum, currere autem minime, sed multum deambulare, secundum ventum ac frigus.*

§. XLII.

Motui gradatim aucto tamdiu indulgendum est, donec sudor per universum corpus proliciatur, partesque extremæ sanguine & calore turgeant.

§. XLIII.

Motu exacto & sudore largius profluente, corpus in temperato aëre linteis abstergendum, & perspiratio omni modo promovenda est.

Scholion.

Nunquam frigidior aër intra corpus motu calefactum admittendus est, nisi graves inflammationes, rheumatismos, aut febres, corpori arcessere velimus. Longe autem pernicioſior est frigida potio corpori calefacto ingesta, quia hæc facillime in poros venarum calore dilatatos sese insinuat, ubi humoribus coagulum inducendo, libero sanguinis circulo obicem ponit; unde non sine periculo graves inflammationes & viscerum obstructiones enascuntur. Idcirco semper præstat potum magis calidum, quam frigidum assumere, & corpus paulo diutius in lecto detinere, ut salutaris perspiratio promoveatur.

§. XLIV.

Fortiorem motum non statim cibus excipiat, sed per horæ dimidium exspectare præstat, usque dum motu facta corporis turbatio paulum sedata fuerit.

Scholion.

Succus enim ciborum ante debitam solutionem corporis poros subit, ipsaque digestio, viribus motu exhaustis & fracto ventriculi robore, insigne detrimentum capit.

§. XLV.

Qui vehementiori motu fortiter se fatigarunt, iis cibus humidus & succulentus egregie convenit.

Scholion.

Optime *Celsus Lib.* 1. *cap. III.* §. 28. præcipit: *Omnibus fatigatis aptum est cibum sumere eoque humido uti, maximeque ea, quæ urinam movent, & vinum aqua dilutum. Illud quoque nosse oportet, quod ex labore sitienti frigida potio noxioſissima sit, atque etiam itinere fatigatis inutilis.*

CAPUT X.

De quiete & somno.

§. I.

COnstans intemeratæ sanitatis conservatio non tantum debitis excretionibus opus habet, verum etiam quibusdam in corpore retentis sustinetur. Ex alimentis enim ingestis ac bene digestis quædam intra corpus retineri debent, quibus vires & succi, motu & calore deperditi, reparentur.

§. II.

Ut motus corporis excretiones, & omnium maxime utiliſsimam perspirationem, insigniter juvat, & ad inertes effœtosque humores è corpore evehendos necessario requiritur: ita, & quies, & somnus, pro sanitate egregie militant; dum utiles & naturæ amicos succos colligunt & intra corpus retinent, absumtasque fluidas partes restaurant.

Scholion.

Motus, labor diuturnus ac vigiliæ non modo vires motrices consumunt multumque humidi dissipant, sed ipsa quoque motus instrumenta, partes nempe musculosas, atterunt ac debilitant; hinc quies, seu motus quædam intermissio, laboribus ac vigiliis interpolanda est, qua utiles & concocti humores retineantur, & tam solidæ, quam fluidæ corporis nostri partes, à quibus virium origo derivanda, novum subinde alimentum ac vigorem recipiant. Hinc nemini non perspicua esse potest summa quietis ac somni necessitas.

§. III.

Quies multum facit ad corporis nutritionem, quia gelatinosos humores colligit & condensat, nimiamque eorum exhalationem remoratur.

Scholion.

Artificium saginandi animalia maximam partem in eo consistit, ut angustiori loco inclusa, ab omni motu prohibeantur.

§. IV.

Quies maxime accommodata est corporibus imbecillis, cholericis, macilentis & qui interno æstu vehementius agitantur, vel febre decumbunt.

Scholion.

In quibus celerior est motricium fibrarum contractio, & sanguis citatius per vasa fertur, iis utique quies longe utilior est motu, qui internum calorem exauget ac stimulat.

§. V.

Quies, vel saltem lenior deambulatio, quæ assumtum cibum statim subsequitur, ventriculo alimentis repleto valde amica ac necessaria est. Fortior enim motus cibum crudum adhuc, nec satis percoctum, cum insigni sanitatis detrimento, ex digestionis officina præcipitat.

§. VI.

Quia quies nimiæ corporis lassitudini allevamento est, judice *Hippocrate sect. II. aphor.* 48. hinc quo major ac diuturnior præcessit motus, eo longior etiam quies eum excipiat necesse est; atque adeo labori cum quiete justa semper intercedere debet proportio.

Scholion.

Quod tamen non hunc in modum accipiendum est, quasi motus & quies tempus æquale sibi vindicent; sed potius illud intellectum velim, quod pro eo, ac vires amissæ sunt, per quietem sufficiens earum fieri debeat reparatio.

§. VII.

Quemadmodum moderata quies magnopere sanitati inservit: ita motum superans pernicioſissima est.

§. VIII.

Quiete longiori corporibus magna fit ponderis accessio, tum quia excrementorum, quæ mediante motu è corpore diffiantur, exclusionem diuturna quies sufflaminat; tum quia succi ex cibo ac potu copioſiori, quiete parum probe digeruntur & in vasis nimium congeruntur.

Scholion.

Hippocrat. Lib. 2. *de Diæt.* sic hac de re tradit: *Otium humectat & debilitat, labor vero siccat ac roborat. Motu enim dissipantur humores, unde nervosarum partium fit tensio.* Vitæ otioſæ & sedentariæ addictas mulieres facile in passiones hysſtericas & hypochon-

driacas incidere quotidie animadvertimus; juvenes vero ac viri, qui otio litant & vitam quietam colunt, plerumque hypochondriorum vitio laborant, & ſubinde ſcabie & ſcorbuto corripiuntur; cujus rei imprimis teſtes ſunt ſartores omneſque opifices, qui ſellularias artes exercent.

§. IX.

Ut motus perſpirationi favet, & ſanguinis curſum accelerat eumque tenuem ac fluidum reddit: ita diuturna quies, ſanguini craſſitiem inducendo, viſcerum obſtructiones, ſanguinis impuritatem humorumque ſtagnationes progenerat, & hac ratione ad graves & pertinaces morbos diſponit.

Scholion.

Non prætereunda ſunt verba *Fonſecæ*, quæ *Lib. de Tuend. Sanit. pag.* 37. profert: *ex nimio*, inquiens, *otio ſuffocatis, apoplexia, podagra, colica, calculus renum naſcitur, præſertim, ſi cum crapula ac libidine ipſi indulgetur.*

§. X.

Seſſio corpus hypochondriaco malo præparat, & illud imi ventris paſſionibus obnoxium reddit.

Scholion.

Sub ſeſſione incurvatum corpus talem angulum efformat, qui ventrem premit, & inteſtinorum flexuras in anguſtiam compellit, atque hinc flatus ſurſum verſus ventriculum retruduntur. Deinde etiam corporis incurvatio vaſa meſenterii, quæ ad venam portæ decurrunt, comprimit, & hoc modo liberum ſanguinis progreſſum intercludit. Exinde vero humorum ſtagnationes ac viſcerum infarctus ſuos natales trahunt. Quare etiam *Plautus* hypochondriacis ambulationem his verbis commendat: *ambula, hoc lienoſis prodeſt.*

§. XI.

Neque diuturna ſtatio pro ſanitate eſt, ſed potius nunquam non fugienda.

Scholion.

Statio hæc non modo ſeſſione deterior eſt, ſed majorem quoque corpori perniciem affert. Corpore enim perpendiculariter erecto, ſanguis quidem ac reliqui humores facillime ad inferiores partes deſcendunt, ſed eorum aſcenſus mirum quantum retardatur, niſi membrorum niſus & actio, qualis ambulationi adjunctus eſt, progredienti ſanguini ſuppetias ferat.

§. XII.

Statio muſculorum æquilibrio, hoc eſt, æquali eorum tenſione peragitur, cui tota corporis moles ad perpendiculum incumbit. Quantum vero hoc viribus detrahat, dici vix poteſt, maximeque pernicioſa hæc ſtatio in ſtudiis literarum tractandis fugienda eſt, quia ſpiritus dupliciter impenduntur, dum & menti in formandis ideis, & corpori in tono muſculorum ſervando, vacare debent. Conſultius itaque eſt eo tempore, quo meditationibus indulgemus, leniorem ambulationem inſtituere, ut in mutua muſculorum actione æquilibrium conſervetur.

§. XIII.

Non tantum quies corporis, verum etiam ſomnus, jacturam humorum motu deperditorum reſarcit, & corpori novum robur fœnerat.

Scholion.

Animadvertimus à ſomno reparari vires, corpora fieri agiliora & ad ſubeundos labores magis idonea, animum quoque ad præſtandas actiones ſuas inde reddi alacriorem, & univerſum corpus omnem deponere laſſitudinem, unde ſomnus optimum virium pabulum ſummo jure appellari debet. Quam inſigniter enim vires morbo collapſæ per ſomnum reficiantur; optime perſpectum habent, qui gravioribus acutis morbis affliguntur. Quanto maturius enim ſomni beneficio perfrui poſſunt, eo celerius vires ac ſanitatem recuperant.

§. XIV.

Vires, omnium motuum in corpore effectrices, vix ab alia cauſa, quam à ſanguinis partibus fluidiſſimis & ſic dictis ſpirituoſis, ſuam originem trahunt, & continuo motu, vigilia ſenſuumque exercitio diſſlantur, hinc ſomnus, qui nihil aliud eſt, quam quies corporis, ſenſuumque, tam internorum, quam externorum, ceſſatio, accedat neceſſe eſt, qui ſpirituoſas ac ſubtiles particulas colligat & intra corpus detineat, ut exinde vires incrementum capiant & corpus cum animo ad ſuas præſtandas functiones rurſus fiat idoneum.

§. XV.

Somnus non modo vires, quas partes humorum ſpirituoſæ largiuntur, reparat, ſed & nutritionem, ſeu alibilium partium appoſitionem, plurimum adjuvat.

Scholion.

Vigiliæ continuo motu ac calore ſuccum nutrientem attenuant, eumque foras ejiciunt, ut ſolidarum poris inſinuari nequeat. In ſomno autem placidior eſt ſanguinis motus, nutritius ſuccus colligitur, & intime partium poris ſe aſſociat; unde tam animantia, quam homines, vigiliis emaciari, ſomno vero roborari & pingueſcere videmus. Hinc pulchre *Hippocrates Epidem. Sect.* 4. *labor*, ait, *articulis & carnibus cibus eſt, ſomnus viſceribus.* Solida enim augentur ac roborantur exercitationibus, ſub ſomno autem melior fit alimentorum coctio, & hinc viſcera nutriuntur.

§. XVI.

Si ſomnus deperditum nutrientem ſuccum parteſque ſpirituoſas abſumtas reſtaurat, in proclivi eſt judicare, quare longiori ſomno opus habeant, qui corpus vehementiori motu ac labore, & animum aſſiduis & profundis cogitationibus fatigarunt, quam qui otium, tam corporis, quam animi, per diem coluerunt.

Scholion.

Iis præcipue ſomnus egregie ſuccurrit, qui diuturna cogitatione & fixis meditationibus animi & corporis robur limarunt, ne animi & corporis vires aliquod exinde capiant detrimentum.

§. XVII.

Sufficientis ſomni ſignum præbent corpus agile, pondere imminutum, mens alacris, neque ulterior in ſomnum propenſio.

§. XVIII.

Quum vires ſomno imprimis reficiantur, ideo quantum demitur ſomno, tantum viribus ac digeſtioni decedit, & quia ad literarum ſtudia rite colenda non pauci requiruntur ſpiritus, ideo male agunt & peſſime de ſanitate ſua merentur, qui ſtudia in ſeram noctem protrahunt, vel noctes plane inſomnes ducunt, ſeque tam egregio beneficio mira improbitate defraudant.

§. XIX.

Obſervamus, ſomnum, qui ante mediam noctem capitur, plus incrementi viribus addere, quam qui eam ſubſequitur.

Scholion.

Ratio hæc eſſe videtur, quia homines tunc temporis profundiori ſomno merguntur, dum ſpirituoſæ alimentorum partes ex ventriculo ad maſſam ſanguinis & humorum accedunt, quæ ibi ſub leniori ſomno copioſius collectæ, tubulos cerebri ſubeunt, inque ejus corticali mere vaſculoſa parte poſtea ſecernuntur.

§. XX.

§. XX.

Non omnis somnus, sed quietus saltem, vires reficit.

Scholion.

Sapienter monet *Plato lib. VII. de LL. qui vitæ ac sapientiæ curam gerit, plurimo tempore vigilet, id solum providens & observans, ut somnum tantum capiat, quantum ad sanitatem pertinet, ad cujus conservationem non multo somno opus est, si modo recte fuerit constitutus.*

§. XXI.

Somnus quietus is dicitur, in quo non facile excitamur, sed potius continenter per consuetum tempus conquiescimus, & qui ciborum, & concoctionem, & perspirationem, juvat ac vires reparat.

§. XXII.

Somnus inquietus est, qui interruptus & turbulentis insomniis plenus est, quemadmodum eum definit *Sanctorius sect.* 11. *aph.* 5. & qui nec vires reficit, nec perspirationem juvat, sed potius impedit.

§. XXIII.

Somnum placidum ac tranquillum reddit temperatior sanguinis per cerebrum cursus; quam ob rem omnia, quæ nervosas partes irritant & sanguinis per cerebrum iter accelerant, somnum variis modis interturbare solent.

Scholion.

Omnes vero cibi acres, sale, aromatibus, allio, sinapi & id genus aliis conditi, vel duriores ac flatulenti, neque minus potus calidi ac spirituosi, circa somni tempus assumti, variis turbis somnum exagitant, quia ventriculo cum capite summus intercedit consensus & conspiratio. In febribus, ob celeriorem sanguinis per cerebrum cursum, paucus, vel plane nullus, aut valde turbulentus, somnus est. Quare quicquid ita comparatum est, ut ventriculi membranas, vel acrimonia, vel gravitate quadam, sollicitare ac stimulare possit, illud etiam molestum cerebri membranis inducit sensum & somnum quietum arcet.

§. XXIV.

Insignia ex somno in corpus nostrum beneficia redundant, quia somnus ciborum concoctioni egregie patrocinatur.

Scholion.

Quia alimenta non subito extra ventriculum propellit, & quoniam succi fermentales, qui in prima regione ex glandularum scatebris large promanant, pluribus spirituosis particulis abundant, & majori activitate instructi sunt, hinc alimentorum nexum melius dissociare & laudabilem chylum evolvere possunt. Qui ventriculum copia ciborum repletum habent, eos diutius somno indulgere oportet, nisi multa ex collectis cruditatibus incommoda sibi contrahere velint. Hinc bene dictum est à *Celso Lib. III. cap.* 1. *qui bene concoxit, mane tuto surget; qui parum, quiescere debet, & si mane surgendi necessitas fuerit, mane redormire, qui non concoxit, ex toto requiescere, ac neque labori se, neque exercitationi, neque negotio credere.*

§. XXV.

Somnus, ad absolutam concoctionem perdurans, optimum viribus fomentum præbet.

Scholion.

Observatione constat, eos, qui ventriculum copiosiori cibo ac potu refertum, vel caput crapula gravatum habent, à longiori quiete & continentia in lecto longe melius vires recipere, quam si nimis cito è lecto se proripiunt.

§. XXVI.

Somnus placidus non tantum conficiendis in ventriculo alimentis velificatur, sed etiam perspirationem magnopere juvat.

Scholion.

Sanctorius sect. IV. aph. 2. memoriæ prodidit, dormientem magis perspirare, quam vigilantem. Et *aphor.* 1. *loc. cit. somnus*, inquit, *placidus adeo fovet perspirationem, ut septem horis quinquaginta unciæ cocti perspirabilis in robusto homine exhalent.* Perspiratio melius in somno, quam in vigilia succedit, quia habitus corporis sub somno magis relaxatus est, cutis tubuli ac meatus ab æquabili calore magis patuli atque aperti sunt, & sanguis placidiori cursu ad emunctorium cutis devolvitur. Quæ omnia hujus excretionis negotium mirifice auxiliantur.

§. XXVII.

Quamvis in vigilia sanguis celeriori gradu ad cutis superficiem feratur, tamen quando strictiores sunt pori ac tubuli, major saltem copia tenuis ac perspirabilis seri exhalat; sub somno vero ampliatis poris, particulæ sudoris ac transpirationis crassiores difflantur. Duplex enim datur materia perspirabilis, una tenuior, altera crassior, particulis pinguioribus ac viscidis gaudens, quarum vestigia in indusiis conspiciuntur, & hæc etiam pediculis, quibus pueri vexantur, nutrimentum præbet.

§. XXVIII.

Quum perspiratio absoluta concoctione melius succedat, & majorem sanitati ferat utilitatem, solerti cura dispiciendum est, ne salutaris hæc excretio matutino tempore ullo modo cohibeatur.

Scholion.

Patet jam ratio, quare matutinis horis sudorifera, diaphoretica & quæ perspirationi ulterius præsidio sunt, inter quæ principem locum tenent infusa calida, insigni cum euphoria propinentur, quia tunc temporis ipsa materia ad exitum præparata est.

§. XXIX.

Somnus cogitationum ac sensuum quies est, ideo eo tempore, quo somnus capitur, omnes curæ & profundæ meditationes animo exulare debent.

§. XXX.

Causam somni, qui nihil aliud, quam sensuum, & internorum, & externorum cessatio est, languidior fluidi nervei in partes, quæ sensuum domicilia sunt, influxus constituit.

Scholion.

Parcior roris nervei in cerebrum ac sensoria influxus, partim à tubulorum, ex quibus cerebri compages contexta est, tono dejecto, partim à nimia arteriolarum, quæ cerebrum perreptant, distensione, suam originem trahit. Spirituum vero animalium, seu succi nervei, in cerebro secretio unice à sanguinis motu per caput dependet. Facto igitur tardiori sanguinis per tubulosam cerebri substantiam progressu, ejus quoque separatio retardatur. Nimia vero arteriolarum cerebri expansio debitam earum contractionem prohibet, unde sanguis lentius vasa trajicit. Quare secundum *Hipp.* effatum *l.* 1. *de Adfect.* quæ somnum conciliant, ea sanguinis quietem procurant. Cæterum causæ somni & arteriolarum expansionis, in physiologica tractatione perquisitius jam investigatæ sunt.

§. XXXI.

Si spirituosæ partes parcius in somno secernuntur & magis in sanguine remanent, facillima intellectu ratio est, quare nutritio corporis & alimentorum concoctio præcipue sub somno vigeant, & quare universa san-

guinis & humorum maſſa, partibus ſpirituoſis aucta, ſolidorum tono majus robur inſpiret & univerſo corpori vires ſuppeditet.

§. XXXII.

Somno inprimis accommodatum eſt tempus nocturnum, ob atmoſphæram frigidam & humidam, quæ omnes corporis fibras à tenſiori tono remittit, & celeriorem ſanguinis progreſſum remoratur.

§. XXXIII.

Somnus capiendus eſt in aëre ſereno, temperato, non nimis calido, nec nimis frigido, multo minus vappido, præhumido, aut variis vaporibus referto.

Scholion.

Aër, quem ſub ſomno haurimus, eam ob cauſam optime debet eſſe conſtitutus, quia vires ſub ſomno colligendæ ſunt. Harum vero elementum ac pabulum ſunt particulæ ſanguinis tenuiores ac ſpirituoſæ, quæ maxime ex aëre ſereno ac puro in corpus noſtrum invehuntur. Laudamus hinc cubicula ampla & perſpirabilia, in quibus vero aër arcte concluſus, vel fornacibus calefactus eſt, ea vehementer inprobamus.

§. XXXIV.

Optimus in ſomno decubitus fit in lateribus, capite paulo elatiori & corporis trunco inflexo cruribuſque aliquantum contractis.

Scholion.

Declivior decubitus ſanguinis ex capite regreſſum quodammodo impedit, quia is per venas jugulares deſcendere debet, quod elatiori capite commodius peragitur. Hinc capite nimis demiſſo ac depreſſo, profundiores ſomni cum inſomniis fiunt, & univerſo corpori torpor inducitur. Eadem ratione, ſi quis facie prona, velut in menſa, in ſomnum delabitur, ob difficiliorem ſanguinis regreſſum, gravitatem capiti & ingenio ſtupiditatem accerſit. Præterea etiam crebrior ejuſmodi decubitus graves interdum ophthalmias parit.

§. XXXV.

Neque pro ſanitate eſt ſupinus decubitus, quia vaſa dorſo inſtrata valde incaleſcunt, preſſiſque muſculis thoracem elevantibus, difficilior fit reſpiratio.

Scholion.

Plethoricos omni cura fugere oportet ſupinum decubitum, facile enim incubo premuntur, cujus cauſa à ſanguinis in pulmonibus ſtagnatione deducenda eſt, vel etiam in calculum, uterinas ſanguinis profuſiones & pollutiones nocturnas incidunt.

§. XXXVI.

Ventriculo cibis repleto, præſtat prius lateri dextro incumbere, eo quod chylus promtius ſic ad inteſtina deſcendere poteſt, & hac etiam ratione præcavetur, ne hepatis ponderoſum viſcus ventriculo incumbens, graviter eum comprimat.

§. XXXVII.

Somnum ſtatim à cœna capere nunquam conducit, ſed potius una vel altera hora exſpectanda eſt. Deinde & hoc tenendum, quod parcus ac mollior cibus ſuaviorem ſomnum efficiat.

§. XXXVIII.

Somnus meridianus ex toto inſalubris eſt, quia capiti & univerſo generi nervoſo debilitatem inducit, idque torpidum & catarrhis obnoxium reddit.

Scholion.

Quandocunque ventre repleto obdormimus, chylus ſanguinis vehiculo ad cerebrum delatus, non modo copia, ſed partium etiam elaſticitate, ejus vaſa nimis expandit, eorumque tonum ſolvendo, ingentem humorum ſtagnationem parit, qui ubi, intus buloſam & inferiorem cerebri ſubſtantiam deſcendunt, capitis torporem ac gravitatem ibi excitant.

§. XXXIX.

Res cum majori noxa conjuncta eſt, quando ſub meridiano ſomno corpore ſupino decumbitur, ita enim humores longe facilius ſtagnationem ſubeunt, quæ ob varia incommoda, capiti imprimis valde hoſtilis atque infenſa eſt.

§. XL.

In terris calidioribus, ſomnus meridianus ſanitatem non tam facile offendit.

Scholion.

Quia vires & ſuccos, qui diurno ſolis fervore nimium difflantur, colligit & intrà corpus detinet. Cavendum tamen eſt, ne ſupino corpore, ſed capite erecto, decubitus fiat. Neque meridianus ſomnus adeo novicus eſt iis, qui noctes inquietas & inſomnes agunt, & ab immoderatiori æſtu languent, vel corpus variis modis delaſſarunt; neque iis interdicendus eſt, qui gracilioris corporis habitus, vel ætatis provectioris ſunt.

§. XLI.

Quemadmodum nulla regula tam firma eſt, quæ non ſuas patiatur exceptiones: ita etiam ſomnus meridianus, in quibuſdam caſibus certaque ſub conditione, tuto admitti poteſt. Non eſt inutilis, ubi vires cuſtodiendæ, ubi benignum humidum in corpore retinendum, vel cerebri partiumque humectatione opus eſt, qua præcipue ſenes indigent.

§. XLII.

Ut moderatus ſomnus magnam corpori utilitatem promittit; ita modum excedens noxam inſignem affert.

Scholion.

Immoderatus ſomnus non modo capiti gravitatem ac torporem, ſed omnibus etiam corporis partibus languorem inducit, & tam animo, quam corpori, agilitatem detrahit, quia ſufficientem fluidi ſubtiliſſimi in nervos & partes ſolidas, quæ motuum opifices ſunt, influxum nimis remoratur. Inde vero ſanguis & humores ſuam amittunt fluiditatem, eorumque ſpirituaſcentia depreſſa corpus tardis paſſionibus opportunum facit. Cauſa immoderati ſomni, ad ingentem vaſorum cerebri & duræ matris debilitatem, ſeu atoniam, referenda eſt, qua evenit, ut ſanguis nimium ibi congeſtus, lentius procedat, humidumque demittat, quod poſtea in tubulos cerebri delabitur. Omnia vaporoſa, opiata & quæ copioſas exhalationes ſulphureas exſpirant, ſomnum immoderatum gignunt, quia elaterem ac tonum membranarum & vaſorum cerebri majori, quam par eſt, expanſione, multum debilitant, unde nimia fit ſanguinis congeſtio, atque humidum à ſanguine tardius progrediente ſeceſſionem faciens, poros ac tubulos cerebri occupat, hinc immodicum ſomnum arte paratum plerumque ſtupor, animalium functionum ſegnities, & ſomnolentia cum capitis gravitate, ſubſequuntur.

§. XLIII.

Qui adoleſcunt & primam adhuc ætatem agunt, ſemper ſuavius dormiunt, quam qui provectioris ætatis ſunt homines & qui ad perfectum corporis augmentum jam pervenerunt.

Scholion.

In puerili & adoleſcente ætate, mollior cerebri vaſorumque textura eſt, ex quibus ſuccus nutritius roſcidus exſudat.

exſudat. Senes vero ſiccioris texturæ ſunt, vaſa obtinent duriora, hinc nimia pororum anguſtia non niſi parcam nutritii ſucci in tubuloſa cerebri ſubſtantia ſecretionem admittit. Qui bene valent ac parum dormiunt, maxime ſunt cholerici; hos autem, ſi ſanitatis rationem habere velint, à vino & potibus ſpirituoſis, neque minus à cibis acribus, ſalitis & aromaticis, abſtinere oportet. Natura nulli rei magis, quam ſomno ac vigiliis certis temporibus aſſueſcit, quare conſultum eſt, omnibus modis ſomnum diurnum declinare, utpote qui noctes inſomnes reddit.

§. XLIV.

Notatu dignum eſt, ſomnum eo fieri impeditiorem, quo diuturniores vigiliæ præceſſerint.

Scholion.

Experiuntur hoc illi, qui integras noctes vigiles ducere coguntur. Diuturnæ enim vigiliæ benignos humores conſumunt, acres vero calidas particulas in ſanguine cumulant, quæ cerebri fibrillas continenter ſollicitant, ſicque ſomnum arcent.

§. XLV.

Ut immoderatus ſomnus ſanitati adverſatur, ita etiam protractiores vigiliæ, corporis & animi vigorem ac vires exhauriunt.

Scholion.

Siquidem & humidum roſcidum, & liquidum nerveum, ſub aſſidua vigilia in vehementem motum abripitur, & magna etiam ex parte conſumitur. A nimiis vigiliis concoctio perturbatur, corpus macie contabeſcit, facies fœdo pallore diſcoloratur, oculi recedunt & concavi fiunt, ipſeque vultus auſterum ac triſtem habitum induit. Hinc *Hippocrat. Lib. de Diæt. in Acut. vigilia*, perhibet, *nimia poſt cibos noxia, quum cibum colliqueſcere non ſinat.* Et *eod. Libr. vehemens*, inquit, *vigilia potus cibosque, tum crudos, tum incoctiores, reddit.*

§. XLVI.

Diuturnas vigilias ſequitur plerumque maxima partium internarum debilitas; unde ſtagnationes humorum in capite, periculi plenæ inflammationes ac deliria oriuntur.

Scholion.

Perpetuæ obſervationis eſt, quod fortiorem ſpaſmum, ſeu intenſiorem partium tonum, ut plurimum magna relaxatio & flaccíditas excipiat.

§. XLVII.

Qui per nocturnam quietem anxiis ac terrificis inſomniis agitantur, in iis ſanguinis ac humorum circuitus per caput & pectus male procedit; ſiquidem in ejuſmodi ſubjectis graviores ſanguinis ſtagnationes dictis in partibus obſervantur.

Scholion.

Quare ſomnia anxia ac turbulenta, ſecundum *Hippocratem*, præternaturalem corporis ſtatum morbosque impendentes denunciant, quibus convenienti diæta & recto remediorum uſu obviam eundum eſt.

CAPUT XI.

De diæta robuſtorum & imbecillium.

§. I.

QUemadmodum nihil in ſe & ſua natura, ſeu inſita neceſſitate, ſalutare, vel noxium eſt, ſed uterque, tam ſalubritatis, quam inſalubritatis effectus, ex viribus agendi & ex relatione ad corpus humanum facta, demum reſultat: ita etiam rerum non naturalium ſalubrium & inſalubrium virtus & efficacia, ex corporum diverſitate, in quibus ſeſe varie exſerunt, dum ſalubris & inſalubris eorum effectus variis modis, vel impeditur, vel adjuvatur, nunquam non æſtimari debet.

§. II.

Perperam agunt præſides valetudinis, qui ſingulis unam eandemque vivendi rationem præſcribunt, & quod uni confert, illud aliis quoque commodum eſſe judicant omnibus.

Scholion.

Magiſtra enim experientia quotidie edocemur, non omnia omnibus eſſe accommodata, & quod unus citra ullam noxam ferre poteſt, hoc alteri in ſummam cedere perniciem. Ipſum quoque tempus, in rerum ſalubritate determinanda, plurimum valet, quædam enim certis temporibus tuto & citra ullius offenſæ metum ingeruntur, quæ alio tempore aſſumta, ſanitati haud leve detrimentum afferre ſolent.

§. III.

Diverſi ſalutares & noxii alimentorum effectus maximam partem à corporum differentia deduci debent, ſiquidem, ut recte monet *Hippocrates*, natura à natura, corpus à corpore differt.

Scholion.

Hæc naturarum differentia fit tam ratione ætatis, temperamenti, habitus corporis, conſuetudinis & connatæ diſpoſitionis, quam præcipue ratione roboris ac imbecillitatis.

§. IV.

Quemadmodum in univerſum inter vires, ratione potentiæ & debilitatis, ingens intercedit diſcrimen: ita etiam robuſtorum & imbecillium corporum humanorum varia ac diſpar conditio eſt; quare ſemper ad corporum diverſitatem reſpiciendum, quippe quæ in medicina, tam therapeutica, quam diætetica, multum momenti habet.

§. V.

Homo robuſtus is eſt, qui inſigni robore ac potentia motuum inſtructus eſt.

Scholion.

Id eſt, qui magna facultate pollet non tantum in edendis motibus voluntariis, verum etiam in actionibus vitalibus & animalibus; ſive, ut res dilucidius appareat, qui multum ponderis elevare magnoſque animi & corporis labores ſuſtinere poteſt, & qui bene ac copioſe ingerit atque egerit, nec facile gravem à vigiliis variiſque, licet minus congruis alimentis, læſionem patitur.

§. VI.

Qui corpore robuſtus, is etiam animo fortis & ingenio alacris eſt, nec facile morbis & affectibus animi fit obnoxius, nec facile à rebus externis læditur.

§. VII.

Ut quælibet vis motrix partim ab inſtrumento, quo motus exercentur, partim ab activitate & energia moventis dependet: ita etiam robur corporis humani, partim à muſculorum duritie & magnitudine, partim etiam à copioſo boni ſanguinis & liquidi nervorum in has partes influxu, proficiſcitur.

§. VIII.

Robur itaque corporis ex vaſorum amplitudine & capacitate, nervorum craſſitie & muſculorum ſoliditate, cognoſcitur.

Scholion

Scholion.

Siquidem omne corporis robur, ſecundum originem ſuam, à diſpoſitione parentum, quoad partes ſolidas, quoad fluidas vero à decenti in rebus non naturalibus regimine, derivandum eſt. Inter robuſtos homines numeramus plebejos, duris laboribus aſſuetos & qui ſimplici & craſſo victu utuntur, ratione ætatis juvenes ac viros, ratione temperamenti ſanguineo-cholericos, reſpectu habitus corporis, qui non adeo pingues aut ſpongioſæ texturæ ſunt, ſed oſſa ſolidiora, nervos ſtrictiores, firmos tendines & vaſa capaciora obtinent. Quoad nationes & climata hunc in cenſum referendi Weſtphali, Pomerani ac Brunſvicenſes. Imbecillioris naturæ ſunt, qui fibras teneriores & exquiſitiori ſenſu præditas, vel ad ſubeundos heterogeneos motus idoneas obtinent, qui facile animi affectibus exagitantur, & quorum vaſa anguſtiora non ſufficiente boni ac ſpirituoſi ſanguinis quantitate inſtructa ſunt; præterea, qui tendines ac nervos exiguos & laxiores, denteſque pauciores habent, & à laboribus, tam animi, quam corporis, facile fatigantur.

§. IX.

Imbecilliores non tantum facile à rebus externis læduntur & levi data occaſione in morbum incidunt, verum etiam morbo quodam correpti, in malis ſunt, animum habent mobilem ac verſatilem, nec vitam adeo longe protrahere poſſunt.

Scholion.

Imbecillium numero adſcribi debent infantes, ſenes, vitæ urbanæ ac otioſæ dediti, continuis ſtudiis & meditationibus addicti, ex ſexu fœminæ, natione Svevi ac Miſnici. Deinde etiam horum in ſocietatem veniunt ii, qui gravi morbo, nimiis vigiliis, longiori fame ac inedia, aut largiori ſanguinis profuſione, ut & diuturno mœrore, multa venæ ſectione, aut crebriori purgantium uſu, inſignem virium jacturam paſſi ſunt. Deinde huc pertinent puerperæ ac fœminæ menſium fluxu laborantes. Imbecilles, vel à ſolo ſuaveolentium odore, ſe male habent, ab exigua doſi alicujus emetici, vel purgantis, copioſas patiuntur excretiones, & à cibo, ſeu flatulento, ſeu acido, vel etiam levi ſaltem aëris frigidiuſculi afflatu, noxam ſibi contrahunt.

§. X.

Quia corporis imbecillitas & nimia ad morboſos motus recipiendos aptitudo, à benignorum ſuccorum inopia maxima ex parte proficiſcitur, ideo medicum, qui debite corpus firmare, idque adverſus externarum rerum injurias fortiter munire intendit, omnem curam in eo defigere oportet, ut blandioribus ſuccis vaſa ac nervos repleat, inertes vero ac ſuperfluos humores corpori detrahat.

Scholion.

Ex his perſpectis levi negotio conficitur, imbecilles, qui omnibus morbis patent & quemcunque exceſſum graviter ferunt, longe tutius ac facilius integram recipere poſſe ſanitatem, ſi moderatam vivendi rationem ſibi imperent, quam ſi in medicina validiori, ex pharmacopoliis petita, ſalutem quærant.

§. XI.

Neminem magis decet vitam ad ſanitatis leges exacte componere, quam imbecilles, quia à levi ſaltem errore in diæta commiſſo graviter offenduntur, & inſigni ſunt documento, quantam vim ac potentiam rerum naturalium, & uſus, & abuſus, in corpus habeat.

§. XII.

Imbecilles animum eo advertere debent, ut concoctio ac perſpiratio, quanta maxima fieri poteſt circumſpectione, in ſtatu integro conſerventur.

Scholion.

Ad juvandam concoctionem, oportet imbecilles, paulo largius ſomno indulgere, ante cibum corpus, non quidem vehementi, ſed moderata exercitatione, ventilare, nec adeo multum aſſumere. Circumcidenda ipſis ſunt acida, dura, flatulenta, ſalſa ac dulcia, quæ in imbecillibus facile in acorem vertuntur. Expedit etiam ventos fugere ſeptentrionales, animi tranquillitatem colere & omnia, quæ modum excedunt, & intemperie infenſa ſunt, cum cura à ſe amoliri. vid. *Celſus Lib. I. cap.* 11.

§. XIII.

Quum homo robuſtus & omni ex parte valens non facile à quodam exceſſu læſionem ſentiat, ideo ſecundum *Celſum Lib.* 1. *cap.* 1. *non ſe tam ſtricte obligare debet legibus diæteticis, ſed varium vitæ genus habere omnibuſque adſueſcere oportet.*

Scholion.

Præclare tamen laudatus auctor in fine ejuſdem capitis monet, cavendum eſſe robuſtis, ut *ne in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur*, hoc eſt, ne vires detrimentum capiant, quæ efficaciſſimam in profligandis morbis medicinam conſtituunt.

§. XIV.

Imbecillis, quibus *Celſus* annumerat literarum cupidos, qui diurnis nocturniſque ingenii laboribus corporis robur frangunt ac ſpiritus diſſipant, eam vivendi rationem inire convenit, quæ imprimis concoctionem ac perſpirationem juvet vireſque reſarciat.

Scholion.

Quare eos, qui Muſarum ſacris operantur, eo tempore, quo cibus capitur, ab omni cura ac meditatione vacare oportet. Tempus vero exercendis ingenii laboribus maxime accommodatum eſt matutinum, & quod peractam concoctionem ſubſequitur. Quam in rem plura notatu digna commentati ſumus in tractatu noſtro: *de ſtudiis per regulas diæteticas facilitandis & prolonganda literatorum vita*, nec non in *parte IX. diæteticorum* Germanico idiomate proſtantium *ſcriptorum, diſquiſitione ultima.* Literarum etiam cultores teneriori victu uti oportet, qui ſubtiles & fluxiles ſuccos corpori ingenerat. Caveant vero ſibi à flatulentis, leguminoſis, piſis, fabis, cereviſiis craſſioribus & vinis deterioris notæ, quæ caput gravant, ſenſus obtundunt & lumen ingenii obtenebrant. Cereviſiæ enim ac vina, quo tenuiora ſunt, eo magis literatorum ſanitati velificantur. Et quoniam debita alimentorum concoctio cerebro ac nervis favet, & ſpirituum animalium uberiorem proventum ſuppeditat; hinc literarum ſtudioſis ſufficiens ſomnus quam maxime commendatus eſſe debet. Quantum enim ſomno decedit, tantum quoque viribus ad pertractanda ſtudia neceſſariis detrahitur. Deinde iis, qui litterarum ſtudiis ſe conſecrarunt, diligenter circumſpiciendum eſt, ne nimia ſtudiorum intemperie & luxuria corpus enervent, & variorum morborum injuriis obnoxium reddant. Præſtat potius laborum intervalla ſuavi otio diſpungere, & quandoque gaudia curis interponere, ut mens ad functiones ſuas rite perficiendas excitatior fiat. Nihil quoque magis ſanitatem offendit, quam perpetua ſeſſio, literarum amantibus familiariſſima, qua ſibi ſolennem illum affectum hypochondriacum alvique adſtrictionem accerſunt.

§. XV.

Magnam quoque in diæteticis conſiderationem merentur corpora obeſa multiſque humoribus repleta, & graciliora, ſeu habitus macilenti.

§. XVI.

Obeſi & vel ſero, vel ſanguine repleti, quam maxime in morbos proni ac proclives ſunt, & tam ab animi turbationibus, quam externis rebus, ut frigore, calore, graves patiuntur læſiones, & morbo quodam correpti, ægre convaleſcunt.

§. XVII.

Obeſis ac repletis commendanda imprimis ſunt ea, quæ extenuant & ſuperfluos humores corpori ſubtrahunt.

Scholion.

Faciunt huc aqua calida, acidulæ, thermæ, vigiliæ, omnis vehemens exercitatio, acida, ſalſa, cibus ſemel

de

de die sumtus, leves vomitiones ac purgationes, quæ non nimis validis remediis excitantur, alias enim majorem sanitati perniciem afferre solent.

§. XVIII.

Gracilioribus & macilentis quadrant ea, quæ succos nutritios & vires conservant & intus detinent.

Scholion.

Quare modica exercitatio, frequentior quies, cubile molle, animi securitas, copiosior cibus, quanto nimirum solvendo ventriculus par est, somnus plenus, balnea à prandio, assumta inter cibos ac potus dulcia, frigus & plura alia, quæ benignos humores pariunt eosque intra corpus detinent, macilentis egregie conveniunt. Omnis vero vomitus ac purgatio gracilibus & imbecillis mirum quantum infesta est.

§. XIX.

Dantur corpora, quæ alvum justo, vel duriorem, vel fluidiorem subinde experiuntur, & his etiam peculiare in diæta regimen præcipiendum est.

Scholion.

Qui alvi adstrictioris sunt, eos cibis uti oportet, qui alvum fundunt, & vinis præsertim dulcibus, salsis & oleosis. Quæ si parum proficiunt, ut *Celsus* suasor est, aloen sumant; à frequenti tamen purgantium usu sedulo abstinendum est. Qui alvum nimis fluxam habent, eos validiori exercitatione corpus siccare decet. His quoque accommodata est fames cum parciori cibo & exigua potio; magis etiam frigidæ, quam calidæ usus iis imperari debet.

CAPUT XII.

De diversa ratione temperamentorum, ætatum ac temporum anni diæta.

§. I.

TEmperamentum nihil aliud est, quam certa partium, & solidarum, & fluidarum habitudo, ad circulum sanguinis motusque microcosmicos & functiones, tam naturales, quam vitales & animales, perficiendas.

Scholion.

Firma experientia exploratum habemus, pro diverso sanguinis circulo, ejusque in partes solidas influxu, diverso etiam modo se habere robur corporis, ipsamque digestionem cum secretionibus & excretionibus mirum quantum variare, imo animi quoque inclinationes ac mores, cum ingenii facultatibus, disparilem nanciscí conditionem. Quare hæc omnia à diverso sanguinis circuitu, velut ab origine sua, profluere, extra omnem dubitationis aleam positum est.

§. II.

In cholerico sic dicto temperamento, fibræ sunt teneriores valdeque tensæ, nec non vasa angustiora, per quæ validior vis motrix vehementi impetu vitales undas jaculatur.

Scholion.

Hinc est, quod etiam in animo præcipitantia, inque cæteris corporis functionibus quædam velocitas observetur. Et quia sanguis in hoc temperamento celerius per vasa vibratur, hinc major exsurgit calor & partes sulphureæ exaltantur.

§. III.

Hoc prædíti temperamento caveant sibi ab omnibus s, quæ corporis calorem accendunt & sanguinem raidiori motu exagitant. Ea potius in usum seligere onducit, quæ igneum quasi hunc motum paululum stringuunt, eique quandam temperiem conciliant, utote quæ optima sanitatis est conservatrix.

Scholion.

Quam ob rem cholericis neutiquam accommodata nt vehemens ac longior corporis exercitatio, motus laboriosus, cibi aromatici, calidi, pingues, potus spiritu pleni, vinum præsertim generosum, spiritus vini, cerevisiæ inebriantes, fervidior solis æstus, omnis immoderata animi commotio, medicamenta validiora, purgantia, sudorifera, volatilia, nimis diuturnæ vigiliæ & quæcunque ita comparata sunt, ut sulphuream humorum intemperiem cumulent, eorumque incendium augeant. Periculum quoque cholericis intentant omnia excessive frigida, tam aër frigidus, quam potio frigida, quippe quæ ejusmodi sunt, ut sanguinem, per se spissum ac debita orbum humiditate, in tenacissimum gluten cogant, unde graves cholericorum inflammationes ac febres ut plurimum proficiscuntur. At vero cholericorum sanitati præsidium promittunt infusa calida, potus copiosiori aqua diluti, aqua decocta, vinum cum aqua mixtum, omnes cibi humectantes, temperatus hypocausti & lecti calor, & conclave spatiosum. Denique per omnia mediocritatem colant, sique alvum adstrictam experiuntur, non purgantibus validis, sed laxativis, v. g. passulis, manna, rhabarbaro, tamarindis & aloë, solvenda est.

§. IV.

In temperamento melancholico, ob fibrarum duritiem ac densitatem, sanguis lente & cunctanter per vasa devolvitur, unde humores crassitiem induunt, omnesque, tam animi, quam corporis actiones, quadam cum difficultate exercentur. Quare nocumento sunt omnia, quæ humoribus spissum lentorem inducunt & impeditiorem eorum circuitum magis magisque sufflaminant.

Scholion.

Melancholicos, quia sanguinem spissum ac minus mobilem in venis alunt, abstinere oportet à victu crasso, acido, cibis ac piscibus compactioris texturæ, leguminibus, cerevisiis grossioribus ac spirituosis, quæ nimium commovent. Neque iis adeo opportunus est aër, tam frigidus, quam calidus, quia uterque necessariam humoribus fluiditatem detrahit. Exulare etiam ab eorum animis debent omnes affectus, quibus vehementia inest, ut ira ac terror, utpote qui spissum sanguinem in tenuissimorum vasorum angustias fortius impellendo, graviter plerumque eorum sanitatem affligunt. Contra ea melancholicis conveniunt motus & corporis exercitatio, non simul ac semel, sed successive aucta, potus largior & humectans, vinum generosum moderate sumtum, venæ sectio & cibi aromatibus moderate conditi. Expedit his quoque non multum satiari cibis, impigrum esse ad labores, peregrinationes sub aëre temperate calido ac sereno instituere, eaque magni habere ac sectari, quæ animum varia delectatione reficiunt.

§. V.

In temperamento phlegmatico serum abundat, valdeque tardus ac languidus est humorum circuitus, & omnes, cum animi, tum corporis actiones, pigritiem ac torporem sibi adjunctum habent. Juvat itaque sanguini tardius progredienti stimulum & calcar addere, vires ac partium robur firmare & humidam frigidamque humorum intemperiem ad sicciorem statum reducere.

Scholion.

Quia sanguis in hoc temperamento tarde iter suum absolvit, hinc phlegmaticis egregie quadrant carnes assæ, sale & aromatibus conditæ, cerevisiæ non adeo tenues & vina, quæ spiritu turgent. Eosdem diligenter vacare oportet corporis exercitationi, quæ superabundans humidum egregie discutit. Abstineant vero necesse est à fructibus horæis & crudis vegetabilibus, ab aëre vappido ac humido, qualis in locis angustis & depressioribus, ut plurimum tempore autumnali, observatur. Neque minus animo exesse jubeant omnem angorem ac mœstitiam, ea studiose sequendo, quæ animo vigorem & agilitatem conciliant.

§. VI.

Sanguinei vocantur, quibus habitus corporis spongiosus

ſus eſt & laxe cohæret, qui venas copioſas, ſed exiles & anguſtas obtinent, per quarum alveos ſanguis placido & ſecundo flumine decurrit. Quum itaque hic ſtatus corporis ad copioſum ſanguinem progenerandum maxime ſit idoneus, hinc ſanguineos ſe ab eorum uſu retrahere decet, quæ ſuperfluam ſanguinis copiam accumulant.

Scholion.

His præcipue conducunt ſobrietas, temperantia ac durius quodammodo vivendi genus. Temperent ſibi à dulcibus, ſpirituoſis, vino, ſpiritu vini, nimio carnium eſu, cereviſiis multum nutrientibus, carne ſuilla ac ſomno diuturno. Apprime multum iis prodeſt motus non adeo fortis, ſed moderatus, inque aëre temperato eos verſari oportet, quia & nimis calidus, & nimis frigidus, ipſorum ſanitati calamitatem inferre ſolet. Conferunt potus tenues, infuſa herbarum & aqua calida ſanguiniſque miſſiones. Et quia ſanguineorum natura ad criticas ſanguinis excretiones valde inclinat, hinc diſpiciendum, ne ullo modo cohibeantur.

§. VII.

Quemadmodum non una eſt corporum, tam quoad ſolidas, quam fluidas partes, in omnibus ætatibus habitudo ac diſpoſitio, ita nec eadem vivendi ratio omni ætati accommodata eſt.

Scholion.

Sub certis ætatibus, quibus curriculum vitæ humanæ abſolvitur, corpora increſcunt, ad ſtatum ac vigorem perveniunt, tandemque amiſſo robore, ingens patiuntur decrementum. Sub omni vero ætate diverſa machinæ noſtræ conditio eſt, quoniam & fluida ratione temperiei & quantitatis, & ſolida reſpectu aptitudinis ad motum, magnam ſubeunt mutationem. Pro varia igitur ac differente corporum habitudine, diverſa quoque vivendi ratio inſtituenda eſt.

§. VIII.

Sicut in condendis legibus, ad quas diætæ ratio componenda eſt, omnium maxime attendi debent virium robur & imbecillitas; ita, quum ſub omni ætate vires quoque diverſo modo ſe habeant, non niſi indagatis cujuslibet ætatis natura ac viribus, accommodæ vitæ leges præcipiendæ ſunt.

Scholion.

Infantes, pueri ipſique ſenes imbecillioribus accenſendi ſunt; robuſtiorum vero numero juvenes ac viri continentur. His igitur diverſus vitæ cultus imperari debet.

§. IX.

Infantes, ob inſignem fibrarum teneritudinem & ſenſibilitatem, à quacunque re noxia, facile offenduntur morbisque obnoxii fiunt, quare circumſpectiori diæta eos tractare oportet.

Scholion.

Infans ille dicitur, cui nondum fandi facultas eſt; puer, qui nondum ad pubertatem pervenit. Infantes autem graviſſimis nervoſi generis affectionibus patent, id quod vehementes ſpaſmi, convulſiones, tormina, epilepſiæ, pavores, febres ac dolores teſtantur. Apparet hoc etiam exinde, quia, ſi lac ſugunt nutricis, gravi animi affectu exagitatæ, maxima plerumque incommoda, ipſamque interdum epilepſiam, patiuntur. Præterea eorum teneritudo inde perſpicua evadit, quum à lacte matris, quæ pridie purgans aſſumſit, alvum frequenter dejiciant, & ab omni graviori errore in diæta à matre commiſſo, ſe male habeant, e. g. ſi ſpiritum vini aſſumſerit, ſi cum viro celebraverit concubitum, ſi comederit acida, aut flatulenta, ſique frigus ad mammas libere admiſſum fuerit.

§. X.

Quemadmodum infantes, ratione firmitatis ac teneritudinis, à ſe invicem plurimum diſſident, ita etiam diverſa eorum diæta & tractatio inſtituenda eſt, nec unum idemque lac omnibus ac ſingulis propinari debet.

Scholion.

Animadvertimus enim, infantilia corpora, habito ad vires partiumque texturam reſpectu, longis invicem diſtare intervallis. Qui enim ex ſanis ac robuſtis parentibus prognati ſunt, ut ſunt homines plebeji, ruſtici, operarii, ii non facile à noxia quadam re læſionem ſentiunt, nec adeo frequenter morboſis afflictionibus tentantur. Qui vero infantes ſati ſunt à parentibus imbecillioribus, in adoleſcentia, vel ſenectute conſtitutis, valetudinariis, vel intemperantiæ & ebrietati litantibus, ii longe magis morborum injuriis patent & leviſſimam quoque læſionem ægre ferunt. Deinde infantes etiam ratione habitus corporis diſcrepant. Quibus enim caro ſpongioſa eſt & nimis mature in pinguedinem exuberat, qui teneriores nervos ac tendines habent, ii facilius morbis obnoxii, nec adeo vivaces ſunt. Qui vero carnem habent compactiorem, nervos ſolidiores, tenſaſque membranas ac tendines obtinent, eorum ſanitas meliori nititur firmamento. Denique & illud hoc loco animadvertendum eſt, quod infans unus præ altero magis expoſitus ſit affectibus ſpaſmodicis ac convulſivis, & obſervando à nobis notatum eſt, infantes ab iis parentibus procreatos, qui affectibus animi fræna laxant, & lauto ac delicato vitæ generi indulgent, quo in numero divites, magnates & aulici ſunt, vitam non adeo longe protrahere, & maxime iis morbis infeſtari, qui ex nervorum debilitate ſuam trahunt originem. Atque his leniſſima diæta & ſeveriori lege circumſcripta vitæ ratio accommodari debet.

§. XI.

Nihil eſt, quod lactentis infantis ſanitati magis adverſetur, quam nimia lactis repletio.

Scholion.

Quemadmodum omnis repletio naturæ exoſa eſt, & maxime digeſtionem lædit; ita eadem multo magis in tam imbecillo ſubjecto pertimeſcenda eſt. Quare peſſima nutricum conſuetudo invaluit, dum infantibus, quando male habent, vel vagitus edunt, ſubinde mammas præbent, & invitis propemodum obtrudunt, quo nihil aliud efficiunt, quam ut ventriculum nimio lacte obruendo, cruditatibus ejus cumulum addant ac vim morbi exaſperent. Ingeſta enim à ventriculo male digeſta intra primam regionem ſtagnant, aceſcunt & corrumpuntur. Hinc ingenioſe dictum eſt ab *Hippocrate: nutrices dum lactant infantes, ſæpe etiam mactant.*

§. XII.

Tenerioribus propinandum eſt lac tenue ac fluidum; nam craſſum, butyroſum & caſeoſum graviter tenellos affligit, quia à ventriculo non ſatis vinci atque expelli poteſt.

Scholion.

Res maximæ utilitatis eſt, lactis, quod nutrices infantibus præbent, examen inſtituere, & explorare, cujus ſit conſiſtentiæ, & qua in proportione partes ſeroſas, caſeoſas ac butyroſas contineat. Optime autem hoc indagari poteſt evaporatione, deinde inſtrumento quodam ſtatico, quo cereviſiæ & aquæ librari ſolent; tum affuſione ſpiritus vini rectificatiſſimi, qua proportio ſolidi ad fluidum cognoſci poteſt; denique etiam butyroſam lactis ſubſtantiam inveſtigare licet, quando lac per viginti quatuor horas in tepido loco reponitur.

§. XIII.

Peſſimæ conditionis lac craſſum ac pingue eſt; melioris notæ, quod non adeo ſpiſſum, nec adeo tenue ac ſalſum, ſed dulce & liquidum, & quod à ſana ac vegeta nutrice funditur.

Scholion.

Nimia lactis craſſities commodiſſime emendari poteſt, ſi nutrix ante cibum moderato labore corpus exerceat, ſi infuſa ex ſeminibus fœniculi, aniſi, cymini, cum aqua calida parata, mane jejuno ventriculo ſumat, ſique nimia ciborum copia ipſi circumcidatur.

§. XIV.

Conſultum eſt primis menſibus offerre infanti lac tenue; procedente vero tempore & circa exitum anni paulo craſſius non nocet, quod infantes recens editi ægre ferunt.

Scholion.

Scholion.

Lac craſſum vaſa adhuc tenuiſſima obſtruit, & glandulas meſeraicas villosque & oſtia vaſorum lacteorum ſpiſſa ac tenaci amurca oblinit & infarcit. Præterea lac copioſum & ſpiſſum difficilius motu periſtaltico per inteſtinorum anfractus trajicitur, hinc in acorem fatiſcit inque corruptivum liquamen degenerat, unde moleſtæ inflationes, tormina, ſpaſmi, doloroſæ alvi dejectiones, vigiliæ, epilepſiæ & pavores in ſomno cooriuntur.

§. XV.

Lactis uſus infantibus ultra annum concedendus eſt, ita enim majus robur partiumque firmitatem conſequuntur. Si autem lactatio ſex vel octo menſibus circumſcribitur, tunc ſenſim cibo tenuiori & facillimæ concoctionis aſſuefaciendi ſunt.

Scholion.

Pleræque matres in eo delinquere ſolent, quod infantes eo tempore, quo adhuc lac ex mammis hauriunt, pulmentis ex farina, ovis & lacte paratis infarciant, quod alimenti genus ob multam viſcoſitatem non poteſt non eſſe noxium. Quare infantibus accommodatiora ſunt ea, quæ ex medulla panis ſimilaginei, aqua & butyro parantur. Faciunt quoque ad infantum ſanitatem infuſa v. g. ex radice glycyrrhizæ, herbis veronicæ & ſcordii concinnata, quibus adjungi poteſt decoctum hordei corticibus citri infuſum, cujus uſus etiam nutricibus pro lacte depurando ſuaderi debet.

§. XVI.

Maximopere cavendum eſt, ne infantibus, ſi dentitione moleſta perfunguntur, vel alio quodam morbo laborant, copioſum lac offeratur, quia facillime corruptionem ex ſtagnatione ſubit, morbumque exulcerat.

Scholion.

Sub omni enim graviori dolore, univerſa nervorum compages, ob ſingularem, qui nervoſis partibus communis eſt, conſenſum, afficitur; ſiquidem dolor nervoſas partes violento ſpaſmo conſtringit, unde ventriculi & inteſtinorum tonus motuſque periſtalticus, una cum digeſtione & excretionibus, mirifice perturbatur & fæcum per alvum excretio impeditur.

§. XVII.

Quo tenerior ætas eſt, eo longior ſomnus ipſi convenit. Quo magis vero ætas increſcit, eo magis ſomno quippiam paulatim detrahendum.

§. XVIII.

Curare oportet, ut infantes ſemper alvum habeant laxiorem, eamque frequenter deponant. Simul ac enim alvi officium deſideratur, morbum certiſſime imminere judicandum eſt.

Scholion.

Quemadmodum in omni, ita etiam in infantili ætate, alvina excretio rite procedens, convenientiſſimum ſanitatis indicium conſtituit, utpote quæ de nervoſi generis integritate, à qua ſalvus inteſtinorum periſtalticus motus dependet, liquidiſſime teſtatur. Alvus vero adſtrictior ſemper extimeſcenda eſt, quia labefactatum nervoſarum partium robur, adeoque corporis ad recipiendos morbos aptitudinem, deſignat. Cæterum præclare annotavit *Hippocrates de Dentib.* §. 1. *infantes ſaniores eſſe, quibus alvus valde lubrica eſt, & bene concoquunt; morboſos autem, quibus modice fluit, & qui voraces ſunt, nec tamen convenienter nutriuntur.*

§. XIX.

Nihil magis ventriculi & inteſtinorum tonum in infantibus deſtruit, quam medicamenta purgantia paulo validiora.

Scholion.

Hujus generis ſunt ex gialappa & ſcammonio parata, ut & metallica, aurum fulminans & mercurius dulcis, quæ diutius inteſtinorum plicis inhærendo, membranoſos eorum parietes erodunt, facta imprimis acrium humorum acceſſione. Magis quadrant leniora laxantia, ut ſunt rhabarbarina cum abſorbentibus mixta, vel mannata cum rhabarbari extracto maritata. Quanquam vero ſemper eo laborandum ſit, ut craſſa ac viſcida lactis recrementa quotidie per alvum eliminentur, curam tamen adhibere decet, ut integer & ſalvus ventriculi atque inteſtinorum tonus cuſtodiatur. Hoc enim infracto, vel penitus deſtructo, alvus nunquam ſuum rite præſtat officium, unde frequentiſſima infantilium morborum origo derivanda eſt. Validiora enim purgantia hoc habent, ut una vice fortiter quidem alvum ducant, poſtea vero, læſo ac deſtructo inteſtinorum tono, alvi obſtructiones efficiant, quæ in infantibus fœcundiſſimæ morborum ſunt genitrices. Sæpe hoc à nobis non citra dolorem, etiam in illuſtribus & conſpicuis dignitate ſubjectis, animadverſum atque prædictum eſt, quod etiam ſiniſter & luctuoſus eventus confirmavit, quamvis medicorum quorundam ignorantia candide prolatam hanc veritatem multis modis ſugillaverit. Suffragatur autem noſtræ ſententiæ ſolidum *Ferrarii* judicium, quod *Libr. de Art. Med. Infant.* ita proponit: *Infantes ob virium imbecillitatem medicamenta valde alterantia tolerare non poſſunt.* Eadem opiatorum eſt ratio, quæ infantum ingenio infeſta ſunt, & corpus ad morbos præparant.

§. XX.

Infantes ac pueros ſæpius, ſed parum ſemper, aſſumere oportet, quod, quo temperatius eſt, eo magis alendis partibus accommodatum.

Scholion.

Fulcitur hæc lex diætetica auctoritate *Hippocratis*, qui *Libr. de Pueror. Nutrim.* ita fatur: *Qui creſcunt, plurimum habent calidi innati, plurimoque egent nutrimento, alias corpus abſumitur.* Infantum enim ac puerorum corpora, ut procedente ætate majus ſubinde capiant incrementum, copioſo indigent ſucco nutritio, qui eorum partibus ſenſim apponi debet. Quum autem tenellus eorum venter copioſo cibo concoquendo plane impar ſit, hinc infantibus parum cibi, ſed eo frequentius præbere decet, & quo magis alimentum temperie gaudet, eo etiam magis nutriendis partibus eſt idoneum.

§. XXI.

Quæcunque temperiem excedunt, ea infantes ac pueri in univerſo rerum non naturalium uſu evitent neceſſe eſt.

Scholion.

Vinum, ſpiritus vini omniaque acida, infantibus ac pueris inſtar veneni nocent, quia non ſolum nutritioni & partium augmento reſiſtunt, ſed etiam cerebro ac nervis inimica ſunt ac ſæpius cerebri functiones perturbant.

§. XXII.

Ad conſervandam tenellorum ſanitatem plurimum confert æqualis & moderata tranſpiratio. Quare infantes ſub temperato regimine & calore in lecto & conclavi detineri, & ab omni intenſiori frigore probe muniri debent. Si ſecus fit, facillime in tormina ventris & ſingultum incidunt.

Scholion.

Bene *Hippocrates Lib. de Aliment.* §. *VI. qui probe*, inquit, *perſpirant, debiliores, ſed ſaniores ſunt, & à morbis facile reconvaleſcunt. Qui male perſpirant, priuſquam ægrotent, fortiores ſunt, ubi autem ægrotarunt, difficilius à morbis reconvaleſcunt.* Eſt autem tranſpiratio eam imprimis ob rationem infantibus neceſſaria, quia multo egent nutrimento, cujus maxima pars rurſus è corpore ejicienda eſt. Quo melius autem ſuccedit hæc cutanea excretio, eo ſincerius & ſalutarius nutrimentum evadit.

§. XXIII.

Lactentium infantum ſanitas maxime dependet à lactis natura, & nutricis ſana, vel debili corporis conſtitutione.

Scholion.

Quum enim infans à nutrice ſuam accipiat alimoniam, fieri non poteſt, quin à lacte deterioris notæ, vel penitus depravato, maximum patiatur incommodum. Atque hinc evenire ſolet, ut infans, nutrice gravi ira, vel terrore correpta, facillime in epilepticas afflictiones incidat. Quo in caſu conſultum eſt mammas frequenter emulgere, & ſedulo cavere, ne intra viginti quatuor horas infanti lac præbeatur. Quare infanti bene morata nutrix adjungenda eſt, ſemperque curare oportet, ut lac unius naturæ tenellis propinetur. Maxime autem infantis ſanitati accommodata eſt nutrix, quæ mediocris ætatis, ſemel ſaltem lactavit, & jam bis partu defuncta, nunquam vero abortum paſſa eſt. Deinde & hæc ad dotes bonæ nutricis referri debent, ſi laudabili cibo nutritur, ſi multum liquidi, ſed valde tenuis, aſſumit, ſi ab omnibus acidis, ſpirituoſis, inque putredinem pronis, ut & acrioribus purgantibus, abſtinet, diurnum à cibo ſomnum fugit & à venere prorſus abhorret, & quæ inferiores corporis partes binis vicibus de die exercet, neque lac adeo craſſum ac ſuperfluum in mammis alit, quippe quod furunculos, multaſque ægritudines intra primam regionem progenerat.

§. XXIV.

Maximopere cavendum eſt, ne tenerum infantum corpus multis ac validioribus medicamentis exagitetur, & benigniora potius in uſum vocanda ſunt, quæ non inteſtinorum tonum lædunt ac tranſpirationem ſartam tectamque ſervant.

Scholion.

Infantibus nunquam validiora remedia offerri debent, ſique rei neceſſitas tale quid exigat, illud tutius nutrici exhibetur. Conſtat enim frequenti obſervatione, exhibito nutrici quodam purgante & laxativo, infantis alvum fieri molliorem.

§. XXV.

Pueros, quoniam nutritione & auctione opus habent, multum quoque, ſed parum ſimul, & quod partibus alendis idoneum eſt, aſſumere oportet, maximeque neceſſarium eſt, ut corpus moderato motu exerceant, inque perpetua perſpiratione ſervent, hac enim ratione egregie adoleſcunt.

Scholion.

Qua fieri poteſt circumſpectione pueri arceantur ab uſu dulcium, lactis & caſei, utpote quæ vermium generationi favent, & humoribus corruptionem inducunt. Aliena quoque eſſe debet puerilis ætas à vino, potibus ſpirituoſis & nimia corporis exercitatione, ne humores plus juſto accendantur, & corpus intempeſtive exſiccatum, decenti augmento defraudetur. Qui autem literarum ſtudiis animum conſecrarunt, eos alimenta craſſioris texturæ & flatulenta, ut fabas, piſa, milium, farinacea, & cereviſias inebriantes, diligenter evitare oportet. Hæc enim non tantum corporis robur enervant, verum etiam ingenii vim deprimunt, ejuſque acumen multum obtundunt.

§. XXVI.

Recte ſcribit *Celſus, juvenum minus, quæ aſſumant, & quomodo curentur, intereſt.*

Scholion.

Juvenili ætati magnus vigor ineſt & ingens partium ſolidarum robur, quare juvenes, dum ætatis ſuæ patrocinium habent, non tam facile læduntur, nec adeo ſtricte diæteticis legibus ſe obligare debent.

§. XXVII.

In juvenili ac virili ætate ſemper colenda eſt mediocritas, & ita edendum, ut animi & corporis vires reficiantur, neutiquam vero opprimantur.

§. XXVIII.

Circa victum illud maxime cavendum eſt, ne ad ſanguinem, nimis calidis ac ſpirituoſis & fortiori motu exagitatum, frigidus potus, vel aër admittatur, ita enim magna pars juventutis funeſtis inflammationibus correpta præmature extinguitur.

§. XXIX.

Juvenes ac viri, quantum fieri poteſt, abſtineant à calidioribus & ſanguinem commoventibus, fugiant quoque fortiora purgantia, nec nimis immodice animi affectibus indulgeant. Venæ ſectio autem, ſi neceſſitas urgeat, hac in ætate non improbanda eſt.

Scholion.

Non poſſumus nobis temperare, quin huc plane illuſtrem locum ex *Baglivo* transferamus, qui hac de re ita ſentit: *In juvenibus humores ut plurimum faciunt impetum ſuperiora verſus, in ſenibus vero verſus inferiora. Pendet id, ſi licet opinari, ex laxitate nimia ſolidorum & fluidorum in ſenibus, contra vero ex nimia vi, tenſione ac elatere eorundem in juvenibus.* Hac de cauſa ait *Duretus in Coac. fol. 66. & 69. febres ardentes in juvenibus ſolvuntur per hæmorrhagiam narium, in ſenibus per dyſenteriam; ſed ut hæc certo obſerventur in praxi, ſicut revera obſervari debent, jubente ſic naturæ lege, animus omni cura ſolvendus eſt, ut libere hinc inde diffluere poſſint ſpiritus & irradiare partes ſingulas, juxta naturæ ordinem; nam animo curis, ſtudiis & mille aliis cauſis vitæ civilis agitato turbatoque, liquidorum omnium curſus mille modis turbantur agitanturque, effluunt hinc inde furibunde, qua fluere non debent.* Vid. pluribus *Bagliv. Oper. pag. 350.*

§. XXX.

Pro valetudine eſt, à prima juventute duris laboribus & victui duro corpus aſſuefacere, & aëre magis frigido, quam nimis calido, uti.

§. XXXI.

Senum diæta ad examen paulo curatius revocanda eſt, utpote qui jure ac merito imbecillis accenſeri debent.

Scholion.

Quo majus enim decrementum vires patiuntur, eo magis corpus externarum rerum injuriis opportunum eſt.

§. XXXII.

Senili ætati maximè commendari debet mediocritas, temperantia in victu ac potu animique tranquillitas; omne enim nimium ſenum naturæ quam maxime eſt inimicum.

Scholion.

Quare à provectiori ætate aliena ſint nimia ciborum repletio, frequens vini, præſertim acidi ac tartarei, uſus, alimenta intemperata, ſalſa, acida, dura & quæcunque difficilius à ventriculo ſubiguntur.

§. XXXIII.

Nihil æque ſenum valetudinem affligit, quam crebrior acidorum uſus & frigoris vehementia.

Scholion.

In decliviori ætate ſanguis lentiori gradu per vaſa fertur, & omnes, quæ alias ſanitati præſidio ſunt, excretiones languent, unde humores ſpiſſitudinem induunt & ad ſubeundam ſtagnationem inclinant. Quum itaque frigus & acida humores debita privent fluxilitate ipſumque calorem deprimant, in procinctu eſt ratio, quare frigus & acida ſenum valetudini magnopere adverſentur, inque morbis, quibus hæc ætas patet, progenerandis plurimum valeant. Alimenta in ſenum ventriculo facile aceſcunt, eamque ob rationem lacticinia & caſeus huic ætati inſignes moleſtias creant.

§. XXXIV.

Senibus maxime conveniunt ea, quæ ventriculo promte obſequuntur, præſertim in cœna, ut quietiori ſomno fruantur, qui devexæ ætati maximum ſemper ſolatium affert.

§. XXXV.

Victus quo propius ad ſimplicitatem ac temperiem accedit, eo magis tuendæ ſenum valetudini velificatur.

§. XXXVI.

Nunquam ſenibus à vitæ genere, cui tam ratione motus,

motus, quam victus, jam inde à multo tempore assueti sunt, sine gravi causa recedendum est.

§. XXXVII.

Senibus maxime conducibilis est moderata transpiratio, hinc laborandum, ut illa semper rite succedat.

Scholion.

Transpirationem egregie juvat motus, sive exercitatio corporis, sub aëre temperato instituta, & vinum forte ac generosum, quod non modo transpirationem movet, sed & universo corpori vigorem ac robur conciliat, unde vinum haud illepide lac senum appellatur. Faciunt quoque huc infusa herbarum aromaticarum, ut salviæ, melissæ, corticum citri & cinnamomi. Valde autem senibus nocent vina vaporosa ac sulphurea, vel quæ principio acido & adstringente pollent, quoniam alvum obstipant & decentem urinæ fluxum intercipiunt.

§. XXXVIII.

Venæ sectio ætate affectis magnam promittit utilitatem, quæ præcipue tunc locum habet, si vires suppetunt, si appetitus est integer & universum corpus adhuc quodam vigore instructum est.

Scholion.

Magna pars senum quam longissime vitam posset extendere, nisi sanguinis depletionem neglectui haberet. Sanguinis enim abundantia, in quam hæc ætas, ob vitam sedentariam & victum paulo liberaliorem, proclivis est, multos jugulare solet, siquidem scorbutum, viscerum infarctus, marasmum, affectus soporosos, & præcipue apoplexiam, corpori inducit. Quo de argumento plura legi possunt in *Dissert. nostr. de Venæ sectione magno ad vitam longam remedio.*

§. XXXIX.

Senes, quos vires corpus exercendi destituunt, frictionibus curare debent, ut sanguinis circuitus promoveatur.

§. XL.

Senes à nimio carnium esu abstinere oportet, vegetabilia autem coctione mollita, ut passulæ, pruna, poma, magis eorum sanitati accommodata sunt.

Scholion.

Carnes nimiam sanguinis abundantiam corpori ingenerant, quæ senibus, utpote à corporis exercitatione alienis, infensissima est, & præcipuam morborum, quibus senes affliguntur, causam constituit. Longe melius senum valetudini inserviunt legumina molliora, olera & pisces, quia parum saltem nutritii succi continent. Placet autem hoc loco peculiarem observationem inferere, quam *Baglivus in Operib. pag.* 388. scriptam reliquit, & ita habet: *Animadvertes in praxi, aliquos ægros fluxionibus & diuturnis morbis obnoxios, tempore quadragesimali convalescere; paschate iterum ab esu carnium langueſcere. Observabis etiam quosdam morbos ab obsoleto esu caulium, leguminum, olerum, piscium, aliorumque ciborum hujusmodi evanescere, cibis vero boni succi exacerbari & crescere.*

§. XLI.

Senibus quam maxime nocent purgantia, & graviores animi commotiones, quo magis enim corpus debile & imbecillum est, eo majorem à qualibet intemperie læsionem sentit.

§. XLII.

Diversis anni temporibus diversum quoque vitæ regimen accommodandum est, quoniam aëris status immutatus magnam animantium corporibus inducit mutationem.

§. XLIII.

Hyemali tempore, ob auctam aëris elasticitatem, fibræ majori robore instructæ, & ad motus exercendos, juvandamque ciborum concoctionem promtiores sunt, quare tunc temporis victum paulo duriorem & crassiorem longe melius, quam alio quovis anni tempore, ferre possumus.

§. XLIV.

Quum transpiratio per hyemem, tubulis cutaneis à frigido aëre admodum constrictis, quodammodo cohibeatur, hinc brumali tempore vinum meracius & cerevisia efficacior egregie conveniunt. Expedit quoque jusculis & infusis calidis frequenter uti, & semper curam adhibere, ut perspiratio assumtorum quantitati respondeat.

§. XLV.

Pessima consuetudo est, quæ præsertim apud Germanos invaluit, sub acriori frigore conclavia, imprimis humiliora, nimis calefacere, ita prorsus, ut ferventissimo calore homines quasi torreantur. Quum enim brevi post ad levandum ardorem corpus frigido aëri committant, catarrhosas defluxiones, coryzas & capitis debilitatem, sibi accersunt, quæ procedente tempore periculosas nervorum affectiones, inducere solent.

§. XLVI.

Vere aliquantum cibo detrahendum & potui adjiciendum est, quo temporis tractu veneri etiam tutissime litatur.

§. XLVII.

Pessime sanitati consulunt, qui sub ipso veris initio statim vestes hybernas deponunt, & levi saltem incedunt amictu, qualis tempore æstivo in usu est.

Scholion.

Verno tempore magna est cœli varietas, & perpetua caloris ac frigoris vicissitudo. Si itaque calida aëris constitutio in frigidam tempestatem subito transmutatur, frigus poris calore apertis sese insinuat, eosque constringit, unde cutaneæ exhalationes, quarum emissio tempore vernali admodum salutaris est, cum insigni sanitatis detrimento intra corpus retinentur.

§. XLVIII.

Prohibita transpiratio vix ullo tempore magis, quam vernali extimescenda est, quia corpus ad gravissimas afflictiones præparat.

Scholion.

Testes hujus rei sunt complures morbi & febres, præsertim exanthematicæ, quæ plerumque vernali tempore incidunt, nec aliunde, quam ab intercepta transpiratione, suam trahunt originem. Per hyemem enim plures ac superflui succi copia ciborum in corpore accumulantur, quos natura ceu alienos & supervacaneos, facta sub vernali anni statu majori, tam in solidis, quam fluidis partibus, expansione, foras ejicere laborat. Quare nulla anni pars magis, quam verna, præservandis à morborum insultu corporibus accommodata est. Atque hinc etiam ratio perspicua evadit, quare consuetudine receptum sit, vernali tempore venæ sectiones instituere, & sanguinem lenioribus laxativis & infusis depurare; siquidem hic cœli status ejusmodi præservativis curationibus cum fructu suscipiendis egregie patrocinatur. Diligenter itaque dispiciendum, ne salutaris perspiratio, quæ corporis universi sordes expurgat, per vernum tempus ullo modo intercipiatur.

§. XLIX.

Nullus est anni status aut conditio, quæ plures producat morbos, quam tempus vernum & autumnale. Jam quum summum sanitatis præsidium in libera transpiratione sit collocatum, laborare oportet, ut illa semper rite succedat.

Scholion.

Quare tunc temporis corpus adversus frigoris inclementiam probe munire decet, & quia aër multis, naturæ inimicis exhalationibus refertus est, summo studio cavendum, ne sub initium veris, vel exitum autumni, nimirum mense Martio ac Novembri, ut & tempore matutino ac vespertino, corpus liberiori aëri exponatur.

§. L.

In autumno eadem, quæ in vere observanda sunt, quia eadem est cœli intemperies & subita tempestatum

mutatio, qua ſalutaris perſpiratio facile ſupprimitur. Et quoniam in hanc anni partem æquinoctiale tempus incidit, ideo imminentibus morbis præſervativa curatione obviam eundum eſt.

§. LI.

Æſtate magis pro ſanitate ſunt vegetabilia & potiones dilutæ, abſtinendum vero à victu duro & craſſiori, vino, vel ſpiritu vini, intempeſtivo & nimio uſu tabaci, qui tamen vere & autumno admitti poteſt. Venus autem ſecundum *Celſi* monitum æſtate fugienda eſt.

CAPUT XIII.

De diæta ſexui convenienti.

§. I.

COrpora diverſi ſexus diverſam quoque diætam & vitæ regimen deſiderant.

§. II.

Fœminæ viris ſunt imbecilliores, hinc diæta peculiari opus habent.

Scholion.

Fœminæ laxiori corporis habitu, & maximam partem vitæ otioſæ & voluptatibus addictæ ſunt, parum bibunt, corpus habent exquiſite ſentiens, ad ſpaſmos & convulſivos motus proclive & ſanguini redundanter colligendo valde opportunum. Præterea etiam certis ac ſtatis temporibus ſolennem ſanguinis per uteri venas profuſionem patiuntur. Ex quibus conficitur, ſexui potius fœminino, quam virili, de peculiari vivendi ratione eſſe proſpiciendum.

§. III.

Mollior ſexus, teſte experientia, ut plurimum peſſime habet, turbato, vel male procedente ſanguinis ex utero profluvio; viget vero ejus ſanitas menſtruali hoc fluxu rite conſtituto.

Scholion.

Quapropter medicum omnem curam in eo collocare oportet, ut uterina hæc ſanguinis excretio debita ſemper in quantitate, tempore & ordine reſpondeat, nunquam vero perverſa diæta & neglecto vitæ regimine turbetur, vel plane cohibeatur. Menſtruam vero ſanguinis ejectionem nihil æque pervertit, ac frigoris, impendente menſium fluxu, liberior ad ventrem & inferiores partes admiſſio. Multum quoque in violanda hac ſanguinis excretione valent graviores animi commotiones, præſertim terroris vehementia, cujus tanta vis eſt, ut ſæpius ipſum præſentem fluxum ſiſtere & cohibere ſoleat. Neque tunc temporis expedit, gravioribus curis inhærere, vel animum pravis deſideriis exagitare, ſed potius animi tranquillitas omni ſtudio colenda & obſervanda eſt. Tempore quo menſes fluunt, abſtinere oportet ab omnibus acidis, flatulentis, victu duro, craſſo & nimium refrigerante, lacticiniis & viſcoſis. Evitari quoque debent panis calidus butyro illitus, frigida potio, cereviſia fœculenta & omnia, quæ adſtringendi facultate gaudent.

§. IV.

Inſtante menſium fluxu, ſanguinis circulum ac motum liberum omni modo promovere conſultum eſt.

Scholion.

Liberiorem ſanguinis fluxum egregie efficiunt infuſa herbarum temperate balſamicarum, ut ſunt herba meliſſæ, veronicæ, flores cheiri, anthos, cortices cinnamomi, citri recentes, loco infuſi herbæ théе mane ſumta. Expedit etiam alvum ſemper habere paulo laxiorem, unde ſi illa diutius adſtricta fuerit, clyſter emolliens infundendus, vel doſis pilularum balſamicarum exhibenda eſt. Multum quoque juvant moderata corporis exercitatio & aëris temperate calidi uſura, ſemperque curandum, ut pedes & inferiores partes à frigore probe defendantur.

§. V.

Singularis etiam vitæ ratio præcipienda eſt fœminis, quæ uterum ferunt, ne vel ipſa mater, vel quod intus gerit, aliquid capiat detrimenti.

Scholion.

Infans enim utero concluſus quaſi partem corporis materni conſtituit.

§. VI.

Qualis eſt matris ſanitas, qualis animi, humorum motuumque conditio, talis quoque ſtatus infantis eſt. Quo vegetior ergo mater eſt, eo vegetior quoque fœtus obſervatur, & quicquid matri nocumentum affert, illud multo magis imbecilli fœtus ſanitatem pervertit. Quare ſumma exigit neceſſitas, ut fœminæ ante omnia ſub imprægnationis ſtatu ſummam corporis ſui curam gerant, vitamque degant ad ſanitatis leges quam maxime accommodatam.

§. VII.

Fœminas in diæta amplecti decet maxime ea, quæ ſanguinem bonum ac temperatum corpori ingenerant, quæ humoribus conciliant fluiditatem, & ſuperfluas excrementitias partes à vitalium ſuccorum conſortio arcent. Fugere autem oportet omnia intemperata, quæ humores vehementer in motum cient, quæ eos impuros reddunt, vel nimis copioſum ſanguinem ſuppeditant.

Scholion.

Quemadmodum omne intemperatum ſanitati & naturæ corporis noſtri noxam minatur, ita hoc multo magis prægnantibus inſidias ſtruit. Quare à fœminis exulare debent graviores animi affectus, frigus immodicum, removeantur immoderatior æſtus, nimia ciborum repletio, vehemens corporis motus, ſomnus diuturnus, alimenta difficilis ſolutionis & mali ſucci, omniaque validiora emetica, purgantia, & quæcunque ob ſuam activitatem humores in vehementem motum conjiciunt. Majorem vero gravidarum ſanitati utilitatem pollicentur omnia temperata, quæ benignos & laudabiles ſuccos corpori largiuntur, ventriculo rite obtemperant & excretoria cito trajiciunt.

§. VIII.

Quum ſanguinis fluxus in gravidis ceſſans in ſtatum plethoricum eas conjiciat, hinc nihil magis confert ad tuendam matris ſanitatem ſpemque uteri ſervandam, quam debito tempore inſtituta venæ ſectio, quæ in nonnullis menſe ſtatim ſecundo, in plurimis vero tertio celebranda, & pro rei neceſſitate, ſeptimo, vel octavo repetenda eſt.

Scholion.

Nimia ſanguinis redundantia eam ob rationem corpori in gravidis detrahenda eſt, quoniam ſibi relicta & matrem & infantem in graviſſimas afflictiones præcipitat. Quia vero una fœmina præ altera copioſiorem ſanguinem in venis alit, ea propter huic deplendo neutiquam ſufficit unica vice adminiſtrata venæ ſectio, ſed potius in quibuſdam ſubjectis aliquoties, nimirum ter, vel quater, ſanguis è vena mittendus eſt. Hac enim ratione triſtis abortio, aliaque, quæ gravidas invadunt, incommoda, egregie averruntur.

§. IX.

Plethora, gravidis quam maxime familiaris, ut plurimum cacochymiam progenerare ſolet; idcirco medicum, cui matris, & infantis, ſalus commiſſa eſt, curam adhibere oportet, ut pernicioſa hæc ſuccorum depravatio decenti auxilio à corpore arceatur.

Scholion.

Commodam hac in re operam locant leniora evacuantia, quæ collectam in primis viis impurorum ſuccorum colluviem blande educunt; quod conſilium ſuo quoque confirmat ſuffragio *divus ſenex ſect. V. aphor. 29. prægnantes*, inquiens, *purgabis, ſi materia turgeat, quadrimeſtres*,

mestrus, & usque ad septimum mensem, sed has minus. Huic scopo conveniunt medicamenta balsamica, quæ clementer evacuant, simulque ventriculum & intestina, cum universo genere nervoso, roborant. Faciunt huc pilulæ *Becheri* & rhabarbarinæ, neque minus passulæ rhabarbarinæ, adjecto pauxillo cinnamomi.

§. X.

Gravidis maxime infesta sunt fortiora purgantia, quia validiori spasmo intestinorum membranas & nervosas corporis partes contorquendo, uterum ad elidendum fœtum sollicitant, vel etiam ventriculi tonum ac robur destruunt.

§. XI.

Ad removendam impuritatem succorum egregiam quoque opem ferunt ea, quæ perspirationem reddunt liberiorem.

Scholion.

Quare gravidis frequenti in usu esse debent pulveres bezoardici fixi, elixir stomachale, infusa herbarum calida, moderata corporis exercitatio & vinum generosum, sed parce & convenienter usurpandum.

§. XII.

Primis mensibus gravidas non adeo edaces esse oportet, inque toto ingravidationis statu temperantia maximopere commendanda est.

Scholion.

Nimia enim repletio multas producit cruditates, quæ benignorum succorum generationem impediunt. Unde frequenti nobis constat observatione, nimiam ciborum satietatem debitæ infantis nutritioni esse impedimento. Et videmus, obesas mulieres frequenter infantes edere imbecilles ac macilentos, quum è contra pingues ac robusti à macilenta matre sæpissime procreentur.

§. XIII.

Maxime omnium gravidæ sibi temperare debent ab animi commotionibus, præsertim terrore, & perversis impressionibus, quæ infantis sanitati magnopere adversantur, decentemque ejus conformationem turbant atque impediunt.

Scholion.

Testatur experientia, perversam matris imaginationem multa infantibus dehonestamenta corporis imprimere, ita, ut sæpius manifesta earum rerum vestigia conspiciantur, quarum imagines diuturna contemplatione animo altius à matre infixæ fuerunt, id quod maxime ultimis mensibus evenire solet.

CAPUT XIV.

De consuetudinis in tuenda valetudine efficacia.

§. I.

QUemadmodum in omnibus rebus, quæ animum & corpus humanum afficiunt, magna vis est consuetudinis, ita etiam illa in tuenda sanitate & rerum non naturalium usu, plurimum valet, eamque ob rationem à medicis diligenter attendenda est.

§. II.

Consuetudo nihil aliud est, quam certa partium corporis, quæ motibus præsunt, ad certos motus edendos, ob frequens & repetitum præcedens exercitium, dispositio, qua, vel sponte, vel levi saltem data occasione, iterum similes motus producuntur.

Scholion.

Quid sit consuetudo, cujus tanta in animo & corpore nostro alterando est efficacia, huc usque nondum satis exquisite exploratum atque perspectum est. Nos in ea sumus sententia, consuetudinis naturam certa partium, tam solidarum, quam fluidarum, ad motus quosdam repetendos, aptitudine, contineri. Quare omnes corporis nostri partes obnoxiæ sunt consuetudini, & ejus efficaciæ promte obediunt.

§. III.

Quotidiana experientia docemur, diutius consueta difficulter mutari, & consuetudinem alteram quasi naturam constituere.

Scholion.

Per corporis enim naturam nihil aliud intelligitur, quam peculiaris solidarum & fluidarum partium, ad certos motus & functiones præstandas, dispositio. Quum itaque à sæpe repetitis aliis moribus, per externas causas introductis, insita & naturalis deleatur dispositio, & prorsus alia inducatur, priori contraria, hinc talis aliorum motuum assuefactio haud inconcinne altera natura appellari potest.

§. IV.

Consuetudo efficit, ut motus non solum in certis partibus, sed fixis & statis quoque temporibus, certoque gradu, iterentur.

Scholion.

Si quis aliquoties certo tempore cibum assumsit, aut somnum cepit, vel ex eo expergefactus est, aut alvum deposuit, statim his actionibus assuescit natura, & eadem hora accedente, harum rerum desiderium redit. Quanquam autem difficile sit atque arduum, genuinam & mechanicam hujus rei dare explicationem; intellectus tamen humani imbecillitas, quæ ad interiorem harum actionum, præcipue quoad modum, cognitionem adspirare haud potest, ipsius rei existentiæ nihil derogat. Neque vero accurata harum rerum explicatione nos destitutos, à claris & manifestis causis temere transire decet, ad tale principium, quod omnem pene conceptum exsuperat. Neque eam ob causam confugiendum ad principium, fibris corporis nostri motricibus insitum, quod occulta quadam sentiendi & externas res percipiendi facultate polleat.

§. V.

Natura ob frequentem usum rebus in se insalubribus & corpori minus proficuis tandem facillime assuescit.

Scholion.

Qui prima vice tabaci fumum haurire tentant, graviter ut plurimum ab eo offenduntur, quem tamen procedente tempore commodissime ferunt, tandemque ita ipsi assuescunt, ut frequentiori ejus usu penitus delectentur. Eodem modo comparata sunt narcotica, quæ quanquam rarius assumta corpori torporem & sensibus stupiditatem inferre soleant, diuturna tamen assuetudine non amplius nocumento sunt. Luculentum hujus rei testimonium Persæ exhibent, qui prima in pueritia saltem pauxillum opii assumunt, cujus tamen quantitatem sensim ita augent, ut tandem ingentem ejus copiam, sine ullo incommodo, devorare possint; quod quidem eo faciunt consilio, ut ad coitum celebrandum sint promtiores. Ipse novi quendam hæmoptyicum, qui ob crebriorem opiatorum usum ita iis assuefactus est, ut postea extracto opii ad drachmæ dimidium, sine ulla noxa, aut gravi symptomate, uti potuerit. Neque ignotum est, certorum locorum incolas aëri vappido atque humido ita posse assuefieri, ut sanam ac diuturnam vitam ibi degere possint, quum tamen hæc cœli insalubritas aliorum, qui ejusmodi loca petunt, sanitatem protinus insigniter affligat. Illud vero hoc loco neutiquam prætermittendum est, consuetudinem alimentorum etiam, quæ naturæ admodum inimica sunt, insalubritatem ita quasi mitigare & contemperare posse, ut eorum nocendi facultas multum vel penitus hebetetur. Res pervulgata est de pessimo Polonorum more, qui spiritum vini fortissimum ad aliquot mensuras quotidie hauriunt, quod si quis alius insuetus tentaret, nullum dubium est, quin ingens sanitatis, aut vitæ periculum, sit aditurus.

§. VI.

Amat natura etiam medicamentis sæpius usurpatis ita

assuescere, ut eorum medendi efficacia tandem plane obtundatur.

Scholion.

Quam ob rem vere dictum est ab *Aristotele : natura pharmacis assueta, eorum vires contemnit.* Atque hinc valde consultum fore arbitramur, si medici in diuturnis morbis medicamenta permutant.

§. VII.

Noxam, quæ ab affectibus animi extimescenda est, etiam consuetudo amolitur, siquidem iracundia, quæ quasi in consuetudinem cessit, nullam prorsus sanitati injuriam inferre solet.

§. VIII.

Nihil magis satitati insidias struit, quam subita rerum consuetarum mutatio.

Scholion.

Sapienter *Celsus Lib. I. cap.* 3. scribit. *Neque ex salubri loco in gravem, neque ex gravi in salubrem transitus, satis tutus est, neque ex multa fame nimia satietas, neque ex nimia satietate fames, idonea est, periclitaturque & qui semel, & qui bis, de die cibum incontinenter contra consuetudinem assumit; neque ex nimio labore subita intermissio sine gravi noxa est. Ergo, quum quis aliquid mutare volet, paulatim debet assuefacere.* Atque hinc est, quod in regionibus septentrionalibus educati, ubi in regiones calidiores veniunt, insuetum calorem primo molestе ferant, & raro à morbis immunes sint, quod etiam vice versa valet. Neque minus frequenter accidit, ut si quis relicta patria in aliam regionem, ubi alia vivendi ratio & insueti aëris usura est, magnas ut plurimum ab hac mutatione molestias sentiat, quæ tamen longiori consuetudine multo fiunt mitiores. Deinde etiam observando nobis cognitum est, infantes lactentes, qui diutius intra parietes domesticos detenti, postea subito in liberiorem aërem procedunt, graves pati læsiones; quarum omnium vix alia causa est, quam subita & improvisa rerum consuetarum mutatio.

§. IX.

Laude digna sunt verba *Hippocratis*, quæ *sect.* 11. *aph.* 50. ita proponit : *Ex multo tempore consueta inconsuetis molestare non solent, etsi sint deteriora.* Et *aph.* 49. *adsueti*, inquit, *debiles ferre possunt ea, quæ inassuetis robustis molestiam creant.*

Scholion.

Qui urbano & concluso aëri multum assuefactus est, facile à puro, libero & aperto aëre, qualis maxime ruralis est, perturbatur, & plerumque lassitudinem corporis sentit, vel quandam capitis gravitatem. Qui diu cerevisias amaras potarunt, dulces postea ferre nequeunt. Quam ob rem etiam ægris in iis rebus, quibus diu assueti sunt, & à quarum usu non adeo gravis noxa extimescenda est, interdum gratificari oportet. vid. *Sponius ad Hippocr. sect. IV. aph.* 64.

§. X.

Si quis aliquid mutare volet, etiamsi pernicioſum sit, paulatim hanc mutationem instituere debet; *quod enim paulatim ac successive fit, illud tuto fit.* Vid. *Hipp. sect.* 11. *aph.* 50.

§. XI.

Homo perfecte sanus ac robustus nullis rebus nimium ac longius assuescere debet.

Scholion.

Optimum hac de re *Celsi* præceptum est, quod *Lib. I. cap.* 1. hunc in modum tradit: *Sanus homo, qui & bene valet, & suæ sponte est, varium habere debet vitæ genus, modo in rure esse, modo in urbe, modo in agro, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequenter se exercere. Prodest etiam balneo uti, interdum aquis frigidis, modo ungi, modo id ipsum negligere, nullum cibi genus fugere, quo populus utitur, interdum in victu esse, interdum se ab eo retrahere, modo plus justo, modo non amplius assumere.*

CAPUT XV.

De remediis ad sanitatem tuendam morbosque præcavendos accommodatis.

§. I.

HOmo sanus & perfecte incolumis, quantum fieri potest, nec medico, nec pharmacopœis utatur, sed potius, juxta *Montani* consilium, & medicos, & medicamenta fugere debet, si sanitatem suam salvam & integram conservare velit.

Scholion.

Intelligendum hoc ipsum est de corporibus tam robustis, quam imbecillioribus. Illa ex vasorum capacitate, carnis soliditate, nervorumque & ossium firmitate & insigni externarum rerum injuriis resistendi potentia, cognoscuntur. Hujusmodi corpora non adeo facile à morborum insultu expugnantur, diutius perennant, & facilius amissam sanitatem recipiunt, si modo illud in omni vitæ genere observent, ut temperantiæ & mediocritatis cultum magni habeant. Atque hujus indolis corpora non adeo rigidis legibus diæteticis, nec magna remediorum multitudine, aut varietate, indigent. Imbecilliores etiam & debiles ac morbis obnoxios, ut in hypochondriacis videmus, à copia & varietate medicamentorum lædi, quotidiana experientia edocemur. Quare merito his in suis curationibus, exercitatissimus in arte nostra vir, *Montanus*, suadet, ut, si valere velint, medicos & medicamenta fugiant.

§. II.

Cui corporis sui integritas curæ cordique est, eum abstinere oportet à fortioribus purgantibus, quippe quæ infestæ admodum & virulentæ indolis sunt, ac non modo stomachi, sed & universi corporis vires frangunt, nullique ætati conveniunt.

Scholion.

Asclepiades, teste *Celso*, *in Præfatione Lib. V. p.* 241. usum purgantium maxima ex parte sustulit, quia omnia fere stomachū lædunt & mali succi sunt. Huic ipse *Celsus* adstipulatur, scribens : *optima medicina est, non uti medicina.* Qua in re sequi videtur *Hippocratem*, qui *sect.* 11. *aph.* 33. *qui bene*, inquit, *corpus habent, hoc purgare periculosum est.* Et *aphor.* 36. *sana*, ait, *habentes corpora, dum purgantibus fatigantur, cito solvuntur.* Merito igitur *Campegius de cribrat. medicam.* venenosa & maledicta vocat purgantia. Et apprime ad veritatem de validis pharmacis longo usu edoctus *Crato* sentit: *qui rectam*, inquiens, *victus rationem tenere volunt, iis optimam medicinam præscribere supervacaneum est; nam omnia prius ad valetudinem rectam tuendam tentanda sunt, quam corpus medicamentis laborioſe commovendum.*

§. III.

Pessimo more receptum est, corpus replere, & omnia pro lubitu ingerere, postea vero à medicis evacuantia sollicitare, & rursus nimiæ corporis repletioni indulgere.

§. IV.

Si quis ex usu rerum non naturalium male se habeat, ita, ut imminentem morbum extimescat, abstinentia, motu & quiete, tam animi, quam corporis, materia superflua & morbum committens, evacuanda est, antequam medicorum auxilium expoſcatur.

§. V.

§. V.

Quia nimia ex cibo ac potu repletio plethoræ & cacochymiæ, fœcundiſſimis morborum procreatricibus, plurimum favet, neceſſe eſt, ut medicus promovendis ſuperflui ſanguinis & humorum evacuationibus invigilet, quas inter venæ ſectio primum locum tenet, & præſentaneum auxilium conſtituit.

Scholion.

Sanguinis ex vena emiſſio penitus quidem è medicina exulare poſſet, ſi ſuperfluam ſanguinis & humorum copiam abſtinentia, motu & exercitatione corporis imminuere quæreremus. Quum vero pauci ſint, qui id conſilii amplectuntur, ideo ipſa neceſſitas nos ad hoc remedii genus compellit, qua de re plura legi poſſunt in Differt. noſtr. *de magno venæ ſectionis ad vitam ſanam & longam præſidio.*

§. VI.

Venæ ſectio vere & autumno, præſertim circa tempus æquinoctiale, convenientiſſima eſt, ſummumque corporis à variis afflictionibus defendendi præſidium conſtituit.

Scholion.

Optime *Hippocrates ſect. VI. aph.* 47. ait: *Quibus venæ ſectio, aut medicamentum conducit, his vere venam ſecare, aut medicamentum purgans exhibere convenit.* Hinc quæ vere & autumno præſervationis cauſa inſtituuntur curationes, ut antiquiſſimæ, ita neutiquam contemnendæ ſunt. Venæ ſectio enim nimiam ſanguinis quantitatem, quæ vere maxime moleſta & periculi non expers, purgationes vero ſeri vitioſi copiam corpori detrahunt.

§. VII.

Quia morbi contumaces & chronici partim ex ingeſtorum & digeſtionis vitio, partim quoque ab excretionum defectu ſuam originem ducunt, ideo medicum operam dare oportet, ut, ſi præſervationis officio rite perfungi velit, exigente rei neceſſitate, non modo coctionem alimentorum, ſed eorum quoque excretiones, & maxime tranſpirationem, remediis adjuvet.

Scholion.

Quare omnia, quæ chylificationi favent, hoc eſt, chylum blandum, dulcem & ſpirituoſum gignunt, & quæ aceſcentiam, chylificationi admodum infenſam, in primis viis removent; optima, & tutiſſima ad vitam & ſanitatem tuendam remedia haberi debent. Spectant autem huc omnia balſamica, roborantia, medicamenta ſtomachica, ex balſamicis, aromaticis & roborantibus parata, ut eſſentia corticum aurantiorum, ſal volatile oleoſum *Sylvii*, noſtrum ſic dictum balſamum vitæ, eſſentia ambræ, elixirium ſtomachale *Michaëlis*, elixir noſtrum balſamicum in *notis ad Poterium* deſcriptum. Pertinent huc quoque amara, quorum maxima in promovendo chylificationis negotio virtus eſt, dum acorem obtundunt, viſcidum abſtergunt & alvinas excretiones inſigniter adjuvant, ſi nimirum cum recenſitis balſamis combinentur. In horum numero ſunt eſſentiæ amaræ, abſinthii, trifolii fibrini, radicis gentianæ, centaurii minoris, cardui benedicti. Faciunt huc denique alcalina, præſertim fixiora terrea, acidum abſorbentia, & ex animali regno tutiſſima, ut lapides cancrorum ac oſtæ ovorum, quæ terra ſubtiliori gaudent, & ob ingnem uſum vix ſatis deprædicari poſſunt.

§. VIII.

Origo morborum, quos medicus amoliri intendit, tiſſimum à ſegnioribus & interceptis excretionibus ducenda eſt, atque hinc medico incumbit curare, ut us quotidie ſuum præſtet officium.

Scholion.

Ex iis, quæ alvi excretionem ſine noxa & deſtructione motus periſtaltici promovent, maxime commendanda ſunt ſalina, quæ omni virulentia carent, & præcipue ſtimulando operantur. Eminent ex illis ſal Ebshamenſe, Sedlicenſe, à nobis detectum cum ejus fonte in Bohemia, arcanum duplicatum, ſal fontium Egranorum, tartarus tartariſatus & vitriolatus. Omnibus tamen palmam dubiam facit aloë, rite præparata, & ſecundum imitationem *Becheri* cum balſamicis mixta, quod in pilulis Hermannianis, Stahlianis & noſtris obſervatum eſt.

§. IX.

Quum perſpiratio libera omnes reliquas excretiones ſuperet, & ſummum ſit ſanitatis præſidium, idcirco medicum ſemper eo reſpicere oportet, ut huic excretioni male procedenti convenienti auxilio ſuccurrat.

Scholion.

Perſpirationem egregie & ſine ullo incommodo movent infuſa herbarum noſtratium, temperate balſamicarum, imo roborantium, ex aqua calida, ut ſunt veronicæ, betonicæ, ſalviæ, meliſſæ, menthæ, baſilici, ſaturejæ, item ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati, cinnamomi, corticum citri, aurantiorum recentium, nec non infuſum herbæ thee, decoctum caffee, moderatius uſurpatum, quæ calidiſſime, vel in calefacto conclavi, vel melius in lecto, mane hauſta, ſanguinis & humorum motum juvant, fluiditatem ſuccis conciliant, viſcidos humores diſſolvunt, & ſalia peregrina & excrementitia, facta cutaneorum tubulorum dilatatione, eliminant. Ubi vero fortior cuticularis excretio provocanda eſt, conveniens doſis ſpiritus *Buſſii*, balſami vitæ, vel ſpiritus eboris balſamici, commendatis infuſis addi poteſt.

§. X.

Quandocunque chronicæ paſſiones corpori diutius inſederint, vel cauſæ morbificæ præſentes gravem morbum minentur, tum ad hunc avertendum & chronicas paſſiones leniendas, decens uſus fontium ſalubrium & mineralium eſſe debet quam commendatiſſimus.

Scholion.

Fontes ſalubres ſunt vel calidi, vel frigidi, quorum illi thermæ, hi acidulæ appellari ſolent. Utrique eadem fere ingredientia, videlicet ſpiritum ſulphureum volatilem, ſal fixum alcalinum, vel neutrum, & volatile vitriolum cuſtodiunt, inque decenti copia & convenienti regimine hauſti, univerſum corpus pervadunt, & ad ipſius minima vaſa ac tubulos penetrant, obſtructiones recludunt, ſtagnantes humores diſſolvunt & in motum cient, omniaque emunctoria ſtimulant, adeoque urinam, alvi recrementa, ſudorem, ſalivam, omneſque ſuperfluos humores, ſine ulla virium, vel appetitus dejectione, potenter educunt. Quare non datur in rerum natura inque artis chymicæ inventis remedium, quod in ſanitate tuenda, & morbis vel antevertendis, vel tollendis, fontibus ſic dictis ſalubribus æquiparari poſſit. Siquidem horum virtus ampliſſima & plane excellens omnium ſaniorum medicorum conſenſu & diuturna experientia, per tot ſeculorum decurſum, in omnibus individuis cunctiſque in regionibus ſatis ſuperque comprobata eſt. Mineralia enim activo & potenti principio gaudent, & quæ ex ſalium claſſe tutiſſima remedia conſtituunt. Deinde etiam ipſum aquæ elementum ita eſt comparatum, ut omnibus aliis medicamentis virtute antecellat, id quod fuſius explicavimus in *Diſſert. noſtr. de aqua medicina univerſali.* Et ipſa quoque natura, quæ velut optima medicinæ magiſtra ſedulo imitanda eſt, medicos peritos docet, ſalia ſubtiliora alcalina fixa & neutra, ut & vitriolacea tenuiora, omnium, quæ ex chymicis in uſu ſunt, ad

tollendos

tollendos morbos eſſe efficaciſſima. Cæterum de horum fontium ingredientibus eorumque uſu & abuſu legi poſſunt *diſſertationes noſtræ de prudenti fontium medicatorum uſu*, item *de thermis Carolinis, de thermarum & acidularum ratione ingredientium convenientia, de thermarum & acidularum uſu & abuſu*, & quæ plura in unum faſciculum collecta de mineralium aquarum elementis, viribus ac uſu proſtant in *tomo II. opuſculorum phyſico-medicorum.*

§. XI.

Balneis, tam naturalibus, quam artificialibus, ad reparandas vires, & valetudinem tuendam, multum uſi fuerunt veteres, præſertim calidiorum regionum incolæ.

Scholion.

Teſtatur hoc magnifica & luxurioſa balneorum ſtructura, quæ hodieque in Græcia & regionibus Turcicis viſuntur. vid. *Langius Lib. I. epiſt.* 50.

§. XII.

Quanquam in regionibus calidioribus balneorum uſus ſit laudatiſſimus, parcius tamen uſurpari debent noſtris in terris, quæ ſub cœlo frigidiori & humidiori ſitæ ſunt.

§. XIII.

Ubi immoderatus calor nimiam partium humidarum & ſubtilium facit difflationem, & corpori ſiccitatem & laſſitudinem inducit, ibi fibrarum emollitione & humectatione opus eſt, quod balnea & aquarum dulcium inſeſſus commodiſſime præſtant.

Scholion.

Ex quo apparet, balneorum uſum noſtris quoque regionibus accommodatum eſſe, ſi corpus ab æſtivo calore nimis exſiccatum ac delaſſatum fuerit, hac tamen adhibita cautione, ut ne balnea nimis calida uſurpentur, alioquin excedens calor, plus nocumenti, quam emolumenti, afferre ſolet.

§. XIV.

Inſeſſus aquarum dulcium inſignes corpori infert mutationes, aqua enim octingenta vicibus aëre gravior, ſuperficiem vaſculorum in cute premit, & liquida ex ambitu corporis ad interiora retro vertit, unde libera tranſpiratio impeditur, ſerum difflationi debitum retinetur, & ad urinam vergit alvuſque adſtringitur.

Scholion.

Exinde perſpicimus, balnea in regionibus calidis, inque macilentis & calidioris naturæ hominibus non ſine inſigni fructu adhiberi, quia non ſolum exſiccatas partes emolliunt, ſed etiam humidum, quod calore exhalat, intus detinent, adeoque nimiam tranſpirationem ad temperiem reducunt, idque corporibus calidioribus & æſtivo tempore eſt commodiſſimum.

§. XV.

Nocent balnea & capitiluvia humidioris temperaturæ hominibus, qui vaſa ſanguine & ſuperfluis humoribus repleta habent, qui capitis & ventriculi imbecillitate, vel cruditatibus in primis viis collectis laborant, & frequentius catarrhis tentantur, ſiquidem improvidus hic balneorum uſus non modo has afflictiones auget, ſed alias quoque graviores ſuſcitat.

Scholion.

Balneorum & capitis lotionum uſus res periculi plena eſt, & magnam prudentiam deſiderat, hinc cautiſſime uſurpari hæc debent, & tutius ab iis noſtris in regionibus abſtinetur.

§. XVI.

Balneis noſtris in locis ſubſtitui poſſunt pediluvia, item aſperiores frictiones pedum, quæ ad circuitum ſanguinis æqualem reddendum & perſpirationem juvandam, multum conferunt.

§. XVII.

In pediluviis, pedes ſurarum regione tenus, aquæ non nimis calidæ, ſed temperatæ, immergendi ſunt, eorumque uſus paulo, vel mox ante ſomni tempus, per horæ dimidium, vel etiam ultra, commodiſſime inſtituitur.

§. XVIII.

Pediluvia calore ſuo ſanguinem tenuem & fluxilem reddunt, ejuſque difficiliorem per pedes curſum promovent, & hac ratione univerſo corpori proſunt. Deinde humiditate ſua temperate calida fibrarum tonum in partibus inferioribus valde relaxant, carnemque & cutim emolliunt, unde ſanguis, relicta ſuperiori corporis regione, ad ampliatas inferiores partes majori impetu ruit.

Scholion.

Si ullum remediorum genus magnum univerſo corpori commodum afferre, & præcipue capitis morbos expugnare poteſt, hoc certe à pediluviis expectari debet, quorum uſus in omnibus capitis affectibus eſt laudatiſſimus.

§. XIX.

Pediluvia tempore etiam æſtivo cum magna utilitate uſurpari poſſunt, quia exſiccatas partes emolliunt & humectant, & membra motu ac labore delaſſata egregie reficiunt.

FINIS.

FRIDE-

FRIDERICI

HOFFMANNI

MEDICINÆ RATIONALIS SYSTEMATICÆ

TOMUS SECUNDUS,

QUO

PHILOSOPHIA CORPORIS HUMANI MORBOSI

EX ACCURATIS OBSERVATIONIBUS
Solidisque Anatomicis & Mechanico-Physicis principiis,
Methodo planè demonstrativa per certa theoremata
ac scholia traditur;

ET

VERA PATHOLOGIÆ FUNDAMENTA

NEC NON

PRÆSERVATIO AB OMNIS GENERIS MORBIS

CLARE EXPONUNTUR

in Usum Docentium & Discentium.

PRÆFATIO.

LECTORI ÆQUO ET VERI STUDIOSO

FRIDERICUS HOFFMANNUS.

ALterum jam Tibi, veritatis medicæ cupide Lector, rationalis medicinæ ſyſtematicæ tomum exhibeo, qui præcipua doctrinæ de morbis capita & fundamenta, neque minus partem artis noſtræ præſtantiſſimam, ſed haud ſatis, meo quidem judicio, adhuc excultam, nec penſi habitam, complectitur. Hæc illa eſt, quæ genuinas ægritudinum, quibus ſubinde genus humanum infeſtari, & è vita præmature tolli ſolet, origines, ſeu primas cauſas, clare & liquido evolvit, quæ omnium earum rerum, quæ ullo modo conſervationem corporis noſtri lædunt, vires ac poteſtates dilucide exponit, quæ denique ſimplicem & planam viam ad ſanam & longam vitam perveniendi monſtrat. Duplex eſſe officium medici, alterum hominem à doloribus, à morbis ac matura morte vindicare, alterum ægritudines, quibus corpus affligitur, jam præſentes arte depulſare, nemini ignotum eſt. Quanto autem facilius, quanto etiam magis in poteſtate medici ſitum eſt, morborum, à quibus hi initia ducunt, cauſis occurrere, & integritatem corporis tueri: tanto difficilius ac incertius eſt, morbos, quibus jam premitur, vel penitus oppreſſum eſt corpus, feliciter expugnare. Quamvis vero omnium conſenſu nihil dulcius, exoptatius & præſtabilius his in terris homini contingere poſſit, quam æqualis & proſpera ſine dolore animi & corporis valetudo; tamen haud ſatis intellectus humani miſeriam & imbecillitatem hoc in genere demirari licet, quod adeo parum de vita & valetudine tuenda homines curioſi ac ſoliciti ſint, ut potius firmiter ſibi perſuadeant, inevitabili cujuſdam neceſſitatis fato, longam vel brevem, adverſam, vel ſecundam valetudinem deberi, neque à ratione & ſcientia, vel ab hominis voluntate & arbitrio, eam dependere. Quo factum etiam eſt, ut nec medici ſatis digne hanc medicinæ partem hactenus tentaverint, neque vera ſanitatis conſervandæ præſidia morborumque natales recte & perquiſitius indagarint, tantummodo operoſi in multis arcanis & magnificæ famæ remediis & compoſitionibus ad omnis generis morbos propulſandos conquirendis: etſi neminem fugiat, quam iners & circumciſa ſit, tum in rebellibus chronicis, tum acutis paſſionibus perſanandis, poteſtas medici, quoniam id præſtare magis naturæ, quam artis beneficium eſt. Ego, ut ingenue fatear, de arte noſtra ſic ſtatuo, hanc ipſam diverſis rationibus agitari poſſe, dum alii morborum curationibus tantum intenti ſunt & unice in exercitio artis verſantur, alii vero in univerſale totius ſcientiæ & omnium eorum, quæ ad hoc perficiendum pertinent, ſtudium incumbunt. Nam qui tantum ſe occupatum habet in curatione morborum, is utique theoria rationali & hanc ſpectantibus ſubſidiis, anatomes, phyſices, chymiæ & mechanices ſcientiis & demonſtrandi methodo, facile carere poteſt; quemadmodum etiam veteres has ſcientias ignoraſſe novimus. Siquidem ad artis exercitium ſufficit morborum genium, corporum differentias, & naturæ, quæ ſola & optima ſubinde acutorum morborum medicatrix eſt, ductus noſſe, & remediis, non validioribus, ſed mitioribus, eam adjuvare. At vero præter hæc multa alia in eo, qui veri & ſolidi medici nomen tueri vult, deſidero, quæ non tam facile & celeriter obtineri poſſunt. Nimirum is non ſolo

uſu & experientia, quæ pro tot morborum & corporum diverſitate mire variat & fallit, contentus eſt, ſed ex ægrotantium hiſtoriis & accuratis obſervationibus, magna diligentia & limatiori judicio conſcriptis & inter ſe collatis, artis certitudinem quærit. Hæ enim ſunt quaſi veritatum medicarum claves, quæ intimos & arcanos naturæ receſſus, motus atque effectus recludunt. Ex his veras morborum origines ac primordia, generationem, differentem indolem & effectum, præſervandi ac medendi leges & vias, juvantium & nocentium vires, & dextrum de morborum eventu judicium petere licet. His etiam falſæ theoriæ, pugnantes hypotheſes, opiniones, fictiones atque errores in rebus medicis optime diſcutiuntur. Ut autem ejuſmodi obſervationes ad uſum recte transferre poſſit, opus utique eſt, ut accommodis ſcientiæ medicæ inſtructus ſit præſidiis. Nam ſicut ſine phyſices, chymiæ & mechanices ſcientia, nullo modo veram vitæ, ſanitatis, mortis, morborum eorumque generationis cognitionem conſequetur, nec rerum ſalubrium ac nocentium facultates & vires cognoſcet, ita nec hiſtorias ægrotantium reſolvere omneſque partes digne excutere, eorumque, quæ facta ſunt & fieri debent, cauſas dare & enucleare & apta remedia invenire poterit. Præterea à medico, qui omnes ſuas partes recte implere vult, etiam id requiro, ut læſiones externarum partium, & quemadmodum eæ reparandæ ſint, probe dignoſcere ſciat, & quibus mediis & operationibus eæ removendæ ſint, intelligat, ex quo artis chirurgicæ eminentia ac neceſſitas demum innoteſcit. Denique innumera ſunt in rerum natura, quæ hominis valetudinem variis modis & mutare & vitiare poſſunt, tam ex alimentorum, ac elementorum, quam medicamentorum & rerum venenatarum claſſe, præcipue ex tam multiplici cœli varietate, aliarumque rerum fortuito incidentium copia, quorum ſingulorum ingenium, facultates & vires, ſi quis caſus incidit, ut idoneum judicium proferre poſſit, perſpectas habere debet. His itaque fulcris totum doctrinæ medicæ corpus ſuperſtructum eſſe videmus. Quæ quanquam ita ſe habere omnes facile judicent, dolendum tamen eſt, paucos admodum ad eum eruditionis medicæ gradum pervenire, & quod præcipuum rei momentum eſt, paucos ſcriptores laboribus ſuis eo eſſe anniſos, ut doctrinæ medicæ, præſertim quæ de morbis agit, veritates in facilem & perſpicuum ordinem digererent. Quanta enim librorum proſtat ſilva, qui terminis obſcuris & nullum liquidum ſenſum fundentibus referti ſunt, ubi nullæ veritatum connexiones nullique demonſtrationum nervi conſpiciuntur. Ego itaque pro mediocritate virium, quas divina clementia conceſſit, ſemper omni ſtudio anniſus ſum, divinam hanc ſcientiam in ſyſtema perſpicuum redigere, & veritates apta connexione in ſcientiæ & demonſtrationis formam diſponere, jam ſenio vicinus & maturiori judicio & longiori uſu inſtructus, laboravi. Cujus rei gratia & præſens opus excudi, de cujus inſtituto pauca tantum admonere viſum eſt. Videlicet hoc ipſum rationalis pathologiæ & praxeos medicæ fundamentum complecti exiſtimo, quare etiam à pathologia ſpeciali & clinica praxi, quæ bono cum Deo ordine ſequetur, hunc tomum ſecernere & ſeorſim edere conſtitui, ut à veritatum medicarum ſtudioſis non ſemel, ſed iterum iterumque attente legatur, & relegatur, quia hujus partis cognitio clariſſimam lucem tomis ſequuturis fœnerat, ita ut ſpecialis morborum, quoad ſigna, cauſas & ſymptomata diſquiſitio, promtius percipi, quæ ipſis depulſandis idonea præſidia cognoſci & enarratæ quoque hiſtoriæ facilius explicari inque uſum converti poſſint. Maxime omnium vero id operam dedi, ut demonſtrarem, quomodo morbi in corpore humano pullulent & generentur & quibus firmis & ſtatutis legibus motus, qui morbos inferunt, & naturam deſtruunt, vel eam conſervant & à morbis liberant, ſint ſubjecti, ut qui in ſalutem, vel perniciem tendunt, eo melius poſſint diſtingui. Deinde clarius & prolixius omnium rerum inſalubrium, venenorum, ac validiorum, & quæ in exitium prona ſunt medicamentorum, naturam & vires expoſui, ut majori etiam ſtudio medentes ab iis remediorum generibus, quæ morborum cauſas augere & mortem dare, vel accelerare poſſunt, ſibi cavere diſcant. Tum etiam morborum origines ex planis & ſimpliciſſimis principiis, nimirum ingeſtorum & excernendorum vitio ac defectu luculenter explicavi. Nam quemadmodum homo proſpera & integra ſanitate fruitur, ſi æqualem proportionem invicem ingeſta & excreta habent: ita ex diminutis vel deficientibus vacuationibus morborum origines naſci, eoſque, niſi illæ reſtituantur, in actum produci, experientiæ eſt cerciſſimæ. Ecquis vero ignorat, quam anxie adhuc nobiliſſima ingenia in morborum cauſis inveniendis ſe fatigaverint, quum pro ſua quiſque hypotheſi & fictione proprias, peculiares, ſæpiusque altius accerſitas adduxerit, manifeſtas & quæ in ſenſus incurrunt, repudiando. Præterea clarius in hoc opere docui, morborum fomites & mineras in inteſtinorum canale potiſſimum ex variis confluentibus ſuccis per diuturnam

moram

moram concipi, ibique fixam ſedem habere ac domicilium. Tandem etiam demonſtravi, acutas paſſiones & motus in morbis, ut ſunt febres, ſpaſmi, dolores, anxietates, convulſiones, motricium partium eſſe affectus, & perniciales morborum cauſas primario in has, quæ mutuum inter ſe conſenſum fovent & inſuper motuum ac ſenſuum inſtrumenta ſunt, vim & operationem ſuam exercere. Explanavi quoque ulterius, ex ſanguinis tardiori motu plethoram & cacochymiam, chronicarum maxime ægritudinum ampliſſimas cauſas deducendas eſſe. Ultimo his cognitis & expoſitis pauca præcepta & regulas adjeci, quæ facilem à morbis ſe præſervandi viam oſtendunt. Sicut enim in omnibus huc uſque à me productis laboribus, ita & in hoc tomo maxime laboravi, ut partem illam medicinæ præſtantiſſimam, quæ præſervandi corpora à morbis rationem docet, ſtabilirem & in ſolidæ ſcientiæ formam reducerem. Quæ omnia ut in convenientia capita, rationem & ordinem redigerem, non mediocri labore & meditatione opus fuit, quia nemo præivit, cujus veſtigia ſequi potuiſſem. Quam vero arduum ac difficile ſit, doctrinam, in qua quædam quaſi eſt vaſtitas, & quæ caret connexione, in ordinem redigere, id ii optime intelligunt, qui in ejuſmodi rebus ingenium exercere ſolent. Dixi itaque in priori tomo, me mathematicis familiari demonſtrandi methodo uſum fuiſſe & impoſterum uti velle, cujus ratio neutiquam in eo conſiſtit, ut propoſitis doctrinis definitiones, axiomata, theoremata, corollaria, poſtulata, obſervationes, problemata præſcribat, ſicut cujuſdam nuper ineptiſſimum fuit judicium, ſed ut veritates faciles, ſimplices & perſpicuas adducat, eaſque probe invicem connectat, diſponat, ordinet, & ex notis ignota deducat. Neque ego hic, ut in cæteris omnibus meis laboribus, ſervili animo aliorum doctrinas velut oracula ſine ulla meditatione vel ratione cœco impetu ſequutus, vel ullius autoritate me à veri contemplatione facile abduci paſſus ſum, ſed libero ſemper uſus judicio ſententiarum & rationum momenta libravi, & ſecundum obſervationes practicas, ceu ad Lydium lapidem, modeſte examinavi, & ita demum, quid veri, falſi vel ficti viſum fuerit, & quæ in morborum curatione uſum habeant, vel non, expoſui. Quam unam novi ſolam & optimam eſſe veri inveſtigandi rationem, quam homines, aliorum tantum æmuli, nec ad obſervandum, nec ad meditandum nati, plane ignorant. Neque vero eſt, ut diffitear, me & hic & alibi interdum ab opinionibus, quas olim fovi, receſſiſſe, quod ad eruditi candorem & veri inveſtigationem in rebus difficillimis & nunquam ad ſolidam rationem & perſpicuum ordinem redactis utique pertinere mihi videtur. Uti enim pertinaciter opinionibus de falſitate convictis tanquam ſaxo adhærere turpe eſt: ita priora relinquere, & meliora amplecti, proxime ad honeſtatem & candorem accedit. Neque hic mea jactare unquam volui, conſcius meæ mihi tenuitatis; ſperare tamen auſim, meam hanc qualemcunque diligentiam & operam veritatis medicæ æſtimatoribus & viris ad judicandum aptis non ingratam fore, quum & hæc & plura adhuc in aliorum ſcriptis pathologicis deſiderentur. Cæterum ſi quis unquam, ego certe præter veritatis curam ac ſtudium æquitatis & moderationis in judicando maxime æſtimavi & adfectavi laudem, & nunquam ferendum in republica litteraria, præſertim chriſtiana, turpem quorundam morem puto, qui, quamvis non meliora ſciant proponere, aliorum tamen dicta & facta acri & mordaci ſtylo perſtringere, eorumque famam ac merita lancinare & arrodere non erubeſcunt. Ego vero nec unquam ejuſmodi ineptiſſimorum hominum voculas moror, ſed plane nihili habeo, & potius acquieſco & quaſi triumphare mihi videor in præclaris tot illuſtrium virorum judiciis, qui verum à falſo, perſpicuum ab obſcuro, utilitatem ab inani ſpeculatione, & evidentes uſuique aptas cauſas ab abditis & remotis, quæ nullius uſus ſunt, diſcernere conſueverunt. His, candide Lector, bene vale, ſique DEUS vitam & vires ſuppeditat, cæteros noſtros labores, uſui publico unice deſtinatos, propediem expecta.

CONSPECTUS

Tomi Secundi Medicinæ Rationalis Syſtematicæ.

PROLEGOMENA

De veræ Pathologiæ natura, ejus fundamentis, obſervationum medicarum uſu & hypotheſium noxa.

CAP. I. *De vera Pathologiæ medicæ natura, definitione ac fundamentis.*
II. *De hypotheſium Medicarum in arte noſtra damno.*
III. *De veritatibus Pathologiæ fundamentalibus ex phyſiologia repetendis.*

PHILOSOPHIÆ CORPORIS HUMANI Morboſi, ſive Pathologiæ generalis.

PARS PRIMA.

De Mortis, morborum & motuum morboſorum natura, Legibus in producendis morbis ac ſymptomatibus & cauſis morborum.

CAP.° I. *De Mortis natura & cauſis.*
II. *De Morborum & ſymptomatum natura.*
III. *De Motuum microcoſmicorum legibus & effectibus in producendis morbis & ſymptomatibus.*
IV. *De Morborum & motuum morboſorum cauſis.*
V. *De Cauſarum morbificarum ſede & operatione.*
VI. *De differente morborum ratione cauſarum indole atque effectu.*

PARS II.

De rerum nocentium & inſalubrium natura, proprietatibus & viribus in corpus humanum, item de omnibus iis, quæ ullo corpora modo ad morbos proclivia reddunt.

CAP. I. *De rerum inſalubrium & nocentium natura & viribus, ſpeciatim de affectibus animi.*
II. *De venenis eorumque natura, viribus & modo agendi.*
III. *De venenis corporis humani.*
IV. *De venenis in aëre contentis epidemiorum morborum cauſis.*
V. *De medicamentis veneni vim habentibus.*
VI. *De virulenta mercurialium noxa ceu gravium malorum cauſa.*
VII. *De venenis ſoporiferis.*
VIII. *De ceteris medicamentis virulentam naturam referentibus.*
IX. *De rebus venenatis in aëre, interque eſculenta & potulenta reperiundis.*
X. *De frigido potu, vitæ & ſanitati hominum inimiciſſimo.*
XI. *De rebus non venenatis, ſed inſtar veneni in corpus humanum agentibus.*

PARS III.

De morborum ortu ac generatione ex imbecillitate corporis humani, vitio ingeſtorum, impeditis excretionibus, ſanguiniſque & humorum abundantia atque impuritate, itemque de iiſdem & præmatura morte præcavendis.

CAP. I. *De corporum imbecillitate morbis potiſſimum obnoxia.*
II. *De Morborum origine ex copia & vitio ingeſtorum.*
III. *De alimentis intemperatis ingentique acidorum noxa.*
IV. *De noxa potus ſpirituoſi vel nimis pauci.*
V. *De excretionum defectu, præcipuo morborum fundamento.*
VI. *De perniciali earum rerum, quæ excretiones cohibent, indole atque effectu.*
VII. *De morborum maxime epidemiorum origine ex aëris vitio & tranſpiratione impedita.*
VIII. *De morborum generatione ex nimia ſanguinis quantitate & humorum impuritate.*
IX. *De genuinis corpora à morbis præſervandi præſidiis.*

PROLEGOMENA
DE
VERÆ PATHOLOGIÆ NATURA, EJUS Fundamentis, Obſervationum medicarum uſu & hypotheſium noxa.

CAPUT PRIMUM.

De vera pathologiæ medicæ natura, definitione ac fundamentis.

§. I.

Scuti phyſiologia veras vitæ & ſanitatis cauſas tradit & motuum, qui conſervant corpus noſtrum, indolem atque uſum explicat; Hygieine vero præcepta circa rerum non naturalium uſum, quibus motus vitales in vigore ſervantur, exhibet: ita pathologia genuinas mortis & morborum cauſas & effectus ex ordine illorum motuum perverſo exponit. Therapia vero monſtrat, quibus auxiliis inordinati motus à corporis œconomia averti tollique debeant.

Scholion.

Ex quo animadvertimus, medicinæ partes arcto inter ſe cohærere nexu, ut unam ſine altera plene exacteque intelligere nemo poſſit. Attamen ſcientiam corporis humani vivi & ſani ceterarum medicinæ partium quaſi matrem & fundamentum eſſe merito dixeris. Ex medicinæ vero tam amica & neceſſaria partium connexione artis noſtræ certitudo & demonſtratio, quæ convenienti nexu & ordine rerum fit, ſatis abundeque conſpicitur.

§. II.

Vera pathologia eſt doctrina, quæ ex integris morborum hiſtoriis eorum origines, generationem, progreſſum, peculiarem genium, neque minus ſymptomatum atque eventuum rationes ex motuum natura & legibus, quæ in æconomia corporis noſtri obſervantur, convenienti nexu & ordine tradit, explicat & maximis in praxi medica utilitatibus accommodat.

§. III.

Ex hac definitione reali facile pathologiæ veræ & fictitiæ differentia intelligitur: nam illa ex plenis & accurate conſcriptis obſervationibus & principiis anatomicis & motuum doctrinis perſpicuis ſuas deductiones & concluſiones in praxi utiliſſimas format: altera vero æque vulgaris quam ſuperficiaria ſingularibus duntaxat experimentis, minus plenis obſervationibus & dubiis opinionibus atque hypotheſibus nititur, unde nihil ſolidum vel vera laude dignum in uſum artis noſtræ redundat.

Scholion.

Quemadmodum ſcientia ab opinione, ita pathologia vera ab hypothetica diſtat. Hanc differentiam præclare innuit *Hippocrates*, libelli, qui *Lex* inſcribitur, §. 3. *duo ſunt ſcientia & opinio; quarum altera quidem ſcire facit, altera vero ignorare.* Eundem in ſenſum graviter ſcribit *libro de decenti ornatu, §. 4. opinio in medicina maxime in crimen vertitur eam adhibentibus. His vero, qui ea in ſe uſi ſunt, perniciem adfert.*

§. IV.

Duo ſunt veræ pathologiæ fundamenta: unum pleniſſima omnium & ſingulorum morborum hiſtoria, quæ ex compluribus obſervatis & annotatis circumſtantiis naſcitur: alterum eſt exquiſitior corporis noſtri ſtructuræ motuum omniumque earum rerum, quæ illius ſtatum mutare poſſunt, ſcientia.

Scholion.

Veritas duplicis generis eſt, alia enim *veritas facti* dicitur, quæ res contingentes & factas cum omnibus circumſtantiis ſub debito nexu, ordine, tempore deſcribit: altera eſt *demonſtrativa* ſive *rationalis*, quæ ex principiis jam claris & cognitis phænomenorum & effectuum cauſas, modum & fines inquirit & utiliſſima theoremata vel axiomata format, quorum recto uſu ex notis ignota porro invenit. Et quemadmodum illa maxime memoriæ & attentæ diligentiæ; ita hæc intellectus potiſſimum ſoboles eſt. Utraque ad veram pathologiam conſtituendam neceſſaria eſt. Veritas enim, quæ integram morbi, quoad omnes circumſtantias, ortum, progreſſum, hiſtoriam atque exitum deſcribit, baſis eſt rectæ ratiocinationis in medico.

§. V.

Accuratiores morborum hiſtoriæ & obſervationes primum & præcipuum pathologiæ & therapiæ conſtituunt fundamentum.

Scholion.

¶ Ex pluribus enim & accuratioribus obſervationibus demum vera experientia, quæ medicinæ anima eſt, quæque ornat & perficit medicum, enaſcitur. Illa vero pathologia atque therapia manca & trunca eſt, quæ ex obſervationum fide non eſt deducta. Neque dubium eſt, quin ad progreſſum artis noſtræ augendum potiores partes obſervationes, quam ratiocinia ſibi vindicent; quia plura circa corporis humani naturam quotidie fiunt, quorum vera ratio & adæquata cauſa difficilis & abſtruſæ cognitionis manet. Ego quidem ſic ſentio, medicos, ſi ad altiorem dignitatis gradum artem ſuam provehere velint, imitari debere eximios noſtri temporis aſtronomos, qui obſervationibus, quas hinc inde circa ſiderum motum obſervandum inſtituerunt, inter ſe probe collatis id effecerunt, ut eorum curſum & ſitum vel centum annis prædicere poſſint. Ego ſpe alor firmiſſima, fore, ſi medici diligenter omnia, quæ circa morborum generationem, decurſum & curationes contingere ſolent, annotent & obſervata invicem conferant ac cum publico communicent, ut ars noſtra ad ſummam certitudinem, non ſolum in prædicendis & avertendis morbis, ſed & iiſdem dextre ſanandis, totoque eorum decurſu prædicendo, perveniat.

§. VI.

Medicas obſervationes, ſi utilitatem exoptatam inde percipere debemus, oportet plenas ac integras eſſe nulliſque circumſtantiis alicujus momenti deſtitutas.

Scholion.

Sicuti juris periti, quando de jure reſpondere ac ſententiam ferre debent, integram, ut loqui ſolent, facti ſpeciem cum neceſſariis ſuis circumſtantiis requirunt: ita etiam medici nonniſi ex completis morborum hiſtoriis quippiam firmi vel ſolidi elicere aut concludere poſſunt. Sæpe enim in unica circumſtantia multum momenti ſitum eſt. Operam itaque dare debemus, ut plenas & perfectas obſervationes undiquaque conquiramus; quarum revera numero ſatis exiguæ in medicorum tot monumentis nobis relictæ ſunt. De pleriſque certe, quas apud veteres non minus, quam apud recentiores videas, jure dixeris eas obſervationum potius fragmenta eſſe, quam ipſas obſervationes, quales in verum ſalutaris artis incrementum ſcribi oportebat.

§. VII.

Ad integram morbi cujuſvis hiſtoriam requiritur, ut exquiſitam individui cum illo morbo conflictati notitiam lectori ſuppeditet.

Scholion.

Primum & præcipuum in medendo illud mihi videtur, ut medicus, quando corporis alicujus ſanandi curam ſuſcipit, exactam eorum habeat notitiam, quæ in ipſo illo homine peculiaria deprehenduntur. Idque ſcitu maxime eſt neceſſarium, quia morbus idem & eadem cauſa, quæ ipſum facit, pro differenti corporum conditione, mirum diſſidentia ſymptomata atque effectus producunt. Quemadmodum enim idem alimentum, idem medicamentum, idemque venenum longe alios diverſiſſimoſque effectus & operationes pro differenti corporum indole edit: ita etiam morbificæ cauſæ ejuſdem indolis plane multismodis diverſam morbi faciem, ratione ſymptomatum, ratione periculi & ſalutis in diverſis ſubjectis exhibent. Alta enim mente repoſitam ſemper omnibus optavi hanc præſtantiſſimi uſus regulam philoſophicam; non dari abſolutas agendi vires in corporibus, ſed omnes eſſe conditionatas & relativas, atque mirifice, pro diverſa corporum, in quæ agunt & quæ illas recipiunt, conditione mutari atque modificari. Ad interiorem vero corporis ægrotantis naturam cognoſcendam non ſatis eſt ætatem, ſexum, ſtructuram partium, temperamentum, vires, hæreditariam ad morbos diſpoſitionem, vitæque genus, mores animi & conſuetudines conſiderare, verum etiam ſcire oportet, in quo ſtatu omnis generis excretiones poſitæ ſint vel fuerint, quo forſan morbo antea laboraverit æger, an perfecte is curatus ſit, an imbecillitatem partium & diſpoſitionem ad alios morbos forſan reliquerit & qua ratione fuerit finitus & ſolutus. Juvat etiam inquirere, qualis ſit ſanguinis ſtatus, num is nimium abundet aut valde impurus ſit, qualis diſpoſitio viſcerum & generis nervoſi conſtitutio, robuſta an imbecillis fuerit, quæ omnia & ſingula judicio medici probe ſubacta in morbis tam cognoſcendis & dijudicandis, quam ſanandis egregium lumen afferunt, ad dijudicandam autem hiſtoriam ab alio conſignatam omnino requiruntur.

§. VIII.

Quæ veram utilitatem adferre debent medicorum obſervationes, eas morbi genus, ejuſque genium, origines, progreſſum, & varias ad eorum generationem concurrentes cauſas accurate deſcribere oportet.

Scholion.

Perſpecta ægrotantis corporis natura præcipua cura eſſe debet medici, ut morbi genus, genium & cauſas perſcrutetur. Quiſque enim morbus peculiarem & quaſi propriam indolem, qua incedit, habet, dum non modo certos typos, tempora, periodos ac ordines in acceſſione & incremento ſervat, certis etiam modis & per certas vias atque excretiones ſolvitur; ſed & plane ſpeciali ratione in turbandis & pervertendis motibus & actionibus ſecundum naturam, ſive ſymptomatibus efficiendis, ſinguli procedunt, ex quibus omnibus probe collatis morbus recte cognoſcitur & ab aliis quoque diſtinguitur. Denique ex erratis in diæta & uſu rerum, quibus quotidie ad corporis conſervationem indigemus, commiſſis, primordia & morborum origines probe cognoſcere juvat, quod certe ad præſervationem à morbis ampliſſimum uſum habet. Maxime omnium vero morborum cauſæ proximæ indagandæ erunt, quibus inventis curationem inventam eſſe conſtans & philoſophorum & medicorum perpetuaque fuit ſententia. Nam ſi quis, effato *Hippocratis Libr. de flatibus §. 3. cauſas corporis affecti probe cognoverit, is quoque potens eſt ea adferre, quæ corpori commodent, nimirum contraria.*

§. IX.

Medicorum obſervationes, quæ ad faciliorem & tutiorem ſanandi rationem facere debent, remediorum, quæ adhibita fuerunt, operationes contineant.

Scholion.

Auſim dicere ex illis rebus, quæ ad augendam medicinæ utilitatem & dignitatem faciunt, nihil aptius eſſe, quam ſi quis exquiſite remediorum, quæ adhibentur, vires & operationes noſſe allaboret. Hæ enim multum pro diverſitate corporum, naturarum, morborum, & temporum differunt. Gaudet enim & quodvis & maxime potens remedium peculiari agendi & operandi facultate, quæ medico utique ex aſſe cognita eſſe debet. Is enim demum veri medici nomen tueri mihi videtur, qui ipſe ſelecta præparare ſcit remedia, eorumque vires & in agendo proprietates in tot diverſiſſimis caſibus probe perſpectas cognitaſque habet. Ex quo conſequitur, ut iis etiam poſtea recte & cum judicio uti poſſit. Quodvis enim medicamentum tam promtum eſt ad nocendum, quam ad juvandum pro eo nempe, ut quis illo utitur. Mirifice igitur *Hippocrates* medicamentorum facultates, quas habent, medicorum memoriæ commendat, cum ait *in Libr. de decenti ornatu §. 8. firma memoria teneto, medicamenta & ſimplices facultates & deſcriptas* (intelligo per obſervationes)

nes) *si modo tales existant. Sint & in memoria tibi morborum curationes & harum modi, quotupliciter & quomodo in singulis sese habeant. Hoc enim principium est in medicina, medium & finis.*

§. X.

Ad completam cujusque morbi historiam adornandam sectio cadaverum morbis defunctorum maxime pertinet.

Scholion.

Non facile aptius ad morborum & mortis causas revelandas medium sectione & inspectione solertiori cadaverum, quæ iisdem morbis extincta sunt, invenitur. Quanquam enim non omnia, quæ in dissectis cadaveribus observantur, semper primæ & proximæ morborum causæ habenda sunt, sed sæpius effectus tantum causarum atque ipsius mortis: nihilo minus non raro accidit, ut hac ratione genuinæ insolitorum subinde morborum atque symptomatum causæ manifestæ fiant. Noti mihi sunt plures casus, ubi tum in ipsis morbis, tum, in eorum causis cognoscendis, non incelebres etiam medici valde hallucinati sunt, maxime alienas proferendo, cum postea facta sectione polyposæ in corde vel vasis majoribus concretiones, abscessus mesenterii, calculi in vesicula fellea vel vesica urinaria, rupta sanguinis vel lymphatica vasa, ingentes glandularum tumores, putrida viscera, uterus disruptus in conspectum venerunt, de quibus nihil plane antea cogitatum fuit. Quare dissectiones utique cadaverum frequentiores & solertiores à medicis anatomes peritis majorem in modum commendandæ sunt, eo quod vera causarum morbi cognitio & prudens remediorum ad eas auferendas adplicatio duo quasi poli sunt, circa quos tota praxis medica vertitur.

§. XI.

Ex medicorum plenioribus observatis complura eaque maxime utilia in perfectionem & certitudinem artis nostræ redundant.

Scholion.

Neque enim alia via vel methodus suppetit, qua morbos à se invicem probe distinguere eorumque causas, multum quoque dissidentes, cognoscere possumus, quam per multiplices & recte institutas observationes. Ad prudentem etiam prognosin, sive ad judicium de morborum eventu formandum, quæ doctrina mirifice ornat & perficit medicum, ejusque existimationem auget, certior & melior, quam per observationes, nulla via invenienda est. Quam infinitæ circa morborum prognosin regulæ in Hippocratis aliorumque veterum monumentis prostant, quæ tamen maxima ex parte fallaces sunt, tantum abest, ut pro universalibus sententiis & aphorismis veris haberi possint. Idque accidit maxime ob eam rationem, quia non ex integris morborum historiis, sed ex earum fragmentis tantum & quibusdam, non omnibus & singulis circumstantiis, depromtæ sunt. Igitur, longe perfectior & hæc doctrina de prognosi speranda nobis erit, modo ex multiplici observatione & accuratiori consideratione circumstantiarum prognosticas regulas demum elicere incipiamus. Neque dici satis potest, quam utilia corollaria in usum futurum, ratione methodi medendi, ratione adplicationis remediorum, & in cognoscendo, quænam ex horum genere noceant vel prosint, hauriri queant. Medico enim nunquam desistendum est ab observationibus & experimentis, neque ulla, licet etiam minoris momenti videantur, negligenda sunt. Ego certe non facile casum quendam medicum prætermitto, quia vix ullus incidit, ex quo non quippiam adhuc addiscere possim, cum ad minimum, quod jam inventum & cognitum fuit, exinde confirmetur.

§. XII.

Observationes medicæ itemque historiæ morborum accurate conscriptæ, ad dissidentes medicorum hypotheses, opiniones & controversias etiam in praxi decidendas aptissimæ sunt.

Scholion.

Si ulla, certe medica disciplina innumeris opinionum figmentis, sectis & controversiis immersa est. Ex harum vero dissidentium opinionum labyrintho nosmet extricandi non ego meliorem novi modum, quam si earum adplicationem ad medicas observationes, quæ genuinum ac immutabilem naturæ ordinem & processum in vitæ, sanitatis ac morborum negotio complectuntur, urgeamus; tum enim facile earum sterilitas apparebit, eo quod tam paucis phænomenis & circumstantiis explicandis congruant aut sufficiant. Quot diversissimæ medicorum in praxi medica circa remediorum valentium & heroicorum usum e. g. venæ sectionis, fonticulorum, vesicatoriorum, purgantium, opiatorum, chinæ chinæ, salium volatilium, martialium, sunt sententiæ? dum quidam in certis morbis sanandis illa in cœlum quasi efferunt, alii eadem in iisdem morbis penitus deprimunt & damnant: & singuli tamen, ut adsertiones suas confirment, ad experientiæ asylum confugiunt. Hic certe non proclivior emergendi ex hisce difficultatibus patet via, quam si observationes cum cura & diligentia conscriptas de illis morbis, in quibus damnum vel salutem hæc medicamenta attulerunt, consulamus: tunc facile apparebit, pro differenti circumstantiarum ratione in eodem morbo remedia hæc insignem opem vel etiam damnum attulisse, adeoque in se non esse nociva, sed in medicos culpam esse refundendam, qui iis non recte usi fuerunt.

§. XIII.

Alterum veræ pathologiæ & therapiæ fundamentum est scientia corporis humani anatomica & mechanices, quæ in eo celebratur.

Scholion.

Corpus nostrum machina est, summo DEI artificio & sapientissimo ordine constructa, ut motus structuræ convenientes edat; quorum naturam & leges exquisite nosse oportet medicum. Hi enim sunt, qui vitam sive conservationem corporis nostri corruptibilis tuentur: hi sunt, qui omnes ejus actiones secundum ordinem & divinum præscriptum moderantur, id est, sanitatem præstant; hi quoque perversi vel destructi morbos, imo ipsam mortem efficiunt. Hæc motuum scientia adprime utilis est medico, quia ex horum natura omnia ea, quæ circa corpus contingunt, atque tum in corpore morboso, tum in morborum historiis continentur, apte explicari debent. Et hoc est, quod medicorum recentiores urgent, omnia ex mechanicis rationibus deducenda ac derivanda esse, cum veteres duntaxat materiæ variis qualitatibus & temperiebus inhæserint, omisso motu, qui tamen præcipuum est mechanices principium. Ex quo intelligitur, quantum utilitatis in rem medicam ex interiori rerum mechanicarum & physicarum notitia, quæ etiam ipsam physiologiam corporis nostri comprehendit, profluat.

§. XIV.

Quicunque anatomes peritus est & mechanicam corporis nostri bene callet, is utique aptissimus erit ad multas difficiles & alias abstrusas res, quæ in nobis fiunt & contingunt, explicandas.

Scholion.

Facile damus & concedimus, mechanicam corporis humani longe superiorem esse illa, quæ ab arte humana

humana proficiſcitur. In quantum enim divina ars ab humana diſtat, in tantum etiam ſcientia ejus mechanices, quæ in animantibus reperitur, præcellentior eſt quam illa, quæ in vulgus nota eſt. Opera itaque ſedulo adhibenda eſt, ut in mechaniſmi, qui in œconomia corporis noſtri obſervatur, rationes, modos & leges, quoad humani intellectus imbecillitas patitur, penetremus: plura enim adhuc ſunt, quæ in nobis mechanice peraguntur & captum noſtrum longe exſuperant. Quis enim dubitabit, illas etiam actiones, quæ ab anima proficiſci dicuntur, mechaniſmo, utut ſubtiliori, cerebri in acceptis eſſe referendas; præſertim cum videamus, mores, cupiditates, vitia ac virtutes, prudentiam quoque & inſaniam hominis à ſanguinis conditione & mechaniſmo, qui per diætam & medicamenta varie immutari poteſt, dependere, utut eorum explicatio, quomodo fiant, adhuc paulo ſit cognitu difficilior.

§. XV.

Cum res corporeæ quibus continuo ad vitam & ſanitatem tuendam & reſtituendam utimur, magnam potentiam habeant corpus immutandi, deſtruendi & morboſas adflictiones inferendi: tantarum mutationum cauſas inquirere ſolius phyſici & mechanici eſt.

Scholion.

Quam inſignis utilitatis in explicandis rebus medicis ſit veritatum phyſicarum ſtudium, liquido ex dictis conſtat, id quod etiam jam olim optimi & antiquiſſimi medicorum, in quibus merito habendus eſt *Hippocrates*, agnoverunt. Teſtes ſunt ejus libri phyſici, quos *de humana natura, de corde, de locis in homine, de flatibus, de diætis, aëris, aquarum & locorum natura* nobis reliquit, quibus maxime adſtruere contendit, ex diæta & aëre non tantum varii generis naſci morbos, ſed & mentem humanam inde ſapientiorem aut ſtolidiorem reddi. Quo magis mirandum eſt, dari hodieque quoſdam, qui veræ phyſices ſtudium in rebus medicis parum utilitatis habere adfirmant, ducti potiſſimum hac ratione, quod ex animi affectionibus & impreſſionibus perverſis varias morboſas motiones naſci videant. Id quod uti non negamus, ita tamen nobis comprehendere non licet, quare omnes motus & actiones animæ principio adſcribi debeant. Ecquis enim eſt, qui cauſarum morbificarum, medicamentorum vel venenorum operationes plane peculiares & diverſas, quas ſingula edunt, inde explicare conetur?

§. XVI.

Cum duo ſint veræ & rationalis pathologiæ fundamenta; nimirum obſervatio ſedula, & ſcientia mechanices naturalis; ſponte & per ſe fluit, veteres & qui hiſce fundamentis caruerunt, nihil ſolidi in arte noſtra tradidiſſe.

Scholion.

Equidem veterum ſolertiam in eo dilaudandam eſſe cenſeo, quod plura, quæ ad morborum indolem, genium, progreſſum & eventum pertinent, annotaverint. Quia tamen corporis humani plena & exacta ſtructura, quæ anatome indagatur, neque minus ſolida mechanices & rerum naturalium ſcientia caruerunt; præterea obſervationes paucas, breves & minus completas nobis exhibent: non mirum eſt, eos, pro veris cauſis ſterilia maxima ex parte nomina venditaſſe veraſque vitæ, mortis & morborum cauſas & medendi etiam rationes aptas ignoraſſe. Quare ex eorum ſcriptis tantum ea, quæ ad hiſtoriam morborum pertinent, depromi & hauriri poſſunt. Nam morbi ſemper & conſtanter, uti nunc, ita etiam olim, ſuam peculiarem habent naturam & ordinem ſervant immutabilem, adeoque & veterum obſervationes, modo plurimas haberemus, eandem utilitatem habent quam recentiores.

§. XVII.

Noſtrum ſeculum quanquam præſtantiſſimis in re anatomica, phyſica, botanica, chymica & mechanica inventis ſplendeſcit, mirandum tamen eſt, quare in vera pathologia adſtruenda tam exiguus progreſſus adhuc factus fuerit.

Scholion.

Hujus rei multæ dari poſſunt cauſæ, quarum una eſt, quod plures ex recentioribus tam negligentes ſint in obſervationibus practicis accuratioribus adornandis: altera eſt, quod inventa illa præſtantiſſima phyſica ad hiſtorias morborum & obſervationes vel plane non, vel non ſatis recte adplicent & referant. Ut ſanguinis tantummodo circulum attingam, quis divino plane illo invento ad pathologiam & therapiam ſcientifice tractandam ſatis recte uſus fuit? videas enim quotidie repeti falſas concluſiones ex diu repudiatis veterum principiis pullulantes, ſed ſanguinis circulo directe contrarias. Tertia ratio & potiſſima eſt, quod plures fictis principiis & hypotheſibus nimium in doctrinis ſuis inhæreant & à novis condendis, iiſque antiquitatis conſenſu ſubinde incruſtandis non deſiſtant. Pauci medicorum, ut in aliis etiam diſciplinis, ſuo ſenſu & judicio utuntur & uti ſciunt, ſed aliorum, quos fallere & falli non putant, potius dogmata ſervili animo ſequuntur & adorant, iiſque tanquam ad ſaxum adhærent, & quod maximum eſt, has opiniones ſuas obtorto quaſi collo ad morborum hiſtorias, plerumque non ſufficientes & recte inſtructas, detorquent. Atque hæc potiſſimum ſunt illa impedimenta, quæ progreſſum artis noſtræ huc uſque valde retardarunt.

CAPUT II.

De hypotheſium medicarum in arte noſtra damno.

§. I.

VEritatibus & certitudini in medicina nihil magis contrariatur, quam hypotheſium, opinionum & ſectarum copia.

Scholion.

Multum veritates & fictiones, quæ fœcundæ variarum opinionum & hypotheſium genitrices ſunt, inter ſe differunt. Nam veritas eſt una, ſimplex & ſuccincta atque intellectu facilis; opiniones vero ſunt variæ & multiplices, multumque diſſidentes & captu ſæpe difficiles, incertæ, dubiæ, quæ cum veritate, quæ una eſt, conſiſtere nequeunt. Deinde veritas eſt intellectus puri, ſinceri ſoboles: opiniones vero & hypotheſes ex imaginationis efficacia profluunt; tandem omnes veritates ſunt frugiferæ ad explicationem, demonſtrationem & inventionem aliarum rerum incognitarum utiliſſimæ, opiniones vero magis errorum & gravium diſſidiorum matres exiſtunt.

§. II.

Hypotheſes ſunt principia quædam ficta, quæ nonnullis phænomenis explicandis inſerviunt, minime vero cum omnibus quadrant atque conveniunt.

Scholion.

Si non ficta, ſed vera principia eſſent hypotheſes, omnibus quadrarent phænomenis explicandis & nulli errores vel perverſæ explicationes inde profluerent. Cæterum non in totum omnes damnamus hypotheſes, quia plerumque quaſdam veritates continent, utut non ſint univerſales.

§. III.

§. III.

Illa ars, quæ ſanitatem & longam vitam mortalibus promittit, dolores ac morbos propulſat & ob præſtantiſſimum uſum plane divina eſt, merito ab omnibus incertis opinionibus, fictionibus & hypotheſibus libera & immunis eſſe debet.

Scholion.

Pudet & piget dicere, ſed tamen veriſſimum eſt, infinitas fere eſſe inter medicos diſſenſiones, quæ non tantum in eorum ſcriptis, ſed maxime, ubi ad lectum ægrotantium concurrunt, animo advertuntur, cum rariſſime inter eos de morbi, quo quis laborat, genere, cauſis, multo minus de medendi methodo & remediis præſcribendis conveniat, ut potius ſubinde ſibi adverſentur. Quid frequentius evenit, quam quod unus alterum erroris & damni illati in curatione arguat atque criminetur, quæ omnia ex eo proveniunt, quod non illorum judicia & facta firmis nervis, demonſtrationibus & veritatibus nitantur, ſed ex variis ingenii commentis & luſibus errantis phantaſiæ proveniant. Neque enim facile diſcordiæ in diſciplinis, ubi veritates manifeſtæ ſunt & regnant, ut ſunt mathematicæ, reperiuntur, ſed in iis, ubi veritas nondum inventa & opinionum eſt multitudo atque varietas, apparent. Ea eſt natura veritatum, ut, quia ex intellectu puro profluunt, alterius etiam mentem convincant & quaſi ad adſenſum pertrahant; opiniones vero, quia potentiæ fictricis fœtus ſunt, in mente humana nonniſi dubia pariunt & relinquunt, atque ab iis, quibus major vis imaginativa, quam judicii eſt, facile arripiuntur & pro veriſſimis habentur. Variæ itaque hypotheſes in medicina non modo diſcordiam inter medicos, ſed maxime ægrotantibus perniciem adferunt, & artis noſtræ dignitati multum detrahunt, ita, ut etiam apud vulgus male audiat; quod ſuo tempore jam indicavit *Hippocrates*, dum Libro *de victu acutorum* §. 4. ait: *calumniam incurrit tota ars apud vulgus adeo magnam, ut neque omnino medicinam eſſe putent. Nam in acutis morbis in tantum inter ſe differunt artifices, ut quæ alter exhibet, optima eſſe putans, ea alter jam mala exiſtimet: & fere ob id artem vaticinationi ſimilem eſſe dixerint.* Igitur vehementer optandum & laborandum eſt, ut ſalutifera noſtra ars tandem à pernicioſis hypotheſibus purgetur, ita futurum ſperamus, ut graves illæ contradictiones, contentiones, odia, ſimultates, quæ inter medicos hodienum vigent, finem tandem habeant in maximum ægrotantium commodum atque ſalutem.

§. IV.

Hypotheſes medicorum optime in tria genera diſpeſci poſſe videntur, quorum primum ad eam cauſam ſive principium pertinet, quod omnes in univerſo corpore actiones efficiat, moderetur ac dirigat: alterum ad morborum cauſas ſpectat; tertium in differenti medendi morbis methodo & remediorum facultatibus poſitum eſt.

Scholion.

Ipſas hypotheſes medicorum non unius ejuſdemque eſſe notæ, ſed alias aliis eſſe præſtantiores, vel ex eo colligitur, quod medicorum opiniones ſæpius verſentur circa eas res, quæ plane nec ſenſu nec intellectu comprehendi poſſunt & quorum exiſtentia prorſus non concipi poteſt. Quædam vero opiniones utique & ſenſui & intellectui non adverſantur, ſed iis, quibus adhibentur, explicandis vel deducendis minus ſufficiunt.

§. V.

Pejoris notæ hypotheſes fovent illi, qui nonniſi mera nomina pro cauſis univerſalibus vitæ, ſanitatis, morborum, ſanationis & omnium, quæ fiunt in corpore, conſtituunt, eo quod nec ullum in theoria vel praxi habeant uſum.

Scholion.

Hiſce merito ſunt annumerandi veteres, quibus ſtructura corporis noſtri & ex ea provenientes motus penitus fuerunt incognita & quos porro corporum vires & poteſtates, ex mutua eorum reactione potiſſimum reſultantes, latuerunt: hinc neque vitæ, nec ſanitatis aut morborum cauſas veras intellexerunt, ſed pro hiſce ipſis mera nomina nihil ſignificantia in medio poſuerunt, cujus generis ſunt innatum calidum, humidum radicale, ſpiritus inſitus & influus, natura ſapiens, anima conſilii, rationis & intentionis particeps, principium agens, quod ſenſu & motu interiori gaudeat, neque ab aliis externis motum accipiat, principium omnia movens ac dirigens & ſapienter adminiſtrans, ſpiritus vitalis certis facultatibus inſtructus. Quorſum etiam ſpectant recentiorum nonnullorum commenta, uti *Helmontii* archæus, duumviratus & occultum vitæ regimen, anima ſenſitiva in ventriculi orificio ſiniſtro, flammula vitalis, phoſphorus cordis & cerebri: quæ perverſæ medicinæ principia ex male intellecta in phyſicis doctrina de corporum natura, proprietatibus & motu, cum illa pure paſſiva, omnis actionis & motionis expertia habeantur, profluxerunt. Deinde, motus, certa proportione, ordine, tempore ad certos etiam fines collineantes & contingentes in corpore humano, qui ſapientiſſimæ ſtructuræ & actioni ſolidorum in fluida, & fluidorum in ſolida in acceptis ferendi erant, interiori cuidam cum ratione agenti principio adſcribebant, cujus tamen exiſtentiam nec ullo ſolido, quod non infirmari poſſit, argumento adſtruere poſſunt. At vero nunquam, quod inſtar regulæ tenendum eſt, ad cauſas plane abſtruſæ cognitionis & non intelligibiles perveniendum eſt, ſi explicationes manifeſtæ per cauſas plane perſpicuas adfuerint. Quas quidem ſi non ſtatim ſenſu & ratione comprehendimus, præſtat ſaltem agnoſcere effectus & de cauſis, quæ nos latent, tacere, quam talia adducere, quæ nec concipi, nec explicari, nec applicari rebus medicis ullo modo poſſunt & omni uſu deſtituuntur.

§. VI.

Ad inanes quoque & valde noxias hypotheſes referenda eſt illa doctrina, qua omnium morborum cauſas vel ex quatuor humorum intemperie, ut *Galenus* & ejus aſſeclæ, Galenici, vel ex acido, viſcido & bile, ut *Sylvius*, vel ex acido & viſcido, ut *Bontekoë*, vel ex potentiis multiplicibus ſalinis, fermentis morbificis, ut plures ex recentioribus, deducere in ſyſtematibus ſuis allabo-rarunt.

Scholion.

Utut omnibus hiſce cauſis magna inſit potentia motus ſecundum naturam pervertendi; minus tamen ſufficiunt ad omnes cauſarum morbificarum claſſes conſtituendas. Veras enim & proximas, quæ morbos efficiunt, & quæ in motuum turbato ordine conſiſtunt, non attingunt, neque cur certis ætatibus proprii ſint morbi, aut quare vehementes animi turbationes aut venena in perfecte ſanis etiam corporibus graviſſimas afflictiones celerrime inferant, exhiſce explicari poteſt.

§. VII.

Neque eorum hypotheſes, qui omnes morbos ex ſalina, acri vel ſcorbutica humorum intemperie aut dyſcraſia deductos volunt, examen ſuſtinent.

Scholion.

Utique magna eſt ſalium, uti videmus in cauſticis, potentia in corporis noſtri ſolidas partes, eas lancinando, irritando, corrodendo: ſed tamen longe adhuc aliæ cauſæ ſunt, quæ morbos & diſpoſitionem ad eos inferunt. Ecquis enim eſt, qui apte ex iis morbos ex humorum & ſanguinis redundantia eorumque circa viſcera ſtagnatione provenientes explicare conabitur; multo

minus

minus hæreditariorum morborum & qui certis ætatibus proprii, quorum ingens eſt numerus & vehementia, origines & cauſæ exinde repeti poterunt: item, quare ii, qui intemperantiſſime vivunt, non ſtatim ægrotent.

§. VIII.

Neque ex ſola ſanguinis & humorum nimia redundantia eorumque excretionibus ſuppreſſis omnium affectuum cauſæ apte deduci poſſunt.

Scholion.

Eam abundantiam ſanguinis, quæ liberæ ejus circulationi obicem ponit, multarum earumque chronicarum maxime paſſionum primam ſubinde & præcipuam originem præbere, omni caret dubio. Teſtes ſunt ſolennes illæ menſium in fœminis & hæmorrhoidum in viris impeditæ, ſuppreſſæ vel repente cohibitæ excretiones. Sed tamen hoc principio univerſali poſito, quomodo vel unde eos, qui à ſanguinis defectu oriuntur, atque ea corpora, quæ à morbo acuto vel chronico jam convaluerunt vel nimias hæmorrhagias paſſa ſunt alioſque valde infirmos infeſtant, deducere velint morbos, ego quidem ſatis non perſpicio. Atque etiam morbos epidemice graſſantes, quorum ingens numerus eſt, & qui aëris vitio ejuſque ſubitæ mutationi ac tempeſtatum præternaturali conſtitutioni debentur, ex hac hypotheſi derivare longe erit difficillimum. Sunt etiam præter ſanguinis conſuetas excretiones ſuppreſſas aliæ, quæ per alvum, per inſenſibilem tranſpirationem, per expectorationem fiunt, ejuſdem indolis, ut graves ad morbos progignendos cauſas ſubminiſtrent. Plethora quidem & hujus effectus, ſtagnatio, œconomiæ corporis noſtri infenſiſſima primam ſubinde originem chronicis maxime morbis præbent atque ad hos avertendos plethoræ ſolutio mirum quantum valet; ſed tamen, quia ex plethora fiunt ſtagnationes, ſtaſes, infarctus, obſtructiones, indurationes, corruptiones atque exulcerationes viſcerum, unde cachexiæ, hydropis ſpecies, lentæque & hecticæ febres oriuntur, ubi hæc jam acciderunt, non amplius ad primam cauſam, ſed potius ad effectus, qui eam ſequuntur, in curando reſpiciendum erit.

§. IX.

Neque illa doctrina in univerſum valet & firma eſt, qua ſtatuitur vitam & conſervationem corporis noſtri corruptibilis à ſolis excretionibus recte peractis ducendam eſſe.

Scholion.

Sine excretionibus nec ſanitatem, nec vitam diu conſiſtere poſſe tam certum eſt, ut nihil indigeat probatione. Hæ tamen non omne punctum ad vitam & ſanitatem tuendam abſolvunt, niſi enim in eorum locum, quæ quotidie excernuntur, novi, iique idonei & benigni ſucci ex ingeſtis ſuccederent, actum certe mox etiam eſſet de noſtra vita & ſanitate. Quare medicus in ſanitatis negotio conſervando tum ad excretiones, tum ad ea, quæ ingeruntur, congrua vel incongrua, non modo reſpicere, ſed & morborum originem inde repetere debet.

§. X.

Minime quoque in eorum opiniones ſalva veritate deſcendere poſſumus, qui adſerunt, morborum cauſas materiales eſſe duntaxat occaſionales & naturam prudentem morbos in bonum finem, ut eas corpore ejiciat, inſtituere.

Scholion.

Ut ejuſmodi agens corporis noſtri medullis inhæreret, quod ex longinquo & morali quadam æſtimatione pernicioſas cauſas perviderent & ad eas ejiciendas variis motibus ſecretoriis, reſolutoriis, excretoriis ſe ſemper amaret optandum certe foret. Qua vero ratione cum tam ſapiente agente concilianda ſint ea phænomenta, quod videlicet ad leves cauſas v. g. flatuum in ventriculo vel inteſtino incarcerationem, vermes nervoſas partes lancinantes, nervi punctionem ab aculeo veſpæ vel inſtrumento acuto aut cuſpides arſenici ventriculi tunicis inhærentes vehementiſſimos motus, qui vitam quoque deſtruunt, excitet, ego quidem non video. Multo minus ad ſapientiam referendum eſſe puto, quod ad cauſas febrium corpore eliminandas tantas ſpaſticas ſtricturas in excretoriis & extremis partibus excitat, quibus ſanguinis motus non invertitur tantum, ſed verſus interiora vergit, quæ omnia remorantur expulſionem: præſertim cum longe commodior & tutior modus eſſet emunctoria reſerandi & cordis atque arteriarum motus ad propulſionem intendendi & excitandi. Neque ego video, cur tantum occaſionales morborum cauſas ſtatuere velimus, cum eæ ſatis potentes in ſe & ſua natura ſint ad motus, qui fiunt in machina noſtra, ordinatos turbandum, pervertendum, deſtruendum. Id quod in exceſſivo aëris calore, frigore, humiditate, alimentis valde potentibus, & omnis generis venenis ſatis cognitu planum atque perſpicuum fit. Quis iſtis rebus nocentem potentiam, quam nonniſi motu exerere poſſunt turbativo & deſtructorio, denegare auſit?

§. XI.

Ad hypotheſes quoque referendum eſſe puto, quod natura ſive anima rationis, conſilii, intentionis & ſcientiæ interioris particeps, medicinæ & omnium motuum, qui vitam tuentur, & morbos curant, principium conſtituatur.

Scholion.

Quemadmodum enim ſine anima intelligere non modo in macrocoſmo, ſed & in vegetabilibus & animantibus ordinatiſſimi ad certum finem directi fiunt motus, ita cur corpori noſtro perfectiſſime conſtructo hos motus, ex potentia materiæ minus paſſive ſed active fluentes, denegare velimus, nulla veriſimilis adeſt cauſa. Non ſolam eſſe machinam corpus noſtrum, ſed ei altioris indolis principium junctum eſſe, quod influxum & potentiam in certos partium motus exſerat, nec ullus negare poterit, qui conſiderat, ad ſolum arbitrium moveri artus, ad perverſas cogitationes & fluidorum & ſolidorum motum turbari, ſed inde tamen minime eliciendum erit, omnes motus, qui conſpiciuntur in corpore humano inde dependere, eo quod anima, licet vehementiſſime velit, nec motum cordis & arteriarum aut motum periſtalticum ductuum impedire vel intendere poſſit. Ecquis præterea non novit, & mentis ſapientiam ejusque inclinationes & mores à ſolidorum & fluidorum motu, quem miris modis res corporeæ immutant, multum dependere? Quare mentis commercium mutuum cum corpore omnino ſtatuendum eſt, quia hujus ratione habita pluribus difficultatibus enodandis & phænomenorum rationibus explicandis ſufficere poſſumus.

§. XII.

Tertium genus hypotheſium ad remediorum vires & curandi modum pertinet & inter has primum locum ea tenet communis fere opinio, qua medicina quædam univerſalis ſtatuitur.

Scholion.

Fuerunt complures & adhuc ſunt imprimis ex chymicorum choro, qui medicinam omnium morborum curationi accommodatam venditant, quam potiſſimum ex auro præparandam eſſe adfirmant, quod peculiariter principium corporis noſtri movens roboret atque confortet. Si effectus pollicitationibus reſponderet, etiam ſi rationes ſolidæ (quæ ignorari poſſent) non adferrentur, haud inutilis utique foret eorum labor. Quia vero illi deficiunt, iis, qui vires remediorum a viribus

viribus naturæ probe discernere callent, non immerito de ejusmodi medicina plane dubitandum est. Ego quidem semper hac in sententia fui, ejusmodi medicinas universales venditatas plane esse innocentes & validis ad agendum viribus carere atque hac ratione in quocunque morbo sine damno porrigi posse. Nuspiam enim memini tale remedium in universa rerum natura mihi occurrere, quod si potens sit in agendo, non etiam noceat, si perverse quis utatur. Deinde ut omnes rerum corporearum vires non sunt absolutæ, sed semper conditionales & relativæ: ita etiam de viribus remediorum statuendum esse existimo, quorum effectus tantummodo ad certos respectus se extendit, secundum quos variant etiam illorum vires, id est, nocere vel prodesse possunt. Præterea si quis consideret, motus, qui proxime morbos efficiunt, non unius ejusdemque esse generis; eosdemque in quibusdam valde auctos & intensos, in aliis nimis remissos & deficientes, in ceteris inæquales, inversos, ab externis partibus ad interiora vergentes deprehendi: non difficile erit judicare, ab uno remedio hos motus præternaturales, tam multis modis inversos, in ordinem restitui non posse. Illud vero maximum est, quod tantæ causarum, quæ motus inordinatos efficiunt, multitudini, quæ mox quantitate mox defectu aut differenti temperie vel summa activitate delinquunt, unum remedium sufficere neutiquam possit.

§. XIII.

Idem judicium esto de remediis in certis morbis specificis, quorum nomine plura habentur & venditantur.

Scholion.

Perversa admodum opinio est, dari medicamenta certis morbis sanandi specifice accommodata, quæ vel sola eos tollant, vel minimum cum fructu adplicari possint. Ita vulgus sentit, ita sibi plurimi medicorum persuadent; quare si semel vel iterum faustum à medicamento laudato in curatione morbi effectum observent, statim si similis morbus incidit, ad idem præscribendum parati sunt; sed sæpius oppido infelici successu. Ita cortex chinæ specificum antifebrile, mercuriale medicamentum adversus luem Gallicam, lac antiphthisicum atque antipodagricum, martialia, item acidulæ contra malum hypochondriacum, lumbrici terrestres antepilepticum, acmella & pareira brava antinephriticum, sanguis asininus antimaniacum habentur maximique æstimantur, quibus eximiam, quam ferre possunt, dictis in morbis non detrahimus, si recte quis iis utatur, laudem: sed id saltem urgemus, non indistincte, nullo habito individuorum vel causarum respectu, esse adhibenda talia, multo minus hæc sola dictis morbis curandis sufficere. Interea tamen nullus modus vel finis est conquirendi & aucupandi arcana & adversus morbos specifica, cum tamen nulla in rerum natura dentur vel existant, sed arcanum medicorum in scientia & prudentia quæri & inveniri debeat.

§. XIV.

Dari unam eandemque morbis ejusdem generis medendi methodum præconcepta quoque opinio est.

Scholion.

Illi medici, qui in curando morbo v. g. quartana, colica, mensium suppressione, epilepsia chronica, asthmate eadem methodo, qua antea feliciter usi fuerunt, incedere semper solent, mirum quantum falluntur; quandoquidem ejusdem morbi diversæ existunt causæ & subjectorum, quæ morbo adfliguntur, natura longe multumque differt. Quia vero is rectam medendi viam sequitur, qui inter causam morbi & remedium vires proportionem invenire, & quæ in vitio est, materiam corrigere & debito tempore excernere novit: palam est non eodem modo & ratione id præstari posse. Quare prudenter *Celsus Libr. III. Cap. II.* monet, non omnibus ægris eadem auxilia convenire, & *Sydenhamius in praxi sua* testatur, eandem methodum, qua quis olim feliciter in tollendis v. g. febribus epidemicis usus est, alio tempore nocere & ægrotantes è medio tollere. Quisque enim morbus & quodvis individuum peculiarem medendi & tractandi rationem desiderat; hinc morbi eorumque historiæ probe prius sunt indagandæ ac ponderandæ, ut ex omnium circumstantiarum ratione medicus solido judicio instructus methodum seu viam tractandi inveniat. Specialissima enim medendi methodus nonnisi in judicio medici versatur, & quo quis attentior & acutior in judicando est; eo melior medicus haberi debet.

§. XV.

Autocratia naturæ non nimis in medendo est extendenda.

Scholion.

Naturas morborum esse medicatrices, non modo ab *Hippocrate* sapienter dictum, sed & ab omnibus *Græcis* medicis semper repetitum est. Quid per naturam hic indigitaverint, non satis est perspicuum, utpote diversissima hujus nominis significatio in veterum monumentis reperitur. Id vero in facto verissimum est, quod multi ægrotantes à morbis maxime acutis convalescant sine accedente medici arte. Hæc consideratio quosdam induxit, ut principium corpori nostro inexistere putarent, quod sciat, quomodo, quo tempore & in quantum, per quas vias etiam agere, movere & morbi causam expellere debeat, quam viam & methodum sequi, imitari, & rectos conatus adjuvare debere medicum statuerunt. Utut vero negandum non sit, motus in corpore nostro, à quacunque etiam causa proveniant, sive materiali sive immateriali, sæpius proportionem, ordinem & tempus servare, si à causa morbifica excitati fuerunt, & eo etiam collineare, ut ipsam causam, à qua proficiscuntur, è corpore auferant: attamen non id semper contingit, sed multi morbi & motus morbosi, non certe salubres, sed plane pernicioſi dicendi sunt, quos, quam primum fieri potest, sedare debet medicus; quemadmodum id maxime conspicitur in illis motibus ac excretionibus, quæ à materia acri, caustica vel læsione nervosarum partium à vermibus, à calculo, à stagnatione sanguinis in cerebro, à virulento morborum miasmate, vel veneno adsumto excitantur. Deinceps in tollendis affectionibus chronicis, uti videmus in malo hypochondriaco, hysterico, omnes illi spastici motus inanes sunt, nec tollendæ causæ quicquam inserviunt, sed maximam potius perniciem adferunt. Sunt etiam plures ex chronicis, in quibus natura parum vel nihil per se juvat; sed arte adjuta id maxima ex parte præstat, ut videmus in morbo Gallico, in affectu scorbutico, cachectico. Succumbit quoque penitus natura adsumto veneno narcotico vel caustico, nisi remedia artis accedant: idem fit in cholerico affectu, inque passione iliaca ex hernia, colica sic dicta convulsiva atque epilepsia chronica. Est itaque autocratia naturæ recte prius explicanda, & postea ad negotium praxeos adplicanda.

§. XVI.

Ex falsis medicorum hypothesibus ac præconceptis opinionibus pathologicis plures iique pernicioſi admodum errores in praxin medicam redundant.

Scholion.

Possem id adsertum innumeris confirmare exemplis, si instituti ratio maxime exposceret; perpauca tamen attigisse

attigiſſe ſuffecerit. Plures adhuc ſunt medici, qui ſummum illud venæ ſectionis remedium in pleriſque morbis reformidant vel plane non admittere volunt, ex prava hypotheſi huc adducti, quia ſanguinem optimum eſſe vitæ theſaurum, nec abundantia eum peccare poſſe credunt. Quidam emeticorum uſum vel penitus è foro medico eliminare ſtudent, quia ſecundum eorum hypotheſin plurimi morbi, tam acuti, quam chronici, ex plethora vel ſanguinis excretionibus conſuetis ſuppreſſis oriuntur, cum ad hunc ſcopum nihil efficere queant vomitoria. Nonnulli in morbis chronicis, quos ab exſuperante acido & viſcido omnes deducere amant, nihil niſi talia remedia, quæ acidum abſorbent & contemperant, uti ſunt martialia, alcalina terrea, præſcribenda eſſe autumant. Cortex chinæ præſtantiſſimum & fere infallibile in intermittentibus antipyreticon creditur, non alia de cauſa, quam quia ſecundum eorum opinionem fermentum febrile prima in regione oberrans immutare & corrigere creditur. Opiata & omnia ſopientia, imo ipſa caſtorina & vaporoſa, nonnullis ob id exitioſa ſunt viſa, quia ad plethoræ ſolutionem & ſanguinis excretiones juvandas adeo nihil faciunt, ut potius eas impediant. Quidam ex recentioribus etiam venæ ſectionis uſum in febribus, tam acutis, quam intermittentibus, damnant, eo ducti hac hypotheſi, quod natura in febribus non excretioni, ſed conſumtioni abundantis ſanguinis intenta ſit. Quicunque vero acidum in morbis peccans rarius vel plane non admittunt, ii remedia alcalina, lixivioſa, ſalia volatilia rarius propinanda eſſe arbitrantur.

§. XVII.

Ex tot tamque vexatis & dubiis opinionibus atque hypotheſibus, quæ ſalutari noſtræ arti plus exitii, quam utilitatis adferunt, ut medicus emergat, omni modo annitatur.

Scholion.

Uti omnis ſectaria doctrina, utpote à veritatis ſimplicitate aliena, maxime vitanda eſt: ita multo magis id fieri debet in diſciplina medica, quia variæ opiniones, fœcundæ errorum genitrices, non, ut in aliis diſciplinis, tantummodo in mente ſubſiſtunt, ſed ad artem, quæ morbos ſanare & mortem propulſare debet, tranſeunt, ubi in magnam ſubinde cedunt perniciem.

§. XIIX.

Non propior aut certior ex tanta opinionum difficultate & multitudine, quæ premit artem noſtram, emergendi via invenitur, quam de omnibus prudenter dubitare, neque totum ſe illis mancipare, ſed omnia dogmata ad obſervationes practicas tanquam ad lydium lapidem examinare ac diſpicere, num uſum in iis reſolvendis & in praxi habeant. Deinde, cum medicina ſit ſumma philoſophia, medicus nihil in ejus doctrina, niſi quod clariſſime cognitum ac demonſtratum ſuit, admittere & ſingulares veritates in ordinem, rationem, connexionem contrahere & ex jam notis ignotas detegere debet.

Scholion.

Optandum vehementer foret, ut in academiis, ubi prima veritatum fundamenta poni debent, nonniſi optimis præceptis & pura, nulliſque opinionibus vel erroribus contaminata doctrina animi tironum imbuerentur, quia, teſte *Quintiliano*, ea, quæ rudibus annis didicimus, pertinaciſſime hærent, neque facile ex memoria excidunt: ſed hoc rarius evenire teſtatur experientia, quia plures ex iis, qui artem profitentur, ſibi dedecori ducunt, ab iis, quæ olim parum conſiderate foverunt, ſententiis recedere, eaſque vel emendare vel prorſus rejicere. Mihi ſemper hic mos fuit, quem perpetuo etiam aliis commendare ſoleo, in nullius verba magiſtri jurare, ſed de omnibus prudenter dubitare, aliorumque dogmata expendere, eaque ad obſervationes practicas tanquam ad cynoſuram, quem uſum habeant, examinare, meliora retinere eaque poſtea in certum nexum & ordinem redigere. In quo labore omnes eruditos, qui veritates utiliſſimas, quæ divini quid habent, amant, vitam ſuam tranſigere & conſeneſcere debere ego quidem exiſtimo. Denique omnibus, qui præcepta artis noſtræ aliis tradere volunt, hujus rei exercitationem commendare ſoleo. Certiſſimum enim eſt, eum qui ſola lectione aut auditu artem medendi comprehendit, non poſſe aliter eam tradere, quam aliena dicta aut ſcripta ſequendo aut illa referendo inſtar convallium echus, quæ alienas duntaxat voces aut ſonitus refert. Sapienter *Hippocrates Libr. de Præceptionibus num.* 10. inanem futuram ejus exſpectationem adſerit, qui in multifida dogmatum hujuſce diſciplinæ ſectione citra exercitationis conſtantiam veri rectique cognitionem habere ſperat.

CAPUT III.

De veritatibus pathologiæ fundamentalibus ex phyſiologia repetendis.

§. I.

Sicuti omnis ſcientia & demonſtratio veritates quaſdam jam notas & cognitas ceu principia, ex quibus aliæ incognitæ, convenienti ordine, ratione & nexu deteguntur, ſupponit, ita etiam in doctrina de morbis ſcientifice tractanda certæ & jam demonſtratæ veritates ceu principia & poſtulata ſupponenda ſunt.

Scholion.

Veritates, quæ demonſtrationibus in pathologia ſerviunt, maxima parte ex ſcientia corporis humani ſani ſive phyſiologia depromendæ ſunt. Sicut enim rectum eſt norma obliqui: ita ſtatus corporis vivi & ſani turbati & perverſi ſive morboſi index erit.

§. II.

Vera vitæ definitio, quod ea ſit ſanguinis & humorum in circulum abiens motus, à ſolidorum contractione & relaxatione proficiſcens, quo corpus à præſentanea corruptione vindicatur, eſt ex primis & præcipuis veritatibus, quæ pathologiæ ſolidæ ſtabiliendæ ſubſternenda eſt.

Scholion.

Uti in mathematicis & philoſophicis veræ rerum definitiones ſunt optima demonſtrandi principia: ita, quæ naturam, geneſin & ipſam formalem vitæ & efficientem cauſam complectitur, permultum nobis in demonſtrationibus pathologicis ſerviet; cum primum & præcipuum medici munus ſit, vitam tueri & triſtiſſimam mortem propulſare; quonam vero modo cum ratione id præſtare velit, ſi cauſæ, quæ vitam efficiunt, fuerint incognitæ, ego quidem non ſatis comprehendo.

§. III.

Genuina ſanitatis definitio, quod ſit integritas actionum, quæ ab æquabili & libera ſolidorum contractione & relaxatione ſanguiniſque circulari motu, quem juſto ordine ſecretiones & excretiones ſequuntur, provenit, in præcipuis pathologiæ fundamentis eſt.

Scholion.

Plena & exquiſita motuum naturæ, qui certo ordine & legibus conſtant & ſanitati patrocinantur, notitia

ad

ad motuum, qui morbos efficiunt, cognitionem ſcitu admodum eſt neceſſaria. Liber ſanguinis circulus is eſt, qui ſine ullo impedimento per tubulos apertos ab interioribus verſus exteriora fertur; æquabilis vero is dicitur, qui nec nimis celer aut tardus eſt, ſed qui juſtam in gradu, ſucceſſu, ordine & tempore ſervat proportionem. Hi motus ejuſmodi ſunt indolis, ut omnes functiones, vitales nempe, naturales & animales ſecundum naturæ leges & ordinem adminiſtrent.

§. IV.

Motus, qui in œconomia corporis noſtri celebrantur, duplicis ſunt generis: vel enim ad ſolidas, vel ad fluidas partes pertinent.

§. V.

Qui in ſolidis peraguntur, ſimpliciſſimæ ſunt indolis; nam tantum contractione & relaxatione reciproca, quas Græci ſyſtoles & diaſtoles nomine efferunt, continentur; qui duo motus omnem fluidorum impulſum, progreſſionem, circulum, ſecretiones & excretiones efficiunt.

§. VI.

Hæ duæ ſimplices motuum ſpecies mirabilium in corpore humano effectuum unicæ ſunt cauſæ: ratione partium vero quodammodo inter ſe differunt & propria etiam nomina obtinent. In corde & arteriis pulſum efficiunt, in ventriculo, inteſtinis & omnis generis ductibus excretoriis v. g. biliariis, urinoſis motum periſtalticum exhibent, in fibris motricibus tonum, robur, reſiſtentiam & potentiam elaſticam exerunt, in nervoſis undulatorium quendam motum producunt.

§. VII.

Fluidorum motus identidem duplicis ſunt generis: vel enim ſunt progreſſivi, dum è loco in locum feruntur, vel inteſtini, ubi partes fluidorum continuo ſitum ſuum mutant & motu vorticoſo agitantur; & hi ſunt illi, qui calorem & fluiditatem efficiunt.

§. VIII.

Ex progreſſivis primus & princeps, à quo reliqui & inteſtini dependent, eſt ſanguinis circulus.

Scholion.

Motus ſecretorii, quibus utiles ſucci à ſanguinis maſſa in uſum ſecernuntur, & excretorii, quorum ope ſuperflui & pernitioſi foras ejiciuntur, maxime ſanguinis ſequuntur circularem motum, adeo, ut quo citatior & liberior ſanguinis ad organa ſecretoria & excretoria ſit adpulſus, hoc copioſiores & celeriores ſecretiones & excretiones fiant; contrarium accidit, ſi contrario modo res ſeſe habeat. Duæ quoque ſunt motuum inteſtinorum ſpecies, quæ à ſanguinis progreſſivo motu reguntur. Primus eſt, qui calorem efficit, alter qui fluiditatem humoribus conciliat, & intime ſolidas partes cum liquidis miſcet; nam à fortiori & continua cordis & arteriarum contractione ſanguis premitur ad latera arteriarum, ejuſque partes ſulphureæ, inteſtina & attritiva agitatione incaleſcentes univerſo corpori calorem fœnerant. Ab eadem ſolidorum contractione & interiori partium agitatione fit, ut ſolidæ ſanguinis partes cum fluidis intime miſceantur, quo eo melius minutiſſimas vaſorum anguſtias pertranſire poſſint. Sunt præterea duo inteſtini humorum motus, qui vero à ſanguinis motu progreſſivo non pendent, ſed potius quadam quiete ſive lentiori ſanguinis curſu producuntur. Atque hi ſunt motus fermentationis & tranſmutationis: ille maxime in primis viis conſpicitur & alimentorum texturam reſolvendo ſpirituaſcentiam vel etiam aceſcentiam relinquit; hic vero, cujus beneficio unus humor alterius figuram, diſpoſitionem pororum & partium facile induit, tranſmutatorius nobis vocatur, qui chyli tranſmutationem in ſanguinem, ſeri ſulphurei in bilem, chyli in lac adjuvat, inque ſtatu morboſo, dum bonus humor in naturam pernitioſi ſtagnantis tranſit, ſæpius occurrit. Nam uti in panificiis parum fermenti ingentem farinæ maſſam in ſui ſimilem naturam convertit, & parum aceti, vino adfuſum, id acidum reddit: ita etiam humores corporis noſtri, præſertim cum moram quandam trahunt, vi quadam tranſmutatoria præditi ſunt.

§. IX.

Cor & arteriæ omniſque generis ſolida movent & actuant fluida eorumque curſum gubernant; cum autem motum ſuum non à ſe ſuaque natura habeant, neceſſe eſt, ut motuum, qui in illis vigent, cauſæ quædam exiſtant.

Scholion.

Veteres omnium, qui in animantibus conſpiciuntur, motuum cauſam ab anima, quæ interiori motu gaudeat & primum movens ſit, deducebant, ſed quia ſub hoc nomine nulla res concipi, neque cujus naturæ ſit, intelligi poteſt, utique cauſa hæc allegata principii, ut Logici loquuntur, petitionem involvit. Etenim ex eo, quod ad certas cogitationes, impreſſiones vel noſtrum arbitrium motus quidam in partibus ſolidis fiant, minime ſequitur, ut omnes motus, qui vitam maxime & ſanitatem ſuſtinent, inde derivari debeant. Solidioris enim phyſicæ & medicæ doctrinæ peritis Viris non amplius ignotum eſt vel eſſe debet, omnia corpora vim activam motricem ſibi inſitam habere eorumque unum in alterum agere & diverſos effectus producere: adeoque ineptiſſimam illam veterum eſſe ſententiam, qui ſtatuerunt, corpora omnia eſſe paſſivæ indolis, quæ ab alio agente ſive anima eſſent actuanda, à corporis natura diſtinctiſſima.

§. X.

Cor & omnes partes motrices ſolidæ motum, robur, tonum & vim contractilem ac elaſticam à fluidis tenuiſſimis, quæ in cerebro, nervis atque ipſo in ſanguine ſunt, mutuantur.

Scholion.

Hoc theorema, quia in rationali ſtatus morboſi explicatione magni uſus eſt, firmis quibusdam argumentis ſtabiliendum eſt. Primo nempe indubia conſtat obſervatione, nullum organum, utut ratione texturæ ſalvum, integrum atque illæſum ſit, ad motum, quicunque etiam fuerit, edendum eſſe idoneum, ſi nervi ad illud tendentes vel etiam arterioſa vaſa ligentur aut præſcindantur, luculento teſtimonio, cauſam motus ab hiſce fluidis dependere. Deinde perquam notatu dignum eſt illud experimentum, ſæpius à nobis obſervatum, quod cor ex piſce recenter exemtum & longo adhuc tempore pulſans aquæ calidæ immiſſum, omni motu privetur, qui eodem corde in aquam frigidam injecto mox reviviſcit. Quo ipſo planiſſime patet, materialem eſſe quandam cauſam motus in corde exiſtentem, quia calidum & frigidum ingentem ei inducit mutationem. Neque minus illud memorabile eſt, expreſſo ex vaſis coronariis inciſis ſanguine ſtatim ceſſare pulſationes. Veri itaque ſimillimum eſt, non modo fluidum per nervos, ſed & ſanguinem per minima arteriolarum ad organa motuum & fibras motrices atque membranas muſculoſas adductum eas non tam nutrire, quam ſyſtalticum motum & vim contractivam illis conciliare. Atque hinc eſt, quod nimia ſanguinis amiſſio ſolidorum robur, tonum ac vim motricem infringat, corporis autem vires valde attritæ à boni & largioris ſanguinis proventu augmentum capiant.

§. XI.

Sanguinis temperati defecatiſſima & ſubtiliſſima ætherea atque elaſtica portio eſt illud principium corporis noſtri agens & movens, cujus origo & generatio ab aëris & alimentorum puriori & ſubtiliori parte potiſſimum arceſſenda eſt.

Scholion.

Sicuti enim ſtupendi in rerum natura à fluidis mobiliſſimæ indolis v. g. æthere, aëre effectus proveniunt: ita nihil dubii eſt, quin tenuiores aëreo - æthereæ & ſulphureæ ſanguinis & lymphæ partes maximam motus excitandi in animantium corporibus habeant potentiam; præſertim cum continuo animadvertamus ab alimentis & medicamentis ſubtilioris indolis, neque minus ab aëre puriori robur & vires corporis manifeſto augeri; ab alimentis vero incongruis & aëre impuriori eas decreſcere. Rectiſſime itaque in ſanguine theſaurus vitæ & virium quærendus eſt, in quo vitalem veteres ſpiritum collocarunt. *Hippocrates L. de Corde §.* 8. pura & illuſtri ſubſtantia ex ſanguinis diſcretione nata mentem hominis nutriri aſſeverabat: fortaſſe ob hanc rationem, quia animadvertebat, ſapientiam hominis à bono & temperato ſanguine plurimum foveri.

§. XII.

Aëris ad ſuſtentandam animantium vitam inevitabilis eſt neceſſitas, tum propter ejus vim elaſticam & gravitatem, qua pollet, tum etiam propter ſimpliciſſimum & agiliſſimum ætheris elementum, quod pro anima & ſpiritu quidam habent, cujus vehiculum aër eſt.

Scholion.

Quare non temere prodidit *Hippocrates Libr. de flatibus §.* 4. *aërem in omnibus, quæ corpori accidunt, maximum eſſe & auctorem & dominum, cujus potentiam diligenter perſpicere oportet.* Item §. 6. *mortalibus vitæ & morborum ægrotis aërem eſſe auctorem* & ob eum inquinamentis plenum, quibus humana natura offenditur, homines ægrotare, non minus vere, quam ſapienter, idem graviſſimus auctor innuit. Cui enim ignotum eſt, aëris mutationes parere morbos epidemios ſimplices & peſtilentes & qui in certa anni tempora incidunt. Ex quo recte colligitur majorem in aëre eſſe vim ad immutandum corporis habitum, quam in diæta, ſiquidem aër reſpiratione non modo intra pulmones recipitur, atque exterius corpus noſtrum ambit, ſed & alimentis intermixtus ad ipſum ſanguinem tranſit. In pulmonibus elaſtica vi magis aucta & etiam gravitate ſua circulantem per eos ſanguinem urget, propellit, promovet & torpidum jam ac motui ineptum ad cordis fontem vivida circumpulſione perducit. Externe vero gravitate ſua elaſticam ejus & expanſivam vim in ſanguine in æquilibrio quaſi ſervat, intra humores vero contentus ejus elater virtute ſua expanſiva ſolidorum motus excitat, adeo ut mirandum non ſit, pro diverſo aëris ſtatu & animi & corporis robur vel augeri vel imminui. Sique veterum inprimiſque *Hippocratis* monumenta conſulamus, clare patet, aërem ſive potius ætherem pro anima illos habuiſſe: quorſum ſpectant loca *L. I. de diæt. §.* 8. *animam hominis augeri, ſapientiſſimam eſſe, quæ ignis & aquæ habeat temperamentum, & libr. de ſanitate tuenda. Calore continetur anima, qua vivimus.* it. *Sanguis animam vitiat* & *L. VI. Epidem. hominis anima ſemper producitur, id eſt, vegetatur uſque ad mortem.*

§. XIII.

Ad impulſum ſanguinis ejusque motum in convenienti æquabilitate conſervandum ſolidarum partium, quæ motus inſtrumenta ſunt, ſtructura non parum contribuit.

Scholion.

Partes corporis noſtri ſolidas ex meris fibris & filamentis contextas eſſe, non ignotum eſt. Multum itaque refert ſcire, quænam ſit harum fibrarum in conſtituendis ſolidis ſtructura, an ex fibris tenſioribus, tenerioribus, ſolidioribus & compactioribus, aut flaccidis, rudioribus quoque & denſioribus contextæ ſint, ſiquidem illis major vis reſiſtendi & premendi, his vero minor & debilior ineſt. Neque ignorare oportet, an corpus capacioribus & paucioribus: vel copioſioribus & anguſtioribus vaſis donatum ſit. Nam ex ſolidorum varia textura & ſtructura illam temperamentorum & & motus ſanguinis diverſam rationem maxima parte petendam eſſe, ego quidem arbitror. Et quia varia fibrarum ratione ætatis, ſexus & nativitatis eſt diſpoſitio, mirandum non eſt, certas ætates & ſexum quoque ſuos peculiares ferre morbos & nonnullos eſſe hæreditarios.

§. XIV.

Perpetuis naturæ microcoſmicæ legibus ſancitum eſt, ut ad motuum vitalium juſtam adminiſtrationem moderata & proportionem ſervans ſanguinis & humorum quantitas & temperies requirantur.

Scholion.

Ut tunicæ vaſorum, in quibus fluida circumvehuntur, libere & convenienter tum contrahantur, tum expandantur, humores nec in exceſſu, nec in defectu peccare debent. Copioſior enim eorum moles ac reniſus vaſorum elaterem & potentiam ſyſtalticam non mediocriter deprimit, unde tardior enaſcitur progreſſus, qui deinceps ad ſtagnationes & corruptiones plurimum confert. Quod ſi vero deficiunt humores, expanſio vaſorum fit inſufficiens, neque etiam ad minima & capillaria vaſa tunicarum, quibus ea inveſtiuntur, quæque eorum ſyſtalticum motum adjuvant, pertingere ac continuari poteſt; quare non mirum videri debet, ſi pulſus cordis & arteriarum fiat debilior atque robur univerſo corpori decedat.

§. XV.

Legibus naturæ & hoc continetur, ut ſanguis vitalibus motibus rite proſequendis aptus ex partibus, quæ ejus eſſentiam conſtituunt, probe ſit mixtus.

Scholion.

Elementa, ex quibus vitalis ille purpurei coloris ſuccus conflatur, debentur partim principio oleoſo-ſulphureo, partim terreo & aqueo. Horum vero perfecta mixtio ac unio in eo conſiſtit, ut tres fere partes liquidi aquei ad unam ſolidi neceſſario requirantur, quemadmodum id apparet in ſanguine hominis ſani, ſi lento calore ejuſdem evaporatio inſtituatur. Proportio vero principii terrei & ſulphurei exacte determinari nequit, eo quod pro diverſitate alimentorum & motus progreſſivi ac inteſtini ſanguinis illa ipſa admodum variet. Fluidum autem ſolido hanc ob rationem prævalere debet, quo tenuiſſimos mæandros atque canales, ex quibus machina noſtra, quæ tota hydraulica eſt, conſtat, libere permeare poſſit.

§. XVI.

Eadem lex naturæ præcipit, ut partes ſolidæ ſulphureæ, terreæ & mucidæ aqueis fluidis intime ſint intermixtæ.

Scholion.

Niſi enim ſolida cum fluidis intimam inirent ſocietatem, facile fluida à ſolidis ſecederent & minimi partium tubuli neceſſario obſtruerentur. Quo minus itaque hæc contingerent, provido naturæ conſilio multorum viſcerum, maxime pulmonum & lienis fabrica ferme tota ex canaliculis minimis eſt conſtructa, hunc præ-

præcipue in finem, ut preſſione ac impulſu per vaſculorum myriades tranſeuntis ſanguinis partes ſolidæ in minimos globulos diſcerptæ eo melius cum interlabentibus fluidis per vaſa circumferrentur: unde patet quoque ratio, quare textura ſanguinis ex horum viſcerum obſtructione vitiata plurimorum morborum generationi velificetur.

§. XVII.

Ordo & lex naturæ noſtræ microcoſmicæ poſtulat, ut temperatus, id eſt, ab omnibus ſalino-ſulphureis mucidis excrementitiis partibus liber & depuratus ſanguis ad actiones quæ in corpore humano fiunt decenter præſtandas eſſe debeat.

Scholion.

Qua de cauſa tam copioſa excretoria organa & emunctoria, quæ varii generis inutiles & effœtas ſordes continuo educunt, in animantium corporibus à provida natura conſtituta reperies. Quo plus enim excrementitiis ſordibus inquinatus eſt ſanguis, eo ſanitati minus patrocinatur, quin etiam morborum & mortis cauſa fit, unde excretiones ad vitam & ſanitatem tuendam valde ſunt neceſſariæ.

§. XVIII.

Vitales illi progreſſivi & inteſtini ſanguinis motus ejus ſunt naturæ, ut optimi ſanguinis & temperati craſin tandem reſolvant, eumque intemperatum & vitæ continuandæ inutilem reddant; opus hinc eſt, ut continuo inutiles & excrementitiæ partes ſecretæ foras protrudantur, novæ vero & temperatæ in earum vicem ſurrogentur.

Scholion.

Quibus cognitis jam clariſſime intelligitur, cur homo ſine alimentis & ſine excretionibus non diu vivere & robuſtus ac validus permanere poſſit: calor enim, qui nonniſi inteſtinus partium ſanguinis motus à progreſſivo oriundus eſt, continuo in temperatam humorum craſin agit, quam in excrementa ſalino-ſulphurea, mucida, corruptibilia diſſolvit, ut perpetuo novorum & benignorum ſuccorum acceſſu opus ſit. Continuis itaque ingeſtionibus atque egeſtionibus corpus noſtrum corruptibile conſervatur, adeo ut perpetui humores in illud influant & rurſus ex eo effluant. Quare ſapienter more ſuo *Hippocrates* ad ſanitatem hominis & ut corpus recte ſeſe habeat *Lib. de inſomniis* §. 12. requirit, ut omnes circuitus & exhibitiones ciborum ac ſecretiones integræ ſint. Preſſius autem & ſpecialius idem graviſſimus auctor ſanitatis naturam per convenientes ingeſtiones & egeſtiones *Lib. IV.* §. 16. deſcribit & ſenſus hic eſt: *per ingeſta humor ad corpus venit & in eo manet, ſi poſtridie vero alius ad ipſum accedit, tum prior caliditate diffuſus & tenuis factus à recenti expellitur & tempore graveolens factus una cum ſtercore & urina exit copia ipſe ſibi inæqualis & conſimilis & æquilibris, etiamſi pars quædam ſit, quæ maneat in corpore, tamen tertia die, ſi novus influit humor, rurſus ſecedere debet atque hoc modo, ſcribit, ſanitas contingere ſolet*; Et in eodem §. addit: *humor in corpore manens robur exhibet*; & porro addit: *ſi humor pluribus, quam tribus diebus in corpore permaneat aut alius multus implens accedat venis caleſcentibus ac ſtantibus majus aut minus malum facit.*

§. XIX.

Denique etiam à natura conſtitutum eſt, ut, ſi ſanitas conſtare debeat, excretiones in homine qui non amplius creſcit, pondere ſint æquales ingeſtionibus.

Scholion.

Quæ veritas ampliſſimi in pathologicis uſus experimento ſtatico commode confirmatur. Nam ſi corpus exacta lance quoad ejus pondus, & ſimul etiam ea, quæ trium dierum ſpatio ex liquidis & ſolidis ingerit, examinantur, tunc in ſano & laboribus dedito quinquaginta facile libras æquabunt; ſi poſtea rurſus pondus corporis indagetur, ejus vel minimum acceſſiſſe haud deprehendemus; ſi aliud evenit, plura incommoda ſequentur. Ex quo clare intelligitur tantum in ſano ſtatu decedere, quantum acceſſit. Multum itaque refert ad morbos præcavendos & ſanitatem hominis indagandam, diligentius ingeſta & excreta ſpectare, num proportionem inter ſe habuerint: nam ſi eam non ſervant, certe morborum primordia non procul erunt. Atque revera totius diætetices cardo in eo vertitur, ut excretiones ingeſtis bene reſpondeant.

§. XX.

Per inſenſibilem tranſpirationem quæ fit excretio, ſecundum *Sanctorii* calculum aliis, quæ excernuntur, multum prævalet, unde ex hac ſuppreſſa vel cohibita ſanitas multum patitur detrimenti.

Scholion.

Quare non minus vere quam perite *Lib. I. de diæta* §. 3. *Hippocrates: ſi inventa fuerit ciborum menſura & laborum ad unamquamque naturam numerus, ita ut exceſſus neque ſupra neque infra modum fiat, inventa ſane exacte fuerit hominibus ſanitas.* Ratio quoque in promtu eſt; namque labor & exercitatio corporis egregie ſanguinis circulum, adeoque excretionem per tranſpirationem auget & promovet.

§. XXI.

Quoniam alimentorum feculentiæ à ſolutione atque extractione reſiduæ una cum ſucco ſuperfluo bilioſo & copioſo muco per alvinas vias, vigore motus periſtaltici, continuo ejici debent, patet hinc luculentiſſime, nihil ad ſanitatis tutelam æque neceſſarium eſſe ac illum motum in ſua proportione & æquabilitate conſervare. Ab hoc enim læſo gravia mala in corpus humanum redundant.

Scholion.

Dici vix poteſt, quantum commodi juſta alvi ſucceſſio, quæ à debita conſtrictione & expanſione motus periſtaltici, quem etiam vermicularem adpellitant, unice proficiſcitur, ad valetudinem tuendam & morbos à corpore propulſandos adferat. Accedit, quod hujus motus integritas ad alimentorum ſolutionem, pleniorem extractionem & ad ſucci chyloſi ingreſſum ac motum per venas lacteas multum contribuat. Qua de cauſa optimam ſalutis ſuæ curam gerunt ii, qui in earum rerum, quæ ullo modo hunc ipſum motum conſervandi vel labefactandi aut penitus deſtruendi facultate pollent, exactam notitiam pervenire allaborant.

§. XXII.

Cum homo fere ordinario plus ingerat, quam excernat, deinceps quoque ſtructura unius corporis præ altera ad generandam ſuccorum abundantiam pronior & accommodatior ſit, ac demum parum nonnulli corpus ſuum laboribus vel alia motionis ſpecie exerceant, hinc plerumque plus ſanguinis progignitur, quam ad corpus nutriendum vel motus vitales æquabiles conſervandos eſt neceſſarium; uti & contingere videmus potiſſimum in feminis & in viris ſanguinei temperamenti & ſpongioſi corporis habitus. Quare ſummo cum fructu motu quodam naturali ſpaſmodico ſuperflui humores cum ſanguine etiam optimæ notæ certis temporum periodis in fœminis per menſes, & in quibuſdam viris per hæmorrhoides evacuantur.

§. XXIII.

Verbis vix poteſt efferri, quam ſalubres ſint ejuſmodi excretiones ſanguineæ, unde etiam petenda eſt ratio, quare ab iis turbatis vel ex vehementi quadam cauſa cohibitis tanta morborum in corpore ſeges proveniat, qua de re infra fuſius agendum erit.

§. XXIV.

Cum vitæ & ſanitatis ratio maxime in eo verſetur, ut in machinam noſtri corporis mere hydraulicam & vaſculoſam humores continuo adfluere inque orbem & circulum ferri & effluere quoque debeant: ſequitur omnino,

nino, ut ii non modo fluxiles, ſed & viæ atque tenuiſſimi meatus, ex quibus maxime ſecretionibus & excretionibus dicata colatoria conſtant, patentes atque aperti eſſe debeant.

Scholion.

Ex quo clariſſime intelligitur, quam noxia & ſanitati adverſa ſit ſanguinis & humorum craſſities atque tenacitas, qua minima vaſa, ex quibus pleraque viſcera conſtant, facile obſtruuntur. Plurimarum autem chronicarum paſſionum fundamentum in viſcerum obſtructione, quæ promte in ſcirrheſcentiam vel etiam corruptionem abire ſolet, poſitum eſſe, nemo medicorum facile in dubium vocabit.

§. XXV.

Fundamentum itaque conſervationis corporis noſtri corruptibiliſſimi in perpetuo affluxu ſuccorum benigna temperie gaudentium & effluxu ſive excretione intemperatorum atque inutilium ſitum cum ſit, iis utique utendum eſt, quæ ad convenientes ingeſtiones & excretiones faciunt.

Scholion.

Præſtat id maxime conveniens & moderatus ſex rerum à Galeno dictarum non naturalium uſus, quarum uſui recto & perverſo tum ſanitatem & conſervationem vitæ, tum morbos & mortem debemus; quarum nonnullæ, ut alimenta, quies animi & corporis, itemque ſomnus ad generationem & recentiorum ſuccorum corpori noſtro utilium conferunt, quædam vero, ut corporis exercitatio ac motus, item vigilia ad inutilium excretionem faciunt. Aer vero & animi affectiones ejus ſunt indolis, ut pro differenti ſtatu ſolidas maxime partes afficiant, quibus varios motus imprimunt.

§. XXVI.

Cum rerum non naturalium ad vitam & ſanitatem tuendam tam inevitabilis ſit neceſſitas & mors quoque ac morbi inde ſuam ducant originem, plurimum utique refert, ut quæ ex iis, noxia ſint & morbis progignendis idonea, probe intelligat medicus eaque à ſalutaribus diſcernat.

Scholion.

Quo magis patet, quam utile medico ſit aëris, aquarum, alimentorum, locorum & vivendi generis naturam, vires & proprietates exquiſite noſſe & quomodo ad ſanitatem vel etiam generationem morborum contribuant, qua in re illuſtri exemplo nobis præivit Hippocrates, qui non ſine cura & ſolertia libros mere phyſicos de diæta, de aëre, aquis & locis, de alimento, humidorum uſu, de flatibus conſcriptos poſteritati reliquit; ſed hæc omnia & ſingula, quod ad morborum generationem & quomodo concurrant, fuſiori infra doctrina ſub divino favore proſequemur.

§. XXVII.

Præcipuum quoque ex fundamentis pathologicis illud eſt, quod corpus noſtrum ſit artificioſiſſime conſtructa machina, cujus omnes partes tam ſolidæ, quam fluidæ, uti in machinis fieri ſolet, arctiſſime inter ſe connexæ ſint & cohæreant, ut ſolidæ in fluidas & fluidæ in ſolidas agant, & omnes læſiones ac vitia, ſive in ſolidis ſive in fluidis hæreant, invicem conſpirent & omnes motus mox in conſenſum rapiant.

Scholion.

Quomodo fluidorum ratione temperiei & motus læſiones in ſolidas muſculoſas & nervoſas partes mox tranſeant & harum motus vitioſi fluidas in temperie, mixtione & craſi ſua turbent: qua ratione porro gravior quædam partis nervoſæ læſio univerſum nervorum & membranarum genus in conſenſum rapiat & inde etiam rurſus fluida alterentur, hæc probe cognoſcere debet is, qui in pathologicis variorum & ſæpe inſolitorum ſymptomatum rationes & cauſas explicare conatur. Legi hanc in rem meretur noſtra *Diſſert. de conſenſu partium præcipuo pathologiæ & praxeos medicæ fundamento.*

§. XXVIII.

Mira eſt conſenſio & communicatio partium nervoſarum cum univerſo fere corpore.

Scholion.

Hujus aſſerti veritas facile patet, ſi quis conſideret, à læſione nervi vel tendinis, v. g. ſub infelici venæ ſectione, vel à veſpæ aculeo, aut a violenta preſſione & vellicatione nervoſarum tunicarum à vermibus, à flatibus, febres, deliria, lipothymias, epilepſiam, convulſiones provenire.

§. XXIX.

Longe vero maxima eſt conſenſio ventriculi & inteſtinorum cum aliis partibus nervoſis & univerſo fere corpore.

Scholion.

Hanc conſenſionem inter alia clariſſime demonſtrat congeries graviſſimorum ſymptomatum, quæ venenum, quod ventriculi tunicas arrodit, ſubſequitur, quæ ſunt partium extremarum frigus cum ſudore algido, urinæ difficultas, ſyncope, convulſiones, tormina atrocia, præcordiorum ſummæ anxietates, ſpirandi anguſtia, epilepſia; paralyſes, inflammatio faucium & deglutiendi difficultas, inquietudo, & id genus plura. Atque etiam mirifico illo ventriculi cum corpore conſenſu adductus eſt *Helmontius*, ut ſedem animæ ſenſitivæ in ventriculo collocaverit.

§. XXX.

Maxima operationum animalium fluidique cerebri & nervorum cum actionibus vitalibus viget conſenſio ac mutua communicatio.

Scholion.

Ita in vulneribus capitis à duræ matris punctura vel irritatione vomitus aut motus convulſivi, item febres oriuntur: ſanguinis in baſi cerebri extravaſatio tandem motum cordis & arteriarum tollit. In membris, qui paralyſi tacta ſunt, robur, tonus, ſenſatio & nutritio minuitur, ſanguiniſque circulus cum pulſu lentior ac debilior evadit. Ad vehementes animi perturbationes v. g. iram, cor validiſſime palpitat & contrahitur, ut ſanguis, perinde ac in febre, per vaſa cum impetu feratur. Terror externas partes conſtringit, ſanguinem circa præcordia ſiſtit, pulſu parvo, debili & inæquali reddito. Anxiæ diuturnæque curæ & meditationes profundiores, tonum & motum periſtalticum ventriculi & inteſtinorum invertendo, digeſtionem & egeſtionem alvinam valde turbant. Perverſa quoque phantaſiæ actio alienum viſceribus imprimit motum. Ita ad aſpectum rei ingratæ nauſea oritur vel vomitio concitatur: ad conſpectum pulchræ puellæ copioſe ſanguis & fluidum nerveum ad genitalia influit: à variis impreſſionibus fœtus in utero conformationem vitiari, inter omnes conſtat. Quod naribus ſuſceptus ſuaveolens vapor in vehementes convulſiones abdominis viſcera adigat, easque graveolens rurſus ſupprimat, notiſſimum eſt. Ex quibus ſatis elucet, quanta ſit conſenſio cerebri & nervorum cum ſolidis & fluidis corporis noſtri partibus.

PHILOSOPHIÆ CORPORIS HUMANI MORBOSI, *SIVE* PATHOLOGIÆ GENERALIS,

PARS PRIMA.

De Mortis, morborum & motuum morboſorum natura, Legibus in producendis morbis ac ſymptomatibus & cauſis morborum.

CAPUT PRIMUM.

De mortis natura & cauſis.

§. I.

QUemadmodum vita conſervationem corporis animati inque corruptionem proni denotat, à motu interno ſolidorum & fluidorum, præſertim circuli ſanguinis beneficio pendentem: ita mors eſt plenaria deſtructio circuli ſanguinis & motuum in ſolidis & fluidis peragendorum ceſſatio, corporis corruptionem putredinoſam poſt ſe trahens.

Scholion.

Egregie & mechanice *Hippocrates L. IV. de morbis* §. *XI.* vitæ & mortis cauſas explicat his verbis: *Donec vivit homo, venæ apertæ ſunt & ſuſcipiunt & dimittunt humorem. Ubi vero mortuus fuerit, clauduntur & extenuantur.* Quas veteres nobis reliquerunt definitiones mortis, quod ſit diſceſſio animæ à corpore, vel ceſſans animæ in corpus operatio aut deſtructio vinculi, quod calido innato cum humido radicali intercedit, aut ſecundum *Galenum* virium corporis noſtri plenarius lapſus aut deſtructio facultatum ob deficientem à corde innati caloris influxum: eas non ſatis perfectas & adæquatas eſſe, perſpicacior quiſque facili intelligit negotio. Illa enim ignorantiæ vocabula, ut anima, calidum innatum & humidum radicale, quæ pro cauſis allegare veteribus placuit, realem & ſufficientem mortis conceptum, ex quo aliquid demonſtrari poſſit, intellectui haud ſane offerunt, quod realis definitionis proprium eſſe debet. Attamen illæ veterum aberrationes jure meritoque excuſandæ ſunt, quia pulcherrimum illud circuli ſanguinis inventum eos prorſus latuit, quo cognito ſcimus nos utique, quod ſublato ſanguinis ad partem vel univerſum corpus influxu liberoque refluxu prorſus intercluſo, non modo ejus functiones penitus ceſſent, ſed & in præſentaneam corruptionem atque putredinem prolabatur.

§. II.

Plenaria ſyſtoles & diaſtoles, quæ in corde & arteriis viget, exſtinctione, & toni ac roboris fibrarum omnimoda remiſſione, ſanguinis motum & progreſſum non modo deficere, ſed & in momento cogitationes, ſenſum, calorem, vires & robur, item reſpirationem artuumque motus perire, certæ indubiæque experientiæ teſtimoniis quotidianis edocemur.

Scholion.

Neque vero ſyncope, quæ duntaxat ceſſatio motus cordis & ſanguinis temporaria eſt, in qua etiam cogitationes, ſenſationes, vires & motiones ad tempus pereunt, cum morte, quæ eſt deſtructio motuum omnimoda, ut non revocari amplius queant, confundenda eſt. Quare ſibi maxime caveant medici, ne fortiori ſyncope correptos pro mortuis habeant, cujus rei infelix olim exemplum, ut fertur, edidit inſtaurator ille anatomicæ diſciplinæ, *Veſalius*, qui ad mulierem hyſtericam, quæ mortua credebatur, diſſecandam accerſitus, adeo ſe negligenter geſſit, ut novaculam in corpus adigeret; verum illa motu & clamore ſe vivam mox oſtendebat; quæ res optimum virum inviſum ac deteſtabilem reddidit, & in calamitates acerbas conjecit.

§. III.

Non deſunt indicia, quibus vera mors ab ejus imagine, nempe ſyncope, diſcernitur.

Scholion.

Interdum paulo difficilius eſt vere mortuos à vehementiori ſyncope correptis diſtinguere, quia tam lenis ſæpenumero aëris alternus motus, cordis quoque agitatio & ſanguinis curſus tam ſubtilis eſt, ut vix ac ne vix quidem in ſenſus incurrat; ſunt tamen certi mortis indices omnium membrorum frigiditas & corporis gravitas; ſique ad forte ſternutatorium naribus admotum nulla ſenſatio conſpiciatur, neque in cordis regione aut in collo, ubi carotides ſitæ ſunt, vel minima quædam motio obſervetur, aut in ſpeculo ori admoto nulla macula obſervetur. In certiſſimis autem mortis ſignis incipiens corruptio habenda eſt.

§. IV.

Mortis ratio formalis & adæquata non unice in corruptione vel putredine quærenda eſt; hæc tamen ſæpius tanquam cauſa proxima, potiſſimum vero tanquam effectus mortis præſto fuiſſe deprehenditur.

Scholion.

Illud quidem certiſſimum eſt, corpus vel partem ejus mortuam eſſe, quæ putredine tacta eſt, utpote quæ prorſus mixtionem & ſtructuram deſtruit: at vero haud quaquam ſequitur, corpus non eſſe mortuum, ubi putredo non deprehenditur. Hujus adſerti veritatem quotidiana confirmant exempla eorum, qui violenta morte ex transfoſſa nobiliori parte, ut corde vel vaſe majori aut cerebri parte inferiori, aut intenſiſſimo frigore moriuntur. Putredo enim non proxima ratione ab extinctione motuum machinæ noſtræ dependet, ſed eſt potius diuturnioris quietis, nec non atmoſphæræ calidæ humidæque in corpus multa humiditate perfuſum agentis productum.

§. V.

Proxima cum mortis cauſa in plenaria cordis & ſanguinis quiete conſiſtat, ſequitur ſane, ut omnia ea inferendæ morti ſufficiant, quæ ſyſtolen atque diaſtolen cordis, ſanguiniſque circularem motum, ex toto auferre valent.

§. VI.

Genuinas mortis cauſas quicunque paulo altius à motus cordis & circuli ſanguinis cauſis derivant, hi recte ſane agunt. Nam quo poſito ponitur vita, hoc ſublato eadem etiam tollitur.

§. VII.

Ad machinam cordis movendam ſanguinis per vaſa & fluidi tenuiſſimi per nervos, itemque aëris in pulmones ingreſſus requiritur: quare ſtatuendum eſt, quicquid ſanguinis ad cordis ventriculos & fluidi per nervos ad ejus fibroſam elaſticam compagem adfluxum cohibet, & aëris uſum intercipit, id inter certiſſimæ mortis cauſas referendum eſſe.

Scholion.

Ex phyſiologicis repetendum eſt, nervis omnibus, qui ad cor abeunt, præciſis ejus motum tolli, & diaſtolen cordis, à ſanguine adfluente factam, eſſe ſyſtoles, & ſyſtolen rurſus diaſtoles cauſam: ſive cor movere ſanguinem & à ſanguine quoque moveri. Notandum quoque hic eſt, miram eſſe in corde fibrarum fabricam, quæ vi ſua elaſtica preſſionem ſanguinis mirum in modum adjuvare valent.

§. VIII.

Vehementior apoplexia, quæ à ſanguine extravaſato ex plexu choroideo in ventriculos cerebri irrumpente naſcitur, nec non fractura vertebrarum colli, præſentiſſimæ mortis cauſæ ſunt, quia fluidi ex cerebro vel ſpinali medulla per nervos ad cor & viſcera liber influxus intercipitur.

§. IX.

Sanguinis ex venis immodica effuſio, polypoſum concretum oſtium vaſis in corde claudens, aëriſque interceptio mortem præſentiſſime inferunt.

Scholion.

Patet jam ratio, quare vaſorum majorum inſignia vulnera, item ſuffocatio in aquis, ſtrangulatio & aër, ob contentas in eo tenuiſſimas ſulphuris & carbonum exhalationes, expanſiva virtute ſua orbatus, celerrime homines necandi facultatem habeant.

§. X.

Si cordis ſubſtantia, præſertim ad cavitates penetrante vulnere læſa ſit, celerrime mortem inferri neceſſe eſt.

Scholion.

Id non tamen eam ob cauſam evenit, quod ſanguis effluat, ſed quod etiam machina illa motoria, cujus beneficio fit impetus & compreſſio, non amplius integra, ſed deſtructa ſit.

§. XI.

Venena penetrantioris cauſticæ indolis, & morſus ac ictus animantium non alia ratione celerrime perimunt, quam quod omne genus membranarum & nervoſarum partium graviter convellendo, univerſum æquilibrium motus ſolidorum & fluidorum invertunt & cordis quoque & ſanguinis curſum liberum ſufflaminant, atque in ventriculo ſtaſes ſphaceloſas & inflammatorias producunt.

§. XII.

Alia tenui ſulphure vaporoſo narcotico necant, quo fluidum in membranis & nervis mobiliſſimum contaminando cordis & aliorum ſolidorum ſyſtolen & robur auferunt.

§. XIII.

Præter violentas has mortis cauſas ſunt adhuc aliæ naturales, quæ mortem in morbis inferunt, inquirendæ: & inter has atonia nimia partium ſolidarum, ex qua ſtagnatio, quies humorum plenaria & putredo naſcuntur, principem ſibi locum vindicat.

§. XIV.

In corporibus morbo extinctis ordinario extravaſationes ſanguinis vel ſeri corrupti in thorace, in capite & abdomine; vel viſcera putrida, ſphaceloſa & fœtida deprehendimus.

Scholion.

Notatu perquam digna eſt obſervatio, quod violenta morte peremti ſine ullo fœtoris & putredinis ſenſu diſſecentur; quos vero morbi vehementia oppreſſit, in iis ſemper fere in diſſectione inſignis fœtor, putredo atque corruptio ſeſe offerunt.

§. XV.

Mortis, ſive violenta ſive naturalis ea fuerit, cauſæ ſemper in diſſecto cadavere reperiuntur.

Scholion.

Legenda hac de re eſt noſtra *diſſertatio de generatione mortis in morbis*, in qua plurima attulimus exempla & obſervationes cadaverum certis morbis defunctorum & diſſectorum, & oſtendimus, vel extravaſationem humorum, vel corruptionem aut polypoſas concretiones fuiſſe repertas. Cavendum tamen maxime eſt, ne cauſas mortis pro morborum cauſis habeamus ac venditemus, quod plures facere adſolent medici, qui adſtantes fallere volunt, proponendo, morbum ob tantam vehementiam læſionis, quæ cernitur, non potuiſſe ſanationem recipere. Mors enim utique non fit ſine cauſis evidentibus & manifeſtis, ſed hæ non ſtatim cauſa morborum, ſed potius harum effectus ſunt. Id vero in quæſtionem venit, an non cauſæ, quæ morbum intulerunt, tolli adeoque morbus ſanari cauſæque mortis illæ, quas ſecantes deprehendunt, averti prohiberique potuiſſent?

§. XVI.

Porro mortis ex morbis cauſa familiaris admodum eſt putredo viſceris vel partis intra corpus progenita, quæ celerrime ex inflammatoriis ſtaſibus in acutis, ex ſanguinis vero & humorum ſtagnationibus in chronicis producitur.

Scholion.

In hujus adſerti teſtimonium allegamus anatomen eorum, qui morbo ſive acuto ſive chronico interierunt; quæ licet inſtituatur paucis à morte horis, tamen fœtidiſſima intus corruptio ſubinde offenditur. Vel enim viſcera,

viſcera, ut ventriculus & inteſtina, ex parte aliqua; aut omentum, lien, hepar, uterus ſphacelo correpta cum ſummo fœtore ſunt, vel aqua aut pus ſœdi odoris in cavitatibus ſtagnat, aut apoſtemata, quæ pus continent, hinc inde deprehenduntur: aut in capite ſanguis vel humor extravaſatus putrefactus cernitur. Ex quo conficitur, putredinem viſceris internam eſſe frequentiſſimam mortis cauſam; & putredinem quoque univerſi corporis mortem inſequi: quo magis mirari licet præcipitem quorundam adſertionem, quod ſphacelus ſit res rariſſima, adeo ut ex centum mille hominibus vix unus eo intereat: quum potius dicendum ſit, ex centum mille vix unum dari, qui morbo pereat, ubi non ſphaceloſa cujuſdam partis internæ corruptio cum fœtore oſtendatur.

§. XVII.

Putredo vitæ eſt inimiciſſima, quia non modo omnes vires, quibus moventur ſolida & fluida, aufert, ſed & ſtructuram atque mixtionem corporis penitus diſſolvit.

Scholion.

Putredinis ea eſt indoles, ut celerrime ſeſe diffundat & vicinas partes in ſimilem corruptionem conjiciat: deinde, ut vires brevi tempore omnes proſternat, id quod conſpicimus in iis, qui ex cancro exulcerato laborant, aut ſphacelo in parte quadam externa corripiuntur.

§. XVIII.

Putredo vires & tandem quoque vitam adimit, quia fœtore ſuo corruptivo puriſſimam illam ſanguinis & fluidi nervei ſubſtantiam, quæ robur, tonum, motum cordi, fibris elaſticis & reliquis ſolidis partibus conciliat, inficit atque depravat.

Scholion.

Repetendum hic erit, quod ſupra tetigimus, fluidum, quod in cerebro ſeparatur, ex ſanguinis ſubtiliſſima parte ſulphurea, aëreo-ætherea, motum maxime facere atque gubernare in corde & aliis ſolidis partibus exiſtentem.

§. XIX.

Omnis itaque morbus, qui corpus brevi tempore in putredinem conjicit, vires & vitam facile deſtruit, & ob id ſumme malignus habetur.

Scholion.

Hujus rei teſtes ſunt febres peſtilentiales, petechiales & aliæ epidemicæ & exanthematicæ malignæ, quæ plerumque ex miaſmate, quod ad celerrimam corpus diſponit putredinem, naſcuntur. Si vero lentius procedit corruptio putrida, & magis in lympha, quam ſanguine reſidet, ut in ſcorbuto, lue venerea: tametſi non vitam ſtatim auferat, tamen laſſitudinem ſummam relinquit; quin imo ex præſenti virium proſtratione malignitas & periculum morborum ſemper æſtimari debent.

§. XX.

Putredo mortifera in morbis ex ſtaſi & quiete ſanguinis omnimoda, ſive ejus circulo penitus ſublato, prognaſcitur.

Scholion.

Quamdiu ſanguis per vaſa circumfertur, nullus fœtor vel putredo obſervatur: ſimul ac autem firmiter conſiſtit & motus progreſſivi expers fit, protinus mors partium ſive ſphaceloſa corporis corruptio producitur. Recte itaque *Hippocrates Lib. II. de morbis* §. 8. *à motu & calore ſanguinis vitam, ab ejus vero congelaſcentia & quiete mortem dilucide explanat.*

§. XXI.

Itaque princeps & præcipua medentium intentio eſſe debet, ut in morbis omnem ſtaſin & majorem ac plenariam quietem ſanguinis avertant, ne mors inde ſequatur: quod fit, ſi virium conſervatio maxima medentis cura atque intentio ſit.

Scholion.

Patet hinc ampliſſimus analepticorum, & quæ moderate ſanguinem & tranſpirationem movent, in acutis & malignis morbis uſus, & quam noxia ſint ea, quæ motus ſiſtunt atque vires infringunt, cujus generis ſunt purgantia, ſanguinis miſſiones, pertubationes animorum, omniaque anodyna & opiata, quibus nihil in hiſce morbis pernicioſius eſt, quia horum uſu triſtiſſimam mortem acceleratam fuiſſe, triſtiſſimis aliquot exemplis edocti ſumus.

§. XXII.

Mors, quæ morbos ſequitur, vel ex nimia virium defectione, vel ex ſpaſmo præcedente producitur.

Scholion.

In febribus continuis exceſſivus calor, aſſiduæ vigiliæ, diuturna cibi abſtinentia, miaſma malignum ſanguini admixtum benignorum ſuccorum ipſiuſque ſanguinis nativam craſin penitus deſtruendo, omnes vires, quibus ſolidorum & fluidorum motus conſervatur, adimunt, unde incipit ſanguis in hac vel illa parte, præſertim in cerebro vel etiam pulmonibus aut abdominis aliquo viſcere, ventriculo vel inteſtino quieſcere, putreſcere, atque cordis & arteriarum ſyſtolen tollere. Innumera afferre poſſem exempla, ubi ægri morbis acutis valde debilitati, paulo longius in erecto ſitu exiſtentes ſubitam & inopinatam mortem ſibi acerſiverunt: ſiquidem in hoc ſitu difficilis eſt ſanguinis à corde propulſio, quæ ob nimis languidum cordis motum, ſi ceſſat vel non ſufficiens eſt, liquidi nervei in cordis fibras influxus etiam ceſſans plenarie cordis motum aufert. Quare non ſine ratione *Hippocrates Lib. Prænotionum* §. 4. *in omnibus acutis morbis malum pronuntiat, ſi æger erectus in morbi vigore ſedeat.* Deinceps haud infrequenter mors in vigore ac ſtatu febrium acutarum à ſanguinis, propter rigorem & ſpaſmum in extremis partibus, ſupervenienti congeſtione in cerebro, valde ob vim morbi imbecillo, producitur, ex quo ſi non per narium fluxum prorumpit, lethalem ſtaſin vel inflammationem meningum & convulſionem producit. Peſſimum itaque & lethale eſt indicium, ſi, præſertim die impari, quo ſecundum adſertum *Hippocratis Lib. II. Epid. S. III.* & teſtante experientia plerumque mori ſolent acute febricitantes, in variolis, purpura alba, petechiis & aliis epidemiis acutis & malignis rigor accedit cum urina tenui, & ſine ſtillicidio ſanguinis mentis emotio ſequitur. Recte enim habet, quod *Hippocrates in Prænotion. Coac.* in acutis rigorem, corpore jam debili, lethalem obſervavit. Inde etiam ratio quam prompte elici poteſt, quare ungues nigri, digiti frigidi & contracti, labia inverſa frigida, aures frigidæ contractæ, tempora collapſa mortis imminentis ſigna ſint.

§. XXIII.

Virium in ſenectute ordinaria eſt defectio & omnibus hominibus, utut temperatiſſime ſecundum præcepta ſaluberrima viventibus, mors inevitabilis eſt.

Scholion.

Licet homo puriſſimo aëre, qui pabulum virium & ſpirituum eſt, fruatur, & benigniſſimæ indolis ad pondus alimenta adſumat; optima etiam adſit mentis tranquillitas: tamen extrema ſenectus & vires & vitam aufert. Quare non in fluidis, ſed in ſolidorum ſtructura, quæ ſub ætatum decurſu valde immutatur, horum effectuum cauſa quærenda erit.

§. XXIV.

§. XXIV.

Fibrarum & membranarum nimia ſoliditas & durities, atque canalium anguſtia genuina & mechanica virium & vitæ defectionis in ſenio confectis cauſa videtur.

Scholion.

Perpetuæ obſervationis eſt, fibras & membranas, ex quibus compages corporis noſtri maxime vaſculoſa conſiſtit, eo duriores & denſiores fieri, quo annoſiora ſunt animantia; unde etiam eorum carnium valde difficilis eſt coctio. Neque vero anatomes peritum latere poteſt, liquida præſtantiſſimi uſus ad robur & motum per capillares & tenuiſſimos canales in cerebro ſecerni & per membranas ac nervos filtrari. Notum quoque porro eſt, tenuiſſimum & valde activæ indolis excrementum per ſubcutaneos minimos tubulos foras ejici. Durioribus itaque & denſioribus, ſub decrepita ætate, redditis membranis, quæ formant hos canales, hi anguſtantur vel plane clauduntur, ut nec liquida laudatiſſima ad motum ac nutritionem libere, & quantum ſatis eſt, influere, neque excrementitia effluere poſſint. Non mirum hinc eſt, & ſenſoriis & motoriis organis ſuum robur atque potentiam movendi ſubtrahi, & bonos alias ſuccos excrementitiis ſordibus depravari. Unde nutritionem in ſenibus perire, vires deficere & multas impuras ſordes in corpore accumulari neceſſe eſt, quas neceſſario tandem ſanguinis & humorum ſtagnatio & quies excipit. Cum itaque manifeſtas & in ſolidorum conformatione fundatas habeamus mortis in ſenibus cauſas; concidit utique frivola eorum opinio, qua moriendi neceſſitas in animantibus animæ, cui limites operandi à Deo præſcripti ſint, adſcribitur.

§. XXV.

Homines habitus corporis ſpongioſi mollioris, repleti & qui anguſta, exilia & copioſa vaſa obtinent, facilius moriuntur atque ex morbis difficilius convaleſcunt, quam macilentiores & qui ampliora vaſa habent.

Scholion.

Hanc veritatem ſua auctoritate quoque corroborat divus Senex in *aph.* 44. *ſ.* 2. Rationem is facile inveniet, qui conſiderat ſolidis & tenſis fibris plus roboris & potentiæ motricis ineſſe quam laxis; & per vaſa amplioris diametri ſanguinis curſum liberiorem & per anguſtiora difficiliorem eſſe, unde in his ſtaſes & ſtagnationes, mortis procreatrices, frequentiores & periculoſiores ſunt.

CAPUT II.

De morborum & ſymptomatum natura.

§. I.

Corpus humanum multis mutationibus, quæ ſanitatem, imo vitam deſtruunt, obnoxium eſt: itaque harum mutationum naturam & cauſas ſcire oportet medicum, cujus officium eſt, mortem avertere & ſanitatem reparare.

§. II.

Morbus à nonnullis definitur, quod ſit mutatio ſtatus naturalis in præternaturalem.

Scholion.

Definitio hæc eſt nominalis, quia tantummodo explicat nomen morbi, non autem ipſam rem & cauſam, in qua illa mutatio conſiſtat. Et hujus indolis ſunt quoque à veteribus plures allatæ definitiones morbi, quod videlicet ſit affectus præter naturam, vel conſtitutio præternaturalis, ſive alteratio ſtabilis, quæ vitiet vel lædat actiones. Quo ſpectant etiam illæ recentiorum, quod morbus ſit moriendi conatus vel ſymptomatum complexio. Neque nobis hæc arridet, quod omnis morbus ſit molimen ſive extraordinarius motus à natura ſuſceptus eum in finem, ut, quod corporis mixtioni adverſum eſt, per motus ejiciat atque à morte ſive corruptione præſervet. Etenim obſcuriſſimum vocabulum naturæ & ejus molimen ſalutare eſt, neque hac ratione concipi poteſt, cur morbus in mortem ſæpius terminetur, vel diſpoſitionem ad alios morbos pejoris ſæpe indolis relinquat.

§. III.

Morbus rectius ſic definitur, quod ſit magna mutatio & turbatio proportionis & ordinis motuum in ſolidis & fluidis, cum vel nimis accelerati vel retardati in univerſo corpore, aut in certis partibus ſunt, juncta cum inſigni læſione ſecretionum, excretionum & aliarum functionum corporis animati, tendens vel ad ejus ſalutem aut interitum, vel ad pravam partium ad alios morbos diſpoſitionem.

Scholion.

Hæc definitio, quæ morbos in genere, ſeu potius ſtatum morboſum à ſano deflectentem, explicat, realis eſt, utpote non modo rationem ejus formalem, quæ læſio & depravatio actionum eſt, ſed inſuper ejus geneſin ac proximam & continentem cauſam, quæ eſt mutata proportio motuum in univerſo corpore vel ejus partibus, complectitur & effectum morbi in corpus declarat.

§. IV.

Uti ſanitas eſt integritas actionum corporis & animi, ita ſtatus morboſus utique in læſione & depravatione actionum, quæ ad corpus & animum ſpectant, conſiſtit.

§. V.

Non quæcunque levior & tranſitoria functionum læſio ſtatim pro morbo haberi debet, ſed ſtabilis & quodammodo perſeverans requiritur.

Scholion.

Cum nemo mortalium perfecta, conſtante & omnibus numeris abſoluta facile gaudeat ſanitate, propter innumeras res, quibus homo utitur & quæ eam mutare atque adfligere poſſunt; ideo non quiſque levior ſanitatis defectus aut læſio actionum pro morbo ſtatim haberi debet, ſed ea tantum cauſa quæ æquilibrium & ordinem motuum in ſolidis & fluidis machinæ valde turbat atque pervertit eaque ſtabilis eſt, cauſæ veræ morbificæ nomen ſibi vindicat. Quia vero ejuſmodi cauſæ rariores ſunt, quæ omnem motuum ordinem invertere queant, ideo fit, ut homines non tam frequenter per vitam ægrotent.

§. VI.

In omni morbo vel actiones vitales, ut virium robur, pulſatio arteriarum, reſpiratio ſanguiniſque circulus; vel animales, ut ſenſuum exercitium, motus membrorum arbitrarius, item ſomnus & vigilia, mentis vigor & conſtantia; vel naturales, cujus generis ſunt appetentia, digeſtio & apta per alvum, urinam & perſpirationem ſordium excretio, vitio quodam laborant & depravatæ ſunt.

§. VII.

Ex actionum harum majori vel minori turbatione & perverſione morbi utique & cauſæ lædentis magnitudo æſtimanda venit.

Scholion.

Nam ſicut effectus ſemper proportionalis eſt viribus ſuæ cauſæ, ita vehementior turbatio functionum corporis animati cauſæ morbificæ vim ac potentiam manifeſtat.

§. VIII.

§. VIII.

Ut moderatus, liber & æquabilis sanguinis & liquidorum cursus, à proportionata solidorum in universo corpore, quæ impellunt & recipiunt fluida, systole & diastole sive constrictione & relaxatione ortus, sanitati & proportionatis secretionibus patrocinatur: ita immoderatus, impeditus & inæqualis sanguinis & liquidorum cursus ac circulus ab improportionata solidorum vel universi corporis vel certarum partium systole vel diastole improportionata sive imminuta vel nimis aucta contractione & relaxatione natus, turbationem functionum corporis efficit & morbum format.

§. IX.

Motus itaque solidorum & fluidorum valde immutati, ratione proportionis suæ vel nimis deficientes vel nimis excessivi, proximam & intimam morborum causam, qua posita ponitur & qua sublata tollitur morbus, constituunt.

Scholion.

Quemadmodum in macrocosmo omnes, quæ contingunt, mutationes à motu pendent: ita etiam id fit in microcosmo. A motibus enim dependet vita, a motibus quoque sanitas provenit, motus quoque graviter lædunt & adficiunt homines in morbis: motus quoque ejus sunt indolis, ut destruere corpus & mortem inferre valeant. Iidem in ipsis etiam morbis id beneficium corpori præstant, ut sanitatem amissam reparent & læsiones à morbis factas emendent. Veteres, cum in explicandis rebus medicis, quippe ignoto sanguinis circulo ad solidorum vel fluidorum motiones non respicerent, sed tantummodo conceptibus circa materiæ copiam, temperiem, facultates, variasque ejus conditiones inhærerent, utique nihil solidi vel demonstrativi in pathologicis adferre potuerunt. Testes sunt eorum libri dogmatici, quorum maxima pars, ubi causæ morborum vel symptomatum adferendæ erant, figmentis enarrandis & quantum fieri poterat, incrustandis consumitur.

§. X.

Motus fluidorum in machina nostra duplicis potissimum generis in statu morboso observantur. Vel enim sanguis & reliqua fluida à centro ad peripheriam, sive ab interioribus ad exteriores partes moventur & propelluntur: vel à peripheria sive ambitu corporis & partibus extremis atque externis sanguinis & fluidorum motus ad interiora corporis viscera dirigitur.

Scholion.

Motus, qui ab interioribus ad exteriora tendunt, non adeo naturæ infensi sunt, sed salutarem sæpe effectum relinquunt: præsertim, si fuerint aucti & intensiores, quoniam excrementitiis sordibus è corpore eliminandis inserviunt; posterioris vero generis illi, qui introrsum vergunt, œconomiæ corporis nostri admodum inimici & κατ' ἐξοχὴν morbosi dicendi sunt, quoniam in se nunquam, nec nisi per accidens utiles evadunt; & sub horum etiam vehementia totus vitalis corporis nostri mechanismus destrui solet.

§. XI.

Si sanguis cum magna celeritate & impetu, beneficio systoles cordis & arteriarum intensioris & valde auctæ, per universi corporis canaliculosam compagem fertur, motus hic dicitur febrilis, idemque ex immoderato calore & celeritate pulsuum dignoscitur.

§. XII.

Si nimia fit contractio solidorum membranaceorum inque primis duræ matris, concitatissime fluidum nerveum in membra, quæ motibus voluntariis auscultant, influit atque inde vehementior distensio, tractatio, constrictio & agitatio musculorum perficitur, qui motus epilepticus dici solet.

§. XIII.

Motus peristalticus, qui in reciproca & blandiori contractione & dilatatione consistit, atque in canalibus excretoriis majoris vel minoris diametri locum habet, nimis auctus & citatior redditus excretiones alvinas & quæ per transpirationem, per urinam atque per ductus biliarios fiunt, promovet & auget.

§. XIV.

Glandularum conglobatarum, quæ elatere suarum fibrarum lympham impellunt ejusque progressum per vasa lymphatica promovent; motus systalticus auctus celeriorem lymphæ, vel etiam salivalis laticis, progressum atque excretionem efficit.

§. XV.

Quandocunque in partibus corporis, sive fibris musculosis sive membranosis ac nerveis eæ constent, systole sive contractio intenditur, hic motus vocari solet spasmus.

§. XVI.

Spasmus est vel universalis vel particularis. Ille à partibus extremis vel remotis incipit & totum systema fibrarum carnearum atque vasorum, quæ ex membranis nerveis & muscularibus contexta sunt, afficit. Et talis quidem motus maxime observatur in principio febrium intermittentium, item in plurimis chronicorum paroxysmis & affectibus spasmodicis; atque rigore, horrore, frigore, contractione externi habitus, interna vero anxietate, & in arteriarum pulsu duritie ac debilitate sese manifestat.

§. XVII.

Si quando spasmus, à partibus extremis initio sumto, membranas exquisitæ sensationis, inque primis cerebri meninges & nervos in consensum trahit, in epilepsiam transit: si vero tantum nervorum illa paria occupat; quæ ad certas partes abeunt vel ex spinali medulla prodeunt, motus tantum convulsivi emicare solent.

Scholion.

Atrociores infantum ex intestino dolores, vel qui ex dentitionis difficultate fiunt; quandoque etiam in adultis immanes dolores intestinorum, aut qui calculo vel cardialgiæ junguntur, in epilepticos motus non raro transeunt. Quin imo videmus morbi sacri paroxysmos sæpissime ab extremis partibus, nempe pedum digitis oriri; alii testantur, primum accedentis mali sensum in intestinis se percipere, hinc illum per spinalem medullam usque ad caput penetrare, ubi membranas tandem cerebri occupantes motus in epilepticas contractiones easdem adigunt. De cetero in partibus internis quasdam convulsionum species dari, id colicæ, tusses, asthmata convulsiva cordisque palpitationes, nec non vomitiones & singultus vehementissimi satis planum atque testatum faciunt.

§. XVIII.

Spasmi, qui certas tantum nerveas & membranosas partes corripiunt, dolores pariunt, & hi pro diversitate partium, quibus insident, varia sortiuntur nomina.

Scholion.

Dolor, qui in tunica ventriculi vel ejus orificiorum nervea sedem habet, cardialgia; qui in intestinis, dolor ilei vel colicus vocatur: qui in membranis capitis, cephalalgia, hemicrania, cephalæa audit: in intestino recto dolor hæmorrhoidalis sese offert: in articulis podagra, chiragra, dolor ischiadicus, gonagra scenam adornant: idem,

idem, ſi membranis coſtarum inſidet, pleuritis ſpuria; ſi muſculorum membranis inhæret, dolor rheumaticus adpellari ſolet.

§. XIX.

Spaſmus, qui ſummam cutim & ſub ea deliteſcentes excretorios tubulos adprehendit, horripilationis quodam ſenſu percipitur, unde tubuli occluduntur, tranſpiratio cohibetur & excrementitia materia verſus interiora repellitur.

§. XX.

Spaſtica inteſtinorum conſtrictio non modo flatus concludit eorumque exitum præpedit, ſed & alvum conſtringit & ſordium excretiones, quæ per eam fiunt, cohibet. In ductibus urinariis ſi conſiſtit, urinæ efluxus vel cum dolore fit, vel ſæpe prorſus intercipitur, aut ſaltem valde difficilis redditur. Canalium, qui bilem ex hepate in duodenum vehunt, per ſpaſmos conſtrictio bilioſi liquoris ad inteſtina deſcenſum impedit, unde ob bilis ad vaſa lymphatica regurgitationem icterus prompte gignitur.

§. XXI.

Nulla pars tam gravibus ſtricturis ſpaſticis patet atque obnoxia eſt, quam ipſe ventriculus cum inteſtinis, quia horum viſcerum canales ex membranis valde nervoſis acutæque ſenſationi maxime idoneis contexti ſunt.

Scholion.

Clariſſime hoc apparet in affectibus colicis, hypochondriacis, hyſtericis, variiſque chronicis & ſpaſmodicis morbis, quorum primaria ſedes & quaſi campus, ubi morbus tyrannidem ſuam exercet, eſt in ventriculo ac inteſtinis. Et quia his partibus ingens conſenſio, propter communem nervum intercoſtalem, cum capite, cum pectore, renibus, hepate & aliis nobiliſſimis partibus intercedit; hinc tanta ſymptomatum multitudo & vehementia affectibus ſpaſmodicis jungi ſolet.

§. XXII.

Quemadmodum nimia ſolidorum contractio atque intenſior ſyſtole, ſive ſpaſmus, plures morboſas adflictiones parit: ita etiam ſolidorum languidior & debilior ſyſtole, ſive laxitas & reſolutio eorum nimia, & ad movendum impotentia, quæ Græcis atoniæ nomine venit, functiones œconomiæ noſtræ corporeæ valde lædit atque immutat.

§. XXIII.

Quantum ſyſtole intenſior motum fluidorum accelerare valet: tantum atonia eundem, vel in univerſo corpore, vel in certis tantum partibus, impedit atque retardat.

§. XXIV.

Uti ſpaſmus, ita etiam atonia eſt vel univerſalis vel particularis. Illius exemplum in ſumma virium proſtratione & maxime in animi deliquio videas: hæc vero, quæ certas tantum partes obſidet, in morbis maxime chronicis atque hæreditariis conſpicitur.

§. XXV.

Ex motu liquidorum impedito & retardato decubitus humorum, infarctus, obſtructiones, indurationes, item corruptiones viſcerum fiunt: adeoque pervicaces & chronicæ paſſiones ex nimia atonia partium progignuntur.

§. XXVI.

Sanguinis & humorum circulus retardatus valde diſponit corpora ad morbos; quandoquidem exinde humores valde ſpiſſi, impuri & copioſi evadunt, ob retentas in corpore multas excrementitias partes, quas evacuationes rite atque ordine fientes excluderent. Sic plethora atque cacochymia, multarum, inque primis chronicarum paſſionum fœcundæ genitrices, naſcuntur.

§. XXVII.

Motus ſolidorum & fluidorum in morbis valde immutati lædunt & turbant functiones corporis noſtri variis modis: & hæ functionum læſiones vocari vulgo ſolent ſymptomata.

Scholion.

Ingens confuſio apud auctores morborum & ſymptomatum reperitur, dum plures morbos pro ſymptomatibus, & ſymptomata pro morbis habent. Ex quo intelligas, eos veras utriuſque rei notiones animo non concipere nec modum, quo ſinguli producuntur morbi, ſatis recte indagaſſe.

§. XXVIII.

Symptomata duplicis ſunt generis: vel enim à motibus morboſis immediate & proxime fiunt, vel demum ex aliis concurrentibus cauſis producuntur: illa quidem ſymptomata morbi eſſentialia, hæc ſecundaria vocantur.

Scholion.

Eſſentialia ſequuntur preſſo pede ipſum morbum, ſeu potius motus morboſos ſpeciales, neque poſſunt divelli aut ſeparari, unde etiam certa morborum, ex quibus illi dignoſcuntur & invicem diſtinguuntur, ſigna atque indicia præbent. Ita febris, quæ motus ſolidorum ac fluidorum nimis acceleratus eſt, ſymptomata ſunt immodicus corporis calor, ſitis inexhauſta, vigiliæ aſſiduæ, virium & ſuccorum conſumtio, appetitus dejectio, reſpiratio auctior, urina rubicunda: nam hæc omnia ſunt fructus & effectus nimis accelerati ſanguinis circuli. Simili modo inflammationis ſymptomata, ex quibus ea cognoſcitur, ſunt partis affectæ dolor, tumor, rubor, arteriarum vehementior pulſatio: quia hæc omnia à denegato ſanguinis libero circuitu, propter ejus in vaſculis ſtaſes vel partium nervoſarum ſtricturas, neceſſario proveniunt.

§. XXIX.

Symptomata ſecundaria non immediate ex priori morbo, ſeu motu morboſo, ſed ex alia cauſa ſuperveniente, pronaſcuntur.

Scholion.

Horum ſymptomatum exemplum præbent ventriculi aut meningum vel pulmonum inflammationes febribus acutis vel etiam exanthematicis, variolis, morbillis in earum ſtatu demum ſupervenientes; nam ſine illis prior morbus conſiſtere poteſt. Sed hi, ſi æque rem æſtimes, diſtincti à priori illo ſunt morbi & motus morboſi, in aliis etiam partibus reſidentes: quia vero effectus & producta ſunt prioris morbi, ſymptomata jam vocantur. Nihil in noſtris regionibus ſolennius eſt, quam ut febribus acutis, item variolis & morbillis demum in fine purpura rubra vel alba, ſæpiſſime funeſta, ſuperveniat: quia, ut mihi quidem videtur, excrementitii ſucci, ex ipſa ſanguinis febrili diſſolutione geniti, atque ob cohibitam diutius alvum in inteſtinorum latebris occluſi, in humorum maſſam poſtliminio recipiuntur, & hæc peſſimæ ſane indolis exanthemata cum febrili inſultu ſuſcitant.

§. XXX.

Neque ſymptomata morbis ſupervenientia confundi debent cum aliis affectibus, qui demum ſublatis morbis prioribus ſubnaſcuntur.

Scholion.

Ita ex quartana non raro hydrops, ex hæmoptyſi phthiſis, ex tertiana intermittente affectio hypochondriaca & melancholica vel colica ſpaſmodica; ex variolis

&

& morbillis abscessus, ex pleuritide empyemata pulmonum prodeunt. Motus enim morbosi ejus sunt indolis atque ingenii, ut non modo sanguinis & fluidorum crasin, sed & solidorum robur, tonum atque substantiam multum lædant, destruant vel labefactent, unde quam facile, ob tantam imbecillitatem partium, indeque excretiones debiliores redditas, nova materia novorumque fomes morborum producitur. Neque vero infrequenter etiam ex perversa prioris morbi ab imprudenti medico tractatione, & ob materiam morbificam relictam, novi & subinde pejoris notæ morbi pullulant.

§. XXXI.

Ex symptomatibus maxime, secundariis supervenientibus, morbi vis atque vehementia judicanda est.

Scholion.

Siquidem effectus testatur de sua causa, quæ ut plurimum latet; ex symptomatibus vero, ceu effectibus dignoscitur. Quo major itaque est symptomatum morbo supervenientium vehementia; eo plus quoque periculi ille morbus habet. Est itaque boni ac periti medici in prudenti prognosi, formanda, vel ipsa etiam curatione adornanda symptomatum rationes atque genium & effectus quæsitissimo studio expendere.

CAPUT III.

De motuum microcosmicorum legibus & effectibus in producendis morbis & symptomatibus.

§. I.

MOtibus in machina nostra proportionatis & ad excretiones tendentibus vita & sanitas sustinetur: morborum vero natura & indoles mutatis, impeditis & inæqualibus istis motibus continetur. Motus quoque morbosi ejus sunt indolis, ut vel ad interitum machinæ vel ad sanitatem recuperandam convertantur: quare motuum, qui in machina nostra morbos efficiunt, vitamque ac sanitatem dispensant, naturam, leges, effectus probe intelligere oportet medicum, qui cum certitudine agere & operari tum in præservando, tum in curando velit.

§. II.

Quemadmodum in macrocosmo motus secundum certas leges, tanquam ad normam, fiunt, & constantes edunt effectus; ita quoque in microcosmo tum illi, qui functiones secundum ordinem præstant, tum vero etiam, qui easdem lædunt vel turbant, aut machinam à præsentanea corruptione & morte præservant, certis legibus continentur.

Scholion.

Scientia legum, quæ in hydraulicis, staticis, mechanicis & motu elasticorum corporum observantur, ingens lumen mechanicæ corporis nostri scientiæ, ad clariorem phænomenorum explicationem, accendit. Neque enim dubitandum est, quin cuncta in corpore nostro mechanice, id est, secundum certam mensuram & proportionem motuum peragantur; neque illud inficiandum, quod mechanica corporis animati scientia tanto excellentior & sublimior sit ea, quæ per experimenta intellectui humano cognita perspectaque redditur, quantum sapientia Dei omnem humanam artem longissime exsuperat. Enitendum tamen omni labore ac cura arbitror, ut, quantum fieri potest, divinam in corporibus animatis & vivis mechanicam, motuumque, quæ tantas mutationes efficiunt, leges inquiramus & addiscamus.

§. III.

Prima itaque lex hydraulica microcosmica hæc est: quod spasmi tubulos, qui fluida vehunt, constringendo liberum eorum cursum impediant atque eum inæqualem reddant.

Scholion.

Inæqualitas circuli sanguinis in eo posita videtur, ut ad partes spasmo affectas & constrictas minor sanguinis corpia, ad alia vero inque primis vicina aperta vasa major, quam convenit, adfluat & irruat. Hunc sanguinis inæqualem progressum pulchre & dilucide satis jam suo tempore notavit *Hippocrates Lib. de flatibus* §. 21. his verbis: *prohibetur sanguinis cursus atque alio quidem loco consistit, alio lentius penetrat, qua sane inæqualitate transitus sanguinis per corpus facta omnigenæ inæqualitates per omne corpus contingunt.* Ex uno enim canale continuo machina nostri corporis hydraulica constructa est, qui, pro differenti structura, diversa accipit nomina, ut vel arteria vel vena vel vas lymphaticum, vel excretorius tubulus, vel glandula nominetur. Si igitur liber fluidorum cursus in uno loco sistitur: necesse est, ut in altero statim inæqualitas progressus fiat.

§. IV.

Quo major est spasmorum, qui vasa coarctant, vehementia, & quo latius illi sese diffundunt atque ad ampliora vasa exporriguntur: eo copiosior & impetuosior ad alias & remotas partes fit sanguinis appulsio, translatio & congestio.

Scholion.

Hujus theorematis veritas nititur hoc axiomate, quod causa semper viribus suis proportionatum & adæquatum effectum producat, quare validior spasmus validissime etiam liberum sanguinis cursum impedire, & ad alias partes eum transferre debet. Fundamentum quoque hæc nostra thesis habet eximium in hydraulicis. Nam fluida, certo velocitatis gradu per plures tubulos æqualiter decurrentia, tanto majori velocitate per apertos feruntur, quanto magis per obstructos tubulos effluxus impeditus fuit.

§. V.

Varia eaque satis gravia sunt symptomata, quæ ab intercepto alicubi sanguinis motu ejusque majori ad alia loca adfluxu subnascuntur.

Scholion.

Quando crassiora fluida in arctiores canales, ubi firmius inclusi hærent, imprimuntur, fiunt inflammationes. Si vero vasa ob nimiam distensionem aperiuntur, sanguinis fiunt profusiones sive hæmorrhagiæ: à nimia congestione sanguinis & humorum in porosa & vasculosa partium substantia tumores gignuntur & ob membranarum nervearum violentam ibi factam distensionem dolores gravativi pullulant. Si à stagnante sanguine partes aqueæ & serosæ secedunt, catarrhi, defluxiones, rheumatismi fiunt. Ex hoc quoque fonte apostemata atque exulcerationes prodeunt; sanguis enim in poros partium illapsus, si regredi nescit & ibi firmius hæret, in pus mutatur vel erodentem, salsam, acrem indolem adsumit.

§. VI.

Prout loca differunt, in quibus congestio & translatio sanguinis à spasmis facta est: pro eo diversi quoque prodeunt effectus seu morbi.

Scholion.

Congestio & stagnatio vehementior sanguinis in capite ejusque vasis, narium hæmorrhagiam parit: ob rupta vasa plexus choroidei apoplexia sanguinea oritur: à

nimia distensione vasorum in meningibus apoplexia spasmodica vel etiam epilepsia progeneratur. Si vero secedit serum à sanguine & medullæ spinalis nervos occupat, hemiplexiæ vel paralyses fiunt; si in cerebri cortice vel ventriculis serum extra vasa subsistit, affectus soporosi: si decumbit circa thalamos nervorum opticorum, gutta serena propullulant. Si serum secessum facit circa par septimum nervorum, surditas; si circa nonum par, aphonia subnascuntur. Si firmiter sanguis impactus est in meningibus phrenitis; si difficilius per vasa cerebri progreditur, insomnia terrifica dæmoniaca & melancholica pathemata fiunt.

§. VII.

Nimia sanguinis ex spasmorum violentia congestio & decubitus in pulmonibus hæmoptysin, pleuritidem, peripneumoniam, asthma sanguineum, spirationem valde anxiam & difficilem gignit. In cordis thalamos si multus confluit & diutius retinetur, summas anxietates animique deliquia prompte admodum inducit, neque minus ad immanem ejus palpitationem vel polyporum ibi generationem, adeoque ad subitam mortem, facilem occasionem subministrat.

§. VIII.

Infarctus & congestio sanguinis in abdominis vasis ex spasmorum vehementia insuetas sanguinis effusiones subinde non sine periculo producit.

Scholion.

Si enim ex coli nimia strictura in sinistro latere jacentis ad vasa ventriculi brevia sanguis cum impetu urgetur, facile iis apertis vomitio gignitur cruenta. Si vero ruptio vasculorum in tenuibus, præsertim in ileo, contingit, fœtidæ & nigræ dejectiones fiunt, & morbus sic dictus niger Hippocratis nascitur. Si vero obstricturam vehementiorem tunicarum intestinalium nimia sanguinis appulsio atque congestio in vasis hæmorrhoidalibus est, atque eorum orificia aperiuntur immodica sanguinis per hæc vasa fit profusio. Vasa renum emulgentia, à nimio sanguine ibi appulso aperta, mictionem cruentam; disrupta uteri vasa enormes hæmorrhagias vel etiam abortiones pariunt.

§. IX.

Quandocunque spasmus organa & vasa excretoria arctat atque constringit, fit ut excretoriis illis motibus inversis & intro vergentibus humores superflui & impuri ad alia & interiora loca non sine damno transferantur.

Scholion.

Constrictis à ventis septentrionalibus subito ortis subcutaneis tubulis ac spiraculis, per quæ vaporis specie subtilis humor sine sensu subinde exhalatur, subito ad pectus & glanduloſa capitis ac faucium loca fit ejus repulsio ac retrocessio, & sic coryzæ, gravedines, tusses cum externorum horripilatione, & internorum ardore protinus generantur. Sub spasmis intestinorum, qui continenter hypochondriacos exercent, excernenda, & maxime flatus sursum feruntur & ad ventriculum regurgitant, qui anoterici motus ingentes & admodum molestas ibi inflationes anxietates, spirandique angustias, phlogoses quoque & continuas eructationes causantur. Canalibus, qui bilem ad intestina deferunt, spasmo arctatis, biliosum illud excrementum, ad lymphaм & sanguinis massam per lymphaticas venas repulsum, vividum faciei & cutis colorem vitiat, & malum habitum inducit. In pertinaci urinæ ex spasmorum in urinariis ductibus vehementia suppressione copiosus ille salsus liquor ad interiora viscera regurgitans & in capite subsistens facile affectus soporosos paralysin, convulsiones; in pulmonibus oppressionem respirationis vel etiam pectoris hydropem ingignit.

§. X.

Spasmus quoque fortior tanta vi & potentia pollet, ut tumores ingentes œdematosos partium infernarum ad interiora non sine insigni damno repellat.

Scholion.

Vidimus id sæpius à subito & vehementi terrore, vel suffimigiis aut adstringentibus imprudenter applicatis id factum fuisse: labem inde repentinam pulmones, ubi seri secessio facta, contraxerunt, cum respiratio valde anxia ac difficilis non sine suffocationis metu inde reddita fuerit, ingenteque virium languore cum pulsu parvo ac debili subsequuto.

§. XI.

Spasmi quoque efficiunt, ut non bonis certe ægrotantium rebus ex summa cute, quæ jam deposita ibi erant excrementa, ad sanguinis massam parteſque nervosas periculose admodum repellantur.

Scholion.

Nihil pernicioſius, & quod magis œconomiam motuum vitalium interturbare possit, est, ac si excrementum tenue, à massa sanguinis jam separatum & ad cutem depositum, v. g. in scabie, lue venerea, scorbuto, in tinea capitis, it. variolis, morbillis, purpura retropellatur, quod promptissime à frigore improvide admisso, terrore, vel purgantibus aut nimis refrigerantibus fieri solet; siquidem materia ex mora & stagnatione jam pejoris indolis facta nervosis partibus inhærens exitiales inflammationes, convulsiones, dolores, inquietudines, anxietates, animique defectiones suscitat. Quo magis intelligitur, quam plena res periculi sit, excretiones, quæ per cutim fiunt, negligere, vel eo prorsus audaciæ progredi, ut extrinsecus ea admoveamus, quæ repellendi facultatem custodiunt.

§. XII.

Neque tantum à spasticis strictūris, sanguinis, sed & lymphæ circulus impeditur & inæqualis reddītur.

Scholion.

A spasmis quam maxime venæ, ob debiliorem resistentiam, compressionem patiuntur, atque adeo sanguinis libera trajectione per eas intercepta partes ejus serosæ & fluxiles à crassioribus in vasa lymphatica secedunt, quæ nimia distensione tandem rumpuntur, & ingentem seri copiam in cavitates effundunt. Jam facile intelligi poterit ratio, quare asthmati spasmodico, validissimo affectui, testantibus id sectionibus, nunquam non pectoris vel etiam pericardii hydrops junctus offendatur. Qui sævissimis ex intestino doloribus, vel à sumto veneno cruciatibus intereunt, in iis plerumque ingens seri colluvies in abdominis cavitate collecta conspicitur. Ingentes dolores & spasmos post partum non raro abdominis diuturna sequitur intumescentia. Novimus ab operatione fortioris emetici quosdam in mesenterii tumores & abscessus incidisse. Mercurialia præsertim stimulo salino armata, magnam seri profusionem concitare notissimum est; id vero vix alia de causa accidit, quam quod spasticis strictūris venas & vasa lymphatica comprimendo largiorem serositatum effusionem per nimiam relaxationem tubulorum efficiant.

§. XIII.

Quandocunque spasmus magis universalis est, id est, totam membranaceārum & nervosarum partium rempublicam affligit, & maxime cutim totius compagīnis seu corporis superficiem cum subtilibus vasculis arctat atque stringit, fit, ut sanguis cæteriique humores à circumferentia

cumferentia ad centrum, ſive ab exterioribus & minoribus vaſis ad cor, motus circularis principium, pulmones, & majora vaſa reprimantur & horripilatio, rigor cum habitus corporis ſubſidentia & vaſorum cutis detumeſcentia generetur.

§. XIV.

Repreſſus ſanguis ex partibus exterioribus per ſpaſmum ad cor & majora vaſa eorum contractionem ac ſyſtolen adeoque arteriarum pulſationem intenſiorem & auctiorem reddit, unde cum magno impetu & celeritate ſanguis per univerſum corpus fertur, comitante valde intenſo calore, donec, remittente in membranoſis & exterioribus partibus ſpaſmo, exorbitantes hi motus in ſtatum naturalem reducantur.

Scholion.

Solennes hi naturæ motus, quibus magna vis ineſt & ſalvandi & perimendi corpora humana, dicuntur febriles, & quam maxime effectus ſpaſmorum ſunt, qui obſidendo partes nervoſas & exteriores liquida ſanguinemque ad interiora & verſus vitæ fontem, cor, urgent, ubi primum anxietates & pulſus parvos & languidos faciunt, poſtea vigore legis atque imperii naturæ, ut ita loquar, validior cordis motus & impetus, quacunque etiam de cauſa, exſurgit, & ipſum ſanguinem cum magna intenſione & celeritate rurſus verſus exteriora pellit, & relaxatis antea conſtrictis tubulis liberum curſum ei reſtituit, adeo, ut perſpiratio & ſudor longe liberalior inde ſequatur. Hunc ſolennem naturæ motum à circumferentia ad centrum & à centro rurſus ad circumferentiam jam olim ſuo tempore dilucide ſatis deſcripſit *Hippocrates Lib. de Flatibus*, ut ſuus honos illibatus atque integer etiam antiquitati conſtet, dum ait: *dum ingeſta ventri diu immorantur, & alvus obduratur, per univerſum corpus permeant flatus ſanguineque plenas corporis partes maxime petentes eas frigefaciunt, frigefactis autem his locis, unde fontes & radices ſanguinis prodeunt, per univerſum corpus horror conſequitur, ſanguis vero horrore concurrit, ac penetrat per omne corpus ad locos maxime calidos. Hi enim ſunt ejus ſaltus. Decedente igitur ab extremis partibus ſanguine, viſcera contremiſcunt & carnes. Sunt autem quædam corporis partes ſanguine plenæ, quædam vero exangues. Exangues itaque propter frigus non tremunt, ſed parumper commoventur, ac palpitant, quum calor ex eis defecerit. Sanguine autem abundantes propter ſanguinis multitudinem & tremunt & inflammationes ſuſcitant. Neque enim fieri, ut ſanguinis multitudo conquieſcat.* Et in fine §. 3. ſcribit: *Hoc ergo modo febres fiunt.*

§. XV.

In gravioribus doloribus & pathematibus ſpaſmodicis, quæ hypochondriacis ſic dictis perquam familiaria ſunt, ejuſmodi motus, qui ab extra intro, & ab intra foras tendit, adeoque febrilis animadvertitur.

Scholion.

Neque enim ullus atrocior dolor occurrit, ubi non extremorum refrigeratio cum horripilationis ſenſu & pororum cutis conſtrictio junctæ ſint; poſtea vero intenſior cordis motus cum calore, ſuperveniens extremorum ſpaſmum ſolvendo dolorum finem facit. Et quum terroris eadem ſit indoles, ut conſtringendo extrema ſanguinem intro pellat, hinc etiam fit, ut tandem in ſudorem & calorem univerſi corporis terminetur.

§. XVI.

Neque tantum ex ſpaſmis liber & æquabilis ſanguinis & humorum curſus impeditur, ſed etiam ob atoniam & nimiam partium ſolidarum & motricium relaxationem ac debilitatem & retardatum fluidorum motum variæ in ſanguinis circuitu inæqualitates & turbationes functionum in corpore animato fiunt.

Scholion.

Siquidem ob vaſorum, fibrarum ac membranarum, ex quibus ſolida contexta ſunt, robur deperditum & vim contractilem & elaſticam imminutam motus liquidorum retardatur, adeoque eorum fiunt in vaſis ſtagnationes, à quibus multa mala, viſcerum intumeſcentiæ, infarctus, obſtructiones & non raro indurationes, ſcirrheſcentiæ & corruptiones ſubnaſcuntur.

§. XVII.

A ſtagnante in viſceribus ſanguine ſerum ſeparatur, inque vaſa lymphatica copioſius tranſiens ea tandem diſrumpit, unde tumores oedematoſi & aſcitici enaſcuntur.

Scholion.

Valet id maxime, ubi duo ampla illa & ſpongioſa, ex meris ſanguineis vaſis contexta viſcera, hepar ac lien, ex nimia atonia infarcta, obſtructa, aut indurata fuerint. In his enim ut plurimum fons & ſcaturigo hydropis & cachexiæ reſidet. Qualis vero eſt ſanguinis per hæc viſcera tranſitus, talis quoque eſt lymphæ per abdominis vaſa circulus.

§. XVIII.

Stagnante & difficilius progrediente ſanguine per hepar, regurgitat ille ad vicina venæ portæ vaſa ac viſcera, ſicque ingentes in circulo ſanguinis fiunt inæqualitates, ejuſque nimiæ in aliis partibus congeſtiones, quæ plura mala progignunt.

Scholion.

Per nullum viſcus difficilior eſt ſanguinis tranſitus, quam per hepar, quia potiſſima vaſa ad illud advehentia ſunt venæ, quæ ſufficienti pulſu & impulſu deſtituuntur. Compertum enim ex anatomicis eſt, omnem ſanguinem, qui ex toto volumine inteſtinorum, ventriculo, omento, liene & pancreate redit, per venæ portæ ramos advehi ad hepar: quum vero valde difficulter hoc viſcus trajiciat, facillime, præſertim in vitæ ſedentariæ addictis, regurgitat ad eandem venam illaque viſcera, unde ſanguis hic prodierat. Hinc non eſt mirum, ob tam difficilem & impeditum ſanguinis per hepar tranſgreſſum eadem viſcera, unde hic ſanguis prodierat, ab eodem per hepar liberum tranſitum non inveniente, tandem infarciri, diſtendi & multum in functionibus ſuis vitiari poſſe. Si vero in meſenterii vaſis nimia ſanguinis copia ſubſiſtit, facile inde generantur abſceſſus, febres lentæ & meſentericæ. Ex obſtructo hepate & liene vomitus ſæpe cruentus & dejectio nigra foetida fit per alvum. Neque novum eſt, immodicum ſanguinis per hæmorrhoides fluxum ex obſtructis hiſce viſceribus ſubnaſci, qui cachecticis & hydropicis admodum familiaris evenit. Quod ſi ſanguis inter membranarum inteſtinalium interſtitia congeſtus earum nimiam diſtenſionem facit, atroces ſubinde dolores graviter hæmorrhoidarios affligere ſolent.

§. XIX.

Difficilis quoque eſt regreſſus ſanguinis per uterum, qui valde copioſis & in ſe convolutis vaſis conſtat. Ab horum itaque à ſanguine infarctu menſium ſuppreſſio aut immoderatus ſanguinis, vel ſeri viſcidi albi fluxus concitatur; exinde quoque non raro ipſe uterus in tumorem attollitur, & copioſæ ſeri fœtidi per uterum effuſiones, hydropes ovarii, vel etiam ulcera aut abſceſſus uteri generantur.

§. XX.

Ob difficiliorem ſanguinis per renes atonia laborantes tranſitum mictiones cruentæ, renum tumores, exulcerationes,

rationes, inflammationes & calculosæ concretiones fiunt.

§. XXI.

Motus sanguinis valde retardatus in pulmonibus tubercula, abscessus, respirationem difficilem, asthma, peripneumoniam, hæmoptysin atque exulcerationem gignit. In corde autem cunctatior sanguinis transitus ejus palpitationes summasque anxietates parit.

§. XXII.

Impeditior sanguinis per vasa progressus ad polyporum generationem multum contribuit. Nam à sanguine intra vasa subsistente ejus fluidæ partes perquam facile secedunt, unde fit, ut solidæ & crassiores procedente tempore concrescant & firmius coagmententur.

Scholion.

Polypi in vasis majoribus hærentes liberum sanguinis itum ac reditum valde perturbant & plerumque in corde crebriores lipothymias, pertinaces palpitationes & subitam mortem producunt. Si majora pulmonum vasa obsident, asthma convulsivum, hydropem thoracis, catarrhum suffocativum vel etiam enormem hæmoptysin efficiunt. In finibus duræ matris epilepsiæ, affectuum apoplecticorum, pertinacis cephalalgiæ & affectuum soporosorum causæ sunt. In abdominis vasis majoribus tumores œdematosos & hydropem: in utero vel continuas sanguinis aut seri profusiones vel omnimodam mensium suppressionem inducunt. Huc etiam ob similitudinem referre licet, quod in gravidis vasa iliaca ab utero distento compressa inflationem ac tumorem crurum circa ultimos gestationis menses efficiant, qui fœtu emisso evanescunt.

§. XXIII.

Nimia laxitas & atonia glandularum multas præternaturales & immodicas humoris serosi, ob copiosum affluxum, excretiones excitat.

Scholion.

Ex hoc fonte diarrhœæ, ejectiones copiosi humoris per nares, per tussim, immodicæ urinæ & salivæ profusiones immoderatæ seri vitiosi & humoris seminalis secessiones per fluorem album, gonorrhoeam tam benignam quam virulentam, pullulant. Atque hæc nimia glandularum in naribus ac faucibus laxitas etiam in causa est, quod tumores in lue venerea hic suborti miserrime has partes corrodant & fœda putredine inficiant.

§. XXIV.

Glandulis, quæ elatere fibrarum lymphæ per vasa appropriata circuitum adjuvant, obstructis ac tumefactis, humores lymphatici circa earum confinia stagnant, ibique diutius hærentes acrem & erodentem naturam induunt, unde solidarum partium erosiones, exulcerationes, salsæ fluxiones, rheumatismi & catarrhi proficiscuntur.

Scholion.

Attenta observatione à nobis notatum est, ea cutis vitia, quæ ab acri & erodente lympha proveniunt, in quorum censu sunt scabies, lepra, herpes, tinea capitis, achores, exulcerationes fœdæ in lue venerea vel scorbuto, nec non salsæ ex oculis defluxiones à glandulis tumefactis ortum habere, quæ vel in collo vel in ipsa cute atque in artubus hærent, ubi sæpe tumores, globuli molles, mobiles, rotundi, nunc majoris nunc minoris ambitus, interdum ovi columbini magnitudine, doloris expertes, in maligna præsertim scabie & lue venerea observantur: & quamdiu hi tumores non tolluntur, perfecta horum vitiorum curatio frustra speratur.

§. XXV.

Quo majores glandulæ obstructæ sunt, eo magis liber lymphæ transitus impeditur, eoque graviores exulcerationes, apostemata vel lymphæ effusiones nascuntur.

Scholion.

Testes hujus rei sunt glandulæ in inguine & sub axillis sitæ, quæ in peste aut febre erysipelacea vel à miasmate venereo intumescentes sæpe mali moris apostema vel ulcus excludunt. Glandulas mesenterii obstructas & valde tumidas sequitur hydrops ascites, vel ingens intumescentia abdominis.

§. XXVI.

Est quoque lex firma & constans naturæ, quod vehementior spasmus, membranis nervosis insidens, vitiosum hunc motum per universam sæpe nervorum ac membranarum compagem mirifice propaget.

Scholion.

Luculentum hujus rei testimonium præbent venena, v. g. arsenicum album aut mercurius sublimatus, quæ intra corpus assumta statim tormina atrocissima, sitim ingentem, ob strictluram glandularum œsophagi & faucium, extremorum frigus, sudores gelidos, anxietates intolerabiles, inquietudines, animi deliquia, vomitiones, constrictiones præcordiorum & convulsiones excitant. Quæ omnia à validissima illa & spastica partium nervosarum constrictione ac celerrima vitiosæ hujus oscillationis fibrarum per totum nervorum genus propagatione proficiscuntur. Si dentes eruptionem moliuntur, à sola hac generis nervosi irritatione & punctione gravissima oriuntur pathemata. Inde enim præsto sunt febres, vigiliæ, pavores, epilepsiæ, inquietudines, alvi constrictiones, tormina abdominis, & alvo suppressa feces virides, in quibusdam diarrhœæ, vomitiones & asthmata fiunt; nihilque contingit frequentius, quam ut tormina infantum cum alvi suppressione juncta febres & epilepsiæ funestæ sequantur. A purgantibus improvide & crebrius sumtis flatulentias, ventris tumores tympaniticos, urinæ suppressiones, sitim, febrilem calorem, sudorem gelidum in ipsa medicamenti operatione animadvertimus. Quod crudeles intestinorum dolores in paresin vel paralysin terminentur, res in praxi notissima est. Sic nimia pedum refrigeratio mox ventris dolores concitat. Sic etiam dolor ex calculo nauseas ac vomitiones parit, pulsumque in latere affecto parvum ac depressum reddit & urinæ exitum ob solam spasticam compressionem sæpius in utroque uretere impedit. Nec raro est tanta spasmi vis ac magnitudo, ut testem affecti lateris sursum trahat, & crus constringat. A lacte post partum intra mammas stagnante febres excitari & lochiorum fluxum sufflaminari, sæpissime in praxi occurrit. Longe autem clarius motuum horum spasmodicorum per eximios nervorum plexus propagatio in hystericis conspicitur, ubi maximam partem spasticæ illæ oscillationes in intestinis incipiunt, alvo adstricta & urina aquosa existente; inde vero ad plexum mesentericum, testante id ipsum dolore in prima lumborum vertebra, abeuntes, ad ventriculum, diaphragma, pulmones, fauces & usque ad caput grassantur, indicantibus id summis præcordiorum anxietatibus, diaphragmatis constrictionibus, faucium strangulatione, animi deliquio, respiratione ad suffocationem usque difficili, vertigine, scotomia, hemicrania, quibus interdum epilepsiæ & suffocationes superveniunt. Hæ spasmodicæ ac violentæ partium nervosarum tractiones & commotiones sæpius ex capite per eadem nervorum paria, ceu vias, ad inferiores partes, unde processerunt, revertuntur, sed plerumque cum majori symptomatum vehementia viriumque debilitatione. Ita sæpius ex capite summas præcordiorum anxietates cum vomitionibus & torminibus ventris prodiisse annotavimus.

§. XXVII.

§. XXVII.

Spasmi ejus sunt indolis atque ingenii, ut iis partibus, ad quas ingens sanguinis & humorum copia cum impetu vibratur, magnam inducant debilitatem.

Scholion.

Nimia humorum copia fibrarum elaterem, tonum ac robur valde infringit atque enervat, adeo, ut pristinam vim ac robur difficulter recipiant. Unde fit, ut novis spasmis insurgentibus ad capiendos æque ac retinendos humores appulsos valde dispositæ atque accommodatæ sint. Exemplo esse potest vesica, quæ ab urina diutius retenta ita distenditur, ut postea ob debilitatam ejus vim systalticam laticem urinosum difficilius emittat. Petenda hinc venit ratio, quare in plurimis morbis eorumque paroxysmis ac recidivis humores per spasmos repulsi prompte admodum eas partes, quas semel occuparunt, per vias quoque & meatus eosdem, rursus affligere ac lacessere soleant.

§. XXVIII.

Ad leges, quæ motus microcosmicos respiciunt, etiam hæc referenda est, quod spasmi, quam partem semel vel iterum atque iterum occuparunt, ei talem inducant habitudinem, ut postea levi causa accedente easdem spasticas constrictiones repetant, habitum quasi & consuetudinem quandam consequutæ.

Scholion.

Elucet hinc ratio, cur omnes morbi spasmodici, & qui circuitum habent, ut paroxysmi febriles, epileptici convulsivi, vel acerbiores dolores, uti maxime videmus in hypochondriacis & scorbuticis, ex levi admodum causa & occasione tam facile revertantur.

§. XXIX.

Perpetua lex naturæ est, quod spasmorum in partes operatio non sit continua, sed plerumque ad certum tempus eorum vehementia se remittat, vel plane intermittat, interjecto autem aliquo tempore statis ac certis periodis, cum eodem sæpe impetu, revertatur.

Scholion.

Est hæc natura atque indoles omnium morborum tam acutorum quam chronicorum, & qui per paroxysmos, periodos & exacerbationos corpora humana exercent, ut non continuo affligant eodem gradu vehementiæ, sed certo temporis spatio conquiescant, & quasdam quasi faciant inducias. Adeo etiam atrocissima intestinorum tormina, intolerabiles anxietates, vomitiones aut concitatæ alvi dejectiones à veneno, vel drastico purgante aut emetico subortæ, non continenter corpora affligunt atque excruciant, sed remissiones & exacerbationes suas habent.

§. XXX.

Quod spasmi illis partibus, quas diu obsederunt, atoniam atque imbecillitatem inducant, hæc etiam una ex præcipuis naturæ legibus & observatis censenda est.

Scholion.

Partium imbecillitas, quæ diuturnius spasmorum sequitur exercitium haud aliunde arcessenda videtur, quam quod validissima illa fibrarum agitatione, mutua allisione & contorsione fluidissimæ sanguinis ac succi nervosi partes, quæ tonum ac robur vitale efficiunt, avolent ac dissipentur. Unde sequitur, partibus tamdiu illam inhærere debilitatem, usque dum cum tempore paulatimque recentibus succis spirituosis iterum perfusæ ac refocillatæ fuerint.

§. XXXI.

Atonia & imbecillitas, quam vehementia spasmorum in partibus relinquit, variorum phænomenorum in pathologicis rationem & causam subministrat.

Scholion.

Mirum est, quam levi negotio plura difficilia phænomena per hanc legem mechanicam explicari possint. Res perquam notatu digna est, quod sub intermittentium paroxysmis maxima adsit pulsuum, cum intenso calore, celeritas ac vehementia, diebus vero vacuis mirabilis pulsuum tarditas ac debilitas cum partium refrigeratione observetur. Si affectus & motus spasmodici hypochondriacos, arthriticos vel hystericas exercent, pulsus valde duri, celeres cum interno ardore & anxietate observantur: remittentibus vero his paroxysmis pulsus tardissimi ac debilissimi evadunt. In febrium paroxysmis inque acerbis doloribus cutis arida, tensa, fervida, stricta & exsiccata visitur, ut necquicquam humoris prodeat: finito autem paroxysmo relaxatur, & tumida ac mollis redditur, largissimoque sudore cum frigidiusculo sensu perfunditur. Sub spasmis, febrili calore, ac doloribus urina valde aquosa ac tenuis, & quæ nihil sedimenti deponit, mingitur, quum tamen in declinatione & silentibus spasmis propter nimiam meatuum laxitatem urina valde crassa ac saturata, quæ facile sedimentum dimittit, excernatur. Quid notius est, quam quod partem vehementer inflammatam & acutissima sensatione vexatam non ita multo post tanta atonia & resolutio excipere soleat, ut omnis dolor sublatus sit, atque sanguis ob extremam debilitatem partis quiescens sphacelosam corruptionem concipiat. Sub omni graviori dolore partis adest constrictio, quam insequens intumescentia certum desævientis doloris indicium est. A venenis causticis mire contorquentur intestina cum ventriculo; operatione vero peracta & post mortem venter ab intestinis inflatis in magnum tumorem attollitur. Fortiorem emetici aut purgantis operationem plerumque ventriculi & intestinorum atonia ac flatulentia excipit, & labefactato motu peristaltico alvi tarditas subsequitur. Petenda hinc etiam est ratio, quare cessante febris impetu aut convulsione demum ingens languor ac virium prostratio percipiatur. Similiter in principio tussis materia admodum tenuis est, sub declinatione vero, remittente glandularum spasmo, valde copiosa ac mucida excernitur.

§. XXXII.

Quo vehementior itaque est spasmus, & quo diutius partem affligit; eo major atonia, imbecillitas ac virium resolutio relinquitur.

Scholion.

Inde fit, ut profundior ac vehementior inflammatio sphacelum post se trahat. Motus vero epileptici asthma convulsivum, si diu perdurant, plerumque ita vitiant tonum cerebri ac nervorum, ut paralysis, hemiplexia vel apoplexia finem vitæ imponant.

§. XXXIII.

Quia partes per motus spasticos & paroxysmos admodum debiles & imbecillæ evadunt, hinc fit, ut stagnantes & subsistentes, qui affluxerunt, humores, fomitem ac materiam ad novos paroxysmos producendos ingenerent.

Scholion.

Frequentissime accidit in intermittentibus, ut paroxysmi, statis temporum intervallis redeant, etiamsi omnis materia febrilis subacta & exturbata fuerit. Qua de re ego ita sentio. Nimirum ipsi paroxysmi novam semper materiam & causam novi & futuri paroxysmi progignunt, dum intensiori calore & motu sanguinis adaucto plures biliosæ ac salsæ excrementitiæ sordes, in quas sanguis vehementiori motu attritus, tandem fatiscit, producuntur, quæ in partibus membranosis à paroxys-

mo valde debilitatis, facile ſtagnant, eaſque ad concitandas ſpaſticas conſtrictiones exſtimulant. Multo autem facilius paroxyſmi regenerantur in partibus valde debilitatis, ſi materia febrilis adhuc præſens ſit, inque abdominis viſceribus adhuc reſideat. Idem noſtrum judicium eſt de cauſis, quare febres aliique morbi facilem patiantur recidivam. Niſi enim partes à morbo fractas ac debilitatas convenienti medicina roboremus, atque earum tonum inſtauremus & materiam, quæ in vitio eſt, evacuemus, quid mirum eſt, ſi de novo priores morbi repullulaſcant. Ex dictis aperta jam erit ratio, quare cortex chinæ & alia ſubadſtringentia & roborantia febrilibus paroxyſmis & id genus ſpaſticis pathematibus avertendis ſint utique præſidia efficaciſſima.

§. XXXIV.

In juvenili & virili ætate, item in corporibus vegetioribus & agilioris indolis ſanguis & humores impetum magis faciunt verſus ſuperiora: in ſenibus vero infirmis & ſegnioris naturæ hominibus verſus inferiora.

Scholion.

Ita obſervamus, profuſiones ſanguinis per nares, per pulmones in hæmoptyſi, familiares admodum eſſe juvenibus, adeo, ut etiam ardentes febres in iis ſæpius per narium hæmorrhagiam ſolvantur. Et quia ex ſanguinis impetu ad pectus facile phthiſis gignitur, patet jam facile ratio, quare nulla ætas phthiſico malo tam obnoxia ſit, quam juvenilis. Ratio vero, quare in hac ætate verſus ſuperiora magnus humorum fiat impetus, dubio omni procul in fibrarum robore, nimia tenſione, elatere, quærenda erit: in ſenibus vero & infirmis humores magis verſus inferiora tendunt, quoniam nimia eſt ſolidorum laxitas & flacciditas atque fibrarum robur diminutum, hinc remittit etiam ille vividus humorum verſus ſuperiora impetus, ſed magis vitioſi humores deſcendunt ad inferiora inque viſceribus ſtagnantes chronicas paſſiones, ſcorbutum, cachexiam, hydropem, nephritidem, colicam, fluxus hæmorrhoidales & ex his varia reſultantia incommoda producunt. Accedit & illud, quod in juvenili ætate ſemper alvus ſit adſtrictior, in ſenibus vero mollior & laxior. Quin etiam horum libere hinc inde diffluere liquidum nerveum & juxta naturæ ordinem robur ac motum partibus præſtare poſſit. Sunt vero affectus animi certis naturis & corporibus magis vel minus infenſi & cum in juvenili ætate magno impetu agitantur humores, non mirum eſt iracundiam juvenibus maxime eſſe noxiam, dum inde in enormes hæmorrhagias narium, hæmoptyſes, phthiſes, pleuritides, febres ardentes, cephalalgias & deliria facile incidunt. Et quia in provectiori ætate ſolida laxitate naturali laborant, facile intelligitur, mœſtitiam & curas, terrorem quoque ſenibus eſſe infenſiſſimos affectus, quibus graves chronicæ paſſiones, & ipſa etiam mors promte admodum ſuſcitantur. Eſt enim mirifica triſtitiæ vis tonum ventriculi & inteſtinorum labefactandi & deſtruendi, ut alimentorum digeſtio, ſecretio & excretio mille modis inde turbetur.

§. XXXV.

Fluida & ſolida ex repetitis actibus & conſuetudine talem acquirunt naturam ac diſpoſitionem ut facillime eoſdem motus repetant.

Scholion.

Hæc lex naturæ univerſalis eſt & hinc probe cuſtodienda, eo quod plurimorum phænomenorum explicationi inſerviat. Plures ſunt morbi, ſeu potius motus morboſi, quibus fluida ex uno loco in alterum cum impetu transferuntur, qui certo anni, aut menſis tempore revertuntur ſuamque tragœdiam ludunt. Qui ſemel vel iterum colico dolore correpti ſunt, ii facile rurſus in eundem incidunt. Et quibus circa tempora æquinoctialia hæmorrhoides fluere conſueſcunt, illi eodem tempore revertente ſpaſmos hæmorrhoidales in lumbis, dorſo, oſſe ſacro ac infimo ventre experiuntur. Si qui certo anni tempore venæ ſectioni aut ſcarificationi adſueſcunt, recurrente eo tempore, gravitatem & preſſionem in iis locis patiuntur, ſique has evacuationes omiſerint, ſæpe fit, ut inde in morbos incurrant. Qui nimiis exercitationibus & laboribus corpora aſſuefecerunt, ſi intempeſtivæ & diuturnæ quieti poſtea indulgent, facile ægrotant & maxime in articulorum dolores incidunt & contra, *ſi quis ex multa quiete*, ut verba ſunt *Hippocratis Lib. de victu acutor.* §. 24. *ad ampliorem laborem derepente perveniat, multo magis lædetur, quam ſi ex multo cibo ad vaſorum vacuationem tranſmutatur & ſi ex multo labore derepente ad otium & ſegnitiem exciderit. Oportet tamen & hiscerpus quieſcere. Oportet item illis ventrem à ciborum copia quieſcere. Sin minus & dolorem in corpore inducet & totius corporis gravitatem.* Et idem auctor §. 13. *levis lectus præter morem mollis dolorem inducit, itemque præter conſuetudinem durus.* Qui dormire conſueverunt hyemali tempore in conclavi minus calefacto, ii lædunturr, ſi ſomnum capiunt in hypocauſtis tepefactis. Qui adſueſcunt determinata diei hora cibum adſumere vel etiam expergiſci, ii eadem hora revertente ad ciborum appetentiam coguntur vel evigilant. Quibus in uſu eſt certa noctis hora mingere, eadem ſingulis noctibus ad mingendum excitabuntur. Sic plura circa hanc rem valde utilia tradidit Hippocrates de veteri medicina §. 19. *item de victu acutorum.* §. 15. 16.

§. XXXVI.

Motus omnes & ſinguli, qui functiones corporis animati turbant, in ſe & ſua natura noxii atque pernicioſi ſunt, nihilo minus ſalutarem ſæpius effectum relinquunt & cauſas morborum jugulando corpori ſanitatem reſtituunt.

Scholion.

Quemadmodum omnis ordo tam in moralibus quam in phyſicis & quodcunque cum illo recto ordine convenit, in ſe & ſua natura bonum ac ſalutare eſt, ita etiam, quod huic ordini repugnat & contrariatur, in ſe & ſua natura malum eſt. Sicuti itaque motus, qui vitæ & ſanitati præſunt, temperati, proportionati & in æquilibrio conſiſtentes abſolute ſalutares & proficui cenſendi ſunt, ita neceſſario inde infertur, omnes eos motus extra proportionem & æquilibrium conſtitutos, qui vitiant & lædunt actiones, ſua natura & ſuis viribus eſſe perniciales. Ecquis eſt, qui motus circulares humorum retardatos, depreſſos, excretiones ſuppreſſas & ex his pendentes ſanguinis & ſeri ſtagnationes, viſcerum infarctus, obſtructiones, corruptiones, quibus maxime natura morborum chronicorum continetur, dicere velit ſalutares. Neque de motibus intenſioribus & ſpaſmodicis abſoluta ſalubritas, quæ corpori utilis ſit illudque à corruptione & morte vindicet, prædicari poteſt: perquam enim notum eſt, ſpaſmos ejus naturæ ac indolis eſſe, ut excretiones ſiſtant, emunctorium cutis, quo utiliſſima perſpiratio continenter fit, conſtringant atque humorum motum ab ambitu corporis & extremis partibus ad interna & ipſum cor retrovertant, cum tamen motus illi, qui ſanitati & vitæ patrocinantur, excretorii, debeant eſſe liberi & à centro ad peripheriam corporis ferri. Et quod ſpaſmorum natura vitæ è diametro adverſetur vel ex eo colligendum eſt, quia ſub ſpaſmis & per ſpaſmos ſymptomata, quæ mortem inferunt, producuntur.

§. XXXVII.

Non ſpaſmi, ſed qui ſpaſmos ſæpius ſubſequuntur, intenſiores ſanguinis per vaſa motus à validiori & celeriori cordis & arteriarum ſyſtole ſuſcitati & qui ab

interioribus ad exteriora devergunt & febriles dicuntur, ſalutarem ſæpenumero effectum præſtant, dum corpora à cauſis morboſis & earum pravis effectibus liberant.

Scholion.

Neque etiam febris, utut ejus effectus ſæpe ſalutaris ſit, in ſe & ſua natura adeoque abſolute & nullo reſpectu habito ſalutaris motus vel conatus naturæ in bonum finem inſtitutus dici poteſt, quia vires conſumendo ſæpe, præſertim in morbis chronicis, ſtagnationes humorum & viſcerum corruptiones ac putredines deteriores reddit, hinc fit, ut febris phthiſi aut hydropi vel cachexiæ & ſcorbuto ſuperveniens vel ſenilibus & infirmioribus corporibus accedens plerumque, imo fere ſemper mortem inferat; ſalutaris itaque effectus ſequitur, ſi ſpaſmi ejus ſunt naturæ, ut cauſam, à qua proveniunt, nempe ſanguinem ſtagnantem, evacuent & celerrime febriles motus identidem ſtaſes & ſtagnationes pernitioſas diſcutiant, & ſanguinem, qui copia & ſpiſſitudine laborat, reſolvant.

§. XXXVIII.

Periti itaque & prudentis eſt medici, motuum, qui fiunt in morbis, naturam & effectus probe cognoſcere, & in ſalutarem finem convenienti auxilio convertere.

Scholion.

Profecto in eo therapiæ cardo verſatur, ut medicus valde pernitiales morbiferos motus diſcernat ab iis, qui ſalutarem poſſunt præſtare corpori effectum; illos enim præciſis tanquam radicibus compeſcere, hos vero arte, qua fieri poteſt, exquiſitiſſima ſecundare & adjuvare debet. Neque vero feliciter hoc negotium confi-cere poterit, niſi naturæ leges & effectus, item diverſiſſimas motuum morboſorum, à quibus ſuſtentantur, cauſas & corporum afflictorum naturam probe & accurate intelligat & hæc omnia invicem probe diſcernat. Et qui omnia hæc bene norit, is noſtra ſententia optimus erit cenſendus medicus.

CAPUT IV.

De morborum & motuum morboſorum cauſis.

§. I.

QUum turbatio functionum corporis vivi & ſani à motibus, qui ſecundum leges naturæ fiunt, valde immutatis proveniat; nulla autem corpori mutatio ſine cauſa, quæ hanc inferat, induci poſſit, neceſſario ſequitur, ut motus in corpore inſigniter mutati ab adæquatis & quoad proportionem accommodatis cauſis proficiſcantur.

Scholion.

Quoniam variæ, eæque graves admodum turbationes motuum ſecundum naturam incidunt, quæ etiam variis modis corpus humanum excruciant, facile patet non unam eandemque, ſed valde diverſas ratione principii & virtutis agendi eſſe cauſas, quæ hos motus excitarunt.

§. II.

Plena & exquiſita cauſarum morbi cognitio Medico itu ſumme eſt neceſſaria.

Scholion.

In accurata cauſarum morbi perſpicientia medentis por maxime verſatur atque abſolvitur. Nam ſi quis uſas morbi, quo corpus afficitur, juxta effatum *Hipcratis, Lib. de Flatibus.* §. 2. *probe cognoverit, valde tens eſt ea aff rre, quæ corpori commodent, nimirum contraria morborum natura perſpecta.* Quam ſententiam divus ſenex magis planam ac perſpicuam facit *Lib. de Natura human.* §. 25. *curationem, inquiens, inſtituere oportet; ut cauſæ morbi nos opponamus, ſic enim ſolvitur utique id, quod morbum in corpore fecit.* Pertinet huc illud *Celſi: cauſæ inveſtigatio, ejuſque primordia & occaſio in affectionis & remediorum cognitionem deducunt ampliſſimam.* Sique origines & principia ex quibus pravæ corporis adfectiones proveniunt, plene atque exacte perſpectæ ſunt, longe facilior præcavendi morbos erit ratio; ex parva enim occaſione ſæpe ingens naſcitur morbus. Neque vero quicquam præclarius à medico deſiderari poteſt, quam ut corpora humana à morbis & præmatura morte defendat.

§. III.

Cauſa motuum morboſorum minus recte in principio omnes corporis motus dirigente ponitur.

Scholion.

Si hoc principio fluidum illud nobiliſſimum in ſanguine & nervis contentum atque ex puriori & delibatiſſima aëris & alimentorum ſubſtantia oriundum, ſignificatur, non plane repudianda eſt hæc aſſertio. Quod enim motus ſecundum naturam efficit, id immutatum eoſdem turbare ac pervertere poteſt. At enim vero ſi pro tali principio ens quoddam materiæ expers agnoſcitur, quod ſenſu interno, intentione ac ſapientia inſtructum motus ad certos fines in morbis dirigat, id neutiquam admittere poſſumus. Clarior enim ac diſtinctior prius hujuſmodi principii, quod motus ad vitam pertinentes tam in ſtatu ſano, quam adflicto dirigat, tam exiſtentiæ probatio, quam explicatio à nobis deſideratur.

§. IV.

Cauſæ ex Metaphyſicorum ſcholis in phyſicam & pathologicam corporis humani doctrinam minime tranſferri debent.

Scholion.

Metaphyſici cauſarum ſuarum claſſes maxime ſecundum actiones humanas inſtruxerunt, quo referri videntur cauſa efficiens, principalis, impulſiva, moralis, phyſica, inſtrumentalis, formalis, objectiva, finalis, ſubjectiva & id genus plures. Ut itaque genuinus harum diſtinctionum valor & uſus, qui ab inſtituto noſtro non alienus videtur, appareat, ponamus, hominem eſſe, qui imminentem domus ruinam præcavere atque avertere velit. Cauſa igitur efficiens hic ponenda erit in domino, qui hanc impendentem domus ruinam præſentit, intelligit, & omnia ad hanc avertendam conquirit præſidia. Cauſam materialem & ſubjectivam conſtituet res, quæ ruinam minatur; objectiva conſiſtet in hujus abolitione; formalis erit modus hanc amovendi; inſtrumentalis continebitur inſtrumentis huic ſcopo accommodatis: cauſa denique finalis dicenda erit præſervatio à damno. Hanc concatenatam cauſarum ſeriem nonnulli ex recentioribus transferunt ad œconomiam corporis humani, quod cauſa morbi ruinæ & corruptioni facit obnoxium. Rem igitur hunc fere in modum explicant: dicunt nimirum, hoc periculum corruptionis eſſe omni modo à corpore avertendum, atque ad hoc concurrere omnium primo animam humanam, quæ prævideat atque intelligat imminentem corporis ſui interitum, omniaque media ad hunc amoliendum dirigat, adeoque cauſam eſſe morboſorum motuum efficientem; pro cauſa autem materiali ſeu ſubjectiva habendam eſſe materiam illam pernicioſam, quæ corporis deſtructionem moliatur; cauſam objectivam eſſe ejus ex corpore eliminationem, formalem motus ſecretorios & excretorios, inſtrumentalem vias & partes ſolidas, finalem denique corporis ab omni interitu ac putredine conſervationem. Hæc utique animæ methodus, in conſervatione corporis, quem-

admodum eſt ſimpliciſſima : ita etiam à tironibus, quibus ſimplicia, facilia, & quæ ingenium non adeo fatigant, maxime arrident, avidiſſime & cœco animi impetu arripitur. At enim vero, quum hæc nimis generalia ſint, atque ejuſmodi principium, ſcientia, intentione, & potentia motus tam vitales quam naturales dirigendi inſtructum, fruſtra ſupponatur, quippe cujus exiſtentia nondum ſolido quondam ratiocinio probata eſt; cauſas has metaphyſicas, quæ potius mentis, quam corporis operationibus explicandis inſerviunt, jure meritoque rejicimus, eaſque in phyſicam corporis humani ſcientiam neutiquam recipiendas eſſe exiſtimamus: præſertim cum ejuſmodi admiſſis omnis vera ratio & demonſtratio in medicina, quæ maxime in vera cauſarum, quæ corpus in functionibus ſuis mutant, inquiſitione verſatur, uno ictu præſcindatur.

§. V.

Quemadmodum functiones ac motus, qui ad machinæ corruptibilis conſervationem tendunt, à cauſis mere mechanicis, i. e. rerum corporearum facultatibus earumque mutua actione ac reactione dependent; ita ab eodem fonte cauſas, quæ machinam corporis noſtri pervertunt, vel plane deſtruunt, derivandas eſſe arbitramur.

§. VI.

Cauſa morbifica recte definita eſt à *Galeno Lib. de Sympiomat. Different.* quod ſit illa, quæ ſuapte natura, propriiſque ac inſitis viribus ad morbi generationem confert ſive proxime ſive remote.

Scholion.

Nam quemadmodum alimentis æque ac elementis & venenis peculiaris ineſt vis ac facultas operandi in corpus humanum, ejus motus diverſimode mutando: ita nullum eſt dubium, quin cauſæ, morborum opifices, proprias atque inſitas vires ac facultates habeant, corporis noſtri partes ſolidas ac fluidas multifariam in motu ſuo turbandi & alterandi. Patet id maxime ex diverſis phænomenis atque effectibus, qui in morborum generatione conſpiciuntur.

§. VII.

Venenorum vehemens illa operatio, qua celerrime pervertunt ac deſtruunt machinæ noſtræ vitales & conſervatorios motus, cauſarum aliarum nocentium & morbidarum indolem, principium & modum operandi perquam pulchre declarat.

Scholion.

Quod venenorum diverſa genera ſint & cuivis peculiaris potentia agendi in corpus pernicialis inſit, ex eorum effectu diverſiſſimo, quem exercent, ſatis clarum ac perſpicuum eſt. Ita mercuriale venenum peculiari ratione agit in fauces earumque glandulas, eas conſtringendo & exulcerando. Arſenici virus atrocibus tormentis, vomitionibus enormibus, convulſionibus, & ſphacelatione tunicarum inteſtinalium necat. Semen daturæ inſaniam parit; hyoſcyamus ſtuporem infert, & adeo conturbat phantaſiam, ut dæmones & ſpectra homines ſibi imaginentur. Opium ſomnolentiam ac torporem menti infert; purgantia acriora necant inflammatione inteſtinorum; morſus canis rabidi funeſtam ab omni liquido horreſcentiam affert. Venenum ictus tarantulæ mirabiles effectus producit; nam ictu earum læſi muſicis inſtrumentis delectantur, eorumque ſono ad geſticulationem, choreas & tripudia adiguntur. Ictus ſcorpionis ſubito & frigidiſſimo ſudore totum corpus perfundit. Lithargyrium improvide & copioſe hauſtum colicam convulſivam cum pertinaciſſima alvi adſtrictione producit. Et quodvis etiam venenum peculiari ac ſpecifica ſua antidoto oppugnatur. Quo clarius intelligitur, diverſorum, quos venena excitant, pernicialium effectuum cauſam nullo modo, ut nonnullorum fert hypotheſis, in principio corporis noſtri agente ac dirigente ejus motus, ſed in ipſius veneni peculiari craſi, qua violenter totam motuum vitalium rempublicam evertit, quærendam eſſe. Pari ratione plurimæ morborum cauſæ veneni naturam indolemque æmulantur, & diverſis effectibus peculiarem ſuam texturam & ex hac dependentem activitatem & motum produnt. Ita nullum dubium eſt, quin variolæ, morbilli, purpura rubra alba, efferæ, rubeolæ, maculæ petechiales ſcorbuticæ à peculiari cauſæ indole & ſchemate proficiſcantur, eo quod diverſiſſimus horum morborum ſit genius; ſymptomatum etiam & curandi diverſa ratio; item quod unus alteri ſuccedat. Ita non novum in praxi eſt, variolas ſupervenire morbillis, his variolas & utriſque tandem purpuram accedere, purpuram rubram ſequi albam, vel albam rubræ ſupervenire.

§. VIII.

Cauſæ morborum virulentæ non omnibus, ſed certis ac determinatis corporis partibus, in quas ſuam exercent violentiam, infenſæ ſunt.

Scholion.

Miaſma peſtilentiale, quod corpora inficit humana, cetera animantia non offendit; contagium, quod boum gregem ſumma virulentia adoritur, equis & aliis beſtiis innoxium eſt, & contra. Contagium ſcabioſi non alias partes inficit, quam ſubcutaneas, & ſimiles ibi exulcerationes producit. Virus impurioris coitus maxime glandulas petit inguinales & faucium oſſibus firmiter inſidet, inque facie puſtulas attollit, quod non facile in ulla morbida, etiam maxima impuritate lymphæ, quæ in ſcabie, ſcorbuto & lepra eſt, viſitur. Materia, quæ ſcorbutum ingenerat, peculiari ratione gingivali carni, quam laxam, putridam & ſanguinolentam reddit, infeſta eſt. Ex oculis in ophthalmia promanantia effluvia non phthiſin inducunt, ſed oculos inflammant. Contra halitus contagioſi phthificorum pulmoni non oculis nocent. Materia morbillorum effectrix nervis pneumonicis inſidias ſtruit, ac ſæpius vehementiſſimam tuſſim proritat. Variolarum autem materia habitum corporis externum aggreditur, ſummamque cutim exulcerat. Serum acre, quod arthritidem parit, tantummodo articulorum membranas invadit, & ex una articulatione in alteram graſſatur, ſique ad viſcera interna retropellitur, ventriculi & inteſtinorum membranas petit, eaſque ad vehementes ſpaſmos & convulſiones ſollicitat. Ex quibus adductis clariſſime apparet, morborum cauſas materiales non eſſe paſſivas, ſed ad actiones & motiones præternaturales inducendas valde potentes & quaſvis peculiari plane elemento, indole modoque operandi eſſe inſtructas.

§. IX.

Quæ morbos inferunt cauſæ, motuſque ſecundum naturam turbant, non unice primario, directe & efficienter motus in corpore perverſos excitant.

Scholion.

Enim vero venena, vel exitioſæ morbidæ materiæ motus iſtos ſpaſmodicos convulſivos febriles in nervorum & vaſorum ſyſtemate minime ſuſcitant ita prorſus, ut cauſa horum unice illis ſit adſcribenda, ſed jam tum in motu exiſtunt & conſtitutæ ſunt partes corporis noſtri, in quas agunt morbificæ cauſæ, ut proinde motus iſti naturales tantummodo à morbidis rebus immutentur, perverſe augeantur aut minuantur.

§. X.

Igitur motus morboſi partim motuum, qui jam vigent in partibus ſecundum naturam, partim cauſarum

mor-

morbidarum quæ partes motrices infeſtant, producta ſunt.

Scholion.

His cognitis non longius repetenda erit ratio, cur res infeſtiſſimæ, ut venena, vel tetræ in aëre exhalationes, tempore, quo epidemiæ affectiones graſſantur, non in ſingulis ſimilia, ſed ſubinde plane diverſa ſymptomata inferant, ita prorſus, ut v. g. variolæ in nonnullis valde benigne, in aliis acerbiſſime procedant. Sicut enim idem pharmacum pluribus oblatum diverſas edit operationes, ita etiam eadem morbi cauſa, pro diverſa corporum conditione effectus exerit, longe multumque diſcrepantes. Nam ſecundum vulgatum canonem cauſæ non tantum ratione activitatis, ſed etiam receptivitatis operantur, ſive, quod idem eſt, cauſarum vires perpetuo ſe habent relative, i. e. ab aliis præſentibus rebus multifariam modificantur. Prudentis igitur eſt medici, non modo reſpicere ad cauſarum morbidarum vires, ſed etiam penſi habere corporum laborantium naturam, habitum, vires ac temperamentum. Ita demum rectum de morbi diagnoſi, prognoſi & curandi methodo enaſcitur judicium.

§. XI.

In generandis morbis non una, ſed plures concurrunt cauſæ, quarum ſeriem & ordinem utique ſcire oportet medentem.

Scholion.

In cunctis rebus, quæ à natura fiunt, infinitus fere cauſarum progreſſus obſervatur. Ut res illuſtretur exemplo, annonæ defectus cauſa eſto caloris fœcundantis defectio, hujus cauſa erit cœlum continuo turbidum ac pluvioſum, quod à continuo ventorum ex occidente & ſeptentrione flatu ortum fuit. Qui diuturniores venti dubio omni procul aliam cauſam & forſan peculiares ex terra exhalationes, aut ſiderum poſitiones habent. Neque etiam hæc ipſa ſuis, quibus oriuntur, cauſis erunt deſtituta. Et hæc concatenata cauſarum ſeries prope in infinitum extendi poterit. Simili ratione innumerabilis erit cauſarum morbificarum productio, dum ſemper cauſa producit effectum, qui poſtea cauſa fit alterius effectus, & ſic porro. Quemadmodum vero ſatis eſt, ſi phyſicus cauſas tantum proximas ſterilitatis temporum novit, ita etiam ſufficit, quando medicus earum rerum, quæ præter naturam fiunt in corpore, cauſas proximas, & antecedentes, & quæ eas regunt, cognoverit.

§. XII.

Cauſæ continentes proximæ formales morborum dicuntur, quæ immediate & proxima ratione animati corporis functiones vitiant ac perturbant, ita, ut hiſce poſitis corporis affectiones præſto ſint, & remotis, illæ tollantur: & hæ ſunt maxime motus ſolidorum & fluidorum perverſi, inæquales, ordinis expertes.

§. XIII.

Cauſas proximas materiales, quas nonnulli efficientes per excellentiam vocant, morborum noſſe etiam oportet medicum; & hæ ſunt illæ quæ turbatos iſtos motus ſua natura excitant: hiſce vero cauſis quia antecedunt aliæ tam internæ quam externæ, factum eſt, ut illæ κατ' ἐξοχὴν antecedentes, Græce προηγεμέναι, hæ vero externæ ſive προκαταρκτικαὶ & occaſionales à veteribus dictæ fuerint.

Scholion.

Medicam hanc cauſarum doctrinam illuſtriorem eddemus exemplo. Sæviſſimorum, quibus hyſtericæ xcruciantur, pathematum continens & proxima cau- formalis erit vehementia ſpaſmorum, quibus genus ervorum impetitur. Efficiens materialis erit copioſi, iſſi & impuri ſanguinis in nervoſis partibus congeſtio. Cauſæ antecedentes erunt vel internæ vel externæ: ex illarum genere plethora ex menſium ſuppreſſione, & generis nervoſi imbecillitas accuſandæ erunt. Quod vero attinet remotiores cauſas externas, ex rebus naturalibus corporis nimia ſenſibilitas, vaſorum exilitas, terror, vita motus expers, inordinata diæta, liquidorum uſus parcior, quæ ad geneſin harum cauſarum occaſionem præbent, adducendæ erunt.

§. XIV.

Plurimum refert, cauſarum morbificarum ordines in morborum & medendi ſcientia non confundi.

Scholion.

Si medicus in demonſtrando & ſanando conſiderate ac prudenter agere velit, opus utique eſt, ut ordines & ſucceſſiones cauſarum non invicem confundat, quod facit, ſi cauſas antecedentes loco proximarum & efficientium habet. Quod vitium maxime in recentiorum temporum pathologia ſolenne eſt, ubi ad acidum, vel ad humorum acrimoniam, aut ad plethoram cauſſa efficiens vel proxima morborum refertur. Et quum medentes maxime occupati eſſe debeant in removendis cauſis proximis, perperam utique curas ſuas inſtituunt, dum toti in eo ſunt, ut humorum acrimoniam vel acorem extinguant, aut plethoram minuant, quum potius primo omnium cauſæ proximæ, v. g. vehementia ſpaſmorum & quæ hanc efficiunt, ſanguinis ſtaſes vel ſtagnationes convenienti medicina removendæ eſſent. Menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſio eſt ſæpius cauſa antecedens cachectici vel etiam hectici ſtatus, ubi viſcera depravata, obſtructa & corrupta ſunt, atque vires cum bonis ſuccis exhauſtæ. Si quis itaque tali in negotio ad menſes vel hæmorrhoides proliciendas curationis rationem dirigere velit, hic certe mirum à ſcopo aberrabit & fecundo ſucceſſu fruſtrabitur. Si vero ad præcavendos hos morbos has cauſas antecedentes animadvertit, pro voto rem ſuam utique perficiet.

§. XV.

Cauſæ, quæ motus morboſos proxime efficiunt, duplicis ſunt generis: vel enim celerrime agunt, vel paulo tardius ſuam operationem perficiunt. Illæ rurſus duplicis ſunt ordinis, nimirum vel immateriales aut materiales. Prioris generis ſunt animi motus, poſterioris, res, quæ dicuntur toto ſuo genere infeſtæ, videlicet venena.

Scholion.

Animi commotiones, quæ ſecundum ſcholas veterum inter cauſas morborum remotiores perperam referuntur; cum potius efficientes ſint celerrimæ activitatis, immateriales dicuntur, quia in corpore ſaniſſimo abſente omni, quæ in vitio ſit, materia ſolidorum & fluidorum motus cum vehementia ac celeritate pervertunt, ut in gravi terrore vel ira apparet. Protinus enim concepta in animo iracundiæ idea cor palpitare, arteriæ valide pulſare, & humores cum impetu ad caput ferri incipiunt. A ſubito terrore protinus frigent & inhorreſcunt extrema, tubuli ſubcutanei conſtringuntur, venæ antea plenæ detumeſcunt, & in præcordiis, à congeſto ibi ſanguine, oritur anxietas. Et profecto ea eſt motuum animi vis, ut omnium aliarum cauſarum, quin etiam venenorum vehementiam ac celeritatem in operando longiſſime exuperent, quia in inſtanti agunt, quum venena ſpatium poſtulent; quibus etiam ſtatim in principio adhuc utiliter medicina opponi poteſt, quod tamen in animi pathematibus non valet. Inter cauſas igitur, quæ morbos progignunt, primum jure meritoque ordinem animi pathemata tuentur, in ſecundo autem venena ponenda ſunt.

§. XVI.

Res venenatæ, ſeu toti animantium naturæ ſuis viribus

bus infeſtæ, in exili admodum mole ingentes in corporibus vivis motuum perverſiones ſuſcitant.

Scholion.

Venenorum natura & claſſis latius patet, quam quidem vulgo exiſtimatur, namque epidemiæ graſſari & acerbe affligere ſolent paſſiones, à virulentis maxime rebus, quæ tenuiſſimæ & valde corroſivæ aut fermenteſcibilis indolis ſunt, & ex tetris exhalationibus invicem in aëre mixtis oriuntur. Et prout earum & craſis & vis & natura ſubinde multum differt, ita etiam fit, ut uno tempore hæc vel illa corpora aut temperamenta, item has vel illas partes ſæviſſime adoriantur. Ad venenorum autem claſſem quoque pertinent ſubtilioris indolis ſordes, quæ in ſanis æque ac ægrotis ad partes extremas, ſalutari conſilio amandantur. Hæ ibi diutius hærentes & intro repulſæ, veri veneni vires ſæpiſſime æmulantur, ut videmus in tranſpiratione prohibita, variolis, morbillis, ſcabie, purpura, eryſipelate & doloribus arthriticis cum violentia, repulſis, & fonticulis & ulceribus intempeſtive conſolidatis.

§. XVII.

Dantur quoque motuum morboſorum cauſæ materiæ vitioſæ majori mole infeſtæ, & hæ potiſſimum ſunt ſanguinis ceterorumque humorum in vaſis, vel extra ea, ſtaſes aut ſtagnationes.

§. XVIII.

Quamdiu fluida, intemperie copiaque delinquentia, non quieſcunt, ſed motu circulari jugiter agitantur, tam diu morbis procreandis inidonea ſunt. Simul ac vero motus fiunt expertia vel vaſorum alveis elabuntur, vel in iis firmam ſtaſin concipiunt, vel valde tarde progrediuntur, corpus offendunt, & morbos faciunt.

Scholion.

Ita plethorici vel etiam intemperantiſſime viventes ſæpius ſine ullo incommodo ſpiritum trahunt; ſi natura eſt in perpetuo motu circulatorio & excretorio occupata. At ubi à terrore vel vento ſeptentrionali ſubito oborto libera ſiſtitur perſpiratio, ſtatim ingens morborum ſeges progerminat, quia humores, qui antea in motu erant & excernebantur, jam deficiente excretione conſiſtentes partes præter naturam afficiunt.

§. XIX.

Staſes & ſanguinis & humorum plus habent periculi, & acutiores ſunt, quam horum congeſtiones & ſtagnationes. In ſtaſibus humores omni motu carent, vaſis minimis firmiter impacti, in ſtagnationibus vero non ex toto quieſcunt, ſed ob copiam & infarctum lentiores tantummodo curſus faciunt, & ejuſmodi ſtagnationes potius paſſionum chronicarum & motuum morboſorum tranſitoriorum procreatrices ſunt.

§. XX.

Staſes ſunt vel ſanguinis, vel ſeri impuri acrioris: illæ inflammationes, hæ dolores ſpaſticaſque contractiones potiſſimum pariunt, utræque febrilium motuum fœcundæ matrices ſunt.

Scholion.

Prout gravior vel levior ſanguinis ſtaſis eſt, & partes magis vel minus ſenſiles ſunt, ita diverſæ naturæ & effectus prodeunt morbi. Sanguinis ſtaſis in locis valde nervoſis plurimum habet periculi, qualis eſt in meningibus atque in ventriculo & inteſtinorum canalibus, item in membranis quæ pulmonales veſiculas conſtituunt. Serum impurius membranas capitis & cerebri lancinans hemicranias, cephalalgias, convulſiones parit: in membranis articulorum dolores arthriticos: in inteſtinorum tunicis atrociſſima tormina, in ventriculo acerbiſſimas cardialgias: in meatu auditorio ſævam otalgiam: in dentium ligamentis graviſſimam odontalgiam: in muſculorum membranis rheumaticos dolores ſuſcitat. Idem ſerum extravaſatum variorum exanthematum, macularum, puſtularum & ulcerationum cauſa fit. In glanduloſis locis lymphæ ſtaſes, defluxiones & catarrhales febres ingignunt.

§. XXI.

Stagnationes ſanguinis convulſionum & ſpaſmorum fœcundæ genitrices ſunt, quæ vel ex copia vel ex inopia humorum, ſecundum *Hippocratis aph.* 39. *Sect. VI.* fiunt.

Scholion.

Ad tutelam ſecundæ valetudinis proportio humorum in vaſis, quæ nec excedat, nec nimium deficiat, ſemper neceſſaria eſt, alias ſtatim proportio & æquilibrium motuum læditur: nam ex nimia copia, æque ac ex inopia, ſi eſt ſupra modum, oriuntur ſtagnationes, quæ in locis valde nervoſis naturam promte ac expedite ad ſpaſmos ſollicitant. Et quamvis in infirmioribus & elanguidis nimia humorum & ſanguinis copia ſtagnans viſcerum & partium tonum plane reſolvat, & morbos chronicos potiſſimum accerſat, tamen in vegetioribus, ſenſibilioris texturæ & juvenilis ætatis hominibus fibras potius ad validiſſimas & ſpaſticas conſtrictiones armat, quibus efficitur, ut magnæ in ſanguinis circuitu inæqualitates & infenſæ ad alia loca humorum translationes & congeſtiones fiant.

§. XXII.

Stagnans ſanguis ex menſium fluxu ſuppreſſo aut vi cohibito graves maxime ad alia loca parit congeſtiones, acerbiſſimis ſymptomatibus ſtipatas.

Scholion.

Nemo expreſſius & rectius ipſo *Hippocrate* valde infenſas ſanguinis congeſtiones ad alia loca, ſi menſes fuerint obſtructi in mulieribus, nobis delineatas reliquit. Ejuſmodi clariſſimus locus extat *Libr. de virginum morbis* §. 6. qui hic eſt: *ſanguis non habens ex utero effluxum præ multitudine reſilit ad cor vel ad ſeptum tranſverſum: vel in tibias & pedem deſcendens torporem inducit. Et Libr. I. de morbis mulierum hæc prodit: à menſibus ſuppreſſis dolor corripiet ventris partem infra umbilicum, nunc inguina, nunc lumbos & coxendicum ad ſedem juncturam, nunc collum; aliquando vero ſtrangulatio fortis accidet & caligo ante oculos obſervabitur & vertigo, utpote purgatione ſurſum vergente ac adſcendente.* Præter ea plurimis in locis ut *Lib. I. de morbis mulierum* §. 5. 6. 8. 17. diſerte explanat, quam graves paſſiones oriantur, ſi menſes ad caput, ad præcordia, ad ſtomachum, ad hepar & ad ventrem allapſi fuerint, quæ loca alias fuſiori explicatione perſequemur. Neque in praxi obſcurum eſt, quemadmodum menſes vehementia v. g. à gravi terrore repreſſi ſanguinis ex pulmonum, ex ventriculi vaſis ex renibus profuſiones, in capite convulſiones, vertigines, vocis privationes, in præcordiis ſtrangulationes ſuffocatorias & ingentes anguſtias efficiant.

§. XXIII.

Neque minus ſanguinis hæmorrhoidalis in pleniori & nervoſo inteſtino, quod colon vocatur, ſtagnatio, graves congeſtiones ad alia loca & affectiones ærumnoſas cauſatur.

Scholion.

Non indignum annotatione eſt, quod in hanc rem prodidit *Celſus Lib. I. Cap. XVIII.* » cum ſanguis per » hæmorrhoides exitum non habeat inclinata ad præcor» dia materia ſubitis & graviſſimis morbis correpti ſunt.

Et

Et quemadmodum fluentes hæmorrhoides, teſte experientia, & ſecundum *Hippocratem Lib. VI. epidem. Sect. III. §. 64.* à peripneumonia, pleuritide, ab ulceribus, à lepra & juxta *aph. 2. Sect. VI.* melancholia, à nephritide, item à ſideratomorbo vid. *Coacas Prænotiones Sect. III. num. 318.* liberant: ita nihil dubii eſt, quin cohibitus hic fluxus eosdem morbos proferat. Neque egregius locus *Coac. verſu 159.* prætereundus eſt, ubi ſcribit: » ex hæmorrhoide parum » apparente vertigines obortæ parvam ac modicam ſi» derationem ſignificant: ſolvit venæ ſectio & quicquid » *hoc modo apparuerit, mali aliquid ſignificat.* Item: » *anteced. verſu* ſanguinis fluxiones ſtatis temporibus » contingentes, ſi ſanguinem non effuderint, comitia» les morbi mortem inducunt. *Martianus*, excellens *Hip*» *pocratis* commentator in illa loca hæc adjicit: multitu» do ſanguinis retenta nervoſum genus invadit & ſi ſu» perna petat aut apoplecticus affectus aut convulſivus » producitur, hic quidem, ſi acrimonia plus lædere ap» tus ſit, ſi vero corpulentia, eo caſu apoplecticus affec» tus expectandus erit potius: item, ſi hæmorrhois ap» pareat in ſede id ſanguinis plenitudinem teſtatur, quam » ſi ſolvere per fluxum natura non poteſt, in caput trans» lata vertigines fiunt; ſunt & adhuc alia eaque valde ærumnoſa pathemata ſpaſmodica convulſiva dolores cardialgici, cum ſumma anxietate, conatuque vomendi juncti, convulſiva & ſpaſmodica tormina, quæ paralyſin relinquunt, quibus illi infeſtantur hæmorrhoidarii, ubi conſueta ſanguinis per ſedem profuſio violentia quadam cohibita fuit.

§. XXIV.

Sanguinis ſtagnationes in plethoricis ob conſuetas ejus excretiones ſuppreſſas obortæ, viſcerum tonum ſolvendo, ſubinde graves & diuturnas paſſiones inferunt.

Scholion.

Propullulat inde maxime in imo ventre cachexia, hydrops, calculus, morbus niger *Hippocratis*, icterus niger & ſcorbutus mille malorum opifex, valde enim impurus à ſuppreſſis excretionibus naſcitur ſanguis, qui graves & ſpontaneas laſſitudines, difficilem ſpirationem, pectoris anguſtiam, corporis extenuationem, luridum faciei colorem, varii coloris maculas, artuum dolores, gingivas fœtidas & putridas in ſcorbuticis maxime ſuſcitat.

§. XXV.

Sicut ſanguinis nimia copia; ita etiam ejus magna inopia & periculoſas ſtagnationes & graves ſpaſmos & partium reſolutiones efficit.

Scholion.

Neque enim tantum proportionem excedens ſanguinis plenitudo, ſed & humorum inopia pernitiales ſtagnationes, ſpaſmorum & chronicarum paſſionum procreatrices, producit. Nihil enim familiariusu evenit, quam ut amiſſo vel nimium exhauſto per morbos vitali nectare graviſſimi & qui difficilem admodum curationem habent, alii ſuperveniant. Obſervavimus non ſemel, ſed ſæpius atque iterum, ab enormi ſanguinis profuſione corpora valde obnoxia fuiſſe motionibus ſpaſticis, adeo, ut vel refrigeratione vel terrore accedente in ſummas anguſtias, anxietates, animi deliquia, cordis palpitationes & tremores delapſi fuerint: quin imo in exhauſtis corporibus à gravi animi affectu aut refrigeratione præpoſtera aut à validiori medicina, aut ab acidorum perverſo abuſu ærumnoſum hypochondriacum, quod nonniſi ſpaſmodicum eſt malum, ſæpius ſubortum annotavi. A largiore ſanguinis miſſione molliora corpora, ſeptentrionali frigido cœlo paulo diutius expoſita, in catarrhales rheumaticas affectiones promte incidunt. Neque indigna conſideratione res eſt, quod ſi ex vena animalis aperta ingens ſanguinis copia effundatur, ſtatim convulſiones ſuccedant, ita ut quo major fiat effuſio, intenſiores etiam oriantur convulſiones, quæ circa mortem evadunt vehementiſſimæ. Quorum ratio hæc veri valde ſimilis videtur: ubi nimirum ingens copia ſanguinis effunditur, non ſufficiens ejus ad cordis muſculum fit adfluxus, unde ejus dilatatio ſive diaſtole minuitur, qualis vero diaſtole, talis etiam eſt ſiſtole ſive contractio cordis: proinde hæc debilior reddita ſanguinem in vaſis præſertim capillaribus conſtitutum non ſatis valide propellere & in circulum agere poteſt, hinc in partibus membranoſis & nervoſis capitis & medullæ ſpinalis ſtagnans eas ad convulſiones ſollicitat. Tandem adjungenda & hæc erit ratio: motus ille contractorius, in nervoſis & membranoſis partibus qui viget, & à liquidi nervei influxu ſuſtentatur, à reſiſtentia ſanguinis, qui vaſis vehitur, in æquilibrio detinetur, quod plane tollitur ſanguine effuſo, unde motus contractionis in illis partibus increſcit. Ad motus enim temperatos, qui ſanitati patrocinantur, utique proportio ſanguinis & humorum, qui nimiæ contractioni fibrarum, quam fluidum nerveum efficit, reſiſtant perquam neceſſaria eſt & contra etiam, ne nimia fibrarum expanſio à ſanguine fiat, opus eſt ut ſufficienti fluidi nervei influxu fibræ perfundantur, quo ſyſtoles & diaſtoles exactum fiat æquilibrium. Hoc ſuppoſito, jam ratio haud difficulter reddi poterit, cur præſente aut convulſione aut ſpaſmo aut in horrore febrili, in corporibus non plethoricis ſectio venæ immane quantum ſpaſmodica pathemata intendat, ut in extremo vitæ periculo ægri videantur conſtituti.

§. XXVI.

Et ſanguinis, & ſeri & aliorum humorum excrementitiorum ſtagnationes, morboſas quoque faciunt adflictiones.

Scholion.

Seri excrementum ſalino-ſulphureum, ubi non ſatis per ſubcutaneum cribrum vel per urinarias vias expurgatur, intus remanet & in partibus glanduloſis & nervoſis ſtagnans eas lancinat, arrodit & morbos ſalinos producit; cujus generis ſunt dolores artuum, rheumatiſmi, coryzæ, gravedines, tuſſes, fluxiones ſalſæ, acres ex oculis, diarrhœæ dolores, abdominis ab eroſione inteſtinorum & ventriculi, varii generis exulcerationes. Atque etiam febriles ſpaſmos ab excrementitia tranſpirationis materia intercepta in locis nervoſis & membranoſis naſci, non ſine ratione ſtatuendum eſt. Quo magis mirari ſubit, eſſe noſtris temporibus nonnullos, qui ab uno extremo in alterum delapſi, plane inani conatu, contra omnem fere pathologiam falſam pugnant.

§. XXVII.

Serum viſcidum & copioſum, in habitu poroſo & carnoſo ſtagnans, facit tumores œdematoſos; in cavitates effuſum comprimendo lædit, & ad corruptionem diſponit interiores partes; in glandulis collectum earum tumores & dolores inſignes efficit.

§. XXVIII.

Cruditates acidæ bilioſæ à prava digeſtione & alvo ſuppreſſa ſubortæ & in canali alimentario diutius detentæ, ingentes dolores, inflationes, & ob conſenſum cum genere nervoſo ſæviſſimos ſpaſmos efficiunt.

Scholion.

Profecto ſedes plurimorum morborum ex alvo ſuppreſſa eſt, quoniam complures varii generis & indolis ſordes in inteſtinorum canale confluunt, quæ non expurgatæ pejorem naturam, ob diuturniorem moram & ob novam cum aliis mixtionem, induunt, unde fomites & mineræ febrium maxime intermittentium, flatulentiarum, ſpaſmorum, qui præcipue hypochondriacos & hyſtericas exercere ſolent fiunt, inde anxietates,

tates, inde dolores, etiam in remotis partibus, ut in capite, producuntur.

§. XXIX.

Humores acidi, corrosivi cum bile permixti viridem & valde corrosivam indolem nanciscuntur, atque in ventriculo & duodeno stabulantes graves afflictiones inferunt.

Scholion.

Sicuti in nulla corporis parte sibi magis relicta & conspicua est acrimonia acida, quam in ventriculo, ita hæc ipsa nimium ingravescens, quod præsertim fit in senibus, hypochondriacis, melancholicis, quartanariis & vitæ sedentariæ addictis & vina acida bibentibus multas calamitates, ventriculi rosiones cum ardoris & anxietatis sensu, eructationes acidas, vomitiones & insignes debilitates, pectorisque angustias, dolores lancinatorios circa præcordia invehit; quin imo inde cholericæ & dysentericæ affectiones, & diuturni rosivi cum inflatione dolores intestinorum, ab erosione producuntur.

§. XXX.

Solennes illæ & universales morborum causæ, stases & stagnationes, ubi vel natura vel arte motibus discussoriis & excretoriis removentur, sanum & salvum evadit corpus: Si vero hoc non fit, in pertinaces obstructiones, indurationes, corruptiones, extravasationes, sphacelationes funestas transeunt.

Scholion.

Universa therapia, quam vel natura vel ars suis motibus adversus morbos suscipit, præcipue in eo posita est, ut causæ illæ functionum corporis turbativæ, quæ potissimæ sunt sanguinis vel puri vel impuri aut humorum excrementitiorum infensissimæ stases & stagnationes, removeantur: quod fit si humores subsistentes vel in ordinem & motum redigantur, vel per congrua emunctoria corpore expellantur. Quod si vero neque natura neque ars id efficere poterit, causæ hæ, quo longius in corpore resident, eo pernicioriorem induunt indolem, adeo ut, elusa omni curatione, in extremam perniciem & mortem corpora deducant.

§. XXXI.

Providendum hoc præcipue est, ne causarum morbidarum producta, in corporibus dissectis conspicua, pro ipsis morborum causis habeamus & venditemus.

Scholion.

Habent utique dissectiones morbis defunctorum corporum in condenda ætiologia magis mortis, quam morborum multum utilitatis atque usus: nam mortis, quæ est destructio plenaria motuum vitalium, causas omnino reddunt perspicuas & sensibus manifestas. Perperam vero hæ causæ mortis cum morborum proximis vel ab imperitis vel ab astutis medicis vulgo confundi solent, cum hi ignaris adstantibus tales esse morborum causas, quæ nulla arte vinci potuissent, promte imponunt, ut eo melius curationes suas sæpe satis frivolas excusare possint: nihilo tamen minus ex frequentioribus inspectionibus cadaverum illud in pathologicum usum trahere possumus, quod videamus, quales effectus graves imo funestos morborum causæ sibi relictæ & non sublatæ post se trahant.

§. XXXII.

Cum nulla causa in rebus contingentibus à se ipsa existat, sed ab aliis causis præincipientibus sustentetur: necesse est, ut insensissimæ illæ stases & stagnationes ab aliis producantur, quæ antecedentes secundum scholas vocari solent.

§. XXXIII.

Antecedentes stagnationum & stasium causæ sunt, maxime sanguinis & excrementitiorum humorum solennes & consuetæ secundum naturam excretiones suppressæ.

Scholion.

Quamdiu humores ratione quantitatis & temperaturæ in convenienti proportione & æquilibrio consistunt, tamdiu machina placidis & proportionatis, qui pro vita & sanitate militant, gaudet motibus: simul ac vero excretiones illæ solennes vitium capiunt atque adeo sanguis vel humores excrementitii nimium in corpore accumulantur, statim hinc inde exitiosæ humorum fiunt stagnationes, motus progressivi expertes, & sic morborum fit genesis.

§. XXXIV.

Excretiones summe salutiferæ vel à nimia sanguinis & succorum copia, vel ab eorum degeneri & quæ excretoriis motibus resistat indole, vel a partium solidarum depresso robore dependet.

Scholion.

Depressio roboris in solidis partibus plurimum sane ad languidiores excretiones, & generationem tum plethoræ, tum cacochymiæ confert, unde quotidiana praxis edocet, senes infirmos, viribus fractos, propter ingentes sanguinis profusiones aut perpessos antea morbos, illis maxime esse obnoxios. Rectissime enim *Celsus* scribit: *infirmitas omnibus morbis patet.* Quo magis elucet, quantum salutis & præsidii ab omnibus iis, quæ vires conservant, quæ robur & tonum deperditum restituunt, cujus generis maxime sunt balsamica medicamenta bene temperata & mixta, in avertendis morbis expectandum sit.

§. XXXV.

Neque universi corporis, neque solidarum partium infirmitas, neque humorum & sanguinis nimia exsuperantia, neque excretionum suppressio, à se ipsa fit, sed ab aliis progignitur causis, quas scholæ remotas, procatarcticas, occasionales, primordiales vocare solent.

§. XXXVI.

Causarum remotiorum, quæ disponunt partes fluidas æque ac solidas ad motus vitiosos, classes plures sunt; vel enim partes solidas earumque tonum & robur atque efficaciam motus, vel fluidarum copiam aut mixtionem & dispositionem ad motum respiciunt, & sunt vel naturales, vel non naturales, vel præternaturales.

§. XXXVII.

Ex naturalibus & quæ maxime internam solidarum habitudinem & dispositionem ad motus afficiunt, sunt ætas, temperamentum, sexus, dispositio hæreditaria a parentibus, consuetudo, habitus corporis; ex præternaturalibus dispositio prava partium solidarum à morbis vel perversa medicatione relicta; ex non naturalibus diuturnus mœror, cura ac angor animi, & aliæ animi perturbationes.

§. XXXIIX.

Vitia partim fluidarum morbis ingenerandis idonea, maxime aër & ingesta tam solida, quam liquida, motus quoque, quies corporis, somnus & vigilia disponunt & modificant.

Scholion.

A *Galeno* sex res sive causæ dictæ non naturales, quæ remote morbos ingenerant, numerantur. Sed qui affectus animi vehementiores, præsertim terror & ira, quæ celerrime agunt, neque minus salutares sanguinis & aliarum sordium excretiones cohibitæ & suppressæ inter causas morborum propinquiores & antecedentes referend

referendæ sunt, hinc & ordinis & doctrinæ causa has ipsas ex rerum non naturalium numero, quæ valde remotæ sunt, excludendas esse arbitramur.

§. XL.

Cognitio causarum remotiorum, quæ corpora disponendo ad morbos agunt, non vacat in pathologia & therapia singulari usu ac fructu.

Scholion.

Nam remotiores causæ, quæ ex rerum sic dictarum naturalium, non naturalium & præternaturalium classe petendæ sunt, antecedentes & proximas causas demum progignunt, & constituunt. Multum itaque refert scire, qualis victus, loci, aërisque conditio, qualis cœli status, quale vitæ genus, qualis animi dispositio, qualis ætas ad hunc vel illum morbum ingenerandum conspirent. Ab istis enim unde morbi veniunt & nascuntur, ab illis quoque eorum principia causæque ducendæ sunt: unde discimus, ad morborum præservationem multum conferre, si harum rerum usum & præcepta diætetica non habeamus neglectui, sed accuratius illa observemus.

§. XLI.

Cum ingens & innumerabilis vero eorum, quæ corpus humanum infestant, idque morbis obnoxium reddunt, sit copia; mirum est, homines non frequentius ægrotare.

Scholion.

Etenim & anni tempora & varia tempestatum genera & quævis ætatis partes suos peculiares edunt & proferunt morbos. Deinde corpora diversi sexus, diversi temperamenti & habitus & dispositionis à parentibus acceptæ suos peculiares & proprios fovent morbos. Multum quoque juvat nosse, gracilia, an obesa, infirma, an robusta sint corpora, utrum perversæ vitæ & victus rationes, an noxiæ & insalubres esculentorum & potulentorum adsumtorum sint facultates. Hæc enim omnia ad morbos ingenerandos esse aptissima, nemini facile ignotum est. At vero inter tot rerum infestarum, quarum injuria corpus nostrum impetitur, discrimina, rarius homines graviori quodam morbo divexari mirandum est.

§. XLII.

Quamvis plures sint res insalubres & ingenerandis morbis aptissimæ, tamen non semper tanta potentia pollent, ut motus naturales universæ machinæ turbare valeant: cujus generis sunt perniciales stases & stagnationes humorum cum magna imbecillitate vel universi generis nervosi vel certarum tantum partium junctæ. Ad harum vero causarum, quæ proximæ merito dicendæ sunt, productionem, non una remotior causa, sed plures conspirare & consentire debent, & quoniam id rarius contingit, rariora etiam ex causis remotis vitia & morbi exsurgunt.

Scholion.

Meretur hæc adsertio exemplo illustrari. Morbus ille familiarissimus, qui affectio hypochondriaca nominatur, est convulsiva & spasmodica partium nervosarum præcipue ventriculi & intestinorum afflictio: hæc ut producatur, non una, sed plures concurrere debent causæ. Neque enim sola à motu abstinentia, neque acidorum ac refrigerantium abusus, neque animi mœror, neque vasorum exilitas, neque pharmacorum, quæ stomachum lædunt, copia, huic gravi malo ingenerando sigillatim sufficiunt. Si vero inter hæc plura concurrunt, tota natura debilitatur, excretiones necessariæ inflaminantur, ventriculi robur & digestio perit, ingens saburra vitiosorum humorum primis in viis conteritur, adeoque & stagnatione sanguinis & excrementitiorum humorum partes nervosæ vehementer afficiuntur, & ad spasticas stricturas sollicitantur summa subsequente earum imbecillitate.

§. XLIII.

Rariores quoque inter homines oriuntur morbi, quia mechanismus corporis nostri ad eorum causas avertendas eximie concurrit.

Scholion.

Tam sapienti constructa est corporis humani machina artificio, ut in continuo motu & solidæ & fluidæ ejus partes existant, cujus beneficio sanguinis & humorum infensissima quies & stasis continuo præcavetur, neque minus superflui, effœti, inque corruptionem proni humores continenter per congrua sua emunctoria ejiciuntur. Præservatoriam itaque medicinam à benignissimo corporis nostri architecto in ejus structura & mechanismo positam solertior quisque medicorum animadvertit, quam medicinam naturæ internam, & præservandi ac curandi methodum, si prudens medicus recte intelligit, & sequi & imitari, eamque adjuvare scit, is certe non perfunctorie, sed rectissime officio suo fungitur. Cum itaque perpetuo corpori nostro adsistat medicina, quæ in humorum circulatione & rerum inutilium excretione consistit, non facile morbi nascuntur, nisi violentæ admodum causæ, ut venenum vel frigidus potus calefacto corpori immissus, aut vehementissima animi commotio hunc motuum præservatoriorum ordinem valide subvertant & interturbent.

CAPUT V.

De causarum morbificarum sede & operatione.

§. I.

Corpus humanum quando à causis exitialibus, quæ motibus ejus naturalibus & proportionatis invertendis aptæ sunt, adficitur, non ut mere passivum, sed ut activum reagens & resistens considerandum est, quæ vivida corporis reactio in vera pathologia & therapia stabilienda scitu valde est necessaria.

Scholion.

Nunquam enim causæ etiam morbosæ vires suas exerunt secundum suam activitatem, sed secundum receptivitatem & dispositionem corporis partium, quatenus hæc illarum activitati magis vel minus resistit. Et profecto consideratio & relatio illa virium, quæ causis morbificis insunt, ad dispositionem & motum partium fluidarum & solidarum corporis animati cognitu valde difficilis, difficultatem etiam in judicando parit, ut sæpe plus conjectura, quam firmior prædictio locum habeat. Ab hac diversitate corporum reagentium fit, ut idem dosi pharmacum valide vel leniter alvum vel vomitum moveat, & materia noxia in quibusdam corporibus nihil quicquam moveat vel perturbet, in aliis vero ingentes turbas faciat.

§. II.

Ut causa morbi fiat activa, id est, ut motus naturales perturbandi vi polleat, certa ejus quantitas, sive ad agendum efficacia, & in corpore ad hanc recipiendam apta proportio requiritur.

Scholion.

Debet enim in morbis generandis & producendis conspirans consensus & peculiaris quædam inter causam efficientem & excipientem esse proportionem, sine quibus de natura & effectu causarum morbificarum rite & κατὰ λόγον nihil quicquam statui unquam poterit. Hoc

fundamentum, hic cardo morborum naſcendorum eſt, neque aliunde, quam hinc omnis diagnoſeos, prognoſeos & therapias ratio eſt comparanda. Res vero ſic ſe habet: omnes cauſæ corporeæ vires & potentiam ſuam in alia corpora non niſi motu, qui immutatio ſtatus in corpore mobili eſt, exſerere ſolent. Jam vero in omni corpore eſt reſiſtentia & nullus fit motus, niſi potentia activa movens & vires alterius corporis reſiſtentis ſuperet. Si igitur cauſa morbi pernicialis vim & potentiam ſuam nocendi, & motus naturales turbandi in corpus noſtrum exerere velit opus eſt, ut tanta ejus ſit potentia, quanta requiritur ad modum naturalem partium corporis noſtri immutandum & deſtruendum, alias nihil efficiet, ex quo facile intelligendum eſt, quare exigua veneni portio v. g. unicum granum arſenici albi vel mercurii ſublimati non perimendi habeat potentiam, præſertim in robuſtioribus, & cur exigua purgantis vel emetici quantitas firmiores nihil moveat, imbecilliores vero ſatis valide exerceat.

§. III.

Corpora igitur, quo imbecilliora ſunt, eo gravius à cauſa leviori nocente afficiuntur.

Scholion.

Veriſſima ſunt, quæ *Celſus* prodidit *Lib. I. Cap. III. infirmitatem omnibus morbis maxime eſſe obnoxiam.* In infirmorum vero numero maxime ſunt ii, qui per nimias ſanguinis profuſiones per diuturnos morbos, per famem, per aſſiduam vigiliam, per nimiam venerem, per gravem animi mœrorem & fatigationem vires, quæ optime corpora præſervant, & quæ potentiis rerum noxiarum reſiſtunt, exhauſerunt. Ejuſmodi imbecillia corpora promtiſſime contagio afficiuntur, inque paſſiones epidemias incidunt, vel ab alia graviori cauſa facile læduntur: ita non ſemel, ſed ſæpius obſervavimus, à validiori ſumto purgante, vel à vehementiori terrore fœminas à puerperio, vel ab abortu valde cruento exhauſtas in ſonticum affectum illum ſpaſmodicum, qui hypochondriaco-hyſtericus nominatur & maxime omnibus imbecillis corporibus infeſtus eſt, incidiſſe.

§. IV.

Cauſa eo potentior ad nocendum eſt, quo ſubtilioris indolis & majoris molis exiſtit.

Scholion.

Uti in mechanicis celeritas cum maſſa comparata conſtituit impetum: ita quæ celerrime agit materia ſubtilis nocens, mole accedente, maximam in agendo potentiam producit. Omnis veneni & materiæ morbidæ virulentæ ea eſt natura & indoles, ut ob ſummam partium aut ſulphurearum aut ſalinarum, cauſticarum tenuitatem celerrimæ operationis ſit, uti in cicuta, napello, helleboro albo, arſenico, ſtibio emetico apparet & ſicut ſubtiliſſima, quæ aëre vehuntur, morborum miaſmata id teſtantur. Per ſe igitur liquet, vim nocendi eo eſſe vehementiorem, quo major materiæ virulentæ eſt moles.

§. V.

Omnes morbis inferendis aptæ cauſæ agunt vel in partes ſolidas vel in fluidas ſubtiliores ſive in ſpirituoſas aut humidas.

§. VI.

Quæ in partes tenuiſſimas ſive ſpirituoſas agunt cauſæ omnium peſſimæ ſunt, quia vires & robur corporis, à quibus vita pendet, deſtruunt. Nihil vero magis partes corporis noſtri impetum facientes deſtruit, iiſque adverſum eſt, quam putredo.

Scholion.

Conſtans eſt obſervatio, quod plurimum terroris & periculi habeant illi morbi, qui putredinem intus alunt cujus generis ſunt omnes malignæ febres, ubi ſanguis in inteſtina craſſa effuſus ater fit & in fœtidiſſimam abit putredinem, quæ brevi tempore perimit. Qui ſphacelo, qui exulcerato cancro pereunt, ob putredinem, quæ celerrime ſubtiliſſimas ſanguinis partes inficit & vires adimit, extinguuntur. Narcotica, ut hyoſcyamus, opium, ſtramonium, ſolanum cito necant, quia ob ſulphur graveolens, & vaporoſum, quo fluidas cerebri & nervorum partes inficiunt & contaminant, vires ſurripiunt & motus vitales ſiſtunt. Ingens etiam eſt potentia odorum in partes, quæ motum & impetum in corpore noſtro faciunt, quod apparet in odoramentis fragrantioribus, quæ naribus ſubjecta in omnibus fere, qui nervorum & cerebri imbecillitate laborant, vehementes motuum turbationes in genere nervorum afficiunt.

§. VII.

Celerrime in ſanguinem & partes fluidas agunt acida, auſtera, actu frigida & valde ſpirituoſa, & quia incraſſando & coagulando liberum ſanguinis, maxime per exigua vaſa circuitum deſtruunt, ad morborum chronicorum generationem plurimum conferunt.

Scholion.

Nihil frequentius in praxi medica occurrit, quam quod homines ex frigido potu ægrotent, inque acuta & chronicas paſſiones incidant, præſertim ſi ex labore ſudanti & calefacto corpori offeratur. Nihil quoque frequentius obſervatur, quam quod ab acidorum abuſu præſertim feminæ & vitæ ſedentariæ addictæ peſſime ſeſe habeant inque menſium ſuppreſſiones & ſpaſmodicas affectiones incurrant. Denique nihil familiarius eſt, quam quod homines ex potu ſpiritus vini largiori, præſertim matutino tempore & vacuo ventriculo hauſto in inſanabiles viſcerum corruptelas incurrant. Poſtremo: hæc tria, acida, frigida & ſpirituoſa ad obſtructiones & concretiones polypoſas, quæ magnorum morborum fomites & crebriores cauſæ ſunt, producendas omnium aptiſſima ſunt.

§. VIII.

Agunt quam maxime nocentes & morbificæ cauſæ in eas partes ſolidas, quæ motibus præſunt, cujus generis ſunt nervoſo-membranaceæ & muſculoſæ, in quibus maxime motus morboſi & præternaturales celebrantur.

Scholion.

Etenim partes, quæ motus ſecundum naturam ordinatos & proportionatos efficiunt, fluidorum circulum regunt, motuſque ſecretorios & excretorios gubernant & ſanitatem efformant, ſunt utique etiam motuum morboſorum opportunum ſubjectum atque inſtrumentum.

§. IX.

Firma & perpetua naturæ lex eſt, quod omnes motus & functiones in univerſo corpore tranquille & placide peragantur, ſi partes, quæ motibus præſunt, quales ſunt nervoſo-muſculoſæ, nullam à cauſa quadam violenta patiantur injuriam. Quotieſcunque vero illæ paulo vehementius agitantur vel offenduntur, protinus inſignis turbatio motuum & functionum animi ac corporis ſubſequitur.

Scholion.

Naturalis enim tonus, robur & conſtitutio partium, quæ motus obeunt, quam maxime ſanitatis negotium & omnium functionum liberum exercitium diſpenſat. Quare firmum ac ſtatum nobis eſt, quod in omnibus fere morbis, maxime motibus morboſis læſio nervoſarum partium occurrat à cauſis morbificis & nocentibus inducta, adeo, ut quo major ſit cauſæ impetus & violentia

lentia in morbo, eo violentior læsio, spasmus vel motuum resolutio sequatur. Et quamvis intellectu non capere possimus omnium causarum morbificarum agendi modum, sufficit tamen ad scopum medicum, effectus nosse, eosque mechanica ratione produci.

§. X.

Agunt violentæ & perniciales causæ maxime mechanice in fibras corporis nostri motrices, eas vel nimium distendendo aut comprimendo, constringendo aut irritando, pungendo, arrodendo, discindendo, quas actiones mox sequitur mutatio fibrarum in motu suo naturali.

Scholion.

Infensissima autem nervoso-musculosis partibus sunt omnis generis venena, animi commotiones, humores valde acres, caustici, acidi, stales quoque & stagnationes humorum in vasis & extra vasa contingentes. Denique frigidum excessivum valde inimicum est nervosis partibus, quod etiam adfirmat *Hippocrates Sect. V. aph.* 18. item *de humidorum usu* §. 4. his verbis: *frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, dorsali medullæ.*

§. XI.

Recte igitur plurimorum morborum sedem partes nervosæ & membranaceæ, motu & sensu instructæ constituunt.

Scholion.

Morbi capitis, ut epilepsia, variæ insaniæ species, sensuum abolitiones, dolores & affectus soporosi, membranis, quæ cerebrum & sensoria investiunt, firmiter insident. Convulsivæ motiones, quorsum etiam violentæ tusses, asthmata spasmodica, singultus, cordis tremores & palpitationes atroces, vomitiones & abortiones frequentes pertinent, nervosis partibus potissimum inhærent: sæviores ventris rosiones, dolores colici, iliaci, cardialgici & qui dentes, artus, juncturas, & vias urinarias male habent, nervosis etiam partibus infixi sunt, nihilque dubii est, quin sæva illa, quæ hypochondriacos & hystericas immaniter exercent, spastica symptomata in partibus nervosis & maxime in ventriculi ac intestinorum tunicis, inque mesenterii plexibus & iis nervis, qui ad pulmones, diaphragma & præcordia abeunt, sedem instructam habeant. Febriles motus, & qui eos præcedunt, spasmos ad nervorum partiumque nervosarum pathemata referendos esse, nostra est sententia, quam infra fusius persequemur. Enormes illas sanguinis per menses, hæmorrhoides, pulmones aut nares, vel ventriculi venas, perruptiones identidem non sine spasmo & adflictione generis nervosi unquam fieri, certissimum est.

§. XII.

Nulla in universo corpore pars tam fertiles morborum fomites & materias fovet, quam canalis ille nervoso-membranaceus, qui ventriculi & intestinorum nomine venit.

Scholion.

Longus ille canalis, qui alimentorum præparationi & egestioni præest, morbis ac mineris morbosis solennem quasi officinam præbet. Congeruntur ibi diversissimæ indolis, & subinde valde aliena alimenta: confluunt quoque ex universo corpore ibi succi excrementitii valde activæ & fermentescibilis indolis, ut sunt lympha salivalis, mucus ipsaque bilis. Aliis excretoriis occlusis & constrictis cutis tubulis sordes tenuissimæ indolis ad has vias depelli, ibique deponi consuescunt. Si sanguis per venas meseraicas difficilius regreditur & transineat per hepar, uti fit in hypochondriacis, cachecticis, senibus, stagnatione impurus evadit, & feculentias per glandulas in intestinorum cavitatem infundit. Præter hæc nulla pars corporis est, ubi ob tot plicas, valvulas, flexuras & anfractus tam promte, tam facile, & tam diu humores collecti hærent, morantur ipsaque mora pessimam naturam induunt, quam prima in regione, & præcipue in ventriculo, in duodeno, & in coli flexuris. Accedit & illud, quod ipse aër pessimis subinde inquinamentis imburus cum ipsis alimentis ad has vias immediate delatus ad fermentationes peregrinas, ad flatulentias concitandas sit omnium aptissimus. Ecquis igitur non perspicit, primam hanc regionem ob varii & pessimi sæpe generis partium combinationes, fermentationes & diutinas moras amplissimam esse, imo instructissimam causarum & materiarum morbidarum officinam. Ex quo porro intelligitur, quam prudenter ii medici agant, qui in omni morborum curatione ante omnia ad statum primarum viarum mentem advertunt & prospiciunt, ut per congrua evacuantia, emetica, laxantia, clysteres, vel etiam per temperantia, absorbentia, corrigentia & salia detersiva & id genus alia morbosi fomites ibi contenti sive pessimorum humorum conferta saburra expurgetur.

§. XIII.

Plurimorum itaque morborum domicilium in ventriculo & primis viis collocandum est.

Scholion.

Omnis fere generis tam malignæ, quam benignæ febres maxime omnium vero intermittentes, & ex his quotidianæ, tertianæ, simplices & duplices, biliosæ, cholericæ & quæ lentarum nomine veniunt, fomitem & mineram suam in duodeni flexura positam habent. Pestilentiæ morbus, & qui Hungaricus dicitur, & malignæ febres castrenses, item quæ epidemice ex aëris inquinamentis infestant, plerumque causam suam prima in regione fovent, & in hac operationem pernicialem primum exserunt. Plurimi affectuum periodicorum, quo in numero maxime habemus pathemata dolorifica & spasmodica, quæ remotas maxime partes exercent, à colluvie pessimorum succorum prima in regione collecta utplurimum propullulant. Cardialgiæ, summæ circa præcordia anxietates, diarrhœæ, dysenteriæ, colericæ passiones, convulsiva infantum tormina à materia corrosiva, acida, biliosa, ventriculi & intestinorum tunicis firmiter insidente incunabula sua trahunt. Continuæ eructationes acidorum succorum, anxietates constrictoriæ & inflationes sub costis nothis in sinistro latere dolorificæ cum alvo constrictiori, quæ continenter sic dictos hypochondriacos exercent, vix aliud quicquam designant, quam hujus morbi affectam sedem esse in ventriculo ac primis viis quærendam. Qui caput pessime habent gravissimi affectus, ut melancholia, mania, epilepsia, acerbissimi dolores, convulsiones, vertigines etiam, frequentissime ex male affectis primis viis oriuntur, adeo, ut vitiosorum humorum saburra per alvum vel vomitum expurgata protinus mitiorem naturam induant. Dolores arthritici, podagrici ibi etiam causam suam delitescentem sæpissime habent, hinc fit, ut si statim in principio clementi medicina sordes per alvum educantur, leniissime hi affectus incedant. Sed prolixius hæc omnia persecuti sumus in Dissert. quæ agit *de duodeno plurimorum morborum sede.*

§. XIV.

Quia morbi & motus morbosi in membranis nervoso-musculosis maxime residet, & causæ morbiferæ exitiales in has primario agunt facile patet, pro differenti harum partium textura & ad motus anomalos dispositione multum discrepare effectus læsionum.

Scholion.

Constanti notavimus experientia, quod corpora, quæ

fibras habent tenerioris & ſenſibilioris texturæ, temperaturæ ſunt cholericæ & ætatis juvenilis, longe acerbiores dolores, convulſivas artuum tractiones, ſpaſmos, anxietates & febriles impetus experiantur, quam ubi fibræ ſunt denſiores, laxiores & ubi temperamentum eſt phlegmaticum, ſegnius & provectior ætas. Ita interceptio ſolennis menſium fluxus in juvenculis tenerioris texturæ atroces ſpaſticas & convulſivas nervoſarum partium tractiones parit: in torpidis vero & habitus corporis ſpongioſi & laxioris fœminis decolorem faciem, pedes tumidos & inſignem languorem potius inducit & morbum cachecticum, qui chloroſeos nomine venit, progignit.

§. XV.

Cum igitur infenſæ morborum cauſæ principaliter in partes ſenſiles & nerveas agant, atque morborum plurimi & præcipui nihil aliud ſint, quam acerbæ generis nervoſi adflictiones, plurimum utique refert, ut medicus in quovis morbo nervorum ſyſtematis diſpoſitionem, imbecille, an validum ſit, ad motus anomalos proclive, nec ne, probe noſcat.

Scholion.

Supra jam ſatis oſtenſum eſt, motus præternaturales in morbis non ſolum ſuis cauſis deberi, ſed maxima ex parte à diſpoſitione ſubjecti, in quod agunt, dependere. Quapropter inter cauſas morborum præcipuas partium nervoſarum conſtitutio jure meritoque reponenda venit, quia hæc ipſa activitatem & effectum cauſarum morbidarum valde immutat atque modificatur. Juvat itaque, ſi quis morbum curandum ſuſcipiat, ante omnia inquirere, quale ſit genus nervoſum, validum, an imbecille & valde ſenſibile, & utrum hic imbecillitas ſit inveterata, an recens, à perverſis animi paſſionibus, nimia venere, vigilia, ebrietate, acidorum abuſu, vel ab imprudenti medicatione inducta, vel an à nativa & hæreditaria diſpoſitione, vel à præcedenti graviori morbo dependeat, ubi certe omnis erit ſupervacanea cura, quæ in evacuatione aut remotione cauſarum materialium eſt occupata; ſed tum potius id efficiendum erit, ut commoda & benigna vivendi ratione ac medicina amiſſum robur & tonum nervoſis partibus reſtituamus.

§. XVI.

Homo præ omnibus aliis brutis animantibus & copioſius cerebrum & nervos tenerioris texturæ & ſubtilioris ſenſationis obtinet; ideo fit, ut longe frequentius ægrotet & gravioribus morbis obnoxius ſit, quam quodvis ex animantibus.

Scholion.

Hujus aſſerti veritatem ipſa experientia, optima rerum magiſtra, ſtabilit atque confirmat. Rariſſime febres vel epilepticas convulſiones in animantibus animadvertimus, ſtatas ſanguinis eruptiones nunquam videmus, neque pathemata ſpaſmodica, quibus maxime adfligitur genus humanum, in illis locum inveniunt, unde ob horum defectum impetuoſiores ſanguinis & humorum ad alia loca congeſtiones & tranſlationes non obſervantur: ſed brutorum morbi magis ex ſanguinis & humorum copia, ſtagnatione, extravaſatione, ſuppuratione & viſcerum corruptela ac ſphacelatione ſubnaſcuntur. Utut vero homo gravius & frequentius ægrotet, quam ullum animal brutum, tamen vita omnia fere animantia exſuperat. Cauſa, quod frequentius morbis laborent, in ſenſibili ſolidarum partium textura, ad motus febriles & ſpaſticos ſuſpiciendos admodum idonea, quærenda eſt. Quod vero diutius vivant, hæc cauſa videtur: ſanguinis & humorum in corpore animantium ſtaſes niſi removeantur, mortem intendunt eamque certiſſime inferunt: jam autem ea eſt motuum febrilium & ſpaſmodicorum indoles, ut plerumque ſalutarem effectum exerant in reſolvendis, diſcutiendis & tollendis pernicialibus illis ſanguinis & humorum ſtagnationibus. Quo cognito jam facile elici poterit ratio, quare homines natura ſenſibiliores & imbecilli frequentius quidem morbis laborent, facilius vero convaleſcant & diutius quoque ſubinde vivant, quam qui natura robuſti & valentes ſunt, atque rarius morbo afficiuntur.

CAPUT VI.

De differente morborum ratione cauſarum indole atque effectu.

§. I.

INgens eſt morborum ratione effectuum differentia, quæ unice à differenti cauſarum, quæ eos inducunt, indole, virtute atque actione deſumenda eſt.

Scholion.

Omnes quidem morbi in eo conveniunt, quod functiones corporis vivi & ſani lædant. Quia vero id differenti modo, gradu atque effectu fit, quærendæ utique hujus differentiæ erunt cauſæ, quæ partim in materiæ lædentis pernicioſæ natura, partim in locis & partibus effectis, partim in ipſius corporis ægrotantis natura reſident. Quanta ſit cauſarum morbificarum differentia, ſupra jam oſtenſum eſt, loca vero, quibus eæ inſident, inſignem quoque faciunt differentiam, quod jam olim agnoviſſe videtur *Hippocrates* cum *Libr. de flatibus* §. 4. ait: *morborum omnium unus & idem modus eſt, locus vero ipſe eorum differentiam facit.* Maxime omnium vero differentem morborum naturam atque effectum ipſius corporis, quod ægrotat, natura reddit. Si quod enim illud imbecille vel ſenile ſit, ſi viſcera ſint corrupta vel obſtructa, ſi quædam viſcera nativa vel inveterata imbecillitate laborent, ſi venæ ſanguinis puri vel impuri copia turgeant, ſi tonus ventriculi & inteſtinorum deſtructus ſit, & prima regio vitioſorum humorum, aut vermium copia referta ſit, ſi menſes vel aliæ ſolennes evacuationes interceptæ, ſi nervorum ſyſtema ad ſpaſmos valde proclive: tunc profecto una eademque morbi cauſa valde diſcrepantem ratione ſymptomatum, eventus & curationis producit effectum.

§. II.

Exquiſita morborum differentia medentibus ſcitu admodum eſt neceſſaria.

Scholion.

Morborum plena & exacta ratione differentis cauſæ & effectus cognitio medicum tum in prognoſi, tum in curando multum juvat. Nam ſecundum *Hippocratis* effatum *Libr. de articulis* §. 6. prædictiones morborum ſplendidæ ſunt ac glorioſæ ex cognitione, quo & qualiter & quando ſinguli deſinant, ſive eo vertantur, ut incurabiles fiant, ſive curationis ſpem exhibeant. Tum differens morborum ratione cauſarum indoles & aptiorem & certiorem medentem reddit, ut ſciat, quæ medicamenta, an debilia aut fortiora, quo tempore, qua doſi ſint porrigenda & an ſalus vel ſpes curationis ab iis ſit expectanda, nec ne.

§. III.

Quidam morborum ſunt acuti & breves, quidam longi, illi ex ſtaſibus inflammatoriis viſcerum vel à læſione partium nervoſo-membranacearum ab inhærente acri cauſtica materia; hi vero potius ex humorum & ſanguinis ſtagnatione & ſpaſmis ortum ſuum habent.

Scholion.

Plurimum refert, ut medicus ſciat, an morbus, quem curandum ſuſcepit, ſit acutus vel longus, ſiquidem ille

cito

cito finitur vel cito hominem tollit, neque periculi expers eſt: nam ſi ſtaſes non diſcutiuntur & removentur, in exitialem putredinem & ſphacelum tranſeunt. In longis morbis ſecundum *Celſum Lib. III. cap. I. neque ſanitas, neque exitium eſt in propinquo, ſed diutius perſeverant*; acuti vero periculi non ſunt expertes, quia plerumque inflammatorias ſtaſes viſcerum vel partium nervoſo-membranacearum læſiones pro cauſa habent, quæ niſi natura adjuvante, quæ in hiſce morbis optima eſt medicatrix, per auctiores motus removentur, in exitialem putredinem tranſeunt. *Hippocrates Lib. I. de morbis* §. 18. in acutorum claſſem maxime reponit inflammatorias & acutas febres, phrenitidem, peripneumoniam, anginam, pleuritidem; inter longos vero refert tabem, alvi fluxum, podagram, arthritidem, cachexiam, coxendicum morbum, ſtranguriam, in ſenioribus nephritidem, hæmorrhoides, ani fiſtulas, in mulieribus fluxum ſanguinolentum. Quod pertinet ad curam acutarum illud ſciendum eſt, quod natura ibi plus ſibi vindicet, quam ars, quare ſecundum *Celſum* loc. cit. *magis ignoſcendum medico eſt, parum proficienti in acutis morbis, quam in longis. Hic enim breve ſpatium eſt, intra quod, ſi quod auxilium non profuit, æger extinguitur: in chronicis & deliberationi & mutationi remediorum tempus patet, adeo ut raro, ſi inter initia medicus acceſſerit, obſequens æger ſine illius vitio pereat*, & monet idem *Celſus*, quod in cura eorum non ſtatim contemnendum ſit, ſi quid non ſtatim profuit, neque ſtatim removendum, ſi quid paululum ſaltem juvit, quia defectus tempore expletur.

§. IV.

Sunt quoque morbi vel continui vel intermittentes: illi dicuntur, ubi ſine intermiſſionibus acceſſiones & ſymptomata urgent, quia eorum cauſæ firmius nervoſo generi & partibus membranaceis inſident, ubi univerſalem & continuum quendam ſpaſmum, uti in febre fit, efficiunt. Si vero lædentes cauſæ à partibus vitalibus paulo remotiores ſunt, & in primis viis vel excretoriis conſiſtunt, tunc ſpaſmi intermittunt, & ſymptomata plane ad tempus quieſcunt, poſtea certis periodis redeunt.

Scholion.

De continuis illud circa praxin tenendum eſt, quod plus habeant periculi, quam intermittentes, quia continuo & ſine intermiſſione, utut non æquali vehementia, univerſi corporis functiones lædunt, & vires frangunt, quæ penitus fractæ cauſis & effectibus morborum removendis non amplius ſufficiunt. Accedit, quod in continuis & ubi natura eſt in motu, valida auxilia nunquam proficiant. Quia vero vacuo tempore vires elanguidæ recolliguntur, & ſpaſticis motibus conquieſcentibus omnia tranquilla reddita ſunt, non tantum adeſt periculi & medicamentorum etiam expeditior & certior eſt operatio, utpote quæ ex male habentibus primis viis longe citius hoſtiles cauſas exturbare, quam ex interioribus nervorum & viſcerum ſedibus propellere poſſunt.

§. V.

Morborum acutorum alii ſunt benigni, alii maligni: in illis non tam pernicialis indolis eſt cauſa morbi, neque tanta labes & proclivitas ad corruptionem, quam in malignis, qui facile inclinant in putredinem vitæ & viribus infenſiſſimam.

Scholion.

Quia benigni à cauſis non adeo vitæ infeſtis producuntur, ſymptomata ſunt mitiora & tempora ſua ac ordinem ſervant in excretionibus criticis & remediorum etiam viribus magis obediunt, & ex hiſce raro pereunt homines, niſi magna ægrotantium vel medicorum culpa. Quia vero malignorum cauſæ graſſantur magis in eas partes corporis, quæ motum & impetum faciunt & ſolidorum robur firmant, hinc vires, à quibus vita proxime pendet, valde proſternunt & inſueris incedunt ſymptomatibus, inconſtantis ſunt decurſus & expertorum etiam remediorum vires eludendo plures perimunt.

§. VI.

Dantur quoque ex morbis chronicis quidam maligni, & hi fiunt, ſi ſucci valde impuri & in putridam corruptionem proni ſunt.

Scholion.

Ita ſcabies, gonorrhœa, purpura, intermittentes febres, ſcorbutus, diarrhœæ dantur benignæ vel etiam malignæ. Horum indoles ut plurimum a conſtitutione ipſorum corporum laborantium dependet, ſi ſuccis impurioribus in corruptionem pronis venæ magis vel minus refertæ, ſique partes ſolidæ adhuc robuſtæ vel à robore penitus dejectæ ſunt. Et quia temporum anni mutationes & præcedentes conſtitutiones tempeſtatum præternaturales magna potentia gaudent corporis noſtri ſuccos prava diatheſi imbuendi & ad corruptionem eos diſponendi, hinc efficitur, ut arthritides, intermittentes febres, purpura, quæ alias ſatis benigne & placide incedunt, peſſimos mores induant, neque abſque omni periculo ſint. Chronicis quoque malignis merito annumeramus cancrum, ſi in exulcerationem abit, item ſphacelum, qui à cauſa interna fit, quandoquidem ſummam dyſcraſiam & promtitudinem ſanguinis & humorum ad putridam corruptionem indicat.

§. VII.

Morborum quidam ſunt communes, qui plures uno in loco invadunt & Græce dicuntur epidemii. Quidam non multos communiter, ſed ſeparatim ſparſimque adprehendunt & ſporadici vocantur. Illi a communi cauſa, nempe aëris vitio & inquinamentis, hi a pravæ vitæ & victus ratione naſcuntur.

Scholion.

Epidemii certis tantum temporibus prodeunt, & quia aëris vitiis & alienis exhalationibus & inquinamentis in eo contentis temporumque conſtitutioni plane præternaturali debentur, fit, ut in uno diſtrictu plures invadant. Quia vero harum mutationum aëris magna eſt differentia, neque unius ejuſdemque ſemper indolis ſunt inordinatæ aëris conſtitutiones & exhalationes in eo contentæ noxiæ, quæ diverſiſſimo ſæpe genio & moribus incedunt, accidit, ut non una ſemper methodo curationem recipiant, ſed quæ uno tempore proſunt remedia, alio noceant, neque etiam eadem auxilia omnibus ægris propter diſſidentem vim atque naturam conveniant. Solertis itaque & periti eſt medici, morborum, qui graſſantur, origines & cauſas à priori, id eſt, ex præcedenti temporum ac tempeſtatum habitu probe cognoſcere; eo conſilio, ut poſtea communes ejuſmodi afflictiones convenienti diæta vel auxilio avertere & corpora ab iis præſervare poſſit. Nihil enim præſtantius eſt, quam ſub præternaturali temporum morboſorum conſtitutione accuratiori vitæ & victus rationi invigilare, ut vel morbi communiter graſſantes arceantur, vel corporibus bene ſic præparatis modeſtius & benignius ſe exhibeant.

§. VIII.

Alia quoque eſt morborum endemiorum, alia pandemiorum ratio: hi ſpectant ad univerſum populum & quaſi ſunt plebeii ac vulgi fecem maxime afficiunt, atque uno eodemque tempore in multos cujuſcunque ſexus, temperamenti, ætatis, conditionis aut generis vitæ fuerint, promiſcue graſſantur ac deſæviunt, cujus generis ſunt morbi peſtilentes. Endemii vero certis locis proprii ſunt & inquilini & ab aëre ſitu loci, victu conſueto, & pravis aquis naſcuntur.

Scholion.

Ad morbos pandemios maxime pertinent caſtrenſes,

qui ex fame & annonæ difficultate, ex insolentium & eorum, à quibus natura plane abhorret, esu, ex alimentis, quæ uliginosis in locis ac fœtidis justo diutius condita fuerunt, vel situ putrilagineque obsita atque inquinata sunt, vel ex ingurgitatione aquarum stagnantium nascuntur. Hoc genus morbi sunt febres dysentericæ, diarrhœæ, morbus Ungaricus, anginæ. Ad pandemios referri etiam debent, qui ex frugibus sideratis, ærugine, quæ pestis segetum est, obductis, secali corrupto & lolio temulento infecto originem suam traxerunt superioribus annis, cujus generis exemplum nuper habuimus, cum ob copiam pluviarum temulentum lolium secali admixtum miras convulsiones excitavit. Endemiorum, qui certis regionibus vel etiam locis proprii sunt, causæ variæ sunt, quas longa serie enumeravimus & pertractavimus in Dissertatione *de morbis endemiis*.

§. IX.

Sunt quidam morbi contagiosi, quidam contagii plane expertes; illi ex subtiliori miasmate fermentalis indolis proveniunt, quod cum aëre & alimentis in ventriculum descendit & primum succos ibi contentos, postea lympham & sanguinem inficit atque corrumpit.

Scholion.

Ex contagiosorum classe maxime eminent pestis & omnes febres petechiales & catarrhales malignæ, item varioloſæ, morbilloſæ, dysentericæ. Ex numero chronicorum scabies, lepra, lues venerea, gonorrhœa virulenta, ulcera mali moris sunt. Res notatu dignissima est, quod omnes febres acutæ, quæ ex sanguinis inflammatoria stasi fiunt, item morbi chronici, qui ex viscerum corruptione nascuntur, à contagio sint immunes; contra vero, qui à lymphæ corruptione & putredine fiunt, fermentativæ & multiplicativæ indolis sint, & contagio se propagent. Sanguinis enim putredo sphaceloſa sive internis, sive externis partibus insideat, propter infectionem minus est terribilis, quia crassioris paulo est texturæ & sensus afficit, sed quæ in tenuissimo lymphatico humore residet, penetrantioris est naturæ, quia in poros altius se insinuat, & fluidas partes in intestinam similem motionem promtissime abripit.

§. X.

Morbi sunt vel simplices vel compositi; illi dicuntur, qui ab una morbi causa proxima oriuntur, hi vero sunt, cum plures causæ ad morbum producendum conspirant.

Scholion.

Sæpissime fit, ut compositi appareant morbi; ita epidemii cum endemiis frequenter miscentur, febres omnis generis, item variolæ, morbilli, catarrhales & aliæ grassantes sæpe cacochymicos, scorbuticos, hypochondriacos, vermibus laborantes, arthriticos & lue venerea infectos invadunt, & tunc semper minus tractabiles fiunt, multumque medentibus facessunt negotii, quia simplici methodo & remediis alias morbo appropriatis non obtemperant.

§. XI.

Differens quoque morborum idiopathicorum & symptomaticorum est ratio. In illis morbi causa functionum turbationem efficit, ubi sedem suam habet. Quandocunque vero causa morbi in alio loco residet, quam ubi functiones turbat, symptomaticus morbus dicitur.

Scholion.

Ita epilepsiæ & convulsiones, si quando dentium dolori ex eorum eruptione violenta vel atrocioribus intestinorum tormentis, aut calculo vel vermibus supervemiunt, morbi habendi sunt symptomatici. Idem fit si vertigo, si capitis dolor, si tinnitus & difficultas auditus aut melancholia ex male affecto ventriculo, cruditate acida ibi hærente & spasmos ac inflationes concitante subnascitur. Ita quoque vomitus symptomaticus est, si dolori ex calculo supervenit & tussis symptomatica fit, si ab acidorum & acrium humorum saburra primis in viis congesta oritur. Epilepsia idiopathica est, quæ supervenit graviori capitis pertusioni, si festucæ vel fragmenta cerebri membranis infixa sint; vomitus idiopathicus fit pyloro existente eroso, vel duodeno, humore corrosivo, bilioso oppleto. Tussis idiopathica pulmonalis est, si tubercula, obstructiones aut vomicæ ibi hærent, vel serum acre à sanguine secedens bronchiorum membranis altius insidet. Hæc distinctio inter morbum idiopathicum & symptomaticum magni momenti est in praxi medica, nam facilius semper symptomaticus tollitur, si causa in prima regione, ubi facile corrigi & evacuari potest, hæret, ac si altius interioribus visceribus fuerit infixa. Dein curato morbo principali secundarii & symptomatici sua sponte desinunt & solvuntur. Tandem vero & illud sciendum est, quod morbus acutus aliis acutis ceu symptoma superveniens lethalis plerumque sit, quia exhaustis jam à magno morbo viribus, alius magnus superveniens non potest tolerari. Ita phrenitis vel inflammatio ventriculi, quando supervenit acutis, plerumque necat.

§. XII.

Morborum alii sunt vel genuini, alii corrupti. Priores suum genium, typum, progressum atque effectum decenti tempore & ordine observant; posteriores ex perverso laborantis regimine aut errore medentium alium plane & pejorem morem adsumunt.

Scholion.

Corrupti morbi plerumque sunt effectus malæ administratæ curæ, si e. g. intermittens febris ante correctionem vel evacuationem materiæ peccantis intempestive famigerato illo chinæ cortice, vel alia adstringente medicina reprimitur, vel si exanthemata cum febre sociata ut variolæ, morbilli, purpura, paulo calidioribus & expellentibus præpostere tractantur, vel si solennes & statæ excretiones v. g. mensium, hæmorrhoidum nimiæ validioribus constringentibus intercipiuntur, vel si virulenta gonorrhœa intempestivis adstringentibus aut calidioribus balsamicis præpropere sistitur, aut excretio quædam critica supprimitur. Tunc enim plerumque insueta & deterioris indolis symptomata, ac ordinario fieri solet, sequuntur & tum certe artis & laboris est, corruptos hos affectus pristinæ suæ formæ restituere. Pulchra sunt, quæ circa hanc rem suo jam tempore monuit *Celsus Lib. III. Cap. II. multum interest, ab initio quis recte curatus sit, an perperam, quia curatio minus his prodest, in quibus assidue frustra fuit.* Plura de hac materia legi possunt *in dissertat. nostra de conversione morbi benigni in malignum.*

§. XIII.

Dantur morbi recidivantes, qui ad tempus silent, postea majori vehementia & periculo recurrunt, partim ob causam non penitus sublatam & in corpore adhuc relictam, quæ cum tempore vires sumens pejorem effectum producit; partim ob insignem partis adfectæ imbecillitatem à morbo inductam, quæ promte, data causa occasionali vitiosos motus repetit.

Scholion.

Ex recidivantium numero sunt maxime intermittentes febres, si imperite, quod plerumque fit, tractantur, nec perfecte sanantur. Recidivant quoque sanguinis nimiæ per hæmorrhoides, per pulmones, per ventriculum proruptiones, quæ plerumque ob validiorem spasmum primarum viarum & à nimia sanguinis abundan-

tia

tia vel bilis acrimonia naſcuntur. Recidivant quoque aſthmata, affectus apoplectici, paralytici, capitis dolores, qui ex raptu ſanguinis ad caput ob violentos in imo ventre ſpaſmos producuntur, qui ſi partem à morbo priori debilem relictam inveniunt, facile periculoſas ſtagnationes de novo ibi efficiunt. Ipſa quoque experientia deprehendimus, quoſdam ex morbis chronicis, qui ſublati videbantur, recurriſſe, ut icterum, hydropem, phthiſin, luem veneream, ſcorbutum, purpuram; in feminis maxime abortus.

§. XIV.

Redeunt quoque certo anni tempore, quo primum invaſerunt, quidam morbi, & hi vocari ſolent anniverſarii.

Scholion.

Nullum anni tempus facilius eoſdem morbos revocat, quam vernum & autumnale, ob ſanguinis copiam, quæ ſpaſmos efficit & ſanguinis congeſtiones, quas veteres raptus vocarunt, ad alia loca: Ita maxime narium hæmorrhagiæ, pleuritides, peripneumoniæ, cephalalgiæ, aſthmata, in autumno certo & ſtato menſe ſæpius revertuntur ob congeſtos multos impuros humores, & ob aëris inæqualitatem frequentiorem, quæ ingentem imbecillitatem partium antea laborantium denuo producit. Ita quoque redeunt arthritides, podagra, malum iſchiadicum, diarrhœa, catarrhales febres, defluxiones rheumaticæ, qui morbi etiam in ſenioribus, & imbecillioribus verno tempore ſtata ſua anni tempora ſervant.

§. XV.

Alia eſt differentia morborum recentium, alia antiquorum & habitualium, illi in partibus magis fluidis, hi magis in ſolidis vitium ſuum poſitum habent.

Scholion.

Omnes morbi recentes facilius admittunt medicinam, quam inveterati, eo quod vitium, in partibus fluidis conſiſtens, facilius emendari poteſt, quam illud, quod in partium ſolidarum, viſcerum vel nervorum depravata conſtitutione hæret. Affectus quoque ſpaſmodici, & qui in habitum atque conſuetudinem abierunt, uti videmus in hypochondriacis & doloribus inveteratis, difficulter & ægerrime ſanationem recipiunt. *Hippocrates antiquos morbos difficilius curari, quam recentes adſerit Lib. de locis in homine* §. 47. *quia morbos antiquos primum recentes facere oportet.*

§. XVI.

Sunt quoque morbi vel hæreditarii vel adventitii; priores in ſolidæ cujuſdam partis vitio & imbecillitate nativa cauſam ſuam poſitam habent. Adventitii pravæ victus & vitæ rationi, & omnibus, quæ fluidorum craſin deſtruunt, accepti ſunt referendi.

Scholion.

In affectuum hæreditariorum numero ſunt epilepſia, mania, melancholia, apoplexia, qui in mala & nativa conſtitutione cerebri fundamentum ſuum habent. Ex pulmone, ſi imbecillitate nativa laborat, naſcitur hæmoptyſis & phthiſis; ubi à natura male affectum eſt hepar, cachexia & hydrops cum tempore oriuntur: ubi ventriculi & inteſtinorum tubus nervoſo-membranaceus à tono ſuo plane dejectus, & ad ſpaſmos ac flatulentias à natura promtus eſt, moleſtiſſima illa adfectio, quæ hypochondriaca audit, producitur. De congenitis vero morbis ſcribit *Hippocrates Lib. II. prælect.* §. 11. *quod qui hiſce corripiuntur, ægre ab ipſis liberentur.*

§. XVII.

Alia morborum ſpecies eſt congruorum, alia incongruorum; illi dicuntur, qui certis ætatibus, temperamento, ſexui, anni temporibus convenientes & familiares ſunt: incongrui vero appellantur, ſi plane hiſce non reſpondent.

Scholion.

De hiſce morbis tale judicium fert *Hippocrates Sect. II. aph.* 3. 4. *minus periculoſe ægrotant ii, quorum vel naturæ, vel ætati, vel conſuetudini, vel tempori familiaris eſt morbus, quam quibus horum nullus affinis cognatuſque exiſtit.* Et ut rem planiorem faciamus exemplo, epilepſia, variolæ, morbilli, infantili ætati ſunt maxime proprii faciliuſque tum ſolvuntur ac leviores ſunt: ſi vero hiſce juvenis vel vir laborat, ob ſtrictiorem fibrarum habitum longe periculoſior eſt eventus. Hæmorrhoides & apoplexiæ ſenibus familiares, ſi primam ætatem infeſtant, aliquid monſtri alunt. Febres tertianæ æſtati conveniunt, & citius etiam tunc finiuntur; ubi vero, ſi autumnali tempore incidunt, pertinaciſſimæ indolis ſunt: menſtruæ purgationes circa quinquageſimum annum diſcedunt, ſi vero in ſenili ætate accedunt, ſanguinis eruptiones graviſſimæ, & quæ periculo non vacant, eſſe ſolent. Pleuritides, ſi juvenilis ætas eſt, facile ſolvuntur, in ſenili ætate ut plurimum necant. Plura, quæ ad hoc argumentum pertinent, tractavimus in *Diſſertatione de morbis incongruis.*

§. XVIII.

Diverſi quoque ſunt morbi ratione ætatum, dum quidam in pueritia, alii in adoleſcentia & juvenili ætate, alii in virili & ſenili oriuntur.

Scholion.

Obſervatione digna ſunt, quæ de morbis ætatum *Hippocrates in Coacis Prænotionibus Sect. III.* §. 95. profert: *morbi ante pubertatem non fiunt peripneumonia, pleuritis, podagra, nephritis, varix circa tibias, fluxus ſanguinis, hæmorrhois. Horum morborum nullum ante pubertatem fore, expectandum eſt: verum ab anno decimo quarto uſque ad quadrageſimum ſecundum natura corporis morborum omnis generis ferax eſt. Rurſus ab hac ætate uſque ad annos ſexaginta tres non fiunt ſtrumæ, neque lapis in veſica, niſi prius exiſtat, neque defluxus medullæ ſpinalis, neque nephritis, niſi ex alia ætate comitentur, neque hæmorrhoides, neque fluxus ſanguineus, niſi prius fuerit. Hi usque ad ſenectutem abſunt morbi.*

§. XIX.

Memorabile eſt, quod ætates ſuos proferant morbos incipiendo à capite & ſuperioribus partibus, ſucceſſu temporis ad alias inferiores & extremas progrediendo.

Scholion.

In infantia caput maxime petitur, ibique ob nimiam humiditatem & fibrarum flacciditatem, neutiquam vero ob pulſionem ſanguinis ad caput, à natura ſapiente inſtitutam eo conſilio, ut per nares nimia ſanguinis copia excernatur, fiunt à ſtagnatione ſeri achores & tineæ capitis, cruſta lactea, fluxiones ex auribus, epilepſiæ, glandularum tumores, parotides, ophthalmiæ, lippitudines; in adoleſcentia gravedines, coryzæ, cephalalgiæ: in ætate juvenili & virili morbi magis pectoris invadunt, & tum magis tuſſes ſiccæ, pleuritides ſpuriæ & veræ, peripneumoniæ, pulmonum vomicæ, phthiſis, circa hypochondria & præcordia ſpaſmi, ardentes febres, alvi conſtrictiones. In prima ſenecta hæmorrhoides fluentes vel cœcæ, flatulentiæ, icterus, quartanæ, cachexiæ, calculus renum, colicæ flatulentæ; in provectiori vero ſenectute morbi magis adhuc deſcendunt in ima viſcera & regionem corporis infimam, unde ſcorbutus, cachexia, ſtranguria, calculus veſicæ, teneſmus, hæmorrhoides ulceroſæ, podagra fixa, malum iſchiadicum, gonagra, maraſmus, atro-

phia, mictus cruentus, in fœminis profusiones sanguiriis enormes per uterum contingunt.

§. XX.

Morbi ætatum fundamentum suum maxime habent in dispositione solidarum partium ad motum & ad humores commotos & congestos recipiendos.

Scholion.

Etenim in ætate prima & adolescente & juvenili magno impetu humores sursum feruntur propter validum elaterem, & tensionem, ibique postea, si ob partis jam antea adfectæ imbecillitatem, stasin vel stagnationem efficiunt, facile hos morbos procreant. Quoniam autem paulatim & procedente tempore hic vigor, hic motus, hoc robur partium remittit, imo plane deficit, illud efficitur, ut ob laxitatem partium solidarum magis humores inferiora petant & descendant, ut in abdominis visceribus stagnationes, & ab his morbi chronici & imi ventris fiant.

§. XXI.

Morborum alii sunt sanabiles, alii insanabiles; illorum vitia magis consistunt in partibus fluidis, quæ facilius emendari possunt: horum causæ in tanta labe viscerum positæ sunt, quæ medicina nulla superari potest.

Scholion.

In morbis insanabilibus præcipui sunt hemiplexia vel paralysis inveterata, surditas & gutta serena antiqua, hectica ex viscerum corruptione, hydrops ascites ex induratione viscerum; cachexia scorbutica ex corruptis visceribus, hydrops pectoris ex polypo cordis vel vasorum pulmonalium, cordis palpitatio vel asthma ex polypo, calculus renum per plures annos affligens, mania inveterata, cancer exulceratus, sphacelus à causa interna, podagra hæreditaria, gonorrhœa inveterata ex prostatarum fistulis, exulcerationes pulmonum fistulosæ, calculus vesicæ, exulceratio vetus uteri, chlorosis & sterilitas ex polypo vasorum uterinorum, marasmus senilis.

§. XXII.

Distinctio inter morbos sanabiles & insanabiles non caret suo usu in medicina.

Scholion.

Præclara sunt, quæ hac de re prodidit *Hippocrates Libr. de articulis* §. 6. *possit aliquis dicere, extra medicinam talia esse. Quid enim opus est de his, quæ incurabilia facta sunt, amplius tractare? At hoc facere multum refert. Ejusdem enim professionis est, & hæc cognoscere. Non enim fieri potest, ut inter se dirimantur. Oportet enim curabilia ita tractare, ut ne incurabilia fiant, ea intelligentia, ut quam maxime prohibeamus, ne ad hoc deveniant.*

§. XXIII.

Plurimi ex morbis sunt salutares, nonnulli etiam exitiales: illi restituunt hominem pristinæ secundæ valetudini vel etiam corpus præservant à gravioribus malis; hi ad perniciem vel destructionem corporis vergunt.

Scholion.

Morbi salutares dicuntur, quia salutarem habent exitum, dum motibus suis extraordinariis & vehementioribus à causa perniciali morbida corpus liberant, quatenus eam sive discutiendo sive foras ejiciendo à corpore removent.

§. XXIV.

Morbi plurimi ex salutaribus solvuntur excretionibus sive sanguinis per varia excretoria, sive propulsione excrementitii humoris ad habitum corporis, vel per sudorem aut transpirationem auctam, sive per crebriores dejectiones.

Scholion.

Non omnes morbi, qui cum excretionibus junguntur, salutari semper fine atque effectu gaudent, sed ii tantum, qui cum levamine fiunt & causam, à qua motus morbosi orti sunt, evacuant: si videlicet morbi non tam à qualitate vitiosa & motu inordinato, quam à copia nimia vitiosæ materiæ nascuntur.

§. XXV.

Ex morbis salutaribus eminet maxime febris, quæ summum præsidium & medicina sæpius est corpori illudque non tantum à causa morbifica, sed à graviori morbo, imo morte præservat.

Scholion.

Præclara sunt, quæ refert *Celsus* de *Asclepiade*, quod febre ipsa præcipue se ad remedium uti professus sit, & *Lib. II. Cap. VIII.* scribit: *febris, quod maxime mirum videri potest, sæpe præsidio est.* Sanguis enim, cum in febre majori celeritate per omnis generis tubulos fertur, ipsas periculosas stases & stagnationes sensim paulatimque resolvit, humorum nimiam copiam consumit, obstructa & constricta excretoria & tubulos tandem aperit, & liberum sanguinis & humorum reddendo circulum, omnes suppressas evacuationes restituit. Quod si itaque hæc præstat, utique talis febris salutaris dicenda est. Porro omnes febres, quæ cum levamine ad partes extremas materiam nocentem exturbant, uti sunt varioloſæ, morbillosæ, purpuraceæ, arthriticæ, catarrhales, & quas dejectiones copiosæ comitantur, salutares quoque morbi sunt. Pleræque etiam intermittentes febres, si sibi relinquuntur, & remotio causæ morbificæ arte adjuvatur, nec præpostera medicina aut diæta impeditur, saluti & præsidio potius sunt corpori, quam detrimento, & corpus ab aliis gravioribus malis vindicant. Maxime omnium vero febres catarrhales cum tussi, cum coryza junctæ, omnium saluberrimæ sunt.

§. XXVI.

Morbi & febres, quæ ad exitium & summam perniciem tendunt corporis, sunt, qui à vehementiori inflammatione, à partium nervosarum corruptione & sphacelo interno nascuntur, item inflammationes, quæ aliis gravioribus morbis supervenium, ut sunt phrenitis & inflammatio ventriculi ac intestinorum, vel illæ febres atque excretiones, quæ à gravissimo animi affectu, ab adsumto veneno, à bile caustica, à gravi læsione externa partium nervosarum, à vermibus intestina rodentibus, à flatibus, ab hernia incarcerata, à nimiis doloribus fiunt, quia omnes hi morbi & motus morbosi non ita sunt comparati, ut causas removeant, sed potius læsiones reddunt graviores & in extremam perniciem ac imbecillitatem vel universum genus nervosum vel certæ partis tonum ac robur præcipitant.

Scholion.

Ex hisce jam omnibus clarissime apparere arbitror quanta cum cura & solertia motus, qui in salutarem finem tendunt, & qui perniciem adferunt, sint distinguendi; nam in illis naturam adjuvare & ejus negotium promovere debemus, ubi pestilens error est, ejusmodi motus sine respectu ad causam statim sistamus; cum contra perniciales omnes motus, qui nihil salutare præstant, sed vires magis exhauriunt, utique protinus & sedandi & profligandi sint.

§. XXVII.

Distinctio etiam non exigui usus in medicina admittenda est inter morbos frequentiores & rariores. Priores dicuntur, qui crebrius & fere omnes homines inva-

invadunt; poſteriores tales ſunt, qui rarius & tempore & numero eveniunt.

Scholion.

Omnes quidem morbi in genere rariores ſunt, id eſt, minus frequenter homines infeſtant, ſi conſideramus tantum rerum inſalubrium & nocentium, quibus perpetue corpus humanum objectum atque expoſitum eſt, copiam. Cauſam hujus peculiaris phænomeni jam ſupra attulimus, quia ea eſt inſalubrium rerum indoles, ut non proxime, ſed potius remote & tantum diſpoſitive ad morborum generationem quidpiam conferant, atque etiam ex his plures cauſæ ad partium ſolidarum tonum naturalem deſtruendum conſpirare & concurrere debeant. Sed tamen neque tam rari ſunt quidam morbi, quia plures frequentiſſime in praxi eveniunt, & non ſemel, ſed ſæpius homines per omnem ætatem excruciant.

§. XXVIII.

Inter frequentiſſimos morbos, ſeu potius effectus morborum, qui jugulant & è vita tollunt hominem, eſt interna viſcerum corruptio & ſphacelatio.

Scholion.

Quo rarior eſt ſphacelus in partibus externis, eo frequentior eſt in internis; nam nec ullus fere hominum, qui morbo naturali moritur & non violenta vel celerrima morte perit, eſt qui non ex putrida & ſphaceloſa corruptione partium internarum moriatur, quod iis quidem, qui rarius vel plane nunquam morbis defunctorum hominum cadavera diſſecuerunt, ignotum videtur, neutiquam vero iis, qui frequentius hiſce exercitiis interfuerunt.

§. XXIX.

Morbi frequentiores ii ſunt, qui maxime à cauſa communi, ut aëris conſtitutione fiunt, & potiſſimum à tranſpiratione prohibita ſuam originem habent. Ita ſæpius intra anni ſpatium invadunt & plures ſimul divexant catarrhi, coryzæ, gravedines, tuſſes humidæ, catarrhales febres & rheumaticæ, item diarrhœæ, cephalalgiæ, variolæ, morbilli, febres intermittentes, præſertim tertianæ, dolores artuum & id genus plures.

§. XXX.

Frequentiores etiam ſunt ii morbi, qui certis locis ob peculiarem cœli conſtitutionem, ſitum regionis, aquarum & alimentorum naturam familiariſſimi ſunt.

Scholion.

Ita in Weſtphalia frequentiores ſunt peripneumonia, quartana & hydrops. Qui loca maritima incolunt, vel diutius in mari verſantur, ſcorbutum vix effugere poſſunt. Qui dulci, farinaceo victu utuntur, in febres putridas, malignas, lumbricos, purpuram & exanthemata maligna facile incidunt; qui in locis paludoſis degunt, creberrime intermittentibus iiſque anomalis exercentur.

§. XXXI.

Frequentiſſime quoque & graviter homines laborant ex vehementia animi pathematum.

Scholion.

Nullus fere gravior morbus acutus vel chronicus eſt, quem non animi affectus, multo vero magis cum aliis cauſis juncti excitare poſſunt; inde enim apoplexiæ, epilepſiæ, hæmoptyſes, narium hæmorrhoidumque effrenes hæmorrhagiæ, febres inflammatoriæ ventriculi, ardentes, cholericæ, abortus, menſium, hæmorrhoidum, alvi, ſudoriſque ſuppreſſiones, & exinde gravia pathemata, cordis palpitationes, tremores, animi deliquia oriuntur.

§. XXXII.

Frequentiores etiam ſunt morbi, qui ex pravæ digeſtionis vitio, item ex menſium vel hæmorrhoidum defectu vel ſuppreſſione oriuntur.

Scholion.

Fœminæ frequentius ægrotant, & de variis incommodis conqueruntur, ſi ſunt gravidæ, vel eo tempore, quo menſes inſtant: multoque magis affliguntur, ſi hi deficiunt vel ſupprimuntur, aut plane in ſenioribus ceſſant. Crebrius quoque afficiuntur homines ex pravæ digeſtionis vitio & cruditatibus prima in regione ſtagnantibus: inde enim nauſea, colicæ flatulentæ, diarrhœæ cum torminibus, cephalalgiæ, vertigines, vigiliæ, ſpaſmi præcordiales, inflationes ventriculi, dolores hypochondriorum, alvi adſtrictiones: adfectus enim hypochondriacus dictus malum eſt, ſi ullum, frequens & familiare, quod plures hominum per multos annos quotidie divexat & excruciat.

§. XXXIII.

Notabile eſt, quod morbi ſalutares, id eſt, qui ad ſalutem machinæ tendunt longe frequentiores ſint, quam qui in ejus perniciem cedunt.

Scholion.

Divinæ ſapientiæ tanquam corporis humani architectrici, hoc beneficium debemus, quod plurimi, qui frequentiſſime homines exercent, morbi liberent corpus à graviſſimis malis, dum materia vitioſa vel corripitur, vel per convenientia emunctoria excernitur; quales ſunt illi ſpaſmi & affectiones morboſæ, quæ circa menſium vel hæmorrhoidum fluxum infeſtant, item omnes catarrhales & rheumaticæ febres, defluxiones, coryzæ, tuſſes humidæ, diarrhœæ, intermittentes febres, variolæ, morbilli, arthritides, aliæque febrium ſpecies.

§. XXXIV.

Rariores ſunt morbi, qui ratione ætatis temperamenti & ſtructuræ partium incongrui ſunt, ut & graviores chronici.

Scholion.

Ita infantibus vel pueris rarius vel plane non eveniunt podagra, apoplexia, hæmoptyſes, vomitus cruenti, vel ſanguinis ex hæmorrhoidibus, vel utero profuſiones, nec non maniæ, melancholiæ; ſenibus vero rariſſime accidunt hæmoptyſes, epilepſiæ, variolæ, morbilli, phthiſes, lumbrici, ſpaſmi hypochondriaci. Rariores etiam ſunt apoplexiæ, hemiplexiæ, paralyſes, mania, gutta ſerena, melancholia, epilepſia chronica; rarior quoque eſt vera phthiſis & aſthma ſpaſmodicum, rarior hydrops & icterus niger, morbus niger, & veſicæ calculus; item lepra ſcabies maligna: quia dicti hi morbi non tam facile oriuntur, ſed ſummam imbecillitatem & dejectum robur partium earumque magnam labem & corruptionem, ſanguiniſque ac ſuccorum maximam dyſcraſiam, & viſcerum obſtructionem, quæ non tam facili negotio ingignitur, ſubindicant.

§. XXXV.

Differentia inter morbos raros & frequentes non caret in therapia ſuo uſu: diſcimus enim exinde naturam earum rerum, quæ frequenter & graviter noſtra corpora afficiunt iiſque inimicæ ſunt, ut majori cum cura earum noxam evitemus.

§. XXXVI.

Hujus generis ſunt animi commotiones, aëris repentinæ mutationes, frigus, acida, lacticinia, & quæ excretiones menſtruas, alvinas, & cutaneas ſupprimunt, intemperantia, nimia voracitas, ſedentaria vita.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Dantur quoque plurimi ex morbis, qui ſtato tempore, certo menſe, circa lunæ mutationes, vel certa ſeptimana, die, vel etiam hora determinata redeunt, & hi vocari ſolent periodici; alii vero ſunt morbi ſimplices, omnis circuitus expertes.

Scholion.

Differunt periodici à recidivantibus morbis, quia hi non ſervant periodos, utut variis de cauſis revertantur, neque confundendi ſunt periodici cum remittentibus, nam dolores ex calculo, item colici, arthritici remittunt quidem, raro tamen certo ac definito tempore revertuntur.

§. XXXVIII.

Omnes affectus periodici habent ſuum fundamentum in motibus ſpaſmodicis, quare & omnes morbi ſpaſmodici, qui inæqualem circuitum ſanguinis, ejuſque congeſtionem in partibus efficiunt, ſunt etiam periodici, & inter hos primas partes tenent hæmorrhagiæ.

Scholion.

De menſium & hæmorrhoidum fluxu res jam ſatis nota & explorata eſt, quod ſtatas periodos ſervent, neque ignotum eſt, has ſanguinis excretiones ſemper cum ſpaſmo partium externarum & lumborum, quo comprimitur ſanguis verſus uterum & anum, fieri, & quia abortus etiam cum ſpaſmis & nimiis uteri hæmorrhagiis invadunt, illi pariter inter affectus periodicos jure meritoque ſunt referendi. Nam in recens nuptis non raro tertio menſe & circa ordinarium fluxus menſtrui tempus, exactiſſime etiam ſeptimana reſpondente, non ſemel vel bis, ſed ſæpius ter vel quater imo ultra recurrunt. Ita quoque multiplici experientia compertum eſt, & narium hæmorrhagias & hæmoptyſes dari menſtruas, & ſemper cum extremorum refrigeratione & conſtrictione invadere; neque rarum eſt, vomitus cruentos intra certum menſis ſpatium in feminis, quibus menſes ſuppreſſi fuerunt, reverti.

§. XXXIX.

Quando ſtatæ & ſolennes excretiones ſanguinis per nares, hæmorrhoides vel menſes non reſpondent, & à ſpaſmis fiunt ſanguinis & humorum ad partes infirmas congeſtiones, varia inde pathemata convulſiva, ſpaſmodica, doloroſa periodica naſcuntur.

Scholion.

Sæpiſſime occurrit in praxi, quod interceptas ſanguinis per menſes & hæmorrhoidas excretiones excipiant hemicraniæ vel ophthalmico hemicraniæ, odontalgiæ, otalgiæ, item capitis eryſipelata periodica, neque minus in pectore aſthmata ſpaſmodica, tuſſes convulſivæ & violentæ. Circa præcordia vero graves anxietates, dolores, cardialgiæ, inflationes ventriculi ructuoſæ, vomitus, ſitis cum ariditate linguæ, ingentes dolores circa lumbos, & os ſacrum fiunt, quæ omnia periodice eveniunt, & exacerbantur. Dantur quoque ex menſium defectu epilepſiæ, & motus convulſivi periodici, circa menſium maxime fluxum provenientes, & poſtea ſingulis diebus certis horis redeuntes. Neque minus ab eodem fonte hyſterica pathemata, per periodos recurrentia, producta vidimus.

§. XL.

Cum ſpaſmi maxime familiares ſint tubis nervoſomuſculoſis ventriculi & inteſtinorum, non mirum eſt, eos morbos, qui ex ſpaſmo primarum viarum fiunt, periodos & ſtata ſua tempora ſæpiſſime ſervare.

Scholion.

Ita dolores cardialgici & colici ſæpe certis horis de die recurrunt. Vidimus vomitus bilioſos ſingulis pleniluniis recurrentes per aliquot dies cum ſumma anguſtia, anxietate & virium proſtratione. Vidimus quoque ex ſpaſmo duodeni icterum ſingulis menſibus dominica die recurrentem, & per aliquot dies perdurantem. Vidimus non ſemel, ſed ſæpius iterumque ex primarum viarum vitio & cruditatibus inde propullulantibus periodicas tuſſes, & infarctus pectoris certis horis de die vel nocte redeuntes, item vertigines, cephalalgias certis horis ingraveſcentes.

§. XLI.

Febres intermittentes ſtatis & determinatis diebus, imo ſæpius horis redire notiſſimum eſt.

Scholion.

Paroxyſmi intermittentium etiam ſoboles ſunt ſpaſmorum, qui ex prima regione veniunt, poſtea partes extremas & corticem corporis, cutem & ſubjacentes muſculos conſtringunt, ſanguinemque ad interiora repellunt, ubi anxietates, difficultatem reſpirandi & parvum ac debilem pulſum efficiunt, donec motu in contrarium facto à centro ad circumferentiam validiori, hi motus ſpaſmodici diſcutiantur.

§. XLII.

Periodicorum morborum cauſa perperam interno agenti, quod determinato tempore motus præſtet, vel fermento morbifico, aut ætheris peregrini per lunas vel ſidera influxui adſcribitur: ſed potius partium imbecillitati, quæ ſtagnationi & corruptioni humoris, & inde producto ſpaſmo occaſionem ſubminiſtrat, debetur.

Scholion.

Supra jam in *Cap. III.* §. 27. 28. 29. 30. 31. latius deduximus, ſpaſmos ſemper relinquere poſt ſe quandam imbecillitatem, quæ deinde facile ad ſtagnationes occaſionem ſubminiſtrat, & ad motus jam adſuetas fibras producere poteſt, id quod etiam ſuo calculo adprobare videtur *Galenus in Libro II. de differentiis febrium, dum omnes acceſſiones ægritudinum ex membrorum diſpoſitione male affecta ortum habere prodidit.* Atque etiam inter certas & ſtatas leges microcoſmicas referenda hæc eſt, quod natura ad partes infirmas maxime humores ablegare ſoleat, præſertim ſi illa in ſpaſmis ac motibus violentis eſt occupata. Ita frequentiſſime evenit, quod in hiſce partibus, quæ ſcarificatione vel inciſione venarum aliquoties affectæ fuerunt, certis temporum intervallis, idque ex redundantia humorum, tenſivi & pungitivi dolores ac languores percipiantur. Obſervavimus, à contuſione dorſi & ſcapularum circa æquinoctialia tempora in partibus affectis ingentes dolores recruduiſſe. Si dens vitio laborat & carioſus eſt, facile recrudeſcit dolor intra certum temporis ſpatium, præſertim circa veſperam; exemto autem dente omnis dolor quieſcit. Id quod unicum exemplum nos poteſt deducere ad cognitionem cauſalem repetitionis febrium; neceſſario enim ſtatuenda videtur mala in primis viis diatheſis, quæ infirmitas ſtagnationem & motum humoris facit, qui poſtea cauſa febris eſt: ſublata vero hac prava diatheſi & vitio partis correcto neceſſe eſt, ut motus & febris provocatio ceſſet.

§. XLIII.

Morborum periodicorum cauſæ inveſtigatæ clariſſime medentem inſtruunt, quod nec valentiora remedia, quæ ſpaſmos concitant, neque opiata & narcotica, omniaque ea, quæ robur partium infirmant, locum habeant, ſed potius roborantia, nervina, item diaphoretica cum clementioribus anodynis mixta magnum ſolatium adferant.

Scholion.

Peſſime periodici affectus tractantur, præſertim ſi adſuefacti

adſuefacti & habituales ſint, per valentiora emetica, purgantia & ſudorifera; hæc enim omnia robur partium valde infirmant, & ſpaſmos magis adaugent, tantum abeſt, ut eos ſiſtant. Deinceps ea eſt ratio atque indoles motuum adſuefactorum, ut à leviter nocente cauſa revocentur, cui removendæ tam valida remediorum genera minus quadrant. Neque etiam expedit, dolores vel convulſiones fortiori medicina ſedativa tractare, quia in principio quidem alleviamentum quoddam præſtant, poſtea vero propter infirmitatem, quam partibus nervoſis inducunt, pejoris indolis fiunt, & crebriori uſu facile in cachexiam, tumores œdematoſos ac lentas febres ægros præcipitant.

§. XLIV.

Datur etiam ſingularis ſpecies morborum, in quibus ad externas partes propulſa materia peccans ſtationem ſuam relinquit, & ad interiora revertitur, & hi vocantur retrogradi vel retrocedentes.

Scholion.

Variant multum inter ſeſe, retrogradi qui adpellantur morbi. Quidam enim ex iis ad ſummam cutem, ejuſque ſuperficiem tantum feruntur, ut ſunt morbilli, variolæ, purpura, ſcabies, cruſta lactea, quidam vero profundius inhærent partibus carnoſis & nervoſis ipſiſque glandulis, cujus generis ſunt eryſipelata, bubones venerei, peſtilentiales, carbunculi, tumores podagrici, venerei, œdematoſi, antiqua ulcera.

§. XLV.

Retrogradorum morborum peſſima eſt ratio atque eventus, quia materia ad ſuperficiem corporis detruſa indolis ſubtilioris ſalino-ſulphureæ poſtea ad interiora delata nervoſas partes occupans, graviſſima pathemata excitat.

Scholion.

Quod ſi enim materia retropulſa ad cerebrum ejuſque membranas delata fuerit, graves affectus capitis, ut phrenitides, convulſiones epilepticæ, lethargus, hemiplexia, aphonia, gutta ſerena, mentis & memoriæ alienationes ſuſcitantur. Si vero ad præcordia delata nervoſas ibi fatigat partes, graves pectoris morbi, ut aſthma convulſivum, tuſſis ferina, catarrhus ſuffocativus, difficilis & ægra cum anxietate & anguſtia ſpiratio & ingens virium collapſus reſultant. Etſi ventriculi & inteſtinorum tunicis firmiter inhæreſcat, atrocia ventris tormina, cardialgiæ & periculoſæ harum partium inflammationes, ſingultus, diarrhœæ oriuntur. Ex quo intelligitur, quantum periculi omnes illi morbi habeant, qui ab exterioribus ad interiora convertuntur, id quod jam olim probe annotavit *Hippocrates in Coac. §. 103. eryſipelas foras quidem accedere commodum eſt, intro autem converti lethale, invertitur autem intro, cum diſparente rubore pectus gravatur, & difficilem ſpirationem habet.* Et quod de eryſipelate hic dictum eſt, id de omni affectu externo, qui cum quadam inflammatione & dolore jungitur, intelligendum venit. Quod vero tantum periculi hi morbi alant, ex eo fit, quod materia morbifica virulentæ indolis ad interiora relegata nervoſas maxime partes obſidet, in quibus graviſſima pathemata producit, nec tam facile ex iis rurſus evelli poteſt. Quapropter oportet utique medicum hos omnes morbos, qui facile ab exterioribus ad interiora revertuntur, cautiſſime tractare, & ab omnibus iis, quæ ullo modo repellendi facultate pollent, uti ſunt externa conſtringentia, item purgantia, emetica, ſanguinis miſſiones, quæ ab ambitu corporis humores revocant, abſtinere. Contra nihil præſentius eſt, quam ejuſmodi in morbis corpora in perpetua leniori & æquabili tranſpiratione ſervare, & omni modo à topicis ſibi cavere.

§. XLVI.

Morborum alii ſunt cogniti ſive manifeſti, alii incogniti ſive occulti: illi dicuntur, quorum cauſæ cognitu faciles ſunt, hi vero vel novi ſunt, vel eorum natura, cauſæ, eventus adhuc latent.

Scholion.

De novis & incognitis morbis inſignis occurrit locus in *Præfatione Cornel. Celſi pag.* 14. dum ait: *rarius, ſed aliquando morbus quoque ipſe novus eſt, quem non incidere manifeſte falſum eſt, cum ætate noſtra quædam ex naturalibus partibus carne prolapſa & arente intra paucas horas exſpiraverit, ſic ut nobiliſſimi medici neque genus mali, neque remedium invenerint, quos ideo nihil tentaſſe judico, quia nemo in ſplendida perſona periclitari conjectura ſua voluerit, ne occidiſſe, niſi ſervaſſe videretur.* Veteres illi morbos, quorum cauſæ erant occultæ, θεῖον τὶ ſive divinum quid in ſe continere judicabant, & tales fuerunt, quas ex temperaturæ facultatibus minus explicare poterant, unde huc referebant inprimis epidemios, & qui ex aëris infeſta & virulenta quadam qualitate naſcebantur. Cæterum *Hippocrates Lib. de loc. in homine* §. 461. de curatione morborum incognitorum id egregie monet, ut, ſi quis morbum non cognoſcat, medicamentum bibendum non forte præbeat. Illud ſaltem hoc loco adjicimus, quod plurimi morborum & ratione indolis & cauſarum & ratione ægrotantis corporis, adeoque etiam ratione curationis ſint proh dolor incogniti non ex ſe & ſua natura, ſed propter ignorantiam eorum, qui divinam hanc artem temerario plane auſu exercent. His itaque & ego auctor ſuaſorque ſum, ut cum prodeſſe nequeant, ſi non nocere velint, debiliſſimas ſemper medicinas porrigant, quibus maxime diaphoretica fixiora, clementer laxantia & analeptica temperata annumero.

PHILO-

PHILOSOPHIÆ CORPORIS HUMANI MORBOSI, SIVE PATHOLOGIÆ GENERALIS,

PARS II.

De rerum nocentium & insalubrium natura, proprietatibus & viribus in corpus humanum, item de omnibus iis, quæ ullo modo corpora ad morbos reddunt proclivia.

CAPUT PRIMUM.

De rerum insalubrium & nocentium natura & viribus, speciatim de affectibus animi.

§. I.

Ausis morborum proximis exquisitius enucleatis & perspectis, tractationis nostræ ordo & methodus omnino requirit, ut jam rerum, quæ functiones corporis lædunt & ejus conservationi resistunt, naturam & vires ad causarum morbificarum originem & generationem inquirendam ea, qua par est, accuratione & sedulitate investigemus atque evolvamus.

Scholion.

Cum morborum causæ, quæ corporis nostri motus, secundum naturam proportionatos inque æquilibrio constitutos, turbant ac pervertunt, non à se existentiam suam habeant, nec casu quodam incomprehensibili, sed ab aliis causis præexistentibus & antecedentibus progignantur & sustententur; harum utique causarum primordia atque originem sollicita indagine ut perscrutemur, necesse est.

§. II.

Scientia earum rerum, quæ insalubres sunt, & corpori humano vivo ac sano nocent, atque ad causarum morbificarum productionem multum faciunt, medico tum ad præservationem, tum ad curationem morborum summe utilis & necessaria est.

Scholion.

Rectissime hinc definitur medicina ab ipso *Galeno*, quod sit rerum salubrium & insalubrium scientia. Etenim non sufficit, medicum earum tantummodo rerum, quæ saluti sunt corpori, ejusque sanum statum & valetudinem prosperam tuentur, notitia esse imbutum, sed id etiam potissimum requiritur, ut insimul illas res plene & exacte cognoscat, quæ miserandis doloribus & variis ærumnis corpora humana objiciunt, animo vigorem & integritatem demunt, ac morbos & præmaturam mortem inferunt. Nam quia præservatio à morbis circa remotionem & depulsionem causarum, quæ illis ingignendis aptæ sunt, unice versatur: facile quisque medicorum solertissimus videt, scientiam harum rerum, quæ corpori officiunt, & vitæ ac sanitati adversantur, ipsi esse perneceſſariam, & ad suam perfectionem non parum contribuere.

§. III.

Uti causarum morbificarum multiplices sunt classes atque genera eorumque quædam celerrime & vehementissime, quædam tardiori gradu & longiori tempore vim suam nocentem exerunt; alia vero tantum partium dispositionem ad morbos inferunt & remote concurrunt: ita etiam non unius ejusdemque sunt generis & virtutis res exitiosæ, siquidem nonnullæ citissime & efficacissime inque minima mole operationem patefaciunt, nonnullæ tardius inque majori mole & longiori tempore id præstant: aliæ vero tantum dispositive ad causas morborum proximas ingignendas concurrunt.

§. IV.

Quemadmodum dantur morborum causæ, quæ motus partium solidarum, à quibus sanguinis circulus, vita, sanitas cum secretionibus & excretionibus congruis dependent, proxime ac immediate invertunt ac destruunt: ita similiter etiam dantur, res, quæ hoc præstant, nocentissimæ, cujus generis sunt graves animi commotiones & omnes illæ materiæ, quæ veneni vim habent, & cum magna vehementia ac celeritate inque minima mole solidorum motus destruunt.

§. V.

Plethora & cacochymia magnæ sunt morborum, præsertim chronicorum, causæ, hinc omnia ea, quæ ad nimiam redundantiam, item summam impuritatem & corruptionem sanguinis & humorum aliquid conferunt, in classem insalubrium & nocentium jure meritoque referri debent.

Scholion.

Si probe naturam & vires causarum morbificarum cognitas atque perspectas habemus: utique nobis in facili erit earum rerum naturam explorare, quæ infestæ sunt corpori, & causas illas stabiliunt.

§. VI.

Quia excretiones sanguinis tum puri, tum impuri consuetæ interceptæ, itemque ordinariæ evacuationes superfluarum & excrementitiarum sordium per urinam, alvum, & cutis porulos cohibitæ ad productionem plethoræ, & ad generationem & augmentationem impuri ac lutulenti sanguinis & lymphæ variarumque excrementitiarum sordium in corpore plurimum contribuunt: facile hinc potest intelligi, omnia illa, sive ex classe rerum naturalium, sive non naturalium & præternaturalium sint, quæ salutares illas sanitatis conservatrices excretiones ullo modo impediunt, pro rebus maxime noxiis & infensis esse habenda.

Scholion.

Ad hunc censum pertinent nimia ciborum copia, acidorum & viscidorum abusus, aër valde humidus & frigidus, vita laboris & motus expers, incongruus potus, cibi plane corrupti & alieni, atque id genus plura.

§. VII.

Cum dejectio virium in universo corpore vel atonia & infirmitas certarum partium ad stagnationes humorum, obstructiones glandularum, & viscerum corruptiones, adeoque ad passiones chronicas inferendas & acutas funestas reddendas multum contribuant: hinc facile concludendum, omnia ea, quæ corpus infirmant, & partium tonum ac robur dejiciunt, ut sunt præcedentes morbi vel imprudentes remediorum administrationes, res esse nocentissimas & ad morborum, ipsiusque adeo mortis generationem aptissimas.

§. VIII.

Quoniam morbi non solum ex iis rebus, quibus ad vitæ sustentationem quotidie opus habemus, in corpore nostro progignuntur, sed subinde etiam ad morborum productionem multum conferat peculiaris alicujus corporis structura & natura: hinc utique à medico & ætas & sexus, & temperamentum & habitus corporis & nativa atque hæreditaria, seu à parentibus susceptа partium constitutio, ipsa quoque consuetudo, quæ altera est natura, probe considerandа sunt, ut inde certus reddatur, ad quos morbos singula hæcce disponant.

§. IX.

Inter res nocentissimas, & quæ celerrime corpora afficiunt, & morbos, imo mortem inferunt, jure optimo valde gravia animi pathemata sunt referenda.

Scholion.

Tanta est affectuum animi vehementia, ut celerrime corpus etiam firmissimum & integra sanitate fruens lædere, ejusque motus ordinatos, qui vitæ præsunt, destruere, pervertere & gravissimos morbos, imo subitam mortem inferre possint; hinc fit, ut potentia ac celeritate nocendi validissima etiam venena superent, quæ non tam cito mortem inferunt, vel in momento in actiones vitales grassantur, quam subitus & vehemens animi affectus, qualis est ira vel terror.

§. X.

Animi pathemata in fluidum nerveum, hujusque ministerio in partes nerveo-musculosas, quæ motuum directioni præsunt, proxime & immediate agunt.

Scholion.

Affectus animi maxime ac primario afficiunt cor & arterias, deinde operatio eorum transit in membranas cerebri, ventriculi & intestinorum, tum in ductus biliarios & urinosos præcipue vero in tubulos & fibras subcutaneas; hæ enim partes singulæ ex sensibilissimis fibris membranoso-nerveis constructæ sunt. Quod vero in fluidas partes animi pathematum vis & operatio sese exserat, id inter alia ex eo clarum fit, quod per salivam, per lac nutricum longe gravissima mala in infantes inde transferri queant.

§. XI.

Quemadmodum motus solidorum ac inde dependens fluidorum triplici modo læditur, dum vel vehementior & celerior fit contractio nervoso-musculosarum partium corporis, & motus ab internis ad exteriora tendit: vel ab exteriori partium constrictione motus humorum ad interiora vergit, vel tonus & robur partium plane dejicitur & perit, atque ob atoniam & imbecillitatem circuitus sanguinis & humorum imminuitur: ita etiam affectus animi simili plane modo operantur, & motus solidorum ac fluidorum turbant, uti ex mox subjungendis evidentissime patebit.

Scholion.

Præclare de operatione affectuum animi scribit *Pergamenus Lib. II. de caus. sympt. Cap. V.* ubi hæc verba leguntur: *est quædam ex primis & , ut aliquis diceret, principalissimis moventibus ipsa naturalis caloris intro foraque delatio multas animi passiones, sequens, simul autem cum ipso & spiritus & sanguis modo intro & ad principium feruntur ac contrahuntur, modo foras distenduntur & funduntur. Et licet motus hos evidenter perspicere cum in aliis multis, tum in ipsis animi perturbationibus e. g. terrore & ira, ille intro & ad principium spiritum & sanguinem una cum refrigeratione corporis superficiaria subducit & contrahit, hæc vero foras agit, fundit & calefacit.*

§. XII.

Ira ejus est indolis, ut vehementiori partium nervoso-musculosarum contractione totum systema nervosum celerrime commoveat, & systolen cordis eique adnexorum vasorum cum arteriosorum, tum venosorum, & tonum etiam partium fibrosarum universo in corpore mirifice adaugeat, ut adeo recte à veteribus parva febris, insania, ac momentanea epilepsia dicta fuerit.

Scholion.

Equidem post iram manifestum motus cordis augmentum, pulsus intensio, respiratio concitatior, sitis, calor, inflatio & rubor faciei, arteriarum capitis, præsertim circa tempora, major pulsatio & intumescentia, oculorum ferocia, tremor extremarum partium & actionum mentis præcipitantia observantur, quæ omnia luculentum satis de impetuosiori fluidi nervei & sanguinis motu edunt testimonium. Neque parum ad hujus rei illustrationem confert illa observatio practica, qua edocemur, nihil tam celeriter febrem acutam biliosam intermittentem inflammatoriam concitare posse, quam ipsum iracundiæ vehementiorem affectum.

§. XIII.

Deinceps is quoque iræ liberioris & à metu, tristitia vel vindicandi libidine non interruptæ effectus est, ut sanguinem à centro ad circumferentiam moveat, & hoc modo humores viscidos, & hinc inde in vasis stagnantes & firmiter hærentes resolvat, discutiat, & excrementa ad habitum corporis externum detrudat. Et ob hunc motum resolutorium & excretorium adauctum accidit, ut iracundiæ affectus interdum saluti sit corporibus, frigidioris præsertim temperamenti, & in morbis sic dictis frigidis, & qui ab humorum infarctu ac nimia mole proficiscuntur.

Scholion.

Sicuti febris sive intensior solidorum & fluidorum motus, quo cum impetu sanguis circumvolvitur, ad viscidorum humorum resolutionem & materiæ hetero-

geneæ ad habitum corporis protruſionem maxime confert: ita illud ipſum etiam contingit in ira, unde animadvertimus, purpuram, variolas, morbillos, eryſipelata ab eadem fuiſſe excitata, & graves ac contumaces morbos ejus prudenti proritatione fuiſſe ſanatos. Quare *Hippocrates Lib. II. Epidem. Sect. IV.* hoc remedii genus commendavit in iis, qui ex aſſiduo leguminum uſu crurum impotentes facti fuerunt, dubio procul ad viſcidum ſanguinem reſolvendum & calorem ac ſpirituaſcentiam ſanguinis reparandam. Dicit enim graviſſimus auctor: *diligentia adhibenda eſt, ut excandeſcentia inducatur, & coloris reparandi, & ſanguinis in habitum corporis invitandi cauſa.* Et alio loco ita fatur: *ira frigidis remedio eſt.* Cujus in ſententiam eunt plures alii graviſſimi viri, ut paſſim hinc inde annotatæ obſervationes conteſtantur. Ita paralyſin inveteratam & ſingultum enormiorem iræ beneficio ſanatum deſcribit *Valeriola Lib. II. Obſ. IV. Dan. Beckerus de cultrivoro Boruſſico Quæſt. IX. & Crato Lib. VI. Conſil.* in paralytico & phlegmatico iram cum inſigni euphoria proritari adſerit. *Horſtius Lib. III. Conſil. Epiſt. XII.* refert: triennalem paralyticum, qui ob præſentiam hoſtis in furorem fuerit actus, è lecto repente proſiliiſſe, & cum ſociis civibus hoſtem invaſiſſe. Porro etiam in aliis affectibus confirmatis mirabilem iram præſtitiſſe opem obſervationes teſtantur. De iræ efficacia in podagrico quodam egregiam communicat obſervationem *Pechlinus Lib. III. Obſ. 28. & Bartholin. in Hiſt. Anat. Cent. VI. Hiſt. XXVIII.* Quartanas & tertianas febres contumaciſſimas ſubito, & vehementi iracundiæ affectu ſublatas fuiſſe memorant *Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. II. A. III. Obſ. 93. it. Paræus Lib. I. Cap. XXIII. Valeriola Lib. II. Obſ. IV.* adſtrictionem alvi ab ira ſolutam refert. Conf. quoque *Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. II. A. V. pag. 57.* mutum ira loquentem vid. *in Act. Hafnienſ. Vol. I. obſ. 81.* Illud certum eſt, iram minus eſſe pernicialem, quam reliquos animi affectus *vid. Baco de Verulam. in Hiſt. Vit. & mort. pag. 249.* Cavendum vero maximopere eſt, ne in cholericis, vel etiam in cachecticis, & ubi male conſtituta ſunt viſcera, itemque ubi ad eryſipelas, ad hæmorrhagias, ad apoplexiam, & ad metaſtaſes ſanguinis ad caput, ad affectus ſpaſmodicos inclinant corpora, ejuſmodi curam adhibeamus.

§. XIV.

Ulterius ira ſpaſmodica partium, qua agit, ſtrictura vim ſuam inprimis in ventriculum & inteſtina, ceu partes valde nervoſas & membranaceas exquiſitioris, ſenſus & motus, exerit, & è facili inflammationem ibidem ſubinde periculoſam, imo lethalem efficit.

Scholion.

Nihil frequentius in praxi occurrit, quam ab ira inflammationem pati ventriculum & inteſtina, eamque cumprimis lethalem fieri, ſi mox potus frigidus paulo avidius ſuperingeratur, vel purgans, vel emeticum propinetur ad bilem ab ira, ut vulgo putant, commotam è ventriculi ſinu exturbandam. Et facillime quidem hoc contingit in ſubjectis debilibus, qualia ſunt hypochondriaco malo obnoxia. Ita in virgine hypochondriaca poſt iracundiam notavimus inflammationem lethalem, quæ duravit viginti quatuor dies, cum delirio & circa mortem ſeceſſu ſanguinis per alvum. Acta fuit inflammatio ultimis ægritudinis diebus, cum denuo iracundia excanduiſſet, & notabile etiam erat in hoc ſubjecto, quod feces per inteſtina inflammata & ſphacelata ad colon tranſierint. Ceterum non ſemel, ſed aliquoties vidimus, à purgantibus vel emeticis poſt graviorem iracundiæ affectum exhibitis omnia verſa fuiſſe in deterius, & mortem acceleratam. Neque enim aliam, quam nocendi facultatem hoc in ſtatu exſerere poſſunt memorata pharmaca, ſiquidem eorum operatio ſpaſmis tunicarum ventriculi & inteſtinorum abſolvitur. Cane igitur & angue pejus vitanda ſunt in affectionibus & ſymptomatibus ab ira productis omnia purgantia draſtica & emetica; quo in caſu potius exhibere convenit blanda antiſpaſmodica, diaphoretica & nitroſa, bilem corrigentia & abſtergentia, neque minus laxantia benigniora rhabarbarina.

§. XV.

Agit inſuper iracundiæ affectus in membranas cerebri & alia viſcera, ubi ſanguis iræ impetu celerrime adpulſus regredi neſcit, eamque ob rationem ſubſiſtens inflammationes periculoſiſſimas efficit.

Scholion.

Quod ſi ad caput impetuoſius compellitur ſanguis, in meningibus exoritur phrenitis. Obſervavimus ingens ſanguinis profluvium per venas ſedis in hypochondriaco accedentem iram vehementem ita conſtrinxiſſe colon, ut funis inſtar contortum & anguſtatum fuerit, & ſanguinis ad caput appulſum augendo delirium convulſivum funeſtum in viro generoſo induxerit. *Hildanus Cent. I. Obſ. XVII.* meminit juvenis, cui caput vulneratum & cranium fractum erat, qui ex ſola ira in phreneſin incidit ac mortuus eſt. Cranio poſt obitum aperto inventæ fuerunt cerebri membranæ inflammatæ, venæque & arteriæ ſanguine congrumato turgentes. Si ad pectus fertur ſanguis non raro ab ira exorbitante, oboritur pleuritis & peripneumonia, ad abdomen delatus ſuſcitat inflammationem hepatis. Eryſipelas quoque ſubſequi iram, præſertim in cacochymicis & ſcorbuticis corporibus, res familiariſſima eſt.

§. XVI.

Peculiarem vero vim ira exercet in ductus bilioſos & hepatis, adeo ut eorum ſtrictura fortiori facile hepar ſcirrhoſum fiat, imo calculi in cyſtide ac ductibus biliariis generentur, quia liber motus & effluxus bilis hac ratione impeditur.

Scholion.

Præſertim hoc accidit ab ira peſſimæ notæ, quæ cum triſtitia aut metu, ubi vindicandi occaſio aut facultas deeſt, conjungitur. Propter conſtrictionem quoque horum ductuum icterus fit, qui facile in veſicæ biliariæ calculos deſinit, quemadmodum id ex ſectionibus cadaverum eorum hominum, qui ictero demortui ſunt, apparet.

§. XVII.

Quando bilis ab iræ affectu vehementius commovetur, & copioſe ex ductibus biliariis & cyſticis ad duodenum & ventriculum effunditur, ex ejus ibidem facta ſtagnatione & concepta ob diuturniorem moram acredine, nauſea, vomitiones, diarrhœæ, cholericæ paſſiones, cephalalgiæ, anxietates, febres bilioſæ continuæ & intermittentes ſuſcitantur.

Scholion.

Hinc eſt peculiare illud iracundorum ſymptoma, quod in latere dextro ſub ſcrobiculo cordis ſentiant dolorem quendam conſtrictivum, in ore autem amarorem. Originem ſuam hæc pathemata non aliunde ducunt, quam à motu bilis ejuſque effuſione in inteſtina impetuoſiori; dum ductus biliarii, nervoſis ac muſculoſis tunicis contexti, ab influxu ſpirituum animalium citatiori nimium compreſſi ingentem quantitatem bilis exonerant & infundunt duodeno, unde etiam dependet inclinatio ad vomitum & diarrhœa, quare *Hildanus Cent. VII. Obſ. XVIII.* annotavit, alvum ſubductam fuiſſe ab ira, ac ſi pharmacum adſumtum fuiſſet. Si bilis acrimonia delinquit, & à frequentiori hoc adfectu bilis nimium effunditur, inteſtinorum & ventriculi eroſiones cum lenta febre ſequente non raro vidimus.

§. XVIII.

§. XVIII.

Tandem & illud proprietatibus iræ accensendum venit, quod intensiori partium solidarum & fluidarum per eam reddito motu sanguis copiosior cum impetu ad partes pellatur, quas deinceps nimium & venarum ibi existentium orificia aperit.

Scholion.

Constat experientia practica, iram maximam habere facultatem, in consuetis & dispositis maxime enormes sanguinis excretiones, sive per nares, sive per arteriæ pulmonalis aperturam, sive per venas ani, & in feminis per uterum excitandi. Quotidianum etiam fere est, vultum statim rubore suffundi, & venas capitis præsertim frontales, mirum quantum intumescere, mox etiam sanguinem naribus, si hæc hæmorrhagia olim juveni consueta fuit effundi. Ita vidimus feminas ab iracundia in uteri hæmorrhagias incidisse, vel etiam hæmorrhagias narium passas fuisse. Et hæc quoque est ratio, quare in senibus & plethoricis vehemens ira apoplexiam sanguineam, quæ fit ab arteriolis plexus choroidei in capite perruptis, non raro producat.

§. XIX.

Terroris effectus est spasmodica partium externarum constrictio, qua sanguis à circumferentia ad centrum propellitur, & omnis generis excretiones supprimuntur; hinc disponit maxime ad morbos, qui ab excretionibus sanguinis sufflaminatis ejusque regurgitatione ad interiora proveniunt.

Scholion.

Observamus à terrore subito & vehementi habitum corporis externum constringi, unde vasa detumescunt, venis plane nullis vel minimis tantum apparentibus, facies pallorem contrahit, partes externæ refrigerantur & contremiscunt. Et cum sanguis sic cum impetu ruat ad cor & pulmones; excitat ibi, mole sua premente, anxietates intensas, spirandi angustiam, pulsus debilitatem & frequentiam. Et quoniam cor ab onere hoc sese expedire conatur, fluidum nerveum non raro maximo cum impetu in ejus musculos fertur & convulsivum motum ejus sive palpitationem, quæ fere individuum est signum terrore affectorum, producit. Quanta vel ex solo terrore spirituum in sanguineo fluido condensando & præcipitando sit potentia, docet *Malpighius in Obs. de Polypo*, ubi refert, virum quendam robustum terrore perculsum, subito in pulsus inæqualitatem ac obscuritatem incidisse, & recurrente ingenti spirandi difficultate brevi tandem per sputa quandoque rubri sanguinis portiones, quandoque copiosa alba quædam frustula excrevisse, postremo turgentibus superioribus & coërcita sanguinis copia suffocatum interiisse. Terrorem quoque cor virtute sua spoliare, horroremque febri similem inducere, effatum est *Mœbii in Institutionibus Lib. VII.* siquidem in febris principio itidem partes extremæ spasmodice constringuntur, ut sanguis non libere possit in illas influere, sed potius retrogrado motu ad cor pellatur, ubi subsistens anxietates efficit ineffabiles.

§. XX.

A spasmodica partium ob vehementiam terroris constrictione etiam illud dependet, quod omnis generis evacuationes vel retardentur vel penitus sistantur.

Scholion.

Nihil frequentius in praxi occurrit, quam à terrore subito exorto alvum fieri adstrictiorem, ita ut vel quinque vel sex diebus quandoque non deponatur; transpirationem quoque imminui, mensium, lochiorum, hæmorrhoidum & urinæ suppressionem accidere sæpe momentaneam. Neque novum est in puerperis & lactantibus lac in mammis coagulari & purpuram in febribus acutis vel exanthemata in variolis, morbillis retropelli, uti produnt *Miscell. Nat. Curios. Dec. II. A. IX. obs.* 18. Vidi non semel, sed sæpius atque iterum, sonticulos & ulcera antiqua à vehementi terrore non sine periculo consolidata, asthmate & colica convulsiva subsecutis.

§. XXI.

Singularis quoque observationis est, quod terror non tantum fluxum sanguinis cohibeat atque sistat, præsertim in juvenculis virginibus & quibus venæ sunt exiliores, sed etiam quandoque eundem resuscitet.

Scholion.

Non semel, sed sæpius in praxi annotavimus, mensium fluxum nimium modo cessantem, terroris vi illico fuisse resuscitatum; neque minus lochia post abortum vel partum, immoderate fluentia, si videantur jam sanata & in statum pacatiorem deducta, ex terrore confestim revocari, quod forsan accidit ob nimiam vasorum uterinorum relaxationem, qua impetus sanguinis, à partibus exterioribus repressi, ad imbecillia vasa uteri urgetur.

§. XXII.

Quia terror reprimit sanguinem ad interiora ejusque motum plane inæqualem reddit: hinc is certa in parte congestus pro diversitate locorum, quibus insidet, gravia excitat symptomata & multiplices affectiones.

Scholion.

Si in capite ejus fit congestio, non raro apoplexiæ, hemiplexiæ, paralyses, epilepsiæ & convulsivi motus fiunt, secundum observationem *Plateri Lib. I. p.* 17. Et elegantissimum locum, qua ratione ex terrore quidam delirare & spectra videre possit, vid. apud *Hippocratem Sect. V. pag.* 125. In corde vero accumulatus sanguis inducit ejus palpitationem, anxietatem, syncopen, lipothymiam: in pulmonibus spirandi difficultatem, hæmoptysin, catarrhum suffocativum, in utero apud gravidas abortum. Mensium tempore invadens feminas terror spasmodica symptomata excitat. *Ita Raygerus in Obs. 60. p.* 131. meminit virginis cujusdam, quæ ex terrore levi aliqua de causa concepto incidit in hysterica symptomata, scilicet difficilem respirationem, dolorem lumborum pedumque, lipothymias & alias molestias, cum mensium obstructione nullis remediis facile expugnanda. Similiter observatione constat frequenti, mammas in puerperis & gravidis singulariter affici terrore, dum sæpius tubercula in iis exsurgunt, quæ interdum in ulcera cacœthica vel carcinoma mali moris mutantur. A congesto quoque & ad stasin deducto sanguine per terrorem exulcerationes labiorum & in certis partibus tumores erysipelaceos progigni, in vulgus notum est. In abdomine post terrorem vel metum gravem flatus & borborygmi infestare solent, qui sæpius vel cum alvi fluxu, quod bonum est; vel cum ejus obstructione & abdominis distensione terrore perculsos affligunt: & hinc contingit, à terrore hypochondriacorum & hystericarum symptomata familiaria mirifice exacerbari.

§. XXIII.

Quemadmodum terror corpora maxime imbecillia, & quæ sanguine bono ejusque sufficiente ad partes externas influxu destituta sunt, invadere solet: ita in iisdem quoque majorem violentiam exercet.

Scholion.

Terror & frigus debilitatis corporibus validissime nocent, & symptomata spasmodica facile excitant. Experientia certa cognitum perspectumque habemus, si terror post hæmorrhagiam largiorem, vel etiam sub mensium fluxu, vel post eorum proruptionem copiosam aut diuturnum morbum, vel etiam partu debilitatas feminas

minas invadat; ſpaſmos & flatulentias primarum viarum, quin imo multo truculentiora non ſine magno vitæ periculo ſequi pathemata, cujus generis ſunt animi deliquia, extremorum tremores, paralyſes, apoplexiæ, reſpiratio difficilis, pectoris anguſtia cum metu ſuffocationis & horrendæ cordis palpitationes, omniumque virium ſubitus lapſus. Quid quod nihil magis morbis contagioſis viam pandit, & miaſmati peſtilentiali aditum præbet, quam gravis terror. Deinde etiam certiſſimum eſt, terrorem morbis acutis continuis præcedentem ſæviſſima inferre ſymptomata, & ſæpius totum morbi genium immutare, ut medicus etiam peritiſſimus, niſi certus fuerit de cauſa hac antecedente, in prognoſi ſua inſigniter fallatur. Dici quoque vix poteſt, quantum terror noceat in morbis acutis, ſi præſertim die critico ſuperveniat. Evacuationes enim criticas ſupprimendo & exanthemata repellendo, faciem morbi longe aliam reddit, & ægrum ut plurimum dat internecioni. Ita non ſemel notavimus, à terrore in cacochymicis febrem lethalem cum ſumma virium dejectione fuiſſe obortam.

§. XXIV.

Nulla res tam infenſa eſt vitæ ſenum, quam gravis terror.

Scholion.

Aliquot nobis nota ſunt exempla, ubi ſenes adhuc vegeti à terrore tam periculoſe læſi fuerunt, ut appetentia ciborum omni dejecta, & placido ſomno deſtituti, ad priſtinas vires redire non potuerint, ſed maraſmo & lento calore confecti diem extremum obierint. Si enim tanta terroris vis eſt, ut robuſtos homines infirmet, multo magis minus valentes & infirmiores lædere debet, eorumque vires depopulari.

§. XXV.

Neque vero tantum varii generis morbos inducit terror, ſed etiam quandoque ipſius ſubitæ mortis cauſam præbet efficaciſſimam.

Scholion.

Multa hanc in rem exempla in medicorum proſtant monumentis. Hac enim ratione plures interiiſſe dudum notavit *Galenus Lib. de cauſ. ſympt. Cap. V.* Ita & *Plinius Lib. VII. Hiſt. Natural. Cap. XXXVI.* refert, Publ. Rutilium, nunciata fratris in conſulatus petitione repulſa, illico exſpiraſſe. Heli quoque Judæorum Pontificem & Judicem accepto triſti nuncio de clade, qua Palæſtinæ hoſtes, capta arca occiſisque ipſius filiis, Judaicum exercitum affeçerant, magno ſubitoque terrore oppreſſum, de ſella retrorſum cecidiſſe, ac ſubito exſpiraſſe ex ſacris literis conſtat, ne de nuru ejuſdem hoc loco dicamus. conf. quoque *Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. III. A. IX. & X. obſ. 57. pag. 114. Bonetus in ſepulchreto ſuo. Fort. Fidel. de relat. med. Lib. IV. Cap. III. Rayger. in Obſ. med. obſ. 96. Bartholin. Hiſt. 76. Cent. IV.* Plura quoque exempla collegit & hinc inde hiſtoriæ ſuæ inſperſit *Valerius Maximus*. Rationem autem hujus tam ſubiti & funeſti eventus inveſtigare, in proclivi eſt; ſanguis enim hoc modo circa cor & pulmones accumulatus coàgulationem, ſi præſertim natura exiſtit debilis, lethalem ſubit promtiſſime.

§. XXVI.

Licet motus, quem terror inducit, à ſuperficie corporis ad centrum vitæ & ſanitati corporis noſtri ſit inimiciſſimus, & ad morbos internos curandos minus utilis vel conſtantis effectus: nihilo minus tamen obſervationes inveniuntur, quæ docent, terrorem quandoque in certis morbis fuiſſe remedio.

Scholion.

Ita *Rolfinccius Comment. in* 1. *aphoriſm.* 1. profert exemplum maniaci, qui incuſſo terrore à larvato homine ſanatus eſt. Ipſam paralyſin ſubito incendii terrore ceſſaſſe in viro alterius partis ſolutione affecto, per complures annos omni ope humana deſtituto, eleganti obſervatione refert *Fr. Valeriola Lib. II. Obſ. IV. Pechlinus Lib. III. obſ.* 24. annotavit, uterum prolapſum terrore ſanatum fuiſſe. conf. quoque *Zacut. Luſit. Lib. II. obſ.* 65. Vulgari experimento hæmorrhagiæ narium ex improviſo adfuſa frigida aqua, ut terrore percutiantur affecti, ſæpiſſime tolluntur atque cohibentur. *Mœbius in Epitome inſtit. L. IV. P. II. Cap. VIII.* memorat terrore arthritidem curatam fuiſſe, quod non aliter fit, ac quia terror ex extremis partibus ſpaſmo repellit materiam, quemadmodum adpoſito cataplaſmate adſtringente parti affectæ podagra quandoque, ſed non ſemper ſalutari cum effectu recedit. *Valeriola in Obſ. pag.* 162. refert, ſingultum contumaciſſimum terrore ſubitaneo excitatum curatum fuiſſe; ratio nulla alia eſt, quam quia partes nervoſæ & muſculoſæ, quæ ſingultum efficiunt, terrore conſtrictæ vehementiorem fluidi nervei adfluxum intercipiunt. Cavendum tamen quam maxime eſt, ne has curationes terrore præſtitas univerſales habeamus, ac temere imitemur. Sunt enim hæ curationes & rariores & inſecuriores, nam is motus naturæ, qui ab exterioribus verſus interiora ſanguinem & humores impetuoſe propellit, valde ſuſpectus habendus eſt. Si quando itaque à terrore ſalutaris effectus, vel morbi curatio ſequuta fuerit, id, noſtro quidem judicio, non aliunde fieri arbitramur, q am intenſiori & quaſi febrili ſanguinis ad externas partes commotione, quæ ſæpiſſime vehementem terrorem, præſertim in vegetioribus, comitari & ſubſequi ſolet.

§. XXVII.

Terror ſalutariter ſolvitur motu intenſiori cordis & arteriarum quodam febrili cum ſubſequente ſudore.

Scholion.

Quia vehementiori ſpaſmo ſuperficies corporis conſtringitur, & ſanguis verſus interiora urgetur, non ſecus ac in febre fieri ſolet, collecti circa vitales partes humores intenſum cordis & arteriarum motum, qui febrilis dicitur, efficiunt, quo poſtea reſtituitur ſanguini priſtinus circulus, unde calor occupat rurſus externas partes, & ita ſalutaris fit ſolutio morboſi ſtatus à terrore inducti.

§. XXVIII.

Quædam gravia ſymptomata à terrore fiunt ſtatim in principio, dum ſanguis ad interiora vehementi ſpaſmo propellitur, uti ſunt anxietates, palpitationes cordis cum virium dejectione, item animi deliquia & apoplexiæ: quadam vero ſecundo vel tertio die obveniunt, cum ſanguis rurſus cum quodam impetu ad exteriora vergit, & hujus generis ſunt ſanguinis immodicæ profuſiones per hæmorrhoides, per uterum, quæ in gravidis abortum faciunt, per pulmones, per nares. Huc pertinent quoque eryſipelata & tumores glandularum inflammatorii v. g. in mammis, glandulis inguinalibus, pone aures, qui quandoque tertio die terrore correptis ſuperveniunt.

§. XXIX.

Ad læviſſima illa mala, quæ terrorem inſequuntur, avertenda, non opportunior datur medicina, quam quæ ſpaſticas partium nervoſarum ſtricturas relaxat, vires reficit, ſanguinis curſum ad exteriora promovet, eumque liberiorem reddit.

Scholion.

Quia tam gravia & periculi plena ſymptomata à deterrimo illo affectu proficiſcuntur, omni utique modo providere oportet medicum, ut commoda medicina ea præcaveat, quod optima ratione efficitur, ſpaſmodicis ſtricturis externarum partium attemperatis & ſanguinis circulo

circulo ad exteriora revocato: ad quem finem obtinendum ego cum felici semper successu uti solitus sum mixturis, quæ aquas analepticas habent, ut sunt aquæ liliorum convallium, florum tiliæ, salviæ cum vino & sine vino, balsamum embryonum, misceri potest essentia ambræ, spiritus nitri dulcis, mixtura simplex vel etiam essentia theriacalis, item pulvis bezoardicus. Præterea liquor noster balsamicus tribus partibus liquoris mineralis anodyni nostræ præparationis mixtus, & ad guttas triginta vel ultra propinatus expertissimæ virtutis hoc in genere nunquam non observatus fuit. Juvat quoque corpus in quiete servare & probe tegere, frictiones circa præcordia & partes extremas adhibere, pedes quoque balneo immittere, & molliente clysmate alvum eluere. Sanguinis quoque missio in plethoricis necessaria est, hac tamen cum cautela, ne statim inter initia, ubi omnia frigent & tremunt, administretur, sed tum, quando pulsus incipit fieri major, & redeunt vires, & calor ad partes externas revertitur. Nihil vero deterius est, quam potum frigidum vel externum frigus admittere, & validiora purgantia, emetica aut nimis calida propinare, siquidem hisce omnibus spasmi invalescunt.

§. XXX.

Ex iis affectibus, qui tonum & robur partibus motricibus & nerveis suffurantur & vires maxime subtrahunt, nullus validior est, quam diuturnior & profundior tristitia animique angor.

Scholion.

Sicuti tres maxime motuum naturæ hostilium & morbificorum dantur classes, ut vehementior febrilis, qui ab intra foras cum impetu pellit sanguinem, & spasmus, qui ab exterioribus eum urget ad interiora, & denique atonia, quæ in nimia resolutione & relaxatione fibrarum motricium & remissione toni consistit: ita etiam tres vehementes in anima sic dicta sensitiva exsurgunt passiones, quæ singulas has motiones morbosas peculiari modo fovent & sustinent, adeo, ut ira motu febrili, terror spasmo, tristitia atonia operationes suas exerant. Et quemadmodum ira & terror celerrime agunt, ita tristitia tardiori paulo gradu nocet, paulatim corporis vires depascendo, & tonum ac robur partium solidarum solvendo.

§. XXXI.

Tristitia solvit vires corporis, dum pulsum reddit exilem ac lentum, appetentiam & digestionem dejicit, vires corporis convellit, faciem reddit pallidam, cutim flaccidam, transpirationem remissiorem, frigus in partibus extremis, alvi crebras dejectiones, somnum turbulentum parit.

§. XXXII.

Quia tristitiæ affectus tonum & robur fibris motricibus sensim sensimque suffuratur, cordis motum & sanguinis circulum reddit languidiorem, adeoque excretiones sufflaminat atque obstructiones vasorum viscerumque infarctus gignit, unde longorum & difficilium morborum origo est.

Scholion.

Tristitia maxime infesta est visceribus, præsertim imi ventris, inque primis cursum sanguinis per ramos venæ portæ atque per lienem, pancreas & hepar sufflaminat. Quandoquidem hæc viscera jam tum naturali quadam imbecillitate toni laborant, quia fibrarum carnearum & nervosarum elatere sunt destituta, & vena etiam portæ pulsu caret, & ordinario sanguinis segnior fit per hæc viscera trajectio; hinc facile potest intelligi, ab affectu tristitiæ hæc viscera multum pati, & longe imbecilliora reddita morbis, qui ex horum officio neglecto proveniunt, valde obnoxia fieri. Unde *Hipp. Lib. II. de Morb.* ait: *cura in visceribus veluti spina est atque illa pungit.* Prodeunt vero à tristitiæ affectu maxime cachexia, scorbutus, malum hypochondriacum, paralysis.

§. XXXIII.

Tristitia pro diversitate partium, quarum tonum destruit, & quas infirmas reddit, ut ad stagnationem & decubitum humores fiant proclives, alios atque alios graves producit morbos.

Scholion.

In capite ad melancholiam, maniam, affectus soporosos, hemiplexiam, paralysin, ad guttam quoque serenam; in regione pectoris ad animi deliquia, ad polyposas concretiones, cordis palpitationes: in regione præcordiali ad inflammationem ventriculi, appetitum dejectum; in intestinis ad diarrhœam, flatulentias hypochondriacas, imo ipsum affectum hypochondriacum disponit, unde *Sanctorius Sect. VII. A. 3. mœrentes*, inquit, *facile obstructiones, partis duritiem & affectum hypochondriacum patiuntur*, eam nempe ob rationem, quia mœstitia, si diu durat, carnes frigidas facit, dum impedit, ne perspirabilium crassa & inutilis portio exhalet. In reliquis abdominis visceribus cachexiam & maxime scorbutum inducit. Et de scorbuto quidem, quod is originem suam à profundiori tristitia ut plurimum ducat, multis in locis præclare monuit *Severinus Eugalenus* in *Tract. de scorbuto*; siquidem *pag. 3.* ubi de causis scorbuti agit, hunc in modum verba facit: *quos cum crassiori victus ratione diuturnior mœstitia exercuit, de his ægrotantibus constanter semper prædicere ausus fui, eos à scorbuto morbo vel solo vel aliis permixto teneri.* Pressius adhuc hanc suam sententiam explanat *Obs. XIX. pag. 300.* ubi ait: *quos hac affectione laborasse novi, omnibus fere vel post crassum melancholicum victum, vel post diuturniores tristitias advenisse eam memini.* conf. quoque *Obs. XXVII. pag. 293. it. 284.* In renibus calculum gignit, in utero mensium suppressionem facit. Observavimus, si magna tristitia ob damnum acceptum, ob maritum vel liberos defunctos, incidat in mensium fluxum, illum statim inordinatum fieri, & gravissime inde luere feminas, adeo, ut sæva pathemata spastica subsequantur, concomitante subinde purpura. In habitu porro corporis ad macilentiam, ad sudorem frigidum maxime in locis inferioribus, nimirum in pedibus, disponit.

§. XXXIV.

Observatione constat, morbos alios benignos & familiares hominibus per diuturnam mœstitiam periculosos & lethales fieri, & medicamentis omnem in atrocioribus symptomatibus avertendis alias insitam vim demi atque denegari.

Scholion.

Ita observavimus, in feminis pathemata hysterica, in viris calculum, podagram, itemque scorbutum ob invadentem ingentem tristitiam sævissima imo lethalia symptomata concitasse, eam videlicet ob rationem, quia hic affectus vires penitus destruit, unde morbo ejusmodi ingruente, cui subigendo vires sunt impares, inflammatoriæ & sphacelosæ sanguinis stases perquam facile contingunt. Quod medicamentorum operatio sub gravioribus animi pathematibus & præsertim quoque mœrore suspendatur, id extra omne dubium est & inter alios graphice hac de re loquitur *Bagliv. in prax. Med. pag. 133.* cujus verba hæc sunt: *anima quamdiu in perturbatione est, remedia nequicquam proficient & licet quis ea recipiat, viribus tamen non auscultatur natura.* Morbi igitur ab animi pathematibus orti blande ac leniter tractandi sunt, & tunc à nimia remediorum copia & vehementia quam maxime abstinendum, uti idem gravissimus auctor pulchre monet. Convenit igitur,

igitur, ut verba *Tulpii Lib. IV. Cap.* 49. noſtra faciamus, *ægros ſecuros agere, ut corpore tantum, non etiam animo laborent, & ſi quæ ſunt, quæ ipſorum animos exaſperatura ſint, optimum eſt ea, dum ægrotant, ipſorum notitiæ ſubtrahere.*

§. XXXV.

Ad præcavendos morbos, qui à diuturniori triſtitia proveniunt, nihil utilius eſſe analepticis, roborantibus, quæ ſanguinis & humorum ſpirituaſcentiam & liberiorem curſum promovent, jam quiſque facile perſpiciet.

Scholion.

Plura huc pertinent tum ex diætetico, tum ex pharmaceutico fonte petenda remediorum genera. Nam aëris ſereni & temperati uſura, cœli mutatio, motus, & moderatior vini potentis & purioris aquæ uſus, & omnis animi blandior relaxatio mirifice eos profligant morbos, qui à triſtitia viriumque dejectione proveniunt. Denique infuſa ex herbis aromaticis calide pota, it. ſuccinata, ambrata, ſalia volatilia, oleoſa & alia ballamica & quæ digeſtioni maxime ciborum ſuccurrunt, vires mirum recreant, & morbos à copia, infarctu & corruptione proficiſcentes arcent.

§. XXXVI.

Præter animi affectus motibus vitalibus conſervatoriis & excretoriis, ac robori partium nervoſarum infeſtiſſimos dantur adhuc alii mentis morbi, videlicet intenſa deſideria, cupiditates, inquietæ cogitationes, profundæ & laborioſæ meditationes, quæ æque vires conſumunt, ſyſtema nervorum debilitant, & œconomiam naturalium motuum potenter invertunt.

Scholion.

Animus certe variis motibus & laboribus agitatus nunquam ſanitati prodeſt, ſed perpetuo ſecundum naturam actiones interturbat, quarum integritatem mens quieta cupiditatibuſque & motibus vacua, id eſt, ſana conſervat. Plurimi itaque morbi primam à morbis animi ducunt originem; quemadmodum id ex accuratis morborum hiſtoriis abunde diſcimus. Siquidem anima, quo vocabulo principium cogitandi, ſentiendi & imaginandi deſignamus, directe & proxime operationem in fluidum tenuiſſimum, quod in cerebro, nervis & medulla ſpinali continetur, exerit, dumque hujus naturam & motum naturalem pervertit, eumque vel intendit vel ſiſtit aut imminuit, non poteſt aliter fieri, quam ut omnes corporis functiones inde mutationem in deterius patiantur.

§. XXXVII.

Diuturni animi labores & profundæ cogitationes conſumunt maxime vires, ut adeo robur non tantum toti corpori, ſed etiam potiſſimum iis partibus, quæ digeſtioni, ſecretioni & excretioni vacant, detrahatur, & multæ in primis viis cruditates progignantur & accumulentur.

Scholion.

Experientia conſtat, ſenes illos, in quibus à labore immoderato ſtudiorumque intemperantia ſpiritus conſumti ſunt, & novus eorum proventus ac reparatio ob viſcerum tonum deſtructum, digeſtiones turbatas languidas, & fere deficientes fuit impedita, ad flatulentias, ſpaſmos hypochondriorum, paralyſes, admodum proclives fieri. Cicero non ob aliam cauſam ſumma fuit corporis gracilitate & infirmitate, quam ob aſſiduas lucubrationes & meditationes, quas in vita amavit, & quarum adeo frequentem in operibus ſuis mentionem facit. De *Baronio* refert *Janus Nicius Erythræus Pinacoth. I. p.* 90. illum tabe obiiſſe aſſiduo ſtudiorum labore concepta, qua ita cibos omnes faſtidiebat, ut nullum eſſet tam nitidum, tam delicatum, tam ſuaviter conditum obſonium, ut poſſet in ejus ſtomacho edendi appetitum excitare; imo cum ad cœnam vel prandium vocabatur, tanquam ad ſupplicium ſe rapi dicebat. Apparet etiam hinc, quare ex nimia ſtudiorum intemperantia hypochondriaca ſic dicta paſſio, in meris ſpaſmis & flatibus conſiſtens, frequentiſſime ſuboriatur, & quare ex inſano amore in feminis cachexia ſeu chloroſis proveniat, qui morbus identidem ad cruditates & excretiones imminutas velut ad cauſam ſuam referendus eſt.

§. XXXVIII.

Neque vero tantum inordinati animi motus corpori nocent, ſed &, quod maximum, peregrinæ impreſſiones & ideæ ſuſceptarum à perverſa phantaſia rerum plane mirabiles in peculiaribus morbis concitandis, & ſtructura etiam partium vitianda vires poſſident.

Scholion.

Quantam vim atque efficaciam talis impreſſio pro diverſitate idearum & individuorum in corpus poſſideat, ut tam varie actiones naturales ab imaginatione determinentur, inter alia conſpicuum reddunt gravidæ fœminæ; nihil enim ipſis familiarius eſt, quam ad perverſam earum phantaſiam mirifice formationem fœtus & ſtructuram partium lædi & immutari. Dependent inde maculæ & nævi materni, item mutilationes & conformationes certorum membrorum in fœtu depravatæ. A ſola impreſſione & imaginatione firma præſentis peſtilentiæ plures peſte correptos eſſe hiſtoriæ & obſervationes teſtantur, uti videre licet apud *Helmont in tumulo peſtis pag.* 981. *it. Diemerbrocc. in Tract. de peſte pag.* 859. *Pechlin. Lib. III. obſ. XVI.* Quod ſolus aſpectus eundem variolarum morbum provocare poſſit, quotidianæ eſt experientiæ, qua de re conſuli poteſt *Pechlin. Obſ.* 23. *lib. III. it. Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. III. A. IV.*

§. XXXIX.

Maxime omnium vero motus partium convulſivi vehementiores & terribiles, concepto inde quodam horrore, aſpecti eam vim habent, ut in ſimiles motus ſpectatores conjicere poſſint.

Scholion.

Ita plures viſo epileptico inciderunt in ſimilem morbum. Huc jure optimo pertinent eæ obſervationes, quibus edocti ſumus, homines meditationibus ſacris addictiſſimos, in convulſivos ſanguinis motus non modo incidiſſe, ſed & alios hiſce inconditis motibus conſternatos ſimiliter extra ſe raptos atque convulſos fuiſſe. Facit huc quoque, quod nuperrime in pueris quibusdam Sileſiacis obſervatum, itemque & ille morbus convulſivus & phantaſticus, qui annis ſuperioribus Annabergæ ſæviit; de quo conferri poteſt. *Andr. Kunadi Conſideratio Theolog. morbi convulſivi & phantaſmatum, quibus Annabergæ nonnulli homines miſere conflictati fuerunt.*

§. XL.

Animi paſſiones infeſtant maxime imbecillos & tenerioris conſtitutionis homines; qui vero animo & corpore robuſtiores ſunt, eos minus lædere ſolent.

Scholion.

Agunt enim affectus animi maxime in partes nervoſas, & quæ ſenſibus ac motibus vacant, quarum tonum, ac motum violant planeque immutant, dum nervorum fluido valde alienum ac turbulentum motum inferunt. Si itaque hæ partes ad anomalos motus recipiendos jam antea admodum pronæ ſunt, in quo maxime natura partium imbecillium poſita eſt, tunc utique longe facilius

in

in alienos & præternaturales motus ab animi pathonibus abripiuntur. Quin imo harum partium natura atque indoles ita est comparata, ut si semel graviter v. g. à terrore læsæ fuerint, postea levi de causa & præter voluntatem terrore afficiantur, eosdemque alienos motus in corpore producant. Quod etiam de ira valet, quæ, si animus semel vel aliquoties vehementer illa excanduit, postea frequenter & levi data occasione recurrit. Notatu etiam dignum est, quod homines præsertim fœminæ, ad animi affectus & maxime iram proclives, corpus plerumque infirmum & alienis motibus recipiendis accommodatum obtineant. Et patet hinc etiam ratio, quare fœminæ sensibilioris naturæ utplurimum lædantur à suaveolentibus, siquidem probabile est, hæc eosdem vel similes motus excitare in partibus nervosis, quales ab animi affectibus produci solent.

CAPUT II.

De venenis eorumque natura, viribus & modo agendi.

§. I.

ALit natura res, quæ exigua mole & summa partium tenuitate brevi tempore concentum atque ordinem motuum vitalium pervertunt, vel plane destruunt, & hæ vocari solent venena.

Scholion.

Quum itaque venena tam infensa sint naturæ corporis nostri conservatrici seu motibus machinæ conservatoriis & vitalibus, ut vel citò perimant vel in extremam perniciem corpus conjiciant: utique solertis ac prudentis medici est, horum naturam ac vires alta scrutari indagine, & quomodo illata ab iis noxa averruncari possit, paulo solicitius inquirere.

§. II.

Venenorum tres notæ essentiales sunt, quibus ab aliis rebus exitialibus & humanæ naturæ inimicis discernuntur. Prima est, quod summa partium tenuitate adeoque minima mole agant; secunda, quod brevi tempore partium solidarum ac fluidarum motus ordinatos ac proportionatos universo in corpore pervertant, & gravissima symptomata vel mortem ipsam inducant: tertia, quod in fluidum tenuissimum & partes maxime nervosas vim ac violentiam suam exerceant.

Scholion.

Inveniuntur in ampliſſimo regno naturæ plura, quæ brevi tempore nocent ac perimunt, ut aqua frigida, corpori sudore diffluenti immoderatius superingesta, frigus acerrimum, vel large assumtus spiritus vini aut mineralis, acidus, ut oleum vitrioli, quæ tamen venenorum classi proprie & commode annumerari non possunt, quoniam præcipui characteres ac proprietates venenorum deficiunt.

§. III.

Quodvis naturæ regnum peculiaria venena profert.

Scholion.

Venena omnium subtilissima, & quæ penetrantissimæ indolis sunt, in regno animali hospitantur, quæ morsu communicantur ab animantibus rabie vel ira vehementi percitis. Secundum locum tuentur ea, quæ regnum mineræ suppeditat, ut sunt arsenicalia & mercurialia. His proxime adjungenda sunt quædam ex vegetabilibus, acerrimo & nocentissimo elemento imbuta, quorum classem ducunt purgantia fortiora & narcotica, principio sulphureo vaporoso infesta.

§. IV.

Nam quorumlibet animantium vel insectorum morsus plagam infert virulentam, sed eorum tantummodo, quæ rabie & vehementi excandescentia exarserunt, & quæ calidioris naturæ & ad iracundiam prona sunt.

Scholion.

Ex animantium quadrupedum genere, quæ cholericæ sunt temperaturæ & frequenter ira vel rabie corripiuntur, sunt maxime canes, lupi, feles, vulpes, simiæ, quorum morsus ob virulentiam extimescendus est. Ex insectis potissimum hunc censum subeunt viperarum, scorpionum & aranearum species.

§. V.

Firma constat experientia, in climatibus & locis calidioribus & tempore ardentissimo insectorum morsus multo esse venenosiores, quam in locis frigidioribus.

Scholion.

Araneæ, scorpiones & viperæ nostris in regionibus, utpote temperatioribus, & septentrionalibus rarius morsu vel ictu nocent vel necant; serpentes etiam nostrates plane sunt innoxii. In calidissimis vero Italiæ, Siciliæ & Asiæ locis horum insectorum venenatus morsus & ictus multiplici experientia satis superque cognitus & exploratus est.

§. VI.

Neque insectum, neque ullum aliud animal in se est venenatum, sed maxime eorum ictus vel morsus vim veneni obtinet; siquidem tunc demum venenosam quasi naturam induunt, quando ira vel rabie, quæ extrema & continua irascentia est, exagitantur.

Scholion.

Nunquam fide dignis historiis vel certa quadam experientia probari poterit, à viperarum, scorpionum, aranearum vel aliorum insectorum, quæ vulgo pro venenatis habentur, usu interno mortem vel insignem quandam perniciem sanis corporibus fuisse inductam. Quamvis enim negari non possit, plurima insecta in se reconditum habere sal quoddam causticum partibus nervosis non adeo amicum; noxam tamen, quam corpori inferunt ab eorum morsu vel ictu proficisci certissimum est. Et quoniam fortiter urinam pellunt interius assumta, ideo hydropicis hæc ipsa remediorum genera saluti fuisse, fide dignæ observationes testantur.

§. VII.

Venenum quod animantia ictu vel morsu communicant, originem & naturam suam maxime ac primario debet animi affectui vehementiori, qualis est ira, eaque extrema & continuata, quæ in morbum, rabiem vel insaniam tandem degenerat.

Scholion.

Est ea omnium animi affectuum indoles, ut universam fluidi in cerebro ac nervis contenti massam & hujus ministerio totam nervorum & membranarum compagem afficiant, omnesque motus vitales partium solidarum æque ac fluidarum, secretorios nempe, & excretorios magnopere pervertant, quippe in quo veri veneni vis atque effectus continentur. Atque hinc clarissime patet, inter venenum & animi affectum, præsertim vehementiorem, ratione efficaciæ, virium & effectuum nullam prorsus intercedere differentiam.

§. VIII.

Quia tonum fluidum nervorum ab ira & rabie in

concitatiſſimum motum, quo nihil datur perniciosius, violenter abripitur : non mirum eſt, omnes corporis ſuccos inde venenoſam quandam indolem concipere.

Scholion.

Non deſunt exempla, ubi à morſu hominis iracundia commoti lethalia ſymptomata ſequuta fuerunt, non aliam certe ob cauſam, quam quod ſaliva veneno infecta fuerit. Ita novimus quendam ex morſu hominis irati mortuum cum eruptione macularum purpurearum accedentibus convulſionibus ac delirio, cujus corpus poſt mortem diſſectum tumidum, & ſummo fœtore inquinatum repertum fuit. Deinde non modo rabies, ſed etiam vehementiores animi affectus in corpore humano, ut terror & ira, totam lymphæ maſſam venenata qualitate imbuunt, id quod clariſſime ex eo apparere puto, quod infantes ex aſſumto lacte nutricis, quæ brevi ante ira vel terrore perculſa fuit, in graviſſima pathemata convulſiva epileptica, & ſæviſſima alvi tormina incidant, non ſecus ac ſi veneni quid illis fuerit propinatum. Memorabile etiam eſt exemplum, quod *Timæus à Güldenklee Lib. VII. de Morb. Venenat. caſ.* 23. refert de vacca à cane rabido admorſa, cujus lac omnes, qui eo uſi fuerunt, in rabiem egit. Et *Fernelius de Abdit. Morbor. Cauſ. cap.* 14. *pag.* 508. commemorat, lupo rabioſo trucidato, & in varia obſonia à venatoribus quibuſdam parato & cocto, omnes, quicunque eſitarunt, non multo poſt rabie fuiſſe correptos. Geminum huic exemplum de porco à cane rabido demorſo tradit *Borellus Cent. I. Obſerv.* 75.

§. IX.

Saliva inprimis venenata qualitate imbuitur; quoniam humor eſt valde ſubtilis, fermentativæ & ſpirituoſæ indolis, qui facillime motum concitatiſſimum à rabie impreſſum recipere, eumque per reliquos ſuccos diffundere & quaſi multiplicare poteſt.

Scholion.

Qua de cauſa ſalivalis ille virulentus liquor, non tantum mediante morſu nervoſis & fibroſis partibus inſinuatus, ſumme pernicialis eſt, ſed alio etiam modo ad fluidum corporis noſtri tenuiſſimum delatus, ipſi virulentam hanc indolem affricat. *Jul. Palmarius Libr. de Morb. Contag. pag.* 321. inſigne exemplum de ruſtico in rabiem acto refert, qui liberis ſuis oſcula figens eoſdem pari lue infectos internecioni dedit. A *Cœlio Aureliano L. III. c. IX.* hanc in rem quoque notatu dignum memoratur exemplum ſartricis cujuſdam, quæ in veſtimentis à cane rabido dilaceratis reparandis occupata, admoto prius ore, filum præmordens rabiem contraxit.

§. X.

Virus animantium, quod ab eorum ira vel inſania generatur, non modo ſalivam, lac & lympham, ſed ipſum quoque liquorem ſeminalem inficit.

Scholion.

Triſtiſſimus ante aliquot annos obtigit Duderſtadii caſus, ubi à lupo rabido multi canes & homines admorſi fuerunt, quorum pauci ſervati, plures cito, quidam poſt aliquod tempus, præcedente aquæ metu, obierunt. Quidam horum mox poſt plagam morſu acceptam, quam neglectui habebat, coitum celebravit cum uxore; poſt aliquot vero dies una cum uxore, quæ à lupo rabioſo non tacta fuit, conſuetis ſymptomatibus correptus eſt, ubi tamen femina ſervata, maritus vero extinctus fuit. Præterea novimus patrem quendam, certis intervallis maniacum, qui paroxyſini tempore cum uxore congrediens filium genuit eodem malo poſt exactos pubertatis annos correptum; quos vero extra paroxyſmum progenuit liberos, ii omnes ab hoc malo immunes fuerunt. Spectat huc etiam illud, quod amor inſanus per phil-tra, quæ ex ſaliva, ſemine, vel ſanguine menſtruo parari ſolent, eadem prorſus ratione in aliis excitari poſſit. Neque enim ex toto inſuper habendæ ſunt illæ obſervationes, quæ de philtrorum noxa nos certiores reddunt. Ex hiſce vero jam cognitis illud maxime ad uſum & ſalutem generis humani depromendum eſſe exiſtimo, quod diligenter evitanda ſit conſuetudo eorum hominum, qui rabie, ira vel terrore exagitantur, ac ſumma cum cura providendum, ne ejuſmodi homines quidpiam de ſaliva, ſemine, vel lacte aliis ſanis, & imbecillioribus communicent. Diſſuademus itaque magnopere coitum cum viris, quos paulo ante gravis animi affectus corripuit.

§. XI.

Utut venenum, quod morſu animantis rabioſi infertur, valde activæ & penetrantis ſit indolis: quandoque tamen accidit, ut illud ſine omni noxa diutius partibus admorſis inſideat, & demum elapſo aliquo tempore in actum deducatur.

Scholion.

Proſtant in medicorum tum veterum, tum recentiorum monumentis plures obſervationes, ubi à rabidis animantibus admorſi longe inde tempore nihil moleſtiarum perpeſſi fuerunt; exacto vero menſis vel ultra ſpatio conſuetis gravibus ſymptomatibus, inprimiſque funeſto aquæ timore correpti fuerunt. Recte hinc *Cæl. Aurelianus Lib.* 3. *cap.* 9. *poſt morſum quidam celerius in paſſionem veniunt, quidam tardius, ideo etiam poſt annum aut eo amplius ſed magis plures poſt quadraginta dies.* Cujus peculiaris phænomeni cauſæ quamvis paulo difficiliores videantur, tamen quid veriſimile ſit, exponere placet. Conſtat nempe dilaceratas per morſum fibras cutaneas criſpari & contractione quadam in ſe invicem coire, unde renitens quidam tumor ſubnaſci ſolet. Sub hoc itaque virulentam illam ſubtilem materiam inclusam & quaſi incarceratam detineri poſſe probabile eſt. Præterea concurſu ſucci tenacioris, qui ex ſauciatis fibris exſtillat, volatile illud virus quodammodo etiam figitur, & ſub ejus involucro non ſecus ac acies in vagina vel favilla ſub cinere ad tempus reconditur, donec certas ob cauſas à compedibus liberatum & ſui juris factum, in partes nervoſas ſævire & vim ſuam pernicialem prodere incipiat. Exiſtimamus quoque, differens hominum temperamentum huc multum facere, utpote quum in corporibus ſegnioris, torpidæ, & phlegmaticæ naturæ ejuſmodi venenum ſine effectu longe diutius, quam in cholericæ & agilioris indolis hominibus latere poſſit.

§. XII.

Ex penu & regno minerali pauca prodeunt vera venena, inter quæ tantum unicum eſt nativum cobaltum : tria vero arte facta, arſenicum cujus tres dantur ſpecies, mercurius ſublimatus, & vitrum antimonii.

Scholion.

Cobaltum, cujus copioſior proventus in venis ſubterraneis Miſniæ eſt, ob virulentam & enecantem ſuam vim, quam exerit in infecta, bruta & homines, notiſſimum eſt. Eſt vero hoc ipſum minera arſenici, dum acriori igne ſub præparatione vitri cærulei, quod dicitur ſmaltum, germanice *Blaue Farbe*, ex eo flores albi ſublimantur, qui vocari ſolent *Gifft-Mehl*; Hi fortiori ignis temperamento funduntur in corpus vitriforme album, quod vocatur arſenicum album, vel etiam cryſtallinum venenum innumeris lethalibus exemplis ſatis infamatum. Quandocunque ad partes decem florum additur una ſulphuris vulgaris & hæc invicem funduntur, non album, ſed citrino colore tinctum arſenicum prodit. Si vero duæ partes ſulphuris cum decem partibus pulveris albi miſcentur, igne fuſionis arſenicum rubrum emergit. Hæc omnia ſunt venena, ſed perniciosiſſimum album; veteribus vero plane incognitæ

cognitæ hæ tres ſpecies fuerunt ; mineram vero ſuam, ex qua præparantur, videlicet cobaltum, vehementia & celeritate nocendi longiſſime exſuperant. Atque hoc venenum eſt noſtris temporibus commune & uſu pervulgatum, quo ad patranda veneficia peſſime utuntur, maxime ob hanc cauſam, quia guſtu non percipitur, & in ſolida æque ac fluida forma commode offerri poteſt.

§. XIII.

Vera venena mineralia veteribus fuerunt incognita, qui res alias noxias ex hoc regno venenis falſo adſcripſerunt.

Scholion.

Antiqui medici res fere omnes minerales nativas naturæ humanæ incongruas vel infeſtas pro venenis habuerunt, unde argentum vivum, antimonium crudum, vitriolum album, & omnes vitrioli ſpecies, lithargyrium quoque & ceruſſam, it. lapidem lazuli, adamantem venenorum claſſi annumerare non dubitarunt. Maxime omnium vero auripigmentum, quod arſenicum vocarunt, teſte *Celſo Lib. 5. cap. 5. pag.* 260. in venenorum familiam reduxerunt, quod tamen omnis virulentæ & enecantis naturæ expers eſt. Quo ſpectat etiam veterum ſandaraca, quam arſenicum rubrum vocarunt, & ex colliquato auripigmento confecerunt, quod etiam enecandi virtute orbatum eſt. Neque vero negamus, has omnes enumeratas ſpecies naturæ humanæ minus convenire, vel etiam rodente quadam virtute eſſe inſtructas ; ſed tamen neutiquam hinc concludendum eſt, eas ad venenorum claſſem eſſe referendas, quoniam veri veneni characteres deficiunt.

§. XIV.

Peſſimo errore à recentioribus auripigmentum pro veneno venditatur, & cum arſenico citrino factitio confunditur.

Scholion.

Error eſt minime excuſandus, dum plures ex recentioribus auripigmentum arſenicum citrinum vocant, & pro veneno declarant, quemadmodum id latius deduxi & loca allegavi in *Diſſ. noſtra de Erroribus circa venena vulgaribus.* Nam arſenicorum, quæ veteribus nota fuerunt, & ad auripigmentum referri debent, & quæ demum noſtris temporibus inclaruerunt, & ex cobalti minera proveniunt, ratione natalis ſoli, indolis & effectus ingens eſt differentia. Nam auripigmentum eſt minerale aurei coloris, ſulphureum, ex tenuibus cruſtis, tanquam ſquamis, inſtar lapidis ſpecularis fiſſilibus compoſitum, quod in Græcia, Myſia nempe Helleſponti, ex montibus eruitur & ad nos advehitur. Hoc in pulverem redactum & flammæ admotum fluit, accenditur, & flammam cum fumo albo, ſubflavo, emittit, qui cultrum ſuperpoſitum albo luteo & ſubrubro colore, pulchro ſpectaculo obducit, in fundo arenoſis & lapidoſis particulis relictis : fumus odorem habet fœtidi ſulphuris. Idem auripigmentum in cucurbita vitrea vehementiori igne liquatum maſſam dat inſtar cinnabaris rubicundam, in ſuperficie inſtar rubini ſplendentem, quam veteres ſandaracam appellarunt. Arſenicum vero album, flavum & rubrum noſtrum eſt factitium & patriam habet Miſniam, ubi tantummodo, inque nullis aliis terris, & quidem in pago *Ehren Friedrichsdorff*, conficitur ex minera gryſei coloris, quæ vocatur cobaltum, germ. *Fliegen- Pulver*, quia muſcas hujus pulvere enecare ſolent. Ex hac minera parantur, ut ſupra innui, illæ tres arſenici venenati ſpecies, quæ veteribus plane incognitæ fuerunt. Unum vero ex illis igni in vaſe impoſitum, totum in auras avolat, ne ullo veſtigio ejus in vaſe relicto, denſus albus fumus fœtidiſſimum alliaceum ſpargit odorem, & laminam ferream albo colore obducit neque flammam concipit. Jam vero auripigmentum omni draſtica, purgante & emetica virtute caret, neque animantia necat, frequenti experimento inſtituto in canibus, felibus, quibus in inſigni doſi ad drachmam unam & ultra ſine ulla ſubſequente noxa id obtulimus. Et utut auripigmentum accenſum fumum fœtidum emittat, tamen potius eſt ſulphureæ, quam arſenicalis vel mercurialis naturæ : quod vel inde patet, dum ex æquali auripigmenti & mercurii ſublimati parte ſublimatione cinnabarim elegantiſſime rubicundam obtinuimus. Arſenicum vero, ſive album, ſive flavum & rubrum, ſummum eſt venenum, & omnis generis animantia in paulo majori doſi aſſumtum brevi necat. Ut adeo ex jam dictis ſatis clare appareat, auripigmentum cum arſenico citrino neutiquam eſſe confundendum, quod tamen à plurimis medicis, imo collegiis factum eſſe acta & reſponſa publica loquuntur.

§. XV.

Præter arſenici tres ſpecies etiam argentum vivum, in ſpiritibus acidis & mineralibus ſolutum, veri veneni indolem atque vim habet.

Scholion.

Mercurius currens vivus omnis virulentiæ expers eſt, neque in ingenti quantitate hauſtus ullum ex animantibus interficit, ſed pondere ſuo cito per alvum elabitur, atque adeo in paſſione iliaca, quæ à fecibus infarctis & inteſtinorum complicatione fit, ſummum, & frequenti experimento probatum remedium exiſtit. Si vero ab acido corroſivo, ut eſt ſpiritus ſalis vel nitri, diſſolvitur, acrimoniam ſumme corroſivam acquirit, qua non modo fibras ventriculi & inteſtinorum nerveas lancinat & diſcindit, ut omnium corroſivorum mos eſt, ſed & conſtrictivam & erodentem vim ſuam ulterius diffundit, & univerſum ſyſtema nervoſarum partium in ſpaſticas conſtrictiones violenter conjicit ; unde ſanguinis liber influxus & effluxus ſiſtitur, & mors paratur. Quia vero ob cauſticam acrimoniam hoc venenum non facile offerri poteſt, hinc rariſſimi caſus in medicorum libris proſtant eorum, qui veneno hoc interfecti fuerunt. Eo plura vero exempla in praxi medica occurrunt, ubi medicamenta mercurialia non rite parata & correcta valde atrocia, imo funeſta ſymptomata excitarunt.

§. XVI.

Inter venena arte parata non infimum locum tenet antimonium in vitrum redactum, quod in pulvere oblatum non modo vehementes & ſæviſſimis torminibus ſtipatas vomitiones, ſed etiam haud raro mortem inducit.

Scholion.

Cognita nobis ſunt aliquot exempla, ubi vitrum antimonii in ſubſtantia propinatum, præſertim, cum jam prima regio ſpaſmis obnoxia fuit, non ſecus ac arſenicum intra aliquot horas mortem intulit, præcedentibus omnibus ſignis ac ſymptomatibus, quæ propinatum venenum indicant & ſequuntur.

§. XVII.

Ex vegetabilium regno inter præſentiſſima venena referri debent cicuta vera, napellus ſive aconitum cæruleum, ſolanum furioſum, hyoſcyamus ac datura.

Scholion.

Cicutæ venenum jam antiquiſſimis temporibus apud Græcos, & maxime apud Athenienſes familiariſſimum fuit, quippe quo ſolenni more ſibi vel aliis mortem inferendi uſi dicuntur. Neque facile aliud venenum veteribus cognitum & familiariter uſurpatum, præter hoc ipſum, invenimus. Memoriæ etiam proditum eſt, ſuccum cicutæ, leni inſolatione ſpiſſatum, olim publice Athenis in pœnam fuiſſe aſſervatum. Neque tamen

inficias ire licet, Græcorum cicutam multo fuiſſe valentiorem ea, quam regiones noſtræ alunt; ſiquidem illa in locis calidioribus nata, à ferventiſſimo ſolis æſtu longe penetrantiorem vim inſitam habet. Nec tamen cicuta, quæ noſtris in regionibus progignitur, indolis venenatæ expers eſt; nam quod lethalia ſymptomata hominibus induxerit, aliquot conſignatis hiſtoriis luculenter docet *Cl. Wepferus in elegantiſſimo libro de Cicuta aquatica.* Napellum venenum eſſe plures hiſtoriæ & obſervationes teſtantur, quas videſis collectas in *Dom. Zornii Botanologia Med. pag.* 458. De noxis venenatis ſolani furioſi, & hyoſcyami memorabilia &, ut ſolet, erudite tradit *Cl. Wepferus loc. cit. pag.* 227.

§. XVIII.

Dantur venena certis potiſſimum animantibus noxia, quæ in hominibus venenatam efficaciam vix exerunt.

Scholion.

Ita amygdalæ amaræ in volucribus, præſertim in ciconia, columba, convulſiónes excitant. Eædem amygdalæ & nuces vomicæ felibus & canibus oblatæ cum convulſionibus interficiunt. Piſcatores cocculis piſces necare, notiſſimum eſt. Spiritus etiam vini rectificatus ad unum vel duo cochlearia felium ori infuſus, in iis mox horrendas producit convulſiones. Videtur autem ſulphur illud vaporoſum, quod commemoratis ſimplicibus ineſt, & quo etiam amygdalæ amaræ imbutæ ſunt, teſtante id ipſum ſpiritu vini ſuper illas abſtracto, animantium cerebro maxime infenſum, atque adeo iis magis noxium, quam hominibus, quos natura majori cerebri mole & uberiori fluidi nervei quantitate donavit.

§. XIX.

Agunt venena ſumma partium tenuitate, qua ſeſe altius partibus nervoſis inſinuant, iiſque infenſiſſimos motus inducunt.

Scholion.

Habet hoc regnum naturæ, ut ex minimo maximi & ſtupendi producantur effectus. Quam tenuis atque exigua eſt illa portio, tam in ovulo fœminino, quam ſemine virili, ex qua homo progignitur. Nonne totius naturæ conſervatio, ſi animantium ac vegetabilium regna ſpectemus, tenuiſſima materia ſeminibus incluſa ſuſtinetur. Quam ſtupendi effectus in rerum natura præſtentur à tenuiſſimis fluidis, aëre, æthere, in propatulo eſt. Eſt etiam illud exiguum, quod mortem infert, & machinam corporis humani deſtruit, ut quidem videmus in peſte, cujus contagium ſubtiliſſimo vapore ſerpit, aliiſque communicatur. Non igitur mirum videri debet, venena ſumma partium tenuitate ſuas præſtare operationes, id quod ex morſu rabidorum animantium & venenis per vulnera communicatis clariſſime apparet. Antimonium cum vino infuſum vel decem ſine diminutione ſenſibili ponderis vehementer purgat. Omnis deleteria purgantium vis, ut hellebori albi, nicotianæ, aſari, colocynthidis, it. narcoticorum, ut ſeminis daturæ, hyoſcyami, ſola diuturniori coctione cum aqua in auras diſſipatur. Mercurius vivus, utut plane inſolubilis videatur, & ex fixioris & ſolidioris naturæ partibus compoſitus: ſi tamen cum aqua coquitur, illa vim vermes enecantem acquirit. Cobaltum, arſenicum, utut difficilioris ſolutionis & nexus videantur, tamen cum aqua ſi decoquantur, virulentam vim ipſi communicant. Et aqua ejuſmodi arſenicalis infamatum illud venenum eſt, quo veneficæ quædam Romanæ ſub Alexandro VII. gravem ſtragem ediderunt, & aquettam appellarunt. Et memorabile eſt, quod nuper ad me ſcripſit *illuſtris Dom. Garelli, Archiatrorum Cæſaris princeps*, his verbis: *Occaſione elegantis Tuæ diſſertationis de Erroribus circa venena in mentem venit lentum quoddam venenum, quo famoſa veneficа, in carceribus Neapolitanis adhuc vivens, in ſexcentorum perniciem uſa eſt. Hoc vero nihil aliud eſt, quam arſenicum cryſtallinum in larga aquæ copia per ſimplicem decoctionem ſoluta, addita, neſcio in quem finem, cymbalaria herba. Hoc mihi communicavit Auguſtiſſimus Imperator, cui tranſmiſſus eſt proceſſus criminalis propria veneficæ confeſſione confirmatus. Aqua vero vulgari idiomate Neapolitano Aqua della Toffanina appellatur. Certiſſime interficit & plurimi hoc veneno occubuerunt.*

§. XX.

Agunt quædam venena principio tenuiſſimo ſalino acri conſtringente, alia ſubtiliſſimo vaporoſo ſulphureo, naturæ infeſto.

Scholion.

Sale ſubtiliſſimo acerrimo cauſtico agunt maxime venena ex minerali regno, ut arſenicum, cobaltum, vitrum & regulus antimonii & mercurius corroſivus factus. Ex vegetabilibus cicutæ napelli, & quædam fungorum ſpecies. Et utut acrimonia illa ob ſummam tenuitatem guſtus organon non feriat, ſalina tamen acris eorum indoles partim ex ſolutione cum aqua, partim ex ſeptica, erodente & veſicatoria, quam exſerunt, partibus externis applicata, ea ſatis liquida dijudicanda eſt. Graveolenti vero & inimico ſulphure vaporoſo operantur narcotica; ſiquidem coctione ingratiſſimum vaporem exhalant. Et ſicut corroſiva in ſubſtantiam partium nervearum maxime graſſantur: ita vaporoſa & narcotica tenuiſſimum illud fluidum, quod nervoſis partibus inſidet, & ex cerebro ad eas derivatur, corrumpunt ejuſque motum extinguunt, unde motus & ſenſus perire ſolent, quemadmodum contra corroſiva motus reddunt vehementiores.

§. XXI.

Venena, præſertim ex mineralium & vegetabilium regno petita, ſævitiam ſuam maxime exercent in ventriculum, velut partem valde nervoſam & ſenſibilem.

Scholion.

Ventriculum cum ejus orificiis propter tunicas nerveas & copioſos ex intercoſtali & octavo pari nervos ad eas abeuntes exquiſitiſſimo ſenſu & motu periſtaltico gaudere, atque adeo cum univerſi corporis partibus communicationem & conſenſum habere, ſupra jam ſatis oſtenſum eſt. Quum itaque venena hanc partem inter nerveas principem primo & immediate tangant atque afficiant, & diutius quoque illi immorentur atque etiam ſucco fermentali gaſtrico diſſolvantur, non mirum eſt, illa in ventriculo præcipuam ſuam tyrannidem exercere, quod cardialgiæ, anxietates, conſtrictiones & compreſſiones præcordiorum, vomitiones, nauſea, inflammationes, maculæ & ſtigmata ſphaceloſa poſt mortem ſatis abundeque teſtantur. Et notabile eſt, quod narcotica, it. arſenicalia, antimonialia cito, antequam ad maſſam ſanguinis eorum materia diſperſa fuerit, cum quaſi adhuc integra & vix ſoluta in ventriculo hærent, virulentiam ſuam prodant, dum arctiſſime contrahunt orificia, teſte anatome, & vel vomitum & anxietates, vel gravem ſomnolentiam derepente inferunt, utpote virulentia, ſimul ac inſinuatur fibris ventriculi nerveis, ſtatim per univerſum nervorum ſyſtema diſpergitur, & hoſtilis ſpaſmus diffunditur.

§. XXII.

Quum venena ſumma partium tenuitate agant, ac partibus præcipue nervoſis, quas omnes facile in conſenſum trahunt, infeſta ſint, in violentos motus eas adigendo, in proclivi eſt judicare, quam ob cauſam intra cutim admiſſa plus noceant, quam majori doſi intus ſumta.

Scholion.

Scholion.

Planum ac perſpicuum inde evadit, quare tam exitioſa ſint vulnera, quæ telis venenatis infliguntur. Notum eſt, venatores Hiſpanos & Gallos olim ſucco hellebori albi, qui intus aſſumtus non ſtatim interficit, tela ſua illiviſſe, iiſque necaſſe cervos, unde venatoria venena & palæſtrica vocata fuerunt, qua de re legi merentur *Cæſalpinus in Tr. de Venen. pag.* 141. *Crato Lib.* 2. *Prax. p.* 220. *& Celſus Lib.* 5. *c.* 27. Tanta etiam napello vis ineſt, ut telorum mucrones ejus ſucco infecti plagam lethalem infligant, cujus rei teſtes fide digni ſunt *Dodonæus Lib.* 3. *de Purgant. Herb. Hiſtor. cap.* 12. *& Conrad. Geſnerus de Lunarib. Herb. pag.*77. *Capivaccius in Med. Pract. Lib.* 7. *cap.* 7. Notatu quoque dignum eſt, quod *Franc. Rhedi in obſervat. de Viper. p.* 33. *refert: expertum eſt, inquit, quod terribilia & lethalia jacula incolæ inſulæ Bantham feriendo brevi tempore mortem concilient.* Relatum vero mihi eſt venenum, quo inficiunt tela, eſſe linimentum ex ſucco citri & arſenico paratum. Arſenicum interne majori doſi ſumtum vim ſummi quidem veneni obtinet, mirabile tamen eſt, quot in exigua quantitate exterius applicatum ulceribus cancroſis febres, deliria & convulſiones moverit, id quod aliquot obſervationibus confirmat *Hildanus Cent. VI. Obſ.* 80. *&* 81. Cujus experientiæ adſtipulatur *Cl. Wepferus in Tr. de Cicut. Aquat. pag.* 281. qui ab arſenico cum butyro capiti inuncto febrem, deliria, ſyncopen, & totius capitis intumeſcentiam imo mortem ipſam annotavit. Denique memorabilis circa hanc rem locus extat in *Thuani Hiſt. Lib.* 27. *p.* 22. ubi ita fatur: *A fide dignis mihi narratum eſt, apud Convallenſes, ſeu Waldenſes in uſu eſſe, ut gladiorum acies, ſpicula, venabula, ſagittas, glandes plumbeas & cætera miſſilia, Toræ vulgo dictæ ſeu potius phthoræ ſucco, quæ in illis locis frequens naſcitur, & vulgari toxici nomine appellatur, inficiant, quod præſentiſſimum venenum eſſe ſciunt Medici. Ejus & longe alium in re diſpari uſum inter Alpinos, quem minime reticendum putavi, mirabitur lector: gallinas & pullos & hujuſmodi volucres, quorum carnes edules in diverſoriis apponuntur, cultris eo ſucco illitis ſub alis figunt, quo ictu mox emiſſo ſanguine exanimantur, nullo vitio inde contracto; tantum carnes inde teneriores redduntur, & ſtatim hoſpitibus comedendæ apponuntur.* Cicuta exterius ſi incaute uſurpatur, teſtibus *Borello Cent.* 2. *obſ.* 3. *& Sim. Pauli Quadripart. Botan. claſſ. III.* pernicialia ſymptomata excitat. Ranunculus hortenſis flore pleno miniato omnis quidem odoris expers eſt, emittit tamen virulenta effluvia; præſertim ſi naribus admoveatur, unde anguſtias præcordiorum, capitis dolores, & vomitus ortos fuiſſe legimus in *Miſcell. Nat. Cur. Dec.* 3. *ann.* 9. *&* 10. *obſ.* 92. Quibus cognitis neminem magna tenere debet admiratio, quod venenum morſu rabidorum animantium ſubcutaneis fibrillis inſinuatum tam acerba ac ſæva ſymptomata in univerſo partium nervoſarum ſyſtemate concitet. Cæterum quam periculoſa ſymptomata ab inunctione mercurialium proficiſcantur, id complures hiſtoriæ & obſervationes ſatis luculenter evincunt, cujus rei exempla profert *Hildanus Cent.* 3. *obſ.* 92. dum à mercurio vivo vel ejus pulvere ulceribus inſperſo corpora tenella protinus de dolore dentium & gingivarum inflammatione conqueſta fuerunt. Idem auctor in alio ſubjecto mortem ab inunctione mercurii vivi inductam commemorat. Et *Borellus Cent.* 2. *obſ.* 92. perhibet, aquam mercurii ſublimati in ſcabie exterius uſurpatam paulo poſt lypothymiam excitaſſe.

§. XXIII.

Omnia vera venena id commune habent, ut ſpaſmos partibus nervoſis & fibroſis inducendo interficiant.

Scholion.

Vana eſt in medicorum ſcholis contentio, utrum venena ſanguinis maſſam colliquando, an potius coagulando perimant. Nam venena, ut nobis firmiter perſuaſum eſt, primario non tam in fluidas, quam potius in ſolidas partes, quæ fluida regunt, vim ſuam exercent; ſique ex innumeris hominum, venenis interfectorum, hiſtoriis invicem collatis annotata ibi ſymptomata intueamur, facile intelligemus, ea ut plurimum inter ſe convenire, eorumque cauſam unice referendam eſſe ad violentas & convulſivas partium nervoſarum contractiones, quæ liberum fluidorum motum perturbant vel penitus extinguunt. Quo magis illa veritas confirmatur, quod ſpaſmi nervoſarum partium naturæ humanæ ſint infenſiſſimi, nec tantum morboſi, ſed etiam plane mortiferi. Perturbant enim ſanguinis & humorum motum vitalem, qui ad exteriora & ſuperficiem corporis tendit, omneſque excretiones juvat, atque adeo vitales ſuccos potius ad interiora urgent, ac tubulis conſtrictis liberum eorum itum ac reditum ſufflaminant. Agunt vero omnium trium regnorum venena eadem prorſus vi, ſpaſticas nimirum ſtricturas inferendo. Pro differente autem locorum & partium natura alia atque alia inducunt ſymptomata. In cerebro nempe ejuſque membranis deliria, convulſiones, epilepſiam nimiumque ſoporem inferunt; in membranis ſpinalis medullæ agitationes artuum convulſivas, inquietudinem & jactationem corporis; in corde & arteriarum compage animi deliquia, virium plenariam proſtrationem, cordis tremorem, pulſum contractum & celerem, imo plane deficientem producunt. In nervis pneumonicis & diaphragmaticis, ſingultum, ægram & ſumme anxiam reſpirationem cum violenta diaphragmatis ad ſuperiora retractione, ſtrangulationis ac ſuffocationis metu efficiunt. In œſophago ſitim intolerabilem ac difficultatem deglutiendi; in ventriculi tunicis nerveis maximas cardialgias cum nauſea & vomitu, in inteſtinorum volumine atrociſſima pariunt tormina cum contumaci alvi adſtrictione. Cutem horror occupat cum frigore vel ſudore frigido, facie pallida, frigida, livida, cadaveroſa: ductus urinarii ſpaſmo conſtricti urinam retinent, vel perpetuo ad illam reddendam ſtimulantur. Ductus quoque biliarii ſpaſmo coarctati bilioſum ſuccum transfundunt in ſanguinem, unde icteritia naſcitur. Imo veneni contagium etiam ad membrum virile diffunditur, in quo moleſta ſentitur tenſio. Quibus accedit, quod cadavera venenis interfectorum quoad ventrem mirum intumeſcere ſoleant, reliquo corpore maculis & ſtigmatibus rubris obſeſſo. Quod procul omni dubio eam ob cauſam contingit, quoniam vehementes partium ſtricturas tandem excipit ingens fibrarum laxitas & atonia; unde flatus antea ſpaſmis compreſſi & coacervati, jam ſui juris facti, volumen inteſtinorum mirifice expandunt. Quod vero ad maculas & ſtigmata rubra, in ejuſmodi cadaveribus conſpicua, attinet, illa à ſanguine vi ſpaſmorum expreſſo, & inter fibrarum interſtitia ſtagnante provenire videntur. Atque hæc ſunt præcipua & ſolennia illa, cum quibus veneno tacti conflictantur, ſymptomata, quæ ſi non omnia ac ſingula ſemper & ubivis ſunt obvia, illorum tamen præcipua nunquam non obſervantur. Ecquis autem inde non perſpicit, omnes has truculentas adflictiones à violentis partium nervoſarum ſtricturis præcipue ſuos trahere natales atque originem.

§. XXIV.

Certæ ac perpetuæ obſervationis eſt, quod corpori communicata venena menti vim inferant, eique ſanæ rationis uſum eripiant.

Scholion.

Eſt ita omnium venenorum indoles comparata, ut non modo mentem emoveant, ſed fere ſingula eorum peculiarem inſaniæ ſpeciem inducant. Ita ex morſu canis rabidi hydrophobia, ſeu vehemens aquæ timor naſcitur, ita prorſus, ut ad ipſius aquæ viſum, ſonitum vel nomen non tantum ſine ulla cauſa vehementiſſime inhorreſcant

reſcant ægri, ſed & cum anxietate & iracundia quadam inſaniant, & quodvis liquidum reſpuant, licet intenſiſſima ſiti premantur. Qui tarantula, quæ araneæ majoris eſt ſpecies, in regionibus Italiæ calidiſſimis, menſibus præſertim æſtivis, punguntur, inſatiabili ſaltandi libidine, præſertim ad quendam muſices concentum, exagitantur. Qui fructibus ſolani veri ſive Italis belladonnæ dictis veſcuntur, eos furor corripit, unde etiam ſolanum furioſum ſeu maniacum appellatur. Quam in rem legi meretur *obſervatio* 161. *Miſcell. Natur. Cur. Decur.* 3. *ann.* 7. ubi ſex liberi, aſſumto rob baccarum ſolani ſomniferi, quod loco baccarum ebuli confectum fuit, ſomno expergefacti adeo in furorem acti fuerunt, ut veſtimentis abjectis, & ſolo induſio velati clara die domuncula exirent, & per plateas diſcurſarent geſticulando, tripudiando, cachinando, & delira multa tum loquendo, tum peragendo. Plures hiſtorias vid. in *Sim. Pauli Quadrip. Botan. claſſ. III. p.* 541. *& Lobel. Adverſar. p.* 103. *& Fabri Strychnomania.* Qui ſemen vel radicem hyoſcyami nigri aſſumſerunt, ita dementantur, ut facti videantur dæmoniaci. Hyoſcyamus enim maxime phantaſiam turbat & ſatanas ad fraudes, quas intendit, peragendas utplurimum utitur ſtupefactivis, uti lamiarum unguenta oſtendunt. De hyoſcyamo memorabilis eſt locus ap. *Scribon. Largum cap.* 181. dum ait: *hyoſcyamum qui biberunt caput grave veniſque diſtentum habent, mente abalienantur cum verborum altercatione, unde etiam nomen herba trahit altercum: poſtea ſopiuntur & omni ſenſu carent, liveſcentibus membris eorum.* Ab aſſumto ſemine daturæ Indicæ omnium ſenſuum, tam internorum quam externorum, facultas perit, ita ut apertis oculis vel auribus nihil audiant vel videant, omniumque actarum rerum oblivíſcantur. Haud diſſimilem noxam infert radix cicutæ terreſtris coćta & comeſta; qua de re memorabilem caſum tradit *Matthiolus in Comment. Dioſcor. Lib. 6. cap.* 11. ubi vinitor cum uxore comeſtis cicutæ radicibus cubitum ivit, media vero nocte ambo expergefacti, omni penitus ratione amiſſa huc atque illuc per domum in tenebris vagantes, amentia & furore commoti caput, faciem & oculos parietibus allidentes miſere faciem ſibi deturparunt. Plura exempla *vid. ap. Wepferum loc. cit. cap.* 4. *p.* 27. 28. Ex quibus clariſſime intelligitur, mentis humanæ ſanitatem cito tolli poſſe, eamque maximam partem dependere à mechaniſmo partium ſolidarum ac fluidarum, quo repente immutato, (mutatur autem maxime à venenis) celerrime perit ſenſuum ac mentis integritas. Ideo *Hippocrates* hominis ſapientiam à ſanguinis conditione & motu rectiſſime deducit, & pulchra ſunt, quæ graviſſimus auctor *Lib. de Flatib. §.* 20. his verbis profert: *Opinor, inter omnia, quæ in corpore ſunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quam ſanguinem. Hic cum in conſtanti habitu perſiſtit, conſiſtit etiam prudentia; ſanguine autem permutato concidit ſimul & prudentia.* Nihil vero eſt, quod ſenſum ac mentis uſum tam vehementer interturbet, quam graves ac violentæ partium nervoſarum contractiones, quibus ſanguis cum impetu ad caput urgetur, & liberior ejus curſus per cerebri vaſa mire diſtenta intercipitur, unde eſt quod hypochondriaci plerumque phantaſia corrupta laborent, ac vanas ſubinde imagines accipiant, temporiſque progreſſu facile mania vel melancholia corripiantur. Quod vero quædam venena peculiarem inſaniæ ſpeciem inferant, ut apparet in hydrophobia, id paulo altioris eſt indaginis, neque ad ſcopum medicum directe ac neceſſario pertinet, ſiquidem curatio horum affectuum ſine exploratione modi, quo hæc fiunt, æque feliciter inſtitui poteſt.

§. XXV.

Venena, præſertim corroſiva, ex minerali regno petita, & morſus virulenti rabidorum animalium ſphacelosis inflammationibus; narcotica vero præter ſphacelum vaſorum diſtenſione necant.

Scholion.

Digna eſt notatu obſervatio, quam tradit *Cl. Zvvingerus Dec.* 3. *Ephem. obſ.* 104. *pag.* 132. qui in cadavere ruſtici, hydrophobia ſecundo menſe ob acceptum à rabido cane vulnus correpti & extincti, in humero & ſcapula ſiniſtri lateris, ut & in reliquo dorſo gangrænæ & ſphaceli indicia obſervavit: in inteſtinis autem & ſtomachi tunicis, præcipue circa utraque ejus orificia maculas rubicundas, ceu totidem inflammatiunculárum ſigna, thoracis cameram undiquaque ſanguine ſuffuſam & ex rubro liveſcentem, pulmonem inflammatum, interſtitia membranoſa circulorum aſperæ arteriæ cartilagineorum intenſiſſime rubentia, diaphragma maxime circa coſtas inflammatum, in corde, vaſis majoribus & pulmonibus ſanguinem concretum & omni ſero fluido deſtitutum invenit. Quod eorum, qui cobalto, arſenico, cicuta, emeticis & purgantibus acrioribus enecti fuerunt, ventriculus & inteſtina maxime inflammata, ſphaceloſa, & maculis nigris obſita inveniantur, ipſe uſus, innumeris diſſectionibus cadaverum confirmatus docet, atque etiam experimenta à *Cl. Wepfero loc. cit.* adducta id ſatis liquido demonſtrant. Eſt vero hæc internarum partium ſphacelatio ſpaſmorum ſoboles, quibus ſanguis intra vaſa congeſtus, irretitus, ac refluere neſcius, ſtaſin concipit tandemque in putredinem abit, qua ſphaceli natura continetur. Quibus narcotica vitam eripiunt, in illis mirabilis vaſorum cerebri à ſanguine congrumato facta diſtenſio obſervatur. vid. *Lentil. Miſc. Med. Pract. p.* 223. *Joach. Curæus Lib.* 2. *de ſenſu cap.* 17. *p.* 229. Atque ab hac ſanguinis coagulatione ejuſque motu per cerebri vaſa impedito præcipue ſenſuum ſtupor atque inſania proficiſcuntur.

§. XXVI.

Omnis morſu animantium tactos curandi ratio in eo verſatur, ut venenum per tranſpirationem ac ſudorem cito è corpore pellatur, & motus ſpaſmodici compeſcantur.

Scholion.

Quoniam virulenta materia, quæ morſu animantium communicatur, texturæ eſt tenuiſſimæ, ideo ad illam corpore expellendam non convenientius datur emunctorium, quam poroſa ac tubuloſa cutis compages. Unde in proclivi eſt judicare, quanta vis & efficacia ad noxam venenorum avertendam recondita ſit in iis remediis, quæ tranſpirationem movent ac ſudorem proliciunt. Neque ullum aliud inveniri poteſt remedium, quod ſpaſmos, qui perpetuo à venenis excitantur, & humores ad interiora corporis retrovertunt, magis cohibeat, quam blandum ſudoriferum, quod motum contrarium inducendo ſuccos vitales ab internis partibus ad externas propellit. Veteres tantum non omni veneno frigidam qualitatem tribuerunt, quum liberiorem ſanguinis ad partes externas influxum à ſpaſmis cohiberi obſervarent, qua ratione inducti calida, & inter hæc maxime potens vinum veluti univerſalem antidotum mirifice commendabant. Quos etiam ſequutus videtur *Celſus*, quo de morſibus animantium nemo melius ſcripſit, dum *lib.* 5. *cap.* 27. *neceſſarium eſt*, inquit, *exſorbere potionem meri vini cum pipere, vel quodlibet aliud, quod calori movendo eſt; nam maxima pars venenorum frigore interimit.* Ex quo perſpicitur, quam egregie ad expellendum venenum conferat ſolus motus & exercitatio corporis, qua ſudor prolicitur. Et quoniam in tarantiſmo ſpaſmi cutim conſtringunt, unde ſudor gelidus fluit & corpus refrigeratur, quod etiam in ſcorpionum morſibus obſervatum fuit, hinc etiam motus & corporis agitatio, quæ ſudorem provocat, optimum & frequenti experientia comprobatum in tarantiſmo eſt præſidium.

Probe

Probe enim animadverſum fuit à ſagacioribus, non muſicam, qua tantopere delectantur tarantula icti, genuinum eſſe tarantiſmi remedium, ſed potius motui, ac ſudori, quem movet ſaltatio, adſcribendum eſſe, quicquid muſica præſtari fingitur. Cæterum interne acetum ac theriaca in omnibus fere venenorum generibus, ſolis corroſivis exceptis, diſcutiendo ac ſudorem movendo opem ferunt præſtantiſſimam. Quod remedii genus adverſus viperarum morſus jam olim commendatum fuit à *Celſo*, quia ſpiſſeſcentem intus humorem diſcutit & hac ratione ſanitatem dat. Præterea etiam veteribus in more poſitum fuit, veneno tactos & hydrophobia laborantes balneo immittere, quod Celſus lib. 5. *cap.* 27. his verbis teſtatur: *Quidam poſt rabioſi canis morſum protinus in balneum mittunt, eumque ibi patiuntur deſudare, dum vires corporis ſinunt, vulnere aperto, quo magis ex eo quoque virus diſtillet; deinde multo meracoque vino excipiunt, quod omnibus venenis contrarium eſt. Idque cum ita per triduum factum eſt, tutus eſſe homo à periculo putatur.* Eodem loco graviſſimus auctor ſuadet, *vinum calidum cum ruta quam plurimum ingerendum & in calidum balneum mittendum eſſe eum, qui cicutam bibit.* Quod curationis genus apud veteres uſu receptum valdopere probamus. Temperatum balneum in omni inſania ego magnopere laudo atque commendo, quia hoc partium nervoſarum ſtricturas laxat, poros cutis recludit, & motum ſanguinis, ſpaſmorum vi ad cerebrum retroverſum, ad corporis exteriora revocat. Poris autem apertis vinum propinatum ſanguinis motum liberiorem reddit & tranſpirationem juvando omnem venis conceptam virulentam materiam ex intimis ſedibus expellit. Cæteroquin ad hydrophobiam ceu ſolenne ac potens præſidium commendatur immerſio in aquam frigidam. Ego autem cum *Celſo* non ſemper ſecurum, ſed valde infidum id eſſe remedium puto, quia verendum eſt, ne, ut ait *Celſus Lib.* 5. *cap.* 27. *infirmum corpus aqua frigida vexatum nervorum diſtentio abſumat.* Nam ſi balneum frigidum in ejuſmodi caſibus juvat, illud exinde contingit, quod terror & vehementior ſanguinis ad interiora repulſio in robuſtis & calidioribus ſubjectis motum ſanguinis & humorum intenſiorem cum calore ac ſudore efficiant, quo vis morbi infringitur & venenum eliminatur. Quum vero id non ſemper & ubivis eveniat, tunc utique frigus ſpaſmi à veneno excitati vehementiam augens majorem potius noxam affert. Quam ob rem *Celſus loc. cit.* ſapienter monet, ut, ſi talis ſpaſmus incidat, æger protinus à piſcina in oleum vel balneum calidum demittatur.

§. XXVII.

Externe adverſus venenorum vim convenientiſſima ſunt, quæ ſtricturas partium laxant, emolliunt, poros aperiunt, & virulentæ materiæ exitum præbent.

Scholion.

Veteres hunc in finem non ſine ratione & effectu animalia viva diſciſſa partibus demorſis admoverunt, quod etiam imperat *Celſus lib.* 5. *cap.* 27. *vivum oportet gallinaceum pullum per medium dividere, & protinus calidum ſuper vulnus imponere, ut pars interior corpori jungatur. Facit id etiam hœdus agnuſque diſciſſus, & calida ejus caro ſtatim ſuper vulnus impoſita.* Ita etiam pullos gallinarum vel eorum podices admovendos ſuadet *Foreſtus obſerv. chir.* 34. *Lib. VI.* Neque alia profecto ratione juvat viſcus, vel pars quædam animalis rabidi, quod plagam inflixit, appoſita, vel oleum ſcorpionum tantopere adverſus eorum ictus commendatum, quam emolliente ac demulcente virtute. Nam quod ex vipera, ſcorpione, aut alio animali rabido quidpiam interne vel externe uſurpatum ſpecifica & vi quadam quaſi magnetica omnem veneno efficaciam ſubito detrahat, id potius inter fabellas aniles, quam veras obſervationes practicas reponendum puto.

Serpentum ac viperarum, quas noſtræ regiones alunt, ictus minime virulentus eſt, unde fruſtra ex ſerpentibus ac viperis præbetur medicina, quæ etiam ſine eo non nocent. Nam vere ſcribit *Celſus loc. cit. Italia frigidioreſque regiones hac parte ſalubritatem habent, quod minus terribiles angues edunt.*

§. XXVIII.

Adverſus venena corroſiva ac draſtica & inflammatoria purgantia oleoſis, pinguibus, & lacte copioſius hauſto præſentius non datur auxilium.

Scholion.

Agyrtæ & circulatores ad fucum faciendum, quaſi illorum theriaca potentiſſimum ſit adverſus omnia venena præſidium, mercurium ſublimatum, arſenicum & his ſimilia venena in vulgi conſpectu deglutiunt, prius autem ſtomachum butyro infarciunt, ex quo fit, ut citra omne periculum venena per vomitum rejiciant. Plures vero ob cauſas lac adverſus venena corroſiva certiſſimum præbet auxilium. Primo enim impedit, quo minus ventriculi tunicæ à veneni ſpiculis nimium lancinentur. Deinde oleoſo ac ramoſo ſuo contextu ipſas veneni ſoluti acies involvit, atque eo cauſticam ejus vim obtundit. Tum etiam vehiculum ſatis opportunum conſtituit, quo venenum vomitu poſſit exterminari. Denique vi ſua oleoſa ac demulcente impedit, quo minus fibræ in vehementiores ſpaſmos adigantur. Ante aliquot annos hic loci nobis memorabilis caſus obtigit, ubi decem juvenes, illuſtri proſapia oriundi, juſculum avenaceum, cui arſenicum ultra duas fere uncias cum æquali pondere ſacchari admixtum erat, aſſumſerant, ac brevi poſt ſummis anxietatibus ac roſionibus ventris torquebantur, quos omnes propitii Numinis favore adjuti oleo amygdalarum dulcium & lacte liberavimus; hæc vero remedia tanta in quantitate fuerunt exhibita, ut ſingulis vix decem menſuræ lactis ſufficerint, quæ ſemper vomitu rejiciebantur; imo tam diu à nobis propinata ſunt, donec omnis vomendi conatus ceſſaret. Idem lactis remedium ad noxam venenorum, præſertim quæ inflammatione necant, ut eſt cicuta, præcavendam magnopere commendamus. Datur autem adverſus venena ſtupefactiva intus aſſumta non excellentius remedium emeticis, mature cum oleo oblatis, quo vomitus eo citius provocetur.

CAPUT III.

De venenis corporis humani.

§. I.

PRæter varii generis venena, quæ alma rerum natura tum ex vegetabilium, tum mineralium penu producit, dantur adhuc alia corpori humano infenſiſſima & quaſi propria, quæ partim in eo generantur, partim ab eo in alia diſſeminantur, & graviſſimos ac plerumque funeſtos morbos inferunt.

Scholion.

Venenorum claſſis latius patet, quam vulgo putatur; Dantur enim quædam morbifera, quæ incunabula ſua primamque originem trahunt in corpore humano; quædam etiam extrinſecus adveniunt, ſed modo mirabili in corporis humani ſuccis multiplicantur, adeo, ut funeſtum morbum aliis communicent. Quare oportet quam maxime medicum venenorum morbiferorum indolem, vires, proprietates, eorumque auxilia paulo accuratius perſcrutari.

§. II.

Venena morbifera illa nobis dicuntur, quæ vel extrinſecus mediante aëre interiora corporis humani ſub-

eunt, & gravem periculique plenum, certisque notis distinctum morbum inferunt, & vocari solent miasmata. Tales morbi sunt ex acutis variæ pestilentialium & malignarum febrium species, variolæ, morbilli, dysenteria maligna; ex chronicis lues venerea, lepra & maligna scabies. Vel in ipso corpore generantur, si materia excrementitia jam separata à sanguine repellitur, uti in arthritide, podagra, variolis, purpura, morbillis, scabie fieri solet.

§. III.

Ea est natura virulenti miasmatis, ut agendo in corporis humani succos, mirifice se propaget atque multiplicet, & tenuis saltem ex eo prodiens vapor alios etiam sanos homines simili morbo inficiat.

Scholion.

Qui ex venenis corrosivis vel etiam narcoticis, ex mineralium vel vegetabilium regno petitis pereunt, ii vix ullo contagio alios contaminant; alia vero est natura & indoles eorum venenorum, quæ ex animantium, maximeque corporis humani latebris scaturiunt, quippe horum plura contagio corpora præsertim dispositа & vicina, afficiunt.

§. IV.

Miasmata, quæ simili morbo alios inficiunt, sunt fermentativæ & corruptivæ indolis.

Scholion.

Materia fermentativa & corruptiva ea nobis vocatur, quæ intestino motu unionem & texturam corporum mixtorum resolvit vel destruit, similemque motum & crasin, in qua materia hæc constituta est, inducit.

§. V.

Duplicis generis fermentativus & intestinus motus in natura observatur: alter, qui vegetabilium succos, ex partibus oleosis & acidis mixtos, in spiritum resolvit inflammabilem; alter qui mixtionem animalem, sive animantium succos, qui ex particulis oleosis, subtilibus terreis & aqueis, omni acido excluso, commixti sunt, destruit & cum fœtore dissolvit, qualis status vocari solet putredo sive corruptio.

§. VI.

Fermenta sive miasmata morbifera, nostra sententia non primo & proxime in sanguinem, sed potius in succos lymphaticos subtilioris & fermentativæ indolis, quales præcipue salivales sunt, agunt, iisque similem motum ac texturam inprimunt, adeoque simili corruptione eos contaminant.

Scholion.

Duplicem corruptionis speciem in animantium succis admittendam esse arbitramur; quarum una est, quæ in sanguine, liquore admodum sulphureo, consistit; altera, quæ lymphaticos & serosos magis humores affligit. Illa ob copiosum sulphur eminentioris est fœtoris ac putredinis; hæc vero magis in vappescentiam quandam ulcerosam & corruptionem salso-sulphuream, plerumque acrem & causticam, degenerat.

§. VII.

A miasmate morboso non primario sanguis in putredinem conjicitur, quia sanguis, quamdiu est in motu progressivo, inque orbem & circulum agitur, nullam contrahit putredinem. Deinde sanguinis stagnantis putrida & fœda corruptio non tam est contagiosa, ut appareat ex iis, qui sphacelo vel cancro exulcerato corripiuntur, ubi fœtidissimæ exspirant exhalationes, omnis contagii expertes.

Scholion.

Videtur putredo, quæ cum fœtore jungitur, longe crassioris & rudioris esse texturæ & indolis, præsertim quum sensus afficiat. Longe vero simplicior & tenuior materia esse debet, quæ interiora pororum ingredi, & unionem mixti subvertere potest.

§. VIII.

Salivalis latex ad miasmata virulenta in aëre vecta recipienda & propaganda admodum idoneus est.

Scholion.

Neque enim primo alia & commodior patet via, qua perniciales, à morbosis corporibus qui prodeunt, halitus in aëre vecti cum corporis nostri succis communicentur, quam ipsum os, quod perpetuo salivali humore madet, & quo continenter aërem tanquam horum vehiculum haurimus. Quod vero vapores etiam tenuissimi lubentissime humido sese apponant, inque eo quasi figantur & itretiantur, res plurimis experimentis compertissima est. Salivæ igitur vehiculo maligni illi halitus continua deglutitione, præsertim cibo ac potu sumto, ad ventriculum & intestina descendunt, & ibi stagnantes valde corruptibiles & fermentescibiles succos, quos salivales latices ex glandulis ventriculi & intestinorum tenuium & ex magna pancreatis glandula defluentes, nec non biliosi in copia affluentes succi, & varii generis ingesta constituunt, in similem fermentativum & corruptivum motum facile convertunt, ut inde ingens corpori struatur pernicies. Denique nullus humor est in universo humano corpore, qui ad fermentationem & intimam partium, quæ corpus constituunt, mixtionem dissolvendam magis est idoneus, quam saliva, quæ quum admodum spirituosæ & mosibilis naturæ sit fermentum, ideo miasmatibus, quæ similis sunt naturæ, promptissime obsequitur, similemque motum facile recipit & continuat.

§. IX.

Error est, per cutis spiracula vel vesicularum pulmonalium poros virulentos pestis halitus cum sanguine proxime misceri, eumque inde corrumpi.

Scholion.

Aërem, qui corpus grave & elasticum est, & continua respiratione pulmones subit, non pertransire pulmonum vesiculas & vasa sanguinea, jam superius in tractatione physiologica claris argumentis evincere sustinuimus. Licet vero ponamus, tenuissimæ indolis exhalationes per poros pulmonum ad sanguinem deferri: quia tamen sanguis in continuo motu atque in transpiratione est, nulla putredo vel corruptio facile subsistere, neque illæ exhalationes diu in eo hospitari possunt. In prima vero regione longe aliter se res habet, ubi stagnantes & fermentescibiles sunt succi, quibus associatum miasma diutius inhæresit, & pernicialem suum motum atque indolem communicat, atque adeo jam mora valde auctum & multiplicatum longe potentius, quam sibi relictum, violentiam suam in corpus exercere poterit.

§. X.

Quum morbi contagiosi magis ex corruptione lymphæ, quam sanguinis subnascantur: hinc ad lymphaticos rectius, quam ad sanguineos referri debent, atque etiam symptomata à corrupta magis lympha, quam sanguine petenda sunt.

Scholion.

Si consideramus omnis generis febres, quæ mali moris sunt, & quæ contagio serpentes maximam stragem edunt, leniissime illæ incedunt sine singulari ardore & dolore, & catarrhalium naturam plerumque mentiuntur, ut peritos etiam medicos hoc in genere sæpius fallant.

lant. Tuſſes, ſternutationes, pectoris infarctus, copioſæ ſalivæ effuſiones, raucedines, crebræ alvi dejectiones, inflammationes faucium, quæ variolis æque ac morbillis aſſociari ſolent, puſtulæ deinde ulceroſæ cutis, & ulcera ſæpius cacoethica à variolis relicta, quæ & viſcera & artus hoſtiliter infeſtare ſolent, quid aliud deſignant, quam lymphaticos ſuccos extreme eſſe corruptos. Ex chronicis ſcabiem, lepram, elephantiaſin, ex ſumma lymphæ corruptione naſci, & ex glandularum vitio prodire res indubia à medicis cenſetur. Luis venereæ miaſma in lympha ſeminali primo tyrannidem ſuam exercet, poſtea vero univerſam lymphæ maſſam corripiendo, dolores fixos, tumores, ulcera depaſcentia, præſertim in glanduloſis locis cauſatur. In peſtilentia quoque lympham magis, quam ſanguinem, infectam eſſe, ex glandularum tumoribus, ſubaxillis, ſub inguine, ex parotidibus, in quibus veræ peſtis pathognomonica ſigna poſita ſunt, luculenter apparet. Et quia in peſte & in malignis vires ſubito & vehementer proſternuntur ſtatim in principio & antequam putredo formalis ſanguinem deſtruxerit, hinc recte colligitur, ſpirituoſam & lymphaticam ſanguinis & humorum partem, quæ genuinum virium fomentum eſt, magis eſſe à miaſmate corruptam ac deſtructam, quam ipſius ſanguinis ſulphuream mixtionem, utut, ſi invaluerit morbus & mors appropinquet, illud etiam contingat.

§. XI.

Quum contagium ſubtilioris lymphaticæ corruptionis potius ſoboles ſit, facile patet fœtidam putredinem, in quam poſt mortem cadavera abeunt, peſtem alioſque contagio infeſtos morbos non tam facile producere.

§. XII.

Longiori uſu & experientia confirmatum eſt, quod qui peſte laborant, facilius alios inficiant, quam qui ea occubuerunt. In cujus aſſerti veritatem inſignis locus ex *Foreſto Lib. VI. obſ.* 28. adducendus eſt: *In agone, inquit, facile alios inficiunt peſte correpti, ſed homines mortui non facile peſte inficiunt, quia corpora mortuorum, quæ amplius non exſpirant, nullum venenum ejaculantur. Quod ſi aliquod contrahatur, potius ab eorum pannis vel veſtibus contrahitur, in quibus virus diu conſervari potuit. Siquidem diſſecuimus aliquando corpora mortua ex peſte multis ſpectatoribus ſtudioſis ſine aliquo damno, propterea quod mortuo animali perit omne venenum & quia ignorabamus, eos mortuos ex peſte, cauſa fuit, ut minus turbaremur.* Et quod non à ſanguine, ſed potius ex corrupta lympha, quæ ſubtilioris naturæ eſt, ipſa miaſmata generentur, vel ex eo apparet, quod ulceroſa materia maxime ſit contagioſa, ut in bubonibus peſtilentialibus, ſcabie, lepra, lue venerea, dyſenteria, & variolis videmus.

§. XIII.

Miaſmata, quæ morbis gravioribus inferendis idonea ſunt, veri veneni naturam æmulantur.

Scholion.

Sunt enim veneni characteres in eo maxime poſiti, ut primo exigua mole ingentem potentiam actiones ſecundum naturam immutandi exerceant, deinde ut celeriter id exequantur; tum ut in nervoſas maxime & membranaceas partes vim ſuam exerant. Hæc omnia propria quoque ſunt miaſmatibus, ſiquidem tenuiſſimus eſt ille in peſte aliiſque malignis affectionibus halitus, qui robuſta & antea ſana corpora brevi tempore è medio tollere poteſt. Tenue eſt quoque contagioſorum affectuum, qui longius corpora exercent, ut luis venereæ, lepræ, & virulentæ ſcabiei principium. Et ſicuti venena maxime ventriculo & inteſtinis, velut partibus valde ſenſibilibus & nervoſis, infeſta ſunt: ita etiam illæ partes in morbis malignis & contagioſis præcipue omnium læſæ ſunt & patiuntur. Maximæ enim illæ præcordiorum anxietates corporiſque jactationes, ventriculi cum faſtidio ciborum ſubverſiones, torminoſæ alvi dejectiones, vel contumaciores ejus adſtrictiones, dolor capitis & lumborum, animi deliquia, convulſivæ artuum tractiones, inexhauſta ſitis, vigilia, extremorum frigus, pulſus contractus, debilis & frequens, tuſſes convulſivæ, cardialgiæ, funeſtæ ventriculi & inteſtinorum inflammationes, quæ malignis & exanthematicis morbis ſæpe ſtatim in principio aſſociari ſolent, non aliam habent originem, quam quod corrupti in primis viis ſucci nervoſas ventriculi & inteſtinorum membranas & mediantibus hiſce univerſum nervorum genus vehementer affligant & commoveant. In eo vero deterior natura morbiferorum miaſmatum aliis venenis eſt, quod ſeſe commiſcendo cum ſuccis fermenteſcibilibus multiplicent, & vicina corpora hoſtiliter invadant.

§. XIV.

Vis multiplicativa venenorum morbiferorum maxime ſeſe exerit in iis corporibus, quæ ad fermentationem corruptivam diſpoſitos habent humores.

Scholion.

Firma eſt & veterum & recentiorum ſententia, quod ad ſuſcipiendam peſtem & alios morbos malignos certa corporum diſpoſitio requiratur; dum ſcribunt, quod plures inter ægros infectos verſentur, & res infectas tractent, à contagio tamen liberi maneant: alii vero etiam temperatiſſime viventes leviſſima occaſione peſte corripiantur. Ex quo utique diſcitur, vim miaſmatis virulenti non eſſe abſolutam, ſed à corporum diſpoſitione ejus funeſtum effectum maxima ex parte dependere. Jam autem experientia deprehendimus, omnia corpora, quæ pravis, in corruptionem pronis, repleta ſunt humoribus, maxime eſſe contagioſis morbis expoſita. Et hæc eſt cauſa, cur mulieres gravidæ, infantes & infimæ ſortis homines, qui miſere vivunt, & anguſtas domos habitant, neque minus milites in caſtris, & qui diuturnam famem ſuſtinuerunt, & continuis vigiliis atque animi commotionibus corporis robur minuerunt, & qui deliciis diffluunt, longe facilius peſte aliiſque epidemice graſſantibus morbis tententur & difficilius evadant. Quorſum virgines, ex menſium retentione laborantes, referimus. Siquidem horum omnium corpora & maxime primæ viæ pravis humoribus ſcatent.

§. XV.

Unum præ cæteris eſt, quod humana corpora maxime ad peſtis & aliorum morborum contagium recipiendum diſponit, idque eſt timor, quia corpora admodum reddit imbecilla, vireſque depauperat, & motus excretorios minuit.

Scholion.

Et quanquam in ea non ſum ſententia, ut peſtis & aliorum contagioſorum affectuum naturam in valido timore conſtituere velim, quia infantes lactentes & bruta animantia, in quæ nullus cadit timor ejuſmodi morbis corripiuntur: illud tamen negari nequit, quod ingens mortis formido imbecillitatem, quæ ſecundum Celſum omnibus morbis patet, corporibus ingeneret, ita ut miaſma non modo facilius recipiatur, ſed & ſæviora ſymptomata inde producantur. Animadvertimus enim, peſtem plerumque tunc fieri lethalem, quum aggreditur corpora animi timidioris ac deſperabundi; in aliis vero, quibus firmior mens conſtat, mitius & citra ullum vitæ diſcrimen decurrere. Nam quemadmodum ipſe terror, ut ſupra expoſuimus, veneni vim ſymptomatum gravitate ſæpius ſuperat, & ſimilia ſæpeque vehementiora infert ſymptomata; ita in proclivi eſt judicare, terrorem, per ſe nocentiſſimum, ſi veniat

veniat in virulenti miasmatis & morbi contagiosi societatem, summumque minari periculum. Accedit, quod qui de peste memoratu dignissima prodiderunt, constanter & uno ore affirment, sola contagii, quod tam procul abfuit, imaginatione, & metu inde concepto multos iisdem, quæ sunt pesti familiaria, symptomatibus correptos, imo etiam è vita fuisse sublatos.

§. XVI.

Ad præcavendos morbos, eosque maxime acutos, qui oriuntur à contagio, nihil est salutarius, quam fugere, quæ lædere possunt, loca infecta, neque salivam deglutire, nec cibum vel potum in locis suspectis assumere, sed salivalem laticem crebro exspuere, quo fine, quæ ejus fluxum movent, commendanda sunt.

Scholion.

Quum pestilentiæ aliorumque morborum contagiosorum, præsertim acutorum, ut petechialium febrium, variolarum, morbillorum, qui validissime contagio infestant, miasmata ore hausta salivali latici admixta cum eo in ventriculum & primas vias descendant: hinc à peritissimis medicis salutari & præservatoria lege optime cautum est, ut, qui propius agunt & conversantur cum infectis, nunquam deglutiant salivam, sed eam potius frequenter ore ejiciant, neque, quod majoris momenti est, cibum vel potum tunc assumant, eo quod miasmate imbuta saliva promptissime hac ratione ad ventriculum deferatur. Convenit vero paulo acriora ore masticare, e. g. radicem imperatoriæ, angelicæ, zedoariæ, helenii, ut salivæ fluxus cieatur.

§. XVII.

Ad arcenda pessimorum morborum miasmata, & ad illorum vehementiam mitigandam nihil aptius est remediis acidis, è quibus acetum vini & succus citri præcipue eminent.

Scholion.

Certa & diuturna experientia confirmatum habemus, poma citri, vinum Rhenanum, acetum vini, si quis iis dextre usus fuerit, omnibus alexipharmacis, & aliis, quæ in auxilium pestis prompta sunt, remediis palmam præripere. Atque ob hanc manifestam rationem, quia nihil potentius putredini & motui ejus intestino resistit, quam acidum, vino Rhenano & aceto vini os & nares probe colluenda esse, vel frustum pomi citrei ore tenendum, ventriculo quoque jenuno, parcius tamen, hæc assumenda esse, peritissimi in peste curanda medici magno cum fructu imperarunt. Frangitur enim & enervatur hac ratione immediate & proxime contagii vis virulenta. Idem remedium eundemque eo utendi modum alii non sine fructu in cæteris malignis & contagiosis morbis, item in variolis & morbillis adhibuerunt. Spectat huc etiam non contemnenda virtus phlegmatis vitrioli, tincturæ papaveris rhœados, & rosarum cum spiritu vitrioli paratæ, quæ à Waldschmidio & Archiatris Hassiacis aliquot abhinc lustris maximopere commendata fuerunt, eo fine, ut grassantibus his morbis frequentius usurpata vel plane variolas arceant, vel eas parciores & mitiores efficiant. Nos mixturam simplicem bene præparatam, ubi maligni morbi grassantur, & curandi & præservandi fine cæteris omnibus præferendam esse arbitramur.

§. XVIII.

Concepto in ventriculo & primis viis morbifero contagio non certius datur præsidium, quam citissime clementi emetico illud cum succis ad corruptionem pronis ejicere.

Scholion.

Certe emetica caute & cum prudentia adhibita divinam opem ferunt, si in tempore & statim in principio pestis & contagiosorum morborum usurpentur, quod certa experientia nobis constat. Quam primum enim se quis infectum sentit, quod ex ciborum fastidio, languore, anxietate, ventriculi subversione judicandum est, statim offerri debet emeticum, quo non modo pestilentia, sed & Hungaricus morbus, febres castrenses, dysenteria maligna ipsa in herba jugulari possunt. Neque enim tantum ipsum illud fermentum, sed & saburra vitiosorum humorum, quæ pabulum ac fomentum ipsi præbet, feliciissime ejicitur. Subjungendum postea est validum alexipharmacum, quo sudor largiter moveri debet. Ex emeticis radix ipecacuanhæ, solutio tartari emetici cum mixtura simplici combinata; ex sudoriferis pulvis bezoardicus cum aliquot granis salis volatilis cornu cervi, nitro & camphora ceu securissima remedia nobis probantur. Quam secura vero & expedita emetica his in casibus sunt præsidia, si statim inter initia morbi dextre fuerint adhibita, tantum periculi & damni inferunt, si ad totum genus nervosum vehementia veneni jam penetraverit, sique, quod pejus est, inflammatio aut sphacelatio ventriculi immineant, tunc enim certissime mortem accelerant.

§. XIX.

Quum colluvies vitiosorum & fermentescibilium prima in regione stabulantium humorum admirandum in modum & pestis & omnium epidemiorum & contagiosorum affectuum vehementiam adaugeat; opportunissimum utique tunc est remedium, statim in principio post vel ante conceptum contagium, emetico vel leniori laxante primas vias sordibus istis purgare.

Scholion.

Hujus insignis remedii virtus non anxie investiganda est. Nam si miasmata vim suam pernicialem maxime exerunt per fermentationem, quæ à copia biliosorum, salivalium aliorumque corruptorum humorum mirifice adjuvatur: facile patet, opportune corruptis hisce succis subtractis vehementiam causæ ipsiusque morbi valde minui atque infringi. Sique nihil aliud, certissime tamen id consequimur, ut mitiora, nec graviora succedant symptomata. Harum vero sordium expurgatio etiam vel leni emetico vel benigno laxante instituenda est. Nos pilulas Ruffi, rhabarbarina, vel etiam mercurium dulcem cum extracto rhabarbari in forma electuarii mixtum non satis laudare possumus. Alia enim purgantia, quæ veneni quid habent, aut fermentativa sunt, aut sanguinis massam fortiter commovent, penitus excludenda esse arbitramur. Patet quoque ex dictis, nec firmius nec præstantius in peste & contagiosis morbis promitti posse præsidium, quam à temperantia, inde *Diodorus Siculus*, dum fatalem illam Numidiæ pestem describit, diserte admonet, commoda victus ratione, frugalitate ac moderatione affectuum ejusmodi tempore communem luem maxime evitari. Qua etiam ratione Socratem accepimus se incolumem præstitisse, cum diriissima lues Græciam & Atticam imprimis devastaret, temperantiæ nempe legibus se adstringens, cujus etiam beneficio in communi clade superstes perseverabat. Sicuti contra *Riverius* bene observat, proclivia ad pestem ea corpora esse, quæ copioso abundant sanguine, eundemque habitum ex intempestivo & lautiore victu sibi contraxerunt.

§. XX.

Quum materia, quæ ex ulcere prodit, & corruptivæ & fermentescibilis sit indolis, contagio etiam alia corpora infestandi potentia polleat: hinc scabies præsertim humida, gonorrhœa virulenta, ulcerosum & fœtidum ex uteri vagina stillicidium, dysenteria, cui plerumque ulcera intestini recti juncta sunt, & aliæ quoque cutis defœdationes atque ulcerosæ corruptiones contagiosæ naturæ

turæ ſunt. Neque pulmonum ulcera à contagio prorſus immunia obſervantur.

Scholion.

Ichoroſam, quam ulcera fundunt, materiam fermentativo quodam motu agitari, vel ex eo patet, quod affluentes ex vaſis ſuccos ſimili corruptione ac fœtore inficiat, & mirifice ſuam indolem multiplicandi habeat aptitudinem. Non itaque mirum, eandem materiam cum corporum aliorum ſuccis mixtam in iis ſimilem propagare corruptionem. Illud vero obſervatione digniſſimum eſt, quod promptiſſime fluida ſimilis indolis atque originis ſubeant eaque contaminent. Ita ex ſcabie vel aliis ſubcutaneis exulcerationibus materia exiens poris ac tubulis ſubcutaneis ſe prompte inſinuat, ibique eundem morbum procreat. Ulceroſum gonorrhœæ & luis venereæ fermentum maxime partes genitales adoritur, & ibi contentos ſuccos lymphaticos & ſeminales contaminat. Purulentus dyſentericorum fluxus effluvia ſpargit, quæ ano excepta, præſertim ſi quis eædem ſellæ inſideat, inteſtinorum tunicas petunt, & fœtidiſſimum hunc morbum pariunt. Ex veteri pulmonum ulcere ore ſuſcepti halitus corruptivæ labi pulmonibus inferendæ aptiſſimi ſunt.

§. XXI.

Ichoroſa ulcerum materia non modo affectiones chronicas, ſed etiam acutas per contagium aliis corporibus inducit, id quod ſolenni illo more, qui in Turcia jam obtinet, variolas per inſitionem excitandi clarum ac perſpicuum evadit.

Scholion.

Non ignotus amplius, opinor, erit iis, qui paulo majori cura in experimentis practicis verſati ſunt, modus in Turcia familiariſſimus variolas pro lubitu per inſitionem producendi, qui prolixe deſcriptus eſt *Cent. 5. Miſc. Nat. Cur. obſervat.* 2. dum videlicet die duodecima acu pertunduntur tubercula, & pus emanans vaſculo excipitur; poſtea cutis pueri acu pertunditur ad guttulæ ſanguinis emanationem & ſtatim pus varioloſum infunditur & cum ſanguine miſcetur. Tunc ad finem plerumque ſeptimi effloreſcere ſolent variolæ, ſemper tamen cum levioribus, quam fieri ſolet, ſymptomatibus, dum rariores erumpunt puſtulæ, neque calamitoſi aliquid ſubſequitur, quod experimentum in millenis ſubjectis intra aliquot annorum ſpatium ſecuriſſimum deprehenſum fuit. Ex quo diſcimus, quod non modo fermenti varioloſi naturam, ſed & fermentatio illa morbifica non tantum ſævitiæ habeat, ſi in lympha ſanguinis immediate ſuſcitetur, ac ſi cum ſalivali latice & primarum viarum ſuccis, ut communiter fieri ſolet, miaſma illud prius miſceatur. Siquidem fermentum contagii in exhalationibus conſiſtens, magis ſubtile ac ſpirituoſum adeoque acutum eſt: in humore vero purulento communicatum magis iners ac languidum exiſtit. Cui accedit, quod pus variolarum in ipſam ſanguinis maſſam infuſum, ejus copia obtundatur, ut longe manſuetiorem indolem induat.

§. XXII.

Omnes, qui ex contagio naſcuntur, morbi, præſertim chronici, ut ſcabies, lues venerea, gonorrhœa virulenta, ingreſſu etiam contagii in corpus jam facto, non commodiori via expurgantur & quaſi prima in herba ſuffocantur, quam exterius per balnea, & interne per data diaphoretica & ſpecifica alexipharmaca.

Scholion.

Morbos, quos contagium profert, cita ope per ea remedia, quæ circulum ſanguinis ad habitum corporis promovent, averti poſſe, & ſana dictitat ratio & ipſa experientia confirmat. Neque enim convenientius, quo ex intimis ſedibus propelli debet tenuiſſimæ ſubſtantiæ virus, præter ipſam cutem datur emunctorium, quæ temperatis balneis relaxatur & aperitur, quo poſtea maſſa ſanguinis & humorum diaphoretico appulſa eo lubentius alienum admixtum dimittat. Certe enim non datur præſtantior modus omnis generis venena ex corporibus infectis extrahendi, quam per balnea & ſubjuncta ſudorifera modo ſtatim id in principio fiat, & remedium reiteretur. Novimus hac ratione à gonorrhœa, lue venerea, à ſcabie maligna inter initia multos fuiſſe præſervatos. Imo quamvis etiam hi morbi invaluerint: in iis tamen eradicandis purgantia, mercurialia, balnea & diaphoretica opem ferunt præſtantiſſimam.

§. XXIII.

Præcipuis, quæ venenorum viribus reſiſtunt, alexipharmacis camphoram, ſal volatile cornu cervi, nitrum, herbam ſcordii, radicem pimpinellæ, decocta lignorum & mercurium fixiorem diaphoreticum ad pauca grana terreis & alcalinis commixtum accenſenda eſſe arbitramur.

§. XXIV.

Peſti cæteriſque omnibus, qui contagio lædunt, morbis à corpore arcendis magno præſidio ſunt fonticuli ſive ulcera arte facta.

Scholion.

Fonticuli ſicuti purgamenta ſanguinis & lymphæ alienæ & noxiæ indolis evacuant, atque adeo iis, qui pertinacibus cephalalgiis, & aliis oculorum & capitis vitiis vexantur, non mediocre ſolatium afferunt: ita eo tempore, quo aër putridis & contagioſis exhalationibus inquinatus eſt, ſi forſan in corpus irrepſerint, non effectu carent, nam noxiis & corruptis humoribus per hæc loca expulſis minus alimenti miaſmati circumfuſo vel intus ſubeunti præbetur. Qua in re conſentientes habemus peritiſſimos medicos, quibus maxime accenſendus eſt *Fabricius Hildanus*, qui *Cent. IV. obſ. 23. & 86.* prodit, ſe in acutiſſima peſte Lauſannenſi, ubi ex centum ægris vix ſedecim evaſerunt, beneficio fonticulorum in brachio ſiniſtro & poplite dextro geſtorum ſervatum, & neminem ex iis, qui fonticulos gerebant, peſte correptos vel ea occubuiſſe, præter unum vel alterum, ſumme cacochymicum. Horum virtutem etiam laudibus extollunt *Deuſingius* in *Tr. de Peſte, cap. 23. Paræus Lib. 22.* & *Diemerbrockius*, qui ſcribit: *inſignem fonticulorum utilitatem in peſte multoties vidimus.* Et *Hier. Mercurialis L. de peſte C. 23.* hæc memoratu digna adſcribit: *Poſſum teſtari, me innumeros peſte extinctos vidiſſe necquenquam, qui haberet cauterium, præter unum tantum, atque ille erat ſacerdos. Interrogavi etiam hac de re multos medicos, qui teſtati ſunt, neminem ſe vidiſſe.* Quod vero ad ea loca, ubi antea ulcus fuit, noxius & corruptus humor deferatur ibique exitum quærat, hoc inter alia evincere videtur ipſe *Hildanus* loc. cit. qui ſcribit, ſe ante triginta annos bubonem ruptum in dextro inguine in graviſſima peſte habuiſſe, à quo tempore quotieſcunque aër aliquis ipſum afflaverit, protinus dolorem in eo inguine perſenſiſſe, quod etiam in peſte Lauſannenſi factum eſt. Nos vero non tantum in peſtilentia, ſed & in aliis malignis graſſantibus & contagio infeſtis morbis ſummo cum fructu fonticulos geſtari obſervavimus, idque remedii genus maximopere commendamus. Nam quod majus poteſt, id quoque minus præſtare poſſe, rationi valde conſentaneum eſt.

§. XXV.

Præter venena, quæ extrinſecus corporibus humanis adveniunt, dantur etiam & naſcuntur quædam in ipſo corpore, & hæc duplicis ſunt generis, vel putredinoſæ vel cauſticæ indolis.

§. XXVI.

Quemadmodum nulla res magis vitæ & conſerva-

tioni corporis infenſa eſt, quam putredo, qua non modo ſolidorum ſtructura & fluidorum mixtio, ſed & partium, quæ impetum & motum faciunt, vis motrix deſtruitur: ita ſphacelatio, ſive putrida & fœtida partis ſolidæ cujuſdam deſtructio intra corpus producta, eaſdem vires obtinens recte perniciale & mortiferum corporis venenum dici meretur, maxime cum repente ſerpendo ſe multiplicet, & putrida contagione vicinas partes opprimat.

Scholion.

Sphacelatio ſive intus corripiat partem nobilem, cujus generis eſt nerveo-membranacea, ſive extrinſecus etiam in artubus oriatur, ſubito necat, niſi mature ſuccurramus, quia vehementiam ſerpendo acquirit, & vitales vires validiſſime deſtruit. Quare animadvertitur, ubi putredo invaſerit partem ſolidam, protinus evaneſcere vires & languidum ac citatum fieri pulſum, & ſomnum vel nullum vel laborioſum reddi, animique tandem deliquia, ac denique brevi tempore mortem accedere; id quod non modo in cancro exulcerato, qui ſphaceloſæ corruptionis ſpecies eſt, ſed & in ſphacelo pedum, inteſtini recti ex male tractata fiſtula non ſemel, ſed iterum obſervavimus. Et quod tam ſubito mors morbo ſic dicto nigro correptos opprimat, nulla alia videtur cauſa: quam quod extravaſatus ſanguis in colo ejus ſtercoreo quaſi fermento in fœtidiſſimam putrilaginem conjiciatur, à qua corporis vires repente peſſum eunt & plane extinguuntur.

§. XXVII.

Plurimi, qui ex morbo acuto & chronico pereunt, ſphaceloſo veneno partium ſolidarum, præſertim ventriculi & inteſtinorum, ſuccumbunt.

Scholion.

Hujus aſſerti veritatem ipſæ diſſectiones cadaverum morbis defunctorum ſatis claram & teſtatam faciunt, ſed quoniam hac de re fuſius actum eſt in *Cap. I. Pathologiæ generalis*, plura hic adjicere ſuperſedeo.

§. XXVIII.

Oritur ſphacelus vel à cauſa interna vel ab externa, quæ adventitia eſt & violenta. Illa fit, ubi univerſa ſanguinis & humorum maſſa valde impura eſt & ad putredinem inclinat, tum vel leviſſima læſio partis externæ hanc producit: externa vero eſt, qua à ſumtis venenis, à validiſſima artuum ligatura, ambuſtione, contuſione, vehementia doloris vel frigoris proficiſcitur.

Scholion.

Sanguis quidem, quam diu in motu eſt progreſſivo & per vaſa circumfertur, in veram & perfectam putredinem non delabitur, ſi vero valde impurus eſt, & excrementitiis ſordibus ſcatet, uti videmus in cacochymicis & ſcorbuticis corporibus & valde imbecillibus ſubjectis: tunc levi ex cauſa, ſi ſtagnat & ſubſiſtit in parte, non modo ipſe corrumpitur, ſed & ſubjectam carnem ſummo fœtore contaminat.

§. XXIX.

Quoniam inſignis ſanguinis ad corruptionem diſpoſitio ad ſphacelum producendum & ad morbos quoque malignos & funeſtos efficiendos admodum idonea eſt: providendum utique omni cura erit, ut tum remediis diæteticis, tum auxiliis pharmaceuticis nunquam non ſanguis integer, purus & ab omni corruptiva diatheſi immunis conſervetur.

Scholion.

Profecto quæcunque læſiones & quicunque morbi in corpora impura & pravis ſuccis referta incidunt, ii non parum periculi ac terroris habent, eo quod promtiſſime viſcera parteſque ſolidas funeſta ſphacelatione corripiant. Igitur ſemper & ubique princeps, quibus ſanitatis & vitæ cuſtodia commiſſa eſt, cura ſit, ut cita ope humoribus depurandis invigilent, quod utique per tempeſtivas ſanguinis miſſiones, per remedia diaphoretica, per inediam, motum, analeptica & decocta clementer ſudorifera obtineri poterit. Neque enim datur opportunior maſſam omnium humorum depurandi via, quam per cutem, quæ univerſale emunctorium eſt, quo halituoſæ & peſſimæ indolis ſordes è corpore tuto exturbantur. Si enim olim in Anglia peſtis intra viginti quatuor horas interficiens, placido & continuo ad viginti quatuor horas exacto ſudore cardiacis in lecto provocato, ſublata fuit, abſtinendo ſimul ab omni ſomno, quidni etiam ſudor prudenter inſtitutus alias corruptiones auferre poterit? ſique ſumma in lue venerea lymphæ & ſanguinis corruptio ſolo ſudore prudenter adminiſtrato ſubmovetur, utique ex eo clariſſime patet, in ſudoriferis maximam corruptionem ex corporis noſtri ſuccis expellendi potentiam ſitam eſſe.

§. XXX.

Præter corruptiva dantur adhuc alterius generis venena in corpore humano, quæ nempe ex excrementis peſſimæ indolis, ſi ea non evacuantur, ſed diutius à ſanguine ſeparata excretoriis inhærent, ſubnaſcuntur.

Scholion.

Ea eſt natura humorum excrementitiorum, ut, ſi in tubulis, quibus efferri ſolent, ſtagnant, ipſa mora pejorem indolem induant, dum vel putreſcunt, vel aceſcunt, vel corroſivi evadunt, & valet id maxime de iis excrementis, quæ ſubtilioris naturæ ſunt & per anguſtos tubulos ſubcutaneos propelli debent; nam omne excrementum quo eſt tenuius, eo malignius ipſa mora evadit.

§. XXXI.

Experientia indubia conſtat, materiam illam alienæ indolis, quæ in variolis, morbillis, petechiis, purpura rubra & alba & aliis exanthematicis febribus naturæ robore atque interno motu ad habitum corporis protruditur, ſi retrocedat ſive ab extra intro pellatur, funeſta &, qualia venena ſolent, producere ſymptomata.

Scholion.

Inde enim ſummas præcordiorum anxietates, inquietudines, ſummas virium proſtrationes, phrenitides, ſopores, convulſiones & ſubitam mortem fieri celebratiſſimi auctores copioſe ſatis & accurate annotarunt.

§. XXXII.

Neque ignotum eſt ex chronicis ſcabiem, lepram, herpetem, ulcera capitis manantia & cruſtam in infantibus lacteam, guttam roſaceam, puſtulas luis venereæ, item eryſipelas, podagram, ſi ex errore vel culpa medentium aut ægrotantium intro vertantur, graviſſima, imo ſæpius funeſta ſymptomata progenerare.

Scholion.

Proſtant de hac re copioſæ obſervationes in practicorum libris, quæ evolvi poſſunt, has enim hoc loco conſarcinare non inſtituti noſtri ratio exigit, & poteſt hanc in rem legi *diſſertatio noſtra de podagra retrocedente in corpus, idem de imprudenti toxicorum adplicatione & Dn. Lindemanni Diſſ. de morbo retrogrado.*

§. XXXIII.

Si ſalutares & critici, qui certis diei horis incidunt, ſudores, & qui circa declinantes acutas paſſiones fiunt, vel ex pedibus aut glandulis ſubaxillaribus cum fœtore emanant, imprudenter cohibentur, ſummam perniciem corpori adferunt.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Certa quoque obſervationum fide conſtat, ulceribus antiquis diu cum fructu geſtatis, ſi ea repente conſolidata fuerint, peſſimæ notæ ſymptomata inde oborta fuiſſe.

§. XXXV.

Excrementitiæ ſordes ad ſanguinis & lymphæ maſſam in morbis retropulſæ naturam venenorum exacte æmulantur & rectiſſime iis annumerari poſſunt, quia veneni characteriſticas habent notas, dum primo tenuiſſima & exili mole agunt, deinde vires ſuas exitiales celerrime exerunt, tum partes nerveo-membranaceas maxime invadunt, denique quod œconomiam univerſi corporis motuum turbant vel etiam extinguunt.

Scholion.

Non mirum eſſe debet, quod præter ſcholarum morem venenorum claſſem aliquanto magis extendamus, quippe quod jure facere videmur; plura enim ſunt, quæ veri veneni notas habent, quæ fortiter lædunt ac vitam deſtruunt. & fæviores adhuc effectus exerunt, quam nota illa & authentica venena, quæ tamen neglectui à medicis habentur. Satius itaque duxi, venenorum naturam, vires & proprietates paulo majori cura explanare, ut eo magis evitentur ea pericula, quæ ex imprudenti medicatione ſubinde naſcuntur.

§. XXXVI.

Venena ſuccotum excrementitiorum nervoſas & membranaceas partes præcipue adoriuntur, ſed producta ab iis ſymptomata pro diverſitate locorum differunt.

Scholion.

Materia excrementitia ad cerebrum & nervorum paria delata vertiginem, phrenitidem, ſoporem, apoplexiam, aphoniam, hemicraniam, cœcitatem, item ſurditatem facile progignit. Si vero eadem materia nervos diaphragmatis invaſerit, ſummæ anxietates præcordiorum, ſingultus & aſthma ſpaſmodicum oriuntur. Si nervis pneumonicis & pulmonum membranis nerveis altius inſideat, fiunt ferina tuſſis, reſpiratio ſumme anxia atque ad ſuffocationem uſque difficilis. Si cordis nervos impetit, illud tremore & palpitatione corripitur. Si altius ſe inſinuat œſophagi, ventriculi & inteſtinorum membranis, cardialgiæ, nauſeæ, inflammationes ſtomachi, vomitiones cum ciborum faſtidio, inflammationes cum ardore circa ſcrobiculum cordis, interno & extremorum frigore, atrocia tormina, abdominis inflationes & alvi pertinaces conſtrictiones ſuſcitantur; in ductibus urinariis urinæ ſuppreſſiones, in ductibus biliariis bilis in ſanguinem effuſiones, in cute ſudorem frigidum & horripilationes producit. Re itaque probe perpenſa hæc omnia recenſita ſymptomata ejuſmodi ſunt indolis, quæ à proprie ſic dictis venenis concitari ſolent.

§. XXXVII.

Cum in quibuſdam morbis tam promte & expedite lethale venenum medici error & culpa ingeneret, ſi excretiones non rite tractatæ fuerint, materia foras excernenda incaute cohibita vel retropulſa: prudentis utique erit medici, omnia ea noſſe & evitare, quæ retropellendi facultate pollent.

Scholion.

Ex horum numero maxime ſunt animi affectus, præſertim terror & timor, corporis refrigeratio, interna adſtringentia, opiata, intempeſtivæ venæſectiones, fortiora purgantia, nimium refrigerantia atque externa cataplaſmata, emplaſtra conſtringentia, item linimenta mercurialia, quibus omnibus quanta corpori ſubinde ſtruatur pernicies, dici vix poteſt.

§. XXXVIII.

Calidiora quoque & quæ nimium ſanguinem exagitant, ex benigno humore venenum & morbum benignum in malignum facile convertere poſſunt.

Scholion.

Peccatur in eo toto die à vulgo practicorum, quod morbos bene moratos peſſimos efficiunt & malignos, quod maxime valet in exanthematicis, ut ſunt variolæ, morbilli, purpura, quando imperitiores non modo per hypocauſtum & lectum præcalidum, ſed & medicamenta, quæ ſanguinem accendunt, uti ſunt volatilia oleoſa regni vegetabilium & animalium, præpoſtere vi quadam excretionem & ejectionem materiæ peccantis per cutis habitum urgent. Clariſſime teſtatur experientia, imo hinc inde ex obſervationibus in hanc rem notatis conſtat, complures hoc modo fuiſſe interfectos, qui poterant ſervari, utpote graviſſima ſymptomata, nempe anxietates, hæmorrhagias enormes, virium cum animi deliquio proſtrationes, quin imo deliria, convulſiones horum incautum uſum ſubſequi, plus vice ſimplici vidimus: cum ex adverſo, ſi blandioribus, temperatis, acrimoniam demulcentibus, & quæ nimium ardorem deprimunt, morbus tractetur, ille placide ſua decurrat tempora & laudabilis fiat materiæ hoſtilis à ſanguine ſequeſtratio & ad cutim protruſio.

CAPUT IV.

De venenis in aëre contentis epidemiorum morborum cauſis.

§. I.

COntinentur in aëre res corpori humano infeſtiſſimæ, quæ parva mole & celeri operatione ſummam perniciem corpori inferunt & epidemiorum ac malignorum morborum cauſa ſunt, ut adeo rectiſſime inter venena etiam locum tueantur.

§. II.

Uti venena potiſſimum ſunt naturæ fermentativæ, putridæ, vel acris cauſticæ volatilis: ita dantur in aëre res animantium corporibus infenſæ, quæ vel putredine vel acrimonia cauſtica delinquentes iis labem aut perniciem inferunt.

Scholion.

Sicuti ad has claſſes pleraque venenorum genera commodiſſime reduci poſſunt: ita etiam deprehendimus, omnia valde inſalubria & quæ perniciem morboſam invehere valent, haud diſſimili modo operationes ſuas ferales exerere.

§. III.

Ad res venenatas putridas, corpori humano ſumme pernicioſas, merito referri debent exhalationes ex aquis ſtagnantibus & corruptis in aërem evectæ.

§. IV.

Ea eſt natura omnium aquarum diutius ſtagnantium, ut quiete ac ſolis æſtu putreſcentes valde noxia effluvia in aërem emittant.

Scholion.

Sicuti aqua, ſi puriſſima eſt, diu integra atque ab omni fœtore & putredine intacta manet; ita ſi partibus alienis, præſertim ſulphureis & terreis, referta eſt, quas facile ex terra ſulphurea & pingui imbibit, per quietem, ſolari æſtu accedente, fitum ac fœtorem contrahit, ut in paludoſis locis apparet.

§. V.

Effluvia ex aquis paludosis & putrescentibus sublata in aërem morbos pessimi moris malignos & epidemice grassantes inferunt.

Scholion.

Morbi, qui ex aquarum inundationibus earumque putredine fiunt & in locis paludosis regnant, sunt maxime epidemii, ut pestis, petechiales febres, variolæ & morbilli mali moris, febres intermittentes & purpura.

§. VI.

Pestis & pestilentiales morbi familiarissimi sunt iis locis & iis temporibus, quibus ingentes fiunt fluviorum inundationes.

Scholion.

Notum est, quod pestis familiarissima sit in Ægypto, & quod incolæ hujus regionis cum gravissimis morbis iisque contagiosis conflictentur; causa vero unice est quærenda in exundatione Nili, & memorabilia sunt, quæ scribit hanc in rem *Dappert in Descript. Africæ pag.* 127. nunquam pestem in Ægypto oriri, nisi Nilus nimium increscat; & totas regiones inundet; addit hanc rationem: quod quando Nili aqua stagnat super terram, tota illa paludosa fiat, & accedentibus ventis Australibus & ferventissimo solis æstu, putridis exhalationibus aër inquinetur, qui validissimus ad excitandam pestem. Subjicit denique hoc memorabile, quod nunquam pestis oriatur ex intemperato æstu; sed tunc potius extinguatur. Alexandriæ autumno plures mali moris febres cum vomitione viridis bilis epidemice graffantur, ex nulla alia causa, quam ex putridis aquis sub domibus incolarum stagnantibus. Alexandriæ autumnali tempore identidem variolæ mali moris contagiosæ invadere solent homines, quæ nullam aliam originem agnoscere solent, quam evaporationem aquæ putridæ Niloticæ. Nam quandocunque ex Nili cornu, quod vocatur Calech, circa hanc civitatem magnæ fiunt aquarum eluviones, & hæ per totum annum immotæ subsistunt, necessario putrescunt & corrumpuntur, præsertim æstate: unde etiam omnes incolæ, qui accolunt huic brachio Nili, fugiunt ad alia loca, donec ex Nilo subsequente anno aliam aquam accipiant, qua de re *Dappert loc. cit. legi meretur.*

§. VII.

Nostris in regionibus fluviorum inundationes frequentissime mali moris morbos epidemicos eosque acutos excitant.

Scholion.

Leidæ quondam morbus contagiosus pestilentialis oriebatur, qui magnam hominum stragem edebat, ex nulla alia causa, quam quod ex brachio Rheni veteri inundationes in hoc districtu factæ fuerunt, unde aquæ restagnantes putrefactæ diram hanc luem excitarunt; vid. *Pechlini Obs. XVII. Colerus in Tract. de Morbis Castrensibus Dec. III. Obs. V.* plures epidemios morbos observavit post Danubii crebras eruptiones & imbres per plures dies continuos. Notavit *Forestus Lib. VI. de febr. & morbis epidemice grassantibus pag.* 162. quod civitas Delphensis insalubris sit, quoniam in loco profundiori sita est, aquas non currentes habet, fossis non amplis, sed angustis, per quas moventur, instructa, hinc fit, ut aquæ stagnent æstivo inprimis tempore, quæ sub canalicula putrescunt & effluvia, quæ à transeuntibus sentiuntur, putrida sunt, adeo ut fere singulis decem annis præterlapsis incolæ vel peste vel pestilentialibus febribus afficiantur. *Montanus* refert, prope Famagustam, Cypri urbem, locum esse, qui æstatis tempore putrescat ac causa existat, quod aër putrescat, unde febres pestilentes oriantur, infinitique homines ob vaporum contagionem à paludibus pereant. Exemplum singulare noxiæ inundationis in nostris regionibus exhibuit annis 1712. nam inundationem fluviorum excepit immanis æstus per sex dies, postea frigus, rursus per decem dies intensissimus erat æstus sine pluvia. Ii, qui se libero aëri præsertim nocturno commiserant, febre corripiebantur, cui ingens virium languor, dolor capitis, dorsi, in præcordiis anxietas, crebra vomitio, in non nullis delirium juncta erant, in quibusdam symptomatum vehementia remittebat, in paucis intermittebat; in plurimis erat pectoris oppressio, sed hæc lues vix inter quatuor vel sex dies persistebat, & oris efflorescentia vel sudore sponte oborto terminabatur. Nulla fere erat Berolini domus, in qua non aliquot ægrotabant, sed pauciissimi mortui, nisi ex alio morbo complicato. Hæc febris epidemia totam Marchiam & Ducatum Magdeburgicum, Thuringiam quoque infestabat. Et chronologia nostra Hallensis nos luculenter docet, nunquam fere hic à multis retro annis epidemium & pessimum morbum grassatum fuisse, nisi semper ingens fluvii Salæ diluvio & inundatio præcesserit. Memorabilis etiam est obs. *Ramazzini*, quæ extat in *Miscell. Curios. Dec.* II. *A. IX.* ubi ex copiosis pluviis factæ inundationes & stagnationes aquarum produxerunt tertianas & rebelles febres, quæ indiscriminatim homines, cujuscunque sexus, ætatis, victus rationis, temperamenti & vitæ generis fuerunt, occuparunt.

§. VIII.

Paludosa loca, ubi stagnant & putrescunt aquæ, valde insalubria sunt & febres pernicioissimas producunt.

Scholion.

Non procul à Berolino amœnissima urbs sita est, Charlottenburg dicta, quæ propter declivem situm stagnationibus præsertim ex copiosis fluviis aquarum valde obnoxia, inde fit, ut æstivo tempore nemo fere ex incolis immunis à febre intermittente tertiana præsertim permaneat, cumprimis si aëri frigido nocturno corpus objicit; & propter stagnationem aquarum, ingens est ibi copia culicum, quæ homines divexant. Circa nostram urbem Halam est pagus unum milliare distans, qui vocatur Dieskau, in decliviori etiam loco situs & plurimis stagnis & piscinis cinctus; ibi nullus fere est incola, qui non febre laboret vel laboraverit, quæ ita contumax est, ut non modo frequentius recidivet, sed etiam per aliquot annos duret. Est febris naturæ erraticæ, sed typum tertianæ servat, inassuetis vero & qui ex salubri loco huc habitandi causa accedunt, valde gravis atque exitialis esse solet. Ita & *Cl. Lentilius in Epistola ad Cl. Lancisium* data adfirmat, quod ad mœnia civitatis Stutgardiæ olim fuerit piscina seu stagnum amplissimum plurium jugerum & eam ob causam infamis à multis annis fuerit Stutgardia febribus intermittentibus, ferme non amplius epidemicis, sed endemiis, valde rebellibus, ac diuturnis, quæ proinde nomen tulerint febrium Stutgardianarum. Exsiccato vero hoc stagno ob certum finem & in amœnissimum pratum conversо, ab eo tempore febres intermittentes adeo raræ sunt factæ, ut ne semel quidem epidemiarum nomen meruerint, sed sporadicæ saltem nunc hunc, nunc illum invaserint, etiam hactenus curatu faciliores. Apparet inde, febres ab effluviis illius stagni putridis ortas fuisse, quæ flante euro sublata civitati invecta fuerunt, eo quod ventus, allisione ad montes facta, quasi repercussus effluvia dicta provehere non posset. Nemo vero rectius & paulo majori cura hanc materiam aggressus est & pertractavit ipso *Lancisio*, qui in *Tract. de noxiis paludum effluviis* febrium pernicioſarum & castrensium, quæ Romæ in Leonina nuncupata civitate ex cœnosis fossarum aquis ab æstatis initio ad autumnum vagatæ sunt, naturam prolixe describit.

§. IX.

§. IX.

Propter aquarum ſtagnationes anni valde humidi & pluvioſi, præſertim ſub continuo auſtrorum flatu, valde inſalubres ſunt.

Scholion.

Maligni & contagioſi graſſantes morbi ex præhumida anni conſtitutione plerumque originem ſuam nanciſcuntur. Ita *Hippocrates Lib. III. Epidem.* ſcribit, aliquando poſt diuturnas pluvias ingentem ſubortam fuiſſe peſtem, totam civitatem Abaton pervaſtantem, cujus ſævitia nonnullis inhabitantibus pedes ac brachia deciderunt. Idem teſtatur *Lib. II. Epidem.* ſuo tempore ex auſtrinæ conſtitutionis aëre in Cranone primum ichores & puſtulas multas, poſtea & carbunculos propullulaſſe. Galenus *de temp. Cap. IV.* annum plus juſto humidum peſtis eſſe prænuncium ſcribit. *Benedictus Sylvaticus Conſ.* 14. *Cent.* 1. refert, quod duo anni fuerint auſtrini, frigidi, pluvioſi cum maxima aquarum illuvie, unde etiam morbi uniformes fuerint per totam ferme Italiam. Nempe populariter graſſabantur febres ſpuriæ, ardentes, peculiares, morbilloſæ, varioloſæ, viros maxime plethoricos corripiebant, præſertim ſi locorum humiliorum fuerant incolæ & veneri indulſerant.

§. X.

Endemii & epidemii, qui certis locis certiſque annorum conſtitutionibus populariter graſſari ſolent, morbi plerumque originem & cauſam ſuam debent variis exhalationibus & inquinamentis, quæ in aëre continentur.

Scholion.

Ægritudines, quæ genus humanum frequenter & graviter affligere ſolent, ſunt potiſſimum ex numero graſſantium ſive epidemiarum, quæ certis tantummodo temporibus prodire ſolent, & in harum numero præcipue ſunt omnis generis febres acutæ, quibus exanthemata junguntur, item intermittentes, nec non dolores, fluxiones, inflammationes, ut ſunt variolæ, morbilli, febres tertianæ, quartanæ, tertianæ duplices, ardentes, pleuritides, ophthalmiæ, anginæ, catarrhales benignæ & malignæ, eryſipelaceæ, arthritides, diarrhœæ, podagra, rheumatiſmi, pleuritides ſpuriæ, dyſenteriæ, qui morbi ex aëris vitio rectiſſime derivandi ſunt. Et hæc etiam ſententia fuit *Hippocratis*, qui *Lib. de Nat. Hum. §.* 18. ita ſcribit: *Quando ab uno morbo multi homines corripiuntur eodem tempore, cauſam ad id, quod communiſſimum eſt, & quo maxime omnes utimur, referre oportet. Eſt autem hoc ſpiritus & aër, quem inſpirando trahimus.* Et §. 19. addit: *Quum unus morbus popularis graſſatur, manifeſtum eſt, dictam non eſſe culpabilem, ſed, quem trahimus, ſpiritum in cauſa eſſe, & palam eſt, eum ipſum ſpiritum morboſam aliquam exhalationem habere.*

§. XI.

Frequenti & attenta obſervatione didicimus, eas temporum anni conſtitutiones eſſe maxime morboſas & communes morbos proferre, quando vel nimias & diuturnas pluvias aut diluviones vel terrarum inundationes repentini & immodici æſtus ſequuntur ad aliquot dies, & poſtea eos inſueta frigora excipiunt, quæ ſi in tempus vernum vel autumnale incidunt, pejorem effectum exerunt.

Scholion.

Hoc modo productas novimus complures graſſantes epidemicas paſſiones; ita etiam febris illa epidemia, cujus ſupra facta eſt mentio, ſuborta eſt. Atque anno 1698. hic loci hiemem valde placidam, lenem humidamque autumno ſimilem, auſtrinis ſtipatam ventis, experti ſumus, quam excipiebat initium veris immodice æſtuoſum. Tum per aliquot menſes magna cum ſævitia per hanc urbem variolarum morbus graſſabatur. Succedebat æquinoctio vernali petechizans febris maligna contagioſa, quæ non paucos è medio ſuſtulit. Cujus febris hiſtoria ex profeſſo à nobis pertractata eſt in duabus peculiaribus diſſertationibus. Simili ratione, ut *Miſcellanea Nat. Cur. Dec. 1. obſ.* 145. tradunt, anno 1664. hieme molli ac pluvioſa antecedente, ſub veris initio graſſata eſt in civitate Thorunienſi purpura epidemia maligna, quæ per totam æſtatem & autumnum uſque in hiemem ſæviit, plurimos utriuſque ſexus infantes interficiens. Anno 1675. tota æſtas erat pluvioſa, inſequens autumnus modo ſerenus, modo pluvioſus, hinc in tota Sileſia & Auſtria in autumno catarrhus, & coryza cum tuſſi & inflammatione faucium ita vexavit incolas, ut nulla domus fuerit exemta, ubi non tres vel quatuor catarrhoſi inventi fuerunt, & ſi qui levabantur, alii ſtatim in locum eorum ſuccedebant. Vid. *Reygerus* in *Miſc. Nat. Cur. Dec. I. ann. 6. obſ.* 313. Anno 1707. menſes Novembr. Decembr. & Januar. 1708. ſine nive & omni gelu erant, & diarrhœæ familiariſſime tunc incidebant. Circa initium veris autem æſtuoſi pleuritides, febres catarrhales cum purpura juvenes & maxime fœminas affligebat. Aderat languor virium, ſomnus paucus, frequentior frigoris cum calore mutatio & parotidum tumor; paucis vero erant lethales.

§. XII.

Duplicis generis eſt illud venenum, quod ex aquis ſtagnantibus putridis per aërem diſpergitur inque eo continetur, ex quo morborum gravium, epidemicorum & malignorum origo & cauſa petenda venit, & vel putredino-verminoſæ vel acris cauſticæ indolis eſt.

§. XIII.

Aquæ paludoſæ ſeminarium ſunt fœcundum putredinis verminoſæ.

Scholion.

Ubi enim paludes, lacunæ & aquæ putridæ ſunt, ibi ſemper ingens præſertim ſub ſolis æſtu variorum inſectorum copia conſpicitur. Non ſemel, ſed aliquoties ejuſmodi aquas examinavimus inſtrumento ſtatico, eaſque deprehendimus leviſſimas, forſan propter copioſam admixtam ætheream materiam, quæ etiam putredinis earum parens eſt. Deinde ſemper innumerabiles, minutiſſimos variæ figuræ & generis vermiculos in iis turbidis conſpeximus. Porro ejuſmodi aquæ vaſi ſtanneo infuſæ ignis calore admoto in innumerabiles reſolvuntur bullulas, fundo vaſis adhæreſcentes, forſan propter viſcoſitatem, in quam calor agit.

§. XIV.

Inſueta vermiculorum in aëre hoſpitantium copia & morborum malignorum cauſa exiſtit, & eos quoque præſagit.

Scholion.

In hujus adſerti veritate confirmanda adſentientem maxime habemus & antiquitatem & peritiſſimos medicos. *Varro de re ruſtica Lib. I. Cap. XII.* cauſam labis morboſæ inſectorum copiæ aſſerit his verbis: *Advertendum etiam, ſi qua erunt loca paluſtria, & propter eaſdem cauſas & quod areſcunt, creſcunt animalia quædam minuta, quæ non poſſunt oculi conſequi, & per aëra intus in corpora per os & nares perveniunt atque efficiunt difficiles morbos.* Idem ante *Varronem* ſenſit *Lucretius*, dum canit: *obnoxia cuncta putrori Corpora, putrores inſecta animata ſequuntur.* Neque ab horum ſententia recedit *Columella, qui lib. I. de Re ruſt. cap.* 5. ſcribit: *nec paludem vicinam eſſe oportet ædificiis, nec junctam militarem viam, quod illa caloribus noxium virus eructat, & infeſtis aculeis armata gignit animalia, quæ in nos denſiſſimis agminibus involant, ex quibus ſæpe*

contrahuntur cœci morbi quorum cauſas ne medici quidem perſpicere queunt. Quocunque igitur anni tempore inſolita inſectorum copia obſervatur, non ſine ratione inſalubria tempora & graſſantes morbos prædicere poſſumus, quod diuturna experientia & obſervatio præſtantiſſimorum virorum confirmavit. Ita *Joh. Damaſcenus aph.* 132. ſcribit: *Ubivis gentium quocunque anni tempore phalanges muſcarum redundaverint, ibidem & ægritudines, quæ ex putredine oriuntur, in corporibus indigenarum redundabunt. Riverius* tradit, poſt innumerabilem inſectorum copiam febrem epidemiam mali moris graſſatam fuiſſe. Auctor quoque eſt *Verulamius in Oper. pag.* 923. annos inſalubres fore & peſtis ſuſpicione infamari, quando ranarum, muſcarum & locuſtarum multitudo eſt. Et *Valeriola obſ.* 1. *Lib.* 2. *pag.* 95. ex inſectorum & locuſtarum copia morbos epidemios prænunciavit. Atque exemplum habemus in recenti memoria: anno videlicet 1692. incredibilis copia locuſtarum in aëre volitantium viſa eſt, quæ univerſam Thuringiam, Miſniam & Vogtlandiam infeſtabant, inque terram deſcendentes ſegetibus ac vegetabilibus maximum damnum inferebant; à quo tempore cœperunt graſſari in hiſce regionibus multæ mali moris, imo cum petechiis junctæ febres. *Hildanus Cent.* 4. *obſ.* 23. affirmat, eo tempore, quo peſtis graſſabatur, talem fuiſſe muſcarum copiam, ut poſt hominum memoriam vix tanta viſa fuerit.

§. XV.

Putridæ, ſtagnantes aquæ ingentem quoque copiam effluviorum ſalino-cauſticæ & volatilis indolis in aërem emittunt, quæ partim ex ipſis aquis, partim etiam ex inſectis ſale volatili turgidis exſpirant.

Scholion.

Inſecta fere omnis generis copioſo cauſtico ſale imbuta ſunt, unde pleraque cuti applicata veſicas excitant, & interius ſumta vehementi roſione ac ſtimulo partes ſolidas inflammant atque in ſpaſmos conjiciunt, & virulentas vires habent. Quod autem infeſta ſpargant effluvia, cantharides teſtantur, quæ, ubi arbores & ex his maxime ſambucum Hiſpanicum invadunt, fœtidiſſimo odore aërem replent.

§. XVI.

Ipſæ aquæ ſtagnantes feraces admodum ſunt ſalibus acribus & cauſticis, cujus rei documento eſſe poſſunt plantæ, quæ in ſtagnis & humilioribus locis proveniunt, quarum pleræque acrem, plures cauſticam & virulentam naturam poſſident; quæ obſervatio nunquam, quod ſciam, antea notata eſt.

Scholion.

In hujus rei confirmationem exemplo eſſe poſſunt acorus, arum, anthora, œnanthe, aconitum, alſine aquatica, cicuta aquatica, colchicum, flammula jovis, gladioli & iridis ſpecies, ros ſolis, perſicaria acris, equiſetum paluſtre, ranunculus aquaticus, caltha paluſtris, naſturtium aquaticum, beccabunga, quarum pleræque ſunt venenatæ, & pecoribus etiam, ſi iis veſcantur, exitioſiſſimæ. Cauſa, cur ſtagnantes aquæ acrimoniam plantis ingenerent, hæc poterit afferri: aquæ in terra præſertim limoſa & ſulphurea diu ſubſiſtentes incipiunt putreſcere, ſive earum mixtio motu inteſtino diſſolvitur. Jam vero ea eſt motus inteſtini natura, ut ex ſuccis temperatis, inſipidis & inodoris, imo dulcibus ſapidos, ſalinos, volatiles, item ſulphureos fœtidos producat, ut in fermentatione vinoſa ac putredinoſa conſpicuum eſt. Quidni etiam incipiens putredo partes ſulphureas ac terreas aquarum, & quæ in plantarum nutrimentum cedunt, in ſalſas & acres commutare poterit?

§. XVII.

Præter terra illa & morboſa effluvia, quæ ex putrefcentibus aquis in aërem diffunduntur, dantur adhuc in illo alia, naturæ corporis humani identidem nociva & gignendis morbis idonea.

Scholion.

Qui diu in artis exercitio verſati ſunt, iis non obſcurum eſſe poteſt, quo habitu & more ſubinde diverſiſſimo quotannis fere incedant epidemici morbi & modo has, modo illas partes hoſtiliter aggrediantur & diverſis ac ſæpe diſſidentibus ſymptomatibus infeſtent. Veteres incognitam eorum cauſam ad τὸ θεῖον referebant. Nos materiis tenuioribus, virulentis & variæ indolis, in aëre potiſſimum volitantibus, eos adſcribimus, & eorum diverſam naturam à diverſa harum materiarum indole deducimns. Eſt enim aër univerſale quaſi menſtruum, quod expanſiva ſua elaſtica vi & materia ætherea calida ex omnibus corporibus ſubtiliores partes ſolvit, abripit & imbibit, quæ diverſiſſimæ naturæ exhalationes per mutuum conflictum, combinationem & miſcelam, intercurrente ſolari & cœleſti copioſa materia, varias formas ac texturas induunt. Sunt in aëre ſalinæ, ſunt etiam ſulphureæ diverſæ naturæ ſubſtantiæ; Nitrum, inflammabile illud & elaſticum ſal, aëris fœtus eſt; caput mortuum aluminis & vitrioli extreme aduſtum & omnis ſalis expers, ſi diutius aëri committitur, denuo aluminoſo & vitriolico ſale imprægnatur. Aër etiam ingentem copiam ſulphuris alit, quod ſulphuris mineralis naturam & odorem habet, uti ex fulmine & tonitru conſtat. Ecquis vero auſit aſſeverare, ex ſubterraneis locis & ſulphureis mineris illud in aërem pervenire, quum ſolis æſtus ultra duas ulnas non facile penetret, nec mediocri igne egeat ſulphuris mineralis evaporatio. Veri itaque eſt ſimillimum, illud ipſum ex ſale illo univerſali aëris vitriolico & unctuoſis ac pinguibus exhalationibus in aëre generari, non ſecus ac in chymicis videmus, ex ſale acido vitrioli mixto cum carbonum pulvere verum ſulphur & ex alumine & vitello ovi vel ſtercore humano ſulphur in aëre inflammabile debita encheireſi produci. Quidni igitur pro diverſitate effluviorum, quæ certis in diſtrictibus è terra exhalant, & pro anni tempore variant, pro diverſa ſolis operatione & ventorum flatu varia in aëre ſeminia ſalina ſulphurea fabricari poſſunt, quæ in corporis cavitates admiſſa differentes epidemias vel etiam endemias afflictiones inferunt; quorum tamen indolem ac vires potius à poſteriori & effectu, quam à priori per ſenſus & rationem cognoſcimus.

§. XVIII.

Morbi caſtrenſes, qui omnium peſſimi ſunt, & graviter deſæviunt, aëris vitiis & pravis exhalationibus potiſſimum debentur.

Scholion.

Caſtrenſes morbi ſunt maxime ex malignorum & contagioſorum numero, & ex intima ſuccorum vitalium corruptela naſcuntur. Ut ut vero hujus corruptionis variæ & multiplices ſint cauſæ, ad quas maxime fames, aſſidua vigilia, continua fatigatio, incongrua victus ratio pertinent: aër tamen vitioſus & fœtidis varii generis exhalationibus inquinatus omnes reliquas cauſas facile ſuperat. Quanta enim in caſtris ſub tanta hominum ac pecorum multitudine non eſt impuritatum, excrementorum & fœtidorum vaporum copia & colluvies, quæ continuo circumfuſum aërem inficiunt & corrumpunt. Unde ſi accedunt ex imbribus aquarum ſtagnationes, & venti auſtrini, purgando aëri minus idonei, diu regnant, atque immodici æſtus ac nocturna frigora atque dormitiones ſub diu ſunt, non poteſt aliter fieri, quam ut in magnam corruptionem animantium corpora diſponantur & graves inde morbi exſurgant. Solent vero & illi certum quendam ſervare ordinem: incipiunt nempe

æſtivis

æſtivis menſibus intermittentes tertianæ bilioſæ & continuæ, ſed inſuetis ſymptomatibus ſtipatæ. Tunc enim ſolis ferventiſſimus æſtus in aëre acris & cauſticæ ſulphureæ indolis materiam copioſe producit. In autumno, quo fructibus fermenteſcibilibus & aquarum potu venter repletur, dyſenteriæ malignæ contagioſæ oriuntur. Sique in hyberna concedunt, ſequuntur febres majori malignitate infeſtæ, exanthematicæ & petechiales. Solet enim interna putredo cum tempore vires ſumere atque increſcere.

§. XIX.

Virulentæ contentæ in aëre exhalationes lædunt quam maxime & morbos facile inferunt, ſi quis veſpertino & nocturno aëri corpus committit.

Scholion.

Omnis generis effluvia, quæ de die validiſſimo ſolis æſtu in altiſſimam aëris regionem evehuntur, tempore veſpertino & nocturno ſole occiduo per frigus condenſari, atque cum humiditate quadam deſcendere notiſſimum eſt.

§. XX.

Cum rore maxime & nebula exhalationes naturæ humanæ infenſiſſimæ ad inferiora deſcendunt, & vel animantibus vel frugibus nocent.

Scholion.

Quod frumenta, arbores & plantæ ex vitioſo rore, qui nomine rubiginis venit phyſicis, multum detrimenti patiantur, agricolæ & horticulturæ dediti optime norunt. Peccat ut plurimum ſale quodam ſubtili cauſtico, quo etiam hominibus nocet, legi hanc in rem poteſt *Obſ.* 93. *Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. III. A. IX. & X.* ubi commemoratur, quod, ejuſmodi rore guſtato, ulcuſcula in labiis ſuſcitata, & qui nudis pedibus inceſſerant, puſtulis & ulcuſculis nigricantibus inde vexati, quidam vero febribus ardentibus correpti fuerint. Et profecto dyſenteria epidemia, quæ inter initia autumni poſt ferventiſſimam æſtatem graſſari ſolet, plerumque eſt adſcribenda corroſivo rori, qui partim fructus inficit, partim corporis humani poris ſeſe inſinuat. Sæpius in certo diſtrictu graſſatur hæc lues, aliis ab illa immunibus. Et quicunque pruna vel pyra hoc rore infecta comedunt, in eundem morbum labuntur, qui vero ejuſmodi fructibus infectis abſtinent, eos hæc lues non invadit. Deinde virulentæ indolis effluvia cum nebula quoque decidunt, & morborum epidemiorum cauſas ſubminiſtrant, quam in rem lectu digna eſt *obſ.* 94. *I. c. in Miſcell. Curioſ.* ubi nebula ſeptem viros, cæterum ſanos atque robuſtos, in febrem malignam & lethalem præcipitaſſe perhibetur.

§. XXI.

Neque tantum tetra cauſticæ indolis effluvia, ſed & organica & animata ex aëre, præſertim nocturno tempore, decidunt, & humani corporis interiora ſubeunt.

Scholion.

Minutiſſima ac varii generis & magnitudinis inſecta paludibus innaſci & poſtea per aërem circumfuſum diſpergi, res curioſioribus phyſicis non ignota eſt. Sunt enim revera paludes omnium inſectorum ſeminarium, ubi citiſſime præſertim ſub moderatiori æſtu fœcundantur, & ſunt quorundam adeo minuta corpuſcula, ut referente *Lœvvenhœckio Tom. I. Epiſt. LXXI. & Tom. II. Epiſt. XCVI.* aliquot illorum centena ſimul ſumta craſſum arenæ granum mole non æquent: unde illa & eorum ovula in aërem diffundi & cum rore rurſus defluere, mirum non eſt. Et quoniam hanc materiam jam ingenioſe non minus quam copioſe pertractavit *Cl. Lanciſius in cit. Tract. Cap. XVI.* lectorem curioſum huc remittimus. Rorem ſæpiſſime ex aëre in terram deſcendere fructibus ac plantis noxium, ex quo ingens inſectorum atque vermiculorum copia pronaſcitur, rei agrariæ & horticulturæ addicti norunt, quo rore perfuſis vegetabilibus ſi veſcuntur pecora, vel vehementer ægrotant vel prorſus extinguuntur. Si homines ejuſmodi verminoſo rore infectos cibos adſumunt, gravi corripiuntur dyſenteria, qualis aliquot ab hinc annis ex tali cauſa in quibuſdam locis Ducatus Brunſvicenſis exorta fuit, ubi olera infecta rore verminoſo Germ. *Mehlthau*, cocta, gravem etiam hunc morbum induxerunt.

§. XXII.

Quia tantum periculum ab humido & nocturno aëre & rore imminet humanis corporibus, omni cura utique providendum, ut ne circa ejuſmodi loca noctu indormiamus vel peregrinemur.

Scholion.

Hanc in rem memorabilia pro more ſuo erudite ſcripſit *Lanciſius Lib. de Noxiis Paludum Effluviis cap.* 20. *p.* 62. qui teſtatur, plurimos incautos & venatores & peregrinos, ſi in paluſtribus locis brevem etiam ſomnum capiant, malignis febribus afflictari, præſertim circa Romam. Quod etiam accidit peregrinantibus ad lacuſtria Romanæ plagæ. Imo ipſe *Lanciſius l. c.* monitos vult eos, qui vigilantes per cœnoſa loca peregrinantur, qui vel Neapoli Romam, vel Roma Neapolin contendunt, iiſque ſuadet, ut diuturnos potius æſtus ſubeant, quam nocturni frigoris voluptate decepti contemeratam ambientis aëris vim excipiant. Incidi etiam in locum inſignem apud *Petr. Laurembergium Lib. I. Horticult. cap.* 35. ubi inquit: *Uredinis, vulgo* Mehlthau, *infelicem delapſum fere cum vitæ periculo æſtivis noctibus expertus ſum aliquando in Aquitania Montalbani & Toloſæ agens, cum nondum à tam infenſo hoſte mihi cavere didiceram.* Et notiſſimum eſt, homines, qui æſtate Romæ degunt, & extra urbem dormiunt, gravibus ſymptomatibus corripi & plerumque mori, quia inſectis aër Romanus & terra ſcatent, quorum exhalationibus ros & aër nocturnus inquinatur. Poſt pluvias vel maxime menſe Septembri aër ſalubrior eſt, & tum extra urbem ſine noxa degunt.

§. XXIII.

Aër virulentis exhalationibus refertus per varias vias interiora corporis humani ſubit.

Scholion.

Primo ſeſe offerunt cutis ſpiracula, quæ uti perpetuo balneis & topicis medicamentis patent, ita humiditatem virulentis vaporibus inquinatam atque ex aëre deſcendentem facile ſuſcipiunt. Rectiſſime *Hippocrates Lib. VI. Epidem. Sect. VII. carnes appellat attractrices & ex ventre & extrinſecus, quia totum corpus exſpirabile.* Adſunt deinde foramina in naribus, auribus, quæ membranis glanduloſis & nerveis cincta ſunt, per quæ aër effluviis refertus ingreditur, nullumque eſt dubium, quin per poros nervoſis etiam partibus ſeſe inſinuent cum humiditate effluvia, quoniam ab odoribus ſalubribus & inſalubribus & robur & vigor & omnium motuum perverſio contingere poteſt, hyſtericarum exemplo. Tum aër humidus & vaporibus repletus per narium & oris vias ac per laryngem ad intima pulmonum delatus, veſicularum pulmonalium poros intrat & hac ratione cum ſanguine miſceri poteſt. Tandem in ore ipſi ſalivæ adhæreſcit & facile per œſophagum, præſertim cum cibo ac potu, ad ventriculum deſcendit. Pertinet huc egregius locus apud *Hippocratem Lib. de Flatib.* ubi inquit: *omnia, quæ edúntur ac bibuntur, ſpiritus in corpus inferunt, aliquando plures aliquando pauciores.* Id autem inde manifeſtum evadit, quod plurimæ eructationes poſt cibum

ac

ac potum evenire ſolent, diſcurrente nimirum aëre incluſo, ubi perruperit bullas, quibus incluſus fuerat. Poſtremo & illud dicendum eſt, quod organica & animata etiam effluvia, ſi non per poros cutis ipſamque ſalivam, tamen per cibum ac potum in corporis interiora admittantur. Unde fit, ut in malignis & putridis morbis ſubinde ingens copia vermium in alvi fecibus & per vomitum rejectis conſpiciatur. Neque ignotum eſt, quod animalcula in ovium viſceribus, præſertim in hepate, ſi paludoſas aquas imbiberint, reperiantur. Inde quoque dracunculorum in Africa & in Germania crinonum, qui pueros adoriuntur, ſub cute generatio derivanda eſt.

§. XXIV.

Quicunque urbem ab epidemiis, imo endemiis malignis morbis liberare vult, is præcipue omnium in exſiccatione foſſarum ac paludum operam navare & igne accenſo id præſtare debet.

Scholion.

Quod lacunis & foſſis publicis ſtagnantibus exſiccatis graves & graſſantes morbi averti poſſunt, inter alios teſtatur *Petrus Salius de Peſtilente febre cap.* 20. *p.* 130. qui prodidit, patriam ſuam exſiccatione aquarum in foſſis publicis ſtagnantium à febribus peſtilentibus, alias quotannis autumno graſſantibus, fuiſſe liberatam. Et Cl. *Lanciſius* in citato illo præclaro opere illud etiam exemplis confirmat. Deinde accenſis ignibus paluſtres regiones ab halituum malignitate purgandæ ſunt. Ipſe *Hippocrates* igni tantam potentiam tribuit, ut eo peſtilentiam abigi poſſe ſtatuat, vid. *Galen. de Theriaca ad Piſon. cap.* 16. *& Amat. Luſitanus Cent.* 7. *curat.* 27. *Plinius quoque in Hiſt. Nat. lib.* 36. *cap. ult.* ignibus medicam vim peſtilentiæ adſcribit; utpote ignis motu celerrimo ſuperfluam aëris humiditatem abſumit & ventum gignit, qui ad eventilandum putridum & ignavum aërem magnæ eſt virtutis. Fumi etiam ex lignis reſinoſis & bituminoſis corporibus ad aëris emendationem multum conferunt. Inter omnes conſtat, Halam noſtram ante uſum carbonum foſſilium, quorum jam ingens copia ad ſalis coctionem accenditur, multis malignis morbis, febribus petechialibus, ac dyſenteria fuiſſe infeſtatam & malo ſcorbutico huic urbi familiariſſimo obiiſſe quam plurimos, qui omnes morbi per divinam gratiam jam fere per viginti annos, ex quo carbonum foſſilium uſus increbuit, ex finibus noſtris exceſſerunt. Nam atmoſphæra noſtra non modo ob copioſas ex Salæ fluvio multis ramis luxuriante evaporationes, ſed etiam ob continuam ſalis coctionem multa humiditate imbuitur, cujus noxam fumus carbonum foſſilium egregie caſtigat atque coërcet, quippe cujus ſalubritatem vel hoc unico argumento adſtruere licet, dum eæ habitationes, quas aër his carbonum vaporibus repletus perpetuo tranſit & fumoſa nigredine inficit, nullum incolentium ſanitati ferunt incommodum.

§. XXV.

Orientales & ſeptentrionales venti, item pluviæ egregie purgant aërem tetris exhalationibus.

Scholion.

Horum ventorum ea eſt natura, ut non modo expanſiva & elaſtica ſua vi tetra effluvia diſſipent ac diſjiciant, ſed &, dum animantibus vigorem, robur ac motum afferunt, & circulationem ſanguinis ac tranſpirationem promovent, impediant, quo minus noceant. *Varro Lib. I. de Re ruſt. cap.* 4. *pag.* 12. teſtatur, ſe Corcyram inſulam à gravi peſte liberaſſe, obſtructis iis feneſtris, quæ auſtrum ſpectabant, iisque, quæ ad aquilonem vergebant, apertis. Certa etiam obſervationum fide conſtat, quod tempore peſtis illa gravius ſæviat ventis flantibus ex auſtro & oriente; ſub flatu vero ſeptentrionalium illa ſtatim remittat. Imbres quoque, ſi copioſius decidunt, atmoſphæram cauſticis effluviis ſtipatam egregie corrigunt ac depurant, nam ſtatim poſt imbres aër eſt defecatiſſimus. Et conſtat ex hiſtoriis, peſtilentiam in Ægypto ſtatim ceſſare, imbribus menſe Junii largiter deſcendentibus.

§. XXVI.

Graſſantibus morbis epidemiis ad noxam eorum avertendam magno præſidio ſunt temperantia in victu & venere, evitatio aëris veſpertini & nocturni atque frequens uſus eorum, quæ naturam roborant & motum ſanguinis cum ſalutari tranſpiratione promovent.

Scholion.

Omnibus roborantibus, quæ ſimul vicem alimenti gerunt, ſummo jure præferendum eſt vinum potens & generoſo ſpiritu turgidum, cujus notæ eſt Rhenanum, quod circularem ſanguinis & humorum motum augendo, quicquid alieni vitalibus undis admixtum eſt, potenter eliminat, atque adeo omnem ad ſuſcipiendum contagium diſpoſitionem aufert. Ex medicamentis vero ad arcendum contagium commendationem merentur omnis generis balſamica, ſalia volatilia oleoſa, ambrata, ſuccinata, & balſamum noſtrum liquidum, quæ ſanguini & humoribus ſpirituaſcentiam fœnerant, nervis robur addunt, & omnis generis excretiones egregie juvant. Multum quoque huc confert liberalior uſus infuſorum ex herba Thee, meliſſæ, ſalviæ, veronicæ, & fabis coffé, quæ ſanguinem & humores ad corporis habitum propellendo omnes peregrinas ſordes per emunctorium cutis everrunt. Neque alia profecto cauſa afferri poterit, quod noſtra in urbe inque vicina Lipſienſi maligni ac putridi morbi, olim familiariſſimi & comitem habentes purpuram, jam rarius incidant, quam liberalior uſus calidarum ſorbitionum, quibus maxima pars incolarum his temporibus aſſuevit.

CAPUT V.

De medicamentis veneni vim habentibus.

§. I.

DAri in medicamentorum claſſe res venenatas, quæ & perniciem corpori inferre, & cauſam mortis præbere poſſint, mirum forſan videri poterit.

Scholion.

Plurimis hæc firmiter inſidere ſolet opinio, eas res, quæ remedii nomen ſibi vindicant, eſſe in ſe ſalutares, neque ullo modo vitæ & ſanitati infenſas eſſe poſſe; inde etiam fit, ut quidam afflicti vehementiori medicamentorum aviditate, quæ rectius pharmacomania dici poſſet, laborent, quum tamen omne, quod magnam vim habet, medicamentum, ſi non cum cautione adhibeatur, noxioſiſſimum ſit. Unde non mirum eſt medicamenta temere uſurpata & morborum & mortis cauſas ſubminiſtrare. Quo magis neceſſarium eſt, ut peritus medicus ea, quæ plurimum nocendi facultate pollent, probe noſcat.

§. II.

Quæ veneni vim ac naturam æmulantur medicamenta, in eorum numero ſunt emetica & purgantia draſtica ſive vehementiora; ſunt etiam ſtupefactiva quædam & ex mercurio male præparata.

Scholion.

Si ulla ex remediorum claſſe multum cautionis & prudentiæ ratione uſus deſiderant, certe ſunt emetica, purgantia, opiata & mercurialia, eo quod ob vehementem eorum vim plures in graves morbos conjectos, vel

in

in orcum per imperitiam medentum præcipitatos fuisse, experientia proh! dolor quotidiana edocemur.

§. III.

Ex emeticis multum vehementiæ & virulentæ qualitatis habent stibiata, præsertim in substantia data, ut antimonii vitrum, mercurius vitæ, crocus metallorum, sulphur auratum.

Scholion.

Dicta hæc antimonialia in pulvere data vehementissime ἄνω & κάτω non modo purgant, sed & hypercatharses sæpe lethales inferunt. Unde perpetuo non sine periculo dantur, eo quod plicis ventriculi & intestinorum firmiter inhæreant, & à succis confluentibus soluta continuo ea, quibus insident, nervosa loca lancinando convellant, & vicinos non modo nervos, sed & universum sæpe eorum genus in convulsiones conjiciant. Clementioris autem naturæ sunt, quæ ex horum solutione parantur vomitoria, ut est aqua benedicta *Rulandi*, tartarus emeticus, Syrupus emeticus *Angeli Salæ* vel Dispensatorii Brandenburgici. Sicut vero vitrum antimonii omnium est potentissimum, ita tartarus emeticus ex hoc paratus multo valentior est eo, qui secundum præscriptum *Mynsichti* ex metallorum croco conficitur, quod omnes, qui medicinam factitant, velim ut notent.

§. IV.

Antimonialia summa partium, quæ salino sulphureo-caustica naturæ sunt, subtilitate adeoque in exili admodum dosi, & quidem celeberrime operantur; posthæc vim suam in ventriculum & partes nervosas exerunt & majori dosi exhibita etiam interficiunt. Hinc, quia omnes veneni characteres habent, rectissime in eorum numerum referuntur.

Scholion.

Frustrum vitri antimonialis, quod scrupulum circiter ponderat, vel millia hominum vomere facit, si ejus infusio fiat ex vino. Et nota quoque sunt pocula illa emetica ex mixtura stanni & reguli antimonii parata, quibus vinum infunditur, & intra aliquot horas emeticum evadit, atque illa vis poculi nunquam desinit. Ex quo apparet, quam stupenda sit illa exiguitas partium, quæ totius corporis functiones perturbare vel etiam destruere possit, quod maxime proprium est venenorum.

§. V.

Necant antimonialia emetica, dum in vehementissimos spasmos genus nervosum conjiciunt, & ventriculum maxime ejusque orificia constringunt, & circulum sanguinis intercipiendo inflammationes sphacelosas easque funestas efficiunt, unde præsentissimam mortem & hominibus & animalibus inferre possunt.

Scholion.

Quomodo venena ex mineralibus hominem jugulent, & quæ symptomata producant, jam supra *cap. 2. de venenis* §. 21. explicavimus. Vim vero suam primo omnium exerunt in ventriculum, qui à venenis præsertim caustici primo ac primario affici solet. Incipiunt ibi spasticæ constrictiones, quibus ejus orificia arctissime clauduntur, unde mira ventriculi inflatio sequitur; brevi etiam sphacelosa & atra stigmata illi inuruntur. Pulchra ac memorabilia sunt illa experimenta, quæ *Cl. Wepferus* instituit, dum varia venenorum genera animantibus obtulit, & post sectionem alia atque alia phænomena annotavit. Vid. *ejus Tract. de Cicut. Aquat.* ubi etiam *cap.* 20. commemorat, quod cani robusto vitri antimonii grana obtulerit, & facta sectione maculam palma latiorem atro-rubicundam in ventriculo, qui flatibus distentissimus erat, annotave-

rit, & quia utraque orificia ob spasmos clausa erant, pertinaciter ventriculus flatus inclusos retinuit. Deinde idem auctor observavit, quod diaphragma à vi medicamenti fortiter succussum vomitum adjuverit.

§. VI.

Antimonialia emetica, in substantia & paulo majori dosi exhibita, funestum sæpissime effectum exerunt in corporibus sensibilioribus, ad iram pronis & hujus affectus vehementia exagitatis, item si ventriculus ad inflammationem inclinat & doloribus ac spasmis divexatur.

Scholion.

Complura certe in praxi notavimus exempla, ubi post gravem iracundiam &, quæ hanc insequitur, cardialgiam datum antimoniale emeticum mortiferum fuit. Et ante aliquot annos tristissimum habuimus casum, ubi serenissima persona ex tartaro emetico improvide adhibito brevi tempore lethalibus symptomatibus occubuit, ubi post mortem pars ventriculi sphacelosa reperta fuit, & putredo vicinas partes ejusdem lateris, lienem, diaphragma, & pulmonem infestavit. Vidimus brevi ante paroxysmum intermittentis pulverem vitri antimonii datum, qui præter vehementissimas vomitiones & purgationes convulsiones & tremores partium cum summa cardialgica anxietate excitavit, quæ symptomata, sub febrili calore insequente, ad tempus cessarunt, altero vero die redeunte paroxysmo resuscitata mortem intulerunt, & identidem ventriculus inflammatus ac sphacelosus repertus est.

§. VII.

Emetica fortiora si non necant, gravem tamen & fere immedicabilem morbum inferre possunt, dum fortissima vasorum strictura & compressione sanguinem & humores cum impetu ad partes præsertim debiles pellunt, ubi subsistentes pro partium differentia varios eosque graves morbos inducunt.

Scholion.

Si spasmi ab antimoniali emetico excitati vehementia sanguinem atque humores cum impetu ad caput propellit, facile aphoniæ, aurium tinnitus, visus & auditus amissio, imo mentis abalienationes oriuntur. Ita enim *Hildanus Cent. 5. Obs. 12.* commemorat, quendam capitis dolore afflictum assumto emetico mentis ac rationis usu penitus fuisse orbatum. Idem auctor *Cent. 5. Obs. 19.* refert, in corpore cachectico ab assumto vomitorio cæcitatem fuisse sequutam. Fœmina quoque optimo corporis habitu prædita, de dolore gravativo ventriculi conquesta, assumtis tribus infusi antimonii dosibus, superveniente inter vomendum doloroso aurium tinnitu, auditum amisit. *vid. Hildan. loc. cit. pag.* 395. Alius, referente *Wepfero in Tr. de Cicuta aquat. pag.* 285. post sumtum antimoniale emeticum ejusque vehementissimam ἄνω & κάτω purgationem in internum pectoris ardorem, tussim siccam, raucedinem, gutturis strangulationem & aphoniam diuturnam incidit. Si spasmorum ferocitas artus & partes exteriores aggreditur, fiunt inde sævissimi artuum dolores, truculentæ nervosarum partium convulsiones & sphacelosæ corruptiones. Auctor est *Cl. Wepferus loc. cit. pag.* 255. quendam cachecticum, assumtis aliquot granis vitri antimonii per noctem in vino infusis, non modo in enormes vomitus, sed etiam crudelissimos pedis dextri dolores incidisse, supervenientе tandem funesta ejusdem partis sphacelatione. *Hildanus* quoque *loc. cit. p.* 914. & 915. ab assumto fortiori emetico maximas brachiorum & crurum convulsiones, lipothymiam, summam virium prostrationem, imo herniam intestinalem annotavit.

§. VIII.

Quia emetica fortiora graviter convellunt ventricu-

lum & partibus nervoſis ſpaſmo nocent, atque etiam congeſtiones humorum in elanguidis partibus efficiunt, prudentiæ eſt in hypochondriacis, hyſtericis, hæmorrhoidariis & inſtante menſium fluxu, & ubicunqve ventriculus cum genere nervoſo ſpaſmis tentatur, iis tanquam veneno abſtinere.

Scholion.

Quum ſolennes illæ & ſalutares per menſes & hæmorrhoides fluxiones cum ſpaſmis continuo fiant, facile patet, nocentiſſima tunc eſſe & purgantia & emetica. Truculenta circa inſtans menſium tempus ab emeticis etiam non adeo validis exhibitis ſymptomata vidimus. In hæmorrhoidariis validior vomitus meſenterii abſceſſus cum lenta febre excitavit. Ubi ſanguinis congeſtio inclinat ad pectus, periculoſa à validiori vomitorio naſci ſolet hæmoptyſis. *Celſus Lib.* 2. *cap.* 13. ſi morbus acutus eſt, ſi febris eſt, inter rigores aſperiora ejuſmodi medicamenta damnat. Tutiſſimum vero eſt, ubi natura & morbus urgent vomitum, clementia propinare, & minus periculi eſt, ſi in minori & refracta, quam pleniori doſi, offerantur. Deinde antimonialia nunquam in forma ſolida & pulvere, ſed ſoluta & cum ſufficiente liquore adhibenda ſunt, & ſi nimiæ dejectiones ſequuntur, medicamentum theriacale cum analeptico, ut aqua cinnamomi, mixtum, quod confortat, ſpaſmos coërcet, & ab interioribus ad exteriora ſanguinem propellit, omne punctum abſolvit. Cæterum niſi urgeat neceſſitas, ſani ac valentes homines ab ejuſmodi emeticis abſtineant. Perbelle enim monet *Celſus Lib.* 2. *cap.* 13. quod omne ejuſmodi medicamentum non ſemper ægris profit, ſemper vero ſanis noceat.

§. IX.

Medicamentis, quæ veneni quidpiam, quo operantur, habent & ob id atque ob malam adminiſtrationem gravium malorum & mortis ſubinde cauſa fiunt, non immerito validiora purgantia annumeranda eſſe cenſemus. Purgantia, quæ acri & penetranti ſtimulo ſulphureo agunt, non modo tunicas inteſtinorum ſpaſtice comprimendo motum periſtalticum augent, & ex eorum glandulis lympham eliciunt, ſed & univerſum membranarum nerveo-muſculoſarum genus ſpaſmo quodam convellunt.

Scholion.

Adeoque purgantia validiora ea dicimus, quæ vehementer, id eſt, cum ſpaſmis & torminibus ventrem movent, & ſubito copioſas dejectiones efficiunt. Horum in numero ſunt ex ſimplicibus uterque helleborus, colocynthis, gummi guttæ, ſcammonium, elaterium, eſula, laureola, reſinoſa gialappa & ſpecies maximeque ſemina cataputiæ, & quæ fortiora hæc aliquanto majori quantitate recipiunt compoſitiones.

§. X.

Sicut venenis præſertim cauſticis commune eſt, ſale acerrimo, valde tenui & volatili operari, eoque omnes per univerſum corpus nervoſas partes, maxime omnium vero ventriculi & inteſtinorum tunicas irritare atque arrodere ibique violentos ſpaſmos, quos ſæpius inflammatoriæ ſanguinis ſtaſes & ſphacelationes ſequuntur, brevi tempore & non adeo magna doſi efficere: ita cum purgantia acriora eaſdem notas & proprietates habeant, jure in venenorum cauſticorum numerum recipienda eſſe concludimus.

§. XI.

Manifeſtum ſalis acerrimi in purgantibus teſtimonium eſt, quod maſticata fauces graviter adurant, & horum pleraque cuti admota veſicas excitent, naribuſque attracta vehementia ſternutamenta moveant, ac denique improvido uſu ventriculi & inteſtinorum eroſionem poſt ſe relinquant.

§. XII.

Ut elementum illud, quo venena in corpus agunt, maxime volatilis & penetrantiſſimæ indolis eſt, quod per univerſum corpus & ſolidarum maxime ac membranacearum partium intimos receſſus penetrat: ita etiam illud, quod purgantia cuſtodiunt, virus ſubtiliſſimæ naturæ atque indolis eſt & plura ſunt, quæ hujus præſentiam ſatis abundeque oſtendunt.

Scholion.

Primo compertiſſimum eſt, validiora purgantia, quo diutius in minutiſſimo pulvere ſerventur, eo plus virtutis ſuæ, qua ſupra & ſubter humores educunt, amittere, utpote cum volatile illud ſenſim paulatimque exſpiret, inque auras ſubducatur. Secundo, nihil tam potenter virtutem purgativam deſtruit, quam diuturnior, ut omnium venenorum, ita maxime purgantium cum aqua inſtituta coctio. Neque tantum validiora, ut helleborus uterque, colocynthis, elaterium, eſula, ſed & leniora, ut folia ſennæ, rhabarbarum, aloë, agaricus virtutem ſuam purgativam hac ratione perdunt, ita, ut ſi fortior ſit coctio, prope ex toto eam amittant. Tertio, non leve tenuiſſimi in purgantibus principii argumentum eſt, quod potentiora, ut ſunt colocynthiaca, item elleborata, exterius ventri vel pedibus adplicata alvum commoveant. Ita veteres pedes decocto ellebori lavantes per alvum purgatos eſſe certam auctores faciunt fidem, neque unguento Arthanite ventri adplicato infantes purgari plane novum eſt. Id vero non omnibus notum, confectionem Hamech cum unguento dialtheæ plantis pedum impoſitam ad alvum pertinaciter adſtrictam referendam vix habere ſui ſimile. Neque forſan aliunde, quam à tenuitate, quod purgat, principii petenda erit cauſa, cur infans à lacte nutricis, quæ modo purgans adſumſit, promte purgetur; item quod referente *Walæo* in *methodo medendi pag.* 42. helleborus fonticulis ad mundificationem impoſitus per vomitum & ſeceſſum ſubinde purget. Quo etiam illud pertinet, quod adſumta purgantia ſæpius ſtimulent vehementer ad venerem, & quod magis mirum videtur, cum ſemine vis purgans in fœminam transfundatur, ut *Sinivaldus Lib. III. Geneanthropiæ Tr. I. Cap. XII.* aſſeverat. Spectat huc quoque ex antiquitate illud, quod *Plinius Hiſt. Nat. L.* 25. *c. s.* refert, Melampodem obſervaſſe capras elleboro paſtas purgari, & lac eorum adhibuiſſe ad filias Prœti regis furore percitas percurandas.

§. XIII.

Neque diverſæ, ſed ejuſdem indolis ſunt mala, quæ à draſticis purgantibus improvide datis, & quæ à venenis cauſticis excitantur.

§. XIV.

Mala ex draſticis purgantibus importunius datis cum aliis venenis communia ſunt, atrocia cum crebris dejectionibus tormenta, ſubverſiones ventriculi, enormes vomitiones, ſingultus, acerbi cardialgici dolores, præcordiorum incendia, ſtrangulationes faucium, anxietates & inquietudines, animi defectio, pulſus ad tactum durus & contractus; ex capite vero convulſiones, epilepſia & mentis turbationes prodeunt. Præter hæc habitus corporis conſtringitur, partes extremæ frigent & inhorreſcunt cum ſudore frigido, quæ cuncta facies cadaveroſa & tandem mors excipit.

§. XV.

Ut in diſſectis ex veneno cauſtico, v. g. arſenico, mortuorum corporibus ventriculi & inteſtinorum partes maxime inflammatæ & ſphaceloſæ deprehenduntur, inteſtinis ſimul mirum in modum inflatis atque diſtentis: ita idem etiam me deprehendiſſe in iis, qui purgantibus vel emeticis interemti fuerunt, bona fide teſtari

ceſtari & pluribus obſervationibus omnino confirmare poſſem.

§. XVI.

Quemadmodum non certius & ſecurius adverſus omnis cauſtici veneni mortalem noxam præſidium & auxilium, quam in pinguibus, mucilaginoſis & lacte eſt, ſi ingenti in copia hauriantur: ita etiam nihil inveniri poteſt, quod tam promte & tam ſecure ex purgantium abuſu lethiferis orientibus malis occurrat, quam lac vel oleum in copia datum.

Scholion.

Res & vulgo non ignota eſt, agyrtas ſine noxa fere ex venenis peſſima, ut arſenicum album, item ſublimatum mercurium ferre, ſi prius pinguibus & lacte ventriculum cum annexis inteſtinis probe muniverint, & poſt horum uſum etiam copioſe adhuc illa adſumſerint. Ego ad exemplum experimenti hujus idem tentavi, cum aliquando illuſtris perſona ex incuria loco unius doſeos ſex pilularum purgantium ſatis fortium ſumſiſſet, tum feliciſſimo cum ſucceſſu ſuaſi ingentem lactis vaccini, quod ad manum erat, copiam ebibere, & citra ullam noxam vel atrocia tormina quatuor tantum ſedes ſequebantur. Nam quod veneni acrioris ferociæ potenter reſiſtit, id etiam vim mitioris evincere poſſe, quid rationi magis conſentaneum videtur? Igitur non ſine cauſa antiqui medici & maxime *Hippocrates* ante & poſt uſum purgantium lactis potum commendarunt, quod præcipue ex inſigni illo loco, qui extat *Libr. de internis affectionibus* §. 46. clarius appareret: *ſi venter nigro elleboro purgatus fuerit ſuperne vel inferne aut etiam ſcammonii ſucco, poſt purgationem ſerum ac lac bubulum aut caprinum vel etiam aſininum commodiſſime exhibetur.* Et *l. c. §.* 31. idem graviſſimus Auctor ſuadet, ante purgationem cum ſcammonio adhibendum fomentum, & poſt clyſterem lac aſininum coctum in potu dandum. *Aëtius* elaterium cum lactis mulcti hemina porrigendum præcipit. *Rulandus in Curationibus* tanquam ſpecificum ad vermes enecandos & expellendos ſpecies diaturbith, item radices eſulæ in lacte coquendas majorem in modum commendat. Si ullum, certe ſemen cataputiæ majoris vehementiſſimum eſt, cujus tamen ferocia, ſi cum lacte caprino in emulſionem redigatur, multum miteſcit, ita, ut non ſine emolumento in hydropicis ad educendas ex habitu corporis aquas adhibitam eam fuiſſe meminerim. Ob vim, quæ lacti ineſt, acrimoniam cauſticam mitigantem, accidit quoque, ut infantes lactentes, ſi modo lac non corruptum & corroſivum in ventriculi cavitate ſtabuletur, ſine minori ſubinde moleſtia acria etiam purgantia ferre queant, quam ætate provectiores. Ex quo conficitur clariuſque elucet, ad caſtigandam nimiam & virulentam illam in draſticis purgantibus vim eorum coctionem cum lacte cetera alia tantopere ab auctoribus celebrata purgantium correctiva, quorum ingens adducitur numerus, longiſſime ſuperare.

§. XVII.

Quum omnium fere venenorum ea natura ac indoles ſit, ut præter exitialem, quam corpori animantium inferunt vim, quodvis ex iis propriam quandam operationem atque virtutem poſſideat: ita etiam illud ipſum circa validiora purgantia animadvertere licet.

Scholion.

Colocynthiaca præ cæteris tormina faciunt, & vaſa aperiendo ſanguinem ſive per alvum ſive etiam per alias vias, præſertim ſi importunius data fuerint, effundunt. Elleborus, præſertim albus, id habet vitii, ut peculiari ratione faucibus infenſus ſtrangulationem & ſuffocationis metum cum ſumma anxietate inferat. Elaterium vim ſuam maxime in tunicas arteriarum nerveo-muſculoſas evibrat, hinc pulſus fit celer, febrili non diſſimilis, qui etiam in digitorum apicibus percipi poteſt. Unde non mirum eſt, hujus purgantis beneficio hydropicorum in habitu corporis ſtagnantes aquas ad alvum deduci poſſe. Aloë utut ex mitioribus ſit, ani venas maxime irritat, atque per has ſanguinem ejicit. Scammonium & gummi guttæ vires maxime infringunt, & robur ventriculo ſubtrahunt. Semina cataputiæ perquam facile inflammationem ventriculo funeſtam inferunt. Reſina, quæ elicitur ex gialappa, convulſivæ colicæ & pareſis non infrequens eſt productrix.

§. XVIII.

Quemadmodum venenorum naturam maxime in eo poſitam eſſe, ut majori doſi hominem perimant, naturæ conſultorum judicium eſt; pari ratione cum acriora purgantia, præſertim ſub majori portione data, celeriter interficiant, non injuſte hæc ipſa venenorum catalogum ſubire judicandum erit.

Scholion.

Lethalium purgantium effectum jam olim ipſe *Hippocrates Libr. V. Epid. c.* 16. *T.* 2. annotavit his verbis: *Quidam homo Eubœus poto pharmaco deorſum purgante (elaterium dicitur in textu Græco) per tres dies purgabatur & mortuus eſt.* Dici vix poteſt, quam multa & triſtia, imo deploranda in praxi medica occurrant exempla eorum, qui ab improvide adſumtis pharmacis vel enecti vel minimum in peſſimum & vix eluctabilem valetudinis ſtatum conjecti fuerint, ſi modo quis paulo majori cum induſtria horum peſſimorum experimentorum inveſtigationi & obſervationi invigilare, aut curioſius, quæ ab agyrtis, ab imperitis chirurgis & aliis etiam plebeiis indies fere hac in re fiunt, colligere velit. Nam profecto ita eſt, quod impune multi à medicaſtris occidantur. Atque ideo non ſine ratione ejuſmodi draſtica à magni etiam nominis medicis Germanice *Mord-Mittel* vocata fuerunt. Impenſe profecto optandum foret, ut magiſtratus & phyſici civitatum omnibus, qui cum aliis medicamentis purgantia divendunt, ſeverius interdicerent, ne promiſcue omnibus, non ſecus ac cum venenis fit, ea petentibus darent venderentque. Apud nos hic loci ſunt in uſu pilulæ aloëticæ cum extracto ellebori & trochiſcis alhandal acuatæ, Germ. vocantur *Geſchärffte Haupt-Pillen*, quæ à vulgo etiam ad uſum commendantur, & promiſcue ex pharmacopoliis dantur; complures triſtes eoſque funeſtos non ſemel, ſed ſæpius ab hiſce pilulis, præſertim in debilioribus & ubi ventriculus maxime in inflammationem proclivis fuit, effectus non ſine dolore apud illuſtres etiam perſonas obſervavi. Inter peſſima vero, & à quibus maxime cavendum eſſe ſuadeo propter nocentem inflammatione interimentem efficaciam, album elleborum, colocynthidem & tilli grana ſive ſemina cataputiæ & quæ extant, referenda eſſe cenſeo.

§. XIX.

Cum acrioribus & draſticis purgantibus tam nocens & naturæ, ſive, ut rectius dicam, motibus, qui vitam conſervant, tam infenſa inſit poteſtas: ſapientiſſime & optimo conſilio ſaniores tum ex veteribus, tum ex recentioribus ad conſervandam integram valetudinem aut eam amiſſam reſtituendam eorum uſum, vel plane reformidarunt, vel ſumma cum cautione admiſerunt.

Scholion.

Ad confirmandum hoc ſalutare adſertum non dubitabo auctoritate antiquiſſimorum medicorum uti maximeque *Hippocratis*, qui in ſcriptis & aphoriſmis ſuis omnes in genere evacuationes repentinas rejicit, eaſque tantummodo laudat, quæ in corpore talia educunt, qualia ſponte exeuntia juvant. Idem quoque diſertis ver-

bis *Sect. II. aph.* 36. 37. pronuntiat: *Sana habentes corpora, dum medicamentis purgantur, cito exsolvuntur, itemque qui pravo cibo utuntur.* Et porro: *qui sani sunt, eos grave est, medicamentis purgar. Plato in Timæo* violentis medicamentis corpora nunquam temere esse movenda admonet. Neque ex methodicis præteriri debet *Cœlius Aurelianus*, qui in *Opere suo Cap. XXX. pag.* 128. de purgantibus, quæ Græce cathartica vocantur, ita statuit, quod nempe ob acrimoniam stomachum tumescentem efficiant, atque ejus membranas inflamment & periculosam ventris effusionem provocent. Et *Lib. I. Cap. I.* de cephalæa prodidit, quod purgativis medicamentis stomachus male adficiatur & omnis nervositas (qua genus nervorum universum subintelligit) inde lædatur. Referente *Celso Lib. I. Cap. III. pag.* 31. *Asclepiades* purgationes omnes ceu pernicioſas ex tota medicina expulit. Atque idem *Celsus* suam sententiam de purgantibus *Lib. II. Cap. XIII. pag.* 98. his verbis profert: *Quisquis daturus erit pharmacum, id agere ante debet, ut accepturi corpus humidius sit, & illud scire oportet, omne ejusmodi medicamentum non semper ægris prodesse & semper sanis nocere*; & alibi: *purgantia stomachum lædunt & nunquam in adversa valetudine, nisi ubi morbus sine febre est, dantur.* Hæc sententia antiquorum fuit de purgantibus, quam postea superioris & nostri quoque seculi peritiores medici suo calculo adprobarunt. *Fernelius Lib. III. Cap. V.* catharticis substantiam & vim venenatam disertis verbis adscribit & maxime colocynthidi atque scammonio, quia, uti ait, horum minima portio in putredinem veneno finitimam faceſſit. Et nemo prope gravius in purgantia invehitur ipso *Helmontio*, qui *in Tract. potestas medicaminum pag.* 383. eorum operationes latenti veneno, quo vitales succos fermentant ac putrefaciunt, adscribit. Neque in eo carpendus est *Bontekoë*, qui identidem purgantia propter virus occultum in totum fere ex foro medico ejicienda putat.

§. XX.

Propter latens venenum magna cum cautione & cura non in quibusvis, sed in longis ac difficilioribus morbis, inque valentibus & robustioribus corporibus, & maxime in tempore veteres usi fuerunt purgantibus potissimum elleboratis.

Scholion.

Mirum forsan videbitur, quo modo res infestissimæ usum & auxilium difficilioribus ægrotationibus præbere possint. Sed quod genuina & pura venena in usum etiam humanum ad graves pellendos morbos cedere possint, argumento poterunt esse arsenicum album, argentum vivum vario modo præparatum, antimonii vitrum, opium & hyoscyamus, quæ rite præparata & dextre etiam adhibita non sine emolumento exhibentur. Quare non mirandum est, *Hippocratem* etiam vehementioribus purgantibus, ut elleboro, elaterio, colocynthide, scammonio, ut ejus monumenta testantur, usum fuisse; non tamen promiscue & sine discrimine, sed ubi morbus sine febre, in principio & ubi penetranti eoque valido stimulo ex partibus solidis & vasis excretoriis nimium relaxatis & languidis subsistentes copiosi humores erant excutiendi, ut in melancholia, insania, morbo comitiali, quartana febre, hydrope. Deinceps ante horum usum aliquot dies præparabant corpus, abstinentiam à vino & cibo commendabant, fluida & mobilia per balnea, per fomenta & interna humectantia reddebant corpora. Et ut *Plinius* l. c. auctor est, elleborum album in lacte aut pulte dabant; vel secundum *Dioscoridem Lib. IV. Cap.* 145. cum ptisanæ succo aut lentis cremore & pauco antea cibo sumto, maxime omnium vero satis diu decoquebant elleborum in aqua, addito melle, qua ratione usurpatus, teste *Prospero Alpino de Medicina methodica Lib. III. pag.* 96. neque strangulationes, neque ullum aliud damnum unquam adfert. Hac occasione non alienum nobis videtur, qui circumspecte, nec temere cum ægrotantibus agere volunt, medicos serio admonere, ne unquam, si ejusmodi purgantibus vel emeticis vel mercurialibus vel antimoniali forte medicina opus est, sine omni præparatione & distinctione corporis hæc ipsa offerant, sed ut, si salutarem utique effectum ab iis expectare velint; eodem modo, ut veteres, si elleboro vel alio forti pharmaco usi fuerunt; præparent prius & disponant corpora. Quod nostris temporibus cum valentioribus chymicis ex minerali regno petitis remediis in vincendis contumacibus morbis præstamus, id olim veteres valenti pharmaco dextre adhibito præstiterunt.

§. XXI.

Peritiores ex antiquis & recentioribus medicis omni tempore sapienti consilio in morbis tam avertendis quam sanandis rarissime usi fuerunt fortioribus, sed id egerunt, ut potius lenioribus, tutioribus & ventriculo non inimicis excretionem intestinalem, si opus erat, promoverent.

Scholion.

Laudandi hoc nomine maxime sunt methodici, qui omnia vehementia repudiantes solis lenientibus, ut manna, cassia, aloë, rhabarbaro contenti alvum movebant, vel eam commodis infusis tantummodo ducebant, ut ex præclaris *Celsi* monumentis & *Prospero Alpino*, qui methodicorum dogmata fideliter tradidit, id dilucide apparet. Horum postea vestigia ex Italis maxime *Montanus*, & apud Germanos *Crato*, circumspectus admodum medicus, *Solenander*, *Caspar Hoffmannus* & *Simon Pauli* laudatissime sequuti sunt. Quorum quidem egregiæ pilularum compositiones hodienum in frequentissimo usu sunt. Quo pertinent etiam aloëphanginæ sic dictæ insignis usus, in Augustana Pharmacopœa descriptæ. Atque ad harum jam dictarum imitationem Becherianæ, quæ in concisa admodum dosi aloën recipiunt, aliaque temperatiora gummata & extracta admixta habent, concinnatæ magno cum emolumento nostris temporibus usurpantur. Nam ut evacuatio, quæ per alvum fit, præter liberam perspirationem valetudini tuendæ apprime favet; ita etiam, quæ sine destructione ventriculi ejusque toni salutariter id præstant remedia, magno utique in pretio habenda esse existimo.

§. XXII.

Nihil tam valide ventriculi atque intestinorum tonum lædit atque pervertit, & ob id excretionis alvinæ negotium turbat, ac forte purgans.

Scholion.

Salutaris illa fœcum alvinarum excretio, sine qua nemo diu valere potest; quam maxime à motu intestinorum naturali, qui Græcis peristalticus dicitur, neque minus à bilis & lymphæ glandularum intestinalium affluxu dependet. Ille ejus generis est, quo successive & reciproce intestinorum canales contrahuntur & expanduntur, ut ejus beneficio contenta in intestinis propellantur. Cui negotio bilis stimulus & lymphæ intestinalis lubricitas multum servit. Quandocunque igitur à vehementi per purgantia irritatione & stimulo nimis citis & crebris dejectionibus biliosi & lymphatici humores magna in abundantia eliciuntur; non mirum postea est, segniorem alvum sequi. Tonus vero intestinorum à purgante validiori læditur, quia id nunquam sine spasmo fortiori operationem suam in intestinorum tunicas nerveas, in quas primum & proxime salva & integra sua virtute agit, exercet. Notum vero ex natura legis microcosmicæ est, longiorem & validiorem partis spasmum tandem subsequi ejus atoniam, sive magnam ad motum imbecillitatem. Atque adeo turbata illa motuum alternorum, contractionis & expansionis,

in

in inteſtinorum canalibus nerveo-muſculoſis ſucceſſione non poteſt aliter fieri, quam ut excretio, quæ per alvum fit, non recte poſt purgantium uſum reſpondeat. Atque id ipſum jam olim ſuo tempore ipſe *Galenus* animadvertit, qui libro *de methodo medendi* hæc prodidit: *Non nulli in præſens gaudent, ſi copioſius dejecerint, verum quanto magis fuerint vacuati, tanto his venter ſequentibus diebus adſtringitur.* Neque de hac re ullo modo dubitandum, quia quotidiana confirmat experientia, crebriores à purgante ſeceſſus ſequi poſtea per alios dies alvi difficultatem.

§. XXIII.

A crebriori & perverſo purgantium uſu, ſi ventriculi & inteſtinorum naturalis tonus pervertitur, multa eaque gravia in hiſce partibus mala enaſcuntur.

Scholion.

Præcipua certe integri ſtatus corporis noſtri pars in motu ventriculi & inteſtinorum periſtaltico verſatur: hoc quippe ſalvo, bilioſi & lymphatici humores, qui alimentorum digeſtioni, extractioni & ſtimulo ad excretiones ſerviunt, recte influunt, atque inutiles ſordes ac fæculentiæ foras debite ejiciuntur. Quandocunque vero harum partium εὐτονία non recte ſeſe habet, & vel nimia has ipſas ſpaſtica conſtrictio aut relaxatio occupat, totum digeſtionis & excretionis negotium turbatur. Nam neque ſucci utiles ex reſolutis alimentis per glandulas & vaſa inteſtinalia recte ſecernuntur, neque excrementitii per alvum ſecedunt. Unde diutius ſtagnantes naturam ſuam mutant, corrumpuntur & corroſivi evadunt. Hinc ſpaſmi & flatus continuo urgent, & moleſtiſſimum demum ac longum illud, quod hypochondriaci nomine venit, malum, præſertim aliis ſimul rebus, quæ has partes nerveas offendunt, accedentibus progignitur. Et quoniam communi, ſed peſſimo more hiſce malis per purgantia medici ſuccurrere conantur: hinc fieri aliter non poteſt, quam ut ea increſcant, tantum abeſt, ut minuantur. Perpetuo enim inflationes ventriculi vel inteſtinorum cum alvo adſtricta, anxietate, nauſea, internorum phlogoſi, tenſione præcordiorum & capitis gravitate urgent, & non niſi flatibus vel ructibus exeuntibus quodammodo miteſcunt. Profecto in praxi mea, quam ultra 50. annos ſub divino favore exercui, innumeros præpoſtero & crebro purgantium uſu, præſertim infirmos, in diuturnas ægritudines, flatulentias, tympanitides, tumores, morbum cœliacum, ἀπεψίαν, convulſivas colicas conjectos obſervavi. Id etiam *Caſp. Hoffmannus in Inſtitut. lib. 9. c. 9.* confirmare videtur his verbis: *Loquor de experientia 30. annorum, quod homines apud nos fiant lectularii, ob intempeſtivas vel venæ ſectiones vel purgationes.* Atque in hac re eximium illud *Cratonis* monitum attendi meretur, qui, (*vid. Schulzii conſilia p. 1076.*) hanc de purgantibus ſententiam fovet: *Purgantia valida & vires dejiciunt, & ſæpe graves exulcerationes, tormina debilitateſque ſequuntur, & maligna qualitas ſtomacho imprimitur, ut poſtea plura excrementa colligantur, quam evacuatio ſuſtulerit. Quod ſi ob id rurſus & ſæpe ad purgandum redeundum eſt, cito vitam breviorem reddunt.* Neque præteriri hoc loco debet inſignis locus, qui apud *Cæl. AURELIANUM lib. V. paſſ. chron. cap. 31.* extat, dum ita ait: *Vitandam probamus frequentem potationem medicaminum, quæ ventriflua dicuntur. Etenim ſitis intenditur, & ſolidioris cibi faſtidium duplicatur & ejus fortitudo minuitur atque cibi accepti corrumpuntur.*

§. XXIV.

Quum tam infeſta ſint ventriculo & inteſtinis acria purgantia, adeo ut etiam alvinas evacuationes valde perturbent eaſque ſegnes efficiant; non mirum eſt, tenellos & lactentes infantes graviter ab illis aſſumtis lædi.

Scholion.

Quam ſalutare & congruum naturæ infantum alimentum lac eſt, tam pernicioſum illud fit, ſi in ventriculi & inteſtinorum plicis diutius ſtagnans in corroſivum coagulum abeat, & pejorem adhuc, acri & ſulphurea bile accedente, naturam induat. Hinc plurimorum, qui infantes exercent, morborum origo eſt. Tormina quippe ventris ſubinde convulſiva, febriles æſtus, inquietudines, aſthmata atque intumeſcentiæ abdominis flatulentæ, neque minus epilepſiæ lethales inde ſua trahunt incunabula. Quæ omnia non ſunt extimeſcenda, alvina excretione recte ſuccedente. Cum autem eam crebrius data purgantia mirifice lædant, tonum inteſtinorum plane deſtruendo; non mirum eſt, ſi ante bene valens & ſanus infans à temerario præſertim evacuantium uſu, ſi v. g. mercurialia & alia ex gialappa acria frequenter offeruntur, in ſummas miſerias & epilepticas tandem convulſiones, quibus maxime hæc ætas ob imbecillitatem nervorum patet, conjiciantur; cujus rei triſtiſſimos caſus cum dolore vidimus.

§. XXV.

Acriora purgantia, præſertim ſub majori doſi, ſæpius lædunt & arrodunt teneras & valde ſenſibiles inteſtinorum tunicas, ut hypercatharſes, dyſenteriæ & longi ventris fluxus cum torminibus ſequantur.

Scholion.

Evenit id maxime omnium in corporibus impuris & tempore autumni, ubi ex varietate cœli, ob tranſpirationem prohibitam, multæ impuræ, ſalſo-ſulphureæ ſordes in venis colliguntur, & ſtimulo in inteſtinis validiori præcedente, affatim ad vaſa meſeraica atque ad inteſtinorum glandulas, neque minus ad hepatis viſcus feruntur. Hiſce autem viis valde laxatis & dilatatis humores & bilioſi & ſalſi, per habitum alias corporis evacuari ſoliti, ingenti copia ibi ſeparantur. Ex quo fit, ut inteſtinorum corroſione hæc mala producantur.

§. XXVI.

Neque vero unquam gravior noxa à purgantibus metuenda eſt, quam ubi ventriculi inflammatio imminet.

Scholion.

Imminet ventriculi inflammatio in omni febri acuta, præſertim circa ſtatum, ubi etiam ſuperveniens certiſſime mortifera eſt. Ad eandem quoque inclinat poſt gravem animi excandeſcentiam, item ſi frigidiſſima potio corpori ſudore diffluenti ingeſta fuit; aut, ſi retroceſſio variolarum, morbillorum, atthritidis, eryſipelatis, purpuræ, & aliorum ſymptomatum ex habitu corporis fuit. Quibus exiſtentibus caſibus, validum, non adeo magna doſi datum, purgans cito perimit, ventriculo & inteſtinis poſt mortem inflammatis vel ſphacelo tactis inventis. Siquidem inflammatio, quæ eſt firmior ſanguinis in vaſis ſtaſis & quies, non facile, niſi vehementi ſpaſtica membranarum, per quas feruntur vaſa, ſtrictura gignitur. Nam per venas compreſſas ſanguis redire neſcius firmiter ſubſiſtit, & niſi fiat mature diſcuſſio, in putredinem terminatur. Nunquam vero putredo gravius minatur periculum, ac ſi conſiſtit in partibus nerveis, cujus generis ſunt ventriculus cum inteſtinis & membranæ cerebri, eo quod putrida illa corruptio fluidum mox nerveum inquinat, & citiſſime per omne membranarum & nervorum genus propagatur. Unde uti ſpaſmus, ita etiam putredo, tantummodo in parte quadam ventriculi exiſtat, mox in univerſi corporis partes nerveas derivatur atque tyrannidem ſuam exercet. Quamobrem non mirandum eſt, ſi ab exigua veneni vel purgantis acrioris doſi, brevi admodum interjecta mora, mors ſequatur, levi tantum ſphacelatione in ventriculo aut inteſtinis reperta. Ex

quo apparet, quam caute agendum ſit Medicis ejuſmodi in caſibus cum purgantibus, & quam facile mortem, citra omnem opinionem, inferre queant.

§. XXVII.

Spaſmus ex purgante non modo inteſtinis inhæret, ſed & altius in reliquas nervoſo-muſculoſas partes corporis penetrat; ex quo fit, ut ab ejus uſu pulſus celerior & elevatior evadat, cutis ſumma cum ſtrictura quadam paullulum inareſcat, facies detumeſcat, parcius urina emittatur, ſæpiuſque pareſis vel convulſio ſequatur.

Scholion.

Febris naturam in ſpaſtica quadam eaque univerſali ſyſtematis vaſculoſi & membranoſi ſtrictura poſitam eſſe, ſupra jam tetigimus & infra latius deducemus. Quare non mirum eſt, ad ventris dolores, tormina & ſpaſmos ſubinde mutationem in pulſu, ut ad celeritatem inclinet, item cutis inhorreſcentiam, ſudoriſque ſuppreſſionem fieri. Et ob hanc cauſam accidit, ut exanthemata, & maxime purpura ad omnem alvi irritationem, præſertim torminoſam, facile retrocedat, idque non ſine periculo. Siquidem per ſtricturam meatuum cuticularium reſidens ibi prava materia introvergit, inque ventriculi vel inteſtinorum membranas tranſmittitur. Ex quo conficitur, quam periculoſum ſit in omni febri, præſertim exanthematica, & ubi materia peccans per cutis habitum eliminanda eſt, alvum fortiter ſtimulare. Id quod etiam jam ſuo tempore antiqui Medici, præſertim *Hippocrates Lib. de purgantibus*; item *Celſus* probe annotarunt; qui nec unquam in febre tuta eſſe purgantia, memoriæ prodiderunt. Ille enim *lib.* de *purgantib.* §. 4. inquit: *Purgans dare non oportet, donec febris remiſerit. Nihil purgandum, nam febris major fit & calor revertitur*, & §. 5. *purgans forte à febri forti correptis non eſt dandum. Verum ſi alicubi opus fuerit, infuſum per clyſterem exhibere potes, quotieſcunque volueris.* Dénique quia purgantia ob ſpaſmum, quem derivant in tunicas arteriarum, ſyſtolen harum celeriorem reddunt; clarum fit, cur intermittentium paroxyſmi cortice Peruviano ſuppreſſi, ſubinde fortiori purgante revocentur.

§. XXVIII.

Ubi dolores ſunt, & ſanguinis profuſiones metuendæ, ibi purgantia magnas calamitates afferunt.

Scholion.

Hujus quidem aſſertionis ratio inventu non adeo difficilis eſt. Nam nusquam febris dolor ſine affecto genere nervoſo eſt, nuſquam hæmorrhagia ſine ſpaſmo partium muſculoſarum & ſine ingenti pulſus mutatione fit; ideo nihil pejus eſt, quam ſpaſmos per purgantia, quæ tormina cient, augere. In omnibus quidem à ſpaſmo morbis perpetuo utile eſt, alvum apertam ſervare, vel eam blande ſubducere, minime vero omnium per purgantia, ſed potius per emollientes clyſteres & clementia laxativa id efficiendum eſt.

§. XXIX.

Plethoricis & more athletarum repletis, item impuris corporibus omni tempore à validiori cathartico ingens periculum imminet.

Scholion.

Nullum corpus tam ſubitis afflictionibus obnoxium eſt, præter illud, in quo ſanguinis & ſeri, præſertim impuri, copia redundat. Equidem quamdiu humorum etiam peccantium libera & æqualis per vaſa ptogreſſio eſt, tamdiu non facile quis morbo afficitur. Simul ac vero hæc ipſa, quod maxime fit per ſpaſmos, turbatur, protinus gravia imminent mala. Intercepto enim ſanguinis per ſtricturas libero motu, impetus & copia ejus ad alia loca transfertur, ubi nimium congeſtus & ſtagnans difficilia minatur mala, quæ eo certius ſequuntur, quo majori pars jam tum imbecillitate quadam laborat. Ab ejuſmodi congeſtionibus in gravidis facile fiunt abortus, in ſenibus lethargi, apoplexiæ, peripneumoniæ, viſcerum infarctus & ex hiſce hæmorrhoides cæcæ vel nimiæ, febres lentæ, maraſmi, abdominis tumores. Igitur in plethorico & cacochymico corpore ab omni valida medicina, & maxime ab emetica & purgativa, maximopere cavendum eſſe, perpetua regula practica eſt. Nunquam enim utile, corruptos humores fortiter commovere, ſed blande eos ducere oportet. Multum hac in re mihi placuit conſtans *Eugaleni*, optimi ſcriptoris, de ſcorbuto obſervatio, qua affirmat, ſemper ſcorbuticos purgantibus peſſime ſe habuiſſe.

§. XXX.

Omnia draſtica purgantia vires valde infringere, res haud dubiæ experientiæ eſt; ideoque ubi vires jam fractæ & corpora debilia in morbis ſunt, plurimum periculi habent.

Scholion.

Quare à purgantibus adeo debilitentur homines, ſi ratio inveſtiganda erit, certe non copia dejectionum ſola accuſari poterit, utpote ab aquis mineralibus, v. g. thermis Carolinis, ab infuſo mannæ copioſius dato ſæpe viginti & ultra ſedes, citra ullum virium vel appetitus decrementum, moventur; ſed potius præter ſpaſticas illas & convulſivas ſtricturas, quibus genus nervoſum affligitur, etiam ipſa ſubſtantia purgantis, tanquam naturæ valde infenſa & virium deſtructrix culpanda venit. Eſt enim in omni fere purgante nauſeabundus quidam ſapor & odor, de peregrini ſulphuris & ſalis volatilis miſcela teſtimonium edens: atque adeo nihil dubii eſt, quin ex purgantibus vapor adverſus volatilis, dum nervoſis partibus ſeſe celeriter inſinuat, fluidum puriſſimum, quod ſolidis robur & vires fœnerat, validiſſime contaminet, ejus craſin & motum deſtruendo, unde virium fit dejectio. Ex quo clarius deteſtabilis purgantium in malignis, in ſenibus & omnibus infirmis, cacochymicis, infantibus quoque & à morbo præcedente, vel à gravi aliquo animi affectu fractis abuſus apparet.

CAPUT VI.

De virulenta mercurialium noxa ceu gravium malorum cauſa.

§. I.

IN eorum claſſem, quæ magna facultate nocendi, abuſu accedente, inſtructa ſunt, ex mineralium regno maxime, quæ ex argento vivo prodeunt, recenſenda eſſe exiſtimo.

Scholion.

Peritiores non ſine ratione mercurialia in heroicorum remediorum numerum retulerunt, eo quod ejus indolis ac virtutis ſint, ut eorum providus uſus valde prodeſſe, abuſus vero validiſſime obeſſe poſſit, ideoque in manu imperiti tanquam gladius in manu furioſi ſint.

§. II.

Medicamenta mercurialia ſunt remedia, validiora arte ex argento vivo additione ſalium parata, quæ maxime glandulas afficiunt vehementique harum ſtrictura lymphæ motum promovent, corroſiva vero reddita propter ſpaſmos, quos in partibus nervoſis excitant, violentos veneni vim & naturam induunt.

§. III.

§. III.

Argentum vivum nullam in corpus humanum exerit operationem, nisi prius fuerit solutum & fluidum redditum.

Scholion.

Argentum vivum ingenti copia cum jusculis oleosis haustum, non raro in desperato affectu iliaco divinam, testantibus observationibus, præbuit opem, dum solo pondere convoluta inter se intestina, vel fæcibus induratis obsessa expedit, idque sine ulla noxa. Nam quia pondere celeriter intestina transit, nec diu ibi moram nectit, sed citius alvo effluit, innoxium est. Deinde mercurius currens difficulter admodum à salino quodam, nisi is valde corrosivus sit, liquore dissolvitur, qualis primis in viis rarius continetur. Quod vero metallica operationis in corpore humano expertia sint, nisi fuerint soluta, ratio videtur non longinquius quærenda. Præcipua siquidem in corpore nostro mutatio à motu partium solidarum in fluidas proficiscitur. Si quid igitur solidorum motum augere vel imminuere aut alia ratione mutare debet, necesse est, ut immediato contactu ea afficiat. Id vero fieri nequit, nisi in eorum poros altius sese insinuet. Quemadmodum vero id fieri possit sine summa subtilitate & exiguitate partium & sine vehiculo fluidi, ego quidem non capio. Cum vero solutio corporis nihil aliud sit, quam ejus in minimas partes per liquidum quoddam redactio, facile apparet, corpora firmioris compagis, ut sunt metalla, non aliter, nisi in minimas partes redacta & soluta fuerint, mutationem in corporibus animantium efficere posse.

§. IV.

Omnis generis salia in argentum vivum agunt, idque tandem solvunt.

Scholion.

Menstruis corrosivis, ut sunt spiritus salis concentratus, spiritus nitri, aqua fortis, promtissime solvi mercurium, vel chymicorum vulgo est compertum. Lixiviosa vero & solutum sal ammoniacum, item sal commune, aliaque cum mercurio cocta eum ex parte dissolvere, forsan non adeo notum est. Quin etiam sola aqua communis propter subtilissimum illud universale, in poris ejus residens sal tandem, coctione diutius instituta, ex argento vivo partes abradit, unde hoc decoctum ad luis venereæ virus, item ad verminosam progeniem expellendam, in praxi non ignotum est.

§. V.

Promptius adhuc solutio mercurii cum salibus perficitur, si is in pulverem prius attenuatus fuerit.

Scholion.

Currentem mercurium propter politam & globosam figuram paulo difficulter menstrua aggrediuntur, facilius vero id fit, si chymicis artificiis in pulverem, ut multas superficies adquirat, redactus fuerit. Quare si mercurius dulcis vel præcipitatus albus aut ruber, aut minerale turpethum, cum sale ammoniaco vel sale tartari mixtum ex aqua coquitur, protinus solutio valde corrosiva, fauces constringens, coloris grisei evadit, quod tam subito non fit, si experimentum cum mercurio currente tentetur.

§. VI.

Mercurius salium additione solutus virulentam & corrosivam naturam plene atque exacte induit, adeo, ut, quo magis fuerit à salibus solutus & concentratus, eo potentius venenum fiat.

Scholion.

Manifestum exemplum præbet mercurius ille vulgaris sublimatus, venenum valde infame, qui ad grana decem intus sumtus interimendi facultate pollet. Et quamvis non adeo plura in medicorum monumentis veneno hoc interfectorum prostent exempla, cum veneficio patrando propter corrosivum saporem plane inidoneum sit; Eo tamen major numerus observationum colligi potest, ubi remedia mercurialia non rite parata vel administrata gravissima & venenis similia symptomata intulerunt, siquidem à mercurio dulci non legitime parato, sed adhuc corrosivo sæpius truculenta symptomata orta legimus. Placet vero hic insinuare symptomata, quæ à mercurii vere corrosivi sublimati granis duodecim infanti annorum vix duorum exhibitis funesta fuerunt, historiam describente *Cl. Wedelio in Diss. de mercurio dulci pag.* 22. assumto pharmaco mox sudor anxius exsurgebat, hinc vomitus pituitosus, mox repetitus cum mero sanguine, hinc strepitus pectoris, raucedo, insequente morte eodem die hor. V. à meridie, frustra non uno medicamento porrecto. Aperto & lustrato cadavere, deprehensi fuere ungues digitorum & manus ipsæ fuscæ, totum abdomen tumefactum, colore ex viridi cœruleo, os plenum vesiculis & pustulis albis, cavitas ventris distenta intestinis inflatis, effluente mox ab apertione aqua insigniter flava, quæ eodem colore & professoris manus & orificium interius ventriculi & intestina, maxime colon, impense tinxit; sinistro latere ventriculus à superiori corrosus, non nisi exigua adhuc membrana quasi vesiculari perstante. Atque etiam plura nobis sunt nota exempla, ab Azoth Heslingii, ab arcano corallino, turpetho minerali, in majori dosi oblatis, & non bene edulcoraris atrocissima tormina cum vomitu, alvi dejectione, præcordiorum anxietate, & spasmo internarum partium producta.

§. VII.

Mercurialia veri caustici & constringentis veneni vim & naturam æmulari, ex aliis communibus veneni notis judicandum est.

Scholion.

Primo enim mole non admodum magna celerrime operationes suas exequuntur vel etiam necant. Deinde acrimonia penetranti non modo in ventriculum & intestina, sed & in omnes corporis membranas nerveas grassantur & vehementissimis spasmis sæva symptomata, quæ à venenis proficisci solent, inque primis viis inflammationem sphacelosam lethalem inferunt. Tum corrosiva mercurialium acrimonia in salivationis actu ex faucium ulcusculis, ex doloribus & exulcerationibus, quas excitat vel jam præsentes exasperat, commode evinci potest.

§. VIII.

Argentum vivum non secus ac aliud venenum ob penetrantem suam vim intima corporis subit, & non modo nervosas partes petit, sed propria & quasi peculiari ratione glandulas faucium afficit & salivalem laticem copiose ex iis elicit.

Scholion.

Illud maxime proprium & quasi peculiare habet mercuriale venenum, quod præcipue fauces cum larynge, linguam & dentes afficiat, utut externe tantum nervosis pedum plantis vel articulis cum unguento fuerit illitum; inde fit, ut lingua cum amygdalis intumescat, fauces aphthis obsideantur, continuum salivæ, cum fœtore interdum, fiat stillicidum, gingivæ flaccescant, dentibus mobilibus & nigricantibus redditis. Vidimus quoque unguentum mercuriale, ex impura venere ortis bubonibus inunctum, brevi tempore salivationem concitasse, quod & à solo pulvere mercuriali exulceratæ parti insperso evenit. Sæpius expertus sum, inquit *Hildanus, Cent.* 3. *Obs.* 92. à mercurio vivo vel ejus

pulvere ulceribus in corporibus tenellis inſperſo, protinus eos de dolore dentium & gingivarum inflammatione conqueſtos fuiſſe. Atque etiam *Joh. Langius Lib.* 1. *ep.* 47. refert, ſe crebrius expertum eſſe, cum ſordidis in genis ac juxta alas ulceribus mercurii præcipitati pulverem paulo frequentius inſpergeret, illius virus cæteris membris illæſis ad dentes penetraſſe, & os ac pharyngem diurno nocturnoque ſalivæ effluxu maduiſſe.

§. IX.

Sicut ex venenis cauſtica & ex evacuantibus acriora & draſtica membranarum nervearum vehementiori conſtrictione & ſpaſmo ſuas perficiunt operationes & moleſtiſſima ſubinde ſymptomata excitant : ita etiam eodem modo mercurialia in corpus noſtrum vim ſuam exerere, plura argumento eſſe poſſunt.

Scholion.

Ingens illud ſalivæ profluvium, quod mercurialia, intus data vel extrinſecus inuncta, peculiari ac propemodum propria quadam ratione movent, non aliunde derivari videtur, quam quod mercurius, ſalibus præſertim armatus, maxime glandulas, quæ ex pluribus membranis nerveis & vaſis invicem convolutis contextæ ſunt, aggrediatur & fortiori fibrarum nervearum ſtrictura modo lymphæ per univerſum lymphaticorum vaſorum ſyſtema motum augeat, modo ex glandulis potiſſimum conglomeratis, cujus generis ſunt ſalivales, fortiori compreſſione facta in copia ſalivalem laticem eliciat. Cui excretioni ſanguinis per venas glandularum compreſſas regreſſus impeditior multum velificatur. Præterea medicina mercurialis glandulas quoque ventriculi & inteſtinales, imo pancreaticas maxime omnium laceſſere videtur, dum à paulo acriori & cauſtico ſumto mercuriali remedio ſubinde per vomitum & dejectiones alvinas non ſine anxietate ac torminibus ventris ingens pituitæ viſcidæ copia elicitur, & non raro ad aliquot dies alvus fluida cum ſtimulo & irritatione quadam interna permanet. Si vero copioſius ac diutius ſaliva fluit, venter adſtringitur, urina pauca ac tenuis profluit, & partes extremæ refrigeſcunt, manifeſto documento, quod conſtrictis aliis emunctoriis ipſaque cute, excrementitiæ ſordes undiquaque ad glandulas faucium & palati cum impetu confluant, quarum vaſa nimium diſtenta & à ſalibus quoque excrementitiis eroſa non modo ingentem ſalivæ ac pituitæ viſcidæ, corruptæ ac fœtidæ effluxum cauſantur, ſed & tumores, exulcerationes, dentium vacillationes, putredines pariunt. Quibus moleſtis ſymptomatibus non meliori ratione occurritur, ac ſi humorum impetum à faucibus ad excretoria relaxata & aperta derivemus, & per temperata conſtringentia & balſamica uberiorem in faucibus affluxum præpediamus.

§. X.

Truculenta & lethalia ſymptomata à veneno mercuriali excitata partim vehementiori humorum motui ad caput, partim etiam inflammationi & vehementi ſpaſmo primarum viarum in acceptis ferenda eſſe videntur.

Scholion.

Prioris effectus exemplum poterit eſſe & epilepſia & apoplexia, quæ interdum mercurialium uſum triſtiſſimo eventu ſubſequitur. Vidimus à granis ſex mercurii dulcis, binis vicibus in corpore repleto ſumtis, poſtquam ab ejus uſu intenſo frigori æger ſe expoſuit, ſubito apoplexiam lethalem obortam. Vidimus ab aqua mercurii ſublimati largiori doſi data ſummas diaphragmatis cum anxietate conſtrictiones, inquietudinem, corporis jactationem, delirium & convulſiones & poſtero die mortem ſecutam, ventriculo in diſſectione cadaveris inflammato reperto. Quæ mala utique à vehementi generis nervoſi ſtrictura potiſſimum derivanda videntur.

§. XI.

Quum argentum vivum in ſe innocens & nullius fere operationis, & pro additione demum ſalium vim ſuam & virulentiam acquirat, atque multa diverſi generis ſalia in corpore humano reperiantur : non mirandum eſt, à mercurialibus vel extra per unguentum applicatis, vel intus in pulvere inſipido datis vehementem effectum obſervari.

Scholion.

Corporis humani naturam prorſus ſalium genitricem eſſe, ſudor, urina & alvina excrementa, ſalis admodum fœcunda, eorum, qui continenter inſipidis plane alimentis utuntur, ſatis abundeque demonſtrant. Neque vero unius ejuſdemque ſalia illa microcoſmica, ſed omnino diſſidentis ſunt indolis, idque maxime pro conditione locorum, quibus inſident. Ventriculus maxime omnium acidos & ponticos humores fovet & continet, qui in ſtatu præter naturam, ut in hypochondriacis, quartanariis & qui alvi ſunt durioris, item in ſenibus & otio deditis manifeſtius ſe produnt. Inteſtina ſecundum naturam magis alunt humores, qui ad alcalinam indolem vergunt, præſertim, ſi copioſa bilis, alcalinæ & ſulphureæ naturæ, influat, & acidi in ventriculo minor adſit quantitas. Serum vero ſanguinis in vaſis contentum manifeſtam ad ſenſum quoque acrimoniam ſalinam medii generis & ſali ammoniaco æmulam habet. Igitur mercuriale remedium ubivis invenit ſalia, quibus ſi aſſocietur, non caret effectu & operatione. Quoniam vero in quibuſdam morbis ob deficientes excretiones & copia & acrimonia ſalium augetur, ut in arthritide, ſcorbuto, podagra, ſcabie, & quibuſdam intermittentibus febribus : non mirum eſt, mercurium corroſivum inde redditum admodum fieri pernicioſum.

§. XII.

Igitur mercurialia neque interne neque externe conveniunt, ubi ſuccorum magna eſt impuritas & dyſcraſia ſalino ſulphurea, ut in ſcorbuto, arthritide, & qui à ſalibus naſcuntur, morbis.

Scholion.

Notiſſimum in praxi medica eſt, quod mercurialia dextre adhibita præſtantiſſimam ſæpe opem ferant, interdum vero peſſima & moleſtiſſima producant ſymptomata. Hujus diverſæ operationis ratio, ſi medicamenti præparatio alias commoda fuerit, & nullus in ægrotante error acceſſerit, in diſpoſitione corporis humani ejuſque humoribus unice quærenda videtur. Et quoniam hæc rarius à medicis minus attenditur, utique fit, ut hæc medicamenta ſæpius infida & inſecura ſint. Ego ſæpius ab aliquot granis mercurii dulcis, in quartana vel etiam tertiana exhibitis, gravem & vix coërcibilem ſalivationem obſervavi, id quod etiam confirmat *Harderus Obſ.* 43. *p.* 192. qui granis quindecim mercurii dulcis in ſexagenario quartana laborante ptyaliſmum excitavit. Aliis vero quartana laborantibus pulverem meum antiquartanarium, qui deſcribitur *in Diſſ. de felici quartanæ curatione*, feliciſſimo cum ſucceſſu dedi, ea tamen cautione, ut ante ejus uſum acidæ & corroſivæ, biliоſæ & viſcidæ ſordes convenienti medicina correcta & expurgata fuerint. Quare non mirum videtur, ſi aliis, idem remedii genus tentantibus, quando hæc non obſervant, non exoptatus ſucceſſus obveniat. Quam noxia à mercurio ſuſcitata ſalivatio hypochondriaco fuerit, id ſatis *ex Dec.* 1. *ann.* 1. *obſ.* 80. *Miſc. Nat. Cur.* edocemur. Mercurialem inunctionem arthriticis corporibus valde noxiam fuiſſe, autor eſt *Hildanus Cent.* 4. *obſ.* 81. Scorbutici & cacochymici ab aliquot mercurii dulcis granis aliquot mox ſedes experiuntur, quod non fit in ſanis corporibus. A turpetho minerali tormina & anxie-

tates

tates *Hellwichius in Miſc. Cur. Dec.* 3. *ann.* 8. *obſ.* 7. ſpectavit. Idem turpethum minerale ad granum unum quotidie in pilulis cum extractis virgini cachecticæ ex menſium ſuppreſſione quidam ex noſtris Practicis dedit, idque per tres ſeptimanas continuavit, quæ inde in intolerabiles artuum dolores & mali moris exulcerationes, in pedum malleolis orientes, in contracturam brachii, & atrophiam incidit. Quæ mala quum à mercurialibus ſumtis indies creſcerent, quidam medici morbum à lue venerea ortum eſſe exiſtimarunt. Tandem vero his omnibus remotis decocta ex ſolis emollientibus parata, item balnea & diaphoretica medicamenta depellebant hæc mala, & integræ ſanitati ægram reſtituebant. Leginus præterea in obſervationibus, quod à ſolo mercurio dulci bene præparato & gravia ſymptomata & mors ſequuta fuerint, quem funeſtum effectum non tam ſoli mercurio, quam potius pravæ humorum in primis viis diſpoſitioni adſcribendum eſſe arbitramur. Legitur notabilis hiſtoria de mercurio dulci pulveriſato, anno 1702. Quedlinburgi typis mandata, ubi adoleſcens quindecim annorum ſanus ſumſit quindecim grana mercurii dulcis bene præparati pro una doſi; ſequutus fuit vomitus, anxietas, tremor manuum ac pedum, inquietudo, corporis jactatio, contractura manuum & ſexto die mors. *Miſcellanea Nat. Cur.* referunt, quendam errore inductum ſumſiſſe unciam ſemis mercurii dulcis bene præparati, qui intra viginti quatuor horas extinctus eſt. Retulit etiam nobis celebris Practicus, D. D. NABOTH, Lipſ. fœminam ſcorbuticam ab aſſumto mercurio præcipitato, quem empiricus aliquot diebus ad ſex grana cum pauco potu obtulit, horrendis ſpaſmis fuiſſe affectam & mortuam. Sectione facta plures maculæ rubræ in fundo ventriculi, duodeno & jejuno repertæ fuerunt; ventriculus tumefactus, portio vero jejuni arctiſſime conſtricta fuit.

§. XIII.

Quemadmodum vero nunquam, ſi prima regio ſordibus & cruditatibus acido-bilioſis & viſcidis conferta eſt, medicamenta ex mercurio parata exhibere oportet: ita multo magis id tenendum eſt in infantibus teneræ ætatis, & ubi ventriculus atque inteſtina ex lacte corrupto humoribus corroſivis ac viridi colore tinctis infarcta ſunt.

Scholion.

Ex duplici cauſa infantibus tenellis & lactentibus infenſiſſima ſunt hæc remediorum genera. Primo, quia mercurius, præſertim in pulvere, ob gravitatem ſuam inteſtinorum plicis & valvulis firmius inhæreſcens, à corroſivis ibi contentis humoribus virulentam facile naturam induit. Eximium profecto eſt monitum, quod Clariſſimus Profeſſor Erfurtenſis VESTI *in Diſſert. de uſu & abuſu medicamentorum mercurialium* propoſuit, dum ait: *per accidens fit, ut mercurius dulcis in venenum abeat, ſi ſcilicet ab imperitis datur, non conſiderato prius, an cruditates acidæ adſint, his enim accedentibus mercurius dulcis fit corroſivus & interiores corporis partes, ut oſſa, nervos &c. corrodit; quandoque etiam gangrænam & ſphacelum in inteſtinis cauſatur, quo tandem ægrotans morbo ſuccumbat.* Deinde mercurialia, ut omnia vehementia, infeſta admodum ſunt huic ætati propter teneritudinem & imbecillitatem generis nervoſi, quod ad ſpaſmos & convulſiones ſubeundas valde proclive eſt. Quare *Williſius de anima brutorum Cap. IX. de paralyſi* hortatur, ut omnes, qui cerebro debili laborant, aut motibus convulſivis obnoxii ſunt, mercurialibus abſtineant: & *Glauberus Part. II. Furni philoſophici XXXVIII. pag.* 82. valde diſſuadet infantibus mercurium dulcem paulo majori doſi dandum, quia debilitatem & membrorum infirmitatem adferat. Et *Cl. Dolæus in Encyclopædia Cap.* 15. *de lue venerea* à mercurio dulci convulſiones & epileptica ſymptomata in Principe Naſſovico obſervavit; it. *Cl. Wedelius in Diſſert. de mercurio dulci* identidem hoc medicamentum infantili ætati ob teneritudinem inimicum judicat. Longe vero magis inunctio mercurialis teneris infantibus adverſa eſt. Qua de re legi meretur *Miſcell. Curioſ. Dec. II. A. IV. Obſ.* 16. ubi gemelli dimidium annum nati, unguento mercuriali inuncti, eodem die convulſionibus epilepticis prius correpti miſere perierunt.

§. XIV.

Longe vero major noxa ab inunctione mercuriali in corpore impuro, & non bene prius præparato, quam ab intro ſumto mercuriali remedio extimeſcenda eſt.

Scholion.

Innumera certe proſtant in medicorum monumentis memoriæ conſignata exempla, ubi peſſime inunctio mercurialis vel ejus ſuffumigatio ceſſit & ſubinde lethifera fuit, ſed pauca ſaltem huc adduxiſſe ſuffecerit. *Dolæus Epiſt. III. ad Waldſchmidium* hiſtoriam narrat de ulceribus faucium lethalibus, ab unguento mercuriali inductis, quod etiam confirmare videtur *Lanzonius in Miſcell. Curioſ. Dec. III. A.* 11. *Obſ.* 38. Quin etiam ex improvida inunctione mercurii mortem ſecutam eſſe, *Hildanus Cent. III. Obſ.* 92. teſtatur. Ita quoque *Montanus Conſil.* 62. ab eadem epilepſiam & mortem ſecutam notavit. Et ſcitu dignam hic referre licet hiſtoriam, quam ante aliquot annos Berolini notavi, cum peſtis in vicinia graſſaretur. Civis hujus urbis primarius amuletum, quod argentum vivum capiebat, præſervationis cauſa cordis ſcrobiculo impoſuit, quod pedetentim ex poris corii, cui incluſum erat, proſiliens cutis meatibus ſe inſinuavit, ita, ut juxta inguina currens mercurius digitis exprimi potuerit. Perquam diu hunc virum inappetentia, virium languor, motus impotentia cum tremore artuum & facie decolorata tenebat, donec tandem præſtantiſſimis remediis ad ſanitatem fuerit perductus. Studioſus quoque hic loci tenerioris conſtitutionis ante annum mercurium ex fracto barometro manibus excepit eumque diutius in earum volis facta attritione verſavit, idque aliquoties repetiit; poſtero die præter omnium opinionem lipothymiæ, quas artuum tractiones ſequebantur, urgebant, diuque adhæſit artuum imbecillitas facieſque plane livida ac pallida. *Cl. Ramazzini de morbis artificum Cap. II. pag.* 27. refert: juvenem inauratorem, poſtquam per duos menſes decubuiſſet, tandem mortuum eſſe, qui à fumo mercurii cachecticum habitum primo contraxit, poſtea facies illi facta eſt livida & cadaveroſa, oculi turgidi, gravis anhelitus, mentis ſtupor, totius corporis torpor, cui graveolentia ulcera in ore ſuborta ſunt, è quibus ſanies teterrimæ magna in copia continuo ſtillabant. Mercurium vero foris illitum majorem noxam creare, ac ſi intro ſumtus fuerit, hæc videtur ratio, quod primis in viis ejus vis ſæpius multum ab occurrentibus humoribus infringatur aut etiam per vomitum aut feceſſum citius eliminetur; ſecus accidit, quando ſalva ſua textura ſeſe inſinuat poris cutis, cui ſalinis ſordibus immixtus diutius inhærens, facilius vim ſuam deleteriam cum reliquis nervoſis corporis partibus communicat.

§. XV.

Cum tanta ſymptomatum fævitia minus caute adhibitorum mercurialium uſum excipiat, omni utique cura & opera eo enitendum eſt, ut & individui & morbi & regiminis in uſurpando hoc auxilii genere ratio habeatur.

Scholion.

Primo nunquam corporibus infirmis, ſanguine vel ſuccis impuris abundantibus, ſenibus, infantibus, & qui à præcedente morbo, gravi animi motu, vel immodica excre-

excretione vires amiserunt, mercurialia adhibere oportet. Deinde scorbutici, hypochondriaci, arthritici, cachectici maximopere sibi ab horum usu caveant, & ubi genus nervosum spasmis valde lacessitur. Tum si salivatio mercurialis movenda est, tenendæ sunt hæ observationes. Si plethora est, missione sanguinis solvenda, si cruditas in primis viis, corrigentibus & commodis evacuantibus ea est removenda; deinde balneis & decoctis temperatioribus lignorum humores fluxiles reddendi sunt & corpus humectandum. Quod ad rationem victus attinet, omnia, quæ salsæ & acidæ naturæ, sunt removenda, vinum vero ex toto circumcidendum. Tandem omne frigus arcere & conclave temperate & æqualiter calidum habere oportet, quo perspiratio libera maneat. Postremo etiam videndum, ne mercurialibus medicamentis salia adsocientur, præsertim quæ ad alcalinam vel salis ammoniaci naturam accedunt, siquidem si hæc ipsa invicem in mortario probe triturentur, vel quod pejus est, invicem coquantur, certissime mercuriale alias insons deleteriam induat naturam necesse est. Hac de re etiam eximium *Cl. Wedelii in Dissert. de mercurio dulci* in fine extat monitum, quod cum salibus neutris mercurius dulcis non temere, sit maritandus, ne turbas majores in corpore excitet & spicula nova redinduat.

CAPUT VII.

De venenis soporiferis.

§. I.

Soporifera græce dicuntur hypnotica, item anodyna, si valentioris sunt indolis, narcotica seu stupefactiva vocantur, & sunt ea remediorum genera, quæ subtili, tetra & naturæ inimica exhalatione & motum & sensum solidarum partium modo minuunt, modo plane sistunt.

Scholion.

In horum numero maxime eminent, quæ ex papaveris tota planta in usum medicum recipi solent, præcipue opium, quod à veteribus papaveris lacryma vel meconium, quod papaveris extractum coctione factum est, vocatur. Ad stupefactiva vero, quæ valentioris sunt virtutis, omnia ex mandragora, hyoscyamo, solano, stramonio, datura, pertinent.

§. II.

Stupefactiva & soporifera venenis non sine ratione annumerantur.

Scholion.

Celeriter enim & exigua mole nocent, paullo vero majori dosi necant. Deinde operationes suas præcipue in nobilissimas corporis nostri partes, quibus sensus & motus inest, exserunt. Tum agunt elemento naturæ plane infenso, tetro nempe sulphureo vapore, quo fibrarum motricium & sensum & motum minuunt, vel plane etiam auferunt.

§. III.

Alia operatio est veneni caustici, alia stupefactivi. Illud sale penetrante acerrimo motus præter naturam auget, & spasmis œconomiæ motuum vitalium infensum est: hoc vapore sulphureo motus & sensationes, quæ maxime in membranis nerveis vigent, sedat vel sistit, atque ideo & sanguinis circuitum languidiorem & excretiones segniores reddit.

Scholion.

Corporis humani vita ejusque functionum integritas in ἐυτονία solidorum & fluidorum libero & æquabili motu consistit. Illa fit per moderatam & æquabilem eorum systolen & diastolen, sive constrictionem & dilatationem; hic vero à convenienti sanguinis temperie & quantitate & meatibus apertis oritur. Quodcunque itaque potenter & celeriter ἐυτονίαν illam solidorum destruit, & motum æquabilem fluidorum turbat, id omnibus functionibus corporis animati pervertendis aptum est, & si cum vehementia id fiat, recte venenum dicitur. Cum vero soporifera & narcotica nimium motus sistant, & ἀτονίαν solidis partibus inferant, & sensum imminuant, sanguinisque circulum cum excretionibus languidiorem efficiant, utique naturæ admodum infensa existunt.

§. IV.

Haud dubia experientia constat, ab opiatis & narcoticis, præsertim immoderatius usurpatis, pulsum languidum, depressum ac parvum fieri, angustam ac difficilem spirationem reddi, soporem & torporem capitis, cum sensuum stupore & mentis sæpe alienatione, inferri; denique appetentiam ciborum imminui, alvum adstringi, digestionem elanguescere, & virium notabile enasci decrementum.

Scholion.

Quæ singula quidem symptomata vix alia ex caussa, quam à sanguinis & fluidorum tardiori progressu atque stagnatione in partibus, proveniunt. Cum vero fluidorum motus unice à partium solidarum conditione, nempe tono, robore motuque systoles atque diastoles dependeat, liquido apparet, fluidum illud cerebri sive spiritum animalem, qui solidorum motum regit ac dirigit, primario ab hisce remediis præter naturam affici.

§. V.

Volatilis ac penetrantis admodum indolis, quo narcotica agunt, elementum est, quod altius membranarum & nervorum poris instar vaporis sese insinuans, puriissimum illud ac mobilissimum fluidum inquinando, tonum ac motum solidis suffuratur.

Scholion.

Fugacis & penetrantis admodum naturæ elementum esse, quo vim suam narcotica exerunt, pluribus argumentis evinci potest. Primo enim forti & longa coctione instituta cum aqua, omnis pene eorum virulenta vis in auras dissipatur. Deinde in unguento vel epithemate capiti aut aliis locis nervosis, ut pedum plantis vel manuum volis, applicata, vel etiam tantum odore suscepta, soporem inferunt. *Dioscorides* opium solo odoratu soporiferum esse affirmat, & *Plutarchus in Sympos. lib. III. qu.* 1. *p.* 648. *memorat, vaporem à papavere prodeuntem, non caute observantibus iis, qui succum collegerunt, homines subvertisse.* Tum non rectius eorum virus castigari, quam acidis, ut succo cydoneorum, citri, aceto vini, spiritu vitrioli, quæ volatile sulphur valide figunt, multiplici experientia chymica compertum est. Neque ignotum est, opium, lamina ignita tostum, privari fere penitus sua virtute. Graveolentis vero & adversæ indolis omnia narcotica & hypnotica, odore teste, exhalant vaporem, manifesto ingrati, quod alunt, sulphuris indicio.

§. VI.

Agunt maxime sulphure vaporoso & graveolente in nervosas ventriculi & intestinorum membranas.

Scholion.

Sicut omnem remediorum vim & efficaciam primo & proxime ventriculus cum intestinis experitur; ita eo magis id circa validiora, & quæ penetrantioris sunt naturæ, medicamenta obtinet. Opium vel aliud narcoticum

um ſumtum, quam primum calore & humido diſſol-
i incipit, tetros ſpargit vapores, quos dum nervoſæ
embranæ in poros ſuſcipiunt, fluidum illud, à quo ea-
um tonus & motus pendet, protinus amittit ſuam na-
ram. Hinc ſenſatio & motio quoque inteſtinorum pe-
ſtaltica languidior fit. Nam ſi odor graveolens, hyſ-
ericarum exemplo, naribus ſuſceptus, v. g. ex accenſis
lumis vel aſa fœtida, efferos motus in nervoſo & mem-
ranoſo ſyſtemate componendi tam præſentem vim ha-
et; ſique ſuaveolens vapor mox vehementibus ſpaſmis
niverſam muſculorum rempublicam pervertere poteſt;
uidni etiam narcoticorum tetra exhalatio, fluidum ce-
errimæ activitatis inquinando, motus ſiſtere vel ſuffla-
inare poterit. Celerrima vero eſt harum, quæ in nervos
gunt, rerum efficacia, quod mox per univerſum ner-
orum ſyſtema diſpergitur. Opiatum, ſimul ac fuerit aſ-
umtum atque adhuc in ventriculo hæret, mox inclina-
ionem ad ſomnum & dolorum levamen in diſſitis etiam
artibus infert. Exſerunt vero maxime omnium opiata
uam efficaciam in nervos, unde in momento atrocitas
olorum, qui inteſtina torquere conſueſcunt, ſeſe remit-
it: nauſea vero & ciborum faſtidium, interdum etiam,
bi ſatis virium eſt, vomitio ſequitur.

§. VII.

Agunt etiam potenter narcotica in membranas cere-
ri, ubi arteriarum, quæ tenuiſſimis tunicis veſtitæ ſunt,
laterem & ſyſtolen valde minuendo, ſanguinis ibi ſta-
gnationes & vaſorum capitis diſtenſiones efficiunt, ita
ut torporem, ſomnolentiam, mentem alienatam, inſom-
nia terroris & phantaſmatum plena cauſentur.

Scholion.

Neque ullum aliud quid in rerum natura tam celeri-
ter ſanum & intelligentem hominem ſtolidum & ſtupi-
dum reddere poteſt, quam narcoticum. De datura res
eſt notiſſima, de ſolano furioſo ejuſque baccis, quod ſa-
nos ſubito maniacos reddat, plures proſtant obſervatio-
nes, quæ legi poſſunt apud *Matthiolum Comment. in Di-
oſcorid. L. IV. c.* 69. item *Wierum de præſtigiis dæmo-
num lib. III. c.* 17. *Mercurialem lib. I. de venenis cap.*
13. *Lobelium in adverſariis ſtirpium pag.* 103. Et quæ
noſtra eſt obſervatio, medicina, quæ ſeminis hyoſcyami
largiorem portionem habebat, liberalius ex incuria aſ-
ſumta, hæmoptycus aliquot dies vigilans omnisque me-
moriæ & ſenſus expers erat. Simile quidpiam ex pilulis
de cynogloſſa largiori doſi ſumtis ad compeſcendam
vomitionem annotavimus. Quin immo hyoſcyamum
exterius applicatum ad inſaniam hominem redigere poſ-
ſe, ex *Rondeletii* fide *Platerus prax. T. I. c.* 3. recenſet.
Qui peſſimus horum medicamentorum effectus neque
veteribus incognitus fuit. Hinc *Cœlius Aurelianus lib.*
I. c. 4. inquit: *facile mente alienantur, qui papaver aut
mandragoram aut hyoſcyamum bibunt, ſed tunc pulſus
eſt rarus.* De opio vero rectiſſime *Helmontius lib. de
Lithiaſi* ſentit: *errant inſigniter, qui maniam opiatis com-
peſcere ſatagunt, cum omne opiatum ſit in ſe amens. Et
lib. Retenta p.* 82. *Narcotica vix ſomnum conciliant amen-
ibus quadrupla doſi, ſed amentiam inſuper augent.* Spec-
at huc quoque *obſ.* 78. *Dec.* 11. *M. N. C.* ubi dyſente-
icus, injecto enemate ex hyoſcyami libra una, ſtatim
emulentus factus, & in eo ſtatu per ſex ſeptimanas per-
nanſiſſe legitur.

§. VIII.

Ob vim deleteriam ſtupefactiva antiquis & ſapien-
oribus medicis valde ſemper fuerunt ſuſpecta in ſanan-
is morbis.

Scholion.

Placet in hujus rei confirmationem quædam ex in-
umeris teſtimonia adducere. *Galenus* in opio exhi-
endo ſemper fuit timidiſſimus, *& lib. III. de medica-
entorum compoſit. cap.* 10. ſcribit: *Corpora viventia ab
omnium ex opio, hyoſcyamo & mandragora compoſitorum
uſu mortificationis ſimile quippiam patiuntur.* Hunc ſequi-
tur *Celſus*, pulcherrimus ille autor, *lib. III. c.* 18. ita
pronuncians: *Si medicamentis ſomnus eſt arceſſendus,
neceſſaria hæc moderatio eſt, ne, quem obdormire
volumus, excitare poſtea non poſſimus.* Et *lib. V. cap.*
25. *anodynis uti, niſi nimia neceſſitas urget, alienum
eſt. Suntenim ex vehementibus medicamentis & ſto-
macho alienis.* Pejoravero ſunt, quæ recenſet phæno-
mena *Scribonius Largus Compoſit.* 108. *cap.* 48. *Opium
potum facit capitis gravitatem, gelationem & livorem ar-
tuum ſudoreſque frigidos manare, præterea ſpirationem
impedit, mentem ſoporat, ſenſus alienat. Trallianus quo-
que Lib. III. cap.* 5. memorat, quendam ſolo uſu opii vo-
cem & ſenſum amiſiſſe, ut non potuerit amplius reſti-
tui. Neque reticendus eſt *Aëtius*, qui optime noxas ab
opiatis *Serm. XII. p.* 221. deſcribit, dum ait: *Opiata ne-
quaquam affectiones ipſas, in quibus dolores fiunt, curant,
verum ſtuporem & ſenſus hebetationem membris inducen-
do quietem quandam doloribus obducunt.* Et id ipſum ul-
terius *Lib. IX. pag.* 102. idem auctor confirmat; *ſedant
confeſtim dolores, cauſam vero intus reſervant, & aut
paulo poſt animi deliquium inferunt & mortem, aut diu-
turnos & indiſſolubiles affectus reddunt.* Ac profecto hi
effectus tam celeres & noxii, quos omnis ætatis medi-
ci à ſumtis ſomniferis annotarunt, non ſunt nihili pror-
ſus habendi, ſed potius de principio intus latente valde
activo & ad nocendum potente præbent teſtimonium.
Quo magis medici circumſpectiſſime cum hiſce reme-
diorum generibus agere debent.

§. IX.

Utut hiſce medicamentis multum noxæ & periculi
ſubſit, adeo, ut non longe à veneni natura recedant:
tamen omni tempore magnum præſidium in anody-
nis, hypnoticis adverſus graves præſertim dolores &
fluxiones tum antiqui tum recentiores quæſiverunt.

Scholion.

Quid enim dulcius & jucundius eſt, quam à dolo-
rum tormentis atrocibus liberari. Accedit, quod ea fæ-
pe dolorum ſit indoles, ut, ſi diutius durent, vires ani-
mi & corporis frangendo, morbum alias benignum
lethalem efficiant, vel etiam ipſi ſoli mortem accerſant.
Quicunque itaque hos tollere & tanta pericula avertere
ſcit, is profecto egregiam & fere divinam miſeris ægro-
tantibus opem & ſolamen adfert. Quare ſi vetuſtiſſi-
mas medicamentorum compoſitiones ſpectemus, quas
maxime congeſſit *Scribonius Largus*, item *Celſus*, plu-
ra ibi contra dolores & fluxiones antidota reperimus,
quæ fere, ceu baſin, opium recipiunt. Exemplo poſ-
ſunt eſſe celebratiſſimum illud *Caſſii* antidotum, deſcrip-
tum à *Scribonio Largo Compoſit.* 120. cujus etiam me-
minit *Celſus Lib. VI. Cap. XIV. pag.* 239. Porro the-
riaca, mithridatium, aurea Alexandrina, requies Ni-
colai, triphera magna Nicolai, Philonium; à recentio-
ribus autem fere infinitæ præparationes, correctiones
opii & ex hoc adornatæ compoſitiones proſtant, ut vo-
lumen iis enarrandis vix ſufficeret. Sunt, qui ceu uni-
verſale, omnium morborum curationibus idoneum o-
pium celebrant. Sunt, qui panaceas ex eo eliciunt; ſed
profecto validiſſime optandum eſſet, ut quidam ex me-
dicis celebrioribus in deprædicandis hujus remedii lau-
dibus parciores fuiſſent. Neque enim ulla medicina tam
impune oppreſſit & necavit homines, quam hæc ipſa,
noſtris præſertim temporibus. Meretur hac de re legi *Cl.
Stahlii Diſſert. de impoſtura opii.* Ego hoc loco præte-
rire nequeo, quod noſtris temporibus nimium invaleſ-
cat mos, nimias hæmorrhagias vel etiam dolores com-
peſcendi gratia pilulis de cynogloſſa utendi, quæ ta-
men, quum habeant & opium & ſemen hyoſcyami,
& ingentem capitis ſtuporem ſæpius relinquant, cautiſſi-
me omnino adhibendæ ſunt. Neque unquam, ubi mi-
tiora

tiora rem expedire poſſunt, ea dare oportet, ſed tamen hac cautione, ne corpus valde viribus dejectum ſit.

§. X.

Omnia, quæ ſtuporem inferunt, in ventriculi & inteſtinorum vitiis cautiſſime vel nunquam offerre oportet, quia nec ullum remedii genus tam inimicum naturali tono & motui partium nervoſarum eſt eumque lædit, quam ejuſmodi auxilii genus.

Scholion.

Ad valetudinem tuendam & ægritudines corpore arcendas nihil æque juvat, ac tonum, robur, & motum primarum, ut vocant, viarum cuſtodire incolumem, eo quod ſaluberrima illa per alvum excretio, qua modo ſordes, quæ ex digeſtione remanent, modo quæ ex univerſo corpore huc confluunt, expurgantur, ab hoc ipſo maxime dependeat. Ea itaque ſegniore facta, vel penitus intercepta, ingens vitioſorum humorum ibi collecta colluvies & dare & fovere morbos conſuevit. Nihil vero tam repente inteſtinorum periſtalticum motum minuit & inteſtinalem excretionem ſupprimit, quam ſedativum & anodynum, ipſa teſtante experientia. Nam ſicut omnia remedia, ita etiam validiora, & quæ motum ſiſtunt, in ventriculum & inteſtina primum & primario ſuam exerunt efficaciam.

§. XI.

Res periculi pleniſſima eſt, ubi ventriculus & inteſtina ad inflammationem & ſphacelum inclinant, vel ubi magna humorum in corruptionem prona impuritas eſt, opiata & anodyna propinare.

Scholion.

Staſin & quietem ſanguinis firmam in vaſis, quæ inflammationis productrix eſt, niſi opportune diſcutiatur, in ſphaceloſam putredinem abire, extra dubitationem eſt poſitum. Quandocunque itaque atroces has partes exercent dolores vel ſpaſmi, corporaque ſunt infirma vel impura certe haud parvum imminentis inflammationis eſt periculum. Prudentis itaque eſt, in dyſenteria, in paſſione iliaca, colica ſpaſmodica & atroci cardialgia, probe & vires ægrotantium & tempora morbi atque humorum diſpoſitionem intueri, ſi ſedativa exhibere velimus: alias, loco exoptati ſolaminis, mortem accerſimus. Ita legimus apud probatæ fidei autores, ab opiatis per os aſſumtis, vel per clyſterem infuſis, lethalia mox ſymptomata exorta fuiſſe. vid. *Thonnerus in Obſervat. lib. III. cap. V. Waldſchmidius in Diſſert. de noxa opii, Tillingius de Opio pag. 46. Sennertus lib. VI. Praxeos P. III. cap. 1. it. Marcellus Donatus in hiſtoriis medicis mirabilibus.*

§. XII.

Quum ſedativa & ſtupefacientia tantam vim robori inteſtinorum inferant, ut illud labefactent & tantum non penitus evertant: ideo nihil & producendæ & fovendæ hypochondriacæ paſſioni tam opportunum eſt, quam crebrior horum medicamentorum uſus.

Scholion.

Morbum, qui dicitur vulgo hypochondriacus, ex continuis inflationibus & ſpaſmis ventriculi & inteſtinorum canalis plane nervei fieri, eumque excretionis alvinæ ſuppreſſiæ, & inde ingentis vitioſorum humorum congeſtionis obortæ productum eſſe, certiſſimum eſt. Cum vero hæc remediorum genera alvo cohibendæ admodum ſint dicata, vim & robur inteſtinorum minuendo, quid iis exitioſius in hoc morbo excogitari poſſit, ego quidem non video. Non ſemel, ſed aliquoties, quod ſancta fide teſtari poſſum, à ſolo immodorato adſtringentium & opiatorum uſu, in diarrhœæ vel dyſenteriæ fluxu coërcendo, vel cohibendo intermittentium impetu, moleſtiſſimum hypochondriacum, quod in feminis hyſtericum dicitur, malum, & quod per omnem fere reliquam ætatem homines miſere exercuit, enatum animadverti. Et ſi quis ſymptomatum, dolorum nempe in hac paſſione ſævitiam paullo frequentius anodynis infringat, profecto ad tempus quidem allevamentum quoddam adfert, ſed contumaciam malum auget.

§. XIII.

Sunt etiam ſedativa & maxime ſoporifera & ſtupefacientia admodum infenſa capiti ejuſque morbis, quia carotidum, quæ ex tenuiſſimis tunicis conflatæ ſunt, motum & pulſum languidiorem reddendo, valde tardum ſanguinis per caput faciunt circuitum. Unde ſanguinis ibi factæ ſtagnationes graves pariunt morbos.

Scholion.

Multum intereſt, ut caput à morbis immune maneat, membranarum cerebri tonum & ſanguinis circuitum per hoc ipſum integrum ac ſalvum cuſtodire. Nihil vero præter omne vaporoſum, graveolens, & quod fortem ſpargit odorem, nervoſis cerebri tunicis infeſtius eſt. Nam ſiſtitur inde earum tonus & robur, minuiturque vis illa arteriolarum ſyſtaltica & elaſtica, atque ideo tardior fit ſanguinis per caput progreſſio, quam humoris ſeroſi ſeceſſio ſequitur, ex qua præcipui capitis morbi, ut paralyſis, memoriæ abolitio, aphonia, auditus difficultas, affectus ſoporoſi, hemiplexia, & dolores fixi ſuam trahunt originem. Vel etiam à vaſorum cerebri nimia, ob infarctum ſanguinis, diſtenſione melancholia, cui non raro phantaſia plane corrupta, ſpectrorum viſio, & inſomnia terribilia junguntur, item mania, quæ facile in furorem tranſit, natales ſuos ducunt. Hiſce morbis & ingenerandis & fovendis vaporoſa hæc & ſtupefactiva maxime ſunt accommodata, neque ego ſemel, ſed aliquoties vidi, ab incauto horum remediorum uſu mitiores capitis morbos in graviſſimos tranſmutatos, adeo, ut capitis dolor in affectum ſoporoſum, hemicrania in fatuitatem, paralyſis in apoplexiam, vertigo in epilepſiam, auditus difficultas in ſurditatem degeneraverit.

§. XIV.

Quum tam inimica & cerebri & inteſtinorum membranis ſint anodyna & opiata, minuendo harum partium vim ac robur, maxime omnium infantes & ſenes cavere ab eorum uſu oportet.

Scholion.

Duplici ex cauſſa & infantibus & ſenibus exitioſa ſunt ſedativa. Primo, quod alvinam excretionem retardant, deinde quia ſyſtemati nervorum & membranarum imbecillitatem quandam inferunt. Utrumque & ſenibus & infantibus pernicioſiſſimum eſt, quia morbi, has ætates infeſtantes, vel ex alvo adſtricta, vel ex debilitate cerebri & nervorum prognaſcuntur.

§. XV.

Certæ & indubiæ experientiæ eſt, infantes ab anodynis paullo liberalius datis ingenii & memoriæ ſtuporem longius durantem contrahere.

Scholion.

Siquidem in tenerrima illa membranarum cerebri apud infantes ſtructura facta gravior læſio non tam facile diluitur. Præeximium & ſapiens eſt monitum *Stalpartii vander Wiel*, qui *Cent. 1. Obſ. 42.* inquit: *Caveant atque obſervent, quotquot curæ ſuæ infantes traditos cuſtodiunt mulieres nutriceſque, ne illis, quamprimum moleſtia ac dolore afficiuntur, anodyna propinent. Contingit enim ſæpenumero, ut quamvis non occidant, infantum tamen cerebrum nervoſque debilitent ad ſummumque tremorem paralyſin & fatuitatem excitent.* Hujus

ſententiæ eſt etiam *Williſius, in Pharm. P. I. p. 191.* m inquit: *Ab hoc pharmaco ingenii tarditatem & ſtu-litatem, alios amentiam contraxiſſe ſcio.*

§. XVI.

Anodyna & opiata nocentiſſima ſunt valde debili-s, vel ætate vel morbo fractis, item ubi pulſuum eſt nguor, motuum defectus in ſuccorum corruptionem ona diſpoſitio.

Scholion.

Perpetuum in praxi medica debet eſſe monitum, imo, ut nunquam valida ſedativa propinemus, ubi vi-m eſt infirmitas, ubi pulſus, qui ſemper ab exhibitis iatis fit minor, eſt debilitas. Secundo, ubi viſcerum eſt infarctus & ἀπονία, ut in morbis chronicis, nun-uam fere utilia ſunt, & tertio, ubi ingens ſanguinis & morum eſt impuritas, ut in cacochymicis, ſcorbuti-; in quibus ad ſiſtendum dolorem vel ſpaſmum paullo moderatius datum opiatum lethiferum eſt, ſphace-m quia inducit paratiſſime. Quarto, ubi diutius in-erens atrox dolor admodum vires debilitavit, parcius remedia tentare oportet, ne poſt majorem virium lap-m & ſudorem pareſis vel alius nervorum adfectus embra occupet. Quare ſemper præſtat, ſi res poſtu-t, in morbis incipientibus, ubi vires ſemper ſunt firmio-s, quam ubi per vim continui morbi eæ exhauſtæ ſunt, ec auxiliorum genera adhibere.

§. XVII.

Quoniam duo doloris ſiſtendi capita ac veluti ſcopi nt, doloris nempe magnitudo atque atrocia, pulſuum urities & robur, videtur profecto, ſi hæc adſunt, ten-ndum hypnoticum eſſe, præſertim ſi dolor à cauſa uadam externa enatus fuerit.

Scholion.

Per cauſam externam eam volumus intellectam, ubi vermibus, à calculo, à dente prorumpente, à punc-ura tendinis vel nervi, diſciſſione unguium, vel profun-liori clavo in pedibus atrox naſcitur dolor, qui non ra-o ingentem ſymptomatum inſultum, quin ipſam mor-em poſt ſe trahit.

§. XVIII.

Sicut in genere omnia leniora, ceu tutiora, præferen-la ſunt validioribus: ita ad levandos etiam dolores, ſi nitioribus poſſumus eſſe contenti anodynis, non facile d fortiora confugiendum eſt.

Scholion.

In mitiorum claſſem ſulphur ex vitriolo anodynum & ſpiritum nitri dulcem bene præparatum, ex vegeta-bilibus crocum, nuciſtam, ex ſuaveolentibus moſchum & ambram, ex præparatis oleum chamomillæ & mille-olii verum referenda eſſe exiſtimo. Atque etiam huc ertinet opium, ſaltim cum aqua pluviali depuratum, & adjectione analepticorum, aut purgantium, aut ale-ipharmacorum dextre correctum. Plura vid. *in Diſſert. noſtra de correctione opii.*

CAPUT VIII.

De ceteris medicamentis virulentam naturam referentibus.

§. I.

Præter ſupra allata veneni vim habentia medica-menta, ſunt adhuc alia, nocendi virtute inſtructa, uæ improvide ex errore medentium uſurpata & gra-um ſymptomatum & mortis ſæpius cauſam præbere oſſunt.

Scholion.

Horum in numero & claſſe ſunt cantharides, nux vomica & medicamenta ex metallis, auro, venere & ſaturno parata, quorum non adeo tutus uſus eſt.

§. II.

Cantharides penetranti cauſtico ſale pollent, quo in-flammant & veſicas excitant, atque ideo ſolidis parti-bus vim quandam inferunt.

Scholion.

Acrimoniam ſalis volatilis, quod ejuſmodi inſectis ineſt, ſatis abundeque inflammatoria & veſicatoria ea-rum vis demonſtrat, quam promptiſſime in cute, ſi ei applicentur, exſerunt. Et præterea luxuriantem carnem abſumunt; nam ſi emplaſtrum veſicatorium, in globu-lum redactum, fonticulo, qui ob carnem exſuperantem conglutinari incipit, imponitur, carnis excreſcentia ſta-tim tollitur, & fluxus ichoris promovetur.

§. III.

Sal volatile cantharidum cauſticum, ſi vel interne vel externe uſurpentur, ductus urinarios maxime petere & ſpaſmis corripere ſolet: unde plerumque ardorem & difficultatem urinæ, quandoque etiam mictionem cruentam efficiunt.

Scholion.

Sicut omne virus fere peculiarem & propriam in certas, quas afficit, partes nervoſas vim habet, ob con-venientem forſan pororum particulis veneni ſtructuram: ita etiam mirabile, cantharides, & intro ſumtas & exterius adplicatas, in ductibus iſtis nervoſo-membra-naceis, qui & ſegregandæ, & retinendæ & emittendæ urinæ deſtinati ſunt, vim ſuam cauſticam & ſpaſticam exerere, id quod ſatis abundeque ex obſervationibus fide digniſſimis liquet. Legi hanc in rem poſſunt *Miſcell. Nat. Curioſ. D. II. A. VIII. Obſ.* 137. it. *Dec. II. A. X. Obſ.* 133. *it. Bartolinus Cent. V. Hiſt. XXI. it. Hiſt.* 82. urinam quoque cruentam non raro reddit, obſervante *Johanne Langio Epiſt.* 47. it. *Henrico ab Heer Obſ. IX. Raygerus l. c.* ſcribit: ſe plus quam centies à veſicatorio adplicato urinæ difficultatem obſervaſſe.

§. IV.

Neque tantum in urinariis viis erodens cantharidum vis ſubſiſtit, ſed & alias nervoſas partes vehementer ſtimulando dolores accendit.

Scholion.

Referunt *Miſcell. Curioſ. Dec. II. A. VII. Obſ.* 236. juvenem pro ſtimulanda venere binas cantharidum drachmas vino infuſas potaſſe, unde in inquietudinem, graves dolorum cruciatus & animi deliquium incidit. *Hildanus Cent. VI. Obſ.* 98. & 99. à veſicatorio ex cantharidibus febrem, dolores & urinæ ardores notavit.

§. V.

Quum ſal volatile illud cauſticum, etiam per uſum externum, in univerſum nervoſarum partium ſyſtema penetrans, eas convellat, non ſine periculo & exacerbatione in inflammatione meninguin, ventriculi, & ubi delirium & convulſiones ſunt, vel eæ metuendæ, veſicatorium adplicatur.

Scholion.

Peccant in eo ſæpius medici, quod præſente in acutis febribus delirii vel convulſionum periculo ad veſicatorium, tanquam ad ſacram anchoram, confugiant. Quam triſtis ſæpe ſequatur eventus, brevi poſt auctis iſtis ſymptomatibus, & ipſe didici experientia, & aliorum hac de re obſervationes id confirmant. vid. inter alia *Obſ.* 131. *Dec.* 11. *A. IX. Miſcell. Nat.*

Curioſ. ubi *Cl. Kónig* exempla adfert febre maligna laborantium, deliriis, vigiliis & inquietudine adflictorum, quibus adplicata veſicatoria intenſiſſimos dolores, ardores ſummos, ac ſi pars ætneo igne torreretur, & capitis incendium cum convulſionibus epilepticis funeſtis concitarunt, id quod etiam *Thonerus lib.* 1. *Obſ. XX.* variis exemplis confirmat. Et *Baglivus pag.* 68. phreneticis valde pernicialia veſicatoria eſſe ſcribit, quia omnes iis uſi in pejus ruebant, & maxima ex parte convulſi moriebantur. *Gerhardus Columba de febre peſtilenti* diſſuadet ea in tenellis hac febre laborantibus, ne ob dolorem anſam convulſionibus dent. Horum quoque uſum valde noxium in variolis deprehendit, quia non multo poſt ſecutæ ſunt convulſiones, dubio procul ob dolorem, quem excitant, præſertim quando eo tempore adhibentur; quo ardentiſſimus in exulceratione manuum dolor urget: ex quo certe, mea quidem ſententia, juvenes ſenſibilioris texturæ, præſertim ſi confluentes ſunt, moriuntur, eo quod atrociſſimus ille dolor membranas cerebri in conſenſum rapiendo, mox delirium & convulſiones ſuſcitat.

§. VI.

Quamvis cantharides virulento quodam & ſæpius cum noxa agant principio, tamen in febribus continuis, etiam malignis, ubi pulſus ſunt languidi, ſopor & torpor capitis urget, & petechiæ, variolæ, morbilli, purpura, podagra, eryſipelas retrocedunt, non ſine emolumento veſicatorio ex cantharidibus nuchæ & carpis manuum imponi, obſervationes practicæ teſtatum faciunt.

Scholion.

Mercurialis inter alia auxilia veſicantia in peſte, ut præſtantiſſima *Libr. de peſte Cap.* 26. commendat, & *Gerhardus Columba* ea brachiis adplicata in retroceſſione morbillorum & variolarum magni facit. *Cl. Waldſchmidius in Miſcell. Curioſ. Dec. I. A.* 11. *Obſ.* 214. ſcribit: *Nunquam me fefellit veſicatoriorum uſus in morbis malignis. Neque vero alia ratione & tempore juvant, ubi motus ſolidorum & fluidorum deficiunt, motus arteriarum languidi ſunt & vis quaſi naturæ fracta, dum penetranti illo, quo prædita ſunt, ſtimulo univerſi corporis tubulos nervoſo muſculares ipſaſque arterias de novo animant, eaſque ad vividiorem contractionem & ſyſtolen invitant. Qua de cauſa ab eorum adplicatione pulſus ante depreſſi ſeſe attollunt, parvi majores fiunt.* Ex quo apparet, non ſine cura & cautione in pulſu forti & celeri veſicantia adplicanda eſſe, niſi dolores, febres, inflammationes accendere & phrenitidem accerſere velimus. Ex his quoque credo facile apparere rationem, cur in vetuſtis & rebellibus hemicraniis, cephalalgiis, doloribus iſchiadicis, ophthalmia inveterata, interne vero in hydrope cantharides maximum levamentum adferant; ſiquidem irritando nerveas tunicas fortiorem reddunt arteriarum ſyſtolen, qua univerſa ſanguinis & humorum maſſa velociori curſu per vaſa fertur & veteres ſubinde obſtructiones hac ratione reſolvuntur.

§. VII.

Inter medicamenta ſuſpecta & quæ virus quoddam reconditum alunt, ut adeo plus damni, quam utilitatis ab iis expectandum ſit, merito nux vomica referri debet.

Scholion.

Nuces vomicæ duplicis ſunt generis, aliæ ſunt majores, aliæ minores: illas arbor, quæ dicitur Caniram & in *Horto Malabarico pag.* 67. deſcripta eſt, profert, eæque ſunt officinales. Minores ſunt fructus arboris Timorenſis, quæ lignum colubrinum ſuppeditat. Utræque ſunt amaræ, ſed ſub amaritie virus quoddam latere, ex ſymptomatibus, quæ præſertim in animantibus producunt, dijudicamus.

§. VIII.

Quum canibus nuces vomicæ oblatæ brevi temporis intervallo omnis generis muſculos & artus, neque minus diaphragma atque ventriculum & inteſtina in vehementes convulſivas tractiones & conſtrictiones conjiciant, quas poſt ſubita mors ſequitur; recte ideo concluditur, eas non ſine periculo in uſum, præſertim ſi is promiſcuus fuerit, eſſe vocandas.

Scholion.

Experimenta illa, quæ cum nuce vomica in canibus *Cl. Wepferus* perfecit in *Libr. ejus de cicuta aquat. Cap. XIII. pag.* 194. *& ſeqq.* pulchra ſunt & lectu utiliſſima. Atque horrendas convulſiones tam in internis, quam externis partibus nervoſo-membranoſis eas concitaſſe animadvertimus. Quanquam vero nonnulli ex medicis hoc ſimplex animalibus, non vero humano corpori infeſtum eſſe contendant, ego tamen minime hiſce ex toto adſentiri poſſum; nam legimus apud *Matthiolum*, pauca nucis vomicæ quantitate mulierem jam ſeneſcentem eſſe extinctam. Et ipſe novi exemplum, ubi puellæ decem annorum ad pertinacem vincendam quartanam grana 15. nucis vomicæ duabus vicibus propinata fuerunt, quæ brevi poſt ſummis anxietatibus præcedentibus & ad vomendum conatibus extincta eſt; quo magis apparet, quam periculoſa ſint ejuſmodi experimenta, ſine ratione & cautione inſtituta, ubi utique ſatius eſt cum *Celſo* nullum ejuſmodi experimentum tentare, ne medicus occidiſſe, niſi ſervaſſet, videatur.

§. IX.

Quamvis ſit venenum ſumme activum, vehementer genus nervoſum convellens nux vomica: tamen ut aliis venenis, ita etiam huic non omnis laus & virtus detrahenda eſt, & non modo veriſimile eſt, ſed & ipſe uſus docet, in morbis languidis, ubi natura ad motum & ad excretiones quaſi eſt excitanda, alexipharmacis aliis hoc medicamentum mixtum non leve auxilium ferre poſſe.

Scholion.

In hac re maxime obſervatio *Fallopii* me confirmat, qui in *Tract. de tumoribus præternaturalibus Cap.* 27. adſeverat, in peſte nucis vomicæ ſcrupulum unum vel duos, & quandoque drachmam unam pro doſi adſumtam magnum ſudorem excitaſſe, & quibus hic ſudor accidit, eos evaſiſſe. Neque exiſtimo, citra experientiam & uſum tantopere olim celebratum fuiſſe *Electuarium de Ovo*, Maximiliano I. Imperatori oblatum, de cujus eximio effectu idem *Wepferus l. c.* refert: ipſi peſte periculoſe ægrotanti parentem ſuum portiunculam Electuarii de Ovo in aceto roſaceo ſolutam propinaſſe, inde mox obdormivit, tota nocte ſudavit, mane ſurrexit emergente ſub axilla dextra bubone parvo, qui citra ſuppurationem evanuit. Ex quo rurſus apparet, non omnia venena eſſe in medendo reſpuenda, ſed hæc velut heroica auxilia magnam obſervationem & prudentiam in medentibus deſiderare. Cæterum de nuce vomica ejuſque effectibus & ſymptomatibus, quæ ſumta excitat qui præter *Sennertum lib. VI. part.* 7. *c.* 20. copioſius & accuratius ſcripſerit, novi neminem.

§. X.

Ad medicamenta veneni loco habenda pertinent etiam metallica ex auro, ex venere non recte præparata vel uſurpata, item omnis generis ſaturnina.

§. XI.

Aurum eſt corpus mercuriale, naturæ fixiſſimæ & compactiſſimæ, ſique aqua regia ſolvitur & ſolutio coagulatur, tam corroſiva evadit, ut fere mercurium ſublimatum in corrodendo æmuletur.

Scholion.

Scholion.

Equidem aurum, per ſolutionem corroſivum reddi-tum, in eo diſcrimen quoddam recipit à cauſtico mercurio, quod illud fixioris naturæ in ventriculum potiſſimum agat, hoc vero indolis penetrantioris magis & volatilis in diſſitas corporis partes vim ſuam evibret; ſed tamen utrumque ob corroſivam virulentiam & gravia ſymptomata & ipſam mortem accerſere poteſt.

§. XII.

Aurum ſalibus adſociatum ſtimulando primas vias purgat, vel nimium tunicas nerveas ventriculi & inteſtinorum laceſſendo inimicos ſpaſmos concitat.

Scholion.

Aurum fulminans licet bene præparatum ſit, tamen majori doſi vel in pulvere vel in pilulis datum alvum fortiter ſubducit, & aliquot ſedes cum torminibus movet, ſine omni dubio ob particulas menſtrui ſalinas, in ejus poris adhuc derelictas; mirum quippe eſt, quomodo ſalia vim hujus metalli intendant. Nam ſi quis granis tantum duobus auri fulminantis drachmam ſemis ſalis cujuſdam v. g. arcani duplicati adjecerit, omnibus his invicem bene trituratis, ita vis intenditur hujus remedii purgativa, ut vel decem exinde ſedes non ſine contorſione abdominis moveantur.

§. XIII.

Aurum fulminans non rite edulcoratum inque pulvere paullo majori doſi datum tam vehemens eſt, ut ventriculum vel inteſtina interdum corrodat, idque magis fit in ſubjectis tenerioribus, & ubi prima regio corroſivis cruditatibus obſeſſa eſt.

Scholion.

Neutiquam is noſter eſt animus, ut aurum, quod dicitur, fulminans aliaque ex nobiliore hoc metallo parata, in curationibus ex toto damnare & rejicere velimus, cum probe nobis cognitum ſit, mercurium vivum, auri connubio fixatum, incomparabile eſſe præſidium. Id tamen inficiari non poſſumus, ea inſecura ſæpius fieri medicamenta per ſalia, ſi ipſis intime admiſceantur, ſive ea extrinſecus, ſive in corpore demum accedant. Tunc enim aurum non ſecus ac mercurius corroſivum quaſi in venenum armatur. Vidimus quartanariis, hypochondriacis etiam ad quatuor vel ſex grana tantum aurum fulminans datum tormina, ſpaſmos atque anxietates cum ſudore extremorum frigido, languore, immo animi defectione excitaſſe. Idem medicamentum teneræ conſtitutionis virgini, ex rheumatica febre laboranti, virides cum ſumma anxietate vomitiones, quas brevi tempore animi deliquium & mors ſequebatur, concitavit.

§. XIV.

Infantibus, ſi à lacte corrupto ægrotant, & virides feces, quæ corroſivos teſtantur ſuccos, ejiciunt, aurum fulminans præbere valde pernicioſum eſt.

Scholion.

Memini, olim à medico, magni quidem nominis, ſed temeritate omnibus ſuperiore, infanti dimidii anni, ex corroſivo lacte ventris torminibus vexato, fulminans aurum ad ſex grana pro una doſi in pulvere obtum; ubi paulo poſt ſumma anxietas, inquietudo um extremorum frigore, convulſiones, & mors ſecua fuit. *Cl. Rivinus, Profeſſor Lipſienſis*, memorat *in bello Pathologico Therapeutico*, ab auro fulminante ortuum infantem, in cujus inteſtino, facta ſectione, ramina reperta fuerunt.

§. XV.

Aurum fulminans aliaque ex auro concinnata tutius pilularum, quam pulveris forma exhibentur.

Scholion.

Uti aurum omnium, quæ in tota rerum natura reperiuntur, eſt ponderoſiſſimum, ita etiam medicamenta ex eo parata gravia admodum ſunt. Hinc fit, ut non facile è ſede ſua poſſint dimoveri. Ita aurum fulminans, ſi in cochleari cum vehiculo deglutiendum offertur, vix ac ne vix quidem elui ex cochleari poterit. Igitur gravis hic pulvis, deſcendens in ventriculum, fixam quandam ſedem ibi occupat, & à ſuccis occurrentibus corroſivis vim deleteriam aſſumens, vehementer eam partem, cui inhæreſcit, lancinat atque erodit, unde gravia nervoſi generis pathemata naſcantur neceſſe eſt. Id malum vero præcaveri poteſt, ſi ejuſmodi gravia aliis forma pilularum miſceantur. Tum enim ſucceſſive fit in ventre diſſolutio, & graves metalli partes non in unum coëunt, nec unam partem occupant, ſed hinc inde parietibus ventriculi & inteſtinorum inhærent.

§. XVI.

Alia quoque ex auro corroſiva, quæ venditantur, remedia non omni periculo & noxa vacant.

Scholion.

Venditat quidam empiricus chymicus in hoc diſtricto pulverem, ad tria grana ſingulis diebus ſumendum, in doloribus podagricis, quos tribus doſibus ſe ſublaturum promittit. Accepit eundem pulverem vir generoſus, annorum 60. ſed admodum ſenſibilis conſtitutionis, atroci podagrico dolore vexatus, & altero die ſtatim ceſſavit omnis dolor. Cum vero alteram doſin circa ſomni tempus ſumſiſſet, poſt mediam noctem maximis anxietatibus, ventris torminibus, inquietudine exagitatus fuit. Mane caput ob vertiginem & virium languorem vix attollere poterat. Animi poſtea deliquium & ipſa mors ſucceſſit, & ſic ſanus alias & robuſtus vir brevi interemptus fuit. Cognati miſerunt ad me aliquot doſes pulveris, qui ſaporis admodum conſtringentis & corroſivi erat, ut longo tempore amarulentus & quaſi venerem referens ſapor non potuerit ex lingua detergi. Sive ex auri, ut vulgo fertur, ſive ex veneris & mercurii proſapia hic pulvis prodierit, certum eſt, corroſione inteſtinalium tunicarum eum nocuiſſe. Quod vero ad ejuſmodi remedia interdum atrociſſimi dolores repente conquieſcant, id mea quidem ſententia fit, quod genus nervoſum afficiendo, etiam ex extremis partibus validioribus ſtricturis materiam peccantem ad interiora celeriter repellant, ſed majori certe damno atque periculo. Monendi proinde etiam ſunt omnes illi, qui arcana ex auro venditant, ſub titulo pulverum vitalium, auri diaphoretici, qui tamen ſaporem ad venerem proxime accedentem adhuc præ ſe ferunt, ne ea corporibus ſenſibilioribus, & quæ ſpaſmis exercentur, in liberaliori doſi offerant. Neque enim paucæ ſeſe mihi obtulerunt obſervationes, ubi de ſumma anxietate præcordiorum poſt largiorem eorum doſin ægrotantes conqueſti fuerunt, ita ut inflammati ventriculi principium adfuerit.

§. XVII.

Naturam quoque valde corrodentem & virulentam poſſident ex venere parata, proinde rarius & magna cum cautione ſumenda ſunt.

Scholion.

Pertinent ad hanc claſſem vitriolum album, mere venereum, vitriolum Cyprium ejuſdem ingenii, tincturæ vel cryſtalli veneris, item tincturæ lunares cæruleæ, quæ à venere tantum ſuum mutuantur colorem. Quæ remediorum genera ad vermes necandos & expellendos, ad quartanam contumacem expugnandam, atque ad morbum epilepticum vincendum à quibuſdam majorem in modum commendantur.

§. XVIII.

Cavendum ab omnibus venereis corroſivis eſt, ubi corpora ſunt infirma, cholericæ ac ſenſibilioris naturæ, & ubi ſpaſmodicæ ſtricturæ ventriculum & inteſtina exercent; circumſpecte vero data non penitus uſu & laude privanda ſunt.

Scholion.

Vidi certe, à granis 15. vitrioli albi cum granis 10. croci ſumtis & deſuper pingui juſculo hauſto, in contumaci quartana vomitiones cum ſummis anxietatibus ortas, quibus aliquot diebus finitis ex toto febris deſiit. Eundem effectum à granis 6. vitrioli Cyprii notavi. Vidimus quoque à tinctura veneris *Helvetii* in infantibus vermes cum alvina colluvie ſecretos. Sed tamen fatendum etiam eſt, ab ejuſmodi remediis, ſub ventriculo infirmo & ſpaſmis obnoxio, diuturnas anxietates, pectoris conſtrictiones cum ſpirandi difficultate, tuſſi ſicca, nos non ſemel obſervaſſe. In memoriam mihi hoc loco incidit, medicum temerarium febre acuta laboranti drachmam unam vitrioli albi cum aqua roſarum ſumendi ſeptimo demum die præſcripſiſſe, quo ſumto non multo poſt ſtrangulatus periit.

§. XIX.

In numerum eorum medicamentorum, quæ minus tuta, & triſtibus exemplis quaſi infamata ſunt, jure meritoque ex ſaturno parata referri debent, quippe quæ ſale conſtringente vim ſuam pernicialem in tunicas maxime ventriculi & inteſtinorum nerveas, quas ſpaſmis adfligunt, exercent, & inde quoque in alias corporis partes virus ſuum evibrant.

Scholion.

Equidem in frequenti uſu interno noſtris temporibus non amplius ſunt remedia ex plumbo parata, niſi quod ſaccharum ſaturni & ex eo paratam tincturam antiphthiſicam Grammanni præſcribere etiam nunc ſolennis moris ſit: à chirurgis vero & empiricis magiſterium ſaturni, ceruſſa quoque ejuſque ſaccharum ad ſiſtendam gonorrhæam eo frequentius uſurpantur.

§. XX.

Ex omnibus, quæ inimica naturæ ſunt, nullum eſt, quod tam valide & tam graviter inteſtina eorumque tonum deſtruat, quam ſaturninum quoddam.

Scholion.

Equidem ſaturnina non ſunt ejus generis, ut more aliorum venenorum cito perimant, etiamſi in paullo majori doſi præbeantur: tamen, repetita ſi fuerit etiam minor doſis, lenta morte homines tollunt, adeo ut plures ſibi perſuaſum habeant, lentum illud venenum, quod Galli *la poudre de ſucceſſion* vocant, ſaturninæ eſſe proſapiæ. Quemadmodum vero omnibus venenis propria & peculiaris indoles ac virtus eſt, quæ certas quaſdam partes præ aliis gravius adficit; ita ſaturnina inimiciſſima ſunt inteſtinis.

§. XXI.

Symptomata, quæ ex ſaturninis in corpore producuntur, ſunt maxime contumaciſſimæ alvi adſtrictiones, atrocia tormina, colicæ convulſivæ, nauſeæ, vomitus, icterus, ventris intumeſcentiæ, gravitas in ventriculo, urinæ ſuppreſſio, color plumbeus; poſtea pareſes, contracturæ, aſthmata, lentæ febres, vertigines, & ſæpius mors ſequuntur.

Scholion.

Hiſce ſymptomatibus metallurgi, qui ſaturninas mineras igne tractant, vel lithargyrium ponderant, aut fumum ejus ore hauriunt, ſi ad ventriculum deſcendit, torquentur. Neque ignotum eſt, figulos à fumo lithargyrii ſæpe ſe peſſime habere, ſæviſque inteſtinorum doloribus & alvo pertinaciſſima frequentius corripi. Neque forſan adhuc ignoratur, quam funeſta damna ante aliquot annos quidam lucri cupidi, acidis vinis lithargyrii pulvere, ea dulcificandi cauſa, admixto intulerint, dum plures hoc modo è medio ſublati ſunt, cum colicæ convulſivæ, nauſeæ, vomitus, icterus, contumax alvi ſtrictura, pareſis, contractura, aſthma, eos adorirentur, & elumbes quaſi, pendulis artubus & reſolutis enervati viſerentur. Plura de hiſce legi poſſunt in *Miſcellan. curioſ. Dec. III. ann. IV. obſ.* 30. 92. & 100. *item Dec. I. anno III.* 131. Item in noſtra *Diſſertatione de Metallurgia morbifica.*

§. XXII.

Propter vim naturæ humanæ valde infenſam veteres ſaturnina venenis annumerare non dubitarunt.

Scholion.

Scribonius Largus de Compoſitione medicamentorum Compoſit. 184. *p.* 101. ſcribit: *Ceruſſam qui bibunt, vertigine urgentur, aſthmate laborant, præfocantur: Juvat oleum, lac cum melle, cremor ptiſanæ, aqua mulſa &c. Anazarbæus lib. 6. cap.* 27. inter ſymptomata lithargyrium hauſtum ſequentia memorat ſtomachi, ventris & inteſtinorum gravitatem, cum magnis torminibus diſtendentibus, urinæ retentionem, tumorem ventris & plumbeam deformitatem. Quibus ſuffragatur *Cæſalpinus lib. III. cap.* 24. qui ceruſſam & lithargyrium venenis annumerat, & ſequentia ab iis notavit ſymptomata, cum ait: *horum uſum inſequuntur gravitas in ventriculo, inteſtinis, viſceribus, tormina vehementia, urinæ ſuppreſſio, corpus intumeſcit, color plumbeus eſt, valvuloſa tormina incenduntur, alvus ſupprimitur.*

§. XXIII.

Quum tanta noxa à ſaturninis intro ſumtis corpori humano immineat: prudenter ii agunt, qui plane ejuſmodi medicamentis, quæ plumbum habent, in curationibus abſtinent, ut ſunt ſaturni ſaccharum, & tinctura Grammanni antiphthiſica.

Scholion.

Ego teſtari hic bona fide poſſum, me nunquam auſpicatum vel diu durantem effectum ab ejuſmodi remediis exhibitis annotaſſe. Læſus inde non modo fuit ventriculus ejuſque digeſtio, ſed & alvus adſtrictior reddita. Plures, qui gonorrhœa laborarunt, in tumorem teſtium exinde lapſi ſunt. Et merentur hanc in rem certe attendi, quæ de noxa ſalis ſaturni *Borellus Centur. IV. Obſ.* 32. obſervatione digna memoriæ reliquit: *Habui amicum, qui ſacchari ſaturni nimiam hauſit quantitatem, ut tanquam paralyticus & fere mortuus factus ſit; rigebant membra ejus & tamquam congelatus & apoplecticus erat.*

CAPUT IX.

De rebus venenatis in aëre, interque eſculenta & potulenta reperiundis.

§. I.

Sicut aër fluidum eſt & menſtruum ac vehiculum univerſale, quod omnis generis effluvia & exhalationes ex corporibus extrahit & in ſe recipit: ita etiam ſubinde noxias & naturæ infenſas detinet exhalationes, quæ ſpirando intus hauſtæ in ſummam perniciem hominem conjiciunt.

Scholion.

Aërem corpus eſſe fluidum, elaſticum, materia ætherea, quæ caloris fons & cauſa eſt, repletum, & quod inter ſua interſtitia copioſos vapores & exhalationes

recipere

recipere possit, nemo ignorat, nisi qui plane rerum physicarum sit expers. Neque vero illæ exhalationes, quas recondit, sunt tantummodo aqueæ, sed & subtiles terreæ, salino - sulphureæ, caloris vel solis actione attenuatæ inque aërem diffusæ. Quemadmodum id apparet, dum ligna, carbones, gummata accenduntur, vel etiam mineralia ac metalla fortiter igne torquentur.

§. II.

Recipit etiam aëris fluidum multas graves tetras exhalationes, quæ & nocent, & subinde etiam, imo cito mortales perimunt.

Scholion.

De hoc ne ullus quidem facile dubitabit, qui miasmata pestilentiæ & aliorum, quæ contagio infesta sunt, morborum per aërem ferri, inque alia corpora transmitti considerat.

§. III.

Ex virulentis & valde infensis exhalationibus primo fere loco habendæ sunt eæ, quæ ex carbonibus vivis & ardentibus in aëra feruntur, eo quod non modo gravem noxam, sed & celeriter necem & hominibus & ceteris animantibus inferre possint.

Scholion.

Id quidem vix videtur credibile, tantam noxam, tantumque virus habere hunc fumum, quia quotidie homines carbones accendunt, neque tamen semper, sed rarius sanitatis vel vitæ damnum exinde persentiunt; cum tamen res sit verissima, abunde id testantibus tristissimis exemplis, dum quidam ex hoc fumo, præsertim concentrato, celeriter opprimuntnr, vel grave damnum accipiunt.

§. IV.

Jam inde à vetustissimis temporibus plures à fumo carbonum ardentium interfectos physicorum pariter & medicorum monumenta referunt.

Scholion.

Cæsarem Jovinianum fumo carbonum in conclavi mortuum esse, testatur *Eutropius & Cellarius in notis ad Libr. X. Cap. X. item Galenus lib. VII. de usu partium Cap. VIII.* Plures historias in unum collegit *Marcellus Donatus in Historia Memorabilium pag.* 107. *Velschius in Sylloge Curationum & Observationum inter Rhumelianas Obs.* 54. *pag.* 173. *item Forestus Lib. IX. Obs. IV. Solenander in Consiliis Sect. V. pag.* 461. *Chesneau Obs. Lib. I. pag.* 78. *item Amatus Lusitanus Cent. VII. Curat.* 33. *pag.* 58. Ex recentioribus *histoire de l'Academie des sciences A.* 1710. *pag.*727. *Lossius in Observat. Lib. I. Obs.* 26. *Lancisius de subitis mortibus Lib. I. Cap. IV. Obs. II. pag.* 136. *Ramazzini in supplemento diatribes de morbis artificum, & plura exempla à nobis notata legi merentur in Germanico à nobis conscripto Tractatu, Bedencken von dem schädlichen Dampf der Holts-Kohlen*, qui extat *parte V. Dissertationum, quæ de valetudine tuenda agunt* in fine.

§. V.

Symptomata, quibus affliguntur, qui incautius hunc fumum ore & naribus hauserunt, sunt sensuum omnium oppressio & torpor, profundus sopor, ut quasi cataleptici videantur, mentis alienatio; alii, qui non tam copiose spirando hunc fumum attraxerunt, in graves cephalalgias, animi deliquia, aphoniam, summam artuum impotentiam viriumque languorem incidunt; qui difficulter discutitur.

Scholion.

Cœlius *Aurelianus Lib. II. Cap. X.* tradit, non aliter esse habere, qui ex odore carbonum sensuum oppressione vel torpore afficiuntur, quam catalepticos, qui oculos habent distentos, dentium concidente junctione cum pulsu parvo atque imbecillo. Subito sensibus & motibus homines exinde privari *Marcellus Donatus l. c. & Lossius l. c. item Solenander l. c.* notarunt. Vehementem vero cephalalgiam, animi deliquia & mentis alienationem inde secutam *Velschius & Forestus loc. cit.* prodiderunt.

§. VI.

Sectio perniciali hoc fumo enectorum cerebrum maxime affectum ostendit; dum vasa meningum nimium sanguine distenta, infarcta & inflammata invenerunt.

Scholion.

Id ipsum maxime advertere licet *in Histoire de l'Academie des Sciences anno* 1710. *p.* 727. ubi memorabilis & lectu dignissima ejusmodi observatio occurrit, qua docemur, quam lethiferum effectum in tribus hominibus hic fumus habuerit, & quæ post mortem in cerebro reperta fuerint. Neque forsan adhuc ignoratur tristis ille casus, qui aliquot abhinc annis Jenæ contigit, ubi asperrima hyeme in humili & parvo conclavi tres homines cita morte oppressi fuerunt, quem insuetum & rariorem casum rerum physicarum penitus ignari omnibus viribus dæmoni adscribendum esse contenderunt. Qua de historia consuli potest nostrum judicium, item *Responsum Facultatis Theologicæ, Juridicæ & Medicæ Lipsiensis.*

§. VII.

Omnia & singula symptomata, quæ ex fumo carbonum ardentium immoderatius hausto contingunt, satis abundeque planum ac testatum faciunt, huic fumo, præter vim suffocativam, omni fumo concentrato communem, inesse narcosin inferens sive stupefactivum magnæ activitatis principium.

Scholion.

Necat hic fumus, si valde fuerit compressus & in unum collectus, duplici ex causa. Primo enim solenne est, animalia ab omni fumo, etiam lignorum, accenso, item sulphuris, & qui ex fermentatione musti vel cerevisiæ fortiori prodit, suffocari: quia susceptus intra tracheam & vesiculas pulmonales vapor destituitur potentia illa elastica, qua aër vesiculas istas & vasa pulmonalia expandit, ut liberior sanguini pateat transitus. Deinde hoc vapore repletus totus pulmo, ob impenetrabilitatem & resistentiam, difficulter aëris etiam purioris illapsum admittit. Porro cum vapor ille narcoticæ virtutis poris vasorum & membranarum per nares, fauces & pulmones mox altius sese insinuet, more aliorum narcoticorum statim elaterem & systolen arteriarum, quæ in meningibus sunt tenuissimæ, infringit & tandem penitus tollit, unde ob deficientem arteriolarum capitis systolen sanguis ibi stagnat & congeritur, unde sopor, torpor, mentis alienatio & omnium sensuum privatio, animi quoque defectio non secus ac à narcoticis contingunt.

§. VIII.

Quoniam vapor carbonum vel ab intenso frigore, vel in conclavi minus spatioso nimis coarctatur, non mirum est, tunc demum pernicialem, vel etiam lethalem noxam ab accensis carbonibus homines experiri; minus vero, si in loco libero, patente & spatioso hic fumus continetur, per quem aër transit & movetur, id contingere.

Scholion.

Ex hoc jam apparet clarius, cur sub algidissima, quæ anno 1709. & 1715. incidit, hyeme complures ejusmodi funesti casus hinc inde, alias fere inauditi, acciderint. Possem enim vel decem mihi notas recensere ejusmodi historias, illi per omnia similes, quæ contigit Jenæ. Servati autem sunt plures & ex mortis faucibus erepti, si quis statim auxilium tulerit, homines semimortuos

tuos in liberum & purum aërem transferendo eorumque membra fortiter cum pannis fricando, vel sanguinem detrahendo. Ceterum ex hisce allatis illud in usum nostrum addiscere debemus, pessimum morem esse, hypocausta clausa accensis carbonibus calefacere, vel arcendi frigoris causa ollas, carbonibus repletas intraque muliebres vestes abditas, pedibus subjicere. Graviter enim inde luere fœminas, & caput torpore & gravitate affici, non una simplici, sed crebra experientia perspeximus.

§. IX.

Ejusdem fere noxiæ indolis est vapor, qui ex muris vel domibus recenter calce obductis exhalat, si quis in iis diutius versetur, vel noctu dormiat. Experientia enim quotidiana & plures annotatæ observationes ejus noxam satis abundeque patefaciunt.

§. X.

Symptomata, quibus adfligi solent, qui domos calce recenter illitas incolunt, sunt maxime febres, sternutatio fortis & diuturna, præfocatio faucium, infarctus pectoris cum febre lenta.

Scholion.

Notabilis profecto est historia, cujus meminit *Hippocrates lib. III. Epidem. ægrot. II.* ubi Hermocratem, qui decumbebat juxta murum novum, febris corripuit. Accidit ante viginti & aliquot circiter annos hic fatalis casus, dum tres filii, infantes adhuc, consiliarii aulici aliquot dies in camera, non ita pridem calce obducta, dormiverunt, & omnes intra duos dies angina suffocati perierunt. Generosus vir, ex vehementiori motu calefactus, adiit furnum, in quo paulo ante calx usta fuit, ex quo incidit in morbum quendam peculiarem, qui vocari potest sternutatorius, & per aliquot annos ipsi adhæsit. Sternutavit enim sæpius centies, & hæc accessio facta est certis temporibus, præsertim, si quodam animi affectu fuerit correptus, aut si corpus fortius moverit, neque ulla medicina profecit. Novimus quosdam in pectoris infarctus cum vigilia assidua, lentaque febre fuisse delapsos, morte tandem insecuta. *Ramazzini de morbis artificum Cap. XXI. pag.* 201. acuta febre inde correptus vix evasit, sed postmodum ipsi cum lenta febre diu colluctandum fuit.

§. XI.

Vapor calcis vivæ non sulphureæ, sed subtilissimæ, acris & corrosivæ indolis est, qui nervosis partibus in arteria aspera & in capite altius sese insinuans spasticis stricturis & commotionibus superius dicta symptomata accersit.

Scholion.

Quod in calce viva valde nocens & causticum resideat principium, ex historia, quam adfert *Tulpius Lib. III. Cap. XLI.* luculenter adparet, ubi memorat, quod vir splendidus cum tota familia, quæ eidem accubuerat mensæ, in vertiginem, ardorem gutturis, vomitum & præcordiorum angustiam inciderit. Neque hæc mala aliam habuerunt originem, quam quod ex pariete recens illito calcis efflorescentiæ in patinam deciderunt. Calcem vero tam acriter urere & erosione sua pungere intestina, manifeste docuit *Dioscorides Lib. V. Cap.* 91. *& Lib. VI. Cap.* 29. Incidit hic mihi in memoriam pessimus temerarii medici cujusdam ausus, qui theologo magni nominis, cum ex pleuritide cum purpura complicata laboraret, manipulum calcis vivæ spiritu vini madefacto imposuit pectori, quo postridie extincto, locus ille valde rubicundus & arrosus vesiculisque refertus apparebat.

§. XII.

Neque hoc loco prætereunda est gravis & tetra exhalatio, quæ ex lucerna extincta, vel sevo hircino, vel ex sebacea candela extincta in aërem diffusa naribus hauritur, quæ subinde gravia symptomata excitavit.

Scholion.

Olaus Borrichius in Actis Hafnienſibus Vol. V. Hiſt. 86. narrat historiam cujusdam mulieris, quæ in formandis candelis occupata in respirationem difficilem, gravem cephalalgiam, vertiginem & oculorum ruborem incidit. *Forestus Lib.* 28. *Obs.* 30. ex fœtore lucernæ extinctæ hysterica pathemata fœtumque extinctum observavit. Alii ex sebacearum candelarum nitore in pulmonibus & capite maximas sibi noxas accersunt. Mira enim est odorum tam suaveolentium, quam graveolentium in genus nervosum potentia, ut mox quasdam mulieres inde in suffocationes, vel hystericas convulsiones conjectas fuisse legamus. Sed quod epilepsia & mors etiam ex fumo ellychnii extincti, naribus diutius suppositi, in dormientibus inferri possit, id clarius *Casibus LIX. in Ammanni Paræneſi Critica* ostendit. Qui metalla in cryptis subterraneis fodiunt, à fumo ellychniorum plus periclitantur, & majorem spirandi angustiam contrahunt, quam à vaporibus metallicis, qui in imis terræ visceribus, nisi ignis accedat, non reperiuntur.

§. XIII.

Dantur etiam inter esculenta eaque frumentacea certi generis venena, magnæ ad nocendum, quin ad nocendum efficaciæ, & hæc inter lolium temulentum & secale corniculare nigrum, quæ duo gravissimorum epidemicorum malorum haud infrequentes causæ sunt.

Scholion.

Utraque hæc sunt venena, multum autem inter se ratione naturæ, ortus & virtutis differunt. Vidi tamen, nonnullos ex medicis ea invicem confundere, adeo, ut pro iisdem habeantur. Lolium temulentum vocari solet *à Casparo Hoffmanno* lolium avenaceum, *Wilder Haber oder Schwindel Haber.* Vocari etiam solet gramen loliaceum & describitur *à Rajo Hist. plantar. Lib. XXII.* Crescit in locis humidis vel æstate admodum pluviosa. Symptomata, quæ excitat, sunt cephalalgia, vehemens vertigo, sopor, genuum contabescentia, in quibusdam delirium & temulentiam quandam excitat, si nempe pultem avenaceam comedunt, & avena à granis istis per cribrum non bene fuerit separata. Vomitus cum manifesto levamine fit. Qua de re vid. *Misc. Curios. Dec. II. A. VIII. Obs.* 173 *it. Dec. II. A. III. Obs.* 186.

§. XIV.

Lolium temulentum capiti maxime est infestum ob narcoticam, quam alere videtur, virtutem, quæ exinde patet, quia vertiginem ac torporem celerrime infert, si in pane comedatur. Si autem ex frugibus, quibus lolium immixtum est, parantur cerevisiæ, valide inebriant. vid. *Mart. Schockius Cap. XIX. de cerevisiis.* Jenæ ab usu loliacei panis quosdam in nyctalopiam incidisse, *Schenckius in Obs.* 133. confirmatum dedit. Crescit vero hoc vitium non tantum in avena, sed & in hordeo.

§. XV.

Majoris virulentiæ est secale corruptum nigrum, quod corniculatum dici potest, propter cornicula nigra, sive grana secalis degenera, quod cum pane comestum gravissimas generis nervosi convulsiones, immanes dolores & alia funesta symptomata producit.

Scholion.

Crescere identidem id genus corrupti frumenti solet in agris humidis & sub æstate valde pluviosa, hoc non à secali separatum, sed cum pane pistum & calide maxime comestum, & olim & nostris subinde temporibus peculiarem morbum endemium, veteribus incognitum, valde spasmodico-convulsivum excitavit de quo peculiaris *Tract.* extat, *à Facultate Medica Marpurg.* 1597. *editus, von der Kriebel Kranckheit oder ziehenden Seuche,* qui morbus tum temporis universam Hassiam aliasque vicinas

vicinas regiones adflixit. Idem morbus anno 1648. item 1649. item 1675. in Voigtlandia graves ſtrages edidit. Anno vero ſuperiori 1717. idem morbus graviſſime in Luſatia, in Miſnia ex eadem cauſa deſæviit, & hunc ſatis copioſe & ſolide *Cl. D. Gottlieb Buddæus in Conſilio Medico von der Krampff-Sucht* deſcripſit. Quo de morbo etiam legi poteſt. *Obſ.* 234. *Dec. III. A. VI. & Cent. V. Miſcell. Nat. Curioſ. Obſ.* 82.

§. XVI.

Symptomata, quibus venenum hoc frumentaceum infeſtum eſt, ſunt graviſſima & ex vehementibus univerſi generis nervoſi ſpaſmis & hos ſubſequente atonia & ſumma debilitate cerebri deducenda.

Scholion.

Primo hic morbus occupat artus & extremas manuum ac pedum partes, in quibus formicationis ſenſus, percipitur. Quosdam ſub acceſſione vomitus corripit, ſequuntur contractiones vehementes digitorum in pedibus vel manibus, quas contractiones in genibus, in ſcapulis, in cubito, in ore, labiis, cum intolerabili dolore, quandoque cum ſummi frigoris, interdum etiam incendii quodam ſenſu ſubſequuntur, quæ ſymptomata per certas repetunt periodos, & quandoque per aliquot & ultra ſeptimanas perdurant. Quieſcentibus doloribus incidunt in ſoporem & torporem plenarium mentiſque ſæpius alienationem, vertiginem, auditus difficultatem, membra manent rigida & ad motum inepta. In partibus membrorum extremis ſæpe veſicæ magnæ aqua repletæ vel etiam tumores, qui in ſphacelum abierunt, derelicti ſunt, motu valde tardo procedente, ut ipſa oſſa fruſtillatim delapſa fuerint, quod maxime annotatum à *Cl. Camerario, vid. Cent. V. Obſ.* 82. item *Brunnero in Miſcell. Curioſ. Dec. II. A. III.* Quoſdam ſuperveniens epilepſia è medio tollit; necat enim maxime infantes.

§. XVII.

Grana hujus corrupti ſecalis venenato ſali ſubtili cauſtico, ſulphuri ejus viſcoſo inhærenti, deberi videntur, quod peculiari plane ratione in nervoſas partes graſſatur ſævitiamque ſuam exercet.

Scholion.

Utut ad ſcopum directe medicum non pertineat ſcire, cujus generis ſit illud venenum, & quomodo agat, cum ſufficiat noſſe, quos producat effectus, & quomodo illis ſit occurrendum: tamen haud alienum videtur, quantum fieri poteſt, elementum, quo venenum hoc agat, ſcrutari, quo invento, poſtea facilius remedium adverſus illud accommodum inveniri poteſt. Quod autem, præter vaporoſum peregrinum ſulphur, ſal quoddam volatile cauſticum reconditum habeat, ex eo id dijudicamus, quod omnes, quæ in humidis & paludoſis locis creſcunt plantæ, ob ſal, quod alunt, cauſticum virulentæ ſint; ſub nimia enim humiditate oritur quædam corruptio, nunquam ſalis & ſulphuris peregrini expers. Et ſicut hæc grana ab exſuperante quodam nutritio ſucco, ob dilaceratas quaſdam fibras, creſcunt: ita ille rore corroſivo & ſolis ardore aduſtus alienam plane indolem induit, non ſecus ac videmus, eadem ratione prognaſci fungos, qui omnes & ſinguli non expertes ſunt acrimoniæ, adeo, ut quædam cauſticam virulentiam habeant. Deinde ipſa ſymptomata, ut ſpaſmi, contracturæ, convulſiones & immanes dolores, vellicationem nervoſarum partium valde penetrantem indicant, quæ à ſalino principio commodiſſime derivanda eſt. Quibus accedit, quod hæc grana ab animantibus, ut gallinis, anſeribus, ſuibus devorata, graves, imo lethales induxerunt contracturas, & muſcæ quoque à lacte cum illis decocto, non ſecus ac à fungis venenatis interierunt. vid. *Buddæus l. c. pag.* 13. Volatilem vero, ut omne venenum, naturam hoc corruptum habere frumentum, id indicio eſſe poteſt, quod grana illa diu in aëre detenta & exſiccata innoxia obſervata ſint, in pane vero adhuc calente comeſta noxam intulerint. Denique mihi relatum fuit, adverſus hunc morbum haud ulla in re præſentius fuiſſe auxilium repertum, quam in vomitu, in aceto, quod vim figendi habet, & in pinguibus copioſe adſumtis, exterius quoque adplicatis.

§. XVIII.

Ad præſervationem hujus ſæviſſimi endemii mali, non poſſumus, quin ſapiens *Galeni* monitum commendemus, quod reperitur *Libr.* 1. *de aliment. facultat. Cap. XXXVII.* ubi prodidit, quod ſemina alienigena, & præſertim lolium & durum rotundumque aracum, quæ non eſculenta ſunt, item nigrum triticum, ex tritici mutatione generatum, quod lolio adhuc pejus eſt, deprehendantur, quæ comeſta & capitis dolorem & ulcera prava in cute inducant. Hinc ſuadet, ut omnes piſtores, & qui populo publice inſerviunt, frumentum probe cribris expurgent, & prava ſemina ſeligant. Ex quo inſigni loco rectius colligitur, etiam veteribus non plane hunc morbum cum origine ipſius fuiſſe incognitum.

§. XIX.

Ex venenis, inter eſculenta, quæ reperiuntur, non infimum locum tenent fungi, qui identidem ob copioſas pluvias & ex mucoſo & pituitoſo ſuperfluo lignorum ſucco ſolis calore progerminant, quorum fere omnes alienam & naturæ adverſam facultatem habent, quæ in quibuſdam plane deleteria eſt.

Scholion.

Ingens eſt fungorum copia & numeroſæ ſpecies, & forma & colorum diverſitate & qualitate inter ſe diſtinctæ, de quo Botanici maxime *Cluſius, Bauhinus in univerſali plantarum Hiſtoria*, & *Stœrenbeccius*, qui ex profeſſo de ipſis ſcripſit, conſuli poſſunt. Qui coloris nigri miniati ſunt & punctulis diverſiſque coloribus notati, hi omnes pro malignis habentur.

§. XX.

Symptomata graviſſima, imo lethalia, quæ à deleteriis fungis excitantur, ſunt maxime vomitus, præcordiorum oppreſſio, ventris tormina, cardialgia, diarrhœa, animi deliquium, frigidus ſudor, dyſenteria, ſingultus, tremor partium.

Scholion.

Scribonius Largus Cap. 66. *pag.* 107. hæc de eorum uſu narrat: *pariunt nauſeam, nequicquam magnopere rejiciunt. Præterea ſtomachi ventriſque & præcordiorum acutos efficiunt dolores, manante ſudore frigido per artus. Foreſtus de venenis Obſ. II. pag.* 36. ſolo interdum odore eos comitialis ſimiliſque cerebri morbi, imo ſubitæ mortis cauſam extitiſſe ſcribit, & mulierem ex eſu fungorum in morbum graviſſimum incidiſſe, & ab eo inſanam permanſiſſe refert. Plura exempla eorum, qui ex eſu fungorum perierunt, vid. apud *Joh. Schenckium in Obſ. Medic. Lib. VII. item Stalpartium van der Wiel Cent.* 1. *Obſ.* 40. *Hildanus Cent. IV. Obſ.* memorat, ſymptomata peſſima cuidam, qui manibus tantum fungos verſabat, accidiſſe. *Et Plinius in Hiſt. Nat. Lib. XXII. Cap. XIII.* quaſdam familias inde periiſſe commemorat.

§. XXI.

Utut quædam fungorum ſpecies inter edulia concedi poſſint: tamen non plane expertes ſunt malignæ cujuſdam acrimoniæ, præſertim, ſi non bene elixentur vel præparentur.

Scholion.

Meretur ſane hanc in rem egregius locus ex *Galeno Lib. II. de medicamentorum facultatibus Cap.* 69. adduci: *equidem novi*, ait, *quendam, cui poſt holetorum non ſatis elixorum, qui innocentiſſimi eſſe putantur, uſum largiorem os ventriculi preſſum ac gravatum coarctatumque*

futit, difficilemque habuit reſpirationem & in animi deliquium incidit & ægre ſervatus demum eſt oxymelite cum hyſſopo incocto. Cl. Sennertus in Inſtitut. Lib. IV. P. I. Cap. III. dicit, nullam eſſe ætatem, nullam corporis conſtitutionem, in qua non plus plerumque incommodi, quam commodi ex uſu tuberum & fungorum proveniat.

§. XXII.

Symptomata, quæ celeriter in ventriculi & inteſtinorum tunicis & cæteris corporis membranaceis ac nervoſis partibus fungi concitant, ab acrimonia ſubtili cauſtica provenire, vel id argumento eſſe poteſt, quod exſiccati & bene cum aqua calida eloti non ita noceant, & ſecundum *Galenum* acetum, & ſecundum *Celſum Lib. V. Cap. XXVII.* oleum, ſi cum hoc inferbeant, eos plane omni noxa vacuos faciant.

Scholion.

Patet jam ratio, quare rei culinariæ periti cum butyro, oleo, aceto tubera & fungos bene frixare, vel etiam cum cremore lactis præparare ſoleant, ut uſui apti fiant, ſine qua præparatione nunquam utile erit, hos intus adſumere. Si quis vero forſan venenatos quoſdam comederit, ego nullum præſentius poſſem ſuadere auxilii genus, quam ut emeticum cum copioſo lacte & oleo bibat, quod & temperandæ acrimoniæ & expellendæ ex ventriculi regione venenatæ materiæ erit accommodatiſſimum.

§. XXIII.

Corruptis alimentis & quæ virulenti adeoque valde noxii quidpiam ad deſtruendos vitales corporis noſtri motus aptum continent, annumerandæ ſunt animalium ægrotantium & ex morbo mortuorum carnes, quæ putredinem ipſis inhæreſcentem in corporis noſtri ſuccos propagant, & morbida corpora reddunt.

Scholion.

Sicut quivis peculiaris rei effectus primo per experientiam adſtruendus, poſtea per rationem ſtabiliendus eſt: Ita oportet primum circumſpicere, num carnes animalium ægrotantium noxam quandam corpori humano eſu adfricent. Communis eſt hæc opinio, neque prorſus nihili facienda. Obſervatio legitur *in M. N. C. Dec. A. VI. Obſ.* 91. quod quis morbidam & ad collum tumefactam ſuem mactaverit, à cujus carne indurata & ſalita comeſta maritus cum uxore & filiolo, præcedentibus capitis doloribus, vertigine, faciei intumeſcentia & crebra lipothymia, mortuus eſt, adeo ut ſtatim in omnes, quotquot morbida hac carne in victu uſi erant, hoc malum graſſatum fuerit. *Athanaſius Kircherus in Scrutinio de peſte pag.* 97. refert, anno 1617. diuturnis pluviarum diluviis camporum paſcua cœno oblita nonniſi virides comas protuliſſe, quas armenta boum carpentia, repentina putrilagine in faucibus concepta, ſuffocata interierunt, & horum boum carnes, qui comederunt, eos par calamitas adorta eſt. vid. quoque *Ammanni Irenicum p.* 177. ubi refertur funeſta ſtrages duodecim ſtudioſorum, qui anno 1677. in convictorio Lipſienſi culpa œconomi propter peſſimum victum interierunt, ſiquidem illę carnes ex vaccis macris & intus copioſa apoſtemata habentibus comedendas dedit.

§. XXIV.

Quum omnis putredo, præſertim quæ fit à morbo, ſit multiplicativa & humores animantium ad putredinem valde proclives facile afficiat, mirum non eſt, hominibus multum noxæ & periculi à comeſtis carnibus animantium morbidorum impendere.

Scholion.

Et homines & animantia, quæ ex morbo quodam, multo magis contagioſo, intereunt, ob intus latentem putridam corruptionem vitam amittunt, conf. *Patholog. generalis Part. I. Cap. I. §.* 14. 15. 16. Hæc vero putredo multum differt ab ea, quæ ex intemperie aëris calida & humida in ſanum mactatum animal incidit. Nam illa pernicioſior eſt, quia contagio lædit; hæc vero minus noxia, utut ſecundum noſtram ſententiam ab omnibus fœtore infectis carnibus aliiſque putridis alimentis tantum non penitus abſtinendum ſit, quia res fœtidæ nunquam utiles, ſed fluidorum in animantibus mixtioni admodum adverſæ ſunt. Nam ex uſu putridarum carnium, qui in Indiam Orientalem navigant, facile incidunt in dyſenteriam, quibus allium comeſtum præſentaneum eſt remedium. *vid. Otton. Heurnii notæ in Fernelii Patholog. Lib. VI. Cap. X.*

§. XXV.

Non tantum morbidæ carnes animantium, ſed etiam piſces morbo laborantes vel mortui perniciem corpori creant.

Scholion.

Ad marinorum genus referri etiam debent mytuli, qui macilenti & morbidi adſumti graves ſubinde noxas creaſſe obſervati ſunt. Multoties & in me ipſo animadverti, à mytulis ingrati ſaporis & nullius frugis in cœna ſumtis, noctu maximas anxietates, inquietudines, vigilias ſecutas; altero die totum corpus maculis & tuberculis ardentibus, ac ſi urticis cæſum fuiſſet, obſeſſum fuit: & meretur hoc loco attendi hiſtoria ab *Ammanno in Irenico* tradita, ubi vir primarius ex mytulis cœna adſumtis paulo poſt male habuit ejuſque etiam uxor & ancilla, quibus omnibus vomitus obtigit, vir vero tota nocte parum quievit, poſtea ſemper pejus ſe habuit ac frequenter vomuit & brevi poſt mortuus eſt. Plurima viſcera putredine corrupta viſa ſunt, ventriculus valde corroſus, ex parte foraminibus piſorum & lenticularum magnitudinem ſuperantibus, ex parte veſiculis refertus erat. Plures ſuſpicati ſunt, venenum fuiſſe adſumtum, & judicia à pluribus Collegiis Medicis de hoc caſu requiſita fuerunt, quorum tamen potioribus ſuſpicio veneni corroſivi remota fuit.

§. XXVI.

Ad eſculenta veneno infecta merito referendam eſſe exiſtimo braſſicam criſpam, *Braun-Kohl*, ſi rore vermiculoſo, *Mehl-Thau*, infecta fuit, quam ſi homines comedunt, facile incidunt in dyſenteriam morboſque malignos.

Scholion.

Rerum œconomicarum peritos non fugit, quam peſtilens & frugibus, dum adoleſcunt, & animantibus, quæ iis frugibus utuntur, ſit materia, quæ ſub foliis inhæreſcere ſolet, ex cumulo vermiculorum minutiſſimorum conflata; vulgus exprimit *Mehlthau*, & exiſtimat cum pluviis defluere ejuſmodi rorem farinaceum, qui transformetur in vermiculos. Enim vero nobis rectius & paulo accuratius hæc conſiderantibus res videtur plane alia & à vulgi opinione aliena. Veri enim ſimile eſt, cum vermiculi illi ſub foliis degentes magnitudine & figura caſeorum vermiculos æquent, qui acari & Germ. *Mülben oder Müllen*, dicuntur; originalem & veram vocem *Müllenthau* abuſu in *Mehlthau* tranſmutatam fuiſſe, cum tamen cum farina nihil quicquam commune habeat. Deinde falſa quoque eſt vulgi perſuaſio, à rore ſi vehumore cœlitus delapſo tantam congeriem vermiculorum deducendam eſſe. Quod ſi ita eſſet non ſub foliis, ſed ſuper folia vermiculoſa iſta materia ſubſideret, nec certa ſaltim invaderet loca & fruges ibi conſitas, ſed latius ſeſe diffunderet, & foliis etiam arborum inhæreret, quod tamen non accidit. Sed potius res ita ſe habet: obſervamus, maxime hoc vermiculoſum venenum generari in locis humidis & fœcundioribus poſt pluvias tenuiores cum ſolis æſtu decidentes, vel ſi ſolis intenſiſſimus fervor, qualis eſt circa ſolſtitium, ejuſmodi ſubtiliores pluvias mox excipiat. Ex pluvia itaque illa humectante terram valde ſulphuream, pinguem beneficio ſolis ſubito putredinem

dinem naſci in terra animatam exiſtimo, adeo ut effluvia illa ex terra hac ſub frugibus contenta organica ſint, id èſt, animata, quæ ſub foliis plantarum dum ſubſiſtunt, mox ex ſucco horum foliorum nutrimentum capiunt, & cito adoleſcunt, ut virides fiant & viſui pateant. Experientia enim compertum eſt, aquam pluvioſam, tenuem, vaſi concluſam ſolique expoſitam mox in vermes animari. Uti vero omnia inſecta ſal quoddam cauſticum habent, quo tenues fibras & tubulos frugum deſtruendo impediunt, quo minus veniant ad maturitatem: ita ſi braſſicam criſpatam inficit, qua populus frequentiſſime utitur, neque hæ ſordes venenoſæ prius aqua abluuntur, ſed potius cum aqua incoquuntur: accidit ſæpiſſime, ut dyſenteriæ, vel venenis aut effectibus venenorum ſimilia ſymptomata producantur. Ejuſmodi verminoſo veneno ſi herbas infectas oves vel alia animantia edunt, inter hæc ſtrages ingentes ſæpius fiunt, & vermiculi etiam, maxime in ovibus & in earum hepate, copioſe generantur & reperiuntur.

§. XXVII.

Ex potulentis, quæ veneni naturam induunt, ſunt aquæ maxime ſtagnantes, putridæ, verminoſæ, quæ & animantibus & hominibus infenſiſſimæ ſunt, & ad morbos maxime caſtrenſes morbumque Hungaricum ingenerandum multum faciunt.

Scholion.

Quantum damni perpeſſa fuerit Laida ex cereviſia Weſopiana, quæ ex aqua ſtagnante putrida & verminoſa cocta fuit, nondum oblivioni datum, inquit Ammannus loc. & cit. addit: *Anno 1671. hic locorum graſſabatur morbus malignus inter famulos piſtorum, unde vocabatur etiam* die Becker Kranckheit, *quo ultra quindecim brevi moriebantur, oriebatur autem à pravo potu: nam in dolium cereviſiæ per orificium ſuperius* (das Spuntloch) *glires irrepſerant, dubio procul à putredine illius ortum fuit malum.*

CAPUT X.

De frigido potu, vitæ & ſanitati hominum inimiciſſimo.

§. I.

EX iis rebus, quæ præſentiſſimam humano corpori noxam inferunt, & quaſi inſtar veneni illud celeriter afficiunt, quamvis in ſe omnis virulentiæ ſint expertes, eminet frigidus potus, incaleſcenti corpori copioſius immiſſus.

Scholion.

Nos equidem hic non ex toto rejicimus omnem aquæ frigidæ potionem, quin potius cum *Galeno* inter remedia continentium febrium & ad bilis flavæ impetum coërcendum eam reponimus: ſed damnamus ſaltim copioſum & frigidiſſimum hauſtum in corpore æſtuante & ab exercitatione calefacto.

§. II.

Experientia certa conſtat, plures à frigido potu hauſto mox interiiſſe, vel in extremum animi incidiſſe deliquium.

Scholion.

Plures de funeſto frigidæ potionis effectu hiſtorias collectas vide in *Marcello Donato de medicis hiſtoriis mirabilibus Lib. IV. c. 6.* item in *Caſp. Calderæ de Heredia Tractat. de potionum varietate*, nec non in *Amato Luſitano.* item *Benivenio de abditis ac mirandis morborum cauſis, & Hildano Cent. III. Obſ.* 48. Animi vero deliquium ex frigidæ aquæ hauſtu cum acerbiſſimo ventriculi dolore juvenis expertus eſt, cujus mentionem facit *Hildanus Centur. V. Obſ.* 29. Similemque hiſtoriam affert *Schenckius Lib. II. Obſervat. p.* 277. *Quidam ſub ardentiſſimo ſole pilæ luſu incaleſcens & ſudans, cum calicem frigidiſſimi vini biberet, animo mox defecit, ut ſemimortuus ad cubile delatus fuerit.*

§. III.

Frigida potio vitam tollit, quia copioſius calefactum in corpus ingeſta ſanguinis progreſſivum per vaſa motum repente ſiſtit.

Scholion.

Repetenda hoc loco erit veritas in phyſiologicis jam ſatis abundeque demonſtrata, vitam hominis perenni ſanguinis & fluidorum circuitu conſervari, adeo, ut, ſi is vel in totum, vel ad certum tantummodo tempus ſiſtatur, omnis cogitatio, omnis calor, motus, ſenſus, omnes denique vires repente auferantur. Cum vero nihil in rerum natura tam potenter & celeriter humores, in fluiditate & motu conſtitutos, coagulet, inſpiſſet & immobiles reddat, quam frigidum liquidum in corpus admiſſum; non mirum eſt, à copioſo frigidæ potu, celeriter venis, æſtuante ſanguine ſpumantibus, concepto mox vitalem iſtum circulum ſiſti, cordiſque ſyſtolen & diaſtolen ſi non in totum, tamen ad tempus tolli, quia vitales hæ motiones à perpetuo influxu & effluxu ſanguinis in corde dependent.

§. IV.

Frigidus potus maxime adverſus eſt ventriculi & inteſtinorum nerveo-muſculoſæ & membranaceæ texturæ, atque ideo graviſſimas in iis paſſiones ob ſpaſmos ingignit.

Scholion.

Sicut enim omne frigus partibus nervoſis, ſecundum *Hippocratem ſect. V. aph.* 17. & 18. & *Celſum lib.* 1. *cap.* 10. inimicum eſt: ita maxime ventriculus & inteſtina, inter nervoſas præcipuæ partes, pernicialem à frigido potu proxime & primario vim experiuntur, dum non modo à frigore ſanguinis & lymphæ nervorum per has partes liber tranſitus impeditur, ſed & tonus & motus earum periſtalticus ob rigiditatem, quam fibris infert, labefactatur, unde inflammatio, cardialgia, colica, iliaca paſſio, proveniunt. Ita *Aëtius TETRI. III. ſerm. lib. cit.* 28. à potu frigido ſi quando à ſudante ingurgitetur, iliacam paſſionem ortam notavit. *Borellus cent. II. obſ.* 2. memorat, puellas delitii gratia deglutientes glaciem torminibus, imo dyſenteriis periiſſe. In febri bilioſa cum juvenis potaret frigidam, cardialgia obortа eſt, teſte *Rhodio Cent. II. Obſ.* 71. In puella annorum 5. poſt emulſionem gelidiſſimam iliacam paſſionem productam vide *in Miſcell. Cur. an. 7. Obſ.* 73. Et nihil certe frequentius in praxi occurrit, quam quod à frigida potione mox homines in ſingultum, alii in colicam, cum alvi adſtrictione, incidant. Quæ omnes graves paſſiones teſtantur, naturalem harum partium tonum ingentem quandam vim paſſum fuiſſe. Ego plures novi ſanos antea & valentes, juvenes æque ac femellas, qui à ſolo frigidæ potu, poſtquam ab exercitatione præcedente valde incaluerant, hauſto, moleſtiſſimum illud, quod hypochondriacum dicitur, malum ſibi contraxerunt, à quo nulla arte poterant liberari. Siquidem hoc malum præcipuam ſuam cauſam atque originem in deſtructo ventriculi & inteſtinorum tono ac motu naturali poſitam habet.

§. V.

Neque tantum ventriculus & inteſtina, ſed & alia, præſertim ſanguinea viſcera noxam à frigido hauſtu percipiunt.

Scholion.

Scholion.

Quia frigidum fluido & calefacto ſanguini immiſſum illum denſat atque in ſpiſſitudinem cogit : facile patet, in viſceribus, quæ tantum non penitus vaſculoſa ſunt, ut lien, hepar, pulmo, à ſanguine tardius progrediente, ſtagnationes, infarctus & oppilationes fieri, unde graves & diuturnæ paſſiones incunabula ſua trahunt. Nihil ſane in praxi frequentius occurrit, quam quod à tempore meſſis ægrotent homines, dum phthiſi, tabe vel hydrope laborant. Cauſam & originem horum malorum, ſi paullo exactius inquiramus, unice eam rejicere ſolent in copioſum frigidæ hauſtum, quam ſe tunc temporis ſiti vehementi preſſos affatim accepiſſe dicunt. Qui morbi plerumque & foventur & vires accipiunt à polypoſis concretionibus, hinc inde in vaſis viſcerum majoribus poſt ſectionem repertis. Et profecto polyporum generationes, qui magnos & fere inſanabiles chronicos morbos efficiunt, meo quidem judicio, vix ab alia cauſa rectius, quam à frigido potu, celerius in corpus ſudans ac calefactum admiſſo, deduci poſſunt. Diſſecui aliquot abhinc annis generoſum juvenem, palpitatione cordis multos annos afflictum, tandem peripneumonia extinctum, ex cujus arteria pulmonali ingentis magnitudinis polypus extrahebatur. Hic palpitationis tam contumacis cauſam non aliam, quam potum cereviſiæ frigidum, poſt vehementem ſaltationem hauſtum, allegare poterat. Neque deſtituunt nos auctoritates veterum. *Celſus lib. I. c. III. p.* 28. perite; *Illud noſſe oportet, quod ex labore ſudanti frigidæ potio ſit pernicioſiſſima, atque etiam, cum ſudor ſe remiſit, itinere fatigatis inutilis eſt. Et Galenus lib. de ſanit. tuenda: frigidus potus ſpirandi difficultatem & tuſſim inducit, invalidat cerebrum, ac fluxiones inde concitat, ventriculum imbecillem reddit, & nervos lædit languidos. Et Hippocrates ſect. V. aph.* 23. *Frigida, velut nix & glacies, pectori inimica, tuſſes movent, ac ſanguinis fluxiones & deſtillationes efficiunt.*

§. VI.

Neque vero tantum frigidus hauſtus corporibus ſanis, à cauſſa externa, motu & exercitatione calefactis, nocet, ſed & febrili æſtu correptis exitium infert, gravia concitando ſymptomata.

Scholion.

Ita referente *Foreſto lib. I. Obſ.* 13. potus aquæ frigidæ copioſus in quodam comite, febre continua laborante, graves pectoris convulſiones induxit. Et notatu quoque digna hiſtoria eſt, quam *Hildanus Cent. III. Obſ.* 48. proponit, cum quidam febre ardente laborans, aqualem frigida impletum ſibi à domeſticis afferendum mandaſſet, ac hauſtum maximum & quantum anhelitus ferre potuit, bibiſſet, qui eadem die extinctus eſt. In intermittentibus etiam cautiſſime frigidus hauſtus admitti debet. Plures propter nimiam humidi frigidi ingurgitationem in cachexiam, anaſarcam & tumores pedum œdematoſos morbo finito incidunt. Præclarum circa hanc rem extat monitum in *Ludovico Mercato lib. I. de recto præſidior. uſu. p.* 55. *Aqua frigida in paroxyſmo intermittentium oppilat ſplenem, eumque in magnitudinem attollit, ſudorem promovet & ſymptomata plus auget, quam mitigat: nam lienem, jecur & cetera viſcera, ubi phlegmate obſidentur, attollit; & Lib. cit. p.* 50. hæc habet : *Arabes in frigido potu nimis ſunt licentioſi, Græci religioſe frigidum potum cavent, plura damna inde verentur, præſertim ſiquis laborat viſceris alicujus obſtructione, ſi humor putridus inſit, adhuc crudus, ſi tumor aut dolor in viſcere præcipuo, aut imbecillitas quædam ventriculi, jecoris, lienis. Et certe facile exinde tumor œdematoſus vel anaſarca gigni poteſt.* In hujus aſſerti confirmationem meretur adduci obſervatio notata *in M. N. C. Dec. I. A. VI. Obſ.* 52. *Juvenis tertiana laborans meſſis tempore aquam frigidam copioſe bibit, hinc hepate refrigerato incidit in hydropem.*

§. VII.

Frigidus potus excretiones ſanitati admodum ſalutares ſiſtit, & non tantum ſolennes ſanguinis vacuationes in viris & feminis, ſed & liberam per cutim ſpirationem impedit alvumque conſtringit.

Scholion.

Non una eſt cauſa, quare frigida potio ſaluberrimas corporis noſtri excretiones ſiſtat; nam primo, dum fluxilitatem humoribus ſecernendis adimit, fit, ut ad venas capillares, ex quibus maxime excretoria conſtant, ſecernenda materia pertingere nequeat. Deinde frigoris ea eſt natura, ut partes ſolidas conſtringat eaſque rigidas efficiat. Quia vero totius corporis membranæ, præſertim nerveæ, mutuum inter ſe habent commercium, ita, ut ſi una pars vehementius contrahatur, ceteræ omnes de ſtatu priſtino pariter declinent, & ſimili plane modo afficiantur, ut de corporibus elaſticis id perpetuum eſt; hinc frigida potio in ventriculum admiſſa mox totum afficit corpus, cutis contrahitur, ejuſque meatus ſtrictiores redditi, perſpirationem difficiliorem efficiunt, alvus quoque dura, tenſa & conſtricta fit, & vaſa uterina, quæ ſanguinem plorant menſtruum, arctiora evadunt; quare non mirum eſt, aquæ frigidæ potu femellis nihil eſſe nocentius & ſiſtendo menſium profluvio aptius. Eandem ob cauſam frigida potio eo tempore, quo in morbis materia peccans ad habitum corporis amandari & per cutis ſecerniculum expelli debet, alieniſſima eſt. Ita legimus in *Miſcell. Curioſ. Dec. II. A. IX. Obſ.* 19. frigidum potum in petechiis jam expulſis lethalem effectum habuiſſe. Idem metuendum eſt, ſi quis in exanthematicis febribus, eo tempore imprimis, quo variolæ, morbilli, vel purpura ad cutem propelli debent, frigidum potum concedere velit. Ego aliquot funeſtos effectus in febribus jam inclinatis & fere finitis vidi. Laborabat ante aliquot annos Berolini vir illuſtris, jam ſenex, ex peripneumonia, & poſt decimum quartum diem fere omnia remiſerant ſymptomata, niſi quod ob copioſos ſudores ſiti premeretur. Conceſſit medicus tunc ibi notiſſimus potum acidularum Tennſteinenſium liberaliorem, pro lubitu ſumendum. Ille intra trium horarum ſpatium duo vaſa, quæ duas fere menſuras continebant, exhauſit; brevi poſt ingens univerſum corpus languor tenebat cum ſumma virium dejectione, & intra quatuor horas interiit. Vidi quoque, feminam, quæ ex morbillis decumbebat & iis jam evaneſcentibus hauſtum valde frigidum adſumſerat, non modo in tuſſem & aſthma, ſed & contracturam pedum plures per annos durantem incidiſſe. Siquidem poſt febris impetum, hiſce in morbis ſedatum, natura jam tota occupata eſt in excernendis per tranſpirationem copioſis iſtis ſordibus, quæ ipſo in morbo genitæ fuerunt : quarum violenta retentio novis & gravioribus ſubinde malis producendis occaſionem ſubminiſtrat. Vidi quoque aliquoties ob frigidum potum, corpori exercitatione valde calefacto copioſius immiſſum, maculas & puſtulas, imo tubercula in univerſa cute, præſertim in facie, oborta, non aliam certe ob cauſam, quam ob perſpirationem repente interceptam.

§. VIII.

Eſt vero potio frigida peſtifera, ubi ventriculo imminet quædam inflammatio. Quare, qui pharmacum validius vel emeticum quoddam adſumſerunt, aut vehementer ira commoti fuerunt, ab hauſtu frigido velut à veneno ſibi caveant.

Scholion.

Res enim extra controverſiam poſita eſt, & ab ira & à fortioribus pharmacis ejuſmodi ventriculum eique annexa

annexa inteſtina ſpaſtica quadam ſtrictura corripi, quæ utique à frigido dum augetur, inflammatoria ſanguinis ſtaſis quam facile induci poteſt. Plures hac ratione mortuos, vel in miſerrimum infirmæ valetudinis ſtatum conjectos fuiſſe notavimus.

§. IX.

Nulli vero ætati ut omne frigus, ita maxime frigida potio tam infenſa eſt, quam ſenili.

Scholion.

Senes jam per ſe ex omnium medicorum conſenſione calidi, ut loquuntur, nativi defectu laborant, & valde languidum ad concoctionem habent ventriculum, idque eam ob cauſam, quia arctioribus meatibus redditis ſanguis & fluidum nerveum; uti in omnes partes, ita maxime in ventriculum & inteſtina parciori copia influunt. Quare multo facilius curſus ſanguinis à frigido in his partibus ſiſti poteſt, adeo ut ſphacelus mox eas partes corripiat. Quin etiam à ſola refrigeratione harum partium propter fructus horæos refrigerantes, æſtivo tempore magna in copia ingeſtos, aliquot decrepitæ ætatis viros mortuos animadverti. Quidam in ſtranguriam inde incidunt moleſtiſſimam, quæ ægerrime ſanationem recipit. Alii dolorem colicum, rurſus alii affectus ſoporoſos inde ſibi contraxerunt. Atque hoc ſaluberrimum præceptum circa noxam potionis frigidæ non modo ſenes, ſed & alii infirmioris naturæ homines & valetudinarii, & qui ex præcedente morbo, vel immodicis evacuationibus vires & vigorem amiſerunt, omni cura obſervare debent: ſiquidem nihil tam ſubitam in perturbanda motuum vitalium œconomia mutationem, præter exceſſivum frigus, ſive cum potu, ſive extrinſecus corpori admiſſum, inferre poteſt, ſique medici morborum tam chronicorum, quam acutorum primordia paulo curatius inveſtigare vellent, certiſſime futurum eſſet, ut nihil magis, quam frigidum potum ſanitatem offendere deprehenderent.

CAPUT XI.

De rebus non venenatis, ſed inſtar veneni in corpus humanum agentibus.

§. I.

PLures dantur in natura res, omnis quidem venenoſæ qualitatis expertes, tam inimicæ vero ratione effectus humanæ naturæ, ut veneni vim tantum non æmulentur.

Scholion.

Hujus generis effectus ſunt crudeles illi dolores, qui à rebus plane ludicris, intra vel etiam extra corpus admiſſis, ut vermibus, calculis, dentibus, aciculis, ictu veſparum, punctura partium nervoſarum proveniunt.

§. II.

Uti venenorum actio eſt pure mechanica, dum cauſtica ſpiculis acutiſſimis in nerveas partes graſſantur, eaſque arrodendo & lancinando in univerſo nervorum genere pro differentia partium atrociſſima pathemata inferunt: ita etiam ab arroſione nervearum partium à ſupra dictis aſperis & ſcindentibus rebus ſymptomata venenis ſimilia induci, experientia docemur.

Scholion.

Operatio certe venenorum non rectius & clarius, quod ſit pure mechanica, explicari poteſt, quam per hujſmodi res ſenſui manifeſtas, quæ cuſpidibus & ſpiculis fibrillas nerveas pungendo, diſcindendo eadem, quæ à venenis proficiſcuntur, ſymptomata concitare ſolent. Quo magis apparet, quam craſſus eorum ſit error, qui ad plane occultas qualitates & rationes agendi, v. g. terrores archei, ob damnum à veneno præſens, horum operationes referri debere contendunt.

§. III.

Vermes, in ventriculo vel etiam inteſtinis ſtabulantes, tunicarum nervearum roſione & vellicatione ſæpe totum nervoſarum partium ſyſtema graviter convellunt, & vehementes ſpaſmos atque convulſiones inducunt.

Scholion.

Qui hiſtorias morborum, à verminoſa progenie natorum, paulo accuratius perlegere cupit, quæ hinc inde à probatiſſimis auctoribus memoriæ proditæ ſunt, is veritatem hujus theſeos facile animadvertet. Ex compluribus vero meretur ea attendi, quæ conſcripta eſt à *Cl. Pechlino*, vid. *Lib. I. Obſ.* 65. ubi puer ſeptem annorum magna urinæ incontinentia divexari cœpit, & ſæpius velut fulmine ictus violentas corporis palpitationes, ſeu mavis conglobationes, intenſiſſima thoracis elevatione & animæ defectione comitatas, expertus eſt, cum ingenti ſimul fame juncta, quæ omnia dejectis vermibus binis longis & teretibus conquieverunt. Alius puer, vermibus vexatus, de lumborum, ventris & penis dolore conquerebatur, ut ſuſpicio calculi excitata fuerit; tandem oborta epilepſia eſt, quæ cum coli doloribus ceſſavit, vermibus alvo emiſſis. Legi quoque poteſt *in Miſcell. N. C. Obſ.* 187. *Dec. I. A. VI.* ubi à vermibus filia octo annorum ita fuit vexata, ut caput, brachia & crura in continuo eſſent motu & caput à dextro in ſiniſtrum & contra brachia & crura ſurſum deorſum agitarentur. *Gregorius Horſtius in Epiſtolis Medicinal. Sect. VII.* tradit, filiam 14. annorum à vermibus non tantum ingentem colli conſtrictionem, quaſi laqueo injecto fauces præcludente, cum imminente ſuffocationis periculo, ſed utriuſque inſuper tum brachii, tum cruris motum convulſivum fuiſſe perpeſſam. Perquam notatu digna etiam eſt obſervatio *Cl. Thomaſii in Miſcell. Curioſ. Dec. III. A. III.* de juvencula, horrendis epilepticis inſultibus correpta, cum apparitione ſimul ſpectrorum, quæ omnia ſtatim ceſſarunt, verminoſa progenie ſuperne & inferne rejecta.

§. IV.

Graviora ſunt ſymptomata, ſi ventriculi tunicas vermes arrodunt, quia hujus ingens eſt conſenſio cum univerſo nervoſo genere, & ſæpius exinde mors ſubſequitur.

Scholion.

Trallianus Lib. VII. Cap. IX. ait, frequenter vermes ſurſum ad os ventriculi adſcendere & cardiacos affectus ac immodicas animi defectiones excitare, ut nonnulli ſtatim intereant, unde mors infantum inopinata ab eroſo fit ventriculo. Equos à vermibus in ventriculo ſubito in horribiles artuum jactationes conjici & brevi interire, res vulgo etiam eſt comperta. Nam ſicut cauſticæ indolis venenum ſola roſione tunicarum ventriculi mox lethales infert ſpaſmos; ſimili ratione id poſſe fieri à vermibus, vero eſt congruum.

§. V.

Vermes in omnibus nervoſis partibus ſuas ludunt tragœdias & graviſſima concitant ſymptomata, non ſecus ac venena id efficiunt.

Scholion.

In ventriculo vomitum, nauſeam, famem, cardialgiam cum ſumma virium dejectione, in inteſtinis tormina, flatulentias, lienteriam, alvi fluxum, in corde ſyncopen & febres tam acutas, quam lentas & quotidianis ſimiles; in capite præter convulſiones delirium, aphoniam, cephalalgiam, ſomnolentiam, omnium ſenſuum

ſuum privationem, ut inſtar apoplecticorum velut morti vicini jaceant; in faucibus ſtrangulationem & ſalivæ fluxum, in ductibus urinariis urinæ incontinentiam, in facie colorem lividum, in naribus pruritum, in habitu corporis extremorum frigus & frequentem mutationem frigoris in calorem & contra; in aſpera arteria tuſſim excitant. Neque vero continuo hæc producunt pathemata, quæ potius interdum conquieſcunt, quandoque certis periodis repetunt, uti fere omnium, quæ à ſpaſmis oriuntur, afflictionum mos eſt, quia immanes partium à ſpaſmo tractiones & motiones preſſo pede earundem ſumma ſequitur imbecillitas, ſeu motuum debilitas.

§. VI.

Quum ſpaſticis ſtricturis vim & robur nervoſarum partium laceſſere ſoleant vermes, idque per paroxyſmos: prudenter ii agunt medici, qui ab acrioribus & expulſivis, ne ſpaſmos augeant, abſtinent, utpote quæ magis ſilentibus acceſſionibus uſui eſſe poſſunt.

Scholion.

Error hic medicorum vulgaris propemodum notandus eſt, quod ſine diſtinctione temporum & individuorum plerumque ſtatim, ad expellendos ingratos hoſpites, acria purgantia, vel etiam calidiora alia propinant, cum ſæpiſſime inde ſymptomatum fiat exaſperatio, tantum abeſt, ut auſpicatus effectus inde ſequatur. Fabula quoque eſt, quod circa novilunium anthelmintica tantum porrigi debeant; ſed potius delinientia & antiſpaſmodica in impetu ſymptomatum dare convenit. Poſtea iis quieſcentibus mercurium dulcem cum purgante ſtimulo, quod remedium omnium aliorum vires exſuperat, dare expedit. Semper tamen præſtat prius inteſtina probe emollire lacte, vel cum lacte etiam acriora dare, hinc vulgus etiam non mediocri cum effectu allium ex lacte cocto exhibere ſolet.

§. VII.

Immanes etiam ſunt illi dolores, qui ex aſperioribus vel grandioribus calculis, in viis urinariis hærentibus, excitantur, qui ſi graviores ſunt, facile etiam univerſum nervoſarum partium ſyſtema in conſenſionem rapiunt.

Scholion.

Solet ordinario calculus, ureteri inhærens, vicinas primum partes, ut ventriculum & inteſtina ipſamque veſicam cum ductibus urinoſis, & nervos ejuſdem lateris crurales ſpaſmo afficere, unde individui calculi comites nauſea, cibi faſtidium, vomitus vel conatus ad eum, frequens ructatio, inteſtina torquens dolor, alvus adſtrictior, urinæ ſtillicidium, ægra ſpinæ flexio, ac torpor cruris eſſe ſolent. A dolore vero acerbiori ex toto fit urinæ ſuppreſſio, pulſus febrilis, convulſio, ſumma anxietas, jactatio corporis, epilepſia & convulſio ſequitur, quæ viris plus, quam feminis funeſta eſſe ſolet, interdum etiam lethalis ventriculi accedit inflammatio.

§. VIII.

Neque tantum calculus in ureteribus, ſed etiam in ductibus nervoſo-muſculoſis, qui bilem ad duodenum devehunt, inhærens acutiſſimos efficit dolores, vicinas pariter & remotas partes in ſpaſticos motus abripiens.

Scholion.

Si calculus, ex cyſtide fellea protruſus, biliariis ductibus impactus eſt, crudeles in dextro hypochondrio oboriuntur dolores, cum ſumma anxietate juncti, intercipitur ſæpe uſque ad ſuffocationem ſpiritus, noctes ſunt inſomnes, jactatur corpus, alvus eſt dura & conſtricta, pulſus eſt contractus, extremæ partes inalgeſcunt & conatus eſt ad vomendum. Si diutius ibi moram trahit, ſequitur tabes vel etiam hydrops, quæ cuncta ſymptomata facile necem inferunt. Protinus autem ceſſant, calculo ex ureteribus in veſicam, vel ex ductu cholodocho in duodenum delapſo. De calculo veſiculæ fellis vid. Hiſt. *in Miſcell. Curioſ. D. I. A. VI. VII.*

§. IX.

Quum gravia illa ſæpiuſque funeſta à calculis orta ſymptomata nonniſi ſpaſticæ ſtricturæ partium nervoſarum inprimis imputanda ſint: facile patet, quam imprudenter ii medici agant, qui in impetu morbi fortiora pellentia, calida, acria diuretica & ſtimulantia propinant.

Scholion.

Notandus utique hic eſt nocentiſſimus & vulgaris error, qui per diuretica fortiora committitur, quæ ſpaſmos augendo non modo ſymptomata exaſperant, ſed & impediunt, quo minus è ſede ſua calculus moveatur. Sed potius clyſteribus emollientibus, foribus, balneis, anodynis laxandæ ſunt viæ, ita iis remittentibus leniſſimum pellens hujus propulſionem accelerabit.

§. X.

Immanes etiam ſunt ſpaſmi & generis nervoſi adflictiones, quæ funeſtum ſæpius in modum infantes teneros exercent, dum dentes difficulter pariunt.

Scholion.

Plures ex infantibus à difficili dentitione gravia ſymptomata pati, imo mori, notiſſimum eſt, præſertim, ſi ſint habitiores, & debile ex matre, ſi hæc eſt hyſterica, nervoſum genus obtinuerint. Simulac dentes, præſertim canini, movere & perrumpere gingivalem carnem incipiunt, protinus ingruunt pavores in ſomno, oriuntur febres, tormina in ventre cum alvi ſtrictura, accedunt aſthmata, convulſiones, catarrhi ſuffocativi, epilepſiæ lethales plerumque, quæ omnia à ſolo dolore proficiſci certiſſimum eſt.

§. XI.

Neque vero tantum infantes, ſed & adultiores ex dolore dentium gravia patiuntur mala.

Scholion.

Si vehementior dolor urget, ſtatim mutatio fit in pulſu, qui ad celeritatem inclinat, temporum arteriæ ejuſdem lateris valide moventur, ſuboriuntur anxietates, alvus fit ſtrictior & tardior, urina tenuis mingitur, pedes refrigeſcunt, in quibuſdam accedunt lipothymiæ; dolore ceſſante dolor & gravitas caput diutius detinet. Notabilis ſane occurrit hiſtoria, deſcripta à *Tulpio Lib. I. Cap. 36.* cum ſeni medico genuini dentes erumpere cœperunt, quorum eruptionem inciſis gingivis cum ſcalpello accelerare voluit, ſed inde omnia in pejus ruerunt, dum dolor non placatus, ſed crudelior factus: præterea febris, vigilia & delirium adeo efferum fuit, ut dies noctesque præ furore diſcurrere per conclave debuerit, antequam miſerrimo dolori finem mors impoſuerit. *Novi*, inquit *Hildanus Cent. II. Obſ. 12. qui ex nimiis dentium doloribus facti ſunt epileptici, alii viſum amiſerunt, alii viſum duplicatum acquiſiverunt*, de quo ſymptomate legi poteſt memorabilis hiſtoria *Cl. Raygeri in Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. I. A. VIII. Obſ. 62.*

§. XII.

Quoniam acerbus dolor unica & vera cauſa tam gravium & ſubinde funeſtorum ſymptomatum eſt in corpore, ubi nihil vitii in univerſa ſanguinis & humorum maſſa latet: nihil aliud utique agendum eſt medico, quam ut omnibus viribus annitatur, quo dolorum hæc ſævitia miteſcat, & effrenes illi in genere nervoſo motus & fortes oſcillationes & agitationes componantur; qua ratione mox omnium malorum alleviatio ſequitur.

Scholion.

Scholion.

Qua propter graviter errant medici, qui in difficulta-
dentitionis alvi laxandæ cauſa acribus ex gialappa
l ejus reſina, cum vel ſine mercurio dulci, non una,
l repetitis vicibus teneros infantes exercent, & copia
edicamentorum, potiſſimum calidorum, miſeros in-
ntes fatigant, à qua perverſa curandi ratione utique
hil aliud, quam major ſymptomatum vehementia ip-
que mors expectanda eſt. Simili ratione ad placanda
dolore dentium orta ſymptomata nihil præſentius
t, quam alvum aperire clyſteribus emollientibus, &
ri acris diſcuſſionem per blanda potius diaphoretica
m anodynis mixta & paregorica externa moliri, quam
ophlegmatizantibus & acrioribus calidis uti.

§. XIII.

Tam crudelis etiam eſt ille dolor, qui in meatu au-
itorio valde ſenſibili, ſive ex inflammatione, ſive ex
iimalculo, in aurem deſcendente, ſuboritur, ut præ-
r immaniſſima ſymptomata furorem atque etiam mor-
m accerſat.

Scholion.

Legi hac de re poſſunt *Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. II.*
. II. Obſ. 39. *it. Dec. I. A. IV. Obſ.* 50. Memorabile
xemplum, quod à globulo, in aurem ſiniſtram intru-
, omnes nervi ejuſdem lateris in conſenſum trahi poſ-
nt, adeo, ut convulſiones, epilepſiæ & ſummæ anxie-
ates producantur, *Hildanus Cent. I. Obſ.* 4. propoſuit.
dem auctor *Cent. IV. Obſ.* 25. id ulterius confirmat,
lum ex inſtillato liquore in aurem ab empirico vehe-
nentiſſimum cum febre & delirio dolorem excitatum
uiſſe teſtatur.

§. XIV.

Quam pernicialia à punctura nervorum & tendinum
nala non ſine vitæ periculo proveniant, ob conſenſum,
quem nerveæ hæ partes inter ſe alunt, complures fu-
neſtæ hiſtoriæ teſtantur.

Scholion.

Quemadmodum ex ſpina pedi infixa dolor, febris,
nflammatio oriatur, *Hildanum*, ceu teſtem, provoco.
id. *Cent. V. Obſ.* 2. idem auctor *Cent. I. Obſ.* 34. à de-
glutita acicula dolorem ardentem, febrem, delirium,
convulſionem ortam fuiſſe tradit. vid. quoque *Miſcell.*
Natur. Curioſ. Dec. I. A. III. Obſ. 86. Ex ſola acus
punctura in digito *Amatus Luſitanus Cent.* 1. *Hiſt.* 38.
dolorem & febrem notavit. *Cheſneau in Obſervat. Lib.*
I. pag. 120. hiſtoriam refert: quendam ex punctura
tendinis in pollice ſeptimo die mortuum eſſe; ex veſpæ
punctione gangrænam ſecutam, identidem *Hildanus*
Obſ. 80. *Cent. IV.* hiſtoriam proponit. Infelix eſt ea ve-
narum ſectio ubi nervus in manu circa baſilicam, vel
endo ſub cephalica lancetta læditur. Qua de re nota-
ile refert exemplum de Rege Galliarum, Carolo IX.
Paræus in Operibus Lib. IX. Cap. 38. & *Fonſeca Lib.*
. Conſultat. 74. item *Hildanus Cent. IV. Obſ.* 20. ubi
x læſo tendine per phlebotomum mox totum brachium
um maximo dolore intumuit. Convulſionem lethalem
x unguibus incaute reſectis deſcribit *Rhodius Cent. I.*
Obſ. 40. item *Meckern in Obſervat. chirurg.* à contuſio-
e medii digiti intolerabiles dolores cum tumore, in-
ammatione & vehementi febre ortam proponit. Et
uid frequentius evenit, quam à clavo pedum impro-
ide reſecto multos ob gangrænam ſupervenientem pe-
re, præſertim, ſi corpora ſunt ſenilia, impura & ca-
chymica. Immanis dolor, qui ex ingenti partium ner-
eo-tendinoſarum, ut ſunt pedes, manus, facies, am-
uſtione oritur, plures interficit. Superveniunt vomitus,
quietudo, animi deliquium, ſopor, convulſio, inquie-
do, in nonnullis inſania. Et certe ardentiſſimus ille do-
r, qui in variolis confluentibus ab exulceratione ma-

nuum die nono excitari ſolet, frequentiſſima eſt in ho-
minibus, qui ætate florent, meo quidem judicio, mortis
cauſa.

§. XV.

Magna itaque eſt dolorum potentia corporis noſtri
vires & motus deſtruendi, ita prorſus, ut veneni effec-
tus non abſimiles exhibeant.

Scholion.

Dolor eſt triſtis in mente ſenſatio, & oritur à violen-
ta motione & oſcillatione partium nervoſarum, quam
perpetuo ſpaſmus ſive conſtrictio inſequitur; quæ eo ma-
jor eſt & latius per univerſum nervorum genus ſubin-
de diffunditur, atque naturalem motuum directionem
in fluidis interturbat, quo violentior eſt ille in partes
membranaceas inſultus. Sicut vero gravior ſpaſmus,
qualis fit à venenis, ingentes & periculi plenas ſtaſes
& ſtagnationes, vehementium ſymptomatum, imo mor-
tis productrices, movet & vires plane exhaurit: ſimili ra-
tione tanta ſæpe eſt dolorum atrocia ac magnitudo, ut
ſpaſmi inde ſuborti vitales motus, ſanguinis ſcilicet cir-
cuitum inæqualem reddant aliterque dirigant atque de-
terminent, ita ut in hac vel illa nobili parte ſubinde ſi-
ſtatur, & homo tantum non penitus intereat.

§. XVI.

Ea eſt dolorum indoles ac vis, primum, ut aucto
in ſyſtemate partium nervoſarum motu oſcillatorio vi-
res deſtruendo homines quaſi exanimatos reddant; dein-
de, ut ſummas inquietudines atque anxietates cum fre-
quentiori loci mutatione accerſant; tum ut pulſum du-
riorem & celeriorem efficiendo calorem in univerſo
corpore accendant, ac tandem, ſi invaleſcunt, convul-
ſione ac delirio ſpiritum vitalem præcludant.

Scholion.

Horum moleſtiſſimorum ſymptomatum ratio non
aliunde repeti poſſe videtur, quam à vehementer lacef-
ſitis nervis & partibus, quæ ex iis conſtructæ ſunt, dum
cauſa ſubinde plane futilis & ludicra, nempe flatus,
vermes, calculus, dentes, ſciſſura, inſtrumenti cuſpis
& his ſimilia, vehementer eas exagitat. Quiſquis hæc
videt, facile intelligit, omne conſilium medentis eo
maxime omnium eſſe dirigendum, ut confeſtim dolo-
rem auferat, & violentas illas generis nervoſi afflictio-
nes allevet, ſi vel vires, vel vitam hominis ſervare ve-
lit. Divinam utique ejuſmodi in caſibus opem ab iis,
quæ dolorem efficaciter levant, & ſomnum inferunt,
expectare licet; modo maturius, neque eo demum tem-
pore, quo omnes vires jam penitus exhauſtæ, & fu-
neſtæ ſanguinis ſtaſes ſunt, exhibeantur. Nam incipien-
tibus morbis ſemper vires ſunt firmiores, quam ubi jam
diutius perſeverarunt.

§. XVII.

Ea eſt dolorum vis atque moleſtia, ut non modo to-
tum corpus inde patiatur, ſed imprimis, etiam alimen-
torum in ſtomacho digeſtio inde labaſcat, atque ſalu-
berrimæ illæ, quæ alvo atque perſpiratione fiunt, eva-
cuationes non parum imminuantur.

Scholion.

Nam ſi vehemens ex dolore ſpaſmus in univerſum
omnes nerveo-muſculoſas per conſenſum corripit par-
tes easque valide conſtringit, certe pertingit is etiam
ad inteſtina, unde vis motrix & periſtaltica ventriculi
& inteſtinorum læditur, cibi diutius ibi retinentur cum
excrementis, & ſumma quoque cutis ob ingentem ſtri-
cturam, quam patitur, parum perſpirat. Ex quo intel-
ligi debet, in omni graviori dolore cibi abſtinentiam
utiliſſimam eſſe, vel eum ſaltim imbecillem præbendum,
& loco vini aquam bibendam. Ex hiſce etiam recte

colligitur, evacuationes magno dolore cohibitas non acribus & ſtimulantibus, ſed potius ſedativis, & quæ dolorem levant, reſtituendas eſſe, quia ceſſante ſpaſtica ſtrictura ſponte ſequuntur priſtinæ tam per ſudorem, quam per alvum evacuationes. Recordor hac in re nefariam medici curam, qui, quando ex dentitione difficili tenelli infantes alvo ſtrictiori laborare cœperunt, repetitis purgantibus, quæ ex mercurio dulci & reſinæ jalappæ aliquot granis conſtabant, eam moliri, triſti ſæpiſſime exitu, in ſplendidis etiam perſonis tentabat: epileptici enim mox ſequebantur inſultus prorſus funeſti. Sed longiores fuimus in recenſendis illis gravibus vitiis, quæ cauſæ externæ potiſſimum & violentæ inferunt: ſequitur nunc, ut morborum origines ex iis rebus, quæ ad vitam & valetudinem intemeratam ſervandam pertinent, & nobis quotidianæ & domeſticæ ſunt, perſequamur. Id enim non dubium eſt, quin tum vita, vires & ſanitas, tum morbi & mortes ex iis rebus, quæ in corpora humana ingeruntur, cujus generis ſunt aër, cibus & potus, & quæ ex iis quotidie ejici debent, ſuam originem ac generationem habeant, ut adeo mirandum ſit, quod ea ipſa, quæ materiam & cauſam fovent vitæ & integritatis, mortem quoque & tot mala inferre poſſint. Ex aëre enim & diætis morbos oriri, rectiſſime *Hippocrates Libr. de flatibus* pronuntiat. Viſum eſt igitur nobis primum de diſpoſitione corporum ad morbos deinde de ingeſtorum vitiis & copia & intemperantia, naturæ inimicis, tum de excretionibus deficientibus & ſuppreſſis, & quæ exinde mala oriantur, ordine dicere omnemque rem tam clare oculis & menti ſubjicere legentium, ut, quæ vera ſit origo & generatio omnium morborum, & qua via illi præcavendi ſint, ſatis ſuperque appareat. Neque enim ego ſatis huc uſque mirari potui, quemadmodum, qui morborum origines & cauſas ſcriptis tradiderunt, è longinquo quaſi eas deducere ac derivare ex tot obſcuris & minus evidentibus rationibus atque principiis allaborarint, neglectis iis omnibus ſimpliciſſimis, facillimis, & quibus quotidie indiget homo, rebus, nempe ingeſtis, retentis & excretis, quæ tamen ad veram & realem morborum cauſam ſubminiſtrandam ſatis apta atque idonea ſunt.

PHILOSOPHIÆ CORPORIS HUMANI MORBOSI, SIVE PATHOLOGIÆ GENERALIS,

PARS III.

De morborum ortu ac generatione ex imbecillitate corporis humani, vitio ingestorum, impeditis excretionibus, sanguinisque & humorum abundantia atque impuritate, itemque de iisdem & præmatura morte præcavendis.

CAPUT PRIMUM.

Corporum imbecillitate morbis potissimum obnoxia.

§. I.

MEDICUS non tantum rerum nocentium, & quæ morbos inferunt, proprietates ac vires generatim & absolute, sed etiam relative imprimis & effective in individuo spectare & considerare debet: ita enim demum vera & utilis & ad judicandum & ad medendum apta observatio atque experientia enascitur.

Scholion.

Neque enim ullibi corporum dari vires certas & absolutas, sed omnes esse relativas & certis conditionibus adstrictas, supra jam docuimus. Has autem relationes ad tot diversa individua probe intelligere & invenire, id præcipui in medicina studii, laboris atque momenti est, & inter ea referendum, quæ vulgus atque empirici non satis capiunt, qui effectum in medicamento tantum ponunt, neque eum pro diversitate corporum mirifice variare & dissidere perspiciunt. Et ita quoque sese habent morborum causæ & res naturæ humanæ infensæ, quarum effectus pro varietate individuorum valde disjunctus & subinde plane alienus est. Siquidem ex activa rei virtute & reactione corporis, velut subjecti, quod recipit actionem, demum effectum certum produci, apud omnes philosophos in confesso est.

§. II.

Ingentem corporum humanorum differentiam veteres medici atque ex iis sapientissimi *Hippocrates* ac *Celsus* probe attendebant, quin imo pro primo & præcipuo artis nostræ habebant fundamento, eo quod in dies fere observabant, quod alterum lædit, idem alteri sæpius ne ullam quidem molestiam procreare. Atque ideo tam in morborum generatione & curatione, quam in iis præcavendis omne judicium, consilium & remediorum adplicationem ad corporum differentiam, quæ potissimum in ætate & habitu corporis posita est, maxime omnium vero ad eorum vires dirigi debere, rectissime judicabant.

Scholion.

Hippocrates Libr. de flatibus §. 8. differentiam corporum ita describit: *Differt corpus à corpore, natura à natura & nutrimentum à nutrimento; non enim omni animantium generi eadem aut non conferunt aut commoda sunt, sed sunt alia aliis magis convenientia.* Et *Libr. I. de morbis* §. 11. *pag.* 16. *differt corpus à corpore, & ætas ab ætate, & aliqui majorem tolerantiam in morbis habent, alii omnino ad tolerandum impotentes sunt.* Et *Sect. III. aph.* 2. *naturas quasdam ad æstatem, alias ad hiemem bene aut male se habere* prodidit. Neque hoc caret experientia & ratione: nam videmus senes & phlegmaticos & hypochondriacos æstate, quia perspirationem auget, optime se habere, contra hieme, quæ eandem cohibet, pessime. *Idem Auctor Libr. de articulis pag.* 83. ait: *magna est differentia naturarum in hominibus, ut hoc vel illud facile aut difficulter ferant. Et Libr. II. Prædictionum* §. 20. *multum differt corporis ipsius hominis structura, aliquando enim neque febricitat, neque inflammatur sauciatus, aliquando etiam citra causam febricitat, & aliqua corporis pars omnino inflammatur. Alii præ vulneris dolore delirarunt & febrientes mortui sunt. Quicunque enim aut corpus febricitans habent aut mentem turbatam, talia patiuntur. Sed neque hæc admirari oportet, neque formidare, illud expendendo, quod & animæ & corpora hominum plurimum differunt & vim maximam habent.*

§. III.

Differentia inter corpora imbecillia & inter firma ac robusta maximi est momenti in arte medendi; utpote illa morbis admodum sunt obnoxia, hæc vero rarius ægrotant.

Scholion.

Maximæ utilitatis hæc veritas primum auctoritate veterum, deinde solida ratione, tum etiam experientia omnino stabilienda venit. Primum prodeat *Hippocrates*, qui in *Libr. de Veteri Medicina* §. 21. hunc in modum differit: *Cæterum tales naturas, quæ cito & fortiter ejusmodi delictis offenduntur, imbecilliores aliis esse judico. Proximus autem est imbecillus languenti: verum imbecillior est languens.* Et eodem *Libr.* §. 7. scribit: *Consentaneum est, plurimos & debiliori natura præditos*

periiſſe, eos vero, qui victum illum ſuperare poterant, longiori tempore duraſſe & reſtitiſſe. Huic ſuffragatur *Celſus Lib. I. Cap. III.* in fine: *Omnibus morbis obnoxia maxime eſt infirmitas.* Et alibi: *quando corpus offenſum eſt, id maxime ſentit pars vitioſa*; adde *Cap. I.* ubi quemadmodum ſanos agere conveniat, ediſſerit hunc in modum: *Sanus homo, qui & bene valet & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque medico, neque iatroalipta egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus, nullum cibi genus fugere, quo populus utatur, interdum in convictu eſſe, interdum ab eo ſe retrahere, modo plus juſto, modo non amplius adſumere. Cap. II.* vero, quæ imbecillis ſervanda ſint, prolixius exponit. Multum quoque refert, in adhibendis medicamentis ſcire, robuſta an infirma natura fuerit; hinc *Hippocrates Libr. de Locis in Homine* §. 39. fortibus forte, debilibus vero debile medicamentum exhiberi jubet.

§. IV.

Robuſti & firmi homines rarius ægrotant, & multi per omnem ætatem à morbis immunes degunt.

Scholion.

Utut innumerabilis ſit multitudo & morborum & earum rerum, quæ hominis valetudinem offendere poſſint, tamen mirandum eſt, complures dari homines, qui per omnem ætatem, ſi forſan infantilem exceperis, à morbis immunes degunt. Quot ſunt, qui nunquam febrem experti ſunt, qui nullis ſpaſmis, doloribus, vel cruentis profluviis urgentur, qui à podagra, phthiſi, hydrope, cachexia, malo hypochondriaco, ſcorbuto aut ſphacelo & gravibus capitis morbis non infeſtantur. Et hoc in numero maxime ſunt robuſti, laboribus dediti, duro & ſimplici victu utentes, plebeii, ruſtici, qui vitam ſine affectibus & ſine angore tranſigunt, ætate juvenes, viri, ratione habitus corporis macilenti, venis amplioribus præditi, carne tenſa, firma & muſculoſa gaudentes, de quibus veriſſime pronunciat ſacra ſcriptura, robuſtos non egere medico vel medicina. Contra vero parum firmi homines, ætate infantes, ſenes, habitus corporis fluxi & ſpongioſi, à natura debiles, & qui tenues & copioſas habent venas, qui vires ex præcedente morbo, vel vehementi medicina, aut animi turbatione gravi adflictas habent, ii continuo morbis patent, conqueruntur, & pluribus malis ac moleſtiis idque frequentiſſime exagitantur.

§. V.

Robuſta & imbecillis natura hominum maxime ex virium ſubſtantia, copia & proportione æſtimanda eſt.

Scholion.

Vires in corporibus non aliæ intelligendæ ſunt, quam motrices, quæ motu maxime ſe exerunt. Hæ vero ex certis ſedibus quaſi comprehenſæ in univerſum corpus diffunduntur. Animales, quæ ſenſum motumque præſtant, è cerebro & medulla ſpinali per nervos veniunt; vitales ex corde per arterias diffuſæ identidem ad calorem, motum, reſpirationem & ad corpus à corruptione per continuam rerum alienarum excretionem vindicandum conferunt: naturales ex ventriculo & alimentorum canali proficiſcuntur, & materiam ſanguinis & ſucci nutricii præbent. Itaque ſomnolentia, aſſidua vigilia, debilitas ſenſuum & motuum voluntariorum, virium animalium imbecillitatem arguunt; pulſus vero parvi, debiles contracti, reſpiratio crebra & difficilis infirmum vitæ robur oſtendunt: depravatus vero appetitus, flatus, retenta excrementa, vitioſa nutritio, virium, ut ita loquamur, naturalium defectum commonſtrant.

§. VI.

Igitur robuſta & ſana corporis natura illa nobis dicitur, in qua omnes corporis functiones ſalvæ ac integræ ſunt, quod fit, ubi motus ſolidorum ſyſtoles & diaſtoles & progreſſivus fluidorum, neque minus excretorii, qui aliena & inutilia à corpore ſeparant, vigent; imbecilla vero natura eſt, in qua motus illi depreſſi, impares & languidi functiones corporis animati depravant.

§. VII.

Quo vividiores ſunt motus progreſſivi & excretorii in corpore, eo valentior & robuſtior eſt homo, eo quod ſufficiens & proportioni congrua lymphæ per nervos, & ſanguinis, nec non ſucci nutritii per arterias in totum corpus inque motus organa copia influit; tum etiam, quia motu inutile & effœtum ſemper à corpore ſejungitur, & utiles ſucci in ejus locum reſtituuntur.

Scholion.

Superioribus locis ſatis abundeque explicavimus, vires ex aëre & alimentis probe digeſtis & ſubactis, quæ commodam materiam boni ſanguinis & lymphæ ſubminiſtrant, ratione primæ originis proficiſci; fuſius quoque docuimus, per continuas & proportione ingeſtis reſpondentes excretiones corpus vires & vitam conſervari.

§. VIII.

In imbecillibus vires & motus deficiunt, excretiones non recte fiunt, & parum boni ſanguinis & ſpiritus accedit ad corpus, unde ſuccorum & nimia fit abundantia & nimia impuritas, atque adeo ex retentis & ſtagnantibus humoribus ſolennis morborum fit origo ac generatio.

§. IX.

Cognoſcitur natura robuſta ex motuum organis ac vaſis & cavitatibus, quæ ſuccos continent, & per quas illi feruntur.

§. X.

Quorum corpus vaſis latis & capacibus eſt, quorum fibræ ſolidæ, compactæ & renitentes ſunt, quorum nervi ac tendines robuſti, cor & caput amplum, ii robuſtam naturam præ ſe ferunt. Qui vero exiles & tenues habent venas, fibras valde laxas, molles ac ſolutas, nervos quoque & tendines teneriores poſſident, ii naturæ infirmæ & debiliores recte habentur.

Scholion.

Per ampliora enim vaſa ac nervos magnos plus ſanguinis & fluidi ſubtiliſſimi ſuccique nutritii ad partes adfertur, quam per tenuia & exilia; per capaciora etiam vaſa ſanguis cæterique humores liberiori & expeditiori curſu circumferuntur, qui in anguſtioribus facile hærent & ſtagnant. Præterea per majores diametros vaſorum in excretoriis liberiores & largiores fiunt excretiones, quam per anguſtiores & minores. Et quia in liberiori ſanguinis circuitu & vacuationibus bene ſuccedentibus ita robur & ſanitas conſiſtit: ſequitur, languidiorem ſanguinis motum deficientes, excretiones ad congerendos vitioſos, qui morbum inferunt, & humores eſſe aptiſſimas. Accedit, quod major calor ſit in robuſtiori, minor in imbecilliori, nam ſecundum *Galenum Libr.* II. *de temperamentis, quicunque latioribus ſunt venis, natura calidiores exiſtunt, qui anguſtis, frigidiores.* Atque ob id etiam ſecundum *Hippocratem* calido ſunt ventriculo graciles & qui venas prominentes habent.

§. XI.

In numerum imbecillium referendi etiam merito ſunt, qui texturam corporis exquiſitius ſentientem habent, i. e. qui ex levi cauſa atque occaſione motuum anomaliis ſpaſticis & convulſivis ſunt obnoxii.

Scholion.

Videtur quidem diatheſis facilis ad ſpaſmos & præter naturam

naturam oſcillationes fibrarum imbecillitati, quæ in defectu motus conſiſtit, repugnare. At diſtinguenda hic merito eſt ſenſibilitas, quæ fit ſecundum & quæ præter naturam: illa ex integris & plenis, hæc ex viribus exhauſtis & ſanguinis ac fluidi nervei defectu potius oriri videtur. Quod & convenit cum experientia, nam videmus, qui è morbo mox convaluerunt, qui ex immodicis ſanguinis profuſionibus vires amiſerunt, ad terrorem non modo & animi affectus valde eſſe proclives, ſed & à frigore vel ab intemperato cibo & potu graviſſime lædi, & doloribus, ſpaſmis atque anxietatibus corripi. Videmus quoque infantes, ætate & natura imbecillimos, & doloribus & convulſionibus valde eſſe obnoxios. Senes ut plurimum tam teneri ſenſus ſunt, ut minimam mutationem aëris in corpore perſentiant, ut quaſi perpetuum ſecum ferant calendarium. In partes enim nervoſas imbecilles, calore & ſucco nerveo deſtitutas, plurimum potentiæ cauſas externas habere animadvertimus, ita ut earum actioni & motui promtius nerveæ, quæ ſenſus & motus præſides ſunt, obtemperent, quod apud eos non evenit, qui corpora poſſident interno ac naturali calore, ſanguine ac ſpiritu, quantum ſatis, prædita.

§. XII.

Quædam infirmitas ab ipſa natura & ex ſtructura corporis fluit, alia eſt adventitia, quæ per violentiam quandam ab abuſu rerum externarum, imo per ipſos morbos & intempeſtiva medicamenta inducitur.

Scholion.

Ad imbecillitatem, quæ à natura fit, pertinet ætas, habitus corporis, ſexus, hæreditaria diſpoſitio, temperamentum, conſuetudo; adventitiam vero rerum nocentium abuſus, animi affectus, intemperantia in cibo & potu, validiora medicamenta & maxime omnium vehementes morbi producunt & poſt ſe relinquunt.

§. XIII.

Ad eos, qui ætate imbecilli ſunt, maxime pertinent infantes & ſenes, nam & infantilis & ſenilis ætas frequentioribus morbis obnoxia atque implicita eſt.

Scholion.

Morbos infantibus & pueris familiares recenſet *Hippocrates Sect. par.* 24. *ſeqq.* Atque teſtatur experientia, ætatem infantilem multis morboſis moleſtiis expoſitam eſſe, & duplo plerumque eſſe majorem numerum, qui ſingulis annis moriuntur, infantum, quam in ceteris ætatibus. Maximam vero ſtragem morbi epidemii iique maligni, ut peſtis, dyſenteria, variolæ, in infantibus ordinario edere ſolent.

§. XIV.

Morbi, infantibus tenellis & pueris quoque proprii, infeſtant maxime caput, inque ejus parte tam interna, quam externa fixam ſuam ſedem & domicilium habent.

Scholion.

Unde videmus, capitis tineam, cruſtam lacteam, achores, oculorum & aurium fluxiones, epiphoram, ſtrabiſmum, coryzam, gravedinem, glandularum in collo tumores, aphthas & capitis dolores, fluxiones narium, epilepſiam quoque, convulſiones, pulmonalium nervorum paralyſin, ſive catarrhum ſuffocativum, familiariſſimos eſſe infantum morbos.

§. XV.

Infantibus qui infeſti ſunt morbi, modo ab univerſo corpore laxo, raro, molli ac debili, modo ab imbecillitate capitis & ſyſtematis nervorum dependent. Et quia motus ſolidorum tam in corde & vaſis, quam in inteſtino canali admodum languidus eſt, atque excretiones, quæ fiunt alvo, non recte reſpondent, major humoris ſeroſi & impuri fit accumulatio.

§. XVI.

Cum infantiles morbi maxime ab excretionibus deficientibus ac ſuppreſſis per ſeceſſum & tranſpirationem proveniant: humores impuri accumulantur, & prout ſtagnantes variis partibuus inhæreſcunt, diverſa morborum ſchemata in ſcenam producunt.

Scholion.

Prima in regione cruditates acidæ, bilioſæ, viſcidæ, ex nimia voracitate productæ, anxietates, dolores, ejulatus, vigilias, inquietudines, inflationes ventriculi & abdominis, pertinaces tuſſes, ſingultum, vomitum, capitis gravitatem & dolorem producunt. Si validiori naturæ robore ad partes capitis externas impuri humores propelluntur, exulcerationes capitis, achores, cruſta lactea, aphthæ, aurium & oculorum fluxioness, gravedines, coryzæ, tumores glandularum colli fiunt. Interdum quoque ad habitum corporis, ad ipſos quoque pedes ſalſæ impuritates delatæ, varias puſtularum, macularum & exanthematum ſpecies producunt. A terrore vel vehementi dolore & ſpaſmo humores delati ad cerebri membranas epilepſiam concitant, quæ eſt univerſalis ſpaſmus omnium nervoſarum partium in toto corpore. Si vero ad membranas medullæ ſpinalis acres humores feruntur, convulſivi & ſæpe ſtupendi motus fiunt. Nimia vero ligamentorum laxitas ad luxationes & rachitidem diſponit.

§. XVII.

Quicunque igitur vult præcavere infantiles morbos, is certe omni cura eo anniti debet, ut infantum corpora perſpirabilia ſervet, & ut excretiones alvinæ ſemper bene reſpondeant ingeſtis, & alvus nunquam clauſa ſed bene fluxilis ſit, ita enim omnis fomes morborum præſcinditur. Dici vix poteſt, quantum commodi hiſce corporibus hujus rei gratia conferat uſus pulverum abſorbentium, oleo tartari per deliquium imbibitorum, ſi cum æquali portione rhabarbari, addita una vel altera gutta olei aniſi vel fœniculi, vel etiam pauxillo croci, miſceantur & crebrius offerantur. Singularem etiam hic opem ferunt infuſa veronicæ, ſeminis fœniculi ex aqua calida, & frequens uſus clyſterum plane emollientium, præſertim, qui ex decocto florum chamomillæ vulgaris fieri ſolent.

§. XVIII.

Senum morbi identidem non ex alia cauſa, quam imbecillitate virium & defectu ſalutarium excretionum per alvum & cutis ſpiracula enaſci ſolent.

Scholion.

Vires decreſcere in ſenibus & ipſam ſenectutem maxime in languore conſiſtere, extra controverſiam eſt; ob fibras enim, per tot annos denſiores & rigidiores factas, ob anguſtiora reddita vaſcula, quæ modo ſecretioni lymphæ nutritiæ in habitu corporis, vel ſpirituoſæ in nervis cerebri & ſpinalis medullæ, modo excretionibus vacant, ſenſus, motus & nutritio non ſolum decreſcunt & vires adfliguntur, ſed & major ſuccorum copia & impuritas in ſenili corpore accumulatur, quæ nunquam non graves adflictiones poſt ſe trahunt.

§. XIX.

Ob deficientem alimentorum digeſtionem & ſordium excrementitiarum in alvo retentionem flatulentiæ, ructus, colicæ, corporis languor, vigiliæ, inquietudo ſubinde ſenes premere ſolent.

§. XX.

Libera halituum perſpiratio, ordinario in ſenibus ob meatuum

meatuum cutaneorum anguſtiam & conſtipationem, neque minus ob caloris defectum, cum facile refrigerantur, difficilior multas ſeroſas impuritates, quæ excerni debebant, fovet atque ingenerat.

Scholion.

Inde familiariſſimæ ſenio confectis ſunt gravedines, coryzæ cum capitis gravitate junctæ, tuſſes valde humidæ, raucedines. Aucta vero impura ſalſedo atque ad cutaneos tubulos delata, ſi ibi ſtagnat, moleſtiſſimum pruritum, ſiccam ſcabiem herpeti ſimilem, cutis ariditatem ſquamoſam & ſimilia vitia ſuſcitat. Si vero ſerum ſalſius ac tartareis partibus onuſtum per urinarios ductus viam atque exitum affectat, atque diutius ibi moram trahendo ſenſiles partes adfligit, ſtranguriæ, urinæ difficultates acerbiſſimæ, veſicæ arroſiones, urinæ mucoſæ, quæ in veſicæ calculum ſubinde coëunt, hanc ætatem infeſtant.

§. XXI.

Plures ex ſenibus, qui adhuc bene valent & nimium otio indulgent ac laute vivunt ſomnoque utuntur pleniore, nimiam ſuccorum plenitudinem, quæ virium robur vincit, & quæ tranſpirationem difficiliorem reddit, ſibi ingenerant, quam impuritas preſſo pede inſequitur. Hinc non mirum eſt, humorum inſenſas ſtagnationes hinc inde in viſceribus & ab his morbos chronicos, ſenibus admodum familiares, oriri: cujus generis ſunt lentæ febres, quæ maraſmi nomine veniunt, cachexia, tabes, ſcorbutus, qui perquam facile in ſphacelum abit, in capite apoplexia, auditus gravitas, viſus hebetudo, paralyſis, memoriæ abolitio & ſimiles.

§. XXII.

Quum ſenum morbi potiſſimum & nimiæ humorum plenitudini & horum impuritati, propter diminutas & deficientes excretiones, origines ac incrementa ſua debeant: in promtu eſt judicare, ea, quæ vacuatione detrahunt, prudenter adplicata, ut virium robur ſervetur, optima eſſe adverſus hos morbos præſidia.

Scholion.

In quæſtione poſitum id eſſe tum à veteribus, tum à recentioribus video, debeatne ſenibus, & quidem decrepitis, ſanguis emitti. Plures adſerunt, venerabilem illum virium & vitæ theſaurum omni modo eſſe cuſtodiendum. Alii nimiam ſanguinis copiam onerare naturam ac vires, ut regere motus & ſubigere materiam nequeant, adfirmant; ſed eximenda rei hujus controverſia eſt. Plurimi ex ſenibus ſunt plethorici, & quia parum exercent corpus, & ſub tranquillo animo pleno & lauto victu utuntur, plus ſanguinis generant, quam ipſis utile eſt. Tali utique in caſu juſta ſanguinis detractio, modo non ſit nimia, ſed moderata & poſt eam debitum regimen ſervetur, prorſus non repudianda eſt. *Rhaſes*, auctor Arabs, adeo ſanguinis miſſionem non horruit, ut vel ipſis etiam decrepitis, modo qualiſcunque ſuppeteret vis, eam confidenter bonoque cum ſucceſſu adhibuerit. Helvetii, ad extremam etiam ſenectutem pervenientes ſanguinem non ſine commodo quotannis bis vel ſemel emittendum curant. Rectiſſime enim & *Galenus* & *Celſus* ſentiunt, in ſanguinis detractione non tam annorum numerum, ſed potius corporis habitum & vires reſpiciendas eſſe. In iis vero, qui jam imbecilles ſunt, parum cibi ſumunt, vel ex morbo laborant, vel morbidæ conſtitutionis ſunt, hoc auxilii genus prorſus non probandum eſſe judicamus. Copioſius hac de re egimus *in Diſſert. de magno venæ ſectionis ad vitam longam præſidio.*

§. XXIII.

Parcior cibus iſque concoctu facilis, frequens corporis, præſertim ſub ſereno & temperato cœlo & maxime per equitationem, lecticam aut currum, motio & moderatior vini generoſi aut medicamenti balſamici uſus cum ſufficiente, ſed opportuno potu; hæc ſunt, quæ & vires & valetudinem ſenum tuentur, adeo, ut his præſidiis adjuti ad extremam & placidam ſenectutem pervenire poſſint.

Scholion.

Qui valetudini ſenum tuendæ præſunt, id etiam curare debent, ut alvus non reſiſtat, nec officii ſui obliviſcatur. Cum vero nihil magis perniciosum ſit huic ætati, quam purgans, & quod nimium ſtimulando vim ſtomachi laceſſit: certo optime ii rebus ſuis conſulent, qui ejuſmodi cibos admittunt, quibus laxandi facultas ineſt, unde ſalſa, dulcia, vina, quæ laxant, ſi reliqua bene habent, non ex toto ſenibus circumcidere oportet.

§. XXIV.

Corporis habitus plurimum quoque facit magnamque vim habet ad morbis obnoxiam imbecillitatem, qualis eſt ſpongioſus, rarus, laxus, non latis, ſed tenuibus & copioſis vaſis conſpicuus, ſub quo facilius homines ægrotant, difficilius evadunt, & brevioris quoque vitæ ſunt, eo in quoque conſentiente *Hippocrate* Sect. II. *aphor.* 44.

Scholion.

Quemadmodum omne robur vitale in libero & expedito ſolidorum & fluidorum motu & circulatione, & recrementitiarum partium ejectione conſiſtit: ita infirmitas in languore illorum motuum poſita eſſe utique videtur. Cum vero per fibras laxiores & tubulos tenues atque exiles non multum ſanguinis laudabilis ad motum ac robur ſolidorum accedere, & parum quoque per convenientia loca inutilis ſucci effluere poteſt; facile apparet, ejuſmodi ſtructuræ corpora & vires habere ſubinfirmas & quam facile etiam à copia, intemperie & aliena rerum facultate lædi & præter naturam affici poſſe. Accedit, quod in ejuſmodi corporibus ſanguinis & humorum ſtaſes in acutis morbis: in chronicis vero ſtagnationes & vaſorum infarctus difficilius, quam in iis, qui compactas & robuſtas fibras habent, & qui latioribus vaſis gaudent, diſcutiantur & ob id magis in morbis ſuccumbant. Sique experientiam conſulimus, certe ea nos docet, qui frequentius ægrotant & rheumatiſmis, catarrhis, podagræ, hypochondriaco calculo, phthiſi, lentis febribus, abſceſſibus, cachexiæ, menſium & hæmorrhoidum inordinatæ fluxioni obnoxii ſunt, & inter fœminas, quæ facile abortiunt & gravia in puerperio mala perpetiuntur, eos fere omnes tenuioris & laxioris eſſe carnis ac ſpongioſi corporis habitus, pinguedine ſæpius & nimia vaſorum tenuitate laborantes.

§. XXV.

Quum ratio temperamentorum, quæ hominibus adſignantur, meo quidem judicio, non tam in natura & temperie ſanguinis, ſed potius in ſtructura & habitudine ſolidorum ad motus, quæ haud ita facile ac fluida immutantur, quærenda ſit; rectiſſime etiam morbos, qui vulgo ſic dictis temperamentis adſcribi ſolent, à ſolidorum ſtructura, habitu & viribus deducendos eſſe arbitramur.

§. XXVI.

Qui in ſpongioſo & vaſculoſo corporis habitu multum ſanguinis boni & temperati alunt, ſanguinei: qui plus ſeri, quam ſanguinis habent, phlegmatici dicuntur. Ubi ob fibras teneriores, tenſiores, atque ad motum, impulſum & ſenſum vegetiores, expeditior & celerior per vaſa curſus eſt, temperamentum ſic dictum cholericum enaſcitur. Sub fibrarum vero & partium ſolidarum denſitate, rigiditate & ad motum tarditate circuitus ſanguinis difficilior vel tardior eſt, & ita melancholicum ſic dictum exſurgit.

Scholion

Scholion.

Quando cholerici vaſa ampliora, adeoque magis ſanguine diſtenta habent, temperamentum cholerico-ſanguineum fit. Si vero melancholici latioribus vaſis, ad majorem ſanguinis quantitatem vehendam aptis, inſtructi ſunt, ſanguineo-melancholicum dicitur temperamentum; ut adeo pateat, ex partium ſolidarum ſtructura diverſa, & pro majori vel minori ſanguinis & humorum quantitate eorumque celeri vel tardo curſu, differentem temperamentorum rationem commodiſſime explicari poſſe. Apparet quoque porro ex dictis clariſſime, ſanguineum facile in phlegmaticum, & plegmaticum in ſanguineum, & ſanguineo-cholericum in ſanguineo-melancholicum, & contra etiam hoc in illud per diverſam victus & vitæ rationem, vel etiam per morbos, tranſire & commutari poſſe.

§. XXVII.

Diſſidens hæc & varia ſolidorum ad fluida & fluidorum ad ſolida, reſpectu motus ſanguinis, habitudo ad morborum diſpoſitionem, ortum, ad ſymptomatum quoque exacerbationem, item ad medicamentorum operationem aliam atque aliam utique plurimum valet & magnam vim habet, atque ob id hæc cognitio medico neceſſaria & digniſſima eſt.

§. XXVIII.

Sanguinei facile incidunt in eos morbos, qui ex ſpongioſo habitu corporis & ſanguinis plenitudine proveniunt. Phlegmatici in eos propendent, qui ex humorum impuritate & abundantia fiunt; cholerici in acutas paſſiones, in chronicas vero, quæ ex viſcerum infarctu & obſtructione fiunt, magis melancholici proclives ſunt.

§. XXIX.

Magna quoque eſt ſequioris ſexus ad morborum frequentiam ex habitu ſpongioſo & tenero proclivitas.

§. XXX.

Fœminas præ viris morbis plus eſſe expoſitas, adeo ut duplo majores, *Helmontii* effato, illæ patiantur, extra dubium eſt; id vero non aliunde fit, quam quod ſpongioſiori carne & vaſis exilioribus inſtructæ, majorem ſanguinis copiam, quam natura regere & digerere poteſt, ingenerant.

§. XXXI.

Morborum origo in ſexu ſequiori, præſertim, ſi utero gerunt, ex nimia ſanguinis & humorum affluentia maxime omnium deducenda eſt. Quamobrem ſi per menſes ſuperfluus ſanguis recte & ordine ſecernitur, optime, ſi minus id accidit, vel plane ceſſat, ut in annoſioribus, peſſime ſe habent.

Scholion.

Quia ſcilicet nimiam ſanguinis abundantiam ſubito ſequitur ejus impuritas, nec ulla fere pars eſt, quæ non graviter in fœminis, ſi diu excretiones ſanguinis ſubſiſtunt, inde adfligatur. Nam in capite vehementes cephalalgias, odontalgias, eryſipelata & graviores cerebri affectus patiuntur. In pectore ſpirandi anguſtia cum faucium conſtrictione, cordis palpitationes animique defectiones oriuntur. In ventriculo ab ejus inflatione frequens eſt ciborum faſtidium, vomitio, ructus, phlogoſis, malacia. Inteſtina tormina ventris, colicæ convulſivæ, flatulentiæ, alvi adſtrictiones infeſtant. Ex utero male affecto, & ibi denegato ſanguinis liberiori curſu, fluor albus, uteri procidentia vel immoderata ſanguinis profuſio, abortus, uteri ſcirrhus, inflammatio, apoſtema, hydrops, ſterilitas, & ex ſanguinis ſtagnatione concretiones polypoſæ, quæ molas fingunt, proveniunt. Virgines vero ex ſuppreſſis menſibus peculiari febre, quæ alba dicitur & Græce chloroſis adpellatur, laborant. Nam ſubito inde in fœdum & pallidum faciei colorem, totius corporis languorem, ciborum faſtidium, cordis palpitationem, pedum intumeſcentiam, pulſum celerem, frequentem, & ægram ſpirationem, gravativum ventriculi dolorem incidunt. Quæ vitia, ſanguinis fluxu in ordinem redacto, protinus levantur vel plane decedunt.

§. XXXII.

Poſt quinquageſimum annum, ſi ex toto ceſſat ſanguinis per uterum effuſio, fœminæ plurimis malis fiunt obnoxiæ. Quibus natura ſenſum teneriorem dedit, eæ in pathemata hyſterica & hypochondriaca incurrunt, in aliis ſanguis per hæmorrhoides vel per renum vaſa exitum affectat, ſi motu abſtinent, & natura torpidior eſt, in calculum renum, arthritidem, atque ex infarctu viſcerum in hydropem, cachexiam & ſuffocativos catarrhos facile incidunt.

Scholion.

Hæc omnia mala & frequentiora ſunt & majora ſumunt incrementa, ſi vitæ nimis otioſæ indulgent & plane à motu & labor abſtinent, ſique accedit intemperantia in victu, acidorum abuſus, corporis refrigeratio, neque minus diuturnus mœror atque triſtitia.

§. XXXIII.

Alia adhuc eſt imbecillitatis morboſæ in feminis ratio, videlicet nimia generis nervoſi ad ſpaſmos, convulſiones motuſque inordinatos propenſio, quæ ſemper in feminis major eſt, quam in viris.

Scholion.

Ex hac nervoſarum partium infirmitate & ad motus inordinatos diſpoſitione fit, ut feminæ animi ſint mobilioris ac vindictæ cupidi, & facile ira excandeſcant, vel levi ex cauſa in terrorem conjiciantur. Hinc etiam eſt, quod earum affectibus facile convulſiones, epilepſiæ vel graves ſpaſmi adſocientur, ut videmus in malo hyſterico, inque difficiliori partu ac puerperio.

§. XXXIV.

Non certior igitur & melior ad præcavendos ſexui ſequiori familiares morbos via & ratio inveniri poteſt, quam ſi nimiæ ſanguinis & humorum plenitudini convenientibus auxiliis occurramus.

Scholion.

Id vero quam optime præſtat tempeſtive & cum prudentia adhibitæ ſanguinis per inciſionem venarum, hirudines, cucurbitulas, emiſſiones. Quo ſpectant etiam abſtinentia, inedia, motus & exercitatio corporis, peregrinatio & cœli mutatio; poſthæc decens thermarum, acidularum vel aliorum fontium ſalubrium uſus, liberalior potus cereviſiæ tenuis, vel aquæ calidiſſimæ herbis infuſæ, non omiſſis clementioribus laxativis, ipſas ab omnium morborum inſultu egregie vindicant.

§. XXXV.

Supereſt alia imbecillitatis ad morbos valde proclivis in corporibus humanis ratio, eaque nativa & à morbidis parentibus in liberos tranſmiſſa, qua vel totum corpus vel quædam tantum ejus partes infirmæ & ad morbos ſuſcipiendos aptæ evadunt.

Scholion.

Veriſſimum eſt, utut cognitu difficile admodum, & animi & corporis vitia à parentibus per generationem tranſire in liberos, ita ut nihil certius ſit, quam quod robuſti robuſtis, imbecilli imbecillis, morboſi morboſis procreentur. Morborum autem hæreditariorum ratio profecto non in vitio fluidarum partium, quæ continenter mu-

tationi ſunt obnoxiæ, ſed potius in depravato ſolidorum ſtatu, quorum mutatio non ſub poteſtate medici eſt, & quæ nonniſi per annorum decurſum fit, quærenda eſt, & maxime vel in earum nimia imbecillitate, atonia, ſive tono nimis laxato & reſoluto, vel in nimia nervoſarum partium ad anomalias motuum diſpoſitione conſiſtit.

§. XXXVI.

Hypochondriaci plerumque hypochondriacos, phthiſici phthiſicos, calculoſi calculoſos, epileptici epilepticos, hæmorrhoidarii hæmorrhoidarios, cachectici cachecticos progenerant, id quod indies in praxi animadvertere licet.

Scholion.

Acutas paſſiones non tranſire in liberos, quia ex vitio magis fluidarum partium proveniunt, certiſſimum eſt; ſed eo frequentius ſolidorum vitia & labem viſcerum liberis affricari conſpicimus. Quemadmodum vero quævis pars corporis nobilior peculiari chronicæ paſſioni expoſita eſt; ita etiam in hæreditariis id obſervare licet. Moleſtiſſimum illud, quod dicitur hypochondriacum, malum mere ſpaſmodicum ac flatulentum ex ventriculi & inteſtinorum motu periſtaltico perverſo, juncto cum ſumma atonia, naſcitur: phthiſis præcipuus pulmonum morbus eſt, epilepſia & melancholia cerebri, hydrops hepatis, cachexia lienis, calculus renum, podagra articulorum, & hi omnes morbi ſunt hæreditarii & maxime fundati ſunt in cujusque partis nativa imbecillitate & prava diſpoſitione, quæ vel in vaſorum anguſtia, vel in fibrarum & vaſorum nimia laxitate, ad materiam vitioſam recipiendam & retinendam apta, ex qua facile humorum ſtagnationes & vaſorum oppilationes, infarctus, indurationes fiunt, conſiſtit.

§. XXXVII.

Quemadmodum nihil tam difficile eſt, quam labem, quæ in ſtructura & conformatione ſolidæ partis hæret, emendare: ita etiam prava ſolidorum per nativitatem accepta ad morbos diſpoſitio non adeo facile, optimis etiam datis præſidiis, extingui poteſt, quin potius, accedente occaſionali cauſa, primis ſubinde annis prompte excitatur atque in actum deducitur.

Scholion.

Sicut *ſenium*, ut præclare differit *Trallianus Lib. XII. de maraſmo, nulla medicina tolli poteſt*, eadem ratione prava, quæ in ſolidorum ſtructura & labe conſiſtit, ad morbos proclivitas difficulter admodum eradicatur. Ita phthiſis, podagra aut affectio hypochondriaca hæreditaria nulla propemodum arte averti poſſunt, idque ægrius medicina, quam accuratiori diætæ obſervatione, quæ eo magis neceſſaria eſt, quo certius ex neglectis diæteticis præceptis hæreditarii morbi & ingraveſcunt & difficilius levantur.

§. XXXVIII.

Mala quoque eſt illa fibrarum motricium per nativitatem acquiſita habitudo, qua levi de cauſa ad fortes oſcillationes & ſpaſticas ſtricturas proclives, ſanguinis æquabilem & liberum ad exteriora vergentem curſum interturbando, regreſſum ejus ad interiora, & congeſtiones nimias in his vel illis partibus efficiunt.

Scholion.

Ex ſpaſmis &, quæ hos conſequuntur, congeſtionibus proveniunt ſanguinis effuſiones, quæ in prima ætate in capite & per nares, in juvenibus per pulmones, in ætate virili per venas ſedis, ſolenni fere modo contingere ſolent. Intercepta vero per has vias ſanguinis eruptione, ſub certis ætatibus familiari, ſanguis ſubſtens & congeſtus multa & gravia creat ſymptomata, quorum de frequentia, magitudine & noxa *Cl. Stahlius in ſcriptis ſuis* copioſius & quaſi ex profeſſo egit.

§. XXXIX.

Præter infirmitatem à natura acceptam datur adhuc alia, quæ acquiſita eſt, & per morbi vehementiam ſolidis infertur partibus, ex qua facilis morborum recurſus & afflictio ejus partis fit, quam ſemel morbus fortiter exercuit, idque non tantum in chronicis, ſed & in acutis paſſionibus accidit.

Scholion.

Qui febribus, ſive continuis, ſive intermittentibus, ſemel vel iterum laborarunt, ii quam facile non adeo urgentibus cauſis in eas recidunt. Qui pleuritide vel peripneumonia decubuerunt, illi eundem morbum facile rurſus experiuntur. Si ſemel vel iterum eryſipelas pedem vel dextrum vel ſiniſtrum occupaverit, tum frequentius in eodem pede malum affligit. Coli acerbior dolor talem imbecillitatem in inteſtinis relinquit, ut parvas ob cauſas recurrat. Eodem modo dolores podagrici, & qui dicuntur rheumatici, ita partem adfligunt, debilemque reddunt, ut ſerum acre vel tartareum, ad glandulas vel ligamenta artuum glanduloſa delatum, facile ibi ſubſiſtat & crudeles hos dolores denuo provocet. Raro à calculo renali ſunt immunes per omnem ætatem, qui ſemel vel bis ex eo laborarunt. Quibus ſanguis per hæmorrhoides vel vias inſolitas, nempe urinarias, aut pulmones, aut vaſa ventriculi brevia, vel etiam per nares ſemel vel aliquoties ferri ſolitus eſt, in iis per has vias lubentius rurſus exitum affectat, adeo ut in hæmorrhagiis narium non per aliam, ſed per dextram vel ſiniſtram, per quam ferri conſuevit, ſanguis effluat. Qui ſemel gravi morbo capitis, aut cephalalgia aut apoplexia, vel etiam epilepſia aut paralyſi correptus fuit, in hoc facile idem morbus levi interdum occaſione excitatur. Tumor hydropicus, icteritia quoque & alia hepatis vitia licet bene curata fuerint, ea tamen ſæpius recurrere, teſtem cito experientiam.

§. XL.

Neque tantum à morbis, ſed & à læſionibus quibuſcunque partes externæ imbecilles ad eundem morbum ſuſcipiendum faciles & aptæ redduntur.

Scholion.

Frequens nos docet experientia, quemadmodum partes ad quandam læſionem vel vulnerationem, aut puncturam mox ita fiant imbecilles, ut levem etiam in aëre mutationem ſubito perſentiant. Frequentiſſime accidit, ut in quibus partibus vena inciſa, vel cucurbitulæ cum ferro adpoſitæ fuerunt, eæ elapſo temporis ſpatio dolore tenſivo & pungitivo afficiantur, non quod iſtis peculiare agens & neſcio quod intelligens inſideat, ſed quia imbecilliores hæ partes redditæ à nimis redundante ſanguine ad oſcillationes & agitationes ſtimulantur. In qua parte, v. g. circa malleolos, ſemel orta eſt exulceratio, hanc eidem malo facile ſubjici, ut ulcus recrudeſcat, quotidianum eſt obſervare.

§. XLI.

Tam ſubtilis & delicata eſt fibrarum in corpore animantium natura atque conditio, ut prorſus nullam læſionem vel violentiam pati poſſint, quin inde ſtatim talem mutationem accipiant, quæ ad functionum tam in motu, quam in ſenſatione turbationem inclinet.

Scholion.

Ex quo illud conſequitur, homini, ſi per totum vitæ decurſum ſanus & integer perſiſtere velit, omni modo & cura cavendum eſſe, ne in gravem quendam morbum incidat, quia nunquam is ita tranſit, quin læ-

ſionem

sionem & mutationem quandam corporis partibus inferat, quæ occasionem postea ad eosdem vel alios morbos dare & fovere possit.

§. XLII.

Quum morbi antecedentes ita vim naturæ lacessere & robur ex solidis auferre soleant, ut quam facile novus morbus propullulet: omni modo & diligentia, ut is ipse per salutaria diætæ præcepta præcaveatur, laborandum est.

Scholion.

Quoniam hanc utilissimam materiam copiose non minus, quam perite in peculiari *Dissertatione de morbis ex aliis prodeuntibus* persecuti sumus, nolumus hac in re esse longiores.

§. XLIII.

Quum non tantum universi corporis, sed & singularium partium infirmitas à viribus nimium exhaustis & deperditis proficiscatur, ita, ut deinde tam facile obnoxia sit morbis; sequitur, omnia ea, quæ vigorem & vires corporis suffurantur, easque exhauriunt, & vitæ & valetudini prosperæ inimicissima, gravibusque ac funestis morbis ingenerandis esse aptissima.

§. XLIV.

Quoniam materiam virium & motuum causam boni & temperati succi in vasis præbent, quid manifestius est, quam quod ea vires corporis consumant, quæ optimos succos & benignum sanguinem auferunt.

§. XLV.

Hoc in genere sunt, præter morbos quoscunque, immodicæ sanguinis profusiones, sive natura sive arte factæ, diuturna inedia, incongruus plane cibus, assidua vigilia, immoderatior venus, crebrior purgantium usus, plenaria motus intermissio, anxiæ curæ, sollicitudines, tristitia diuturna, profundæ sine voluptate quadam meditationes, animi contentiones, tempestates valde æstuosæ vel nimis humidæ, ignavia & desidia, ebrietas, luxuria & hujus generis plura.

Scholion.

Hæc omnia & singula ita sunt comparata, ut, si quædam tantum ex illis, præsertim in corpore natura debili, concurrant, adeo vires pessundent & naturam imbecillem reddant, ut postea non modo omnibus fere pateat vitiis, sed & magnum periculum in morbis accendat, & ægri difficillime sanentur. Miserum itaque & infelicem illum medicum habeo, qui cum ejusmodi debilibus & corruptis naturis corporum agere & curationes tentare debet. Verum deterioris adhuc conditionis sunt illi medici, quibus cum valetudinariis, hypochondriacis, scorbuticis, quotidie conflictandum est. Hi sunt illi ægrotantes, qui medicum non modo molestissime exercent, sed & ejus existimationi multum detrahunt. Beatum vero & felicem eum prædico, præsertim quando incipit in artis operibus versari, si ejusmodi curationes & corruptas naturas effugere possit, nam medicus & medicina hac ratione subinde contumeliis exponuntur. Et profecto, ut verum dicamus, consultius multo est, ut ejusmodi debiles, qui continuo cum morbis, & spasmis conflictantur, à medicina abstineant, & tantummodo in recto vitæ regimine & commoda diætæ ratione levamen & solatium quærant. Illud vero perpetuo à medicis observari velim, ut semper cum imbecillibus & valetudinariis, & qui vitium in quadam parte fovent, mollissime agant, & ab omnibus vehementibus sibi caveant, ne fortiori commotione ad partem imbecillem & vitiosam peccantes humores impellantur, ex quo sæpius graves & funesti effectus propullulant; siquidem infirma pars & atonia quadam laborans quam facile vitiosum recipit humorem, à quo postea ipsi major læsio accedat necesse est.

§. XLVI.

Præcipua igitur medicinæ rationalis pars in eo consistit, ut medicus probe inter se corporum humanorum naturas discernat.

Scholion.

Hoc fit, si in quovis individuo structuram partium fibrosarum, vasorum capacitatem & dispositionem, temperiem ac proportionem partium fluidarum ad motum probe perpendat, & insuper cujusvis partis peculiare robur vel imbecillitatem ex variis phænomenis, circumstantiis, observationibus & effectibus accuratius perspiciat, qualem cognitionem si impetraverit, tum facile & promte judicium & rationem reddere poterit, cur hoc vel illud medicamentum, hæc vel illa insalubris res aut morbifica causa, hic vel ille morbus aliam in hoc corpore, aliam rursus in illo operationem, effectum atque eventum exerat, in quo potissimum medicinæ rationalis momentum ego situm esse arbitror. Nam harum rerum scrutinium non tam facile est, ac si quis ad ens, sensu quodam interno æstimatione atque intentione motus vitales & naturales corporis humani dirigens atque administrans, cujus existentia nullo solido ratiocinio demonstrari potest, confugere velit. Nam posito ejusmodi principio, ceu suprema rerum, quæ fiunt in corpore nostro, causa, omnis ratio, omnis certitudo in theoria non minus, quam in praxi medica uno ictu prosternitur, ut nonnisi fallax judicium & fallax experientia in arte nostra relinquatur.

CAPUT II.

De morborum origine ex copia & vitio ingestorum.

§. I.

HOmo continuo eget alimentis, ut sanguinis, qui vitam vires & robur solidorum sustentat, qui universo corpori nutrimentum præbet, qui perenni motu à præsentanea, in quam inclinat, corruptione corpus vindicat, justa & conveniens quantitas, temperies atque inde moderatio motuum conserventur.

§. II.

Neque vero totæ sanguinis substantia, sed purissima tantum ac delibatissima ejus pars, quæ lympha vocatur, corpus nutrit, neque alia, quam subtilior ac mobilissima ejus portio, quæ nervis vehitur, ad motum & robur solidis præstandum accommodata est.

§. III.

Sanguinis pars defecatissima, & tam corporis nutritioni, quam motuum vitalium conservationi idonea, continuo solidorum attritu, indeque oriundo intestino sanguinis calido motu partim per cutim diffiatur, partim intra corpus retenta in liquamen demum salino-sulphureum & excrementitium fatiscit.

Scholion.

Habet hoc omnis motus, ut statum corporis, in quod agit, vel ratione situs & loci, vel ratione texturæ ac figuræ immutet. Quid mirum igitur, si vis illa systaltica & motrix solidorum potentia, quæ continenter agit in fluida, sanguinis etiam mixtioni & crasi tantam inducat mutationem, ut continuo attritu & intestina agitatione eum vel consumat ac dissipet, vel in serum excrementitium convertat. Hinc in febribus tum acutis, tum lentis & hecticis sanguinis copia sæpius intra breve spatium consumitur, inque humores excrementitios degenerat. Usque adeo mirabilis est corporis humani

œco-

œconomia, ut motus, qui vitæ præeſt & ſanitatem cuſtodit, & vitam tollat & corporis integritatem deſtruat, materiam videlicet, quæ pabulum ipſius eſt, paulatim & ſucceſſive in fomitem morborum & mortis convertendo.

§. IV.

Quantum igitur quotidie motu cum inteſtino attritivo, tum excretorio corpori ſubtrahitur, tantum commodis alimentis reſarciri debet, ut vires cum ipſa vita & ſanitate ſartæ ac tectæ ſerventur.

Scholion.

Ex his, puto, inevitabilis alimentorum neceſſitas ſatis abundeque intelligitur. Nimirum omnes, qui in corpore humano exercentur, motus tam mirabili nexu & vinculo inter ſe cohærent, ut actiones, quas vocant animales, à vitalibus dependeant, hæ vero à naturalibus gubernentur, ſuamque accipiant perpetuitatem. Nam digeſtio, ſecretiones & excretiones, quibus actiones naturales abſolvuntur, motibus vitalibus proſpiciunt, eorumque incolumitatem tuentur; his vero ſalvis & integris omnes bene habent actiones, quæ vulgo ad animam referuntur.

§. V.

Scire oportet, hominem non tantum eum in finem indigere alimentis, ut ſubtiliſſima illa & nutritiva ſanguinis portio, motu & calore deſtructa, reſtauretur, ſed etiam, ne motus illi vitales ſyſtaltici & expanſivi cordis, vaſorumque ſanguiferorum & canalium, qui liquida vehunt, qui ſecernunt, & qui reciproce ac per vices exercentur, torpeſcant vel interrumpantur.

Scholion.

Paucis admodum cognitam eſſe hanc veritatem intelligo, quare homo ad vitam ſervandam non exigua alimenti optimi mole poſſit eſſe contentus, ſed ingens quotidie quantitas cibi & potus neceſſaria ſit. Ratio nobis hæc eſſe videtur, quoniam nempe futurum, ut motus canalium ſyſtaltici & expanſivi, qui fluidorum progreſſum & directiones moderantur, brevi elangueſcant vel penitus peſſundentur, niſi ſufficiens & paulo copioſior fiat alimentorum, præſertim liquidorum, ingeſtio. Nam ut in doctrinis phyſiologicis jam ſatis explanatum eſt, vaſorum vis contractiva partim à nervorum rore lymphatico, partim à ſanguine, tunicas vaſorum permeante proficiſcitur; tubulorum vero expanſionem contenta intus conveniens humorum moles efficit. Hi motus, in æquilibrio poſiti, ita ſeſe invicem excipiunt, ut ſyſtole producat diaſtolen, diaſtole vero rurſus provocet ſyſtolen. Jam quum ingens quotidie humorum copia per tot ſecernicula, per tot tubulos ac meatus è corpore ejiciatur, ſequitur, ut niſi quotidie amiſſi fiat reſtitutio, vivida illa vaſorum expanſio minuatur, tandemque ex toto deſinat. Deinde ſufficiens ſuccorum copia in vaſis neceſſaria eſt eam ob cauſam, ut vaſa minima, quæ maxime excretionibus dicata ſunt, & quorum interventu humores ex arteriis in venas tranſeunt, expanſa atque aperta ſerventur, quum alias ſuccorum appulſu deſtituta facile conciderent. Ex quo utique conficitur, vaſorum obſtructiones à defectu æque ac copia humorum progenerari.

§. VI.

Vigor motus inteſtinorum periſtaltici, atque ab eo dependens debita fecum alvinarum excretio ſufficientem cibi ac potus quantitatem deſiderat.

Scholion.

Alimentarii canalis motus periſtalticus, quem vermicularem vocant, & cujus beneficio ingeſta ex ventriculo ad inteſtinum extremum devolvuntur, identidem convenienti ejus ſyſtole & expanſione abſolvitur. Nam vis ejus contractiva ab influxu roris nervei & ſanguinis tunicas inteſtinales perluentis, expanſio autem à mole contentorum celebratur. Hinc, ubi multus cibus revomitur, alvus ſiſtitur, & qui patiuntur inediam, vel parciori manu cibos aſſumunt, in iis contrahitur ventriculus, & rarior fit alvi dejectio. Quod vel maxime apparet in febribus & reliquis morbis, ubi parum alimenti appetitur. In iis enim ſegnior eſſe alvus conſuevit, & quoniam ejus ſordes & inquinamenta, quæ ex univerſa ſanguinis maſſa hic deponuntur, mucoſa, bilioſa, ſalivalia atque adeo ad fermentationem prona, non ſatis mature expelluntur, facile accidit, ut mora diuturniori corrupta novo morbo & gravioribus ſymptomatibus materiam & occaſionem ſubminiſtrent.

§. VII.

Igitur copia alimentorum inteſtina ad crebriorem ingeſtorum expulſionem ſollicitat, niſi à præcedentibus cauſis horum vis contractiva valde debilitata fuerit.

Scholion.

Ex quo cauſa apparet, ob quam, qui multum comedunt & bibunt, crebrius alvum demittant. Neque ignotum eſt, aquas medicatas plurimum conferre ad promovendas excretiones tam alvinas, quam urinarias, quod maxime præſtant mole ſua, ſiquidem interdum decem vel duodecim earum libræ hauriuntur.

§. VIII.

Ex quibus conficitur, ſine alimentis certaque & convenienti eorum mole diu conſtare non poſſe corporis humani integritatem. Atque ideo plenaria appetitus dejectio, ſi longis in morbis diutius affligit, nunquam non ingens periculum oſtendit.

§. IX.

Ad vitæ & ſanitatis tutelam mutuum conſpirare debet commercium inter ea, quæ corpori accedunt ex alimentis, & quæ per neceſſarias excretiones ipſi ſubtrahuntur.

Scholion.

Quo plus ergo ingeritur, eo copioſiores & frequentiores eſſe debent egeſtiones, ſique multum per excretiones ſeceſſerit, multum quoque per ingeſtiones reſtituatur neceſſe eſt. Qui autem parum excernit, eum ingerere parum oportet, & qui parum ingerit, is moderatius debet excernere. In certa itaque & convenienti menſura & proportione ciborum ac laborum, quibus perſpiratio juvatur, punctum ſanitatis non inepte veteres poſuerunt, atque ex iis maxime *Hippocrates*, *qui Libro I. de Diæt.* §. 2. & 3. ait: *labores conſumunt, & cibi, quæ evacuata ſunt, explent.*

§. X.

Sicut in univerſum hæc lex firma & ſtabilis valet, omne nimium naturæ eſſe contrarium & inimicum: ita etiam ciborum copia & vitæ & viribus & ſanitati hominis erit inimiciſſima.

Scholion.

Gaudet enim natura animantium certa proportione, ordine, temperie, ſymmetria & æquabilitate motuum tam in ſolidis quam in fluidis, & ſiquis in hac ipſa ſani & integri ſtatus genuinam & proximam cauſam quærere & conſtituere velit, is prorſus non errabit. Quoniam vero omne nimium, ſive ad materiam, ſive ad motum id pertineat, adverſus illam proportionem atque temperiem, qua gaudet natura, pugnat, hinc recte ab *Hippocrate Sect. II. aph.* 51. *dictum*: πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον *i. e. omne nimium naturæ inimicum*; & *Sect. II. aph.* 4. *non aliud quicquam bonum, quod naturæ modum excedit.*

§. IX.

§. XI.

Quoniam omne nimium & mole exſuperans motibus naturæ ordinatis & proportionatis, quibus ſanitatis natura continetur, eſt contrarium, cibus quoque præter naturam copioſius ingeſtus, ut prudenter admodum prodidit *Hippocrates Sect. II. aph.* 17. morbum facit. Et *libr. de diæta acutorum: prava hæc eſt diæta, cum quis plures cibos corpori præbet*, & hinc impotentia gulæ non inepte dira generis humani carnifex nuncupatur.

Scholion.

Huic ſententiæ ſuffragatur etiam *Celſius Libr. I. Cap. II. pag.* 25. *ubi ad cibum ventum eſt, nunquam eſt utilis nimia ſatietas.* At vero id maxime hic in quæſtionem venire video, quid τὸ nimium ſit, atque ex quo illud æſtimari debeat, utpote cum advertamus, quod aliis naturis eſt nimium atque inimicum, id rurſus aliis eſſe moderatum adeoque amicum, & quod aliis eſt minus ſufficiens, id certis rurſus infeſtum eſſe ac nimium. Mirum enim eſt, quantum diſcriminis corpora humana inter ſe recipiant, tam ratione ſtructuræ & habitudinis partium, quam ratione vaſorum capacitatis & ſolidorum potentiæ motricis ſeu roboris. Quin imo ipſæ naturæ per ætates, per anni tempora, per vitæ genus, per ipſum victum, per climata mirifice mutantur, adeoque pro tanta varietate & mutatione corporum difficile admodum erit, unam & certam ciborum quantitatem & menſuram omnibus & ſingulis commodam & ſufficientem invenire. Nam quod uno tempore homini conveniens & ſufficiens eſt alimentum, id ſæpius eidem alio tempore nimium & noxium eſſe uſu atque experientia animadvertimus.

§. XII.

Igitur rectiſſime juſta & conveniens alimentorum menſura adeoque vel nimium vel parum ex ſolidorum robore ac viribus ſemper æſtimari debet, *magna enim eſt*, teſtante *Hippocrate Libr. de alimentis, quantitas ad vires ſolerti ratiocinatione adaptata.*

Scholion.

Nam neque ullius corporis vires & efficacia in rerum natura abſolute, ſed ſemper relative conſiderari debent, hinc etiam τὸ nimium vel τὸ parum ciborum ratione individui æſtimare oportet, robuſtum an imbecille ſit, vaſa habeat capacia, an anguſta, exilia. Hinc fit, ut docente *Hippocrate Libr. de Affection.* §. 52. *quæcunque ſanis commoda ſunt, ea etiam ægrotis exhibita fortiora ſint.*

§. XIII.

Quo major copia virium & plus roboris in corpore humano inque ejus ventriculo eſt, eo plus nutrimenti ferre poteſt homo & contra.

Scholion.

Quare paucos cibos ſenes requirunt, & facilius jejunium tolerant, quam juvenes, quia atteſtante *Hippocrate Sect. I. aph.* 14. illis parum caloris ineſt, propterea paucis alimentis indigent.

§. XIV.

Sicuti in rerum natura virium motricium efficacia recte æſtimatur ex effectu, cum plus vel minus reſiſtentiæ vincere poſſunt: ita etiam robuſta corporis humani natura vel ventriculus firmus is nobis habetur, qui motu periſtaltico fortiori inſtructus alimenta probe ſubigere, miſcere, digerere, ex uno loco ad alium propellere, imo convenienti tempore expellere & puras chyloſas partes in vaſorum lacteorum oſcula impellere poſſit.

Scholion.

Canalis enim illius nervoſi & alimentarii robur maxime conſiſtit in vigore motus periſtaltici, ſive ſucceſſiva vividiori ejus dilatatione & conſtrictione; nam hujus beneficio ſolventes illi ac fermentescibiles humores ex glandulis decenti quantitate profluunt, & bilis non mediocris quantitas ex ejus ductibus in duodenum deſcendit, hujus etiam beneficio alimenta non modo inter ſe, ſed & cum dictis ſolventibus intime alterantur, miſcentur, diſſolvuntur: hujus beneficio ſucci utiles & chyloſi per cruſtam villoſam debite ſecreti per canales lacteos tranſeunt; & hujus tandem beneficio inutiles & excrementitiæ ſordes & feculentiæ utiliſſime & cito alvo ejiciuntur.

§. XV.

Quo robuſtior itaque eſt ventriculus, eo plus cibi deſiderat, eo plus etiam ſine ullo incommodo concoquere & ferre poteſt. Videmus inde, homines robuſtos, agreſtes, plebejos, labori deditos, ingentem prorſus alimentorum copiam ſine ullo periculo & optime ferre poſſe, adeo ut inde firmiores & robuſtiores evadant, à qua imbecilles & infirmi læduntur.

Scholion.

Videmus cibum non modo copioſiorem, ſed & ſæpius intemperantiorem non tam facile officere robuſto, quam imbecilli homini, quia illius ventriculus motu & robore inſtructus eum celeriter expellit, ut non diu ibi moram trahere & corrumpi poſſit. Neque quantitate, vel qualitate delinquentes humores facile ſanitatem offendunt, ſi in perpetuo progreſſivo motu conſtituti ſunt neque diu in loco morantur, ſed cito propelluntur. Siquidem ii demum humores materiam morbo dant eumque fovent, qui motus progreſſivi expertes ſunt, qui ſtagnant, nam ex ſtagnatione corrumpuntur & acorem induunt, & vim partis, cui inhærent, valde laceſſunt, ejuſque motum turbant.

§. XVI.

Infirmus itaque homo parum alimenti deſiderat, quia non multum digerere ſubigere & propellere motus ſui imbecillitate poteſt, unde fit, ut imbecilles facile à cibis paulo majori copia ſumtis, quos optime robuſti ferre poſſunt, lædantur.

Scholion.

In numero imbecillium nobis ſunt ii, qui non multum ſanguinis & parum ejus ſubtilioris, ſpirituoſæ, mobilis, ſulphureæ, elaſticæ portionis, quæ omnium virium tam vitalium, quam naturalium in corpore humano cauſa ac fons eſt, habent, & hujuſmodi ſunt, qui ex nimia ſanguinis profuſione laborarunt, qui ex gravi morbo ſive acuto convaluerunt, qui nocturna vigilia & inquieta cogitatione, meditatione vel diuturno animi affectu, præſertim mœrore, corporis ſui robur imminuerunt, & uno verbo, omnes valetudinarii. Quo pertinent ratione ætatis infantes, ſenes, ratione habitus corporis, qui laxo & ſpongioſo præditi & copioſa & exiliſſima vaſa habent: ii omnes propter virium infirmitatem à nimia alimentorum copia ſibi cavere debent, niſi fomitem morbis præbere velint.

§. XVII.

Tanto gravior eſt noxa cibi copioſius adſumti, quanto majori aviditate ingeritur.

Scholion.

Nimia ciborum copia per ſe ſemper reſiſtit eorum intimæ ſolutioni atque concoctioni, maxime ob eam cauſam, quia neceſſaria proportio illa inter menſtruum ſolvens & ſolvendum læſa eſt. Deinde, ſi celeriter magna cum aviditate cibus ingeritur, tum non bene maſticatur, neque cum ſaliva, quæ menſtrui vicem gerit, probe ſubigitur. Accedit, quod nimia copia repente ingeſti

gesti cibi, vel etiam potus, ventriculi tunicas nimium distendat earumque liberam actionem & motum systalticum contractivum impediat, unde diutius hærens in ventriculo lædit, & vellicando paulo fortius totum nervorum contextum in consensum trahit.

§. XVIII.

Misera res est, imbecillos plerumque ingenti cum aviditate atque intemperantia comedere. Ita videmus infantes, & fame diuturna pressos, item eos qui mox ex morbo evaserunt, itemque valetudinarios, phthisicos, melancholicos, hypochondriacos, & qui vermibus laborant, pueros nimium voraces esse, & exinde multas sibi contrahere ægritudines.

§. XIX.

Infantes lactentes ex copia lactis, diutius in stomacho detenti, & bilis acrioris adfluxu corrosivi redditi, gravissime ægrotant.

Scholion.

Sicut omnium rerum nec quicquam ad sanitatis in infantibus tutelam, ac alvus bene fluida, aptius est: ita lac copiosius ingurgitatum, quam ventriculi teneritudo subigere & expellere potest, stagnat, acore inficitur & confermentati ne cum bile corrosivam & propemodum virulentam naturam inducit: hinc feces coagulatæ & viridi colore tinctæ tam corrodentes sæpius sunt, ut linteamina exedant. Mirum enim est, lac diuturna mora & stagnatione in intestinis acidissimum evadere, ut flavum bilis colorem in viridem convertat, qui adfuso oleo tartari per deliquium protinus in flavum rursus transmutatur. A cruditate hac corrosiva ex copia lactis male digesti graves & periculi pleniss. mæ, quæ hanc ætatem infestant, ægritudines, ut tormina, cardialgicæ anxietates & convulsiones, oboriuntur; si quando à lactis viscido coagulo tunica villosa & crustosa intestinorum, in quam vasorum lacteorum innumera ostiola desinunt, obstruitur, abdominis intumescentia, atrophia reliqui corporis cum alvi ingenti dejectione nascuntur.

§. XX.

Qui proxime à morbo & febre fatigati convaluerunt, ob nimiam voracitatem, quam quidam medici stomachicis acrioribus & aromaticis vel acidulis spiritibus promovere consueverunt, tardius vires amissas recuperant, sæpius recidivam sibi accersunt, vel in lentum chronicum morbum incidunt.

Scholion.

Sine injuria culpandus hic venit perversus sæpe stomachicorum appetentiæ excitandæ causa usus, quem non semel, sed sæpius in infirmioribus summe noxium deprehendi; nam cum plus adsumant, quam ferre & regere imbecillior ventriculus potest, necessario ingens cruditatum fit proventus, qui in corpore adhuc debili quam facile languorem & lentum calorem & postea ciborum fastidium cum male olente ex ore spiritu, sitim quoque & inquietudinem concitat. Atque adeo optimam medicinam intempestive datam morbis causam dare & suggerere posse, clarissime ostenditur.

§. XXI.

Nunquam nimia repletio cum majori periculo juncta est, quam apud eos, qui per diuturnam inediam pressi & valde debilitati sunt.

Scholion.

Plures post inediam nimis fortiter pastos mortem sibi acceleravisse, testis est FORESTUS *Libr. XVIII. Obs.* 2. in schol. ubi inquit, *nota est multorum historia, qui à longa inedia sese repleverunt, adeo, ut inde suffocati fuerint, uti nos cognovimus in obsidione Harlemensi & Leidana id præcipue contigisse, quando obsidione liberati cives victu pleniori se replentes mortem quam plurimi incurrerunt.* Denique non ignotum est, milites, ex castris in hibernia secedentes liberaliter pastos ex corruptela ciborum in debili admodum corpore in febres pessimi moris stomachicas & caput validissime afficientes incidisse.

§. XXII.

Qui quartana laborant, plerumque sunt nimium voraces ob exsuperantem primis in viis acidum humorem, qui ventriculi oscillationem, in qua appetentiæ causa residet, fortiorem inducit, sed quo plus comedunt, eo longiorem & difficilioris sanationis fieri febrem, certissimum est.

Scholion.

Hujus febris contumaciam non tam facile etiam præstantissimis præsidiis evinci posse, nisi prius infracta fuerit nimia illa voracitas, peritis practicis non obscurum est. Nam quo plus ingeritur in ventrem cruditatibus obsessum, eo magis illæ augentur, & eo magis fomes morbi increscit, atque hepatis infarctus, ubi præcipue sedem suam hæc febris fixam habet, incrementa capiunt.

§. XXIII.

Hipochondriaci & melancholici identidem ob copiosum in primis viis acidum plus appetunt & ingerunt, quam ipsis utile est; ex quo fit, ut morbi symptomata exacerbent, & morbum minus sanabilem reddant.

Scholion.

Molestissimus, sed certe frequentissimus ille affectus, qui hypochondriaci nomine venit, ab ingenti motus peristaltici destructione ejusque ad superiora retrocessione, meo quidem judicio nascitur, & à spasmodica partium membranacearum universi corporis diathesi fovetur & augetur. Quare in iis semper vitiata digestio est, & excretio flatuum ac fecum segnior inflationes & cruditates acidæ, quæ stimulant & spasmo afficiunt has partes, semper adsunt. Ecquis igitur non videt, à copiosis cibis hoc malum semper augeri & deterius, imo habituale reddi.

§. XXIV.

Evenit sæpissime ante accessionem podagræ, corryzæ, vel etiam intermittentis febris inordinate crescere ciborum appetentiam, languido licet corpore, idque semper cum incommodo fieri.

Scholion.

Videtur hæc insolita ciborum aviditas ab acriori stomachica lympha, accedente peregrino ex prohibita transpiratione stimulo, derivanda, & quia hanc alvi tardior secessio ordinario comitatur, imminens morbus, pabulum copiosius nactus, necessario majora accipit incrementa: sapienti igitur consilio statim ejusmodi morborum fomentis occurrendum est. Prima nempe regia commoda medicina expurganda, sive per superiora sive inferiora, præmissa tamen semper humorum, qui in vitio sunt, correctione. Ita opportune præscinditur morbi fomes, & morbi insequentes leviss. me succedunt & brevi etiam finiuntur.

§. XXV.

Neque tantum imbecilli & debiles, sed & sani ac robusti homines si supra modum comedunt, morborum semina sibi fabricant, saburram in primis viis cumulando.

Scholion.

Non inepte *Galenus in Comment. Sect. II. aph.* 17. geminam satietatem sive ciborum redundantiam statuit, ad vasa scilicet atque ad virtutem. Satietas ad vasa est, ubi

bi tanta ciborum ingeſta copia eſt ; ut ventriculi ca-
acitas nimium diſtendatur : ſatietas vero ad virtutem
ve facultatem eſt, ubi plus cibi ingeritur, quam natu-
, aut facultas corpus noſtrum regens, ſuperare poſſit.
æpe vero accidit, ut magna cibi copia non gravet
acultatem robuſtam : contra vero imbecillem exigua
dmodum & mediocris alimenti copia non raro gravet.
i vero nimium ventriculus à ſumto cibo diſtenditur,
tique facultas ejus motiva & contractoria minuitur,
t diutius, quam par eſt, cibi ipſi inhæreant eumque
nerent, ex quo multa vitia incidunt & robuſtos etiam
remunt.

§. XXVI.

Optime *Hippocrates de veteri Medicina* §. 13. *for-
iſſima edulia maxime & manifeſtiſſime hominem lædunt,
ive ſanus ſit, ſive ægrotus.*

Scholion.

Differunt enim mirifice alimentorum genera: quædam
unt valentioris naturæ, quædam imbecillæ, & hæc
mnia bene diſtinguit & enarrat atque in claſſes redigit
Celſus Lib. II. Cap. XVIII. Valentiora illa dicuntur, quæ
ifficilius reſolvuntur & plus alimenti habent, & ſunt
naxime legumina & ex frumentis panificia, omne ani-
nal quadrupes, omnis bellua marina, item panis, mel,
aſeus, annoſiores carnes, item omne opus piſtorium
alentiſſimum eſt, quod ex farina, butyro, ovis, ſaccharo
onflatum : nam hæc difficilius ſubiguntur, firmum ven-
iculum exigunt, & ægrius ventre dimittuntur.

§. XXVII.

Cum ciborum genera multum inter ſe differant, ſa-
ientiſſimum certe *Celſi* præceptum eſt, quod tradit *Lib.
I. Cap. XVIII.* in fine : *imbecillis corporibus rebus infir-
miſſimis opus eſt, mediocriter firmos media materia op-
me ſuſtinet & robuſtis apta validiſſima. Plus aliquis
dſumere ex levioribus poteſt, in his magis, quæ valen-
iſſima ſunt, temperare ſibi debent.*

Scholion.

Inter imbecillia alimenta refert *Celſus* omne olus,
quicquid in cauliculo naſcitur, item omnia ſorbilia,
nollia, omnia poma, cucurbitas, cucumeres, pulticu-
as & panem aqua madentem ; ad mediam vero mate-
iam aves minores & piſciculos & ex quadrupedibus le-
orem refert, item ex oleribus ea, quorum radices vel
ulbos adſumimus.

§. XXVIII.

Multa eaque gravia ſunt mala, quæ ex vitioſa ali-
mentorum concoctione & cruditate exſuperante obo-
riuntur.

Scholion.

Hippocrates hæc ipſa optime recenſet *Libr. de Priſca
Medicina* §. 19. *Si pranſi fuerint, idque eis non condu-
cat, ſtatim graves & corpore ſegnes fiunt itemque men-
te pigri hiatuque & oſcitatione & dormitatione & ſiti ple-
ni. Si vero etiam inſuper cœnaverint, & flatus & tormi-
na & alvus effringitur. Celſus Lib. I. Cap. VIII.* hæc
recenſet ſtomachi laborantis vitia his verbis : *ſtomachum
infirmum indicant pallor, macies, præcordiorum dolor,
nauſea & nolentium vomitus, in jejuno dolor capitis, quæ
in quo non ſunt, is firmi ſtomachi eſt.*

§. XXIX.

Famelici ſi plus juſto ſeſe avidiſſimè ſumtis cibis, præ-
ertim pinguibus replent, in febriculam quandam ephe-
meram, quæ digeſtionis adpellari poterit, ſubinde in-
cidunt ; ſiquidem non multo poſt cibum ſumtum ven-
riculi inflationem cum ſumma anxietate, inquietudi-
ne & ſpirandi anguſtia, & dolorem ventriculi tenſi-
vum perſentiunt, qui ad ſcapulas, ad fauces & ad ip-

ſum caput progreditur, quod graviter dolet, facies ru-
bet & mens incipit fieri inquietior. Præterea languor to-
tum corpus occupat, extremæ partes inalgeſcunt, tempo-
ra pulſant, pulſus durior & frequentior fit, alvus con-
ſtringitur, & hic paroxyſmus plerumque intra aliquot
horas ſupervenientibus ructibus vel vomitu aut ſudore
ſolvitur.

Scholion.

Hunc affectum ego aliquoties obſervavi in hypochon-
driacis famelicis, cujus ſymptomata ab inflatione ſto-
machi unice mihi repetenda videntur, & hujus dextra
pars ſæpius in tumorem veſicæ inflatæ inſtar juxta ſcro-
biculum cordis in dextro latere attollitur. A nimia igi-
tur ventriculi, qui totus nervoſus eſt, diſtenſione ner-
vorum paria, præſertim intercoſtale & octavum, ten-
ſionem & tractionem patiuntur, unde partes, quas per-
tranſeunt, ſpaſtica ſtrictura & criſpatura affici, & hæc
mala produci, non mirandum eſt. Similem morbum
Hungaris endemium, qui vocatur Tſœmer, in peculiari
Diſſert. Dr. Milether erudite deſcripſit.

§. XXX.

Cruditas, à nimia ingeſtorum copia & concoctione
difficiliori orta, placidum ſomnum impedit, & capiti
ac toti corpori gravitatem infert.

Scholion.

Neque certe *Sanctorii* dictum *Sect. IV. aph.* 40. ex-
perientia vel ratione caret, videlicet *ſomnum nihil magis
interturbare, quam ciborum corruptelam* ; Nam fortius la-
ceſſitis ventriculi nerveis tunicis totum ſyſtema nervo-
rum, cum quo princeps hæc partium magnam com-
municationem & conſenſionem fovet, præter naturam
tenditur, ac ſtringitur, unde inquietudinis origo : &
quia conſtrictis excretorium meatibus pauca ſecedunt,
& perſpiratio minuitur, ſequitur, ut totum corpus in-
de gravitatem & languorem perſentiat.

§. XXXI.

Sicut concoctio, recte ſentiente *Celſo, Lib. I. Cap.
IX. in omnibus corporis affectibus neceſſaria omnibuſque
vitiis occurrit : ita cruditas maxime lædit, & quoties offen-
ſum corpus eſt, vitioſa pars maxime ſentit.*

Scholion.

Quare prudentes medici, tam imminentibus, quam
præſentibus morbis, item in omni dolore, & vulneratio-
ne, id omni cura efficere debent, ut cruditates præca-
veant & parum cibi adſumatur ; nam excretionibus
ſub morbis labaſcentibus fomentum ſemper novum, &
majus illi ab intemperantia & cruditate, omnium ma-
lorum matre, accipiunt.

§. XXXII.

Rectiſſime enim *Hippocr. lib. I. aph.* 22. *qui à ſatie-
tate veniunt morbi, vacuatione curantur.* Optima ad vi-
tia, quæ ex nimis copioſo ſumpto cibo & cruditate pri-
ma in regione proveniunt, tam præcavenda, quam ſa-
nanda, ſunt abſtinentia, alvi ductio, vomitus & liberior
perſpiratio & medicamenta roborantia.

§. XXXIII.

Abſtinentia & inedia ſunt validiſſima adverſus vitia
ſtomachi ex repletione præſidia.

Scholion.

Si ullum, certe hoc magni *Hippocratis* ſalutare præ-
ceptum diæteticum eſt, quod *Libr. IV. de morbis* §. 10.
proponit : *ſi homo parum edit & bibit, in nullum morbum
incidit.* Neque enim ulla res, ſunt verba *Celſi, Lib. II.
Cap. XVI. magis adjuvat laborantem, quam tempeſtiva
abſtinentia, quam etiam ſemper morborum initia deſide-*

rant. Nam ut ea ſummas in ſecunda valetudine ſibi partes vindicat; ita quoque in adverſa plurimum momenti obtinet, ſanat enim plenitudinem nimiam, obeſos, pituitoſos, vitiaque ex cruditate nata, quo rectius inedia à veteribus inter ea auxiliorum genera recenſetur, quæ corpus noſtrum tam ſanum, quam ægrum vacuant, ſiquidem, ut *Galenus in Comment. Sect. II. aph.* 17. docet, *nullo in ejus locum, quod fuit vacuatum, accedente alimento, fit, ut inedia vacuet.*

§. XXXIV.

Vomitio & alvi per infuſa eluitio optima quoque ſunt adverſus nimiam repletionem à cibis auxilia.

Scholion.

Nihil enim tam tempeſtive ſaburram in ventriculo contentam & moleſtam ciborum copiam exonerat, quam vomitus, qui breviſſima via ſtatim, quod moleſtum eſt, expellit, unde mox incommoda diſparere incipiunt. Et erant hæc duo repletionis præſidia olim athletis familiariſſima, qui ut melius ferrent tam copioſum alimentum, & novo ingerendo idonei eſſent, & clyſmatibus & vomitionibus tantum non quotidianis utebantur. Vomitum vero ciebant leniſſimis, bibebant enim hyſſopum contritum in aqua, cui aliquid aceti vel ſalis miſcebant. Et veteres quoque Romani utebantur vomitu ſæpius ex aqua tepida adjecto ſale & melle, ante & poſt cœnam, & vomitandi conſuetudine Imperatores Vitellius & Caligula luxuriæ & comeſſationibus frequentibus ſufficiebant. vid. *Sueton. in Vitell. Cap. XII. item in Nerone Cap. XX. & Celſus Lib. I. III.* meminit athletarum conſuetudinis, qui quotidie ejicientes vorandi facultatem moliuntur. Ut vero ad vomendum faciliores eſſent veteres, familiari in uſu habebant certa inſtrumenta, pennas nempe & lora vomitoria, quæ intrudebant in ventriculum, digito quoque quam longiſſime in fauces intruſo vomitum provocabant, qua de re latius egit *Cl. Dr. Schulzius in eruditiſſima Diſſert. de athletis veterum eorumque diæta & habitu* §. 61. 62. 63. Idem laudatus *Celſus* alio loco, nempe *L. 1. c. 3.* vomitum nimium repletis, & qui parum concoxerunt, ſuadet & hanc adjicit rationem: *ſive plus eſt, quam quod concoqui poſſit, periclitari, ne corrumpatur, non oportet, ſive jam corruptum eſt, nihil commodius eſt, quam id, qua via primum expelli poteſt, ejicere.*

§. XXXV.

Denique ciborum nimia copia robuſtam naturam ſæpius ad purgationem ſollicitat.

Scholion.

Hinc *Hippocrates Libr. de purgantibus* cibis etiam adſcribit vim purgantem, ſi ſupra modum edantur, & addit, quod homines purgentur ab iis, velut à ſinceris medicamentis, id eſt, purgantibus, verum minus & tardius, hinc concludit his verbis: clarum igitur eſt, quod & cibi medicamenta exiſtant. Si vero natura non ſponte ſe à cruditatibus per ſeceſſum liberet, tunc utique eam ſtimulare clementiori laxante oportet. Cujus rei gratia pilulas aloëphanginas vel Avicennæ, Cratonis vel Becherianas commendamus; quarum tamen operatio auſpicatior ſemper erit, ſi ante earum uſum acidum temperantia, quod alvum moventibus valde reſiſtit, exhibeantur.

§. XXXVI.

Vitia ex mala concoctione nata optime ſomnus & perſpiratio liberior diſcutit.

Scholion.

Sicuti ſomnus & quies præter naturalem nervoſarum partium agitationem, motum & ſpaſmum, qui perſpirationi liberæ admodum adverſus eſt, ſedat ac ſiſtit: etiam illas generis nervoſi adflictiones, quæ ex lac ſente & nimium diſtendente ventriculum cruditate p veniunt, componit, hinc facta liberior perſpiratio, qu quid adhuc reſidet vitii in partibus ſolidis, promte cutit. Præclara igitur ſunt & ſapientiæ plena illa ſa tatis, quæ nobis hanc in rem tradit *Celſus Cap. Libr. I.* præcepta: *qui bene concoxit, mane tuto ſurg qui parum, quieſcere debet, & ſi mane ſurgendi nece tas fuerit, redormire. Qui non concoxit, ex toto c quieſcere, ac neque labori ſe, neque exercitationi, nec negotio credere.* Ipſa quoque experientia, ceu opti rerum magiſtra, deprehendimus, opportuno redd ſomno per urinam & perſpirationem, item per alvu melius & copioſius excretiones fieri, & totum corp levius atque agilius inde reddi. Qua de cauſa etia ex meo quidem certe ſalutari conſilio omnia evacua tium genera, quo etiam pertinent thermæ & acidul cum multo utiliori fructu poſt ſufficientem ſomnu & concoctionem factam uſurpantur. Tum etiam i fuſa herbarum ex aqua calida ad promovendam pe ſpirationem utiliſſime ſumuntur, & frictiones ad d cutiendum in habitu corporis, qui in vitio eſt, hum rem adhibentur.

§. XXXVII.

Liberior perſpiratio, quæ aucto ſanguinis circu fit, ſtomacho laborantibus bene ſuccurrit & ad co coctionem juvat.

Scholion.

Perſpirationem egregie adjuvat corporis motus exercitatio, unde *Celſus Lib. IV. Cap. V.* in omnib ſtomachi vitiis hanc ipſam primo levem, deinde m jorem & maxime eam, quæ ſuperiores partes movea laudat, idque adſerit quoque *Libr. I. Cap. VIII.* verbis: *ſi quis ſtomacho laborat, legere clare debet, po lectionem ambulare, tum pila vel armis aliove genere quo ſuperior pars movetur, exerceri.* Spectat huc qu que ſapiens dictum *Hippocratis*, quod proponit *Lib Epid. VI. Sect. IV. exercitatio ſanitatis eſt veſci cib ſatietatem & non refugere laborem.*

§. XXXVIII.

Neque tantum laboranti ſtomacho in concoctio juvanda evacuantibus, ſed & roborantibus ſuccurre oportet, quo eo melius & digeſtio & expulſio ing ſtorum fieri poſſit.

Scholion.

Id conſilium ſecuti quoque fuerunt laudatiſſimi ve teres, quare *Celſus Libr. I. Cap. VIII. ſtomacho labo rantibus ſuadet, ut non aquam, ſed vinum calidum* j juni bibant, item poſt cibum vinum frigidum, ſed p ſiphonem. Idem quoque ſentit *Hipp. lib. de Affect.* 52. cum ait: *quicunque cibi aut flatum, aut æſtum aut morſum, aut repletionem, aut tormen faciunt, talibus liberat vinum meracum inſuper potatum; corpu enim à vino calefactum per calorem amovet ea, quæ in ſunt à cibis & potibus & à ſimilibus.* Et *Celſus Libr. IV Cap. V.* jejunis potionem ex abſinthio, hyſſopo & rut commendat, & jubet uti cibis & potionibus calid primo aquæ vel etiam vini auſteri. Patet hinc egregiu ſtomachum roborantium uſus, quo in genere ſunt ſa volatile oleoſum Sylvii, ſtomachale Michaëlis, noſtrum item liquores balſamici ex oleis penetrantibus ætherei & ſuaveolentibus parati, qui balſama vitæ audiunt quæ utique moderata & frequenti doſi egregie diſcu tiunt cruditates, concoctionem adjuvant & ſtomach vitiis ſuccurrunt, modo & ſapiens & egregium illu *Celſi* præceptum, quod proponit *Libr. IV. Cap. V.* ob ſervetur, & hoc eſt: *illud in omnibus ſtomachi viti præcipiendum, ut quomodo ſe quiſque æger refecerit eodem ſanus utatur, nam redit huic imbecillitas ſua niſi iiſdem defenditur bona valetudo, quibus reddita eſt*

Tandem

Tandem & illud adjiciendum putamus, motum in aëre sereno ac puro, qualis est ruralis, & animum ab omni cura & sollicitudine vacuum mirifice concoctionem adjuvare & stomachi vitiis tollendis aptum esse.

CAPUT III.

De alimentis intemperatis ingentique acidorum noxa.

§. I.

ALimenta, quæ temperie gaudent, sicuti sanguinis crasi ac naturæ admodum convenientia atque amica sunt, & corpus nutriunt & robur ac vires ipsi præstant; ita eminenti facultate & sapore prædita, tum ad nutritionem, tum ad vires conservandas minus sunt idonea, ut potius morbis materiam & fomitem præbeant.

Scholion.

Hanc sententiam plenissime confirmat *Hippocrates Libr. de veteri medicina §. 26. Verum robur & augmentum per nihil aliud contingit, quam quod probe temperatum est alimentum, & quod nihil intemperatum & forte habet §. 24. & 2. hos cibos incommodos esse* & ingestos lædere, qui intemperati sunt aut nimis salsi, acidi, aut amari aut dulces aut fortes, copiose exponit & dicit, eos humana natura potentiores esse, qui non superari possint, quibus conferri potest *Lib. de Natura Humana §. 6.*

§. II.

Temperata alimenta corpus humanum conservant & roborant, quia vitales humores, temperie blanda gaudentes, calore & motu amissos resarciunt.

Scholion.

Sanguis temperatus admodum humor est, gelatinosus, omnis saporis expers, ex variis elementis, oleosis, aqueis & subtilioribus terreis commixtus, de cujus natura, mixtione atque ingredientibus latius egimus in *Tomo priori*, qui *philosophiam corporis humani vivi & sani* pertractat, *Cap. 5.* Et cum temperata, ut carnes, lac, ova, panis, ratione mixtionis valde conveniunt cum sanguine, quare non modo eum generant, sed & ad nutriendum & robur corpori conciliandum præ aliis admodum sunt idonea.

§. III.

Omnia itaque intemperata esculenta & potulenta crebrius & copiose ingesta, quia non conveniunt cum temperata & blanda sanguinis mixtura, & lædunt corpus & sanitatem offendunt.

Scholion.

Equidem non mea est sententia, ac si plane nullum intemperatum intus sumi debeat, cum videamus, & dulcia & amara & salsa & spirituosa moderatiori usu non facile nocere, sed sæpius medicinæ loco esse; sed illud tantum urgeo, quod hæc ipsa copiosius ingesta nocere, neque corpori alimoniam præbere possint. Quare etiam *Hippocrates Libr. cit.* non in totum damnat diversos cibos, si probe inter se commixti & contemperati fuerint, sed saltim in suo genere fortissima, separata neque aliis contemperata, ut inter acida acidissimum.

§. IV.

Ex intemperatis nullum tam infestum humanæ naturæ est, variisque modis lædit, quam acidum copiosius adsumtum, quia mixtioni sanguinis plane est adversum camque destruit, crassiores coagulat & subtiliores sulphureas ejus partes figit.

Scholion.

Neque hac in re destituti sumus veterum consensu. Ipse *Hippocrates Libr. de Vict. acutor.* acida plus nocere fœminis, quam viris, adfirmat & *Libr. de affectionibus* vim erodendi ipsis adscribit. *Celsus Lib. II. Cap. XVIII.* acetum infirmis nunquam dari debere præcipit, & *Cap. XX.* acida alimentis mali succi annumerat.

§. V.

Alimenta, quæ acidos succos fovent, id habent incommodi, ut excretiones retardent, sanguinem & lymphaticos humores inspissent, coagulent, viscera ad obstructiones & infarctus disponant, solennes sanguinis excretiones morentur, & hac ratione ad ingenerandas longas & graves ægritudines magnam vim & potentiam obtineant.

Scholion.

Quum diligenti observatione & attenta ac crebra experientia teste liberior acidorum in cibo & potu usus nunquam fere non valde noxius & naturæ humanæ inimicissimus deprehensus sit, inde perducti eo sunt quidam superiori seculo medici, ut acidum omnium morborum causam adferere non dubitaverint, quam sententiam tamen peculiari tractatu ego adhuc juvenis olim sat validis argumentis infirmare laboravi. Quamvis autem non omnes morbos foveant atque ingenerent acida, ad plurimos tamen producendos utique conferunt.

§. VI.

Quæ acidi sunt generis atque naturæ, ea cumulatius assumta alvinam excretionem retardare, indubia docet experientia. Hinc recte *Hippocrates Lib. de diætis* acetum alvum potius sistere, quam movere pronunciat.

Scholion.

Neque difficulter hujus rei inveniri poterit ratio. Nam bilioси succi, qui satis largiter ex amplo hepatis viscere primum in intestinum descendunt, detersiva sua alcalina sulphurea virtute acidos, è ventriculo egredientes succos, non modo contemperant, sed & intestinorum tunicas ad propulsorium motum stimulant, idque cum omnibus amaris commune habent, quæ excretiones alvinas egregie juvare solent. Jam vero nihil est, quod tam valide bilis alcalinam & absterſivam naturam infringat, quam forte acidum, adeo, ut mutua mixtione postea corrosivam subinde naturam induant, id quod æruginosa bilis testatur. Deinde videmus indies, hypochondriacos sic dictos, nec non melancholicos & quartanarios non aliam ob causam, quam quod copiosum prima in regione semper foveant acidum, alvi esse adstrictioris, quam absorbentia & quæ acidum temperant, ut mannata & fontes medicati, Carolinæ thermæ, quæ alcalinum sal in sinu fovent, longe felicius in iis expediunt, quam fortiora pharmaca, eo quod eorum vis purgativa volatilis salina forti acido plane invertatur. Et quoniam in iis corporibus ordinario acidi succi bilioси prædominantur, hinc fit, ut eorum excrementa, quorum color alias ex flavo brunus, qui bili debetur, pallida & albicantia appareant.

§. VII.

Acida supra modum comesta generationem succi chyloси plane impediunt, ita ut nec sanguis bonus, nec nutritius succus laudabilis produci possit.

Scholion.

Chylum emulsionem quasi naturalem esse, ex alimentorum roscidis, aqueis, gelatinosis, oleosis partibus

invicem inter se exacte mixtis confectam, nemo negabit. Nihil vero in natura reperitur, quod hanc aquearum cum oleosis partibus mixtionem magis impediat & destruat, quam acidum, quod statim terreis & oleosis sese adsociando coagulum ad fundum secedens efficit. Destructa itaque statim sub primo ortu succi chylosi, qui proxima materia & sanguinis & lymphæ nutritiæ est, natura ac crasi, non mirum est, propter abundantiam succorum primis in viis acidorum corpora & robore & nutritione debita defraudari. Canes Bononienses minimæ staturæ permanere ferunt, si primis statim mensibus modicum aceti ipsis datur. Atque eam ob causam etiã fit, ut acetum polysarcia laborantibus commendetur. Notum præterea est illud memorabile exemplum apud *Famianum Stradam Libr. VIII. de bello Belgico*, ubi refert, quendam præfectum Regis Hispaniarum media ætate adeo increvisse, ut fascia è collo demissa sustinendus venter esset, quod ille incommodum minuere volens, vino valedixit & aceto usus est, effecitque, ut ante mortem octoginta librarum pondere decrevisse compertum sit.

§. VIII.

Nocent quam maxime tam esculenta, quam potulenta acida iis, qui ventriculum habent infirmum, in quo videlicet succi facile coacescunt, diutius retinentur, nec probe per alvum transeunt.

Scholion.

Horum in numero sunt infantes, senes, mœrore animi aut morbo præcedente confecti, maxime omnium vero hypochondriaci & hystericæ fœminæ, & quibus caput infirmum est, vel spasmo laborat. His omnibus fructus horæi, qui multum acidi habent, ac fermentatione in succos acidos transeunt, vina acida & cerevisiæ triticeæ, quæ facile coacescunt, infensissima sunt.

§. IX.

Acida ingesta & diutius retenta ipsa mora pejora fiunt, & commixtione cum biliosis succis valde corrosivam & virulentam naturam induunt, ita, ut nerveas ventriculi & intestinorum partes exquisitissimæ & tenerrimæ sensationis, quæ cum toto nervorum genere consentiunt, arrodendo gravissima symptomata suscitent.

Scholion.

Hæc veritas antiquissimis medicorum non ignota fuit. *Hippocrates Libr. de prisca medicina* §. 34. in fine prodidit: *quos acuta acrisque ac æruginosa bilis adfligit, qualis mox rabies & morsus viscerum ac pectoris & desperatio? non sedatur autem hæc, priusquam eadem expurgetur & prosternatur & aliis permiscatur.* Nam atra bilis, quæ atro carbone semper notata veteribus fuit, non aliunde suam habet originem, quam à miscela fortis acidi cum succo bilioso, cujus color primum fit viridis, deinde niger, si diutius in corpore retineatur. *Martianus* qui optime commentatus est in Hippocratem, *pag.* 382. noxam, quam acida in primis viis excitant, egregie describit, dum inquit: *acidum in ventriculo existens vapores acres huc & illuc diffundit, quotidie observatur dum acetum non est conveniens, quemadmodum etiam in illis, in quorum ventriculo cibi acescunt; nam communiter talibus caput dolet propter cerebri membranas, quæ ab acetoso vapore punguntur, idque hujus humoris adeo proprium est, ut raro caput per consensum à ventriculo dolere invenias, quin acetosa in eo consistant, & qui epilepticis motibus sunt subjecti, à symptomate corripiuntur, cum acida in ventriculo peccant, id enim vomitiones subsecutæ palam faciunt, & ego observavi, quam plurimos podagricos ab eadem causa doloribus tolli consuevisse liberatosque aut saltem mitigatos, ubi acetosa evomuissent. Taceo mulieres variis uteri symptomatibus conflictatas, quæ à vomitione acetosa è vestigio liberabantur. Et profecto à copioso acido, ut patet in hypochondriacis morbus melancholiæ nascitur, somnus absurdis ac vanis imaginibus turbatur, animus continua tristitia atque metu concutitur, cardialgia quoque, frequens vomitio, ardor, soda, continuæ eructationes, animæ defectio, circa præcordia anxietas, alvi quoque crebrior dejectio vel cholera etiam frequentissime inde suam trahunt originem.*

§. X.

Illud quoque incommodi habent cruditates, quæ in prima regione consistunt, acidæ, ut lacticinia, dulcia & pinguia corrumpendo, ea quasi in venenum convertant.

Scholion.

Lac, si ventriculus est firmus & purus, optimum alias corpori præbet nutrimentum, si vero infirmus est & acidis succis confertus, hostile illi inducit coagulum, inde magnæ molestiæ, ut cardialgiæ, anxietates, ventriculi inflationes, capitis dolores, flatulentiæ intestinorum, alvi obstructiones oriuntur, atque ob eam causam, hypochondriacis, senibus, quibus compressa alvus est, nihil lacte potest esse infestius. Neque dulcia, nisi ingenti mole, firmis & qui laboribus dediti sunt, facile nocent, sed alvum apertam mollemque servant. Si vero acidum restagnat in ventriculo, vel cum acidis adsumuntur, & paulo diutius intus retinentur, fermentatione tam corrosiva evadunt, ut cholera vel tunicarum intestinalium corrosio metuenda sit, & semper cum dolore & tenesmo & sine odore excrementa alvi pallida dejiciantur. Eodem modo pinguia & butyro frixa in ventriculo acidum offendunt humorem, mutua effervescentia & conflictu excitant ardentissimos flatus seu ructus, summa cum molestia junctos, ut subinde tussis vel vomitio irritetur. Quin etiam optime alias nutrientes cibi, ut sunt ova sorbilia, carnes juniorum animantium gelatinosæ, in impuro & acidis succis referto ventriculo utplurimum corrumpuntur, ut major læsio, quam nutritio & robur inde expectanda sint. Ex quo jam liquidius apparet ratio, cur hypochondriaci, hystericæ, febricitantes, & qui cum alvo adstricta flatulentiis & spasmis subinde exercentur, ad omnem fere cibum etiam optimum pessime se habeant.

§. XI.

Nihil est, præter frigidum excessivum, in rerum natura, quod tam prompte fluxiles humores inspissat, coagulat adeoque ad circuitum per minima vasa ineptos, & ad stagnationem aptissimos reddit, quam acidum; nihil quoque est, quod teneriori nervosarum partium texturæ, tum ob constipationem, tum ob arrosionem, tam hostile sit, quam illud ipsum: unde non mirum est, affectus spasmodicos & hypochondriacos, præsertim concursantibus aliis causis, & ab hisce generari, & ab iisdem foveri.

Scholion.

Ego hac in re experientiam ceu testem provoco, ex ingenti hystericarum numero vix unam dari, quæ non ex acidorum & fructuum horæorum abusu sub pauco potu & vita sedentaria in inordinatum mensium fluxum, & malum inde subortum hypochondriaco-hystericum inciderit, quod mœstitia diuturniori & perversa in medendo tractatione ita sæpius invalescit, ut nulla arte vinci possit: sunt vero plures causæ, cur sexui feminino tam infensum sit acidum.

§. XII.

Quicunque evitare volunt graves & diuturnas ægritudines, ii maxime sibi cavere debent ab acidis intemperantius adsumtis, eo quod hæc ipsa motibus vitalibus progressivis, secretoriis & excretoriis admodum sint adversa, humores coagulent, polypos as & calculosas concretiones inducant, visceraque infarciant.

Scholion

Scholion.

Inter chronicos morbos malum hypochondriacum & ſcorbutus præcipuum locum tenent, & miſere per multos annos homines excruciant, quia in viſceribus radices agunt, ſi infarcta, obſtructa vel nimium diſtenta, aut indurata & ſcirrhoſa, præſertim hepar, pancreas, lien, renes fuerint, vel ſi polypi in vaſis majoribus ſubſiſtentes liberum & promtum ſanguinis circuitum impediant. Hæc omnia promte fiunt, ſi gelatinoſa ſanguinis pars ab acido coagulatur ejuſque ſulphurea, quæ caloris genitrix eſt, figitur. Rectiſſime enim ſtatuit *Helmontius*, acidum venis admodum eſſe hoſtile, & morbos chronicos gignere, quia bilis generationem impedit. Nam acidum ſanguinem recenter è vena emiſſum promte coagulat, & liquor acidus, ſiphone in venas animantis vivi injectus, brevi illud enecat.

§. XIII.

Acida copioſius ſumta, dum migrant in ſanguinem, non modo ipſi fluxilitatem demunt, ſed & congrediendo cum particulis terreis & ſalinis copioſum tartareum ſal in humoribus producunt, à quo intra corpus retento, nec per renales tubulos evecto, varia calculorum genera in renibus, veſica, ductibus bilioſis & variæ arthritidis ſpecies oriuntur.

Scholion.

Ego multoties obſervavi, ab immoderata vinorum, quæ multum acidi continent, potione & arthritidem & renalem calculum, præſertim accedente quadam hæreditaria diſpoſitione, diu adflixiſſe. Helvetos & Batavos veſicali calculo maxime eſſe obnoxios, notiſſimum eſt; cujus cauſa dubio procul in crebrum lacticiniorum ac acidorum uſum rejicienda venit. *Cyprianus*, celeberrimus ille Angliæ lithotomus, referente *D. Allen in Synopſi univerſæ medicinæ*, inter 4000. in quibus extractionem calculi veſicæ tentavit, œnopotas quamplurimos, ſed ne unum quidem zythopotam calculoſum invenit, unde cereviſiam blandam & mitem magis, quam vetuſtam, ad potum ordinarium commendat.

§. XIV.

Acida fœminis gravidis & lactantibus & puerperis, & quibus ob ætatem menſes deficiunt, valde pernicioſa eſſe, experientia edocemur.

Scholion.

Horum ratio ex modo dictis facile elici poteſt; nam nutritius ſuccus, qui infantem in utero & extra eum alere debet, miſcela acidorum deſtruitur atque intemperatus fit. Infantes, qui mammas ſugunt, ſi nutrices acida ſumſerint, inde ardorem & tormina percipiunt, & gravidæ, ſi fructibus horæis abutuntur, infantes vel debiles gignunt, vel in puerperio graves pœnas luunt. Ubi menſium plenarius eſt ob ætatem defectus, facilis eſt diſpoſitio ad chronicas & ſpaſmodicas paſſiones, quam cum acida augeant, omni cura ea evitare oportet. Puerperis vero nocent, quia lochialem impuri ſanguinis fluxum cohibent.

§. XV.

Utut acida intempeſtivo & immoderato uſu admodum noceant, moderate tamen adſumpta, ubi corpus nimium æſtuat & celerius ſanguis movetur, ſique æſtas eſt ferventiſſima & corpus juvenile motu exercetur, tantum abeſt, ut valetudinem offendant, ut potius confortent, atque appetitum & digeſtionem excitent.

Scholion.

Ita certe eſt, ut, quæ nocere vehementer poſſunt abuſu, prudenter uſurpata proſint plurimum. Medicinæ itaque potius, quam alimenti vicem præbeant ejuſmodi excelſivis facultatibus donata, quorſum etiam vina acidiuſcula & ſpirituoſa referimus. Et profecto alimenta illa validiora, quæ potius ut medicamenta conſideranda ſunt, ingentia illa in differenti corporum natura diſcrimina ſatis abundeque docent, quæ obſervatio utique in medicina tam diætetica, quam therapeutica ſumme neceſſaria eſt, multumque momenti habet. Perpetuum enim id eſſe debet, ab uno homine, qui hoc vel illud ſine læſione ferre poſſit, non judicandum eſſe ad alterum. Noti mihi ſunt medici, quibus ob temperaturam cholericam acida nihil fecerunt incommodi, & ob id perducti ſunt, ut inſons fere acidum, nec morboſum, neque in hypochondriacis etiam accuſandum eſſe contenderint. Tam corrupta ſæpius eſt argumentandi ratio, cui quotidiana experientia contradicit.

§. XVI.

Quam pernicioſus acidus vitæ & ſanitati eſt humor, & ex omnibus intemperatis, qui adſumuntur, peſſimus, tam promtum ac facile eſt, ſi in prima regione conſiſtit, eum temperare, corrigere & plane innoxium reddere.

Scholion.

Id præſtant efficaciſſime omnia terrea, alcalina, ut conchylia, ovorum teſtæ, cancrorum lapides, item ſalia fixa alcalina & hujuſmodi alia quamplurima, quæ abſorbendo, invertendo omnem ſtatim noxam adimunt. Sunt hæc ſimpliciſſima, domeſtica & parabiliora medicamenta, ſed probatæ virtutis & præſtantioris uſus, quam ulla alia pretioſa, ſumma arte conquiſita, vel chymico igne confecta. Et certe hoc nomine *Tackenius* & *Sylvius*, qui horum uſum ſumme proficuum in artem noſtram introduxerunt, eximiam laudem merentur. Optandum certe foret, ut & alii intemperati, & qui in vitio ſunt, humores, quales ſunt nimis acres, ſalſi, bilioſi, viſcidi, tam cito & tam valide aptis remediis & ſpecificis alterantibus corrigi & inverti poſſent. Certe abſorbentia, ſi quis iis recte uti poteſt, ſubjunctis nempe clementioribus laxantibus & temperatis balſamicis ac roborantibus, tanta pollent, tum in avertendis, tum in mitigandis chronicis & graviſſimis, quæ fomenta ſua primis in viis habent, paſſionibus efficacia, ut longiſſime aliorum medicamentorum vires poſt ſe relinquant.

§. XVII.

Inter cibos intemperatos & inſalubres referendi etiam ſunt nimium ſale conditi & immoderatius uſurpati.

Scholion.

Eſt quidem ſal commune non alimentum, ſed potius ejus condimentum præcipuum & utiliſſimum, quia ciborum diſſolutionem non modo adjuvat, ſed & ſaluberrimas excretiones maxime per alvum & urinam promovet. Rectiſſime enim *Hippocrates Libr. de affectionibus* de ſalſis pronuntiat, quod alvum & urinam cieant. Aquas ſalſas purgationis cauſa & fœnum Græcum ſalſum, ut refert *Celſus Libr. III. Cap. XXVII. Aſclepiades* præſcripſit: atque etiam acidularum & thermarum operatio purgativa & diuretica ſalinis ingredientibus præcipue adſcribenda eſt. Aqua ſalſa alvo infuſa plus eam ſtimulat, ac forte purgans. Deinceps & ſal commune & omnis generis ſalia non modo alvum promovent, ſed & urinam provocant, urinoſos renum tubulos apertos ſervando & ſtimulando, quo magis palam fit ſalium uſus ad ſanitatem proficuus.

§. XVIII.

Salia cum cibis ſumta non remanere diutius in corpore, ſed rurſus mox tam per alvum, quam per urinam excerni debent, alias dulces & roſcidas ſanguinis ac lymphæ partes vitiant, & morbis, quorum origo à ſale eſt, cauſam ac fomitem ſuppeditant.

Scholion.

Salia ſibi relicta minime corporis animantis principia conſtitutiva ingrediuntur, ſed præſtito uſu vel per urinoſum renum cribrum, vel per alvum rurſus evehuntur. Illud enim ſal, quod in urina continetur, maxima ex parte ſali communi, quod etiam arte elici poteſt, debetur. Nam omnium ſalium promptiſſimum eſt iter per renes, qui primum aqueos & tenues in ſanguine humores evehunt, unde urinæ ſunt aquoſæ & pallidæ, poſtea vero craſſiora & ſale turgida liquida admittunt, unde urinæ fiunt coloratiores. Quo plus itaque ſalis, ſive inter cibum, ſive inter medicamenta, ſive cum aquis medicatis & thermalibus, adſumtum fuerit, eo largiorem ſalium copiam urinæ continent, quod vel ex earum per inſtrumentum ſtaticum inſtituto examine, vel leniori evaporatione conſtat. Si itaque ſalia in corpore accumulata per congruum eorum emunctorium, quod renes conſtituunt, ſi vitio laborant, vel ſpaſmo conſtricti ſunt, non probe ſeparantur, ſed remanent: tunc multi ex ſale vitioſo prodeunt morbi, cujus generis ſunt varia puſtularum, veſicularum & exulcerationum genera, artuum dolores, rheumatiſini, catarrhi, fluxiones ſalſæ & acres, diarrhœæ, tormina, cutis eroſiones & varia calculorum genera, in quibus omnibus medicamenta ſalina, ſive volatilia ſive fixiora, tantum abeſt, ut proſint, ut potius præſentaneam noxam inferant atque ſymptomata exaſperent.

§. XIX.

Non præſentior medicina adverſus morboſa ſalia & ab iis naſcentes morbos ipſa communi aqua frigide vel calide largius hauſta datur, utpote quæ commode omnis generis ſalia diluit atque imbibit. Præterea viſcidos humores diſſolvit, obſtructa vaſa aperit, & per urinam æque ac per ſudorem excrementitia ſalia evehit.

Scholion.

Quare non poſſum non laudare conſuetudinem, quæ noſtris temporibus invaluit, aquam domeſtica quadam herba alteratam copioſiſſime & calidiſſime hauriendi, quæ mane & peracta digeſtione egregie pro valetudine eſt. Et hæc quoque mihi videtur ratio, quare ſcorbutus, qui olim hiſce quoque regionibus communiſſimus fuit, in eminentiori gradu rarius conſpiciatur. Sed uti in omnibus, ita & hic moderatione ac prudentia opus eſt, qua de re ſatis egimus *in Diſſert. de Aqua Medicina Univerſali.* At ego quidem non poſſum non hoc loco ſolennem, ſed deteſtabilem conſuetudinem improbare, qua fœminæ præſertim, quæ debile genus nervoſum obtinent, infuſum fabarum Caffée non ſemel, ſed bis vel aliquoties de die hauriunt. Hac enim ratione efficiunt, ut, cum infuſum illud ad acidum primarum viarum domandum alias non ſit inutile, nervoſo tamen generi inimicum immoderatiori uſu toti corpori & maxime nervis inducat imbecillitatem, unde, ſi in morbum quendam acutum incidunt, rarius, quod expertus ſum, evadunt.

§. XX.

Intemperatis quoque & inſalubribus cibis jure nimium dulcia, mellita, ſaccharata, fructus dulces & muſta annumeranda ſunt, cum modo fermentatione aceſcant, modo valde tenaces & glutinoſos humores reddendo viſcera infarciant, obſtruant & ad generationem morborum chronicorum multum contribuant.

Scholion.

Uti quidem ſanis & robuſtis omnia ſunt ſana, nec facile lædunt, ita etiam dulcia, ſi non diutius primis viis inhærent, ſed alvo mox expelluntur, non adeo nociva ſunt. Aliter vero res habet in infirmis, & ubi ventriculus laborat, tunc enim facile coaceſcunt. Et hanc ob cauſam *Celſus Lib. I. Cap. II. pag.* 25. de hiſc hanc profert ſententiam: *condita omnia duobus de cau ſis inutilia ſunt, quoniam & plus propter dulcedinem ac ſumitur, & quod modo par eſt, tamen ægrius concoqu tur; ſecunda menſa bono ſtomacho nihil nocet, in imbe cillo coaceſcit, omniaque prædulcia ſtomacho aliena ide Auctor Cap. XXV. judicat.*

§. XXI.

Experientia clarum eſt, dulcia jejuno ſumta ventri culo appetitum deſtruere & vim digeſtionis infringe re, manifeſto documento, ſuccum illum fermentativun & menſtrualem, qui alimentis optime ſolvendis ſervit horum copia multum debilitari.

§. XXII.

Eadem dulcia, quia glutinoſos & viſcidos humores reddunt, morbos, qui ab affluentia & decubitu pituitæ fiunt, exaſperant; præter hæc & atoniam pulmonibus inferunt, eorumque fibras nerveas & membranaceas ſolvendo decubitum viſcidæ pituitæ ibi cauſantur. Simili ratione tunicarum ventriculi & inteſtinalium robur & tonum laxando digeſtioni minus patrocinantur.

Scholion.

Quod vel ex eo cognoſcitur, quia non tantum à nimio eclegmatum, pectoralium & dulcium uſu gravitas in ventriculo fit, ſed & alvus nimis relaxatur; & videmus, ut *Crato* animadvertit *Libr. V. Conſil. Med VII.* à nimis frequenti uſu eclegmatum eos, qui pectoralibus morbis laborant, ut tuſſi humida & aſthmat diuturno, interdum in hydropem & tumores pedum œdematoſos incidere.

§. XXIII.

Eadem alimenta propter glutinoſos, quos ingenerant ſuccos nimis corpus replent, & viſceribus vaſculoſis ut ſunt hepar, lien, pulmo, admodum inimica ſunt.

Scholion.

Dulcia replere jamdudum notavit *Hippocrates Libr II. de diæta §. 33. & Celſus Libr. IV. Cap. 9.* omnia dulcia lienoſis inimica pronuntiat. *Oribaſius Libr. IV Cap. 23.* auctor eſt, omnia dulcia lienem & jecur obſtruere & ſcirrhum producere. Quod vero dulcia multum nutriant & venas repleant ſanguine & ſuccis malis, *Nonnius de re cibaria Lib. I. Cap. 41. p. 129.* clare hoc experimento comprobat: *uvæ*, ſcribit, *non mediocr præbent alimentum quod in vinearum cuſtodibus obſervare licet, qui dum duos prope menſes ſolis ficubus & uvi veſcuntur, corporis molem egregie augent, ſed cum deſierunt eas comedere, celeriter iterum concidit & detumeſcit, quia carnem non ſolidam, ſed fluxam generant, minus tamen, quam ficus nutriunt.* Quo etiam pertinet illud, quod *Antonius Muſa Braſavolus* refert *Comment in Hippocrat. de victu acutor.* Ferrariæ ſuo tempore fuiſſe anſeres farſiles, quorum hepar duas ſæpe libras pendebat. Ut autem illud in molem excreſceret, ficubus illos alebant. Spectat huc *Horatii Flacci* illud: *pinguibu & ficis paſtum jecur anſeris albi.*

§. XXIV.

Igitur abſtineant à prædulcibus omnes plethorici phlegmatici, imbecilles, ſenes, pueri, mulieres, in cachexiam vel alios morbos longos proclives, qui ſpongioſi habitus ſunt, qui exercitationibus minus ſunt dediti multo magis vero hypochondriaci.

Scholion.

Infantes, qui dulcibus delectantur, facile laborant lumbricis, qui optime inde & generantur & nutriuntur. Præterea dulcium uſum intemperantiorem lymphan corrumpere, vel illud argumento eſſe poterit, quod dentes ab eo facile nigredinem & cariem contrahant, atque in ſenibus, item hypochondriacis cruditates aci

da

das augeant. Si quis vero dulcia velit adſumere, is ex conſilio *Celſi* melius fructus dulces primo cibo comedat *Lib. I. pag.* 25. Idem ſuadet *Nonnius Libr. cit. pag.* 71. quod nempe, ſi quis velit veſci melonibus & aliis dulcibus fructibus, eos primum ſumere & deinde probos cibos comedere debeat, ut adventu melioris eſcæ illorum malitia obtundatur. *Cuſpinianus in vita Friderici* auctor eſt, ab eſu melonum quatuor Cæſares periiſſe.

§. XXV.

Ad minus ſalubres cibos referendos quoque eos duco, qui piſtorii operis ſunt, & placentarum nomine veniunt, ex butyro, ovis & ſaccharo confecta, vel in igne frixa, præſertim, ſi non ſatis ſpongioſam & teneram, ſed lentam & glutinoſam habeant ſubſtantiam.

Scholion.

Dici vix poteſt, quam nociva ſint illa edulia, quibus maxime infantes, pueri, fœminæ & plerumque imbecilli, qui motus corporis non exercent, ſed vitæ otioſæ indulgent, delectantur. Nam rarius hæc recte in ventriculo ſubiguntur ac reſolvuntur, ſed in tenacem & acidam maſſam degenerant, quæ modo tunicam inteſtinalem villoſam, qua chylus filtratur, obſtruit, glandulaſque gaſtricas & inteſtinales muco obducit, modo ad ſanguinem delata lentam & vappidam lympham reddit, & glandularum obſtructiones cauſatur, unde impuræ lymphæ morbi oriuntur, quo in numero maxime eſt purpura, tam chronica, quam quæ acutis paſſionibus ſe adſociat, qui difficilem ſanationem recipiunt. Neque ego aliam rationem conjicere poſſum, cur in iis locis, ubi hæc alimentorum genera quotidiani fere uſus ſunt, & albus fluor & purpura familiariſſime in fœminas incidant, & illis etiam locis jam regnare cœperint, quæ ante aliquot luſtra plane ab hiſce affectionibus fuere immunia, idque frequenti ſacchari uſui in potu Coffee, Thee adſcribendum eſſe puto, præſertim, ſi ſimul utantur cereviſiis triticeis.

§. XXVI.

Neque adverſus vitia, quæ ex intemperatis, dulcibus & viſcidis alimentis prodeunt, efficacius novi præſidium, quam ut iis omnibus abſtineant, corpus probe exerceant, & aquas puras & ſimplices, balſamica herba temperatas calidiſſime bibant, & cereviſias præſtantiſſimo lupulo Bohemico bene coctas hauriant, quod conſilium vidi ſæpe ſalutare.

CAPUT IV.

De noxa potus ſpirituoſi vel nimis pauci.

§. I.

EX potulentis valetudini infenſiſſimis & naturæ humanæ plane incongruis maxime eminent ſpirituoſa, quæ largiori & continuato uſu & ſolidis & fluidis corporis humani partibus gravem noxam inferunt.

Scholion.

Per potum ſpirituoſum præcipue intelligimus ſpiritus inflammabiles, ex fermentatione paratos, aquas ſic dictas ardentes & vina valde potentia, omnes liquores ac cereviſias, quæ facile inebriant. Quorum noxa eo gravior, quo uſus eſt liberalior & frequentior.

§. II.

Obſervatione frequenti & certa comperimus, eos, qui paulo liberalius aquarum ardentium potationi indulgent, morbis maxime chronicis, quæ ſunt ſanationis difficiloris, implicari, ut ſunt hydrops, atrophia, icterus, phthiſis, anorexia, univerſi corporis languor, hectica febris. Nonnulli in ferales capitis morbos, ut apoplexiam, paralyſin, affectus ſoporoſos, vel capitis dolores, incidunt.

Scholion.

Experientiam hac de re ſatis evidentem auctoritatibus etiam quibuſdam præſtantiſſimorum medicorum ſtabilire nobis viſum eſt. Et hos inter eminet *Caſp. Hoffmannus*, qui in *Præfat. de medicamentis officinalibus* aquarum ardentium abuſum admodum increpat, cum ait: *jam etiam & mulieribus innotuit, aquas ſtillatitias propter empyreuma, quod plerumque omnes habent, ventriculis quibuſdam ſenſibilibus adeo eſſe adverſas, ut per uſum earum manifeſtam perceperint læſionem vel ventriculi ſcilicet & appenſorum inteſtinorum, vel hepatis, lienis, renum: olea ſtillatitia, quæ fere eſſentias vocant, tam aperte inimica ſunt ventriculo quidem membranaceo, abſumendo humidum illius radicale, hepati autem aliiſque viſceribus ſanguineis inflammando, aut, ut diſtinctius loquar, phlogoſin excitando, ut quidam ſitim perpetuam ſibi accerſiverint, quidam cachexiam bilioſam, quidam hydropem calidum. Ne longe abeam, ſpiritus vini noſtras, ſeu ex fecibus factus, ſeu ex baccis juniperi, tam eſt infeſtus hepati, ut duorum triumve menſium ſpatio colliquatione introducta hydropem fecerit, qui omnibus funeſtus fuit.* Ejuſdem quoque ſententiæ eſt *Sylvius*, qui *Libr. I. Prax. Cap. X.* ab abuſu ſpiritus vini frequentiſſime morbum regium & hydropem aſcitem obſervavit; & *Cap. VII. §.* 30. plenariam appetitus proſtrationem & abolitam ciborum digeſtionem à ſpiritus vini crebriori uſu oriri adſerit. *Lyſterus in Exercitat. de hydrope* eum Londino popularem abuſui ſpiritus vini & cereviſiæ adſcribit: *hinc fundi*, inquit, *noſtri calamitas, hinc illæ lachrymæ. Wedelius in Pathologia* ab eodem ſpiritu largius hauſto ſæpius phthiſin & frequentiſſime hydropem oriri obſervavit. *Vidimus*, pergit, *talia frequentiſſime, adeo ut ſi offeratur æger alias orthoſtadios, qui citra aliam aliquam cauſam manifeſtam conqueratur de inappetentia ciborum & laſſitudine membrorum, ſolenne ſit nobis quærere, an ſpiritu vini utatur, an fumo tabaci.*

§. III.

Omnis generis liquida ſpirituoſa copioſius ſumta partibus ſulphureis inflammabilibus non modo inteſtinam calidam & expanſivam in ſanguine commotionem efficiunt, ſed & ſyſtolen cordis & omnium impellentium vaſorum augendo fluidorum progreſſum per univerſum corpus accelerant, unde pulſus fortior, celerior, & ſitis horum uſum ordinario ſequi ſolet.

§. IV.

Auctiori ſic facto ſanguinis circulo & increſcente æſtu humida & ſubtilior ſanguinis portio, quæ ſecundum naturam triplo major, quam ſolidi eſſe debet, plus juſto conſumitur, nutritio hinc perditur, partes elangueſcunt, & ſanguis intemperatus, imo ad coagulum valde pronus evadit.

§. V.

Spiritus vini, phlegmate ſuo privatus, mixtioni & conſiſtentiæ ſanguinis, lactis, chyli & ſucci gelatinoſi plane adverſus eſt, quia hiſce rebus adſuſus unionem & vinculum illud partium fluidarum & ſolidarum, in quo earum genuina craſis conſiſtit, plane deſtruit, partes ſolidas à fluidis ſeparando. Et quia rectificatiſſimus ſpiritus, ſanguini humano infuſus, illi forte & ſtabile coagulum infert, non datur eo præſentius ad ſanguinis fluxum cohibendum auxilii genus.

§. VI.

Propter vim, quam ſpirituoſa obtinent animantium ſuccos coagulandi, ad morbos, qui ex vaſorum obſtructionibus, viſcerum indurationibus, polypoſis concretionibus, ſcirrheſcentiis naſci ſolent, valde diſponunt.

Scholion.

Et hujus generis morbi utique ſunt hydrops, cachexia, contumax febris, phthiſis, atrophia: nam hi ipſi morbi, teſtante ſectione corporum iis mortuorum, in hepatis indurationibus, pulmonum tuberculis, pancreatis & glandularum meſeraicarum ſcirrheſcentia, lienis infarctu & corruptione ſedem ſuam & radicem fixam habent. *Riedlinus in Lin. Med.* refert, quendam continuo vini ſpiritus uſu, neglectis carnibus aliiſque eduliis, mortuum, & diſſecto corpore ventriculum, inteſtina omnia rugoſa & contracta, hepatis tubulos concretos, bilem in totum corpus ſuccedentem, pancreas aridiſſimum, membranam aliquam corrugatam & concretam referens, totum vero corpus exuccum repertum fuiſſe. Nota mihi aliquot ſunt exempla hominum immoderatius ſpiritum vini & cereviſiam bibentium, qui ex hydrope, phthiſi, hæmoptyſi mortui fuerunt, ubi in apertione corporum non modo hepatis & pulmonis indurationes & exulcerationes, ſed & polypoſæ concretiones in vaſis repertæ fuerunt.

§. VII.

Liberaliores aquarum ardentium & aliorum ſpirituoſorum potatores tandem penitus ciborum appetentiam amittere & anorexia laborare, indubitatæ experientiæ fide conſtat, & hinc tabe & viribus conſumti tandem pereunt.

Scholion.

Spirituoſi liquores ventriculo & annexis inteſtinis eorumque functionibus valde inimici ſunt, & quidem plurimis ex cauſis. Primo enim minimas illas in tunicis inſidentes glandulas, ex quibus fermentalis & ſolvens liquor ſtillat, quæ innumeræ ſunt, ſpirituoſa rigidas efficiunt atque indurant, ut lympham illam ſtomachicam, ad appetentiam & digeſtionem ciborum valde utilem, amplius plorare nequeant. Deinde appetitus & ciborum digeſtio ſecundum naturam quæ à liquamine illo acidulo fermentativo, à coctione in plicis ventriculi relicto fit, plane deſtruitur, quoniam ſpirituoſa vim lymphæ gaſtricæ valde enervant. Notum enim eſt, ſumme corroſivos liquores, adſociatione valde rectificati ſpiritus, penitus edulcorari poſſe, & omni fermentationi ſpirituoſa admodum reſiſtere. Tum etiam totum digeſtionis in primis viis negotium maxime à temperato calore ſanguinis æque ac à temperata ſuccorum lymphaticorum ſalivalium & ſolventium natura & craſi fovetur, utriuſque vero temperiem ſpirituoſa plane deſtruere, apud omnes in confeſſo eſt.

§. VIII.

Spirituoſi potus lædunt maxime omnium caput, unde in capitis & nervorum morbis nocentiſſimi ſunt, quippe quos etiam vel excitant vel exalperant.

Scholion.

Id quoque intelligendum eſt de vino fortiori & potente, nam ſpiritus vini veteribus erat incognitus. De vino vero *Galenus Libr. III. de temperamentis & Libr. II. de ſymptomatum cauſis* hæc prodidit: *tremore corripiuntur, qui ſe vino meraco amplius impleverunt, & vinum immodice hauſtum morbum attonitum, epilepſiam, læſiones motus ſenſuſque facit. Rolfinckius ord. & method. medend. Comment. Sect. III. Cap.* 89. mentionem facit quartanarii cujuſdam, qui pro recuperanda ſanitate ſpiritum vini ad ebrietatem uſque ingurgitavit brevi inſequente convulſione & inſperata morte. *Hœchſtædterus dec. X. Cap. VI.* ſcribit: *quidam de aqua vitæ Matthioli copioſius bibit & is paralyticus factus eſt; alter ſimili vitio laborans, apoplecticus; tertius, qui cacochymicus fuit ac podagricus, totius corporis pruritum ſentiebat ac laſſitudinem, cui icterus, diſpnœa ac tandem mors ſupervenit.* *Platerus* à ſpiritu vini immoderate ſumto homines attonitos obſervavit & ſtupidos, ac ſi opium bibiſſent. Et puer apud *Wepferum in Tract. de cicuta aquatica* profundo ſomno obrutus, ſemimortuus cum extremorum frigore redditus eſt. Meretur quoque huc elegans locus adduci ex *Hollerio in Comment. Sect. V. aph. 5. ſæpe accidit noſtris, ut per ebrietatem fiant phreneticis ſimiles & delirent. At ſi obmuteſcant, ſtatim moriuntur perinde ac apoplectici, & hoc fit ratione vinorum vinoſorum, craſſorum, qualia ſunt Cretica.* Quod vero capiti tam infenſa ſint ſpirituoſa inebriativa, ejus rei ratio non una videtur. Primo enim ſulphure admodum volatili, vaporoſo, cerebri & nervorum mæandros replent, unde non aliter ac narcotica puriſſimam nervorum lympham inquinando ſtuporem, torporem, ſomnolentiam imo brevem inſaniam, ſenſuumque ac motus impotentiam inferunt, quæ ſymptomata tamdiu durant, dum ſulphur illud volatile exhalaverit; nam ob vim narcoticam ſpiritus venenum eſt felibus, cum cochleare ori immiſſum eas brevi convulſionibus necet, ſicuti omnia narcotica & ob id etiam nuces vomicæ id efficiunt. Deinde à ſpirituoſis motu inteſtino ſanguis valde rarefit & expanditur, unde arteriæ carotides & vaſa plexus choroidei tenuiſſima hinc nimium dilatata in ſyſtole & contractione impediuntur, & ſanguinis tranſitus per caput tardior fit, unde venæ ab eo infarciuntur, ſerum ſecedit & ſic graves capitis morbi ingenerantur.

§. IX.

Tametſi vinum longe temperatius ſit ſpiritu vini, tamen ex ejus immoderato uſu plurimæ etiam noxæ in corpus humanum redundant.

Scholion.

Quamvis præcipua vinorum potentia & virtus in ejus ſpiritu reſideat, tamen, quia ille admixtione partium aquearum & acidulo tartarearum temperatus eſt, quæ quaſi freno ejus ſubtilitatem coërcent, ne nimis præceps ſit in commovendo, hinc vinum innocentius eſt ejus ſpiritu, qui totum corpus penetrat, inque membranas ventriculi maxime & cerebri magna potentia graſſatur. Et in eo quoque conſentientem habemus *Pechlinum*, qui *Libr. III. Obſ.* 38. ita judicat: *qui vino ſe quotidie ingurgitant, non adeo periclitantur, quam qui ſpiritu ejus, & in hiſce pauci ſeram ætatem attingunt. A vini quidem conſuetudine, ſi eo natura contendat, arthritidis periculum, ſed à vini ſpiritu tabes, hydrops atque icterus membrorumque omnium ac ſenſuum palpitatio.*

§. X.

Vina ex acido tartareo & ſpiritu temperata, ut ſunt Germanica, præſertim Rhenana, quotidie immoderatius hauſta, & jejuno imprimis ſtomacho & ante cibum aſſumta, ad calculum, ad arthritidem, ad podagram, ad catarrhos, ad phthiſin etiam diſponunt, & nocent quoque iis, qui capite & ventriculo infirmo, ubi cibi facile coaceſcunt, laborant.

Scholion.

Vinum purum, antiquum, Rhenanum convenienti uſu ſumma eſt medicina ſtomachum confortans & omnes vires reficiens, quod mentem exhilarat, quod circulationem ſanguinis promovet & digeſtionem quoque juvat; nihilo minus immoderatiori uſu corpora diſponit ad morbos jam dictos: & quidem propter ſpirituoſum elementum ſanguinem nimis expandit, capiti nocet, & propter acidum, quod fovet, abundantiſſimum non modo ad morbos tartareos diſponit, ſed & eos præſentes exacerbat. Valde vero infenſa hæc vina ſunt hypochondriacis, quia augent acidum & difficilius per alvum & alia excretoria ſecedunt. Novi plurimos hiſce morbis obnoxios, poſt multa fruſtra tentata, ſola abſtinentia vini, ad ſanitatem perductos fuiſſe. At vero major eſt

noxa

noxa à vinis metuenda, ſi vaporoſa ſpirituoſa ſubſtantia imbuta ſunt, ſi vilioris conditionis, ſi diu in ſanguine morantur, nec bene tranſeunt excretoria. Ea enim eſt ſalubrium & meliorum vinorum nota, ſi urinam cient, alvum movent & bene tranſpirant, ut nullum torporem, ſed potius alacritatem & levitatem quandam in capite relinquant.

§. XI.

Nocet vero quam maxime vinum ante cibum copioſius ſumtum, ſi caput infirmum eſt, ſi dolet; nocet quoque infantibus & ſenibus in majori copia datum.

Scholion.

Recte *Hippocrates de veteri medicina: vinum merum potum hominem quadam imbecillitate afficit: & Libr. de flatibus: aucto derepente ſanguine per ebrietatem animi functiones ejuſque intellectus concidunt. Et Libr. de diæta in acutis §. 30. in ejuſmodi morbis, ubi vehementem capitis gravitatem aut mentis læſionem metueris, vino omnino abſtinendum & tum aqua utendum eſt. Cælius Aurelianus* nunquam vinum concedit in morbis capitis, in doloribus, vel acutis paſſionibus, niſi morbo declinante vel finito. Ita etiam *Celſus Lib. IV. Cap. II.* in dolore capitis vinum rejicit & aquam bibendam ſuadet. Si vero excuſſus ex toto dolor eſt, etiam ad vinum reverti poſſe ſcribit. Idem auctor in dentium dolore vinum ex toto circumcidendum eſſe ſuadet, *Lib. VI. Cap. IX. pag.* 406. Pueris vero *Plato in ſecundo de Legibus* præcepit, ne uſque ad duodevigeſimum annum vinum guſtarent, quia nutritionem impedit propter nimium calorem, & aliam adhuc adicit rationem *Galenus Libr. I. de tuenda ſanitate*, quia eos ad iram & libidinem præcipites facit, & partem animi rationalem hebetem turbidamque reddit. Præclare hinc olim *Eobanus* cecinit:

Immodici ſenſus perturbat copia Bacchi,
Inde quis enumeret, quot mala proveniant?
Corporis exhaurit ſuccos, animique vigorem
Opprimit, ingenium ſtrangulat atque necat.

§. XII.

Quæcunque de vinis craſſioribus & vaporoſis dicta ſunt, ea etiam intelligenda ſunt de cereviſiis valde inebriativis, quæ plus certe nocent ſanitati, quam vina.

Scholion.

Dici vix poteſt, quantum ſanitatis detrimentum patiantur ii homines, qui pro ordinario potu cereviſiis craſſis inebriativis utuntur; multo vero magis periclitantur, ſi immoderatius eas adſumant, utpote quæ longe diutius manent in ſanguine, nec tam facile excretoria ſubeunt. Nec vero tantum cerebro & nervis, ſed & viſceribus vim inferunt, dum illa obſtruendo morbos dant chronicos incurabiles. Non poſſum autem non peſſimum illum medentium quorundam morem hoc loco reprehendere, qui morbis tam chronicis, quam acutis laborantibus ejuſmodi craſſas cereviſias concedunt, quas vix ſani homines, multo minus ægroti, ferre poſſunt. Ego omnibus ægrotantibus ſuadeo, ut decoctum hordei, vel chinæ & ſcorzoneræ cum paſſulis, quantum velint, bibant, ſanis autem & valentibus vicum aqua pura & levi dilutum, quotidie bibendum commendo, ubi pro ratione temperamentorum plus vel minus aquæ addendum eſt; nam vina certe lymphata omnibus cereviſiis & potibus præſtant.

§. XIII.

Quam nocivi vero ſunt potus intemperati vel nimis copioſe hauſti, tam perniciale etiam eſt, quæ conſuetudo maxime fœminarum eſt, nimis parum liquidi aſſumere, ſiquidem hoc ipſo paſſionum chronicarum fundamenta ſæpiſſime ſternuntur.

Scholion.

Nam ſanguis bonus & ſanitati commodus minimum tres partes liquidi aquei, & unam ſolidi continere debet; quo ſatis fluxilis minimos tubulos libere & ſine impedimento permeare & excrementitias ſalino-viſcidas ſordes per emunctoria evehere poſſit. Si itaque ex defectu liquidi humores nimia ſpiſſitudine & craſſitie laborant, quid aliud contingere poteſt, quam ut hinc inde in minimis vaſis reſtagnent, & viſcera ad obſtructiones atque indurationes diſponant, & relictis excrementitiis partibus impuri ſucci reddantur, præſertim ſi corpora motu & exercitatione careant, atque intemperatis, acidis & viſcidis utantur. Videmus itaque, præter experientiam, etiam ipſam rationem pro valetudine integra ſervanda non modo motum, ſed & potum liberaliorem, modo is ſit congruus, ſuadere. Videmus etiam eos, qui nimium potu ſe ingurgitant, non tam frequentibus morbis eſſe obnoxios, quam qui nimium voracitati dediti ſunt & gulæ indulgent.

CAPUT V.

De excretionum defectu, præcipuo morborum fundamento.

§. I.

AD firmam valetudinem & corpus ſanum ſervandum non tantum ingeſta, ſed maxime omnium etiam excreta ſpectari debent. Siquidem & nimia ingeſtorum copia & mala eorum materia non facile offendit corpus, ſi modo bene per excretoria tranſeat & foras ejiciatur. Nam illud ſaltim, quod in vitio eſt, ſi in corpore retinetur, ſi motus expers eſt, ſi ſubſiſtit, & partes exquiſitioris ſenſus & motus laceſſit, morbum parere & motuum œconomiam ſalutarem pervertere ſolet.

§. II.

Ingens eſt copia, quæ homo adultus, laboribus & exercitationi deditus, quotidie adſumere debet, ſed ejus corporis tamen pondus ſubducto calculo non increſcit; ergo ſequitur, ut & ingeſtorum & egeſtorum eadem eſſe debeat menſura.

§. III.

Non modo optimo rerum magiſtro, uſu atque experientia docemur, ſed & præſtantiſſimæ illæ à *Sanctorio* propoſitæ diæteticæ ex ſtaticis leges confirmant, hominem & bene valere & ad omnes actiones tum animi, tum corporis obeundas eſſe promtiſſimum, ſi corpus, abſoluta digeſtione non ponderoſius fiat, & excreta ingeſtis per omne tempus bene reſpondeant.

Scholion.

Si ullus ex veteribus medicis ſcriptor, qui utilia propoſuit, laudem meretur, certe eſt *Sanctorius*, qui elegantiſſimum illum de medicina ſtatica maximi uſus libellum compoſuit, in quo docet, ſi corpus ponderoſius ob excretiones, præſertim tranſpirationem, imminutas evadat, paratiſſimam eſſe ad morbos viam, qui etiam, niſi evacuationes reſtituantur, certiſſime ſequuntur.

§. IV.

Maximi igitur momenti eſt, ad morborum generationem probe intelligendam, & ingeſtorum & excretorum naturam, modum & rationem recte examinare atque perpendere.

Scholion.

Ampliſſimæ hujus veritatis veſtigia jam apud antiquiſſimum artis medicinalis auctorem *Hippocratem* reperire

reperire licet, cum *Libr. IV. de morbis* §. 16. hunc in modum differit: *quomodo & cur homo ſanus degat, referam. Poſtquam comedit ac bibit & humor ad corpus pervenit, admiſcetur ei, qui in corpore jam eſt, & ea die, quâ acceſſit, in corpore manet, poſtridie alius humor ad ipſum accedit atque duo ſunt dies & duo in corpore humores, & alteri quidem humori duo dies ſunt, alteri unus, qui poſtridie acceſſit, manet in corpore, alter autem coctus à caliditate diffunditur & tenuis factus poſtera die à recenti expellitur. Si vero permanſerit, graveolens fit, tertia vero die una cum ſtercore & urina exit copia ipſe ſibi æqualis & conſimilis & æquilibris, & cibi quidem ſemper poſtridie per alvum ſecedunt, humor autem ad tertiam diem. Et hoc modo ſanitas contingere ſolet.* Deinceps addit: *ſi humor pluribus diebus, quam tribus, in corpore permaneat, aut alius implens accedat, majus aut minus malum homini accedere.* Et hic totius paragraphi ſenſus eſt.

§. V.

Sapientiſſimum, quod in ſtructura microcoſmicæ machinæ apparet, artificium maxime in eo poſitum eſſe video, ut innumera organa velut officinæ ſint, quarum beneficio per continuum tritum, motum, impulſum ingeſta ſubiguntur, attenuantur & inter ſe invicem probe miſcentur; poſtea innumera quoque organa colatoria & emunctoria exſtant, per quæ materia ſupervacua, inutilis & mixturæ animali ac vitæ aliena corpore ejicitur.

Scholion.

Quum ventriculus & longus ille inteſtinorum canalis & pulmones omniaque viſcera & cor cum magno arterioſo canali motu elaſtico & contractorio perpetuo exerceantur, tritorii quaſi vicem gerunt, quo alimenta interventu liquidi ſubtiliſſimi ſolvuntur inque minutiſſimas partes dividuntur, exquiſite miſcentur ac uniuntur, ut inde puri fovendiſque viribus & alendis partibus idonei ſucci progenerentur. Cum vero ex alimentis plures ſupervacaneæ & inutiles relinquantur feculentiæ, & boni quoque ac laudabiles humores per continuum illum attritum atque inteſtinum motum paulatim benignam ſuam naturam exuant, inque materiam alienam, quæ excerni debet, tandem faceſſant, eaque non ſit unius ejuſdemque, ſed plane diſſidentis indolis, ecce providentiſſima natura multiplicia fabricavit organa, evehendis hiſce varii generis ſordibus apta. Hæc inter eminet cutis, quæ quaſi univerſale totius corporis emunctorium eſt, innumeris poris ac tubulis pervium, ex quo innumerabilis vaporum copia continuo exhalat. Neque exigua eſt ſulphurei illius ſalſi ſeri, quod urinæ nomine venit & per tubuloſa renum colatoria perpetuo tranſit, copia. Per glanduloſas quoque arteriæ aſperæ, faucium, oris & narium tunicas multum vitioſi ſeri quotidie exhalat atque emittitur. Tum craſſioris naturæ feculentiæ, quæ ab extractis alimentis remanent, & plures alieni, ſalſo-ſulphurei, bilioſi & lymphatici humores, qui ex glanduloſis inteſtinorum tunicis quotidie ſeparantur, alvo excludi ſolent. Ex quo maxime diſci poteſt, mirabile illud conſervationis vitalis myſterium in excretionibus motibuſque excretoriis & organis, per quæ ſecretiones fieri debent, apertis ac ſalvis potiſſimum conſiſtere.

§. VI.

Vigentibus itaque excretionibus viget univerſum corpus ejuſque functiones ſalvæ & integræ ſunt, eo quod alienum & noxium, & quod vim ſanitati minatur, perpetuo ſeparetur, ut puri ac incorrupti vitales permaneant humores.

Scholion.

Viſum eſt mihi hanc veritatem auctoritate *Hippocratis* confirmare, qui *Libr. IV. de Morbis* §. 15. ita differit: *ubi humor aliquis adfligens copioſior factus fuerit, ſi his locis, nempe per nares, os, podicem, urinæ meatum, homo depurgetur, nullus ab ipſo morbus hominem premit.* Nam certe materiam pro morbis non aliunde quærendam eſſe puto, quam in retentis, quæ ejicienda eſſent, purgamentis, quod ipſa ratio & experientia quoque adfirmat. Quid enim eſt, quod majorem perniciem partibus corporis ſolidis & fluidis inferre & motuum vitalium æquilibrium magis interturbare & tantum non evertere poſſit, ac ſi humores & quantitate & mixtione atque effectu plane infenſi in interioribus corporis partibus conſiſtant fixamque ibi habeant ſedem, & continenter partes, quæ ſenſu & motu vividæ ſunt, laceſſant.

§. VII.

Non præſentius ergo ad firmandam valetudinem & ſaluberrimum corpus ſervandum, atque ad omnes morborum origines præſcindendas datur conſilium, quam adhibere operam, ut excretiones, inque primis perſpiratio & inteſtinalis excretio, per omne tempus non labaſcant, ſed recte ſe habeant & ſufficientes ſint.

Scholion.

Præcipuas inter excretiones eſt perſpiratio, quam reliquas omnes ſuperare confeſſa & firma medicorum ſententia eſt, poſt quam vacuatio, quæ alvo fit, ſequitur: illa materiam tenuiſſimæ adeoque & nocentiſſimæ indolis, hæc craſſiorem & rudiorem feculentiam excludit ac removet. Videndum itaque, ut ſi homo ſecurus à morbo vivere velit, præter ſalvam tranſpirationem etiam venter quotidie bis ſemelve pro conſuetudine eat & ſatis plenæ dejectiones fiant. Vera enim, quæ ſcribit *Fuchſius in Inſtitutionibus Lib. II. Sect. V.* reperi: *venter ſi naturæ beneficio laxus fuerit, id in magnam felicitatis partem eſt numerandum. Quippe qui alvum natura apertam habent, haud facile morbis corripiuntur, qui contra adſtricta ſunt alvo, in perpetuo cum morbis conflictantur.* Siquidem alvo diutius compreſſa multa incidunt mala, præcordia moleſte inflantur, dolores in abdomine ſunt tenſivi, corporis eſt gravitas, caput dolet vel etiam grave eſt, ad ſuperiora tendunt flatus & cruditates in ructus ſolvuntur, in quibuſdam fiunt phlogoſes. Cohibita paulo diutius vel imminuta perſpiratione ſalſi & tenues humores feruntur ad caput & pectus, & alias quoque corporis partes infeſtant, & liberiorem motum ac circuitum minuendo languorem & laſſitudinem, capitis gravitatem, mentis torporem, coryzam, gravedinem, tuſſim, inquietas noctes, lentum calorem cum extremorum refrigeratione & urina acri concitant. In quibuſdam ventris tormina cum crebrioribus dejectionibus oriuntur. Equidem in corporibus alias ſanis & robuſtis hæc frequentius incidere, præſertim autumno, ubi mutatio & varietas cœli maxima eſt, videmus. Si autem corpora mali habitus ſunt, graviora inde mala naſcuntur, quæ non tam ſubito tranſeunt, quemadmodum infra id fuſius proponere volumus.

§. VIII.

Neque tantum pro ſanitate noxii & excrementiti varii humores utiliter foras ejiciuntur, ſed & puri & laudabilis mixtionis, ſi nimium adfluunt & corpori incommodant, maximo ſanitatis emolumento excernuntur, quemadmodum in fœminis ſanguinem per uteri extrema vaſa, vel etiam in viris per hæmorrhoides, in quibuſdam per nares ferri in propatulo eſt.

Scholion.

Plurima hominum pars plus adſumit alimenti, quam neceſſarium eſt & natura ferre & digerere poteſt, unde non poſſunt non & alias utiles ſucci ſola copia & mole offendere, eo quod liberiori ſanguinis per corpus progreſſui, dum ſolidorum elaterio & conſtrictivæ potentiæ reſiſtunt, obicem atque impedimentum injiciunt

Et hac ratione fœcunda illa morborum mater, plethora Græcis dicta, nunquam bona, producitur. Quæ ne in præceps deducat periculum corpus, protinus removenda eſt, idque opportune fit, ſi ſanguinis ſinceri quod eſt ſuperfluum, per exteriores & ultimos fines vaſorum in naribus, ano vel utero ejiciatur.

§. IX.

Maximam itaque partem ſanitatis apud fœminas in juſta menſium vacuatione atque in viris ſpongioſi & repleti corporis in conſueta ſanguinis & juſta per ſedis venas proruptione conſiſtere experimur.

§. X.

Quum omnes vacuationes, quæ fiunt ſecundum naturam, corpori egregium commodum atque ſalutem adferant, ſic, ut hæ diminutæ vel deficientes nunquam non valde pernicioſæ & noxiæ ſint, in promtu erit colligere, ſi non una, ſed ſimul plures non reſpondeant, ſed vitio laborent, rectiſſima via eas ad morbos deducere.

Scholion.

Sæpe accidit, ut labaſcente vel minuta una vacuatione, altera ſalva maneat vel etiam augeatur; & tum noxa non tam facilis & parata eſt corpori. Quid enim frequentius eſt, quam ſi alvi vel per ſe crebrior dejectio fit, vel illa medicamento ſolvitur, cutem conſtringi & perſpirationem tantiſper minui, contra alvo compreſſa eam augeri. Sub cœlo frigido impeditior perſpiratio urinam largius profluentem & alvum facit laxiorem. Humor ſi quando tuſſi copioſius rejicitur, alvus ſegneſcit. Atque adeo quod uni excretioni ſubtrahitur, alteri ſæpius non ſine commodo adjicitur, horumque ratio ex perpetuis motuum legibus corporis noſtri hydraulicis commodiſſime peti poteſt. Illud vero ſalutare in uſum practicum inde trahi poterit, quod una vacuatione aucta altera ſupprimi, & deficiens per aliam imminutam augeri poſſit. Nam ſi conſilium eſt, alvi fluxum coërcere, opportune id fieri poteſt perſpiratione auctiori reddita, ſique vacuationem per cutim moliri ex re erit, alvus comprimenda eſt.

§. XI.

Quod ſi à mala diæta, vel animi adfectu præcedente plures ex nobilioribus vacuationes ſimul deficiant, metus eſt futuri morbi. Nam nulla febris, ſive ſit intermittens ſive continua, neque ullus alius adfligens corpus morbus facile naſcitur, niſi aliquot dies ante alvus muneris ſui obliviſcatur, & cauſæ prægreſſæ fuerint, quæ liberum tranſpiratum vel alias adhuc vacuationes prohibeant.

Scholion.

Profecto ſi quis probe morborum initia, quod præcipuum in medendo momentum eſt, ſcrutari velit, reperiet, ea tam ex pravis ingeſtis, quam ex deficientibus & ſuppreſſis pluribus ſimul vacuationibus, maximeque alvo & tranſpiratione duci. Nam hiſce labaſcentibus ingens excrementitiarum varii generis ſordium tam in inteſtinali canale, quam in aliis receptaculis & vaſis fit cumulus, quæ mixtura pejores redditæ nerveas & motrices corporis partes laceſſendo febres, rheumatiſmos, fluxiones, dolores, ſpaſmos concitant. Deterioris vero notæ morbus naſcitur, ſi corpus jam tum repletum, ſi impurum eſt, vel alias conſuetæ ſanguinis vacuationes deficiunt. Tum enim major adhuc variæ excrementitiæ materiæ invicem mixtæ congeries & cumulus fit.

§. XII.

Non raro ex defectu excretionum ſecundum naturam nimia humorum copia & impuritas collecta vigore naturæ, ſive motuum in ſolidis partibus robore, vacuationibus extraordinarie auctis ſaluberrime excluditur. Igitur intelligentis eſt medici, ejuſmodi excretiones nullo prorſus modo cohibere, ſed potius, prout res exigit, eas prudenter moderari.

Scholion.

Ita ſæpius ex digeſtionis & motus inteſtinorum vitiis non recte reſpondente alvo multus & corruptus humor primam occupat regionem, qui ſaluberrime ſæpius naturali facta purgatione ejicitur; utiliſſima hinc *Celſi* obſervatio eſt *Libr. V. Cap. XII. uno die fluere alvum pro valetudine eſt atque etiam pluribus, dum febris abſit & intra ſeptimum diem conquieſcat, purgatur enim corpus & quod intus læſurum erat, utiliter effunditur.* Simili modo ſeri impurioris abundantia per urinæ largiorem fluxum ſubinde magno valetudinis commodo ſolvitur. Neque enim de nihilo eſt *Sanctorii*, quam *Sect. I. §. 68. loc. cit.* proponit, obſervatio, quod corpora virorum ſano & moderato victu utentium ſingulis menſibus fiant ſolito ponderoſiora, unius ſcilicet duarumque librarum pondere, & redeant ad conſuetum pondus circa finem menſis ad inſtar mulierum, ſed facta criſi per urinam paulo copioſiorem vel turbidiorem. Quo pertinet etiam ſaluberrima ſupra modum affluentis ſanguinis in ſexu fœminino ſingulis per uterum menſibus & in quibuſdam viris per ani venas ſtatis plerumque temporibus, & maxime circa æquinoctia, evacuatio. Vel etiam natura alia via, nempe motibus reſolutoriis & excretoriis auctis, qui in febre conſpiciuntur, nimiam humorum copiam minuere tentat, quemadmodum id feliciſſime ſæpius per intermittentes, & quæ rheumatibus jungi ſolent, perficitur.

§. XIII.

Quicunque igitur cito obſtructiones ſolvere atque excretionis inter morbi initia vel ante ejus acceſſionem reſtituere ſcit, is certe & plurimis malis & vitæ periculo opportune occurrere poteſt.

Scholion.

Præcipuum in arte noſtra eſt, & quod etiam in poteſtate medici poſitum, morborum principiis reſiſtere, antequam incrementa ſumant, ita vel ſtatim in herba quaſi jugulantur, vel longe mitiori incedunt habitu. Aureum eſt illud *Hippocratis* monitum *Sect. II. aph. 29. incipientibus morbis, ſi quid movendum, move, vigentibus vero quietem agere melius eſt*: mox enim in principio, ſi res poſtulat, ſanguinem mittere, alvum ſolvere, aut ducere, ventriculum vomitu deplere aut perſpirationem movere oportet. Ita enim commode vis morbi præſcinditur. Nam ſi hæc ipſa jam jam nervorum ſyſtema occupaverit, quieſcere, quam agere vel movere conſultius eſt.

§. XIV.

Neque vero tam facile eſt, deficientes vel ſuppreſſas vacuationes, ſive ſudoris ſive ſanguinis menſtrui vel hæmorrhoidalis, in ordinem reſtituere, quia cauſa non tam in materiæ vitio, quam in motus perverſitate poſita eſt.

Scholion.

Falluntur, qui in reducendis vacuationibus tantummodo ad materiæ vitia & ad obſtructiones reſpiciunt, non animadvertentes, motum potius eſſe in culpa, qui fibras conſtringit & à minoribus & exterioribus tubulis humorum curſum verſus interiora dirigit. Ita compreſſis à ſpaſmo inteſtinis craſſis, cui ea valde obnoxia ſunt, nihil prorſus tranſmittitur, ne flatus quidem, ſed omnia ad ſuperiora tendunt & regurgitant. Simili modo conſtrictis, ſive à frigore ſive à terrore vel alia cauſa, ſubcutaneis tubulis ſeri ſubtilis ſalſi, difflari ſoliti, motus intro convertitur atque vel ad glandulas inteſtinorum vel ad eas, quæ in bronchiis pulmonum, ore &

naribus

naribus ſunt, dirigitur. Maligna in variolis, morbillis, purpura materia ex ſumma cute repreſſa nervoſas intus partes occupat, nec tam facile artificio quodam revocatur. Conſtricti, qui bilem vehunt, ductus ira vel alia ex cauſa mox ejus motum ad lymphæ & ſanguinis maſſam convertunt. Hos omnes motus inverſos atque excretionibus adverſos in ordinem & verſus exteriora reducere non tam facile & expeditum eſt. Neque res incidentibus & vehementioribus commoventibus, ſed potius blandis demulcentibus, relaxantibus, antiſpaſmodicis & leniter moventibus tractanda erit.

§. XV.

Illos etiam & difficiles & longos morbos, qui immodicas humorum & ſanguinis profuſiones ſequuntur, à depreſſis & imbecillibus excretionibus originem ſuam ducere obſervamus.

Scholion.

Poſt effrenes ſanguinis vel humorum profuſiones, quacunque ex cauſa ortas, non modo virium ſubſtantiam exhauriri, ſed & paulo poſt longos & periculoſos morbos, cachexiam, hydropem, tabem, hecticam initia ſumere, frequenti cognitum eſt experientia. Neque tamen illæ nimiæ inanitiones proximæ horum morborum cauſæ ſtatuendæ ſunt, ſed quia ſupra modum conſumtæ ſunt vires atque humores exinaniti, ideo fit, ut quæ cibo & potu adſumuntur, nec recte ſubigi, ſuperari, nec rurſus ejici poſſint, ſed intus remaneant, ſtagnent, corrumpantur, & fertiles ſic morborum cauſas præbeant: nam à nimium exhauſto ſanguine concidunt vires, quæ ſolida regunt, concidunt quoque & clauduntur vaſa minima in ſecretoriis & excretoriis, quæ ſecundum naturam ab humorum copia aperta ſervari debebant.

§. XVI.

Quum diminutæ excretiones veræ & adæquatæ morborum cauſæ ſint, nullus hinc vel ſponte à natura vel arte ſanatur morbus, niſi illis reſtitutis.

Scholion.

Illuſtre hujus rei documentum præbent omnis generis febres, quæ nec ex toto deſinunt, nec intermittunt aut miteſcunt, niſi prægreſſis vel per alvum vel per ſudorem evacuationibus, quibus etiam circa convenientia tempora, quæ critica vocari ſolent, accedentibus, febris declinat vel finitur. Nam hæ ipſæ in integrum reſtitutæ ſpaſmum, qui in febre univerſum vaſorum & membranarum genus occupat, & vehementer motus ſecundum naturam concitat, jam reſolutum & morbum victum denuntiant. Accedit & hoc, quod ob meatus jam apertos & ob ſanguinis circulum ad excretoria reſtitutum omnes ſordes, etiam ſub ipſo motu morboſo contractæ, cum certa ſpe ſecundæ valetudinis feliciſſime removeantur. Utilis vero hac in re eſt illa obſervatio, quod macilentiores, ſi febre inflammatoria laborant, magis per ſudorem, repleti vero & qui ſpongioſi ſunt corporis habitus, in febribus putridis plus per alvinas dejectiones criſi facta ad ſanitatem perducantur. Ex quo ſalutare illud monitum fluit, medicum naturæ ductum in hoc etiam ſequi, minime vero eum prævertere & pervertere debere. Qui vero ex chronicis graviter decumbunt, ſi ex plethora orti ſunt, menſium & hæmorrhoidum fluxu vel ex toto liberantur, vel mitiorem morbum experiuntur; ſi vero ingens impuritas, quæ à vitio & deficientia excretionum originem trahit, morbum fert chronicum, tum nec ſpecifica alterantia, nec depurantia hic uſum quendam conferunt: ſed omne medentis conſilium eo dirigi debet, ut meatus aperiantur & excretiones per alvum, per tranſpirationem, per hepatis ductus biliarios per renum urinoſos, in ordinem redigantur. Ita enim ex ſanguine impuro, interpoſito quodam tempore, mox purus & benignus fieri poteſt.

§. XVII.

Quum totus valetudinis ſecundæ ſtatus in ſalvis excretionibus, & adverſæ in earum defectu conſiſtat, neque aliter ægrotans ad ſanitatem perducatur, niſi per evacuationes in integrum reſtitutas, cuivis facile apparere arbitror, illa remediorum genera, quæ aptam excretioni materiam morbidam reddunt, quæ meatus occluſos aperiunt & motus humorum ad excretoria dirigunt, omne in medendo ferre punctum.

Scholion.

Quibus præcognitis jam apparet ratio, quare inter tot remediorum claſſes palmam ferant ea, quæ vacuationi ſerviunt, quo in numero ſunt venarum ſectiones, cucurbitulæ, hirudines, atque etiam quæ vomitum cient, alvum ſolvunt, urinam movent, ſalivæ fluxum augent & perſpirationem ac ſudorem promovent. Quo pertinent etiam balnea, membrorum fricationes, item omnia alia corporis exercitia, vox clara, labor, ambulatio, vectura, equitatio, item fames, abſtinentia, quæ omnia ejus ſunt facultatis, ut materiam demant, & minuant. Hujus generis etiam ſunt liberalior potio & uſus thermarum, acidularum & fontium aliorum ſalubrium, puræ aquæ frigidæ vel calidæ, herbæ cuidam infuſæ, ex lignis decoctæ, potus ſeri lactis. Nam eorum omnium operatio nulla alia eſt, quam ut craſſos humores diſſolvant, obſtructos meatus reſerent, emunctoria ſtimulent, & motus deficientes excretorios reſtituant. Equidem anodyna & ſedativa, item adſtringentia videntur vacuationibus adverſa, ſed tamen, niſi ab eorum uſu damnum velimus expectare, illa ipſa etiam excretiones adjuvare debent. Nam illa, dum ſpaſmos & dolores demulcent & ſiſtunt, clauſos meatus aperiunt & hac ratione ſudorem non raro reſtituunt. Et quia roborantia & ſubadſtringentia tonum & motum partibus & fibris nimium reſolutis & laxatis reddere ſolent, hinc eorum uſus aperitivus, & qui excretioni velificatur, etiam manifeſtus eſt; nam in genere hic velim notari, nec opiata, nec alia, quæ dolorem levant & ſomnum inferunt, nec adſtringentia unquam ſalutarem effectum præſtare, niſi à prudentia medici eorum uſus ad ſubmovendas obſtructiones & promovendas excretiones dirigatur. Sique ſpes eſſet inveniendi talem medicinam, quæ omnibus morbis & avertendis & ſanandis cum effectu accommodata ſit, ejus certe operatio ita deberet eſſe comparata, ut pulſum roborando liberum ſanguinis circulum, ſublatis ubique ſpaſmis, ſine acri calore promoveret, adeoque & omnium ſaluberrimam tranſpirationem & alias excretiones augeret ac reſtitueret. Et quoniam huc uſque tale quid in nullo tantopere jactato & pretioſe venditato remedio vidi vel reperi, motum corporis & aquam puram tamdiu pro medicina univerſali habeo & commendo, dum melior & efficacior, quæ hos effectus præſtet, inveniatur.

CAPUT VI.

De perniciali earum rerum, quæ excretiones cohibent, indole atque effectu.

§. I.

QUum excretiones, quæ fiunt, per cutem, alvum, urinam & per uteri aut ani venas, diminutæ vel deficientes graves & varii generis morbos certiſſime procreent eædemque reſtitutæ eos finiant ac profligent, quid evidentius eſt, quam quod omnia ea, quæ conſtrictivæ ſunt indolis, quæ excretorios tubulos occludunt, quæ

quæ excernenda retinent, inter humanæ naturæ infenſiſſima numeranda ſint.

§. II.

Non ſunt unius ejuſdemque indolis, quæ ſaluberrimas illas excretiones, quibus noxia & corruptibilia corpore excluduntur, cohibent vel penitus ſiſtunt. Alia enim ad alimentorum, alia ad medicamentorum claſſem pertinent, aliaque ſunt interna, alia externa, quædam valentioris quædam mitioris naturæ; nonnulla etiam ad res naturales & præternaturales ſpectant: quædam alvum adſtringunt, quædam tranſpirationem reprimunt: rurſus quædam excretiones ſanguinis impediunt aliaſque fluxiones cohibent.

§. III.

Ad alimenta, quæ alvum adſtringunt, referenda ſunt omnia dura, macra, auſtera, acida, aſpera, toſta & in eadem carne aſſa potius, quam elixa, panis bis coctus, toſtus, ſpiræ, pulticulæ ex oryza, milio, ex piſis, dura ova & omnia opera piſtoria, caſeus, caſtaneæ, nuces, amygdalæ, mala cotonea, pira immatura, fructus acaciæ, meſpili, ribes, berberes, acetum, vina rubra & adſtringentia, item paucior cibus, corporis quies & aquilonia aëris conſtitutio.

§. IV.

Inter medicamenta, quæ alvum & omis generis excretiones cohibent, eminent omnia ex alumine, marte, plumbo & vitriolo parata, inque primis tinctura hæmatitis, ſulphuris vitrioli, liquor martialis ex capite mortuo florum ſalis ammoniaci cum hæmatite confectus, omnes terræ ſigillatæ, bolli, terrea marina; ex vegetabilium familia radix tormentillæ, biſtortæ, plantaginis, quinquefolii, cortex chinæ, fraxini, granatorum, terra ſic dicta catechu: quo pertinent etiam omnia, quæ dolores levant, ſomnum inferunt & quæ papaver aut opium ingreditur.

§. V.

Ex iis, quæ omnium ſaluberrimam perſpirationem cohibent & materiam morbificam, ſalutari ſæpe & critico motu ad ſummam cutem effuſam, reprimunt, ſunt præter externum frigus, ſive humidum, terror & linimenta ex ſulphure, ex mercurio vel ſaturninis parata, item balnea frigida, adſtringentia, & linimenta pinguia, oleoſa & emplaſtra adſtringentia; quo pertinent etiam omtea recentia.

§. VI.

Omnes ſpaſmi & dolores acerbiores, neque minus urgatio per alvum, per vomitum fortior nimiæque anguinis miſſiones, id habent incommodi, ut modo ateriam à corporis habitu ad interiora revocent ac dirtant, modo etiam ſpaſticis ſtricturis meatus ſubcuneos occludant.

Scholion.

Omnium dolorum, quacunque in parte corporis conſtant, indoles tam pernicioſa eſt, ut & alvum & ſummam cutem & vias urinarias conſtringant, ut parcius urina & alvus & ſudor fluant, idque videmus non odo in dolore capitis, inteſtinorum, ventriculi, denum, ſed etiam in eo, qui in ano ex hæmorrhoidibus rcis fit, vel ex calculo in uretheribus hærente oritur. uam noxium & inconſultum eſt tali in caſu comoventia & ſtimulantia adhibere, tam proficuum eſt, æ ſomnum conciliant & dolores levant, in uſum voe. Nam eorum uſum ſubinde mox & ſudoris & uri- fluxus ſequitur, & alvus mollior evadit. Deinde lidiores, quæ fiunt per vomitum, aut per ſalivatiom, per purgationem, vel per copioſum ex pectore tum, vacuationes & alvum comprimunt, & cutis corem conſtringendo tranſpiratum valde imminuunt parquod vel nimiis excretionibus plerumque ſint ſpaſmi

juncti, partim etiam, quod materia aliorſum divertatur.

§. VII.

Sanguinis nimias effuſiones atque ejus per artem factas emiſſiones & tranſpirationem & alias utiliſſimas excretiones diminuere & imbecilles reddere obſervamus.

Scholion.

Cujus rei rationem non difficile eſt invenire; nam ſublata nimia ſanguinis mole demitur vis & robur ſolidarum partium, demitur etiam is humor, qui extremos illos excretorios cutis tubulos apertos ſervare & tranſpirationem juvare debebat. Igitur quam pernicioſum ſit, validas ſanguinis & humorum vacuationes, ubi jam tranſpiratio languida eſt, moliri, & quemadmodum longi morbi per eas & foveantur & procreentur, haud ſatis dici poteſt.

§. VIII.

Diuturna corporis quies & ceſſatio motuum, ſomnus longior, ingens cura, angor, mentiſque agitatio ſunt quoque ex his, quæ robur & vigorem ſolidis auferendo & tranſpirationem & alias excretiones, etiam illas criticas, ſolennes ſanguinis minuunt atque retardant. Quare non mirum eſt, hiſce diu adfligentibus & pravas & longas ægritudines cooriri.

§. IX.

Poſitive adſtringentia, quæ eminentioris ſunt virtutis, & auſtero ac fixiori elemento agunt, naturæ humanæ inimiciſſima ſunt; quin imo veneni cujuſdam naturam in eo æmulantur, quod graviſſimam noxam valetudini inferunt.

Scholion.

Ex anatomicis & mechanicis compertum eſt, machinam noſtri corporis mere eſſe hydraulicam, & ex innumeris tubulis majoribus atque minoribus conſtructam, per quos jugi & non interrupto motu varii generis humores perfluere, influere, refluere & effluere debent: in quo motu progreſſivo ſicuti vitæ & ſanitatis conſervatio præcipue poſita eſt; ita ab hoc impedito, intercepto vel deficiente & morborum & mortis origo repetenda eſt.

§. X.

Nihil tam valide fluida corporis noſtri inſpiſſat, coagulat & hoſtili criſpatura ac contractione liberam ſolidorum expanſionem & ſyſtolen impedit, & tonum ac motum periſtalticum inteſtinorum deſtruit, quam forte adſtringens, iteratis vicibus datum.

§. XI.

Mirabile eſt, forte adſtringens adſumtum mox & celerrime in diſſitas etiam partes operari, eaſque conſtringendo nimias excretiones cohibere. Ita vidimus, in hæmoptyſi, vel immodico menſium profluvio, ab uſu tincturæ ſulphuris vitrioli vel hæmatitis brevi poſt ſanguinis eruptionem conquieviſſe.

Scholion.

Hujus ſingularis effectus atque phænomeni ratio ita mihi explicanda videtur. Animadvertimus, à dato veneno, vel fortiori emetico, aut purgante, vel mercuriali medicina univerſum mox membranarum & nervorum genus in conſenſum trahi, & ſtricturis affici, eam ob rationem, quoniam omnes fibræ & membranæ, quibus vaſorum compages conſtat, ſunt elaſticæ, id eſt, à vi externa facile conſtringuntur & explicantur. Nam in omnibus corporibus elaſticis id eſt perpetuum, ut, ſi qua eorum pars aut contractior fiat, ceteræ ſtatim omnes, etiam in extremo loco poſitæ, in illum ſtatum declinent, id quod experimento chordæ vel funis clarum fit. Si itaque tunicæ inteſtinorum partem quandam

vehementius contrahi contingit, non mirum eſt, totum membranarum ſyſtema inde affici, quia propter contiguitatem & propagationem ſimilemque naturam plane inter ſe conſentiunt. Jam vero quis non videt, idem fieri poſſe ab adſtringentibus? Nam hæc quoque eſt cauſa, quod ad uſum adſtringentium, v. g. martialium, cito pulſus immutetur, iſque antea languidus durior & fortior evadat; ſiquidem ipſos etiam arterioſos tubos ex membranis nerveis & muſculoſis conflatos eſſe, ad quas vis medicamenti activa ex inteſtinis derivatur, ex anatomicis cognitum eſt.

§. XII.

Si qua alia remedia noxam humano corpori inferre poſſunt, atque ideo ſumma cum cautione uſurpari debent, certe ſunt ea, quæ adſtrictivam facultatem habent, utpote ſæpius per inopportunam vaſorum conſtrictionem inæqualitatem ſanguinis circuitus, ut verbis utamur *Hippocratis Libr. de flatib.* efficiunt, ut in alia loca parcior, in alia juſto copioſior ſanguis feratur, ex quo ſtaſes & ſtagnationes, in partibus imbecillioribus productæ, graves & multas inducunt ægritudines.

Scholion.

Placuit mihi maxime ex veteribus eximium de adſtringentibus monitum *Aëtii* quod *Libr. XVI. Cap.66. Animadverſ.* ita proponit: *Communis error & mulierciularum & barbitonſorum, quin & indoctorum medicorum omnino eſt fugiendus adhibentium adſtringentia, quæ nullo tempore vel occaſione unquam in uſum venire poſſunt. Adſtrictis enim locis aut nobiliora membra invadunt moleſta excrementa, aut retenta in malum habitum aut hydropem laborantes ducunt.*

§. XIII.

Omnis generis adſtringentia, ſive in claſſe medicamentorum, ſive alimentorum ſint, ventriculi & inteſtinorum partibus nervoſis motuque gaudentibus facile vim & noxam inferunt, nec ſine periculo in alvi nimiis profuſionibus aut vomitionibus dantur, quia nimium ſtringendo liberum illum motum periſtalticum, à quo alvina excretio & plurima alia circa digeſtionis negotium bona pendent, facile intercipiunt.

Scholion.

Nihil familiarius eſt, quam ab alimentis auſteris & acidis, item duris & ſiccioribus, ſecundum *Hippocratem Libr.* II. *de diæta* copioſius datis, alvum tenſam & duram per aliquot dies reddi, idque multo magis fit, ſi diuturnior eſt aquilonia aëris conſtitutio & corpus nimio labore exercetur, qui ſiccat alvumque ſiſtit. Curato quoque alvi profluvio medicamentis nimium adſtringentibus, ita ſæpe adſtringuntur & ſiccantur inteſtina, ut æger ad duos aut tres dies nequeat excernere, quæ *Hollerii Comment. in aph.* 20. *Sect. II.* obſervatio eſt; compreſſa vero diutius alvo inteſtina potius ſurſum, quam deorſum moventur, regurgitant flatus, ad ventriculum inque ructus ſolvuntur, id quod etiam jamdudum ab *Hippocrate* notatum fuit, qui *Libr. de Loc. in Homine §. 50. reſtitante*, inquit, *alvo propter vehementem ſtabilitatem corpus intumeſcit, & Libr. de flatibus: obſtructo inferiori ventre in univerſum corpus flatus diſcurrunt.*

§. XIV.

Nulli vero parti tam incommoda eſt alvus conſtricta, quam capiti, quod ſemper exinde male habet morbique ibi conſiſtentes ingraveſcunt; ſicut contra ab alvo liquida, vel ſi obſtructa fuerit, per clyſterem ſubducta mox ſuperiores partes, ut ſcribit *Celſus L. IV. C. III.* reſolvuntur.

§. XV.

Per multiplicem in certo habemus experientiam, alvi fluxu temere adſtringentibus ſuppreſſo, ita tonum viſcerum & inteſtinorum læſum fuiſſe, ut in imbecillioribus & repletis ſæviſſimum illud & chronicum hypochondriacum malum ſuam inde originem traxerit. Vel etiam febres lentas, meſentericas, aut decubitu facto ad viſcera abdominis cachexiam, tumorem pedum œdematoſum, ad thoracem pleuritides, ad caput apoplexias, ophthalmias, ad articulos arthritides inde coortas obſervatum fuit.

§. XVI.

Majori adhuc periculo dyſentericus fluxus adſtringentibus ſiſtitur; acris enim & maligna materia intus retenta pejora mala procreat, ut ſunt cardialgia, ſingultus, ſumma anxietas & inquietudo, vel funeſta inteſtinorum inflammatio, vel etiam cruentæ in albam & incruentam, quæ pejoris eſt naturæ, converſio.

Scholion.

Certe nihil magis eſt peſtiferum, quam adverſus dyſenteriam ſtatim ſiſtentibus pugnare; corrigere potius cauſticam materiam temperantibus & delinientibus convenit eamque ſive ſtatim inter initia per vomitum, ſive etiam per laxantia leniora educere iiſque balſamica & roborantia externe pariter & interne interponere.

§. XVII.

Nulla inſecurior & pernicioſior immodicas ſanguinis profuſiones compeſcendi ratio eſt, quam validioribus conſtringentibus uti, eo quod graviſſima mala nunquam non fere inſequantur.

§. XVIII.

Neque hujus rei cauſam in obſcuro poſitam eſſe illi intelligunt, qui ſciunt, hæmorrhagias ab internarum partium ſpaſmis & inde facto ſanguinis ad partes majori appulſu nunquam non proficiſci. Quum vero adſtringentia ſpaſmos non ſiſtant, ſed potius mirifice augeant, ex eo ſequitur, ut vel ipſæ eruptiones ſanguinis augeantur, quod non ſemel, ſed ſæpius iterumque obſervavimus, vel ſanguis ad alias & inſolitas vias cum impetu feratur, ubi ſi non exitum habet, gravia molitur mala.

§. XIX.

Menſium fluxus repente adſtringentibus cohibitus ingentes & ſuffocatorias quaſi anguſtias, itemque cordis palpitationes parere, vel etiam in capite dolores immanes & hemicranias, in artubus convulſiones & diſtenſiones movere ſolet. Converſo vero ad ambitum corporis ſanguine eryſipelata, rheumatiſmi, arthritides, tumores oriuntur; quædam inde totalem menſium ſuppreſſionem & ſterilitatem, vel etiam hydropem uteri ſibi contrahunt.

§. XX.

Lochiorum immoderata profuſio repente cohibita peſtifera eſt, ſiquidem quam facile inflammationem in utero & febrem acutam movet, vel coarctatis nimium uterinis vaſis varices ibi fiunt, in quibus concretiones polypoſæ, quas fœminæ molas dicunt, naſcuntur, vel intercepto ſanguinis per uteri vaſa circulo abortiones, vel continua ſanguinis ſtillicidia, vel inordinatæ menſium effuſiones proveniunt.

§. XXI.

Nullus fluxus tam cito & tam periculoſe ab adſtringentibus & opiatis reprimitur, quam qui per ani venas fieri ſolet; conſtrictis enim inteſtinalibus inque primis coli, ceu plenioris & majoribus vaſis turgidi, tunicis ac vaſis ſanguis ſe convertit & regurgitat ad reliqua inteſtina, ubi ſubſiſtens immanes dolores, ſpaſmos & convulſivas ſtricturas efficit, quas plura mala inſequuntur, ſæpe etiam lethalia, præſertim, ſi ad caput nimia ſanguinis fiat congeſtio & ſtaſis. Vidimus enim hac ratione & deliria & lethales convulſiones ſecutas. In ventriculo ejus inflationes, vel etiam ſpaſmos, præcordiorum

iorum anxietates, vomitiones, ſingultus & extremo-
um frigora parit. Adhæc longa etiam vitia in quibuſ-
am producit; infarctis enim ſanguine abdominis viſ-
eribus ad cachexiam, ad hydropem, ad lentas & me-
entericas febres via panditur expeditiſſima.

Scholion.

Quam facile & expeditum eſt, & menſium & hæ-
norrhoidum fluxum ſiſtere, tam arduum & difficile
rit, eundem revocare inque ordinem redigere; & qui-
lem eam ob rationem, quia conſtrictis extremis vaſis
& partibus, per quas fluxio fit, & vaſorum & nervo-
arum partium motus ſtatim invertitur & verſus inte-
iora & ſuperiora declinatur, qui motus à natura
alieniſſimus ſi diu durat, quaſi in habitum abit & æ-
gerrime emendatur. Hinc fluit ratio, cur mala illa ſpaſ-
modica à retento vel intempeſtive cohibito menſium
& hæmorrhoidum fluxu tam pertinacia ac fere inſana-
bilia ſint, niſi mox inter initia convenientibus remediis
is occurramus.

§. XXII.

Æque peſtifer eſt adſtringentium uſus, ſi ruptis pul-
nonum vaſis cruor copioſiſſime effunditur; nam re-
pentina conſtrictione ſanguis congeſtus ſpirandi auget
difficultatem, vaſorum minimorum pulmonalium ob-
ſtructiones, indurationes, in majoribus vero polypoſas
concretiones progignit, ut deinde facile recurrat hæ-
moptyſis, vel phthiſis & hectica febris ex pulmonum
corruptela enaſcantur. Conſuetæ narium hæmorrhagiæ,
ſi repente variis artificiis cohibeantur, in adultis facile
in dolores capitis gravativos, vertiginem, auditus diffi-
cultatem, vel etiam in apoplexiam abeunt; in junio-
ribus inde pectoris oppreſſiones, hæmoptyſis, difficilis
reſpiratio vel etiam phthiſis ſequuntur.

§. XXIII.

Neque cruenta vomitio hanc perverſam medendi
methodum ſuſtinere commode poteſt, inſequentibus
eam anxietatibus, cardialgiis ſyncopticis animique de-
liquiis vel atrocibus circa hypochondria ſpaſmis.

§. XXIV.

Quam pernicioſæ ſunt ſanguinis repentinæ compreſ-
ſiones, tam noxium quoque eſt, ſi impurioris ſeri pro-
fluvium intempeſtive coërceatur. Hujus rei exemplum
dat fluor albus, quo ſuppreſſo nihil frequentius acci-
dit, quam ut converſa ad habitum corporis corrupta
materia purpura chronica diu & pertinaciter affligens
enaſcatur, quæ etiam exquiſitiſſimis remediis non fa-
cile cedit, niſi hic fluxus reſuſcitetur. Fiunt quoque à
fluore albo vi quadam cohibito ventris intumeſcentiæ,
lumborum dolores lentæque febres cum artuum tor-
pore & ingenti corporis laſſitudine.

§. XXV.

Pejoris indolis eſt virulenta ex impuro coitu gonor-
rhœa, ſi inconſulte adſtringentibus tractetur. Repulſa
enim ad vaſa lymphatica corrupta materia inſtar fer-
menti totam lymphæ maſſam inquinat eamque ita cor-
rumpit, ut tenax, viſcida & acris cauſtica evadat, quæ
poſtea in parte vel glanduloſa, vel in ſumma cute, aut
membranis ſtagnans atroces dolores, noctu maxime ur-
gentes, in facie puſtulas, in aliis partibus pravas exul-
cerationes, in glandulis inguinalibus bubones, inque
univerſo corpore ingentem languorem & laſſitudinem
procreat.

Scholion.

Hanc univerſæ lymphæ corruptionem non licet tam
facile radicitus tollere, ſed validioribus & ſæpe mer-
curialibus opus eſt bene præparatis, ut glandularum &
partium nerveo-fibroſarum fortiori ſtrictura totus lym-
phaticus latex in validiorem motum abripiatur, & vel

per ſalivales fontes, vel per inteſtinales glandulas, aut
ſubcutaneos tubulos, vel per omnia hæc excretoria ſi-
mul, quod præſtat, materia malignæ impuritatis eva-
cuetur.

§. XXVI.

In aliis ſeri impuri vitiis ad ſummam cutem parteſ-
que externas delati, quæ inter eminent eryſipelata, ar-
thritides, achores vel tineæ capitis, gutta roſacea, ſca-
bies, purpura & variæ puſtularum & macularum ſpe-
cies, nihil inconſultius eſt, quam corruptam materiam,
quæ exitum per tranſpirationem affectat, variis linimen-
tis ex mercurio, ſulphure, vel etiam balneis conſtrin-
gentibus & intro ſumtis purgantibus, aut intempeſti-
vis ſanguinis miſſionibus reprimere, ſiquidem tubulis
cutaneis hoc modo conſtrictis ſæviſſima ſubinde mala
oriuntur.

Scholion.

Prout enim materia maligna, & quæ veneni vim in-
duit, alia atque alia petit loca membranoſo-nervea,
varia oriuntur mala; quandoquidem in capite non raro
inde hemicraniæ, guttæ ſerenæ, vertigines, epilepſiæ,
phrenitides, in faucibus anginæ, in pectore aſthmata
& pleuritides, in ventriculo cardialgicæ anxietates
& inflammationes, vomitus, ſingultus, in inteſtinis atro-
cia tormina, alvi ſtricturæ, in univerſo corpore febres
lentæ vel etiam acutæ generantur.

§. XXVII.

Eryſipelata vel etiam arthriticos dolores male tracta-
tos per ſaturnina exterius applicata, & medicamenta
intro ſumta, quæ impetum ſanguinis à cute divertunt,
ut ſunt purgantia, præſertim in impuris corporibus, in
lethalem ſphacelum degeneraſſe, plurimis experimentis
cognitum habemus.

§. XXVIII.

Quum itaque in plurimis morbis adſtringentium &
interne datorum & extrinſecus adplicatorum abuſus ſit
maximus & plerumque exitialis, multo conſultius vi-
detur ab iis prorſus abſtinere, ſed potius rationali me-
thodo fluxionum, ſi immodicæ fuerint, curam aggre-
di; quod fit, ſi ſpaſmi idoneis remediis coërceantur,
materia irritans temperetur, & impetus motuum ad
alias vias opportune divertatur.

CAPUT VII.

De morborum maxime epidemiorum origine ex aeris vitio & tranſpiratione impedita.

§. I.

EXperientia certa & indubia conſtat, nihil in re-
rum natura eſſe, quod, præter adfectus animi &
venena, tam ſubitam mutationem motibus & functio-
nibus corporis animati inferat, quam aër mutatus,
adeo, ut etiam animi vigor exinde varie afficiatur.

Scholion.

Aër teſte Hippocrate, libr. de flatibus §. 4. *& 6. ma-
ximus eſt in omnibus, quæ corpori accidunt, & vitæ &
morborum autor & dominus.* Nam major in hoc eſt vis
ad immutandum & ſolidorum & fluidorum ſtatum,
quam in ullo alio: hinc aëris mutationes varii ſequun-
tur morbi.

§. II.

Videmus ſub cœlo ſereno, puro & temperato, ven-
ti flatibus orientalibus, vel iis cum meridionalibus aut
ſeptentrionalibus junctis, item ſi vere temperatus & æ-
qualis aër eſt, inſigne robur & corpori & animo acce-

dere, hominemque ad actiones corporis & ingenii præstandas tunc longe esse alacriorem, saniorem & ad procreandam sobolem etiam aptiorem. Contra aëre existente nubilo, turbido, pluvioso & regnantibus diu ventis humidis & levibus, quales sunt, qui ex occidentali plaga veniunt, non modo corpus in languorem & pigritiam incidere, sed & ingenium hebetari, animumque tristitia sine causa sæpius infestari, & appetentiam perire observamus.

§. III.

Corpora & robustiora & alacriora fieri, somnum etiam & ciborum appetentiam melius se habere, hominemque invalidum & ægrotantem citius sub aëre sereno, puro, frigidiusculo sique argentum vivum in barometro altiora petit, convalescere, quin imo & morborum curationes & medicamentorum operationes tunc felicius cedere, notavimus. Hisce contrarias vires habere cœlum turbidum, nebulosum, pluvium, & ubi mercurius in descensu est attenta experientia etiam compertum est.

Scholion.

Ego sæpius apud ægrotantes observavi, ubi morbus in declinatione fuit, eos non potuisse placidum somnum, appetentiam & vigorem in animo & corpore recuperare sub argenti vivi humiliori statu in barometro; cum primum vero loca altiora petiit mercurius, mox languor decessit, & vires increscere cœperunt.

§. IV.

Quatuor illis anni temporibus variisque aëris constitutionibus, neque minus locis, prout ea varium situm habent ventisque exposita sunt, quasdam familiares & proprias quasi esse ægritudines, non dubitandum est.

Scholion.

Nemo ex veteribus rectius & dignius hanc utilissimam materiam ipso *Hippocrate* persecutus est, qui non modo in *Sect. III. aphor.* morbos, qui per certa anni tempora & tempestatum aërisque & ventorum mutationes nasci solent, proponit, sed & ex temporum constitutione præsentes & futuros morbos cognoscendos & dijudicandos exponit.

§. V.

Duplex statuendus est aër, ad vitam & sanitatem incolumem & integram servandam necessarius: unus nempe est internus, qui in succis corporis, imo in universo corpore continetur; alter est externus, qui corpora ambit, iisque circumfusus est. Ille elatere suo & expansiva virtute maxime in solida & fluida agit, hic vero gravitate & pressura magis nimiam elaterii interni expansionem impedit atque in æquilibrio servat.

§. VI.

In omnibus animantium succis, in sanguine, lympha, lacte, bile, in ovis, urina, multum aëris continetur, qui etiam beneficio antliæ extrahi & variis experimentis demonstrari potest. Ab hoc incluso sanguis & humores intra vasa non secus ac liquidum in thermometro se expandunt majusque spatium acquirunt, à frigore vero condensantur, inque arctius se conferunt.

§. VII.

Cum aëris fluidum alimentis liquidis & solidis intime mixtum sit, inque ipsa aqua magna ejus abundantia detur, non dubitandum amplius est, quomodo aër ad sanguinem intra corpus venire possit.

Scholion.

Non modo ex aqua, sed & omnibus liquidis aër ope antliæ expellitur in forma bullularum, & tantam vim habet, ut mercurium etiam in alto tenere possit; quidni etiam in ipsum chylum & sanguinem aër transeat? Conspeximus sæpius corporibus dissectis majora vasa sanguine vacua & aëre repleta. Porro quod tanta vaporum copia è corpore vivo quotidie exhalet, id certe expansivæ & calidæ aëriarum partium in sanguine existentium expansioni adscribendum videtur. Neque hoc ignotum fuit ipsi *Hippocrati* qui *Libr.* de *Flatibus* §. 9. ita differit: *ciborum ingestione necesse est & multum spiritum ingredi: omnia enim, quæ eduntur & bibuntur, spiritus in corpus inferunt, id quod manifestum est per eructationes erumpente aëre incluso.* Plurimum itaque refert cibum sumere sub liquido, puro & sereno aëre, qualis enim aër externus, talis cum cibo & potu irrepit in corpus & miscetur ejus succis. Perquam curiosa est observatio, pro mutatione aëris & ventorum vinum in doliis multum claritate differre: quidni etiam sanguinem & cætera corporis liquida ab aëre externo in crasi sua mutationem subire posse arbitremur.

§. VIII.

Utut respiratione aër ipse per vesiculas pulmonales non admisceatur sanguini, tamen non modo per inspirationem, sed etiam per poros universi corporis materiam ejus calidam ætheream ad sanguinem transire, nihil dubii esse arbitror, eo quod à calore aëris crescit calor corporis, & quia calor aëris per ipsos thermometri poros liquorem expandit; multo magis id fiet in animantium corporibus, quæ non tam compacta sunt & dura, quam vitra.

§. IX.

Agit aër & æther duplici modo: nam primo quia subtilissimis succis immixtus est, expansiva sua vi robur maxime, tonum & constrictionem fibris elasticis præstat; qui vero in crassioribus fluidis & sanguine est, vasorum expansionem adjuvat. Et calidus quoque expansivus aër vitales succos intime miscet, agitat, nec non transpirationem promovet. Qui vero ambit, gravitate sua internum aërem quasi in æquilibrio servat, ne nimia fiat vasorum expansio, humorumque rarefactio & evaporatio.

§. X.

Igitur in conservatione æquilibrii istius & proportione aëris interni cum externo vitalis ille & moderatior fluidorum circuitus & transpiratio potissimum consistit.

Scholion.

Nam in aëre nimis calido & rarefacto si versantur homines, validissima fit transpiratio, ob nimiam & præcalidam humorum expansionem. Quin imo si excessiva sit, uti videmus in balneis nimis calidis, ob nimiam auricularum cordis expansionem sistitur systole, ut animi interdum oriatur deliquium. Eadem est ratio, quare animantia sub vacuo moriantur. Nam subtracto aëre atmosphærico graviori aër sanguinis tam fortiter expandit cor & vasa, ut ad debitam contractionem redire nequeant, unde sanguinis motus prorsus intercipitur & vita perit.

§. XI.

Cum totum corpus nostrum innumeris tubulis & poris pervium atque vasculosum sit, per quod continuo & perenni motu æstuantes humores circumferuntur, non mirum est, ingentem copiam tenuissimorum corpusculorum aqueo-aëreorum & sulphureo-salinorum modo sub forma vaporum, modo humoris, per illud evehi.

Scholion.

Totum corpus humanum & exspirabile & inspirabile esse, apud omnes in confesso est: *Galenus Comment. in aph.* 15. inquit, *nemo est, qui non consentiat, difflari animalium corpora, idque fit per sensui occulta foramina.* Deinde per nares, & os ex pulmonum bronchiis maxima halituum copia, quæ etiam sub frigido aëre in sensum incurrit, exspirat.

§. XII.

§. XII.

Tanta est exhalationum, quæ perspirant, copia, ut secundum *Sanctorii* calculum excretiones per alia emunctoria omnes exuperet, & ratione humoris, qui alvo egeritur, proportio sit, ut 1 ad 4. ita, ut si cutis 24. uncias ejiciat, sex tantum ex intestinis profluant.

Scholion.

Etiam id *Jacobus Sylvius* adfirmat, copiosiorem semper materiam à corpore nostro excerni per transpirationem insensibilem, quam per urinam & secessum, ita ut ex octo alimentorum libris, quas quotidie quis usurpavit, quinque earum per poros avolent. At vero id non esse perpetuum, propter ingens climatum discrimen, sciendum est. In aëre enim calidiore major utique est perspiratio, quam in nostro climate septentrioni propinquo. Mirum videri potest, quod tam apud *Hippocratem*, quam apud *Celsum* quantum ego scio, ad sudores eliciendos raro commendetur medicina, cum sudor tantummodo ut præsagii nota adducatur, procul omni dubio, quia in præcalida Græciæ regione jam tum nimia humorum per sudores diffiatio est, alvus vero ibi constrictior.

§. XIII.

Perspiratio, qua ingens quotidie copia humoris è tubulosa & poris pervia cute effunditur, à duplici fit causa: altera est continuus ille beneficio systoles & vasorum cordis sanguinis ad tubulos cutis excretorios appulsus; altera est internus calor, qui expansiva, qua præditus est, virtute, & quæ satis in thermometro conspicitur, succos expandit, poros aperit, & humidum in tenuissimos vapores resolvit.

§. XIV.

Quo validior itaque est fluidorum à solidis ad habitum corporis impulsus auctiorque circulus, eo plus humoris, nisi constrictus cutis cortex sit, exhalat. Quodcunque itaque cursum & circulum sanguinis promovet, id quoque perspirationem augere certissimum est.

Scholion.

Ideoque videmus, laborem & exercitationem corporis, pulsum, calorem & transpirationem augere. Observamus quoque, ea, quæ sudorem eliciunt, fortiorem pulsum efficiendo id præstare. Et quia sub aëre puro & sereno vividior est omnium fibrarum motio & liquidorum propulsio, eo tempore transpirationem melius vigere nihil dubii est.

§. XV.

Perspirationis duplex videtur ratio: una, quæ cum nimio interno æstu & cutis ariditate juncta est, qualis in impetu febrium sub strictura atque angustiis tubulorum cutis fit, quæ minus naturæ amica est, quia per nimiam sanguinis & intestinam & progressivam motionem ejus temperata crasis non modo destruitur, sed & consumitur atque tandem substantia virium exhauritur; altera, quæ sub moderato calore & dilatatis subcutaneis tubulis fit, est magis humido-vaporosa, cutemque mollem ac turgidam reddit, & hæc valde est salubris, quoniam superfluum & effœtum humorem consumit, in justa vero temperie, proportione & crasi vitales succos conservat. Illa sicca & præcalida transpiratio in statu, qui fit præter naturam, hæc moderata & vaporosa in sano contingit.

§. XVI.

Quotidiana cognitum est experientia, diffiationem esse majorem ac sudorem largiorem per corpus fluere, quo major in aëre est æstus, rarefactio atque tenuitas, unde æstivis mensibus, & sub sole ferventissimo, sudore diffluunt corpora, quod etiam fit si descendimus in balnea calida & vaporosa.

Scholion.

Æstate corpora minoris ponderis, quam hieme esse, recte judicavit *Sanctorius cap. de Aëre aph.* 23. tenuissima est enim ætheris, qui calorem efficit, materia, quæ per omnia spatia diffunditur & mirifice se expandit, & fortiori intestina partium agitatione humidum in vapores disjicit.

§. XVII.

Maximum est illud commodum, quod liberior perspiratio, quæ æquabili & vegetiori sanguinis cursu fit, ad integram valetudinem servandam præstat, quoniam à multis superfluis, impuris & corruptioni inferendæ aptis tum aqueis tum salino sulphureis agilioribus partibus, vitales succos vindicat, ut vires & nutritionem corporis & fovere & tutari rectius possint; quare sub liberiori perspiratione corpus & mens ad obeundas functiones majori semper alacritate fruuntur.

§. XVIII.

Liberior perspiratio corpus à plurimis morbis vindicat, & ad eos quoque expugnandos permultum confert magnamque vim habet.

Scholion.

Superiori capite jam clarius deductum est, ex deficientibus vacuationibus & remanentibus excrementis morbos natales potissimum suos trahere, jam vero, si certum est, majori copia pessimæ indolis excrementa per cutem transmitti, quam per reliqua omnia emunctoria, sequitur, ea diminuta morbos pullulare complures. Præclara sunt, quæ habet *Primerosius lib. 3. de erroribus vulgi cap. 2. Vix fieri potest, ut ille, cui corpus optime transpirat, liberum ac patens est, in morbos graviores atque periculosiores incurrat,* & rectissime *Hippocrates lib. de Alimentis* eos salubriores prompteque ad sanitatem restitui pronunciat, qui corpus habent bene transpirans, difficilius vero restitui, si illud male transpirat. Observatur quoque, æstivis mensibus, ubi transpiratio est maxima, homines & parum ægrotare & paucos mori. Spasmi, qui hypochondriacos, dolores, qui podagricos alias torquere solent, tunc fere silent & conquiescunt. Senes imbecilli, perpetuis molestiis obnoxii, nulla anni parte melius degunt, quam æstate: contumaciissima quartana & alii, qui longo tempore fatigarunt, morbi, ab infarctu maxime viscerum oriundi, æstate vel minuuntur, vel penitus exspirant. Quid porro notius est, quam quod in integrum restituta maxime transpiratione periculosissimi morbi solvantur, & ob faciliorem transpirationem macilentiores præ spongiosis & repletis facilius ad sanitatem perducantur.

§. XIX.

Magna & periculi pleniissima sunt mala, quæ perspiratio diu cohibita corpori infert; succos enim impuros auget atque ad corruptionem & putredinem disponit, & hinc morbos universales, ut febres & cachexiam, producit, iisque malignam quandam vim ingenerat.

Scholion.

Habemus in eo consentientem & veterum & recentiorum experientiam. *Hippocrates, lib. II. de diæta* ita differit: *quicquid ab excretione (puta cuticulari) intus remanserit non solum corpori laborem exhibet, sed etiam ei parti, quæ humiditatem suscepit, non enim commoda est corpori, sed infesta, circuitum enim non habens materia quiescens calefit tum ipsa, tum quæ allabuntur, & inde totum concalescit corpus, & febris fortis inducitur.* Et *Galenus* quoque passim in suis scriptis prodit, *à libero transpiratu impedito & febres fieri & succos corrumpi. Sanctorius Sect. 1. aph. in Medicina statica* prodidit: *si ex statico deprehenditur, impeditam esse perspirationem, diebus sequentibus vel succedet plenior perspiratio, vel aliqua sensibilis*

bilis evacuatio, vel cachexia, vel febris. Et aph. 43. *Consuetum perspirabile retentum, si non in lotium, vel sudorem faceſſit, indicat futuram putredinem.* Hæc mala vero & citius & gravius pullulant, labascentibus simul & diminutis aliis solennibus & salutaribus, quæ fiunt per alvum, per urinam, per menses, per hæmorrhoides, vacuationibus.

§. XX.

Omnes illas, quas tempora anni ferunt, ægritudines à prohibita transpiratione generari, verisimillimum est; experientia enim & *Hippocrates Sect. III. aph.* 20. & *Celsus lib. II. cap. I.* testantur, vere insanias, hæmorrhagias, epilepsias, anginas, arthritides, gravedines, tusses, lippitudines, abscessus, pustulas, rheumatismos, variolas, morbillos, catarrhales febres, item synochas facile oriri.

Scholion.

Ratio generationis morborum tempore verno hæc videtur: hieme ob copiosiorem & duriorem victum, aëremque asperiorem & vitam quietiorem sanguinis copia & crassities major gignitur; inchoante autem vere atmosphæra valde inæqualis & mutabilis est, modo humida, modo calida, modo frigida & ventosa, ut non raro per diem ter vel quater argentum vivum in barometro situm suum mutet, idque maxime fit Martio, qui ob plurimos morbos & mortes, quas infert, fere infamis est. Hisce accedit, quod aëre ferventiore facto, quæ hieme diu stagnarunt in terra, humiditates in putridas, corruptibiles exhalationes dissolvi incipiant, quare peregrinari & diu versari in ejusmodi aëre, præsertim, si corpus imbecillum est, periculo non vacat; siquidem potentia illa fibrarum elastica, quæ in cordis vasis & musculis est, cujus beneficio fluida reguntur, neque minus tonus & elater cutis à frigore, humiditate & calore sic variante mirifice labefactantur, ut sanguinis circulus, & exclusio sordium per halitus valde diminuta & plethoram & impuritatem, quæ proxima morborum & motuum morbosorum est causa, ingignat.

§. XXI.

Morbi æstate familiares, qui juxta recensionem *Hippocratis Sect. III. aph.* 21. sunt maxime febres ardentes, biliosæ, cholericæ, tertianæ continuæ & intermittentes, non tam siccitati & æstui primario & directe debentur, quam potius aëri frigidiori & humidiori, qualis tunc nocte & mane esse solet, qui cutem occludit & præcalidas bilioso-sulphureas scorias intus retinet, adscribi debent.

Scholion.

Æstas alias ob liberiorem perspirationem valde salubris est, si vero morbos profert, hi, ut accuratæ testantur observationes, gignuntur, si corpora æstu nimis calefacta aëri frigidiori vespertino, qui frigido-humidus est, diutius committuntur, qui in locis humilioribus, declivibus & paludibus cinctis gravior, & hinc majorem noxam infert. Et solet ejusmodi aër, ut ego sæpius vidi, non tantum transpirationem, sed & alvum constringere, sique ex prava diæta cruditates in primis viis accedant, in promtu febres sunt, magno calore hoc tempore plerumque stipatæ.

§. XXII.

Autumnus & experientiæ & omnium peritiorum medicorum consensu morbosissimus est, certe non ob aliam rationem, quam quod ob inæqualitatem & crebram mutationem cœli modo frigidi, modo humidi, modo calidi, multis & diversæ indolis vaporibus stipati, virtus elastica, quæ in fibris est, immutatur, adeoque & libera & vivida sanguinis circulatio & sordium transpiratio imminuatur, earumque retentio in corpore augeatur.

Scholion.

Optime de hisce egit *Celsus lib.* 1. *cap.* 4. qui nostram sententiam confirmat, dum scribit: *ob autumni varietatem periculum maximum est, itaque neque sine veste, neque sine calceamentis prodire oportet, præcipue que diebus frigidioribus, neque sub divo nocte dormire, aut certe bene operiri*; & *lib. II. cap.* 1. hæc adjicit: *autumnale tempus & diutinis malis fatigatos, & ab æstate etiam proxima pressos interimit, & alios novis morbis conficit, & quosdam longissimis implicat, maximeque quartanis, quæ per hiemem quoque exerceant.* Cæterum morbos autumnales *Hippocrates Sect. III. aph.* 21. enarrat.

§. XXIII.

Hiems quos excitat morbos, ii certe intenso frigori, tam sicco, quam humido, omnino debentur, utroque transpirationem impediente; inde enim pleuritides & peripneumoniæ, item rheumatismi & defluxiones, arthritides, acuti dolores, & qui caput eo tempore impetunt morbi & ab *Hippocrate loco citato aph.* 23. describuntur, quoque gignuntur: nam acriori frigore, cujus virtus valde est constrictiva, non tantum transpiratio impeditur, sed & humorum impetus & copia ad pectus, ad caput, vel etiam ad artus & partes extremas dirigitur, unde rebelles fiunt humorum stagnationes & periculosæ tenuissimorum vasorum ab impactis humoribus oppilationes.

Scholion.

Frigoris effectus in cute ad oculum patet, dum illa arida, dura, aspera, & constricta inde evadit, eaque ante mollior in monticulos quasi attollitur, vasa disparent, & quia ea frigoris est natura, ut humida incrasset, condenset, & omnia solida induret, hinc eundem effectum quoque ab excessivo frigore corpora nostra pati rectissime colligitur.

§. XXIV.

Duplicis generis frigus est, vel siccum, vel humidum: cujusque peculiaris natura, vis atque etiam efficacia est in corpus humanum. Illud, aquilonare maxime, aerem valde compressum & constrictum continet, qui calore expanditur. Humidum vero oritur maxime hieme, austris & zephyris flantibus. Siccum & constrictum frigus argentum vivum in tubo Torricelliano in sublime tollit ob elasticam fortem pressuram: humidum vero illud dimittit ob elaterem imminutum.

§. XXV.

Frigus siccum, purum, serenum, humido vacans corpora mobiliora atque expeditiora reddit, quia elaterem fibrarum, quo fluida impelluntur, roborat, inde, modo corpus vestibus probe tectum sit, sanum hominem non adeo offendit, ut potius tonum & robur partibus solidis adjiciat.

Scholion.

Ex quo jam apparet ratio, quare, qui septentrionales regiones incolunt, sana, robusta & quadrata habeant corpora, quæ non facile offenduntur, & vitam quoque agant longiorem; item cur hyeme, si frigus est serenum & æquale, & mentis & corporis vigor alacrior sit, & homo tum plus alimenti appetat & concoquat, ut *Hippocrates* etiam ventres calidiores hieme putet. Aër enim serenus & frigidus, fluidis admixtus, intra corpus calore sese eximie expandit, & hac ratione & solidorum & fluidorum motum ac progressum auget.

§. XXVI.

Nocet frigus siccum boreale, ubi partes nerveæ & membranosæ rigidæ sunt, spasmo & dolore affectæ, quare omnes morbos à spasmo exasperat, & quietos facile resuscitat; nocet quoque iis, qui macra & extenuata habent corpora, qui imbecilles sunt, & qui non diu à morbo convaluerunt.

Scholion.

In spasmis enim & doloribus nimiam esse nervosarum

partium

partium ſtricturam ac tenſionem, non ignotum eſt. Frigus vero quia ſolidas partes magis conſtringit, indurat eaſque rigidas efficit, non mirum eſt, omnes dolores, convulſiones, diſtenſiones & rigores inde augeri. Frigus omnibus partibus nervoſis & morbis, qui ex nervis fiunt, ab *Hippocrate Sect. V. aph.* 17. & 18. *it.* 20. hoſtile habetur. Animadvertimus quoque, ut bene notavit *Celſus Lib. II. cap.* 1. *aquilonem tuſſim movere, fauces exaſperare, ventrem adſtringere, urinam ſupprimere, horrores excitare, item dolorem lateris & pectoris; ſanum tamen corpus ſpiſſare, & mobilius atque expeditius reddere.* Pathemata, quæ hypochondriacos tam graviter exercere ſolent, forti frigore invaleſcunt: quia à ſpaſmodica partium nervoſarum ſtructura proveniunt. Calculum in renibus quietum nihil tam ſubito movere, præter acre frigus, lumbis improvide admiſſum, aptum eſt: neque quicquam tam facile recidivas febrium & dolorum, quam frigus aquilonare parere ac reducere ſolet & ventus borealis; atque etiam anguſtiam ſpirandi in aſthmate à ſincero frigore creſcere, ab humido & leviori vero decreſcere obſervatione non indignum eſt.

§. XXVII.

Vehemens frigus id habet incommodi, ut fortiori fibrarum & vaſorum ſtructura & compreſſione humorum motum ab ambitu corporis magis ad interiora urgeat & convertat, & æqualem atque per vaſa minima exteriora liberum ſanguinis & humorum circuitum impediendo, graves & periculoſos in partibus præſertim debilioribus infarctus, vaſorum repletiones & morbiferas ſemper ſtaſes & ſtagnationes efficiat.

§. XXVIII.

Quo magis itaque vaſa ſanguine vel puro vel impuro ſunt repleta, eo plus frigus improvide admiſſum officit.

Scholion.

Nocet quam maxime plethoricis, cachecticis, cacochymicis, item obeſis & habitioribus corporibus. Neque enim tantum in iis liberiorem tranſpiratum intercipit, ſed etiam ad interiora non ſine periculo reprimit, & urget ſuccos, unde ex obſervationibus ſcimus, omne frigus, ſive ſit humidum, ſive ſiccum ſub ejuſmodi ſtatu in cephalalgias, vertigines, affectus ſoporoſos, apoplexiam, paralyſin, aurium tinnitum, auditus difficultatem, oculorum obfuſcationem, lippitudines, prompte & expedite concitare. Neque aliud tam facile coryzas, gravedines, raucedines, tuſſes, pleuritides & peripneumonias, item aſthma humidum, præter frigus acre pectori admiſſum, ſuſcitat, inque artubus dolores tractorios, lancinantes & rheumatiſmos producit.

§. XXIX.

Frigus humidum plus valetudini corporis infenſum videtur, quam ſiccum, quia non modo valde inſpiſſat humores, & minimos meatus obſtruit, ſed & humiditate tonum fibrarum relaxando univerſum humorum curſum retardat, & ſic tranſpiratione diminuta & copiam & impuritatem ſuccis adjicit; quare ad morborum generationem atmoſphæra humida & ſimul frigida & diu perſtans plurimum confert, cum aer ſiccus & frigidus eos magis moveat atque in actum deducat.

§. XXX.

Corporis conſervationi nihil tam adverſum & hoſtile videtur, quam nimium humidum, ſive frigidum, ſive calidum ſit, quia relaxando fibras earum elaterem, tonum & robur imminuit, unde tardior fit humorum progreſſio, qua creſcente nimia humorum abundantia atque impuritas ingraveſcunt.

Scholion.

Caveant igitur ſibi quam maxime ab humiditate frigida omnes imbecilles, & ubi eſt ſanguinis tardior progreſſio & intercepta tranſpiratio, atque corpora nimis ſpongioſa & laxa ſunt, infantes, fœminæ, ſenes, & qui intemperantiæ vacant, multum comedunt & acida ſupra modum aſſumunt, qui corpus non exercent, & ſomno nimium dediti ſunt, qui gravi mœrore anguntur; multo magis vero ceu venenum illud effugiant cachectici, hydropici & qui œdema in pedibus habent, aſthmatici & fœminæ circa menſium fluxum, & quando gravidæ vel in puerperio conſtitutæ ſunt.

§. XXXI.

Certa ac firma conſtat obſervatione, diu regnantem in quacunque etiam anni parte humidam aëris conſtitutionem admodum eſſe morboſam, & loca declivia & humidiora paludibus cincta & continuis nebulis obſita ad parandas febres & putredines eſſe aptiſſima.

§. XXXII.

Ad morbos ingenerandos varii generis epidemios nihil plus confert majoremque vim habet, quam tempeſtas diu humida, pluvia, nebuloſa, ventis vacans, ſi poſtea repente flante aquilone acria frigora, vel etiam dies præcalidi ſequantur. Quod ſi vere & autumno fit, tanto certior horum morborum proventus eſt.

Scholion.

Attenta & diligenti obſervatione conſtat, hiemem tepidam & pluvioſam ſi ver excipit in principio aquilonare, item ſi vernum tempus potiſſimum humidum, nebuloſum & pluvium, ventis vacans, ſubito frigidi dies ſequuntur, ſique autumno nimis humido frigus hibernum ſupervenit, morbos graſſantes certo expectandos eſſe. Idem quoque accidit, ſi æſtatem nimis ferventem, vel etiam dies valde calidos, humidum frigus excipiat. Et quid notius eſt, quam quod ex loco ſi quis concedat valde calido in valde frigidum, vel ex frigido in calidum, corpus grave fiat & deſtillationes oriantur. In genere enim ſciendum eſt, æquabili cutis tono, ſub quo maxime viget libera perſpiratio, nihil magis eſſe adverſum eumque deſtruere, quam repentinam mutationem aëris calidi in frigidum, vel humidi in nimis calidum. Nam ſicut alvina excretio à tono & motu inteſtinorum periſtaltico æquabili & integro; ita cuticularis illa, quæ ſanitati maxime patrocinatur, excretio ab eutonia cutis ejuſque tubulorum, ut nec nimis laxi, nec nimis conſtricti ſint, dependet. Deinde certum eſt, atmoſphæram diu & nimis humidam ac levem intime penetrare, & univerſum fibrarum & membranarum corporis ſyſtema ita afficere, ut ſolutum & à tono ſuo dejectum ſanguinis & humorum impulſum & progreſſum & tranſpirationem nunquam non languidiorem & imbecilliorem reddat. Si vero atmoſphæra valde frigida eſt, ita fibræ & membranæ conſtringuntur & rigidæ redduntur, ut fortior quidem fiat liquidorum impulſus, ſed extrema vaſorum ora, præſertim ea, quæ ſunt in cute, claudantur vel anguſtentur. Utroque modo vitiatur tranſpiratio & ſolidorum motus ac circulus ſanguinis turbatur, & hinc non ſolum materia ad morbos præparatur, ſed & ea in motum & actum morboſum maxime per frigus ſuperveniens deducitur.

§. XXXIII.

Morbi, qui certis temporibus ac locis plures ſimul infeſtare ſolent, non ſunt unius ejuſdemque generis, ſed pro diverſa conditione præcedentium & præſentium tempeſtatum, item pro varia hominum natura, ingens diſcrimen recipiunt; modo enim totum corpus, ut ſunt febres, modo certam tantum partem occupant, ut ſunt dolores & fluxiones, modo placide procedunt & bene morati ſunt, modo peſſimis ſymptomatibus ſtipati multos perimunt.

Scholion.

Morbi utique epidemii ſunt ex eorum numero, qui

mortales & frequentius infeſtant & in vigore ſæpius ætatis tollunt ſinguliſque fere annis diverſam ferunt naturam atque indolem. Et quoniam à cauſis plane manifeſtis mechanico-phyſicis, maximeque aëris conſtitutione & victu ac vivendi ratione cuivis loco propria ac familiari dependent, optandum vehementer foret, ut medici majorem operam, meditationem & ſtudium in iis indagandis & ex præcedenti & præſenti temporum conſtitutione iiſdem prædicendis & poſtea recte tractandis conferrent, quam hucuſque in uſu fuit. Altum plerumque in pathologiis de hac ampliſſimi uſus doctrina eſt ſilentium, forſan quia non accommodata eſt omnium hypotheſibus. Antiquiſſimum & optimum medicinæ ſcriptorem *Hippocratem* & qui fere primus ejus veſtigia ſecutus eſt, *Sydenhamium*, poſtea *Ramazzinum* laudare & commendare debemus, qui facem nobis prætulerunt & bono exemplo, quod ſequi debemus, ad excolendam & illuſtrandam hanc doctrinam, præiverunt. Quare omnes & ſingulos medicorum cordatiores, quibus curæ cordique ſalus hominum eſt, rogatos etiam atque etiam volo, ut in annotandis morborum hiſtoriis, ſi epidemii morbi graſſantur, & diligentiſſimi & accuratiſſimi ſint, & quiſque in ſuo loco temporum & tempeſtatum præcedentium & præſentium conſtitutionem & mutationem, nec non ventorum conditionem, item in barometro mercurii motum, ac gradum caloris ex thermometro ſimul adjiciant, integraſque & plenas hiſtorias cum methodo curandi & eventu exhibeant.

CAPUT VIII.

De morborum generatione ex nimia ſanguinis quantitate & humorum impuritate.

§. I.

VEteres potiſſimum medici duplicem morborum materiam & cauſam ſtatuebant; alteram nimiam ſanguinis abundantiam, quam dixerunt plethoram, alteram ejus aliorumque humorum magnam impuritatem, quam cacochymiam vocarunt. Illam maxime à ciborum, qui bonos præbent ſuccos, hanc, qui malos & intemperatos dant, copia derivabant. Nos non tantum ex ingeſtorum, ſed maxime excretionum vitio & defectu horum cauſam ducendam eſſe exiſtimamus.

§. II.

Non omnis abundans & copioſus ſanguis ſtatim officit & plethora dici meretur, ſed is tantum, qui lædit & vitiat actiones ſecundum naturam, maximeque, qui vegetiorem & liberiorem ſanguinis circulum impedit.

Scholion.

Nam videmus homines ſanos, vegetos & nulli adverſæ valetudini obnoxios, qui ingentem ſanguinis in corpore quadrato continent copiam. Contra deprehendimus quoſdam, qui ne dimidiam quidem, illorum reſpectu, ſanguinis continent quantitatem, à qua tamen male ſe habent & laborant.

§. III.

Veteres duplicem ſtatuebant plethoram, unam ad vaſa, alteram ad vires. Illam dixerunt, quando ſucci ſupra juſtam menſuram accumulati venas ſupra modum plenas & diſtentas & totam corporis molem tumidam efficiunt. Quando vero vaſa & corporis ſubſtantia nec tument, nec copia ſanguinis diſtenduntur, plus tamen ſanguinis continetur, quam à viribus imbecillis regi ac moveri poſſit, hanc plenitudinem ad vires nominabant.

Scholion.

Quamvis hanc diſtinctionem plures recentiorum repudient neque aliam, quam ad vaſa plethoram admittant, tamen hanc ipſam non parum momenti & attentionis in praxi habere fatendum eſt. Nam uti ciborum copia & ſatietas duplici modo conſiderari poteſt, quatenus ab eorum nimia ingeſtione ſupra modum ventriculus diſtenditur, vel quatenus minor eorum quantitas à minus firmo ſtomacho ſubigi & concoqui non poteſt. Simili ratione id quoque adplicandum eſt ad ſanguinem ejuſque vaſa eorumque robur.

§. IV.

Igitur illa tantum ſanguinis abundantia, ſive ad vires, ſive ad vaſa æſtimetur, plethora morbida dicenda eſt, quæ ſanguinis liberum progreſſum ac circuitum retardat, vel impedit; nam ſanguis etiam valde affluens, modo promte & expedite iter ſuum per vaſa abſolvat, robur magis & vigorem corpori dat, tantum abeſt, ut illud imbecille reddat: ſimul ac vero incipit à vigore motus deflectere, tum demum noxius eſt & morbos minatur.

Scholion.

Nimia ſuccorum & ſanguinis copia congeſta vaſorum demum latera nimis diſtendit eaque ad ſolito majorem diametrum urget, hinc ſua reſiſtentia cordis & vaſorum potentiam elaſticam frangit atque diminuit, quare ſegnior ſtatim fit ſanguinis impulſus; nam fibras, quæ ſunt elaſticæ naturæ, nimia extenſione debiliores reddi, ipſa experientia abunde teſtatur. Et hæc eſt geneſis plethoræ ad vaſa. Ubi vero jam ſolidorum tonus ac vis elaſtica à præcedente morbo, vel alia de cauſa fracta & debilitata eſt, tum non adeo magna humorum quantitas & reſiſtentia ad eorum vim contractivam & impulſum diminutum requiritur, ut tardior ſanguinis & humorum circulus fiat, perpetuo vitæ ac ſanitati infenſus.

§. V.

Plethora ad vires æque frequens ac familiaris eſt, quam illa ad vaſa. Nam illam, qui ſunt rari, laxi & ſpongioſi corporis, vaſis copioſis & tenuibus donati, maxime ſuſtinent: deinde, qui ex præcedente morbo, inedia, nimia ſanguinis profuſione, aut vehementi & diuturno animi motu vires amiſerunt, facile in eam incidunt. Qui vero ſunt corpore denſo, fibroſo, ſtricto, & vaſa ampliora habent, valdeque voraces ſunt & quieti, plethoram ad vaſa magis experiuntur.

Scholion.

In genere illud notari velim, ea corpora magis patere morbis, qui à tardiori ſanguinis progreſſu proveniunt, quæ imbecilliora ſunt, quæ habitus ſunt laxi, turgidi & ſpongioſi, item quæ ſunt obeſa & repleta, quam quæ vaſa habent ampliora & corporis ſunt gracilioris & ſtrictioris: quandoquidem expeditiorem ſanguinis circulum eſſe in vaſis capacioribus, quam in anguſtioribus, & ubi fibræ ſunt tenſæ & renitentes, quam ſolutæ & laxæ, per ſe clarum ac liquidum eſſe puto. Accedit, quod ſecundum obſervationem noſtram & forſan primam cor cum vaſis corporis ſemper æqualem habeat proportionem, ita ut ampliora vaſa de magno corde, parva & exilia de parvo teſtimonium exhibeant. Parvum vero cor ob inopiam fibrarum elaſticarum non tantam reſiſtentiam ſanguinis ſuperare poſſe, quam magnum, ubi major fibrarum elaſticarum eſt apparatus, credibile eſt.

§. VI.

Sanguis non quatenus abundat, ſed quatenus vires premit & tardius progreditur, actiones corporis pervertit & morbum infert: & quia non tantum ex nimia

ſan-

ſanguinis quantitate, ſed etiam ex imbecillitate virium tardior fit circulus, hinc apparet ratio & explicatio illa vera veterum, qui ignorarunt ſanguinis circulum, diſtinctionis inter plethoram ad vires & vaſa.

§. VII.

Statum plethoræ ad vaſa plura indicant ſigna. In macilentis mire expanſa ſunt vaſa, ſpongioſi corpus habent repletum & turgidum, faciem coloratam & inflatam. Utrique ad exercitationem ſunt inepti, nam facile delaſſantur, ſique ſuperiora petunt, ægre ſpirant & ab inconſueto motu dolorem quendam contuſivum in omnibus artubus experiuntur, profundo quoque gaudent ſomno, plerumque inſomniis pleno, & ab adſumtis calidis, ſpirituoſis moleſtas turgeſcentias & exæſtuationes patiuntur, ſique multum ingerunt & parum laborant.

§. VIII.

Nihil eſt, ſi forſan venena & animi affectus exceperis, quod tantam ruinam ac perniciem corpori minetur, atque illud tam gravibus morbis obnoxium reddat, quam nimia ſuccorum abundantia; quia vires premit & motibus impulſoriis reſiſtit, unde tardior fit ſanguinis progreſſus, ſegniores etiam excretiones, à quibus tamen ſalvis præcipuæ ſanitatis functiones dependent.

Scholion.

Nemo ſane rectius ex veteribus præter *Hippocratem* morborum originem ex nimia repletione explicuit, uti planiſſime apparet ex *Libr. III. de diæta* §. 13. *& Lib.* II. *de Morbis*, inque primis §. 10. *Et Lib. I. aph.* 3. diſerte ſcribit: *in exercitantibus boni habitus ad ſummum progreſſi periculoſi ſunt.* Clarius adhuc *Celſus Lib. II. Cap.* 11. *ſe* explicat: *ſi plenior aliquis & ſpecioſior & coloratior factus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet. Et Libr. I. Cap.* 1. *ea corpora, quæ more athletarum repleta ſunt, celerrime & ſeneſcunt & ægrotant.*

§. IX.

Sublato ſolidorum in fluida à nimia humorum copia æquilibrio, totus eorum progreſſus retardatur ac minuitur, hinc quoqueattritus ac diviſio ſanguinis in minimas partes, & ſolidi cum fluido intima mixtio minor, ſanguinem ſpiſſum, immobiliorem & ad ſecretiones atque excretiones ſubeundas ineptum reddit.

§. X.

Plura & gravia ſunt illa vitia ac mala, quæ à tardiori ſanguinis circulo proveniunt.

Scholion.

Sanguinem ex triplici & valde diſſimili ſubſtantia compoſitum eſſe, obſervatione non indigna experimenta demonſtrant. Prima eſt tenuis & fluida, aquea, cujus tres partes in ſanguine ſano ſunt ad unam partem ſolidi, quod leni facta evaporatione innoteſcit. Hæc quarta pars ſolidi duplicem rurſus diverſæ indolis ſubſtantiam continet, unam ſolubilem in aqua & rubicundam, alteram tenacem, fuſci coloris, quæ aqua non diſſolvitur, & hæc fere dimidii ad illam ponderis eſt. Hæc duplicis generis & naturæ in ſolidiore ſanguinis parte conſiſtens ſubſtantia deprehenditur etiam, ſi ſanguis miſſus & ſecta vena profluens dimittitur in aquam tepidam, tum brevi tempore aqua ſupernatans valde fit colorata, in fundo vero hærent albi, ſpongioſi flocci, & interdum, ubi plethora urget, tam firma coagula, quaſi ex fibris & membranis retis in modum compacta, ut nulla aqua ſolvi poſſint, reperiuntur. Ecquis dubitet, illa ipſa ex ſegniori ſanguinis progreſſu & diminuta ejus diviſione eſſe prognata, & fertilem infarctuum, obſtructionum & concretorum, quæ polyporum formam habent & vaſa periculoſiſſime occludunt, materiam & cauſam ſubminiſtrare.

§. XI.

Cum nimia ſanguinis redundantia in univerſo vaſorum ſyſtemate tardiorem faciat progreſſum, liquido apparet, eum adhuc fieri impeditiorem in iis partibus ac locis, per quæ ordinario & ſecundum naturam paulo tardius ſanguis fertur, quod maxime fit in viſceribus abdominis, præſertim in inteſtino colo ac recto.

Scholion.

Quo remotiores ſunt partes à validiſſima potentia cordis motrice, eo minorem eſſe ſanguinis per has velocitatem, clarum per ſe eſt. Deinde, quia adſcenſus liquidorum ad perpendiculum valde eſt difficilis, facile poterit peti ratio, cur pedes facilius intumeſcant, quam aliæ partes, & cur in inteſtino recto & colo facile ſtagnet ſanguis & difficulter moveatur, item quare in vaſis meſeraicis inque omnibus abdominis viſceribus, ex quibus ſanguis in venam portæ atque hepar infunditur, faciles ſanguinis ſtagnationes locum habeant. Perſpectum enim ex anatomicis eſt, ſanguinem, qui ex ventriculo & toto inteſtinorum volumine, meſenterio, omento, pancreate, liene reducitur, per venam portæ, quæ pulſu & ſyſtole caret, & per innumera hepatis vaſa trajici debere. Cum autem id ſegniter præſtetur, facile intelligitur, tardiorem utique etiam ſecundum naturam ſanguinis per hæc viſcera eſſe progreſſum.

§. XII.

Mala, quæ ex nocente ſanguinis tardiori motu ac ſtagnatione intra abdomen proveniunt, modo à ſpaſmodicis partium membranoſarum ſtricturis, modo ab atonia viſcerumque infarctu & obſtructione proficiſcuntur.

§. XIII.

Ubicunque ſanguis intra membranas nerveas & carneas ſubſiſtit, ſtagnat, eaſque valde diſtendit, ibi dolor & ſpaſmus gignitur, qui tanto vehementior eſt tantoque facilius alias nerveas ſimul partes in conſenſum abripit, liberumque & æquabilem ſanguinis circuitum præpedit, quanto ſtagnatio & repletio vaſorum major eſt, & quo exquiſitioris membranæ ſenſationis ſunt ac validiorem potentiam motricem habent.

Scholion.

Recte à repletione ſpaſmum oriri *Hippocrates Sect. VI. aph.* 39. pronuntiavit. Sed tamen non ubique vaſorum à ſanguine repletio, uti videmus in hepate, in liene, in utero, in meſenterio, ſpaſmum & dolorem producit, ſed tantum in iis partibus, quæ ex membranis nerveo-muſculoſis, quæ genuinum omnis motus & ſenſus organon ſunt, conſtant.

§. XIV.

Si intra membranas inteſtini coli & recti validas & robuſtas, nerveo-muſculoſas, multus ſanguis in vaſis ſatis capacibus firmiter hæret ac ſtagnat, ob difficilem ad venam ſplenicam valde remotam adſcenſum, multi graves oriuntur dolores & ſpaſmi, gravium pathematum, præſertim in hypochondriacis, auctores.

Scholion.

Fortiſſimam colon, præſertim ejus partem, quæ in ſiniſtro latere ſita varias flexuras habet, ſtricturam pati, aliquoties reperi in iis, qui ex pathematibus ſpaſmodicis mortui diſſecti fuerunt, ubi alias ſatis amplum & capax colon ita conſtrictum fuit inventum, ut funem medii digiti craſſitie vix æquaverit. Et non raro tanta in hypochondriacis vel etiam hyſtericis eſt recti & coli ſtrictura, ut nec clyſterem admittat vel flatum tranſmittat. Incipiente itaque in hoc inteſtino ſtrictura ſtatim motus periſtaltici in toto inteſtinorum canale fit læſio atque inverſio, ut flatus & fæces non recte deſ-

cendant, ſed potius ad ſuperiora regurgitent, unde ventriculi & duodeni moleſtiſſima fit inflatio, propter tenſionem nervorum moleſtiſſima mala poſt ſe trahens. Ex quo jam rationem apparere claram exiſtimo, cur hæmorrhoides fluentes horum malorum ſævitiam non parum minuant, & quare illæ ſuppreſſæ aut temere cohibitæ acerbiſſima pathemata in toto ſyſtemate nervorum producant, item quare opportuna ſanguinis per hirudines ex venis ani extractio, vel ejus in pedibus miſſio plus auxilii, quam ullum aliud remedii genus, ſimili in caſu adferre ſoleat, & quare clyſteres ex puris oleis confecti, qui ſtricturas relaxant, præſentiſſimam opem quoque præſtent.

§. XV.

A vehementibus inteſtinorum, præſertim coli, ſpaſmis fiunt graves ſanguinis in his vel illis partibus congeſtiones, periculoſæ ſtaſes, vel etiam enormes ſanguinis per hæmorrhoides, vel per cruentum vomitum, apertis brevibus vaſis, vel dehiſcentibus venis, quæ ad ileon pertinent, nigræ & fœtidiſſimæ dejectiones.

Scholion.

Equidem non negari poteſt, ſanguinis per venas ſedis fluxum ſpaſmos hypochondriacorum egregie mitigare; neutiquam tamen ex eo concludendum eſt, omnem affectum hypochondriacum ſemper & unice ab intercepto fluxu hæmorrhoidali provenire. Nam ex compluribus malo hoc ægrotantium hiſtoriis certum habemus, ſanos antea homines, & ubi nullum hujus fluxus fuit indicium, ætate adhuc juvenes, per male curatas febres, dyſenterias, per frigidum potum, calefacto corpori immiſſum, vel poſt gravem terrorem, vehementes purgationes, malum hoc ſibi contraxiſſe & ab eo tempore ſtatim diſpoſitionem ad hunc fluxum ſubnatam fuiſſe. Plures enim adhuc cauſæ habitualem quaſi ſpaſmum vel etiam flatulentiam partibus his nervoſis inducere poſſunt. Notum vero eſt, per ſpaſmos valde comprimi vaſa, ut libero ſanguinis circuitu præpedito ille impetuoſe ad alias partes urgeatur, unde vaſorum nimiæ diſtenſiones & apertiones fiunt. Quare etiam non mirum eſt, in vomitu cruento & ſic dicto morbo *Hippocratis* nigro, ruptis vaſis brevibus & ilei, quæ ambo tenuiſſimis membranis tecta ſunt, in ventriculi & inteſtinorum cavitatem cruorem effundi, quod tanto facilius fit, quanto obſtructio & infarctus in liene & dolor lateris ſiniſtri tenſivus, qui non tam lieni, ſpaſmi & doloris experti, quam potius colo adſcribi debet, familiarius hiſce malis jungi ſolent.

§. XVI.

Quando ſanguis copioſior in fœminis ſingulis menſibus per uteri vaſa non recte depletur, nimia ejus in corpore fit accumulatio atque vaſorum, quæ membranas inveſtiunt, etiam inteſtinorum, ventriculi, ſpinalis medullæ, imo cerebri à ſtagnante ſanguine diſtenſio & fibrarum nervearum preſſio, unde vehementes in hiſce partibus fiunt ſpaſmi, dolores, convulſiones, nervorum diſtenſiones & graviſſima alia pathemata, hyſtericis quam familiaria.

Scholion.

Si enim ob vaſa uterina nimis tenuia & anguſta, vel etiam illa obſtructa aut infarcta, aut ſpaſmo conſtricta, menſtrualis deficit aut minuitur purgatio, ſanguis ad interiora regurgitat, & vel in viſceribus abdominis nimios parit infarctus, vel membranoſas & nerveas partes ad vehementes ſpaſmos concitat, qui totam demum œconomiam motuum ſanguiniſque liberum circulum atque ſaluberrimas excretiones nunquam non turbant atque pervertunt, unde plura & graviſſima mala à menſium retentione fieri compertiſſimum eſt.

§. XVII.

A tardiori ſanguinis ex plethora per univerſum corpus & maxime per abdominis viſcera progreſſu longæ & difficiles ægritudines, ut ſcorbutus, cachexia & variæ hydropis ſpecies naſci ſolent, idque fit maxime ab hepate, liene, pancreate & meſenterii atque omenti vaſis ac glandulis infarctis, obſtructis, induratis, ut inciſiones corporum poſt mortem teſtantur, unde læſo harum partium officio ſanguis nec bene miſcetur, nec bene depuratur, ſed potius craſſus, impurus & coruptus evadit.

Scholion.

Nullæ infimi ventris partes ex tam innumerabili vaſorum copia conſtructæ ſunt, quam hepar & lien. Et quia non ſatis validis motricibus & nerveis fibris inſtructæ ſunt, non mirum eſt, eas ſæpius à nimio ſanguine mirifice inque ampliſſimam molem diſtendi, obſtrui & indurari. Et quia totum pancreas glanduloſum eſt, & exiliſſima in omnibus glandulis, quarum ingens copia in meſenterio eſt, ſunt vaſa, quæ ob ſtupendam parvitatem facile poſſunt obſtrui, eas itaque tardiori ſanguinis progreſſu facile indurari & ſcirrhoſas fieri poſſe, non mirum eſt. Jam quum liberior lymphæ circuitus unice à ſanguinis circuitu dependeat, iſque valde imminutus & præpeditus ſit in ampliſſimo hepatis viſcere, non difficulter concipi poteſt, quomodo ex tam lento, in hoc aliiſque imi ventris viſceribus, ſanguinis progreſſu & ſtagnatione lympha ſeparetur, & copioſius in lymphatica vaſa ingrediens tandem illa nimium diſtendat ac rumpat. Quod vero pedes tam frequenter obnoxii ſint tumoribus œdematoſis, id maxime propter hanc cauſam fit, quia tardior ſanguinis per has partes extremas & remotas à corde eſt curſus & recurſus per venas, ob ſitum perpendicularem & erectum, admodum difficilis, unde ex ſubſiſtente ſanguine ſerum facillime ſecernitur omneſque poros ac tubulos ibi implet atque occupat.

§. XVIII.

Ob niniam quoque redundantiam ſegnior ſanguinis progreſſus, & inde facta major ejus craſſities, non modo in parvis vaſis ea obſtruendo morborum dat fovetque cauſas, ſed in ipſa quoque cordis cavitate, ejuſque vaſis majoribus non raro mirabile quaſdam coagulationes, ex meris fere membranis ac fibris coalitas, duras, indiſſolubiles, ſæpe ingentis molis, quæ vulgo polypi nominari ſolent, ingenerat, quæ pernitiales longarum & inſanabilium non tam infrequenter ægritudinum cauſæ & comites exiſtunt.

§. XIX.

In iis, qui ſubita morte extinguuntur, aut apoplexia, ſuffocativo catarrho, aut aſthmate convulſivo cum pectoris hydrope vitam finiunt, quandoque etiam, qui ex hæmoptyſi, pleuritide, aſthmate hydropico extinguuntur, inſignis magnitudinis polypi, cor vel pulmonalia vaſa occupantes, reperiuntur.

Scholion.

Vel unicum id illuſtre exemplum polyporum abunde nos edocere poteſt, inſpectionem cadaverum, morbis difficilibus præſertim chronicis mortuorum medicinalem artem & maxime doctrinam de morbis, eorumque cauſis & ſedibus inſigniter promovere & maximam lucem illi adferre poſſe. In veterum monumentis nulla polyporum mentio reperitur, quia parcior vel plane nulla poſt mortem facta fuit corporum inciſio & inſpectio, quum tamen teſtantibus, quæ noſtris temporibus fiunt, ſectionibus in omni fere difficili & gravi morbo non tantum in corde & annexis venis atque arteriis, ſed & ultra in cerebri finibus, in uteri aut iliacis vaſis, quandoque ejuſmodi concrementa & coagula membranacea reperiantur.

§. XX.

§. XX.

Experientia compertum habemus, polypos maxime generari in corporibus ſpongioſis, ſanguine copioſo turgidis, vitæ ſedentariæ addictis, & qui vino vel vini ſpiritu ſupra modum ſe ingurgitant, cæterum parcius bibunt, nec potus facile tenues vel aquam adſumunt. Novi quoque eos ſubito productos in iis, qui valde frigidam & largiorem potionem in corpus calidum adſumſerunt, item in fœminis ex menſium retentione, ſi lacticiniis & acidis nimium delectatæ fuerunt.

Scholion.

In ſanguine humano plures dari glutinoſas, terreas & limoſas non ſolubiles partes, jam ſupra oſtenſum eſt, idque ad oculum patet, ſi exſiccatus aquæ calidiſſimæ infunditur, tunc ſolvitur quidem ſubtilior ejus terrea, ſulphurea, ſalina portio, ſed remanet fuſca & glutinoſa, quæ omnem reſpuit ſolutionem. Si quando igitur hæc limoſior ſanguinis pars, vel propter tardiorem progreſſum ac quietem, vel ob admixtum acidum, ſpirituoſum, aut valde frigidum, à reliquo ſanguine ſecedit ac ſeparatur, & fortiori facto vaſorum appulſu atque compreſſione partium arctiſſime compingitur, dura ejuſmodi corpora emergunt, quæ vaſa obſtruendo inæqualem ſanguinis motum efficiunt, vel vaſa majora claudendo univerſi ſanguinis curſum ac circulum penitus ſiſtunt. Haud fallacia vero præſentis polypi indicia ſunt ingens circa præcordia anguſtia cum magna difficultate ſpirandi, vehemens cordis palpitatio, pulſuum inæqualitas, vel etiam intermiſſio, & frequentior lipothymia : quæ ſymptomata maxime à motu ſanguinis, quacunque ex cauſa aucto, exaſperari ſolent.

§. XXI.

Plethora quoque & ex hac tardior factus ſanguinis circuitus primum quaſi ad impuritatem & cacochymiam ponit fundamentum. Recte enim *Hippocrates Libr. de ſanitate tuenda ad Mæcenatem : ſanguis, cum abundat, valetudinem vitiat, quia bilis acida & amara & pituita, imo ſanies naſcitur.* Nam quo lenior eſt ſanguinis curſus, eo minus ille in tenuiſſimas partes dividitur atque diſcerpitur, eoque ſpiſſior & tenacior evadit. Quo vero tenacior eſt, eo plus infarcit & obſtruit vaſa & excretoria, quæ ſanguinis impuritatibus ſecernendis inſerviunt. Quo major vero horum obſtructio, eo copioſior impuritatum in ſanguine emergit proventus.

§. XXII.

Impuri & non bene mixti ſanguinis indicium eſt, ſi is è vena extractus nimis aquoſus eſt, qualis in hypochondriacis, lienoſis & cachecticis apparere conſuevit, item ſi nigricans & pici liquidæ ſimilis, uti in melancholicis, vel ſi in ſuperficie ſpiſſam inſtar glutinis vel corii cruſtam habet, uti in ſcorbuticis, & qui inflammatione interna laborant, vel ad eam diſpoſiti ſunt, item ſi ſerum nimis flavum ac bilioſum eſt, uti in ictericis.

§. XXIII.

Duplicis vero generis cacochymiam in vaſis eſſe ſtatuendam, non adeo mihi videtur improbabile. Altera quidem ſubito fit, & facilius quoque tranſit ac diſcutitur, atque ex alvi & tranſpirationis neglectu ducenda eſt, & ad febres, morbos acutos & epidemice graſſantes facillime diſponit inque iis locum habet. Prodeunt porro ex hac rheumatiſmi, catarrhi, febres catarrhales, tuſſes, diarrhœæ, eryſipelata & multiplicis formæ aliæ febres. Altera pertinacior firmiores in viſceribus & excretoriis obſtructis habet, & à tardiori ſanguinis & lymphæ motu pullulat, neque tam facile removetur, & chronicarum maxime paſſionum parens eſt.

Scholion.

Obſtructo vel infarcto hepatis viſcere ſanguis à ſulphureis & ſalinis aduſtis particulis, quæ bilem conſtituunt, non probe depuratur. Si vero rénes ſui muneris obliviſcuntur, ſerum multis ſalibus excrementitiis fixioribus tartareis imbuitur. Per lienem mere vaſculoſum ſi ſanguis minus libere ob infarctum vel obſtructionem tranſit, craſſitiem & viſciditatem contrahit, qua fit, ut ſecretoriorum & excretoriorum vaſculorum ſtupendæ parvitatis meatus, qui ſunt in glandulis, pertranſire amplius nequeat. Obſtructis vero hac ratione glandulis vel plane induratis & liberiori lymphæ circulo impedito, ipſa ſtagnationem, acceſcentiam & vappiditatem in vaſis concipit.

§. XXIV.

Alia adhuc datur cacochymiæ, ſive magnæ in ſanguine impuritatis, quæ ſubito gignitur, ratio, quæ à validiori ejus per cordis & arteriarum motum auctiorem impulſu, attritu & commotione oritur, quemadmodum id clare apparet in omni febre, in qua temperatus & bene mixtus ſanguis ſolo motu, tam progreſſivo, quam inteſtino auctiori, interpoſito aliquot dierum ſpatio, tam impurus reddi poteſt, ut compluribus ſalſis, ſulphureis, viſcidis partibus refertus ad nutritionem & omnes actiones ſecundum naturam præſtandas penitus ſit ineptus.

Scholion.

Motus ſolidorum in fluida vehementior, qualis eſt febrilis, blandam gelatinoſam ſanguinis craſin & conſiſtentiam valde reſolvit, adeo, ut è vena emiſſus ſæpe coccineus & flammeus inſtar coloris floris cardinalis appareat, adeoque nec frigefactus in gelatinam abeat, nec in aquam calidam infuſus bombyciformes floccos deponat. Eſt itaque febrilis motus medela quidem ſanguinis tam copioſi, quam craſſi ac tenacis optima, ſed tamen valde impurum eum reddit, adeo, ut præcipua ejus pars in excrementa colliqueſcat. Unde non tantum corpus & vires conſumuntur, ſed & urinæ ingentem quantitatem viſcidæ, mucidæ, ſalſo-ſulphureæ materiæ, quæ fundum petere ſolet, evehunt; ſudores glutinoſi, pingues, acidum ſpirantes prodeunt; ex alvo copioſa bilioſa & fœtida, licet parum cibi aſſumtum fuerit, quotidie ejiciuntur. Quæ excrementa ſi non ſecedunt, ſed intus cohibentur, certum novi morbi prodituri indicium eſt. Opera itaque danda eſt, ut ſemper, ſi febris impetus ceſſat, vel ſi ex toto quieſcit, impuritates illæ, à febre intus productæ, per emunctoria probe eliminentur, quæ præcipua medicorum in convaleſcentibus a febre debet eſſe cura.

§. XXV.

Nihil vero tam promte impuritatem & corruptionem ſanguini inducit, quam tardior humorum circuitus & progreſſio, ſi ſanguis præſertim circa viſcera abdominis ſtagnat, vel lympha ob glandulas obſtructas in vaſis lymphaticis moram trahit & ſubſiſtit.

§. XXVI.

Quod ſi ſanguis & humores ſtagnationem ſubierunt, inteſtino calore agitati in corruptionem proclives fieri incipiunt, idque maxime fit, ſi vaſis uteri obſtructis menſes non feruntur, & ſanguis diutius illis inhæret, item ſi ipſi conſuetus per venas hæmorrhoidales exitus præcluditur.

Scholion.

Sola quiete & calore externo aquam ſimplicem, brevi interjecto tempore, fœtidiſſimam contrahere poſſe putredinem, inter alia ſatis vulgatum, notum ac domeſticum documentum exhibet aqua illa, quæ in deſtillatione ſpirituum vel aquarum ex veſica refrigerationis fine in vaſe ligneo, per quod canalis ſtanneus pertranſit,

tranſit, aliquot dies continetur, hæc enim ob calorem non ſolum inſigniter turbida fit, ſed & peſtilentem fœtorem contrahit. Hinc mirum non videbitur, ſincerum ſanguinem ſtagnatione diutina in vaſis inclinare in corruptionem, eumque ſola quiete in fœtidiſſimam putrilaginem diſſolvi, id quod apparet maxime in ſphacelo. Quapropter haud temere pronuntiamus, ſanguinem & humores, qui ex valde corruptibili & aliena, ſibique diſſimili materia conſtant, eo magis ad corruptionem tendere, quo tardior eorundem per vaſa corporis humani motus atque progreſſio eſt.

§. XXVII.

Datur itaque impuritas humorum putrida, quæ omnium teterrima eſt, & peſſimi genii morbos excludit, eoſque malignos tam acutos, quam chronicos reddit, quos inter merito ſcorbutus eminentioris gradus referri debet.

Scholion.

Scorbutus eſt maxime malum endemium, ex ingenti ſanguinis & humorum corruptione enatum, ortumque ſuum maxime debet pravis ingeſtis, duris nempe, acidis & ſalſis cibis, aëri humido & vappido, item vacuationibus præſertim ſanguinis per menſes & hæmorrhoides varias ob cauſas imminutis, unde propter tardiorem ſanguinis progreſſum & retentionem excrementitiarum ſordium humores tum ſalinam, tum viſcidam & putridam dyſcraſiam induunt, quæ deinceps variis exulcerationibus, maculis, puſtulis, atrocibus doloribus & depravata nutritione ſeſe prodit, & necem interna viſcerum corruptione vel ſphacelatione externarum partium infert; quare ſcorbuticorum ſanguis plerumque plumbeus & viridis ac fere putridus deprehenditur, teſte *Eugaleno de ſcorbuto pag.* 70. id quod vel ipſo plebis judicio ſubinde confirmatur, cum ſanguis hiſce coloribus tinctus ex ſectis venis prodit. E ſcorbuticorum gingivis ſanguinem fœtentem profluere, vulgatum itidem eſt & nemini ignotum.

§. XXVIII.

Non ſolum ſanguis, ſed & lympha vel propter virulentum miaſma admixtum, vel ob glandulas & vias obſtructas motus progreſſivi expers, ſummam internam contrahit putredinem, quæ graviſſimorum morborum, cujuſmodi ſunt lues venerea, lepra, elephantiaſis, herpes, ſcabies maligna, fæcunda mater eſt, & ſerpentibus ac malignis exulcerationibus variis æque ac vitiata nutritione viriumque plenaria dejectione abunde ſe manifeſtat.

Scholion.

Maximam ineſſe iſtis morbis humorum corruptionem, inter alia clare teſtatur eorum ſanguis è vena miſſus, qui in lue venerea, teſte *Foreſto Libr. VI. pag.* 72. corruptus, viſcoſus, fibris deſtitutus deprehenditur, inque lepra grumoſus, aduſtus, feculentus, lenticuloſus, imo arenoſus, vel etiam verminoſus obſervatur. Qua de re legi poteſt *Camerarius in Sylloges Memorabilium Cent. XIX.* 36. item *Kircherus in Mund. Subterran. Lib. XII. Sect. I. Cap. X. & Sect. II. Cap. VII.*

§. XXIX.

In cutis vitiis, quæ à ſuccorum impuritate & acrimonia oriuntur, frequenter obſervavimus glandularum tumores, inſtar globulorum, ſub cute; vel etiam inter muſculorum interſtitia in artubus hærentes, quibus prius non diſpulſis morbus nullo fere artificio expugnari poteſt.

Scholion.

Ejuſmodi tumores inſtar majoris piſi duros & glanduloſos non modo circa collum in tinea capitis, in lippitudine & acri defluxione oculorum, ſed & in pedibus & manibus in maligna & ſæpius recidivante ſcabie, in purpura quoque chronica atque in pedibus, ubi malleolos occupabant ulcera, ſæpius vidimus & tactu cognovimus, neque unquam ad ſanitatem perduci poterant hi morbi, niſi prius his tumoribus diſcuſſis & diſparentibus; ſiquidem glandulæ, quæ è conglobatarum numero ſunt, lymphæ motum fibrarum nerveārum ſtrictura promovere debent, adeoque ſi intumeſcunt, ſatis clare denuntiatur, progreſſum lymphæ in his locis eſſe interceptum, unde illa in corruptionem & acrimoniam abit, atque eroſionem & deſœdationem ulceroſam cutis producit.

§. XXX.

Purpura, noſtris temporibus admodum familiaris, rubra & alba; chronica & acuta, maligna & benigna, lymphæ à naturali craſi deflectentis, vel inſigniter corruptæ ſoboles mihi identidem videtur, neque ſi acutis vel ſtatim in principio accedit, vel in declinatione ſupervenit, periculo vacat.

Scholion.

Purpura chronica, ſcorbuticis, hypochondriacis & iis fœminis, quæ menſium defectu & alvo adſtricta laborant, admodum familiaris, raro perfecte curatur, quin potius curata ſæpius regeneratur & revertitur. Vidi ſæpenumero, eam reſuſcitatam fuiſſe diuturno mœrore, vel alio gravi animi affectu. Et certe radicitus auferre hunc morbum non exigui operis res eſt, neque mediocrem exigit prudentiam atque obſervationem; difficulter enim glandularum obſtructiones reſerantur & lymphæ circulus reſtituitur. Pejoris vero naturæ eſt ea purpura, quæ puerperarum morbis, vel acuta febre decumbentibus ſupervenit, quoniam tunc majoris impuritatis ſoboles eſt, quæ in puerperis nunquam non eſt manifeſta, & plerumque in ſtatu graviditatis contrahitur. Quæ tandem purpura demum febribus acutis ſupervenit, ea partim ab excrementis, ob alvum adſtrictam diutius retentis, bilioſis & ſalivalibus, partim etiam ab humoribus effœtis, balſamica ſua vi à nimio febrili æſtu orbatis, & circa viſcera abdominis ſtagnantibus & computreſcentibus, incunabula ſua trahere mihi videtur.

§. XXXI.

Humores quoque lymphatici diuturniori mora & ſtagnatione ſummam ſæpius acrimoniam cauſticam contrahunt, quæ in ſcorbuticis maxime deprehenditur, ubi moleſtiſſima procreat ſymptomata.

Scholion.

Ab hac acrimonia dolores artuum vagi, fixi, defluxiones acres, ſalſæ, erodentes, ſitis inexhauſta, cholera, diarrhœa, eroſiones ventriculi & inteſtinorum & peſſimæ exulcerationis ſpecies, febres quoque cholericæ bilioſæ derivari poſſunt. Mirabile exemplum corroſivi ſanguinis redditi, ut ab una guttula veſica in cute excitata fuerit, refert *D. Lœbenwald in Miſcell. Curioſ. Dec. II. Ann.* 11. *Obſ.* 107. *Sennertus de Conſenſu & Diſſenſu Libr. I. Cap. XVI.* refert, ſcorbuticum fuiſſe cujus ſanguis naribus emiſſus tam acris fuerit, ut linteamina, quibus exceptus fuerit, corroderet. *Bonetus in Medic. Septentrion. Part. II. Libr. II. Sect. XXII. Obſ.* 2. urinam ſcorbutici lintea corrodentem annotavit. Lac corroſivum vidit *Wolfius in Miſcell. Naturæ Curioſorum Dec. II. Ann. VIII. Obſ.* 72. Plura allegata loca vide in *Diſſert. noſtra de generatione ſalium morboſorum.* Eſt enim tota ſcorbuticorum natura ſalifica; nam ſi excrementa bilioſa ſulphureæ alcalinæ indolis, quæ per alvum excludi debent, ſi ſalina tartarea fixioris naturæ, quæ urina evehuntur, ſi ſubtiliora, quæ per cutem tranſeunt, maxima ex parte remanent in ſuccis, poſtea ſalina ex alimentis ſalſa, acida & diverſi generis alia admiſcentur, non mirum eſt, pro varia horum unione intimaque combina-

combinatione, eorumque inteſtina inter ſe agitatione, diverſi generis & naturæ ſalia ſumme acria & cauſtica quoque ingenerari.

§. XXXII.

Quum origo impuritatum, ſive ſalinæ, ſive ſulphureæ ſint, primo ad tardiorem ſanguinis & lymphæ progreſſum, deinde ad obſtructiones, ſeu pravum emunctoriorum ſtatum vel defectum excretionum referenda ſit, liquidiſſime conſtare arbitror, ea remediorum genera depurando ſanguini eſſe accommodatiſſima, quæ circulum ſanguinis promovent, quæ excretiones per univerſum corpus liberas & expeditas efficiunt, & quæ materiam evacuationi idoneam reddunt.

Scholion.

Non ignotum eſt, quanta in materia medica remediorum ſilva ad ſanguinem purificandum proponatur, dum quædam ſal acidum, acre, ſalſum, vel tartareum invertere & præcipitare, quædam ſulphur peregrinum figere, cauſticam materiam demulcere, involvere, vel viſcidum incidere dicuntur, quum tamen nihil quicquam fere hujus habeant facultatis, neque etiam hariolari liceat, quomodo tam exigua medicamenti quantitas univerſum ſanguinem aggredi atque immediato contactu, quicquid vitioſi ipſi inhæret, corrigere vel emendare poſſit. Sed potius cenſemus, ipſa ſuffragante experientia, à peſſimæ indolis impuritatibus ibi collectis maſſam ſanguinis & humorum non rectius, quam per alvinas purgationes & per diaphoreſin moventia, interpoſitis vicibus ac diutius uſurpata, liberari.

§. XXXIII.

Obſervationes practicæ docent, fœminas, ſi menſium defectu laborant, & viros, quibus hæmorrhoides conſuetæ non bene fluunt, inter alia plura vitia in partibus externis varias exulcerationes, quæ cutim defœdant, puſtulas, eroſiones & tumores mali moris pati, quæ omnia, niſi in ordinem ſanguinis fluxiones redactæ fuerint, ægre aliis remediis tolluntur.

Scholion.

Hippocrates lib. 6. Epid. Comment. 3. & ad finem *libr. de Humorib.* utilitatem hæmorrhoidum plenius recenſet, ubi dicit, hæmorrhoides non ſolum ſolvere melancholicos affectus, ſed & tubercula, puſtulas, furunculos, vitiligines, denique omnia, quæ habent melancholicum humorem, aliis humoribus permixtum. Nam certe vero eſt valde ſimile, ſanguinem, ſi vel in uteri pampiniformibus & intortis vaſis, vel in meſeraicis quaſi incarceratus & immotus diu perſiſtit, à naturali ſua dulci & gelatinoſa indole deflectere, & ſalſam putridam naturam induere, unde ſenſim paulatimque univerſa ſanguinis & humorum maſſa à corruptione inficitur. Et tum, ſi quis, ut bene monet *Hippocrates lib. 6. Epid. ſect. 7.* impurgatus labori ſe dederit, ulcera erumpunt; quod etiam fieri ſolet poſt omnem validiorem ſanguinis, etiam per medicamenta, commotionem. Ita enim ſordes ſalinæ ad partes externas feruntur, quæ aqueis partibus per auctam tranſpirationem diſſipatis acriores redditæ cauſticam & cathæreticam naturam exerunt. Ex quo patet, quam ſalutiferum in omnibus gravioribus cutis vitiis ſit, ſolennes ſanguinis vacuationes in ordinem redigere.

§. XXXIV.

Peſſima igitur ſtatus corporis plethorico-cacochymici eſt conditio, quippe non modo omnibus morbis tam acutis, quam chronicis patet, ſed eos etiam deteriores reddit atque effectum remediorum & ſpem medentium plerumque eludit.

Scholion.

Si quando morbus epidemius, etiam per ſe non adeo exitioſus in corpus impurum & repletum incidit, certe non caret periculo. Vehemens animi commotio, ut terror, ira, mœſtitia, lethalem ſæpius in ejuſmodi corpore producit effectum. Frigus paulo acrius admiſſum mirifice officit, & omne, quod valide commovet, remedium, ſive ſit purgans, ſive emeticum, aut mercuriale, vel fortiter ſudorem movens, ſive balneum præcalidum, in plethorico cacochymicis graviſſima concitare mala ſolet, maxime vero iis infenſa ſunt medicamenta, quæ adſtrictivæ ſunt facultatis, quæque opium recipiunt. Atrox dolor & ſpaſmus, ſi ejuſmodi detinet corpora, producit ſæpe alias ægritudines, quæ funeſtum habent eventum. Felicem itaque eum habeo medicum, cui cura ejuſmodi corporum non adeo frequenter committitur, parum enim arte ſua proficere poterit.

CAPUT IX.

De genuinis corpora à morbis præſervandi præſidiis.

§. I.

PRæcognitis ſic atque recluſis veris morborum, qui homines infeſtant & vitam præmature tollunt, fontibus atque originibus, in facili nunc atque proclivi erit, rationem atque remedia opportuna invenire, quibus primis morborum initiis eorumque generationi occurrere poſſimus, quod præcipuum & deſideratiſſimum omnium fere hominum votum eſt.

Scholion.

Profecto nulla pars artis noſtræ tam claris & evidentibus nititur principiis & fundamentis, neque ulla ita in medici poteſtate eſt, quam ea, quæ conſtantem & meliorem valetudinem ac certam longæ vitæ ſpem promittit, utpote, ſi animi vim & motum exceperis, morborum initia ex levibus, manifeſtis, externis & mere phyſicis cauſis paulatim pullulant, increſcunt & vim acquirunt. Quicunque itaque tum ex obſervatione atque experientia diligenti & accurata, tum ex vera & clara theoria omnium earum rerum, quibus homo uti ſolet, ſalubrem & inſalubrem vim, naturam ac poteſtatem accurate novit, & quomodo plures cauſæ invicem junctæ ad producendum quendam morbum concurſent, intelligit, is certe magno ſtudio atque cura eo eniti poterit, ut apta remedia inveniat, quibus graviſſimas ægritudines, & dolorem & moleſtias & triſtiſſimam mortem minantes, feliciſſime ſub divina gratia avertere poſſit. Nam ſicuti omnium rerum difficilium principiis ſemper facilius obſiſtere licet, quam ea, quæ læſa ac vulnerata ſunt, redintegrare: ita multo certius & expeditius eſt, morbis in principio occurrere, quam ſi corpus jam à morbis infeſtatum vel victum jacet. Tunc profecto difficile, vel prorſus extra poteſtatem medici eſt, remedia morborum cauſis removendis apta invenire.

§. II.

Supra jam ſatis evictum & demonſtratum eſt, ſub eutonia partium ſolidarum & moderato ac libero humorum circulo ac ſufficientibus excretionibus & vitam & ſanitatem atque integritatem corporis & animi ſalvam perſtare atque incolumem, omniſque generis ægritudines in perverſo ſolidorum motu fundari & ex male ingeſtis & excretis oriri. Ex quo utique clarum fit ac perſpicuum, omnem præſervandi rationem maxime in eo poſitam eſſe, ut ea conquiramus remedia, quæ motum ſolidorum & fluidorum æquabilem & liberum, omneſque excretiones integras & illæſas conſervant.

§. III.

§. III.

Superioribus locis satis abundeque ostensum est, tardiorem sanguinis progressum per universum corpus, & maxime per viscera abdominis, corpus multis & valde impuris humoribus replere, & retardatas tam solennes sanguinis, quam eas, quæ fiunt per transpirationem & alvum, evacuationes morborum epidemiorum, acutorum & chronicorum, matres esse fœcundissimas. Opera igitur danda est, ut omnibus modis evitemus ea, & maxime, quæ ad ingesta & aëris usum pertinent, quæ ullo modo humores augere, eos intemperatos reddere, tardiorem sanguinis progressum facere & excretiones impedire possunt.

§. IV.

Quum libero sanguinis progressui & ab eo pendentibus salutaribus excretionibus nihil magis adversum sit, quam sanguinis & humorum copia ac crassities, ideo ea inquirere & sibi quam maxime ab iis cavere non modo sanus, sed maxime etiam natura imbecillis debet.

§. V.

Immodicus & intemperatus cibus uti morbis amplam materiam & occasionem præbet: ita modicus ac temperatus & vires & sanitatem optime tuetur, & securissima via est ad vitam sanam & longam perveniendi.

Scholion.

Ad alimenta intemperata & noxia, præsertim copiosius si sumantur, omnia dulcia, dura, pinguia, acida, acerba, viscida, & quæ ægre coquuntur & dissolvuntur, item nimis acria, aromatica, calida & spirituosa pertinent. Quæ bonos vero & naturæ amicos succos præbent, sunt omnis panis & carnium, præsertim juniorum animantium, genera, & maxime omnium ova sorbilia. Quæ cuncta & bonum chylum & bonum præbent sanguinem, ac nunquam, nisi nimia quantitate, in sano statu nocent.

§. VI.

Homo ordinarie, sive robustus, sive imbecillis sit, plus adsumerè solet alimenti & plus etiam sanguinis generat, quam ipsi ad motum vegetum & nutritionem necessarium est, & quam natura ferre, subigere & regere potest. Et quia in ejusmodi nimia succorum redundantia primum destructæ valetudinis fundamentum situm est, hinc nimiam sanguinis & succorum in venis repletionem & probe indagare & inter initia statim removere oportet.

§. VII.

Si quis itaque à nimio adsumto potu & cibo & imminuto labore ac motu corpus grave & lassum, ad motum ineptum & venas simul turgidas atque inflatas sentit: consultum est statim variis remediorum generibus huic plenitudini occurrere, eaque adhibere, quæ eam demant ac minuant.

Scholion.

Hoc in numero est primamque laudem meretur abstinentia, ubi parum, vel nihil adsumit homo in cœna, vel per totum diem; nam nihil æque corpus à morbis vindicat, quam tempestiva abstinentia. Deinde victus quædam mutatio est instituenda, & plenus ac lautus in tenuem vertendus, ideoque ad tempus à carnibus, & quæ ex genere ac familia animantium sunt, abstinendum est, & potius cibi ex vegetantibus sumendi, modo ventriculus eos ferre possit, & aqua vel sola, vel dulcis vini & spirituosi miscela bibenda, tum etiam motum & exercitationem vel laborem corporis augere oportet. Nam motus prudenter & cum debita observatione adhibitus omnia alia remedia præservatoria longissime superat, quia non modo circulum sanguinis augendo minuit humores & transpirationem restituit, sed & crassum sanguinem resolvit & vires adjicit. Debet autem motio fieri non post, sed ante cibum & semper peracta concoctione.

§. VIII.

Si quis ejusmodi remediis, quæ minuunt humorum copiam, uti detrectet, & nimia vasorum plenitudo tardiorque sanguinis circuitus præsentia mala minetur, tunc præstat, quantocyus fieri potest, plethoram solvere, idque optime fit sanguinis missione, quæ statim ejus motum liberiorem restituere incipit, adeo, ut etiam excretiones, sanguine superfluo detracto, melius, quam antea, succedere observatum fuerit.

Scholion.

Non semel, sed iterum & aliquoties observavi in corporibus sanguine valde repletis segniorem alvum, cutem aridam, urinæ fluxum parciorem, & imminutum quoque mensium fluxum, ubi mox à sanguine emisso alvus fluidior facta est, fecibus valde biliosis prodeuntibus, ob liberiorem jam bilis in hepate separationem & adfluxum ad intestina factum; urina quoque fluxit coloratior & copiosior, somnus contigit placidior & corpus post motum liberius sudavit. Neque obscurum est, sed satis etiam vulgo compertum, secta ante tempus mensium vena liberiorem eorum fluxum fieri. Magna itaque sunt illa beneficia, quæ ex venarum incisione prudenter administrata in valetudinem hominis redundant. Optimi vero successus indicium ex pulsuum magnitudine & robore à secta vena aucto desumendum est, eo quod magnitudo pulsuum sanguinis progressum & circulum auctiorem factum significet.

§. IX.

Quam egregium vero ad multos morbos avertendos præsidium est in venæ sectione opportune instituta, tam magnam quoque vim nocendi habet eadem, improvide ac inconsiderate administrata. Plures sæpe noxas sanguinis detractionem excipientes animadverti, dum quidam in magnam corporis lassitudinem & gravitatem inciderunt, somno facto inquieto, atque à sumto cibo male se & anxie habuerunt, alii in gravedines cum febricula quadam inciderunt. Quidam rheumatismos, sive acerbos & pertinaces dolores in artubus passi sunt, quidam lentas febres inde sibi contraxerunt, quod maxime obtinet in corporibus spongiosi habitus, quæ venis tenuibus & angustis referta sunt, & ubi non tam ex nimia sanguinis plenitudine, quam ex defectu virium in partibus solidis humorum tardior est progressio. Deinde si autumno vel vere cœlum diu humidum & frigidum regnat, idque post venam sectam incidit, vel etiam si cibi non concoctu faciles adsumuntur. Cohibita enim hac ratione transpiratio longe pejorem statum corpori, quam antea fuit, infert, & facilis fit ad febres vel etiam defluxiones dispositio.

§. X.

Tutissime venæ sectio instituitur circa exitum Februarii & medio Septembris, si tempestas est constans, non adeo mutabilis, sique tempus serenum & venti orientales dominantur. Deinde, si corpus probe ab aëre frigido & humido defenditur, & cibi concoctu faciles, & alimenta, quæ transpirationem juvant, adsumuntur. Tertio, si minor semper quantitas è corpore spongioso, quam è macilento vasis copiosioribus instructo, extrahitur.

Scholion.

Duo utique mittendi sanguinis præcipua capita veluti scopi sunt, vasorum magnitudo & turgescentia viriumque robur. Nam ubi hæc adsunt, confidenter sanguinem detrahere licet. Neque hic ætas senilis obstat;

ſtat; nam firmis ſenibus ſanguis tam præſervandi, quam curandi fine utiliter & bono ſucceſſu mittitur. Ubi vero vires ſunt ſubinfirmæ, licet ætas ſit juvenilis, appetentia & concoctio minuta, præſtat tam in cura, quam in præſervatione à venæ ſectione abſtinere, præſertim in molli & raro corpore. Et ſanguinis quoque emittendi quantitas ex plenitudine vaſorum viriumque conſtantia à medico, ſine cujus conſilio nunquam magnum illud auxilii genus tentandum eſt, determinanda erit. Medicus enim ſi unquam, certe hic conſulendus eſt, ut vires & habitum ægri ſpectet, & ſecundum horum proportionem mittendi ſanguinis quantitatem determinet: nam certe, quam expeditum venæ ſectionis remedium eſt ad juvandum, tam promtum quoque eſt ad nocendum, ſi quis eo non recte utatur.

§. XI.

Conſultius eſt, ubi corpus molle & rarum ſanguine ac ſuccis turget ac rubicundum eſt, non adeo magnam vaſorum inanitionem per ſanguinis miſſionem moliri, ſed partem ejus & uncias aliquot ſaltem extrahere, & reliquum, quod eſt in vaſis ſuperfluum, abſtinentia, frictione, motu, vacuatione per alvum, balneis, maxime omnium vero aquarum ſalubrium uſu conſumere & diſcutere.

Scholion.

Nunquam ſalutarem reperi nimiam vaſorum depletionem in corpore ſpongioſo & raro; tranſpiratio enim facile læditur & creſcit humorum impuritas. Tutiſſimum vero eſt, præſertim ſi plethora cum cacochymia urget, portionem ſaltem ſanguinis detrahere, unde ab onere quaſi levata natura, corporis rectrix, facilius poſtea, quod reliquum eſt materiæ vitioſæ, vincere, concoquere, & quod alienum eſt, excernere poteſt; tum etiam remediorum operationes ſemper felicius ſuccedunt & maxime aquæ ſalubres facilius per emunctoria tranſeunt.

§. XII.

Cum ſupra clarius demonſtratum ſit, morborum plurimorum, cauſas & fomites maxime primis in viis, hoc eſt, in canale inteſtinorum, & præcipue in duodeno, vel etiam coli flexuris, ſtabulari, præcipue omnium videndum eſt, ſi ab hiſce morbis nobis cavere velimus, ut hæc regio pura maneat, & nunquam colluvie ac ſentina vitioſorum humorum repleatur, quod fit, ſi intemperatos & nimios cibos fugiamus, & alvum ſatis fluidam ac mollem conſervemus eaque maxime evitemus, quæ tonum ventriculi & inteſtinorum deſtruunt alvumque adſtringunt; maximum enim præſidium adverſus morbos à corpore arcendos in excretione inteſtinali recte ſe habente latitat. Præſtat vero ſemper alvum ſervare apertam alimentis, quam medicamentis purgantibus & acrioribus ſtimulantibus, quæ nunquam non vim inferunt ſubtiliſſimæ & valde ſenſibili texturæ inteſtinalium tunicarum.

Scholion.

Cavendum maximopere eſt à purgantibus, neque ad laxantia facile ſennata, rhabarbarina, mannata tranſeundum, ſi alimentis id fieri poteſt. Præterea in ſalibus neutris, ſi quis iis recte uti ſciat, magna latitat virtus ad promovendas excretiones alvinas, ſine ullo virium vel digeſtionis detrimento, uti id clariſſime apparet ex thermarum & acidularum ſalubri uſu, qui nonniſi ſalibus neutris inibi contentis & inſigni aquarum ponderi ac copiæ adſcribendus eſt. Ejuſmodi quoque ſalibus neutris, quæ multum conveniunt cum iis, quæ aquis medicinalibus inſunt, utimur optimo fructu & ſucceſſu, ſi alvus muneris ſui obliviſcitur.

§. XIII.

Cibi nimis duri, acidi, adſtringentis facultatis, item lacticinia, opera piſtoria, ex potulentis cereviſiæ feculentæ, valde frigidæ potiones, ex medicamentis omnia adſtringentia, opiata, purgantia inteſtinorum motum & tonum naturalem mirifice pervertunt ac turbant; igitur omni opera, ſtudio & cura, ſi integram ſervare velimus valetudinem, iis abſtinere convenit.

§. XIV.

Et quia ad cruditates peſſimæ indolis acidas ingenerandas primæ viæ admodum accommodatæ ſunt omneſque fere cibi diutius iis inhærentes coaceſcere incipiunt, illæ vero & ſolidis & fluidis partibus & excretionibus valde ſunt inimicæ; prudenter, ne cruditates acidæ invaleſcant, providendum eſt.

Scholion.

Non modo in melancholicis & hypochondriacis & in fœminis, ubi menſes deficiunt, ubi alvus durior & ſtrictior eſt, ubi vita ſine motu agitur, acidorum ſuccorum ſaburra in ventriculo ac primis inteſtinis ſtabulatur, ſed etiam in ſenibus, & ubi ventriculus eſt infirmus, & ob alimenta, quæ multum acidi in receſſu habent, illa colligitur. Magnum itaque ſanitatis conſervandæ momentum in eo ſitum eſſe quiſque ſibi perſuadeat, ut à nimia quantitate eſculentorum & potulentorum, quæ acidum fovent, ut ſunt fere omnis generis vina, exceptis Hungaricis, fructus horæi, qui eminentis ſaporis acidi, ſibi temperare diſcat. Vinum magis inter alimenta medicamentoſa, quam nutrientia locum invenire, adeoque, niſi cum aqua temperetur, ordinario plus nocere, quam prodeſſe, firmiter credendum eſt. Deinde quoque vinorum eſt ingens differentia. Quædam citius per alvum, per urinam & alia excretoria tranſmittuntur, nec diu morantur in ventriculo & venis, & horum liberalior etiam potio non tam nociva eſt, quam ubi diutius in ventriculo vel venis retinentur, & quæ vel nimiam ſanguinis & humorum turgeſcentiam, vel acidos corrodentes humores in primis viis producunt. Magna itaque cum cautione vino utendum eſt, ne plus detrimenti, quam emolumenti valetudini inferamus. Si indicium eſt ingentis acidorum ſuccorum abundantiæ in ventriculo, ſubtiliora alcalina, ut ſunt maxime cancrorum lapides, cum oleo tartari per deliquium imbibiti, addita una vel altera guttula aniſi vel olei de cedro, egregium faciunt officium. Cæterum pilulæ amaræ balſamicæ, ſecundum Becheri & methodum noſtram paratæ, & ſingulis menſibus bis vel ter uſurpatæ, ſalibus aperitivis altero mane interpoſitis, primam regionem à copioſis ſordibus, præſertim acidis, egregie deplent & liberant.

§. XV.

Retentas in ſanguine & humribus ob prohibitam tranſpirationem excrementitias ſalino-ſulphureas feculentias graves, maxime acutas & periculi plenas paſſiones, imo populariter graſſantes ingenerare, certiſſimum eſt. Ut itaque corpus ab iis liberum maneat, maxime id agendum eſt, ut per cutem perſpiratio libera, integra ac ſalva maneat. Quem in finem probe illud ab omni frigore humido, ventiſque ejus naturæ, cuſtodire oportet, & nunquam illud fortiter calefactum, ſive ab aëris æſtu, à morbo, animi affectu, aut à vehementiori motu, vel potu ſpirituoſo, frigidiori & humidiori atmoſphæræ, mane ante ſolis ortum vel veſperi poſt ejus occaſum, objicere. Vitandæ quoque ſunt habitationes in locis humilioribus quæ venti non perſpirant, & ubi aër concluſus & vappidus eſt, multo minus vero in his ſomnus capiendus eſt, fugienda quoque eſt ignavia, laboris intermiſſio & nimius ſomnus, item terror & mœſtitia, quæ omnia tranſpirationem mirifice retardant & fomites morboſos ingenerant.

Scholion.

Ad corporis per liberum tranſpiratum purgationem nihil

nihil præſtantius eſt convenienti motu & exercitatione corporis, quæ omnia alia antidota & remedia adverſus morbos præſervatoria longiſſime exuperant. Veriſſima enim ſunt, quæ ſcribit *Celſus Lib. I. Cap. I. Ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectutem, hic vero longam adoleſcentiam reddit.* Motus vero remedium etiam caute eſt adhibendum, ſiquidem corpore cibis repleto & alvo adſtricta plus nocet, quam prodeſt; concoctione vero abſoluta, mane poſt ſufficientem ſomnum, vel quinque aut ſex horis à prandio, inſtituenda eſt & primo lenis ac temperata, poſtea fortior, ut corpus calidum & madidum fiat, idque in aëre temperato & ſereno, & poſt potionem aquæ calidæ, in qua balſamica herba infuſa fuit, ita enim majorem utilitatem adferet.

§. XVI.

Quia vero ob mutationem aëris & tempeſtatum multi morbi infeſtare conſueſcunt: prudentis medici eſt, eos per convenientia auxilia & conſilia avertere. Qua in re nos cum *Celſo Lib. I. Cap. X.* hæc præcipimus: *Tum vitare debet homo fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem multoque magis ſe continere. Si quæ gravitas eſt in corpore, tum neque mane ſurgendum, neque pedibus nudis ambulandum eſt, neque movenda alvus, atque etiam, ſi per ſe mota eſt, comprimenda eſt.*

Scholion.

Eorum ſi rationem, quæ *Celſus* gravibus anni temporibus in præſenti loco prohibet, intueamur, vix alia occurrit, quam quod hæc omnia, quæ vires & robur corpori ſuffurantur, ut eſt fatigatio, cruditas, libido, vigilia immoderata, & quæ tranſpirationem impediendo ſordes excrementitias accumulant, ut frigus, ambulatio pedibus nudis, vomitus, purgatio, omni ſtudio & cura evitari debeant. Commendat vero abſtinentiam & cibum ſemel de die adſumendum, & modo aqua, modo vinum bibendum, quia hoc modo evitantur cruditates & tranſpiratio opportune promovetur.

§. XVII.

Cum indubiæ ſit experientiæ fœminarum ſanitatem à ſanguinis per uterum ſingulis menſibus fluxu & plurimorum virorum valetudinem à fluxus hæmorrhoidalis ratione & modo decente dependere, iiſque inordinatis utrumque ſexum graviter luere; omni cura ac ſtudio maxime providendum eſt, ut hi fluxus ſalvi ſint & ordinem ac tempus ſervent, neque deficiant vel impediantur.

§. XVIII.

Ut ſolennes & ſalutares ſanguinis vacuationes in ordine conſerventur, opus eſt, ut accuratam diætam ſervent homines, præſertim circa imminens fluxionis tempus. Quare maxime iis abſtineant, quæ motum hunc naturæ ad excretiones tendentem turbare poſſunt.

Scholion.

Caveant ſibi maxime hæmorrhoidarii & fœminæ circa tempus menſium ab omni acri & humido admiſſo frigore, ab omnibus induratis, concoctu difficilioribus, acidis, fructibus horæis, fermenteſcibilibus, inflantibus cibis, lacticiniis, potu frigido, ab omni gravi animi commotione, præſertim terrore & mœſtitia. Nocet etiam nimia quies corporis & ſomnus longior. Officiunt quoque ſanguinis derivatoriæ evacuationes, v. g. in brachio inſtitutæ, & omnes validæ medicinæ, item nimis ſpirituoſæ, ſed præſtat alvum blande balſamicis pilulis aperire, corpus moderate movere, & potu magis calido, quam frigido uti, pedes vero & extremas partes à frigore bene defendere, & ſanguinis curſum liberiorem pediluviis efficere.

§. XIX.

Cum in motibus vitalibus, qui corporis noſtri conſervationi velificantur, integris & ſalvis ſervandis juſta portio virium, in quibus vis rectrix & motrix totius naturæ conſiſtit, omnes fere partes impleat, viriumque imbecillitas omnibus morbis & periculis obnoxia ſit, connitendum utique omni opera ac ſtudio eſt, ut illæ foveantur & firmæ permaneant, quia non modo ſecundæ, ſed & adverſæ valetudinis præſidia à *Celſo Lib. I. Cap. I.* rectiſſime dicuntur.

Scholion.

Si vires conſtant & firmæ ſunt, ventriculus bene appetit, digerit & egerit, circuitus ſanguinis liber eſt, nullæ fiunt obſtructiones, nullæ motus ſanguinis retardationes, vel humorum ſtagnationes, ſed excretiones recte ſe habent, & tunc infenſa ſemper plethora & cacochymia minime gignitur.

§. XX.

Quemadmodum vires corporis animus hilaris & deſideriis ac affectibus vacuus, uſus aëris puri, ſereni & temperati, cibus modicus & concoctu facilis, & motus proportionatus egregie tuentur, erigunt ac reſuſcitant: ita nihil eſt, quod virium ſubſtantiam magis exhauriat & corpus imbecillum funeſtis morbis objiciat, quam intemperantia affectuum, angor, mœſtitia, nimia animi intentio & fatigatio, frequentiſſima venus, aër humidus & vappidus, crebra cœli mutatio, fames, incongruus cibus, aſſidua vigilia, dolor, morbus, & nimius labor.

§. XXI.

Ad vires debiles erigendas, præſertim in imbecillibus & ſenibus, præter jam dicta & vinum optimæ notæ, ſuccurrendum etiam eſt interdum medicamentis roborantibus, quæ fibrarum languidos motus reſuſcitant; quo in numero ſunt ea, quæ blando, balſamico, ſuavi oleo & reſina pollent, & quæ ambra, ſuccinum, balſamum Peruvianum, vel olea vera deſtillata aromatica ingrediuntur. Ex compoſitis vero ego ſemper optimo ſucceſſu ſal volatile oleoſum, ad mentem Sylvii compoſitum, balſamum noſtrum liquidum ſic dictum vitale, elixir noſtrum balſamicum, commendare ſoleo, ut roborandi cauſa bis vel ter in ſeptimana, mane in potu calido, vel veſperi in frigido, ſumantur. In quibus certe remediorum generibus, ſi dextre ſint præparata & etiam cum moderatione adplicentur, magna præſidia valetudinis, & ut quis ſe diu à morbis immunem præſtet, deliteſcunt.

FINIS.

FRIDE-

FRIDERICI

HOFFMANNI

MEDICINÆ RATIONALIS SYSTEMATICÆ

TOMUS TERTIUS,

QUO

VERA THERAPIÆ FUNDAMENTA

MEDENDI METHODUS ET LEGES TAM

NATURÆ QUAM ARTIS,

NEC NON

SELECTISSIMA REMEDIA CUM EORUNDEM

Physico-Mechanico operandi & dextre applicandi modo fideliter traduntur,

OMNIA SOLIDIS RATIOCINIIS DEMONSTRANTUR
& compluribus practicis observationibus illustrantur;

OPUS

NON TAM AD PRAXIN VULGAREM

QUAM RATIONALEM TUTAM ET COMPENDIOSAM

ADORNANDAM PERUTILE AC NECESSARIUM.

DEO TRIUNI
OMNIPOTENTI RERUM SALUBRIUM
CONDITORI
BENIGNISSIMO VITÆ AC SALUTIS
NOSTRÆ INSTAURATORI
ET
SAPIENTISSIMO SALUTARIS SCIENTIÆ
DOCTORI OMNISQUE MEDICATIONIS
AUSPICI SACRUM
NEC NON
INGENUÆ POSTERITATI MEDICÆ
DICATUM
ESTO HOC OPUS.

PRÆFATIO.

QUAMVIS complures eæque nobiliſſimæ ac utiliſſimæ ſcientiæ ad ornandum & perficiendum Medicum ſcitu ſint neceſſariæ; nihil tamen eſt, quod ad ſcopum medicum obtinendum propius pertineat & cui cætera omnia adeo ſerviant, quam ipſa praxis rationalis clinica. Potiſſimum vero hoc & princeps ſtudii medici caput quam utile & neceſſarium, tam parum ab omni uſque eo tempore excultum & ad perfectionem laudabili conatu perductum conſpicitur. Poſſidemus certe egregios & multis experimentis ac inventis anatomicis, phyſico-mechanicis, botanicis, chymicis & phyſiologicis refertos plures libros; ſed de ejuſmodi ſcriptis, quæ pluribus praxin rationalem, ſpecialiſſimam, individualem & clinicam ſolide doceant ac perpetuæ veritatis de hac præcepta tradant, minus, ſi eloqui licet quod verum eſt, gloriari poſſumus. Nolo equidem merita laude Veterum & Recentiorum *Sennerti*, *Sylvii*, *Riverii*, *Williſii*, *Sydenhamii*, *Plateri*, *Mortonis*, *Craanii*, *Bontekoe*, *Ettmulleri*, *Waldſchmidii*, *Dolæi*, *Wedelii* practicos defraudare egregios labores: verum quam multa adhuc in iiſdem circa adæquatas cauſas, morborum & ſymptomatum genealogiam, remediorum quoque vires & genuinum uſum in variis caſibus deficiant, ii demum, qui in artis exercitio verſantur & prolata theoremata ad reſolvendas morborum hiſtorias aut conſilia inde capienda applicare volunt, rectius intelligunt. Deinceps neminem in medici argumenti ſcriptis vel mediocriter verſatum latet, quam diſſidentes, inter Medicos haud exigui etiam nominis circa morborum ætiologiam & pathologica fundamenta, quæ tamen baſin veræ therapiæ conſtituunt, regnent opiniones. Quot ſunt & ante aliquot luſtra fuerunt ampliſſimæ famæ Medici, qui applaudentibus multis ex acido & viſcido, acido, bile & pituita morborum duxerunt primordia? Quot porro innotuerunt, qui ex varii generis ſalibus acribus, acidis, ponticis & humorum multifaria intemperie, materiales omnium fere morborum derivarunt cauſas & ad eaſdem removendas & remedia & medendi methodum direxerunt? Alii Carteſiana & corpuſculari philoſophia maxime imbuti, diverſum & peregrinum ætherem, ſpecifica & morbifica fermenta, turbatam ſanguinis & humorum craſin atque texturam & varias materiæ peccantis peregrinas & heterogeneas, ratione figuræ & magnitudinis qualitates, ad evolvendas morborum cauſas in partes vocarunt. Nonnulli contra repudiatis exceſſivis ſalinis qualitatibus & potentiis, ex ſola ſanguinis & humorum nimia abundantia, ſpiſſitudine & excretionum defectu pathologicam doctrinam eruere & ſtatuminare ſategerunt. Ut diſcrepantes mirum Medicorum ſententias, de cauſa & principio motuum & mutationum, quæ in corpore humano ſubinde contingunt, præteream. Et quum in morbis tum avertendis, tum curandis, præcipuum medentis auxilium à remediorum congruorum uſu, quæ quaſi ipſius inſtrumenta ſunt, omnium conſenſu peti debeat; illæ adeo diſcordes Practicorum de medicamentorum viribus, facultatibus in hoc vel illo morbo opiniones, utique luculenter arguunt, plurimos ſanitatis præſidiorum, inprimis magnæ efficaciæ, ſive ſic dictorum heroicorum, genuinas virtutes, uſum atque applicationem latuiſſe. Quod, ne gravius dictum videatur, liceat in confirmationem adducere exempla. Quot adhuc ſunt & olim fuerunt, qui magnum iſtud & incomparabile ſanguinis miſſionis auxilium penitus rejicere haud veriti ſunt? Quam diverſus Medicorum eſt ſenſus, de venæ ſectionis in febribus ſive continuis, ſive intermittentibus, nec non exanthematicis, purpura, variolis, morbillis, petechiis, item eryſipelaceis, arthriticis & catarrhalibus, puerperarum quoque morbis adminiſtratione, aliis eandem prorſus repudiantibus? aliis contra dilaudantibus & neceſſariam judicantibus. Quæ opium pro baſi habent, & olim ab antiquiſſimis Medicorum, & noſtro ævo à celeberrimis Chymiatris, inter panaceas & incomparabilis in multis morbis & enormi motuum impetu componendo efficaciæ relata fuerunt; quum jam non deſint, qui eadem propter virus quod recondunt naturæ viribus inimiciſſimum tantum non infamia cenſent. Peruvianus ille ex America allatus cortex ad expugnandam intermittentium contumaciam uſque eo non modo in Germania noſtra,

ſed & in exteris regionibus ceu ſpecificum venditatus fuit remedium, qui à nonnullis tanquam intutum & damnoſum pharmacum fere ex toto rejicitur. Ex marte præparatis medicamentis olim à *Quercetano*, *Hartmanno*, *Michaelis*, *Ludovici*, *Williſio*, *Sydenhamio & Wedelio* in morbis ex menſium vitio; item ad cachexiam & hypochondriacam paſſionem ſanandam laus adſcripta eſt maxima; ſed complures iiſdem in morbis hæc ipſa plus damni quam emolumenti afferre, aſſerere non dubitant. Salia ex animantium regno volatilia & concinnati ex iis ſpiritus volatiles oleoſi, ante aliquot luſtra à Germanis æque ac Belgis, ceu ſpectatæ virtutis adverſus chronicas potiſſimum afflictiones celebrabantur, quorum uſus, quaſi nimiam & noxiam ſanguini inducerent commotionem, jam plane evileſcere incipit. Mixtura ſic dicta ſimplex Paracelſi & confectæ ad hujus exemplar à Chymiatris, potiſſimum MICHAELIS, tincturæ bezoardicæ, in pluribus morbis, acutis æque ac chronicis, uſui quondam erant egregio; aſt ab hodiernis quibuſdam, cur neſcio, niſi forſan camphoræ, vel acidorum connubium, ſpernuntur & minoris pretii eſſentiæ aliæ præferuntur. Purgantibus acrioribus, nec non aloëticis, quæ baſin fere omnium pilularum conſtituunt, uſi fuerunt veteres & recentiores; quæ tamen ob virulentam quam ratione & experientia teſte obtinent indolem, merito ſuſpecta ſunt. Neque minus mirum profecto diſcrepantes Practicorum ſunt ſententiæ, de thermarum, acidularum & ſoteriorum aliorum fontium elementis, viribus ac uſu, ita, ut à pleriſque propter acidum & vitriolicum elementum, fluidis & ſolidis infenſum, quam maxime inſecura cenſeantur, ab aliis viciſſim ob innocentiam & præſtabilem virtutem, in omnibus fere morbis commendentur. Nihil jam dicam, quantopere de mercurialium, emeticorum, antimonialium, nec non fonticulorum, veſicatoriorum, ſeraceorum & hirudinum uſu medico, in diverſum abeant ſententiæ; hoc autem, quod omnium maxime mirum adjiciendum: cunctos ad confirmandas ſuas adeo diſcordes ſententias, ad unam tamen eandemque experientiam confugere & audacter provocare; cui an fidendum ſit, prudentes judicent atque periti; id minimum pro certo aſſerendum: nullibi in perveſtigandis effectuum cauſis tam crebro fallaciam cauſæ ut cauſæ committi, quam in medicis rebus. Decumana certe ſunt, quæ de pharmacorum virtute in botanicis, chymicis & pharmaceuticis libris vel ſcripto conſignata ſunt mendacia, & adeo increvit medicamentorum ex univerſo naturæ penu ſimplicium & compoſitorum, indigenorum & exoticorum, Galenicorum & chymicorum ſupellex, ut propter immenſum fere numerum, nec diligentiſſimus ad ſingulorum penitiorem cognitionem pertingere queat, primum vero artis opera tentans non poſſit non mirum turbari atque confundi. Gravis quoque oppido eſt illa formularum ſarcina, quam ex ampliſſimo materiæ medicæ apparatu confectam, Medici, quaſdam illarum in quovis morbo uſui commendantes, tam ſcripto, quam dicto, ſuis liberaliter obtrudunt; quas tamen omnes, ſi quis peritior & virtutum in remediis ſolide gnarus curatius paullo expendit, ultro perſpicit, propter inconcinnam differentis indolis ingredientium congeriem, parum, vel nihil auxilii inde poſſe exſpectari, ſed morbum multo magis trahi, neutiquam abigi. Contra ea ſimpliciſſima, ſecuriſſima & ſpectata adverſus morbos arcendos æque ac perſanandos præſidia, ut aqua pura ſimplex, ſive calide in infuſo, ſive frigide aſſumta, balnea aquæ dulcis, lacticinia & maxime lac aſininum, ſerum lactis rite paratum, minerales aquæ, item ex nitro & ſalibus neutris parata, plurimis medentum ignota plane ſunt, vel minimum penſi ab ipſis habentur. Et quod maximum fere eſt, quum optima etiam medicamenta nihil valeant, niſi eorundem uſus debito ordine, regimine, tempore, menſura & methodo ad morbi curationem perite dirigatur: plures tamen ſunt, qui tumultuarie ſine certa ratione medicationem inſtituunt, ac ſi unum non ſtatim juvat, alterum promunt & ſubinde medicamenta commutant, alii methodo plane contraria incedunt, ut rariſſime duos aut tres Medicos, qui eandem ad lectum de methodo porrigendi medicamenta foveant ſententiam, invenias, plurimos autem in morbis eorumque cauſis recte cognoſcendis & diſtinguendis, in judicio de morborum eventu, medicaminum effectu, item in ſignis prognoſticis ex urina, pulſu, ſanguine, dierum criticorum habitudine aliiſque deſumendis, mirum diſcrepare, errare & hallucinari cum tædio videas. Ex quibus omnibus quiſque ſagacior haud difficulter perſpiciet, non tam firmis & inconcuſſis, ut communis fert opinio, praxin clinicam inſiſtere fulcimentis, ut potius pluribus adhuc difficultatibus, defectibus & erroribus tanquam morbis prematur, qui utique convenienti medico & medicina opus habent. At vero ad tollenda hæc artis medicæ opprobria & incrementa ipſius ex voto promovenda, neutiquam certe apti ſunt, qui tantum agunt ſectarios & magiſtri ſui verbis atque practicis ſemel hauſtis principiis tanquam ſaxo adhærent, nec volunt admittere,

quæ

quæ nunquam audiverunt, vel didicerunt, qui magnifica arcana & certa ſpecifica in quovis morbo quærunt & jactitant & exotica pretioſa, ex auro etiam depromta, item varia compoſita chymica, domeſticis, ſimplicibus & facile parabilibus ac diæteticis remediis præferunt. Neque illi ad perficiendam praxin clinicam quicquam conferre poterunt, qui abſolutas quaſdam vires & virtutes, in his vel illis morbis, nulla habita ratione individui & conditionis ſolidarum ac fluidarum partium medicamentis aſſignant, qui non ex morborum hiſtoriis complete & accurate notatis ſapiunt ſuamque theoriam praxi applicandam hauſerunt, & qui non ex his ipſis de remediorum effectu, viribus & operationibus, immo de eventu ipſius morbi, judicare didicerunt, ſed una eademque methodo ſemper morbum unum tractari poſſe ſibi perſuadent. Neque etiam illi evehendæ ad altius faſtigium arti noſtræ erunt idonei, qui obſervationes & veritates facti variaque occurrentia phænomena non clare, diſtincte & ordine explicare & conſectaria quædam in uſum practicum inde elicere norunt. Sunt autem hi maxime, qui nec debitis ſubſidiis, ut philoſophia naturali & experimentali, mechanica, chymica & anatomica ſcientia corporis humani ejuſque partium inſtructi ſunt, quique artem ſolide demonſtrandi non callent, nec recte definire, diſtinguere & apte res inter ſe connectere, nec fœtus phantaſiæ à claris conceptibus, ſpecioſa nomina à cauſis & rebus, res morales & metaphyſicas à phyſicis & quæ neceſſario fieri debent, veritates ab opinionibus & apparenter veris diſtinguere unquam didicerunt. Nam profecto ego quidem aſſeverare plane non dubito, ob ignorantiam, quæ olim regnavit & adhuc apud plurimos regnat, ſtructuræ corporis humani & principiorum mechanicorum, præſertim doctrinæ illius de motibus, ejus cauſis, legibus & effectibus in rerum natura, & ex defectu ſufficientium obſervationum practicarum, artem noſtram non meliora potuiſſe capere incrementa, ſed omnium diſſenſionum, opinionum atque errorum cauſam atque originem inde merito eſſe petendam. Quare etiam cum illis nunquam facere poſſum, vel potero, qui ad explicandas res medicas, novum quaſi ſyſtema condituri, plane incongrua quædam & inaudita principia, vel ſola prorſus nomina nihil ſignificantia, ut naturæ rationalis ſenſus, inſtinctus, conamina, molimina, pro veris & formalibus morborum cauſis venditant, omnes præternaturales & morboſos motus in ſe & ſua natura ratione intentionis bonos & ſalutares cenſent, & omnium quoque ac ſingulorum motuum & diverſarum mutationum in corpore humano cauſam efficientem directricem, non tam phyſicum ex pura neceſſitate agens, ſed morale, intentionale, rationale, pro arbitrio ſuo cuncta adminiſtrans principium, conſtituunt; eo quod admiſſo moraliter & intentionaliter, quandoque cum ratione, quandoque erronee, ad certum finem agente motus principio, uno quaſi ictu omne quod certum, quod demonſtrative verum in rebus medicis, practicis potiſſimum, penitus concidit atque exſpirat. Quod ſi enim rebus phyſico-mechanicis corporeis, quæ neceſſario, non pro arbitrio aliter atque aliter agunt, quo præcipue elementa, alimenta, medicamenta, immo partes ſolidæ & fluidæ corporis noſtri pertinent, potentiam & efficaciam movendi & mutationes efficiendi in motibus vitalibus & naturalibus denegare, & cauſis moralibus atque arbitrariis, quæ captui humano non obviæ, nec in poteſtate medici ſunt, eadem tribuere velimus: nihil certi, nihil demonſtrativi de rebus quæ ad vitam faciunt & morbos inferunt, nihil quoque ſolidi & firmi de remediorum effectu atque operatione, proferre & determinare poterit medicus. Ne dicam ſuppoſitas ejuſmodi metaphyſicas theorias, tironum ignaviam & ignorantiam in rebus phyſicis, utpote inertibus per ſe & ſuperiori principio agenti ſubjectis, mechanicis quoque & anatomicis, mirum fovere ac promovere. Quamvis vero non is ſim, qui penitus neget, eſſe animæ ſpiritualis potentiam, regimen & influxum, admodum tamen limitatum, quaſdam ex ſolidis partibus præſertim externas, ad motum excitandi, & fluidum quod immediate movet artus ſubtiliſſimum quodammodo dirigendi, licet etiam probe gnarus ſim, principii ſenſitivi vim imaginativam magnas turbas in motibus naturalibus efficere poſſe: his tamen minime induci poſſum, ut à particulari ad univerſale concludam & credam, omnes motus vitales, ſyſtolen nempe & diaſtolen ſolidorum, fluidorum progreſſum, atque motus ſecretorios & excretorios ab iiſdem cauſis ſemper dirigi. Quin potius firmum ſemper erit manebitque, res corporeas quæ ab extra intra corpus operantur, regulis & legibus motuum & effectibus neceſſariis, pro diſpoſitione cauſarum in corpore humano, non ſecus ac in macrocoſmo, eſſe ſubjectas, adeo, ut poſitis certis ad agendum requiſitis in corpore noſtro cauſis, certi ſemper ex neceſſitate, non abſoluta, ſed hypothetica, & indeclinabiles proveniant effectus. Nihil enim in corpore humano contingit, quod non certas ſuas, adæquatas & ſufficientes habeat cauſas. Et licet has

veras invenire atque eruere res non adeo facilis ſit, neque omnibus expedienda; de felici tamen perveſtigatione & progreſſu ſcientiæ cauſarum non dubitandum vel deſperandum, modo longiore obſervatione & profundiore meditatione artem noſtram tractet quiſque pro viribus, & phyſico-mechanica paullo ſubtilioris indaginis principia, diverſas quoque motuum leges, in univerſa rerum natura inquirat & ad corpus humanum paullo ſolicitius applicare diſcat. Quum vero morborum hiſtoria omnis fere pathologiæ, prognoſeos, therapiæ & intimioris virium quæ inſunt medicamentis notitiæ ſit baſis ſeu fundamentum; ad provehenda feliciter praxeos clinicæ incrementa nihil utique magis erit neceſſarium ac utile, quam ut Medici diligentes & attenti ſint in conſignandis obſervationibus practicis & morborum hiſtoriis, quæ quo pleniores ſunt, nullis plane omiſſis circumſtantiis, eo majorem uſum atque utilitatem in ratiocinando præbent. Hinc etiam merito inter characteres indocti & infelicis Medici referendum; quando ſtatim audito vix morbo, vel perceptis quibuſdam ipſius tantum ſymptomatibus, ad formulas præſcribendas promtus eſt, antequam de ægrotantis natura & conſtitutione, morbi indole, cauſis, ſtatu, progreſſu & aliis neceſſariis phænomenis plenius certior factus. Neque tamen ſufficit practicarum tantum obſervationum uberi inſtructum eſſe apparatu, ſed accedat etiam neceſſe eſt ſolida in anatomicis, phyſico-mechanicis, chymicis ſcientia ſive vera theoria medica, quæ clavis hiſtoriarum de morbis & cauſis diverſiſſimorum phænomenorum eruendis inſervit; his enim amico junctis connubio, demum fiet, ut ex multis particularibus veritatibus & regulis, univerſales ſive axiomata reſultent, quorum copiam ſi quis ſibi comparabit, is profecto aptiſſimus erit demonſtrative & ſcientifice reſolvendis & explicandis quibuſcunque etiam difficillimis in re medica caſibus & ad ſuppeditandum accommodatum conſilium. Ad hæc incrementis ſolidæ praxeos clinicæ quam maxime ſervit, ut paucis & ſelectis Medicus, bene tamen longiori uſu cognitis & exploratis remediis, utatur. Nam ſub tanta ut proſtat medicaminum multitudine, medens ad veram ſingulorum notitiam perveniet & ſolidi quid in praxi præſtare poterit nunquam, ſed potius una cum natura eximie turbabitur. Mihi certe à multis jam annis vix duodecim claſſica quaſi medicamenta à me ipſo ſolicite confecta fuerunt frequentiſſima, quorum virtutem in variis morbis & varia circumſtantiarum conditione exploratam penitus habeo, ut interius vix aliis quam his optimo cum ſucceſſu utar. Quæ quum ita ſint, id ſane uſque eo quam maxime mihi agendum eſſe ratus ſum, ut ſolidis hiſce fundamentis, omnia quæ dicto quæ ſcripto traderem, inniterentur, eademque mihi etiam in elucubranda medicina hac rationali ſyſtematica, propoſui normam. In primo & ſecundo tomo quid præſtiterim, qui veritatis & candoris cupidi legerunt judicent, in hoc autem tertio excutienda mihi quam maxime ſumſi veræ therapiæ, tutæ nempe ac rationalis fundamenta, quæ ad tria potiſſimum genera referenda eſſe arbitror, quorum primum eſt, ut Medicus ſolidas obſervationes & morborum hiſtorias accurate & ſolide conſignare diſcat; alterum, ut ex regulis mechanicis, quæ materiæ & motuum indolem atque effectus tradunt, theoriam ſuam formet & cauſas, phænomena ac quæcunque fiunt & eveniunt in corpore humano recte & ordine explicare eorumque cauſas ac rationes reddere poſſit; ac tertium demum, ut medicamentorum facultates eorumque modum operandi probe noſcat, paucis tamen & ſelectis recte utatur & quæ inſalubria ſunt, vel minus juvant remedia, à ſalutaribus diſcernere diſcat. Ita autem in perficiendo hoc labore verſatus ſum, ut varias inanes ac dubias in re medica opiniones atque hypotheſes rejecerim, omne auctoritatis præjudicium ſepoſuerim, & nonniſi ea, quæ ad valetudinem cum vita tuendam morboſque ſanandos manifeſtum uſum, utilitatem & conſpicuam applicationem habere poſſunt, attulerim. Neque etiam quiſque candoris & veritatis amans vitio mihi vertet, quod hac uſus ſim libertate & à nonnullorum celebrium noſtro tempore virorum, qui cæterum non parum opis ad illuſtrandam artem noſtram attulerunt, placitis diſceſſerim. Quod vero libri hujus editionem licet ab eruditis crebro ſolicitatus eo uſque diſtulerim, hanc maxime factum ob cauſam: quod ego quidem quam optime facere cenſeam Medicos, qui cum perpetuas & tempus ſuſtenturas practicas veritates poſteris tradere propoſitum ceperunt, arduum hoc opus ad maturam ætatem, quin ſenectam differunt, quo longiori & multiplici experientia inſtructi, quæ uſui ſunt ipſi edocti prius ſint, nec errores aut opiniones diſſeminent, ut quidem fieri ſolet ab iis, qui vel juvenes minuſque in artis operibus exercitati practicos conſcribunt & ex auctoribus compilant libros. Neque etiamnum hoc opus therapeuticum pro vulgo medicorum ſcripſi, qui præſidiis ad ſcientiam & veram theoriam medicam pertinentibus deſtituti, nec hiſtorias morborum curant, nec earum cauſas recte inquirere ſciunt, multo minus motuum

regulas

regulas & leges in genere & œconomiam motuum vitalium in ſpecie, in quonam ea conſiſtat, pernoſcunt, nec ſelectu remediorum probatiſſimorum utuntur, nec de avertendis morbis eorumque cauſis primario ſolliciti ſunt, ſed tantummodo certa arcana magnifice commendata acquirunt & variis inhiant formulis ad perſanandos etiam difficiles morbos, in quibus tamen incongrua quam ſervant methodo, plus damni, quam ſalutis afferunt. Neque etiam eorum uſui accommodavi hunc meum laborem, qui recte judicandi, ratiocinandi & philoſophandi facultate deſtituti, præjudiciis magiſtri occœcati quaſi ſunt, tantummodo hauſtis opinionibus firmiter inhæreſcunt & ad perfectionem jam perductam medicam ſcientiam autumant. Sed dicata eſt opera medicis eruditis & qui ſolidi quippiam docere vel diſcere cupiunt, qui artis firmitudinem ex certis principiis phyſico-nempe mechanicis, materiæ naturam, affectiones & diſpoſitionem ad motum, item motuum cauſas, regulas, leges & effectus dilucide exponentibus, petunt, adſtruunt & agnoſcunt, horum uſum in ipſa medica praxi, morborum cauſis cognoſcendis, & remediis inveniendis eſſe longe ampliſſimum, & qui etiam paucis & ſelectis remediis vitam & ſanitatem tueri, morbos avertere & perſanare tuto & compendioſe ſtudent. Hos certe non pœnitebit repetita lectione hæc quæ ſcripſimus capita perluſtrare & aſſidua meditatione in ſuum convertere uſum. Nam licet is non ſim, qui mihi tantum arroganter tribuere velim, ut credam, doctrinam medicam à me traditam omnibus numeris eſſe abſolutam, cui nihil adjici vel ſubtrahi poſſit: hoc tamen dicere & mihi vindicare licebit, quod viam Medico ingrediendam ad ulteriores in re medica progreſſus faciendos compendioſe & recte præmonſtraverim. Et quicunque hunc in finem prolata à me in hoc tomo utiliſſima præcepta penitus cognita habebit atque perſpecta; is etiam mox b. c. D. ſubſequuturum, qui ſpecialiora de morbis omnibus ſigillatim tractabit, longe majori cum fructu ſuo poterit impendere commodo. Summo autem Numini, cujus gratiæ omne omnino quicquid à me factum in acceptis refero, devotiſſimas reddo gratias, ac ut clementer efficere velit, quo veritas in phyſicis etiam & medicis rebus, magis ſemper eniteat, & falſæ ac detrimentoſæ opiniones peſſundentur, precor ac voveo.

CONSPECTUS TOTIUS OPERIS.

SECTIO I.

De Rationalis Therapiæ fundamentis, hiſtoria morborum completa, notitia mechaniſmi corporis ſani & ægrotantis, mutua motuum inter ſe conſpiratione, nec non prædictione ex motuum morboſorum natura recte formanda.

CAP. I. *De veræ therapiæ medicæ natura & fundamentis in genere.*
II. *De hiſtoriis morborum recte conſignandis, ceu primo therapiæ medicæ fundamento.*
III. *De morbis caute diſcernendis & recte dignoſcendis.*
IV. *De genealogia morborum ex turbato ſolidorum & fluidorum mechaniſmo, ad explicationem hiſtoriæ morborum & veram ac ſolidam therapiam.*
V. *De conſenſu partium nervoſarum generatim & ſigillatim cum ventriculo, præcipua paſſionum & ſymptomatum origine.*
VI. *De fluidorum vitiis ex vitioſa ſolidorum diſpoſitione.*
VII. *De cauſis morborum & quidem latentibus recte cognoſcendis.*
VIII. *De damnis ex cohibita cuticulari excretione.*
IX. *De vitiis ex turbatis ſanguineis aliiſque evacuationibus.*
X. *De generatione morborum ex morbis.*
XI. *De commutata morborum, ſeu potius cauſarum morbificarum ſede, ſive metaſtaſi.*
XII. *De rationali pulſuum explicatione & judicio in morbis recte ex iiſdem formandis.*
XIII. *De judicio ex ſanguinis inſpectione & examine recte eliciendo.*
XIV. *De judicio ex urina aliiſque excretis in morbis rite ferendo.*
XV. *De criſibus & criticis diebus in experientia rationali fundatis.*
XVI. *De certis imminentis in morbis periculi ipſiuſque mortis indiciis.*
XVII. *De cauſis mortem in morbis gignentibus.*

SECTIO II.

De methodo, ordine & legibus medendi, tam naturæ quam artis, nec non de remediis, eorum quatuor generibus, operandi & recte applicandi modo, una cum cautelis & obſervationibus utiliſſimis.

CAP. I. *De optima naturæ morbis medendi methodo.*
II. *De methodo, ordine & legibus artis in medendo.*
III. *De medicamentorum viribus & cauſis ignorantiæ earum.*
IV. *De medicamentorum quatuor ſummis generibus & operandi modo, ſpeciatim alterantibus.*
V. *De evacuantibus.*
VI. *De roborantibus.*
VII. *De ſedantibus.*
VIII. *De ſpecifica quorundam remediorum certis in morbis efficacia.*
IX. *De venæ ſectione aliiſque ſanguinem ſubtrahendi modis.*
X. *De balneorum, pediluviorum & clyſterum uſu medico.*
XI. *De aquæ frigidæ potu ſalutari.*

SECTIO PRIMA.

DE

RATIONALIS THERAPIÆ MEDICÆ FUNdamentis, Hiſtoria morborum completa, notitia mechaniſmi corporis ſani & ægrotantis, mutua motuum inter ſe conſpiratione, nec non prædictione ex motuum morboſorum natura recte formanda.

CAPUT PRIMUM.

De veræ therapiæ medicæ natura & Fundamentis in genere.

QUum ſolidæ, hoc eſt, demonſtrativæ, therapiæ medicæ principia & fundamenta, à quibus certa & tuta medendi methodus potiſſimum pendet, tradere, jam conſtitutum ſit: non incongruum fore duxi, ſi prius pauciſſimis attingerem, quam arcta & quam amica inter ſcientiam phyſiologicam, pathologicam ipſamque therapiam intercedat connexio; quo tam neceſſarius præcipuarum artis medicæ partium nexus eo clarius innoteſcat. Nimirum Phyſiologia motuum vitalium, qui corruptibilem noſtram machinam à præſentaneo interitu vindicant, & motibus, tam progreſſivis, quam inteſtinis, nec non ſecretoriis, & excretoriis, abſolvuntur, ac univerſi partium corporis functiones ſecundum naturam efficiunt & moderantur, indolem, cauſas atque effectus perquam clare & perſpicue explicat. Pathologia vero ea eſt ſcientia, quæ motus hos vitæ inſervientes præter naturam turbatos, & inde pullulantes actionum læſiones, proponit, earumque indolem, nec non multiplices à quibus dependent cauſas, accurate & ſolide indagat atque ſcrutatur. Et Therapia denique eſt prudentia, corruptos & inverſos vitales motus, functiones ipſius corporis diverſimode lædentes, per congrua remedia, debito tempore & accommodata methodo, in integrum reſtituendi & amiſſam ſanitatem revocandi. Ex quo utique conficitur, nullam ſolidam & veram therapiam medicam doceri, vel addiſci poſſe, niſi veræ & rationalis phyſiologiæ ac pathologiæ præcepta prius cognita fuerint atque perſpecta. Sane, nemo unquam firmis rationibus mortis & morborum cauſas demonſtrare poterit, quam qui vitæ ac ſanitatis naturam & fontem exacte intellexerit. Neque etiam ullus medentum ſolide & rationi congruenter declarabit, quibus auxiliis & qua methodo, morboſi præternaturales motus, qui ſanitatem labefactant & machinæ noſtræ perniciem intentant, in ordinem redigendi ſint; niſi ante mortis & morborum cauſas atque effectus intime perſpexerit.

Poſteaquam igitur in primo Medicinæ rationalis ſyſtematicæ tomo philoſophiam corporis ſani & integri: in ſecundo philoſophiam corporis ægroti, ſive pathologiam, plenius pertractavi; ſuccedit jam tertius, qui ſolida præcepta & fundamenta artis therapeuticæ tradet, quæ luculenter quemvis edocebunt, non perfunctorie, palliative & ambigue, ſed cum ratione, certa & explorata convictione, quin etiam indubia ſucceſſus ſpe, morborum curationes moliendas eſſe & ſuſcipiendas.

Aſſerui vero therapiam eſſe prudentiam, per quam habitum cum recta ratione effectivum, ſive practicum, intelligo: & rectam hanc medendi rationem, in acri & firmo Medici judicio conſiſtere, perſuaſiſſimus ſum; adeo ut, quo magis is ipſe ſubacta & præſenti judicandi facultate polleat, eo feliciorem illum habendum eſſe exiſtimem. Nunquam enim properato, temere aut inconſiderate is, qui ſalutari arte feſſos levare nititur, agere, ſed diu meditando, ſolicite inquirendo & ſtudioſe deliberando, ex claris & jam cognitis principiis judicare & demonſtrare debet, quare in hoc vel illo morbo, quædam remedia, ex fonte chirurgico, pharmaceutico, aut etiam diæterico, deprompta, juvent, adeoque præſcribenda: & viciſſim, cur alia noceant & à curatione plane excludenda ſint. Neque ſalubria & inſalubria in ſanandis morbis tantum noſſe ſufficit, ſed medicus perſpicaci etiam judicio determinare debet, quo tempore, quo ordine, quo loco, quocum regimine & qua menſura, ſeu doſi, pro corporis ægrotantis, morbi & ſymptomatum conditione, medicamina offerenda, nec non, quibus de cauſis & quem in finem, hæc vel illa, potiſſimum in uſum vocanda ſint. Tandem exigitur etiam à medente, ut de morbi decurſu atque eventu, nec non remediorum effectu, certum judicium & verax præſagium interponere poſſit, quo certe ad famam, exiſtimationem & celebritatem conſequendam nihil magis facit.

Quum

Quum autem ad rectum in therapeuticis judicium ſtabiliendum, plura, quæ accurate prius tenenda ſunt, pertineant, eo quod judicium hoc actus voluntatis eſt, & jamjam eorum, de quibus ſententia ferenda, exquiſitam notitiam ſupponit: rerum in hoc tomo dicendarum ordo utique exigere videtur, ut de iis, quæ ad judicium therapeuticum exacte formandum ſcitu & cognitu valde ſunt neceſſaria, ante agamus, quam ad ipſam ſpecialem morborum conſiderationem eorumque medelam deſcendamus. Videlicet primum & potiſſimum therapeuticæ veritatis ipſiusque judicii medici fundamentum eſt, perfecta & omnibus numeris abſoluta ægrotantis & morbi hiſtoria, quippe quæ, præterita & præſentia, omniaque quæ affligunt, fideliter, perſpicue & ordinatim enumerat: quo ex iiſdem futura certo dijudicari poſſint. Alterum eſt exquiſita notitia mechaniſmi corporis, tum ſani, tum ægrotantis, ſive cognitio effectuum, legum & genii motuum in genere, non ſolum qui vitæ miniſtrant, ſed etiam qui morbos excludunt, ſecundum quæ iidem jugiter & nunquam non operationes ſuas edunt. Deinde palmarium quoddam momentum conficit conſideratio communicationis motuum in machina noſtra præternaturalium, qualis nimirum & quanta cum his, vel illis partibus ſit; quo medicus claras & perſpicuas ſymptomatum rationes, quæ vulgo conſenſui partium tribuuntur, inde deſumere ac derivare queat. Tum ordo & ſeries cauſarum, quæ functiones præter conſuetam naturæ normam immutant, & morbificæ dicuntur, quæ multiplicis ſunt generis, earumque ratio & modus operandi, ſtudioſe rimanda & penitus animo concipienda ſunt: quod fuſius jam & luculenter ſatis in ſecundo hujus operis tomo excuſſi. Præterea eximium judicii medici argumentum ſuggerit contemplatio naturæ motuum vitioſorum, certis morbis ſolennium, quinam videlicet horum ad corporis conſervationem, & quinam ad ejus deſtructionem, ſive mortem tendunt, ex qua poſtea veracem & firmam prædictionem de exitu morbi, tum ratione ſalutis & mortis, tum longinquitatis & brevitatis, nec non ſolutionis & diſceſſus, ſumma cum prudentia depromere medentis eſt. Porro mechanica remediorum operandi ratio, quæ aut circa materiæ, quæ morbum facit, vel correctionem, vel evacuationem, aut etiam motuum vitia emendanda verſatur, tam à priori, elementis nempe & principiis quibus agunt, quam à poſteriori, per identidem confirmatam experientiam, mente comprehendi & explorata eſſe debet. Non minus etiam illi, qui morbis medelam afferre tentat, ſummo eo annitendum eſt ſtudio, ut animo complectatur firmiterque teneat accommodatam componendis & in priſtinum ordinem reducendis morboſis motibus methodum, nec non, quod præcipuum eſt, ſolidas medendi, tam rationi congruas, quam crebrioribus experimentis comprobatas, leges. Succedunt tandem obſervationes & cautiones, in omnis generis remediorum uſu provide adhibendæ & applicandæ, quas altius animo infixas, memoria cuſtodire debet is, qui cum ratione & exoptato ſucceſſu in artis, quæ mortalium ſaluti præeſt, exercitio verſari geſtit.

Hæc ſunt ſolida illa & firma fundamenta, quibus omne therapeuticum judicium ſuperſtruendum eſt: jam unumquodvis eorum ſeorſim curatius enucleabo & uberius illuſtrabo.

CAPUT II.

De hiſtoriis morborum recte conſignandis, ceu primo therapiæ medicæ Fundamento.

PRimum itaque judicii therapeutici principium ſunt hiſtoriæ morborum. Hæ autem, ut inſignem, tam in ipſa medicatione, quam vera prædictione, utilitatem ferant, recte utique concinnandæ ſunt, ita, ut non mancæ, mutilæ aut neceſſariis circumſtantiis privatæ, ſed potius, quoad fieri poteſt, omni ex parte completæ, integræ atque perfectæ ſint. Quemadmodum enim in Jure ad decidendas ex æquo controverſias & ſolidum judicium ferendum, integra facti, ut dicere amant legum periti, ſpecies, cum ſingulis circumſtantiis, requiritur: ita idem in Medicina obtinet. Sane medicus parum ſolidi de indole morbi judicabit, minus quoque aptum & ſalubre conſilium exhibebit; niſi prius omnium phænomenorum circa morbum obſervandorum exacta notitia fuerit inſtructus. Et hæc circumſpectio eo magis neceſſaria eſt, quia eorundem morborum non eædem ſemper ſunt cauſæ eademque prorſus ſymptomata, ſubjecta quoque differunt, quoad ætatem, ſexum, temperamenta, vitæ rationes, conſuetudines & plura alia, quæ ad producendos fovendosque morbos concurrunt: adeo ut interdum certam conſtantemque morbi ejuſque ſymptomatum naturam perturbent, & difficile ſit veritatem indagare; niſi complexus horum omnium plene annotetur & ſagaci rationis uſu perſpiciatur & perpendatur. Sæpiſſime etiam unicum in morbo phænomenon tanti momenti eſt, ut longe alia medendi via ſit ineunda. Quandoque minima viſa circumſtantia maximæ eſt conſiderationis, ideoque non facile quippiam eſt prætermittendum. Præclare hanc in rem commentatur *Baglivus libr. III. Prax. med. cap. 3. natura*, inquit, *nihil fruſtra molitur, minimaque ſunt ſæpius magnarum rerum initia, & minima quoque ad notitiam grandium nos ducunt.* Eandem quoque ſententiam exemplo illuſtrat, hunc in ſenſum pergens: *flatus pedendo emiſſi judicantur motus viles & nullius ad curationem momenti, & tamen, ſi in dyſenteria flatus, qui prius non aderant, per inferiora exire incipiunt, brevi ſanitatem promittunt, ut nos aliquoties obſervavimus.* Proinde quiſque qui therapiæ medicæ manum admovere tentat, totus in eo eſſe debet, ut plenas & perfectas, nec fictitiis circumſtantiis corruptas obſervationes condat & undiquaque colligat. Quia vero rariores eæ deprehenduntur in monumentis tum veterum, tum recentiorum medicorum: vehementer certe optandum foret, ut quivis ad cultiorem in arte ſalutari eruditionem adſpirans, hominumque ſanitati fideliter invigilans medicus, caſus in artis exercitio occurrentes, præſertim notabiliores, pleniſſime conſignare, atque hoc pacto indefeſſo ſtudio artis medicæ incrementum promovere anniteretur.

Ad integram vero hiſtoriam de morbis contexendam, non ſolum requiruntur circumſtantiæ, quæ corporis ægrotantis naturam & conſtitutionem intime patefaciunt, ac morbi genium & indolem exhibent, ſed etiam ea, quæ vires & effectus produnt remediorum, phænomena annotanda. Subjecti quod patitur accuratior cognitio, quantum conferat ad rationem, inprimis ſymptomatum, in eodem morbo non raro mire diſſidentium, in diverſis ſubjectis detegendam ac medendi methodum inveniendam, res tam clara eſt, quam quæ clariſſima. Etenim pro differente corporum indole ac conditione, idem morbus, ab eadem cauſa productus, diverſis plane ſymptomatibus incedit. Quemadmodum enim idem alimentum, idem purgans, vel emeticum, vel aliud quodvis heroicum remedium, idem quoque venenum, longe alios diverſiſſimoſque effectus pro differenti corporum indole edit: ita etiam morbificæ cauſæ, ejuſdem indolis, plane multis modis, diſſidentem morbi faciem, ratione ſymptomatum, ratione periculi & ſalutis, in aliis atque aliis ſubjectis exhibent.

Neceſſarium igitur eſt, ut in condenda perfecta morbi cujuſdam hiſtoria, mentio imprimis injiciatur ætatis, ſexus, ſtructuræ partium ſolidarum, ſive habitus corporis, & virium, nec non hæreditariæ ad hunc vel illum morbum diſpoſitionis. Et ſane ætatis, tam ad morbi genium perſpiciendum, quam ejus curationem legitime adornandam, maximum eſt momentum & mira

diverſitas:

liversitas: eo quod procedente eadem, solidorum stru-tura & fluidorum ipsiusque sanguinis crasis atque tem-eries, adeoque & humorum motus multum immu-antur. Scilicet in pueritia insignis fibrarum mollities, emissio, laxus & rarus habitus, cum seri abundantia dest; juvenes autem fibras tensas & strictas obtinent, anguinemque calidiorem & mobiliorem alunt; & se-nibus propria est magna solidorum rigiditas & viarum tque canalium angustia, nec non salso-sulphurea hu-norum dyscrasia. Ex qua differente partium consti-utione, universi certe fluidorum & solidorum mecha-nismi diversa indoles, & dependens hinc ad certos mor-os proclivitas, dissidentes etiam mores & inclinatio-es, non solum derivari debent, sed pro hac ipsa etiam arietate, varia quoque & accommodata methodus ex-ogitanda est & adhibenda: id quod experientia lucu-enter confirmat, ipsisque medentum sagacioribus ap-rime cognitum est.

Præterea differentiæ sexus exacte ratio habenda est, uum feminæ ob menstruum sanguinis fluxum, vel rimum erumpentem, vel minus ordinate succedentem, el plane tandem subsistentem, nec non ob partus & uerperii labores, multo pluribus ac ipsi viri, & pecu-iaribus prorsus afflictionibus, non solum sint obnoxiæ, ed systema etiam nervorum longe imbecillius in ipsis it, & hinc motuum ἀταξία, spasticis ac convulsivis ractionibus & distensionibus, vehementius afficiatur & acilius etiam ad integritatem reducatur, quam in virili & nobiliori sexu.

Plurimum quoque refert nosse: an ægrotans laxi & olutioris, an strictioris, habitus sit? an vasa exiliora & copiosiora, an capaciora & pauciora obtineat? Siqui-dem sub angustia & tenuitate canalium fibrarumque re-missione, longe difficilius fluidorum & progressivus, & ecretorius, & excretorius motus procedit: multo au-em expeditior & promtior est, ubi fibræ magis tensæ & strictæ, vasaque non nimis angusta, sed ampliora unt. Unde observamus, illos multo magis morbis & morbosis afflictionibus patere, difficilius etiam sanescere his, in quibus ob validiorem fibrarum motricium poten-iam, fluidorum cursus per corporis compagem cita-ior est. Id quod etiam de corporum macie & obesitate enendum est.

Porro color faciei & cutis dispiciendus. Floridus enim ulcher & nitidus aspectus de lymphaticorum humo-um puritate & pelluciditate; lividus vero, luridus & lavescens, de eorundem impuritate salino-sulphurea, & vacillante secretioni dicatorum organorum, inprimis epatis, officio, evidens præbet indicium.

Et sicuti testante quotidiana observatione, viscerum & fibrarum debilitas, labes, vitia & inde pullulantes morbi, plerumque ad liberos propagantur: ita maxime omnium medicum de his percontari oportet; utpote quæ, ad prædictionem non fallacem promendam mul-um faciunt. Nam imbecillitates & morbi, qui à na-ivitate infestant, ægrius semper sanationem admit-unt, facile recurrunt & medentibus multum negotii aceſſunt.

Neque virium solicita exploratio intermittenda est: trum scilicet natura depressæ fuerint? an vero sub mor-bi, præsertim acuti, initio, quod inter pessima signa connumerandum, statim concussæ & prostratæ appa-uerint? In robore enim & vigore virium, quæ non liter nisi motu & impulsu fluidorum sese produnt, magnum sanitatem recipiendi, & vitam, quæ à viribus omen sortita, servandi, præsidium collocari, indu-ium est.

Non solum autem corporis conditio scrutanda, sed psius quoque animi indoles perquirenda, & quibus morbis is laboret considerandum. Quum enim amica-ilis admodum & magna sit motuum, tam animi, uam corporis conspiratio & communio; prudens certe rebus suis satagens medicus, ex mentis, ad has vel illas impetuosas commotiones dispositione & proclivi-tate, recte & ad veritatem accommodate argumentari potest, ad solidorum & fluidorum mechanismum, & dijudicare, quomodo hic sit comparatus. Nam major & vegetior fibrarum solidorumque tensio & mobilitas, ad iracundiam animum disponit; laxitas vero & defi-ciens eorum vis motrix, angustum, demissum, timi-dum & pavidum illum reddit. Ita etiam solidorum to-num & strictaram augendo, fluidis impetuosiorem mo-tum inducit: timiditas vicissim, robur solvendo & de-jiciendo, ut remissius trudantur & tardius circum-agantur, efficit. Terror valide superficiem & ex-trema corporis constringit, sanguinemque ad interio-res & nobiliores partes, præcordia nempe & caput, impetuose reprimendo, graves ingignit affectus, ner-vosi maxime generis, id quod sensim enervat & lan-guore frangit. Idem præstat diuturnus mœror, qui sæ-pius quidem ex vitio viscerum & cursu humorum im-pedito, ut in hypochondriaco malo affectis constat, originem nanciscitur; sed dum nociva sua efficacia so-lidas maxime partes aggreditur, mirifice vires univer-si corporis atterit ejusque functiones, robur fibrarum mi-nuendo illasque laxando, labefactat. Quid? quod ii, qui attentius & curiosius morbis sanandis præsunt, sub-inde experiuntur, difficulter admodum ægritudines eli-di & expugnari, si animus non est compositus atque pacatus, sed patheticarum commotionum intemperie diversimode jactatur. Præterea in medica hac animi consideratione inquirendum etiam est: num forsan, quod literatorum maxime vitium est, ex nimia studio-rum intemperantia, profundis & mentem fatigantibus meditationibus, quæ in disciplinis abstractivis, ut me-taphysicis & mathematicis, familiares, nec non intem-pestivis lucubrationibus, consumtis spiritibus sic dictis animalibus, ingens cerebro & nervosis partibus illata fuerit debilitas? utpote quæ, postea ad gravissimos ca-pitis morbos, apoplexiam nempe, melancholicam, ma-niam memoriæque debilitatem promptum parat aditum, & vix summo labore resarcitur. Dici enim vix potest, quanta consensio cerebro ejusque membranis, cum ven-triculo eique annexis intestinis, ceu valde nervosis, nec non aliis exquisito sensu præditis partibus intercedat: quo fit, ut nimium literis sese ingurgitantes, plerumque depressa ciborum confectione & vacillante digestione, nec non segniori & difficiliori intestinalis excretionis suc-cessu, maxime omnium vero familiarissimo ipsis morbo, sic dicto hypochondriaco, affligantur & excrucientur.

Porro ad pleniorem morbi historiam consignandam referendum etiam est, ut medicus non solum ubi loco-rum ægrotans degat & quo cœlo & aëre fruatur, sed etiam quo victu utatur, curatius pernoscat. Altiora enim & sublimiora loca, ob liberiorem ventorum perflatum, aëre purogaudent, ideoque salubriora sunt; humiliora au-tem & depressoria, aëre magis cõdensato, crassiore impu-risque vaporibus referto infesta sunt. Et nihil certe ad in-generandas graves & chronicas passiones, neque minus ad vigorem & robur solidis & motricibus partibus subtra-hendum validius est, quam si quis sub cœlo graviori, im-puro & vappido aëre, cibum & somnum capit; eo quod hic ipse una cum esculentis & potulentis, ipsaque inspira-tione, interiora corporis subintrans, humoribus sese inti-mius commiscet, & fluidum illud aëreo-æthereum con-taminat, ut motibus in corpore non ea, qua decet effi-cacia, præesse possit, sed functiones partium inde gra-vissime luant.

In victus autem ratione potissimum dispiciendum: num ægrotans duriori & crassiori victus generi, cujus census sunt cibi ex mari depromti, carnes induratæ, sali-tæ & infumatæ, panis grossior, assuetus? quippe quod in locis maritimis recepti usus est, & ad dyscrasiam, sive impuritatem sic dictam scorbuticam, ibi locorum endemiam, multum confert. Vel etiam explorandum est: an decumbens fructibus horæis, aut etiam acetariis,

farinaceis

farinaceis cum butyro, ovis & ſaccharo frixis, quod mulierculis ſolenne, nimium delectetur. Alii caſeum in deliciis habent, eoque immodice veſcuntur, qui tamen & obſtructioni, & calculorum generationi, multum velificatur.

Maxime omnium vero potus conſueti genus conſiderare & explorare decet: eo quia maximum ſane eſt momentum, quod ad texturam & craſin ſanguinis humorumque conſtituendam potus confert; qui quo magis eſt temperatus, aqueus & dilutus, eo ſalubrior quoque exiſtimandus eſt: quum ad ſuſtinendum vitalem humorum motum, tres liquidi partes, & una tantum ſolidi deſiderentur & ſecundum naturam recipiantur. Hinc cereviſiæ nimis craſſæ & nutrientes, multo magis aceſcentes, nec non omnes potus nimium ſpirituoſi, vini & frumenti etiam ſpiritus, matutino inprimis tempore & ventriculo vacuo copioſe ingurgitatus, mirum quantum ſanitatem lædunt, quin ſenſim frangunt atque proſternunt. Inde enim viſcera indurantur, polypoſæ concretiones hinc & illinc in cavitatibus generantur & humores à debita temperie deturbantur, ut poſtmodum ad hecticam, cachexiam, hydropem, apoplexiam & ſubitam mortem promtus fiat tranſitus. Quum vero homo ad tuendam valetudinem copioſo liquido indigeat; nihil certe parciore potu, in quo fœminæ & qui vitæ ſedentariæ incontinentius dediti ſunt plerumque delinquunt, damnoſius eſt & infenſius: ſiquidem hoc pacto, ob neceſſarii fluidi defectum, minimi tubuli, è quibus emunctoria corporis organa penitus coagmentata ſunt, viſcido & craſſo humore infarciuntur, occludantur, & obſtructiones fœcundæ plurimorum morborum genitrices exſurgunt. Præterea ſedula inquiſitione etiam percontandum: num à largiore, nimis frigido hauſtu, corpori ſudanti & impenſe calefacto ingeſto, morbus ſua duxerit primordia? Quod ſi enim primam morborum originem perquiſitius ſcrutamur, nihil certe frequentius occurrit, quam quod a potu nimis perfrigerato, largiter & celeriter, poſt intenſam corporis commotionem & exercitationem, vel poſt affectum quendam vehementiorem animi, aut ſuccedente critica aliqua & ſalutari ſanguinis excretione, ingurgitato, univerſa functionum & motuum vitalium œconomia illico turbetur ac pervertatur, ita prorſus, ut ipſa veneni virulentia, neque citius, neque potentius, deſtructionem & exitium inferre queat.

Accedit vitæ genus, decumbenti huc uſque ſolitum atque familiare, in cujus contemplatione hæc potiſſimum expendenda: an ſit laborioſum, requietum & ſedentarium? an aulicum? an militare? an curis & laboribus mentis adſtrictum? Nec non quale opificium tractet atque exerceat? an ſcilicet metallis & mineralibus fodendis, igne coquendis & perficiendis operam det? Nam quamlibet vitæ generis rationem, peculiares ſuos alere morbos, non modo indubia experientia comprobatur, ſed fuſius etiam & ſolido argumentorum robore in elegantiſſimo libro, quem *Ramazzinus de morbis artificum* compoſuit, abunde evictum atque excuſſum eſt.

Tandem eximium momentum ad interiorem ſtatus, à naturali ordine deſciſcentis notitiam, ipſa conſuetudinis ratio ſubminiſtrat. Quum enim nullus fere homo ſit, qui non peculiari quadam rerum non adeo ſalubrium aſſuetudine teneatur, in victu, potu, ſomno, motu, exercitio Venereo, tabaci, ſuffimigii, vel ſternutationis cauſa adhibiti, uſu, noſtro ævo potus coffée ſorbitione, quin etiam, quod inprimis hypochondriacis ſolitum, nimia ipſorum medicaminum aſſumtione, aliisque rebus: certe, ſingula hæc errata, naturæ corporis noſtri minus proficua, probe inquirenda ſunt & noxa ab iis illata ſtudioſe penſitanda.

Nihil vero, noſtra quidem ſententia, ad ægri naturam & morbi generationem plenius cognoſcendam & intelligendam, plus adjumenti affert, quam excretorum modum & rationem recte examinare atque perpendere. Ea enim excretionum indoles, conditio, quin etiam neceſſitas eſt, ut ſine his valetudo ſalva perſiſtere nequeat: propterea, quod in homine, non amplius quoad corporis molem increſcente, tantum egeri debet, quantum ingeritur, & deficiente, vel ſuppreſſa, conſueta & ſalutari per varia organa, ſuperfluorum, inutilium & mixturæ animali ac vitæ inimicorum eliminatione, è veſtigio plurimæ morborum cauſæ propullulant; ita, ut non fallaci præſagio exinde morbi prævideri atque prædici poſſint. Inprimis autem id vacuationis genus, quod per alvum ſuccedit, eo ſtudioſius eſt conſiderandum, quo majus momentum eſt, quod ad ſanitatem illibatam præſtandam, conficit. Etenim alimentaris ille & excrementitius inteſtinorum canalis, ſi diutius retinet ea, quæ è corpore proſcribenda ſunt, graviſſimorum non ſolum morborum fomes & minera excluditur, ſed ſedes etiam illorum ac domicilium in hoc erigitur atque firmatur. Hinc ſi alvus incipit officii ſui oblivi ſci, & præter conſuetudinem obſeratur, in proclivi & pro certo eſt judicare, morbum vel præſentem, vel certe futurum eſſe. Præter alvinam hanc excretionem, attenta etiam contemplatione exploranda eſt perſpiratio, quæ per univerſale illud corporis colatorium extimam cutem, perficitur, & qua, ſecundum *Sanctorii* calculum, plus ejicitur, quam per omnia reliqua emunctoria. Hujus ſalutaris ſucceſſus ex veſtitu, ad corpus fovendum & in æquabili ſemper calore ſervandum apto, nec non temperato pedum tepore & madore optime dignoſcitur: viciſſim autem pedes ſicci & frigidi, tubuloſum cutis corticem ſtrictiorem & ſordium per hunc exhalationem ſufflaminatam eſſe, ſubindicant. Hinc ſi ſub frigido, humido, mutabili & inæquali aëre, nec non vernali & autumnali tempore, tempeſtatibus crebrioribus viciſſitudinibus interpolatis, excluſio ſordium per halitus valde diminuitur, corpora fiunt languida, & morbi, qui populares habent circuitus, perquam familiariter infeſtant.

Quum vero homo plerumque plus alimenti aſſumat, plus etiam ſeri & ſanguinis ingeneret, quam natura corporis ferre & in uſum convertere poteſt, ut ordinariæ etiam excretiones ſæpe ſupervacuis humoribus evehendis non ſufficiant, extraordinarii ſubinde & ſtatis nonnunquam temporibus, menſibus & annis recurrentes motus excretorii contingunt, quibus vel ipſe ſincerus ſanguis nimis abundans, uti fit in ſexu ſequiore, per uteri, & in nobiliore, per ani venas, nec non in pueris & adoleſcentibus, per narium ſtillicidium, foras dimittitur; vel etiam humores ſeroſi & impuri per largiores ſudores, per copioſas alvi dejectiones, per narium in coryza defluvium, nonnunquam validiori tuſſi, per diuturniorem viſcidi ac glutinoſi humoris exſcreationem, cum ſingulari ſanitatis commodo ejiciuntur: quæ ſalutares & conſuetæ ejectiones, ſi deficiunt, vel prorſus ſuppriminuntur, metus eſt, ne graviſſimi morbi exinde emergant. Nihil vero æque pernicioſum atque exitiale eſt, quam ſi criticæ ejuſmodi, præſertim ſanguinis, excretiones, celerrime & uno quaſi ictu ſiſtuntur; cujuſmodi noxia vi potiſſimum pollet, tum gravis animi affectus, inprimis extrema & minima vaſorum oſcula conſtringens terror, tum aër nimis frigidus, aut frigus externum inconſideratius corpori admiſſum; ſiquidem exinde exitiales humorum fiunt ſtagnationes, & ſubitæ ac capitales noxæ in motuum vitalium ordinem redundant. Idem ſentiendum eſt de excretionibus illis, quibus plurimi morborum ſolvuntur, & quæ propterea vocantur criticæ; ſi nempe medicus, vel ægrotans, eaſdem perperam & peſſimo conſilio compeſcere tentet; quippe cohibitis illis & compreſſis, facillime morbus non ſolum recrudeſcit & redit, ſed pejor etiam multoque periculoſior reſultat.

Præterea ad genuinam morbi indolem exactius intelligendam, plurimum facit curioſius ſciſcitari & percontari

contari: quibus morbis pe[illegible]itæ decursum æger fuerit obnoxius? an forsan quidam haud ita diu præcesserit, & qua methodo quibusque auxiliis is fuerit sublatus? Nam turpe quidem dictu, sed proh! verissimum est: ex temeraria & imprudenti morborum, inprimis febrium medicatione, damnosissimam & maxime periculosam nonnunquam symptomatum oriri catastrophen, ita, ut fugato ambigue priori morbo, alius & longe gravior irruat ac diutissime infestet. Sæpe numero etiam, is, qui a morbo convaluit, salutaribus medici præceptis minus obtemperat, sed pro cœco libidinum impetu, gravissimos & nocivos in rerum non naturalium usu errores admittit, & hoc pacto de novo mineram morbificam colligens & cumulans, ipse sibi damnum procurat & morbum contrahit. Novimus sane plures, qui morbo superato & funditus exstirpato, ex intemperanti & nimia ciborum ingestione, suppressa per subcutaneos tubulos ex incuria sordium exhalatione, nec non neglecto debito evacuationis alvinæ successu, in pessimas ægritudines iterum inciderunt & per diuturnum tempus cum iisdem conflictati sunt.

Nonnunquam etiam morbi mire complicantur, ita ut sæpenumero hypochondriaco malo jam antea affectus, aut cachexiæ implicitus, scorbutica labe infectus, debilitate capitis afflictus, hæmoptysin passus, phthisi maciatus, hæmorrhoidum minus legitimo successu laborans, calculo excruciatus, vel etiam podagræ doloribus detentus, alium adhuc dirum morbum, sive acutum sive chronicum, nanciscatur: ubi utique in medicatione summa adhibenda est prudentia, & longe alia medendi via ineunda, quam in alio ægrotante, eodem quidem morbo decumbente, sed visceribus integris, ac viribus nondum attritis & per antegressam valetudinem exhaustis.

Pari ratione ad exquisitius de morbis illisque medendi methodo judicium ferendum multum certe valet, corporis laborantis, quoad viscerum & nervosarum partium dispositionem, plenior cognitio, in qua potissimum dispiciendum, utrum corpus succo & sanguine nimis sit farctum, vel an impura excrementitiorum & serosorum humorum sentina scateat, sive an sit cacochymium? Qualis sit ventriculi & intestinorum ratio? an ructibus, flatibus & spasmis cum alvi strictura exerceantur, & æger sit hypochondriacus? Quæ hepatis sit conditio? an inoffensus sanguinis per hoc viscus transitus? an humoris biliosi in eodem secretio debita & non sufflaminata? id quod ex faciei colore & diminuta corporis nutritione patescit. Porro disquirendum: an tenera illa vesicularis & vasculosa pulmonis substantia adhuc sit salva & integra? quippe quod, exspiratio vel facilis vel difficilior, nec non rejectio humoris ex ore, luculenter produnt. Denique etiam temperies cerebri & systematis nervosi consideranda est, & ex natura somni, animi affectibus, mentis etiam & phantasiæ interturbatione, prudenter dijudicanda.

Exacte sic perspecta corporis ægrotantis natura, ad ipsum morbum quocum æger conflictatur, paullo penitius considerandum ejusque indolem & peculiarem genium intimius indagandum, transeundum, & maxime omnium videndum est: utrum malum populares habeat circuitus & epidemium sit? an ejus virulentia per exanthemata se prodat? ex quo materiæ, quæ morbum facit, tenuitas & virulenta indoles potissimum dignosci poterit: quippe quæ, dum nervosis partibus insidet, præcordiorum anxietatem, inquietudinem, extremorum rigus, conatum vomendi, capitis & dorsi, circa primam lumborum vertebram, dolorem, pulsus celeritatem, cum duritie junctam, mentis turbationem & spirandi difficultatem promtissime concitat; relegato autem ad corporis corticem noxio humore, horrida hæc symptomata, plurimum de vehementia sua remittunt & tandem conquiescunt. Scrutandum præterea est: an cum ingenti virium prostratione & intenso partium languore, nec non jactatione & summa inquietudine, morbus ægrum apprehenderit? utpote quod occultæ humorum corruptionis, quæ vulgo malignitatis nomine venit, haud dubium subministrat indicium.

Et quum nulla fere febris vel alius morbus sit, in quo non sensibiles symptomatum remissiones vel intermissiones conspicuæ sint: medicus certe actiones tam naturales, quam vitales & animales, quomodo tam intra, quam extra paroxysmum comparatæ sint, sedulo pensitare debet. Nam in accessionibus & impetu ac vigore morbi, in quo motus & solidarum & fluidarum intensiores & acceleratiores deprehenduntur, necessarium est, ut omnia ea quæ motus cum excretionibus augent & exacerbant, penitus absint & prorsus intermittantur: contra vero diebus vacuis & intercalaribus, nec non paroxysmo silente, ubi omnes motus, maximeque pulsus, ob insignem solidorum succedentem atoniam & debilitatem, sunt imbecilles & languidi, ea, quæ materiæ peccanti commovendæ & exterminandæ inserviunt remedia, perquam opportune propinari possunt. Maxime vero omnium in morborum incremento dispiciendum est: quas functiones maxime, animales, an vitales, vel naturales? iidem lædant & labefactent; quippe ex hujus læsionis gravitate, morbi causæque morbificæ vehementia dijudicanda est. In acutis ex somni, respirationis, nec non pulsuum conditione atque natura, morbi genium & vim uberius & perquisitius cognoscere, solerti & perspicaci medico datum quidem est atque concessum; sed dolendum certe, quod perpauci sint, qui ex arteriarum pulsatione, sanguinis per universum corpus, & præcipue pulmones, circuitum, atque etiam systematis nervosi & fluidi nervei, quod veteres spiritus animales vocarunt, naturam & constitutionem indagare atque perspicere norunt. Plane mirabilis enim cerebri & cordis est conspiratio, ita, ut quivis cerebri vel nervorum morbus, quivis etiam animi ex affectu motus, pulsum illico mutet. Porro quum nemo ex morbo, nisi inflammatione & sphacelatione interna moriatur, & in acutis quidem ventriculi & membranarum cerebri inflammationes facile succedant & interitum inducant; in chronicis vero viscerum sphacelationes, lethalem vitæ catastrophen imponant: medicus certe oculum & animum ad funesta hæc symptomata cumprimis advertere & dirigere debet, quo exinde perquam utilia confectaria in usum suum elicere possit. Neque minus diligens suscipienda est investigatio in primarum viarum sub totius morbi decursu conditionem: an scilicet sordibus refertæ sint, vel sordescere incipiant, & quidem sub initium vel progressum morbi? Qualis sit excretionis alvinæ ratio? quæ rejectorum copia, color & qualitas? utpote quæ de functionum naturalium vitiata vel legitime comparata constitutione, haud incertum præbent indicium. Urina etiam contemplanda, qualis hæc reddatur colore, consistentia, indole & quantitate, è quibus, collatis aliis in morbo phænomenis, spasmodicæ partium internarum strictura cognosci & æstus præternaturalis augmentum vel decrementum judicari potest.

Ulterius ad integram morbi historiam contexendam, nihil aptius judico, quam si medicus probe & summa cura operationes remediorum, quæ præscripsit, observet, & omnes, quæcunque post medicaminis usum inciderunt mutationes, studiose annotet, inprimis; utrum symptomatum vis ac vehementia inde tantisper vel mitigata, vel adaucta sit? an vero nihil plane horum contigerit? Quum enim totius therapiæ cardo in eo potissimum vertatur, medici etiam peritia ex eo maxime patescat, si is in graviori morbo apta & idonea ad oppugnandum eum sciat exhibere remedia: certe qua ratione medens palmario hoc suo officio satisfacere & auxilia utiliter & convenienter applicare possit, si non exacta illorum notitia fuerit imbutus, equidem non video. Hanc vero remediorum intimiorem cognitionem

animo rite concipiendi, vix certior, rectior & compendiosior datur via, ac per observationes & morborum historias, quæ simul medicaminum propinatorum usum, genuinam applicationem & certos effectus recensent atque complectuntur. Et hinc demum vera, certa & non fallax de remediorum viribus & efficacia, quæ tantopere in desiderio est, experientia, proficiscitur & medenti innotescit. Jam dudum enim non solum *Celsus* monuit, sed experientiæ etiam calculo constat: eadem medicamenta, quæ in eodem morbo uni subjecto maxime proficua sunt, alteri gravissime nocere; quo fit, ut ipsi medici, remedium quoddam mirificis laudibus & encomiis extollant, alii vero illud ipsum plane damnent atque rejiciant, utrisque ad experientiæ asylum confugientibus, cujus tamen ea ratio est, ut nunquam fallere possit, si modo omnes & singulæ circumstantiæ omniaque phænomena, quæ in perfecta subjecti & morbi historia commemorantur, exacte pensitentur: neglectis autem, ut perditus plerumque mos obtinet, iisdem, hæc ipsa utique anceps est summeque ambigua. Nam vires & operationes remediorum neutiquam sunt absolutæ, sed conditionatæ, hoc est, ad varias conditiones & circumstantias, tam individui, quam morbi, nec non causas, tempora aliaque id genus relatæ; ideoque eum omnino in finem accuratæ observationes & exactæ curationum historiæ conscribuntur, quo genuinæ medicamentorum virtutes, in tot diversis naturis, locis atque temporibus, perspiciantur & intelligantur. Hinc præstantissimum profecto est *Hippocratis* monitum *libro de decenti orn. Sint*, inquit, *in memoria tibi morborum curationes & harum modi, quotupliciter & quomodo in singulis subjectis se habeant: hoc enim principium in medicina est, medium & finis.*

Quum vero morbi, præsertim acuti, sæpissime sine ullo medico & pharmaceutico subsidio, aut aliis per artem adhibitis auxiliis, solius naturæ beneficio, & nonnisi domesticis quibusdam remediis, temporis præsertim diuturnioris tempestivitate, cedant, quin non raro rectius persanentur, ac ubi ingens pretiosissimorum medicaminum copia exhibita fuit: multum profecto ad therapiam rite instituendam & convenienter perficiendam proficit, omnes sedulo annotare circumstantias, sub quibus, quo tempore, quo ordine, quibus excretionibus, quo symptomatum successu, morbus decurrerit & tandem solutus fuerit. Optandum hinc quam maxime foret, ut accuratæ prostarent observationes de singulorum morborum in diversis individuis naturali processu ac spontaneo decursu, ubi nimirum totum opus naturæ commissum, nec ullum plane adhibitum fuit medicamentum, & in quibus omnes circumstantiæ tam nude & simpliciter enumeratæ sunt, quam se invicem non interrupta serie exceperunt. Ita firmius sane judicium de viribus remediorum interponi posset, & non solum facillimum esset dijudicatu, utrum affectus alicujus exacerbatio, quæ post medicaminis usum contigit, ex immutabili naturæ lege atque causarum nexu profluxerit, an vero à remedio illo stricte & absolute inducta fuerit; sed viciissim etiam longe certiori argumentatione concludi posset, remissio & allevatio symptomatum, administrationi remedii succedens, hujusne, an naturæ operationi, an utrisque simul adscribenda sit & tribuenda. Non infrequenter enim fit, ut medici arcanis suis accepta ferant, quæ suffragante tantum natura, quoad afflictionum mitigationem, vel totius morbi curationem, evenerunt; unde tam glorioſa simplicium & compositorum medicamentorum encomia in libris practicis & botanicis prostant, quæ tamen plerumque omnem spem & exspectationem tam medici, quam ægrotantis, fallunt atque destituunt.

Denique ad observationes & completas morbi historias adornandas, sectio cadaverum morbis defunctorum maxime referenda est: quandoquidem non facile aptius & certius ad naturam causæ morbificæ & sedem affectam pernoscendam, immo ad mortis causas detegendas medium, sectione & inspectione solertiori cadaverum eorum hominum, qui iisdem morbis extincti sunt, invenitur. Quanquam enim non omnia, quæ in dissectis corporibus observantur, semper primæ & proximæ morborum causæ habendæ sint, sed sæpius effectus tantum causarum atque ipsius mortis sistant: nihilo minus non raro tamen accidit, ut hac ratione genuinæ morborum atque symptomatum insolitorum causæ manifestæ fiant. Obversantur sane animo plurimi casus, ubi tum in ipsis morbis, tum in eorum causis cognoscendis, non incelebres etiam, sed magni nominis medici, valde hallucinati sunt, maxime aliena de morborum quorundam indole & causis proferendo; quorum erroneas cogitationes cadaveris post mortem apertio evidentissime refutavit. Facta enim sectione, ut plurimum polyposæ in corde vel vasis majoribus concretiones, aut empyemata in pectore, abscessus mesenterii, calculi in bilis conceptaculo, vel in urinaria vesica, rupta sanguinea vel lymphatica vasa, ingentes glandularum tumores, scirrhositates, vel corruptiones putredinosæ viscerum, uterus disruptus, in conspectum venerunt, de quibus nihil plane antea suspicionis fuit. Monendum tantum est, ne in cadaverum dissectionibus, causam morbi confundamus cum causa mortis, quod à pluribus minus ingenuis medicis fieri assolet, quibus sufficiens peritia ad judicium aptum de læsionibus partium, quæ in sectionibus deprehensæ fuerunt, ferendum deest. Nonnulli etiam data opera causam mortis pro causa morbi venditant, ut hoc pacto aliis imponant, quasi nulla arte morbus, quo vita defunctus æger, medicamentis potuisset submoveri, & sub hoc indeclinabilis moriendi necessitatis prætextu famam suam salvam atque integram conservent.

Dissectiones itaque cadaverum frequentiores & solertiores à medicis anatomes peritis majorem in modum commendandæ sunt; eo, quod vera causarum morbi cognitio, & prudens remediorum ad eas auferendas applicatio, duo quasi poli sunt, circa quos tota praxis medica vertitur. Et utut accuratior causæ morbificæ cognitio, non semper satis sit ad morbum tollendum, sed is sæpe remediorum efficaciam vincat; non tamen ideo inquisitio diligentior cadaverum, tanquam labor parvæ utilitatis incusanda, quod à nonnullis sciolis, qui sapientiam suam non ex puro naturæ fonte, sed lutulentis lubricæ phantasiæ speculationibus, haurire satagunt, fieri consuevit: siquidem ad minimum id emolumenti inde resultat, ut medicus an morbus similis occurrens, sanationem admittat, necne? & quænam medicamenta huic malo avertendo idonea sint, quæ non? dijudicare possit. Profecto enim ex unica per anatomen circa morbi alicujus causam facta observatione, plus utilitatis in praxin, præsertim si eadem affectio iisdem plane circumstantiis stipata denuo occurrat, redundabit, quam ex mille subtilibus theoreticorum ratiunculis, ex fictitiarum hypothesium scrinio depromtis. Pulchre hanc in rem scribit *Baglivus lib. I. Praxeos med. cap. V. §. 6.* dum ait: *errant, qui putant, se morbos feliciter curaturos, quia doctrinam theoretizandi ad amussim callent; errant, inquam, quia medicus ad multo altiora respicere debet, ut innocentem artem à calumniis vindicet, ægrosque à morborum tædio ad salutis tranquillitatem revocet: cadavera hominum morbis denatorum secanda sunt ei, manusque inquinandæ, ut inveniat, quæ morbi sit sedes, quæ causa, qui exitus antecedentium symptomatum, qui demum effectuum omnium in antecedenti morbo observatorum eventus.*

Reliquum nunc est, ut, præter ea, quæ jam sparsim in ipsa tractatione monuimus, etiam dicamus, quinam fructus ex medicorum plenioribus observatis in perfectio-

erfectionem & certam rationem artis nostræ redunlent. Sunt vero hi eximii. Neque enim alia via vel mehodus suppetit, qua morbos à se invicem probe disinguere eorumque causas multum quoque diffidenes cognoscere possumus, quam per multiplices & recte institutas observationes. Ad prudentem etiam prognosin, sive judicium de morbi eventu formandum, certior & melior, quam per observationes, nulla ratio invenienda. Quam infinitæ circa morborum prognosin regulæ in *Hippocratis* aliorumque veterum monumentis quidem prostant; sed maxima ex parte fallaces sunt, tantum abest, ut pro universalibus sententiis & aphorismis veris haberi possint. Idque accidit eam maxime ob rationem, quia non ex integris morborum historiis, sed ex earum fragmentis tantum, & quibusdam, non omnibus & singulis circumstantiis, depromtæ sunt. Igitur longe perfectior & hæc doctrina de prognosi speranda nobis erit, modo ex multiplici observatione & accuratiori consideratione circumstantiarum prognosticas regulas elicere incipiamus. Neque dici satis potest, quam utilia corollaria in usum futurum, ratione methodi medendi, ratione applicationis remediorum, & in cognoscendo, quænam ex horum genere noceant, vel prosint, hauriri queant. Medico enim nunquam desistendum est ab observationibus & experimentis, neque ulla, licet etiam minoris momenti videantur, negligenda sunt. Nos certe non facile casum quendam prætermittimus, quia vix ullus incidit, ex quo non quippiam adhuc addiscere possimus, quum ad minimum, quod jam inventum & cognitum fuit, exinde confirmetur.

Inter alios vero fructus, quos ex recte consignatis morborum historiis exspectare possumus, insignis omnino etiam est is, quod ad diversas medicorum hypotheses, opiniones & controversias in praxi decidendas reddamur aptissimi. Quod si enim ulla, certe medica disciplina, innumeris opinionum figmentis, sectis & dissensionibus immersa est. Ex harum vero dissidentium sententiarum labyrintho nosmet extricandi non meliorem novimus viam, quam si earum applicationem ad medicas observationes, quæ genuinum ac immutabilem naturæ ordinem & processum in vitæ, sanitatis ac morborum negotio complectuntur, urgeamus: tum enim clarissime elucescet, quæ firmo stent talo & ad veritatem accedant, ac vicissim, quæ à vero abludant & luxuriantis imaginationis fœtus sint.

Quot diversissimæ medentum in praxi medica, circa remediorum valentiorum & heroicorum, e. c. venæ sectionis, fonticulorum, vesicatoriorum, purgantium, emeticorum, mercurialium, opiatorum, chinæ chinæ, salium volatilium, martialium usum sunt sententiæ: hi eadem laudant, illi damnant, & omnes pro veritate sententiæ suæ acriter pugnant, ut demum cui assensum præbere possis, nescias. Hic certe non accommodatior emergendi ex hisce difficultatibus patet via, quam si observationes cum cura & diligentia conscriptas de illis morbis, in quibus damnum vel salutem hæc medicamenta attulerunt, consulamus; quippe tunc facile apparebit, pro differenti circumstantiarum ratione, in eodem morbo remedia hæc insignem opem, vel luculentum etiam damnum attulisse, adeoque in se non esse nociva, sed in medicos culpam esse refundendam, qui iis non recte usi sunt.

Ad hæc integræ atque exactæ morborum historiæ hanc quoque eximiam utilitatem afferunt, ut eorundem originem, primordia atque generationem exinde perspiciamus ac discamus. Etenim quemadmodum nihil in rerum natura sine causa evenit, & effectus semper proportionati sunt viribus causarum suarum: ita etiam graves & plane inordinatæ motuum vitalium mutationes, ac inde dependentes turbatæ & læsæ functiones, ab efficacibus & sufficientibus causis ut proveniant necesse est. Has solicita & sedula indagine pervestigare oportet medicum. Quocirca præter considerationem ætatis, habitus corporis & temperamenti, nec non dispositionis ad morbos, secundum ordinem rerum non naturalium, quibus unusquisque quotidie indiget, itemque quoad regimen in vitæ ratione, inquirere decet medicum: in quonam deliquerit vel errores admiserit æger; quo deinde his exploratis ac junctim pensitatis, proximæ, quæ morbum facit causæ, generatio elucescat. Nam si quispiam originem morborum curate investigaverit, semper observabit, causas plures, quæ medicis remotæ dicuntur, concurrere ad causam proximam, qua posita morbus ponitur, constituendam. Et hac remotas, sive antecedentes causas, iis rebus contineri, quæ maxime sunt externæ & ab arbitrio ac potestate utentis pendent, exploratum est.

Quo facilius autem & crebrius errata inconvenienti harum rerum usu committuntur, præsertim ab iis, qui vires illorum, tam ad juvandum quam nocendum aptas, plane ignorant, quorum tamen maxima pars est: eo facilior quoque, certior magisque obvia est, enata inde ad morbos dispositio, quin ipsa eorundem origo. Hinc dici vix potest, quantum utilitatis exactior primæ morborum generationis cognitio, nobilissimæ medicinæ parti, præservatoriæ, conferat. Quod si enim ex crebrioribus observationibus perspectum habeamus, à quibus causis prægressis; & admissis in vitæ ratione delictis, morbus in hoc vel illo corpore incunabula traxerit; in prono deinde ac facili est, salutare consilium aliis impertire, à quibus scilicet, valetudini dispendiosis rebus, sibi cavere ac temperare debeant, ne in eundem morbum incidant. Et utinam hæc præstantissima artis nostræ pars, quæ afflictionibus morbosis avertendis addicta est, qua nihil utilius, & quæ etiam in potestate medici plus posita, quam morborum sanatio, nostris temporibus majori studio & solertia excuteretur, & hunc in finem uber observationum idonearum apparatus colligeretur; tunc utique futurum esset, ut mortales, & vitam à morbis magis immunem, & diuturniorem, ducerent.

Sed hæc de modo conscribendi observationes morborum in uno individuo earumque insigni utilitate dicta sunto: nunc etiam perpauca subjicienda erunt monita, observanda iis, qui historias de affectibus vel epidemiis, sive populariter in loco quodam grassantibus, vel endemiis, sive certis regionibus inquilinis & quasi propriis, rite concinnare ac colligere nituntur. Scilicet quum multi morborum, ac inprimis omnis generis febres, tam malignæ & periculi plenæ, quam contagio infestæ, continuæ, æque ac intermittentes, exanthematicæ & catarrhales, arthriticæ ac rheumaticæ, nonnunquam certo quodam anni tempore, regionem vel urbem universali quasi labe inundent & multos simul invadant, sæpius etiam gravioribus aut mitioribus, immo peculiaribus symptomatibus stipatæ sint, & non unam semper eandemque, sed subinde aliam atque aliam medendi rationem exposcant: causæ utique popularis hujus incursus & singularis tamen quem obtinent genii, non aliæ esse possunt, quam quæ pluribus hominibus sunt communes & in omnes æque cadunt. Jam vero si oculos circumferimus, exploratione curatius instituta, aëris potissimum insalubrem conditionem, ejusque communem omnibus sub eadem plaga usum, incusandum esse patescit: eo quod non solum fluidum illud catholicum aëreo-æthereum elasticum, ad motus qui vitæ præsunt conservandos & immutandos, prout ex physiologicis constat, multum facit, sed ipse etiam aër mutatus, fluidorum temperiem & solidorum constitutionem afficit, iisdemque aliam & præternaturalem habitu-

dinem inducere poteſt. Etenim quam ingentes mutationes diverſum tantum ſolis ad telluris ſuperficiem poſitum ſubſequantur, anni tempora luculenter arguunt, quibus ſi accedunt tempeſtatum viciſſitudines, ac ventorum varietate & ſibi invicem ſuccedentium diuturniori ex certis plagis flatu oriundæ, ut cœlum vel nimis frigidum, nebuloſum & pluvioſum incumbat, vel æſtuoſum & ſiccum regnet: utique corpora his expoſita, non poſſunt non inde graves alterationes, tam quoad ipſam partium conſtitutionem, quam ordinatum motuum ſucceſſum incurrere, eo pluribus ſolenniores, quo minus quiſpiam ambientis aëris acceſſum arcere poteſt.

Verum hæc generalis aëris, quoad tempeſtatum vices contemplatio, quæ plures ſæpe regiones tangunt & latiſſime ſe diffundunt, non ſola ſufficit ad eruendam morborum epidemiorum generationem. Nam multiplici obſervatione conſtat, ſub eadem plaga & cœli conſtitutione, hunc vel illum morbum unius tantum loci incolas affligere, proxime adjacente ab eodem vel plane immuni, vel minimum mitius & parcius infecto; id quod variolarum, dyſenteriæ ac purpuræ exemplis inprimis confirmatum habemus. Quare ſimul ratio habenda fluidi aëris cuivis loco proprii, quod mirifice pro varia indole exhalationum, tam ex patulis ſtagnorum ac paludum conceptaculis, quam reconditis ibi in terræ ſinu mineris ſulphureis, vitriolicis, aluminoſis, bituminoſis, ſalinis, ipſi inſinuatarum, diſcrepat. Quæ effluviorum, & inde dependens ipſius aëris, cuivis loco & urbi quaſi propria varietas, non luculentius demonſtrari poteſt, quam ex cereviſiarum diverſitate, utpote quæ, licet ex eadem polenta iiſdemque aliis ingredientibus, eodem quoque modo & artificio, quin eadem aqua coquantur, mirifice tamen & ſapore, & colore, & virtute, differunt.

Non minus ad meliorem & ſpecialiorem cauſarum, quæ morbos epidemios gignunt, cognitionem, ipſius loci ſitus, aquarum indoles, receptum vitæ genus & ſueta victus ratio penſitanda ſunt: quo ex omnibus his inter ſe comparatis ac ſimul conſideratis, innoteſcat, in quo epidemiorum morborum cauſæ, indole, materia, textura, potentia ac virtute differant, & partium corporis ſtructuram motuſque turbent ac præter naturam afficiant. Quin prævisis ſic cauſis & concurrentibus circumſtantiis, in proclivi eſt, non tantum imminentem cuivis regioni epidemiam luem prædicere, verum etiam utiliſſima ſuggerere conſilia, quo pacto eadem arceri, vel congruis auxiliis mature abigi poſſit. Et quamvis hoc negotium admodum arduum & perdifficile eſſe videatur: ſpem tamen non penitus abjiciendam eſſe reor, modo plures periti & rerum naturalium gnari medici, unitis conſiliis, in diverſis locis, per omnes occurrentium annorum periodos, ſingulis diebus, cœli mutationes, tempeſtatum vices, ventorum flatus, & in barometris ac thermometris exacte conſpirantibus, liquidi aſcenſum & deſcenſum, nec non in hygrometris ſiccitatis & humiditatis differentias, curate annotarent, & ſimul quoque locorum ſitum, victum in genere & ſpecie, præſertim eorum, qui in morbos epidemios incidunt, quibus ſymptomatibus hi incedant, quem exitum ſortiantur, quæ medicamenta reſpuant, quæ admittant? exponerent. Intenſiſſime itaque optandum ac ſerio monendum eſt, ut omnes, qui hiſtorias ejuſmodi popularium morborum contexere ſibi ſumunt, quemadmodum id laudabili inſtituto per aliquot annorum decurſum quidam exorſi ſunt, ad omnia hæc inculcata monita ſtudioſe attendant & ad earum normam obſervationes conſignent, emolumento certe non ſatis deprædicando.

CAPUT III.

De morbis curate diſcernendis & recte dignoſcendis.

§. I.

AD therapiam tuto & feliciter inſtituendam nihil æque conferre, ac morborum, quorum ſanationi medicus manum admovere ſibi ſumit, cauſas, ſymptomata atque peculiarem indolem probe noſſe, res eſt, de qua inter medicos, rationali artis culturæ vacantes, nulla unquam fuit relicta dubitatio; ut potius jam apud priſcos medicinæ auctores inter univerſales aphoriſmos relatum legamus: quod qui bene cognoſcat, idem quoque bene curet. Et certe veritas hujus dicti in aprico poſita eſt; ſiquidem plures utique ſunt morbi, qui maximam inter ſe alunt cognationem, tantaque procedunt ſymptomatum ſimilitudine, ut eorum interior indoles & ſpecialis differentia, vel à ſagaciſſimo medico interdum vix deprehendi, cognoſci & erui queat.

§. II.

Quare quum unus morbus alterum, tam invaſionis modo, quam ſymptomatum plurimorum parilitate, tam exacte ſæpius referat, ut primo ſtatim intuitu vix alius ab alio exquiſite poſſit diſcerni; utique maxime neceſſarium eſt ſcire: quænam ſpecialiores notæ characteriſticæ attendi debeant, ex quibus poſtmodum intimior de morbo aliquo poſſit obtineri cognitio. Si quid enim eſt, quod medicum reddit fama celebrem & quaſi ἰσόθεον, profecto eſt illa doctrina, qua ipſe inſtructus, ad firmum & indubium de genuina indole ac certo eventu morbi proferendi judicium, redditur longe capaciſſimus. Contra vero nihil perinde exiſtimationi medicorum detrahit, quam ſi hac in parte turpiter impingant & fallacem inprimis circa morbi cujuſdam proceſſum atque exitum interponant ſententiam; quandoquidem ſi de iis, quorum veritatem dies futurus commonſtrare debet, alienum quis fovet conceptum, error ipſius facile fit evidens ac manifeſtus. Nam qui circa nudas theoreticas in medicina veritates ſingulares ex phantaſiæ potius fonte, quam ipſa ex rei natura deſumtas opiniones alit, is ea propter ignominiæ labem haud incurrit, quoniam maxima hominum pars incapax plane eſt de rebus medicis ſolide judicandi, & connexionem theoreticorum axiomatum cum practicis perſpiciendi. Haud injuria vero ignarus medicaſter imprudentiæ præmium fert ignominiam, quum non levis ex ignorantia cauſarum morbi & neglecta inter morbos apparenter cognatos diſtinctione, in medicina facienda & indicationibus medendi eliciendis, emergat difficultas. Etenim *quem morborum origo & primordia fefellerunt, is*, ſecundum præclarum Medicorum Ciceronis, *Celſi*, effatum, *minus recte curam ſuſcipit:* & viciſſim, *qui ad cognoſcendum ſufficit medicus, ad ſanandum etiam ſufficit*, quemadmodum ſapienter proditum eſt ab *Hippocrate Lib. de arte §. 20.*

§. III.

Verum enim vero, quo excellentiori uſu hæc doctrina ſeſe commendat, eo minus vulgo ejus rationem haberi conſtat. Dici certe vix poteſt, quam turpiter nonnunquam ludibrio vulgi ſeſe exponant medici etiam ii, quorum eruditio in reliquis medicinæ partibus non mediocris eſt, ſi v. c. uterum à prole expanſum pro hydrope aſcite, vel aſcitem pro imprægnatione venditant: ſi febrem malignam, periculi raro expertem, pro benigna catarrhali: ſi inflammationem ventriculi

triculi & intestinorum, pro solo dolore colico: asthma flatulentum pro catarrho suffocativo: syncopen pro apoplexia: variolas pro petechiis: purpuram pro variolis: dolorem ex calculo pro affectu ischiadico, molimine hæmorrhoidali vel dolore colico & quæ plura sunt, habeant. Ecquis hic non clarissime perspicit, medicum in morbis hisce distinguendis hallucinantem, tum in prognosi facienda, tum in curæ administratione legitima, quam facile peccare posse? Alia enim remedia hydropicus & cachecticus status, alia imprægnatio, rursus alia febris maligna, quam benigna catarrhalis, postulant. Quæcunque prosunt in dolore colico, illa ipsa in ventriculi inflammatione maxime nocere possunt. Secus procedendum in cura asthmatis flatulenti, quam catarrhi suffocativi. Sic etiam methodus, qua utimur in syncopticis excitandis non sufficit in apoplexia auferenda. Longe alia quoque medendi via ineunda in calculosa affectione, quam in ischiadica, & urgente hæmorrhoidalis sanguinis congestione ac colicis torminibus. Variolarum, petechiarum, purpuræ diversa itidem inter se est conditio, & diversam quoque ex parte therapiam & medicam tractationem requirunt. Ut adeo pateat, ingentem intercedere differentiam inter medicos artis suæ gnaros & rerum suarum fatagentes, qui doctrinam de distinguendis morbis ex observationibus conquisitissimis rite hauserunt, & inter illos spurios Æsculapii filios, qui hujus doctrinæ prorsus rudes, fortunæ tantummodo omnia committunt.

§. IV.

Ne igitur medens in re tanti momenti impingat, sed morbum quem curandum suscipit ab aliis, eadem ferme facie incedentibus, curate discernere possit, animo imbibenda & firmiter tenenda sunt, indicia certa & notæ characteristicæ, quæ unicuivis propriæ sunt eundemque produnt ac manifestant. Nimis vero longum foret singulas morborum species percurrere eorumque differentias inter se conferre; ideoque mihi sufficerit communissimos, difficulter tamen distinguibiles, in medium attulisse, in quo differant indicasse, & mutuo demum comparasse. Et febris quidem denominatio permultis morbis communis est, qui tamen ratione causarum, indolis, periculi & medendi methodi quam maxime discrepant, eamque ob causam caute sunt distinguendi. Scilicet est febrium quoddam genus ephemera dictum, quod præcipuum & peculiare id obtinet, ut intra breve temporis spatium, & plerumque intra viginti quatuor horas, perspiratione auctiori ad finem pertingat. Alia febris species est synocha, his à reliquis dignoscenda signis, si primo horror & refrigeratio levior, quam in cæteris est, dein parum remittunt symptomata, quam ob causam à veteribus febris continentis nomine insignita fuit. Solet quoque maxime circa auroram adoriri; & terminatur utplurimum hæmorrhagiis narium vel sudoribus largis, circa quartum vel septimum diem erumpentibus. Causus à tertiana continua, in qua simillima præsto sunt symptomata, differt in eo, quod in hac exacerbatio tertio die observetur, in causo vero singulis diebus ea præsens sit.

§. V.

Febris porro maligna, κατ' ἐξοχὴν ita dicta, discrepat ab aliis febribus, v. g. semitertiana, synocha putrida, febre ardente biliosa inflammatoria, quæ inflammationem ventriculi vel intestinorum junctam habent, periculo. Ratio autem distinctionis in eo posita est, quia febres malignæ, stricte sic dictæ, contagio ortum debent, quo recensitæ febres inflammatoriæ carent. Dein causam quoque agnoscunt diversam, quæ in sic dictis inflammatoriis est stasis ad sphacelum transiens, in malignis vero lympha magis fermentescibilis, putrida, nervorum fluidum celeriter eadem corruptione contaminans; unde subitanea virium corporis prostratio jungitur. Distinguitur identidem hæc febris maligna à catarrhali in eo, quod in illa repentina & mox ab initio morbi virium adsit defectio, cum perpetua agrypnia, quam mentis perturbatio tandem excipit, maculæ quoque rubræ, petechiarum nomine venientes, vel etiam purpura, plerumque alba, ipsis complicantur & funestum exitum minantur, quæ cuncta in benignis catarrhalibus non observantur, ubi potius seri erodens salina qualitas coryzam, gravedinem, raucedinem, tussim & pectoris oppletionem & quasi erysipelaceum intra fauces asperamque arteriam ardorem causatur. Ubi itaque hæc signa non adsunt, ibi etiam perperam catarrhalis febris judicatur. Illud tamen non inficias eundum, febrem catarrhalem malignam æque ac benignam, cum malignis petechialibus multum alere convenientiæ, adeo, ut ab incautis minusque exercitatis medicis sæpissime confundantur; eo quod leniss-ime sine magno æstu, dolore atque anxietatibus eminentibus procedunt, in utrisque dejectio mucidæ materiæ per tussim jungitur & circa vesperam symptomatum fit exacerbatio.

§. VI.

Accedunt aliæ febrium species & quidem mesentericæ, quæ quo frequentiores, eo difficilius vulgo dignoscuntur, ita, ut sub malignarum titulo plerumque vendantur. At vero longe distinctissimæ sunt ab his, quoniam non epidemice grassantur, neque contagio aut exanthematibus infestæ sunt, neque celerem mortem inferunt, sed ultra vigesimum primum diem utplurimum trahuntur, & lubentissime in hecticas lentasque degenerant. Signa reliqua, quibus hæ febres ab aliis distinguuntur, præter jam prolata, sunt extremitatum frigus, urinæ tenues, paucum spissamenti & subsidentis sedimenti dimittentes, tusses copiosæ, sine multa materia, siquidem non cocta, sed cruda exspuunt, faucium dolor & rubor, perpetuum cibi fastidium, sitis defectus, febris uno die remissior, altero gravior iterumque exacerbatus hemitritæorum more insultus, quæ signa sigillatim collegit *Hippocrates Lib.* 1. *popular.* §. 1.

§. VII.

Quod attinet ad febres purpuraceas, variolaceas, morbillosas & petechiales, eæ facillima ratione ex cutis efflorescentiis dignoscuntur. Differt enim purpura rubra à petechiis & febre sic dicta purpurata maligna, dum in hac maculæ non sunt elatæ, nec cutim scabram reddunt, neque cum frigore, æstu volatico, pruritu & ardore cutis, ac summa oppressione pectoris erumpunt, uti purpura tam tubra, quam alba, quæ & tangentibus & videntibus sese conspicuam præbet: & iisdem notis distinguitur quoque à morbillis. Petechiarum à variolis in eo diversa est ratio, quod septimo plerumque die, non vero ut variolæ quarto erumpant, ac sine elevatione & suppuratione superficiem obsideant: à morbillis autem distinguuntur, quod minoris ambitus maculæ sint, quam in his: neque instar morbillorum tantisper emineant. Variolæ & morbilli primo eruptionis die ægrius discernuntur, secundo autem facillime, quia illæ mox sese efferre, pustulasque protrudere solent. Differunt vero utræque à purpura, quod neque cum horripilatione cutis ejusque scabritie prorumpant neque tactui ita sese offerant. Variolæ & morbilli respectu periculi etiam dispescuntur in malignæ & benignæ indolis, item in regulares & irregulares. Distingui etiam merito debent variolæ veræ à spuriis, quæ vulgo dicuntur *Wasser-Pocken*, *Spitz-Pocken*, & erumpunt cum vesiculis malignis pellucido humore oppletis, minori symptomatum agmine, vehementia & sine periculo.

§. VIII.

Jam ad febres intermittentes tranſitum facimus. Differt quotidiana intermittentes à quotidiana continua, qualis ſolet eſſe ſæpius catarrhalis benigna & maligna, dum in hac remiſſio tantum fit ſymptomatum & ſingulis diebus exacerbatio, non autem plenaria intermiſſio, uti in quotidiana intermittente; quæ etiam differt à febre lenta & hectica, ſiquidem illius paroxyſmus tempore matutino, harum vero circa tempus veſpertinum ingruit. Dein diſcernitur quoque à tertiana duplici, quæ etiam ſingulis diebus accedit, ſed ita, ut ejus acceſſiones non ſint æquales, id eſt, non quovis die in eundem temporis articulum incidant; ſed altero tantum die ſibi reſpondeant, ut tempus paroxyſmi, qui invaſit primo die, congruat cum tempore paroxyſmi tertii diei, & tempus paroxyſmi ſecundi diei, conveniat cum tempore quarti diei.

§. IX.

Variæ autem ſunt tertianarum ſpecies & differentiæ: diſtinguitur enim in ſimplicem & duplicem. Illa eſt, quando uno die, qui ſpatium viginti quatuor horarum complet, plenaria eſt febris & ſymptomatum intermiſſio; in hac vero ſingulis diebus paroxyſmus recurrit, ita tamen, ut ſubinde alternis diebus ratione temporis convenientiam invicem monſtrent. Rarius quoque tertiana duplex in principio invadit, ſed potius ſimplicem ſequitur. Deinde diſpeſcitur in legitimam & notham, ſeu ſpuriam: illa dicitur, quando horrorem inſignis æſtus ſequitur, cum ſiti, capitis dolore, quæ ultra decem horas non facile durant, urina flammea ſecedente; hæc vero non adeo magno æſtu ſtipatur, ad viginti horas & ultra extrahitur, urinam turbidam reddit, non flammeam; & finito paroxyſmo, inſignem languorem & concuſſionem quaſi artuum, *als wen alle Glieder zerſchlagen wären*, cum inappetentia poſt ſe relinquit. Diſtinguuntur alias quoque tertianæ in cholericas & pituitoſas, in regulares & irregulares, vernales & autumnales, epidemicas & endemicas; ſed quoniam exigua admodum difficultas in hiſce diſcernendis occurrit, quum ex ipſo adpoſito epitheto differentia ſatis ſuperque pateat, earum nomina tantum attigiſſe ſuffecerit.

§. X.

Accedimus nunc in explicatione differentiæ febrium ad quartanam, quæ dividitur in legitimam ac ſimplicem, & in duplicem ac notham, dein quoque in intermittentem & continuam. Simplex & legitima eſt, ſi quarto quoque die revertitur paroxyſmus, ſi vero intra quatuor dierum ſpatium duo paroxyſmi ingruunt, febris quartana duplex audit. Notha quartana dicitur ea, quæ non ſervat tempora ordinaria invaſionis, quæ ſunt poſt meridiem ac veſperi. Quartana continua vocatur, ubi paroxyſmi quarto quidem die redeunt, intra id vero tempus febriles motus non plenarie ſilent, ſed ſymptomatum tantum remiſſio adeſt, & languor corporis, cum lento & præternaturali calore & pulſu celeri, remanet.

§. XI.

Febris porro lenta & hectica ita diſtinguitur, ut hectica ſuperveniat hydropi, phthiſi, atrophiæ, vel cachexiæ ſcorbuticæ, & incunabula trahat ex viſcerum, aut ipſius meſenterii apoſtematibus, vel etiam glandularum meſentericarum corruptione, putredine, induratione, eamque ob cauſam ſit inſanabilis. Lentæ vero febres ex febribus maxime diariis, quotidianis, tertianis, duplicibus oriuntur, ſi eæ perverſa methodo per adſtringentia ſtyptica & nimis calida tractantur. Naſcitur quoque febris lenta à virium debilitate ſumma, ob præcedentes enormes hæmorrhagias, uteri v. g. in abortu, vel à gravioribus vulnerationibus, item à longioribus morbis prægreſſis; ſiquidem ob virium imbecillitatem ventriculus debilis multas ingenerat cruditates, à quibus poſtea lentæ febres ſuam originem nanciſcuntur. Lentæ quoque febris ab hectica in eo diſpar eſt ratio, quod longe gravioribus hæc ſtipata ſit ſymptomatibus, ſiquidem pulſus continuo celer micat, etiam matutino tempore, poſt ſomnum peractum, unde genæ quovis tempore aliqua rubedine tinctæ obſervantur, major quoque præſens eſt virium reſolutio, ac in lenta, ubi mane & ante cibum arteriarum ictus remiſſior & naturali ſimilis, veſperi vero & poſt cibum celerior fit, genarum rubor cibo ſumto tantummodo ſe prodit, minorque virium adeſt proſtratio, quippe adhuc extra lectum verſari febre lenta laborantes poſſunt.

§. XII.

Hiſce deductis inflammatoriæ febres expendendæ, è quibus frequentiſſimæ ſunt peripneumonia & pleuritis. Admodum autem conſpicua eſt peripneumoniæ ac pleuritidis veræ & ſpuriæ differentia; ſiquidem pleuritis ſpuria ea eſt inflammatio, quæ membranas & muſculos intercoſtales tantum occupat & ad rheumatiſmi potius ſpeciem referenda eſt; vera autem pleuritis ſedem ſuam habet in ipſa pleura, quæ intus thoracis cavitatem inveſtit & plerumque in conſenſum trahit annexos ſubinde pulmones; & peripneumonia ipſam pulmonum ſubſtantiam occupat. Porro in pleuritide ſpuria fit dolor etiam exterius manifeſtus, dum tactu manuum exaſperatur, iſque magis vagus, quam fixus eſt, quandoque latius ſeſe extendit & uſque ad ſcapulas propagatur: tuſſis magis ſicca, quam humida, omnis cruoris expers, cum febricula quadam leniori complicatur, veſperi potiſſimum incommoda eſt, & hic morbus intra breve plerumque temporis ſpatium, ſæpius ſine venæ ſectione, diſcutitur. Contra ea in pleuritide vera, dolor eſt acutior, magis fixus, febris intenſior, reſpiratio difficilior. Et in peripneumonia hæc omnia quidem concurrunt, ſed dolor non ità intenſus eſt, licet ad dorſum & ſcapulas ſeſe extendat, major viſitur pectoris oppreſſio, reſpirandi difficultas, & ſputum cruentum, ſanguine fuſco tinctum, ſcreatu rejicitur.

§. XIII.

Ad inflammationem ventriculi quod attinet, differt illa à cardialgia, neque cum ipſa debet confundi. Nam licet in utroque morbo adſit maxima anxietas, inquietudo, *daſs ſie ſich hin und wieder ſchmeiſſen im Bette*, & dolor preſſorius atque ardens circa præcordia; in eo tamen ſubeſt differentia, quod inflammationis ventriculi dolor ſenſum intenſiſſimi ardoris præ ſe ferat & quaſi inſtar prunæ ſit; deinde, quod nec alimenta, nec medicamenta facile ferre, ſed ab illis ingraveſcere ſoleat, item quod febris cum pulſu celeri & inæquali, depreſſo ac debili, ventriculi inflammationi juncta ſit, quod ſecus evenit in cardialgia. Diſtingui etiam debet inflammatio ventriculi ab inflammatione hepatis, & quidem concavæ partis, qua ventriculus tegitur, non ſolum vehementia ſymptomatum, ſed etiam quod ardor circa ſcrobiculum cordis in ventriculo inflammato eſt vehementiſſimus & fixus, in hepatitide vero ad latus magis dextrum & ſpurias coſtas vergit, neque ab aſſumtis dolor & anxietas increſcit, ut fit in ventriculo inflammato. Diſcrepat etiam ventriculi inflammatio ab ejus eroſione; nam illa ſubito oritur paſſioque eſt acutiſſima, & ſicuti ſpaſmis ortum debet, ita cum ſpaſmis violentis & ſymptomatibus graviſſimis ſtipata eſt. Dolor vero ex eroſione non tam ardens eſt, neque ſtricturis ſpaſticis infeſtus, ſed malum potius chronicum febrem lentam comitem habens, niſi quod in eo ſimilitudo cum inflammatione ventriculi adſit, quod ad aſſumta dolor anxius exaſperetur.

Denique

Denique inflammatio ventriculi, à veneno cauſtico animique vehementiori affectione orta, diſtingui debet ab ea, quæ fit ex potu frigido corpori calefacto immiſſo, quæ non tam horridis & atrocibus ſymptomatibus eſt infeſta, neque tam violentas in totum corpus exercet ſpaſticas contractiones, ſed febre magis lenta & putrida, niſi mature ſuccurramus, jugulat.

§. XIV.

Anginæ præterea ſpecies variæ ſunt, & pro earum differente indole, diverſa quoque ſortiuntur nomina, quas diſtincte noſſe in praxi non minus utile, quam neceſſarium eſt. Nimirum quando inflammatio obſidet interiores partes laryngis, præſertim muſculoſas, extus autem nec rubor, nec tumor quidam appareret, ſed magna adeſt reſpirandi anguſtia ad ſuffocationem uſque, vocari ſolet cynanche, & intra viginti quatuor horas ſæpius necat, dum complicata eſt exquiſita acuta febris. Altera ſpecies anginæ, in qua interiores pharyngis muſculi magis affecti ſunt; & ubi major difficultas deglutiendi, quam reſpirandi eſt, pariter ſine inſigni externo rubore vel tumore, dicitur ſynanche. Quando vero inflammatio vergit ad partes exteriores, adeoque tumor & rubor magis eſt conſpicuus, tunc, ſi malum prehendit gutturis ſeu laryngis partes, paracynanche, ſi vero pharyngis exteriora occupat, paraſynanche appellatur.

§. XV.

Diſtingui etiam ſolet angina in veram & ſpuriam. Illa fit à ſtaſi ſanguinis inflammatoria & morbus maxime acutus eſt, ob febrem impenſe acutam, & talis plerumque eſt interior: hæc notha vero, pro cauſa magis agnoſcit congeſtiones ſanguinis, vel etiam lymphæ, in partibus oris, faucium & colli glanduloſis, febrem magis comitem habet lymphaticam & minus alit periculi, ſed diutius affligit. Deinde angina optime diſpeſci poteſt in ſiccam, valde ardentem, & humidam, ſive mucoſam. Illa fit a ſanguinis ſtaſi in morbis maxime acutis; in hac vero muco copioſo & lingua & faucium regio obducta & quaſi inviſcata eſt ac febribus catarrhalibus complicatur, neque minus ſcorbuticis, cachecticis familiaris eſt & diutius durat, oriſque fœtore moleſta eſt.

§. XVI.

Ab hiſce inflammationum ſpeciebus diſcernenda porro eſt inflammatio oris & œſophagi mucoſa, quæ vocari ſolet prunella, & febribus acutis exanthematicis ſupervenit, vel etiam plerumque inflammationi ventriculi ſuccedit. Dicitur à nonnullis Germanico idiomate *die Hertzbräune*, & malum eſt admodum anceps ac periculoſum, in quo muco etiam incruſtata ſunt narium interiora, ſub quo ardens inflammatio deliteſcit. Differt etiam angina ab aphthis, ſive puſtulis ardentibus in lingua & faucibus; ſiquidem angina latius diffunditur & vicinas partes late in conſenſum rapit, in aphthis vero tantum ardentes & dolentes veſiculæ in lingua vel faucibus certas modo partes obſident.

§. XVII.

Deinde angina ſicca interna, quæ vocari ſolet cynanche, non confundi debet cum ſpaſmo, hyſtericarum fauces firmiter conſtringente & reſpirationem ac deglutitionem difficilem reddente; quia hic ſine periculo & facilius tranſit, facile etiam vincitur; in angina autem vera ſanguinea interna, non tantum dolor ardens & pungitivus, circa interiora faucium percipitur; ſed & lingua ſanguine turget, tumida ac rubicunda fit, quandoque nigra redditur, facies rubore inflata eſt, temporum arteriæ valide pulſant, in quibuſdam etiam cephalalgia, in aliis ſomnolentia, in nonnullis lipothymia viſitur, externa utplurimum frigent & alvus adſtricta eſt.

§. XVIII.

Ab angina pergimus ad phrenitidem, quæ eſt inflammatio membranarum cerebri & ſeſe manifeſtat delirio feroci, cum oculis rigentibus fulgentibuſque, febre ardente, vigiliis aſſiduis, rubore faciei, arteriarum vehementi, non ſecus ac ſi in cranii cavo pulſarent, & circa tempora vibratione. Differt phrenitis à mania, quod illa affectus acutus & utplurimum febrium ſymptomata valde periculoſum, mania vero malum eſt chronicum ſine periculo & febre. A phrenitide porro mentis alienatio, aliis febribus jungi ſolita, gradu dignoſcenda, quia mitius procedit & facilius abigitur. Diſtat etiam phrenitis à melancholia, quæ itidem malum eſt chronicum, & collecto in vaſis, præſertim capitis, ſanguini craſſo originem debet. Tandem etiam differentia intercedit inter phrenitidem & hydrophobiam. Etenim hydrophobia à canis rabidi morſu inducitur, ejuſque ſpecialior nota characteriſtica eſt liquidorum omnium averſatio, adeo ut affecti viſo tantum liquore aliquo, mirum inhorreſcant & motibus convulſivis corripiantur.

§. XIX.

Hepatis inflammatio duplex eſt, vel enim in parte concava conſiſtit, vel in parte convexa. Signa, quibus illa cognoſcitur, ſunt ſingultus, vomitus, cardialgia, ardor & dolor fixus ſub ſcrobiculo cordis, verſus latus dextrum, febris, tuſſis ſicca, inſpiratio difficilis, alvus adſtricta. Quando vero in convexa parte eryſipelacea inflammatione hepar affectum eſt, tunc in coſtis ſpuriis lateris dextri dolor gravativus, conſtrictivus & punctorius percipitur, cum tuſſi, febre, reſpiratione difficili. Et hac ratione mentiri ſolet pleuritidem ſpuriam, à qua tamen diſcriminatur febre ac reſpiratione remiſſiori, & dolore infra diaphragmatis regionem urgente: quibus accedit, quod pleuritis ſpuria facilius diſcutiatur & die ſeptimo utplurimum finiatur ſudore vel hæmorrhagia: in hepatitide vero, ſi res male ſuccedit, convulſiones præſto ſunt, vel ſi diutius perdurat, quippiam hydropici vel hectici, ob abſceſſus latentes, poſt ſe relinquit.

§. XX.

Nephritis pura & ſimplex, quæ eſt levior renum inflammatio, in eo à nephritide calculoſa diſcedit, quod in illa dolor circa lumbos fixus, ſed tendens & preſſorius diuturnus eſſe ſoleat, in calculoſa vero longe acerbior, qui etiam locum mutat & ſe magis extendit ad illa; ſiquidem exquiſitus ille dolorificus ſenſus, qui à calculo fit, demum in ureteribus eorumque principio, non vero in renali ſubſtantia, ſeſe exſerit. Deinde in calculoſa nephritide ſabulum craſſum per urinam ſecedit, quod in nephritide ſimplici non contingit, utut cryſtalli rubicundæ & pellucidæ vitri urinalis parietibus ſeſe apponant. Neque etiam nephritis cum malo iſchiadico confundi debet, quod quidem facile accidit, quia in hoc dolor ſæpius per totum femur excurrit, quod inde ſtupore atque rigore afficitur, nihilominus tamen diſparitas utriuſque exinde pateſcit, quod ejus dolor nephriticis in loco, quo renes ſitum habent, pertinacius conſiſtat, quum iſchiadicus dolor oſſi coxendicis fixus magis inhæreat. Tum in nephritide crebrior ad urinam eſt ſtimulus, parcior tamen ejus fluxus, quod ſecus in iſchiadica affectione obſervatur.

§. XXI.

Ex inflammationibus, quæ partibus externis incumbunt, frequentius occurrit eryſipelas, quod ſuperficiem tantummodo cutaneam rubore, tumore & dolore afficit, eaque propter probe diſtinguendum eſt à phleg-

mone, in qua ipſos ſubſtratos muſculos inflammatio ſimul corripit. Phlegmonem autem à gangræna diſcernere idemtidem oportet; ſiquidem in hac inflammatio aliquando profundius ſerpit & non modo muſculoſas, ſed & tendinoſas ac nervoſas partes occupat, atque adeo tum intenſiori ardore & dolore, tum profundo ac latius ſe extendente duro tumore ac rubore, qui tandem in livido-nigricantem tranſit, cognoſcitur.

§. XXII.

Devenimus nunc ad varias hæmorrhagiarum ſpecies, è quarum cenſu, quæ non parum periculi alit eſt hæmoptyſis, ſive ſanguinis floridi è pulmonibus per tuſſim rejectio. Hæc curate diſtinguenda eſt à ſputo cruento, quod ex interiori gurgulionis, faucium ac narium ductu emergit, & potius ſcreatu, quam tuſſi, ſuccedit, parcius etiam eſſe ſolet, pituita remixtum & obſcuro ſanguineo colore tinctum. Deinceps vera hæmoptyſis diſcernenda quoque eſt ab illo ſputo cruento, quod parciori in quantitate ex fauciatis arteriæ aſperæ vaſis cum tuſſi ejicitur, & cum pruritu ac ſapore ſalſo jungi ſuevit. Multum quoque hæmoptyſis diſtat à vomitu cruento, ſiquidem in illa ſanguis tenuis, nitide floridus, arterioſus, non ſine magno niſu ac labore eliditur. in ſanguinea vero vomitione cum anxio conatu craſſus, coagulatus & nigricans cruor, ex venoſis magis vaſis elapſus, citra tuſſim exturbatur. Neque ipſe vomitus cruentus ſine diſcrimine conſiderandus & excipiendus eſt, ſed ratione cauſarum multum differens, aliam & diverſam medendi rationem quoque deſiderat. Alius enim eſt à cauſa materiali cauſtica erodente, in ipſius ventriculi cavo contenta, quemadmodum fit à venenis cauſticis & fortioribus emeticis aſſumtis; alius vero oritur à motu ſanguinis impetuoſiori, ex aliis & remotis partibus ad ventriculi vaſa, præſertim brevia, quæ facile perforantur, delati, quale quid fieri ſuevit in menſibus & hæmorrhoidibus ſubito & cum violentia quadam repreſſis; atque ejuſmodi vomitus plerumque ſuas ſtatas ac certas periodos ſervare ſolent.

§. XXIII.

Porro in mictione cruenta hæc potiſſimum diſtinctio obſervatu digna eſt, quod alia fiat ex calculo aſperiori, ureterum vel urethræ vaſcula dilacerante, quæ tamen rarior eſt, neque facile in nephriticis comparet, & exigua etiam tunc ſtillat ſanguinis quantitas: contra vero ſi citra quandam violentiam à ſanguinis impetu, ad renum ſubſtantiam ex aliis partibus rapto exoritur, ſincerus largiter ſæpius ſanguis, ſine ſingulari incommodo vel ſenſu, cum urina emittitur, & interjecto pauco tempore, ad fundum, colorem non rubicundum, ſed ex bruno fuſcum exhibens, ſecedit. Affectus hic familiarius accedit ætate gravibus, vegetis tamen & plethoricis, ac ſæpius ſine periculo contingit. Stillicidium ſanguinis ex præputio rarior quidem affectus eſt, à nobis tamen binis vicibus obſervatus in plethoricis & ſenio jam proximis, his à mictu cruento notis dignoſcendum, quod guttatim ſtillet ſanguis, & quidem continuo, etiamſi urina non reddatur, quum in mictu cruento nunquam, niſi ſimul cum urina, ſanguis proliciatur.

§. XXIV.

Tum fluxus ſanguinis periodicus, qui in gravidis quandoque ſalutariter contingit, probe etiam diſcerni debet ab eo, qui abortum minatur. Scilicet quando ſanguis periodice & paulatim, per tres vel quatuor priores menſes, manat, tunc fluxus eſt ſalutaris: ſi vero largius ſanguinis profluvium, ex internis uteri vaſis apertis ſuccedit, vix ſine gravidæ & embryonis detrimento fit. Quin ſi fluxus eſt vehemens, indicium præbet totalis ſeparationis ſecundinæ & ſubſequuturi abortus; ſi moderatus, pars tantum abſceſſit, & fœtus ſalvari poteſt. Et hoc ſanguinis ſtillicidium, ſi periodo catameniorum reſpondet, & orificium uteri ſub fluore clauſum contrectatur nullique partus dolores ſuperveniunt: tunc probabiliter inferrur, non ex ipſo utero, verum è vagina tantum ſcaturire hunc laticem. Contra vagæ ſive erraticæ magis & periculoſæ judicandæ excretiones ſanguinolentæ, quæ male ad calculum tributi lunaris exſolvuntur, juſto copioſiores prodeunt, quæ oſtium uteri patulum & conatus partus imminentis junctos ſimul habent.

§. XXV.

Præterea etiam hæmorrhoidum fluxus à dyſenteria rite eſt diſtinguendus, quum ambo convenientiam in eo exhibeant, quod utroque in affectu ſanguis excrementis intermixtus ſecedat. At ſi paulo curatius reliquorum ſymptomatum inter ſe comparationem inſtituamus, tum facillima ratione differentia harum fluxionum inter ſe invicem pateſcet. Etenim in hæmorrhoidum fluxu ſanguis cum excrementis prodit, ſine ullis torminibus & dolorificis ſpaſmis, ejuſmodi etiam fluxio critice & ſalutariter ſuccedit: contra vero in dyſenteria cum atrociſſimis ſpaſmis & torminoſis doloribus ſtercora ſanguinolenta dejiciuntur & univerſum corpus inde graviſſime affligitur, præſertim ſi inteſtina tenuia ſimul patiuntur, ubi primis morbi diebus adſunt vomitus, ſingultus, anxietates præcordiorum, appetitus proſtratus & virium inſignis languor. Denique dyſenteria alba à rubræ & carnoſæ indole haud parum abludit; in alba enim parum cruoris manat, ingens autem muci copia excernitur, in rubra autem ſanguis copioſior, cum fruſtis parvis carneis, quandoque rejicitur.

§. XXVI.

Nunc ſequuntur dolores, è quibus ii, qui caput divexari ſolent, frequentiores ſunt, & pari ratione admodum variare præſertim quoad cauſas & generandi modum, obſervantur. Etenim cauſa cephalalgiæ ſi eſt ſanguinis impetuoſior ad caput congeſtio, tum calore, rubore & tumore faciei, cum magna arteriarum, quæ ſunt in collo & temporibus, pulſatione ſe exſerit, quin immo dolor & ardor interdum ad oculi bulbos ſe extendit, atque extremorum refrigeratio plerumque jungitur. Si pertinacior eſt cephalalgia & Venerei contagii ſoboles, noctu magis, quam interdiu ingraveſcit, & plerumque certæ parti firmius dolor inſidet, ut cutis ibi à ſubdito humore viſcido non raro in tumorem attollatur. Porro quemadmodum frequentius cauſa doloris in capite partibus externis cranii & maxime pericranio inhæret; ita, ſi in cerebri meningibus ſedem ſuam ac domicilium habet, cum vertigine, rubore oculorum, ſtupore, oblivione, auditus gravitate infeſtat, & vel paralyſin vel apoplexiam præcedit, aut ſequitur.

§. XXVII.

Alia vero doloris capitis cauſa eſt effuſio ſeri & ſanguinis è vaſorum alveis & in ſinuoſitatibus oſſium frontis firmiter impacti, quod ſi accidit dolor eſt pertinax, acerbus, fixus, & ſupra oculos in radice frontis per dies noctesque urget. Interdum quoque caput male habet ex cruditatibus in ventriculo obhæreſcentibus, quæ ructibus, phlogoſi ac primarum viarum ſpaſmis ſeſe produnt, dum quoque ingeſtis flatulentis dolor augetur, vomitu vero, evacuantibus & ſtomachicis medicamentis minuitur. Alia adhuc, ſed minus à medicis cognita eſt cephalalgiæ cauſa, ſi lympha extravaſata in ventriculis cerebri ſecedit & ſtagnat, neque per infundibulum aut glandulam pituitariam ſecernitur; quo caſu interiora totius capitis continuo dolent, & doloris allevatio non certius & commodius impetratur, quam abſtinentia à potu, & ſeri per evacuantia aut diuretica in cachecticis & cacochymicis abſumtione ac elimination.

§. XXVIII.

Inter omnes dolorum ſpecies cardialgia acerbitate ceteras facile ſuperat. Hæc autem eſt dolor ſpaſmodicus orificiorum ventriculi, tam dextri, quam ſiniſtri, qui tamen longe multumque ratione cauſarum differens eſt. Scilicet alius eſt à cauſa intra ventriculum hærente, materia nempe acri, cauſtica, ut à veneno aſſumto; item in cholerica paſſione, vel etiam dyſenteria, ab acerima cauſtica bile proficiſcens. Alia vero cardialgia eſt à ſanguine ſuppreſſo menſium vel hæmorrhoidum fluxu, ad membranas ventriculi nerveas regurgitante, easque nimium tendente. Hinc enim eſt, quod affectus hic fœminis, quibus poſt quinquageſimum annum menſtrua purgatio vel parcius accidit, vel plane ſubſiſtit, præſertim ſi ſpongioſioris habitus ſint, admodum familiaris eſſe obſervetur, & in curando eo, convenientes vel per ſcarificationem aut venæ inciſionem ſanguinis miſſiones, omne pæne abſolvant punctum; quum viciſſim in illa cardialgia, quæ à materia acri cauſtica ſuſcitatur, demulcentia, oleoſa, temperantia, lac aſininum, vel infuſum florum chamomillæ ſaturatum, cum cremore lactis, interpoſito pulvere abſorbente, deſideratiſſimam opem ferant. Deinceps cardialgia jure meritoque etiam diſtingui debet ab inflatione ventriculi dolorifica, quæ à flatibus mirifice ſtomachum diſtendentibus ſubnaſcitur. In hoc affectu ſub coſtis ſpuriis, præſertim in ſiniſtro latere, dolor, & ſub cordis ſcrobiculo, verſus dextrum, tumor inſtar veſicæ flatu diſtentæ, frequentius viſitur & percipitur, adeſt ſimul magna ſpirandi cum anxietate difficultas, quæ eo gravior eſt, quo magis diaphragma à diſtento ſtomacho, ſurſum urgetur & pulmonum expanſioni obicem ponit. Et hoc malum admodum ſolenne eſt infantibus, qui adhuc lactantur, ſi ipſum lac in ventriculi cavo ſtagnans, coagulum & corruptum in flatus explicatur. Frequentius quoque accidit hypochondriacis, præſertim ſi nimium & cum magna aviditate cibos, qui ob viſcoſam & ægrius ſolubilem ſubſtantiam flatuum proventui favent, ingerunt.

§. XXIX.

Neque parum refert, ut medicus dolorem colicum probe diſcernat ab eo, qui ex calculi deſcenſu per uretheres oboritur. Quippe in calculo renali dolor profundus preſſorius, lumbis quaſi infixus pertinaciter hæret, cum quodam horripilationis intercurrente ſenſu; adſunt porro nauſea, vomitus & tormina etiam ventris, & ubi calculus per urinarias vias iter conficit, tunc ad regionem oſſis iſchii dolor etiam excurrit, & ſtuporem femori ejuſdem lateris non infrequenter inducit: urget præterea creber ad urinam emittendam conatus, quæ cum ſtranguria mingitur & ſæpius ſabulum deponit. In dolore vero colico res ſecus ſe habet; tunc enim dolor & tormina magis circa umbilicum colliguntur, vaga ſunt, & nunc huc, nunc illuc diſcurrunt, & plerumque flatibus venter diſtenditur. Non raro tamen contingit, ut colica ſimul ſit nephritica, inde dijudicanda: quod in ea graviſſima tormina ventrem torqueant, cum alvo fortiter adſtricta, vomitu, cephalalgia, extremorum frigore, mingendi ſtimulo, donec finito paroxyſmo, urina ſabuloſa ſecedat vel calculi etiam excretio ſequatur. Deinde dolor colicus à dolore, qui hypochondriacos excruciat, in eo diverſus obſervatur, quod hic in hypochondriis magis, ille vero circa umbilici regionem potius conſiſtat. Tum in hypochondriacis latus, præſertim ſiniſtrum, tumere ſolet, quia ibi in coli flexuris flatus incarcerati hærent, & crebrius quoque hic dolor recurrit, quam communiter ſic dictus colicus.

§. XXX.

Verum enim vero qum doloris inteſtinorum variæ etiam ſint cauſæ, diverſis etiam ſignis, ut à ſe invicem mutuo dignoſcantur, neceſſe eſt. Si igitur flatus in cauſa ſunt, tunc magna inflatio fit abdominis & quandoque tam ingens, ut hernia circa umbilici regionem à flatibus protuberet. Et talis colica in diſpoſitis, præſertim in corporibus infirmis & ſenilibus, ex refrigeratione abdominis, aut tantummodo pedum, vel à frigido, item fœculento potu, cibo flatulento, carne vervecina, præſertim frigido potu ſuperingeſto, quam facile excitatur. Et quia multi ex calculoſis ad colicam flatulentam valde proclives ſunt, hinc crebrius nephriticum malum cum colico complicatur.

§. XXXI.

Quod ſi vero, prout frequentius obvium eſt, dolor inteſtinorum flatulentiis, maximis anxietatibus & dolore dorſi tenſivo alvoque pertinaciter clauſa infeſtat ac ægros torquet, & ex levi occaſione aut errato irritatur, facieſque ſimul eſt cachectica; tunc plerumque cauſa vitii hæret in viſceribus abdominis, per quæ ſanguis non recte & libere trajicitur, ſed in inteſtinorum volumine ſtagnat, & quum exitum ibi per vaſa hæmorrhoidalia non inveniat, intra inteſtinorum membranas hærens, ea nimium diſtendendo & lancinando, hanc colicam parit, quæ ob genus nervoſum graviter ſimul afflictum, convulſiva audit. Eadem ſanguinis ſtagnatio, ſi fit ab hæmorrhoidibus conſuetis non rite fluentibus, vel præpoſtere cohibitis, atrocem inteſtinorum dolorem parit, qui exinde vocari ſolet hæmorrhoidalis: & ſi in fœminis, à menſium inordinato & parciori ſucceſſu, ſanguis ad inteſtinorum volumen refluit & tormina inducit, colica audit hyſterica. Alia denique eſt ſpecies colicæ, quæ dicitur bilioſa, & cholericæ conſtitutionis hominibus, nec non iracundiæ deditis ſenſibilioribus perquam familiaris eſt. Hæc cum vomitu, capitis dolore vel etiam diarrhœa ſæpius complicatur, & quia ſpaſmodica conſtrictione liberior bilis deſcenſus ad inteſtina inhibetur, ipſa ad habitum corporis regurgitans colorem flaveſcentem ei inducit.

§. XXXII.

Multum etiam intereſt, ut medicus colicæ, ſpaſmodicæ, ſive convulſivæ, genium, ab aliis colicæ ſpeciebus probe diſcernat. Illa ſæpe horrendum in modum non modo inteſtina, ſed & alias univerſi corporis nerveas & membranaceas partes per conſenſum exagitat, ſiquidem vehementior ſpaſmus per univerſum fere genus nervoſum diſpergitur, ut non modo ventriculus & inteſtina ſurſum & deorſum trahantur, & alvus, omnibus ſpretis enematibus, arctiſſime claudatur, ſed & muſculi abdominis cum umbilico introrſum ſtringantur & ad interiora arctentur. Et quia violentia ſpaſmi ad partes genitales ſæpius pertingit, fit, ut teſticuli retrahantur, & conſtrictis veſiculis ſeminalibus, involuntaria ſeminis fiat excretio, ob urinarias autem vias ſpaſmo affectas, urina difficulter reddatur. Si etiam ad pneumonicos nervos vehementia ſpaſmi penetrat, reſpiratio valde anheloſa ac difficilis eſt, cum valido motu thoracis. Quin malo ingraveſcente, cerebri etiam membranæ ac nervi patiuntur, & vertigo, ſcotomia, levior mentis alienatio, vigilia & extremarum partium refrigeratio intenſa, & pedum ac brachiorum vehementiſſima agitatio, obſervatur, non raro etiam tam atrocem dolorem, harum partium reſolutio, ſive paralyſis, ſubſequitur.

§. XXXIII.

Sunt autem huic affectui graviſſimo ſpaſmodico quam maxime obnoxii metallurgi, qui mineras Saturninas igne tractant & improvide copioſum lithargyrii fumum ore hauriunt atque cum ſaliva deglutiunt. Perquam etiam familiaris eſt hæc ſpaſmodica affectio ſcorbuticis, cachecticis, præſertim ubi conſuetus hæ-

morrhoidum

morrhoidum fluxus desinit, vel non rite procedit, aut si intermittens febris temere vel imprudenter adstringentibus validioribus cohibita est. A vermibus, à calculo ductibus biliosis vel cystidi felleæ inhærente, idem malum non semel ab auctoribus observatum fuit. Ut hinc clarissime videamus, in hac passione, non tam peccare materialem, mobilem, aut quæ corrigi vel evacuari facile possit, causam, ut in colica biliosa, flatulenta vel viscida fit, quam potius nervosis membranaceis partibus, quæ tam faciles sunt ad subeundos hos spasticos motus, vitium inesse. Etenim & cardialgiam & dolorem intestinorum convulsivum, in sensu exquisitiori præditis corporibus, sæpissime à cohibita iracundia, affectibus animi gravioribus, terrore, crebra ira, & in adolescentibus, à nimio & intempestivo Veneris, nec non largo potuum spirituosorum usu, ortum traxisse observavimus.

§. XXXIV.

Quum vero ingens plerumque in morborum cognitione admittatur confusio doloris arthritici & rheumatici; operæ pretium visum est, amborum differentiam hoc loco planius sistere. Uterque quidem dolor spasticus est, & partibus membranaceis infestus, rubore, ardore, dolore, tumore & partis ad movendum impotentia, sese prodit; in eo tamen discrimen comparet: quod arthriticus à fero tartareo acri, intra juncturas articulorum obhærescente, proficiscatur; in rheumatico vero materia illa serosa salino-caustica, membranis musculorum & ligamentis articulorum exterius potius insideat. In arthritide quoque tum glandulæ, quæ in articulationibus reconduntur, mucosæ, à cl. Anglo *Clopton Havers* inventæ, tum ligamenta glandulosa, materiam arthritidis evomunt: contra ea in rheumatismo stagnans illud acre serum, ex sanguine in canalibus minium congesto, inter membranarum & musculorum interstitia magis secedit & colligitur. Ex quo jam facile apparet ratio, quare rheumatismi curatio, minus laboris vel difficultatis habeat, quam articularis morbi, & quare arthritis, topicis cujuscunque fere generis adhibitis, minus feliciter componatur, quum rheumatici dolores iisdem sæpius mitigentur.

§. XXXV.

Deinceps probe etiam notari debet illa differentia, quæ inter dolorem arthriticum & inter dolorem artuum Venereum intercedit. Ille interdiu magis affligit, hic vero noctu ingravescit; arthritico quoque febrilis quædam commotio associatur, cujus venereus expers est. Arthritis porro stata sua & anniversaria tempora observare solet & acrioribus pharmacis, ut mercurialibus, mirum exacerbatur; quum contra dolores luis Gallicæ continuo fere affligant, & nonnisi hisce præsidiis facile auferantur. Tandem etiam peculiarem adhuc differentiam ponendam esse existimo inter dolores artuum v. g. crurum aut pedum, cum tensione, rigiditate, imbecillitate movendi junctos ac epidemice quasi grassantes; & inter veros arthriticos. Audiuntur enim sub certa temporum & tempestatum constitutione passim ejusmodi querelæ de doloribus crurum, ut alii de tensivo, alii de obtuso & contusivo, alii de pungente, in profundo circa ossa tarsi & metatarsi hærente, conquerantur, cum immobilitate, stupore & rigiditate harum partium, & doloris à motu graviori augmento. Afficiuntur autem, prout observavi, hoc dolore maxime ii, qui sanguinem è vena pedis mittendum curarunt & aëri frigidiusculo corpora exposuerunt; quo facto ingens mox sequuta fuit affecti membri debilitas, & successit postea dolor, qui ad aliquot menses duravit & pro arthritico ac podagrico vulgo habitus fuit; sed quum nulla febricula, nullus tumor, rubor aut ardor simul apparuerit, neque tam in juncturis, quam potius in ipso periosteo, animadversus fuerit, jure meritoque eum distinguendum à vero arthritico esse dijudicamus.

§. XXXVI.

Progressum nunc facimus ad eos morbos inter se bene discriminandos, qui convulsivi vel spasmodici quippiam fovent, è quibus pectoris illa ingens concussio, quæ tussis vocatur, non postremum sibi vindicat locum. Perquam plurimæ etiam, pro differentiæ causarum & sedis affectæ, dantur tussis species; nobis vero jam tantummodo commodum visum est, eam tussim, ubi causa hæret in ipsis pulmonibus, ab ea, ubi in aliis, præsertim nervosis partibus, & præcipue stomacho, consistit, certis notis atque indiciis à se invicem mutuo discernere, quippe quæ distinctio non parum utilitatis in medendo affert. Si igitur causa subsistit in pulmonibus, respirationis semper adest quædam difficultas, quæ motu, vel exagitatione corporis aut sanguinis, augetur, adest quoque plerumque vox clangosa, dolor pressorius in pectore & raucedo quædam. Si sicca est & per longum tempus durat, plerumque tubercula dura, vel vomicæ pure repletæ in causa sunt, & tussis phthisica est: si vero est humida cum ejectione materiæ copiosæ viscidæ stipata, judicium est magnæ cavitatis & secessionis humorum è tubulorum alveis in pulmonibus; atque in ejusmodi tussi pulmonali difficilis est in latere affecto decubitus, sique pus purum vel sanguine tinctum simul eliditur, de pulmonibus affectis non amplius dubitandum erit.

§. XXXVII.

Tussis vero stomachalis alia identidem humida, alia etiam sicca est. Si humida, lentum & copiosum sputum post sumtum cibum maxime ejicitur & sæpius quoque simul vomitus movetur, à pectoralibus, dulcibus increbescit tussis & circa matutinum tempus maxime suum resumit impetum. Adsunt quoque simul multæ spasmodicæ & flatulentæ in abdomine afflictiones, neque excretiones per alvum suum servant ordinem, neque in fœminis menses recte procedunt. In tussi vero convulsiva, ferina & sicca, causa maxime hæret in stomachi tunicis nerveis, ac vehemens tunc totius thoracis concussio adest, cum sono profundo, ac post pastum, post potum etiam frigidum, aut acidum assumtum, valde augetur. In hac tussi pertinaciori plerumque hypochondria laborant, vel diathesis scorbutica, salsa sanguini intermixta; quare non infrequenter ejusmodi tussi purpura jungi solet. Si vero latitat materia in duodeno, quale quid sæpius contingit in febribus intermittentibus, præsertim tertianis, item in hypochondriacis; tunc ructus acidi & flatus præsto sunt, & in paroxysmo, post horripilationem, infestat, ac facile vomitum, qui valde biliosus & acidus est, proritat. Infantili ætati tusses convulsivæ admodum sunt familiares, partim quod eorum systema nervorum ad spasticos convulsivos motus admodum proclive est, partim etiam quia cruditates acidæ biliosæ in ventriculo & duodeno in his solenniter stabulantur. Vomitio quoque infantum tussi frequenter accedit; interdum vero plane sicca est, atque ita invalescit, ut suffocationis metum adesse judicaveris.

§. XXXVIII.

Asthma, frequentissimum malum, uti diversas suas agnoscit causas ac causarum sedes; ita etiam non parum inter se differentiæ alit. Frequentius hæret vitium in stomacho, & tunc flatulentum est, & fit ab inflato ventriculo, diaphragmatis liberum descensum impediente. Frequens symptomata est hypochondriacis, imbecillitate ventriculi laborantibus, ab ingestis præsertim flatulentis, malum recrudescere, & vomitu humoribus rejectis, mitigari solet. Asthma convulsivum, ab asthmate humorali, immo sanguineo, multum distat; nam periodicum est & certis tantum temporum intervallis infestat,

infeſtat, maxime vero noctu invadit; ſpiritus ſæpe adeo eſt anguſtus, ut collo extenſo erectoque corpore eundem trahat æger neceſſe ſit. Adeſt ſæpius ſudor frigidus, ſique ad viginti & ultra horas durat, animi defectio accedit. Percipitur maxime compreſſio conſtrictoria circa thoracem, quæ ſæpius uſque ad collum & jugula propagatur. In hoc affectu ſubeſt plerumque vitium in viſceribus abdominis, præſertim hepate, & facile cachecticus ſubſequitur ſtatus. Si vero polypoſum in cordis vaſis obhæreſcens concrementum aſthma parit, vel illud exacerbat, tunc cordis palpitatio jungitur. Si denique, quod frequentioris obſervationis eſt, aſthmatis convulſivi & ſuffocatorii cauſſa eſt ingens aquarum in thoracis cavitate extravaſatio; dolor ſimul extra paroxyſmum fixus in latere thoracis, qua aqua comprehenditur, percipitur, & pes ejuſdem lateris, vel ambo, intumeſcunt, & paroxyſmus eſt diuturnus ac vehementiſſimus, cum maxima anxietate, licet ſine tuſſi, & plerumque etiam necare ſolet.

§. XXXIX.

Non minus & differentia quædam inter aſthma convulſivum, & catarrhum ſuffocativum, adſtrui debet; ſiquidem hic paralyſis quædam ſpecies eſt, nervorum paria, quæ reſpirationi inſerviunt, tangens, quæ ex improviſo adoritur, cum magna anxietate, ſtertore & ſono quaſi ſpumido, inter reſpirandum vultus rubore intumeſcit & ſuffocatio imminet: aſthma vero convulſivum ſervat magis ſuas periodos & chronicum malum eſt, quum ſuffocativus catarrhus ad paſſiones acutas non ſine ratione referendus ſit. Deinde quoque in hoc perpetuus quaſi materiæ affluxus percipitur, qui in aſthmate deficit, ingens etiam virium jactura, plus catarrhum ſuffocativum, quam convulſivum aſthma comitatur. Eſt autem catarrhus ſuffocativus maxime familiaris ſenibus, imbecillioribus, immo infantibus, præſertim retro pulſis exanthematibus, variolis, morbillis, tinea capitis, achoribus faciei, ſcabie & hujus generis aliis.

§. XL.

Accedimus jam ad gravem illum apoplexiæ morbum, qui quomodo ab aliis affectibus diffetat, diſpiciendum eſt. Cum ſyncope multum alit convenientiæ quum in utroque omnium ſenſuum, tam internorum, quam externorum, fiat obliteratio; in eo tamen conſpicua eſt differentia: quod in hac pulſus & reſpiratio non amplius percipiatur, facies palleat & omnia frigeant, in illa vero, præter durantem ſpiritum, florida ſæpe & rubra facies ſit, atque arteriarum pulſatio adhuc obſervetur. Majoris difficultatis eſt, veram apoplexiam à ſpuria diſtinguere. Hæc frequentiſſimum hyſtericarum ſymptoma eſt, & à violentia ſpaſmorum in abdomine proficiſcitur, quibus ſanguis ex menſium ſtagnatione redundans, magno impetu ad cerebrum delatus, in ejus vaſis ſubſiſtens, omnem ſenſum ac motum intercipit, ſalvo tamen pulſu & ſpiritu. Vulgo habetur pro ſyncope, vel etiam epilepſia hyſterica, ſed minus recte, raro quoque feralis eſt, ſed ubi remittit ſtrictura, vel ſanguis largius ex pertuſa vena ſubtrahitur, facile diſcutitur. At vero magis terrere debet apoplexia vera, quæ ob ſanguinem, vel ſerum, vaſorum alveis elapſum, ſubito ſæpius jugulat. Deinceps apoplexia perfecta à debiliori ita etiam eſt diſtinguenda, quod illa ex vaſorum cerebri ruptione, hæc vero ex horum tantummodo nimia diſtenſione & ſanguinis ibi facta ſtagnatione ſubnaſcatur, & ſæpius paralyſin ſenſuumque debilitatem inducat, vitam autem non adimat.

§. XLI.

Quod attinet ad paralyſin, identidem hæc recte in veram & ſpuriam diſpeſcitur. Illa in ipſo cerebro, vel principio ſpinalis medullæ, fixam habet ſedem, ſenſumque fere omnem ac motum ſufflaminat: ſpuria vero mitior eſt, neque tam altas radices agit in cerebro, ſed quibuſdam nervorum paribus, ad certam partem decurrentibus, tantummodo inhæret, & ſenſum ac motum quodam modo lædit. Hæc quoque à colicis, cardialgicis & ſpaſmodicis gravioribus, ſi præſertim à ſanguinis reſtagnatione in plethoricis fiunt, originem ſuam ſæpiſſime trahit, quando nimirum ſanguis ad nervos, vel etiam muſculos, qui manus vel pedes movent, transfertur, & ſtagnatione viſcidum ſerum deponit, quod membranis nerveis incumbens, motus quidem impotentiam, ſenſu tamen & dolore reſiduo, efficit.

§. XLII.

Diſtinguere etiam convenit epilepſiam à convulſionibus. In illa affectæ ſunt cerebri membranæ; in hiſce vero membranæ & nervi ſpinalis medullæ magis patiuntur, neque pollices tam fortiter contracti ſunt, licet maximum robur ſub artuum agitatione deprehendatur. Motus convulſivi etiam invadunt maxime pueros, circa decimum quartum ætatis annum, ex ſuppreſſa iracundia, terrore gravi, intempeſtivo Veneris exercitio, corporis refrigeratione, vel etiam vermium morſu, ac tam mira ſæpe artuum totiusque corporis eſt diſtorſio atque quaſſatio, ut ob inſolentiam faſcino vulgo tribuantur. Mens quoque in quibuſdam variis phantaſmatibus turbatur, ſique non opportuno ac promto auxilio oppugnatur malum, ita vires ſumit, ut vigeſies & ſæpius quoque quotidie ingruat. Epilepſia autem acceſſionum periodos magis circa lunæ phaſes ſtatas, neque tam crebras, ſervat, ac tempore pubertatis plerumque cedit. Denique catalepſis differt ab apoplexia, quod illa derepente invadat, & membra rigida in ea poſitura ac ſitu detineat, in qua accedens ea prehendit. In utroque vero affectu ſenſuum omnium ad tempus abolitio, cum ſtupore ac ſopore quodam, præſens eſt.

CAPUT IV.

De genealogia morborum ex turbato ſolidorum & fluidorum mechaniſmo, ad explicationem hiſtoriæ morborum & veram ac ſolidam therapiam.

§. I.

Alterum therapiæ fundamentum eſt cognitio ortus & cauſſarum morbi.

COgnito ſic atque perſpecto, ex allatis ſuperiori capite characteriſticis notis, quis & qualis ſit? morbo; neceſſarium porro eſt, ut medicus formalem ejus eſſentiam, genealogiam, cauſſarum primordia & ubi ſedem obtineat, curate ſcrutetur, quippe quod alterum veræ pathologiæ ac therapiæ fundamentum eſt. Nam profecto exquiſitior cognitio modi, quo morbi ſuccreſcunt, planam ac facilem ad eos tam arcendos, quam perſanandos, viam medenti pandit. Hinc licet

licet in ſecundo Medicinæ Rationalis Syſtematicæ tomo de morborum ortu & cauſſis copioſe ſatis egerim: haud ſupervacaneum tamen fore duxi, ſi ſuccinctam pathologiæ ſynopſin, proximas morborum quorumvis cauſſam complectentem, hoc loco inſererem. Enimvero ſi fateri licet quod res eſt, ſolida pathologiæ fundamenta usque eo minus recte, hoc eſt, cum connexione ac demonſtratione, expoſita ſunt, ut potius paſſim quamplures hallucinationes, ac ipſis in exercitio artis obviis factis minus reſpondentes opiniones deprehendantur.

Quæ minus recte huc uſque tradita.

§. II.

Scilicet varii quidem ſunt modi, hypotheſes atque principia, quibus tum ab antiquioribus, tum à recentioribus, medica diſciplina fuit tradita: nulla tamen, ut verum fatear, facilior, ſimplicior & naturæ magis conſentanea ſalutaris artis doctrinas pertractandi ratio mihi utiquam viſa eſt, quam quæ à primo & antiquiſſimo medicinæ parente, *Hippocrate*, in ipſius monumentis, immortali memoria dignis, propoſita eſt. Graviſſimus enim hic auctor, non ex ſolis materiæ affectionibus, reſpectibus & qualitatibus phyſicis, neque etiam ex ſpecioſis nominibus, ſed potiſſimum ex proportione, menſura & temperamento, tam motuum, quam humorum corporis noſtri, nec non eorum, quæ ingeri & egeri debent, adeoque pure mechanice, ſolidas rationes, in difficilibus rebus medicis explicandis, ſcite ac docte deducere anniſus eſt, uſus maxime ad hoc, miniſterio ſcientiæ phyſicæ, anatomicæ & obſervationum clinicarum.

Ex variis tamen medicinam tractandi methodis optima Hippocratis.

§. III.

Sane primus fuit magnus hic naturæ conſultus, qui artem noſtram, ex vero non minus, quam appoſite, per ſubtractionem eorum, quæ ſuperflua ſunt, & additionem, quæ deficiunt, per convenientia nimirum remedia, definivit. Primus porro fuit, qui corpus humanum ex partibus ſolidis, fluidis & impetum facientibus, ſive ſpirituoſis, conſtare, illud permeabile eſſe, ejuſque partes invicem conſentire & conſpirare, rectiſſime docuit. Hic quoque primus omnium de ſanguinis progreſſu & circuitu, ejus motu inæquali & à partibus exterioribus ad interiores reſiliente, & rurſus ab his ad illas converſo, in ſcriptis ſuis, præſertim libro de flatibus, luculentam mentionem injecit. Idem præterea peritiſſime in mediocritate ac temperie ſanitatis fundamentum, in nimio vero, & tam ratione quantitatis, quam qualitatis, exceſſivo, quod naturæ humanæ inimiciſſimum judicat, læſionum & morborum cauſſas conſtituit. Denique ex omnibus primum aſſeruit, naturam corporis humani eſſe optimam morborum, ut cum ipſo loqui liceat, præſervatricem & curatricem, immo omnis ratiocinationis in medicina principium.

Quod ejus potiora dogmata teſtantur.

§. IV.

Jam itaque vehementer optandum foret, ut qui poſt *Hippocratem* vixerunt artis profeſſores, & inter hos maxime *Galenus* cum ſuis ſectatoribus, his tam egregie jactis à ſummo viro fundamentis, preſſius inſtitiſſent, & divinam artem magno apparatu obſervationum practicarum, nec non inventis anatomicis, quæ artificioſiſſimam corporis ſtructuram pandunt, atque experimentis phyſico-mechanico-chymicis, quæ rerum corporearum vires, quibus ad vitam continuo homo eget, & motuum quibus vita conſervatur leges, recludunt, melius excolere, ulterius perficere & confirmare, per tot ſæculorum decurſum operam impendiſſent. At vero, ſi verum fateri licet, otioſis potius ſpeculationibus & ſterilibus ratiociniis, ex Philoſophia potiſſimum Ariſtotelica, ſecundum quatuor elementa deſumtis quatuor qualitatibus, humoribus, temperiebus & intemperiebus, nec non variis animæ & ſpirituum potentiis & facultatibus, vix aliud egerunt, quam ut majorem progreſſum & lætiora artis incrementa mirum quantum retardarint, tantum abeſt, ut quicquam ſolidi ad amplificandam illam addiderint. Neque melioris notæ ſunt quorundam noſtri ævi medicorum principia atque hypotheſes, quæ partim ex corpuſculari *Carteſii* Philoſophia, partim ex Chymicorum potentiis ſalinis & ſulphureis, partim etiam ex Metaphyſicorum ſcholis, ortum trahentes, ac ſpecioſo multorum, ut obſcurorum, ſic ſterilium nominum, fuco innixæ, ad ſolidam theoriam & rationalem medicinam ſtabiliendam, parum adjumenti attulerunt.

Sed perperam Hippocratis doctrinam deſeruerunt poſteri.

§. V.

Ego vero quamdiu per divinam gratiam promovendis artis medicæ incrementis, in publico etiam docendi munere, mentem & operam adjeci, id maxime mihi agendum duxi, ut vetuſtiſſima illa ab *Hippocrate* inventa & felici auſpicio inchoata mechanice circa corporis humani naturam & accidentia ratiocinandi methodus, ulterius luculentioribus obſervationibus, nec non anatomicis, item phyſico-mechanicis & chymicis inventis atque experimentis, illuſtraretur, confirmaretur, & ad uberiorem perfectionem traduceretur. Proinde jam etiam hæc inſtituti erit ratio, ut breviter, ſolide tamen, ex ſimpliciſſimis & meris naturæ principiis, motu nempe atque materia illiuſque affectionibus & legibus in microcoſmo, vitæ, ſanitatis & mortis naturam, morborum & varii generis ſymptomatum genealogiam, cui deinde rationalis therapia, ſive vera remedia inveniendi & applicandi methodus, firmiter ſuperſtruenda, in uſum maxime diſcentium & futuræ praxeos, eruam atque ingenue exponam.

Quæ igitur revocanda magisque excolenda.

Inſtituti ratio.

§. VI.

Quemadmodum autem ad omnem in diſciplinis demonſtrationem ac veritatem, prima quædam ſimplicia & intellectu facilia, principia ſeu fundamenta requiruntur, è quibus, tanquam notis, multa incognita & difficilia phænomena apta ſerie clare deduci, explicari atque reſolvi debent: ita pari modo, in medicina rationali reddenda, ſive ſcientifice tractanda, idem merito faciendum eſſe judico. Inquirendum videlicet tale principium ac fundamentum eſt, in quo non modo vitæ, mortis, ſanitatis ac morborum ratio continetur, ſed ex quo etiam, ceu fonte, accommoda omnium, quæ in naturali & præternaturali ſtatu occurrunt ac in morborum hiſtoriis continentur, explicatio promi, nec non ea, quæ in hoc vel illo caſu ſalubria & inſalubria ſint, peti poſſunt. Quodnam vero hoc ſit principium, de eo diſcors admodum eſt medicorum ſententia. Qui corpus noſtrum mere paſſivum atque ad motus edendos ineptum judicant, rebus quoque corporeis vim & efficaciam in iſtud agendi denegant, immateriale quoddam principium, quod apte plerumque & ſapienter motus exſequatur & dirigat, animam nempe, ſive rationalis ſit, ſive ſenſitiva, univerſæ medicæ doctrinæ fundamentum

Inquirendum primo verum medicinæ principium.

quod non eſt anima.

neque spiritus. mentum esse contendunt. Alii spiritus in cerebro & sanguine contentos, æthereæ, sulphureæ, mobilis & elasticæ naturæ, motuum vitalium caussam, eorumque considerationem in pathologicis & therapeuticis utilissimam ac potissimam esse, asserunt.

§. VII.

Sed naturæ corporis humani Hippocratis, quæ æquabili solidorum & fluidorum motu continetur. Nos cum *Hippocrate* naturam corporis humani principium omnis sermonis & ratiocinationis in Medicina esse censemus. Per hanc vero nihil aliud intelligimus, quam perennem sanguinis & fluidorum per corpus mere tubulosum & hydraulicum, beneficio systoles & diastoles, quæ in omnibus canalibus viget, progressivum & in circulum abeuntem motum: ut adeo vita in corpore humano nihil aliud sit, quam motus fluidorum, à solidis, præsertim corde & arteriis, & solidorum, à fluidis proficiscens, quo salvo, machina, ratione mixtionis suæ maxime in putridam corruptionem prona, ab hac immunis persistit, & quo prorsus extincto, putrefactio mortifera incipit.

§. VIII.

Ex integro hoc motu proximæ vitæ ac sanitatis caussæ petenda. Quamvis autem de penitius inquirendis remotioribus motuum vitalium caussis non valde simus solliciti, eo quod subtilior talis theoria, non tam ad scopum medicum, quam potius ad physicam, seu metaphysicam scientiam sublimiorem spectet; non dubitamus tamen asserere: motum illum systoles & diastoles in universo vasorum systemate, qui fluida movet eorumque cursum moderatur & dirigit, neutiquam persistere posse, nisi ad tunicas fibroso-nerveas, è quibus vasa coagmentantur, sanguini per arteriolas, & liquido, cujuscunque sit indolis, per nervulos, liber pateat affluxus, adeo, ut hoc intercepto, repente omnis motus concidat. Porro firmiter asserimus: sanitatem, quæ in libero & ordinato functionum, tam animi, quam corporis, exercitio consistit, à motu systoles & diastoles in solidis, & progressivo fluidorum in vasis, imperturbato & æquabili, à partibus internis & vasis majoribus, ad extimos & minimos canaliculos vergente, unice dependere, quo integro ac inoffenso, humorum utilium, qui ad usum retineri debent secretiones, & inutilium ac superfluorum excretiones saluberrimæ legitime perficiuntur.

§. IX.

& læso, morborum origo arcessenda. Hoc itaque posito sanitatis fundamento, læsionem functionum corporis nostri, quæ formalem morbosi status rationem exhibet, à vitiato solidorum & fluidorum motu unice deducimus; qui, sicuti variis modis lædi potest, ita etiam morborum, seu potius motuum morbosorum caussas formales & proximas varias adstruimus. Attenta tamen in omni morbo, seu statu præternaturali, observatione compertum habemus; motum illum vitalem à partibus interioribus ad exteriores, constrictione minimorum vasculorum & fibrillarum spastica, valde intercipi, ac inverso plane cursu, à circumferentia ad centrum urgeri, & deinde rursus cum impetu à penetralibus ad ambitum, accelerata systole & diastole, agi, qualis motus, si universum corpus afficit, febris dici solet. Deinceps id quoque observatu constat, motum intensiorem systoles, sive spasmum, certas nonnunquam tantummodo partes occupare & fluidorum motum ibi turbare, qui motus vocari suevit spasmodicus. Porro in quibusdam morbis animadvertimus: motum reci-

Pervertitur autem quadruplici modo:
1) per spasmum
2) per spasmodicas strictturas
3) per convulsivos epilepticos motus

procum constrictionis & expansionis in partibus musculosis, tam internis, quam externis, præter voluntatem intendi, qui convulsivus, aut si enormis, epilepticus, dicitur. Tandem etiam in plurimis morbis obvium, motum activum systoles in solidis valde esse remissum ac resolutum, & fluidorum progressum inde retardari, quæ affectio, si levior, atonia, si gravior, paralysis vocatur, & fœcunda est morborum mater.

4) per atoniam.

§. X.

Ad primam classem, referendæ sunt omnis generis febres. Constitutis sic quatuor motuum morbosorum generibus, primo loco istos recensebimus, qui ex aucta spastica vasorum & fibrarum strictura in externo corporis habitu, sanguinem & fluida ad interiora urgente, subnascuntur, quos inter maxime eminet febris. Nulla enim ejus species est, sive sit intermittens, sive continua, eaque vel benigna, vel maligna, acuta sive lenta, inflammatoria, sanguinea, aut lymphatica vel biliosa, item, cum vel sine exanthematibus, sive denique symptomatica, in qua non sub accessione, progressu, immo tempore exacerbationis, partium extimarum refrigeratio, summæ cutis ejusque pororum constrictio, vasorum detumescentia, horripilatio, partium rigor, sudoris suppressio alvique constipatio, observentur. Nullam porro febrem videas, qua sanguis non ab exterioribus ad interiora, cor & appensos eidem majores canales, superiores quoque partes pellatur & congeratur, ut hinc dolor dorsi & capitis, præcordiorum anxietas, inquietudo, spirandi difficultas, pectoris oppressio, pulsuum durities & frequentia, oboriantur, vel plane, coacto ad cerebri & spinalis medullæ membranas sanguinis impetu, deliria, convulsiones ac epilepsiæ, nonnunquam in principio, quandoque etiam, quod magis periculosum, in vigore, accedant. Nulla denique febris, vel motus febrilis species discedit ac solvitur, nisi spastica illa in superficie cutis & minimis vasculis strictura intermittat, vel plane remittat, ut liberior & æquabilis sanguinis ad exteriora & emunctoria affluxus restituatur, quem mollior & validior arteriarum pulsatio, sudor vel mador & perspiratio auctior, nec non alvus solutior & urina crassior, tanquam bonæ criseos signa, sequuntur, vel comitantur. Et duplici hoc motu, omnis febris sive motus febrilis essentia & natura continetur.

§. XI.

Hæmorrhagiæ criticæ & symptomaticæ. Post febres multi alii adhuc sunt morbi & motus morbosi, in quibus pariter sanguinis à partibus exterioribus & inferioribus, ad interiores ac superiores cursus præter naturam convertitur. Videlicet obvium hoc est in omnis generis hæmorrhagiis, tam salutaribus, sive criticis, quam pernicialibus sive symptomaticis. Menstrualis illa sanguinis in feminis, & hæmorrhoidalis in masculis effusio, antequam succedit, inferiora refrigescunt, cutis stringitur, in dorso circa pubem & os sacrum dolor percipitur, artus lassantur, genæ gracilescunt & pallent, demum pulsus intenditur & tunc sanguis effluit. In narium stillicidio, extremæ & inferiores partes levius minimum quoque frigent, facies vero rubet ac tumet, vasa temporum intensius saliunt, gravativus dolor caput obsidet, & sub aucto arteriarum pulsu, sanguis stillat. Hæmoptysin porro nunquam non antecedit extremorum, præsertim pedum, frigus, lassitudo, flatus in abdomine, alvi adstrictio, pectoris oppressio & difficilis spiratio. Ipse cruentus vomitus, & nigri cruoris per anum secessus, nec

non mictus ſanguinolentus, nunquam accidunt, niſi præceſſerint ſpaſmi in abdomine, dolor in dorſo, ani conſtipatio, cum cutis & extimarum partium refrigeratione ac detumeſcentia, arteriis ſemper citatius & ad tactum durius micantibus.

§. XII.

Inflammationes omnes. Eadem ratione inflammationum geneſis contingit. Phrenitis idiopathica æque ac ſymptomatica in febribus continuis, vix aliter inducitur, quam cum horrore & rigore in corporis cortice, alvo compreſſa & urina tenui aquoſa, rapto interea ſanguine ad caput, in quo arteriæ, tam internæ, quam externæ, fortiter pulſant, facies rubet, oculi ſcintillant & nares ſiccæ & calidæ ſunt. Et quia ſanguis copioſius appellitur, quam canalium ſanguiferorum diameter capere poteſt, neque per nares exſolvitur, ad lateralia arteriolarum, non cruoris, ſed ſeri vel lymphæ trajectui dicata vaſa, cogitur, in quibus ſtaſin concipiens, dolorem, ardorem, ac delirium cum phantaſiæ turbatione ingignit. Reliquæ inflammationes, in oculis ophthalmia, in faucium & aſperæ arteriæ principio, angina, in pulmonibus, pleuritis & peripneumonia, in ligamentis hepatis membranoſis, hepatitis, in renum ſubſtantia, nephritis, nec non ea quæ in ventriculo, inteſtinis, utero & veſica conſiſtunt, non alio etiam modo ſubnaſcuntur, quam quod ſanguis per ſpaſmos & dolores, in abdomine inteſtinis præſertim, è minoribus vaſorum propaginibus repellatur, & inde ad alias partes fortiori appulſu congeratur; unde ſæpiſſime obſervavi peripneumoniam & pleuritidem, perpeſſo prius colico dolore, acceſſiſſe. Inſuper inflammationes illæ dolorificæ, quæ extremas partes cum dolore & rubore obſident, ut eryſipelas in cute vel facie, rheumatiſmi in membranis muſculorum, arthritis in ligamentis nerveis junctura rum, podagra in pedibus, gonagra in genubus, chiragra in manibus & iſchiatis in oſſibus iſchii, eoſdem obtinent natales: quandoquidem ante earundem acceſſionem, cutim plerumque horripilatio & refrigeratio tangit, vaſa detumeſcunt, vires cum appetentia languent, præcordia anguntur, quandoque etiam vomitus exoritur & feces retinentur, luculento indicio, ſpaſmis extrema ac interiora ſtringi, ipſumque ſanguinem retro agi.

§. XIII.

Graves quidam capitis morbi. Accedunt graves illi capitis & cerebri affectus, inſultus ſive paroxyſmi epileptici, maniaci, apoplectici, paralytici ac ſoporoſi. Dum enim in his ſanguinis & humorum impetus ad caput, & maxime ejus interiora, urgetur, neque exitum ibi invenit, cruor vel in vaſis membranarum cerebri ſtagnat, & principia nervorum comprimendo, apoplexiam, leviorem tamen ſive ſpaſmodicam, hyſtericis & hypochondriacis familiarem inducit, vel ruptis plane ob nimiam diſtenſionem plexus potiſſimum choroidei vaſculis, effunditur, ac ventriculis illapſus, funeſtam graviorem apoplexiam gignit, vel ſerum ob moram ſecedit, ac in ſubſtantiam cerebri & ſpinalis medullæ deſcendens, paralyſin nec non ſoporoſos affectus & memoriæ imminutionem ſuſcitat, vel denique rapto velocius & cum impetu per cerebrum ſanguine, diſtentis quoque ſimul nimium canalibus, furor exoritur. Hinc eſt, quod ſemper ante incurſum horum morborum, in extremis frigus ac horripilatio ſentiatur, & maxime in hypochondriacis, iiſdem maxime obnoxiis, dolores & ſpaſmi in ventriculo, in dorſo, hypochondriis & abdomine, membrorum laſſitudo & alvus compreſſa, advertatur. Quin imo in epilepſia, compreſſis per ſpaſmum venis externis jugularibus, facies à copioſoris ſanguinis appulſu, non modo turget, ſed & colore ex rubro nigricante perfunditur, motu arteriarum velociori ac duriori, quam in apoplecticis inſultibus viſitur.

§. XIV.

Porro omnis ſeri copioſioris & vitioſi in coryza, per glanduloſam faucium & narium ſubſtantiam, in tuſſi humida ex pulmonum bronchiis, ac in diarrhœa ſeri acris, ſalſi & bilioſi largior & ſalutaris ſæpe excretio, cum horripilatione cutis, extremorum refrigerio, artuum laſſitudine, corporis languore ac perſpiratione ſuppreſſa, accedit, & vernali potiſſimum, nec non autumnali tempore, quo ob aërem frigidum & humidum cortex corporis conſtringitur & fluida ad interiora ſeſe recipiunt, ſolennis eſt. Neque effrenis ſalivæ profuſio argento vivo proritata, quæ mihi aliquoties lethalis viſa eſt, ſine ingenti & continua refrigeratione extremorum, cutis conſtipatione, alvi ſiccitate & urinæ difficultate, obſervatur.

Catarrhi & diarrhœæ ſeri.

Salivæ quoque.

§. XV.

Omnis quoque febrilis vel alius morbus recidivans, perfrigeratis prius notabiliter artubus, dorſo dolente, viribus languentibus, corpore laſſo, horroris cujuſdam ſenſu & alvi obſtipatione, incipit ac repetit. Inprimis frequentiſſimæ obſervationis eſt, exanthemata in acutis quidem variolas & morbillos, purpuram rubram & albam, nec non petechias, in chronicis ſcabiem, puſtulas vel ſalſas alias acres & erodentes cutis defœdationes, poſt ſpaſticam tubulorum cutis criſpaturam, incauta perfrigeratione, vel topicis adſtringentibus improvide applicatis, inductam, diſparere, reſiccari ac ad interiora recedere, gravius damnum certo invectura. Quin ſæpius vidi, œdematoſos pedum tumores, acceſſione febris intermittentis, cui horror & extremorum ſtupor junctus, evanuiſſe, ſed intropulſos, pectoris ſuffocationem intuliſſe.

Recidivæ morborum.

Efflorescentiæ cutaneæ retrocedentes.

§. XVI.

Neque denique in artis exercitio verſantibus ignotum eſſe poterit, quam ſæva pathemata ſubitam lochiorum, menſium & hæmorrhoidum fluxus ſuppreſſionem, conſequi ſoleant, nullam certe aliam ob cauſſam, quam quod, quæ ſanguinem plorant vaſcula, vehementiori ſtrictura, vel à frigida aura, vel animi affectu, vel etiam medicina præpoſtere adhibita, afficiantur, quibus compreſſis, motus antea eo directus retrocedit, & ſanguinem ad nobiliora viſcera & majores canales trudit, ubi copioſius collectus, varias & difficiles turbas ſuſcitat, in inteſtinis quidem, acerba tormina, in ventriculo, cardialgiam, in præcordiis, ſummas anxietates, in thorace, ſpirandi anguſtiam & difficilem ad ſuffocationem uſque anhelitum, in dorſo dolores, in artubus laſſitudinem, languorem & movendi impotentiam, in corde palpitationem ac tremorem, immo ſyncopen cardiacam, in capite, cephalgias, aurium tinnitum, ſcotomiam, quandoque vertiginem, nonnunquam plane epilepſiam, melancholiam, ſive anxias & meticuloſas cogitationes, cum perverſa phantaſiæ impreſſione, ac in univerſo corpore languores viriumque jactu-

Nec non quæ poſt ſuppreſſas hæmorrhagias ſequuntur pathemata.

ram.

§. XVII.

§. XVII.

Nullus ex his morbis solvitur, quam spasmo sublato.

Et hæc cuncta timoris & periculi plena atrocia mala, in omnibus quos recensui morbis, febribus, inflammationibus, doloribus, profluviis aliisque, prius non desinunt & laborantes deserunt, quam sanguinis ac fluidorum à centro ad peripheriam, ab interioribus ad exteriora & vasorum minima, beneficio naturæ vel congruis remediis, repetat aut restituatur. Quare etiam perfectæ solutionis morbi, quam Græci crisin vocant, certa indicia præbent pulsus mollior & sedatior, calor per omnem corporis ambitum æqualiter diffusus, tepidus ex auctiori perspirationis successu mador ac sudor, somnus placidior, alvus solutior & urina crassior, facile sedimentum ponens, ex quo potissimum Veteres, coctam esse febrilem & morbificam materiam, augurabantur.

§. XVIII.

Morbosi igitur motus non per se & sua natura sunt salutares.

Quæ quum ita sint, nemo certe, qui allata curatius expendit, facile in eorum sententiam descendet, qui haud verentur affirmare: & febres, & omnes hos plane morbosos motus, in se & sua natura esse salutares, ad vitam conservandam & corpus ab interitu vindicandum, à sapienti natura provido consilio institutos. Qui enim motus ejusmodi spastici, qui circulum sanguinis vitalem, liberum, æquabilem, ad exteriora corporis per minima vascula iter legentem, sistunt, cohibent ac pervertunt, naturæ amici & salubres dici possent? quum non modo excretiones saluberrimas, sine quibus vita consistere prorsus nequit, intercipiant ac sordes ad interiora reprimant, sed & attenta observatio doceat, sub iisdem lethalem vitæ cataströphen induci. Certe in omnibus chronicis & acutis morbis ipsisque febribus, quando ægri occumbunt, ex iisdem motibus mortis signa desumuntur, quæ inter tanquam ipso eventu toties comprobata referuntur maxime extremorum frigus, horror & rigor partium, sudor frigidus, & exanthematum, si adsunt, retrocessio, facies contracta, nares acuminatæ, tempora collapsa, respiratio anxia & difficilis, summa virium prostratio, cum pulsu inæquali, debili, contracto vel etiam intermittente, insequente demum mentis ac sensuum emotione, aut convulsione. Ipse quoque notavi, eos, qui ex intermittente moriuntur, in ejusdem accessione & frigore, ubi omnia à spasmo constricta rigent, perire, & omnes, qui ex præcedente morbo, ad infestos hos motus, proni sunt, ut hypochondriaci, hystericæ, hæmorrhoidum vel mensium suppressione laborantes, his in morbis acutis per se non adeo periculosis, repetentibus, jugulari.

§. XIX.

Sed tantum per accidens sunt salutiferi.

Quapropter nulla certe alia ratione, nulloque alio respectu, hi motus, per se morbosi, vocari possunt salutares, quam quod per accidens, licet sæpius, per eosdem, alter iste, revera per se salutaris dicendus, sanguinis nempe à partibus internis ad externas tendens progressus, mechanica quadam ratione excitetur, augeatur, ac per ejusdem appulsum, interventu mechanicorum, quibus à summo opifice machina animalis sapientissime instructa est, motuum, ipsius morbi caussa, vel stagnantem materiam resolvendo, vel eandem expellendo, auferatur. Et hoc demum sensu, febris ad Celsi loquendi modum medicina & præsidium corporis appellari, vel ut Hippocrati aliisque Veteribus solenne, denominatio pugnæ naturæ cum morbo, nec non naturæ optimæ morborum medicatricis, admitti poterit, intelligendo per morbum perniciales illos spasmodicos & κατ' ἐξοχὴν morbosos motus, vincendos per naturam, hoc est, salutarem illum ab interioribus ad exteriora corporisque ambitum vergentem sanguinis & humorum motum.

§. XX.

Alterius classis morbis ex spasmo particulari, accensendi dolores in capite &c.

Atque hi sunt natales morborum, quos spasmi, sanguinis & fluidorum motum retro agendo, ingignunt: jam etiam lustrabimus perniciales illos effectus, quos iidem spasmi in partibus, ubi incipiunt & fixam habent sedem, suscitant. Incipiemus à doloribus, quorum caussam plerumque præbent spasmi, dum scilicet nervosas tunicas, quæ acutiori sensu præditæ, gravius & pertinacius infestant, & tantum pro diversitate locorum diversam sortiuntur denominationem. Videlicet vehemens ejusmodi spastica strictura, externas capitis membranas, ut pericranium, attentans, cephalalgiam, modo in sincipite, modo in occipite, parit; si dimidiam cranii partem, in sinistro vel dextro hemisphærio, detinet, dolor vocatur hemicrania; quando vero circumscriptæ tantum certæ regioni insidet, clavus audit. Idem hic spasmus ad ligamenta nervosa dentium descendens, odontalgia; & valde nervosam meatus auditorii membranam exercens, otalgia vocatur. Ventriculi tunicæ nerveæ, nec non orificia, crispata & spastice constricta, cardialgiam, cum ingenti circa præcordia anxietate & angustia faciunt. Intestina quum spasmi exagitant, & quidem tenuia, dolor ilei, circa umbilicum subsistens, urget; si in confiniis hypochondriorum crassa, præsertim colon, tormina vocantur colica; & quando infimam voluminis regionem, à stagnatione maxime sanguinis hæmorrhoidalis, dolor hæmorrhoidum cœcarum nominatur.

§. XXI.

Aliisque corporibus partibus.

In ureteribus reliquisque urinæ evehendæ dicatis & ex tunicis penitus nervosis & musculosis conflatis canalibus, si quando infixus major calculus, hinc distractionem, hinc crispaturam, caussatur, immanis dolor, cum dysuria & aliis gravibus symptomatibus stipatus, gignitur. Stricto autem & corrugato vesicæ sphincstere, ardens urinæ stillicidium, quod stranguriam dicunt, adest. Dolorificus porro hic spasmus, ligamenta, quæ artus vinciunt & continent, obsidens, articulorum morbos excludit, & denominatione à proxima parte desumta, podagræ, gonagræ, chiragræ, vel ischiatidis, vel etiam extremam tantum musculorum membranam sollicitans, rheumatismi, vel pleuram, pleuritidis spuriæ nomine, in medicorum scholis insignitur. Ipsum periostium ubi lancinatur & spastice quoad certam partem affligitur, acutissimus crudelisque dolor suscitatur, in lue Venerea & paronychia obvius, cui atrocia non cedit is, qui facta in luxatione ossium dislocatione, ægros angit.

§. XXII.

De noxio spasmi effectu in excretoriis, & 1) cutis emunctorio.

His non minora, sed majora utique sunt damna, quæ perniciales spasmi, locis, quæ saluberrimis excretionibus vacant, firmius inhæresentes, intentant. Nimirum tubulosa & cribrosa cutis substantia, è cujus spiraculis copiosissimi tetri vapores exhalant, spasticam strictúram, vel ab aeri frigore improvide admisso, vel per consensum ob affectas interiores partes, ut fit in febribus & doloribus, patiente, excrementitiæ illæ salinæ & sulphureæ activæ admodum indolis

sordes, in corporis penetralia resorptæ, vel febres catarrhales ipsamque coryzam ac tusses cient, vel ad intestinorum tunicas latæ, & bile acriori reddita, diarrhœas cum torminibus concitant, vel ad renale emunctorium & urinarios ductus appulsæ, copiosiorem quidem urinam, sed cum difficili mictu, efficiunt; quid? quod eædem superficiales tubulorum in cute strictura, liberam perspirationem sufflaminantes, ad fomitem chronicarum passionum, primis in viis præsertim duodeno constituendam, multum conferant.

§. XXIII.

2) intestinorum volumine.

Alimentaris ille canalis, ab œsophago ad anum porrectus, ingestorum digestioni & relictorum ex his secum excretioni dicatus, si hostili spasmo stringitur, maxima inde & varia in corporis integritatem redundat noxa. Inprimis alvi contumax adstrictio, plerumque debetur spasmis, qui vel ipsis in intestinis, & maxime inferiori coli portione & recto consistunt, vel per consensum è strictis remotioribus partibus eo propagantur. Suppressa autem hac ratione alvi evacuatione, scybala non modo retinentur, sed & omnes flatus cum ipsis sordibus ad superiora & tenuia intestina, immo sæpius ad stomachum, reprimuntur, ubi propter inflationes inde pullulantes, multa eaque gravia insequuntur symptomata, id quod hypochondriaco vel hysterico malo laborantium exemplo luculenter patet. In medio intestinorum hospitans spasmus, motum peristalticum invertit, & ad superiora non modo flatus, sed & feces excernendas urget, ut sursum latæ, per os ac vomitum rejiciantur, quod sæpissime fit in passione iliaca, præsertim incarcerata hernia stipata.

§. XXIV.

Speciatim Ileo.

Ileon sicuti intestinorum est tenuissimum & sensationis exquisitissimæ; ita hoc modo præter naturam affectum, non solum atrocissima circa umbilicum tormina, sed etiam dejectiones crebras & copiosas parit, ut in colica cum diarrhœa juncta, sive biliosa, aut ubi drasticum purgans fuerit assumtum, contingit. *& ventriculo.* Vehemens quoque strictura spastica, quum occupat inferius orificium ventriculi ejusque motum subvertit, vomitus vel conatus ad vomendum emergit; quando vero ambo orificia, sinistrum & dextrum obserantur, ipse ventriculus flatibus turget & mirum distenditur, unde in hystericis & hypochondriacis truculenta sæpe pathemata. Nonnunquam etiam clauso adhuc pyloro, stomachus superius laxatur, & patefacto exitu, ipsi flatus ingenti copia & cum impetu à faucibus erumpunt & ructus fiunt.

§. XXV.

3) In ductibus biliariis.

Et quia totum systema vasorum biliariorum, quæ in hepate & extra illud discurrunt, & motu identidem peristaltico, quem nonnulli recentiorum oscillatorium dicere malunt, biliosum succum demum ad duodenum trudunt, spasmis pariter ex facili patet, ob tunicas, quibus canales biliares instructi sunt musculares & nerveas, fit, ut pro diversitate strictura in vasa hæc cadentis, variæ affectiones morbosæ resultent. Nam orificio ductus cholodochi constipato, ut sæpe accidit ab ira retenta, nec non in cardialgia, in vomitu, vel ab assumto purgante aut veneno, bilis motu etiam inverso peristaltico regurgitat ad lymphæ & sanguinis massam, & icteritium cuti inducit colorem, simul quoque crasin temperatam & benignam sanguinis & humorum corrumpit ac destruit. Ductus cystici & hepatici, quando ob bilem nimis acrem redditam, vel modo dictas causas, arctius adducuntur, ipsa bilis ingenti in copia amandatur ad duodenum, & sedes vel vomitiones admodum biliosas efficit, ipsumque cholericum sæpe parit morbum. Detenta vero in duodeni cavo bilis tam copiosa & vitiosa, cum aliis corruptis ibi flatulentibus male coctis succis facile in corruptionem abit, & gravium symptomatum atque inflammationum fomitem præbet.

§. XXVI.

4] In urinariis v

Idem de systemate ductuum, qui urinam vehunt, tenendum. Hi enim quum non minus peristaltico, hoc est, reciproco systoles ac diastoles motu gaudeant, intensiori facta per spasmum systole earum, & quidem ubi ureteres renibus implantantur, urinæ fluxus plane intercipitur, ac retentus salsus latex non modo renale conceptaculum valde distendit, sed & ad sanguinis massam redit, ut, si diutius perstiterit malum, gravis ad suffocationem usque anhelitus, vel etiam tumor hydropicus, aut convulsiva quædam affectio, quin non raro mors, ingruant. Clausura ureterum ad ingressum in vesicam, quacunque etiam ex causa, contingente, urina è pelvi jugiter stillans appensos ureteres cum sævissimo dolore mirum expandit, ut instar farcimicis diducti post mortem appareant. Quando vero spasmus ad vesicæ sphincterem vergit, urina non redditur, sed vesicam implet ac ampliat. Urethra demum à graviori strictura compressa, mictum difficilem cum ardore & dolore, sive stranguriam, conciliat.

§. XXVIII.

In secretoriis organis.

Uti vero excretoria, sic quoque secretoria corporis organa, detrimentosus spasmus nonnunquam tangit, admisso inprimis externo frigore, vel perpesso graviori terrore. Sic ductus mammarum lactiferi eidem crebrius obnoxii sunt, ut non solum secretio lactei liquoris in glanduloſa mammarum substantia impediatur, sed etiam inde tumores, in abscessus & ulcera desinentes, contrahantur. *faucibus & palato.* Faucium & palati glandulosa compages, ex qua continuo lymphaticus & salivalis succus stillat, ubi arctius stringitur, quod non tantum in æstu præternaturali, sed etiam febrium accessione, nec non in aliis affectibus internis spasmodicis contingit, fauces arescunt & sitis accenditur. *villosa intestinorum.* Patiter tunica villosa intestinorum tenuium, quæ tota vasculosa & cellulosa si inflata exsiccetur apparet, spasmodice contrahitur, ob tunicam nerveam cui insternitur, & tunc parum humoris ex ingestis per venas lacteas ad massam sanguinis fertur, unde corpus emaciatur, imus contra venter intumescit, immo durus ac renitens à flatibus intro coactis fit, ac ita tandem tympanitis gignitur. *glandulæ faucium.* Vicissim quum glandulæ, quæ salivalem laticem in fauces eructant, medicamento mercuriali ad iteratas fortiores strictura sollicitantur, salivæ ingens exoritur profluvium, quod etiam evenit, in hypochondriacis ab humore stimulante acri acido.

§. XXVIII.

Porro in diaphragmate.

Superiores & nobiliores corporis partes, quo magis reliquis in œconomia animali præstant, eo gravius detrimentum, si infesto spasmo premuntur, ipsa corporis patitur integritas. Diaphragma, & maxime ejus portio nerveo-tendinosa, quando præter naturam valide contrahitur,

asthma

asthma nascitur sic dictum spasmodicum; cum sensu coarctationis & compressionis circa præcordia, solenne hypochondriaco malo vexatis symptoma. Quin spasmo hoc diutius septo incumbente, summa spirandi urget angustia, quam haud raro œdematosus, sive hydropicus inferiorum partium tumor, insequitur, eo quod cava vena, ex hepate emergens ac per diaphragmatis substantiam nerveo-tendinosam transmissa, hoc corrugato, simul angustatur, ut sanguis per adductum ejus alveum difficulter ad cor volvatur, & liberiori transitu excluſus, non tantum in inferrioribus partibus, verum etiam in venæ portæ ramis & plurimis abdominis visceribus copiosius collectus, restagnet, ac mora serosam in poros dimittat portionem, unde tumores. Vasa & ramificationes asperæ arteriæ per pulmonum substantiam dispersæ, tunicis muscularibus & nerveis vestitæ, quando vehementiam spasmi experiuntur, quod non raro fit inhærente iisdem intus genita, vel retropulsa quadam acri, serosa, exanthematica materia, ingens pectoris oppressio & respirationis difficultas oritur, quæ, propulsa ad habitum corporis perniciali illa materia, protinus cessat. Laryngis & pharyngis nerveis & musculosis partibus, quum insidet spasmus, constrictivus quidam circa gulam observatur sensus, haud secus ac si palus ibi fixus hæreret, quod hystericis, spasmo ventriculi laborantibus, familiare.

aspera arteria.

larynge & pharynge.

§. XXIX.

Longe magis adhuc terrent spasmi sensibiliorum cerebri membranarum. Nam dura sic dicta mater, per quam sinus venosi feruntur, & à qua, tanquam matre, omnes membranæ nervosæ originem sortiuntur, ob texturam prorsus nervosam ac fibrosam, motu tonico vitali, systole & diastole, pollet, & sanguinis per caput & cerebrum progressum, nec non fluidi tenuissimi in nervorum principia ingressum, quam maxime moderatur. Quapropter læso ejusdem motu eoque per spasmos intensiore facto, non mirum est, perquam sæva pullulare pathemata. Inprimis hoc loco ceu perpetuæ veritatis assertum inculcandum: quod animi dispositio, inclinatio ejusque varii motus, immo impressiones & functiones in judicando, à sanguinis & fluidorum motu ac transitu per cerebrum ejusque membranas, plurimum dependeant; hic vero sanguinis cursus, pro varia duræ potissimum meningis textura, tono ac motu, succedat atque regatur. Et hanc ob caussam mentis emotionem sive delirium, tam melancholicum, quam furibundum, aliaque gravia in capite mala à præternaturali hujus membranæ constitutione quam maxime arcessenda esse judico.

Cerebro ejusque membranis, præsertim durae matre.

§. XXX.

Scilicet quando ita stringitur dura mater, ut sinus venosi angustentur, & hinc per ipsam sanguis impeditius trajiciatur, in animo variæ anxiæ & sine omni caussa formidolosæ ac tristes comparent phantasiæ, ad desperationem quandoque accedentes, cum intellectus errore, qui affectus melancholia vocatur, in spasmodico hypochondriaco malo obvius. Ubi vero durante tali strictiore duræ matris habitudine, sanguis à caussis in corporis interioribus delitescentibus, vel etiam ab iracundia, cum impetu ad caput rapitur, insania furibunda cum lædendi impetu, vehementi odio & ira sine evidenti caussa, nascitur. Et nunc facile intelligitur, quare melancholia facile transeat in furorem, & hunc

Unde melancholia.

furor.

sæpe melancholia excipiat. Quod si vero sanguinis progressus ob rigidum duræ matris spasmum sistitur, & vasa cruore repleta nervorum principia comprimunt; levior species apoplexiæ gignitur, quæ nobis dicitur spasmodica, & crebro visitur in gravi affectione hysterica, ac tempestive admissa venæ sectione, repente nonnunquam tollitur.

& apoplexia levior.

§. XXXI.

Neque sensoria à crispatura spastica penitus sunt immunia. Si ad nervos pertingit opticos, quod aliquoties vidimus à vermibus, visus ad tempus perit, vel duplicatur. Si ad interiores auris, quæ labyrinthum cochleam & meatuum auditoriorum succingunt, tunicas fertur, non modo tinnitus & susurrus molestissimus, sed & intolerabilis anxietas à sono externo acuto percipitur. Nervi linguales spasmo correpti, quod etiam aliquoties in verminantibus observatum est, aphoniam sive loquelæ defectum inferunt. Internum narium spatium, una cum sinubus ossium cranii, tunica valde nervosa & glandulosa, quæ pituitaria vocatur, obductum est, quæ ubi spasmo, sive acri frigore, sive ab austero humore huc delato, aut nimio pulveris tabaci usu, adstricta, non modo muci excretio cum odore impeditur, sed & gustus simul læditur. Insignis enim est saporis & odoris sympathia, utpote membrana narium posticæ ossis palati parti, quæ columellam apprehendit, appenditur, & ex pari quinto nervi ad palatum & nares etiam mittuntur. A spastica hujus membranæ strictura deducenda etiam mihi videtur ratio, quare feminæ hystericæ & qui gravibus pathematibus spasmodicis affliguntur, suaveolentia, quæ penetranti agilitate stricturas intendunt, ægerrime ferre queant; adeo ut si factum fuerit, universo nervorum systemate in consensum tracto, sævissima symptomata, syncope, summa præcordiorum anxietas, spirandi angustia, in quibusdam convulsiones, proritentur.

In sensoriis sensus læsi.

§. XXXII.

Neque dubium est, quin membranæ, quæ medullam in spina contentam cingunt, & ejusdem sunt structuræ, naturæ & usus cum membranis cerebri, spastica strictura afficiantur, idque secundum meam sententiam sæpissime, maxime omnium vero in principio omnium febrium, præsertim intermittentium contingit. Nam illa per universum corpus conspicua horripilatio, refrigeratio, pororum cutis corrugatio & vasorum ejus cum pallore detumescentia, neque minus oscitatio, pandiculatio, sunt affectus nervorum, qui ex medulla spinali suam accipiunt originem. Idem quoque dolor circa primam vertebram lumborum, qui plerumque ab initio omnium motuum febrilium obvius, id adstruere videtur. Quod argumentum tamen in peculiari dissertatione, de vera motuum febrilium indole ac sede fusius prosequutus sum.

In medulla spinali accessiones febrium.

§. XXXIII.

Supereſt adhuc alia motuum præternaturalium, qui morbos proxime efficiunt, species explicanda, cujus indoles non tantum in intensiori & aucta fortius systole, seu contractione, sed etiam reciproca & successiva vehementiori expansione, seu dilatatione, consistit. Dicuntur hi motus convulsivi, & incipiunt in locis nervosis, sive immediate, sive per consensum valde irritatis, & demum transeunt ad musculos, etiam eos, qui voluntatis arbitrio subjecti sunt, quos dire & horribiliter sæpius agitant, distor-

Tertia species motuum morbosorum convulsio.

universalis epilepsia. quent & è situ suo dimovent. Quod si dura mater cerebri, cujus actio & conspiratio cum membranis nerveis universi corporis, inque primis medullæ spinalis maxima, convellitur, universalis hæc est convulsio, particularis magis, si membranæ & nervi medullæ spinalis, in hoc vel illo latere, tali motu afficiuntur. Sæpe ipsa spina, vel antrorsum, vel retrorsum, horribiliter curvatur, jactatur & distorquetur, modo totum corpus flectitur, modo certi artus, manus vel pedes, hinc inde agitantur.

particularis, motus convulsivus artuum.

§. XXXIV.

Intra corpus palpitatio cordis. Hisce motibus internæ quoque musculosæ & nobiliores partes obnoxiæ sunt. Cordis quippe palpitatio, qua è sede sua validissime dimovetur, nonnisi convulsionis species est. Diaphragmatis succussus, quo thorax cum impetu ampliatur & rursus angustatur, cum intensiori exspiratione, rectissime etiam ad convulsionem referri potest. In apoplexia, epilepsia & gravibus quibusdam capitis morbis, ipsius thoracis convulsio conspicitur, qua cum intensiori facta respiratione, thorax vehementer diducitur & repente etiam contrahitur, lethale utplurimum in apoplexia signum. Quando diaphragmatis musculus convellitur, fit singultus, cujus causa utplurimum hæret in ventriculo. Quandocunque larynx valde nervosa & tunica quæ bronchia pulmonum cingit nerveo-glandulosa, à sero acri irritantur, pectoris etiam fit convulsio & succussio, cum vehementi conatu expectorandi, in tussi sic dicta ferina, seu convulsiva. Quamprimum fibræ nervosæ nares oblinentes ab acri quodam stimulo vellicantur, illico, ob commeatum nervi intercostalis, diaphragma per inspirationem altiorem deprimitur, & mox spasmo remittente, violenter retractum, fortiorem exspirationem, cum vehementi aëris exsufflatione præstat. Quin notabile est, quod à titillatione super costas facta, diaphragma motu reciproco agitatum, cachinnos moveat.

asthma convulsivum.

singultus.

tussis convulsiva.

sternutatio.

§. XXXV.

vomitus. Percommode quoque in convulsionum censum vomitum referre licet, qui à fortiori structura pylori & fundi ventriculi, aucta vero nimium expansione orificii sinistri & œsophagi, perficitur. Non raro ex intestinis tenuibus, ut fit in passione iliaca, contenta vomitu rejiciuntur, quod non sine inverso motu peristaltico, qui in succedanea contractione & relaxatione consistit, fieri potest. In cholera ac diarrhœa, qua sordes mucosæ & biliosæ brevi tempore ingenti copia ejiciuntur, ejusmodi convulsivam affectionem, non modo intestinorum, sed & ductuum biliariorum, adesse, censendum est. Ructuum impetuosa è stomacho fortiter contracto expulsio, hypochondriacis perquam frequens, eo quoque referri debet. Præmatura fœtus in utero exclusio, sive abortus, nunquam sine ejus convulsione contingere potest; neque partus legitimus aliter peragitur, ita tamen, ut convulsiva agitatio non tantum uterum, verum etiam partes vicinas in regione pubis & ossis sacri, tangat, & musculos quoque dorsi & abdominis in consensum trahat. Nam ejusmodi vehementes spasmos, sive constrictivos motus partium, subsequitur tandem mira orificii uteri interni dilatatio.

cholera, diarrhœa.

ructus.

abortus & partus.

§. XXXVI.

Atoniæ debentur. Expositis sic iis morbis, quorum formalis ratio in convulsione versatur: transeundum nunc est ad eam affectuum classem, qui ex toni, seu potentiæ motricis, in nervosis & musculosis partibus, item in ipsis canalibus qui fluida vehunt, imbecillitate, seu nimia remissione, aut exsolutione; quam Græci atoniam, vel si gravior affectio, paralysin, vocant, subnascuntur, quippe qui non levius periculum ac priores, vitæ intentant, sed certo respectu gravius. Quicunque paullo curatius ipsius mortis theoriam scrutatur, is non à vero aberrabit, si censebit, eandem in plenaria & universali resolutione, seu potius extinctione motuum, qui in corde, arteriis, membranis & omnibus musculis vigent, consistere. Nam simul ac motus ille activus systoles cordis & arteriarum silet, vel extinguitur, protinus tota œconomia reliquorum motuum & functionum aboletur. Si systole cordis ad tempus intercipitur, syncope, quæ imaginem mortis præbet, oritur. Sub languida valdeque imbecilli cordis & arteriarum pulsatione, quæ fit sæpius à metu vel magna mœstitia, vires naturæ ita exsolvuntur ac prosternuntur, ut anima, cujus operatio in sensu & cogitatione consistit, deliquium quoddam patiatur. Mors, quæ venenum assumtum sequitur, ab extincta vi motrice cordis oritur, dum illud vel narcotico quodam vapore hanc supprimit, vel ob vehementiam spasmorum, cor quassantem, fluidum, quod motum præstat, penitus dissipatur, ut ex toto desinat systole.

Mors ipsa.

syncope.

Animi deliquium.

§. XXXVII.

Lubet vero sigillatius damna certarum partium ex atonia exponere. Graves illi cerebri morbi, stupor, sopor, torpor, continua ad somnum propensio, sensuum, memoriæ & ingenii abolitio, vix gigni possunt, nisi sub magna atonia & imbecillitate ac systole deperdita duræ matris, nervorum & membranarum nervosarum, si nempe fluido summæ activitatis, tenuissimo & purissimo, quod veteres spiritum animalem vocant, variis de caussis destituuntur. Gutta serena, sive plenaria visus obscuratio, salvo oculo, nihil aliud quam nervi optici paralysin indicat. Sique hi nervi à vicina carotide, sanguine distenta, paullo arctius comprimuntur, vertigo fit, quæ tamen etiam à spasmo nonnunquam suam petit originem. Soluto penitus nervorum acusticorum vigore, quod vel à nimia ibi exundante humiditate, aut occallescentia fit, surditas est. Molestus ille aurium tinnitus, qui in interiori aure, intra tympanum & tubam Eustachianam, continetur, à nimia humiditate membranarum, quæ osseas has partes cingunt, demum in vapores resoluta, producitur. Nervi linguales, uti spasmo constricti, ita etiam paralysi resoluti, loquelam auferunt. Nimium relaxatæ ab incumbente sero tunicæ nervosæ, quæ ossa narium squamosa investiunt, quod frequentius fit in coryza, odoris sensum auferunt. Nimia musculorum pharyngis laxitas efficit, ut difficulter ore ingesta deglutiantur, quod etiam fit, si tunica nervea œsophagi, ab humore pituitoso nimium relaxata fuerit. Nervorum pneumonicorum & qui ad bronchia porriguntur paralysis, spiritum intercipit & catarrhum sic dictum suffocativum infert.

Graves cerebri morbi.

Gutta serena.

Vertigo.

Surditas & tinnitus.

Aphonia.

Odoris & deglutitionis vitia.

Catarrhus suffocativus.

§. XXXVIII.

Inprimis nimia tunicarum nervearum ventriculi atonia gravi detrimento corpus mactat; quippe hac præsente, ingesta non tantum gravativo dolore epigastri regionem premunt, verum etiam diutius ibi hærentia & mora corrupta, stomachi

Varii ventriculi & intestinorum affectus.

ſtomachi inflationem & anorexiam cauſſantur. Idem evenit, ſi à tono ſuo admodum dejectum eſt inteſtinum duodenum, quod alter & ſuccenturiatus quaſi ſecundum noſtram ſententiam ventriculus & altera chyli officina; quandoquidem humores ex ventriculo appulſi, moram in ejus cavo nectentes, ſi in corruptionem abeunt, multorum morborum cauſſam præbent, adeo, ut ſedes ac ſeminarium fiat multarum ægritudinum. Labefactatus quoque periſtalticus inteſtinorum reliquorum motus, flatulentias, borborygmos, murmura ac ſonitus in ventre parit, qui ſi in acuto & periculoſo morbo comparent, lethalis internæ ſphacelationis indicium præbent. Sphincteris qui veſicam & anum claudit paralytica reſolutio, involuntarium urinæ & ſecum ſeceſſum affert, atque in morbis robur virium naturæ exſolutum ſubjudicat. Laxata nimis atque remiſſa tubuloſa cutis ſecretoria compages magnam imbecillitatem prodit, ac ut ſudores frigidi, vel plane colliquativi, manent, efficit.

Urinæ, ſtercorum & ſudoris effluxus.

§. XXXIX.

Nobiliora porro viſcera robore debito orbata, variis & pernicialibus morbis ortum præbent. Sic pulmones infirmati, copioſo humorum affluxui & collectioni patent, unde tuſſis humida & copioſa, vel etiam aſthma ſic dictum pituitoſum, quin ſic allectus ſalſorum & acrium humorum decubitus, ad abſceſſus, exulcerationes, vomicas ipſiusque phthiſici mali generationem quam facile diſponit. Hepatis & lienis viſcus, propter vim motricem tonicam amiſſam, humorum infarctibus, vaſorum obſtructionibus, indurationibus quoque & ſcirrheſcentiis obnoxium eſt, & hinc diræ illæ chronicæ paſſiones, icterus niger & flavus, cachexia, ſcorbutus, hydrops, incunabula trahunt. Ipſa vaſa ſanguifera, præſertim arterioſa, robore haud raro exuuntur, ut languente eorundem motu, ſanguis difficulter curſum conficiat, ſpiſſeſcat, paſſim in alveis ſtagnet minimoſque obſtruat, & ſic gignatur ſic dicta plethora ad vires, fœcunda morborum matrix, quæ frequentiſſime cauſſam conſtituit morbificam in corporibus imbecillis ab alio morbo brevi liberatis.

De morbis exatonia in pulmonibus.

Hepate & liene.

Vaſis ſanguiferis.

§. XL.

Et quum nullum viſcus in univerſo corpore ægrius per copioſiſſima vaſa ſanguinem tranſmittat, ſimulque ad dejectionem toni ac roboris & hinc oriundam humorum ſtagnationem ac tumorum generationem, tam proclive ſit, quam hepar & in fœminis uterus: grave utique & frequens damnum ex iis imminet. Nimirum advehit ad hepar ſanguinem vena ſic dicta portæ, quæ, ſi robur obtuſum eſt, minus expedite ac promte ſanguinem per hoc mere vaſculoſum viſcus trajicere & propellere valet, ſed cruor regurgitat ad illas partes illaque viſcera, quibus vena hæc propagines ſuas inſerit, ſtomachum puto, omentum, pancreas, lienem ac totum inteſtinorum volumen, & propter ſtaſes atque ſtagnationes parit ibi dolores, ſpaſmos, flatus, obſtructiones, indurationes, corruptiones, abſceſſus, hæmorrhagias, aliaſque timoris & periculi plenas paſſiones. Uterus vero mille ærumnarum, juxta *Hippocratem*, mulieribus auctor, ſi copioſiſſimi tortioſo ductu per ejus compagem diſcurrentes canales, ob remiſſum robur ſanguini trudendo non ſufficiunt, is pariter relabitur ad vaſa hypogaſtrica arterioſa & ad viſcera abdominis reliqua, unde non ſecus ac in nobiliori ſexu

Speciatim vaſis hepatis.

& uteri.

pathemata ſic dicta ſpaſmodico-hypochondriaca, in fœminis hyſterica dicta, ſuboriuntur. Ipſa quoque uteri vaſculoſa ſubſtantia, ſtagnante ſero ac ſanguine farta, immodicum menſium aut ſeri mucidi profluvium, abortum & ſterilitatem, tumores ingentis magnitudinis, carcinomata, quin in ipſo cavo, varias concretiones carneas, quæ molarum nomine notæ, contrahit.

§. XLI.

In tubuloſo renum colatorio, debito robore deſtituto, ſerum à ſanguine effuſe ſecedit & diabetes naſcitur, qua plus urinæ redditur, quam liquidum aſſumtum. Ex eodem etiam fonte, deſtructo nempe renum tono, calculi renalis petenda eſt generatio. Quod ſi enim tranſitus ſanguinis per vaſa emulgentia languida tarde difficulter ſuccedit, retardatur ſimul excretio urinoſi liquoris, qui in tubulis urinariis prope pelvim ſubſiſtens, dimittit craſſam, tartaream & mucidam materiam, ſucceſſive in calculos concreſcentem. Pariter ſi veſica enervis, vi, ut ita loquar, expultrice privata, urinam non reddit, hæc retenta, mora illa craſſum ponit ac mucidum ſedimentum, quod ſenſim ſolideſcens, calculo generando anſam præbet. Inſuper hebetata veſicularum & vaſorum ſeminalium contractilitas, in cauſſa eſt, ut lymphaticus & ſeminalis liquor copioſius in loculis colligatur, ac demum nimium congeſtus, per pollutionem nocturnam, immo ipſam benignam gonorrhœam, ſponte exſtillet.

In renibus.

& veſicâ.

Vaſiſque ſeminalibus.

§. XLII.

Denique etiam membranæ & nervi ſpinalis medullæ, variis de cauſſis ſæpe penitus à tono ac robore dejiciuntur, quod, ſi in uno latere accidit, hemiplexia, ſive paralyſis fit, dextri, vel ſiniſtri lateris, ſub qua ſenſu & motu orbantur partes lateris, ad quas nervi ex ſpina feruntur. Si autem non in ipſa ſpinali medulla, ſed extra eam diſcurrentes nervi ac membranæ nervoſæ artuum, v. c. brachiorum & pedum obtunduntur, motus affectæ partis remanente quodammodo ſenſatione, exſpirat, & affectus vocari ſolet pareſis.

In membranis ſpinalis medullæ.

§. XLIII.

Quum itaque omnes omnino morbi ad motus, nimium vel intenſos, vel debiles atque remiſſos ortum referant, ita quidem, ut hi chronicas & rebelles, illi autem acutas & celeres magis paſſiones invehant; quæſtio nunc diſquiſitione haud indigna incidit: ſpaſmus, an atonia partium ſit deterior & negotio vitali magis infenſa? Nos ingenue & libere profitemur: atoniam eſſe pejoris indolis ad ſanitatem cum vita ſubruendam, quam ſpaſmum. Nam licet ipſe ſpaſmus atroces dolores, ingentes moleſtias atque anxietates pariat; ſæpius tamen per accidens utiliſſimum effectum præſtat, dum motu ſolidorum & fluidorum aucto, cauſſæ morbificæ, ex qua ipſe pullulat, ſubmovendæ inſervit, ſtaſes, ſtagnationes & infarctus diſſolvendo, & humores vitioſos, temperie & quantitate peccantes, exturbando, ut hoc facto, morbus ipſe feliciter ſolvatur atque diſcedat. Deinde longe facilius eſt, motus excedentes impetuoſos componere ac ſedare, quam deficientes plane revocare & excitare, quandoquidem atoniæ ea eſt ratio, ut exhauſtis naturæ viribus, ſanguine nempe & ſucco nerveo conſumtis, ſubnaſcatur, quorum jactura non tam promte reſarcienda. Debi-

Atoniæ ſpaſmo deteriori.

litas quoque, ſive vis motricis in partibus languor, cauſſa plerumque eſt ſanguinis in certo loco congeſtionis, ſtaſis, ſtagnationis, corruptionis, immo viſcerum infarctus, è quibus poſtea, ceu proximis cauſſis, febres, ſpaſmi & præternaturales motus ſuccreſcunt, vel denuo repetunt ac recidivant. Neque etiam ullus morbus ullumque ſymptoma gignitur, niſi præcedat eximia generis nervoſi infirmitas, aut nobiliorum partium atonia, ſive hæc in ventriculo, inteſtinis, ſyſtemate vaſorum meſaraicorum, membranis cerebri aut medullæ ſpinalis, ſive etiam ipſis excretoriis, conſiſtat; quo etiam fit, ut roborantia & balſamica medicamina, languidam partium facultatem refocillantia, ad morbos arcendos efficaciſſima ſint præſidia.

§. XLIV.

Spaſmus atoniam, hæc illum ingignit.

Porro, qui motus microcoſmicos eorumque indolem attentius expendit, compertum habet: ſpaſmum, qui truculenter in morbis torquet & exagitat corporis partes, in iiſdem ſemper motus impotentiam, ſive imbecillitatem, relinquere, & hanc plerumque cauſſam eſſe repetentis denuo paroxyſmi. Atroces dolores excipit demum partium affectarum intumeſcentia; inflammationem acutam, ſphacelatio, quæ ſummus atoniæ gradus. Vehementem illam in febrium inſultibus externarum partium ſtricturam, in declinatione magna cutis relaxatio cum ſudore copioſo ſequitur, æſtum antea intenſum, cutis refrigeratio, pulſum celerem ac durum, die vacuo tardus ac molliter undulans. Convulſivi truculenti motus, artubus quos exagitarunt, ingentem poſt imbecillitatem atque languorem conciliant. Ipſe quoque obſervavi, poſt vomitiones & dejectiones alvi creberrimas, immo validiorem purgantium operationem, alvum claudi & ventriculi atque inteſtinorum robur mirum atteri, quod potiſſimum uber flatuum proventus teſtatur. Ut adeo perpetua hæc ſit microcoſmica lex, in pathologicis ſtudioſe inprimis obſervanda: quod ſpaſmus relinquat atoniam, & atonia viciſſim ſpaſmis ingignendis velificetur.

§. XLV.

De morbis ætatum ex hoc fonte derivandis.

Monendum tamen eſt: quod tam imbecillitas, quæ auctore *Celſo*, omnibus morbis patet, quam ipſe ſpaſmus, certis ætatibus, ratione partium quas afficit, certis quoque ratione ſtructuræ corporibus, magis vel minus ſolennis atque familiaris ſit. Enimvero hiſtoria medica experientiæ innixa teſtatur: atoniam & infirmitatem capitis & quæ ad illud pertinent partium, infantibus & pueris eſſe frequentiſſimam, ac inde veram morborum, quæ teneriorem ætatem infeſtant & capiti plerumque incumbunt, derivandam eſſe originem. Hanc enim ſæpius achoribus, tinea capitis, aurium & oculorum defluxionibus, glandularum tumoribus, coryza, narium ſtillicidiis, ſanguinolentis & mucoſis, epilepſia quoque corripi, res eſt inter omnes notiſſima. Currente juvenili & prima virili ætate, ſpaſmodicæ ſtricturæ in præcordiis ac pectore, in univerſum quoque motus ſolidorum & fluidorum intenſiores, frequentius conſpiciuntur. Hinc enim eſt, quod juvenes ac viri ad inflammationes pulmonum, pleuritidem veram ac ſpuriam, peripneumoniam, hæmoptyſin, phthiſin, hecticam, aſthma, inflationes ventriculi, affectum hypochondriacum, qui in præcordiis maxime ſedem obtinet, immo ad febres ardentes bilioſas, tertianas & continuas, admodum ſint proclives & crebrius iiſdem tententur. In adultioribus tandem, debilitas & atonia inferiores in imo ventre ſitas partes magis corripit. Et hanc ob cauſſam ætate ingraveſcente, morbi, qui in abdomine ſedem & originem habent, quam maxime affligunt, quorum in numero ſunt renum, veſicæ calculus, colica, diarrhœa, cachexia, hydrops, ſcorbutus, mictus cruentus, fluxus hæmorrhoidum nimius, tumores pedum œdematoſi, atrophia, anorexia & ſtranguria, infeſta ſenibus pathemata.

§. XLVI.

Omnes igitur morbi ſunt generis nervoſi affectiones.

Ex hiſce autem omnibus uberius hactenus excuſſis, perquam dilucide apparere arbitror: quod ſolus ſpaſmus & ſimplex atonia, æquabilem, liberum ac proportionatum ſanguinis omniſque generis fluidorum motum, qui excretionum ſucceſſus & integritas functionum animi & corporis proxime nititur, turbando ac pervertendo, univerſam vitalem œconomiam ſubruant ac deſtruant, atque hinc univerſa pathologia longe rectius atque facilius ex vitio motuum microcoſmicorum in ſolidis, quam ex variis affectionibus vitioſorum humorum, deduci atque explicari poſſit, adeoque omnis generis ægritudines internæ, ad præternaturales generis nervoſi affectiones ſint referendæ. Etenim læſis quocunque modo vel nervis per corpus diſcurrentibus, vel membranoſis quibuſvis à nervoſis partibus, illico motuum anomaliæ, modo leviores, modo graviores, ſubſequuntur. Deinde attenta obſervatio docet, motus quoſvis morboſos, principaliter ſedem figere & tyrannidem exercere in nervoſis corporis partibus, cujus generis præter omnes canales, qui ſyſtaltico & diaſtaltico motu pollentes, contentos ſuccos tradunt, univerſum nimirum inteſtinorum & ventriculi ab œſophago ad anum canalem, totum ſyſtema vaſorum arterioſorum, ductuum biliariorum, ſalivalium, urinariorum & ſubcutaneorum, ſunt quoque membranæ nerveo-muſculares cerebri & medullæ ſpinalis, præſertim hæc, quæ dura mater vocatur, organis ſenſoriis obductæ, nec non tunicæ illæ ac ligamenta, quæ oſſa cingunt artuſque firmant. Nam nullus dolor, nulla inflammatio, nullus ſpaſmus, nulla motus & ſenſus impotentia, nulla febris, aut humoris ullius excretio, accidit, in qua non hæ partes patiantur. Porro etiam omnes, quæ morbos gignunt cauſſæ, operationem ſuam potiſſimum perficiunt in partes motu & ſenſu præditas, & canales ex his coagmentatos, eorum motum, & cum hoc fluidorum curſum, pervertendo; ita tamen, ut ſicuti variæ indolis ſunt, ſic etiam varie in nerveas partes agant iiſdemque noxam affricent. Demum omnia quoque eximiæ virtutis medicamenta, non tam in partes fluidas, earum craſin ac intemperiem corrigendo, quam potius in ſolidas & nervoſas, earundem motus alterando ac moderando, ſuam edunt operationem: de quibus tamen omnibus, in vulgari uſque eo recepta morborum doctrina, altum eſt ſilentium.

CAPUT V.

De conſenſu partium nervoſarum generatim & ſigillatim cum ventriculo, præcipua paſſionum & ſymptomatum origine.

§. I.

Tractationis ratio.

OMnis generis morbos & præternaturales motus ad duo genera, ſpaſmum nempe & atoniam,

niam, referri posse, & generis nervosi maxime esse affectiones, superiori capite succincte & distincte docuimus: jam sequitur, ut consensum, sive potius mutuam illam conspirationem & communicationem motuum vitiosorum, quam partes nervosæ motu ac sensu exquisitiori gaudentes, inter se alunt, tradamus, ac inprimis quam singularis ventriculo, cum nervosis universi corporis partibus, sympathia intercedat, edisseramus; exposituri simul, quod non modo omnes quæ motus præternaturales cient caussæ, sed & medicamenta, proxime nervosas partes, & maxime ventriculum cum intestinis, virtute sua ac operatione afficiant. Et hac demum ratione fiet, ut genealogia multarum passionum & symptomatum in morbis, quæ eo usque abstrusa admodum atque incognita fuit, ipsorum quoque remediorum effectus ac operandi modus, clarius innotescant & perspiciantur.

§. II.

Partes in corpore tanquam machina connexæ.

Videlicet corpus nostrum esse machinam, & artificio & usu omnibus aliis, quæ ab humana arte proficisci possunt, longe superiorem & perfectiorem, dudum quidem sagacissimi medicorum agnoverunt; non tamen facile firmius ad idem demonstrandum suppetit argumentum, quam exquisita illa mutua connexio & coordinatio, inque eundem finem conspiratio partium, quæ undiquaque in universa compage conspicitur. Hinc etiam est, quod unius partis vitium, aut læsio, mox, ob arctum hunc nexum, in alias transeat, ut inde omnes machinæ motus inordinati fiant, vel sensibilem turbationem patiantur: haud secus ac videmus, læso vel unico rotulæ dente in machinis artificialibus, protinus earum motus inde reddi inordinatos.

§. III.

Ex partium structura motus.

Sicuti vero omnis machina tantummodo eum in finem constructa est, ut ex sua structura convenientes edat motus: ita animadvertimus, corporis nostri structuram, maxime esse hydraulicam & vasculosam, quo fluida diversi generis jugi & continuo motu, vi & potentia motrice, non modo cordis atque arteriarum, expansiva & contractoria, sed & aliorum ductuum secretoriorum & excretoriorum, per diversissimæ amplitudinis tubulos circulari in orbem motu ferantur, & variæ indolis humotes, pro diametro & directione canalium, & secernantur, & excernantur. Animadvertimus porro machinam corporis nostri ex meris fibris ac membranis nervosis elasticis, contractilibus & expansilibus, esse contextam, atque in iis ipsis motus quosdam tensivos, tremulos, oscillatorios celebrari, qui tam motibus vitalibus secundandis, quam ad offerendam materiam principio, quod in animantibus est, sentiendi ac percipiendi, serviunt. *Et nexu consensus.* Et quia præterea totum systema nervorum & membranarum cohæret ac mirifice inter se connexum est, non aliter fit, quam in chordis tensis, ut fibrilla una pulsa, altera quoque moveatur, in quo quidem mutua illa conspiratio fibrarum & membranarum, qua motus vitiatos & præternaturales invicem communicant, consistit.

§. IV.

Partes speciatim consentientes.

Atque hæc harmonia ac sympathia partium nervosarum, maximi momenti & usus est in pathologicis, adeo, ut sine ejusdem accurata notitia, plurima, quæ in morbis accidunt symptomata, quomodo producantur, vix ac ne vix quidem explicari possit. Quapropter merito dolendum esse arbitror, quod hæc doctrina in libris medicis huc usque partim minus recte pertractata, partim etiam penitus neglecta & prætermissa sit. Operæ hinc pretium utique fore duco, si tam utile argumentum perveſtigatius paullo & subtilius in præsenti disquisitione agitem atque expendam. Prius vero quam id exsequar, ante omnia in genere tenendum est: quod partes nervoso-membranaceæ, inter quas ejusmodi consensus quam maxime viget, sint primo membranæ cerebri & spinalis medullæ, deinde membranæ nerveæ, quæ organa sensuum, oculos, aures, nares, ora & fauces interius investiunt, ac porro membranæ, quæ omnis generis ossa succingunt, caput, dentes, articulos ipsosque musculos. Tum quoque totus ille canalis, qui à pharynge ad anum usque elongatur, ac œsophagum, ventriculum totumque intestinorum volumen conficit, & mere nervosus ac membranaceus est, conspectius consentit. Idem præterea consensus in universo systemate ductuum biliariorum, urinariorum cum vesica, & qui glandulas constituunt ac ex iisdem liquorem secretum devehunt, & denique in ipsa cute, quæ ex meris fibris tendinosis & nerveis contexta est, per omnem corporis ambitum, observatur atque succedit. Omnium itaque & singularum harum partium mira invicem est connexio, conspiratio, sympathia & motuum quoque læsionum communicatio, quando à caussa quadam violenta, sive crassiori, gravius afficiuntur.

§. V.

Omnis sympathia partium à nervis.

Quemadmodum vero nobiles hæ partes motum, sensum atque actionem suam, à nervis eorumque propaginibus sortiuntur, licet emergentes inde singularum functiones mirum differant; ita plurimum utique refert, nervorum conjugationes ac distributiones ramulorum, à quibus singulæ partes animantur atque moventur, probe pernoscere, quo vitiosorum organis ab iisdem impressorum motuum origines rite pateſcant. Recte enim jam cel. *Ettmullerus*, ex hoc fonte partium sympathiam derivavit, dum *Opp. Tom. II. pag.* 36. ita scribit: *consistit ergo consensus partium in connexione unius cum altera, quæ triplici inprimis solet fieri ratione, ita quidem, ut omnis proprie dictus consensus fiat ratione saltim nervorum. Consentiunt nempe partes nerveæ triplici modo: primo, quatenus fibræ nerveæ sunt continuæ, qua ratione imminente vomitu, tremit labium inferius: vel secundo, quatenus sunt contiguæ, quarum ratione calculus vesicæ subinde stimulum infert alvi & tenesmum excitat, quia collum vesicæ & intestinum rectum invicem incumbunt, sic affecto orificio stomachi, sequitur singultus. Tertio, consensus partium fit ratione connexionis mediantibus funiculis nerveis; qua ratione consentiunt renes, uretheres & intestina, stomachus & caput.*

§. VI.

Inprimis à quinto & octavo pari.

Inprimis tamen necessarium est, exacte cognitas habere illas nervorum conjugationes & propagines, quæ ex cerebri inferiori substantia oriuntur, & extra calvariam delatæ, ad internas partes corporis abeunt; siquidem per has, & partes inter se, & omnes ac singulæ cum cerebro ejusque membranis, consensu fruuntur. Sunt vero hæc paria solenniora & notabiliora, quæ ex cerebro ad partes feruntur, duo, quintum videlicet & octavum. Et quia intercostale ex ramis quinti

quinti paris & ramo ſexti, item octavi paris, originem ſuam ſumit, & cum pari octavo quoque intra cavum thoracis & abdominis plurimum conjungitur, & ramis ex ſpinali medulla, intra coſtarum ſpatium prodeuntibus, increſcit, & hoc ipſum demum fere ad omnes corporis partes, quo motum, robur ac ſenſum accipiant, defertur, ideo ob hunc nervum diffuſiſſimum maxima fit partium inter ſe & cum capite conſenſio atque motuum communicatio. Quia vero ut omnium, ſic etiam horum nervorum, deſcriptionem nemo accuratius & excellentius perſequutus eſt ipſo *Vieuſſen*; nolumus eam repetere, ſed ingenuum lectorem ad hujus *Nevrographiam*, pro perſpicienda & intelligenda varia nervorum diſtributione, remittimus. Nobis vero jam ſatis erit oſtendere, quomodo per hos dictos nervos partes inter ſe conſentiant, & unius læſio in alias tranſmigret, variaque ſymptomata inde progenerentur.

§. VII.

Ad conſenſum evolvendum ſufficit maxima nervorum ſenſibilitas.

Ut autem hæc omnia, quomodo peragantur, & qua ratione præter naturam affecti nervi tantas mutationes, etiam non ſine exitio & periculo vitæ ac ſanitatis efficiant, intelligi poſſint: neutiquam nobis opus eſt, in ſubſidium principium quoddam incorporeum, ſingulari ſenſu & notitia rerum, quæ corpori inſunt & in eo fiunt, inſtructum, vocare, quia ejuſmodi principio ad vitale negotium plane non indigemus, utpote quum non ſenſus, ſed motus tantum, ad producenda ſymptomata morboſa ſatis ſit. Neque diſputare hic noſtri inſtituti erit, quod & quale liquidum in nervis vehatur, & quomodo ejus motus à cauſſis morbificis præter naturam afficiatur; ſed ſuffecerit ſaltem noſſe, omnes motus vitales cum ſecretionibus & excretionibus, naturales, placidos & ordinatos eſſe, ſi in nervorum ac membranarum ſyſtemate omnia tranquilla & pacata ſunt: id eſt, ſi nullam vim patiuntur, neque ulla, quæcunque etiam fuerit, violenta motio ipſis inducitur. In genere enim hæc regula perpetuo ac probe, in rationali morborum explicatione, obſervanda eſt: nullam vim vel motum tolerare poſſe nervos, & quæ ex iis prodeunt partes membranoſas. Simul ac enim hæ à cauſſa quadam vehementer commoventur, concutiuntur, vel diſtenduntur, aut comprimuntur, lancinantur, puńguntur & trahuntur, protinus ratione motus contractio, criſpatura, ſtrictura & partium vicinarum, præſertim vaſorum, compreſſio præſto eſt: unde magnæ in circuitu ſanguinis & humorum æquabili turbæ atque anomaliæ exoriuntur.

§. VIII.

Hinc facile afficiuntur, ab animi pathemate.

Sola perverſa & minus rationalis cogitatio & impreſſio, quæ ſub animi quodam impetu fit, quæ & directe & proxime nervoſas invadit partes, ingentes turbas in tota œconomia motuum vitalium & animalium excitat. Sciendum autem eſt, vim perverſæ cogitationis & impreſſionis nihil quidem corporei eſſe; attamen, ſimul ac influit in corpus & nervoſas partes præter naturam exagitat, meros effectus corporeos, videlicet vel partium vehementem ſtricturam, contractionem, aut earum reſolutionem, laxitatem & flaccidiatem producit. Quare etiam ea remedia, quæ ſpaſmodice contractos nervos molliunt, leniunt & efferos motus ſedant, perquam feliciter acerbis illis ſymptomatibus, quæ animi impetuoſior quidam motus concitat, opponuntur. Eum vero in finem hæc adduximus, ut addiſcamus, ab animi motu, ceu ideali atque incorporeo tantum actu, univerſum genus nervorum ita affici & commoveri poſſe, ut omnium partium munera inde labem contrahant & periclitentur.

§. IX.

A commotione interna & externa.

Deinceps quanta læſio & pernicies toti corpori accedat ex gravi percuſſione capitis & cerebri, ac principii nervorum inde facta ſola commotione, ſalva partium internarum textura, ſenſuum abolitio cum corporis lapſu in terram, nauſea, vomitus, omnium virium ſimul & ſemel facta convulſio, ſatis abundeque declarant. Et quod magis mirandum eſt, à ſola commotione corporis & capitis externa, in ſano homine, confeſtim acerba ſymptomata produci poſſunt: cujus rei exemplum navigationis inſueti præbent, quos navi maris fluctibus jactata, vel in gyrum circumacta, vertigo, nauſea, enormis vomitio cum ſumma anxietate, pallor faciei, virium languor, appetitus proſtratio, ſatis miſere excruciare ſolent, quæ morborum ærumnæ vix ullam aliam agnoſcunt cauſſam, quam quod nervorum in capite principium inſolito motu agitetur & commoveatur.

§. X.

Minimæ molis materiis.

Igitur minimæ molis ſæpius materia & leviſſima cauſſa, modo in nervoſis partibus inſolentem quandam motionem vel agitationem excitare poſſit, magnis præter naturam motibus provocandis apta eſt. Fumus tabaci, etiam non adeo magna quantitate ore hauſtus, quas non ingentes anxietates cum ſudore frigido, faciei pallore, vomitione, nauſea ad animi fere uſque defectionem, in inſuetis producit. Effluvia ſtupendæ quanquam ſunt exiguitatis, quæ ex ſuaveolentibus, moſcho, zibetho & floribus jaſmini exhalant; attamen tanta efficacia pollent, ut fœminam, cujus nervi enormibus anomalis contractionibus aſſueti ſunt, id eſt, quæ ſecundum veterum loquendi modum ſenſibiliſſimæ eſt indolis, vehementiſſime affligant, ſyncopen inferendo, uſum vitæ ad tempus ſuſpendant, corpus humi proſternant, vel graves anxias & ſuffocatorias pectoris oppreſſiones & ſpirandi anguſtias concitent, quæ aſpectu horrenda ſymptomata, fœtido naribus admoto vapore, ex tempore & miraculi inſtar ſiſti poſſunt, eam videlicet ob rationem, quod exhalationes tenuiſſimæ ſulphureæ, intimæ ad nervoſas partes ſint admiſſionis, & contrarium ſuaveolentibus effectum, nempe ſedativum, in iis exſerant. Etenim quando vapor, odore per nares ſuſceptus, nervorum ramulos, ex quinta conjugatione prodeuntes, præter naturam afficit, protinus hujus inſoliti motus communicatio, mediante pari intercoſtali & octavo, tranſit ad fauces atque ventriculum, cor & pulmones, unde horum ſymptomatum ratio petenda eſt.

§. XI.

Aliisque tenuiſſimis cauſticis.

Simili ratione quando à ſubtiliſſime cauſtica materia, ſive, venenata, in cute ſauciata nerveæ fibrillæ interius tanguntur, quod fit, ſi cum punctura vel morſu virus ſeſe altius inſinuat, in morſu viperæ, ſcorpionum, canis rabidi, vel inſtrumento, ſucco hellebori albi, oleo tabaci, aut linimento, quod arſenicum ingreditur, imbuto, in quas non horribiles univerſum ſyſtema nervorum commotiones & ſpaſticas ſtricturas conjicitur? unde acerbiſſimorum, maxima ex parte lethalium

lethalium symptomatum, origo. Febris enim, syncope, sudor frigidus, faciei pallor, vomitus, nausea, flavus color faciei, artuum convulsio, mentis emotio, alvi pertinax constrictio, urinæ suppressio, summa anxietas, inquietudo, spirandi angustia, nonnisi affectus sunt præter naturam & supra modum generis nervosi commoti, quibus gravissimis & funesti certo effectus afflictionibus, non alia ratione, nisi mature, & statim inter initia, antequam motuum vitalium œconomia prorsus destructa fuerit, medicina, eaque specifica, succurrere licet. Nam, si unquam tantopere à medicis collaudata specifica locum inveniunt; certe tunc opem conferunt præstantissimam, ubi genus nervosum ex minima, virulenta tamen caussa, in pessimos, vitæ inimicos motus & contractiones abreptum fuerit; si videlicet contrariæ indolis materia, eas maturiori exhibitione cita ope compescunt. Quam gravia & funesta symptomata post medicamentorum septicorum, ut est arsenicum, factam partibus tendinosis & nerveis exterius tantum applicationem sequantur, legi meretur *Obs.* 80. *Cent. VI. Hildani*, qui refert: virum robustum, qui tumore cancroso laboravit & cui Chirurgus pulverem ex arsenico applicuit, mox in dolorem vehementem, vigiliam, febrem ardentem & continuum cibi fastidium ac vomitum incidisse, & tandem delirio & syncope exorta, intra paucos dies mortuum fuisse.

§. XII.

Magis commoventur nervi à crassioribus materiis.

Multo magis à solido & rigido corpore, quandocunque nervi portio læditur, acerba & gravia in toto corpore visuntur symptomata. Ita tenuissima acu vel lanceola, ex purissimo chalybe confecta, quando in ferienda vena improvide læditur subtratus nervus vel tendo, in corpore etiam exquisite sano, dolor, tumor durus, partis inflammatio, cum horrore, febre, vigilia, & quandoque, nisi cito succurramus, sphacelus & mors consequitur. Qualia tristia exempla complura sæpius, non sine dolore, in praxi conspiciuntur. Neque tantum Chirurgi, qui læsionem inferendo primam occasionem malis subministrant, sed & ipsi maxime medici, qui progredienti malo commoda medicina, quæ tantummodo in principio unico emolliente consistit, non satis dextre & mature occurrunt, inculpandi sunt. Anni jam aliquot exacti sunt, ubi juvenis, medicinæ culturæ addictus, subito febre, cum siti, vigilia, summa anxietate levique delirio corripiebatur; quæ quum per sex dies durassent, in consilium vocor. Inquisivi in caussam, edixit: bene se sanum & valentem fuisse, simul ac vero cuspis cultelli scriptorii, de mensa forte delapsi, inciderit in dorsum pedis, ingentem dolorem ibi fuisse excitatum, & ab eo tempore graviter se laborasse. Locus affectus erat durus, tumidus & bruni coloris; applicuimus cataplasma emolliens ex floribus emollientibus, croco etiam, in lacte decoctum: insuper dedimus emulsiones papaveraceas, cum pulveribus bezoardicis, quo facto, mox omnia symptomata interitum minitantia ex toto conquieverunt. Quam infeliciter pedum clavi, in senio præsertim confectis & scorbuticis corporibus, non raro exscindantur, tristissimis exemplis ac historiis indies fere edocemur. Tendinibus enim cum supersedeant clavi; hinc quo altius adigitur cultelli cuspis, eo facilius fit, ut tendo subjectus pungatur, unde exitialis, ob sphacelum exorientem, corporis ruina pendet. Spina vel levis sestuca membranosis, vel tendinosis locis altius, v. g. infra ungues, infixa, brevi etiam in sano homine, similis generis symptomata, dolorem, tumorem, ruborem, partis pulsationem & febrem, cum siti & vigilia parit. *Hildanus Cent. V. obs.* 2. complura exempla proponit, ubi à punctione spinæ in pede vel in digito manus facta, dolor maximus, inflammatio, febris, delirium & sphacelus obortus fuit. Non ita pridem à caustico, ad excitandum fonticulum, in loco incongruo improvide posito, in honoratiori fœmina ingentem totius brachii tumorem doloremque usque ad humeros & pectus pertingentem, cum febricula notavimus; ubi tamen mox externis & internis convenientibus auxiliis, divina sub Numinis gratia, suppetias tulimus. Quod vero sphacelus, inprimis in extrema ætate & scorbutico corpore, tam facile nervosis partibus, præsertim extremis membris, insideat, id non tantum propter nervorum læsionem fit, verum quod exinde membranæ nerveæ constringantur, & interpositis numerosis venis & arteriis sanguis immotus detineatur, qui in sphacelosam corruptionem quam facile ruit.

Clavo excisso.

Ut punctura tendinis.

Spina & festuca.

§. XIII.

Punctura vespæ.

Quam gravia ex punctura vesparum, præsertim in locis membranosis & tendinosis, ut sunt carpi manuum, tempora capitis, junctura artuum, pathemata suboriantur, compluribus observationibus, hinc inde in medicorum clarissimorum monumentis annotatis, edocemur. Inter has notabilis est ea, quam in medium producit *Hildanus Obs.* 87. *Cent. IV.* ubi fœmina à vespa punctionem circa carpum sinistrum accepit, & protinus ingens dolor in loco affecto, cum lipothymia, exortus est, qui ab initio manum quidem & carpum solum occupavit, mox tamen per totum corpus expansus, acerbior factus est, quin eodem die etiam vesicæ, seroso & pellucido humore repletæ, efflоruerunt; convaluit tamen, inunctione facta ex oleo scorpionum. Et *observatione* 80. *l. c.* refert: juvenem robustum & plethoricum, à vespa in dextrum faciei latus, haud procul à minori cantho oculi, punctum fuisse, ubi ingens dolor & inflammatio cum gangræna faciei sequuta est. Idem laudatus auctor *Cent. V. obs.* 25. refert historiam puellæ, cui Empyricus liquorem in aures instillavit, incredibili dolore, postea febre, vigilia & tumore subsequentibus. Et *Cent. I. obs.* 4. memorat exemplum puellæ, cui in concavum auris globulus vitreus instar pisi illapsus est, quo facto, mira symptomata successerunt, tota pars illa capitis usque ad futuram nocte dieque doluit, accesserunt etiam sinistro brachio stupores usque ad digitos, pollicem & indicem, progredientes ad lumbos usque, tibiam & pedem, tussicula sicca assidua affuit, menstrua suppressa sunt, accesserunt epilepticæ convulsiones & ipsum brachium in atrophiam incidit: quæ cuncta acerba pathemata, feliciter extracto globulo, simul & semel conquieverunt. Hæ adductæ observationes satis abundeque id confirmant, læsiones nervosarum partium, quæcunque & ex quacunque etiam caussa exortæ fuerint, propter communicationem, quam nervorum propagines inter se habent, mirifice functiones partium etiam dissitarum lædere & conturbare posse.

Aliisque levibus caussis.

Et inde universum systema patitur.

§. XIV.

Ejusdem indolis sunt internæ nervosæ partes.

Quod quidem quemadmodum in læsionibus partium nervosarum externarum in propatulo est; ita idem gravius affectis internis exquisite sentientibus

tientibus partibus contingit, ut plane mirandum sit, quam horrenda symptomata exinde subsequi soleant. Insigne hac de re exemplum prodidit idem laudatus *Hildanus Cent. I. obs.* 34. ubi aciculam grandiusculam forte quæpiam deglutivit, ex quo non ita multo post in fundo ventriculi & circa pylorum exortus est tam intolerabilis dolor, ut dies noctesque exclamare & ululare coacta fuerit. Sexto die à morbo phrenitica facta est, cum ardentissima febre, lingua arida, vultu inflammato, ut neminem agnosceret, nec cibum nec potum exposceret. Convulsiones colli, brachiorum & crurum maximæ & horrendæ aderant. Aliquando sese ex una in alteram partem lecti tali impetu projiciebat, ut tres viri, quantumvis robusti, vix illam tenere possent, mox tanquam semimortua jacebat, rursus tamen & repente priora symptomata revertebantur. Huic tam graviter afflictæ, *Hildanus*, optimo consilio, nihil nisi oleosa & jusculæ præcepit. Et quum aciculam tandem egessisset, pristinæ sanitati paullo post restituta est.

§. XV.

Inprimis ventriculus, qui consentit cum universo genere nervoso.

Utut vero consensus & mutua motuum communicatio inter omnis generis partes, quæ nervosæ sunt texturæ ipsisque nervis dotantur, perpetua sit, idque inprimis in acutis passionibus eluceseat: attamen nulla pars in universo corpore est, quæ tam conspicuam ac intimam cum omnibus & singulis nervosis corporis locis & organis harmoniam ac sympathiam alat, quam ipse ventriculus, adeo, ut si ulla pars, quæ exquisitæ sensationis est, etiam longius dissita, præter naturam afficiatur ac moveatur, statim etiam stomachus inde luat & compatiatur. Inde etiam patet ratio, quare in omnibus fere morbis, actio ventriculi, quæ revera est systematica, videlicet appetentia, digestio, chylificatio, vacillet, ac attenta observatio medico-practica doceat, quod ventriculo male habente, vel gravius læso, à quacunque etiam causa id fiat, protinus universum nervosarum partium systema inde offendatur, quo procul dubio permotus fuit acutissimus ille *Helmontius*, ut animæ sensitivæ sedem in ventriculo collocaverit. Et profecto, res est maximi momenti & subtilioris indaginis, quod nonnulli, percusso fortius, pugno vel duro alio instrumento, exterius cordis scrobiculo, sub quo pylorus reconditur, cito ac insperato perierint, inventa post mortem nulla læsionis mortiferæ nota, sed macula tantum ex flavo rubra, circa extremitatem diaphragmatis & inferiorem ventriculi partem, quales casus, ambigentibus de lethalitate medicis, aliquoties ordini nostro ad decidendum oblati.

§. XVI.

Quod testatur venenorum operatio.

Nihil vero clarius & manifestius ventriculi cum omnibus corporis nervosis ac sensibilioribus partibus consprirationem demonstrat, quam actio veneni, è vegetabilium, vel mineralium censu desumti, spiculis acerrimis, causticis, tenuissimis ventriculi & intestinorum tunicas nerveas intime penetrantis, lancinantis ac arrodentis, cujus generis maxime sunt arsenicum, & quæ ex mercurio ac regulina antimonii substantia prodeunt corrosiva, cicuta aquatica, fungorum varia genera, ipsa quoque purgantia, quæ non alio modo necant, quam per fortissimas spasticas universi generis nervosi contractiones. Inde enim cardialgia, inanis vomendi conatus, singultus, præcordiorum anxietas, spirandi angustia, constrictio diaphragmatis, linguæ ac faucium ariditas, sitis inexhausta, alvi suppressio, flatuum retentio, diarrhœa torminosa, perpetuus ad urinam emittendam stimulus, extremorum refrigeratio, sudor frigidus, facies sic dicta Hippocratica, artuum tremor, pulsus intermittens & suppressus, delirium, animi deliquium, epilepsia, convulsio, inquieta corporis agitatio, quæ ordinaria sunt veneni assumti symptomata, atque ab arrosione tunicarum ventriculi fiunt. Et tametsi in iis, qui veneno corrosivo necantur, ventriculi & intestinorum inflammatio ac sphacelatio semper post mortem conspiciatur; hæc tamen neutiquam tantorum symptomatum & tam celeris mortis caussa est, sed potius horrendi illi per totum genus nervosum propagati spasmi, quorum consequens in intestinis & ventriculo consistens inflammatio est, feralem vitæ catastrophen inferunt. Nam spasmo veluti forti vinculo coarctatis ventriculi venis minimis sanguis immotus hæret, regredi nescit inque corruptionem transit. Ex quo jam facile intelligi potest, quare non præsentius & certius adversus corrosiva venena sit præsidium, quam in copioso lactis, oleosorum atque emollientium usu, quæ non modo ob id mortem avertunt, quod tenuissima veneni spicula obtundant atque contextu suo oleoso viscoso involvant, sed & quia ad constrictas nervosas partes relaxandas, vix ullum melius quam in hisce est auxilium. De quibus autem omnibus meretur certe evolvi *Wepferi*, Medicorum & Anatomicorum peritissimi, doctissimus libellus de *cicuta aquatica*, qui varia experimenta cum venenis, emeticis & purgantibus, animantibus eadem ingerendo, instituit, & quæ ea sequuta sunt symptomata, nec non internas quæ post mortem deprehendit læsiones, curate notavit & consignavit.

§. XVII.

Mercurialium præparatorum præstantia.

Ipsa mercurialia, sicuti dextre præparata & prudenter adhibita, usus sunt longe præstantissimi; ita vicissim minus recte parata & præpostere exigua etiam dosi propinata, universum corpus gravissimo damno afficiunt. Memini præ aliis, Chymicum quendam Empiricum ante aliquot annos jactitasse, se incomparabilem adversus podagram possidere medicinam, tam præsentaneæ virtutis, ut tribus tantum granis, tertia quavis hora assumtis, omnes omnino dolores, intra XXIV. horas, ad miraculum usque abigeret. Permotus hac gloriatione generosissimus quidam vir, exquisitissime sentientis naturæ & jam à triginta annis dolore podagrico ex hæreditaria dispositione afflictus, Lipsiæ periculum fecit, ac per diem sex pulveres deglutivit, quibus usurpatis, omnis quidem dolor simul & semel conquievit, sed subsequente nocte inquietus erat, anxietate summa cum vertigine premebatur, ut caput vix erigere posset, extrema frigescebant, & mane quum è lecto surgere volebat, apoplexia tactus misere interiit. Oblati postmodum à cognato mihi sunt ad examen efficacissimi hi pulveres, ubi, institutis nonnullis experimentis, eosdem mercurialis esse prosapiæ deprehendi, tam corrosivos, ut gustatæ fauces & linguam instar mercurii sublimati afficerent atque constringerent; quod autem dolor inde evanuerit, procul dubio ratio est, quod suscitato in exterioribus spasmo, materia acris ad interiora repulsa est.

§. XVIII.

Alia noxa in ventriculo detenta.

Porro *Forestus lib. XVIII. de stomach. aff. obs. XIV.* ex lacte in stomacho concreto symptomata veneno

veneno similia annotavit, quippe ægra nausea sine vomitione afficiebatur, cum ingenti ventriculi dolore, adeo ut syncope subsequeretur & anhelitus præfocatio, adstantesque illam morituram putarent, omnia tamen pathemata, rejecto per vomitum lacte evanuerunt. Et *Galenus* memoriæ prodidit, adolescentem ab humore æruginoso, os ventriculi mordente, sæpius universali convulsione fuisse tentatum, eamque ipsum non deseruisse, donec ærugo ejecta. *Dum aliquid*, inquit; *os stomachi vellicat, mordendo ac æstuando, fiunt fastidia, jactationes, cardiogmus, atque jam vomituvientibus os sputo plenum esse videtur & labrum inferius concutitur, ventris ore ad vomitum excitato.*

§. XIX.

Pathemata hypochondriaca & hysterica.

Eandem ventriculi cum universo nervorum systemate sympathiam confirmant porro symptomata truculenta, quæ subinde hypochondriacos exercere solent, quandoquidem radix mali sic dicti hypochondriaci omniumque in eodem solennium symptomatum in ventriculo male affecto fixa est, in quo spasmi incipiunt, postea per propagines nervorum successive serpunt & consueta illa symptomata ingenerant. Nam si ventriculus, quod sæpissime fit, flatibus prorsus distentus est, ejus orificiis simul spasmo constrictis: tunc nervorum conjugationes, quæ ex pari octavo, item ex intercostali, ad ipsum feruntur, molesta tractione, tensione in partibus diversis, quas simul transeunt, varia & gravia invehunt pathemata. Ita nervi pneumonici & qui ad præcordia abeunt retracti, summas & constrictivas anxietates, cordis tremores, palpitationes, pulsum frequentem, durum & contractum suscitant; sique ii tenduntur, qui ad fauces, ad œsophagum ac cervicem abeunt, faucium constrictio cum deglutitione difficili, tractio molesta in cervice, dolor constrictivus in humeris, regurgitatio ciborum & flatuum ad os; in capite vero vertigo, oculorum caligo, cataracta spuria, capitis dolor, frigoris in eo acerrimus sensus, anxia & tristis cogitatio, hemicrania, animi perpetua anxietas & desperatio maxima, ad timorem ac terrorem proclivitas, nullius rei voluptas, somnus parcus & inquietus, cum virium languore & vitiata in sensoriis perceptione, oriuntur. Et quia simul plexus mesenterici & nervi intercostales in consensum trahuntur, dolores adsunt dorsi, tormina ventris, mensium & hæmorrhoidum inordinatus fluxus, dolor artuum, urinæ tenuis & aquosæ mictio, alvi strictura, quandoque etiam nimia ejus dejectio, extremorum quoque refrigeratio. Quorum omnium & singulorum symptomatum ingens fit allevatio, discussis ex ventriculo & intestinis ructibus aut flatibus, spasmodicis constrictionibus per clysteres, per balnea & antispasmodica sedatis, & viscida acida ac biliosa colluvie, per benigna laxantia cum amaris balsamicis juncta, educta.

§. XX.

Nec non intermittentium paroxysmi.

Communicationem quoque ventriculi cum partibus nervosis universi corporis, paroxysmi febrium intermittentium non obscure declarant. Procul enim omni dubio harum febrium minera primis in viis delitescit, & ex universo corpore, per glandulas, ductus biliarios & pancreaticos, in hæc loca descendit, & ex mora, dum firmius tenuium intestinorum valvulis ac tunicis inhæret, corrumpitur ac pessimam indolem contrahit, & nonnisi spasmis, qui in prima regione incipiunt, omnia illa, quæ febribus solent associari symptomata, absolvit. Nam extremorum frigus, tremor & horror partium, præcordiorum anxietas, pulsus in principio parvus & compressus, postea celerior, nausea, vomitus, faucium & linguæ ariditas, sitis, dolor dorsi & capitis, tensio abdominis, constrictio alvi, urinæ tenuis & flammeæ sine sedimento secessio, pandiculatio, oscitatio, dolor ossa quasi contundens: profecto nullam aliam nanciscuntur originem, quam quod plexus stomachicus & mesentericus, qui ex intercostali & octavo pari concrescunt, vehementi spastica tractione & constrictione laborant. Quare etiam non certior & præsentior intermittentibus medendi est methodus, quam convenienti medicina mineram febrilem temperandi, expellendi & vehementes spasmos compescendi, postea afflictas & debilitatas partes roborandi. In eo tantum unice latitat intermittentes curandi arcanum, ut pro diversitate caussarum, individuorum ac temporum, hæc remedia debito ordine, tempore ac dosi offerantur.

§. XXI.

Consentit ventriculus cum capite.

Sigillatim vero maximus observatur consensus inter capitis membranas, ipsumque ventriculum. Rectissime hinc scribit *Baglivus pag.* 565. *qui laborant animi pathemate, potissimum corripi solent morbis ventriculi, ut inter cetera observavi in mœrentibus, qui conqueruntur primo de languore ventriculi, mox inappetentia, oris amaritie, siti circa horas matutinas, eruditatibus, flatibus & tensionibus hypochondriorum.* Eamque ob rem monet Medicos, ut in morbis ab animi pathematibus præ ceteris ventriculo prospiciant. Ego non semel sed sæpius à diuturno animi angore & mœstitia, in hominibus antea sanis, hilaris animi & sanguineæ complexionis, affectum hypochondriacum, qui potissimum in ventriculo consistit, subortum fuisse, vidi, anxium scilicet dolorem circa præcordia, inappetentiam, languorem, inquietudinem, mœstitiam sine caussa, alvi constrictionem, continuam eructationem & inflationem circa cordis scrobiculum.

§. XXII.

Quod testantur animi pathemata ira.

Ira quoque potissimum operationem suam exserit in ventriculum & duodeno connexos ductus nervosos biliarios, unde frequentissime ii, qui ira excanduerunt, cardialgiam, contractionem circa scrobiculum cordis, cum ardore, propensione ad vomitum, oris amaritie & alvi obstipatione experiuntur. Et tunc nihil deterius est, quam frigidum potum ingerere, quo affectum perfecte hypochondriacum optime antea valentibus inductum, sæpe observavi. Longe autem perniciosius est, sub tali spastica stomachi ex ira constitutione, drasticum aut emeticum porrigere, quandoquidem ex facili inflammatio ipsaque mors accedit, quod pluribus in *dissertatione: de medicina emetica & purgante post iram veneno*, asserui ac demonstravi. Quam grave damnum ex ardentiori desiderio ventriculus experiatur, peculiaris ille Helvetis maxime familiaris affectus, nostalgia dictus, testatur, quo apud exteros degentes, tam impenso patriæ desiderio tenentur, ut, si patrios lares non repetant, appetitus prosternatur, digestio lædatur, flatus & ructus è cruditatibus gignantur, cardialgia accedat & cum languore ipsum corpus emacietur.

Et desiderium.

§. XXIII.

Animi fatigatio per meditationes.

Immoderatiora studia & nimia per speculationes animi fatigatio incredibili modo debilitant

ventriculum ejuſque vim digeſtivam enervant tonumque & robur auferunt, unde acidæ cruditates gignuntur, quæ ad ſupprimendam alvum, ad progignendas flatulentias malumque hypochondriacum, primum fere fundamentum ponunt. Quin immo ſunt inter exempla hypochondriaco malo obnoxii, qui ſimul ac impenſiore meditatione animi nervos nimis intenderunt, illico anxietates præcordiorum, ructus è ſtomacho & borborygmos in ventre, perſenſerunt. Vertiginem ex ipſo ventriculo fieri, vel ex eo cognoſcitur, quod, ſi quis jejunus ſit, maxime affligat, ſumto vero cibo, minuatur, atque poſt ea, quæ primam regionem clementer expurgant & digeſtionem juvant, plane diſcedat. Meminit etiam *Lommius Lib. II. Obſervat.* ſuffuſionis ſeu incipientis cataractæ, ex ſtomacho proficiſcentis, & aſſerit, talem ſuffuſionem intermittere & remittere, ſi curata coctione proſpectum ſtomacho eſt, invaleſcere & reverti, ſi is cruditate labefactetur. Ventriculo bene habente, totum corpus alacrius eſt, ſomnus fit placidus, ſi vero onuſtus eſt alimentis incongruis, præſertim circa noctem ſumtis, ſomnus deficit, vel inſomniis terrificis interturbatur. Nihil frequentius eſt, quam quod ventriculo vino non adeo bonæ notæ nimis obruto, ex retenta vappa, acorem corroſivum contrahente, poſtridie atroces capitis dolores oboriantur.

§. XXIV.

Capitis dolores, vulnera aliaque phænomena.

Eundem ventriculi conſenſum cum capite adſtruit; quod ſi caput gravius doleat, omnis ciborum appetentia pereat, multæ cruditates flatuum genetrices creſcant, alvo ſtrictiore reddita & ſtomacho ad vomitum inclinante. Graviores etiam cerebri morbi ventriculum mox in conſenſum rapiunt, unde obſervamus, in iis, qui apoplexia tanguntur, ventriculum ad ſubverſionem ſtimulari. Ubi mens ægrotat & duram matrem ſpaſmus corripit, cibi eſt faſtidium, tormina & anxietates præcordia exercent, & ructus cum impetu erumpunt, alvo ſtricta & magna in pulſibus facta mutatione. Nemini facile obſcurum eſt, quod ii, qui graviter vulnerantur, vel læduntur in capite, vomitu & ciborum faſtidio afficiantur; ac quod viciſſim ventriculo laborante, ipſum caput gravius luat. Pariter ſcriptorum medicorum fide conſtat, à comeſto ſolano, furioſo dicto, atque in ventriculo adhuc hærente, maniam productam fuiſſe, & ſemen hyoſcyami, & maxime daturæ, majori paullo quantitate exhibitum, promtiſſime ingentem torporem, ſtuporem, ac omnium ſenſuum internorum & externorum uſum abolere & phantaſiam corrumpere.

§. XXV.

Dentitionis ſymptomata.

Et quia nervi ſtomachici & inteſtinorum, ex intercoſtali & octavo pari coaliti, cum pari quinto, cujus ramus ad maxillas & dentes fertur, communicationem habent; hinc fit, ut infantibus, ob gingivalis carnis ab erupturo dente lancinationem, non modo in capite convulſiones, vigiliæ & epilepſiæ, in pectore aſthma, in corde febris, & inferiori ventre tormina cum alvi adſtrictione, vel nimia ejus fluxione, contingant, & quod notabile eſt, feces virides & corroſivæ ſecedant, eo quod, à ſpaſtica harum partium ſub dolore contractione, ingeſta non alvo excluſa, ſed diu retenta, aceſcant & corroſivam indolem accipiant. Ex quo judicare promtum eſt, quam imprudenter & temerarie ii faciant, qui in dentitionis difficultate, ubi ſpaſmi genus nervoſum vehementer torquent & feces virides ſunt, purgantia acria & cum mercurialibus mixta, iterum iterumque propinant, triſti eventu præpoſterum ejuſmodi conſilium ſatis confirmante. Atque ob eandem communionem, quam nervi ſtomachici & inteſtinales cum pari quinto fovent, accidit in gravioribus ſtomachi ſpaſmis, qui fiunt à veneno vel validiori purgante aut emetico ſumto, faciem fieri Hippocraticam, tempora collabi, vultum palleſcere & naſum acuminari. Neque ſemel, ſed iterum iterumque notavimus, in pathematibus hyſtericis vultus deformitatem & aſpectu horribiles oris, labiorum & oculorum diſtorſiones.

§. XXVI.

Conſenſus ſtomachi cum œſophago.

Proxima vero ſtomachi eſt ſocietas atque connexio cum œſophago, propter tunicarum communionem; hinc fit, ut à pluma vel digito tantum faucibus intruſo, principium œſophagi irritante, protinus ventriculus, præſertim humorum copia onuſtus, ſubvertatur & vomitio fiat. Fumus quoque tabaci ore ſuctus ſtimulat alvum, nullam, mea ex ſententia, aliam ob cauſſam, quam quod hic fumus ſale ſuo volatili acri tunicas oris & faucium irritet, è quibus propagato ad ventriculum motu, is contenta citatius protrudat ad inteſtina & anum. Et quando in ventriculo acris reſidet humor, vel inflammatio eſt, œſophagus cum faucibus moleſte conſtringitur, ita, ut non raro copioſa aqua in os effundatur, quod unum ex peſſimis indiciis eſt. Infantibus quorum ventriculus ſaburra cauſticæ bilis infarctus eſt, convulſionis certa ſpecies moleſta & fatalis eſt, dum ii, ſpaſmo gulæ affecti, continuo deglutire coguntur & certum ſonum cum quodam ſingultu edunt, quæ ſymptomata identidem ab irritatione ventriculi, œſophago, faucibus & diaphragmate in conſenſum raptis, oriuntur. Fovet quoque ventriculus conſenſum cum inteſtinis: unde ſub atrociſſimo inteſtini ilei vel etiam coli dolore, vomitus tam vehementes fiunt, ut non modo in inteſtinis contenti humores, ſed & ipſa ſtercora haud raro ſurſum ferantur.

§. XXVII.

Cum ductibus biliariis.

Deinceps magna eſt conſenſio ventriculi & annexi duodeni cum ipſis biliariis ductibus, eam maxime ob cauſſam, partim quod ductus cholodochus per duodeni membranas feratur, partim, quod dexter nervi intercoſtalis & paris octavi ramus, qui ventriculum adit, ramum quoque ad hepar ejuſque biliferos canales mittat. Propter hunc itaque conſenſum fit, ut ſpaſmo ventriculi & duodeni, qui in febre tertiana obſervatur, item à vehementi vomitorio, vel purgante, aut veneno aſſumto, nec non ab atroci dolore colico, icterus oboriatur. Infantes tertio vel quarto à partu ſæpius die ictero corripi, ex retentione mœconii in inteſtinis, auctor eſt *Baglivus Operr. pag.* 38. Iracundiæ vehementiori icterum ſupervenire non novum eſt; ſiquidem ab hoc affectu patitur maxime fibroſior & robuſtior pars ventriculi, quæ pyloro adjacet, dum conſtringitur: unde ordinario in dextro circa ſcrobiculum cordis latere, ab ira, dolor compreſſorius, cum aſcenſu bilis ad os, obſervatur. Quod ſi vero vel calculo, vel bilioſo alio concreto tartareo humore, in veſicula fellea aut ductibus biliariis contento, horum tunicæ nerveo-muſculoſæ violenter tenduntur; in conſen-

ſum

sum quoque abripitur ventriculus, & hinc immanis cardialgia, nausea, vomitus cibique fastidium cooritur. Memorabilis & lectu dignissima est observatio, quam *Misc. nat. curios. A. VI. Dec. I. obs.* 20. referunt: ubi mulier immanem dolorem & lancinatorium ventris per triginta fere annos passa est, cujus originem & caussam sagacissimi etiam Medicorum vix hariolari poterant, post mortem autem inventus est ingentis magnitudinis calculus, qui totam fere vesiculæ felleæ cavitatem implevit. Eandem quoque in rem *obs.* 61. *Sculteti in armamentario*, conferri meretur.

§. XXVIII.

Cum diaphragmate & pulmonibus.

Porro exquisitam ventriculus cum diaphragmate & pulmonibus fovet communicationem. Quid enim familiarius est, quam in infantibus stomacho refrigerato, vel materia acri ejus tunicis inhærente, singultum concitari, qui thoracis est convulsio? Quid solennius est? quam à cruditate ventriculum obsidente, vel sero acri intra ejus membranas detento, tussim nasci convulsivam, in infantibus non raro suffocatoriam, quæ pectoralibus & dulcibus assumtis plus exacerbatur, acrimoniam vero corrigentibus, emollientibus atque discutientibus, neque minus lenioribus laxativis, expugnatur. Quid porro crebrius occurrit in praxi, quam quod à violenta tussi, vitio hærente in bronchiis, vomitus concitetur? Nihil quoque frequentius est, quam quod ab inflatione ventriculi summa fiat spirandi angustia cum suffocationis periculo, quod symptoma in infantibus, quorum ventriculus lacte corrupto farctus est, sæpius visitur, ubi leni emetico, vel quæ leniter alvum ducit medicina, omne punctum curationis absolvitur. Quin in convulsiva tussi ex stomacho, tantam pectoris vidi concussionem, ut sternutatio impetuosa & reiterata, cum ingenti sanguinis vel lymphæ profusione è naribus, facta fuerit.

§. XXIX.

Cum renibus.

Præterea magnæ considerationis ea est sympathia, quam renes cum ventriculo & intestinis, propter communionem nervorum, alunt. Nimirum nihil familiarius est, quam quod dolores ex calculo perpetuo fere nausea & vomitus comitetur, & calculosos tormenta intestinorum torqueant. Nam quando ren calculo laborat, abdomen semper multis flatibus turget, qui majores faciunt molestias, quo gravior dolor est, immo ipsæ flatulentiæ sæpissime dolorem renum provocant & calculum in ureteres urgent. Providendum itaque est calculo obnoxiis, ne abdomen frigori exponant, alias facile dolor renum irritatur. Si quis dolore ex calculo premitur, digestio turbatur, stagnant ingesta in ventriculo, acescunt & bilis viridis evomitur. Et faciunt tunc egregium officium clysteres carminativi & emollientes oleosi, nec non omnia ea, quæ citra calorem flatus dispellunt & dolorem lumborum mitigante facultate pollent. In spasmis flatulentis ventriculi, qui affectione hypochondriaca vel hysterica detentos torquent, molesta crispatura identidem ad renes pertingit, ita prorsus, ut eorum tubulis constrictis, urina alba mingatur, quæ certum fere paroxysmi hysterici vel hypochondriaci imminentis indicium præbet.

§. XXX.

Cum pedibus.

Neque exiguus ventriculi consensus est cum pedibus, qui innumeris tendinibus & nervis atque membranis constant. Quum enim nervus intercostalis ad crura etiam pertingat, & nervum cruralem anticum & posticum constituat, mutua hinc inter caput, ventriculum & pedes consensio nascitur. Ex quo jam facile patet, quare digitorum in pedibus immanem dolorem, quod aliquoties vidimus, spasmus cynicus subsequatur, & quare ex pedis pollice epilepsia non raro originem capiat, dum spasmus ibi incipiens, successive ascendit, & primo ad abdomen, postea ad cor & diaphragma, tandem ad caput delatus, abdominis tensiones, præcordiorum constrictiones, pectoris oppressiones, aphoniam, denique convulsiones & epilepsias producit. Ægroti exprimunt, sensum quasi venti à pollice ad caput sursum ascendere ac elevari, quæ tamen in sensu est fallacia; siquidem nullus datur flatibus locus ita per solidam substantiam ascendendi, sed spasmi sunt, qui oscillatorio quodam motu successive per nervorum propagines ad superiora serpunt. Notum quoque est, ex incessu nudis pedum plantis in pavimentum frigidum, nec non improvida pedum refrigeratione, cutim per omnem corporis ambitum stringi & tormina ventris, nonnunquam cum alvi fluxu, arcessi.

§. XXXI.

Cum ipsa cute.

Tandem nec silentio prætermittere oportet sympathiam, quæ est inter ventriculum & ipsam cutem. Videmus exanthemata, quæ in cute efflorverant, cujuscunque etiam fuerint generis, repulsa, non sine ingenti periculo ad ventriculi & intestinorum tunicas migrare, ubi ferales spasmos, tormina, anxietates, constrictiones alvi & inflammationes efficiunt. Quare etiam omnia, quæ spasmum in ventriculo concitant, ut sunt purgantia & animi pathemata, in exanthematicis morbis admodum pernicioſa esse observantur; quandoquidem constricta ex consensu simul ipsa cute acris illa exitialis materia ad interiora, ipsasque nerveas ventriculi & intestinorum membranas, revocatur. Et sæpius quoque observavimus, ab indusiorum, præsertim si frigida & humida fuerint, mutatione, in sanis etiam, ventris inflationes & inquietas noctes redditas fuisse. Quo patet, quam gravem noxam ejusmodi improvidus ausus in morbis, quorum materia per summam cutim expelli debet, caussetur. Quandocunque dolor ventriculum vel intestina torquet, pori cutis clauduntur & nihil sudoris effluit, extrema refrigerantur, meatibus vero cutis rursus adapertis, certum indicium est doloris aut alvi fluxus finem adesse. Si variolarum materia subtilis caustica intestinorum membranis insidet, ægri sunt inquieti, jactabundi, loco stare nesciunt & ne minima pustula prodit in cute, neque sudoris guttula prosilit, alvo contracta & convulsiva, adeo ut universum cutis systema contrahatur, quod probe notavit *Baglivus*.

§. XXXII.

Consensum intestinorum testantur pathemata à vermibus.

Neque tantum ventriculo, verum etiam intestinis, quæ ejusdem cum illo naturæ & structuræ sunt, ex tunicis nempe pariter musculosis & nerveis contexta, cum universi corporis tunicis membranaceis societas est atque consensus, ob plexus maxime mesentericum, intercostalem & paris vagi, quem præter alia truculenta universi generis nervosi pathemata, quæ à vermibus, teneras tenuium tunicas arrodentibus, suscitantur, testatum reddunt. Neminem enim, qui leviter in artis exercitio versatus est, fugit, inde pullulare in capite epilepsiam, deliria, vertiginem, sternu-

tationes, guttam ſerenam temporariam, aphoniam, ſurditatem & tinnitum aurium tranſitorium; in ſpinali medulla, aſpectu horribiles motus convulſivos & artuum agitationes; in corde & ſyſtemate valorum, febres, cordis tremores ac palpitationes; in pectore, tuſſes, dolores, qui pleuritidem mentiuntur; in ventriculo, inappetentiam, inclinationem ad vomitum, ptyaliſmum & lymphæ ex ore fluxum; in inteſtinorum volumine, atrocia tormina; in urinariis viis, ad urinam ſtimulum; in extremis, horripilationes & refrigerationes, manuum pedumque contracturas: quæ cuncta ſymptomata, primo aſpectu admodum funeſta, exturbata à ſpecifico anthelmintico, pilulis nempe ex aſa fœtida, mirrha, croco & mercurio dulci paratis, verminoſa progenie, protinus ſedantur & conquieſcunt.

§. XXXIII.

Colica ſic dicta convulſiva & iliaca.

Colica ſic dicta convulſiva & paſſio iliaca, quibus inteſtina, ileon, vel colon, vehementi ſpaſmo conſtringuntur, quot non atrocia, & nonnunquam lethifera ſymptomata inducunt? febres, deliria, convulſiones, inquietudinem, ſummas anxietates, animi deliquia, artuum contractiones, extremorum frigora, cum ſudore frigido & pulſu duro & contracto, vomitus, alvi tam inſolentem conſtipationem, ut nec clyſterem admittat, vel flatum tranſmittat. Ejuſdem indolis ſunt acerbiſſima pathemata in colica ſpaſmodica metallurgis ſolenni obvia, quæ ſigillatim evolvi & ad rationes revocavi, in diſſertatione *de metallurgia morbifera*. In cholera quoque quando bilis cauſtica nervoſos inteſtinorum parietes rodit atque gravius irritat, omne nervorum genus compatitur, ac eædem plane, quam ſi venenum aſſumtum fuiſſet, prodeunt paſſiones, mortem celeriter arceſſentes, quæ non aliis, quam quibus venenorum noxæ, demulcentibus nempe oleoſis, lacticiniis, terreis & antiſpaſmodicis, diſcutiuntur; id quod etiam pari modo de dyſenteria, ab eadem cauſſa prognata notum eſt.

Cholera & dyſenteria.

§. XXXIV.

Purgantium effectus.

Accedunt phænomena poſt purgans aſſumtum conſpicua. Quamvis enim omnis generis catharctica operationem ſuam nonniſi in inteſtinis exſequantur, iiſdem tamen oblatis, diſſitæ etiam partes annuunt. Elaterium quando hydropicis exhibetur, virtutem ſuam tam late diffundit, ut ſtrictis in extremis quoque partibus fibrillis, ſtagnans humor ex univerſo corporis ambitu ad inteſtina agatur, ac per anum effuſe exturbetur, ſubſidente poſtea notabiliter in exterioribus tumore. Similiter in tuſſi humida, qua magna humorum colluvies ſcreatu è pulmonibus ejicitur, nullum certius atque efficacius præſidium eſt, lenioribus & balſamicis laxantibus, quibus ſuperfluum ſerum è pectore ad inteſtinales glandulas allicitur & per alvum educitur. Inprimis autem imprudens purgantium uſus, inteſtinorum cum reliquis nervoſis partibus, ac præſertim ſpinali medulla, conſpirationem, prodit. Præterquam enim quod *Solenander* in conſiliis & *A. N. C. Dec. II. A. VII. obſ.* 162. fidem faciant, quod grave damnum inde in univerſum corpus redundarit, ipſe quoque aliquoties notavi, propinata in pulvere vel pilulis reſina jalappæ, non ſolum enormes cum acerbis torminibus ſucceſſiſſe dejectiones, ſed etiam in quibuſdam convulſiones, epilepticas commotiones, quin in aliis paralyſin dextri & ſiniſtri lateris accidiſſe, hanc procul dubio ob rationem, quod reſina jalappæ, quæ facile in liquido aqueo conglobatur & difficillime liqueſcit, firmiter parti cuidam nerveæ inteſtinorum tunicæ adhæſit, eandemque jugiter lancinando, convulſivas ejuſmodi in diſſitis etiam locis ſpaſticas tractiones ſuſcitavit.

§. XXXV.

Viſcera ſanguin non cum nervis c ſentiunt

Viget itaque conſenſus inter partes nervoſo-membranaceas mutuus, qui an etiam his, cum viſceribus ſic dictis ſanguineis, quorum ſtructura & compages ferme tota vaſculoſa, ut ſunt hepar & lien, nec non uterus, intercedat? jam paucis diſpiciendum. Plurimi quidem ex Practicis, quos inter maxime eminet *Williſius*, conſenſionem uteri cum nervoſo totius corporis ſyſtemate conſtanter aſſerunt, imprimis quum experientia fere quotidiana doceat, quod affectio hyſterica, quæ ex vitio uteri & ſanguinis irregulari motu in fœminis æque ac in puerperis cooritur, pathematibus ſpaſticis, convulſivis, epilepticis, quæ præternaturales generis nervoſi læſi affectus ſunt, abſolvatur. At vero ipſe uterus minime partibus nervoſis exquiſitæ ſenſationis annumerari poteſt, utut motu tonico ſuo & interno non deſtituatur. Nam ſi talis eſſet, neutiquam ſummas illas ſæpius à gemellis diſtenſiones in gravidis, item à tumoribus & excreſcentiis intra ejus cavitatem ipſamque ſubſtantiam prognatis, ſine ſumma moleſtia & vitæ periculo, ferre poſſet.

Ut uteri

§. XXXVI.

Mali hy teritica ſa quid in utero

Quare recte diſtinguendum potius eſſe cenſeo, inter ſedem morbi, ſive ſpaſmorum, quæ nullo modo eſt in utero, ac inter ſedem cauſſæ morbi, ſive pathematum ſpaſmodicorum in genere nervoſo exiſtentium, quorum cauſſam ipſe uterus male affectus ſubminiſtrat. Neque quidem inficiandum eſt, quod ſi ob dejectum uteri & ejus vaſorum tonum ac robur, ſive à puerperio, ſive ab aliis cauſſis externis & internis, ſanguinis ſuperflui menſtrua periodo non ſufficiens fit diminutio, ſed fluxus ſupprimitur & cohibetur, graviſſima inde ſæpius in univerſo corpore, inque primis ejus partibus nervoſo-membranaceis, oboriantur ſymptomata; horum tamen ratio non à nervis, quos ſenſibiles hæ partes cum utero communes habent, ſed potius à ſanguine, ad interiora ac ſentientes nobiles partes reſtagnante, petenda eſt ac derivanda. Et hanc etiam *Hippocratis* fuiſſe ſententiam, auctor nuclei Hippocratis *Cent. III. aph.* 44. clarius exponit, *refluens*, inquit, *ſanguis ab utero & premens ſeptum tranſverſum, retracto utero, præfocationem, in caput irruens, inſaniam, epilepſiam, catochos, apoplexias; occupans thoracem, tuſſiculares affectus; irruens in cor, palpitationes & tremores, nonnunqaam ſyncopes, in nervis denique faciei ſtuporem, immobilitatem & reſolutionem.*

§. XXXVII.

Sedes v in ven culo & teſtinis.

Ego proinde re paullo curatius expenſa, præcipuam pathematum hyſtericorum ſedem in ventriculo & canali inteſtinorum collocandam eſſe arbitror. Nam anxiæ illæ conſtrictiones & anguſtiæ circa præcordia, dolores cardialgici, qui ad dorſum, ubi ſiniſtrum ventriculi orificium, porriguntur, palpabilis ſtomachi circa ſcrobiculum cordis inflatio, continuæ eructationes, nauſea & ad vomendum proclivitas, alvus firmiter obſerata, cum flatuum retentione, & regurgitatione ad ſuperiora, borborygmi, tormina, convolutiones inteſtinorum inſtar globi,

moleſti

molesti dolores in hypochondrio sinistro, dolor circa vertebras lumbares, creber ad urinam stimulus, extremorum frigus, inquietudo, pulsus celerior, contractus, vel plane intermittens, animi defectio, cordis palpitatio, quæ perpetua fere passionis hystericæ sunt symptomata, nihil certe aliud subindicant, quam nobilissimam & ex præcipuis sensibilem maxime partem, ventriculum nempe, esse affectam. Quare etiam omnia ea, quæ spasticas stricturas efficaciter leniunt & laxant remedia, ut sunt fotus calidus præcordiis applicatus, interne liquor noster sic dictus anodynus mineralis, ceu summum & tutissimum antispasmodicum, vel solus, vel cum essentia carminativa, aut castorei, remixtus, & clyster oleosus emolliens, præsentissimæ & fere miraculosæ sunt efficaciæ. Horum quippe atrocium ventriculi spasmorum proxima caussa, non sunt acres, biliosi, vel viscidi, crudi succi in stomacho contenti, sed solus sanguis copiose irruens in vasa ventriculi, quæ quum tunicis ejus nervosis intertexta sint, nimia distensione has fortiter premunt, & hac ratione jam memoratas passiones gignunt. Hinc etiam ratio patescit, quare fœminæ, quibus menses post quinquagesimum annum deficiunt, si non sanguinem, vel per scarificationem, vel per incisionem venarum, emittunt, aut etiam consuetas has artificiales evacuationes omittunt, hystericis ejusmodi spasticis affectionibus, præ omnibus aliis excruciantur: & quare vicissim institutæ opportune ejusmodi sanguinis subtractiones, paroxysmos hystericos certis periodis redeuntes, vel minuant, vel penitus tollant.

§. XXXVIII.

Nullus quoque hepatis & lienis consensus.

Idem de hepatis & lienis viscere sentiendum. Nam licet nonnulli inter hæc & nervosas partes consensionem adstruant, & potissimum ad pathemata in malo hypochondriaco, sub quo labes & vitium plerumque in sanguineis hisce visceribus consistit, conspicua provocent; ambo tamen, hepar & lien, præsertim humanus, partes, ut luculenter injectionibus suis cl. *Ruyschius* demonstravit, sunt fere totæ vasculosæ, ex innumeris quippe vasis majoribus, minoribus & minimis contextæ, sensus plane expertes, ut hinc sæpe sine acuti doloris perceptione intumescere ac etiam in magnam molem augeri possint. Interim tamen, si ipsarum compages, & maxime quidem vasa, quæ sanguinem ad hepar, ut est vena portæ, adducunt, convenienti tono ac robore & vi sufficienter motrice impellente destituuntur, promtam spasmorum in nervosis locis caussam subministrant. Nam quando sanguis à ventriculo, toto volumine intestinorum, mesenterio, liene, omento & pancreate refluus, per truncum venæ portæ, qui manifesta systole sive pulsu caret, per minimos copiosissimos hujus venæ in hepatis parenchymate propagines, non satis expedite trajicitur, necesse est, ut regurgitans ad viscera unde advectus, in iisdem non modo stagnet & canales farciat atque distendat, sed & ulterius, ut appulsus per arteriam cœliacam & mesentericam a tergo ad has partes sanguis, præcluso in venas repletas transitu, ad vasa minima & lateralia cogatur, & sic undiquaque obhærescens in vasis nervosæ maxime ventriculi & intestinorum tunicæ instratis cruor, molesta pressione stricturas & trunculentos spasmos cieat. Et hac utique ratione omnia illa pathemata, quæ hypochondriacos per certos insultus vexant, affectiones & læsiones generis nervosi sunt, ac ut probe primus *Willisius* & *Hobockenius* notarunt, exquisitam convenientiam eandem quoque sedem cum hystericis pathematibus obtinent. Minus enim recte secundum Veteres, ac ut nonnullorum recentiorum adhuc opinio fert, dolores & passiones in latere sinistro, lieni adscribuntur, quum potius stomacho, cujus tres partes in hoc latere conduntur, nec non subjectis coli flexuris, ut inter alios primus cum *Conringio* docuit *Ettmüllerus*, debentur. Ipse quoque ante aliquot annos peculiari dissertatione monstravi atque defendi, quod præcipua sedes spasmorum hypochondriacorum in ventriculo sit constituenda.

§. XXXIX.

Hinc cruditates non sunt caussa mali hypochondriaci.

Neque etiam ut plurimorum recentiorum est sententia, cruditates vitiosæ primis in viis stabulantes acidæ & viscidæ biliosæ, primam, originalem & veram caussam pathematum hypochondriacorum suppeditant, sed sequuntur demum spasmos & eorum productum sunt, licet ad eorum recursum & exacerbationem multum conferant, & ipse potius sanguis copiose circa hæc viscera stagnans, sive harum partium plethora particularis, accusanda. Testatur hoc inter alia cura affectus hypochondriaci, in qua quidem ea, quæ spasmis placandis, stricturis partium fibrosarum relaxandis dicata, insigne levamen afferunt; nisi tamen redundanti sanguini exitus paretur, ac is vel per sanguinis missionem in partibus inferioribus, vel fluxum hæmorrhoidum, si natura ad eum inclinat valde salutarem, exsolvatur, aut ejusdem progressus aquarum mineralium, balneorum & medicamentorum roborantium tonicorum usu, vel etiam per motum & exercitium corporis, liberior reddatur, ac per vasa venosa meseraica ipsumque hepatis & lienis viscus restituatur, certum & constans vix, aut plane non, sperare licet auxilium.

§. XL.

Consensum testatur medicamentorum operatio.

Is autem à nobis assertus nervosarum partium consensus, quemadmodum tam eximius est atque conspicuus, ut venenum, vel etiam alia infesta materia, nervoso, ubicunque sit loco, insidens, vel in ventriculo contenta, illico vires suas perniciales cum universo nervorum systemate communicet: ita simili ratione pharmacum efficacis ac penetrantis indolis, accisa etiam dosi exhibitum, immo adhuc in stomacho versans, mediante eadem nervorum conspiratione, protinus vim suam in universum corpus diffundere potest. Liceat in confirmationem producere liquorem à nobis inventum & ex sulphure mineralium concinnatum, jure dictum anodynum mineralem, gratissimæ & penetrantissimæ indolis, qui certe, si ullum aliud medicamentum, promte, sine noxa tamen, dolores & spasmos in universo corpore levat atque sedat, & in pathematibus hypochondriacis, hystericis, gravi cardialgia, enormi vomitione, commotionibus etiam epilepticis & convulsivis, singultu, diarrhœa, ad guttas tantummodo XXX. vel XL. semel aut bis, oblatus, præsentaneum & mirabile plane præstat auxilium. Massam pilularum ita dictarum de styrace ad aliquot tantum grana deglutitam, in tussi ferina, quæ universum corpus affligebat & concutiebat, omnibus aliis frustra exhibitis, singularem plane effectum sedativum exseruisse, sæpius observavi, subsequuto simul blando cutis, quæ ante frigida, horrida & exsucca erat, madore.

Liquoris anodynis.

§. XLI.

Aliorum sedativorum & antispasmodicorum.

Pauxillum laudani liquidi si vel solum, vel cum liquore volatili Bussii, aut cornu cervi succinato remixtum, in enormi, etiam cruenta, alvi dejectione, porrigitur, protinus, quando adhuc in ventriculo hæret, atroces cruciatus in abdomine, borborygmi & motus conquiescere incipiunt, somno blando obrepente. Idem medicamentum si in pathematibus hystericis, quæ universum corpus exagitant spasticis, datur, mox mirabile sequitur levamen. Pariter in enormibus sanguinis profusionibus, hæmoptysi nempe, narium hæmorrhagia, ab assumtis aliquot granis massæ pilularum de cynoglossa, vel aliquot guttulis liquoris martialis, sæpe extemporaneam vidi fluxus adstrictionem. Oleum amygdalinum bene præparatum, & cum jusculo ad aliquot cochlearia ingestum, præbet medicinam in omnibus doloribus & spasmis, etiam dissitas partes quatientibus, efficacissimam; eaque propter in tussi convulsiva clamosa, asthmate spasmodico, dolore ex calculo, stranguria, colica, non sine insigni fructu usurpatur. Nitrum saltim vulgare, probe depuratum, ad aliquot grana datum, protinus fervorem præternaturalem extinguit, vel ad sensum refrigerat, sitim sedat, commotiones sanguinis hæmorrhagicas sistit, cutim ad madorem disponit & alvum lubricam reddit.

§. XLII.

Corticis Peruviani.

Corticem Peruvianum, pulverem florum chamomillæ, crocum martis subtilissimum, quem fontes Lauchstadienses eructant, ad sistendos febriles in intermittentibus motus summa pollere efficacia, res est nec leviter in praxi versatis ignota. Longe etiam præstantissimus certe est effectus, quem pilulæ balsamicæ, leniter aloeticæ, in omnibus fere uteri affectibus, atque etiam in hypochondriaca passione, exsequuntur, dum ad fœtum, secundinas, molas, immo lochia expellenda in puerperio, præ omnibus aliis purgantibus & uterinis eximie conferunt, non aliam ob caussam, quam quod peculiari ratione, non modo intestina, sed & confines partes atque vasa uterina solentur & afficiant. Has tamen cum plerisque reliquis non facile primarum viarum limites operatione sua transcendere, veri videtur simillimum. Ad vires à senio vel morbo collapsas restaurandas, nec non animo deficientes refocillandas, balsamum nostrum liquidum spirituosum, exterius & interius usurpatum, singularem præstat opem; contra vero suaveolentia ex moscho, ambra, zibetho, si naribus tantummodo offeruntur, hystericis vel hypochondriacis, totum genus nervosum in consensum trahendo, sævissima symptomata, ut syncopen, cordis palpitationes, anxietates summas, nauseam, vomitum, immo convulsiones quandoque, arcessunt. Clysteres oleosi demulcentes in colica convulsiva & paroxysmis hystericis & hypochondriacis levamen afferunt exoptatissimum, eo quod non tantum in intestina, verum etiam in alias nervosas partes suam maxime distribuunt facultatem.

Pilularum balsamicarum.

Cephalicorum.

Et clysterum.

§. XLIII.

Item specificorum.

Neque dissimilis mihi specificorum sic dictorum videtur ratio, ut castorei & asæ fœtidæ in pathematibus hystericis placandis, pulveris secundinæ humanæ, cranii & corii humani, in epilepticis insultibus sedandis; hæc enim dum ventriculi & intestinorum tunicas nerveas ἀναθυμιάσει sua mulcent ac imbuunt, ex his ad dissitas etiam atque remotas partes virtus propagatur. Fuit nobis à multis abhinc annis in usu singularis quidam mercurius diaphoreticus fixioris naturæ, qui ad pauca grana adhibitus, in lue venerea & morbis à summa lymphæ impuritate nascentibus, sudorem per multas hebdomades eliciendo, mirabilem præstitit opem. Sic quoque sulphur antimonii, si rite præparatum fuerit, quo etiam referenda panacea sic dicta Glauberiana, nec non regulus antimonii medicinalis, duorum vel trium granorum pondere oblata, acres & salsas diu durantes in oculis, faucibus quoque ac pedibus defluxiones reficcant, simulque perspirationem ac respirationem liberiorem reddunt.

§. XLIV.

Externorum quoque.

Et hæ tam singularis & late patens internorum quorundam medicaminum virtus, in externis quoque, ob eandem partium sympathiam deprehenditur, ut miro plane modo in extremis sæpius interiora leventur. Exemplo sit vesicatorium, vel emplastrum Strobelbergeri, quod carpis applicatum, paroxysmos intermittentium experientia teste, compescit. Pariter vesicatorium nuchæ appositum lippitudinem discutit, & in apoplexia tactis sufflaminatum sensum sanguinisque motum reducit. Oleum terebinthinæ umbilico tantum illitum, in urinæ suppressione efficacissimum est remedium. Unguentum, de arthanita dictum, umbilico inunctum, alvum non solum efficaciter movet, sed etiam vermes in intestinis necat. Emplastrum anodynum temporibus appositum, non modo capitis dolores placat, sed & vomitiones sæpe enormes sistit. Linimentum spirituosum ex oleis oromaticis paratum & præcordiis admotum, tam ventriculo, quam toti corpori vigorem præstat. Frictio quoque artuum & maxime præcordiorum asperior, suspensum in syncopticis cordis pulsum revocat.

§. XLV.

Inprimis pedibus applicatorum.

Egregia porro huc trahenda est observatio: quod in morbis capitis, quæ ex atonia & imbecillitate nascuntur, ut memoriæ ac sensuum debilitate, paralysi, quæ sæpe post apoplexiam relinquitur, item somnolentia, vesicatoria & rubefacientia pedibus applicata, efficacissimo sint præsidio. In iisdem morbis capitis ex resolutione ac remissione nervorum subortis, capiti admota spirituosa cephalica aromatica, omnes non æque ferre quidem possunt, ut potius sæpe magis inde lædantur: si vero pedes iisdem perfricantur, ut aqua Anhaltina cum oleo majoranæ & lavendulæ, caput inde allevamentum percipit præsentaneum; & vidi aliquando, hac ratione in affectu soporoso, largiorem pituitæ ex naribus & faucibus effluxum suscitatum, summo subsequente levamine. Rubefacientia quoque plantis pedum applicata, sanguinis è naribus stillicidium comprimunt. Qui difficulter sudant, appositio plantis latere calefacto, sudore perfunduntur, si vero manus & pedes sub sudore nudantur, perspiratio illico sistitur. Et pediluvia temperate calida, quid in capitis morbis & omnibus passionibus spasmodicis efficiant, tam notum est quam quod notissimum.

§. XLVI.

Conclusio.

Sed ne latius evagemur, mittimus alia, ac interim ex allatis insignem consensionem & magnam conspirationem partium in corpore sensibiliorum liquido patere arbitramur. Quo magis mirandum censemus, esse adhuc inter medicos, qui hunc

nervorum

nervorum consensum plane negare, immo pro fabula venditare, haud verentur. Sed videant, rogo, novaturientes hi doctores, qui sapientiam medicam in obscuris, metaphysicis, noviter quoque confictis terminis quærunt, & universam fere pathologiam ex moliminibus naturæ ad hæmorrhagicas excretiones consarcinant, quo pacto cum connexione ac demonstratione, ex spirituali sua natura, hæc vera & per experientiam confirmata phænomena, deducere atque explicare possint. Ego certe, si ullam in rebus medicis doctrinam scitu perquam necessariam & utilem, hanc ipsam de consensu, fructuosam judico, & his egregio *Hippocratis lib. de aliment. §. 4.* effato finem impono: *confluxio una, conspiratio una, & consentientia omnia.*

CAPUT VI.

De fluidorum vitiis ex vitiosa solidorum dispositione.

§. I.

Fluida à solidis vitium patiuntur.

PErlustravimus in superiori capite mutuam illam conspirationem & harmonicum consensum, quem partes corporis nervosæ exquisitioris sensationis & motus inter se fovent; ac pluribus argumentis asseruimus, quam utilis & scitu necessaria in rebus medicis explicandis hæc sit doctrina: nunc porro sequitur, ut solidorum, si vitio laborant, in fluida corporis nostri actionem & ad pervertendam naturalem eorum constitutionem monstremus ac eruamus operationem; quod certe argumentum, non minus eximiæ in pathologicis erit utilitatis. Jam nemo quidem facile negabit, machinam animalem ex solidis & fluidis esse constructam, & corporis vitam maxime in eo consistere, ut solida agant in fluida ipsaque moveant, & fluida rursus in solida eademque animent: ideoque hisce suppositis, nostra inpræsentiarum meditatio in statu tantum præternaturali & morbido erit defixa, clarius ostendendo, quid patiantur fluida à solidis læsis & præter naturam constitutis.

§. II.

Et quidem subfebrili motu.

Initium autem merito facimus à celeriter aucta reciproca systole & diastole cordis & arteriarum, ac universi generis vasculosi ac fibrosi, quæ pulsu duro & celeri, velociori quoque sanguinis tam progressivo quam intestino motu, stipatur, in quo formalis febris ratio continetur. Sub auctiori hoc & adeo accelerato motu, in omni febre, cujuscunque sit generis vel speciei, sanguinis & humorum crasin, temperiem ac mixtionem incredibili fere modo immutari ac perverti experientia docet. Sanguis qui antea erat temperatus & sensu medico dulcis, bonæ consistentiæ, diuturniori intenso solidorum motu quassatus, à blanda sua temperie plane descisit, salsus, sulphureus ac biliosus redditur, ut demum in excrementa pæne satisfat. Hinc sudor febricitantium salso-acidus ac fœtidus, urina materia viscida, tartarea, sulphurea admodum saturata & tincta, & feces alvinæ, valde pituitosæ, biliosæ, coloratæ & fœtidæ secedunt. Deinde validiori illa intestina sanguinis motione, partes subtiliores spirituosæ, quæ vires & motum materialiter constituunt, aufugiunt, materia sanguinis γλιχυρὰ, dulcis, roscida, qua nutriuntur solida & quæ placidum somnum conciliat, consumitur, idque eo magis, quo vehementior ac diuturnior est febris. Quin crebriori observatu constat, commotionibus febrilibus demum vappidam sanguinis & humorum fieri massam, ut corpus aliis chronicis passionibus, cachexiæ, tumoribus œdematosis, exulcerationibus, abscessibus, viscerum scirrhis & infarctui facillime pateat, & profecto res non mediocris prudentiæ sit, febre intermittente vel acuta diu afflictum corpus sanitati & viribus brevi reddere, & commoda medicina atque diæta ab aliis morbis defendere.

Succi corrumpuntur.

Et virium materia dissipatur.

§. III.

Inprimis si corpus jam ante impurum.

Sed hæc omnia longe deteriora fiunt & cum majori periculo eveniunt, si febris apprehendit corpus, cujus vasa sanguine & humoribus impuris, sive particulis salsis, sulphureis, excrementitiis, sive diathesi scorbutica, jam antea imbutis, farta sunt, quippe tum major adhuc partium, quæ mixturam sanguinis constituunt, dissolutio corruptiva metuenda est, quam exanthemata varii generis, purpura miliaris, maculæ purpuratæ & pustulæ acri humore turgidæ arguunt, non sine summo virium & vitæ discrimine. Vidi sæpius in scorbuticis suborto levi tantum febrili à catarrhis motu, præsertim vere vel autumno, materiam arthriticam vel purpuraceam in sanguine delitescentem, commotione ista excitatam & ad exteriora pulsam fuisse, sub atrocium dolorum & gravium symptomatum choragio.

§. IV.

Animi affectuum effectus in fluidis.

Affectus animi, quorum operatio in solidas & nervosas partes impetuosa ac vehemens est, crasin ac temperiem humorum mirifice immutant. A diuturna tristitia & animi angore, succi corporis spissescunt & cruditates viscidæ acetosæ ventriculo ingignuntur, quin si diutius durat, à sanguinis spissitudine fiunt viscerum infarctus & chronicæ multæ passiones. Ira, quæ vasa potissimum biliaria stringit eaque accelerata systole à bile nimis vacuat, simul quoque ventriculum & duodenum stricturis exagitat, efficit, ut humores biliosi in his coacerventur, corrumpantur & ad vomitus, febres biliosas cholericas, cardialgias, viam sternant. Quumque animi pathemata, maxime operentur in ventriculum, ejus motum invertant, digestionem & chylificationem lædant multasque hinc cruditates, fœcundas morborum matrices, ingignant, nihil etiam perniciosius est, quam post omnes animi patheticas commotiones esculenta aut potulenta capere, vel etiam inter cibum & potum, vel post eum, animo gravius affici.

§. V.

Dolorum operatio ex solidis in fluida.

Vehemens membranarum capitis in atroci dolore spasmus, detinet etiam cibos in stomacho, concoctionem turbat, inappetentiam conciliat & cruditates excludit, quod etiam valet in dolore dentium. In dentitione infantum difficiliori, nihil occurrit frequentius, quam quod in paroxysmo feces antea naturales & bene coloratæ, viridis & corrosivæ, cum acerbis torminibus & flatuum impetu, non sine convulsionum metu, secedant, dubio procul, quod à spasmis per dolorem gingivarum excitatis, ipse stringatur ventriculus cum tenui intestino, & lac diutius contentum ingentem corrosivum acorem contrahat, & à bile admixta viridis emergat color.

§. VI.

Alii spasmorum & dolorum in fluidis effectus.

In omnibus porro doloribus & spasmis, cutis poros & spiracula claudi, subinde observamus.

Non mirum itaque eſt, ab excrementis ſubtilioribus ſalino-ſulphureis, quæ in naturali ſtatu exhalant, intus retentis, valde impuram ſanguinis & lymphæ maſſam reddi, & inde vel morbum augeri, vel ad novos paroxyſmos pabulum ſuppeditari. Alvus quoque ubi dolores & ſpaſmi urgent, ut videmus in hypochondriacis & hyſtericis, ſemper fere clauditur. Quare à retentis fordibus & fecibus iſtis putridis ſalino-bilioſis, & ad ſanguinis maſſam vergentibus, hanc inde valde inquinari & conſpurcari extra dubium eſt. Præterea in omnibus ſpaſmodicis morbis urinam aquoſam & tenuem reddi, ob ſtricturam tubulorum urinariorum, perpetuæ fere obſervationis eſt, neque dubium, quin vaſa in hepate biliaria, quæ ex tunicis valde nervoſis & muſculoſis contexta, hiſce in morbis eandem experiantur criſpaturam, ut hac ratione plures craſſiores excrementitiæ, bilioſæ & ſalſæ tartareæ urinoſæ ſordes in ſanguine remaneant, eumque non leviter deturpent. Et hæc ſubeſt cauſſa, quare in malo tam hypochondriaco, quam hyſterico, ingens ſimul cacochymia, ſive impuritas humorum ſcorbutica, ſucceſſive ingeneretur, quam ipſe ſanguis è vena miſſus, coloris ob alcalium excrementitiorum ſalium mixturam intenſe rubicundi, luculenter arguit. Ex hoc autem ſuccorum vitio, plures poſtea paſſiones, cachexia icteritia, dolores, rheumatiſmi, inflammationes atque exulcerationes fœcundo germine pullulant. Sed omnium peſſimum eſt illud vitium, quando ſub vehementi ſpaſtica ſtrictura, ut fit à veneno, inflammationibus & doloribus, ſanguis firmiter incarceratus in ſphaceloſam putridam corruptionem abit.

§. VII.

Ex ſpaſmo diaphragmatis hydrops.

Nihil frequentius in artis exercitio obvium, quam quod ab aſthmate ſpaſmodico, quod validiori diaphragmatis ſpaſmo potiſſimum abſolvitur, diutius affligente, hepar tandem obſtruatur, induretur ac tumores œdematoſi pedum ipſeque dirus hydrops, aſcites maxime ſequatur. Quod quidem nullam profecto aliam ob rationem evenire arbitror, quam quod vehementi ſtrictura portionis diaphragmatis nervoſæ, cui adhæret hepar & emergens inde vas venoſum cava, ſanguinis recurſus ad cor valde retardetur, & cruor, præcluſo tranſitu, ad inferiora relabatur, ibique & maxime in portæ vena & hepatis viſcere ſtagnans, tam trunculentos morbos cieat.

§. VIII.

Et ſic ſpaſmi ſuccos inquinant.

Quæ quum ita ſint, liquido pateſcit; ſpaſticas in morbis quæ urgent affectiones, majorem obtinere ſuccos corrumpendi iiſdemque impuritatem conciliandi potentiam, quam ipſa incongrua & intemperata alimenta, paullo largius etiam ſumta, modo excretiones, maxime per alvum & ſudorem, vigeant. Hæ enim quamdiu ſalvæ ſunt & integræ, ac omne quod ſuperfluum, alienum & mixturæ humorum vitalium minus congruum eſt, ſecedit, nullum ab eo metuendum erit detrimentum. Porro etiam ex dictis prona fluit conſequentia, quod ſub ejuſmodi morbis ſpaſmodicis, & maxime eorum paroxyſmis, oppido tutum & conſultum ſit à copia alimentorum, & præſertim heterogeneæ indolis, abſtinere, eo quod his ingeſtis, ob retentas ſordes excrementitias, major adhuc humorum vitalium inquinatio contingat neceſſe eſt.

§. IX.

De vitiis fluidorum ex atonia.

Ingens vero etiam illa eſt dyſcraſia atque impuritas, quam humores & fluida ex atonia, tam ſolidorum in genere, quam ſpeciatim viſcerum, contrahunt. Sic nimiam ſanguinis & humorum redundantiam, quæ plethora vocatur, & tonum ac robur validamque ſyſtolen cordis, arteriarum, omniumque vaſorum, reſiſtentia ſua imminuit & frangit, cacochymiam inducere nemo neſcit. Nam ſicut ipſa plethora ab imminutis & ſuppreſſis excretionibus ortum trahit; ita tardior ſub eadem ſanguinis curſus & minus expeditus ad excretoria appulſus, non parum ſordium ſecretionem & ſeceſſum, tum per varia organa, tum maxime per univerſale illud omnium præcipuum emunctorium, cutim, minuit atque ſufflaminat. Hinc etiam eſt, quod ſanguis è corpore plethorico emiſſus, cruſtam gelatinoſam & variegatam exhibeat, & frequentius ad minima & lateralia vaſcula coactus in iiſque incarceratus, inflammationes ſuſcitet ægre diſcutiendas.

§. X.

Ex atonia viſcerum & quidem hepatis & lienis.

Si hepatis vel lienis viſcera, mere fere vaſculoſa, ex atonia nimium ſanguine infarciuntur, vel demum occalleſcunt, aut indurantur, non modo intercipitur bilioſi humoris ſecretio ac ſanguineus latex bilioſo ſulphureo excremento inquinatur, ſed & ſanguinis ac lymphæ motus plane aliter & præter naturam dirigitur. Sanguis enim ad vaſa & viſcera vicina regurgitans, & appulſo arterioſo, tranſitum in venas impediendo, obicem ponens, efficit, ut nimiæ ac pernicioſæ cruoris fiant profuſiones, in ventriculo quidem per vaſa brevia dehiſcentia, vomitiones cruentæ, ex diſruptis uterinis vaſis, menſes copioſi & uteri hæmorrhagiæ, ex venis ani nimium apertis, enorme hæmorrhoidum profluvium & in renibus mictio cruenta. Lymphæ autem itinere per vaſa lymphatica, quæ his in viſceribus diſcurrunt copioſiſſima, intercepto, humor reſtagnat, & copioſius in vaſis abdominis collectus hydatides format, quibus tandem diſruptis, feralis lymphæ extravaſatio & partium corruptio inducitur. Hinc attenta obſervatione pateſcit, & cachexiam, & ſcorbutum, & hydropem, ex ſolo hepatis vitio, obſtructione & infarctu, incunabula trahere.

§. XI.

Ex atonia uteri.

Inſuper grave eſt vitium, quod ſanguis tam in craſi, quam temperie, à tono uteri admodum dejecto patitur. Videlicet quando perquam ſalutaris illa per uteri vaſa ſingulis menſium periodis ſuccedens ſanguinis evacuatio, quacunque etiam ex cauſſa id fiat, imminuitur, ſupprimitur, vel ob ætatis rationem plane ceſſat, omnis humorum maſſa protinus inde vitium capit, & totius corporis malus habitus, ſive cachexia, ſequitur, languor univerſum corpus occupat, appetitus proſternitur, facies fit livida & luridi coloris, pedes intumeſcunt, laſſitudo omnes artus infeſtat, ac demum variæ exulcerationes, item eryſipelata, dolores rheumatici, lentæ quoque febres, proveniunt. Quin ſanguis ipſe in tali ſtatu exantlatus, morbidum & pravum exhibet colorem, valde ſeroſus eſt, quandoque pæne lacteus.

§. XII.

Ex debilitate capitis.

In affectibus ſoporoſis, item paralyticis & hemiplecticis, progreſſus ſanguinis & humorum languidior, languidam ſæpe ſecretionem ſeri ſuperflui impuri arceſſit; unde fit, ut ſeri ſumma ſubnaſcatur impuritas. Proinde ſæpius vidi, poſt hos cerebri & medullæ ſpinalis affectus diuturniores,

niores, erysipelata, exulcerationes, tumores artuum, purpuræ morbum, ipsamque cachexiam scorbuticam, accessisse. A longiori morbo tonum & robur ventriculi valde exsolvi, ut cibi assumti in ejus cavo hæreant, dolorem procreent gravativum, acescant, corrumpantur & materiam tandem ad febrem lentam, nisi medicamento digestivo, emetico, aut roborante stomachico, id avertatur, submini strent, certæ & constantis est observationis.

Ex ventriculi.

§. XIII.

Intermittentium paroxysmos, qui universum genus vasorum & fibrarum graviter exagitant, sequenti intercalari die ingentem excipere atoniam atque debilitatem, pulsum languidum, cutem humidam ac frigidam, à paucis quidem attenditur, licet res ad oculum pareat. Hanc autem partium solidarum laxitatem, & inde retardatum excretionis salutaris impurarum partium negotium, ego quidem merito pro præcipua caussa habeo, quod nova materia ad insultum febrilem denuo ciendum succrescat. Sub ipso enim paroxysmo, à motu auctiori solidorum & nimio fluidorum attritu, temperata succorum schesis destruitur plurimaque gignuntur recrementa, quæ si prudens medicus, remittente febrilium motuum impetu, die vacuo, commoda vacuante medicina, per omnis generis emunctoria opportune educit, fomes subtrahitur & levior incurrit paroxysmus, sin minus, non modo gravior imminet, sed & collectis nimium sordibus, deteriora alia mala sunt metuenda.

Ex imbecillitate post paroxysmos febriles.

§. XIV.

Quemadmodum itaque ex vitio & prava solidorum corporis nostri habitudine, in fluida labes & vitium transit; ita vicissim illis ad meliorem rationem redeuntibus atque erectis, ob communionem inter utrosque mutuam, hæ quoque meliorem schesin, indolem atque efficaciam recipiunt. Sic quando vires naturæ ita collapsæ sunt, ut cordis motus languidior, periculosam in morbis omnium motuum, tam secretoriorum, quam excretoriorum, intermissionem ac cessationem minetur, efficax analepticum ex cinnamomo, vel aliquot guttulæ balsami nostri liquidi, aut potus vini generosi, mox fluidorum progressum & circulum refocillat atque intendit, & omne abigit periculum.

Remediorum virtus ex solidis in fluida transit.

Ut analepticorum.

§. XV.

Quando remissa vis tonica & elastica cordis & arteriarum in corpore plethorico, in quo pulsus contractus & compressus est & excretiones imminutæ, subtractione superflui sanguinis per venæ incisionem, augetur & revocatur, protinus cordis & vasorum systole intenditur, excretiones suppressæ sordium restituuntur, interdum etiam consuetæ sanguinis evacuationes repetunt. Sanguis nimis spissus & glutinosus, qualis est in vitæ sedentariæ nimium addictis, ad graves morbos disponit: sed motu & exercitatione corporis, aut partium frictione, tenuis, fluidus & ad progressivum motum aptus redditur. Id quod etiam, si occasio vel vires ad corpus motu exercendum deficiunt, clara voce & intenso sermone perfici potest, utpote ex diuturna elata voce facta oratione, universum corpus calore & sudore perfundi, perspirationem augeri, pulsum celeriorem fieri, non ignotum est iis maxime, qui brumali tempore sermones ex suggestu in templo perorant. Dum enim sub loquela vox intenditur, citatior quoque fit respiratio, & pulmonum expansio cum reciproco collapsu acceleratur, unde sanguis celerius per pulmonum compagem trajicitur ad cordis ventriculum sinistrum, ex hoc incitatius ad canales appensos per universum corpus traditur, tandemque auctiori facto ubique circulo, velocius ad dextrum ventriculum agitur, pristinumque iter relegit.

Vena sectionis.

Motus corporis.

§. XVI.

Neque id tantum succedit in partibus externis, sed idem quoque contingit, si partes internæ vehementiori motu agitantur. Nimirum videmus in iis, qui forti & repetita manuum agitatione tympana pulsant, vel globis conos proruunt, universum corpus cum pulsu & respiratione impensiori incalescere, eo quod aucto inde tonico musculosarum partium motu, sanguis vegetius circumagitur. Sola pedum paullo longior & fortior frictio tantum valet, ut universam sanguinis & humorum massam in celeriorem motum, cum intensiori calore ut & perspiratione, adducat; quæ quidem sanguinem commovendi ratio eorum valetudini tuendæ convenientissima est, qui ob senium vel infirmitatem alio motus genere corpus exercere nequeunt. Contra vero si spasmodicæ constrictiones in febribus vel affectibus chronicis vehementer urgent, & sanguinem gravius exagitando æstum atque dolorem inferunt, medicamentum nitrosum, vel nostrum minerale, naturæ amicissimum, universum sanguineum laticem æstuantem placat, fervorem exstinguit, & cutis poros relaxando liberiorem efficit perspirationem.

Frictionis.

Nitrosorum.

§. XVII.

Quando cortice Peruviano febriles paroxysmi, qui totam massam sanguinis fervidam & salino-sulphuream reddunt, sistuntur, protinus id ipsum in urina & fecibus alvi animadvertitur. Nam urina, quæ antea, remittente impetu febrili emissa, erat saturate colorata & crassum deponebat sedimentum, jam tenuior & limpidior redditur, feces autem valde biliosæ & obscuro colore tinctæ, nunc naturalem rursus colorem acquirunt. Longe vero major & excellentior virtus fluidis valde impuris & turpatis in hypochondriacis & scorbuticis insinuatur, quando viscerum infarctus congruo aquarum mineralium potu tollitur & obstructiones expediuntur. Et sic quoque solidorum ad immutandam fluidorum schesin facultas patescet.

Corticis Peruviani.

Aquarum mineralium.

CAPUT VII.

De caussis morborum, & quidem latentibus, recte cognoscendis.

§. I.

SI ulla in universa arte nostra doctrina insigni utilitate ac fructu sese commendat, atque etiam ad tutam & auspicatam medicationem expeditam viam pandit, profecto ea est, quæ morborum genuinas caussas perspicue tractat, & quomodo recte eæ cognoscendæ sint, clarius exponit. Quod si enim medici officium potissimum hoc est, ut morbos, vel imminentes arceat, vel præsentes abigat, simulque verum de eorum eventu judicium promat, quomodo ad hunc finem obtinendum certiori ratione pervenire possit, ac si morborum caussas exacte scrutetur ac feliciter quoque inveniat, equidem non video. Sane

Caussarum morbificarum cognitio necessaria.

corpus

corpus à morbis ingruentibus defendere, quid aliud eſt, quam eorum primordia & origines ſcire, & iis ſalubri conſilio & medicina depulſandis ſtudium operamque conferre? Neque aliud ſanare eſt, quam cauſſas, veluti fontes graviorum ſymptomatum, prudenti medicatione removere. Multo minus vero quis rectum de morbi curſu & certum de eventu formare poterit judicium, niſi ejus cauſſæ veræ & proximæ planius & plenius perſpectæ fuerint. Sapienter itaque proditum eſt ab *Hippocrate* ejuſque fidis ſectatoribus: *medicum ad ſanandum ſufficere, ſi ad cognoſcendum ſuffecerit*, ut ait, *Lib. de arte* §. 20. Id quod clarius exprimit *Lib. de flatibus* §. 2. *Si quis cauſſas corporis affecti probe cognoverit, potens eſt valde ea corporibus adferre, quæ corpori commodent, nimirum contraria, morborum natura perſpecta.* Atque etiam pulchre more ſuo *Celſus* ſcribit: *cauſſæ morbi inveſtigatio ejuſque primordia & occaſio in affectionis & remediorum cognitionem deducunt ampliſſimam.*

§. II.

A medicis tamen plerumque ignoratur.

Verum enimvero, quo majori & plane mirifica utilitate hæc de morborum, quin immo mortis natalibus recte cognoſcendis doctrina, eminet: eo negligentius & incurioſius fere in medicorum ſcholis & monumentis, vel minimum non ſatis exquiſite & ſolide agitatur, vel plane ſilentio tranſmittitur. Plurimos, qui quotidianis in artis operibus verſantur, id tantummodo quærere, ut nomen morbi, quo æger laborat, noſcant, neque multum ulterius de corporis ægrotantis natura, de cauſſæ morbificæ indole ac vehementia, de ſede affecta, deque mali prima origine ſollicitos eſſe, vulgari & ubivis obvia curandi ratione perſpectiſſimum eſt. Perquam paucos profecto Practicorum invenies, qui non prius curam morborum aggrediuntur, quam completam & integram morbi hiſtoriam hauſerint: ſed plurimi audito tantum morbi nomine, mox ad medicamenta præſcribenda ſe accingunt, ſique unum remedii genus non juvat, confeſtim aliud in promtu habent, ac demum inopes conſilii ad practica ſcripta confugiunt. Quin oppido rari ſunt, qui ex hiſtoriis & morborum obſervationibus, cum cura etiam conſignatis, veras cauſſas elicere, vel quod ad praxin tutam conferat, cum certa & fundata ratione eruere poſſunt, vera theoria & philoſophia corporis humani, rerumque, quæ ſaluti vel damno ſunt, deſtituti.

§. III.

Quod teſtantur quorundam indicationes.

Morborum cauſſas certa auxiliorum genera indicare & ex cauſſis bene perſpectis, aptam curandi methodum ſibi formare debere medicum, conſtans quidem omnium merito tulit ſententia; ſed ineptæ in ſcriptis obviæ indicationes, eoſdem nec unquam de genuinis morborum cauſſis verum & utilem habere & habuiſſe conceptum, luculenter produnt. Videas, qui magno conatu perhibent, furibundum archeum eſſe ſedandum, & depreſſum ac emortuum excitandum, naturam in opere ſuo deficientem adjuvandam, ejus errorem corrigendum, naturam vel archeum alibi & minus recte occupatum, vel aberrantem, ſui officii admonendum, diſcurſivum ſpirituum motum ſiſtendum, morborum fermenta peregrina ejicienda, viſcerum fermenta debiliora & acido exuberante deturpata reparanda, acidum certis morbis ingenerandis aptum invertendum, lympham fermentificam acido-volatilem tollendam, humorum qualitatem malignam temperandam & expellendam, calidum innatum reſtaurandum eſſe, & id genus innumera alia, quorum meminiſſe piget, immo pudet. Quid vero aliud obſcuræ hæ, ineptæ, nullius conceptus & nihil reale ſignificantes, neque ad vitæ, ſanitatis, vel morborum rationem explicandam, vel ad remediorum inventionem idoneæ, medendi indicationes, quæ proxime ex natura perſpecta cauſſarum morbificarum depromendæ erant, manifeſtant, quam genuinas morborum & ſymptomatum, immo mortis cauſſas, ejuſmodi ſpeculatoribus minus eſſe perſpectas planeque incognitas. Quare an quicquam certi vel tuti ab eorum medicatione polliceri ſibi quiſpiam poſſit, æquus & perſpicax quiſque dijudicet.

§. IV.

Cauſſa ignorantiæ ſectionum raritas.

Hæc autem tam utilis tamque neceſſaria veras morborum origines inveſtigandi doctrina, quod adeo incognita ſit, præter alias hæc quoque ſubeſt cauſſa, quod morbis defunctorum diſſectiones rariores ſint, & quod perpauci ex illis utile quippiam & quod ad morbi mortiſque hiſtoriam explicandam pertinet, apta ratione elicere queant. Non enim certius & melius ad naturam morbificæ cauſſæ & ſedem affectam pernoſcendam datur ſubſidium, diligentiori cadaverum morbis enectorum inſpectione. Plurima certe in promtu ſunt exempla eorum, qui mirificas ſpeculationes de morbi cauſſa in hoc vel illo caſu habuerunt, dum alii lienis, alii glandularum meſenterii & hepatis vitia, alii rurſus naturam in motibus ſuis aberrantem, quidam humorum exceſſivam acredinem accuſarunt; ubi diſſecto cadavere, apoſtemata in meſenterio, aut empyemata in pectore, aut polypi in vaſis majoribus, vel ſcirrhoſitates viſcerum, aut extravaſationes humorum in conſpectum venerunt. Et licet accuratior cauſſæ morbificæ cognitio non ſemper ſatis ſit ad eam tollendam, ſi nempe remediorum efficaciam vincat; id tamen efficit, ut medicus, an morbus ſanationem admittat, nec ne? & quænam medicamenta imminenti malo avertendo idonea ſint, quæ non? dijudicare poſſit.

§. V.

Cauſſarum ſcrutinium difficile.

Interim non diffitendum, arduum & minus firmis conjecturis eſſe plerumque ſtipatum cauſſarum morbi ſcrutinium, ut inter præſtantiſſimos medicos jure meritoque is haberi debeat, qui in eo excellit. Hoc enim revera eſt, quod medico nominis famam ac celebritatem quam maxime conciliat, ſi veraci augurio quæ impervia corporis penetralia recondunt, aſſequi, & felici cum ſucceſſu ad eadem medicationem ſuam dirigere, vel ſi majus arte malum, ipſo ſub ſectione aſpectu, ratiocinii veritatem confirmare novit. Et juſta certe de cauſſa *Johannes Langius Lib. I. Epiſt. I.* conqueſtus eſt: quod minus celebre nomen ſit medicorum Germaniæ apud exteros, quia nempe præcipua medicinæ pars diagnoſtica, quæ ex ſuis ſignis morbi naturam, cauſſas & ſubſtantiam docet cognoſcere, vel ignoratur, aut ob deſidiam negligitur.

§. VI.

Inſtituti ratio.

Poſteaquam igitur in ſuperioribus formalem omnium morborum rationem in turbato æquabili & moderato ſolidorum inprimis cordis & omnis generis vaſorum, motu contractorio & expanſivo reciproco, contineri demonſtravimus, ſimulque vitia quæ inde in fluida redundant expoſuimus: tranſeundum nunc etiam eſt ad cauſſarum diſquiſitionem. Quum vero in *ſecundo medicinæ rationalis*

rationalis ſyſtematicæ tomo omnes omnino cauſſarum ſeries, quæ proxime, mediate & remote ad morbos producendos conferunt, cunctas quoque res quæ ſanitati & vitæ infeſtæ, accurate ſatis & copioſe excuſſimus: licebit ibi dicta hic tantiſper ſupponere, & meditationi potius ſubjicere eas tantum morborum cauſſas, quæ latentes & paullo abſtruſioris ſunt indaginis, graves tamen ac difficiles morbos, quin ipſam mortem, ingignunt, ſimulque diſpicere, quo pacto Medicus probabili, rationali tamen conjectura, eaſdem poſſit inveſtigare atque cognoſcere.

§. VII.

d cauſſas ſeries re- enda aligni-

Placet autem tractationis exordium ab evolutione malignitatis, quæ communi Medicorum conſenſu compluribus morbis ſummum adjicit periculum, capere. Jam vero nihil certius eſt, quam plurimos inter mortales morbis extingui, quibus malignitas aſſignatur, ceu cauſſa ſummi periculi & mortis, & quæ prudentiam medentis & virtutem medicamenti facile ſuperat, quod teſtantur potiſſimum febres acutæ & præcipue epidemice graſſantes malignæ, purpuratæ, petechiales, catarrhales, pleuritides, dyſenteriæ, anginæ, variolæ atque morbilli. Malignitatis itaque in morbis acutis nota eſt ſubita & plenaria omnium virium proſtratio atque defectio, quæ hiſce indiciis ſe prodit: omnis animi ac corporis vigor dejectus eſt, artus robur & priſtinam ad motum potentiam amiſerunt, pulſus arteriarum ob ſyſtolen cordis contractiorem & languidam exilior & debilior fit, nullus placidus & qui reficiat eſt ſomnus, ſed ſomnolentia quædam magis magiſque debilitans, vel aſſidua vigilia premit, ægri jacent plerumque ſine dolore & ſine ſingulari ſenſu, neque calor in exterioribus partibus adeo intenſus eſt, ſunt anxii & inquieti, mutant ſæpius ſitum, inque eo erecto perquam facile in animi defectionem incidunt, alvus minus recte reſpondet, urina plerumque tenuis, licet crebrius emittitur, reſpiratio eſt difficilior, male cohærentia loquuntur & ſine ſingulari convulſione valida frequentius intra paucos dies extinguuntur.

§. VIII.

e viri- maxi- infer-

Ex hiſce liquido apparet, malignitatem viribus, quæ vitam abſolvunt & tuentur, infenſiſſimam eſſe. Quid vero ſit malignitas, & cur tam pernicialis ſit? non alienum erit, hic exponere. In quo quidem evolvendo, ſi quis defectionis virium & malignitatis cauſſam per calidum nativum debile vel extinctum, aut per ceſſationem naturæ vel archei à motu ſuo & directione corporis, aut per ſpirituum vitalium oppreſſionem, explicare velit: is certe nihil, quod concipi poſſit, quod vere exiſtat & quod in applicatione & in connexione uſui ſit, afferet. Miſſis potius ejuſmodi fictis terminis, ita ſentiendum eſſe cenſemus: vires quæ corpori noſtro inſunt, non alias eſſe, niſi motrices, & quæ à convenienti boni ſanguinis in partes influxu, ſalvis tamen & integris nervis, proficiſcuntur; atque adeo eos præ aliis eſſe robuſtiores, qui ampliora habent vaſa, qui fibras compactiores & laudabilem ſanguinis apparatum obtinent; imbecilliores vero, quibus fibræ ſunt laxæ, vaſa anguſtiora & quibus parcior ſanguis ineſt. Præterea corporis noſtri vires à convenienti victu, à liquido ſubtili & ſpirituoſo, ab aëre puro & temperato egregie foveri & depreſſas mox reſuſcitari, & viciſſim à victu incongruo, omnis ſpiritus & virtutis experte, ab odore vel medicina vaporoſa & graveolenti, ingentem induci virium jacturam. Denique omnibus iis affectibus, qui à conferta crudorum & impurorum humorum, vel ſanguinis copia, originem trahunt, notabilem languorem viriumque lapſum perpetuo fere jungi. Manifeſtæ igitur ſunt virium, quæ vitæ, & omnium actionum vitalium præſides ſunt, cauſſæ: præſente quippe ſanguine temperato, ſubtilibus elaſticis & volatilibus partibus referto, & ſufficiente facto ad quævis organa affluxu, omnes partes ſolidæ & motrices, earumque princeps cor, debitum ſuum tonum, robur, motumque conſtrictionis & dilatationis, qui univerſam œconomiam animalem gubernat, accipiunt.

§. IX.

Ob putri- dam in in- terioribus corruptio- nem.

Has itaque vires proſternit malignitas, cujus indoles atque origo quam optime ex interiorum perluſtratione in iis, qui ex acutis & malignis morbis deceſſerunt, erui poteſt. Nimirum ſi obſervationes & diſſectiones eorum, qui peſte, petechiis & aliis malignis febribus mortui conſulimus, & quæ à nobis ipſis hac in re viſa ſunt recordamur, nunquam non notabilis, vel in ventriculo, vel inteſtinorum volumine conſiſtens putrida, fœtida corruptio, ſive ſphacelatio, ſeſe obtulit; ut inducamur credere, nunquam veram malignitatem periculi plenam adeſſe, ubi non quædam ex ſolidis partibus interioribus ſphacelo & putredine infectæ fuerint. Jam nihil in univerſa rerum natura exiſtit, quod magis animantibus adverſum ſit, quam ipſa putredo. Hæc enim inteſtinus & celerrime vires ſumens deſtructivus motus eſt, qui non modo partium fluidarum texturam ac mixtionem, ſed & ſolidarum ſtructuram invertit, diſſolvit & ſubtiliores fluidas, impetum ac motum facientes partes, hoſtili vapore contaminat. Videmus certe ſphacelum exterioribus partibus incumbentem ſubito & omnes vires exhaurire & vitam brevi extinguere; multo magis interior ejuſmodi partium corruptio exitium creabit præſentiſſimum. Et quemadmodum, qui ex cancro maligno, cui teterrima putredo ſemper jungitur, vel ex ſphacelo moriuntur, haud diſſimilibus ſymptomatibus, ac illi qui peſte & malignis febribus decedunt, divexantur, ita horum unam eandemque eſſe cauſſam, nempe putredinem, merito concludimus.

§. X.

Qua in acutis & chronicis morbis adeſt.

Neque vero tantum putredo & ſphacelatio internarum partium in acutis & malignis febribus reperitur, ſed hæc ipſa etiam funeſtorum morborum aliorum frequentior cauſſa eſt, ac plerumque fert opinio. Proinde noſtrum de morbis plurimis feralibus & periculoſis judicium hoc eſt: plerique pro cauſſa putridam corruptionem internam agnoſcunt, & raro homo ex morbis moritur, ubi non putris quædam corruptio in cauſſa fuerit. Sicuti autem ipſa putredo gradu majori, vel minori, differt, & alia in ſero, alia in ſanguine eſt, ipſæ etiam partes, quibus inſidet, ratione ſtructuræ & uſus valde diſſidentes ſunt; ita effectus quoque & vis putredinis diverſa eſt, quum quædam vehementius agat & celeriter interficiat, alia mitiori modo incedat magiſque chronica ſit. Patet hoc febrium hecticarum exemplo, quæ nunquam non à corruptione viſcerum foventur, & phthiſi, hydropi, cachexiæ ſcorbuticæ, in fine ordinario fere accedere ſolent, ſimilibus quoque ferme ſymptomatibus progrediuntur. Nemo enim non novit, hecticis & quæ demum hydropicis, ſcorbuticis & cachecticis

compli-

complicantur febribus, ingentem corporis languorem viriumque jacturam, cum plenaria ad motum & labores impotentia, appetitus identidem totalem proſtrationem nec non ſomni quieti & reficientis aſſiduum defectum & calorem conſumentem, cum ſudore colliquativo & marcore incredibili pulſusque continua celeritate ac debilitate, perpetuo conjungi; donec tandem alvi profluvium, pedum intumeſcentia, crebrior animi defectio finem vitæ claudant. Quo facto, ſub interiorum luſtratione, hepar, lienem, pancreas, maxime omnium vero omentum, interdum etiam uterum, in thorace pulmones corruptos ac putridos; cum extravaſato ibi putrido ſero, plerumque reperimus.

§. XI.

De ſphacelo ventriculi.

Quamvis autem morbi, à putredine & ſphacelo interno orti, plurima ſigna communia habeant: nihilo tamen ſecius pro differentia viſcerum quæ occupant, & pro natura etiam putredinis, celerius vel tardius ſerpentis, peculiaribus notis, quas breviter ſtrictimque recenſebimus, diſtinguuntur. Primo vero notandum eſt, teterrimæ indolis eſſe eam ſphacelationem, quæ partes ventriculi & inteſtinorum nerveas membranaceas occupat, eo quod celerrime interficit & morbos etiam peracutos, immo acutiſſimos, progignit. Videlicet, ſi putrida corruptio in ventriculo conſiſtit, præter ſummam illam virium proſtrationem & ſigna malignitati communia, ſingularis nauſea & quædam eructationis lymphæ in os ſpecies, ad vomitum inclinatio, itemque ſingultus, cum ſenſu quodam frigoris circa præcordia interno, ſeſe exſerunt: præcedit ſumma anxietas corporiſque jactatio, & fixus in regione præcordiorum ardor, qui tamen cum dolore ſubito ceſſat. Ab hac non differt, quæ à veneno vel maligno pharmaco in robuſtis & ſanis antea corporibus producitur, quippe quæ brevi pariter necat, & delirium ac convulſio, cum plenaria pulſuum per aliquot horas intermiſſione, mortem antecedit.

§. XII.

Duodeni.

Neque duodeni inflammatio eique ſuccedens ſphacelatio infrequens eſt. Nam morbis acutis, choleræ & febribus cholericis, ex facili ſupervenit, & graviſſimæ quoque iræ ſoboles eſt. Hiſce vero notis diſtinguitur; ingens & valde anxius vireſque proſternens cum ſudore frigido circa dextrum regionis præcordialis latus conſtans eſt ardor, cui facies lurida & flavo colore tincta jungitur, quia per ſpaſticam ſtricturam liber bilis ad inteſtina deſcenſus præcluditur, eademque per vaſa lymphatica ad ſanguinem regurgitat: comitem quoque duodeni inflammatio plerumque habet ſingultum, incredibiles anxietates & inquietudines, ob nervoſas partes tam graviter laceſſitas.

Et reliquorum inteſtinorum tenuium.

Inteſtina tenuiora ubi ſphaceloſa inflammatio adoritur, præter aſſiduam febrem, dolor cum interno incendio circa umbilicalem regionem percipitur, alvi nimia ſtrictura eſt, ſuccedit tandem ſumma virium defectio, cum ſudore frigido, pulſu debili & inæquali, ſenſus doloris ſimul & ſemel perit & excrementa fœtida, interdum ſanguinea, ſponte feruntur. Quæ ſigna priora inflammationem, poſteriora vero ſphacelum deſignant; ubi iterum notandum hoc eſt, quod, ſi à cauſſa violenta externa, ut ab inteſtino in hernia incarcerato, ab aſſumto veneno, vel pharmaco virulentiæ non experte, aut ab animi graviori affectu, producta fuerint, delirium & convulſio mortem celeriorem efficiant.

§. XIII.

Maxime in dyſenteria.

Inteſtina in deterioris notæ dyſenteria, inflammatione acuta & ſphacelo quoque corripi, procul ab omni dubio eſt. Illam atrocia, cum febre, ſiti, interno ventris ardore, tormina, penitius manifeſtant: hujus vero ſubita indolentia, quando confeſtim ſimul & ſemel dolor, qui antea erat intolerabilis, & ardor deſinit, haud fallax indicium eſt; majori ſimul reddito excrementorum pædore & virium decremento adaucto. Rectum etiam inteſtinum ex acutiſſimo & immani, ob profundiorem hæmorrhoidum internarum tumorem, dolore, fœtidiſſimæ ſphacelationi obnoxium eſſe, non ſemel ſed ſæpius experti ſumus. Hæc mox latius ſerpit, & tam inteſtina, quam partes exteriores nates & ſcrotum, tetra putrilagine cum nigrore ac tumore inficit. Fæces, quæ ſponte plerumque ſecedunt, intolerabilis, ob iis admixtum putredinis fermentum, ſunt fœtoris, tandem febris continua, ſed mitior, cum totali virium lapſu juncta, cujus naturæ ſolet eſſe putrida & vere maligna, vitam extinguit.

§. XIV.

De ſphacelo viſcerum abdominis.

Quando porro putrida corruptio abdomen inque eo contenta viſcera, hepar, lienem, omentum, invaſerit, tum non tam cito tragœdiam ſuam conficit. In hydropicis, ſcorbuticis & cachecticis eandem prodit totale ciborum faſtidium, pulſus celer, debilis & inæqualis ſomnuſque laborioſus. Certum vero ac plane infallibile viſcerum in abdomine ſphacelatorum ſignum eſt, ſi plenaria appetitus proſtratio indeſinenter per aliquot hebdomades laborantem premit, & hanc nunquam in ejuſmodi morbis fauſti ominis eſſe plurimis experimentis confirmatum habeo. Putredo enim adjacentibus viſceribus inſidens, non poteſt non ventriculi robur enervare & liquoris gaſtrici menſtrualem vim atque activitatem penitus infectione contaminare atque infringere.

Uteri quoque.

Neque uterus ab ejuſmodi fœtida perniciali corruptione plane immunis eſt. Hæc in puerperis, vel in aliis, maxime nimio ſanguinis profluvio debilitatis, ſexus ſequioris corporibus, facile contingit. Viſitur ab initio inflammatio & febris acuta inflammatoria, ex ſuppreſſione lochiorum frequentiſſima, qua ſedata, circa pubem frigoris ſenſus eſt, ad alvum maximeque urinam ſtimulus, & fluxus lochiorum, antea pertinaciter cohibitus, brevi ante mortem ſponte ſua demum procedit.

§. XV.

De corruptione pulmonum.

Phthiſicis & qui ex pulmonum diuturno vitio laborarunt, tandem putredo cum febre putrida ſic dicta hectica, quæ vires paulatim opprimit, ſupervenit, cujus indicia ſunt, præter fœtidam ex ore exhalationem, facilis in ſitu erecto animi defectio, expectoratio ceſſans, pectoriſque oppreſſio cum ſpiritus difficultate.

Et ſenibus familiare marasmo.

Ætate cõnfecti tandem in ſimilem viſcerum corruptionem incidunt, omnis perit appetitus, aſſiduus adeſt calor, unde vires paulatim conſumuntur, ut tandem penitus deficiant, qui affectus communiter maraſmus appellatur. Cæterum internis viſcerum corruptionibus individuus comes eſt febris continua, cum calore quidem non adeo acri & externo, qui tamen vires & ſuccos ſenſim abſumit: ita quidem, ut certis intervallis remittat, non vero intermittat, poſtea exacerbetur, donec tandem plenario virium lapſu penitus opprimat.

§. XVI.

§. XVI.

Sphacelus membranarum cerebri.

Corripit denique ſphacelus ipſas membranas cerebri, ejuſque ſubſtantiam, qui tamen non niſi præcedente inflammatione oboritur, & hiſce indiciis ſeſe manifeſtat. Primum arteriæ temporum & interiores cerebri vehementius pulſant, facies eſt rubicunda, oculi feroces, ſomnus nullus, urina tenuis, omnia furoris plena, quæ notæ phrenitidis ſunt. Poſtea ſubito compoſitus fit animus & ad intelligentiam redit, nihil vero niſi de ſumma virium defectione ægri conqueruntur, facies ante rubicunda in luridam mutatur, pulſus inæqualis ac debilis eſt, & ſponte ſæpe ſanguis è naribus, paucus tamen, prodit, & hæc omnia inflammationem in ſphacelum tranſiiſſe & mortem adeſſe ſignificant. Lethalem ejuſmodi phrenitidem aliquoties vidi in puerperis, quæ ſubſiſtente lochiorum fluxu, accedente febre acuta, nono interierunt die.

§. XVII.

Pure ex ſanguinis corruptione.

Præter putridam quæ in ſanguinem cadit, corruptionem, alia adhuc non adeo tamen exitioſa, ejus ſpecies eſt, qua ille extra vaſa conſiſtens, ex inflammatione præcedente, in purulentam ſubſtantiam fatiſcit, & apoſtema, quod nihil niſi ingens purulentæ materiæ in quadam parte collectio eſt, efformat. Prout vero ejuſmodi abſceſſus variat, easque vel internas, vel externas, prehendit partes, ita differentibus etiam & peculiaribus ſignis cognoſcitur. Et quum ſubinde apoſtema longo artis uſu exercitatos Medicos fallat, non incongruum erit, hoc loco exponere, quibus indiciis in univerſum & ſpeciatim etiam ſeſe prodat. Igitur in genere ſciendum eſt: omnibus abſceſſibus, ubicunque etiam lateant, febrem continuam, lentam quotidianam, cum remiſſione & exacerbatione, pulſu debili & celeri, quæ tandem vires & ſuccos depaſcit, nec non ſudorem continuum, præſertim nocturnum, conjungi, adeo, ut corporis partium marcor nunquam non ſequatur.

§. XVIII.

Abſceſſus in abdominis regumen.

Primum vero apoſtema non raro abdominis regionem obſidet, atque inter peritoneum ejuſque muſculos ſedem fixam habet. Cognoſcitur, ſi vel ſupra, vel infra umbilicum, aut ad latera, circa coſtas ſpurias, verſus dorſum, fixus cum tumore duro dolor per longius tempus perſiſtit. Præterea inappetentia, calor lentus cum inſigni marcore, pulſuque celeri adſunt, urina ſedimentum ponit, & vires indies decreſcunt. Quæ ſymptomata, valde diſſidentes Medicorum conjecturas ſubinde peperiſſe meminimus, quum alii malum pro inflatione inteſtini coli, alii pro glandulæ omentalis tumore & ſcirrho, nonnulli pro dolore calculi habuerunt: adhibitis vero externis mollientibus cataplaſmatibus, tumor durus tactui renitens, mox pure repletus valde increvit, & apertus copioſum cum fœtore pus effudit.

§. XIX.

Thoraci.

Si quando abſceſſus thoracem occupat, quod ſæpius ex male curata pleuritide, & vera & ſpuria, aut ob graviorem caſum, vel etiam ex morbillorum aut variolarum reliquiis accidit, tunc identidem continua lenta adeſt febris, ſed tamen ſpecialibus indiciis ejuſmodi abſceſſus ſe prodit. In dextro vel ſiniſtro thoracis latere dolor eſt obtuſus & preſſorius, cum anxietate incxplicabili, tuſſi nocturna, ſpirandi difficultate, pulſus eſt celer & languidus, partes marcore confectæ, & inter has maxime pectus emaciatum, quin ſano lateri vix incumbere poſſunt. Si vero ingens puris quantitas ad plures ſæpius libras in thoracis cavo fluctuat, tumor in latere affecto circa dorſum ſatis manifeſtus, à ſcapulis uſque ad ilia, ſæpe prominet.

§. XX.

Pure effuſo.

Quando pus extra vaſa effuſum fuerit, id diuturniori mora acre factum, diaphragmatis nerveos proceſſus vehementius lancinat, & dolor intolerabilis non procul à lumbis oritur, qui ſæpe ſagacioribus Medicis imponit. Redit præ ceteris in memoriam exemplum ſereniſſimi Principis juventutis, qui poſt variolas lenta febre, ſpiratione difficili, cum virium languore & macie afficiebatur, quibus demum accedebat atrox circa regionem lumbarem ſiniſtri lateris dolor, appetentia proſtrata, ſomnum cum viribus penitus conſumens, ægro poſt aliquod tempus occumbente. Medicus curæ præfectus dolorem naturæ eſſe errorem quidem volebat, ſed aperto poſt mortem abdomine, ex diaphragmate, acie cultri læſo, ſanies copioſa ſtillabat, & diſſecto demum thorace, ingens puris quantitas in conſpectum prodibat, totuſque ſiniſter pulmo ad vaſa uſque conſumtus & tabe diffluens deprehendebatur. Ubi vero purulenta ſanies conceptaculo adhuc includitur, vomica appellatur, quam fixus diuturnus ac comprimens in pectore dolor prodit, qui nec per ſputa, nec per ſanguinis detractionem, neque per infuſa calida reſolventia placatur, ſed cum pulſu celeri, tuſſi ſicca, anhelitus fœtore, marcore, virium languore, inappetentia & largo debilitante ſudore, continuat. Ipſa magnitudo vomicæ ex majori ſpiritus anguſtia, ingenti anxietate, pulſu duro, quandoque erecto collo intermittente, dijudicatur. Ubi demum pus perrumpit & vomica aperitur, tuſſi fœtidi quippiam puris ejicitur.

Et vomicâ incluſo.

§. XXI.

Abſceſſus meſenterii.

Evenit quoque non raro, ut variis ex cauſſis, præſertim vehementiori in terram lapſu ac contuſione, intra meſenterii membranas abſceſſus colligatur, cujus notæ non ſemper cognitu adeo faciles ſunt. Sentitur in medio abdominis quædam gravitas, ſine manifeſto dolore vel tumore, febris eſt lenta, virium languor & animi crebrior defectio cum ſudore frigido urget, quandoque vires melius conſtant, interdum ſanies cum excrementis per alvum ſecedit, inhorreſcit ſæpius æger, & hæc ſymptomata diutius detinent. Si ex diſrupto abſceſſu ſanies in abdominis cavum ipſamque pelvim deſcendit, dolor acutus cum crebriori ad urinam ſtimulo affligit, ſed parum redditur, quandoque etiam puris acrimonia, inteſtinorum tunicas rodendo, immanem dolorem cum febre ac tumore procreat.

§. XXII.

In muſculis dorſi.

Ubi vero in dorſo, intra peritonei membranam, & muſculos pſoas uſque ad os ſacrum, tabi copia colligitur, præter alia conſueta abſceſſuum ſymptomata, dolor cum tumore ardens in lumbis continuus & ſatis gravis ac fixus, qui ſitu in dorſo exacerbatur, percipitur, & tunc urina, pauca tamen, variis fibrillis repleta, cum ſtranguria emingitur.

Et utero.

Obſervatum quoque à nobis eſt apoſtema in utero, poſt abortum, ab aſſumto vehementi emetico productum, ita quidem, ut poſtquam diutius laborantem dolor

circa os ſacrum & pubem cum febre, alvo adſtricta, urinæ difficultate, exercuiſſet, facta ſectione, pus fœtidiſſimum circa uterum ad libram & ultra fluctuans, totus uterus pure ſcatens, eroſa paſſim per cuniculos perforatos ejus ſubſtantia, deprehenderetur.

§. XXIII.

In renibus. Renes porro patent pariter abſceſſibus, qui totam eorum ſubſtantiam non adeo raro ita conſumunt, ut teſte anatome, nihil præter membranoſum concrementum, ſacculi in modum contractum, relinquatur. Tali in caſu mingitur urina mox cruenta, mox ob puris miſcelam lacteſcens, interdum glutinoſa, craſſa, tenaci materia mali odoris referta, quæ in fundo hæret, neque ad vitri agitationem diſſolvitur. Nonnunquam ſanies ex rene putri in pelvim ſtillat, ſubſequente vix tolerando in regione pubis dolore, ob roſionem quam in veſica & adjacentibus partibus efficit. Ejuſmodi abſceſſus in plethoricis & ſcorbuticis fœminis, ceſſante circa quinquageſimum annum menſium fluxu, item in viris, quibus hæmorrhoidum fluxus ſubſtitit, vel conſueta ſanguinis miſſio omiſſa, notavi, inprimis ſi medici diureticis calidioribus, vel etiam imprudenter thermis Carolinis ad calculum diſſolvendum & ejiciendum, uſi fuerunt.

§. XXIV.

In capite. Neque caput ab abſceſſibus penitus immune eſt, quandoquidem intra parotides, præſertim apud infantes, ſi pus detinetur, intolerabilis circa aures cum tumore fit dolor, vigilias cum febre ad delirium uſque producens. Intra cavitates oſſis frontis abſceſſus quoque deliteſcit, qui intenſiſſimum in fonte & circa radicem naſi dolorem, totum caput in conſenſum trahentem, excitare ſolet, ſed pure tenui, flavo, fœtido, ſucceſſive ad aliquot cochlearia per nares ſive ſponte prodeunte, ſive ab applicato convenienti errhino ſubducto, tandem conquieſcit.

§. XXV.

Tumores ſeroſo-lymphatici in thorace. Accedit aliud genus abſceſſuum, ſive potius tumorum, qui non purulentum, ſed lymphaticum & ſeroſum humorem continent, neque ex præcedente inflammatione, ſed potius ex lymphæ curſu impedito originem trahunt, quorum ſedes minime in viſceribus vel in partibus ſanguine plenis eſt, ſed intra membranarum tunicas conſiſtit, neque humor, quem condunt, erodentis, ut pus, eſt naturæ, inde etiam non partium quibus ineſt ſubſtantiam depaſcit. Hi tumores non raro prægrandes fiunt, ut vel plures libras ſeri puri, quod calore in offam, ut albumen ovi, abit, complectantur, ac ſæpiſſime hærent intra duplicaturam pleuræ, & cavitatem thoracis replent; quibus diſruptis, ingens pectoris fit inundatio, quæ pulmonum expanſionem & motum diaphragmatis impediendo, ægrum ſuffocatione tollit opprimitque. Vidimus talem caſum ante aliquot annos in generoſo militiæ præfecto, qui de dolore in pectore continuo, fixo & compreſſorio ſiniſtri lateris conquerebatur, paulo difficilis cum tuſſi ſicca perpetuo aderat reſpiratio, quæ intervallis, præſertim noctu ab incongruo maxime ſitu, ita ingraveſcebat, ut ſumma anxietas cum ſuffocationis metu per aliquot horas adeſſet, pulſus continuo frequens, mollis tamen, ſine ſiti, vel notabili calore, neque appetitus, neque ſomnus plane deficiebant; pedes frigidi & una cum ſcroto tumore œdematoſo laborabant, exterius in thoracis regione nihil tumoris, nihil ruboris animadvertebatur. Accidit demum, ut à paulo fortiori thoracis commotione à cachinno confeſtim in maximam & continuam ſpirandi anguſtiam atque anxietatem, quæ ad quindecim horas durabat, incideret, qua etiam infeliciter miſereque ſuffocatus periit. Aperta thoracis cavitate, latus ſiniſtrum totum ſeri minimum octo libræ inundabant, quod largius, levi ſaltim inciſura facta, effluebat, eodemque penitus effuſo, membranaceum receptaculum diſci majoris magnitudine, tenue tamen, ad latus ſiniſtrum in conſpectum venit, quod ſine omni dubio ex membrana pleuræ productum erat, & collecta intra duplicaturam ex vaſis lymphaticis diſruptis lympha, talem capſulam ſibi efformaverat. Reliqua viſcera ſatis erant integra, nec alio, niſi quod ex morbi diuturnitate contraxerant, vitio laborabant. Cauſam vero & ortum hujus affectus æger in acre ac intenſum frigus, quod in expeditione Rugienſi paſſus rejecit.

§. XXVI.

In abdomine. Neque dubium eſt, quin ejuſmodi ſeroſi abſceſſus & tumores in abdominis cavitate ſæpe occulti lateant, & vel in meſenterio, aut in dorſo, intra duplicaturam peritonei, vel intra uteri membranas, quandoque etiam intra ipſum ovarium, contineantur, qui dehiſcentes, ſecto ſemper affluxu majori, ſeri copiam in abdominis cavitatem ingentem fundunt, quod corruptione dum inficit viſcera, fatalem diem arceſſit. Non quidem ſine difficultate ejuſmodi tumores cognoſcuntur, & à poſteriori magis & noxio eventu atque effectu demum ſe produnt, ſi videlicet in mali habitus corporibus & diutius infirmis ſubito hydrops gignitur, abdomen intumeſcit, & fluctuantes aquæ vario in latera decubitu percipiuntur; id quod etiam concludendum eſt, ſi quis diuturno pectoris dolore & reſpirandi anguſtia affectus, confeſtim in ſuffocativam ſpirandi anguſtiam non ſuperabilem incidit, ubi certe ſubiti ejuſmodi hydropis generatio non aliam cauſſam, quam rupturam ingentis aquoſi tumoris & effuſionem copioſam ſeri in cavitates agnoſcit. Quod vero intra membranas tumores, quibus extra vaſa poſitus humor inſidet, gigni poſſint, evidenti teſtimonio eſt ille tumor, qui ſalvis internis viſceribus intra duplicaturam peritonei hoſpitatur & mole ſua abdomen ejuſque muſculos mire diſtendit, adeo, ut verum hydropem mentiatur. Quo in caſu *Nuckius* aliique paracentheſin, quæ in anaſarca nunquam non plus exitii quam ſalutis affert, ſumme proficuam obſervarunt.

§. XXVII.

Exulcerationes ternæ. Ab abſceſſibus ad partium exulcerationes tranſimus, quæ ab illis non parum differunt, tum quod abſceſſus copiam materiæ, & purum, album, coctum pus, ulcera vero parum ichoris & ſeri fœtidi fundant, illi magis partes ſanguineas ſucculentas, hæc vero membranaceas, frigidas & ſiccas adoriantur ibique ſedem fixiorem habeant. Ipſe ventriculus, qui partium membranacearum facile princeps eſt, ab his nonnunquam attentatur. Meminimus olim civem Mindenſem, ob nimiam ſpiritus vini ingurgitationem & frequentiorem iram, acerbiſſimo dolore ac tumore circa præcordia correptum fuiſſe, qui ſumto cibo increſcebat, utut vomitu non ita multo poſt rejiceretur. Accedebat univerſi corporis marcor, frequens erat lipothymia, alvi excrementa nigricante colore interdum tincta erant, *In ventriculo*

quumque

quumque per dimidium fere anni miſere decubuiſſet, tandem fato contractus, craſſus tamen & albicans inventus fuit, rugis & etiam punctulis intus obſitus, quibus inciſis, materia ſanioſa fœtida exſtillavit, & in corde ac omnibus vaſis parum ſanguinis repertum.

§. XXVIII.

In veſica. Veſicam quoque non raro chronicum & moleſtum ulcus, ſive ex luis Gallicæ contagio, ſive ex calculi grandioris attritu; aut ex ceſſante conſueto hæmorrhoidali fluxu fovere, non novum eſt. Id vero magnus urinam emittendi ſtimulus, cum ardore & difficultate manifeſtat. Urina mingitur craſſa, quæ ſubinde inſtar albuminis ovi cohærens, ſimul ex vaſe effunditur, inque ea non modo pelliculæ & furfuracea quædam natant, ſed & ſerum viſcidum ac purulentum in fundum dejicitur. Dolor etiam valde gravis pubis ac perinæi regioni incumbit, cujus tanta ſæpius ſævitia, ut partes extremæ inde inhorreſcant, qui tamen remittit, ſi largiorem quotidie ac tenuem potum ægri aſſumunt, quippe tunc urina facilius prodit, cum copioſo mucido ſedimento. Ab ejuſmodi ulcere veſica denſatur & corrugatur, exterius albicat, fibræ contractæ, nigricantes ac ſphacelatæ apparent, & pus in ea cuniculos format. Quin ſi materia fœtida acris in pelvim deſcendit, vicinæ etiam partes putredine inficiuntur, qualem obſervationem *Miſcell. Natur. Curioſ. Dec. II. Ann. VI. obſerv.* 100. commemorant. Si calculus in veſica ejus exulcerationis cauſſa eſt, teneſmus, cujus vehementia non raro rectum propellitur, perpetuo urget, urina eſt purulenta & arenoſa, inque pelvi pruritus percipitur, & ſub erecto ſitu dolor augetur.

§. XXIX.

In proſtratis. Si vero proſtratis & glanduloſæ urethræ multis lacunis præditæ tunicæ, quod ſæpius à male curata gonorrhœa, nec non in lue venerea infectis accidit, exulceratio inſidet, ut plurimum in conſenſum collum veſicæ trahitur, crebrior ad urinam eſt ſtimulus, ſed cum intenſo ardore & dolore mingitur, & difficulter, ob urethram ſpaſmo contractam redditur. Ex glande etiam membri ſubinde liquor, qui conſiſtentia, colore & acrimonia differt, ſtillat, vel manu exprimitur, atque in urina ſedimentum albicans, cum filamentis natantibus, quæ vermiculorum figuram referunt, conſpicitur.

§. XXX.

Funeſtis morborum cauſſis annumerandæ effuſiones ſanguinis in capite. Ad cauſſarum quæ valde difficiles & plerumque lethales affectus inducunt claſſem referendæ porro ſunt ſanguinis, vel etiam ſeri extra vaſa factæ effuſiones & ſtagnationes. Inter has ea, quæ intra cerebri ventriculos, ob plexum choroideum diſruptum, contingit ſanguinis extravaſatio, periculoſiſſima eſt, & apoplexiam fortem, brevi enecantem, efficit. At vero quum alia etiam ſit apoplexiæ non infrequens ſpecies, qua ægri ſalvo pulſu & reſpiratione facie florida & rubicunda, diu ſine ſenſu & motu jacent, & tamen ſervantur, non immerito indicia, quibus utraque diſtinguatur, deſiderantur. Fortis quum à ſanguinis effuſione immedicabili fiat, has habet notas: jungitur illi ut plurimum vel paralyſis, vel convulſio. Illa viſitur, ſi unum latus frigidum & quaſi mortuum torpet, alvuſque ſponte fertur: hæc vero vehementi thoracis motu & elevatione cum ſtertore, roncho & ſonitu, neque minus artuum diſtractione, elevatione, aut ventriculi per vomitum ſubverſione, manifeſtatur, & ſanguis interdum è naribus profluit. In mitiori vero, ſecus res habet, quæ in hyſtericis, hypochondriacis, plethoricis, à vaſorum cerebri, ob copioſius per ſpaſmos eo congeſtum ſanguinem, diſtenſione fit: quo caſu maxima ſpes in ſanguinis miſſione reponenda eſt, ne pernicialis canalium ruptura accedat.

§. XXXI.

In abdomine & quidem ex ovario. Rarius in thoracis cavitate, niſi à violenta vaſorum dilaceratione, ſanguinis effuſio contingit; in abdomine vero id eveniſſe recordor. Ante viginti circiter annos nobilis in hac urbe fœmina triginta annorum, elegantis formæ, quartum menſem gravida, præter omnium opinionem de ſubito virium languore conqueritur, facies contrahitur, livida & frigida fit, ad vomitum adeſt inclinatio, erecto capite animi defectio invadit, quæ crebrius repetens, intra decem horas cum magno dolore mariti uxorem à vivis abripit. Diſſecto abdomine, in ejus cavitate ingens ſanguinis congrumati ad libras aliquot copia reperiebatur, qui ex diſruptis ovarii multum tumefacti & grumis ſanguinis adhuc obſeſſi, vaſis effuſus erat.

§. XXXII.

Ex vaſis brevibus ventriculi. Nullibi tamen canales ſanguiferi facilius diſſiliunt, quam in ſiniſtra ventriculi parte vaſa ſic dicta brevia, quæ tenui membrana obducta, ab irruente copioſius cruore, non ſolum ex facili diducuntur, ſed etiam demum perforantur, hanc potiſſimum ob cauſſam, quod intercepto ſanguinis per lienis vaſculoſam ac raræ molliſque texturæ compagem progreſſu, is per brevium emiſſaria exitum ſibi paret. Hoc autem ſi evenit, vomitus ſequitur ſæpe effrenis ſanguinis nigri, fœtidi atque grumoſi, qualis etiam per alvum ſecedit & clyſteribus educitur. Et licet rejecta ſtomachum aggravante ſanguinis mole, ſymptomata tantiſper levari videantur; repetit tamen ut plurimum vomitio & ægri intra paucas horas inter lipothymias placide obdormiſcunt. Cognoſcitur hic morbus ex inappetentia, animi dejectione, magna circa præcordia anxietate, vomituritione ad animi uſque deliquium, ardore ac æſtu in regionis epigaſtricæ ſiniſtro maxime latere, & familiaris eſt fœminis poſt quinquageſimum annum, diuturno mœrore confectis. Dici enim vix poteſt, quam gravem labem lienis viſcus ex longa contrahat triſtitia, quæ uti ira hepar & ductus biliarios potiſſimum afficit, lieni noxam affricat, ita quidem, ut præter imbecillitatem, quæ inde in univerſum corpus redundat, huic potiſſimum robur & vim reſiſtentem adimat illudque ad concipiendos infarctus diſponat. Ut adeo Veterum ſententia, quæ hepar iræ & lien melancholiæ ſedem eſſe volunt, ratione & experientia non deſtituatur, modo melior & rationalis accedat explicatio.

§. XXXIII.

Ex ruptis interne hæmorrhoidalibus. Pariter quandoque lethalis ruptura vaſorum internorum hæmorrhoidalium accidit. Novimus primipilum quendam, natione Gallum, qui liberalius utens vino adſtringente Francico, quod vocant Pontack, ſubſiſtente conſueto hæmorrhoidum fluxu, in atrocem dolorem dorſi & cruciatus infra umbilicum incidit, cum febre lenta, purpuracea etiam, largo ſudore & alvi tam firma conſtipatione, ut clyſtere injecto nihil redderet, ſed tormenta potius augeſcerent. Secta fuit vena, propinata nitroſa, oleoſa, demulcentia, mannata aliaque plura, demum ſimul

& ſemel aliquot menſuras ſanguinis fœtidi & grumoſi per anum ejecit, ipſeque lipothymia correptus diem obiit. Neque alia hujus affectus & eventus fuit cauſſa, quam quod farta nimium & diſtenta coli ac recti vaſa, dolorem, & rupta, funeſtum profluvium intulerint.

§. XXXIV.

Extravaſationes ſeri variæ.

His frequentiores ſunt ſeri intra cavitates effuſiones, ac inter has ea, quæ fit in capite, & ætati infantili infeſta, immani magnitudine ac tumore, quem hydrocephalum dicunt, & aliarum partium marcore, in conſpectum venit. Eadem ſeri intra cavum thoracis collectio & ſtagnatio, quæ hydrops thoracis audit, iis, qui polypum grandiorem in corde & majoribus ejus vaſis gerunt, & aſthmate convulſivo laborant, ſatis frequens eſt, & nunquam fere non, ubi magna ſpirandi difficultas jungitur, extravaſati ſeri copia in thorace, inſtituta anatome, viſitur. Hæc ipſa vero ſic dijudicanda eſt: reſpiratio antea difficilis ſi longe difficilior redditur, & paroxyſmus quaſi ſuffocatorius diutiſſime affligit parumque remittit, non fallax ſeri in thorace copioſius collecti indicium præbet, præſertim, ſi, quod exſpuitur, ſanguineis ſtriis diſtinctum, eo quod ob nimiam pulmonum compreſſionem & diaphragmatis motum ſufflaminatum, ſanguinis liber curſus ex uno cordis ventriculo in alterum intercipitur, & is ex arteria pulmonali vehementius contracta, in arteriam aſperam exprimitur, quod ſignum in funeſtis præcipuum eſt. In abdominis cavo ſerum vaſorum alveis elapſum tum ex murmure, fluctuatione, tum etiam ex majori virium proſtratione & lenta febre, quum viſcera corrumpi incipiunt, in hydropicis dignoſcitur, quæ corruptio per paracentheſin, aëris atmoſphærici liberiori acceſſu facto, magis magiſque promovetur, & mors acceleratur. De purulenta materia ex abſceſſibus diſruptis in cavitates exſtillante, quibus nimirum effectibus ſe prodat, jam in ſuperioribus mentio facta eſt.

§. XXXV.

Ruptura partium internarum.

Quid? quod quandoque plane pars quædam interna diſrumpatur & ſubitam inſperatam mortem afferat, id quod potiſſimum de liene & utero annotavimus. Erat quondam Hemipoli fœmina viginti & quod excurrit annorum, ſanguineæ conſtitutionis & floridæ faciei. Hæc venæ ſectionem nunquam paſſa & ſexto jam menſe uterum gerens, non ſolum ob matris obitum gravi afficiebatur mœrore, ſed etiam incendio ſuborto terrore percellebatur, eoque excitata, præcipiti lapſu è ſcala cadebat, poſt quadrihorium exſpirans. Inquirentibus autem in tam ſubitæ mortis cauſſam, facta ſectione, aliquot libræ ſanguinis corrupti, ex diſrupto in convexa parte tumido & friabili liene, effuſæ, in abdominis cavo ſeſe obtulerunt, licet exterius ne veſtigium quidem ſugillationis compareret. Oblatus etiam haud ita pridem ordini noſtro ad ferendum judicium eſt caſus, de viro, qui inverſo raſtro forte percuſſus, paullo poſt obiit, inventa ſub ſectione nulla externa macula aut læſionis mortiferæ nota, ſed abdomen cruore ex liene, ad coſtas uſque ſpurias infimas elongato, diſciſſo, plenum. Uterum vero perrumpi, ſæpius quam quidem putatur accidit. Videlicet quando fœminæ per aliquot dies graviter ex partu laborarunt, & retento fœtu, ſubito occumbunt, poſt mortem plerumque uterus ex ruptura perforatus deprehenditur, propendentibus, ex hiatu, infantis pariter extincti, pedibus.

§. XXXVI.

De ſcirrhis viſcerum & glandularum.

Dantur adhuc aliæ chronicorum & rebellium affectuum cauſſæ, quæ licet aliquanto rarius occurrant, eo plus tamen habent in ſanando & cognoſcendo difficultatis. Sunt autem hæ ipſæ partium ſcirrhoſæ indurationes, quæ tum viſcera, ex innumeris tenuiſſimis vaſis conflata, tum etiam glandulas, quarum ſtructura identidem mere vaſculoſa & nervoſo-membranacea eſt, potiſſimum invadunt. Quum enim ex obturatione tubulorum trahant incunabula, facile colligitur, eas partes, quæ fere penitus ex minimis & capillaribus vaſculis conſtructæ ſunt, ejuſmodi malis ex facili patere. Sicut autem in abdomine copia glandularum & varia viſcera continentur, ita etiam hæc vitia crebrius ibi conſpiciuntur. Inprimis *In pancreate.* pancreas, quod totum mere glanduloſum eſt, immo corporis glandula maxima, crebrius quam ullam aliam partem, ſcirrhoſis indurationibus expoſitum invenimus. Profecto diuturniora illa mala ac vitia, quæ circa digeſtionem & primas vias in hypochondriacis & hyſtericis frequenter occurrunt, ut plurimum pro cauſſa pancreatis inexpugnabilem obſtructionem, teſte anatome, agnoſcunt; unde fit, ut ejus ſuccus deficiens, vel heterogeneo acore imbutus, non ſolum digeſtioni & diſſolutioni ciborum minus recte inſervire poſſit, ſed etiam perpetuus ſit acidi corroſivi proventus, qui famem caninam efficit. Denique pancreas etiam penitus induratum in iis, qui ex quartana diuturna laborarunt, ſæpius vidi.

§. XXXVII.

Pyloro duodeni

Quumque pylorus eique annexum duodenum copioſis & eximiis glandulis obſideantur, accidit quandoque, ut ſcirrhoſus tumor etiam in iis deprehendatur, qualis tumor, ſi aliquanto major fuerit, circa dextrum epigaſtrii latus renitentia ſe manifeſtat, & ad tactum digitis comprimentibus, utut non ſine dolore, cedit. Pylorum & duodeni principium dum ambit idque anguſtat & fere occludit, alimentorum in ventriculo digeſta maſſa neutiquam ad inteſtina deſcendere inque corpus diſtribui poteſt, unde fit, ut hoc marcore conſumatur. Diutius vero alimentorum maſſa ibi ſubſiſtens & acidior reddita, ventriculum ad vomitum ſollicitat. Præterea ejuſmodi duodeni exquiſite ſentientibus membranis inhæreſcens tumor, diſtenſione acerbiſſimum & indefinentem dolorem circa ventriculi regionem per aliquot menſes concitat, cujus ſævitia ſomnus impeditur & vires conſumuntur.

§. XXXVIII.

In veſica

Vix ulla vero in abdomine contenta pars facilius ſcirrhis infeſtatur, quam veſicæ corpus membranaceum & ex parte glanduloſum, cui, præſertim circa cervicem, neque tantum externe, ſed & interne, accreſcunt. Ita *Miſcell. Nat. Curioſ. Cent.* I. & II. *Obſ.* 186. memorant: ſcirrhoſum tumorem exterius veſicæ tam inſignem adnatum fuiſſe, ut totam pelvim impleverit. Produnt ejuſmodi tumorem, præter dolorem in pube gravativum, dyſuria cum teneſmo, alvi difficultas; in fœminis fluor albus ſanguini permixtus. Neque novum eſt, veſicæ oſtio interius tumorem ſcirrhoſum appendi, vel interiorem ambitum orificii in magnam craſſitiem excreſcere. Hæc difficilem producit mictionem, ſique incrementum capit, pæne ſupprimit, ut urina retenta & veſicam & ureteres farciminis in modum cum exquiſito dolore diſtendat, abdominis ſequatur

inflatio

inflatio & febris, quale exemplum notavimus in illuſtriſſimo Comite *de Harrach*, in Carolinis mortuo. Occluſi vero orificii ſcirrhoſo tumore indicium eſt, catheteris plane negata admiſſio. Interdum etiam exterius circa ipſum veſicæ collum atque ejus oſtium glanduloſa ſurgit excreſcentia, quæ urinæ effluxum & catheteris in veſicam ingreſſum plane impedit, unde abdomen attollitur; de quo videatur *Riedlinus obſ.* 2. *Anno* 1697. *menſe Februar.*

§. XXXIX.

In proſtatis Quandoque ſcirrhoſus tumor non veſicæ cervici adhæret, ſed in proſtatis conſiſtit. Hic plerumque ex gonorrhœa malè curata oritur, & non modo in urina emittenda difficultatem parit, ſed & magnitudine increſcens, collum veſicæ ita comprimit, ut in totum urina ſupprimatur, quo caſu neque remedia interna & externa, urinam prolicere poſſunt, ſed vomitus & convulſiones ſupervenientes, fatalem diem arceſſunt. Quod vero tumor in proſtatis conſiſtat, ex eo judicandum: ſi gonorrhœa præceſſerit, ac ad radicem penis renitentia quædam obſervetur. Frequentiſſime enim accidit, à coitu impuro & fluxu ſeminis maligno, inter initia præpoſtera medicatione excepto, peſſimum proſtatas contrahere vitium, ac induratas in ſcirrhum denſari, qui demum ſæpe longo poſt exulceratur inque fiſtulam abit, partes vicinas exedentem, eoque facto, gonorrhœa redditur inveterata ac rebellis, quæ Chirurgos æque ac medicos, ipſoſque potiſſimum ægros, miſerrime exercet.

§. XL.

In meſenterio. Porro meſenterium, in cujus centro copioſæ exſtant glandulæ generandis ingentis magnitudinis tumoribus quam maxime opportunum eſt. Qui atrophia affliguntur, præter abdomen inflatum, quod ſubinde in pueris conſpicimus, obſtructas & valde tumidas in meſenterio, teſtantibus id anatomicorum obſervationibus, deliteſcentes glandulas gerunt, quæ liberum iter ac tranſitum chyli impediendo tabem & marcorem corpori inferunt, inteſtina humoribus replent, qui fluxuum & frequentium dejectionum cauſſæ fiunt. Nonnunquam accidit, ut ingentis magnitudinis ſcirrhus, vel plures etiam, meſenterii membranis inhæreant, quibus venter in molem attollitur, ut vel ingravidationem, vel molam, vel hydropem mentiatur; reliquas vero partes corporis tanta ſæpius abſumit macies, ut oſſa atque pellis videantur cuncta, qualia exempla paſſim in obſervationum medicarum ſcriptoribus leguntur. Tali in caſu id tantum vitandum eſt medico, ne in prognoſi imprudenter delinquat ſuamque exiſtimationem lædat. Differt enim ejuſmodi tumor ventris, à ſcirrhoſa glandularum meſenterii intumeſcentia productus, à graviditate, magnitudine ingenti & magis magiſque increſcente, reliquarum partium contabeſcentia, & quod tumida moles non tam ad ilia & verſus dorſum, quam potius ad medium abdominis ſeſe extendat, nec non quod in prægnantibus motus infantis vividus perſentiſcatur. Ab hydrope autem diſtinguitur, dum huic tumores pedum œdematoſi cum facie plumbea & lurida, urina pauca & rubicunda complicantur, aqua quoque in ſcrotum deſcendit & in abdomine impreſſi digiti veſtigia relinquuntur, quæ in tumidis meſenterii glandulis non conſpicua ſunt. Sed multo difficilius eſt, à mola, quæ ab auctoribus vocatur nutritionis, & quæ potius excreſcentia fungoſa utero adnata eſt, hunc tumorem in fœminis diſcernere, niſi quod in ejuſmodi carnoſis molis magnum pondus in regione pubis percipiatur, alvi & urinæ fiat difficultas & humor peregrinus cum ſanguine interdum ex poris & glandulis uteri exprimatur, quod meſenterio affecto non facile accidit.

§. XLI.

In hepate. Præterea ſcirrhoſi tumores frequentius etiam duo illa in hypochondriis magna viſcera ſita, hepar & lienem, adoriuntur, quia ob ſingularem venæ portæ ſtructuram, dum vaſis advehentis & arterioſi munere fungitur, infarctibus, obſtructionibus & ex iis pronaſcentibus ſcirrhis, quam maxime ſunt expoſita, quibus generandis adhuc eorum ſtructura vaſculoſa plurimum vellificatur. In hepate ſi conſiſtit & magnam ejus partem occupat, gravativus in dextro hypochondrio percipitur dolor, ſæpius etiam prædurus ac renitens tumor exterius conſpicitur ac ſub coſtis ſpuriis & ſcrobiculo cordis tangi poteſt, præſertim ſi quis ventri incumbat. Cæterum color faciei flavus & luridus eſt, eademque cum oculis tumida, pedes quoque intumeſcunt, reſpiratio eſt difficilior, & compreſſione ventriculi poſt cibum, præſertim flatulentum, anxietas circa præcordia augetur.

§. XLII.

Lienis. Quandocunque lien intumuerit, vel etiam in ſcirrhum abierit, in latere ſiniſtro verſus dorſum ſub coſtis ſpuriis gravativus & preſſorius eſt dolor, qui uſque ad præcordialem regionem ſeſe extendit, cachexia quoque in facie conſpicua, & ructus ac flatus moleſtant, languet appetentia & ſpiritus difficulter trahitur. Accedentibus doloribus & ſtricturis, ex animi graviori affectu, vel aliis de cauſſis, ſpaſticis, vomitus cruentus nigricans, vel ſolus, vel ejuſdem coloris dejectionibus conjunctus, quem morbum *Hippocrates* nigrum appellitat, utplurimum funeſtus naſcitur: id quod ſæpius vidi in fœminis adultioribus, ſanguineæ complexionis, diu mœrori indulgentibus, immo etiam poſt paralyſin ſiniſtri lateris, poſt quam & atonia & infarctus lienis inceſſit. Scirrhum quandoque etiam uterum invadere, ita ut fere totus in illum mutetur, obſervationum fide conſtat, & de ejuſmodi caſu vid. *Miſc. Nat. Curioſ. Cent. I. obſ.* 120. Hæc vero adſunt ſymptomata: premitur veſica & inteſtinum rectum, hinc urinæ ardor, ſtranguria, alvi evacuatio; atque eximius dolor fixus & ſtabilis circa pubem & circa lumborum regionem, vomitum, cibi faſtidium & præcordiorum anxietates exſuſcitat. *De utero.*

§. XLIII.

De polypis. Sed tranſeamus jam ad morborum alias cauſſas, non ita quidem obvias, miſere tamen & variis modis ægros torquentes, quin ipſum lethum inferentes. Hæ ſunt maſſæ ex variis pelliculis & fibris concretæ ſolidiores, cordis & vaſorum cavitatibus præcipue majoribus inhærentes, quæ medicis polyporum nomine veniunt. Morbos, quibus ſeſe jungunt, ſive acuti ſive chronici fuerint, perpetuo fere immedicabiles reddunt, & diligentior cadaverum morte ſublatorum anatome nos facit certiores, vix tria cadavera occurrere, ubi non infeſti hi hoſpites conſpectui ſeſe offerant. Domicilium vero ſuum maxime omnium in cordis thalamis, inque principio arteriæ pulmonalis & arteriæ aortæ, rariſſime in vena pulmonali habent. Obverſatur adhuc animo ſereniſſimi Holſatiæ Prin-

cipis, anno abhinc è vivis ſublati exemplum. Hic quum de dolore comprimente fixo in ſiniſtro thoracis latere ſupra papillam conquereretur, cum anxietate & anguſtia ſpirandi, pulſu inæquali, cordiſque palpitatione, quibus œdematoſa pedum accedebat intumeſcentia, ego per litteras in conſilium anno ante obitum adſcitus, polypum adeſſe prædixi & difficilem fore medicationem, quod præſagium ſectio cadaveris confirmavit, dum quatuor polypi, duo in dextro, unus in ſiniſtro cordis ventriculo & quartus in arteria magna, inventi. Sinus cerebri quando à polypoſo concremento obſidentur, atrociſſimi affligunt capitis dolores, & ad hemiplexiam, quin apoplexiam, via panditur. Præterea polypi non modo ſubitæ mortis, ubi canalium alveos, præſertim dextro ventriculo appoſitorum, claudunt, ſed & ſi pulmonalibus vaſis inhærent, graviſſimæ & ſæpe funeſtæ hæmoptyſeos, catarrhi ſuffocativi, aſthmatis convulſivi, nec non hydropis thoracis, cauſſa ſunt.

§. XLIV.

Signa polypi. Plurimum itaque intereſt, ut medicus hos occultos, infenſiſſimos motuum vitalium hoſtes exploret ac detegat. In quo quidem ſcrutinio tenendum eſt: temperamentum ſanguineum, & habitum corporis anguſtioribus vaſis, fibriſque mollioribus donatum, vitæ genus laboris & motus expers, parciorem potum & uſum eorum alimentorum, quæ glutinoſum ſuccum præbent facileſque ſunt ad coagulum ſubeundum, liberaliorem uſum vini acidi & ſpirituoſorum, cœnam quoque largiorem, ad generationem ingratorum horum hoſpitum ſymbolum conferre. Proximiora vero & manifeſta indicia, è quibus ipſorum præſentia conjici & dijudicari debet, huc redeunt. Polypi initium arguit compreſſio pectoris & fixus circa cor dolor, ſi vero jam incrementum cepit, præter hæc frequentius, vel levi de cauſſa, recurrit cordis palpitatio, pulſus miris modis inæqualis & varius eſt, ſæpiuſque notabilibus intervallis intermittit. Tum à motu corporis fortiori, vel medicamento ſanguinem exagitante ſumto, aut ab affectu animi vehementiori, diſpnœa & incredibilis cordis anxietas urget. Poſtremo, lipothymiæ frequentia, ſine cauſſa evidente, vel quæ à certo corporis decubitu provenit, eſt in ſignis polypi præcipuis commemoranda, quibus accedit quod ſanguis emiſſus in aquam calidam, mox inſtar gelatinæ concreſcat & in filamenta alba mucilaginoſa fatiſcat.

§. XLV.

A polypis uteri hydrops uterinus. Nonnunquam ejuſmodi carnoſæ & membranoſæ involutæ concretiones vaſa uterina opplent, & hinc varia circa uterum & menſium negotium inſolita pathemata occurrunt. Notum ex pathologicis eſt, certam hydropis ſpeciem, quæ maxime inferiorem abdominis regionem petit, utero veluti cauſſæ adſcribi, neque male. Etenim ſi libera ſanguinis per ejus vaſa progreſſio impeditur, quod promtiſſime fit, canalium alveis à polypoſis maſſis obſtructis, non poteſt non fieri, quin ingens ſeri copia ſecedens, aut in uteri, aut in abdominis cavitatem, deſcendat. Cl. *Payerus in Hiſt. Anat. p.* 127. fœminam tumore hydropico demortuam diſſecuit, ubi uteri vaſa copioſis molis carneis intus obſeſſa invenit. Ante aliquot annos fœmina generoſa Berolini peculiari laboravit affectu: per aliquot nempe menſes ex utero limpidiſſima aqua, quæ intra viginti quatuor horas interdum libram æquabat, ſtillavit, ægra tandem marcore & febre confecta. Poſt ſectionem uterus magna ex parte etiam polypis quoad vaſa obſeſſus, inventus fuit. Accidit etiam, ut ſerum in hydatides ſive magnas veſicas concedat, quæ ſi fuerint intra uterum ruptæ, aqua ex orificio uteri exſtillat, ſi vero exteriorem uteri ſubſtantiam obſident, humor in cavum abdominis funditur. Referenda huc eſt hiſtoria, quam *Veſalius Lib. V. de corporis humani fabrica Cap. IX.* de quadam muliere Auguſtana refert: ſe in ejus uteri cavitate ſeroſæ materiæ ſupra ſexaginta menſuras Auguſtanas reperiſſe, reliquis viſceribus ab inundatione plane immanibus. Et *Mauritius Cordæus Comment. in Lib. I. Hippocr. de morb. mulier.* notabilem affert hiſtoriam mulieris hydrope uteri laborantis, in cujus utero & reliquis corporis partibus, plurimæ veſiculæ aqua citrina plenæ, inventæ fuerunt.

§. XLVI.

Hæmorrhagiæ uteri & abortus. Neque dubium eſt, quin polypi uterini cauſſa profuſiſſimæ ſæpius ſint hæmorrhagiæ, non ſecus, ac qui vaſa pulmonum obſident, incoercibilem hæmoptyſin proferunt. Quæ frequenter abortiunt fœminæ ſanguine redundantes, iis ſolenne admodum eſt, ut paullo ante abortum cum ingenti lumborum dolore primo ſanguinem, deinde maſſas carneas ovi gallinacei magnitudine, numero plures, excludant. Has enormis non raro cum animi defectione ſanguinis effuſio ſequitur, & paulo poſt embryo. Perperam autem hæ maſſæ habentur pro molis, quæ nihil aliud ſunt, quam polypoſæ ejuſmodi à mucido ſtagnante intra venas uterinas ſanguine concretiones, quibus ejectis, ob vaſorum nimiam diſtenſionem & apertionem, largiſſima ſanguinis effuſio ſequi neceſſario debet. Id tamen interdum accidit, ut aliquot placentulæ abortivæ in uteri cavitate maneant, ibique auctæ ac induratæ, varia ſymptomata producant, quorum cauſſa mola à medicis communiter dicitur & adſtruitur, cujus indicia ſunt, ſi intumeſcit abdomen, tumor vero magis ponderoſus & durus eſt in ventre, nec verſus umbilicum extenditur, ſed in inguine ſubſiſtit, nullus ſe exſerit motus infantis, nec verus, nec calcitrativus, neque circa umbilici regionem, nec exterius percipitur, ſed interius debilis & tremulus eſt, cui multæ præcordiorum anxietates cum tenſivis doloribus junguntur. Quandoque cum ſæviſſimis partus doloribus ejuſmodi molæ, quæ nonniſi membranacea concreta ſunt, excluduntur, unde venter mox in totum ſubſidet.

§. XLVII.

De calculo in renibus. A polypis ad alias res fere leves & ludicras, nihilo minus ſæviſſimorum, quin lethalium, affectuum cauſſas nos convertimus, inter quas jure meritoque calculus ex materia tartarea, terrea, mucida concretus, ſi infeliciſſime canales vel cavitates eximias & notabiles obſtruat, refertur. De renum calculo illud perquam notatu dignum eſt, eum, quamdiu renum incolit ſubſtantiam, nihil moleſti ſenſus creare, ſimul ac vero incipit è ſede ſua moveri & ureterem ingredi, tunc protinus incredibilis ſe primo in lumbis, poſtea in lateribus circa ilia, ſecundum ureterum ductum ſe exſerit dolor, quem ordinario fere nauſea, vomitus, ſumma anxietas, extremorum frigus, ſtupor partis affectæ, ardor urinæ, calor præternaturalis, alvus conſtricta, contractio teſticuli & vigilia, comitantur. Quando-

que

que etiam atroces in ventre cruciatus complicantur, qui, ſi calculus ſubito per ureteres tranſit, atrociſſimi fiunt, ut medentum imperitiores, & qui prima vice cum hoc malo conflictantur, morbum potius pro convulſiva & funeſta colica, quam pro calculo, habeant. Neque inficiandum eſt, dolores ex calculo plura habere cum colica ſpaſmodica communia, in eo tamen differentiam eſſe experientia docet, quod calculus ſubito & cum atrocia invadat, principium in lumbis habeat, ventriculum ad nauſeam & vomitionem ſollicitet & in urina craſſius ſabulum conſpiciatur. Tandem ne hic prætereundum eſt, quod, ſi ren male affectus & prægrandibus calculis obſeſſus fuerit, flatus in inteſtino colo ejuſdem lateris ſtagnantes, dolorem ibi ſatis moleſtum procreent, vel quod eum è ſede ſua dimoveant, vel quod mutuo contactu & attritione inteſtini flatibus diſtenti, & renis calculis expanſi, dolor ille ſuſcitetur.

§. XLVIII.

In ureteribus. At vero longe majores moleſtiæ ſunt, quas calculus ureteribus firmius ac diutius impactus, efficit. Dum enim urinæ liberum in veſicam fluxum intercipit, pertinax fit dyſuria & feralis urinæ ſuppreſſio, quæ etiam pro diverſo ſitu calculi certis ſuis notis ac indiciis dijudicanda eſt, quas hoc loco exponere, non erit incongruum. Ubi urina ſupprimitur & calculus uretheris cavitatem obſtruit, veſica eſt vacua, catheter poteſt immitti, ſed parum humoris elicit, tantaque eſt doloris circa illa atrocia, ut ſpaſtica conſtrictio etiam alterum ureterem in conſenſum rapiat. Si vero calculus, vel etiam ſanguinis grumus, circa orificium uretheris, ubi obliquo ductu per veſicæ membranas tranſit, hæret, veſica etiam ab urina vacua eſt, immanis cruciatus in inguine ſentitur.

§. XLIX.

In veſica. Deinceps ſicut calculus in renibus, ita etiam qui in veſica deliteſcit, & urinæ egreſſum impedit, certis dignoſcitur indiciis. Videlicet ægri de tumore & dolore in pube conqueruntur, urina guttatim ſtillat, quandoque cum horrendo cruciatu, & ſæpius craſſum ac puriforme ſedimentum deponit, permixtis moleculis, nunc carptam lanam, nunc vermiculos, referentibus. Interdum accidit, ut urina copioſiſſima reddatur, quandoque alvus & urina ſupprimatur, & abdomen ad lapidis duritiem, cum dolore circa pubem acutiſſimo & horrore moleſto diſtendatur. Nonnunquam alvus ſubducitur cum flatu & larga lotii emiſſione. Si atrox dolor adeſt, anorexia, febris & conſtrictio alvi urget, & urina pauca, pallida tamen, cum magno niſu & moleſtia excernitur. Hæc ſymptomata potiſſimum affligunt, ſi quando lapis ſcaber, non adeo magnus & figuræ complanatæ ac ovalis, orificium tegit obſtruitque, & ab aſperitate & attritione dolorificus ſpaſmus fit, qui tam atrocia gignit ſymptomata. Per intervalla veſicæ calculo laborantes, præſertim ſub boreali aëris ſtatu, item flatibus retentis, & alvo obſtructa, graviori cruciatu & pondere laborant, mictio fit ſæpius purulenta, in ſenibus jungitur teneſmus, membri pruritus & alvi cum urina ſuppreſſio eſt, quandoque etiam ipſe anus procidit: pro ſitu vero corporis variante levamen accipiunt.

§. L.

De calculis veſicæ felleæ. Quod attinet ad veſiculam felleam, neque hæc à calculoſis concretionibus libera deprehenditur, ſed ſæpiuſcule calculi ingentis magnitudinis ejus cavitatem totam replent, interdum numero plures, variæ figuræ ac magnitudinis in ea deliteſcunt, & gravibus ſymptomatibus corpora affligunt, quæ tamen non eadem, ſed diverſimode comparata, prout vel ingens calculus veſicam ipſam male afficit, vel plures per ductum cholodochum tranſitum moliuntur. Quandocunque fellis veſica tota fere lapillis turget ac repleta eſt, pertinax cum gravativo & continuo dolore dextri hypochondrii icterus, omnium remediorum efficaciam eludens, corpus flavedine tingit, cui ſi diuturnior fuerit, morbus aquatus adjungi ſolet. Quibuſdam continua nauſea vel etiam ciborum vomitio, in aliis atrociſſimus iſchiadicus dolor & aſthma diuturnum conjunguntur. Præterea quibus ingens in fellis veſicula calculus eſt, ab iracundia inſolentia ſymptomata patiuntur. Nam quando à vehementiori iracundiæ affectu ſpaſtica, ut ordinario ſolet, ductuum biliariorum conſtrictio fit, liber bilis in duodenum effluxus impeditur, ipſaque regurgitat ad vaſa biliaria felleamque cyſtidem, inde efficitur, ut, quum calculis cyſtis jam repleta ſit, à bilis copia ductus valde ſenſibiles diſtendantur, hinc ob conſenſum non modo acutiſſimus abdominis dolor, præcipue in dextro hypochondrio oriatur, ſed & tanta reſpirandi fiat anguſtia & difficultas, ut ſuffocationis periculum appareat, alvo ſimul adſtricta & extremis refrigeratis.

§. LI.

Et per ductus biliarios tendentibus. Si vero ipſe calculus tranſitum per ductum cyſticum & cholodochum, qui intra membranas duodeni fertur, affectat, fixus & intolerabilis circa eam regionem, qua ductus cholodochus duodeno inſeritur, in dexto hypochondrio eſt dolor, cum moleſtiſſimo vomendi conatu, nauſea, appetitus dejectione, colore cutis intenſe flavo, membrorum laſſitudine, alvi duritie: quæ ſymptomata una cum flaveſcente cutis colore, repente & ex toto ſolent remittere, excretis per anum calculis ponderę leviſſimis, & tunc ipſa cutis nitorem ſuum recuperat. Confirmatum hoc habemus notabili exemplo. Erat quippe honoratior quidam vir, ſexagenario jam major, qui poſt diuturnum in dextro hypochondrio comprimentem ac obtuſum dolorem, in ſpiritus difficultatem incidens, paulo poſt œdematoſo pedum primum ac poſtea hydropico crurum, ſcroti & abdominis tumore afficiebatur & aliquandiu affligebatur. Huic præſcribebat medicus infuſum purgans, cujus baſis cortex medius ſambuci, à quo efficaciter purgabatur & plures lapillos, planæ & acuminatæ ſexangularis figuræ, nigricantes ac leves, plus quam viginti numero, per alvi ſeceſſum excernebat, quo facto, aſthma diſparuit, tumor ſubſedit & cum valetudine in gratiam redire viſus eſt, quæ tamen, ſive ob ætatem, vel priorem longum morbum attritis nimium viribus, minus conſtans erat, ſed hydropi paullo poſt iterum implicitus, naturæ debitum ſolvit.

§. LII.

De vermibus. A calculis progredimur jam ad alias ludicras res, quæ tamen potentiſſimæ ſunt ad corpora humana tam miſere affligenda, ut non majora propemodum tormenta poſſint excogitari. Et hæ ſunt varia ratione figuræ & magnitudinis inſecta, ſive vermes, qui maxime ventriculum & alimentorum magnum illum canalem inhabitant, ibique nidos & hoſpitia ſua habent. Non eadem vero ſed diverſa pro locis, quibus inſident, & prout

variæ eorum ſunt ſpecies, pathemata obſervantur. Si rotundi proboſcide & pedunculis quaſi totidem uncis inſtructi fuerint, graviter rodunt, lancinant, & interdum membranas perforant. Hi quando ventriculum obſident, incredibilis ejus morſus cum inexplicabili dolore, anxietate, inquietudine, nauſea, ſalivæ fluxu infeſtat; fœtidus ex ore vapor halat, vultus mox pallet, mox rubet, narium adeſt pruritus, vomendi cupiditas, ſicca ac moleſta tuſſis per intervalla affligit, animique defectio frequentius jungitur.

In ventriculo.

§. LIII.

Si in inteſtinis, præſertim ileo, cui lubentiſſime inſident, eo quod amarorem bilis minus ferre poſſunt, nidum ſuum habent, hæc ſunt indicio ſymptomata: venter mirifice, præſertim in infantibus, diſtenditur, ut tympanitide laborare videantur, alvi ſubinde nimia jungitur dejectio, qua feces fœtidæ coloris cinerei, ſtercori bubulo ſimiles, ſecedunt, partes ſuperiores tabeſcunt, ita prorſus, ut nonniſi oſſa cohærentia conſpiciantur, licet multum appetant. Facies plerumque pallet & tumida eſt, & cum excrementis ramenta quædam, feminibus cucumeris vel cucurbitarum ſimilia ejiciuntur. Lumbrici dicuntur hujus inteſtini incolæ, qui plerumque lati ſunt & longi & mirifice ſe convolvunt, neque tam alacres ſunt, quam rotundi, ſæpius quoque ob tuſſim, febrem & lateris dolorem pleuritidem mentiuntur, quæ tamen à vermium ſymptomatibus, dolore ſub coſtis ſpuriis, febre acuta & tuſſi ſanguinolenta diſtinguenda.

In ileo lumbrici.

§. LIV.

Quod attinet ad aſcarides, neque hæ obſcuris indiciis ſe produnt. Hoſpitium ſuum quam maxime in inteſtinis craſſis quærunt, & frequentius ac copioſiſſime recto inſident, ſimileſque tineis ſunt, & manipulatim ſæpe alvo ejiciuntur, quin ex ano non raro prorepere & muliebribus pudendis ſe inſinuare ſolent, ut cum urina in matulam deſcendant, ſæpiuſque incautioribus medicis imponant, ac ſi ex veſica prodiiſſent. Utut vero multa cum reliquis inſectis communia habeant, ſi inflationem abdominis, ſi maciem, ſi nauſeam reſpiciamus; in eo tamen quædam eſt differentia, quod multus ac gravis pruritus in ano percipiatur, & alvus ad deponendum frequentius ſollicitetur odoremque identidem fœtidum excrementa exhalent. Hæ vermium ſpecies natu etiam majores, præſertim fœminas luxui & otio indulgentes, divexare ſolent.

In craſſis aſcarides.

§. LV.

Præter memorata hactenus è vermibus gravia ſymptomata illud adhuc notandum eſt, quod febres ſubinde eos invadere ſoleant, qui vermibus exercentur, quæ ex lentarum & putridarum ſunt numero & ſimiles quotidianis nullumque ſervant typum, ſed ſunt erraticæ, cum pulſu inæquali, frequenti & obſcuro. Neque dubium eſt, quin ex vermibus in putredinem fœtidam colliqueſcentibus exſurgant. Porro etiam non prætereundum, quod vermes præſertim minuti, quos ſex pedibus cum nigro capite inſtructos vidimus, ſi nerveas tunicas inteſtinorum graviter lancinant, arrodunt, mirabilia atque inſolita, quæ ab imprudentiori vulgo incantationibus ſolent adſcribi, ſymptomata producant. Videlicet ſunt inter exempla verminantes, quos convulſivæ artuum ad ſtuporem uſque tractiones, diſtenſiones & incredibiles circumgyrationes, miro torquent modo, mox aphonia tentantur, mox aliena & male cohærentia cum mentis turbatione loquuntur, ſtridenti dentibus, in furorem agitantur, dæmonia ſe videre aſſeverant; remittit tamen ſæpius hæc ſymptomatum ſævitia, ſi nimirum vermes à roſione deſiſtunt. Tam valde gravis vero ſymptomatum violentia non aliunde repetenda videtur, quam quod univerſum genus nervoſum, à vehementi roſione tunicarum inteſtinalium, mutua conſenſione & communicatione in exorbitantes hos motus rapiatur.

Inſolitæ inde ſymptomata.

§. LVI.

Neque in hac latentium cauſſarum morbificarum conſideratione ſilentio tranſmittendi flatus, qui utut res leviſſimi momenti videantur, tantas tamen anxietates, cruciatus & inſolentia in diſſitis etiam partibus ſymptomata concitant, ut vitam in ſummo diſcrimine poſitam credas. Cauſſa horum utplurimum eſt tenax & viſcida copioſo aëre plena materia, quæ à calore in halitus, quibus ineſt magna expanſiva vis reſolvitur; accedit tamen etiam atonia, ſive paralytica quædam reſolutio, tunicarum ventriculi & inteſtinalium, qua fit, ut nimium à contentis vaporibus expandantur, præter naturam huc illuc trahantur demumque per conſenſum atroces paſſiones accedant. Diſcrepant tamen ſymptomata à flatibus pro differentia locorum quæ patiuntur. Ventriculus quidem ab iis inflatus & per omnem ambitum fortiter expanſus, ſummas præcordiorum anxietates & ſpirandi ad ſuffocationem uſque anguſtiam, cum faucium conſtrictione efficit, atque inferior ejus pars ſub cordis ſcrobiculo verſus latus dextrum, inſtar veſicæ turgidæ, ovi gallinacei magnitudine, ſenſibus & tactui ſeſe offert, demum ructus ſuperveniunt, quibus flatibus exitus conceditur & anxietatum fit allevatio. Et hæc ventriculi inflatio frequentiſſima eſt hypochondriacis, nec non hyſtericis, in quibus ſæpe tanta, ut ea affectæ, ob interceptum diaphragmatis deſcenſum ſine omni ſenſu & motu jaceant & reſpirationis ſucceſſus vix obſervetur.

De flatibus.

In ventriculo.

§. LVII.

Sæpius quoque inteſtina torquet flatuum proventus. Si quando accidit, ut tota inteſtinorum moles flatibus mirifice diſtenta, ingentem abdominis tumorem efficiat, dolores atroces cum alvi adſtrictione exſurgunt, qui affectus colica flatulenta vocari ſolet. Quæ diſtenſio ubi eſt diuturna, ob inteſtinorum quandam paralyſin & viſcidæ materiæ copiam intus hærentem, abdomen inſtar tympani expanditur; tandem jungitur cachexia & tabes, ac morbus vocatur tympanitis. Frequentius vero contingit, ut tantummodo partes quædam inteſtini, præſertim coli, flatu dolorifice diducantur, quod circa hypochondria utraque ſæpiſſime obvium, quia colon ibi in flexuras curvatur, quæ impediunt, quo minus & flatus & alia contenta promte tranſeant, ſed ſtagnent. Familiariſſime id in hypochondriacis evenit, & perperam dolor ille tenſivus ſiniſtri lateris, pro tumore & inflatione lienis à medicis anatomes ignaris habetur, eo quod lien in homine non in hypochondrio, ſed in dorſo, ſub diaphragmate ſitum obtinet. Teſtatum etiam faciunt obſervationes, quod in oſſe ilei dextri ingens & dolorificus tumor quandoque diutius per intervalla affligat & à cibis flatulentis ſumtis exacerbetur, hanc ob cauſſam, quia principium coli ſatis capax & membranis robuſtis motricibus inſtructum, ut ſurſum excrementa propellere poſſit,

Et inteſtinis.

hic

hic conſtitutum, quod adeo ampliatur, ut cum exquiſito dolore ipſa integumenta extrorſum urgeat, & periculum ruptionis ſit, quod etiam quandoque factum obſervationes practicæ & anatomicæ confirmant. Ejuſmodi vero flatulentos tumores exinde licet cognoſcere, ſi ad emiſſionem flatuum vel ejectionem materiæ tenacis copioſæ, per vomitum aut ſeceſſum, tumores cum dolorum allevatione minuuntur. Dolores lumborum, pulſuum intermiſſio, dolores in oſſe coxendicis, tumores pedum œdematoſi, ſæpe ſolis flatibus inteſtina diſtendentibus & vaſa vel nervos comprimentibus debentur, & datis carminativis ac clyſteribus, conquieſcunt.

§. LVIII.

De eroſione ventriculi & inteſtinorum.

Reſtat demum alia cauſſa abſtruſa memoranda, quæ in ventriculo neque minus in inteſtinis conſiſtit, rariuſque animadvertitur, mortis tamen & graviſſimorum morborum genitrix eſt. Eſt hæc ventriculi vel etiam inteſtinalium tunicarum eroſio, quæ vel ab erodentium acidorum ſuccorum copia in hypochondriacis, vel ab iracundia vehementi & frequenti, vel à ſumto veneno emetico vel purgante acriore accidit, vel etiam poſt choleræ, dyſenteriæ aut diarrhœæ morbum relinquitur, & affectus eſt chronicus, ab inflammatione, quæ celerum paſſionum præcipua, diſtinguendus. Ventriculus & duodenum, quando eroſa, continuus & fixus dolor eſt circa præcordia, tenſivus, tractorius, interdum cum ardoris ſenſu, qui uſque ad dorſum porrigitur, & ſummas anxietates circa præcordia parit, ipſum quoque jugulum petit, mirumque vires atterit atque nauſeam & inclinationem ad vomitum ſuſcitat. Poſt omnem medicinam aut cibum aliquanto intemperatiorem, qui ſalſæ, calidæ, acidæ, ſpirituoſæ, acris eſt naturæ, exacerbatur, ac inprimis à purgantibus atrociſſimus redditur; demulcentia vero, humectantia atque emollientia, & optime medicamenta ex chamomilla & millefolio ferre poteſt: pulſu demum accedente celeri hectico, res eſt conclamata. Quod ſi in inteſtino quodam ejuſmodi eroſio fuerit, identidem dolores in abdomine ac dorſo cruciant, qui ſemper aſſumtis calidis, ſalſis, acidis mirum exacerbantur, dejectiones alvi ſunt creberrimæ & varia caloris & frigoris eſt in corpore viciſſitudo, urina mox tenuis & aquoſa, mox rubicunda & craſſa mingitur, malum etiam admodum diuturnum eſt, vires depaſcit, corpus conſumit, longum certe tempus & accuratam ac demulcentem diætam, pluſquam medicamenta, præſertim activiora, deſiderat. Et affectus ſenibus ceſſantibus hæmorrhoidibus non adeo rarus eſt.

CAPUT VIII.

De damnis ex cohibita cuticulari excretione.

§. I.

Se- & excretiones ſunt neceſſariæ.

QUicunque artificioſiſſimam corporis noſtri machinam partiumque in ea admirandam configurationem paullo curatius perluſtrat, eandem ex numeroſa organorum ſecretoriorum & excretoriorum congerie maxima ex parte coagmentatam eſſe animadvertit. Tanta enim ſecretionum & excretionum ad vitam cum ſanitate tuendam utilitas eſt atque neceſſitas, ut ſine iis corpus nec vivum, nec ſanum, nec robuſtum, nec ad exſequendas animæ actiones idoneum eſſe, neque etiam augeſcere & ad legitimum incrementum pertingere poſſit. Videlicet corruptibile eſt corpus humanum, nec à putredine immune durare poteſt, niſi perennis ſanguinis omniſque generis fluidorum, mediante vigore ſyſtoles atque diaſtoles in ſolidis, progreſſivus motus libere ſuccedat, cum quo ſimul inteſtina partium ſanguinem conſtituentium calida agitatio augetur. Sub hoc autem progreſſu maximeque inteſtino mutuo attritu, ſanguinis moleculæ aliam figuram, texturam ac magnitudinem nanciſcuntur, & à blanda temperata ſcheſi deſciſcentes, ſalino-ſulphuream, vel etiam viſcidam, utramque vitæ adverſam naturam, induunt. Quare opus eſt, ut ſucci intemperati, nutritioni & motibus vitalibus continuandis inutiles facti, à purorum connubio ſegregati proſcribantur, ac in eorum locum temperati, blandi ſatisque fluidi, per congrua ſolida & liquida alimenta, denuo ſubſtituantur. Quod quidem quum per ſaluberrimas ſecretiones atque excretiones perficiatur, earundem utique neceſſitas, neminemque diu ſine cibo & potu vivere poſſe, luculenter patet.

§. II.

Ac geſta reſpondere debent ingeſtis.

Deinceps hæ ingeſtiones atque egeſtiones reciproce certa proportione ſibi reſpondere, in iis autem, qui legitimam corporis firmitatem jam adepti ſunt, æquales eſſe debent. Hinc eſt, quod adultum corpus lance libratum, elapſis octo diebus eandem gravitatem exhibeat, licet interea à robuſto & laboribus operoſis occupato, vel centum alimentorum libræ ingeſtæ ſint; quin ſi pondus increvit, nec omne quod ingeſtum iterum egeſtum, reſtibile in vitio eſt ac morbus certo præſtolatur. Etenim univerſa œconomia animalis non ſolum certo numero pondere & menſura, ſed etiam debita proportione, ac moderamine, tam ratione materiæ, quam motuum, maxime gaudet, ab omni autem exceſſiva qualitate & quantitate, motuum æque ac materiæ, ſive humorum, læditur atque offenditur.

§. III.

Quod à Medico obſervandum.

Quapropter ad ſanitatem ipſamque vitam tuendam, plurimum utique refert, ut Medicus & ingeſtorum & egeſtorum curatam habeat rationem. Nam profecto optimum corpus à præmatura morte & morboſis varii generis afflictionibus defendendi modum, in eo quam maxime verſari cum *Hippocrate lib. de diæta*, cenſeo: ut menſura ingeſtorum ad vires, imo ad motum & exercitationem corporis, exacte accommodetur, tenendo, corpus quo robuſtius, quo magis viribus pollet, majora vaſa firmioreſque fibras obtinet, & plus ferre poſſe atque ſubigere. Ex ingeſtis autem quæ facilius ſolvuntur & vaſa atque excretoria promte ſubeunt, aliis ſalubritate præſtant; viciſſim, quæ ægrius digeruntur minuſque expedite emunctoria pervadunt, ſed paſſim reſtitant, valetudini infenſa, hæc interdicenda, illa ſuadenda. Quin, is demum, qui ex ingeſtorum & egeſtorum natura, indole ac mole, morborum cauſſas & primordia derivare novit, prudens Medicus dicendus eſt atque peritus.

§. IV.

Excernicula hunc in finem ſunt varia.

Quum vero ea, quæ in pabulum aſſumuntur, non unius ſint ejuſdemque, ſed admodum diſſidentis naturæ & facultatis, alimenta quippe viſcida, ſalſa, acria, acida, ſulphurea, ſpirituoſa, texturæ

texturæ quoque compactioris, exceſſivæ omnia indolis, ſapientiſſima certe ſummi opificis providentia factum eſt, ut varia emunctoria in corpore fabrefacta ſint, quæ ſingulorum genio cunctisque heterogeneis evehendis, apprime reſpondeant. Nimirum reſiduæ ex alimentis feculentiæ per alvum ſecedunt, ac cum his non ſolum ſcoriæ biliosæ, plurimis ſalino-ſulphureis recrementis refertæ, ſed etiam mucus in glanduloſa craſſorum tunica ſecretus. Sero recrementitio, craſſioribus & terreſtribus ſulphureis moleculis onuſto, urina dicto, renale dicatum eſt colatorium. Et copioſa aquea portio, tenuibus ſalino-ſulphureis particulis imbuta, ex cutis ſpiraculis ſub perſpiratione, quæ inſenſibili modo jugiter in corpore ſuccedit, exhalat atque difflatur. Tacemus mucida illa purgamenta, quæ in narium, palati & bronchiorum glanduloſa ſubſtantia ſecreta & collecta, ſcreatu & munctione rejiciuntur.

§. V.

Perſpiratio ſuppreſſa maxime noxia.

Per omnia hæc organorum excernentium emiſſaria, recrementa jugiter è corpore eliminantur. Quod quemadmodum ſi debito tempore & ſufficienti copia perficitur, integritatem corporis & functionum in eo fulcit atque tuetur; ita viciſſim ſi ſegniter minusque ſufficienter ſuccedit, plures & graviſſimas, præſertim chronicas paſſiones, pullulare atque excludi prona eluceſcit conſequentia. Quam grave autem detrimentum ex ſaluberrimarum excretionum defectu in valetudinem redundet, ſpeciatim & accurate in *tomo ſecundo Medicinæ rationalis ſyſtematicæ*, & quidem *Part. III. cap.* 4. de excretionum defectu præcipuo morborum fundamento; *cap.* 6. de perniciali eorum quæ excretiones cohibent indole; *cap.* 7. de epidemicorum morborum origine ex tranſpiratione impedita, expoſui. Quapropter ibi dicta heic lubens mitto, & potius id maxime jam excutere ac demonſtrare allaborabo: ex omnibus evacuationibus ſuppreſſis, vel deficientibus, nullam eſſe, quæ majorem noxam ac periculum corpori minetur & cauſſa ſit innumerarum paſſionum, quam perſpiratio & inſenſilis illa ſubtiliſſimarum ſordium, per univerſi corporis corticem porulis pervium ſuccedens emiſſio, ſi impediatur, cohibeatur, materiaque excernenda in corpore remaneat, vel ad exteriora jam appulſa, ad interiora relabatur.

§. VI.

Quia excretionum præcipua.

Enimvero depuratur in univerſali corporis emunctorio, cute, univerſa ſanguinis & humorum maſſa, & tam copioſa per iſtud contingit excretio, ut ex *Sanctorii* calculo, omnes reliquas quantitate ſuperet. Hac itaque ſuppreſſa maxima recrementorum pars reſtitat, omnes corporis ſucci ſorditiem contrahunt, corrumpuntur ad putredinem diſponuntur, ut valetudo inde graviſſime luat. Quod vero maximum eſt, ipſæ ſordes quæ ſub perſpiratione exhalant, valde tenuis ſalinæ ſulphureæ & aereo-æthereæ activæ indolis ſunt. Hæ enim in corporis penetralibus retentæ, vel ex cutis tubulis retrocedentes, haud ſecus ac mortiferum venenum, quod exigua mole & ſumma partium tenuitate acri cauſtica pernicialem vim in nervoſis maxime partibus exſequitur, ob penetrantem ſubtilitatem, promte per univerſum corpus infeſta ſemina ſpargunt, intimæ ad partes exquiſite ſentientes ſunt admiſſionis, eaſdemque atrociſſime adoriuntur atque exagitant, ut vehementiſſimæ, immo lethales, in nervoſarum potiſſimum partium genere, oboriantur affectiones.

Et ſordes maxime perniciales evehit.

§. VII.

Defectus perſpirationis cauſſa potiſſimum aër.

Inter ea vero, quæ ad ſufflaminandam ſaluberrimam perſpirationem faciunt, aër potiſſimum connumerandus. Hic enim ſicuti purus ac temperatus ſanitati egregie patrocinatur; ita viciſſim exceſſiva qualitate præditus, eandem graviſſime labefactat, hanc maxime ob cauſſam, quod immediate corporis corticem ambiat ejuſdemque tonum varie alterando, ſuccedentem per ſubſtratos tubulos ſordium excretionem dirigat ac moderetur, intendat, vel frequentius cohibeat. Nimirum ſi nimis frigidus, nervis inimicus eſt, ſuccos coagulat & fibras rigidas reddit, unde non ſolum ad affectus ſpaſmodicos diſponit, ſed etiam cutis poros & vaſa nimium coarctans, ad interiora urget humores, ſtagnationem demum ac ſtaſin concipientes. Nimis humidus tonum ſolidorum laxat ac ſolvit, ut liquida languide circumagantur & ad emunctoria ipſoſque ſubcutaneos tubulos non vegete appulſa ſordeſcant, morbique ex atonia & humorum impuritate oriundi pullulent. Nimis calidus rarefacit & diſſolvit corporis ſuccos, ac inteſtinum motum augendo, acres & bilioſos reddit, licet perſpirationis ſucceſſui non officiat, niſi ſimul humidus ſit, & ſic ad morbos malignos viam ſternat. Potiſſimum autem cuticulari excretioni obeſt frigido-humidus, quippe qui humores incraſſando & fibrarum elaterem minuendo, efficit, quo minus ſucci ſpiſſeſcentes per minimos canales ad corporis corticem trudi, & remiſſo nimis colatorio, ſordium ſecretio atque excretio rite perfici poſſit.

§. VIII.

Unde morbi anni temporibus familiares.

Inſuper aëris tempeſtatumque inſalubris conſtitutio ac inde pendens in perſpirationis ſuceſſu mutatio, plurium morborum cauſſa eſt, qui certis anni temporibus, quandoque etiam epidemice, graſſantur. Sapienter hinc ab *Hippocrate lib. de humor.* §. 7. proditum eſt: *qualia ſunt tempora, tales etiam ſunt morbi & conſtitutiones ex ipſis. Si tempora tempeſtive & ordinate ſe habuerint, morbi judicatu faciles fiunt. Vernaculi autem temporum morbi indicant mutationes, & prout variaverit tempus, ſimiles aut diſſimiles erunt morbi, qui in hoc tempore oriuntur.* Qui vere enaſcuntur, ita ſunt comparati, ut ob atmoſphæram inæqualem & mutabilem, elater fibrarum & maxime tonus cutis mirifice labefactetur, & retardato ſanguinis circulo, excluſione quoque ſordium per halitus diminuta, & plethora & impuritas, proximæ morborum cauſſæ, ingignantur. Aeſtatis morbi non tam calori, quam potius aëri frigidiori & humidiori, qualis tunc ſolet eſſe nocturnus & matutinus, poros occludenti, debentur. Autumnus omnium morboſiſſimus eſt, nullam aliam ob cauſſam, quam quod ob crebriorem cœli ex frigido in calidum, humido in ſiccum, & vice verſa, mutationem, æqualis ſanguinis progreſſus & libera ſordium exhalatio intercipiatur. Et hiems ob frigus, tam ſiccum, quam humidum, tranſpirationem impedit, eaque propter variis morbis inducendis favet, quos una cum vernalibus, æſtivis & autumnalibus ſigillatim recenſet *Hippocrates Sect. III. aphor.* 20. *ſeqq.* nec non *Celſus lib. II. cap.* 1.

§. IX.

Morbique epidemii.

Inprimis autem nocent aëris tempeſtatumque viciſſitudines, & ſi diu durant ſæpiuſque repetunt, morbos

morbos qui populares habent circuitus excludunt; eo quod æquabili cutis tono, ſub quo maxime viget libera perſpiratio, nihil magis adverſum eſt eumque deſtruit, quam repentina mutatio aëris calidi in frigidum, vel humidi in nimis calidum. Hinc certa & conſtanti experientia in comperto eſt, quod ſi calefacto per fervidum vernum vel æſtivum æſtum corpore, & reſoluta, ſub calore inteſtino motu intenſo in excrementitias ſordes humorum maſſa, tempeſtas poſtea ſubito aquilonaris & frigida ſuccedat, qua conſtrictis ſpiraculis ſordes reprimuntur, accumulantur, mutuo quaſi confermentantur, iiſdemque nervoſis ac membranoſis partibus inhæreſcentibus, febriles, ſpaſtici & convulſivi motus, varii generis febres, ſæpius exanthematicæ, varioloſæ, morbilloſæ, purpuraceæ, alvi quoque fluxiones plus vel minus cruentæ, oboriantur ac plures corripiant. Etenim id ceu perpetuum in genere eſt obſervandum: quo major materiæ impuræ ſalino-ſulphureæ tenuis, perſpiratione eliminandæ, in corpore proventus eſt ac copia, eo magis infeſtum & periculoſum eſt, ſi ejuſdem excretio impeditur, intercipitur vel cohibetur.

§. X.

Nec non endemiis.

Ex eodem porro fonte morborum, qui certis locis familiares ſunt atque vernaculi, origo arceſſenda. Teſtantur quippe Medicorum commentaria, Hungariam & Italiam proferre febres peſſimæ indolis acutas, cum vehementi cephalalgia & delirio junctas. Jam vero identidem conſtat: eam Hungarici cœli eſſe qualitatem, ut æſtus diurnus ſit ſerventiſſimus, eundemque frigus excipiat nocturnum ſatis horridum. Huic itaque ſi corpus prius æſtuans incautius, maxime ab iis qui in caſtris excubias agunt & ſub dio morantur, committitur, perquam facile febris illa Hungarica dicta acuta accedit, quam perperam vulgo liberaliori vini Hungarici, quod ſtipendia merentes vix deguſtant, potui, tribuunt. In Italia autem, & maxime Romæ, idem febrium acutarum & malignarum genus ſæpius ſtragem edit, nullam pariter aliam ob cauſſam, quam quod interdiu æſtus vehementiſſimus, & noctu algor regnet, cui ſi improvide ſeſe exponunt incolæ, vel feneſtras aperiunt, ut aër nocturnus, qui ob copiam inſectorum atmoſphæram incolentium, identidem valde inſalubris, corpori allabatur, illico poſtero die mutatio in corporis functionibus & inclinatio ad febrem præſto eſt, quæ niſi præſcinditur, vires ſumit, & non raro funeſtum ſortitur eventum.

§. XI.

Pariter ac ſcorbutus.

Neque vero tantum acutas, verum etiam chronicas endemias paſſiones, interceptus cuticularis excretionis ſucceſſus, affert. Certe geneſis ſcorbutici mali, quod nonniſi maximus impuritatis gradus eſt, non aliunde quam ex hac origine repetenda. Quo magis enim in humoribus vitalibus creſcit impuritas, ex incongruis & minus temperatis aſſumtis, eo plus vigere debet excretionum, inque primis perſpirationis negotium, eoque ſufflaminato, eo gravior metuenda eſt noxa. Jam vero in confeſſo eſt, in regionibus maritimis & borealibus incolas craſſiori victu uti, copioſius carnibus ac piſcibus ſalſis, infumatis ac induratis veſci, & denſa, frigida ac humida atmoſphæra frui. Sub hac itaque cœli victuſque ratione, non modo crudi & multi male cocti ſucci ingignuntur, ſed & ob perſpirationem ſegniorem, quamplurimæ excrementitiæ ſalinæ viſcidæ ſordes in corpore remanent, quæ ſimul alia emunctoria obſtipant & occludunt, præſertim ſi vita ſedentaria motus expers, animi crebrior perturbatio & mœſtitia accedit, quo demum fit, ut humores benigni, ſerum & lympha, à miſcela particularum varii generis ſalinarum inquinentur, putridi fiant, corrumpantur, & pro diverſa corporum & temperamentorum conditione, vel vappeſcant ac lente putreſcant, vel etiam ſummam fixam & volatilem acredinem contrahant. Et hac ex ſententia, omnia pathemata ſcorbuticis ſolennia manant, oris fœtor, maculæ lividæ, gingivæ putridæ, ulcera fœtida ichoroſa, inclinatio ad ſphacelum, artuum dolores fixi & vagi, ſpaſmi & convulſiones, tormina ventris, tremores & contracturæ artuum, aliaque id genus plura.

§. XII.

Febres & defluxiones catarrhales.

Quæ omnia ſicuti vitam in grave diſcrimen adducunt; ita quid ſubitanea aëris ac inde facta excretionis per cutis poros mutatio, ad ſanitatem labefactandam valeat, quotidianis adhuc experimentis confirmatum habemus. Nimirum quando ex conclavi valde calefacto, vel ex lecto calido, in auram frigidiorem ſubito concedimus, horrore corpus è veſtigio corripitur, & ſuppreſſa perſpiratione, materia acris excrementitia in interiora maximeque glanduloſas tunicas faucium, oris, narium & bronchiorum vergens, tuſſim, coryzam, defluxiones & febres catarrhales conciliat. Pariter frequenti experientia edocemur: nihil ad ingenerandas acutas paſſiones & febres magis conferre & aptius eſſe, quam ſi quis gratiori iræ affectu, vel liberiori ſpiritus vini potu, aut fortiori corporis exercitio æſtuans, in auram humidam & frigidiorem, præſertim veſpertinam, delatus, paulo diutius in ea verſatur; quandoquidem hoc facto, facilis admodum in febres, & intermittentes, & acutas inflammatorias, eſt lapſus.

§. XIII.

In Carolinis febres ab occluſis poris gignuntur.

Nihil vero eſt, quod ſubitam febrium generationem ex perſpiratione cohibita clarius demonſtrare & illuſtrare poteſt, ac intempeſtivus & imprudens thermarum Carolinarum uſus externus in balneo. Nam ſi quis corpore paulo pleniori & impuriori, ante ſanguinis miſſionem vel debitam aliam præparationem, deſcendit in balneum nimis calidum, & aliquandiu in eo commoratur, non tantum inde experietur inſignes cordis tremores, languorem & cephalalgiam, verum etiam febrem intermittentem plerumque, nonnunquam continuam, cum præcedente horrore, dolore dorſi & anxietate ſumma. Quod vero hoc balneum præ aliis id ſingulare habeat, quod tam facile, atque ex tempore quaſi ſuſcitet febres, hæc vera mihi videtur ſubeſſe ratio: tum quod nulla alia tam fervidi caloris thermalis aqua reperiatur, tum etiam quod largiorem quam ulla alia terræ martialis ochreæ & calcareæ adſtringentis, in lapidoſas concretiones pronæ, copiam in ſinu foveat, quo fit, ut uſu externo ſubito tumores œdematoſos intro repellat & abigat, diuturna ulcera conſolidet, puſtuloſas & ulceroſas cutis defœdationes & eroſiones ſiccet, & ſic efficacem poros & tubulos ſubcutaneos conſtringendi facultatem luculenter prodat. Si quis itaque in balneum hoc nimis calidum corpus immittit, ab externo calore ſanguis æſtuatur & in magnam inteſtinam agitationem, præſertim ſi jam copioſus & impurus, abripitur, exterius

exterius vero ob conſtrictos poros particulæ aëreo-ſulphureæ non exhalare poſſunt, ſed eædem inſultantes in partes nervoſas, arteriarum ipſiusque cor ſyſtoles & diaſtoles motum valide intendunt, & ita febrem accendunt.

§. XIV.

A tranſpiratione cohibita exacerbantur morbi ex impuritate

Præterea excretionis per cutis poros rite ſuccedentis utilitatem, & ſuppreſſæ noxam luculenter teſtatur, quod qui impura habent corpora, ſive humores excrementitiis partibus refertos, ut ſunt podagrici, arthritici, æſtivo tempore, quo liberius & copioſius ſordes per ſubcutanea ſpiracula diffiantur, à paroxyſmis & ſymptomatibus immunes degant; brumali autem & autumnali, gravius affligantur, quia aëre circumfluo denſo atque compreſſo, perſpiratio imminuitur, ſordeſque excrementitiæ magis retinentur, gravius detrimentum corpori certo allaturæ. Eadem ratio ſubeſt, quare ſenes, quum ob cutis poros & vaſa minima ſtrictiora, non tam liberam & copioſam per cutis poros experiantur evacuationem, quam viri & juvenes, ab impuritatibus reſtitantibus morbos ætati ſenili infeſtos incurrant, ut ſunt maxime ſcorbutus, calculus, ulcera veſicæ, ſcabies, tormina inteſtinorum, diarrhœæ, ſtranguriæ, oculorum & aurium vitia.

Et ſenibus familiares gignuntur.

§. XV.

De damnis à repulſa materia perſpiranda.

At vero licet magni & graves morbi à prohibita perſpiratione & remanentibus intus ſordibus originem ducant: longe ſæviora tamen & quæ plus periculi habent pannemata pullulant, ſi quando materia excrementitia, à connubio ſanguinis jam tum ſegregata & ad cutis peripheriam tubuloſque ſubcutaneos ſalutariter propulſa, foras non ejicitur, ſed ibi ſubſiſtens ac ad interiora recedens, cum ſuccis vitalibus denuo nupta fuerit. Hæc enim certe materia veneni vim & naturam obtinet, ac licet mole valde exigua, dum tamen ſub penetranti & adverſa ſubtilitate partium valde heterogenearum, in partes nervoſas ſenſibiliores agit, truculenta inſtar veneni ſymptomata excitat. Id quod ut jam ulterius excutiamus & luculentis fide dignis exemplis ac obſervationibus confirmemus, operæ certe erit pretium; quo rerum medicarum cultores perſpiciant, plures & ſæviſſimorum affectuum cauſſas, non tam in mole & quantitate nimia, vel intemperie craſſa ſanguinis & humorum, quam ſæpius in parva & exilis molis materia, nervoſis tamen partibus ſummopere infeſta, eſſe quærendas.

§. XVI.

Ex achoribus tineæ capitis &c. repulſis.

Ut itaque ab ipſo capite ordiamur, ſæpius obſervavi, eos qui capillamentum geſtare ſueverunt, demto improvide operculo, exquiſitum capitis dolorem, cum tinnitu aurium, nec non vertiginem incurriſſe; alios vero his malis afflictos, tecto falſa coma capite, ab iiſdem liberatos. Nihil porro frequentius in infantibus viſitur, quam à cruſta lactea, ſolo frigore repulſa, febrem continuam excitari, qua deſinente illa revertitur, quæ quoties repulſa fuit, toties de novo febrem accenſam annotavimus. Nihil quoque periculoſius eſt, quam in tinea capitis improvide exterius unguenta vel lavamenta applicare. Repulſa enim materia corrupta acri ad cerebrum ejuſque membranas ac nervorum principia, epilepſiæ, præſertim in infantibus, aliique graves capitis morbi, accidunt. *Amatus Luſitanus Cent. I. obſ.* 36. in puella undecim annorum, obeſa & ſanguinea, à capitis lotione apoplexiam, elapſa nondum hora, ſuperveniſſe, memoriæ prodidit. Ex capitis ulceribus obſeſſi lotione, ſurditatem concitatam, *Miſc. nat. cur. Dec. III. Ann. III. obſ.* 9. commemorant. Et nos à linimento tineæ capitis præpoſtere adhibito, in infante decem annorum oculi dextri inflammationem obſervavimus, quæ in ſuppurationem & perfectam demum cœcitatem tranſiit. Vidi quoque ab achoribus & favis linimento inconſulto ſiccatis, aſthma convulſivum ſubortum, ad quod abigendum, veſicatorium in nucha inſigni cum levamine applicatum.

§. XVII.

Ex abſciſſa plica Polonica.

Singulare etiam ſalutaris & criticæ in capite excretionis genus eſt, plica ſic dicta Polonica, qua ſerum excrementitium viſcidum cum ſanguine ad caput copioſe delatum, ex poris capitis exſudans ac per crinium tubulos deſcendens, capillos in cirros conglutinat inexplicabiles, per quos tanquam peculiare organon excretorium, vitioſum ſerum eliminatur, non ſine ſummo levamine & ſanitatis emolumento. Quod ſi vero plica moleſta abſcinditur, graves, immo mortiferi morbi, corpus impetunt. Hoc enim facto, atroces capitis dolores, inſultus epileptici, convulſivi, item phrenitis, mania, melancholia, vertigines, oculorum lippitudines & gutta ſerena, conſequi ſolent. Interdum ad alias inferiores partes ſerum excrementitium retentum defertur, & dolores arthriticos aliaque ſymptomata luis venereæ naturam æmulantia excludit. Quin nonnunquam pleuritis, peripneumonia, hæmoptyſis ac phthiſis inducitur.

§. XVIII.

Ex ſcabie ſiccata graves capitis morbi.

Scabies fœdum quidem eſt atque moleſtum malum; corpus tamen à ſalſo, acri & corrupto humore liberat, & præpoſtera medicatione repulſa, vel quo minus efflorеſcat impedita, gravi damno mactat, quod differt, prout maligna interiora repetens materia, diverſas impetit partes in iiſdemque ſedem figit. Quod ſi enim ad caput defertur, periculoſiſſimi morbi ibi ſuſcitantur, apoplexiæ, epilepſiæ, vertigines, ſopores ſenſuumque vitia. Sic *Miſc. nat. cur. Dec. I. An. I. obſ.* 58. ex hac ſcabie imprudenter abacta, lethalem apoplexiam annotarunt, quod etiam *Moebius inſtit. pag.* 65. teſtatur. Cæcitatem exinde profectam identidem *Miſc. nat. curioſ. D. II. A. VIII. pag.* 255. & *Sennertus prax. part.* 3. *ſ.* 2. *c.* 44. fidem faciunt. Et *Riedlinus in lin. med. ann.* 1696. *menſ. Mai. obſ.* 1. narrat de ancilla, quæ ſordidiſſima ſcabie laborans, poſt inunctionem, bis factam, in epilepſiam incidit, cui aſſurgit quoque *Sennertus l. c.* Potiſſimum in infantibus pernicioſum eſt conamen ſcabiem abolere, quandoquidem hoc facto, præter ſuffocationem alioſque graviſſimos morbos, ſæpius epilepſiam ſuccreviſſe, auctor eſt *Hildanus Cent. III. obſ.* 10.

§. XIX.

Aſthmata.

Quando ſcabioſa materia relabitur ad pectus, periculoſum aſthma oboritur, quod in juvene viginti annorum à ſcabie intempeſtive & empirice externis inunctionibus deleta, vidit *Hildanus Cent. III. obſ.* 39. ubi ægrotus tanta pectoris anguſtia affectus eſt, ut vix ſpiritum trahere poſſet & pulſus vix appareret, tandemque catarrho ſuffocativo extingueretur. Frequentiſſime vero à retrocedente ſcabie febris continua in corde & genere vaſculoſo accenditur, cum magna virium proſtratione. Vidimus, hac ceſſante, *Febris*

ſeptimo

ſeptimo die ſcabiem rurſus ad habitum corporis ſalutariter fuiſſe propulſam. Senes ſcabies, maxime ſicca, infeſtat; quæ ſi reprimitur, quartana fieri poteſt: & porrigine rurſus apparente, hæc cedit. Hinc perite *Langius in Epiſt.* 16. *Lib.* 1. inquit: *ego ſcabiem & crurum œdemata, cum poſt aliarum febrium, tum præcipue quartanæ febris criſin obortam, ſponte exoleſcere, citra omne medicamentorum ſubſidium pluries centies vidi.*

§. XX.

Hydropici tumores. Sæpius virulenta ſcabiei materia è cortice corporis ad interiora retruſa, tumores œdematoſos, hydropicos & tympaniticos, in pueris præſertim cum tumore ſcroti, quod aliquoties obſervavi, affert. Notavit etiam idem jam *Hippocrates in epidemicis*, idque luculento exemplo confirmat. *Erat*, inquit, *Athenis homo quidam fœtidiſſima ſcabie laborans, atque ut ſanaretur acceſſit Milos, ubi calidæ ſunt thermæ, quarum uſu convaluit à ſcabie, ſed paullo poſt incidit in hydropem & exinde mortuus eſt.* *Tormina & alvi fluxus.* In inteſtinorum membranas ſi recumbit, gravia ventris tormina vel etiam dyſenteriæ fieri poſſunt. Notabile hac de re exemplum exſtat in *Riverio Cent. III. Obſ.* 85. ubi arthriticus, ab uſu aquarum medicatarum, magnam ſtomachi refrigerationem paſſus eſt, ac deinceps ſcabies pruriginoſa, admodum moleſta, totum corpus invaſit, quæ confeſtim curata eſt unguento quodam mercuriali, carpis manuum & plantis pedum admoto, quam inunctionem mox ſecuta eſt ingens diarrhœa, per viginti dies perſeverans, cum graviſſimis ventris tormentis, ita, ut ab iiſdem alvi fluxus dyſentericus apparuerit.

§. XXI.

Ex conſolidatis antiquis ulceribus. Quemadmodum igitur ſcabioſæ cutis defœdationes præpoſtere topicorum uſu deletæ, ob acrem cauſticam materiam, internas nobiles partes repetentem, plures perniciales morbos adducunt; ita pariter, ulcera antiqua ſubito conſolidata, eandem ob cauſſam detrimento ſunt & quandoque exitio. Nam *Miſc. nat. curioſ. Dec. III. An. II. obſ.* 29. ulcus in crure ſanatum epilepſiam induxiſſe, perhibent. Et *Tulpius obſ. lib. I. cap.* VIII. binos infantes per manantia capitis ulcera ab *Epilepſia.* epilepſia liberatos, iiſdemque improvide ſiccatis, diris iterum nervorum tractionibus correptos eſſe, teſtatur. Neque minus ex ulcere in crure conſolidato, epilepſiam acceſſiſſe, eodemque rurſus aperto ceſſaſſe, conſignatum legimus ab *Amato Luſitano Cent.* II. *hiſt.* 6. *Bartholino Cent.* III. *hiſt.* 20. *Hildano Cent.* II. *obſ.* 10. *Miſc. nat. curioſ. Dec.* III. *An.* II. *obſ.* 29. *Lentilio miſcell. Part.* I. *pag.* 3. Pedes quoque ulceroſos præſanatos guttam ſerenam adduxiſſe, auctor eſt *Timæus* in *oper. poſth.* item *Foreſtus lib.* I. *obſ.* Et *Hildanus Cent.* III. *obſ.* 39. vetus purulentum apoſtema coalitum, atrocem capitis dolorem & cæcitatem induxiſſe, putrida materia tuſſi rejecta, prodidit.

§. XXII.

Pleuritis. Idem porro auctor *l. c.* præter alia adhuc exempla memorat: quod vir ſexagenarius, quum ulcus quod per plures annos geſtarat, ab Empirico ad conſolidationem perductum fuiſſet, poſt aliquot menſes in ſiniſtro latere pleuritide, cum maximis doloribus & punctionibus correptus ſit, talemque ſaniem ſputo rejecerit, qualis ex ulcere antea manarat. *Veneni symptomata.* Nec non *Cent. V. obſ.* 91. hiſtoriam narrat: quod quiſpiam curato per thermarum uſum veteri ulcere, in maximam virium proſtrationem non modo, ſed & nauſeam & frequentem eructationem inciderit, ac iisdem pathematibus, quam ſi venenum ſumſiſſet, attentatus ſit. Nobis inter exempla inprimis eſt vir generoſus, Principi à conſiliis, qui quum ſingulis fere annis, verno maxime tempore, ſalſam acrem defluxionem cum excoriatione circa malleolum dextri pedis experiretur, moleſtiæ pertæſus, ex chirurgi conſilio, ut applicato camphorato vini ſpiritu reprimeretur, permiſit, ſed non ita multo poſt ingentia tormina & dolores in hypochondrio ſiniſtro, cum lenta febre, inquietudine, anxietate & alvo pertinaciſſime obſtipata, eundem invaſerunt, quæ tamen tandem pulverum cinnabarino-nitroſorum & infuſi uſu, ceſſarunt. Et quum fonticuli ſint quaſi ulcera artificialia, quæ ad impuram noxiam materiam nervoſis maxime partibus ſubtrahendam in capitis morbis egregii uſus: hinc quoque iiſdem occluſis, priores morbos rediiſſe, vel novos acceſſiſſe, multarum obſervationum fide conſtat; quæ evolvi poſſunt in *Miſc. natur. curioſ. Dec.* II. *An.* III. *obſ.* 213. *An.* VI. *obſ.* 201. nec non apud *Pechlinum lib.* II. *obſ.* 30.

Tormina ventris &c.

Ex fonticulis conflata.

§. XXIII.

Exanthematum retrocedentium noxa. Dum etiam adhuc de noxa, quæ poſt efflorescentias & exulcerationes in corporis cortice præpoſtera per topica medicatione exceptas, in corpus redundat, ſermo eſt: adjungenda iisdem etiam ſunt exanthemata, quæ in acutis morbis comparent, quippe quæ, ſi ad interiora retrocedunt, eo deteriora magiſque funeſta mala invehunt, quo magis materia repulſa virulenta eſt ac putrida. Sicuti enim vigorem naturæ indicat promta ad partes externas variolarum, morbillorum, petechiarum, purpuræ & bubonum, ſive carbunculorum, in peſte feceſſio; ita res periculi pleniſſima eſt, ſi deficiente hoc robore, vel non prodeunt, vel relicta in cortice ſtatione, redeunt. Contingit id facillime à refrigeratione, à potu frigido, terrore, animi affectu, vel erecto corporis ſitu, in corporibus præſertim, quæ viribus deſtituta, & ubi pulſus ac reniſus cordis, arteriarum & motus à centro ad peripheriam langueſcit. Et plerumque hanc fatalem repulſionem funeſta conſequitur mors; eo quod maligna materia ad meninges cerebri, vel ventriculi & inteſtinorum membranas, aut præcordiales nervos ſe transfertur, harum partium inflammationes, ſpaſmi, vel convulſiones, imbecilla jam à morbo corpora adoriuntur. Quod vero materia exanthematica repulſa majorem quam antea virulentiam exſerat, hæc videtur ſubeſſe cauſſa, quod quamdiu humor, ſive putredine, ſive cauſtica natura alienus, ſuccis & ſanguini immixtus eſt, involutus & quaſi coercitus, ingenti noxa vacet, quando autem ſui juris factus & ab involucro ſanguinis liber, tunc naturam ſuam pernicialem prodat & veneni ſimilem in corpus edat effectum. Accedit etiam quod hæc materia, dum in glandulis cutis diu hæret, ſub mora, ob perpetuam & inteſtinam fluidi ætherei agitationem & transfluxum, ſubtilior & malignior reddatur, ut poſtea repulſa, penitus reſpuat illud quod ante habuit cum lympha & ſanguine connubium, & potius inſtar veneni ſubtilis, nervoſis ſeſe partibus inſinuet ibique ſpaſticas atroces ſtricturas efficiat.

§. XXIV.

Quam teſtatur experientia. Jam ſi experientiam conſulimus, nihil certe frequentius, quam quod poſt inconſultam lineaminum frigidorum & loturam adhuc redolen-

tium, corpore ſudore diffluente mutationem, nec non ægris in alium perfrigeratum lectum tranſlatis, exanthemata, variolæ, morbilli, petechiæ ac purpura diſpareant, & rebus extemplo converſis, in pejus abeant ſymptomata, anxietates, inquietudines, deliria, tremores & convulſiones accedant, quin ipſa paullo poſt mors ſubſequatur. Inprimis etiam crebrioris obſervationis eſt, ægros, acutis exanthematicis morbis laborantes, poſt diuturniorem erectum in lecto, vel etiam extra illud ſitum, mox in virium languorem, animi deliquium, extremorum refrigerationem & cutis horrorem cum pulſu debili incidere, ac evaneſcentibus in cortice efflorescentiis, delirio, convulſione vel epilepſia correptos, interire. Rarius quidem, quod mirandum, hoc phænomenon à Practicis annotatum, ratio tamen effectus in proclivi: quandoquidem dejecto in ejuſmodi morbis robore, cordis etiam ſyſtole minuitur, & ſanguis corpore erecto difficulter ad ſuperiora maxime & caput expulſus, cor obruit, ſegnius quoque per cerebrum ejuſque membranas fertur, & hinc tam truculentorum ſymptomatum origo. Huc quoque referenda memorabilis obſervatio, quam *Alpinus de medic. Ægypt. pag.* 76. conſignavit, memorans: fœminam in peſte tumore inguinis laboraſſe, quo minuto, delirium acceſſerit, & per cucurbitulas iterum revocato, ceſſarit.

§. XXV.

Ex eryſipelate repul. Idem periculum, eademque, ſi non major, noxa eſt metuenda, quando in affectu arthritico, in podagra vel etiam eryſipelate, materia, quæ in vitio eſt, corrupta vel acris, ex habitu corporis, vel ex artubus, ad interiora repellitur. Ac de eryſipelate quidem ſapienter *Hippocrates Lib. VI. aph.* 25. pronunciat: quod malum ſit foris introverti. *Lethargus.* Novimus ſenem fere ſeptuagenarium, qui eryſipelate totam tibiam & femur occupante correptus, applicatis exterius ſaturninis & camphoratis epithematibus, in lethargicum affectum incidit, quem quum medicus calidioribus cephalicis & balſamicis interius & exterius adhibitis exciperet, febris accenſa eſt, cum magnis maculis purpureis, acceſſit delirium ipſaque mors. *Ventriculi inflammatio.* Vidi quoque acceſſionem eryſipelatis, quæ cum horrore & ſubſequente intenſo æſtu contingere ſolet, in viro eryſipelaceis inflammationibus crebrius obnoxio, medico impoſuiſſe, ut paroxyſmum intermittentis eſſe putaret, & ad eandem præſcindendam poſtera die vomitorium porrigeret, quo oblato, æger quidem ſtrenue vomuit, ſed ſequuta eſt inflammatio ventriculi, quinto die lethalis.

§. XXVI.

Ex arthritide, podagra &c. repulſa, ſymptomata. Frequentioris obſervationis eſt damnum, quod imprudens medicatio per topica in morbis articulorum & arthritidis ſpeciebus, arceſſit. Quam gravia autem quamque multiplicia pathemata morboſa inde reſultent, compendioſe, graphice tamen arthritidis vagæ ſcorbuticæ exemplo tradit *Drawizius* in vernacula lingua ante C. jam annos *de ſcorbuto*, conſcripto libello, verbis *pag.* 62. *ſeqq.* latine redditis ſic habentibus: *maxima cautione opus eſt, ne dum dolores leniuntur atque ſedantur, gravius & magis pernicioſum malum ingruat: quod quidem inprimis facile contingit, quando volatile ſcorbuticum ſal in corruptione ſua eo proceſſit, ut virulentam indolem contraxerit. Hoc enim ſi factum fuerit, arthritis ſcorbutica maximam cum eryſipelate induit convenientiam, & haud ſecus quam in eryſipelate, levi tantum repercuſſione, virulentum volatile ſal ad interiora corporis recedit, ibique longe periculoſiorem ſtatum, quam in externis artubus inducit. Nimirum quando hoc ſal inteſtina adoritur, exquiſita ventris tormina, quin ipſa paſſio iliaca, non facile decrunt. Si ad cerebrum ſcandit, æger vertiginem, epilepſiam, apoplexiam alioſque truculentos capitis morbos incurrit. Ubi cor opprimit, illico lipothymia adeſt, vel ſubita plane mors ſequitur. Ad diaphragma & pleuram quum vergit, periculoſus pleuriticus ſeſe exſerit morbus. Ad pulmones delatum, ſpirandi anguſtiam, anxietates præcordiorum, ferinas & ſuffocatorias tuſſes, hæmoptyſes &c. affert. Verbo: quamcunque perniciem in genere alias venenum in internis corporis partibus ſuſcitare valet, eandem etiam peſſimum hoc & virulentum ſal creare aptum eſt. Novi etiam, ſi ſponte receſſit, aut incongruis medicamentis exterius exceptum fuit, quod totum corpus brevi horarum ſpatio cum omnibus partibus ſub magno cordis angore intumuerit, eodem modo ac in Hungarica febre aliiſque ex corruptis ſuccis oriundis morbis nonnunquam contingere ſolet.*

§. XXVII.

Mala itaque, quæ metaſtaſin materiæ arthriticæ conſequuntur, ſunt plura, & tantum pro natura corporum ægrotantium & partium, quas illa invadit, & periculo & indole valde differunt. Quando enim ad ſupremam capitis regionem vergit materia retropulſa, perquam facile ſuſcitatur epilepſia, ſicuti hac de re egregium exemplum prodidit *Riverius Cent. III. Obſ.* 85. ubi quidam, doloribus arthriticis ceſſantibus, correptus fuit inſultibus epilepticis, qui per ſtata intervalla redibant, & poſt exactum biennium, prorſus deſinebant; cum eodem tempore dolores arthritici reverterentur, qui per totum illud tempus, quo inſultus epileptici ſæviebant, omnino delituerant. Ex podagra emanente apoplexiam fieri, auctor eſt *Wepferus in Lib. de apoplexia pag.* 2. & 3. Et *Simon Pauli in Quadrip. Botanico pag.* 215. refert hiſtoriam, ubi quidam in levicula podagra, ſpretis medicamentis internis, repellentibus uſus eſt, qui mox de dyſpnœa conqueſtus & cordis palpitatione ac lipothymiis correptus eſt, inſequente epilepſia, quæ tandem in apoplexiam lethalem abiit.

§. XXVIII.

Ubi arthritica materia intempeſtive retroagitur & pectus invadit, convulſivum aſthma excitatur, quod à linimento alias egregio, ex camphora, opio, ſpiritu vini rectificato compoſito, vel ſolo etiam camphoræ pulvere exterius applicato, in cachecticis non ſemel obſervavimus; acceſſit quippe præcordiorum anxietas & ſumma ſpirandi difficultas atque anguſtia, ut ſtrangulari ſibi ægri viderentur, quibus poſtea tumor pedum ſucceſſit & hydrops. *Crato in Conſiliis pag.* 1015. *Conſil.* 367. ex abuſu narcoticorum & ſtupefacientium podagram tranſiiſſe in aſthma refert. Et *Trincavellius de rat. cur. part. hum. corp. Lib. XII. cap.* 1. ſcribit: *nihil gravius eſt, quam uſu adſtringentium & repellentium, præcavere in podagra conſuetam fluxionem, inde aſthmate graviſſimo cum febre continua duo nobiles Veneti affecti, cum tremore totius corporis & omnium ſenſuum ſtupore.* Id quod etiam pluribus exemplis docui in diſſertatione: *de podagra retrocedente in corpus pag.* 12.

§. XXIX.

§. XXIX.

ardial-ia, singul-us, ſtoma-chi inflam-mationes.

Eadem vitioſa materia incumbente ventriculi membranis, ſingultus, cardialgiæ, lipothymiæ & lethalis ventriculi inflammatio ſæpiſſime ſequuntur. Ita *Cramerus Diſſ. de podagra* memorat: quendam podagricum nudos pedes ventis frigidis exponentem continuo & lethali affectum eſſe ſingultu. *Mœnichen in Obſ.* 8. *pag.* 245. prodidit; dolore arthritico per frigida repulſo, cardialgiam & lipothymiam accidiſſe, & poſt frictiones & veſicatoria genubus applicata, ceſſaſſe. Et in *Miſc. Nat. Curioſ. D. III. A. VII. Obſ.* 147. caſus affertur, de quodam, qui frigida aqua pro potu dolores arthriticos ſupprimens, emetico aſſumto, integro menſe enormes vomitus expertus eſt, intercurrente ſingultu, appetitu abolito, ſiti aucta, febre continua, urina ſuppreſſa: poſt mortem ventriculus inflammatus repertus. Anno ab hinc & quod excurrit accidit, ut fœmina generoſa quinquagenaria podagrica, ipſo in paroxyſmo ad levandam dolorum atrociam, pulverem ex camphora & minio dolenti parti applicans, diſcuſſo dolore, illico incideret in maximam virium jacturam, cum æſtu febrili, appetitu proſtrato, ingenti anxietate circa præcordia, vomiturition & inquietudine, quam tamen propinata emulſione ex ſemine papaveris & amygdalis dulcibus, oblato quoque pulvere nitroſo cinnabarino, adjuvante Deo ex ancipiti levavi, repetente ſimul pedes podagra. Sic quoque novi malum iſchiadicum balneis adſtringentibus repulſum, ventriculum & pectus invaſiſſe, & cardialgias, febrem lentam, hecticam & tuſſim ſiccam, tandem lethalem, ſuſcitaſſe.

§. XXX.

Calculus.

Neque minus multiplici compertum eſt experientia, materiam arthriticam tartaream, in ſenibus præſertim, ſæpius ad renes & urinarias vias tranſire, & ſic arthritidem in calculum mutari. Unde *Solenander Sect. I. conſ.* 20. perite, *qui uno*, inquit, *laborat ex iis, alterum vix effugere poteſt, & pauci arthritide affecti ſunt, qui non in renibus calculum ingenerant.* Et *Stiſſerus in Tr. de podagra* teſtis eſt, podagricos dolores in nephriticos, colicos æmulantes, hos vero, vice verſa, in arthriticos & podagricos, non ſemel abiiſſe. Facilis quoque arthritidis, vel podagræ retropulſæ in acerbum colicum dolorem eſt tranſmutatio. Nam materia arthritica, propter affinitatem texturæ & ad ſtricturas diſpoſitionis, quam ligamenta articulorum nerveo-tendinoſa ac glanduloſa, cum membranis inteſtinorum invicem alunt, expedite ex articulis ad inteſtina, & ex his rurſus ad articulos, promptiſſime transfertur. Meminit hujus metaſtaſeos jam *Hippocrates Lib. VI. epid. Part. IV. text.* 30. ſcribens: *qui articulari morbo detentus inteſtini dolore vexabatur, quietior erat, hoc autem curato, magis dolebat.* Quod etiam *Solenander in Conſil. pag.* 77. confirmat, dum inquit: *fœmina arthritide ſemper laborabat, quando à doloribus coli libera erat, & ceſſantibus coli doloribus, miſere ex juncturis afficiebatur.* Et *Raygerus in Miſ. Nat. Curioſ. D. I. A. VI. & VII. Obſ.* 208. ſcribit: *notus eſt mihi quidam, qui colica immani torquebatur, ſuperveniente autem podagra, nihil penitus ſentiebat.* Et quæ plura adhuc exempla memoriæ prodita ſunt in *Miſcell. Nat. curioſ. Dec. II. A. IV. obſ.* 42. item à *Drawizio in Tr. de ſcorbuto pag.* 244.

§. XXXI.

Damna podagræ ob imbecilli-tatem

Quandoque etiam accidit, ut podagricum recrementum, in ſenibus, vel fracto per varias animi afflictiones aliiſque de cauſſis corporis robore, ad exteriora ſalutari motu propelli nequeat, ſed reſtitet ac partibus nervoſis inſidens, capitis dolores, ingenii ac memoriæ debilitatem, virium & appetitus proſtrationem, anxietates, ſpaſmos ac dolores varios, ſtranguriam & crebriorem ad urinam ſtimulum cieat. Ejuſmodi exemplum notavimus in primario hujus civitatis viro quinquagenario, qui tamen externo & interno Carolinarum uſu, relegata ad pedes iterum podagrica materia, perfecte curatus fuit. Hinc ex vero *Hoffmannus inſtit. lib. III. pag.* 107. ſcribit: *videmus podagricos mori tum, ſi humores influentes repellantur ad viſcera, aut ſi viſcera tam ſunt debilia, ut humores ad ſuperficiem pellere non poſſint.*

§. XXXII.

Vel intempeſtivam veneſectionem retentæ.

Pariter à ſanguinis miſſione in corpore minus plethorico intempeſtive adminiſtrata, podagram repreſſam novi, & res certe magnæ prudentiæ medicæ eſt, venæ ſectione recte uti poſſe, in morbis quos ſalutaris quædam & critica ad cutim excretio ſtipat. Nam uti nimia ſanguinis redundantia quandoque vires naturæ opprimere & expulſionem materiæ ad corporis corticem impedire poteſt: ita etiam, ſi ſanguis non redundans præpoſtere exantlatur, pariter naturæ robur infirmatur, ut excrementitiæ ſordes ad minima vaſcula cutiſque poros pelli nequeant, ſed retentæ graviſſima cieant pathemata. Quare perite *Jo. Langius lib.* I. *epiſt.* 16. inculcat: ne, quando natura, per habitum corporis materiam peccantem ut propellere velit, intenta eſt, phlebotomiam adminiſtremus, aut pharmaca exhibeamus, ne ingens inde periculum enaſcatur, nec per eas venas, per quas materia morbi expulſa fuit, rurſum ad interna viſcera retrahatur. Quod quidem monitum inprimis noſtro hoc ævo probe obſervandum, ab iis, qui tam promti & liberales in ſanguine mittendo, quaſi vero tantum non omnes morbi à plethora, & hæmorrhoidum vel menſium fluxu imminuto, aut deficiente, ortum traherent.

§. XXXIII.

Sudoris axillarium & critici.

Præterea ſaluberrima in quibuſdam ſudoris fœtidi in pedibus & ſub axillis ſuccedit excretio: qua quum corpus, pædore teſte, ab exitiali & putrido humore liberatur; patet utique ſanitati maxime obeſſe, ſi imprudenti conſilio eadem ſupprimatur; licet id frequentius limatura ferri, aurichalci & terris calcareis uſtis inſperſis, perficiatur. Novimus enim inde vertiginem aut capitis gravitatem, aurium tinnitum, difficilem reſpirationem, ventris tormina atque vagos artuum dolores ſubortos, nulla arte nulloque conſilio expugnabiles. Id quod etiam *Simon Pauli quadripart. botan. pag.* 215. memorabili exemplo confirmat, narrans: quendam deleto pedum fœtido ſudore, in gravem primum cordis palpitationem, ac poſtea atrocem & nodoſam podagram incidiſſe. Eadem ratio eſt critici quorundam nocturni ſudoris, quem per multos annos largiter cum ſingulari valetudinis commodo manaſſe, poſtea vero vel ob naturæ debilitatem retentum, vel præpoſtero conſilio ſiccatum, atrocia pathemata, affectus ſoporoſos maxime cum ſenſuum & memoriæ debilitate, rheumaticos affectus, eryſipelata, aſthmata, febres lentas & languores,

guores, invexiſſe, experientia compertum habeo, neque ſymptomata prius ceſſarunt, quam ſaluberrima hac excretione integre reſtituta. Eundem adhuc in cenſum referendi diuturni pedum tumores, variis artificiis compreſſi & ad interiora coacti. Hoc quippe facto, aſthma & catarrhum ſuffocativum, diabetem & febrem lentam, ſumma cum virium proſtratione accidiſſe aliquot exemplis confirmatum habemus.

Nec non tumorum repulſorum noxa.

§. XXXIV.

Bubones repulſi.

Accedunt pathemata, poſt conceptum inquinamentum venereum, præpoſtera medicatione tractatum & intro coactum, conſpicua. Nimirum bubones venerei, ubi glandularum ductus tenaci cauſtica lympha infarcti ſunt, quando imprudenter à chirurgis vel medicis adſtringentibus & repellentibus excipiuntur, humor ex mora & ſtagnatione virulentior redditus, & cum lympha ad vaſa lymphatica tranſlatus, univerſam ejus maſſam inquinat, ut hinc non modo ulcera & puſtulæ in facie efflorescant, ſed & atrociſſimi dolores in perioſtio aliisque ſenſu exquiſito præditis partibus ſuſcitentur. Idem fit, quando gonorrhœa impuri coitus ſoboles, nimis cito adſtringentibus cohibetur. Adſtringentibus enim miaſma venereum corpore expellendum reprimitur; acrioribus autem, calidis ſudoriferis & balſamicis inteſtina agitatio ſuſcitatur, & fibrillæ ſtringuntur, quo fit, ut virulenta materia agilior reddatur, non tamen eliminetur: & ſic utroque modo univerſus lymphaticus latex inquinatur, corrumpitur atque maximus hujus luis gradus inducitur. Hinc ſæpius certe vidimus, gonorrhœæ malignæ, nimio balſami Peruviani, vel de Copaiva uſu cohibitæ, puſtulas in facie, oſſium dolores & in inguine bubones ſucceſſiſſe.

Et gonorrhœa ſuppreſſa quid noceant.

Et fluore albo cohibito.

§. XXXV.

Mala ex coryza repreſſa.

Denique non prætereundem eſt damnum, quod ex turbata & intercepta ſeri vitioſi per glandulosa emunctoria, præſertim in naribus & faucibus exiſtentia, in coryza & catarrhis, in fœminis vero ſub fluore albo per uteri & vaginæ glandulas evacuatione, in ſanitatem redundat. Quod ſi enim coryza à frigore incautius admiſſo reprimitur, ſeroſa materia in capite obhæreſcit & dolores acutos ac vehementes circa radicem naſi in oſſibus frontis parit, cum vertigine & aurium tinnitu, ac laſſitudinem totius corporis, torporem & febrem lentam adducit. Vel ſi etiam per aſſumta purgantia ſucceſſus turbatur & ad inteſtina acre ſerum allicitur, dolores & anxietates ventriculi, cum inappetentia, abdominis tormina & incompeſcibiles diarrhœæ ſubſequuntur. Pariter à fluore muliebri per ſuffumigia mercurialia ſublato, pathemata hypochondriaco-hyſterica, aſthmatica obſervavi; vidi quoque febrem cum purpura, repetente, hac ſanata, albo fluore. Et *miſc. nat. curioſ. Dec. I. An. IIX. obſ.* 331. à fluxu albo per balnea vitriolacea ſuppreſſo, phthiſin inſanabilem ſequutam referunt. Quæ certe omnia, quam grave damnum excretionum, & maxime cuticularis ſuppreſſio, injungat, conſpectius teſtantur.

CAPUT IX.

De vitiis ex turbatis ſanguineis aliiſque evacuationibus.

§. I.

Nimia ſuccorum copia ſanitati infenſa.

ITa comparatam eſſe artificioſiſſimam corporis noſtri ſtructuram, ut boni laudabiles & alimentares ſucci per varia organa ad uſum ſecernantur, inutiles vero, effœti atque corrupti per tot vaſorum excernentium emiſſaria, in vitæ ſanitatisque tutelam jugiter eliminentur, antecedenti capite pluribus eſt aſſertum. Potiſſimum tamen & rationibus & exemplis evictum dedimus, eam ſordium excretionem, quæ per corporis corticem ſuccedit, eſſe omnium ſaluberrimam; ſufflaminatam vero plurium & graviſſimorum morborum cauſſam. Quum autem non ſolum perverſa qualitas, ſed etiam quantitas, naturæ microcoſmicæ adverſa ſit: ſæpius contingit, ut ipſi benigni, temperati & utiles ſucci, ut lympha & ſanguis, nimia copia delinquentes & ſolidorum tono, motui ac ſyſtoli ipſique progreſſui fluidorum mole ſua obſiſtentes, perniciem intentent, & cacochymiam ingignendo, vaſa & viſcera obſtruendo, ac ſpaſmos in nervoſis partibus ſuſcitando, ſanitatem gravius labefactent. Quod ne eveniat, providentiſſimo idemtidem conſilio, in machina animali ejuſmodi organa ac viſcera fabrefacta ſunt, quæ redundanti maxime cruori diverticulum præbeant, donec nimis demum in iiſdem accumulatus, per aperta arteriolarum oſcula, ſufficiens & quæ redundabat copia exſolvatur.

Hinc excernen-

§. II.

Quo fit menſium fluxus.

In ſexu quidem ſequiori, à decimo quarto ad quinquageſimum uſque ætatis annum, ordinaria ejuſmodi ſuperflui ſanguinis evacuatio ſingulis menſium periodis ſuccedit per uterum. Hujus enim ea fabrica eſt atque textura, ut ex fibris mira expanſili & contractili virtute præditis, numeroſiſſimis quoque tortuoſo ac ſerpentino ductu excurrentibus vaſis, penitus coagmentatus ſit, eamque ob cauſſam eximiam cruoris copiam recipere & recondere poſſit. Increſcente autem ſucceſſive nimis mole, ſanguis in curvatis venarum alveis tarde progreditur, moram nectens latera extrorſum in varices quaſi urget, donec demum appulſus ſemper per arteriolas, præcluſo in venas tranſitu, diſtentos canales perrumpit, & ſola mechanica ratione, ſine concurſu principii interni dirigentis, cruor ſuperfluus ex apertis oſculis manat.

§. III.

Quo ſuppreſſo aliis hæmorrhagiæ.

Hæc critica atque ſolennis ſanguinis excretio, ſi ſufficienter & rite ſuccedit, nimiam quæ in vitio eſt molem evehendo, ſanitati egregie patrocinatur: contra vero quando vitium capit, & vel excedit, vel deficit, vel etiam perperam cohibetur, damno mactat graviſſimo, quod ut teſtatius pateſcat, luculentas nonnullas adducemus obſervationes. Et primo quidem multiplici experientia conſtat, menſtruum ſanguinis profluvium, quacunque ex cauſſa ſuppreſſum, inſolitas quærere vias & facile in alias inſuetas hæmorrhagias tranſire. Nam *Horſtius in præfat. ad Part. II. obſ. Schenckii lib. IV. pag.* 698. ſanguinem à menſium regurgitatione ex auribus, & *Hollerius Comment. in lib. II. Sect. II. Coac.* §. 18. nec non *Jo. Rhodius Cent. III. obſ.* 51. ex gingivis & dentis alveo, critice excretum teſtantur. Inprimis frequentioris obſervationis eſt, ſanguinem, qui per uterum eliminari debebat, per vomitum, ruptis ventriculi venoſis vaſis, brevibus dictis, rejectum fuiſſe, quod *Hippocrates lib. I. de morb.* §. 32. *Foreſtus lib. XVI. obſ.* 25. *Panarolus Penteceſt. I. obſ.* 6. *Rodericus à Caſtro de morb. mulier. lib. I. cap. III. Hœchſtetterus obſ. Dec. II. caſ.* 7. *Stahlpart van der Wiel Cent. II. obſ.* 17. aliique plures paſſim exemplis confirmant. Neq; adeo rarum

eſt,

eſt, ſanguinem præcluſo per uteri vaſa exitu, majori vehementia ad pulmones delatum, perruptis ibi vaſis tuſſi rejici, ſicuti ejuſmodi caſus *Hollerius lib. I. de morb. intern. cap. 29. Rhodius Cent. III. obſ. 30. Salmuthus Cent. II. obſ. 18.* narrant. In fœminis quoque annoſioribus, quando menſtrua ceſſat purgatio, cruenta non raro oboritur mictio, ita prorſus, ut exempla proſtent, ubi ſingulis menſium periodis cum urina, ſanguis partim fluidus, partim grumoſus, redditus fuit.

§. IV.

Quæ vero periculoſa. Quisque vero peritior Medicorum redundantis ſanguinis per hæc minus congrua loca excluſionem, non adeo tutam, ſed ancipitem & haud levi diſcrimini expoſitam eſſe facile judicabit. Quo enim pars corporis nobilior & vitæ tuendæ aptior magiſque neceſſaria, eo pernicioſior eſt ejus læſio eoque plus periculi alit. Quare ſi pulmonum vitale viſcus à ſanguine ſtagnante labem accipit ac laceratur, facile ulceroſa pulmonum affectio phthiſica naſcitur. Exſtat de hac noxa dignus memoratu locus in *Alpini medic. method. pag. 273.* dum ait: *ob immoderatam ſanguinis evacuationem, vel diuturnum morbum menſes ſupprimuntur, quod ſi diu durat, mulieres graves morbos incidunt, aliquæ in ſanguinis ſputum, ex quo deinceps phthiſi intereunt, quod proximo anno Æmiliæ nobili virgini accidit, cui quum menſtruæ purgationes ex mœrore aſſiduo defeciſſent, cum ſputo ſanguinis & aſſidua tuſſi orta eſt febricula, qua paucos poſt menſes interiit.* Et *Hippocrates lib. I. de morb. mul. §. 6.* eandem in rem egregie ſcribit: *quibuſdam mulieribus menſes bimeſtres in uteris exiſtentes ad pulmonem recedunt, & ubi recepti fuerint, omnia patiuntur, quæ in tabe dicta ſunt.* Si vero inter ventriculi exquiſitiſſimi ſenſus membranas forte ſubſiſtit cruor & ibi corrumpitur aut coagulatur, periculoſa ejus inflammatio, vel hectica febris emergit. Aut ſi etiam erumpit, vaſa tamen brevia nimium ante diſtenta, tam enormi laceratione, inprimis ſi lien male affectus, dehiſcunt, ut iterum coaleſcere nequeant, & vomitus copioſus ſæpiuſque repetens mortem inferat.

§. V.

Alia damna ex ſuppreſſis menſibus. His non minora, ſed longe graviora ac plura ſunt mala, quæ ſi ſanguis neque per uterum, neque alia loca exſolvitur, pullulant; quæ tamen non tantum pro diverſa corporum natura, verum etiam partium, quibus reſtagnans cruor incumbit, diſcrepant. *In capite.* Nam quandocunque ad caput ſanguinis impetus vergit, atroces, quin funeſti, in eo morbi ſubſequuntur, hemicrania, vertigo, cephalalgia, melancholia, mania & apoplexia. Ipſe *Hippocrates* mentis turbas inde cieri teſtis eſt, & *lib. de virgin. morb. §. 102. quando*, ait, *ſanguis in uterum confluit & oſculum exitus non fuerit apertum, tunc non habens effluxum, præ multitudine reſilit ad cor & ad ſeptum tranſverſum, & & quum hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, ex torpedine delirium.* Epilepſiam quoque ex retentis menſibus deſcribunt *Miſc. nat. cur. Dec. I. An. I. obſ. 85.* Et obſtinatam inde inductam oblivionem *Acta Haffnienſia Vol. II. obſ. 78.* memorant. *Pectore.* Quando porro ad thoracem regurgitans ſanguis cor & pulmones opprimit, ſyncope, cordis palpitatio, polypi, aſthmata, pectoris anguſtia ejuſque hydrops producuntur. Ubi in viſceribus abdominis viſcidi ſanguinis copia reſtagnat, inde fit malus habitus, icteritia, tumores pedum œdematoſi ipſeque dirus hydrops, prout maxime auctor eſt *Hildanus Cent. V. obſ. 41.*

§. VI.

Aliſque corporis partibus. Quod ſi autem ad ventriculum & inteſtinorum canalem ſanguis congeritur, exſurgunt inde anxiæ & moleſtæ ventriculi inflationes, cardialgiæ & ſpaſticum ac flatulentum graviſſimum malum, quod totum genus nervoſum exagitat, & hyſtericæ paſſionis nomine innotuit. De hac luculenta ſunt *Hippocratis* verba *lib. I. de morb. mulier. §. 5. quum uteri*, (per quos menſes intelligit) *ad ſtomachum qui nervoſus eſt allapſi fuerint, & ad ventrem irruerint, dolet ſpina & totum dorſum, & lingua ipſius refrenatur, & hanc non claram habet, & animi deliquium adeſt, aliquibus etiam vocis privatio, & ſtomachus mordet, & flava bilis urget & amara eſt, & jactat ſe & ardet.* Ipſe quoque uterus à cohibitis menſibus ſubinde gravem patitur labem. Sic eundem hac de cauſſa hydrope inundatum in *Miſc. nat. cur. Dec. II. An. I. obſ. 79.* relatum legimus, pariterque ingentes uteri tumores, eoſque ſcirrhoſos, cum exulcerationibus ſuccreſcere, experientia edocemur. In ſeroſioribus etiam & phlegmaticis retentus menſium fluxus, crebrius in copioſum ſeri albi ſtillicidium tranſit. Neque denique ſuffflaminata ſaluberrima uterina purgatione, externæ partes à vitiis immunes manent, ſed eaſdem ſæpius ſcabie, elephantiaſi, furunculis, eryſipelaceis affectibus, vel ſcirrhoſis tumoribus infeſtari, experientiæ teſtimonio conſtat.

§. VII.

Ex eminente menſium fluxu. Quæ omnia truculenta pathemata, ſicuti ſuppreſſam in junioribus menſtruam evacuationem preſſo ſubſequuntur pede: ita pariter nihil frequentius in artis exercitio obvium, quam quod ſubſiſtente penitus ob ætatis rationem critico hoc fluxu in annoſioribus, eædem afflictiones ingruant. Ego certe multiplici experientia compertum habeo, poſt annum quinquageſimum, fœminas, præſertim quæ ſanguineæ & largius alias profluvium expertæ ſunt, vitam præterea ſedentariam, otium & unctius vivendi genus ſectantur, à ſanguinis tamen miſſionibus abſtinent, dolores cardialgicos, cum ſummo circa præcordia ad dorſum uſque & ſcapulas excurrente æſtu ac dolore, noctu præſertim, incurriſſe. Alias phlogoſi, doloribus artuum & eryſipelaceis febribus correptas, alias nephritidi cum lumborum tormentis, in calculoſas concretiones deſinenti, implicitas vidi. Nonnullas poſt ſexageſimum annum mictio cruenta, vel incompeſcibilis menſium fluxus, qui demum in hecticum calorem conceſſit, infeſtavit. Quaſdam, inprimis diuturno mœrore confectas, inceſſit dolor ſiniſtri hypochondrii, cum anxietate & æſtu præcordiorum, qui poſtea in vomitum cruentum enormem, ſive morbum ſic dictum nigrum Hippocratis funeſtum, erupit, ubi lien, diſſecto poſt mortem cadavere, magnus & putridus, vaſa brevia ventriculi mirum diducta & late hiantia, ſanguis quoque vaſis elapſus in ileo comparuerunt. Nonnunquam & haud ita pridem in Sereniſſima perſona, à ceſſante quinquageſimo tertio anno menſtrua purgatione, continuas anxias vomitiones annotavimus, per dimidium anni affligentes, quibus ſucceſſit tumor pedum & manuum; quæ tamen ſanguinis miſſione aliisque congruis præſidiis fortunante Deo egregie levata.

§. VIII.

Ex lochiis retentis. Eſt vero præter menſtruum ſanguinis fluxum, alia adhuc ſanguinea evacuatio fœminis propria atque ſolennis, quæ ſub partu & poſt eum ſuccedit, lochialis nempe. Hac quum pariter ſanguis, ſub graviditate in uteri vaſis mirum diſtentis collectus & impurus factus, utiliſſime exſolvatur, non poteſt non ejus ſuppreſſio maximum inferre damnum, ita prorſus, ut plures inde occumbant. Etenim quo major in puerperis, ob graves partus labores ſuperatos, totius corporis, maximeque generis nervoſi debilitas; eo gravius periculum à ſtagnante lochiali ſanguine & metuendum eſt & exſpectandum: licet ſymptomata, prout regurgitans cruor varia loca variaſque partes occupat, vel ipſa corporis natura differt, diverſimode incedant. Videlicet quando impurus ab utero ſanguis ad caput ruit, vertigo, paralyſis & apoplexia præſto eſt, uti præ aliis *Fontanus* in *Reſponſ. lib. I. pag.* 25. confirmat. Quando ad pectus concedit, anxietas, ſpiritus difficultas, lipothymiæ accedunt, vel tuſſis, phthiſis & totalis pulmonum exulceratio inducitur.

Capitis & pectoris morbi.

§. IX.

Malum hyſtericum. Nihil tamen frequentius accidit, quam quod gravia pathemata hyſterica, febre ſtipata, lochiorum ſuppreſſionem conſequantur, quando nempe congeſtus in abdominis viſceribus & meſeraicis vaſis ſanguis, nervoſos ibi plexus moleſte afficit & ad ſpaſmos ſollicitat. Notabilis inprimis hanc in rem eſt obſervatio *Binningeri Cent. II. obſ.* 45. de puerpera, quæ paucis à partu diebus, mediocriter à lochiis purgata, lectum deſeruit & rigido ſe commiſit cælo, ex quo penitus ſuppreſſis uteri purgamentis, diverſa pro differentia partium acceſſerunt ſymptomata; in capite ejus gravitas & ad ſomnum propenſio, in thorace ſputum ſanguineum, ſubflavum pituitoſum, noctu maxime longis intervallis cum levi tuſſi ægram exercens. In collo quaſi ſuffocantis globi ſenſus fuit. In corde & univerſo vaſorum genere febris continua, cum pulſu debili & celeri ac ſiti inexhauſta nec non animi deliquio, excitata. In abdomine alvus dura & laborioſa facta. In partibus externis dolor lateris dextri & ſcapularum pungitivus ac vagus concitatus. Poſt ſanguinis vero miſſionem, alvi ſolutionem & aſſumta antihyſterica, omnia hæc pathemata conquieverunt. In noſtris quoque regionibus nihil frequentius accidit, quam quod lochiis non rite fluentibus, ſub alvo præſertim duriori, febres continuæ, cum purpura rubra & alba mali moris, accendantur, magna certe circumſpectione tractandæ; quandoquidem ſi retrocedit purpureum exanthema, vires penitus dejicit non modo, ſed & in diſpoſitis ſæpe hecticam febrem ciet & univerſum ſanguinem in excrementa pituitoſa & ſalſa, quæ copioſo ſputo, urina craſſa, ſudore multo & alvo laxiori ejiciuntur, ſenſim convertit.

Febris & purpura.

§. X.

Excretio hæmorrhoidalis ſalutaris. Verum enim vero quum non ſolum in ſexu fœminino, ſed etiam virili & nobiliori ſæpe eveniat, ut ſanguis & benigni laudabiles ſucci nimium copia increſcentes, vitæ ac ſanitati perniciem intentent; admirando pariter divinæ providentiæ beneficio in acceptis ferendum, quod in viris etiam via pateat, qua cum egregio valetudinis emolumento, ſuperfluus & noxam minitans ſanguis ejici queat. Videlicet dicatum eſt huic ſaluberrimo negotio vas peculiare abdominis venoſum, portæ vena dictum, quod venæ pariterque arteriæ munus explet, & ſanguinem à plurimis abdominis viſceribus, non modo revehit, ſed & poſtea in hepatis viſcus adducit. Quia enim hæc vena manifeſta ſyſtole & diaſtole, ſive pulſu, deſtituitur, eamque ob cauſſam ſanguinis trajectus per hepar, ejuſdemque regreſſus ex liene, pancreate, meſenterio & inteſtinis admodum tardus ac difficilis eſt: non poteſt non fieri, quam ut ex mechanica & hydraulica neceſſitate, ob reſtagnantem in alveis ramorum hujus venæ cruorem & maxime in vena ſplenica ejuſdemque propagine hæmorrhoidali, in qua ob ſitum perpendicularem & à corde longius remotum, difficilior adhuc redditur regreſſus, major appulſio ad minimas arteriolas earumque extrema fiat, ac demum accedente ſub alvi egeſtione niſu, in tunicis inteſtini recti canales dehiſcant & cruorem effundant.

§. XI.

Præternaturalis tamen nec univerſalis. Dici ſolet hic fluxus hæmorrhoidalis, & ordinarie non per externas, ſed internas venas hæmorrhoidales ſuccedit, ſique non eſt nimius, vel ſymptomaticus, à multis morbis ex plethora oriundis defendit, ac ſalutaris eſt; unde etiam non ſine ratione germanico idiomate vocatur *die güldene Ader*, quaſi auro æquiparandus, vel non redimendus fluxus. Interim licet hæc ſanguinis evacuatio, à natura per ſenſibiles quoſdam præcedentes motus in abdomine, oſſe ſacro & cruribus perficiatur: tamen non ſecundum, ſed præter naturæ rationem & ordinem contingit, & utplurimum tantum in iis viris obvius eſt, qui ſpongioſioris, laxioris & plurimis exilibus vaſculis donati, adeoque muliebris corporis habitus ſunt, qui motu, labore ac ſudore ſecundum univerſale & primum præceptum nimium ſanguinem non conſumunt, ſed deſidioſam in luxu agunt vitam, ſanguinemque copioſum gignunt, qui præterea in puerili ætate largas per nares experti profuſiones & in adoleſcentia hæmoptyica molimina paſſi. In his inquam ætate demum virili per ſedis venas, idque frequentiſſime, redundans ſanguis exſolvitur ſalutari modo.

§. XII.

Fœminis etiam quandoque accidit. Neque etiam ipſæ fœminæ, quæ eandem vaſorum abdominis & venæ portæ conformationem habent, ab hoc ſanguinis per ſedales venas profluvio ſunt plane immunes, ſed frequenti experientia compertum eſt, naturam, inprimis in ſuppreſſis menſibus, ſæpe per hæmorrhoidalia loca abundantem ſanguinem emittere. Obſervavit id ipſum *Hippocrates in Coac.* & *lib. IV. epid. cap.* 20. exemplo confirmat: *filia*, inquiens, *Ædilis menſibus non prodeuntibus per duos annos hieme habuit hæmorrhoides.* Et *Heurnius comment. in aph.* 10. *lib. VI.* diſertis verbis ſcribit: *novi mulieres, quæ menſium vice hæmorrhoides fundebant.* Pariter in gravidis ſanguineis, ubi menſes reſtitant, ſæpius vidimus hæmorrhoides ſalutariter vel fluxiſſe, vel protuberaſſe in ano, quin in puerperis quandoque cum ipſis lochiis manaſſe. Commemorabilis hanc in rem eſt *Hollerii de morb. intern. lib. I. cap.* 55. obſervatio, ubi mentionem facit duarum fœminarum gravidarum, quibus ſalutariter ſtillarunt hæmorrhoides, partu conſequuto ſaluberrimo, & quod mirum, ſi ſanguinis per ani venas fluxus tempore graviditatis ſubſtitit, peſſime habuerunt, eodemque erumpente, mirifice allevatæ ſunt. Mihi quoque plurimi ſuppetunt caſus, quod fœminæ ſanguineæ, &

men-

menſtruo, & hæmorrhoidali fluxui obnoxiæ fuerunt, quæ ſubſiſtente per hæmorrhoides profluvio, ſymptomatibus hypochondriacis & hyſtericis afflictæ ſunt, licet ſanguis per menſes largiter exſolveretur.

§. XIII.

Cur hæmorrhoides jam adeo familiares

Quamvis vero hic hæmorrhoidum fluxus non omnibus naturis, ſed ſanguineis potiſſimum & vitæ ſedentariæ addictis ſolennis, quin ſecundum *Hippocratem de aër. & locis cap. IV.* §. 7. meridionalibus magis locis familiaris, in borealibus autem rarior ſit; noſtris tamen temporibus in hiſce aquilonariis etiam regionibus, longe familiarior eſt & frequentior, quam olim, ut ipſe teſtari poſſim, perpaucos, quum ante quadraginta annos medicinæ exercendæ manum primum admoverem, ſanguinis per ani venas ſtillicidio, vel moliminibus ad iſtud, fuiſſe affectos. Si in cauſſam inquirimus: mea quidem ſententia culpa potiſſimum rejicienda in vitæ genus, ex operoſo ac laborioſo, ob perditos hominum mores, in deſidioſum ac otioſum mutatum, quo non ſolum major quam par eſt ſanguinis copia ingignitur, ſed etiam ipſum corporis robur langueſcit, ut non mirum ſit, efferminato corpori fœmineum quoque accidere ſanguinis fluxum. Deinceps hæmorrhoidum profluvium, teſte experientia, hæreditarium & hinc certis familiis ſolenne eſt, quumque ſic hæmorrhoidibus obnoxius hæmorrhoidarium gignat filium, propagatur latius diſpoſitio & plures fluxum experiuntur. Accedit & hoc, quod noſtro tempore medici in omnibus fere morbis hæmorrhoidum anomalias ſubeſſe perperam putent, & crebriori pilularum, præſertim aloeticarum, uſu, ſanguineum fluxum proritare, etiamſi natura ad eundem plane non inclinet, nitantur. Recte enim jam *Fonſeca tom. I. conſ.* 57 cenſet: quod & tumor lienis, qui Italis familiaris, & multiplex purgantium & aloeticorum uſus, ſit frequentiſſima fluxus hæmorrhoidalis cauſſa, & adjicit: *caveat quiſque omnino à pilulis de aloe, aloe enim aperit ora venarum & hæmorrhoides adeo inducit, ut ex centenis his pilulis utentibus, nonaginta hæmorrhoidibus laborent.*

§. XIV.

Hæmorrhoidum turbæ detrimentoſæ.

Quemadmodum itaque in iis, qui diſpoſiti ſunt ad hæmorrhoides, nihil ſalubrius eſt eorum fluxu, ſi rite ſuccedit: ita viciſſim nihil perniciоſius, quam ſi deficiunt, vel plane perperam cohibentur; quod argumentum jam paulo uberius excutere placet. Memoratu certe dignus hanc in rem eſt *Celſi lib. VI. cap.* 18. locus, *in quibuſdam*, inquientis, *hæmorrhoidum fluxus parum tuto ſupprimitur, qui ſanguinis profluvio imbecilliores non fiunt, habent enim purgationem hanc non morbum, ideoque curati quidam, cum ſanguis exitum non haberet, inclinata in præcordia materia, ſubitis & graviſſimis morbis correpti ſunt.* Nam quando ſanguis ſuperfluus, & qui vitalibus conſervatoriis motibus, nempe circulari & liberiori ſecretorio & excretorio remoram injicit, per ſolennes has vias minus excluditur, ejus regurgitatio vel metaſtaſis fit in varias alias corporis partes, cum ſummo vitæ ac valetudinis diſcrimine. Quandoque concedit ad caput, & maniam, melancholiam vel etiam apoplexiam parit. Nonnunquam in pectus dilabitur, & pleuritidem, peripneumoniam, phthiſin vel aſthma inducit. Sæpius hepati incumbit, & ſcirrhum ac hydropem dirum producit. Sæpius quoque in vaſis meſeraicis & inteſtinorum membranis ſanguis craſſior & impurior congeritur, ibique ſpaſtica & hypochondriaca flatulenta ſymptomata & atroces dolores colicos ciet. Si porro ad renum viſcus ſanguis hæmorrhoidalis ſuppreſſus regurgitat, nephritis & calculus, mictus quandoque cruentus, naſcuntur. Et quando denique in habitum corporis impetuoſe protruditur, ibique ſubſiſtit, phagedæna & mali moris ulcera exoriuntur.

§. XV.

Quod ita ſtatuat Hippocrates.

Quæ quod ita ſint, paſſim auctores luculentis teſtimoniis ac obſervationibus confirmant. Et quidem *Hippocrates* hæmorrhoidum in melancholia & mania ſalubritatem diſertis verbis aſſerit *lib. VI. aph.* 26. inquiens: *melancholicis*, id eſt, ſi qui ſine febre inſaniunt, *ſi varices aut hæmorrhoides ſuperveniunt, inſaniam ſolvunt.* Et *aph. IV. com.* 25. hæmorrhoidum moderatum fluxum maniam prohibere dicit. Porro etiam ad curandam nephritidem hæmorrhoides, ceu ſummam medicinam commendat, dum *lib. VI. aph. II.* ait: *nephriticis hæmorrhoides ſupervenientes magnam opem ferunt.* Præterea & *lib. de humoribus* earum fluxum ad præſervationem pleuritidis & morborum, qui cutim defœdare ſolent, dilaudat; potiſſimum *epid. lib. VI. Sect. III. text.* 37. ſcribit: *variſcis laborantes, neque morbo laterali, neque pulmonario, neque phagedæna, neque furunculis; neque thermintis fortaſſe; neque alphis laborant.* Utilem quoque ad ſublevandam moleſtiſſimam illam hypochondriorum tenſionem idem graviſſimus auctor in *Coacis* dijudicat: *quibus*, inquiens, *dolores hypochondriorum, oris ventriculi, hepatis & partium circa ventriculum ſunt, hi ſanguine per inferiora excreto, ſanantur.* Et quæ plura ejus huc referri poſſent effata.

§. XVI.

Aliique auctores.

Neque deficiunt aliorum graviſſimorum medicorum auctoritates, quæ idem adſtruunt. Sic *Galenus lib. VI. com.* 29. qui clauſis hæmorrhoidibus in inſaniam inciderunt, ſæpe reſeratis his venis, ab iiſdem evaſiſſe perhibet. Et *lib. III. de humor. com.* 26. melancholiam ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus ortam, annua evacuatione curatam, refert. *Hildanus Cent. VI. obſ.* 28. *pag.* 531. ita differit: *ego ſincere ſcribere poſſum: experientia me comprobaſſe, eos rariſſime apoplexia, epilepſia, aut vertigine, aut oculorum inflammatione, correptos fuiſſe, quibus hæmorrhoides fluebant; immo apertione hæmorrhoidum graviſſimos ſublatos eſſe morbos, & in aliis & in me ipſo ſum expertus.* Porro *Ronſæus de ſcorbuto pag.* 72. *non paucos*, ait, *novimus, quos profuſio ſanguinis ex hæmorrhoidibus à ſcorbuto præſervavit. Petrus Monavius* de ſe ipſo ad *Cratonem Epiſt.* 236. conqueritur: ſe à ſuppreſſis hæmorrhoidibus, quæ antea fluxerant, arthritidem incurriſſe. *Foreſtus lib. XXIII. obſ.* 4. ab arthritico dolore quendam erumpentibus hæmorrhoidibus liberatum; & alii cardialgia laboranti cum commodo eaſdem apertas eſſe teſtatur. *Amatus Luſitanus Cent. V. conſ.* 3. hæmoptyſin reſeratis his venis curatam, memorat. Et *Alpinus in medicin. method. lib. II. pag.* 371. hæc præclara de hæmorrhoidibus habet: *in melancholia incipiente ſæpius hæmorrhois profuiſſe viſa eſt, & perfectam quoque ſanaviſſe: contra, ſi cohibeatur, homines in graviſſimos morbos labuntur. Solet in hepate ac liene fieri ſcirrhoſitas & refrigeratio caloris nativi, unde aqua intercus, præterea vertiginoſi ac melancholici fiunt, quibus dictæ venæ cohibentur. Illuſtriſſimus Senator Venetus, proximo*

anno à ſuppreſſis hæmorrhoidibus, quas multos annos habuit, in affectum ſcotomaticum incidit.

§. XVII.

Et obſervatores.

Quandoque etiam ſuppreſſa vel deficiens in ſenibus hæmorrhois in nephritidem vel mictum cruentum concedit. Quare non ſine ratione *Mercurialis* in *Praxi lib. III. c.* 31. & *Sennertus inſtit. lib. III. P. I. Sect. III. c.* 5. mictum cruentum renum hæmorrhoides appellarunt. Et certe proſtant exempla, ubi in ſenibus ſanguis ſingulis menſium intervallis cum urina partim fluidus, partim grumoſus redditus fuit, qui equitatione vel vini generoſi potu facile prolectus eſt. Ejuſmodi ſanguinolentam mictionem *Hildanus* in ſene *Cent. II. obſ.* 11. obſervavit. Idem confirmat *Heurnius comment. in aph. X. L. VI. vidi*, inquit, *qui, cum hæmorrhoidibus tentari ſolebant, cum urina ſanguinem effundebant certis ſpatiis, ſine noxa.* Interdum fit, ut loco ſanguinis liquor albus viſcoſus & albumini ovi ſimilis per anum prodeat, non ſecus ac menſtruus fluxus quandoque in fluorem album concedit, ut hinc recte *Platerus* albas has hæmorrhoides cum menſtruis albis mulierum comparaverit, de quibus pluribus videatur *Fernelius lib. VI. pathol. c.* 10. & *Sennertus in praxi lib. III. Part. II. Sect. II. cap.* 12. nec non *Miſc. nat. curioſ. Dec. I. An. I. obſ.* 75. Et mihi nota complura ſunt exempla, quoſdam tubercula in ano geſtaſſe, quæ ob exquiſitum dolorem totum corpus in conſenſum pertraxerunt, ſponte autem rupta, aliquot cochlearia ſeri ácris corroſivi fuderunt, quo evacuato, pathemata conquieverunt.

§. XVIII.

Nec non notabile exemplum.

Nobis quoque in proclivi foret, plura de noxa ſuppreſſarum hæmorrhoidum in confirmationem adducere exempla, ſed inſtar omnium eſſe poteſt illud, quod ante aliquot annos notavimus. Nimirum generoſus quidam vir fere quinquagenarius, ex ſuppreſſis per potum aquarum ſalubrium frigidum & balnea hæmorrhoidibus, podagram & malum hypochondriacum ſpaſticum ſibi contraxerat, & huc cum familia concedens, me in conſilium aſcito, fortunante Deo multum levabatur, ut etiam hæmorrhoides, quæ diu ſubſtiterant, redirent. Quum vero paulo largius fluerent, enixe à me petiit, ut profluvium compeſcerem, quod tamen conſtanter renui, ac potius ut ſibi gratularetur & in ſinu gauderet de redeunte fluxu, regeſſi. Sed æger inde magnum periculum ac debilitatem metuens, moniti immemor, ab extraneo medico, me inconſulto, medicinas fluxum ſupprimentes, quibus opiata & martialia immixta, impetravit, iiſdemque crebro uſus eſt. Jam pulcherrime omnia ſuccedere videbantur, fluxus quippe tertio die ſubſiſtebat, æger obambulabat ſanus nihilque damni metuebat, ac reſidua pharmaca per quatuor adhuc dies ingerebat; ſed nocte concubia lethalibus opprimebatur ſymptomatibus, ac incredibiles primum præcordiorum anxietates, inquietudinem & atrociſſimos ventris dolores perſentiebat cum arctiſſima alvi conſtrictione, quæ nec clyſteres admittebat, tantaque erat vis morbi, ut omnia antiſpaſmodica, cinnabarina & clyſteres oleoſos eluderet, ac tertio die, poſteaquam æger adhuc ira correptus eſſet, aphonia, delirio & convulſionibus funeſtum ſortiretur eventum. Facta poſtridie ſectione, vidimus cum ſtupore, non modo inteſtinum rectum, ſed & totum coli tractum in ſiniſtro latere ita conſtrictum, ut digiti craſſitiem vix ſuperaret, ventriculum inflatum & in quibuſdam locis inflammatum, ejuſque cavitati ſerum ſanguinis putridum innatans, reliqua omnia viſcera optime conſtituta. Neque dubium eſt, quin, ſi capitis fuiſſet apertio conceſſa, celeris mortis cauſſa ibi detecta fuiſſet, videlicet ſanguinis extravaſatio, aut inflammatoria ſtaſis, quia fortiſſima inteſtinorum & nervoſarum partium ſtructura, ſanguis ad membranas ventriculi & cerebri delatus, hanc funeſtam cataſtrophen procul omni dubio induxit.

§. XIX.

Hinc nunquam valide comprimenda hæmorrhoides.

Quare ſicuti nunquam hæmorrhagia, licet ſuerit enormis, quando à cauſſa interna proficiſcitur, fortiori medicina ſtyptica reprimenda eſt: ita multo magis id in hæmorrhoidibus nimium fluentibus obſervandum, ſiquidem non modo ſecundum allegatum *Hippocratis* teſtimonium, inde hydropis vel tabis metus, ſed & aliorum graviſſimorum affectuum, de quibus ſupra facta mentio, periculum naſcitur, idque eo magis in iis accidit, qui jam per ipſum copioſum fluxum, vel aliis ex cauſſis imbecilliores facti ſunt. Etenim hanc regulam practicam quiſque Medicorum, ut curæ cordique habeat, vehementer optarem, videlicet, nihil ad perniciem magis perducere, quam valde debilitatis corporibus adſtringentia, opiata vel alia fortiora remedia exhibere. Neque corporis humani natura à validiori ſanguinis effuſione unquam tantum patitur, quantum damni ab importuna ſiſtente medicina accipit. Deinceps & illud utile monitum prudens Practicus inde capere debet, quod in ejuſmodi affectibus, qui retentis hæmorrhoidibus ſupervenire ſolent, nihil prius antiquiuſque habeat medicus, quam ut iis aperiendis, ſive per interna, ſive per externa, ut hirudines, invigilet. Præclara ſunt, quæ hac de re prodidit *Baglivius in praxi Lib. I. pag.* 124. *plurima*, ait, *adducere poſſem exempla, quam utilitatem, non obſtante ſanguinis circulatione, apertio venarum hæmorrhoidalium, præ aliarum venarum apertione, afferre ſoleat iis, qui hypochondriorum morbis, doloribus ſcilicet, caloribus, lumborum gravitate, flatibus, tenſionibus, borborygmis laborant.* Quandocunque vero harum venarum apertio non ſuccedit, aut difficulter perficitur, tum naturæ inſtitutum in ejuſmodi morbis medicis imitandum & ſanguini in inferioribus, pertuſis pedum venis, exitus parandus. Ita novimus iſchiadicum dolorem, ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis, aperta in pede vena, protinus ex toto ſublatum fuiſſe, neque minus recordamur, in atrocibus, totum abdomen, ob male fluentes hæmorrhoides, affligentibus doloribus, venæ ſectionem in pede inſtitutam, pariter & nitroſa atque emollientes clyſteres, omne curationis punctum tuliſſe.

§. XX.

Hæmorrhagiarum conſideratio neceſſaria quidem.

Jam itaque non quidem negandum, ſed conſtanti experientia, inde à primis artis medicæ initiis confirmatum habemus, ſanguinis & menſtrui & hæmorrhoidalis fluxum ſaluberrimum, tam valetudini conſervandæ, quam avertendis plurimis morbis prodeſſe, eumque in aſſuetis turbatum, vel imprudenter cohibitum, multas & graves ægritudines pro diverſitate corporum & locorum, quæ à ſanguine redundante & refluente occupantur, progignere, quæ ad debitum ſucceſſum reducto ſanguinis ſtillicidio, ſi non ex toto tolluntur, tamen multum minuuntur ac levantur. Neque etiam inficiandum, *Cl. Stahlium*, collegam

collegam meum honorandum, non mediocrem laudem mereri, quod in scriptis suis, ut medicus maxime omnium in pathologicis menstrui & hæmorrhoidalis fluxus rationem habeat, serio ac crebro inculcarit, & sic vetustissimum hoc ac verissimum dogma, à recentiorum tot potentiis chymicis salino-sulphureis penitus ferme obscuratum, postliminio quasi revocare & pristino nitori reddere connixus sit. Interim tamen neutiquam celeberrimi hujus viri, vel potius affectatorum ipsius placitis assensum præbere possum, qui hanc doctrinam nimium & abusive extendunt, ac universam fere morborum genealogiam primario ex plethora, & inde enata sanguinis spissitudine; ac prohibita ejus per uterum vel sedis venas excretione, arcessere, ac operosa quidem, sed frustranea contentione, vel spissis voluminibus conquirere, sibi sumunt. Neque injuriam fecero, si hanc hypothesin, modo ita eam dicere liceat, ex insufficienti minusque attenta experientia, sive observationum circa morbos, præsertim chronicos, defectu, enatam esse dixero.

Non tamen ad omnes morbos extendenda.

§. XXI.

Quod ne gratis vel gravius dictum videatur, exemplo sit frequentissimum illud nostro tempore malum sic dictum hypochondriacum. De hoc multus quidem ubique apud eos est sermo, ejusque natales unice ex stagnatione sanguinis hæmorrhoidalis in ramis venæ portæ petendas esse, acriter contendunt. At vero si curatius paulo in primam hujus morbi originem inquirimus, ejusque genesin ubi numerosa confluit misera hypochondriacorum cohors, ad fontes nempe soterios, rimamur; clarissime patet: pertinacem hunc affectum esse non plethoræ, sed imbecillis naturæ prolem, solennem ac proprium iis, qui naturam corporis sui & systema nervosarum partium, inprimis ventriculi vim digestivam, tonum ac robur, variis de caussis graviter labefactarunt. Videlicet instituto coram à me scrutinio, alii vitam sedentariam, diuturnum mœrorem, terrorem & vehementem iram, ingestis paulo post desuper cibis aut potu frigido, incusarunt; alii in nimias mentis per intempestiva studia & lucubrationes, fatigationem, potionem largam vel frigidam, sudanti corpori ingestam, abusum purgantium, opiatorum nec non acidorum & vinorum, culpam rejecerunt. Quidam, neglectum sub usu fontium mineralium, vel post purgantia aut emetica, regimen, febris intermittentis, diarrhœæ aut dysenteriæ perperam institutam medicationem, aut præposteram sudoris fœtidi resiccationem, primam morbo occasionem dedisse, confessi sunt. Quæ certe omnia ita sunt comparata, ut robur naturæ atterant nervosisque partibus maximam inducant debilitatem, tantum abest, ut sanguinis, virium custodis, abundantiam arguant.

Nec malum hypochondriacum earum suppressioni;

Sed imbecillitati naturæ tribuendum.

§. XXII.

Et licet tantisper largiamur, deficientem vel suppressum per animi pathemata, frigus & imprudentes medicationes menstruum aut hæmorrhoidalem fluxum, quandoque caussam atque originem hypochondriaco malo posse suppeditare: eandem tamen non semper subesse caussam ex eo luculenter patescit, quod crebrius inter exempla sint, qui largiter & sufficienter etiam fluentibus hæmorrhoidibus, hypochondriacis tamen excruciantur pathematibus, utut interdum eorum vehementia inde decrescat. Notabilis profecto hanc in rem est observatio, quam habet *Sennertus in praxi lib. III. Sect. II. cap. 23. novi.*, inquiens, *fœminam nobilem constitutione sanguineam, affectioni hypochondriacæ obnoxiam, quæ singulis mensibus ordinario, & quidem die post menstruum fluxum decimo quarto; hæmorrhoides patiebatur.*

Unde sæpe fluentibus hæmorrhoidibus affligit.

§. XXIII.

Accedit & hoc, quod firma & irrefragabili experientia in comperto sit, adolescentes, juvenes ac viros, qui nunquam antea vel levissimum fluxus hæmorrhoidalis indicium observarunt, subito malum hoc incurrere spastico-flatulentum, & demum si diutius eodem detinentur, dolorem dorsi, in abdomine circa hypochondria, & stagnationes experiri sanguinis, qui intercepto per spasmos libero per viscera abdominis motu, per ani venas exitum molitur, eodemque denegato, atrociora suscitat pathemata; ut adeo pateat, tam fluxum hæmorrhoidum, quam molimina ad eum, effectum & productum esse mali hypochondriaci. Quin innumera memoria teneo exempla, quod affectio illa ventriculi & generis nervosi spasmodico-flatulenta, quæ malum hypochondriacum audit, in homine perfecte sano nunquam antea hæmorrhoidibus vel moliminibus ad eas obnoxio, ex animi affectu, & maxime ab ira, cui mox subjuncta medicamenta sudorifera calida, aut cibus vel potus superingestus, enata sit, quam demum copioso, ut fieri assolet, multiplicium purgantium & pilularum polychrestarum, quæ aloen recipiunt, usu, à medicis tractatam, ejusmodi motus, sive sic dicta molimina ad hæmorrhoides, dolores nempe in lumbis & osse sacro exceperunt. Quumque medici fluxum importunius iisdem medicamentis & venæ sectionibus in pede proritare niterentur, factum quidem, ut nonnunquam aliquot guttæ sanguinis stillarent, crebrius vero humores viscidi albi, instar albuminis ovi, sæpius magna copia, externerentur, sed sine ullo pathematum levamento. Et in his quidem crebriori purgantium usui merito tribuendum esse censeo, quod propter spasmum ab iis sub operatione inductum, & relictam postea in intestinis atoniam, libera impedita sit circulatio, & in meseraicis ac hæmorrhoidalibus vasis stagnationes atque decubitus contracti.

Et hæmorrhoides spasmos hypochondriacos.

Vel sinistram medicationem sequuntur.

§. XXIV.

Deinceps novæ & κατ' ἐξοχὴν, ut perhibent, veræ pathologiæ conditores, id volunt & urgent, & calculum, & podagram, ex hæmorrhoidali fluxu deficiente, vel minus rite succedente, exclusa omni acri, salsa, tartarea intemperie ac humorum dyscrasia, pullulare. Utut autem non negandum sit, quod quandoque hi affectus chronici à retento hæmorrhoidum, vel in mulieribus mensium fluxu, primam petant originem, eaque propter observante etiam *Hippocrate*, prodeunte sanguinis profluvio mitigentur: ex eo tamen minime sequitur, ergo semper ab hac causa dependent; quandoquidem à particulari caussa ad universalem nullam plane valere consequentiam, notissimum est philosophicum axioma. Ego certe sæpius vidi, succedente etiam, quin sub ipso hæmorrhoidum stillicidio, & calculum, & podagram, tyrannidem suam exercuisse, de quo quidem omni dubitatione majus est exemplum *Cl. B. Dolæi*, qui sæpius per litteras apud me conquestus est, quod per viginti annos, licet hæmorrhoides fluxerint, mire calculi & podagræ doloribus divexatus sit, à quibus tamen diæta lactea utens, per biennium liber egit, sed ad pristinum victum & potum postea concedens, incidit in dysu-

Calculus quoque & podagræ hæmorrhoidum anomalis non arcentur.

dysuriam, demum funestam. Tacemus, plerumque podagram & calculum esse morbos hæreditarios, ac illam maxime ab immodica Venere, Bacho & ira, & generari, & foveri. Neque semper insaniæ à plethora vel hæmorrhoidum fluxu suppresso incunabula trahunt, sed pariter affectibus hæreditariis accensendi sunt: & uti mania plerumque à continua præsertim cohibita ira ac impensis desideriis venereis accedit, ita melancholia à terrore & diuturno mœrore excluditur, vel etiam ab usu narcoticorum & stupefactivorum contrahitur, sine plethoræ concursu. Et sic etiam de aliis morbis, quorum ortum ad plethoram & retentas sanguineas evacuationes hujus theoriæ assertores unice referunt, sentiendum.

Neque insaniæ.

§. XXV.

Denique quo magis hi tam magni hæmorrhoidum patroni earundem successum urgent, & eodem sanitatem & conservari, & amissam revocari, confidenter asserunt; eo magis certe mirandum, ipsisque objici potest, quod nulla adhuc idonea, congrua remedia excogitarint ac norint, quibuscum potissimum hoc therapiæ suæ momentum conficere, ac mensium, vel hæmorrhoidum fluxum, cum certa ratione procurare, promovere, vel moderari queant. Nam intuta profecto, fallax & sæpe frustranea est hirudinum appositio, neque ab omnibus admittitur. Elixirium quoque proprietatis, cum, vel sine acido, & pilulæ quæ aloen capiunt, vel balsamicæ ad mentem Becheri concinnatæ, licet certe commoveant, non tamen eadem ratione sanguinem emovent ac intentioni respondent. Et suppositoria, pediluvia & venarum sectiones, pariter spem atque expectationem destituunt, vel dubiam saltem ostendunt. Quid? quod magis mirandum, vel potius dolendum est, dum impensius frustraneo plerumque labore hæmorrhoidum fluxum proritare nituntur, ea remediorum genera, quæ interceptum liberum sanguinis per abdominis viscera progressum restituunt & afflictas nervosas partes solantur, thermas videlicet, acidulas omnesque soterios fontes, salia volatilia oleosa, martialia bene præparata, lactis quoque asinini, vel seri lactis & infusorum theiformium usum, balnea aquæ dulcis cum mutatione aëris, vel plane negligunt, vel oscitanter spernunt, vel non satis pro dignitate commendant.

Nulla etiam dantur hæmorrhoides certo moventia medicamenta.

§. XXVI.

Post mensium ac hæmorrhoidum saluberrimam evacuationem, sunt adhuc aliæ criticæ, tam sanguinis redundantis, quam aliorum superfluorum ac inutilium humorum insuetæ sæpe atque extraordinariæ excretiones, eum omnes in finem à natura institutæ, quo sub exquisita æquabilitate atque proportione, corporis integritas illibata servetur. Videlicet in puerili ætate ante pubertatis annos, quin etiam adhuc adolescentiæ ætate, valde familiares & salutares per narium venas sanguinis profusiones succedunt, quæ interdum satis crebræ & largæ sunt, solennes maxime iis, qui mollioris texturæ, succulenti & spongiosi corporis habitus sunt, multumque sanguinis generant, quos sanguineæ vulgo dicunt complexionis. Hæc saluberrima redundantis sanguinis diminutio, ubi subsistit vel compescitur, protinus capitis gravativi dolores, cum oculorum ardore, facie inflata & rubicunda, oris & narium siccitate atque æstu, vasorum circa tempora forti pulsatione, accedunt, eo quod sanguis exitum moliens, in vasis capitis congeritur ac distensione & compressione, ejusmodi dolorificam sensationem excitat, sanguinis autem è naribus stillicidium, vel sponte factum, vel arte prolectum, mox gravem istum dolorem solvit atque discutit; id quod conceptis verbis etiam *Hippocrates Sect. III. aph.* 10. testatur, eaque propter, quando non sponte procedit sanguinis fluxus, *Sect. V. aph.* 68. venam in fronte secandam jubet.

Ex suppressis narium hæmorrhagiis.

Capitis dolores.

§. XXVII.

Quando porro sanguis segniter per caput cursum conficit ac in venarum alveis stagnat, neque per vasculorum in naribus oscula stillat, in pueris decem annorum graves diuturnas ac valde acres dolorificas oculorum defluxiones, cum rubore & æstu, quæ lippitudinem & suffusiones inducebant, sæpius vidi, juncto interdum etiam aurium tinnitu, memoriæ stupore, quæ prius non evanuerunt, quam per largam hæmorrhagiam, aut alvi fluxum, sponte vel arte productum, aut etiam per vesicatorium, non capiti, sed dorso ad revulsionem applicatum, id quod in vitio erat discessit. Sæpius quoque à me observatum, virgines sanguineæ complexionis & floridi vultus, ante annos pubertatis non tantum capitis doloribus tentatas, sed & subito in terram collapsas & convulsionibus epilepticis, non raro sævissimis, esse correptas, quæ tamen omnibus aliis frustra tentatis, prolecto per intrusum in nares stilum largiter sanguine, mox conquieverunt, & utut rursus aliquot vicibus recurrerent, penitus tamen, erumpente circa annos pubertatis mensium profluvio, cessarunt.

Oculorum defluxiones.

Epileptici motus.

§. XXVIII.

Simili ratione novi virginem, quæ primis ætatis annis largas narium hæmorrhagias experta, increscente post pubertatis annos sanguinis copia, eademque non sufficienter per menses diminuta, non modo capitis dolorem, sed & cum sensuum turbis & aphonia, levem quasi insultum apoplecticum incurrisse, quo discusso, mansit loquela suspensa, sanguinis autem in pede missio egregiam tulit opem. Neque infrequenter in adolescentibus summum capitis dolorem, cum somno phantasmatibus pleno, auditus difficultate & perversa phantasia annotavi, nullam aliam ob caussam, quam quod sanguis redundans & per nares non exsolutus, tardius per cerebri vasa trajiciatur eademque nimium oppleat, hinc secta postmodum circa æquinoctia vena in pede, adhibitis pediluviis & alvo laxiori reddita, disparuerunt penitusque pathemata sublata fuerunt.

Leviores apoplexiæ.

Mentis turba.

§. XXIX.

Notus mihi est magni nominis Theologus, sanguineæ complexionis, qui non modo in juventute, sed & adulta ætate, maxime circa æquinoctia, largas passus est hæmorrhagias narium, eaque propter meo ex consilio bis per annum admisit venæ sectionem. Hinc autem alio concedens, à medico ut sanguinis missionem omitteret induci se passus est, quo facto, subsistente pariter narium stillicidio, in capitis dolores, vertiginem, tinnitum aurium & surditatem paulo post incidit, cum præsentaneo insultus apoplectici metu, ad quem præscindendum venam aperiri suasi, qua etiam, licet surditas non sublata, apoplexia tamen discussa est. Aliquot etiam elapsi anni, quum ab honestissimo viro, aliquot abhinc milliaribus degente, antea sano, vegeto ac robusto, quinquaginta aliquot annorum, constitutionis sanguineæ,

Exempla.

guineæ, in consilium adsciscerer. Hic quum current puerili ac juvenili ætate, liberales sanguinis profusiones expertus esset, posteaque singulis annis semel vel bis sanguinem utiliter emitti curasset, verno tempore idem omittens, circa exitum Martii, post corporis refrigerationem & ingestos largiter difficilioris solutionis cibos, præter omnem opinionem sensu & motu privatus, nullius rei conscius concidit, emisso autem post aliquot horas è vena brachii per amplam aperturam sanguine, mox ad se rediit quidem & paulatim loquelam, sensum ac motum recepit, capitis tamen ingentem imbecillitatem & memoriæ defectum ab hoc insultu passus est, adeo, ut ex moderato etiam vini usu valde offendatur.

§. XXX.

Apoplexia. Nonnunquam tamen à sanguine in alveis canalium cerebri nimium congesto, subtiliora plexus choroidei vascula disrumpuntur, & propter immedicabilem extravasationem, funesta consequitur apoplexia. Et certe plura in observatis medicorum consignata sunt exempla, quod post hæmorrhagiam suppressam apoplexiæ lethales ortæ, ubi post mortem sanguis è naribus largiter manavit, uti *Hildanus Cent. III. obs. II.* perhibet. *Phrenitides.* Aliquot porro exemplis confirmatum habeo, circa annum vigesimum primum, qui etiam est climactericus, retento narium stillicidio, post stagnationem sanguinis in cerebri vasis, qualis sub leviori apoplectico insultu esse suevit, phrenitidem accessisse, ad quam discutiendam laudatissimum effectum præstitit larga sanguinis in brachio subtractio. Dignum est, ut huc referatur à *Bohnio de offic. Med. dupl.* adductum exemplum de juvene, qui phrenitide laborans, forti inflicta alapa, & facto post eam larga sanguinis è naribus profluvio, sanatus. Denique frequentioris etiam observationis est, cohibita narium hæmorrhagia, sanguinis impetum in asperam arteriam ruere illumque tussi rejici; quod vero, si paulo major est copia, non sine mortis periculo contingit, quale exemplum à *Gabelchovero Cent. IV. curat.* 37. annotatum.

§. XXXI.

De salubri seri vitiosi excretione. Tam grave, varium & multiplex est damnum, quod ex suppressa sanguinis redundantis evacuatione in corporis integritatem redundat. Jam quum serum etiam, plus vel minus in purum, & maxime quidem in corporibus quæ complexionis phlegmaticæ, vel sanguineo-phlegmaticæ, magis quam par est increscat & sanitati insidias struat: pariter egregie pro sanitate est, si quando à natura, per quam nihil aliud quam admirandum istud corporis ejusque partium structuræ artificium, ad vitalem sanguinis circulum cum excretionibus perficiendum, à divina providentia destinatum, intelligo, à nimia ejus copia, etiam præter & extra ordinem per insuetas excretiones, corpus liberatur. *Per sudores.* Videlicet præter eam vitiosi seri diminutionem, quam quibusdam per spontaneos largos nocturnos sudores utiliter succedere, & cum præsentaneo detrimento compesci, supra jam meminimus: in plurimis adhuc utriusque sexus hominibus obvium est, singulis fere annis, vere & autumno, per tussim & coryzam, *Tussim & coryzam.* cum levi febricula serosum humorem rejici. Contingit hoc maxime à perspiratione tum sufflaminata sæpiusque ab aëris injuria interturbata, nec non post ingestos multos incongruos cibos, ac tanta sæpe, in senibus potissimum, tussis est vehementia ac pertinacia, ut per aliquot menses corpus quatiat & incredibilis humoris viscidi copia, cum virium languore, inappetentia, inquietudine ac interno æstu eliminetur; quod tamen, si non imprudenter sistitur, sed leniter temperantibus & laxantibus tractatur, egregie cedit in sanitatem; quum contra adhibitis pectoralibus, dulcibus ac resolventibus, tussis exasperetur longiusque extrahatur. Quibusdam quoque mucidæ sordes in puerili ætate largiter per nares expurgantur cum valetudinis commodo; si autem increscentibus annis retinentur, oculi hebescunt, defluxionibus acribus tentantur, dolor capitis gravativus cum vertigine adest, nec non torpor; quæ omnia restituto muci debito effluxu, discutiuntur.

§. XXXII.

Copiosæ diarrhœæ. Porro solenne est, ut serum acre bilioSum redundans, sæpe salutariter admodum per ductus biliarios, glandulas intestinorum & tunicas glandulosas, sub crebris dejectionibus, quæ in senibus ob perspirationem imminutam & copiam seri excrementitii interdum diutius durare solent, eliminetur. Hæc quando largius & paulo longius succedunt, infirmant quidem; egregium tamen postea commodum afferunt, præsertim si vitæ victusque exquisita habeatur ratio. Vera enim *Celsi* de ventris fluxu *lib. IV. cap.* 19. est sententia, *uno*, inquientis, *die fluere alvum sæpe pro valetudine est, atque etiam pluribus, dum febris absit, & intra septimum diem id conquiescat. Purgatur enim corpus, & quod intus læsum erat utiliter effunditur.* Quando vero hæc salubriter instituta evacuatio imprudenti consilio adstringentibus sistitur, vel nimis calidis balsamicis compescitur, magna excipit virium imbecillitas, inappetentia & febricula quædam, ipsumque profluvium, licet aliquandiu subsistat, repetit tamen, cum tenesmo, borborygmis ac torminibus. Interdum etiam, ut perite *Sanctorius* meminit, per urinæ largius profluvium, quandoque, singulis mensibus, superfluum & quod naturæ oneri erat eliminatur, dum *Sect. I. aph. 65.* scribit: *corpora quoque virorum sana & moderatissimo victu utentia singulis mensibus fiunt solito ponderosiora, unius scilicet duarumve librarum ponderé, & redeunt ad consuetum pondus circa finem mensis ad instar mulierum; sed facta crisi per urinam paulo copiosiorem, vel turbidiorem.* Ipse quoque compluries observavi, quod circa caussam externam, quibusdam urina effuse prodeat, alvo segniore & perspiratione imminuta. *Urinæ largius profluvium.*

§. XXXIII.

Ac p. n. per insolitas vias. Quandoque evenit, ut excretiones succedant insolitæ & præternaturales seri salsi acris per varia loca, ut per ulcera circa malleolum pedis, per glandulas axillares, per scrotum, vel oculorum glandulas, per herpetem & impetiginem in manibus ac pedibus, statis anni temporibus redeuntem, vel etiam per fonticulos, cum egregio sanitatis emolumento; quæ si remanent, aut improvide medicamentis præsertim externis, cohibentur, non modo ingens lassitudo, anxietas & inquietudo corpus corripit, sed & sæpe dolores ac spasmi artus ipsasque internas partes, præsertim intestina, infestant, non sine periculo. Memorat *Riedlinus lin. med. an.* 1696. *pag.* 133. Ex hæmorrhoidibus fistulam ani natam & ultra septimum annum fluentem, postea vero desiccatam, in quodam mercatore primum respirationem difficilem & pedum tumorem cum levi exulceratione, deinceps ardorem ventriculi dorsique cum

alvi

alvi obſtructione & febre, tandem lethalem induxiſſe apoplexiam. Eandem quoque in rem apprime facit exemplum nobilis, cujus *Timæus à Güldenklee de aff. capit. caſ.* 28. meminit. Hic enim quum ab ulcere, quod multos annos geſtarat, paucos intra dies conſilio vetulæ liberatus eſſet, elapſo menſe, incidit in tam vehementes capitis dolores, ut de vita deſperarent, ac paulo poſt occæcatus eſt. Horis autem matutinis à ſomno multum viſcidæ ac flaveſcentis fœtidæque materiæ frequenti exſpuitione citra tuſſim rejecit, ac conqueſtus eſt, ſe quamdiu jejunus eſſet, eundem fœtorem in ore percipere, quam qui ex ulcere pedis ſpirarat.

§. XXXIV.

Concluſio. Quæ quum ita ſint, quis jam dubitabit, valetudinis integritatem excretionum ſucceſſu maxime niti atque foveri, eaſdemque licet extraordinariæ ac inſuetæ ſint, ſi tamen diu cum ſanitatis emolumento ſucceſſerunt, non ſine periculo ſupprimi. In quo quidem maximopere cavendum non ſolum ab omnibus animi affectibus, præſertim terrore ac ira, medicamentis conſtringentibus ac ſopientibus, ſed etiam ab intempeſtivis evacuationibus, quibus ex facili evacuationes turbantur, vel minimum cum diſcrimine alio divertuntur. Quod ſi vero natura in perficiendis ſaluberrimis omnis generis excretionibus vacillare aut deficere videatur, medentis eſt, eas quavis ratione promovere earundemque ſucceſſum levare, quem in finem egregiæ ſunt utilitatis venæ ſectiones, laxantia lenia diaphoretica, curationes ſic dictæ vernales & quæ reliquis fere omnibus hac in re præripiunt palmam ſoteriæ aquæ, tam thermæ, quam acidulæ, vernali & autumnali tempore prudenter uſurpatæ, quibus non ſolum graviſſimi morbi præſcinduntur, ſed etiam pertinaces atque rebelles expugnantur ac abiguntur. Sin autem ſubito interceptam aut cohibitam eſſe excretionem quandam contigerit, minime cunctandum eſt, ſed promta ope eo annitendum, quo revocetur, priuſquam quod retentum in nobilioribus ſedem figat, latius noxam diffundat & difficilem ancipitemque medicationem faciat.

CAPUT X.

De generatione morborum ex morbis.

§. I.

Imbecillitas ex præcipuis morborum cauſſis. QUum vera & rationalis therapia, ſive medendi morbis ſcientia, maxime omnium accurata morborum diagnoſi eorumque ex cauſſis ſuis ortus ac incrementi cognitione nitatur, atque etiam à nobis in prioribus de earum ægritudinum geneſi actum ſit, quæ à mole & qualitate humorum perverſa eorumque evacuatione deficiente, vel cohibita, originem trahunt: nunc porro ad earum contemplationem accedendum, quæ à ſolidorum vitio, virtute ac robore dejecto, ſive imbecillitate, quam plerumque præcedentes morbi relinquunt & ingignunt, incunabula trahunt; quo ſic manifeſto diluceſcat, non modo fluidorum, ſed & ſolidorum vitioſam ac præternaturalem conſtitutionem, ad gignendos morbos magnæ virtutis, eaque propter à perito medico magnopere eſſe conſiderandam. Nam quandocunque plenas & accurate conſignatas morborum hiſtorias paullo accuratius luſtramus, animadvertimus, non robuſtos, firmos & valentes, ſed maxime eos, qui vel natura imbecilliores ſunt, vel ob adverſam præcedentem valetudinem tales redditi, cum morbis conflictari & medicam opem poſcere, difficulter tamen ſanationem recipere, atque etiam ſumma cum circumſpectione prudenter & leniſſime eſſe curandos. Hinc quanto minus ſani & robuſti, diæta ad leges ſanitatis exquiſite compoſita, medico aut medicina egent: tanto magis certe debiles & imbecilles eadem deſiderant; ut adeo veriſſimum ſit ſanctiſſimi Salvatoris edictum: non firmos, ſed languidos medico indigere; eo quod, ut recte pridem obſervavit *Celſus lib.* I. *cap.* 3. omnibus morbis obnoxia eſt infirmitas.

§. II.

Virium ratio ex efficacia motus. Quæ quum ita ſint, haud poſtremus certe medici labor eo dirigendus, quo corpora valentia & firma, ab infirmis & minus valentibus, probe diſtinguere diſcat. In quo quidem recte perficiendo, tenendum, quod quemadmodum in univerſa rerum natura omnis vis, virtus & robur ad efficaciam motus referri debet, ita quoque robuſta natura corpuſque firmum habendum ſit illud, ubi efficacia motus, tam in actionibus naturalibus, quam vitalibus & animalibus, vivida ſeſe exſerit. Vigent autem animales functiones in iis, qui mente & corpore duros etiam labores ac diuturnas fatigationes ſine noxa ſuſtinere poſſunt; ac vitales & naturales vigent in iis, qui pulſu gaudent magno pleno ac robuſto, bene appetunt, digerunt ac egerunt, & ſolida habent corporis membra, neque facile animo moventur, aut à cauſſa quadam externa læduntur. Quæ omnia in languidis ac debilibus ſecus eveniunt, utpote qui, & facile fatigantur, & à levi animi affectu, intemperie aeris, aut vitio in diæta commiſſo, offenduntur, vel à quadam medicina purgante aut alterante facile moventur aut læduntur, verbo, qui ſunt, ut ita loqui liceat, ſenſibiliſſimæ naturæ, perquam facile in morbos incidunt, diu cum iis conflictantur ac tardius vigorem priſtinum recipiunt.

§. III.

Et ſolidorum diſpoſitione dijudicanda. Deinde quoad ipſam naturalem partium ſolidarum diſpoſitionem & ſtructuram, robore & viribus præ aliis valent morbiſque minus obnoxii ſunt, qui majora obtinent vaſa, ſtrictiores fibras carneas, robuſta ligamenta, nervos & tendines magnos; imbecilliores vero & morbidi merito habentur, qui obeſi, laxioris & ſpongioſioris ſunt carnis, tenuia & exigua gerunt ſanguinis vaſa, exiles nervos tenerasque membranas. Nam ſub robore ſolidorum, quæ fluida impellunt, & canalium amplitudine, longe majori facilitate & promtitudine contenti humores circumaguntur, & ſecretiones utiliſſimorum ad vitam ſuccorum, & excretiones inutilium, longe melius vigent, quam ſub copia ac exiguitate vaſorum, fibrarum laxitate & niſu ac reniſu languido; & hinc omne id, quod lædit ac morbos efficere aptum eſt, promte removetur ac eliminatur, & illibata ſervatur corporis integritas. Neque male huc referri poterit *Hippocratis* aphoriſmus, *Sect.* II. *p.* 44. quo perhibet: ſpongioſos natura & obeſos, magis cito mori, quam graciles & ſtrictioris habitus.

§. IV.

§. IV.

Ad imbecillitatem facit sexus.

Jam quum sexus fœmininus ordinario ejusmodi molli, laxo, tenero & succulento corporis habitu incedat: in proclivi est judicare, eundem longe imbecilliorem, morbis quoque magis expositum esse, quam virilem nobiliorem, quin, si menses, qui pro valetudine fœminarum sunt, non rite manant, *Hippocratis* effato, omnem morbum bis pati. Deinde ratione ætatis infantes & senes maxime omnium imbecilles variisque morbis obnoxios esse, difficilius etiam convalescere ac facile succumbere, experientia constat. Nimia enim fibrarum in infantibus est laxitas, adeoque quam maxima ad stagnationes & decubitus humorum proclivitas: in senibus vero magna fibrarum rigiditas, pororum strictura & vasorum capillarium angustia, quo fit, ut utiles succi difficilius secernantur, & inutiles minus sufficienter ejiciantur.

Et hæreditaria dispositio.

Pariter id crebriori observatu in comperto est, firmos & robustos corpore ac animo parentes, valentes ac sanos; imbecilles contra, valetudinarios; senes quoque & ebrios, debiles, teneros ac morbidos gignere infantes. Nam certe præcipuæ atque difficiles quæ homines affligunt, mediciſque plurimum negotii facessunt ægritudines, sunt hæreditariæ, & non tam à fluidorum, quam potius congenitis solidorum vitiis dependent. Inter capitis quidem affectus, maniam, melancholiam, apoplexiam & epilepsiam, inter pectoris morbos, hæmoptysin & phthisin, quoad partes in imo ventre contentas, affectum hypochondriacum spasmodico-flatulentum, renum & vesicæ calculum, anomalum fluxum hæmorrhoidalem, in fœminis malum hystericum, & quod partes externas, dolores rheumaticos & arthriticos, in liberos per nativitatem transire, constantis semper & perpetuæ fuit experientiæ.

§. V.

Primis jam morbis diuturni accedent.

Præter hanc, quæ ob sexus, ætatis & nativitatis rationem accidit imbecillitas, sunt adhuc aliæ causæ, quæ corpus sanum antea ac robustum infirmare & solidarum partium virtutem, tonum ac robur imminuere, frangere atque prosternere, corpusque ad graves morbos ingenerandos disponere possunt. Horum in censum, præter diuturnos & graves animi affectus, immoderatas mentis in studiis fatigationes atque meditationes, abusum quoque Veneris & Bachi, diætam pravam, assiduas vigilias, & duros labores, maxime omnium referendi morbi, præsertim, si ægrorum culpa longius extrahuntur, vel ob medicorum errorem perperam tractantur. Ea enim est motuum morbosorum ac inprimis febrium indoles, ut non solum succos vitales absumant atque totam sanguinis & humorum massam vitient & corruptam ac impuram reddant; sed etiam solidis partibus omne robur motusque potentiam subducant, quo ex facili denuo stagnationes, stases & corruptiones conciliantur, morbique contrahuntur. Inprimis tamen ingens ventriculo & intestinis accidere solet imbecillitas, unde aucta post morbum ciborum appetentia, digestione autem vacillante, alvinæ sordes retinentur, cruditatum sentina colligitur, quæ si non repetita evacuatione, subjunctis ventriculi tonum roborantibus, tempestive submovetur, nova morborum minera conflatur, quæ sensim sanitatem subruit, tandemque ipsa mora vel prima data quavis occasione, in graves morbosas afflictiones conspectius transit.

§. VI.

De damnis ex debilitate universali, per hæmorrhagias

Hæc ut eo testatius pateſcant, per classes & varias causarum series eundo, morborum ex morbis generationem dilucide evolvam. Et primo quidem loco nihil frequentius evenit, quam quod post enormes & tantum non incompescibiles hæmorrhagias, e. g. in abortu, puerperio, gravi vulneratione, aut etiam post largius menstrui vel hæmorrhoidalis sanguinis profluvium, frigidi sic dicti morbi, ut cachexia, pedum œdemata, anasarca & aliæ funestæ hydropis species, vel etiam atrophia, summus virium languor, febris lenta & hectica, enascantur aut præcedentes morbi longe pertinaciores reddantur. Nimium enim exhausto virium, & fluidi, quod motum ac robur solidis fœnerat, fonte, sanguine, ventriculi & canalis qui vitali machinæ alimentum conveniens parat, actio atque digestio non modo minuitur, sed & robur quo solidæ partes gaudent, & quo inutile ejicitur, utile vero intime permiscetur & ad usum servatur, admodum labefactatur, ut non possit non ingens & cruditatum in primis viis, & impurorum succorum in venis, fieri proventus, quem urinæ copiosæ, plus minus turbidæ & albæ, luculenter manifestant. Accedit quod ob languidum humorum circuitum & interceptam fordium exclusionem, passim in visceribus stagnationes, obstructiones & stases gignantur, & vitales corporis succi inquinentur, eoque pacto, tam ad longas, quam acutas & periculi plenas afflictiones, via sternatur. Quæ omnia non solum & majora & deteriora fiunt, si animi perturbationes complicantur, vel in diæta committitur vitium, aut impensior corporis refrigeratio contingit, sed etiam eo certius funestum sortiuntur eventum, si medentes ejusmodi infirmos validiori & crebriori evacuatione adhuc exercent, aut nimis calidis exagitant.

§. VI.

De damnis ex debilitate universali, per hæmorrhagias

Hæc ut eo testatius pateſcant, per classes & varias causarum series eundo, morborum ex morbis generationem dilucide evolvam. Et primo quidem loco nihil frequentius evenit, quam quod post enormes & tantum non gravi vulneratione, aut etiam post largius menstrui vel hæmorrhoidalis sanguinis profluvium, frigidi sic dicti morbi, ut cachexia, pedum œdemata, anasarca & aliæ funestæ hydropis species, vel etiam atrophia, summus virium languor, febris lenta & hectica, enascantur aut præcedentes morbi longe pertinaciores reddantur. Nimium enim exhausto virium, & fluidi, quod motum ac robur solidis fœnerat, fonte, sanguine, ventriculi & canalis qui vitali machinæ alimentum conveniens parat, actio atque digestio non modo minuitur, sed & robur quo solidæ partes gaudent, & quo inutile ejicitur, utile vero intime permiscetur & ad usum servatur, admodum labefactatur, ut non possit non ingens & cruditatum in primis viis, & impurorum succorum in venis, fieri proventus, quem urinæ copiosæ, plus minus turbidæ & albæ, luculenter manifestant. Accedit quod ob languidum humorum circuitum & interceptam fordium exclusionem, passim in visceribus stagnationes, obstructiones & stases gignantur, & vitales corporis succi inquinentur, eoque pacto tam ad longas, quam acutas & periculi plenas afflictiones, via sternatur. Quæ omnia non solum & majora & deteriora fiunt, si animi perturbationes complicantur, vel in diæta

in diæta committitur vitium, aut impensior corporis refrigeratio contingit, sed etiam eo certius funestum sortiuntur eventum, si medentes ejusmodi infirmos, validiori & crebriori evacuatione adhuc exercent, aut nimis calidis exagitant.

§. VII.

Et puerperium inducit.

Deinceps ex omnibus quæ universi corporis firmitudinem atterunt, idque ad morbos suscipiendos præparant, vix quicquam efficacius est, quam puerperium; utpote quod multas varias, easque graves affectiones, non raro inducere observatur. Vidimus post illud spasticas hypochondriorum & diuturnas hystericas passiones; vidimus multas in melancholiam, hemicraniam, abdominis perpetuam flatulentiam, tumorem, cachexiam, delapsas; annotavimus sterilitatem, fluorem album, corporis languorem, cum lento calore, & quæ plura alia sunt. Præterquam enim quod cum sanguine largius ex sauciatis vasis effluente multum virium effundatur, ipsi graviores partus labores corpus admodum exhauriunt ejusque partes vigore ac robore privant, quibus accedit, quod ipse uterus perquam facile labem patiatur, ut excluso fœtu, post tam ingentem extensionem, naturali tono non redditus, sanguis per contorta ejus vasa minus expedite trajiciatur, sed passim subsistat universumque corpus inde graviter luat. Et hinc omnia illa quæ memoravi mala subnascuntur, quæ mirum quantum gravior animi ex affectibus commotio accelerat, frigidus autem potus, improvida corporis refrigeratio, parva victus ratio & valentiora pharmaca pariter advocant, augent & exacerbant.

§. VIII.

Ex particulari debilitate per apoplexiam paralysis.

Neque vero tantum universalis corporis ex morbo debilitas, ad novas & alias concipiendas ægritudines aptissima existit; verum etiam sæpenumero à morbis quibusdam peculiaris & certæ cujusdam partis imbecillitas, alium morbum invehens, remanet. Atque ut ordiamur à capite, multiplici idemtidem observatione constat, quod discussa apoplexia, dextri vel sinistri lateris paralysis relinquatur, ubi brachium & pes, restitante quidem debiliori sensu, motu privantur, conjuncta oris tortura & linguæ balbutie. Ratio hujus effectus & modus quo generatur tam grave malum in expedito est. Scilicet in apoplexia meningum vasa à sanguine copiosius eo ruente, admodum expansa & distenta sunt, ut intercepto ejus libero itinere, serosa pars secedat, in posticam cerebri partem & spinalis medullæ principium descendat, unde fluidi quod nervi vehunt influxus sufflaminatur & membra subjacentia pristinam tensionem pristinumque ad motum & sensum necessarium vigorem amittunt. Quin immo quia cerebri & medullæ oblongatæ fibræ, exuberante serosi humoris copia ita perfusæ, nimium flaccescunt, fit, ut intercidente earundem debita tensione, apoplecticum insultum utplurimum stupiditas, ingens memoriæ debilitas, somnolentia & ad obeundas actiones summus languor consequatur.

Et stupor animi.

§. IX.

Post epilepsiam oculorum vitia.

Epilepsiam cerebrum ac nervos præsertim opticos mire debilitare, vel ex eo clarum atque perspicuum fit, quod hanc ipsam in repentinam cœcitatem transiisse *M. N. C. Dec. I. An. III. obs.* 161. it. *Cent. I. An. II. obs.* 130. fidem faciant. In graviori enim epilepsia sanguis impetu, ob fortes spasticas in abdomine strictura ad caput urgetur, ubi tardius circumactus & stagnans, serum dimittit, quod in anteriora cerebri & nervorum opticorum thalamos destillans, eas obstruendo, guttam serenam producit. Et quia in paroxysmis epilepticorum nervi, qui oculis motum præstant, simul distorquentur, oculorum situs interdum pervertitur, unde strabismus, quem *Segerus* in *M. N. C. Dec. I. An. III. obs.* 162. in infante ex paroxysmo epileptico se observasse memorat.

§. X.

Post ma am mel cholia vice ver

Maniæ in melancholiam, ac vicissim melancholiæ in maniam, facilem admodum fieri transitum, crebra testatur experientia; quandoquidem in utroque affectu meningum vasa viscidi sanguinis copia infarcta sunt, cujus in melancholia tardior & difficilior, celerrimus vero in delirio maniaco est progressus, propter auctam meningum strictura, sanguinis citatiorem cursum efficientem. Quemadmodum vero fortiorem spasmum semper fere ejusdem partis atonia & flaccidus languor excipit: ita etiam cessantem, quæ in paroxysmo maniaco præsto est, nimiam membranarum & vasorum cerebri constrictionem, eorundem relaxatio & debilitas subsequitur, qua postea sanguinis difficilior & tarda per has partes fit progressio; ex qua melancholicorum phantasmata sua trahunt incunabula.

§. XI.

Ex fe acuta ditas.

Ex febre acuta, caput & nervosum genus occupante, cujus generis solet esse dicta Hungarica, quam delirium, vel stupor quidam, aut acerbissima cephalalgia comitatur, sæpenumero surditas, vel minimum difficultas auditus, resultat, quæ per totam quandoque vitam persistit: Non quidem malum alias indicium, sed salutaris criseos notam præbet, si in acutis febribus, circa critica tempora, hebetudo auditus accedit, neque sine ratione. Nam si crisis perfecta est, strictura solidorum, quæ tamdiu quam febris impetus durat, remittit, eoque facto, pulsus celeritas & cutis tubulos redit evacuatio, & meatus jam magis patuli facti, non tantum tenuem serosum humorem, verum crassiores etiam fœculentias dimittunt. Verum tamen quia in acutis capiti infestis febribus, laxato meningum spasmo, fibris remissioribus factis, sanguis tardius iter conficiens serum deponit, quod ad principium nervorum acusticorum descendens, difficilem auditum producit; is neglectus, ex facili in perpetuam & immedicabilem surditatem transit. Quippe si caput tum improvide frigori exponitur, vel medentes discussioni stagnantis humoris per convenientia cephalica & sudorifera minus invigilant, partium cerebri quæ ad auditus organum pertinent, à subsistente sero fit compressio, corruptio aut magna læsio.

§. XII.

Post hæmoptysin phthisis.

A capite, ceu suprema corporis regione, ad mediam nempe thoracem, progressum facturi, deprehendimus multos esse pectoris morbos, qui magnam imbecillitatem vastissimo pulmonum visceri inferendo, illud ad varios affectus morbosos disponunt. Nihil enim frequentius in praxi observatur, quam quod hæmoptysin, præsertim perperam curatam, presso pede phthisis insequatur, idque eo magis, quando nimis celeriter exitum affectans sanguis, adstringentibus vel narcoticis, vi quasi cohibitus fuit. Videlicet quemadmodum veræ omnium hæmorrhagiarum causæ

non

non aliæ ſunt, quam fortes ſpaſticæ vaſa ſimul comprimentes in abdomine aut remotis aliis partibus ſtricturæ, quibus liber ſanguinis circuitus intercipitur, ita ut is coarctatis alibi meatibus, in alias partes cum impetu ruat, ibique perrumpat: ita pari ratione ſi ad pulmones ejus appulſus urgetur, eorum vaſcula, quæ hiant in tracheam, mirum diſtenduntur & ingens ejus in hanc fit effuſio. Quod ſi igitur neque ſpaſmorum, neque inæqualis circuitus ratione habita, adſtringentia præpropere dantur, ſanguis tenuis ac floridus craſſeſcit, in coagulum abit & effluere neſcius, vel putredinem concipit, vel ſecedens ſeroſus humor tubercula ingenerat, ut vomicæ vel ingens exulceratio oboriantur. Etenim quando ob humoris acrimoniam, vel diſtendentem nimis ejus copiam minutiſſimæ pulmonum veſiculæ diſrumpuntur, ex pluribus una, vel plures amplæ cavitates reſultant, extrema vero vaſorum capillamenta exeſa magis patula redduntur, ut multum ſucci chyloſi in cavernulas influat, qui ob hiantia capillaria & lymphatica vaſa non reſorptus, ſed ſtagnans, lentorem contrahit, ſpiſſeſcit & turbidus ac glutinoſus fieri, ac ſi longius moram nectit, fœtere incipit.

§. XIII.

Ex pleuritide abſceſſus pulmonum.

Pleuritidem in abſceſſum vel empyema tranſire, dudum graviſſimus auctor *Hippocrates*, paſſim in monumentis ſuis tradidit, inprimis *aph.* 8. & 15. *Sect. V.* perhibet: pleuritidem in empyema, (quo nomine, ut auctor eſt *Galenus*, quamlibet in pus mutationem inſignit) degenerare, ſi purulenta non intra quatuordecim dies excludatur materia, & quando hæc in empyemate non deſinit, intra quadraginta dies fluere, phthiſin fieri; id quod etiam experientia confirmatur atque expedita ratione nititur. Nam in pleuritide vera haud abſimili ratione ac in peripneumonia, ipſius pulmonis exterior ſubſtantia, non vero quæ tantum coſtas ſuccingit membrana, inflammatorio & dolorifico ex ſanguinis ſtaſi tumore eſt affecta. Hæc itaque inflammatio ſi penitus diſſipatur, morbus perfecte ſanatur; at ſi diſcuti renuit, in purulentam abit materiam, è pectore rejiciendam. Quod ſi vero intra quatuordecim dierum intervallum nec febris decedit, nec puris excretio ſequitur, tunc juſta eſt ſuſpicio, materiam inhærentem formare vomicam, qua demum rupta, ſi puris ſcreatus intra quadraginta dies non ceſſat, phthiſis præſtolatur: certum quippe tunc eſt indicium, vomicam ulterius ſerpere & acre pus totam pulmonum ſubſtantiam in exulcerationem trahere, unde tabes & phthiſis.

§. XIV.

Quod teſtimonio Aureliani

Et certe pleuritis longe facilius in empyema cedit, quam quidem peripneumonia, quia recte monente *Cælio Aureliano p. m.* 420. *peripneumonia eſt, tumor in toto pulmonum corpore, pleuritis vero tantummodo in ejus parte*, vel potius, pleuritis eſt inflammatio magis ſuperficialis, peripneumonia vero altior & profundior: in hac ſanguis magis ſeroſus, in illa cruor craſſus ſtagnat. Quare ſicuti ſanguinis chyloſi & gelatinoſi facilis eſt in purulentam materiam tranſitus: ita cruor craſſus difficilius in pus mutatur, ſed magis in corruptionem vel ſphacelum abit, aut vaſa obturat: & hinc peripneumonia eſt morbus valde acutus, qui niſi intra paucos dies diſcutitur, funeſta ſphacelatione vel ſuffocatione perimit. Dignum videtur quod hic interſeratur exemplum Mindæ Weſtphalorum olim à nobis obſervatum, de viro, qui ſuperata pleuritide incidit in tuſſim, maciem, febrem, inquiem & ſpirandi anguſtiam, exactis autem ſic duobus menſibus, præter omnem expectationem, pus album & congelatum, ſed minime fœtens, ad aliquot libras, trium circiter hebdomadum ſpatio, rejecit, eodemque evacuato, pectoralis balſami & lactis uſu, perfecte ſanitati redditus eſt. Neque minus commemorabilis eſt caſus in diſſertatione *de rariſſimo ſucci nutritii ex thorace ſtillicidio*, expoſitus, ubi pleuritis tandem in empyema, ſiniſtrum totum pulmonis lobum, teſte ſectione, conſumens, degeneravit, eroſis ſimul & apertis ductus thoracici ramulis, quia ſuccus chyloſus, ſapore dulcis, aſpectu lacteus, odore ſpirituoſus, cujus ego locuples *αὐτόπτης* teſtis ſum, per multos annos ad aliquot uncias quotidie, ex thoracis apertura, quæ ad empyematis excluſionem acu facta fuerat, ſtillavit.

& extemplis conſirmatur.

§. XV.

Cauſa ſæpe venæ ſectio

Quod vero tam ſiniſtre pleuritidis curatio nonnunquam ſuccedat, in culpa ſæpiſſime eſt imprudens & præpoſtera medentium methodus, qui in ſanguine detrahendo vel nimis parci ſunt, vel interdum nimis liberales & effuſi. Utrumque malum. Recte enim *Verzaſcha obſ.* 8. confirmat, ex neglecta venæ ſectione empyema facillime ſubſequi, præſertim in ſpongioſi habitus corporibus. In cujus confirmationem *Heurnius comment. ſuper aphor. VIII. Sect. V.* ſequentem affert hiſtoriam: *vidi*, ait, *juvenem triginta annorum ſucci ſanguiniſque plenum, qui, cum ruri eſſet, humi dormivit ac in pleuritidem incidit. Tarde huic à Medico parumque ſanguinis detractum fuit, dolor perſeverabat, decimo quarto in empyema verſum fuit malum, dein expuratum, tandem cum fœda multa expectoraſſet ac extabiſſet, obiit.* Idem tamen evenit & empyema gignitur, quando viciſſim nimium ſanguinis, per iteratas miſſiones evocatur, eo quod his repetitis puris rejectio ſupprimitur. Hinc perite *Ballonius lib. I. epid. pag.* 226. prodidit: *revera graviter ab iis peccatur, qui in pleuritide naturam multo detracto ſanguine exinaniunt.* Et hæc quoque dubio procul cauſſa fuit, quare in juvene viginti annorum, in quo decies phlebotomia celebrata, pleuritis in empyema conceſſit, teſte *Riverio Cent. I. obſ.* 79.

vel nimis parca.

vel largior.

§. XVI.

Ex humorum decubitu ad pectus tuſſis, dyſpnœa & puris ſcreatus.

Porro ingens humorum decubitus ad pectus, in iis præſertim, qui pituita abundant & mali habitus ſunt, diuturnam humidam tuſſim cum ſpirandi anguſtia ſuſcitat, qua demum ita læditur pulmonum ſubſtantia, ut copioſiſſima materiæ purulentæ & chyloſæ contingat rejectio. Tono namque vaſculorum & membranarum pulmonalium deſtructo, humores ibi cum ſanguine congeſti hærent, & acriores redditi, diſtendendo & erodendo ingentes cavitates efformant, ad quas perpetuus ſuccorum eſt affluxus, ſtagnatio & extravaſatio. Quam vero difficile ſit hunc humorum motum à pectore ad alia loca divertere pulmonumque deperditum tonum reſtituere, ii norunt, qui in artis operibus cum ſolertia verſantur. Non vero ſolum medici imprudenti medela, ſed etiam ipſi ægrotantes, perverſo victus regimine, ſæpenumero multum conferunt, ut humida diuturna tuſſis, tandem in phthiſin, vel etiam aſthma & hydropem, con-

cedat. Peſſimus enim Practicorum mos eſt, ut in tuſſi, cujuſcunque generis vel originis fuerit, dulcia, incraſſantia, emollientia liberali manu propinent, quibus tam pulmonum, quam ventriculi & inteſtinorum robur amiſſum plus adhuc dejicitur, cui potius convenienti ſtomachica & balſamica medicina erigendo, & ſuperfluis humoribus evacuandis, in curatione unice intenti eſſe deberent.

§. XVII.

Ex aſthmate tumores ac hydrops.

Ex ſpirandi anguſtia atque difficultate, quæ orthopnœæ, vel aſthmatis nomine inſignitur, tumores œdematoſos & hydropes, tam thoracis, quam abdominis, progigni, in praxi ſæpe ſæpius animadvertitur. Et quo magis aſthma urget, ut eſt ſpaſmodicum & convulſivum, eo facilius funeſtum thoracis hydropem, vel etiam ipſum aſcitem producit: ſicut contra lentum & diuturnum aſthma, paulatim cachexiam & œdemata pedum conciliat. Qua vero ratione horum affectuum generatio procedat, explicatu non adeo arduum eſt, quandoquidem vel ob meatuum non infrequenter à polypo obſtructionem, ſanguis ex uno cordis ventriculo ad alterum ægerrime per pulmones traducitur, ſed ad cavitatem dextram & hinc ad univerſum venarum genus, propter obicem poſitum, regurgitat. Et quia tardiſſimus inde fit ſanguinis ex venis in arterias tranſgreſſus, hinc ſeroſi humores quam facile in venis repletis ſecedunt inque poroſam maxime inferiorum partium ſubſtantiam ingrediuntur. Longe vero celerior hæc ſeri à ſanguine ſeceſſio tam in pericardium, per auriculæ dextræ poros, quam in thoracis cavum, per aperta vaſa lymphatica peragitur, ubi vel polypo vaſa pulmonalia infarcta ſunt, vel convulſivum, longiori temporis ſpatio affligens, aſthma, liberum ſanguinis iter per pulmones intercipit; quippe tunc ſeri per meatus patulos in cavitates expreſſio urgetur ac promovetur.

§. XVIII.

Malum hypochondriacum

Nunc à media corporis regione ad infimam deſcendendum eſt, ubi eos morbos, qui ex viſceribus abdominis à præcedenti morbo debilitatis, prodeunt, ſpectabimus. Ex iis vero, qui in ventriculo ac inteſtinis ſedem ſuam atque domicilium habent, vix ullus frequentior eſt, quam ſpaſtico-flatulentus, multis & variis pathematibus conſpicuus, quem noſtro ævo mali hypochondriaci, vel hyſterici, ſi fœminas affligat, nomine efferre ſolent. Nam quando univerſus, à faucibus uſque ad anum elongatus nerveo-membranaceus exquiſitiſſimæ ſenſationis canalis, à morbo præcedente læſus fuerit, adeo ut ejus tonus ac motus periſtalticus deſtructus, vel cruſta villoſa, quæ colatorii munere fungitur, obſtructa, aut glandulæ, quæ ſolventem & fermentalem ſuccum præbent, obſtipatæ fuerint, aut bilis quæ chymi correctorium & optima veluti medicina eſt, intemperata evaſerit: nihil aliud efficitur, quam ut abolita digeſtione & fecum debita expulſione, multi humores crudi, viſcidi, corroſivi ibi conſiſtentes, nervoſas partes exagitando, ſpaſmos, convulſiones & flatus proferant. Quæ cuncta ob conſenſum generis nervoſi, anxietates, dolores, inquietudines maximasque moleſtias in capite, thorace, hypochondriis & abdomine creant. Jam vero diligenti & attenta obſervatione practica conſtat, hypochondriacum hunc morbum non frequentius ingenerari, quam ab intermittentibus, præſertim tertianis, male curatis. Nam ſi ante correctionem vel evacuationem materiæ, quæ febrilis commotionis cauſa eſt, paroxyſmi variis artificiis conſtrictoriis nimis propere reprimuntur, ea in viſceribus & ductibus excretoriis remanet, & ex mora deterior facta, alias periculoſiores ſtricturas & meatuum obſtipationes, cum offenſione ventriculi & inteſtinorum, efficit: idque eo magis, ſi diætæ vitium aut intemperantia affectuum, quibus in paſſionibus ſpaſmodicis concitandis nihil potentius eſt, accedat. Intermittentes enim febres quum fomitem & mineram ſuam in ductibus biliariis, pancreaticis atque etiam ventriculi ac inteſtinorum valvulis, plicis atque flexuris habeant, in exquiſite ſentiente hoc canali ſuam potentiam, quæ vix ullis aliis quam ſpaſticis tenſionibus abſolvitur, exſerunt.

ab intermittentibus male curatis.

§. XIX.

Ex alvi fluxibus tabes &c.

Simili ratione diarrhœæ & dyſenteriæ neglectæ, vel perperam tractatæ, immedicabilem ſæpe in inteſtinis eroſionem ac læſionem relinquunt. Nam quid frequentius eſt, quam quod ab intempeſtivo adſtringentium in hiſce morbis uſu, vel vita periclitetur, vel diuturna fere inſanabilis tabeſcentia, lenta febris, cachexia, vel ſpaſticus hypochondriacus remaneat morbus, qui mala diæta & inordinatis animi affectibus multo pertinacior fit & ingraveſcit. Laborabat ante annum honeſtiſſima fœmina poſt male curatam dyſenteriam acerbe & graviter variis ſymptomatibus, inappetentia, macie, phlogoſi, atroci dorſi, lumborum & abdominis roſione, cum ingenti anxietate & alvi ſegnitie, quam nonnunquam copioſiſſima dejectio ſequebatur, hiſque malis ultra ſex menſes eadem cruciabatur, tandem, divina adſpirante gratia, antiſpaſmodicis, roborantibus & leniter evacuantibus, à me curata, perfecta ſanitate jam fruitur.

§. XX.

Ex quartana hydrops.

Deinceps ex intermittentibus diuturnior quartana plerumque infimi ventris viſcera, ut hepar, lienem & pancreas, adeo lædere ſolet, ut funeſtus hydrops ſubſequatur: ſiquidem hæ febres altius utplurimum fomitem ſuam in viſcerum tono deſtructo, eorumque à ſanguine craſſo infarctu, repoſitam habent, unde etiam magnam prudentiam, & ſufficiens quoque tempus ad ſanandum, deſiderant. Niſi enim obſtructio illa viſcerum expediatur & ſanguini ac humoribus per vaſa abdominis venoſa liber circulus reſtituatur, ſupervacanea, vel plane noxia, omnis febrilem impetum ſiſtens medicina eſt. Tum quoque nihil eſt inconſultius, quam poſthabita ſanguinis miſſione, vel viſcerum obſtructorum reſeratione, aut alvi ſubductione, ſpecificis ſic dictis, ex quorum numero ſunt cortex chinæ, fraxini, radix tormentillæ, plantaginis, alumen & vitriolacea, motus febriles reprimere. Hæc enim incraſſando & coagulando humores, infarctum & indurationem viſcerum adaugent, quo fit, ut ibi, intercepto ſanguinis curſu, ſerum in vaſa lymphatica magna copia ſecedat, unde in hydatides abeunt, quæ poſtea diſruptæ, ſerum in abdominis cavum funeſto effectu effundunt.

§. XXI.

Quod teſtimoniis confirmatur.

Optime hunc generationis hydropis modum, jam olim *Galenus in Cap. VII. aph. 55. & Lib. IV. aph.* 11. tradidit dum inquit: *ſi aliquando contingit, hydatides, ſive veſicas hepatis aqua plenas diſrumpi, effunditur aqua ad locum membra-*

nâ

bſanæ abdominis interioris, epigaſtrio reſpondentem, in quo etiam hydropicorum aqua congregatur. Idem graviſſimus auctor *Lib. III. in loc. affect. Cap. III.* de hydrope, quartanis male curatis ſuccedente, conqueritur, dum ait: *quartanæ male curatæ hydropem accedere crebro vidimus, præſertim ſi ægrotus in victu aberraverit & intempeſtivo frigido potu caloris levamen quæſiverit, quo humores incraſſantur, obſtructiones & ſcirrhus in hepate ac liene pariuntur, & tum præcipue, ſi dejecti in paroxyſmo particulari, caloris putridi exhalationem externo quæſito frigore cohibuerint: qui impulſus, utrumque hypochondriorum viſcus adurit & indurat.* Et *Joh. Langius* in *epiſt.* 48. *pag.* 175. *& epiſt.* 39. *pag.* 142. hunc in modum diſſerit: *niſi in febribus putridi humoris copiam ademeris, tum non modo tantam crudi humoris copiam calor naturalis concoquere non poterit, ſed præcipue in ſtatu & morbi declinatione reſoluta per calorem febrilem & ſudorem ſubtili humorum ſubſtantia, fœculentior pars* (*Germ.* der Fieber-Kuche) *derelicta, fungoſam ac raram hepatis ac lienis ſubſtantiam ita infarciet & obſtruet, ut tandem, utroque viſcere, vel altero ſcirrhis obſeſſo & indurato, hydrops aut crurum œdema febrem excipiat. Quod tum maxime accidet, ſi alterantibus frigidis, citra evacuationem lenitivam aut evacuativam, uſus fueris, quæ materiam plus ingroſſant, quam reſolvunt. Quare, ne in febribus interpolatis nimis diu frigido potu utaris, diligenter caveto.*

§. XXII.

Ex renum debilitate inflammatio, calculus, ulcera &c.

Præterea renes à præcedente morbo debilitati, tono eorum deſtructo, non modo facile inflammantur, exulcerantur, ſed & ad calculorum generationem proni ac diſpoſiti evadunt. Evenit id maxime in plethoricis, vel quibus redundans ſanguis per uterum aut ani venas non expurgatur, vel vacuari ceſſat, hinc ipſe, circa vaſa in lumbis ſtagnans, gravativum ibi dolorem æſtumque efficit, quem dolorem, ſi imprudenter medici calculo adſcribunt & calidiora, quæ urinam movent & calculos pellunt, propinant, gravia dicta renum vitia pleno ſcaturiunt alveo. Nam renalium glandularum & vaſculorum tono, ob nimiam diſtenſionem, deſtructo, tardius procedit urinalis laticis ſecretio & deſcenſio ad veſicam, ut in ſyphunculis urinariis ſtagnans, tartarum, qui calculi eſt materia, ſponte deponat. Deterior adhuc res eſt, ſi inflammatio, & ex hac apoſtema, aut ulcus, generetur. Quam optime autem hi renum morbi arcentur matura ſanguinis miſſione, quam etiam *Riverius Cent. II. Obſ.* 15. item *Grülingius in praxi Tr. de calculo pag.* 16. ad hunc ſcopum obtinendum magni faciunt. Et hæc quoque eſt ratio, quare hæmorrhoides ſupervenientes nephriticis, ſeu ſalutiferum remedium ſummopere *Hippocrates aph.* 11. *Lib. VI.* dilaudat. Hoc itaque naturæ conſilium in avertendis his morbis medici merito imitari debent, & vel hæmorrhoides ad fluxum perducere, vel pedum venas aperire.

§. XXIII.

Ex calculo renum vomitus.

At ſi calculus diutius & firmius principio uretheris impactus hæret, nec ex ſede hac dimovetur: nervoſas has partes perpetuo vellicando, ingentem in ventriculo nauſeam & ad vomitionem ſuſcitat irritationem, adeo, ut ſi quando nec natura, nec ulla arte peregrinus hic hoſpes cedere velit, perpetua ventriculi ſubverſio, cum anxietate, inappetentia, macie & tandem mors ſubſequantur; quale triſte exemplum noſtra ita pridem in præclaro hujus urbis medico conſpeximus. Nam magnum & arctius eſt renibus cum ventriculo conſortium, hinc *Langius in Epiſt.* 45. *pag.* 168. ſcribit: *plures calculo renali affectos, plusquam annuo ciborum faſtidio tabeſcere vidi, nec unquam eſuriiſſe: in quorum cura alii Medici ventriculi imbecillitatem, alii venarum meſenterii & hepatis vel ſplenis obſtructiones, incuſarunt.* Spaſmus quoque à calculo ſuſcitatus, uſque ad ventriculum, & ſæpe etiam ad duodenum, propagatus, moleſta conſtrictione hujus periſtalticum motum validiſſime invertit, unde patet etiam ratio, quare calculoſi facile fiant icterici. Neque prætercundum eſt, quod crebra ex calculo afflictio ita ventriculi atque inteſtinorum tonum ac robur imminuere ac labefactare poſſit, ut colica tormina & flatuum proventus calculi obnoxios levi data occaſione vel cauſſa graviter exerceant. Ex renali vero calculo, ſi quando in veſicam prolapſus, ob magnitudinem non foras ejicitur, continua tartari urinalis accretione, calculum veſicalem generari, extra dubitationem eſt. Igitur periti eſt medici, calculum qui ex renibus in veſicam deſcendit, quantum fieri poteſt comminuere, ejuſque excluſionem per urethram omni modo promovere, cui ſcopo obtinendo diuretica utique proficiunt.

icterus.

colica.

& veſicæ calculus.

§. XXIV.

Ex uteri vitio hæmorrhagiæ, abortus &c.

Ex utero quoque male antea affecto plures prodire novos morbos ac vitia, longa experientia ac uſu compertum perſpectumque eſt. Obſervamus id maxime poſt abortum vel partum, quem varia mala, quibus virgines non obnoxiæ ſunt, inſequi ſolent. Quid enim frequentius viſitur, quam poſt puerperium, vel abortum, enormia ſanguinis vel ſeri viſcidi albi fieri profluvia, & abortus, nulla etiam comparente cauſſa, de novo facile contingere, unde in mentem mihi redit aurea illa nunquam ſatis laudandi ſenis *Lib. V. aph.* 45. ſententia: *quæcunque, corpore bene conſtituto, bimeſtres atque etiam trimeſtres abortiunt, nulla incidente abortionis cauſa, his ſane cotyledones*, i. e. *venarum ac arteriarum orificia, plena mucoris ſunt, & non poſſunt expandere fœtum, ſed diſrumpuntur.* Cauſſa tam frequentis abortionis ſine ulla externa occaſione nulla alia eſt, quam intermiſſa ſanguinis detractio, vel alvi ductio neglecta. Hinc ante ingravidationem, vel etiam commodis menſibus, purgatio ex lenioribus, quæ veteres ob eximium uſum benedicta vocarunt, vel temperate aloëticis balſamicis pilulis, inſtituatur. *Matrona*, inquit *Heurnius in Comment. ad hunc aphoriſm. quædam ſæpius abortierat & pituitoſa natura erat, cum vero medicinarum* (*puta*) *laxantium uſum iniit, feliciter geſtationem perfecit.* Suadeo igitur cum *Platero in Obſ. Lib. I. pag.* 86. ut puerperæ poſt partum bene purgentur, ne graves fiant morbi. Neque tantum purgandum eſt, ſed etiam convenienti diæta vitæque regimine & aliis internis & externis roborantibus priſtinus utero tonus reparandus: quo ſalvo ac vigente, & menſium fluxus recte & ordine procedit, quo deſtructo, inordinati fiunt menſes, & inde univerſa corporis œconomia detrimentum patitur.

§. XXV.

Ex gonorrhœa male curata buboes &c.

Ad partes quod attinet genitales; & hæ facile vitium contrahunt ab antecedente morbo, quod ad nova mala ſuſcitanda idoneum eſt. Animadver-

timus id frequentius in gonorrhœa, cui, ſive malignæ, ſive benignæ, ſi nimis cito adſtringentibus cohibetur, multa ac varia mala ſuperveniunt. Ex intempeſtivo enim conſtringentium uſu, tam lacunæ glanduloſæ urethræ, quam glandulæ, quæ proſtatæ appellantur, & genuinam gonorrhœæ ſedem conſtituunt, facile indurantur, exeduntur atque exulcerantur, hinc continuo fœtida ſanies profluit & inſanabile laticis ex urethra fit profluvium. Et quia hæc ſubtilis acredinis materia conterminas partes, veſicæ nempe ſphincterem, non raro ſimul afficit, unde ſucceſſive ejus fit eroſio, quæ ægre conſolidata, perpetuam fere iſchuriam & dolorificam ſtranguriam cauſſatur.

§. XXVI.

Poſt dolores atroces. Neque poſtremo loco prætermittendum eſt, quod dolores, ſi atrociores fuerint & diu perſeveraverint, univerſum nervorum genus adeo debilitent & tono ſuo partes ſenſui & motui dicatas exuant, ut paralytici, vel alii nervorum affectus, etiam epilepſiæ, inde propullulent; cujus rei clariſſimum documentum edit gravis inteſtinorum dolor, qui colica communiter convulſiva vocatur, cui non raro pareſis ſuccedit, quemadmodum id per experientiam uberius conſtat & multi auctores obſervationibus idem confirmant. Inprimis egregius hanc in rem exſtat locus in *Paulo Ægineta lib. III. pag.* 251. *Colica*, ait, *affectio peſtiferæ cujuſdam luis modo eſt graſſata, ex qua plerique in morbum comitialem, alii in artuum reſolutionem, ſenſu incolumi, nonnulli in utrumque ſunt prolapſi, ac eorum qui in comitialem morbum inciderunt, plures interiere, ex iis vero, qui in reſolutionem, plures evaſerunt.* Sequitur autem gravem coli dolorem reſolutio paralytica, quia ordinario poſt nimiam partium ſpaſticam conſtrictionem, poſtea atonia & debilitas excipere ſolet, ad quam promovendam multum valent opiata, quæ ad infringendos dolores, larga & repetita ſæpius doſi, Practici propinare conſueſcunt, quum periti medici horum uſum ſerio & ſedulo diſſuadeant, & præſertim *Baglivus in praxi med. Lib. I. §. 1. de colica* appoſite ita ſcribat: *nihil familiarius colicæ ſupervenit, quam paralyſis, cave igitur ne opiata copioſius in ea exhibeas, ſolet enim poſt opiata magnus ſudor ſupervenire & exinde paralyſis.* Hanc ob cauſſam quoque *Raygerus Obſ.* 50. in crudeli inteſtinorum dolore pilulas Wildeganſii rejicit, quia facile in ſomno ſudor & pareſis ſuccedit. *epilepſiæ.* Epilepſiæ fiunt, quando ob vehementem inteſtinorum ſpaſmum & vaſorum conſtrictionem, ſanguis urgetur ad caput, & ſpaſmus quoque ad meninges penetrat, hinc *Thonerus Cent. II. Obſ.* 3. idemtidem poſt colicam notavit epilepſiam, & quod omnia duplicata conſpecta fuerint, humore cryſtallino quaſi è ſede ſua dimoto. *icterus.* Colicis vero & calculoſis, vel etiam tertianis, quod facile icteri ſuperveniant, ratio eſt, quia ſpaſmus in his morbis ad duodenum & vaſa biliaria pertingens, ea valide conſtringit, ut bilis liber ad inteſtina deſcenſus amplius fieri nequeat, ſed ipſa per vaſa lymphatica reſorpta & ſanguini inſinuata, fœdum colorem inducat.

§. XXVII.

De morbis ex priorum reliquiis teſtimonia. Vidimus hactenus morborum aliis ſupervenientium primordia atque origines, quæ potiſſimum deſtructo partium quibus inſedit morbus tono, debentur. Jam propoſitum eſt breviter ſtrictimque ea conſiderare vitia, quæ ex morborum reliquiis proveniunt. Primum vero placet hanc in rem divinum noſtrum ſenem audire, qui *aphor. 32. Sect. IV.* hunc in modum ſcribit: *quibus à morbo reſtitutis quippiam eſt infirmum, ibi abſceſſus fiunt.* Quem aphoriſmum *Heurnius* optime ſic explicat: *quando poſt morbum infirmitatis aliquid ſupereſt, quæ ex laſſitudine & imperfecta criſi judicatur, ita, ut ſuperſint materiæ febrilis reliquiæ, aut, ſi liberalius ſe potu & cibo ingurgitent, quam immutata ventriculi actio, temperamentum & habitus perferre poſſunt: tunc in diſcrimen venit homo, quia partes internæ & externæ labefactatæ ſunt, hinc, ſi non accurata diæta acceſſerit, hepatis & lienis ſcirrhi, vel cephaleæ, vel foras in artus, ſi ibi imbecillitas, abſceſſus effunduntur. Quare, ne quid coacervetur, dentur pilulæ alœphanginæ, maſtichinæ, vel Ruſi, vel tale quid.* Spectat huc quoque *Aph. XII. Sect. II. morborum reliquiæ, quæ à criſi ſuperſunt, reciduos morbos parere conſueverunt.* Fit hoc maxime, quando ob fractam naturæ virtutem, ſicut rurſus bene id explicat *Heurnius*, materia morbifica non tota fuerit excluſa, neque in declinatione alvus purgante ſollicitata. *Notæ vero* inquit, *reliquiarum morbi ſunt oris ſiccitas, inappetentia, agrypnia, languor.* Quare recte concludit idem auctor: *plerumque jubemus, ne fiant recidivæ, ut quinto vel ſexto die, cum jam convaleſcunt, aſſumant tres vel quatuor pillulas de hiera cum agarico, vel maſtichinas, vel ſyrupum laxativum, aut pillulas Ruſi, vel aliquid rhabarbari, aut paſſularum purgantium.*

§. XXVIII.

Quæ propterea ſubmovenda. Profecto cedro digna ſunt hæc ſaluberrima monita, quæ inculcant, ut quieſcente nunc morbo, omne, quod adhuc noxium & morbificum eſt, ſive in ventriculo, ſive in venis ſubſtiterit, excludatur, & corpus ab omni perniciali & excrementitio ſucco liberetur, eo, quod hic facile pabulum ac fomentum recidivæ ſubminiſtrare, vel novum morbum inducere poteſt. At vero in hoc & graviter & communiter medici peccant, quod in fine morbi, ægris convaleſcentibus ac morboſo ſpaſmo remittente, noxias reliquias, neque evacuantibus neque ſudoriferis, educant, neque robori naturæ atque ventriculi per congruam diætam & proba ſtomachica debite ſuccurrant. Nam, quo languidius medentis auxilium eſt in impetu & ſtatu morbi, eo certius & efficacius in ejus principio atque in declinatione; & quidem ineunte morbo, ut natura adhuc valente obſtacula removeat & materiam quæ in vitio eſt exturbet. Verum quippe eſt *Hippocratis* effatum, *aph. XXIX. Sect. II.* ita differentis: *quum morbi inchoant, ſi quid videtur movendum, move; quum vero conſiſtunt ac vigent, melius eſt quietem habere.* Sub declinatione vero ejus opera neceſſaria eſt, quo corpus debilitatum rurſus confirmet, vires fractas erigat, quod reſtat adhuc noxium expellat, & hac ratione novi morbi, plerumque deterioris, generationem impediat.

§. XXIX.

De damnis ex variolarum & morbillorum reliquiis. Si vero ullo in morbo, certe in variolis & morbillis, reliquiæ morborum ut expellantur neceſſarium eſt, quod ſi non perficitur, graviſſima ſymptomata & morbi ſuccreſcunt. Inprimis etiam per experientiam conſtat, lympham peccantem acriorem, in variolis & morbillis, nervis pneumonicis maxime eſſe moleſtam, teſte tuſſi, quæ

quæ indivulſus utrorumque plerumque eſt comes, & morbillos ſigillatim ſubinde catarrhum excipere ſuffocativum. Relinquitur enim in hoc viſcere, fracto morbi impetu, magna atonia, ob quam coacervati viſcidi humores ibi hærent, & ſuffocationem, niſi cita ope ſuccurramus, inferunt. Porro quemadmodum in his morbis lympha univerſi corporis, veluti fermento quodam maligno, inquinata, corrupta, vappeſcens & corroſiva redditur: ita multo magis id accidit, ſi diſſipata per antecedentem æſtum ſulphurea & balſamica ſanguinis portione, fermenti virulenti portio reſtitat, quæ tam acrem ac corroſivum reddere poteſt lymphaticum laticem, ut non modo in externis, etiam oſſeis partibus, ſed & in viſceribus, præſertim pulmonibus, ingentes eroſiones, exulcerationes vel etiam apoſtemata fiant. Recte hinc ac perite *Derebecque obſ.* 104. perhibet: *quotquot variolis ſiccatis non purgati fuerunt infantes, in graves morbos inciderunt, hydropem, tabem, ſcabiem, phthiſin, cœcitatem, oſſium cariem & alios innumeros.*

§. XXX.

Teſtimonia.

Uberius certe hanc ex variolarum maxime reliquiis noxam teſtantur medicorum obſervationes, quarum ut nonnullas adducamus haud abs re erit. Sic *Hildanus Cent. VI. obſ.* 82. poſt variolas non exacte curatas corneæ eroſionem, tubercula & apoſtemata circa juncturas vidit. Catarrhos ſuffocativos & aphoniam notavit *Albrecht in Miſc. Nat. Curioſ. Dec. III. A. III. Obſ.* 126. memorans: quoſdam poſt variolas, indolentibus tumoribus, qui poſtea in abſceſſus fiſtuloſos ipſi oſſium compagi haud parcentes, mutati ſunt, in tibiis & brachiis affectos eſſe, & ſcite addit: *hoc fateri cogor, vix iis, qui reliquias morbi purgantibus, præſertim mercurialibus, ſedulo everrebant, vel earum virus aliis idoneis præſidiis deſtruebant, tale quid obtigiſſe.* Pariter quanta corroſio lymphæ, poſt variolarum morbum non bene curatum, ſit, variæ obſervationes docent, de quibus M. N. C. *Dec. III. A. IV. Obſ.* 1. conſulantur. *Vidi*, ſcribit *Franckius, qui per variolas in tuſſim ferinam in tabem, hecticam & phthiſin inciderunt, vidi qui in ophthalmias, cœcitatem, varia ulcera, ſcabiem malignam & abſceſſus inciderunt. In filio Bregenſi, poſt variolas, pædarthrecace in manibus, pedibus & ſpina dorſi ac tandem mors.* Et horrenda ulcera poſt variolas emergentia *Tulpius Cap.* 52. & 54. quam optime deſcribit. Ulcera mala, pus acerrimum fundentia, notata quoque ſunt à *Collectoribus Actorum Uratislav. anno MDCC. p.* 6. Phthiſica quoque ulcera & apoſtemata, poſt variolas relicta, & nos in praxi annotavimus, & triſtiſſimo exemplo & caſu *Sereniſſimi Saxoniæ principis*, ante aliquot annos hic placide defuncti, id confirmatum habemus: ubi in thorace aperto integer pulmonis lobus, vaſorum ramificationibus relictis, penitus corruptus & conſumtus, fœtidiſſimo & copioſiſſimo pure in thoracis cavitatem effuſo, viſus fuit. Quin in virgine nobili, quæ, ſine evacuatione, poſt variolas nimis cito corpus frigido aëri expoſuerat, omnium partium contracturam, eamque inſanabilem, conſpeximus.

§. XXXI.

Ex neglecta puerperarum purgatione purpura.

Deinceps, vix unquam tam utiles ac neceſſariæ primarum ſic dictarum viarum evacuationes ſunt, quam in puerperis. Nam non modo tempore gravidationis, ſed & ipſo in puerperio, magna colluvies impurorum humorum colligitur, quos niſi cito & clementer ſubtrahas, compluta mala, non ſine periculo inde naſcuntur. Peſſima itaque & deteſtabilis noſtris temporibus opinio invaluit, puerperas, præſertim primis ſeptimanis, plane non eſſe purgandas, ſed ab omni evacuatione abſtinendum. Verum magna damna hinc ſubinde experiuntur, nam exanthema illud, quod purpura vocatur, & in noſtris regionibus puerperis familiariſſimum eſt, vix ulli alii cauſſæ, quam neglectæ primarum viarum repurgationi & lochiorum defectui, adſcribi debet. Nam impuri ex venis affluentes ad inteſtina humores bilioſi & ſalivales diuturna mora putreſcunt, qui, rurſus delati ad ſanguinis maſſam, exanthemtaa purpuracea hæc, vel quandoque eryſipelacea, efficiunt. Ad quæ præcavenda nihil conſultius eſt, quam altero vel tertio à puerperio die, poſteaquam omnia rurſus ſedata ſunt, balſamicas pilulas ſingulis tribus diebus exhibere, qua methodo non modo lochiorum fluxus promovetur, ſed & à purpura aliiſque gravioribus damnis puerperas immunes perſiſtere, indubitata & creberrima experientia confirmati ſumus.

§. XXXII.

Nec non ex omiſſa in acutis purgatione.

Ejuſdem exanthematis purpuracei malum, in noſtris oris, compluribus acutis morbis, ut variolis & morbillis, febribus continuis, etiam malignis, in declinatione, non ſine ſummo vitæ diſcrimine, ſæpius ſupervenire ſolet. Rationem vero nullam aliam invenio, quam quod peſſima opinio apud nonnullos medicos uſque eo regnavit, alvi ſubductionem dictis in morbis periculi eſſe pleniſſimam: unde per quinque vel ſex dies & ultra, ægrotantes ſine hac relinquunt, quod non poteſt non peſſime cedere. Nam perpetuus quum ſit ſuccorum in morbo è corpore ad inteſtina affluxus, non poteſt aliter fieri, quam ut, ſi non excludantur, mora & æſtu plane alienam & malignam naturam induant. Hinc aliorum morborum fomitem præbent, eoque magis, ubi ſudorifera calida adhibentur, quæ exagitatione putredinem humorum auctam intimius corporis penetralibus inſinuant. Quare ſaluberrimum conſilium eſt, alvum nunquam diu adſtrictam retinere, ſed enematibus vel blandis vacuantibus eam liberam ſervare. Recte enim *Riverius in praxi med. Lib. XVII. Cap. I. de variolis* præcipit: enemata, non ſolum in morbi principio, ſed etiam toto morbi decurſu, uſurpanda eſſe, ſi alvus ſponte non fluat, idque ſingulis vel alternis diebus; & hoc præclarum præceptum merito in omni febrium curatione locum invenit ac ſervandum eſt.

§. XXXIII.

De recidivis morborum.

Quemadmodum itaque ex reliquiis ſuperati morbi & debilitate ab eodem ſolidis inducta, novæ paſſim ſuccreſcunt morboſæ paſſiones: ita frequentius quoque accidit, ut morbus jamjam ſanatus recidivet ac denuo repetat, quando videlicet prior pariter non perfecte à natura judicatus vel curatus fuit, neque materia morbifica, medici aut ægrotantis culpa, penitus educta, vel nova mox ingenita. Nam quicunque morbus ſubito ſine ratione & bonis ſignis diſceſſit, is plerumque revertitur; ita tamen, ut quo citius redeat, vel quo vires debiliores ſint, eo plus periculi alat, eo quod natura à primo morbo fatigata, ſecundum vix ſuſtinere poteſt. Hæc autem morbi reverſuri ſunt indicia, ſi convaleſcens manet imbecillis, nec cibum appetit, nec rite concoquit, ſed multa nauſea & ructu nidoroſo vel

acido afficitur, ſi ſpiritus male olet, præcordia inflata ſunt & facies livida, ſi interior cum ſiti percipitur æſtus, quippe quæ depravatam ventriculi coctionem arguunt, qua præſente morbus adhuc vel intus deliteſcit, vel nova ad eundem reſuſcitandum colligitur minera. Interim tamen minori diſcrimine ſtipatur recidiva, quæ ex mala victus ratione poſt morbum, quam quæ ex relicto vitio excluditur.

§. XXXIV.

Febrium intermittentium.

Inprimis autem facillime febres intermittentes redeunt, tum maxime, quando febriles motus, antequam materia quæ in vitio eſt, penitus correcta & educta, nimis cito adſtringentibus ſupprimuntur; quandoquidem hoc facto, ex facili in diſpoſito adhuc ad ſpaſticas commotiones nervorum ac fibrarum genere, denuo ſtricturæ & motus priſtini recrudeſcunt. Nihil vero ad inducendam febris recidivam tam promtum paratumque eſſe obſervatur, quam, ſi ſuperata illa, quis ventis borealibus corpus objicit, aut in loca frigida humida, ſubterranea aut templorum concamerationes concedit, quo illico horror, dolor dorſi, languor, ipſaque febris contrahitur. Forte quoque purgans quam facile, ſi reliquiæ febriles adhuc in penetralibus corporis latitant, febris reditum proritare poteſt; nullam aliam ob cauſſam, quam quod ſubtile illud acre virus redolens eorum principium ſpaſticas in genere nervoſo provocet conſtrictiones. Acutas etiam, præſertim inflammatorias febres, ſæpius magno cum vitæ diſcrimine redire, experientia conſtat, id quod facile accidit, ſi convaleſcentes nimis cito ante primarum viarum repurgationem juſculis nutrientibus, ex carnibus & ovis, nimis ſe replent, aut liberalius vinum ingurgitant, vel gravioribus animi affectibus indulgent.

& acutarum.

§. XXXV.

Capitis morborum.

Vix quoque ullus tam facile repetit morbus quam gravior capitis, ut apoplexia, paralyſis, epilepſia, hemicrania & inſania, eo quod hi morbi in parte affecta ingentem imbecillitatem & pravam diſpoſitionem relinquunt, quæ accedente animi affectu, immoderata refrigeratione, admiſſa ebrietate, vel gravi alio in diæta vitio, eundem ſubito ciet ac denuo concipit morbum.

colicæ &c.

Pariter obſervavi abſceſſus pulmonum, hydropem abdominis & pectoris, nec non colicam, eos, qui vix ab iiſdem liberati, vitæ victuſque ratione minus valetudinem curarunt, denuo corripuiſſe.

calculi & arthritidis.

Longe frequentius & crebrius renum calculus, podagra & arthritis reſultant, ob maximam, quam partibus quibus incumbunt quoſque dolorum atrocia delaſſant, inducunt laxitatem ac debilitatem, ita prorſus, ut qui ſemel iiſdem affectus fuit, ſæpius eorum inſultus experiatur, ac rarius, vel plane non, ab iiſdem penitus liberetur. Haud poſtrema itaque medici cura eo dirigenda, quo abacto morbo, ejuſdem recidivam avertat, eumque in finem cum valetudine in gratiam redeuntibus exactas leges ac regulas diæteticas præſcribat, has ut obſervent ſerio inculcet, & congruis laxantibus ac roborantibus, aut etiam decenti ſanguinis miſſione, imminens periculum prudenter arceat atque præſcindat.

CAPUT XI.

De commutata morborum, ſeu potius cauſarum morbificarum ſede, ſive metaſtaſi.

§. I.

Variæ denominationes.

VOcabulum abſceſſus apud HIPPOCRATEM & priſcos valde uſitatum eſt, & humorem vitioſum ex una parte in alium decumbentem denotat. Huc ſpectat locus modo citati Senis, *libr. de hum. §. 3. quibus ex morbis ſe erigentibus ſtatim in manibus aut pedibus dolores fiunt, in his abſceſſus contingunt.* Sunt autem potiſſimum apud graviſſimum Auctorem duo abſceſſuum genera; unum fit per excretionem, ſub quo omnes criticæ evacuationes continentur; aliud fit per repoſitionem, ubi materia ab una parte in aliam decumbit; atque hoc poſterius genus proprie & κατ' ἐξοχὴν dicitur abſceſſus, Græce metaſtaſis vel palindrome; ſub hac tamen differentia, ut, quando materia vitioſa à partibus exterioribus introvertitur, ſicuti in morbis exanthematicis, variolis, morbillis haud raro contingit, hæc translatio palindromes nomen obtineat; quandocunque vero ſive ex ſuperioribus ad inferiores & vice verſa, ſive ab interioribus ad exteriores partes & rurſus ab his ad internas, cujuſcunque morboſi indolis humor movetur, metaſtaſeos notio familiarior eſt.

§. II.

Quid metaſtaſis perfecta?

Sed per metaſtaſin volumus perfectam & plenam intellectam, quæ eſt, quando materia vitiata & morbifera è ſede ſua appropriata ad aliam transfertur, & partem ſuam quam ſemel occupavit conſuetam deſerit, funeſtoque plerumque eventu ad nobiliores & internas partes tranſponitur. Dari tamen etiam ſalutiferam metaſtaſin, quæ tum conſpicitur, quando materia morbi, à partibus nobilioribus ad ignobiliores, ab interioribus ad exteriores partes propellitur, rectiſſime animadvertimus. Ita, juxta HIPPOCRATEM *l. VI. aph.* 17. inflammatione oculorum laborantem alvi profluvio corripi bonum & ſalutare eſt, quod materia quæ ad oculos ferebatur jam ad alvum deſcendit. Pertinet huc quoque CELSI, *L. VI. c.* 7. obſervatio, quæ hæc eſt: *nonnulli qui mytriaſi oculorum laborarant, ubi pupilla dilatatur acieſque hebeſcit ac pene caligat, & aliquando nihil viderunt, repentina alvi profuſione lumen receperunt.* Similiter valde ſalutiferum eſt, quando juxta aphoriſmum XVI. HIPPOCRATIS *L. VI.* in hydropicis aqua per ventrem purgatur; quod utique intelligendum eſt, viſcera, ſi nondum ſunt vitiata ſed integra, & virium adhuc robur ſuppetit. Salutaris quoque dicenda eſt metaſtaſis, quando gravem capitis dolorem ichoroſæ vel purulentæ materiæ profuſio è naribus ſequitur, vel quando in phrenitide narium fit hæmorrhagia, dum ſanguis meningibus impactus & congeſtus per narium venas exitum invenit; vel ubi gravi affectu ſoporoſo oppreſſis ſanguis per ſedis venas confertim erumpit, quod non ita pridem ego in generoſa perſona ſalutariter eveniſſe obſervavi. Pertinet huc quoque *aph.* 28. *Sect. IV.* HIPPOCRATIS: *ſurditas bilioſis egeſtionibus contingentibus ceſſat.* Neque minus attentionem meretur quod BAGLIVUS *in praxi L. I. cap. de phrenit.* ſcribit: *quando in delirio ſuper-*

Salutaris

venit

venit alvi fluxio, morbo ad coctionem tendente; ſolvit illud. Sæpius vidimus ægros debiles inquietos anxiosque, diarrhœa ſuperveniente, ſequenti die ſe melius habuiſſe: & docet experientia alvum ſtrictam capitis ægritudines exacerbare, lubricam vero eaſdem alleviare.

§. III.

Minus ſalutaris.

Longe vero deterioris & minus ſalutaris genii ſunt illæ metaſtaſes ſive tranſlationes morbificæ cauſæ, quæ naturæ, ſive clarius, motibus ordinatis vitalibus admodum infenſæ, à partibus exterioribus ad nobilioris functionis internas contingunt & plus periculi habent multumque difficultatis in medendo pariunt. Nullam vero in univerſo corpore animadvertimus partem, quæ metaſtaſibus pernitioſis magis pateat & obnoxia ſit quam ſumma cutis, quæ univerſale quaſi & publicum materiæ ex ſanguinis & humorum maſſa ſuperfluæ & effœtæ excernendæ emunctorium eſt. In hac uti promta & facilis fit noxii humoris ſecretio atque abſceſſio, ita etiam nihil facilius & familiarius contingit, quam, ut ob texturam ejus tendineo-nervoſam inſigni elatere ſive virtute expanſiva & conſtringente donatam, materia vitioſa ibi ſubſiſtens introrſum valide reprimatur & retropellatur, quod nunquam non cum pernitie & periculo fit. Nihil certe in artis opere occurrit frequentius, quam quod fœdus & ulceroſus capitis morbus, qui tinea vocari ſolet, in infantibus intempeſtive exſiccantibus reperculſus, varii generis & potiſſimum exitiales in partibus quas infeſtat ægritudines concitet. Nam & epilepſiam & oculorum inflammationem, quam in ſuppurationem & plenariam cœcitatem abiiſſe vidimus, & ſordida narium vel aurium ulcera, in quibuſdam etiam, quando maligna ad ima uſque thoracis deſcendit materia, aſthmata convulſiva inde fuiſſe producta, non ſemel ſed ſæpius obſervavimus. Sordidus ille plicæ Polonicæ morbus quibuſdam locis endemius, ſi improvide hæc abſcinditur & frigidus aër ad interiora repellit glutinoſam impuram lympham, dici vix poteſt, quam ſæva poſt ſe relinquat mala, ſiquidem immanes cephalalgias, epilepſiam, cœcitatem, inſaniam quoque furibundam inde obortas fuiſſe, fide dignis Auctorum conſtat teſtimoniis. Gutta ſic dicta roſacea, quæ moleſto pruritu, ardore & ulceratione faciem deformat atque deformat, coſmeticis præſertim quæ mercuriale quippiam ingreditur ſublata, vel ophthalmiam vel palpebrarum aut labiorum oris tumorem valde moleſtum, vel altius ſi in pectus ſe inſinuat materia, raucedinem cum difficili ſpiratione concitat frequentiſſime.

Damna ex tinea capitis retropulſa.

ex gutta roſacea.

§. IV.

Ex eryſipelate capitis.

Quam periculoſa mala capitis eryſipelas incaute tractatum, retrocedente ad interiora pravo humore, proferat, experientia in dies fere edocemur. Phrenitidem enim, anginam, linguæ paralyſin, lethalem hemiplegiam, catalepſinque inſecutam fuiſſe, Scriptorum probatiſſimæ fidei obſervationibus paſſim conſignatis, luculenter ſatis confirmamur. Et quid porro frequentius evenit, quam quod à colli & pone aures locatis glandulis tumefactis induratis, inſanabiles fere oculorum morbi, lippitudines, cataractæ ſpuriæ & veræ, cutis quoque capitis excoriationes, tranſmiſſo illuc ſalſo acri latice, dum per obturatos tubulos ipſi liber tranſitus denegatur, oriantur. Pejoris vero genii ſolent eſſe illæ affectiones quæ inveteratos valdeque duros parotidum tumores inſequi ſolent; vidimus aliquoties, ab applicatis variis externis, gravia & vix ſanabilia pulmonum vitia, aſthma, phthiſin, tabem & hecticam producta fuiſſe, dum noxius valde & cauſticus à diuturna incarceratione humor, è ſede ſua expulſus per poros & interſtitia uſque ad pulmonem penetraverat, cujus membranis & veſiculis firmius inhæreſcens acrimonia ſua hoſtili tantorum malorum cauſam dedit. Vidimus inſuper funeſta oris & linguæ ulcera à parotidibus perverſe tractatis & induratis ſuborta. Idem obſervatum legimus de glandularum ſubaxillarium tumore, ſi minus perite à chirurgis, quando videlicet, vel ſuppurationem ſupprimunt, vel nimium humorum affluxum celeriter comprimunt & reſtringunt, tractatus fuerit: nam & præcordiorum anguſtiæ & pectoris oppreſſiones & ferinæ tuſſes cum lento calore, inde generantur.

Parotidibus.

§. V.

Sed à cutaneo ſuperiorum partium involucro pervenimus jam ad extimam & ſummam quæ inferiores partes tegit cutem, identidem, ob fibroſo-nerveam qua gaudet texturam valde mobilem, ſive, ut nonnulli loqui amant, ſenſibilem; qua de cauſa, dum varias & ſubitas imo ſæpe contrarias relaxationes & conſtrictiones ſuſcipit, metaſtaſibus humorum & tranſmutationibus morborum admodum patet atque obnoxia eſt. Crebriori enim & quotidiana fere practica obſervatione diſcimus, in cute ſubſiſtentes maculas, puſtulas, aliaque exanthemata, ſæpius ex levi externa cauſa, ubi eorum materia retrocedens ad interiora, nobiliores motrices maxime partes infeſtat, multas & truculentas paſſiones ſuſcitare. Variolas aliquot jam dies in cute apparentes, ceteris rebus omnibus bene conſtitutis, à terrore ſolo, ab improvide admiſſo frigore, vel corpore diutius in ſitu erecto detento, ſubito diſparuiſſe & intra aliquot horas lethales convulſiones ſecutas fuiſſe, nos & adſtantes cum ſtupore animadvertimus. Variolis, qui ſe frigido expoſuerunt aëri, ſubito extinctos, inemorat FORESTUS *lib. VI. obſ.* 46. Nam leves ſæpe ſunt cauſæ, quæ, ut materia varioloſa intro cum magno vitæ periculo recipiatur, efficiunt, & hinc fit, ut nullus fere morbus, majorem diligentiam & circumſpectionem, ne corpori admittatur quippiam noxii, deſideret. De noxia variolarum, in puero quatuor annorum repulſione legi meretur *obſ.* 42. *Dec. III. an. III. M. N. C.* ubi poſt improvidam, ad avertenda variolarum veſtigia, inunctionem cum lardo, accedente ſimul aëre frigido, non modo febris ardens per quatuor ſeptimanas ſecuta, verum etiam pedum ac membri virilis tumor ortus fuit. DIEMERBROCCIUS *libr. de variol. & morbil. Hiſt. IV. p.* 293. perhibet, à dato purgante variolas jam apparentes protinus delituiſſe, & aucta cordis anxietate, gravique diarrhœa cum ſumma virium proſtratione ſuperveniente, puerum ſequenti nocte diem ſupremum obiiſſe.

Variolis.

§. VI.

Neque minoris periculi res eſt morbillorum retroceſſio, à quacunque etiam cauſa contingat; id enim plane peculiare hæcce ſchematis ſpecies habet, ut vitioſa materia præ omnibus aliis pectus petat atque infeſtet, unde valida ſicca & convulſiva tuſſis ſtatim in principio morbi adoritur, & qui hoc morbo ob receſſionem malignæ materiæ intereunt, aſthmate vel catarrho ſuffocativo opprimi ſolent. Commemoranda huc merito venit obſervatio,

Morbillis.

obſervatio, cujus B. HAGENDORNIUS *Cent. I. hiſt.* 77. mentionem facit, morbillos nimirum in pago quodam epidemice graſſatos, infantes ætate minores ambulare adhuc neſcios maximam partem invaſiſſe, ſed quum ex illis, maculis nondum evaneſcentibus, inclementiæ aëris ſua expoſuerint corpora, capite ac pedibus nudatis incedentes, ut ſolet plebs ruſtica, complures febre ardente tuſſi & aſthmate convulſivo tentatos occubuiſſe, reliquos vero evaſiſſe. Novimus ſane exempla, ubi à virulentæ materiæ diſceſſione ad interiora, in adultioribus à mutatione lecti paulo frigidioris, lethalis ventriculi inflammatio cum lipothymia fuit inſecuta.

§. VII.

Ex prohibita poſt morbum tranſpiratione.

Non poſſumus autem hoc loco, quin utiliſſimam obſervationem ampliſſimi ſane in praxi uſus inſinuemus atque ſedulo inculcemus, quod videlicet non tantum ex morbillorum & variolarum diſceſſione in corpus, ſed etiamnum puſtulis & maculis evaneſcentibus, à prohibita per cutim tranſpiratione materiæ vitioſæ, ſummum ſit periculum metuendum. Vidimus ſæpenumero, ubi declinante vel finito jam morbo, cibis affatim aſſumtis, nimis cito auræ frigidiori expoſuerunt corpora, plura & periculoſa inſecuta ſymptomata, & dum peccantis materiæ variolarum ea indoles ac natura eſt, ut oculis quam maxime eorumque membranis ſit infeſta, non modo maculas, pelliculas, veſiculas, ipſis oculorum tunicis inhæſiſſe, ſed & graves ac diuturnas epiphoras & lippitudines, quas interdum cœcitas ſecuta, obortas fuiſſe: in quam rem obſervationes ex *M. N. C. Dec. III. an. VII. obſ.* 97. *ex* HILDANO *Cent. VI. obſ.* 82. *it. Cent. III. obſ.* 99. *& ex* HAGENDORNIO *hiſtor.* 71. *&* 72. legi & conferri merentur. Neque obſcurum aut abſconditum eſt, ſed res & experientia crebra docent, ab eadem, quam modo propoſuimus cauſa, variolarum morbum, preſſo ſæpius pede, peſſima & difficilioris ſanationis ulcera ſequi, quæ articulos, quæ oſſa invadunt cum ſummo dolore & carie, atque etiam, fruſtra optimis alias præſidiis adhibitis, ſuperveniente lento æſtu, univerſi corporis vires fataliter conſumunt. Atque idem monitum de morbillis memori mente tenendum eſſe cenſeo, quod videlicet ſtatim à morbo non nimis nutriendi ſint ægri, frigidius & aſperum cœlum, ne difflatio liberior corporis impediatur, vitandum; qua poſthabita obſervatione, dum materia impurior in corpore remanet, vel ex ſumma cute in corpus retroagitur, exulcerationes pulmonum, empyemata, aſthmata ſuffocativa, atrophiam cum tuſſi & lenta febre, artuum quoque contracturam inde ſubnaſci triſtiſſimis ſubinde exemplis omnino edocemur. Purpuram tam benignam chronicam, quam malignam & acutam noſtris temporibus, ob immoderatiorem calidorum potuum in ſcorbuticis maxime uſum, familiariſſimam eſſe ſatis cognitum compertumque eſt: quam periculoſa vero & vitæ inſidioſa ſit, quando materia exanthematica ex ſumma cute ad nervoſas & nobiles internas partes relegatur, ſæva quæ ſequuntur ſymptomata, ut lipothymiæ, cardialgicæ anxietates, inquietudines, pectoris oppreſſiones cum ægra ſpiratione, agrypniæ, lenti quoque & alternantes cum frigore & tremore partium æſtus, abunde ſatis planum atque teſtatum reddunt. Inter acutos exanthematicos atque extremi periculi morbos peſtilentiam eminere inter omnes notum eſt; quorum plerique qui ea affliguntur, ubi bubones vel carbunculi retrocedunt, vel ob imbecillitatem naturæ venenum non foras è corpore expellitur, miſere intereunt.

Purpura.

ex carbunculis in peſte.

§. VIII.

Quam grave & luctuoſum ſubinde, à ſcabie retrocedente vel malis artificiis retropulſa, corpori humano accedat damnum, res adeo in vulgus uſque eſt in praxi cognita. Pro differentia vero locorum, quæ corrupta materia interius occupat, alia atque alia majoris vel etiam minoris periculi prodire ſymptomata omnino animadvertimus, & obſervationibus Auctorum fide dignorum paſſim confirmatum legimus. Potiſſimum vero pectus & pulmonem petere infeſtam materiam obſervamus; unde diſpnœam, aſthma convulſivum & ſuffocativum, ex quo, ſi diuturnius malum eſt, tandem hydrops naſcitur, ſcabiem ſive ſiccam ſive ulceroſam improvide tractatam excipere compertiſſimum eſt: quando vero ventriculi vel inteſtinorum tunicas prava adoritur materia, vomitus, cardialgiæ, ventriculi inflammatio, diarrhœæ interdum etiam cruentæ proveniunt; febres quoque varii generis tam acutas quam continuas & lentas inde proficiſci non novum & inſolens eſt: quod noſtro quidem judicio exinde fieri arbitramur, quia vitioſa materia, ad arteriarum tunicas nervoſo-muſculoſas quando fertur, earum ordinatam ſyſtolen atque diaſtolen pervertit, turbat, atque nimium intendit.

Scabie.

§. IX.

Quod de ſcabie ejuſque materia à cute in corpus retroacta, & pernitioſis inde ſecutis effectibus jam diximus, id de aliis quoque & ſubinde fœdioribus cutis vitiis & exulcerationibus vel corruptionibus, cujus generis ſunt herpetis & lepræ ſpecies, intellectum volumus. Neque enim artem facientibus ignotum eſt, quam graves ægritudines ab ulceribus extremarum partium præſertim antiquioribus ſubito & citra præviam humorum correctionem conſolidatis ſubſequantur: qua de materia cum pleni ſint obſervationum medicarum libri, eam ob cauſam, perpauca ſaltim & notatu digniora huc allegare ſuffecerit. TIMÆUS *à Güldenklee in conſil.* meminit nobilis, qui, cum ab ulcere multis annis durante vetulæ conſilio liberaretur, in tam vehementes incidit capitis dolores, ut de vita deſperaret & materiam fœtidam mane rejiceret, eundem quem ex ulcere fœtorem percipiens. Ita quoque ſanato pedis ulcere ſanguinis ſputum ſucceſſiſſe à RHODIO *Cent.* 2. *obſ.* 37. notatum conſpicimus: ad quam rem dilucidius illuſtrandam pertinet hiſtoria illa quam B. WALDSCHMIDIUS *Eph. N. C. an.* 2. *Dec.* 1. *obſ.* 213. recenſet & nos hic inſerere non tædet. *Vir quadragenarius*, inquit, *diu domi detentus fuerat ulcere pedis dextri; mali pertæſus illud conſolidari curavit; quo facto ſtatim incidit in dyſenteriam lethalem, tanto cum egeſtorum fœtore, ut vix illum inviſere potuerim. Paulo ante obitum excernebat ſanguinem putridum coagulatum, parenchyma diſruptum repræſentantem. Vidi & in ſeptuagenario ex ulceribus pedis intempeſtive ſanatis epilepſiam.*

Herpete, lepra &c.

§. X.

Fonticulos velut ulcera arte medica, ad derivandum maxime noxium à parte affecta humorem, inducta, inconſulto, nulla habita ratione corporis, an firmum an debile, puris an impuris ſcateat ſuccis, ſanatos, vel priorem affectum ſub deteriore plerumque facie, vel longe alias adhuc gravio-

Fonticuli.

graviores passiones, ut contumacem dispnœam quæ celerrime hydropem ascitem progignit, subsequi omnino planum atque apertum est.

§. XI.

Arthritide. Nullus vero ex morborum classe est, qui tam expedite prompte ac facile stationem suam deserit atque ab exterioribus ad interiores corporis & plerumque principes partes, idque non sine periculo remeat, quam arthritis, sive dolor & spasmus articularis, quascunque etiam partes sive pedes, manus, genua, sive ischii & coxendicis ossa occupaverit: verum non tantum ex una parte externa in alteram transit & vagatur, sed etiam interiora infestat. Neque hujus morbi genium ullus ex antiquis medicis rectius ipso ARETÆO perspexit: ita enim, *Lib. II. cap.* 12. *De arthritide*, scribit: *quibusdam in omnem corporis ambitum vagatur & deinceps transitus quoque in dorsi thoracisque musculos fit, incredibile est, quam late malum serpat; vertebræ dorsi cervicisque dolent & in summo sacri ossis dolor inhæresit, & paulo post cum renibus & vesica communicatur*; cui DEMETRIUS inter recentiores Græcos assentitur *lib. de podagra*: *non tantum*, inquiens, *in manus, pedes, omnes articulos tales ferri fluxiones, verum etiam in cerebrum, jecur atque adeo in ipsum cor, casque teterrimas esse liberatuque difficillimas.* GALENUS quoque in *Hippocratis librum de natura homin. comment.* 2. diserte scribit: *aspeximus sæpe in his qui articulari morbo aut podagræ obnoxii erant, quod repulsis ab artubus humoribus eo delatis, illi in principem aliquam partem tendentes, homini interitum attulerint, cui ea sola relinquebatur spes salutis, si iterum possent ad artus reverti.* Varios vero morbos variaque symptomata à retropulsa arthritidis materia subnasci, pro differenti partium ratione & natura quas infestat, animadvertimus. Inter alia hæc observatu digna sunt, quod malum ischiadicum vicinas partes nempe vesicam, urethram, seminales vesiculas & rectum intestinum simul in consensum trahat, adeo ut in emittenda urina ingens cum ardore difficultas, interdum etiam intolerabilis vesicæ dolor & spasinus cum metu inflammationis & exulcerationis inde proveniat. Vidimus quoque ab eodem fonte crebras nocturnas pollutiones, vires quæ enormiter frangunt, ortum duxisse; vidimus non minus benignum seminis profluvium, atque circa anum & sedis venas, permolesta incommoda, à perversa mali ischiadici curatione producta.

§. XII.

Podagra. Id vero est quod magnam movet admirationem, extremis pedum partibus inhæresentem dolorem, intro repulso vitioso humore, supernas maxime partes petere & graviter subinde affligere: ita novimus à perperam tractata podagra, atroces capitis dolores, vertiginem, apoplexiam sanguineam, serosam, hemiplegiam, paralysin, memoriæ abolitionem, sævam odontalgiam, aphoniam, guttam quoque serenam, epiphoram cum subsequente cataracta & luminum amissione, aliasque graves hujusmodi ægritudines secutas: id quod etiam infinita exempla hinc inde à probatæ fidei scriptoribus consignata diserte & luculenter satis confirmant. Alia vero mala prodeunt, quando vitiosa materia ad thoracem & ibi contenta viscera defertur: nam si externas partes infestat, pleuritis spuria, quæ non nisi arthritidis species est, si in ipsos pulmones descendit, ferina & chronica tussis, si nervos intercostales ipsumque diaphragma tangit dispnœa, asthma spasmodicum, cum suffocationis metu inde propullulant. Sæpenumero dolor arthriticus & podagricus evanescens, graves & summe periculosas in ipso ventriculo ceu valde nervosa parte, materia hostili ad ejus tunicas delata, concitat ægritudines; cujus generis sunt totalis appetentiæ prostratio, nausea, gravativus dolor, præcordiorum anxietas, inquietudo, vomitus quandoque cruentus, & conatus ad vomendum cum faciei pallore, cephalalgia, crebra & importuna eructatio. Quandocunque vero ad intestinorum canalem valde nervosæ & sensibilis texturæ, arthriticus delabitur humor, immanis intestinorum dolor, qui, in tenuibus iliacus, in crassis colicus appellatur, valde solennis est: nam ad nullam fere corporis interiorem partem tam pronum & expeditum seri arthritici subtilis causticæ indolis iter est, quam ad intestinorum tunicas, quibus si inhæresit paulo contumacius, non modo intolerabiles dolores, sed etiam interdum diarrhœæ, imo cruentæ dejectiones cum summa virium prostratione, extremorum frigore, pulsu debili & languido, facie Hippocratica, contractura etiam quandoque manuum, insequuntur. Neque renes & viæ urinariæ à metastasi humoris podagrici immunes sunt. Nihil certe in praxi occurrit frequentius, quam quod podagra transmigret in calculum renalem, & is rursus in podagram, præsertim in paulo provectioris ætatis hominibus, ubi fixiorem infensus humor magisque tartaream indolem acquirit, cum tamen dolor ex calculo non confundi debet cum eo, qui vertebris lumbaribus quandoque satis diuturnus inhæresce re solet, & rectissime à veteribus arthritis lumbaris vocatur; arthritis vero cum multum habeat ratione indolis & materialis causæ affinitatis cum erysipelate, quod summam in extremis partibus obsidere consuescit cutem, non mirum est, ab eo, per incautam maxime curationem vel ob robur naturæ dejectum, retrocedente, teterrimas, præsertim in partibus interioribus & nerveis, suscitari sæpenumero ægritudines, ad quarum genus cardialgiæ, inflammationes ventriculi & intestinorum, continuæ, item lentæ & hecticæ febres referendæ sunt.

§. XIII.

Hydrope. At vero non modo humores tenues & facile mobiles id habent peculiare, ut ex appropriato suo loco in alienum, atque ab externis partibus in internas transeant atque deferantur, sed & de insignis molis tumoribus id fieri posse, ut crassi & tenaces extremis partibus inhæresentes humores ad interiora, non sine periculo relegentur, est, quod admirationem quandam excitare potest. Ita vidimus non semel sed aliquoties, in cachecticis vel etiam in hydropicis, pedum tumores, accessu intermittentis febris, quæ epidemice grassabatur, tempore frigoris & horroris evanuisse, sed non multo post difficillimam spirationem ad suffocationem usque invasisse, adeo ut sub tertio paroxysmo præter omnium opinionem ægri, suffocatione interierint. Prostant quoque nobis ejusmodi exempla, ubi hydrope laborantibus erysipelas pedum, quod ordinario cum ingenti frigore adoritur, supervenit, eos, materia serosa inde à partibus extimis ad interiora & maxime pectus coacta, brevi post suffocativo catarrho extinctos fuisse: præterea nobis casus funesti sunt noti, ubi scabie vel pravis ulceribus laborantibus, quando accessit tertianæ paroxysmus, subito sæpe & ex improviso gravia circa præcordia

dia ſymptomata, cum febre inflammatoria diſpnœa & virium oppreſſione irrepſerunt, quæ vix ullis in medicina præſidiis alias optimis ſuperari poterant.

§. XIV.

Rationalis metaſtaſium explicatio.

In genere ſic maxima ex parte, gravioribus ſymptomatibus, quæ metaſtaſes humorum vitioſorum ad interiora comitari & inſequi conſueſcunt perluſtratis, veniendum nunc eſſe ad rationalem quandam harum rerum quæ in veritate facti fundatæ ſunt cognitionem & conſiderationem cenſeo. Primum vero quod dignam meretur attentionem, eſt, quod cutis non modo, ſed etiam articuli, quam maxime ſint metaſtaſibus obnoxii, quando videlicet has partes morbus occupat, vel potius cauſa ibi hæret, morbum, præſertim, dolorem, ſpaſmum, exulcerationem aut inflammationem movens. Notum enim ex anatomicis eſt, cutem ex fibris nervoſo-tendinoſis, quam maxime elaſticis, expanſilibus & contractilibus, nec non infinitis tubulis ac poris eſſe contextam & ad toni ſeu motus intenſionem ſive remiſſionem valde aptam, adeo ut ad ſaluberrimam perſpirationem conſervandam eminentiſſimi & maximi ſit uſus, ſiquidem hujus beneficio, quod ſuperfluum eſt, quod effœtum & inutile, foras in magnum commodum eliminatur. Quandocunque itaque ejus moderatior ac æquabilis motus & tonus læditur, quod fit vel nimia conſtrictione & anguſtia pororum in ſpaſmo, vel extraordinaria relaxatione in atonia, ſalutare hoc excretionis negotium multum pervertitur, in magnum ſanitatis detrimentum.

Ejus, quæ in cute fit.

§. XV.

Quod ſi itaque humor plane heterogeneæ indolis in tubuloſa cutis ſubſtantia excludendus hæret in morbis ſic dictis cuticularibus, acrimonia ſua hoſtili fibras in ſpaſticas adigendo ſtricturas, non modo ſui excluſionem impedit, ſed & id ſæpius contingit, ut reniſo & converſo motu ad interiora in poros vaſorum infeſta materia rurſus repellatur & recipiatur. Simili ratione id cum ligamentis articulorum nerveo-tendinoſis ac glanduloſis contingere arbitramur; quæ identidem valde ſenſibilis naturæ, tam ad motum relaxatorium, quam ſpaſmodicum ſubeundum, admodum prompta ac facilia ſunt.

In ligamentis articulorum.

§. XVI.

Cauſæ diſponentes: natura infirmior.

Jam quod attinet ad cauſas ſic dictas naturales, ad periculoſas ejuſmodi metaſtaſes diſponentes & præparantes, videmus & obſervamus eos qui naturæ infirmioris ſunt, ſive ea ab ætate præſertim infantili & ſenili, ſive à parentibus trahat originem, ſive à morbo vel diætæ vitio, aut gravi animi affectu fuerit profecta, quam maxime ejuſmodi affectibus retrogradis obnoxios eſſe; nam uti debilitas corporis, juxta CELSI judicium, omnibus fere morbis, ita omnino etiam iis qui ex anomalis motibus & ſpaſticis ſtricturis, quæ ſolenniter in partibus externis fiunt, patet & ſubjecta eſt.

§. XVII.

Frigus.

Enim vero frigidum non adeo nocere, ſed magis prodeſſe podagricis, graviſſimus noſter Senex *Sect. V. aph.* 25. affirmare videtur, dum, dolores podagricos mitigare & levare plurimam frigidam copioſe affuſam aquam, innuit; ſed in noſtro hæc experientia climate minime correſpondet, neque huic ſententiæ ulla ſana & phyſica ratio patrocinatur. Animadverſione digna ſunt, quæ hunc in aphoriſmum, à Celeb. PASCOLIO Romano Profeſſore, in Opere ſuo: *de homine Lib. III. Sect. III. Cap.* 3. notantur, ita ſe habentia: *quod hactenus vidimus arthritide laborantes, ea methodo tractatos, tot quoque vidimus aut apoplecticos, aut pleuriticos, aut aſthmaticos, aut hydrope pectoris, aut colica vel affectione iliaca correptos, propediem diſceſſiſſe; idcirco alieno edocti exemplo, ubi arthritis, quod DEUS avertat, nos unquam tentet, id præſidii genus nolumus utique experiri.* Huic obſervationi adſtipulantem quoque videmus *Cl.* MUSGRAVIUM *in tr. de arthrit. anom. p.* 254. tali modo differentem: *recurrente podagra, aqua frigida pedes media hyeme immerſit æger: itaque temere tumoris arthritici materiam repercuſſit; pectore, capite ſubito gravatus, primo tuſſiit & cum impedimento ſpiritum traxit, mox ſenſus omnis, ipſa etiam mens defecit, & tota undique adſtantium mirante turba, non tam exceſſit, quam è medio ſurreptus eſt.*

§. XVIII.

Aeris mutatio.

Deinceps inæqualitatem ſubitamque aëris, quod maxime fit autumnali tempore & circa æquinoctia, mutationem, ex calido vel humido in frigidum, & vice verſa, vehementer ſatis ac repente cutis tonum vitiare & ad retrocedentes à partibus extremis ægritudines cauſam ſubminiſtrare, ipſa quotidiana fere experientia docemur; qua conſtat & catarrhales, & rheumaticas, & arthriticas affectiones hiſce temporibus non modo eſſe familiariſſimas, verum etiam quam facile, repercuſſa materia, fieri anomalas, atque in internas valde difficiles paſſiones tranſmigrare. Ex omnibus vero nihil propemodum eſt, quod tantopere & tam ſubito motum humorum à ſuperficie corporis verſus interiora convertere & reprimere valet, ac gravis terror, qui uti plurium ſæviſſimorum in capite, in pectore, morborum cauſa exiſtit validiſſima, ita omni modo ac ſtudio terrorem qui tales procreat in arthriticis affectus evitare oportet.

§. XIX.

Topica repellentia.

Poſtremo, quantum noxæ & damni inconſulta morborum & vitiorum, quæ cuti, articulis & partibus externis inhæreſcunt, per topica tractatio repellentia inferat, relegando materiam vitioſam ad nobiliores & principes corporis partes, noto notius eſt. Famoſa hoc nomine ſunt cataplaſmata, epithemata, linimenta & emplaſtra adſtringendi facultate pollentia, cumprimis quæ mercurialia, ſaturnina, ſulphurata ingrediuntur, quorum ſiniſtra applicatio, quam ſenſibilis cutis humana pars ſit, & quam exitiales morbi ab ejus functione læſa pendeant, luculenter ſatis demonſtrat: quin imo in quibuſdam perſonis tam exquiſitæ ſenſationis cutaneum hocce corporis integumentum eſt, ut etiam ſpirituoſa & camphorata, quorum ope alias egregie dolores diſcutiuntur, ferre nequeant, inſigni documento, etiam cum hiſce medico agendum & mercandum eſſe quam cautiſſime. Atque hæc ipſa animadverſio veteribus quoque medicorum haud fuit ignota: TRALLIANUS enim *Lib. II. Cap. I.* ſapienter monet, ut adſtringentibus & repellentibus in articulorum vitiis non utamur, niſi totum prius corpus recrementis liberatum fuerit; nam, quod articulis influit, ne ad principales partes recurrens ſuffocationis cauſa fiat, periculumque mortis afferat, metuendum eſt; & in ſeqq. *multos attonitos*, ait, *fieri conſpicimus, ubi pedes fluxionibus tentari deſierint.*

§. XX.

§. XX.

Purgantia. Neque tantum externa, sed & interna improvide administrata remedia ad exitialem humorum in articulorum & cutis vitiis retrocessionem, occasionem & ansam subministrare possunt; id quod maxime, de purgantibus præsertim paulo validioribus, notandum venit. De horum noxa sufficerit tantum unum & insignem locum, ex modo commemorati PASCOLII *Perusini Prof. & Protho-Medici Romani* Opere, qui *Lib. 3. Sect. III. p.* 182. extat, allegare: *purgantia*, nimirum inquit, *in podagra, fortiora omnino vitentur, quæ ab articulis affectis humores pravos non raro subduxerunt; qui proinde intus, aut per alios adhuc occultos meatus retrocedentes, pervicacissimum asthma, aut pleuritidem, aut colicam, aut etiam apoplexiam frequentissime pepererunt.*

§. XXI.

Nimia & intempestiva Venæ sect. Nimiam & intempestivam sanguinis detractionem ad retrocessionem exanthematum, neque minus erysipelacei & arthritici humoris plurimum conferre posse, experientia æque ac ratio confirmant. Improvidum quoque medicamentorum, quæ valide urinam cient usum, in morbis qui extremas corporis partes occupant, divertendo humorum motum ad interiora, eorum schema plane cum dispendio vitæ & sanitatis immutasse, per aliquot nobis exempla non incognitum est. Id vero majorem fortassis admirationem movere potest, situm corporis paulo diutius erectum, tanta pollere efficacia, ut exanthemata in cute apparentia, summo cum vitæ discrimine disparere faciat, quod aliquoties in variolis & morbillis, petechiis quoque, præsertim ubi vires valde fractæ fuerunt observavimus: cujus rei in Diss. *de situ corporis erecto in morbis noxio*, uberiorem mentionem injecimus.

§. XXII.

Morbi aliis supervenientes. Neque inter causas quæ periculosas morborum efficiunt metastases recensendas, morbi aliis supervenientes silentio involvendi sunt. Quantam catastrophen, tumoribus œdematosis, cachecticis, fœdo ulcere tactis membris, frigus, quod sub accessione febris tertianæ fit, inducere possit, ad interiora repellendo noxium humorem, jam supra retulimus. Inest vero suffimentis quoque tumores varii generis repellendi satis sæpe obvia efficacia; quare non novum vel insolens est ab iis, si perperam adhibentur morbis cutaneis, damnum accedere non minimum.

§. XXIII.

Ventriculi & intestinorum destructio. Præter jam dictas, sunt adhuc aliæ causæ, quæ ad morbosas metastases, sive pernitiosas humoris vitiosi in interioribus partibus secretiones disponunt; & hujus generis sunt, quæ viscerum & interiorum partium tonum ac robur valde affligunt & debilitant, ut deinde humores in has partes, ubi minorem resistentiam & renisum inveniunt, facilius irruant: ita inordinata victus ratio & abusus fructuum horæorum, ex affectibus, animi tristitia, ira, ventriculum & intestinorum canalem labefactando, ad diarrhœas, dysenterias, cardialgias, vomitus & inflammationes, à retropulsa materia arthritica proficiscentes, valde disponunt. Nimius vero dulcium, sive ex alimentorum sive ex medicamentorum classe, usus, facile efficit, ut serum acre arthriticum in pectus decumbat; & frequentior usus errhinorum, anodynorum, crebrior quoque ebrietas, Spiritus vini, aut importuna mentis fatigatio à quacunque etiam causa proveniat, ad capitis morbos progignendos viam præparant expeditissimam.

§. XXIV.

Modus metastasium. Expositis itaque varii generis causis, quæ minus salutarem humorum in morbis è partibus externis & ignobilioribus ad nobiliores interiores efficere solent metastasin, nunc disquirendum non sine usu venit, quomodo ejusmodi metastases ad interiora corporis promoveantur, ut tam tetri & magno cum periculo juncti effectus inde sequantur. Quibus placet, corporis nostri motricibus partibus principium quoddam internum sensu vitali & morali præditum motusque secundum & præter naturam dirigens adscribere, illi ejusmodi metastases pro actibus naturæ defensoriis, dum hæc infensam materiam aliorsum transferre vult, erroneis tamen, cum natura ratione inventionis & colatoriorum aberret, habent. Verum, cum omnia naturæ microcosmicæ phœnomena, ex evidentibus & in sensus ac rationem incurrentibus mechanicis & physicis causis, optime & rectissime explicari possint, non videmus, quare his relictis & insuper habitis, ad causas abditas, quæ nec concipi nec probari possunt, confugere velimus. Neque etiam admittere possumus, id quod in se & sua natura est vitæ adversum, intentione bonum esse: nunquam enim res morales & spirituales, quæ ex arbitrio peraguntur, cum rebus physicis quæ ex necessitate mechanica fluunt, ad confusionem fœcundam errorum matrem evitandam, commiscere volumus.

§. XXV.

At vero illud videtur accuratiorem disquisitionem & examen mereri, qua ratione videlicet materia stupendæ exilitatis & tenuissima, ut videmus in morbis exanthematicis, petechiis, morbillis, purpura, à vitali humorum consortio non ita pridem excluſa, tam sævas in universam vitalem œconomiam mutationes efficere possit, item quare infesta hæc materia non tam expedite & tam facile per easdem, quas retrocessit vias, in corpore, ope præsertim convenientium remediorum ad corporis ambitum rursus protrudi possit. Ad priorem quæstionem quod spectat, dicunt humorem à benigno sanguinis & humorum vinculo segregatum, in angustioribus cutis tubulis ex paulo diuturniori mora corruptam & interdum virulentam indolem assumere, unde funesta in interioribus præsertim nervosis partibus symptomata derivanda esse contendunt. Quamquam vero hæc sententia non plane fundamento suo careat, tamen non in totum rei discernendæ satisfacere videtur: quippe nostro quidem judicio, tenuissimus ille qui ex ambitu corporis retrocedit pessimæ naturæ humor, tantorum symptomatum non est sola causa, sed potius ipse ille motus ex superficie corporis ad interiora conversus, cujus indicium saltim est evanescentia materiæ sive exanthematicæ sive pustulosæ, quæ in cutis substantia hæret, symbolum suum hic quoque confert. Nam sicut fluidorum motus progressivus, qui ab interioribus vi & nisu cordis ac arteriarum ad superficiem corporis extimam fertur, unice vitalis & salutaris dici meretur, quia hujus beneficio structum & mixtum corpus, à materia inutili effœta & corruptionem moliente, jugi diffiatione & perspiratione liberatur; ita vix aliud quippiam existit, quod interitum minetur, ac, quando motus hic humorum imminuitur,

Quomodo humor retropulsus tam sæviter agere possit.

nuitur, sistitur, imo resistentia & reniſu in fibris & anguſtiſſimis ſubcutaneis vaſis facto, reſilit quaſi & intus convertitur, ubi non tantum, quod ſuperfluum & naturæ humanæ infeſtum eſt, intus remanet, ſed & ad viſcera major humorum affluxus & congeſtio fit; ex qua, quæ demum mala, ut obſtructiones, oppilationes, corruptiones, ſpaſmi, dolores, extravaſationes, cetera, exſurgant, is demum qui ſolidis pathologiæ fundamentis inſtructus eſt, recte judicare poterit.

§. XXVI.

Cur idem tam difficulter ad priſtinum locum amandetur?

Ex hoc fundamento quæſtionem poſteriorem, quæ eſt: cur tam difficulter, interiora qui petiit humor morboſus, ad priſtinum locum relegari poſſit? ſolvere non adeo erit difficile. Nam quandocunque ipſa materia corrupta & exanthematica, ex partibus extremis per tonum ac motum cutis quaſi periſtalticum inverſum ad viſcera tranſlocatur, tunc ad vaſorum & vaſculorum anguſtias, circumvolutiones, humorum per ea difficiles circuitus, ac motuum retardationes ſi reſpicere velimus, non tam facilem eſſe horum humorum ſtagnantium & ſpiſſeſcentium diſſolutionem, meatuum apertionem, atque motuum ad peripheriam corporis reſtitutionem, cuique animadvertere integrum erit. Ex quibus nunc facile petenda eſt ratio, quare tanti periculi res ſit, *quando*, ſecundum *aphor.* 25. *lib. VI.* HIPPOCRATIS, *eryſipelas ab exterioribus fertur ad interiora; bonum vero & ſalutare, ſi ab interioribus ad exteriora vertatur*; quod etiam *Galenus comment. in Hippocr. libr. de natur. homin.* confirmat, ſatius eſſe, ducens, ut humores pravi, relictis principalioribus partibus, in ignobiliores, quam quod ab ignobilioribus in principes ferantur; imo ipſe GALENUS & MERCURIALIS, *in not.* ad hunc aphoriſm. rectius innuunt, *Hippocratem* hic eryſipelatis nomine omnium externorum & cutaneorum vitiorum inculpaſſe introverſionem.

§. XXVII.

Metaſtaſes non æque periculoſæ.

Non poſſumus tamen, quin etiam hac occaſione moneamus, non æque periculoſam ſemper, multo minus funeſtam eſſe omnem in morbis humorum vitioſorum ad interiorem retroceſſionem, ſed ad corporum naturam, an robuſta, valida vel valde imbecillia ſint, ad anni quoque tempus, ad ætatem, ad vitæ genus, ad humorum conditionem & intemperiem, vel etiam corruptionem & ſpiſſitudinem ſedulo reſpiciendum eſſe hortamur: res enim utique periculi pleniſſima eſt, ſi vires corporis valde fractæ, ſi ætas ſenilis vel infantilis, ſi viſcera jam ad labem vel per ipſam etiam nativitatem ſint diſpoſita, ſique humores corrupti, cauſticæ & acris indolis, vel retroacta prava materia nervoſas ventriculi, inteſtinorum aut cerebri tunicas, aut præcordiales nervos occupat.

§. XXVIII.

Regulæ prognoſticæ.

Ceterum ad rectum & prudens de hiſce morbis, ratione eventus, judicium formandum, in genere quaſdam regulas inſignis in praxi uſus annectere non dubitavi; quas inter primum merito locum tenere hæc debet: corpora quo infirmiora, viribuſque valde exhauſta ſunt, eo plus morboſæ metaſtaſes periculi & vitæ diſcriminis habent. Id liquido apparet, quando petechiæ, variolæ, morbilli, vel etiam purpuracea exanthemata, ipſo in febris vigore vel poſt eum retrocedunt, ubi jam tantum virium per aſſiduas vigilias & vehementem ſolidorum & fluidorum motum deperditæ ſunt, ut non ſufficiant humorum ad principes vitæ partes, cerebrum, cor, pulmones, nimiis congeſtionibus ſuperandis & rurſus extrorſum propellendis; quod vero, ſi non accidit, convulſiones, deliria, ſyncopes ſupervenientes mox vitæ finem faciunt. Deinceps obſervatione conſtat: corpora valde imbecillia & quæ viribus defraudata ſunt, facillime, minima ſaltim ex cauſa, exitialibus morborum tranſlationibus eſſe obnoxia. Quid enim frequentius accidit, quam quod à ſola corporis vel pedum refrigeratione, à ſolo receſſu è temperate calido lecto in paulo frigidiorem, & ſitu corporis paulo diutius erecto, vel ex levi animi perturbatione exanthemata, præſertim circa IX. vel XI. diem, retrocedant, & non multo poſt, præter adſtantium opinionem, placida morte ægri quaſi obdormiſcant. Id quoque in aliis morbis in phthiſi, hydrope, hectica, animadvertimus, dum ex levi in diæta errore, converſis humoribus & motibus ex peripheria ad centrum ſive interiora, non raro funeſti affectus inſequuntur.

§. XXIX.

Diarrhœa malum ſignum.

Obſervamus præterea frequentes alvi dejectiones, cutaneis morbis, præſertim acutis & exanthematicis ſi accedunt, peſſimum omen exhibere: neque ratio inventu difficilis eſt; nam alvi fluxus cauſa, utplurimum eſt motus humorum ab extra ad inteſtina converſus, qui impeditam excipit perſpirationem; hinc multæ ſeroſæ, excrementitiæ, ſalſo-acres itemque aëreo-elaſticæ & orgaſticæ partes, quæ per poros diffiari debebant, non modo maſſam ſanguinis & humorum inquinant, ſed per glandulas etiam in cavitatem inteſtinorum influunt atque in ſanguine præternaturalem orgaſmum, in inteſtinis autem flatus, ac ſpaſmos excitant, peſſimorum certe pathematum fontes atque origines: accedit quod ſub omni diarrhœa etiam à cauſis internis prognata, derivando humores ad interiora, corporis extremæ partes, maximeque cutis tubuloſa & poroſa ſuccis influentibus orbatæ, propius ad ſe invicem accedant, coanguſtentur & comprimantur, hocque ipſo, adeo ſalutaris illa perſpiratio inhibeatur.

§. XXX.

Curatio generalis.

Dum circa hanc materiam verſamur, haud infructuoſum ſed operæ pretium fore putavimus, ſi generalem morborum à retroceſſione vel tranſlatione morboſæ materiæ ortorum curationem hoc loco ſuppeditaremus. Primo autem omnibus modis, vitalis ille humorum motus ad exteriora qui tendit, conſervandus eſt, & omne illud quod invertit hunc motum ad interiora fugiendum: nam ſicut, ille ordini naturæ, principi morborum medico optime conveniens eſt, ita hic ad ejus deſtructionem tendit certiſſime. Qua propter ea quæ jam ſupra inter cauſas hos affectus excitantes retulimus omni cura & ſollicitudine evitare oportet, & nulli rei magis invigilare, quam ut tonus cutis æquabilis & moderatus, ac ab eo maxima parte dependens tranſpiratio, ſemper conſervetur; quod fit, ſi moderatio ſive aurea mediocritas in rebus quæ dicuntur non naturales, verbo, diætetica obſervetur, & omne nimium, quod naturam & ejus motus ſalutares mirifice pervertit, vitetur. Maxime omnium vero curandum eſt, ut in æquabili calore & perſpiratione ſubcutaneum illud cribrum conſervetur, caloris enim temperies, tam quoad conclave, quam lectum & linea-

linteamina, nunquam non in hisce affectibus utilissima est, cum contra excessus frigoris vel caloris sit pernicioſissimus. Multum quoque juvat, animum in placido & tranquillo statu servare, quia ejus nimia fatigatio vel perturbatio, omnia, etiam ordinate quæ fiunt in corpore, multo magis ubi inordinatio motuum jam adest, pervertere potest.

§. XXXI.

Cum topicis tante mercandum.

In nullis vero quæ nocere possunt rebus major cura & observatio adhibenda est, quam in applicatione topicorum, quæ leniendi doloris vel exulceratas partes consolidandi causa potissimum usurpantur. Et nos sane consultius ducimus ab eorum usu, quoad fieri potest, se retrahere, præsertim in principio & ubi inflammatio subest, quia plus detrimenti quam emolumenti hæc ipsa præstare quotidianis fere experimentis perspicimus: attamen minori cum periculo & desiderato magis cum effectu, quando corpus probe à copiosiorum & impurorum humorum copia prius vindicatum est, sique malum in declinatione fuerit, ad robur partium affectarum restituendum, ea in usum ducuntur. Postremo quoque primarum viarum, per quas ventriculum & totum intestinorum tractum intelligimus, in ejusmodi morbis sanandis ratio habenda est, ne, quod flatus, quod tormina ciere & alvi fluxum sollicitare vel eum comprimere potest, admittatur; vix enim dici & comprehendi potest, quanta inter partes externas cutem, inque primis pedes & intestina, consensio & mutua motuum conspiratio intercedat: nam si ingens dolor vel spasmus intestina affligit, mox etiam cutis contrahitur & libera transpiratio impeditur; alvus vero nimis compressa vel obstructa felici curationi identidem infensa est, quia id efficit, ut impuritates quæ excerni per eam debebant, ad corporis ambitum protrudantur.

§. XXXII.

Materia morbifica ad appropriatam sedem reducenda.

Quod si vero jam facta fuerit metastasis, totum curandi ministerium in eo consistit, ut quam fieri potest citissime, tutissime tamen, corruptus humor ad appropriatam sedem reducatur: id quod faciliori & magis auspicato fit effectu, quando recens est metastasis, quando vigor adhuc & robur virium respondet, & quando materia non adeo corruptæ & malignæ indolis est, neque pravorum succorum copia corpus refertum est. Hanc curandi methodum & ipsa natura & crebra experientia atque sana ratio dictitat; siquidem anomala & prava illa symptomata, quæ excipiunt morborum transpositionem in interiora, non nisi apparentibus rursus doloribus, spasmis aut exanthematibus, in locis ante affectis, conquiescunt, idque natura sæpius sponte, nulla singulari arte adjuta, negotium exsequitur. Atque in hanc rem attendi utique meretur aphorismus ille amplissimi usus practici, qui est *XXI. Sect.* 1. HIPPOCRATIS: *quæ ducere oportet quo maxime vergunt, per loca convenientia ducamus*; quæ in hisce morbis partes externæ, per quas noxium è corpore exhalare & diffiari debet, constituunt. Quare præcipua medentis intentio huc collineare debet, ut convenientibus remediis naturam quæ optima & expeditissima morborum etiam subcutaneorum sanatrix est, in hoc negotio adjuvet; quod fit, si ex tanta materiæ medicæ farragine & plerumque indigesta mole, cum ratione, in experientia fundata seligat primum ea, quæ humorem ad excretionem cuticularem mobilem & idoneum reddunt; tum quæ internum viscerum robur, si torpidum fuerit, excitant, & meatus per quas excretio fit patulos atque apertos reddunt, neque minus quæ impedimenta salutaribus ejusmodi excretionibus resistentia, tollunt.

§. XXXIII.

Diaphoretica & leniora sedativa laudantur.

Nolumus autem innumera alia ab Auctoribus hunc in finem commendata afferre atque recensere remediorum genera; neque enim consuetudinis, nec instituti & loci ratio id permittere videtur; sed tantummodo ea, quæ ex multiplici experientia, convenienti ordine & methodo usurpata, à nobis salutaria deprehensa sunt, commemorabimus. Ex compluribus autem probatæ virtutis remediis, ea, quæ leniori diaphoretica & roborante virtute splendent commendamus, uti sunt: aqua cardui benedicti, scordii, florum sambuci, meliſſæ, cerasorum nigrorum, acetum vini, cancrorum lapides, diaphoreticum antimonium, mixtura simplex, cinnabaris præparata, theriaca cœlestis, in refracta dosi, pulvis Marchionis cum nitro & cinnabari mixtus, nec non emulsiones: item pulvis bezoardicus Sennerti vel noster, si cum tertia vel quarta parte nitri & octava cinnabaris misceatur, addito interdum camphoræ, si metus internæ inflammationis est, momento. Mirabilem præterea efficaciam semper præstitit, sic dictus liquor anodynus mineralis noster, quando vel solus vel cum pulvere præcipitante mixtus, una cum aquis diapnoicis modo recensitis, in usum ducitur. Si sudorem paulo largiorem movere expedit, liquoris anodyni mineralis partibus quatuor, una pars liquoris bezoardici Bussii, vel spiritus cornu cervi succinati addenda erit.

§. XXXIV.

Methodus, ubi ex pustulosa & ulcerosa materia morbi prosunt venerini?

Alia vero curandi ratio ac methodus ineunda est, quando pessimæ indolis morbi, ex pustulosis & ulcerosis cutis defœdationibus sanatis & retropulsis, oboriuntur: tunc enim majori sæpius natura stimulo diaphoretico vel sudorifero eget. Et res mihi videtur hoc loco notatu valde digna, quod hæc ipsa, quæ exterius cuti applicata noxiam faciunt retrocessionem medicamina, ut sunt, quæ ex mercurio, quæ ex sulphure vivo parantur, interne cum prudentia sumta, propellendo ad exteriora morbiferum humorem, sanandi quoque facultatem possideant. Nam pulveres ex floribus sulphuris, æthiope minerali, vel antimoniali (secundum methodum Excell. D. D. ELLERI *Colleg. Med. Berol. Assessoris*, qui ex antimonio crudo & mercurio vivo invicem tritis & mixtis constat,) antimonio crudo, regulo antimonii medicinali, cinnabari, item croco martis subtilissime pulverisato, cum aliis diaphoreticis mixti, miram certe in hujusmodi affectibus præstant efficaciam, præsertim quando usus horum, decoctis diluentibus, temperantibus, inque primis sero lactis caprini, vel macris carnium brodiis, quibus incoctæ sunt radices aperiente & transpirationem promovente virtute donatæ, ad quarum genus spectant, radix scorzoneræ, graminis, petroselini, asparagi, fœniculi, taraxaci, cichorei, secundatur: in quo etiam casu, præsertim si tormina in imo ventre urgent, aliquot cochlearia olei amygdalarum dulcium in recensitis his jusculis propinari possunt. Sicut in his affectibus utilis quandoque sanguinis missio, per scarificationem vel venæ sectionem deprehenditur. Atque salutare quoque in-

terdum eſt, noxios ſeroſos & putridos è corpore humores, tuto, leniter & ſucceſſive per alvum educere, quo poſtea & tutior & felicior eorum quæ per cutim pravos humores evacuant, evadat operatio. Inſigni autem ſelectu & circumſpectione hic opus eſt: omnia enim quæ valide alvum ſtimulant, quæ acria ſunt, quæ tormina cient, item aloëtica quæ ſanguinem commovent & impetuoſe ad interiora & inteſtina compellunt, penitus exulare debent: mannata vero, tamarindinata, rhabarbarina, paſſulata & tartarea, ſi recte miſcentur & uſurpantur, omne punctum abſolvunt.

§. XXXV.

Topica quando adhibenda.

Quod attinet ad topica, varii ſunt generis quibus hæc, materiam corruptam in priſtinum locum revocandi, virtus adſcribitur, e. g. frictiones cum pannis aſperis, urticationes, ſiccæ cucurbitulæ, phænigmi, antiſpaſtica, fonticuli & veſicatoria: ſed nos his poſterioribus, ſi temperatiora, ut ſine dolore operatio fiat, rectèque applicata & diutius detenta fuerint, præ omnibus aliis, crebra experientia edocti, eximiam atque inſignem vim & efficaciam adſcribimus. Ad revocandos vero dolores podagricos pediluvia temperata ex aqua pluviali vel fluviatili, furfuribus tritici & lacte admixtis, ſingularis & eximiæ virtutis ac fructus fuiſſe non ſemel à nobis obſervatum eſt. Neque enim ſobrius & circumſpectus dictorum externorum, quæ ingenti humores noxios ad partes externas & minus nobiles derivandi vi pollent, uſus, ſua laude caret. Etenim emplaſtrum nobis uſitatum valde temperatum veſicatorium, quod citra dolorem & inflammationem, inſignem ſeri vitioſi quantitatem extrahit, ac per menſem & ultra uſurpari poteſt, in affectibus capitis nuchæ, in retrocedentibus petechiis carpis manuum, in cardialgia vero, colica arthritica & ſcorbutica pedum malleolis applicandum præclaros ſæpenumero effectus præſtitit. Conſtat etiam phænigmis ſua virtus quæ, ex allio, cepis, raphano ruſticano, fermento panis & aceto præparari poſſunt: moderatioris enim ac veſicatoria ſunt operationis, atque dum ſubtili acrimonia vividiorem motum fibris motricibus conciliant, ſtimulando majorem affluxum ſanguinis & humorum ad partes invitant. Emplaſtra vero epiſpaſtica ex pice Burgundica & terebinthina confici ſolita, in morbis anomalis à Cl. MUSGRAVIO quidem, in eleganti ſuo libro *de arthritide anomala* laudantur & in uſum trahuntur, ſed cum nobis certa eorum efficacia plane ignota ſit, neque vituperare hoc remedii genus neque commendare volumus.

CAPUT XII.

De rationali pulſuum explicatione & judicio in morbis recte ex iisdem formando.

§. I.

Veteres minus recte pulſuum doctrinam tradiderunt.

IN ſuperioribus potiora fundamenta & capita veræ & rationalis pathologiæ, quæ reſolvendis morborum hiſtoriis apprime inſerviunt, conciſe quidem, ſed ſatis ſolide, ut arbitror, tradidi: nunc ad doctrinam à Veteribus maximi ſemper habitam & celebratam veniam, quæ ad penitiorem morborum diagnoſin & ipſam quoque prognoſin neceſſaria, ad certitudinem artis, exiſtimationem & famam apud doctos & vulgus medico conciliandam, maximum utique confert momentum. Utut vero inter Veteres, antiquiſſimus noſtræ artis parens *Hippocrates*, in hac medicinæ parte admodum diffuſus & operoſus fuerit, ut plures etiam de prædictionibus & prognoſticis libros conſcripſerit; nihilominus tamen permulta, ut ingenue fatear, in iis comprehenduntur, quæ in noſtris præcipue regionibus, uſu & applicatione carent. Nam regulæ iſtæ & aphoriſmi prognoſtici magna ex parte particulares ſunt, ad certos caſus & peculiares circumſtantias, quæ tamen deficiunt & non adjectæ, reſtricti, tantum abeſt, ut perpetuæ ſint obſervationis & applicationis. Quumque in diagnoſticis & prognoſticis vix ulla ſit excellentior magiſque neceſſaria doctrina de pulſibus; mirandum certe eſt, in *Hippocratis* monumentis nullam, vel plane exiguam, ejus reperiri mentionem, quum tamen in diſquiſitione de urinis, plus quam par eſt & uſus exigit, diffuſus ſit atque occupatus. Quam breviter vero & conciſe ipſe *Hippocrates*, tam late & prolixe *Galenus* de pulſibus ſermonem fecit, quippe qui innumerabiles fere pulſuum finxit differentias, quæ nec mente concipi poſſunt, nec re ipſa, ut recte animadvertit *Montanus*, obſervantur. Hunc poſtea, ceu ducem, cœco ſtudio plures ejus aſſeclæ ſequuti ſunt, & fideliter tam numeroſas, confuſas, vix explicabiles & conceptibiles pulſuum ſpecies in ſcripta ſua tranſtulerunt, quæ nonniſi ad ingentem tironum medicinæ confuſionem facere poſſunt.

§. II.

Quos recentiorum quidam perperam ſequuntur.

Veteribus quidem facile condonandum, quod in pulſuum dignotione & evolvenda eorundem natura atque origine, tot hallucinationes admiſerint, eo quod ſanguinis circuitum, veram & genuinam pulſuum cauſſam, ignorarunt; quo utique factum eſt, ut verum uſum pulſuum, nec in diagnoſi, nec prognoſi, tam in ſtatu ſano, quam præternaturali, cognoſcendo, recte intellexerint. Recentioribus vero, qui nobiliſſimum hoc inventum norunt, merito vitio vertendum, quod multi adhuc eadem chorda oberrent, & ex tanta à Veteribus conficta pulſuum multitudine & multifaria denominatione, velut ex labyrintho, cum certa ratione ſeſe extricare nequeant. Si cauſſam quærimus; hæc præcipue ſubeſt: quod plerique hanc de pulſibus doctrinam non ad mechanicam ſcientiam, ſive regulas motuum, ad quam tamen proprie ſpectat, examinaverint. In quo quidem doctrinæ genere *Bellino* melius verſatus eſt nemo, quem ſi inſpexiſſent quibus mechanica ſordent, perſpicuum ſane conceptum de arteriarum & ſanguinis per eas motu adepti eſſent; ſed qui præjudiciis occœcati ſunt, nunquam volunt diſcere, quæ nunquam didicerunt.

§. III.

Qui ſyſtalticum arteriarum motum negant maxime errant.

Quod vero magis adhuc mirandum, adeo quidam in luce caligant, ut dubitent, num in arteriis ſyſtole, ſive motus contractorius ſuccedat, cujus beneficio ſanguis ex ipſis in venas, & ex his verſus cor refluus propellatur? Sed quis putarit, hos ipſos ignorare motum tonicum, de quo tam frequens ipſis ſermo eſt, in reciproco motu conſtrictionis & relaxationis conſiſtere, & hunc non tantum muſculis & fibris, ſed maxime omnium canalibus, qui ex tunicis nervoſis & fibroſis elaſticis conflati ſunt, omnibus eſſe proprium, adeo, ut nullum quod fluidum vehit in corpore animali

vas

vas hoc ipſo ſit deſtitutum. Deinceps noſtri utique ſcire debuiſſent, quod horum ſimpliciſſimorum motuum vere vitalium ea ſit natura ac indoles, ut unus ſemper alterum ſequatur atque proritet, ita quidem, ut ſyſtole ſuſcitet diaſtolen, & diaſtole rurſus ſyſtolen, unde motus exſurgit perpetuus, & cor in machinâ animali recte dicitur perpetuum mobile, quod argumentum latius in *tomo primo medicinæ rationalis ſyſtematicæ* deduximus & illuſtravimus. Tum apud omnes in confeſſo eſt, pulſum, qui tactu in arteriis percipitur, eſſe nonniſi expanſionem & elevationem arteriarum, à contractione cordis, qua ſanguinis portio in alveos intruditur, productam; niſi itaque arteriæ poſt expanſionem iterum in priorem ſtatum & dimenſionem ſe reſtituerent ſub contractione, neque nova receptio ſanguinis & iterata ampliatio, neque etiam progreſſus in vaſa reducentia, poſſet contingere. Porro ſyſtolen ſive activam laterum contractionem licet tactu vix perceptibilem, in arteriis vigere, apertius teſtatur, ſanguinis per arterias vulneratas vel abſciſſas ſaliens effluxus, ita ſuccedens, ut in diaſtole quieſcat, in ſyſtole vero cum impetu elidatur. Tacemus, quod figura valvularum ſemilunarium idem luculenter arguat, quippe quæ orificiis arteriarum è corde egredientium admirabili artificio eum in finem appoſitæ ſunt, ne ſub ſyſtole arteriarum, quæ diaſtolen ſequitur, ſanguis ad cor refluat ac reprimatur. Neque denique ſublata arteriarum ſyſtole, ſive potentia elaſtica, quæ dilatatione & reciproca contractione abſolvitur, intelligi poteſt, quo modo tota non ſolum ſanguinis, ſed etiam humorum univerſi corporis maſſa, quæ exacte poſito calculo, pro diverſitate individuorum, in grandi corpore & robuſto ad LXX. vel LXXX. libras accedit, intruſa una vice à corde in principium arteriæ ad ſummum ſanguinis uncia, poſſit dimoveri & in circulum agi. Et certe neutiquam ſufficit dicere, arterioſa vaſa cum venoſis reducentibus non eſſe continua, ſed arteriarum extrema in poroſam partium ſubſtantiam ſanguinem à corde advectum fundere, & effuſum mediante motus tonici vi ac potentia in venas & per has ad cor trudi, ſicque cruorem in motu progreſſivo ſuo eximie adjuvari. Nam ſuppoſita illa humorum in poros & interſtitia fibrarum extravaſatio, commentum & haud levis error anatomicus eſt, cui partium & totius corporis mere vaſculoſa, exceptis filamentis fibroſis, compages, uberrime illuſtrata & confirmata artificioſiſſimis *Ruyſchii* injectionibus, quibus etiam docemur, nutritionem corporis nonniſi inſigni expanſione ſubſtantiæ vaſculoſæ partium à contentis ſuccis fieri, apertiſſime repugnat.

§. IV.

Nec non qui multas pulſuum ſpecies numerant.

Eandem cenſuram meretur quorundam ſententia, qua noſtris temporibus, quum à ſagacioribus medicis jam dudum iſtæ multiplices & inexplicabiles pulſuum Galeni ſpecies exploſæ, antiquum recoquunt & tantum non omnes illas ad faſtidium uſque inculcant. Videas nonnullorum ſcripta, in quibus pulſus fortis, vehemens, magnus, plenus, longus, brevis, durus, mollis, parvus, vacuus, debilis, humilis, frequens, rarus, celer, tardus, ſerpentinus, vermicularis, formicans, caprizans, tremulus, undulatorius, myurus, ſerratus, dicrotus, manifeſtus, obſcurus, intermittens, inæqualis, ceu vere & diſtincte exiſtentes ſupponuntur, ex variis mentis præfigurationibus explicantur, & ad prognoſin formandam ſterili plane molimine applicantur. Quo quidem nihil aliud faciunt, quam ut pulſuum diſquiſitioni tenebras inducant, & vel ſuo exemplo effatum, quod ipſe *Galenus lib. I. de pulſuum doctrina* pronunciare non veritus eſt, confirment: tantam in pulſibus ſolis addiſcendis eſſe difficultatem & obſcuritatem, ut tota hominis vita illi cognitioni atque exercitationi tribuenda videatur.

§. V.

Ad motus eſſentiam quatuor tantum ſpecies pulſus pertinent.

Ego potius hoc loco pulſuum ſcientiam ac differentiam ſecundum mechanicas rationes & leges breviter proponam, quo liquido appareat, quam pauca pulſuum ſint & revera exiſtant ſpecies, unde ſuam petant originem, & quam eximium uſum eorum exactior notitia in praxi medica obtineat. Quemadmodum itaque in mechanicis nonniſi duæ ſimplices & genericæ motuum ſpecies dantur, motus nempe magnus & celer, cui parvus & tardus opponitur: ita etiam duo tantum in genere pulſus, magnus ſcilicet & celer, hiſque oppoſiti tardus & parvus, præſto ſunt. Magnitudo & parvitas in motu, de mole quæ movetur, magna, vel parva, dicitur; celeritas vero & tarditas, de ſpatio, quod mobile longiori, vel breviori tempore, emetitur. Pulſus igitur magnus is appellandus, quando ab inſigni copia ſanguinis, à contractione cordis in arterias intruſa, arteria amplius diducitur ac elevatur; parvus viciſſim, ubi ab exigua portione immiſſi cruoris non adeo ampliatur. Et celer pulſus is dicendus, quando brevi temporis ſpatio arteriæ dilatatio perficitur, tardus contra, ſi longior temporis intercapedo ictus intercedit. Deinde ex binis his ſpeciebus compoſitis alia emergit, vehementia nempe atque debilitas, ita quidem, ut celeritas cum magnitudine conjuncta vehementiam, parvitas vero & tarditas, debilitatem conſtituat, quod motuum genus utique etiam in pulſibus locum habet.

magnus & parvus

celer & tardus

Et ex his compoſitus vehemens & debilis.

§. VI.

Reliqui vel non ad eſſentiam motus pertinent,

Frequentia vero & raritas, item æqualitas & inæqualitas, non ſunt eſſentialiter affectiones motus, eo quod non de ſingulis motibus, ſed tantummodo de ſucceſſu & ſerie eorundem prædicari queunt, & frequentia quidem de numero majori, raritas de minori, æqualitas & inæqualitas, item intermiſſio, de ordine & ſucceſſu motuum. Neque etiam duities & mollities de eſſentia motuum eſt, ſed tantummodo diſpoſitionem corporis, quod movet, vel movetur, denotat. Reliquæ omnes pulſuum ſpecies ſunt fictitiæ, quæ revera non dantur, neque mente concipi, neque explicari poſſunt; licet minime negandum, diverſos magnitudinis & parvitatis, item celeritatis & tarditatis, vehementiæ quoque & debilitatis, eſſe gradus. Proinde vehementer utique ii errant, qui diſcrimen comminiſcuntur inter pulſum parvum, humilem, contractum, obſcurum, latentem, vacuum, anguſtum, conciſum, profundum, quum nonniſi una ſpecies ſit, & à parva elevatione arteriæ proveniat, &, ſi quidem diſtinctio facienda, parvus, minor & minimus, rectius dicetur. Ejuſdem notæ eſt diſcrimen, quod nonnulli inter magnum, plenum, amplum & manifeſtum pulſum, nec non vehementem, impetuoſum, robuſtum, fortem & valentem eſſe volunt, utpote priores denominationes omnes nonniſi magnam vel majorem arteriæ expanſionem, & poſteriores amplam cum celeritate factam dilatationem, produnt. Illi vero Galenicorum pulſus myurus,

vel fictitii ſunt.

formicans, vermicularis, tremulus, caprizans, ſerratus, dicrotus, nonniſi ſpecies ſunt pulſuum magis vel minus inæqualium, qui pro varia mixtione, ordine & ſucceſſu variant, ita, ut mox parvus, ut mox magnus, poſt celer & tardus ictus, percipiatur.

§. VII.

Pulſus celer & frequens ſeparatim percipi nequit.

Majoris momenti quæſtio eſt: num pulſus celer & frequens, tardus & rarus, inter ſe differant? an vero pro uno eodemque haberi poſſint? Nolo hoc loco repetere, quam acrem contra omnem expectationem mihi celeberrimus vir moverit olim controverſiam, quum celerem & frequentem pulſum in praxi medica pro uno pulſu haberi poſſe ſcripto aſſererem. Is enim hanc meam aſſertionem ſuæ de febribus doctrinæ directe adverſari putans, quod ingens inter pulſum celerem & frequentem intercedat diſcrimen, propugnare & integro ſcripto defendere ſibi ſumſit. Ego vero in *diſſertatione de pulſuum natura & uſu*, nec non in ſchediaſmate apologetico clarius, & quod ſciam primus, detexi: celeritatem quidem & frequentiam in motibus mirum differre, dum illa de intenſione & tempore motus, hæc vero de numero motuum prædicatur, qui tamen proprie non ſpectat ad eſſentiam motuum. Quandocunque vero ſermo eſt de motibus, ubi ſemper unus alterum una ſerie ſequitur, ut fit in pulſibus, hæc eſt quæſtio: an non frequentia à celeritate ſingulorum motuum oriatur? & an non hæc ipſa certus index ſit celeritatis ſingulorum? quod ego quam maxime merito affirmavi. Etenim nulla certe alia ſuppetit ratio, ſingulorum ictuum celeritatem, vel tarditatem accurate, ratione temporis dijudicandi ac determinandi, quam ex frequenti & repetita vibratione, ita quidem, ut ſi e. c. eo temporis ſpatio, quod vocant minutum, in uno centum pulſus numerentur, & in alio quinquaginta, priores duplo majori celeritate quam poſteriores contigiſſe, demum conſtet. Quapropter nec pulſus celer, nec frequens, mente, multo minus re ipſa, ullo in morbo ut diſtinctus demonſtrari poteſt, niſi pulſum, qui fit in arteria dura & conſtricta, celerem dicere velimus.

§. VIII.

Quod teſtantur auctores.

Et hanc eandem de imaginaria pulſus celeris & frequentis differentia ſententiam, medicorum celeberrimi profitentur. Diſertis ſane verbis *Sylvius prax. lib. I. cap. 26. celeritas*, ait, *pulſui adſcripta, mente quidem concipi poteſt, non item digitis tangi ac percipi.* Id quod etiam confirmat acutiſſimus medicus & Mathematicus *Bellinus in tr. de pulſibus p. 75. celer*, inquiens, *pulſus, quia digito minimo temporis perſiſtit, in ſtatu à naturali parum recedente, vel non datur, vel tactu diſtingui non poteſt, quum naturalis motus extrorſum arteriæ vix punctum temporis duret, multo minus in ſtatu præternaturali id ſenſibile erit.* Egregie quoque eandem in rem ſcribit *Schelhammerus de pulſibus pag. 73.* pulſum frequentem non citra celeritatem obſervari. Et hinc etiam eſt, quod nunquam in obſervationibus medicis, pulſus tardus & frequens, celer & rarus, conjuncti deprehendantur. Non ſine ratione itaque in conſideratione medico-practica celeritas pulſuum pro frequentia, & frequentia pro celeritate, ponitur. Et quia unius ictus celeritas tactu per ſe non poteſt dignoſci atque percipi, eo quod vix temporis punctum complet, conſultius eſt, numerum ictuum beneficio horologii quod minuta ſecunda monſtrat, metiri atque determinare, quali inſtrumento inſigni cum fructu in artis exercitio uſquè eo uſus ſum.

Ideoque ſine errore unus pro altero ponitur.

§. IX.

Pulſus durus ac mollis dicitur reſpectu arteriæ.

Longe aliter de pulſu duro ac molli ſentiendum. Hic enim licet ipſius motus eſſentiam non tangat, ſed tantum talis dicatur reſpectu ipſius arteriæ, prout nempe ea plus vel minus tenſa, renitens, dura, vel flaccida, mollis & relaxata eſt; nihilo minus tamen multum ſane refert noſſe, qualis ſit conſtitutio & diſpoſitio inſtrumenti mobilis & moventis, ratione texturæ ſtrictioris, vel laxioris, adeoque num conſtrictæ, vel laxæ ſint cordis fibræ & arteriarum tunicæ, utpote quo major ſolidorum tenſio & conſtrictio, eo major eſt niſus, intenſio, reniſus ac renitentia in motibus, & contra. Hæc vero tenſio & durities arteriarum & fibrarum univerſi corporis nerveārum & carnoſarum, deprehenditur vel in ſtatu naturali, à conformatione nativa in ætate juvenili, cholericis, item ſenibus, ubi arteriarum pulſus valde tenſus ac durus eſt, mollior vero textura in ſanguineis, phlegmaticis, item in pueris: vel obvia etiam eſt in ſtatu præternaturali, & nil niſi ſpaſmi quædam ſpecies eſt, quæ quam maxime tangit tunicas arteriarum, ex fibris nerveis & muſculoſis compoſitas. Et quoniam ſic ipſa diſpoſitio arteriarum, ceu inſtrumenti motus, plurimum confert ad pulſuum mutationem, in proclivi eſt ratio, quare non ſemper unus idemque pulſus teſte *Ballonio*, in utroque brachio obſervetur, id quod etiam nos in hemiplexia aliquoties obſervavimus. Et apprime huc facit luculenta obſervatio *Raygeri pag. 20.* qui ſcribit: *in quamplurimis militibus ſauciatis & male curatis, notabilem differentiam inter pulſum ſani & læſi lateris obſervavi.*

§. X.

Nec non convulſivus.

Supereſt adhuc in pulſuum claſſe is, qui maxime omnium memoratu dignus, convulſivus meo quidem judicio merito dicendus. Hic pariter non à ſanguine arterioſum alveum perlabente, ſed potius ab ipſa nervoſo-muſculoſa ac membranoſa arteriæ ſubſtantia proficiſcitur, & tractorio ac tremulo ſubſultorio motu, quaſi arteria ad ſuperiora raperetur, ſeſe prodit, atque in febribus acutis mortis præſagium præbet, eaque propter recte dici poteſt pulſus morientium, cui plerumque inæqualis vel intermittens jungitur. Nam ſicut circa mortis confinia in toto ſyſtemate nervorum & nervoſarum partium confuſio & irregularitas motuum cum convulſione percipitur; ita etiam id ipſum contingit in arteriarum tunicis nervoſis, & tactu ſentitur.

§. XI.

Pulſuum cauſſa cordis motus ſyſtalticus.

Conſtitutis ſic pulſuum differentiis & genuinis ſpeciebus, evolvendæ ſunt eorundem cauſſæ, inquirendo maxime, quomodo iidem pro diverſitate corporum, atque etiam rerum non naturalium uſu, differant. Ad pulſuum itaque cauſſas quod attinet, originaliter iidem à cordis motu ſyſtaltico & diaſtaltico deducendi ſunt. Hic enim cordis motus maxime omnium dici debet vitalis, & cor primum movens ac ultimum moriens. Scilicet cordis ſtructura ex fibris quamplurimis firmis, tenſis, expanſilibus & contractilibus, ſive elaſticis, longe artificioſiſſime eſt contexta, & ex harum vi ac potentia, vel dum contractionem, ſeu motum activum, ſortitur, qui à ſanguinis aëreo-elaſtici valde ſpirituoſi (qualis fit ex breviſſimo illo circulo ex cordis ſubſtantia in pulmones,

mones, & ex his in hanc, dum portio ſanguinis ex pulmonibus ſubtilioris facti, per ſubſtantiam cordis muſculoſam tranſit, & mox rurſus beneficio arteriæ pulmonalis ad pulmones fertur, tenuior rediturus) per vaſa coronaria tranſeuntis influxu animatur, & potentia ac virtute fluidi ſubtiliſſimi quod ex pari octavo & intercoſtali nervorum affertur, magis augetur.

§. XII.

Et diaſtalticus à ſanguine appulſo.

Deinde quum motus cordis non uno illo contractorio, ſed reciproco altero diaſtaltico abſolvatur, poſterior quidem reſpectu cordis, quod patitur dilatationem, dici ſolet paſſivus; nihilo minus tamen hic quoque motus dilatatorius, qui fit à contractione arteriarum & impulſu ſanguinis in venas, neceſſarius eſt ad ſyſtolen ſive vim elaſticam contractoriam. Etenim quia corporum elaſticorum ea natura eſt atque conditio, ut poſt dilatationem ſeſe rurſus contrahant, & poſt nimiam contractionem iterum amplient ac in priſtinum ſtatum reſtituant: in corde quoque tanquam parte mira elaſtica virtute inſtructa, poſt expanſionem ejus contractio de novo ſuſcitatur, ita, ut experimentis conſtet, quo major & quo crebrior diaſtole & expanſio, eo majorem fieri ſyſtolen & conſequenter pulſum arteriarum. Confirmatur hoc luculenter ex eo, quod affluente copioſius & velocius ſub motu laborioſiori, vel aſcenſu ſcalarum, intenſiori & longiori ſermone, ad cor ſanguine, non modo ejus motus intendatur, ſed & pulſus major & crebrior micet & corpus plus incaleſcat; contra vero ſi debita ſanguinis quantitas cordi vel per largiores hæmorrhagias, vulnerationes, aut venarum inciſiones ſubtrahitur, ſyſtoles ejus cum pulſu & ſanguinis circulo vel valde imminuitur, vel penitus perit ac vita intercidit. Notavimus paucis abhinc diebus ejuſmodi exemplum in fœmina, quæ, cur neſcio, ſubito enorme ſanguinis experta eſt profluvium, ut animo primum deficeret, demum tamen refocillaretur. Sed quum è lecto cruore conſpurcato levaretur & paullo diutius erecta ſederet, ſubito exanimis concidit atque extincta eſt, nullam aliam ob cauſſam, quam quod ſanguine ob ſitum perpendicularem cordi detracto, ſyſtoles periit & ſic totus ſanguinis circulus ſubſtitit, qui forſan promto revocari potuiſſet auxilio.

§. XIII.

Hinc cordis motui reſpondet pulſus: ac ſi

Sicut itaque æquabilis & moderatus influxus ſanguinis in vaſa coronaria, & conveniens ejus quantitas in cordis thalamos effuſa, motum cordis naturalem, æquabilem & moderatum efficit; ita pariter æqualis & temperata ſanguinis in arterias propulſio, & ipſi cordis motui reſpondens, à moderato ſanguinis & fluidi elaſtici in arteriarum tunicas appulſu dependens arteriarum reniſus ac ſyſtole, pulſum facit naturalem, viciſſim præternaturalem, quando ab hoc temperamento recedit. *magnus vel parvus.* Et pulſus quidem magnus, ſive ampla arteriæ dilatatio, indicat copioſiorem ſanguinis ad cor affluxum & ſimilem etiam in arterias effuſionem. Parvus viciſſim parciorem ſanguinis in cordis ventriculos confluxum & exiguam ejuſdem diaſtolen, idemque in arteriis contingere notat. *celer vel tardus.* Quando porro arteriæ celeriter micant, citatiorem ſanguinis ex partibus ad cor ſuccedere refluxum indicio eſt, ſi tarde, tardum. *vehemens ac debilis.* Vehemens pulſus adeſt, ubi celerius ingens ſanguinis copia ad cor per venas appellitur; debilis contra, quum pauca quantitas tarde. *vel inæqualis ac intermittens.* Inæqualis vero arteriarum pulſatio, ſive mox magna, mox parva, mox celeris, mox debilis, intermittens quoque, fit, quando liber ſanguinis tranſitus per vaſa coronaria, vel etiam ventriculos cordis, à quodam obſtaculo impeditur, ac vel ſanguis grumefactus craſſus in vaſis coronariis, vel fibroſum aut polypoſum concrementum in auriculis vel cavitatibus ventriculorum vel vaſorum cordis hæret, vel etiam fit, quando ſanguis craſſus & copioſus celeriter ad cor truditur & ſyſtolen ejus ad tempus opprimit.

§. XIV.

Major quam vulgo putatur ſuccorum in corpore eſt quantitas.

Jam quum pulſus cordis & arteriarum vitalem illum ſanguinis circulatorium motum regat ac tueatur, ac is viciſſim ab hoc ſuſtentetur; quæſtio diſquiſitione haud certe indigna incidit: quoties una hora univerſa ſanguinis & humorum maſſa mediante illo perpetuo circulo per cor tranſeat? In hac autem decidenda, ingens inter medicos eſt ſententiarum divortium, dum non ſolum in determinanda ſanguinis & humorum quantitate in univerſo corpore, ſed etiam ea, quæ uno ictu è corde ejicitur, mirum diſcrepant; ita quidem, ut omnem humorum in corpore ſano, adulto ac robuſto apparatum, alii ad XXX, alii ad XXIV, XX, & XVI. libras accedere autument; pondus autem cruoris, una ſyſtole è corde pulſi, quidam unam unciam, quidam dimidiam, pondere æquare, cenſeant. Verum mihi certe vehementer errare videntur ii, qui tam exiguam molem & portionem humorum per cor & vaſa omnia ferri affirmant, & in eo plerumque decipiuntur, quod tantummodo ſanguinis rationem ineunt, quaſi ille ſolus circumagatur, quum tamen longe major ſit quantitas lymphæ, ſeri, chyli & ſucci alibilis, quos omnes humores innumera vaſcula & tot canaliculi, è quibus maxima ex parte compages corporis noſtri ejuſque partium coagmentata eſt, continent, & qui pariter non ſubſiſtunt, ſed jugi etiam motu circumaguntur, id quod etiam de ſucco cerebri, medullæ ſpinalis ac nervorum dicendum. Deinde illi quoque admodum falluntur, qui quantitatem omnem ſanguinis ex ejus per vaſa aperta effluxu metiuntur, eo quod, hic tamdiu tantum, quam cordis & arteriarum motus, ſuccedit, hoc autem, poſt interceptum à ſubtracto ſanguine ad cor affluxum & ſublatam diaſtolen, pereunte, ſubſiſtit, reſtitante adhuc in vaſis minoribus & inferioribus magna cruoris copia.

§. XV.

Fit major fluidorum quam ſolidorum.

Proinde alia potius via ac methodus excogitanda, qua proportio liquidi ad ſolidum in corpore humano clare & certius poſſit detegi: id quod mea quidem ſententia commodius perfici nequit, quam ſi fluidarum æque ac ſolidarum partium non nihil lance prius libratum calori exponitur, quo humidum aufugiat, & exſiccatum poſtea rurſus ponderatur, videndo, quantum perdiderit ponderis, & inde calculum ſubducendo. Varia hunc in finem inſtitui experimenta, & ſæpius quidem cum ſanguine è vena miſſo, ac deprehendi, quatuor ejus uncias, facta exſiccatione, unam utplurimum unciam ſolidæ materiæ reliquiſſe, ut adeo tres ſint fluidæ, & una tantum ſolida in cruore portio. Deinde fruſtum carnis bubulæ recentis, duodecim unciarum pondere, in clibano non adeo acri & vehementi calore ſiccavi, & aridæ ſubſtantiæ uncias quatuor obtinui, reliquis octo unciis, partim ſub vaporum forma diffiatis, partim cum pinguedine liquefactis & exſtillatis. Oſſa quoque, quæ ſunt ſoliditſimæ & maxime compactæ partes, decoxi ad

aliquot horas cum aqua, exemta poſtea arefeci, & dimidium ponderi eorundem deceſſiſſe compertum habui. Licet autem pondus & quantitas tot membranarum, cartilaginum omniumque ſolidarum partium in corpore humano, exacte determinari nequeat ; illud tamen ex hac computatione recte elicitur : fluidam corporis ſubſtantiam in genere longe ſuperare ſolidam.

§. XVI.

Inde eliciendum quoties ſanguis circuletur.

Ponamus itaque corporis molem attingere CLX. libras, minimum LXXX. libræ humoris in eo erunt. Ponamus porro, quod etiam fere ſemper in ſano homine evenit, quod uno in minuto ſeptuaginta pulſus, adeoque in hora, quæ ſexaginta minutis abſolvitur, quater mille & ducenti pulſus numerentur, & quod ea ſit arteriæ magnæ cordi concretæ amplitudo in robuſto, iſque diameter, ut quovis cordis ictu, unciam unam ſanguinis quam commode recipere poſſit ; calculo ſubducto, patebit, minimum ter intra horæ, ac ſeptuagies & bis intra XXIV. horarum ſpatium, humorum microcoſmicorum pelagus curſum conficere & cor in circulum abeundo perlabi. Et tam crebra liquorum corporis per cor & omnia vaſa circulatio, eam maxime ob cauſſam neceſſaria eſt, quo ſuccus ille, qui ex ingeſtis eſculentis & potulentis extrahitur, ac in mediocriter robuſto & non valde agili vitæ genere minimum ad ſex libras accedit, cum ſanguine intime miſceri, ad minima vaſcula per univerſam compagem pelli, iterumque per ſubcutaneos maxime & urinarios tubulos exire poſſit; quandoquidem obſervationibus ſtaticis liquido conſtat, corporis adulti idem ſemper fere manere pondus, & egeſta æqualiter reſpondere ingeſtis.

§. XVII.

De cauſſis quæ pulſum immutant.

Ut autem ad pulſus eorumque cauſſalem diſquiſitionem redeamus, probe tenendum eſt, pulſum tam quoad celeritatem, quam magnitudinem, non in omnibus omnique tempore unum eundemque obſervari, ſed ratione magnitudinis cordis & vaſorum, copiæ & temperiei ſanguinis, nec non virtutis elaſticæ canalium, multum differre, & hinc quoque pro ratione ſexus, ætatis, temporum anni, aëris, motus, victus, ſomni, vigiliæ, animi pathematum admodum diſcrepare.

& quidem ſexus.

Si ſexum ſpectemus, viri plerumque mulieribus pulſum majorem & citatiorem, fœminæ tardiorem & debiliorem obtinent, quippe viri, corde majori & ampliori, cui, ut ego in quamplurimis ſectionibus obſervavi, ſemper vaſorum amplitudo reſpondet, firmioribus quoque fibris & ſanguine magis calido turgeſcente, quam fœminæ inſtructi ſunt, quæ vaſa habent exiliora, laxiora & copioſiora. Deinceps in cholericis & ſanguineo-cholericis, arteriæ validius & celerius micant, quam in iis, qui phlegmatici & melancholici ſunt temperamenti. Nam cholericorum ſanguis majori copia partium ſulphurearum, quæ fons & matrix motus inteſtini calidi & orgaſtici ſunt, ſcatet, hinc tenuior, fluxilior magiſque coccinei coloris eſt, citatius curſum conficit & excretiones promtiores facit. Quoad corporis habitum macilentiores & qui fibras ſtrictiores & ampliora vaſa habent præ obeſis, qui laxis fibris dotati, vaſaque gerunt anguſta, majorem & validiorem arteriarum pulſationem experiuntur; unde etiam ſaniores, robuſtiores ac ad perferendos labores aptiores ſunt illis.

tempera-mentum.

corporis habitus.

§. XVIII.

Porro ætas multum ad modificandum arteriarum motum confert. Nimirum infantes inſignem ſuccorum copiam ad alimoniam & incrementum neceſſariorum alunt, unde crebriores fiunt diaſtoles & pulſus, qui tamen ob fibrarum teneritudinem & laxitatem, molliter tangentis manum feriunt. In juvenibus ac viris maximus corporis vigor, ſanguis calidus & fibræ ſtrictiores, & hanc ob cauſſam in iiſdem pulſus ſtrictior, major & vehementior obſervatur. Senes vero fibras gerunt rigidiores, & ſanguis ob ceſſantem nutritionem redundans, anguſtatis nimium minimis canaliculis, in majoribus vaſis ipſoque corde majorem dilatationem, adeoque pulſum magnum & quodammodo durum facit, qui tamen ob cruorem, deficientibus particulis calidis ſulphureis, craſſum ac ſpiſſum, tardior eſt. Labor, motus & exercitatio corporis, & pulſum, & circulum ſanguinis, & excretiones præſertim perſpirationem, augent; quies autem & otium & tardiorem, & debiliorem, ſanguinis progreſſum, adeoque etiam arteriarum motum efficiunt. Eundem cum motu præſtat effectum reſpiratio, per ſermonem excitatum, vel aſcenſum acclivium intenſior facta, qua ſanguis non ſolum velocius per pulmones, ſed etiam univerſi corporis canales agitur, ac pulſus magnitudine & celeritate increſcit. A vigilia evidentior arteriarum percuſſus ſentitur, in ſomno vero tardior & languidior eſt. Poſt potum ſumtum calidum v. g. infuſi Coffée & Thée, vel etiam aquarum thermalium, ſtatim frequentiores vibrant pulſus, nec non poſt ingeſtum cibum, adeo ut ſæpius experimentum ceperim, & quum ante prandium in minuto arteriæ ſeptuagies, in quibuſdam ſexagies quinquies pulſarent, poſt illud ad LXXV. vel LXXX. quin C. pulſus aſcenderent. Nihil vero tam ſubito pulſum cordis & arteriarum mutare valet, quam animi affectus ; & à terrore quidem pulſus fit inæqualis, parvus & contractus, à gaudio frequens & magnus, ab ira celer ac durus, à triſtitia tardior, minor, profundior ac debilis, & poſt impenſas meditationes, languidus ac debilior, neque dubium eſt, quin in deſideriis & affectibus venereis crebrius pariter turbetur.

Ætas.

Labor.

quies.

Sermo intenſus.

Vigilia.

Potus calidus.

cibus.

animi affectus.

§. XIX.

Quam eximia præterea aëris circumflui ac tempeſtatum ſit efficacia ad ſanguinis per arterias motum earundemque percuſſum conturbandum, quotidianis experimentis inclareſcit. Inprimis experientia compertum habemus, quod ſimul ac poſt diu in atmoſphæra regnantes zephyros, vel auſtros, aquilo, vel eurus flare incipit, mox major tenſio arteriarum fiat, major quoque vigor & magnitudo in pulſibus, quod etiam obſervatur, quando argentum vivum in barometro ſitum ſuum humilem mutat & ad ſuperiora ſcandit. Contra ea, ſi atmoſphæra & denſa, humida, pluvioſa & diuturna auſtrina ejus conſtitutio, ſub vita præſertim ſedentaria, longiori ſomno, & autumnali tempore, langueſcit pulſus & minor redditur, ſimul quoque ſanguinis circuitus cum excretionibus, inprimis perſpiratione impeditius ſuccedit. Ex eodem fonte derivandum, quod pulſus in arteriis pro anni temporibus mirum variet. Videlicet vere medio, ut Maio menſe, maximus vigor corpori ineſt, & pulſus magnus, interdum vehemens percipitur. Æſtate media arteriæ celeriter, ſed debiliter,

Aër.

Anni tempora.

biliter, percutiuntur, quoniam ob æſtum major inteſtinus & calidus partium ſulphurearum fit motus, ſpirituoſæ autem elaſticæ exhalant. Autumno pulſus tardi, molles & debiles percipiuntur; & hieme duriores ac majores micant.

§. XX.

Medicamenta purgantia & emetica. Accedunt medicamenta, quibus identidem peculiaris vis atque virtus ineſt, motum cordis & arteriarum pulſum variis modis immutandi. Etenim quotidianæ obſervationis eſt, à draſtico ſumto purgante, quod ſpaſmis ventrem exercet & plures dejectiones movet, pulſum duriorem, citatiorem & debiliorem, cum virium languore reddi; qualis effectus etiam ab aſſumto fortiori emetico ſequitur. *martialia.* Medicamenta ex marte parata id ſervant ſingulare, quod ſulphure ſuo metallico egregie fibrarum & canalium elaterem firment atque intendant; unde poſt eorum uſum pulſus major & robuſtior percipitur, color faciei vividior conſpicitur & calor corporis adaugetur; quæ ſi obſervantur phænomena, indicium ſunt boni à medicamento dato effectus, ad expediendas maxime obſtructiones in corpore cachectico. Quumque Lauchſtadienſes medicati fontes eximiam martialis elementi copiam in ſinu foveant, exquiſita utique ratione nititur, quod ſæpius expertus ſum, ab eorum potu pulſum languidum antea & minorem, in ſexu potiſſimum ſequiori, majorem & frequentiorem reddi ac intendi. *corticis chinæ.* Idem quoque ab uſu corticis Chinæ in intermittentibus adverti: quippe die vacuo, quo arteriarum percuſſus ſolet eſſe valde tardus, parvus & debilis, hoc propinato, vegetius & robuſtius micare cœperunt, indicio, auſpicatam hujus remedii cæteris paribus eſſe operationem.

§. XXI.

Volatilia. Pharmaca, quæ ſale volatili, acri & oleoſo turgent, ut eſſentiæ & ſpiritus bezoardici, alexipharmaci, ordinario amplificant & exaugent pulſum atque cordis & arteriarum diaſtolen, ob principium ſulphureum volatile, expanſivum orgaſticum; & quia ſanguinis circuitus inde promovetur, non modo perſpiratio, ſed & debito adhibito regimine, ſudor largior ſubſequitur. *Analeptica.* In enormi virium defectu & imminente animi deliquio, arteriarum motus languidus, tardus & parvus, vix interdum perceptibilis obſervatur, adhibitis autem interius & exterius balſamicis & ſpirituoſis aromaticis, mox immutatur & augetur, qualem effectum etiam vinum generoſum præſtat. *Acida & nitroſa.* Acida viciſſim & nitroſa, peculiari ratione ſulphur ſanguinis, à quo inteſtinus ejus calidus motus dependet, figendo & refrenando, corpus refrigerant & ſimul ſemper reddunt arteriarum motum pacatiorem; quare etiam eorum uſus, ubi pulſus ratione magnitudinis & celeritatis nimium eſt adauctus, ut in æſtu febrili, præſentiſſimæ eſt efficaciæ.

§. XXII.

Vaporifera & narcotica. Quæ ſulphure quodam vaporoſo, naturæ adverſo, ut ſunt, quæ ſomnum inducunt, ex opio potiſſimum parata pharmaca, multo magis quæ narcoſin & ſtuporem conciliant, quo nomine hyoſcyamus maxime & ex eo concinnata celebrantur, imbuta ſunt, pulſus percuſſum valde parvum & debilem efficiunt ac vires proſternunt. Et mirandum certe eſt, quam ſubito hæc ipſa medicamenta, exigua etiam doſi oblata, vires dejiciant, elaterem ſolidorum & potentiam motricem minuant, nullam aliam ob cauſſam, quam quod principio ſuo ſubtili, ſulphureo, valde expanſivo, intima nervorum penetrent, & liquidum quod vehunt puriſſimum, magnæ ad movendum efficaciæ, adverſo ſuo vapore contaminent; eodem modo ac verſa vice, quæ amico, fragranti ſulphure ſcatent, motum cum viribus erigunt atque adaugent. Pariter experientia conſtat, ab aſſumtis aliis venenis corroſivis, quorum notiſſimum arſenicum, pulſum minorem, contractum, durum atque frequentem fieri, qui ante mortem aliquot horis deficere ſolet, ut percipi plane nequeat. *& venena corroſiva.*

§. XXIII.

Venæ ſectio. Si ob nimiam ſanguinis redundantiam & ampliorem alveorum diaſtolen, cordis ſyſtoles non ſufficienter reſpondet, & pulſus ea propter minor fit ac deprimitur; facto per ſufficientem ſanguinis miſſionem ſpatio, arteriæ vegetius & celerius ſaliunt, ipſeque ſanguinis progreſſus promtior fit atque liberior. Et quia menſium vel hæmorrhoidum fluxus ſæpe ob nimiam plethoram ſupprimitur, evenit, ut poſt ſectam venam, ob celeriorem ſanguinis curſum, brevi tempore poſt inſigni valetudinis cum emolumento reſtituatur. *& balnea.* A balneis tam ſiccis & vaporoſis, quam humidis, pulſum vehementer augeri certiſſimum eſt, adeo, ut ſi paulo calidius adhibeantur, febrilis evadat, quem univerſi corporis æſtus, cordis palpitatio & capitis dolor ſequitur. Etenim in ejuſmodi balneis à calore externo humido major ſanguinis humorum proritatur expanſio, quæ, ſi nimius balnei æſtus eſt, tantopere augeri poteſt, ut ſyſtolen cordis nimia reſiſtentia ſuſpendat, & lipothymiæ balneantibus, ut crebrioris obſervationis eſt, accidant. Quin pediluvia tantum, circa lecti introitum recte uſurpata, & ſanguinis & arteriarum motum intendere, multiplici conſtat experientia.

§. XXIV.

Magna itaque rerum corporearum vis. Hæc itaque omnia uberius hactenus excuſſa, evidentiſſime confirmant: magnam ac præſentaneam rebus externis corporeis, quibus ad vitam tuendam quotidie utimur, ineſſe facultatem, cordis motum & arteriarum pulſum, adeoque univerſam actionum vitalium, naturalium & animalium œconomiam, in melius, vel deterius mutandi. Quibus certe effectibus, quaſi totidem argumentis, apertiſſime erroris convincuntur, qui phyſicis hiſce rebus omnem omnino in corpus agendi illudque movendi potentiam denegant, & principio cuidam rationaliter & moraliter agenti, motuum cauſſam & directionem modo plane non intelligibili tribuunt. *Ad pulſum mutandum.* Quumque adeo pulſus multis variiſque cauſſis mutari poſſit, periti omnino medici eſt, ut eaſdem curate expendat omnes, ne in promendo ex iis judicio fallat ac fallatur. *Hinc cautum judicium.* Nam pulſus quidem certum ſignum & index motus cordis & circuli ſanguinis eſt, ſed ſi ſolus is ſpectetur, & non aliarum ſimul circumſtantiarum, vel cauſſarum externarum, ratio habeatur, in judicando admodum decipere poteſt. Exemplo ſit pulſus intermittens. Hic plerumque pro periculi pleno, quin lethali, habetur quidem; experientiæ tamen fide conſtat, eundem ſæpe in ſanis, frequentius in hyſtericis, nec non colica, ſine exitio, obſervari. *Riverius Cent. III. obſ. 3.* intermittentem pulſum notavit à lumbrico, quo excreto, arteriarum motus ad naturalem ſtatum rediit. Idem auctor *cent. II. obſ. 77.* pulſum diu & ſæpe, ob polypum, ſuperſtite longius vita, intermittentem, ſe tetigiſſe, teſtis eſt.

Et

Et *Kerkringius in ſpicileg. obſ.* 78. ſyſtolen cordis interceptam adeoque pulſum ſufflaminatum, ſine funeſto eventu, ſe vidiſſe confirmat. Flatus quoque pulſum ſuſpendere, *Pechlinus lib. II. obſ.* 8. confirmat exemplo cujuſdam, cui flatuum exſurgentium copia mirifice cor conſtringebat & interturbabatur pulſus, ſtatim vero ac copioſi ructus exirent, liberabatur. Et *lib. cit. obſ.* 7. *pag.* 214. diſertis verbis teſtatur: ſe pulſum ſubinde intermittentem in ſcorbuticis, in fœminis junioribus male menſtruatis, ſine ullo majori incommodo, ſpectaſſe.

§. XXV.

Teſtimonia. Quare egregium *Fernelii* eſt monitum, quod *lib. III. de pulſ. pag.* 160. inculcat: *quotidianæ*, inquiens, *corporis affectiones pulſus immutant, ſine quarum animadverſione, non certo poteſt pulſus percipi, nec quantum per morbos à naturali diſtet.* Eandem quoque in rem quam maxime commemorabilis *Celſi* locus *lib. III. cap.* 6. & dignus, qui totus tranſcribatur, dum ait: *venis maxime credimus fallaciſſimæ rei, quia ſæpe iſtæ lentiores celerioreſve ſunt, & ætate, & ſexu, & corporum natura. Et plerumque ſatis ſano corpore, ſi ſtomachus infirmus eſt, nonnunquam etiam incipiente febre, ſubeunt & quieſcunt: ut imbecillus is videri poſſit, cui facile laturo gravis inſtat acceſſio. Contra ſæpe eas concitat & reſolvit ſol, & balneum, & metus, & ira, & quilibet alius animi affectus, adeo ut, cum primum medicus venit, ſollicitudo ægri dubitantis, quomodo ille ſe habere videatur, eas moveat. Ob quam cauſſam periti medici eſt, non protinus ut venit, apprehendere manu brachium: ſed primum reſidere hilari vultu, percunctarique, quemadmodum ſe habeat; &, ſi quis ejus metus eſt, eum probabili ſermone lenire; tum deinde ejus carpo manum admovere. Quas venas autem conſpectus medici movet, quam facile mille res turbant!*

§. XXVI.

De pulſus mutatione in morbis. Atque hæ ſunt cauſſæ, quæ arteriarum motum variare & multis modis in ſtatu naturali mutare poſſunt: proximum nunc eſt, ut quomodo quibuſque rationibus, pulſus præter naturam in variis morbis immutationem ſubeat, exponamus; quo medicus ex hac pulſuum dignotione, ad cognitionem cauſſarum internarum & effectuum eo melius pervenire, & ſic ex iiſdem, & morborum, & cauſſarum morbificarum, ſigna atque *& quidem febribus.* indicia cum certa ratione petere poſſit. Quum vero ex omni morborum claſſe præcipuus, immo quaſi univerſalis ſit febrilis, qui nulli ætati, ſexui & temperamento parcit, plurimis morbis ſeſe complicat, multos etiam interimit ipſiſque medicis plurimum negotii in curando & præſervando faceſſit; maxime omnium è re fore arbitror, ut paullo accuratius diſpiciamus: an certo pulſu, & quonam, febris, cujuſcunque ſit generis, certo dignoſci poſſit? ſive quinam pulſus ſignum pathognomonicum febris præbeat? Jam quidem non levem hac de re inter medicos tam veteres, quam recentiores, vigere diſſenſum, videmus, dum alii pulſum celerem, alii frequentem, alii cum *Galeno* pulſum celerem & frequentem ſimul, pro pulſu febrili, ſive febris genuino ſigno, venditant. Ego vero jam ſupra clarius oſtendi, controverſiam hanc nullius fere eſſe momenti & facile hac ratione dirimendam, ſi ex vero ponamus: frequentiam proprie non eſſe de natura nec motuum, nec pulſuum, celeritatem autem ſingulorum pulſuum non poſſe dijudicari *quinam ſignum frequentia.* & exquiſite determinari, quam per ictuum numerum frequentiorem, ſive ſæpius repetentem. Hinc quando quæſtio eſt de pulſu febrili, celer quidem proprie is eſt, qui febribus jungitur eaſdemque indicat; quia tamen frequentia à crebrius repetita vibratione magis in ſenſus incurrit, & celeritatem comprehendit, rectius utique ii medicorum ſentiunt, qui pulſum frequentem pathognomonicum febris ſignum eſſe aſſerunt.

§. XXVII.

Quod teſtantur auctores. Et ſane quamplurimi ex recentioribus quoque non infimi ſubſellii medici, hoc aſſertum calculo ſuo comprobant. Audiamus *Sylvium*, qui in *praxi lib. II. pag.* 460. ita diſſerit: *hoc unicum febri omni ſoli & ſemper competens ſignum eſt, adeoque pathognomonicum, pulſus ſcilicet præter naturam frequentior, quo præſente, febrem adeſſe, abſente autem, abeſſe, certo pronunciari queat. Nec enim aliud ſignum quod competat omni febri innotuit Practicis, reliqua enim ſigna omnia, non tam febrem, quam febris ſpeciem, gradus & tempus indicant aut demonſtrant.* *Sylvio* aſſurgit diligentiſſimus obſervator *Ettmüllerus*, in *tomo pract. p. m.* 248. *pulſus*, inquiens, *naturaliter frequentior recte ſtatuitur ſignum pathognomonicum febrium* à Sylvio, *tam in* diſſertatione de natura febrium, *quam* in praxi, *quicquid in contrarium ſcribat* Deuſingius, Tract. diſquiſitione Anti-Sylviana. Idem confirmat clarus Belgarum Practicus *Deckerius*, in *notis ad Barbette p.* 102. *ubicunque*, ſcribens, *pulſus præter naturam frequentior obſervatur, ibi febris eſt.* Et *Schelhammerus in tr. de pulſ. p.* 27. frequentem in omni febrium genere nunquam non ſeſe offerre ſcribit, & cum calore earum eſſe ſignum pathognomonicum.

§. XXVIII.

In febribus quoque adeſt pulſus durus. Monendum vero eſt, quod licet in omni febre pulſuum præſto ſit frequentia, minime tamen ex eo concludere liceat, ubi pulſus frequens, ibi febris. Nam ſuperius jam in cauſſarum evolutione oſtenſum eſt, in pueris & cholericæ temperaturæ viris eſſe, & à motu fortiori corporis in balneo, aſſumto ſudorifero, ab animi pathematibus, poſt epilepſiam & vinum potum, naturalem arteriarum motum fieri frequentiorem; quum tamen febris abſit. Quapropter hæc cautio à medico, ne decipiatur, adhibenda eſt, ut prius ſtudioſe exploret: an forſan à cauſſa externa hæc pulſuum frequentia fuerit orta; ac deinceps ut inquirat: num etiam alia febris eſſentialia ſigna, ut horror & refrigeratio extremorum, adſint. Porro etiam probe notandum id, quod à paucis notatum, quod ſcilicet in febribus omnibus frequens non modo ſit pulſus, ſed & ſimul ob tenſionem arteriæ, plus renitens & naturali durior. Nam certe pauciſſimæ ſunt febres, in quibus pulſus non ſolito durior obſervatur, exceptis modo quibuſdam vere malignis febribus ſudoriferis, è quarum numero maxime ſudor ſic dictus Anglicus & colliquativus, quæ potius undoſo pulſu ac ſumma virium dejectione indicantur. Febris quippe, ſecundum noſtram rationalem demonſtrativam explicationem, eſt affectio ſyſtematis nervoſi & vaſculoſi, univerſali ſpaſmo quodammodo conſtricti, qui non modo nervoſas & muſculoſas fibras, ſed & ipſa arterioſa vaſa eorumque tunicas, quæ ex fibris nervoſis & muſculoſis conflatæ ſunt, afficit. Et ab hac tenſione & conſtrictione partium, quæ ſic proprie de eſſentia febris eſt, dependet non modo tenſio & durities, ſed & frequentia pulſuum aliaque

que ſymptomata febri juncta; quandoquidem ſpaſtica hac fibrarum ſtrictura, dum vaſa capillaria nimium anguſtat, anguſtia celeritate compenſatur, & ſanguis citatiori mutuo attritu incaleſcit; à priori frequentia, à poſteriori, corporis æſtus.

§. XXIX.

Variat tamen pro tempore febris.

Ut autem paullo ſpecialius innoteſcat, quomodo in variis febrium generibus pulſus ſit comparatus, primo tenendum eſt loco: eundem quoad tempora decurſus morbi febrilis, eximie differre. Nimirum in principio continuæ, vel paroxyſmo intermittentis, plerumque tenſus eſſe ſolet, parvus & frequens, deinde augeſcit & paullo major fit, tum in ſtatu, ſive vigore æſtus, in magnitudine adhuc creſcit & vehementius ferit, & tandem circa declinationem, & tenſio, & celeritas remittit, ſimulque ſecretiones & excretiones in cute, perſpiratio nempe & ſudor ſuccedere incipiunt. Malum contra indicium eſt, ſi in febribus continuis, circa dies criticos, ſeptimum ſcilicet, nonum & undecimum, cum horrore & refrigerio extremorum, pulſus fit parvus & celer, vel etiam celer & vehemens, cum urina aquoſa & tenui, eo quod ſpaſmos in extremis augeri & ſanguinem impetuoſe ad caput agi, ob fractum robur ibi exitialem phrenitidem inducturum, nunciat. Peſſimi autem præſagii eſt parvus, frequens & debilis, quippe qui, virium ſummam proſtrationem & internam inflammationem in ſphacelum concedere ſubindicat, cui ſi complicatur inæqualis & intermittens, mortis periculum prodit.

qui malus?

§. XXX.

De pulſu variis febrium generibus.

Deinceps in principio quartanæ pulſus parvus, durus, frequens & inæqualis eſſe ſuevit, & in ſtatu tertianæ, item ardentis, vehemens. In febre ſynocha magnus quoque & celer arteriarum percuſſus, qualis maxime venæ ſectionem indicare ſolet. Ante eruptionem exanthematum in variolis & morbillis, arteriæ quoque frequenter pulſant, poſt eruptionem autem & tenſio & frequentia exſpirat, tempore vero ſuppurationis rurſus pulſus frequens fit ſub febre ſic dicta ſecundaria, & ſub declinatione iterum ſucceſſive redit ad ſtatum naturalem. In malignis & petechialibus frequens quidem, parvus & debilis, ſed contractus micat pulſus, cum magna virium proſtratione, qui, ſi in mollem & undoſum tranſit, cum multo ſudore & urina ſanorum ſimili, non remittentibus ſymptomatibus, mortem præſagit. In febribus inflammatoriis, & ubi dolores juncti ſunt, ut peripneumonia, ordinario durus & frequens, quandoque etiam magnus percipitur. Et catarrhales denique febres ipſasque lentas, pulſus veſperi ingraveſcens & celerius ſuccedens ſtipat & indicat.

§. XXXI.

In aliis morbis ut capitis

Ad reliquos porro morbos quod attinet & ad pulſus in iis habitudinem, in his quidem qui caput obſident, ut mania, phrenitide, melancholia, multum quoque variare ſolet, & modo celer, modo tardior, modo languidus, modo robuſtus, nonnunquam inæqualis, tangitur, plerumque vero in his morbis intra caput fortiter arteriæ pulſare ſolent, à ſanguine copioſius ibi congeſto, cum dolore tractorio & lancinatorio, luculento indicio, multum ad cordis & arteriarum ipſiusque ſanguinis motum turbandum conferre cerebri membranarum & nervorum conſtitutionem. In aliis, ut epilepſia, apoplexia & hemiplexia, præſertim, ſi major ſanguinis copia præſto fuerit, durus plerumque & frequens, quandoque etiam magnus, deprehenditur. Viciſſim ubi reſolutum genus nervoſum vireſque proſtratæ, in lethargo, ſopore & diſpoſitione ad ſyncopen, mollis, rarus & languidus tangitur, qui, ſi demum adeo gracileſcit, ut vix percipi queat, corpus interea frigido ſudore perfunditur, lethalem ingruere cataſtrophen per ipſam conſtat experientiam. Quando pectus & partes in eo contentæ vitales patiuntur, pulſus utplurimum frequens, languidus & inæqualis eſſe ſolet; qualis potiſſimum deprehenditur in cordis palpitatione, nec non in aſthmate convulſivo, ubi tamen plerumque intermittens jungitur, præſertim ſi uterque morbus à polypoſo concremento, intra cor vel ejus vaſa, fovetur.

pectoris.

§. XXXII.

Hæmorrhagiis.

Quod ſi porro ſanguis redundans exitum moliri incipit v. c. per menſes aut hæmorrhoides, creber, parvus & quodammodo durus arteriarum eſt motus, ob ſpaſmos, quibus ſanguis ad locum excretorium congeritur; quum vero perrumpit, increbeſcit & in magnitudine augetur. Affectus ſpaſmodici, hypochondriaca & hyſterica pathemata, dolores coli & calculi, nec non qui caput aliasque externas quoque partes infeſtant, ſub pulſu crebriori ac duro, affligunt, qui, ſi molleſcit & amplior fit, ſpaſmos in ſyſtemate nervoſarum partium conquieſcere & ſanguinis motum ad naturalem ordinem redire portendit. In dyſenterico alvi fluxu utplurimum arteriarum pulſatio frequens & parva; ubi vero febris complicatur, frequentiæ magnitudo jungitur. Lues denique venerea, ſcorbutus, cachexia & hydrops, pulſu languente ac debili ſtipantur.

ſpaſmodicis & doloribus.

Dyſenteria.

Lue venerea &c.

§. XXXIII.

Concluſio cum monitis.

Atque hæc ſunt, quæ de pulſibus & judicio recte ex iiſdem formando, in ampliſſimum uſum breviter dicta ſunt. Interim tamen, quia hæc doctrina ita comparata eſt, ut apprime in eandem quadret, quod *Celſus* de medicina generatim edixit, plura eſſe, quæ nec dici poſſint, nec ſcribi; monendi utique ſunt artem exercitaturi, ut experientia duce eandem mature addiſcere laborent, & exquiſito ſtudio in cognoſcendis ac dijudicandis pulſibus verſentur. Mirandum autem certe eſt, noſtros medicinæ practicos ad ægrorum lectos accedentes pro more tantum pulſum contrectare, tam levi brachio, ut vix duos ictus exſpectent, quum tamen ſæpenumero poſt decem demum vibrationes, inæqualitas vel intermiſſio percipiatur, maxime, quando ſanguis inæqualiter mixtis partibus refertus cordis penetralia pertranſit. Neque etiam ſufficit, pulſum in uno tantum carpo tangere, ſed in utroque id faciendum, quin in collo quoque & temporibus; eo quod experientia teſtatur, diſcrepare ſæpius pulſum in manuum carpis, & in uno loco commodius quam in altero explorari. Quumque non minus multum interſit, ut pulſuum numerus atque celeritas exacte diſtinguatur ac determinetur; apprime ex uſu eſſe poterit ad normam horologio, quod minuta ſecunda indicat, ſingulos ictus accurate numerare ac definire.

CAPUT

CAPUT XIII.

De judicio ex ſanguinis inſpectione & examine recte eliciendo.

§. I.

In medicina judicio opus.

VIx ulla datur diſciplina, quæ tanto judicio opus habet, ac ipſa medica, ita prorſus, ut omne medici officium in recto & ſano judicio conſiſtere videatur. Nam ad corporis ægrotantis naturam pernoſcendam, ad morbi genium, cauſſas ejus, progreſſum, ſucceſſum & eventum indagandum, ad congrua quoque remedia invenienda, eaque certo ordine & tempore applicanda, itemque ſi ad valetudinem tuendam, & morboſas varii generis, pro differenti corporum natura arcendas afflictiones, conſilium, quæ ſalubria, vel inſalubria ſint, promendum, exquiſito ſemper maxime opus eſt judicio. Hinc certe quo magis medicus perſpicaci judicio excellit, eo præſtantior merito habendus eſt. In nulla tamen medicinæ parte, ſi famam & exiſtimationem ſuam tueri velit artifex, tam caute & circumſpecte ſe gerere debet, & attentiori omnium circumſtantiarum penſitatione ac perita deliberatione ſua perficere, quam in ea, quæ ſemiotica dicitur, & in dignoſcendis morbis eorumque ſucceſſu atque eventu prædicendo occupatur.

maxime in ſemioticis.

§. II.

Prognoſis optime ex ſanguinis circulo deſumitur.

Quemadmodum vero omnes prænotiones & prædictiones certis quibuſdam ſignis atque indiciis nituntur; ita prognoſis pariter medica nec hiſce eſt deſtituta. Certiſſima tamen ac optima ad rectam ac fidam prognoſin formandam ratio eſt, qua medicus ex eo fundamento, quo vita & integritas omnium actionum continetur, tanquam optimo criterio, judicandi rationes petit atque elicit. Jam vero omnium conſenſione, progreſſivus ille & vitalis ſanguinis & humorum, beneficio motus ſolidorum ſuccedens circulus, uti univerſæ medicinæ, ita etiam Semiotices, principium eſt atque fundamentum. Ex quo quidem liquido primum pateſcit, pulſuum exactiorem doctrinam & rationalem explicationem, quam antecedenti capite perſequuti ſumus, medico ſcitu maximopere eſſe neceſſariam.

§. III.

Per pulſum & inſpectionem ſanguinis.

Quumque adeo ſanguis princeps ille humor ſit, à quo vita, ſeu conſervatio corporis noſtri vitalis & omnium functionum integritas, item ſecundum *Hippocratem* prudentia ipſius mentis, dependet, & ſine quo anima nihil efficere poteſt: poſt pulſuum, ſive ſanguinis per cor & arterias motus diſquiſitionem, in quæſtionem merito cadit: annon ex ipſo ſanguine ejuſque examine & inſpectione, de integro vel morboſo corporis ſtatu indicia promi, & remedia quoque, quæ utilia, vel noxia, deſumi queant? Vulgus quidem ea in opinione verſatur, & à medico æque ac Chirurgo quam maxime urget, ut ex ſanguine è vena miſſo, de ſtatu ſanitatis vel morbi, judicium proferat. Neque deſunt medici, qui multa & mira ex inſpecto ſanguine hariolantur, quo morbo nempe æger laboret, quæ cauſſa morbi ſit, & quibus remediis ad ſanguinem emendandum utendum. At vero utut non penitus hanc doctrinam repudiare aut rejicere velimus; multis

quæ ſemen fallax.

tamen eam difficultatibus laborare & admodum infidam eſſe, non ſine ratione profitemur.

§. IV.

Quia ſanguinis bonitas nunquam evicta in omnibus una.

Videlicet nondum res inter medicos confecta eſt, quinam optimus habendus ſit ſanguis, dum alii tenuem, fluidum & rubicundum, alii talem qui mox poſt emiſſionem in gelatinam rubram concreſcit, quidam, qui coagulum craſſum in fundum deponit, & fluidam in ſuperficie mediocrem ſeri quantitatem monſtrat, pro optimo agnoſcunt. Quiſquis vero optimus ſit, illud tamen certum, vitalem hunc purpureum liquorem ratione ætatis, ratione victus & vitæ generis, ratione regionum & anni temporum, etiam in ſanitatis ſtatu magnopere variare, adeoque univerſali normæ penitus non eſſe locum. Deinceps corpora quæ integro & gelatinoſo nitide rubicundo gaudent ſanguine, ut ſunt ſanguineæ complexionis hominibus, multis & gravibus ſæpe morbis attentari, non facile quiſpiam peritus medicus negabit, multo minus ii, qui ſanguinis abundantiam pro frequentiſſima morborum cauſſa æſtimant, dubitabunt.

§. V.

Sanguis aſpectu ſæpe malus in ſanis & vice verſa.

Tum etiam hoc per experientiam curioſiorem obſcurum eſſe nequit, ſub ſanguine, qui aſpectu pravus videtur, nihil tamen incommodi percipi; & viciſſim optimum quoad ſenſum ſanguinem, ex ægro & graviter decumbente corpore extrahi. Notatu hanc in rem digna ſunt quæ prodidit *Ballonius obſ. II. Ephemerid. pag.* 91. dum ait: *plurimis impurus ſanguis detractus, quibus mortuis & ſectis, partes integræ deprehenſæ; aliis purus, quibus viſcera & pulmones putres ſunt inventi, & formoſiſſimis mulieribus ſemper fere impurus detrahitur.* Idem teſtatur *Mauritius Hoffmannus in inſtit. diſſ. VII. impurus*, inquiens, *ſanguis, ſæpe præ puro vitam diutius promovet, & in quibuſdam corporibus optimus ad ſenſum peſſimus eſt.* Ego quoque ſæpius obſervavi, in ſcorbuticis, hecticis, ſanguinem eleganter rubicundum ac fluidum emitti, in ſanis vero & robuſtis corporibus, denſum, glutinoſum, nigrum & facile coagulabilem. Inprimis Weſtphali, qui duriori & ſalſo victu cum pane groſſiori utuntur, citra incommodum quoddam, multo minus morbum, ſanguinem valde denſum alunt, & qui crebrius, ſi refrigeſcit, in ſuperficie ſerum inſtar glutinis concreſcens & variegatum exhibet. In apoplecticis pariter, paralyticis, item morbis ſpaſmodicis, convulſivis, ſæpe optimum ratione coloris & conſiſtentiæ deprehendi ſanguinem. Quin vidi, ax arteriolis in virulento carcinomate diſruptis, ſanguinem fluidum & nitide rubicundum ſtillaſſe, qui exterius nihil plane vitii habuit.

§. VI.

Et tum demum nocet.

Fallax itaq; atq; infidum omne ejudicium, quod ex ſola ſanguinis inſpectione arceſſitur; unde etiam procul dubio factum, quod antiquiſſimi artis noſtræ antiſtites, *Hippocrates* & *Galenus*, qui omnes ſanguinem ceu vitæ theſaurum agnoverunt, de judicio in morbis ex ejus aſpectu ferendo parum admodum prodiderint. Sane ſanguis, etiamſi vitioſus, quamdiu promte & expedite per corporis meatus movetur, non facile lædit; & optimus contra, ſi vel ſtagnat, vel firmiter impactus hæret, aut extra vaſa effunditur, non modo morbi, ſed & ipſius interitus cauſſa fit. Nam qui morborum & ſymptomatum genealogiam probe callet, is facile perſpiciet, eorum originem, non

tam

tam à craſi vitiata fluidorum, quam potius à vitio ſolidorum, vitio loci maxime & motus, eſſe arceſſendam. Optimæ certe notæ ſanguinis portio, quando vaſis elabitur, putreſcit & funeſta excitat ſymptomata, in cerebro apoplexiam, febrem, convulſionem epilepticam & lege conſenſionis vomitum in ventriculo; intra cavitatem thoracis, vel abdominis paullo majori quantitate effuſus, in fœdam & lethalem abit putredinem. Si vaſis adhuc contentus cruor membranis cerebri firmius impactus hæret, phrenitidem, in tunicis ventriculi & inteſtinorum funeſtam inflammationem, in ſphacelum abeuntem, ciet. In cordis thalamis & vaſis majoribus ubi congrumatus hæret, ſyncopen vel ſubitam mortem producit. In ſubſtantia muſculorum quum firmam concipit ſtafin & in motu progreſſivo ſiſtitur, in ſphacelum, ſive mortiferam concedit putrilaginem.

quando extravaſatur.

aut ſubſiſtit.

§. VII.

Neque ullum amplius præterire poterit, viſcerum à ſanguine vel ſero infarctum, obſtructionem & indurationem, graviſſimas chronicas paſſiones, cachexiam, hydropem, hecticam ingignere, in quibus ſæpe ſanguis è vena miſſus vitio carere videtur. Et ſicuti venenum datum exigua mole, ſanum & qui integrum ſanguinem habet cito necare valet; ita etiam miaſma in peſte & aliis contagioſis morbis, vel materia in podagra, arthritide, & ſcabie retropulſa, ſævis ſpaſmis, citra vitium in ſanguine, homines perimit. Quin, licet pluribus noſtro tempore ſolenne ſit, in affectibus chronicis ſpaſmodicis, qui in viris mali hypochondriaci, in ſequiori ſexu hyſterici nomine veniunt, ſanguinis ſpiſſitudinem ceu cauſſam accuſare; nihilo minus tamen ſanguinem hoc morbo affectis è vena conſiſtentia & calore bonum ac laudabilem detrahi, crebriori experientia convincimur. Nam ſpaſmi tam univerſales, uti ſunt febriles, quam certarum partium, graviſſimorum ſymptomatum auctores quidem ſunt; rarius tamen à denſo & craſſo ſanguine, ſed potius ab ejus copia, nimia expanſione, vel etiam ſubtili in eo latente acrimonia, exſuſcitantur.

Multisque morbis ſine vitio ſanguinis accidunt.

§. VIII.

Quamvis autem ex ſanguinis aſpectu præſagium admodum fallax, & plurimi morbi ex eodem plane non deduci queant: ejus tamen inſpectio & paullo curatius examen non plane uſu caret, qui vero plus ad præſcindendos, quam ad ſanandos morbos, pertinet. Placuit mihi quam maxime hanc in rem inſignis locus *Celſi lib. II. cap.* 10. ita differentis: *è vena ſanguis cum erumpit, colorem ejus habitumque oportet attendere. Nam ſi is craſſus & niger eſt, vitioſus eſt, ideoque utiliter effunditur. Si rubet & pellucet, integer eſt, eaque miſſio ſanguinis adeo non prodeſt, ut ea noceat, protinuſque eſt ſupprimendus.* Gravis hic auctor ſanguinem tenuem & rubentem, integrum, craſſum vero & nigrum, vitioſum pronunciat; quod licet non ſit perpetuum, magni tamen hoc monitum in adminiſtranda venæ ſectione uſus eſt. Nam quum ejuſmodi craſſus, niger & mox in coagulum abiens ſanguis, ægre admodum per minima & capillaria partium vaſcula curſum abſolvat; facile ibi hæret, & obſtructiones, quæ fœcundæ chronicarum paſſionum matres ſunt, excitat. Vel ſi quando ejuſmodi ſanguis, fortiori corporis aut animi commotione, aut intenſo frigore, aut etiam propter dolorifi-

Utilis tamen ſanguinis aſpectus & exploratio.

cas & ſpaſmodicas internarum partium contractiones, vi & impetu quodam in vaſcula, quæ ſecundum naturam non ſanguinem, ſed tenuiorem lymphaticum humorem vehunt, truditur, ibi quam facile firmius impactus hæret, & graves ac funeſtas inflammationes conciliat. Id quod etiam quotidiana fere docet experientia, dum in pleuritide vera, peripneumonia, ſemper fere ſanguis, cui ſerum inſtar glutinis tenax innatat, è vena emittitur. Igitur quam maxime ſalutare eſt, talem ſanguinem ubi offenditur, ad peſſima mala avertenda detrahere, quo reliquus deinde cruor eo melius ſubigi, circulari & congruis eum in finem adhibitis alcalinis, volatilibus, diluentibus, aqueis, aquis ſalubribus attenuari & ſubtiliſari poſſit.

§. IX.

Sanguis vero nimis tenuis, floridus, coccinei coloris, non ſemper boni quippiam præſagit, præſertim ſi ſero ſit deſtitutus & in fundo nullum obſcuri coloris coagulum ponat. Nam talis color vel à ſalibus largiter admixtis alcalinis, in arthriticis & ſcorbuticis, gignitur, vel nimium inteſtinum calidum motum arguit, ut in lentis & hecticis febribus, vel etiam partium ſulphurearum exuberantem copiam, à liberaliori vini & aromatum uſu, præſertim in choleræ conſtitutionis hominibus, ſubindicat. Nonnunquam tam tenuis ac floridus ſanguis obſervatur, quando viſcera, inprimis ſanguinea, craſſiore cruore infarcta ſunt, quandoque etiam à ſpaſmodicis convulſivis partium internarum motionibus, qualem nos ſæpius in ejuſmodi ſpaſticis & convulſivis motibus vidimus. Hac igitur conſiſtentia & colore præditus ſanguis, pro diverſitate cauſſarum quibus ortum debet, magis vitioſam qualitatem corrigentia, ut gelatinoſa, mucilaginoſa, nutrientia, acrimoniam tenuem ſalino-ſulphuream contemperantia, vel etiam acidula, calorem exſtinguentia & ſedativa, quam evacuationem & imminutionem deſiderat. Digna eſt quæ hic inferatur *Paullini* obſervatio in *M. N. C. Dec. II. An. VI. obſ.* 64. de juvene febre maligna correpto, cui ſanguis è vena miſſus, valde roſeus elegantiſſimi coloris, ſed ſero maxime deſtitutus, ſubſequente morte. Et nos ſæpius annotavimus, motus & inſultus epilepticos alioſque ſpaſmodicos morbos, evacuato tali ſanguine fuiſſe exacerbatos. Unde utique *Celſi* præceptum, quod raro, præſertim copioſe, ejuſmodi ſanguis mittendus ſit, exquiſita nititur veritate.

Sanguis floridus nimis vitioſus.

§. X.

Porro vitioſus merito is cenſendus eſt ſanguis, qui ſero nimium redundat & exiguam maſſæ rubicundæ portionem in complexu fovet, eo quod læſam ſanguificationem & parciorem perſpirationem, imminutum quoque urinæ fluxum prodit, ac utique cachexiam & tumores œdematoſos hydropicos minatur. Quando ſerum intenſo flavo colore tinctum eſt, ut linteamina inficiat, bilioſa recrementa, aut minus à ſanguinis connubio ſegregari, aut propter obſtructos biliarios ductus à lymphaticis vaſis reſorberi, indicio eſt. In ſcorbuto, ſcabie, cachexia & menſium ſuppreſſione, ſerum plerumque variegatum, lividum atque cæruleum colorem monſtrat, plus minus turbidum vel albicans, vel tunica ſpiſſa, lactea candeſcente obductum eſt, & in ipſo coagulo ſubſidente grumi & color niger cum bruno intermixto comparent. Si in lue venerea & ſcorbuto conſummato ſanguis emittitur,

Quid indicet ſerum nimis

ſero flavo

livido

& limoſo imbutus.

ſerum utplurimum ſupernatat copioſum, limoſum ac turbidum. In febribus ardentibus parum ſeri dimittit, ac ut ſæpe ſpectavi, color eſt coccineus cum magna ſpuma. In variolis, morbillis, item acutis & continuis febribus, ſanguis fluidiſſimus comparet, plane non in coagulum concreſcens; eo quod vehementi illa inteſtina calida motione omnis gelatinoſa ſubſtantia abſumitur & ſalinum principium quaſi in alcali convertitur, quod omne coagulum arcet. Confirmat hoc *Wepferus in hiſtor. apoplect. XVI. in ſchol.* fidem faciens, ſe ſanguinem in cordis ventriculis & vaſis majoribus fluidum, nec poſt obitum grumeſcentem, in cadaveribus febre continua defunctorum reperiſſe.

ac non concreſcens.

§. XI.

De ſanguinis examine per ponderationem.

Et hæc ſunt potiora quæ ex ſanguinis aſpectu probabili conjectura præſagire licet; quæ tamen ita ſunt comparata, ut neutiquam univerſalia ſint, ſed pro circumſtantiarum & individuorum ratione diſcrepent. Jam etiam de diverſis modis ſanguinem humanum examinandi nonnulla adjicienda. Sunt hi varii, & primo quidem is, quo ejus gravitas ſpecifica reſpectu aquæ ſimplicis exploratur. Perficitur hoc inſtrumento ſtatico, quo ego etiam urinam, lac, ſalſos & medicatos fontes, ponderare ſoleo. Tum quidem immiſſa, ſanguini oblongo vitro excepto, lance, patet, ejus libram, tantundem aquæ pluvialis, unius & dimidiæ tantum unciæ pondere, ſpecifica ſuperare gravitate. Alter ſanguinem examini ſubjiciendi modus eſt, quo proportio ſolidi & fluidi indagatur; quando nimirum calori exponitur, quo ſicceſcat & in pulverem fatiſcat, quo, uti ſuperius meminimus, conſtat: tres fluidæ ſubſtantiæ partes, & unam ſolidæ, in ſanguine ſani hominis contineri.

Et exſiccationem.

§. XII.

Sanguis de quo judicandum in patinam

Porro ſolenne mihi eſt, ſi judicium de ſanguine ferendum, ut jubeam, quo portio ejus, ſive è vena brachii, ſive pedis, educatur, in patinam, & alia in aquam immittatur. Is enim qui in patellam effuſus, copiam & coagulum ſanguinis ac ſeri exhibet, ſimulque affuſis variis liquoribus chymicis tentari poteſt. Tum quippe conſpicere licet, quam promte à ſpiritu acido, ſalis nempe vel vitrioli, coagulum ſubeat, qualis conſiſtentia, admixto ſaturato corticis chinæ decocto, eidem inducatur; tum quoque jucundo comparet ſpectaculo, ab affuſis liquoribus alcalinis, fixis & volatilibus, cruorem fluiditatem recipere & rubedinem ejus mirum intendi, quum contra inſtillata aqua forti, ſerum lacteſcente, & cruor gryſeo colore, inficiatur. Pariter ſæpius experimentum cepi, & nitri pulverem, vel potius ejus ſolutionem, ſanguini addidi, ac eundem inde ſemper fluidiorem redditum & coccineo colore imbutum vidi, ut hinc ſatis mirari nequeam paradoxon aſſertum, quod in clariſſimorum virorum ſcriptis, qui nitri virtutem in morbis ſummis concelebrant encomiis, me aliquoties legiſſe memini, ſanguinem ſcilicet à nitro inſpiſſari potius & coagulari.

§. XIII.

Et aquam mittendus.

Ex illa vero portione quæ in aquam proſiliit, variæ ſanguinis & ſeri ſubſtantiæ optime cognoſcuntur. Nimirum pars ſulphurea, quæ matrix coloris eſt, aquam rubedine inficit, & hac ex tinctura, prout magis vel minus ſaturata eſt, copia ſulphuris, aut tenuioris, aut craſſioris, recte colligitur; ubi tamen notandum, quod quo diutius aqua ſanguinolenta in libero aëre ſtet, eo magis color auſterus ac brunus reddatur. Deinde hac etiam ratione non ſolum in conſpectum veniunt partes nutribiles chyloſæ, quæ inſtar flocculorum fundum petere ſolent, ſed ſæpius etiam ingens portio gelatinæ, ut manibus eximi poſſit, quod ſæpius conſpexi in plethoricis ſanguineæ complexionis, præſertim fœminis ſpongioſi habitus, quibus labor, abſtinentia à largiori & lauto cibo, potiſſimum in cœna, maximo eſt præſidio. Denique hoc modo commode indagari poteſt, num ſanguis ſit fibroſus? hoc eſt, multis filamentis & quaſi fibris carneis refertus, quæ mutuo coeunt & in ſuperficie ſparſæ hærent. Talem ſæpe vidi in epilepſia, palpitatione cordis & anxia pectoris oppreſſione laborantibus, & certum polypi, vel præſentis, vel futuri, præbet indicium. Qui ut corrigatur & noxa arceatur, ſæpe ſæpius inſigni cum emolumento crebriorem uſum medicatorum fontium, præſertim Selteranorum, qui purum alcali vehunt, ſuaſi, interdicendo penitus potum frigidum, ſpirituoſum, craſſum & acidum, & injungendo potum dilutum largum, cum motu & exercitio corporis.

§. XIV.

Idem ſanguis ſcarificatione ac V. S. extrahitur

Ultimo loco dum de ſanguine educto ſermo eſt, ſubjungenda adhuc quædam ſunt de vulgari illa, ſed erronea ſententia, ac ſi ſanguis, ſub ſcarificatione per cucurbitulas extractus, longe tenuior ac fluxilior ſit eo, qui è vena brachii vel pedis mittitur. Ego certe ſæpius periculum feci, & ſanguinem ſcarificando evocatum ſiccavi, ac deprehendi, tres pariter tantum fluidi partes aufugiſſe & quartam reſtitaſſe ſolidam, modo cautio adhibeatur, ne dum ſpongia madida ſanguis abſtergitur & cucurbitulæ eluuntur, aqua cruori admiſceatur. Et ſane quum unus idemque ſanguis per minima & magna vaſa feratur, inciſis quoque minoribus in cute, idem conſiſtentia & indole, quam qui majoribus effluat, neceſſe eſt. Porro etiam non levis ſed craſſus error eſt, quem Chirurgi, ut imperitiam velent, de induſtria ſæpe admittunt, dum, ſi vena minus rite pertuſa ſanguis non effluit, cruorem craſſum, qui inciſionem obſtruat, incuſant, quum tamen is per exiliſſimos & capillares innumeros in corpore canales tranſire poſſit. Et licet non inficiandum, à terrore quandoque, præſertim in pedibus, cutem conſtringi & fluxum quodammodo retineri poſſe; remittente tamen ſtrictura, ſanguis poſtea liberaliter manat, operatione autem ſiniſtre adminiſtrata, plane non effluit.

Nec craſſus effluxum impedit.

§. XV.

Concluſio.

Et hæc de judicio ex ſanguine brevibus dixiſſe ſufficiat; quæ tamen, quum non ex ſpecioſe incruſtatis fictionibus, quas in arte noſtra quam maxime deteſtor, ſed attenta, ſincera atque multiplici experientia ſcripta ſint; eximio uſui fore iis, qui in artis operibus dextre ac perite verſari nituntur, certiſſime confido. Sæpius autem cum tædio profecto conſpicio, in libris ſic dictis practicis & ſemioticis, citra experientiam, dogmata proferri, quæ veritati minus ſunt conſentanea, atque ex luxuriante imaginatione, vel minimum poſſibili ſpeculatione, fluunt, quaſi vero omnes morbi ex ſanguinis inſpectione cognoſci & curandi indicationes inde elici queant.

CAPUT

CAPUT XIV.

De judicio in morbis ex urina aliisque excretis rite ferendo.

§. I.

Excreta quoque indicia medico præbens.

QUum vitalis corporis noſtri conſervatio & omnium ejus functionum integritas, non modo in perenni ſanguinis & humorum circuitu conſiſtat, ſed & maxima ex parte à debito excretionum ſucceſſu dependeat; Medicus utique non tantum ex pulſu, qui genuinus circulationis index eſt, atque etiam ex ipſius ſanguinis aſpectu & ſubtiliori indagine, verum etiam ex iis quæ quotidie per varia emunctoria foras è corpore ſecedunt & evacuantur, ſtatus tum ſani & ordinati, tum morboſi & præternaturalis, ſigna & indicia petere, atque ex iſtis judicia ac prædictiones formare debet.

§. II.

Inprimis urina.

Utut autem multa & varia, è corpore ad tuendam valetudinem proſcribantur; nullum tamen eſt, quod magis ſenſibus manifeſtum & commodius aſpici & tractari poſſit, quam urina. Quo etiam factum eſt, ut ab antiquiſſimis artis noſtræ auctoribus, *Hippocrate* præſertim & *Galeno*, nulla in ſemioticis doctrina tam cumulate & diffuſe in relictis monumentis excuſſa deprehendatur, ac ea, quæ de urina & petendis ex ea ſignis, quibus ſanitas & periculum prædici poſſit, tractat. Quin non modo plebem, ſed & alios non indoctos, conſtans tenuit opinio, ex ſolius urinæ inſpectione, univerſum corporis & ejus partium internum ſtatum ejuſque integritatem, vel vitia, quam optime cognoſci poſſe ac detegi; qua erronea credulitate, plures ex idiotis & lucripetis medicaſtris, ad decipiendum miſerum & ad judicandum ineptum vulgus, hodienum peſſime abuti ſolent. Quia autem multa in medicorum, tum antiquorum, tum recentiorum, monumentis tradita proſtant, quæ veritati & experientiæ minus reſpondent, ratione & fundamento carent, neque intelligi aut explicari poſſunt, plura quoque ad urinam, tam ſani, quam ægroti hominis, penitius cognoſcendam deficiunt; utiliſſimum fore duxi, ſi hoc argumentum, in praxi ſcitu neceſſarium, paullo curioſiori indagine perquirerem, hanc de urina doctrinam in meliorem & rationalem ordinem redigerem, à confuſione & obſcuritate liberarem, atque adeo eam magis intelligibilem & explicabilem efficerem.

§. III.

Urina ſuperat omnes excretiones.

Prius vero quam ad præternaturalem urinæ in morbo affectis conſtitutionem atque naturam indagandam accedamus; è re fore exiſtimo, ut urinam ſani hominis, quoad ſuam eſſentiam, elementa, originem & quantitatem, curatiori examini ſubjiciam. Primo igitur ſciendum eſt, ejus originem & materiam ab aſſumtis potiſſimum liquidis eſſe repetendam, quæ quo majori copia hauriuntur, eo plus lotii reddi perpetuæ eſt experientiæ. Deinde & hoc obſervatu dignum, quantitatem urinæ, in noſtris præſertim regionibus, reliquorum, quæ perſpiratione, alvo, aliiſque egeſtionibus educuntur, quantitatem & pondus excedere. Nam licet ſecundum *Sanctorii* calculum & aſſertum, communis fere uſque eo invaluerit opinio, materiam quæ diffiatione perpetua è cute exit, reliqua omnia excrementa copia ſuperare, atque etiam in Italia & locis præcalidis id fieri non negandum ſit; accuratiori tamen, à me etiam inſtituto examine, in noſtris his frigidioribus ad ſeptentrionem magis vergentibus oris, hoc non ita contingere patet. Notavit idem quoque *Jacobus Keil in tentamin. phyſico-med. pag.* 173. qui multa experimenta ſtatica eum in finem adornavit, ac deprehendit: urinam unius diei, vel viginti quatuor horarum, eſſe duarum librarum & unciarum fere ſex; perſpirationis autem quotidianæ pondus tantum ad uncias triginta plus una aſſurgere & quod per alvum excernitur in uno die, eſſe communiter ponderis unciarum quinque.

§. IV.

Experimenta inſtituta.

Ego veritatis cupidus, quæ non ita pridem in proprio corpore eum in finem feci experimenta & quid obſervarim, fideliter communicabo, quæ certe non ſine uſu & fructu erunt. Per duos nempe hebdomades diebus ſingulis certam potus & ciborum portionem aſſumſi, & exeuntem poſtea urinam ponderavi. Videlicet cereviſiæ Lœbeiunenſis tenuioris, cujus libra teſte hydrometere drachmas quinque & dimidiam ſolidæ materiæ continet, duas quotidie menſuras, quæ minimum quatuor civilium librarum pondus æquant, bibi; deinde mane decocti coffee quinque pocula, quorum unumquodque duas capit uncias, adeoque decem uncias, ſorbillavi; juſculorum porro in prandio & cœna, decem circiter, & vini Hungarici in prandio quinque aſſumſi uncias; quibus demum accedunt unciæ circiter ſex liquidi cum ſolidis cibis apparatis ingeſti: ut adeo ſubducto calculo, ſex minimum liquorum libras corpus quotidie ſubiiſſe pateat. Solidorum autem, panis nempe, carnium & obſoniorum pondus, quotidie non facile libram exceſſit. His ita aſſumtis, urina interdiu & noctu emiſſa ad libras quatuor, interdum aliquot uncias plus, interdum minus, acceſſit. Alvi excrementa, aſpectu judice, non facile octo unciarum pondus exceſſerunt. Adeoque quum ex ſeptem ingeſtorum libris, per urinam & alvum circiter libræ quatuor & unciæ duodecim ſeceſſerint, ſupereſt pondus librarum duarum cum quatuor unciis, quod corpore non graviori interea facto, per cutis ſpiracula, halitum oris, mucum narium, faucium & ſalivam, procul dubio rejectum.

§. V.

Obſervata tamen variare poſſunt.

Hæc per aliquot hebdomades capta tentamina & eadem quotidie fere à me obſervata, quum in eodem vitæ genere & corporis agilitate menſe Decembri domi me continerem: neque tamen dubium eſt, quin in aliis, pro diverſitate temperamentorum, motus & exercitationis, anni etiam temporum, pro diverſa quoque qualitate & indole aſſumtorum, variare poſſint, adeo, ut vel perſpiratio auctior urinæ quantitatem minuat, vel alvus etiam ſolutior reliquas omnes excretiones modificet. Id vero minimum in genere valde vero ſimile, noſtris in regionibus, niſi extraordinariæ aliæ cauſſæ externæ accedant, urinæ copiam in ſanis quantitatem materiæ perſpirantis ſuperare.

§. VI.

De quantitate ſolidi in urina.

Deinceps ad accuratiorem hujus doctrinæ notitiam pertinet etiam, ut medicus perſpectum habeat:

habeat: quantum ſolidæ materiæ in libra una lotii ſanorum contineatur. Quemadmodum vero ad explorandam ſpecificam gravitatem fluidorum, ſive quantitatem ſolidi in fluido contentam, nihil aptius eſt, cylindri ſtatici hunc in finem artificioſe confecti uſu; ita etiam medicus commodiſſime ejuſmodi inſtrumento non modo ad contenta liquidorum quæ ingeruntur, ut cereviſiæ, vini, aquarum & lactis, ſed & urinæ, uti poteſt; de quo tamen nemo fere hactenus cogitavit. Altum enim de ponderatione urinæ in ſcriptis medicis eſt ſilentium, ac de ejus quantitate, colore, ſedimentis, item an turbida, vel pellucida ſit? ſermo duntaxat habetur; quum tamen nihil ſolidi deglutiamus, cujus partes non quotidie ex maſſa ſanguinis ſecedant & cum urina eliminentur: in quo etiam maxima in ſtatu ſano & præternaturali deprehenditur diverſitas. In genere vero id perpetuæ obſervationis eſt, quod quo major eſt in corpore perſpiratio & interior calor, quo minus fluidi aquei, quo plus potus ſpirituoſi aſſumitur & corpus motu agitatur, eo gravior ſemper eſt urina, levior viciſſim, ſi hæc dicta contraria ſunt. Ego itaque per aliquot ſeptimanas memorata victus ratione utens & tempore brumali domi degens, ſanus ceterum & valens, emiſſam poſteaquam ſurrexiſſem urinam ad lancem hydrometricam exegi, ac notavi, libram ejuſdem minimum unciam dimidiam, interdum etiam drachmas quinque ſolidi, complecti, & facta aliquoties evaporatione, pariter ex libra dimidia drachmas duas, vel dimidiam adhuc, obtinui. Eandem quoque ſolidæ in urina ſubſtantiæ eſſe quantitatem notavit *Antonius* de *Heyde obſ.* 89. qui ex urinæ unciis tribus, per evaporationem drachmam unam materiæ ſiccæ eduxit.

Per ponderationem & exſiccationem cognoſcenda.

§. VII.

Experimenta cum reſiduo inſtituta

Ut vero porro ad penitiorem & uberiorem materiæ ab evaporatione relictæ cognitionem pertingerem, complura inſtitui curioſa experimenta, quæ hoc loco recenſere haud abs re erit. I. Vel ſolus aſpectus teſtatum facit, materiam ex urina reſtibilem, penitus differre ab ea, quæ exhalata cereviſia reſtitat: ex quo utique conficitur, liquidum quidem ex potu tranſire in urinam, ſed non ſolidum, quod magis ortum ſuum ex humoribus interioribus vitalibus, ſanguinis & ſeri maſſa, trahit. II. Maſſa poſt urinæ exhalationem relicta non facile ad ſiccitatem conſtantem deducitur, ſed quantumvis arida in aëre tamen liqueſcit, haud ſecus quam omnia ſalia neutra, quibus multæ particulæ oleoſæ ſulphureæ admixtæ ſunt, ut terra foliata tartari & ſalia vegetabilium eſſentialia. III. Drachmæ hujus cramatis affudi unciam unam ſpiritus vini rectificatiſſimi, qui promte extraxit tincturam ex bruno rubicundam, ſaporis ſalſi pauliſper amaricantis, relicto in fundo ſcrupulo minimum materiæ gryſeæ ſpongioſioris terreæ, quæ nec aqua calida, nec ſpiritu amplius poterat diſſolvi. IV. Eſſentiam ſive potius tincturam hanc in cochleari argenteo admovi flammæ candelæ, & poſt evaporationem remanſit inſtar mellaginis magma ſalſo-amaricans, cui aliquot guttulas olei tartari per deliquium plenius ſaturati inſtillavi, & mox odor volatilis urinoſus, inſtar ſalis ammoniaci, nares feriit. V. Eandem tincturam accendi, & deflagrato primum vini ſpiritu, poſtea flamma ſucceſſit, plane alius coloris atque naturæ, inſtar ignis, qualis emergere ſolet, quando oleum deſtillatum in ſpiritu vini ſolvitur, & deflagratione inſtituta, poſt vini ſpiritum combuſtum, oleum ardet. VI. Partem magmatis ab evaporatione urinæ relicti miſcui cum oleo tartari per deliquium, & penetrans urinoſus, volatilis fœtor mox difflatus eſt. VII. Ejuſdem maſſæ nonnihil igne cremavi, & cineres relicti ſunt nigri, qui ſaporem ſalis communis linguæ imprimebant. VIII. Cineribus his affudi quicquam aquæ, ut ſal in ſe reciperet, & liquamen inſtillavi ſolutioni lunæ, unde facta præcipitatio. IX. Alii hujus reſidui portioni in vitro affudi oleum vitrioli, & vehemens facta eſt turgeſcentia & ebullitio, cum denſo & albo aſcendente vapore, odoris penetrantiſſimi, qualis ſolet emergere, quando oleum vitrioli admiſcetur ſali communi, vel ſali ammoniacali. Denique hiſce à me inſtitutis tentaminibus addere placet ea, quæ *Barchuyſen* adornavit & *in pyroſophia* recenſet: unciæ nempe ſex urinæ ſani hominis, deſtillatione dederunt uncias quinque & drachmas ſex phlegmatis, reſidui in cucurbita ſcrupulos quinque & ſemis, ulterius igne rite tractati, ſalis volatilis drachmam ſemis, olei empyreumatici ſcrupulum ſemis, tantundem ſalis fixi & terræ grana octodecim præbuerunt.

§. VIII.

Urina elementum continet aqueum & ſalinum.

Ex hiſce commemoratis experimentis facillimum jam erit, genuina urinæ elementa eruere ac ſiſtere. Hæc inter primum & potiſſimum locum obtinet aqua, quam ex ingeſto maxime potu accipit, & cujus partes triginta ad unam partem ſolidi remixtæ deprehenduntur. Poſt humidum urinæ principium commemorandum ſal, quod triplex in ea hoſpitatur, culinare nempe, acidum & volatile. Et culinare quidem cum alimentis ad maſſam ſanguinis tranſit, ac per renes, ceu congruum ſalium emunctorium, cum urinoſo ſero colatur. Quod vero ſal urinæ ad communis naturam accedat, ex eo pateſcit, quod non ſolum urina inſpiſſata cum oleo vitrioli ſpiritum & vaporem ſalis communis volatilem in auras emittat, ſed etiam lixivium ex cineribus combuſti reſidui cum aqua factum ſolutionem argenti præcipitem det, itemque per deſtillationem, quod ſæpius à me factum, ſal enixum culinari in omnibus quoad effectus ſimile, educi queat. Alterum in urinoſo latice comprehenſum ſal, eſt acidum, quod etiam per alimenta, quæ multum acidi fovent, in ipſius connubium tranſit. Hoc autem purum obtineri nequit, ſed partim cum particulis terreis alcalinis, partim cum tertia ſalis in urina ſpecie, volatili nempe urinoſo, quale in ſanguine largius hoſpitatur, ſeſe miſcet, & ſalis ammoniacalis genium habet. Hinc enim eſt, quod addito oleo tartari per deliquium, acidum figatur & ſpiritus volatilis urinoſus avolet, cujus ortus non ex alimentis, ſed ex ipſius ſanguinis maſſa derivari debet.

§. IX.

Oleoſum ac terreſtre.

Accedit oleum, quod urina in complexu fovet, duplex iterum, temperata nempe pinguedo & oleum valde ſubtile calidum. Illa ex alimentis & chylo, quæ multum pinguis ſubſtantiæ complectuntur, ortum trahit, & ſi largius immixta, non modo innatat urinæ, ſed etiam matulæ parietibus adhæreſcit, uti ſæpius fit in nimio æſtu, qui pinguedinem colliquat; hoc vero valde tenue, evaporabile & inflammabile, ex inteſtina partium ſanguinis ſulphurearum agitatione gignitur, & in deſtillatione oleum empyreumaticum largitur, ac in tincturam redactum,

ctum, poſt deflagrationem ſpiritus vini, inſtar olei ardet. Quod enim urina ex ſanguine recipiat particulas ſulphureas, calidas, oleoſas, ex eo patet, quia ab aſſumtis ſuaveolentibus oleoſis, ut oleo juniperi, ligni ſaſſafras, nucis moſchatæ, balſamo de capaiva, urina ſuaveolentem & quaſi violaceum odorem; inficetum vero ac fœtidum ab allio, balſamo ſulphuris, aſa fœtida acquirat. Quartum elementum eſt ipſa terra, quæ rurſus vel tenuis valde, vel craſſior & fixior eſt. Fixior & craſſior, cum alimentis, præſertim aqua, quæ ſemper multum calcareæ fixæ terræ continet, corpus ſubit, ac præcipuum fundamentum tartari qui matulis accreſcit, nec non concretionibus calculoſis præbet, & inſtillato oleo vitrioli, efferveſcentiam ſuſcitat. Tenuior ſanguinis ſoboles eſt, & cum aqua & oleo pingui mixta, mucilaginem conſtituit, quæ inſtar nubeculæ deſcendentis oculis conſpicitur, vel etiam, ſi ejus major quantitas, in fundum ſecedit, nec vini ſpiritu, nec vitrioli oleo, ſolvitur.

§. X.

Color urinæ unde?

Color urinæ dependet maxime ab oleo calido ſubtili, quod, quo magis cum ſalibus miſcetur, eo ſaturatior fit color; eo quod ea omnium ſalium natura, ut principium ſulphureum, quod matrix coloris & odoris eſt, mirifice exaltando eum intendant. Et licet oleum & terra alias non bene & intime miſceantur: fit tamen hoc in urina, tam cum neutro, quam alcalino volatili. Quumque adeo ſalinum elementum cum ſulphure & oleo intime permixtum ſit, patet ratio, quare illud à puriſſimo vini ſpiritu, qui conſortium puri ſalis alias reſpuit, ſulphure autem admixto amat, abſorbeatur, haud ſecus ac videmus in tinctura ſulphuris, ſcoriarum antimonii & antimonii acris, item quando ſpiritu vini rectificatiſſimo nitrum artificiale valde ſulphureum, ex aqua forti & ſale ammoniaco, plene ſolvitur.

§. XI.

Urina jumentorum differt.

Et hæc omnia ita obſervantur in urina humana; diſpar autem urinæ jumentorum eſt ratio. Ita non ſemel evaporari juſſi urinam vaccinam, quæ reliquit magma valde ſalinum flavum, amaricantis ſaporis, cui infudi ſpiritum vini puriſſimum & extraxi tincturam flavam, inſtar bilis amariſſimam, eoque facto, remanſit ſal, cui affudi aquam pluvialem & ſolutionem filtratam rurſus coagulavi, ita obtinui ſal tartariforme neutrum, inſtar ſalis plantarum eſſentialis, quod originem ſuam ducit ex ipſis herbis quibus veſcuntur, nullum vero veſtigium fuit ſalis communis. Ex quo etiam apparet ratio, quare urina vaccina tempore verno collecta, & interius ad aliquot hebdomades, quotidie ad majorem quantitatem aſcendendo, pota, ſæpius, uti aliquoties Berolini maxime apud Gallos vidi, mirum effectum in affectibus chronicis, maxime cachecticis, ictero, principio hydropis & menſium ſuppreſſione, præſtiterit. Diſcimus etiam exinde, partes in urina ſulphureas multum affinitatis habere cum iis, quæ in bile continentur.

§. XII.

Præſagia ex urina tenui aquoſa.

In conſpectum ſic ductis genuinis urinæ humanæ in ſtatu ſano elementis; faciliori nunc & leviori modo in phænomenorum, quæ in lotio ægrotantium ſubinde præſto ſunt, meliorem explicationem & notitiam, unde proveniant & quas cauſſas agnoſcant, pervenire poterimus. In quo quidem perficiendo, ordinis & brevitatis cauſſa, obſervationes, quas in praxi ſubinde per crebriorem experientiam annotavi, & quæ regulæ vim habere poſſunt, proponam & rationes poſtea ſubjiciam. Et primum quod attinet ad urinas pondere leves, conſiſtentia tenues, inſtar aquæ ſæpe pellucidas, eas quam maxime in gravioribus internarum & membranoſarum partium ſpaſmis, pathematibus hyſtericis, hypochondriacis atrocibus, in cardialgia, affectione calculoſa, nephritica, convulſiva, apparere, crebriori edocti ſumus experientia. Pariter in gravioribus capitis morbis, ejus nempe doloribus, in vertigine, phrenitide, mania, melancholia, epilepſia, valde tenues & leves emitti urinas, idemtidem perpetuæ eſt obſervationis. Idem contingit in gravioribus nervoſarum partium affectionibus, quæ à cauſtico veneno, vel à vermibus tunicas inteſtinorum rodentibus, in convulſionibus, concitantur. Et quod probe notandum eſt, tenues & aquoſæ ejuſmodi urinæ non modo in ipſo ſtatu & exacerbatione horum morborum prodeunt, ſed & aliquot dies ante ac paroxyſmos imminentes nunciant. Unde non mirum eſt, quendam apud *Tulpium lib. II. obſ.* 19. ex tenui lotio, triduo ante præſagire potuiſſe cordis palpitationem.

§. XIII.

Quid portendat in febribus.

Tenues quoque, aquoſæ & perpetuo albæ ejuſmodi urinæ in diuturnis morbis difficulter judicant & ſecuræ non ſunt; in vigore autem febrium ſi copioſæ fluunt & ante dies criticos, multum alunt periculi & phrenitidem imminentem præſagiunt, teſte jam *Hippocrate ſect. II. aph.* 22. *ſect. IV. aph.* 70. qui *lib. epid. ſect. II.* id confirmat exemplo ægri, qui ſecundo die ſurdus, circa meridiem deliravit & quinto die mortuus eſt, & alius *ſect. III. ibid.* qui quarto die obiit phreniticus. Idem auctor ſæpenumero etiam obſervavit: eaſdem urinas, ſi in inflammationibus gravioribus internis, uteri, pulmonum, ventriculi comparent, nunquam periculi eſſe expertes præſertim ſi creber ſtimulus ſit ad matulam & copioſiſſimæ ac tenues reddantur. Nam dilutæ ejuſmodi aquoſæ, pondere leves, omnis ſedimenti expertes & quæ pauxillum ſolidi habent urinæ, à nimium per ſpaſticas ſtricturas coarctatis & anguſtatis ductibus renum ſecretoriis & excretoriis proveniunt, & luculentum totius generis nervoſi ſpaſmis affecti teſtimonium ferunt, quum lege conſortii & conſenſionis, renes etiam & ductus urinoſi ſimul compatiantur. Albæ autem prodeunt & pellucidæ hanc maxime ob cauſſam, quod ſtrictiores tubuli, plerumque nonniſi id quod valde tenue eſt & diametro canaliculorum reſpondet, admittunt, undæ craſſæ & ſulphureæ moleculæ remanent. Et copioſæ utplurimum profluunt, quia in affectibus ſpaſmodicis, ob tubulos ſubcutaneos conſtrictos, parum humidi perſpirat, ſed ad renes eo copioſius fertur ac urinæ inſinuatur. Quod vero in acutis morbis ejuſmodi tenues & aquoſæ urinæ inflammationem, vel jam præſentem, vel certo futuram, in ventriculo aut capite, ſubindicent, hæc ſubeſt ratio: quia ob ſpaſticas ſtricturas, ſanguinis impetus urgetur ad interiora ac ſuperiora, quo fit, ut is in tunicis cerebri & ventriculi, præſertim viribus jam fractis, firmius impactus ſubſiſtat & inflammationes præcipitis periculi pariat.

Debetur ſpaſmis.

§. XIV.

Aliisque cauſſis.

Monendum tamen eſt, quod tenues, aqueæ,

plus minus turbidæ urinæ, non ſemper à ſpaſmis ortum trahant, ſed aliam etiam agnoſcant cauſſam, & vel vires valde fractas, vel partium ſulphurearum in ſanguine, à quibus & eorum motu calor & ſpirituaſcentia dependet, defectum, vel vim ventriculi digeſtricem imbecillem, vel etiam ſanguificationem læſam & copiam cruditatum, tam in primis viis, quam maſſæ ſanguineæ admixtarum, prodant. Quare qui noviſſime à morbo diuturniori convaluerunt, v. c. à dyſenteria, à febre acuta exanthematica, morbo Hungarico, variolis, ſi nimium præſertim indulgent appetentiæ, ex defectu caloris & ſpirituaſcentiæ in fluidis, facile multas colligunt cruditates aqueas, quæ quum minus commode per cutem diffiari poſſint, ſubſiſtunt, intus remanent & per urinam ſecedunt. Et hæc utique eſt ratio, quod etiam in cachexia, leucophlegmatia, enormibus hæmorrhagiis, in principio anaſarcæ, in chloroſi virginum, in menſium ſuppreſſione, tales urinæ crudæ, turbidæ, pallidi, ſubviridis, vel tenuis citrini coloris, copioſe mingantur. Notavit hoc jam *Hippocrates*, qui ejuſmodi urinas tenues & aqueas ſpleneticas appellat, quia in iis, quibus facies coloris luridi eſt & lien laborat, obſervantur. In fluore quoque mulierum albo, qui ſoboles utplurimum cachexiæ & menſium ſuppreſſorum, plerumque urina pallida & turbida, quandoque cum ſedimento ſquamarum inſtar viſitur.

§. XV.

Urinæ rufæ ſine ſedimento unde?

Porro in omni calore præter naturam aucto & æſtu febrili, urinæ pauciores & coloratiores, flavo & rubro colore plus minus ſaturato tinctæ, profluunt, eo quod internus accenſus calor, partes ſanguinis ſulphureas, à quibus color, valde exaltat, auget & humidum inſenſibiliter conſumit ac diſſipat. Tales urinæ febricitantium plus minus rubicundæ, vel tenues & leves, vel craſſæ & pondere graves, tam in intermittentibus, quam etiam continuis, manant. Scilicet ipſo in paroxyſmo, ſive motuum febrilium, & intermittentium, & continuarum, exacerbatione atque vigore, urinæ redduntur tenues, perſpicuæ, ſine ſedimento, uti obvium eſt in tertianæ continuæ aut intermittentis paroxyſmo, in ardente, item cholerica febre, ubi ordinario urinæ pellucidæ, ſed flammeo colore, qualis in deſtillatione ſpiritus nitri apparet, tinctæ conſpiciuntur. In intermittentibus vero, aliquot horis poſt intermiſſionem & die à febre vacuo craſſiores ſecedunt, & quam facile, ſi quieſcunt, vel levi tantum frigori exponuntur, ſedimentum dimittunt, quod etiam ſi fit in febribus continuis, circa dies præſertim criticos, febrem ſolutam & ſalutem portendit.

§. XVI.

Sedimentum quid indicet.

Hoc ſedimentum, pro copia, diverſa conditione ac temperie partium in ſanguine, parcius vel copioſius, & differentis quoque coloris eſſe ſolet. Si color eſt roſeus & purpureus, ſanguinis copiam peccare, uti obvium in febribus ſynochis ſive continentibus, indicio eſt. Quando ſedimentum intenſe flavum, bilem, fuſci autem coloris & atri, copiam bilis atræ, ſive ſecundum Recentiorum explicandi modum, copioſas ſulphureas calidas particulas, acido-terreis intime per calorem immixtas, deſignat, quale in febre ſcorbutica purpurata, in quartana etiam, minus fauſti eſt ominis. Si id quod ſubſidet ad modum copioſum, magnam viſcidorum & crudorum humorum copiam in corpore prodit, atque in corporibus repletis, obeſis, ſpongioſioris habitus, febris intermittentis pertinaciam portendit. Et recte hinc ſcribit *Galenus*; *lib. I. de cris. cap.* 12. *qui ex otio & repletione febricitant, ſi ſanitati reſtitui debent, neceſſario in urina ſubſidet.*

§. XVII.

Si nullum ſedimentum malum omen

Quemadmodum vero boni ominis ſignum, ſi urinæ febricitantium craſſiores fiunt & ſedimentum ponunt: ita contra quæ in febribus intermittentibus extra paroxyſmum nullam exhibent ſubſidentiam & pellucidæ diu ſtillant, nec frigoris acceſſu in fundum quid dejiciunt, pejoris ſunt notæ. Inprimis crebriori experientia compertum habeo, quando in tertiana vel quartana febre, finito paroxyſmo, urina non turbatur & craſſamentum rejicit, peſſimi eſſe præſagii, præſertim ſi ab imperitis medicis improvide tractetur iis remediis, quæ motus febriles intempeſtive ſupprimunt & ſufflaminant. Non ſemel enim ſed aliquoties hac ratione in pueris ingruente paroxyſmo lethalem epilepticum inſultum acceſſiſſe vidi: ſenes autem non facile convaleſcunt, ſed demum viribus fractis, ſub frigore & ſpaſmis, nullo ſuccedente calore intereunt. Quod ſi porro in febribus inflammatoriis pleuritide, peripneumonia, inflammatione ventriculi, meſenterii, uteri, urina vel tenuis perſpicua & purpurei coloris, vel bruno & auſtero colore imbuta exit, cum ſpuma, ſine omni ſedimento, non fauſtum præbet ſignum. Antiquiſſimum hanc in rem *Hippocratis* eſt teſtimonium *prænot.* §. *XI.* ita diſſerentis: *ſi in febribus urina fulva eſt & tenuis, materiam incoctam ſignificat, ſi vero diuturna fuerit talis, periculum eſt, ut homo ſuſtinere poſſit, niſi concocta fuerit.* Pariter id etiam perpetuum eſt, turbidam in febre continua urinam, quæ nec igne, nec quiete clareſcit, aut ſedimentum ponit, multum periculi minari: malum tamen etiam eſt indicium, quando in continuis urinæ primis diebus craſſeſcunt, reliquis vero & maxime criticis, tenues & ſine ſedimento manant.

§. XVIII.

Cur ſit malum?

Ratio vero quare in febribus æſtuoſis urinæ claræ tam anticipitis & periculi pleni ominis, contra, quæ multum coctæ materiæ deponunt in fundum, ſalutiferæ putentur, in procinctu eſt. Nam tenues ejuſmodi & rufæ urinæ magnum æſtum & vehementem partium internam agitationem, ſimul etiam ſolidarum & nervoſarum partium ſpaſticam ingentem affectionem ſignificant, quæ ſpaſmorum diuturnitas atque vehementia multum certe periculi alit. Craſſior vero urina ſi prodit, certum præbet ſignum, ſpaſmi tam nervoſarum, quam vaſculoſarum partium, vehementiam remittere, ampliari ductus ſecretorios & excretorios & excrementa craſſioris ſubſtantiæ tranſmittere, quo fit, ut non ſolum urina cum ſedimento copioſior fluat, ſed & totum corpus æquabiliter ſudore, idemtidem craſſo, fœtido ac viſcido perfundatur & alvus antea adſtricta ſolutior fiat. Ex quo quidem dilucide pateſcit, multum intereſſe, ut medicus critica illa in morbis tempora, quæ Veteribus coctionis dicuntur, ex urinæ inſpectione cognoſcat, & ſic cum certa ratione verax de morbi eventu judicium interponere queat.

§. XIX.

In declinatione febrium catarrhalium, item variolarum & morbillorum.

In declinatione febrium catarrhalium, item variolarum & morbillorum, urinæ in vigore morbi & febre pellucidæ & aquoſæ, craſſiores etiam & colo-

coloratiores cum sedimento secedunt, certo indicio, morbum, id est spasticas constrictiones partium, solvi atque remittere, ut ductibus urinariis iterum patulis redditis, impuritates salinæ sulphureæ viscidæ seri, quæ ipso morbi tempore progenitæ, liberum jam habeant ingressum atque exitum. Quandocunque vero post phthisicum aut alium vehementem ac diuturnum morbum, urina diutius fertur crassa, pauca, saturate & obscure rubra, cum copioso sedimento, pinguedo supernatans vitri urinarii parietibus adhæresci corpusque interea tabescit; morbum in febrem lentam & hecticam concessisse testatur, qua rarissime æger servatur, eo quod corrupta ex læso viscere materia sanguini & lymphæ intimius nupta, instar fermenti motu intestino calido mixtionem & crasin sanguinis temperatam dissolvit, & optimum etiam alibilem succum in excrementitias salso-sulphureas sordes convertit, simulque pinguedinem corporis colliquat. Idem metuendum periculum, quando in hydropicis urina hecticorum similis profluit. Nam parcum ejus stillicidium, lympham ex ruptis vasculis lymphaticis in cavitatem vel porosam partium substantiam secedere, & color obscure rubicundus crassiusque sedimentum, partim motum intestinum calidum sanguinem dissolutorium, partim etiam obstructum hepatis emunctorium, quo sordes biliosæ separari solent, arguit.

Urinæ alius crasse mali.

§. XX.

Dantur tamen etiam in morbis chronicis, citra febrem & calorem internum auctum, urinæ crassiores, valde saturato colore rubicundo bruno tinctæ, pondere admodum graves, adeo ut interdum libra una, teste cylindro statico & evaporatione, uncias tres, vel quatuor, solidescentis materiæ in complexu foveat. Obvium hoc est quam maxime in scorbuto confirmato, in arthritide & paralysi scorbutica, senectute extrema, quandoque etiam in passione nephritica, conquiescentibus dolorum tormentis, nec non in ictero flavo & atro. Læsam autem in ejusmodi urina esse proportionem elementi aquosi & salino-sulphurei, exinde patescit, quod affusa sufficienti aquæ solius simplicis copia, ad naturalem tincturam reduci possit. Crassities quippe & color ille fuscus ab excrementitiarum salinarum & sulphurearum partium in sanguinis & humorum massa hospitantium copia, ortum trahit, quæ propter hepatis obstructionem, à succorum vitalium connubio non rite segregantur. Nam jecoris viscus, cum in omnibus chronicis morbis, tum maxime in scorbuto patitur, ut etiam *Willisius* in *tr. de febribus* fidem faciat: se plurima scorbuto defunctorum cadavera secuisse, & observasse, quod in culpa fuerit in nonnullis hepar prorsus exsangue & instar uberis vaccini exsuccum, in aliis vesica biliaria, aut vacua, aut lapidibus obsessa, aut amurca minime amarescente repleta.

Urinæ crassæ sine febre.

In scorbuto

§. XXI.

Quando porro ejusmodi crassiores mirum austeri coloris urinæ, *(wie dickes braunes Bier)* crocea tinctura immersa linteamina inficiunt, certum est indicium, bilem propter obstructos, vel spasmo constrictos ductus hepaticos & cysticos & denegatum in duodenum influxum, per vasa lymphatica regurgitare ad sanguinis & lymphæ massam, & icterum adesse. Ubi vero color in atro-brunum vergit, icterum designat nigrum, qui non tam à bile reflua, quam potius ab ejus secretione in hepate plane impedita nascitur. Nigredo autem acido admixto tribuenda; eo quod ob defectum bilis, quæ alcalino suo elemento, acorem qui ingestis inest, temperat atque obtundit, succi acetosi ad sanguinis massam transeunt, ibique sulphureis, oleosis ac biliosis particulis unitæ, atrum excludunt colorem, haud secus ac videmus, acido liquore bili affuso, post digestionem eandem primum viridescere ac deinde nigrescere. Quumque in provectiori senectute, ob angustationem, contractionem & collapsum tubulorum excretoriorum in hepate, nec non in cute, multæ salinæ sulphureæ & viscidæ sordes, retineantur: urinæ solenniter in ætate gravibus crassiores, graviores magisque tinctæ redduntur, præsertim si paullo liberalius vino utantur, inprimis spirituoso, ut Hungarico, quod oleosum est multum atque sulphureum.

Ictero flavo & nigro.

senectute.

§. XXII.

Nonnunquam redduntur urinæ copiosa materia pingui imbutæ, sive oleosæ, quæ sine strepitu mittuntur, in superficie cutem variegati maxime cærulei plerumque coloris exhibent, ac vitri urinalis parietibus tam firmiter adhæresci, ut nonnisi lixivioso liquore detergi possint. Origo harum procul dubio calori interno nimio, ipsam pinguedinem colliquanti tribuenda, quæ liquefacta & postea in sanguinem recepta, sese miscet cum sanguine & sero, ac humore salso muriatico demum dissoluta, per renum colatorium in urinam defertur. Annotavit *Sylvius* exemplum fœminæ juvenculæ, cujus urinæ tam copiosa innatavit pinguedo, ut in perfrigerata superficie butyri instar aut olei frigidi concreti comparuerit. Et memorabilis quoque est *Fernelii lib. III. cap. de urina* historia, de bibulo quodam optimi corporis habitus, qui diebus circiter octo, ex ingenti corporis mole ad summam gracilitatem, citra ullam morbi vim, traductus est. Potissimum tamen tales pinguiusculæ urinæ in consumtione corporis, atrophia, phthisi, hectica observantur; quinimmo in omnibus febribus, urinæ quando profluunt crassioris substantiæ, multum pinguedinis secum evehunt, quæ eo copiosior est & diutius durat, quo corpus est pinguius.

Quid indicent oleosa?

§. XXIII.

Supra quoque cum de analysi urinæ naturalis actum fuit, mentio facta est, quod sal acidum, cum alcali, sive volatili, sive fixo mixtum, sive neutrum & tartariforme, ordinarium sit urinæ ingrediens, quod dubio procul ab excessivo acido per alimenta ingesto & in sanguine contento, oriatur. Hoc autem sale tartareo si urinæ nimium refertæ sunt, quod cognoscitur, quando matulæ parietes & fundus copioso tartaro incrustantur, indicium est dispositionis ad calculum renum & vesicæ. Majoris periculi est, ubi crassum, rubrum & friabile sabulum, mox emissa urina, fundum petit, quippe quod morbum nephriticum adesse, plane evincit. De quo luculentum *Hippocratis* suffragium *aph. 79. Sect. IV. quibus*, perhibentis, *in urina subsident sabulosa, iis vesica calculo laborat.* Interdum quoque crystalli micantes fulvæ copiose sese apponunt lateribus matulæ, quæ doloris arthritici, rheumatici, plus minus fixi vel vagi, indicium præbent. Quando urina mingitur mox cruenta, mox ob puris miscelam lactescens, interdum glutinosa, crassa tenaci materia mali odoris onusta, quæ fundo adhæret, nec vitri agitatione dissolvitur, certum exulcerationis renum vel vesicæ documentum

Tartaro refertæ?

sabulosæ.

cum crystallis, purulentæ, gluinosæ &c.

præbet. Quin ipſe in calculo & ulcere veſicæ ſæpius lotium tam tenax vidi, ut inſtar albuminis ovi cohæſerit, nec guttatim aut per vices potuerit effundi, ſed inclinata matula, omne ſimul maſſæ inſtar elapſum ſit. Eandem quoque in rem facit notabilis obſervatio, in *M. N. C. Dec. III. A. IIX. obſ. XI.* conſignata, de urina craſſa glutinoſa, quæ ad ulnæ longitudinem potuit extendi, & filtro impoſita, ne guttulam transmiſit.

§. XXIV.

Qualis in gonorrhœa. In gonorrhœa, præſertim chronica & maligna, non ſolum proſtatæ, ſed plerumque veſica etiam exulcerationem patiuntur; unde urinæ turbidæ & craſſæ, *wie Kraut-Lacke*, emittuntur, quæ ſedimentum copioſum rejiciunt mucoſum, quod exſiccatum & carbonibus injectum, fœtidiſſimum odorem ſpargit. Alias ſemen purum, *veſicæ ſcabie.* propter levitatem, urinæ innatat. Pariter ſæpiſſime in calculo veſicæ, hæc ipſa vel ejus ſphincter eroſus eſt, ac tum urina craſſa furfuracea mingitur, cum exiguis carunculis & fibrillis, quæ à vulgo pro vermibus habentur; id quod confirmat *Hippocrates ſect. IV. aph. 66. 67. quibus*, inquiens, *in urina craſſa exiſtente, caruncula parvæ, aut veluti capilli, aut furfuracea quædam, ſimul exeunt, his veſica ſcabie laborat.* *ſtranguria.* In ſtranguria crebrius ad mingendum eſt ſtimulus, ſed parum mittitur, idque turbidum, valde ſalſum & acre, cum filamentis, identidem fundum petentibus, & tunc ſphincter plerumque ſpaſmodici quippiam *& mictu cruento.* patitur. Si ſanguis lotio eſt admixtus, inſtar loturæ carnis, ſeu vini rubri comparet, ſed poſtea cruor ima petit, & purpureum colorem, quando ex renibus, atro-fuſcum vero, ubi ex adapertis veſicæ venis prodiit, refert. Talem ſanguinolentam urinam in ſene vegeto octogenario, qui jugiter dolorem preſſorium in regione pubis ſentiebat quotieſcunque equitabat, vidi.

§. XXV.

Uromantiæ utilitas in pathologicis. Et hiſce quæ jam attulimus, liquido eluceſcere arbitror: uroſcopiam & uromantiam haud exiguæ utilitatis eſſe in praxi medica, nec ceu inutilem & fallacem floccipendendam, multo minus deſpectui habendam: eo quod non modo fluidorum, ſed & ſolidorum conditio, habitus & ſtatus hoc ipſo adminiculo perſpici poteſt ac erui. Nam ex urina levi ac tenui, præternaturaliter & ſpaſmodice affectum eſſe nervoſarum partium ſyſtema patet; ex craſſiori vero & ponderoſa, ductuum urinariorum nimis relaxatus tonus, ſeu atonia eluceſcit. Deinceps hoc ſubſidio depravatam eſſe ſanguinis mixtionem, ſive ejus dyſcraſiam & impurarum ſalino-ſulphurearum partium copiam, optime cognoſcimus, maxime in morbis chronicis & qui à cacochymia naſcuntur. Porro viſcerum ſanguinis depurationi inſervientium, præſertim hepatis, conſtitutionem lotium prodit. Tum proportio & vinculum ſeri ac ſanguinis, quale ſit in morbis, ſive acutis, ſive chronicis, inde elici poteſt. Præterea gradus interni caloris, ſive inteſtinæ partium ſanguinis ſulphurearum commotionis, hac ratione paullo clarius, præſertim in æſtu febrili, dignoſcitur. Defectum quoque caloris naturalis, virium ac ſpirituaſcentiæ, quæ ad digeſtionem ingeſtorum & mutationem in ſuccum & ſanguinem neceſſariæ ſunt, inſpecta urina quadantenus comperimus. Maxime vero urinæ ſolertiori conſideratione & examine viarum & ductuum urinariorum ac ſeminalium, ut renum, ureterum, veſicæ, ejus ſphincteris, urethræ, veſicularum ſeminalium & proſtatarum diſpoſitio ac conſtitutio manifeſtatur. Neque minus in febribus, tam continuis, quam intermittentibus, urinæ inſpectio eximio pollet uſu, eo quod ex hac non modo maſſæ ſanguineæ conditio, ſed & an materia febrilis cocta vel incocta ſit? an criſis morbi completa vel incompleta? qualis ſpes valetudinis? num funeſti quippiam immineat? an recidivæ vel alius morbi metus? planum fit ac innoteſcit.

§. XXVI.

Et therapeuticis. Tandem urinæ etiam conſideratio in therapeuticis haud ſpernendum præſtat uſum. Quia enim vera pathologia ſive exquiſitior cognitio ſtatus morbi, quem uroſcopia patefacit, baſis eſt rationalis therapiæ: multum utique adjumenti ad hanc dextere ſuſcipiendam ac perficiendam illa afferre videtur. Et aquoſa quidem urinarum tenuitas ſi præſto eſt, probe inquirendum, num à ſpaſmis? an vero defectu virium & ſpirituaſcentiæ ortum trahat? Ubi hoc, ſpirituoſa, analeptica, balſamica, aromatica quæ balſamum ſanguini fœnerant, adhibenda; ſi illud, fugienda ſunt hæc, & potius leniora diaphoretica, cum antiſpaſmodicis, nitroſis, cinnabarinis permixta, locum inveniunt. Quando porro in febribus intermittentibus tenues, leves & flammeo colore apparent, nihilque deponunt, à cortice chinæ & quæ parem cum ipſo, maxime conſtipandi & febriles motus ſupprimendi facultatem habent, penitus abſtinendum eſt, quorum uſus, quum urinæ craſſiores ſecedunt, prævia evacuatione alvina, tutiſſimus eſt. Intenſiorem urinæ colorem in febribus, humectantia, acidula, nitroſa expoſcere, quiſque judicabit; craſſas vero & rubicundas, quæ citra calorem in affectibus chronicis minguntur, diluentia, inque primis emunctoriorum tubulos obſtructos reſerantia, aquarum mineralium, acidularum, thermalium & martiatarum convenientem, nec non ſeri lactis dulcis uſum, exigere. Ubi ex viarum urinariarum vel ſpermaticarum vitio urinæ turbidæ, & larga craſſa mucoſa tartarea ſubſtantia fœtæ redduntur, nil præſentius & efficacius eſt fontibus medicatis temperatioribus, ut aquis Spadanis, Wildungenſibus, Selteranis, thermis Piperanis & & Emſenſibus; ad eluendas ac detergendas ſordes, acrimoniam diluendam & partes afflictas conſolidandas, adjunctis ſimul exterius balneis temperatis. Calculoſa tartarea concrementa & mucidum ex ulcerata renum ſubſtantia prodiens lotium, apertius omnium efficaciter diureticorum, ſalinorum, ipſarum quoque Carolinarum, quæ propter calcareum ſalinum elementum fortiter nimis pellunt, uſum interdicunt, & potius traumatica, leniter roborantia & demulcentia injungunt, ut ſunt emulſiones ſeminum quatuor frigidorum, dauci cum lycopodio, infuſa, vel decocta ex hedera terreſtri, equiſeto, virga aurea, fragaria, veronica, radice altheæ, aliisque id genus pluribus.

§. XXVII.

Ex ſudore quoque ſigna petenda. At vero non ſolum ex urina, ſed etiam ex aliis excretis, inter quæ ſubtiles excretionis cuticularis ſordes potiſſimum fere locum tenent, de ſtatu integro nec non vitiato, ac præcipue de ſalutari, vel infauſto morborum eventu, medicus tanquam ex certis ſignis indicium petere debet. Veteres, ut refert *Jo. Langius in epiſt.* tam in cognoſcendis, quam dijudicandis morbis, plus, ſudoris calorem, odorem & ſaporem, quam lotii differentias obſervarunt: quare etiam moris fuit,

ſudores

sudores in balneo strigili exceptos & olfacere & degustare. Sudor enim, ut *Galenus de salubr.* ait, omnium humorum per universam corporis compagem index est: urina vero tantum eorum, quæ in conceptaculis venarum continentur. Neque hæc assertio fundamento destituitur. Nam urina potissimum potui, cui etiam proportionalis est, materiam debet; & crassiores aqueas, & maxime varii generis salinas, quæ per alimenta assumtæ fuerunt, atque in ipso sanguine progenitæ sunt, recrementitias materias è corpore evehit; quandoquidem renes & viæ urinariæ congruum salium emunctorium constituunt, quin omnis generis salia, sive alcalina, sive acida, sive neutra, volatilia, sive fixa fuerint, vel etiam caustica, item nitrosa, singulari plane ratione ad renale illud vásculosum cribrum feruntur, & urinam quoque movendi facultate pollent. Per fibrosam vero ac poroso-tubulosam cutis texturam, corpus magis à partibus aqueis tenuioribus, & maxime sulphureis, sub forma vaporis, vel madoris, expurgatur.

§. XXVIII.

Perspirationis & sudoris differentia.

Diligenter tamen hoc loco observandum est: ingentem inter perspirationem & sudorem intercedere differentiam. Scilicet perspiratione, insensibilis halituum è corporis cortice succedit diffiatio, adeoque tantummodo particulæ tenuissimæ aqueæ & sulphureæ salinæ magna quotidie in copia in auras mittuntur, linteaminibus corpori circumvolutis siccis remanentibus: in sudore vero particulæ aqueæ & sulphureæ magis crassiores, peculiaris saporis & odoris, vel fœtoris prodeunt, quæ cutem & indusia conspectius humectant, adeo, ut interulæ interdum post sudorem quinque vel sex unciis graviores quam antea deprehendantur, quum contra in perspiratione, pondus indusii per hebdomadem gestati vix uncia una increscat, ob materiam mucidam oleosam crassiorem in poris obhærescentem. Deinde observamus, perspirationem in robusto, sudorem vicissim magis in imbecilli corpore fieri, & plus etiam materiæ excrementitiæ illa, quam hoc excludi, ut hinc probe notante *Sanctorio* in aureo *de Medicina statica* libello, corpus à perspiratione longe agilius & levius, à sudatione vero debilius & gravius reddatur. Porro saluberrima illa minus in sensus cadens sordium per corticem corporis excretio magis à vegetiori sanguinis progressivo motu & circulo, atque vigore motus cordis & arteriarum oboritur; sudor autem potius à calore & motu intestino partium sulphurearum, quæ in mixtione sanguinis continentur, & à fibrarum & tubulorum cutaneorum majori relaxatione, provenit. Tum frequenti constat observatione, sub constitutione aëris sicca & ventis ex euro & borea flantibus, expansiva elastica reddita, & scandente altius in barometro argento vivo, insensibilem in corpore perspirationem quam maxime vigere: contra vero sub aëre levi & rarefacto, humido, flante potissimum zephyro & austro, nec non sub lapsu mercurii, corpus ad sudationem mirum dispositum esse. Quin ipse multiplici observatione confirmatum habeo, quod sub debilitate, à morbo potissimum relicta, & atmosphæra existente admodum levi, humida & pluviosa, sudores ex cutis tubulis largiter profluant, cum urina simul crassiore, multum sedimenti ponente; inducta autem per mutationem ventorum è contraria plaga spirantium aëri alia constitutione, protinus sudores reficcentur & cohibeantur, urina quoque largior & tenuior secedat, corpusque longe agilius, somnus quietior, animus ad labores magis dispositus & erectior reddatur. Ex quo satis clare intelligitur, tam insignem atque conspicuam esse fluidi aërei & ætherei ad mutandos excretorios in corpore motus potentiam, ut supervacaneum & sterile molimen foret, ad occultum quoddam & vere imaginarium principium motus in corpore, in explicandis hisce phænomenis, tanquam ad asylum confugere.

§. XXIX.

Sudoris materia sulphureæ indolis est.

Hæc autem materia, quæ per subcutaneos tubulos ex intimis corporis penetralibus foras amandatur, quod valde sulphureæ naturæ, & cutis præcipuum sulphuris excrementitii, haud secus quam renes salini excrementi, sit emunctorium, plura evincunt. Etenim sudor peculiarem & odorem, & colorem, & pinguedinosam quoque substantiam, quæ phænomena, secundum Chymicorum doctrinam, principii sulphurei soboles sunt, exhibere solet. Et mirum certe, quam eximie effluvia, quæ è corpore halant, immo etiam ipse sudor, pro ratione ætatum, temperamentorum & ingestorum, differant. Nimirum qui allio & cepis frequenter utuntur, inficetum dispergunt odorem, contra vero quibus suaveolentia balsamica, item moschus & ambra, in frequentiori usu, gratum spirant. Sic etiam odor sudoris ratione anni tempestatum discrepat, ac æstate potissimum acidum, sæpe instar aceti vini penetrantis, redolet. Peculiarem quoque sudor in nonnullis morbis & specificum quasi obtinet nidorem, ut in scabie, lue venerea, variolis, morbillis & maxime omnium purpura, adeo ut vel solo odore, ægrotantes ejus præsentiam dignoscere queant. Quod quidem quemadmodum de odore in propatulo est, ita pariter observationibus constat, quod sudor indusia vario colore tingere soleat. Placet in hujus confirmationem quædam in *Miscellaneis naturæ curiosorum* consignata recensere exempla, dum *Dec. I. An. VI. pag.* 20. atri, *Dec. II. An. III. pag.* 83. sub axillis miniati, *An. IV. pag.* 203. cærulei, *An. VI. pag.* 45. cruenti, *An. IV. pag.* 329. crocei, *An. VI. pag.* 5. rubicundi, pag. 29. viridis, *Dec. I. An. VI. & VII. p.* 110. lutei sudoris, mentionem injiciunt.

quod testatur odor

& color.

§. XXX.

Sudor quoque varius & quoad loca differens erumpit.

Maxime omnium tamen illud notatu dignum, quod sudor non unius ejusdemque naturæ ubique è corpore manet, sed pro diversitate partium varius. Ita specifici odoris est, qui profluit ex capillitio, & peculiaris odor percipitur, quando regio pone aures digito asperius fricatur. Sub axillis graveolens sæpe offenditur ex sudore nidor, nec non inguine, item in scroto & osse sacro gravem & discrepantem spirat pædorem, qui adhuc differt ab eo, qui inter digitorum pedum interstitia prodit. Ipse quoque sudor copiosior in una, quam in altera corporis regione manat. Nam in partibus superioribus, ut capite, collo, dorso & pectore, item in posterioribus liberalius, parcius vero in inferioribus & anterioribus, erumpit. Jam quidem mirum videri posset, qui ex uno fonte & materia, sanguinis nempe sinu, tam diversus & alius sudor secedat; sed mirari desinet, qui considerabit, ita comparatam esse corporis ubique machinam, ut vel viginti, quos facile numerare liceret, diversæ indolis, qualitatis & virtutis succi utiles atque inutiles, ex una sanguinis massa, secernantur & excernantur: haud secus ac in nutritione vegetabilium, ex sola

aqua

aqua pluviali, pinguiuſcula terreſtri materia fœta, diverſæ formæ, ſaporis, coloris, virtutis, conſiſtentiæ germina, ut folia, cortices, flores, fructus, ſucci, gummata generantur ac producuntur. Quod mirabile naturæ tam in regno vegetantium, quam animantium negotium, non, ut quidam ſomniant, ſpiritui peculiari architectonico, plaſtico, aut alii omnia moraliter & rationaliter dirigenti, vel peculiari partium virtuti attractrici, ſplendidis certe ignorantiæ terminis, in acceptis ferendum, ſed à ſola diverſa mechanica ſtructura, flexura magnitudine & figura minimorum tubulorum, quæ apparet maxime in glandulis, duci ac derivari debet. Neque ea propter eſt quod dubitemus, quin ſola tubulorum ſtructura & ductu, ita motus fluidorum dirigantur, ut craſis, mixtio & unio partium corpus conſtituentium mutetur ac invertatur, & ex emergente inde nova combinatione & unione partium, alius formæ virtutis & qualitatis ſubſtantiæ gignantur.

§. XXXI.

Sudoris cauſſa inteſtina ſanguinis commotio.

Jam ſi porro in cauſſam ſudoris & largioris & frequentioris, ſive præternaturalis, inquirimus, illa duplex merito afferenda. Prima eſt partium ſulphurearum, quæ mixtionem ſanguinis ingrediuntur, inteſtina valde agitata commotio & evolutio, qua ipſa maſſa ſanguinis & ſeri tandem in excrementitium ſalino-ſulphureum humorem diſſolvi incipit. Altera eſt tubulorum ſubcutaneorum nimia relaxatio, ſub qua humores ſeroſi facile ſecedunt à craſſioribus ſanguineis, ac ſenſim protruſi eliminantur. Quibus jam poſitis, facile apparebit ratio, quare omnia ea, quæ ad inteſtinum partium ſanguinis ſulphurearum motum augendum faciunt, ad ſudorem movendum aptiſſima ſint. Horum in numerum referenda cholerica corporis conſtitutio, ætas juvenilis, macilentus corporis habitus, tempus æſtivum, paullo vehementior corporis motus, aër calido-humidus auſtralis, vini, præſertim oleoſi & ſpirituoſi, ut Hungarici, potus, & medicamenta, quæ oleo ſubtiliſſimo evaporabili imbuta ſunt, quo nomine nota ſunt ex vegetabilibus radix enulæ, petaſitidis, oſtrutii, leviſtici, angelicæ, imperatoriæ, crocus, flores ſambuci, ex animantibus, omnes ſpiritus & olea deſtillata, ex mineralium claſſe flores & lac ſulphuris, regulus antimonii medicinalis, ſulphur antimonii, noſtro modo præparatum & fixatum. Viciſſim in procinctu quoque erit ratio: quare infantes, ſenes, obeſi, humoribus repleti, otio & ſomno nimium indulgentes, parum ad ſudorem diſpoſiti ſint, quippe qui ſpiſſos non modo & viſcidos in vaſis humores, qui difficilius per minimos cutis tubulos feruntur, alunt, ſed imminutam partium ſulphurearum in ſanguine experiuntur inteſtinam agitationem.

§. XXXII.

Et cutis diſpoſitio laxior.

Requiritur vero etiam ad proliciendum ſudorem certa diſpoſitio in cute, quæ conſiſtit in convenienti ejus relaxatione & pororum ac tubulorum apertione, ut ſudoris materia ſufficienter adduci & ſecerni queat. Nam ſi in ulla corporis parte vis expanſiva & elaſtica eminens eſt, certe in ipſa cute conſpicitur, quæ, ut gravidæ & hydropici teſtantur, mirum ſeſe diducere atque expandere, iterumque in priſtinam dimenſionem contrahere poteſt. Et elaſtica hæc cuti propria virtus, non aliter quam in omnibus inanimatis elaſticis corporibus, ut chordis, funibus, tabulis ligneis, comparata eſt, ac non modo pro diverſa aëris conſtitutione, ut humidi & levis, remittitur, ſicci vero & frigidi iterum adducitur, ſed & à cauſſis internis, fluidi tenuiſſimi, quod eſt in ſanguine ac nervis, motu, varie in relaxatione & conſtrictione modificatur. Hinc enim eſt, quod in omnibus gravioribus doloribus, in affectibus ſpaſmodicis, ira, nimio ſanguinis fervore, cutis plane ſicca, aſpera & arida oſtendatur, adeo ut facilius ſit è pumice aquam, quam ex ejuſmodi corpore ſudorem elicere. Secus viciſſim fit & facillima ad ſudorem proclivitas, in declinatione paroxyſmorum febrilium, ſpaſticorum, item in imbecillitate virium à morbis reſtitante, ab atmoſphæra humida & calida, pluvioſa, balneo vaporoſo, vel à medicamentis quæ dolores ac ſpaſmos ſiſtunt ac ſedant, ut nitroſis papaveraceis aſſumtis, præſto eſt, eo quod hæc omnia mirifice relaxant & ampliant cutis poros ac tubulos. Quin diuturnus etiam animi mœror peculiarem hunc pariter exſerit effectum, quod cutis, præſertim pedibus inductæ, tonum ſolvat ac remiſſiorem reddat, ut hinc, quod ſæpius obſervavimus, ſudore largiter diffluant.

§. XXXIII.

Sudores boni ominis qui.

Poſtquam igitur cauſſas, viam & modum, quo cuticularis excretio perficitur, paullo curatius perveſtigavimus; haud difficile nunc erit, ex ſudoris natura atque eliminatione in ſtatu morboſo & præternaturali, præſertim febribus, ratione eventus indicium & judicium deſumere. Quum vero vetuſtiſſimus artis noſtræ parens *Hippocrates* paſſim in ſcriptis ſuis, maxime *aphoriſmis*, *prænotionibus & coacis*, multa eximia & veritati apprime conſentanea præcepta & axiomata prognoſtica, ex ſudoris natura & modo excernendi petita propoſuerit: hæc in pauca conferre & ſic in compendio exhibere, operæ duxi pretium. Affirmat quippe hic medicorum princeps, boni ominis ſudores eſſe, qui circa dies criticos, ut dimidium quarti, ſeptimum, undecimum, decimum quartum, decimum ſeptimum, vigeſimum primum erumpunt, qui porro per univerſum corpus, nec in una tantum parte, nec parce & interrupte, ſed copioſe & ſufficienter manant, quos alleviatio ſymptomatum & virium erectio ſequitur, & qui cum ſignis coctionis in urina, alvi ſeceſſu, vel præcedente, vel comite, ſuccedunt. Nos maxime illos judicamus ſalutiferos, qui fiunt, quando pulſus præter naturam celer, vehemens, vel durus, in molliorem & ſedatiorem tranſiit.

§. XXXIV.

Qui mali

Contra vero omnes ſudores, qui in febribus ſtatim in principio & extra dies criticos contingunt, ſymptomata non levant, ſub alvo conſtricta, cum urina tenui ſine ſedimento, ac pulſu præternaturali, nec immutato prodeunt, à docta antiquitate, cui etiam experientia firma & conſtans ſuffragatur, ſemper pro malis & ſymptomaticis merito habiti fuerunt; eo quod ingentem virium imbecillitatem, partium ſolidarum atoniam, mixturæ ſanguineæ diſſolutionem atque etiam cauſſam morbi adhuc nobilioribus nervoſis partibus firmiter inſidentem produnt, & multiplici experientia conſtat, plures ſub & in ejuſmodi ſudore occumbere. Infauſti etiam præſagii ſunt, qui tantum unam corporis partem occupant, & recte utique *Hippocrates ſect. IV. aph.* 38. prodidit: *qua parte corporis ſudor manat, morbum illius partis arguit.* Nam in morbis capitis, apoplexia,

plexia, phrenitide, affectibus soporosis, caput sæpe totum sudore diffluere, pedibus frigidis, observamus. In asthmate convulsivo, catarrho suffocativo, peripneumonia, pectus multo sudore perfunditur, & plerumque omnes, qui in peripneumonia primis mox diebus citra levamen sudant, pereunt, ac sphaceloſa plerumque subest inflammatio, vel in suffocativo asthmate polypus absconditur. Quin id quoque observatione compertum est, quando symptomata post sudorem non levantur, plerumque subsequi recidivam, vel morbum diu extrahi. Quam in rem egregium est *Martiani* in *comment. ad coac.* testimonium: *si sudor non tollit febrem, sed hæc remanet, tunc symptomaticus est, & morbi recidiva, vel ejus longitudo exspectanda.* Omnium tamen pessimi sunt frigidi, præsertim quando interiora ex inflammatione ardent; unde *Hippocrates Sect. IV. aph.* 37. it. in *prognost. cap.* 2. frigidos sudores cum febre acuta mortem indicare affirmat, in mitiori autem morbo ejus longitudinem.

§. XXXV.

Sudor in paroxysmis nullus. Porro quotidiana docet experientia, ipso in paroxysmo & vigore febrium, item dolorum & motuum spasticorum, in gravi cephalalgia, cardialgia, dolore intestinorum, colica, epilepsia, in nimia etiam seri profusione per alvum, salivam aut urinam, vel etiam nimiis hæmorrhagiis, cutem aridam, siccam & frigidam esse, ac sudore penitus destitui, simul ac autem sæva hæc *post eos largus.* pathemata de vehementia remittunt, vel penitus intermittunt & morbus est in declinatione, sudor protinus ex toto corpore evocatur, id quod maxime obvium, in declinatione intermittentium. *Sæpe nimius.* Incidit quoque sæpius, ut post febres, tam acutas, quam chronicas, curatas, ingens dispositio & habitus corporis ad continuos & largos sudores remaneat, qui etiam facili de caussa, levi externo calore, vel si oculos claudant & somnus obrepat, provocantur. Caussa hujus largæ sudationis vel ex regimine in sudoribus criticis minus curate ab ægris servata repetenda est, vel quod nimis cito auræ frigidiori se committant, ut remanens intus excrementitia quæ sudore disflatur materia, mixtionem sanguinis ad dissolutorium quendam motum disponat, vel etiam quod superato morbo avidius & largius cibum ingerant, qui ob imbecilliorem à morbo redditam digestivam ventriculi & intestinorum vim, non bene solvitur & subigitur, unde copiosus & crudus chylus sanguini affusus, non bene cum eo miscetur, sed quam facile per emunctoria ab eo secedit.

§. XXXVI.

Maxime in purpura. In nullo tamen morbo profusiores manant sudores, quam in purpura, sive rubra scorbutica, sive alba cum febre juncta; certo indicio, à fermentali quodam impuro succo totam sanguinis & humorum massam in colliquativam dissolutionem esse conjectam. *In malignis* morbis, quorum caussa interna partium sphacelatio, cum summa virium jactura, sub pulsu sæpe debili & minus frequenti, urina quoque non adeo colorata, sed sanorum simili, manant sudores copiosi, fœtidi, sæpe frigidi, & lethales, qui de putrida sanguinis resolutione testimonium exhibent. *In hecticis.* Solennes quoque sunt hecticis & ubi partes nobiliores abscessum vel ulcus alunt, copiosi & valde debilitantes sudores, qui in scholis medicis colliquativi vocantur, & idemtidem à materia purulenta corrupta, quæ sanguinem in intestinum fermentativum morum ciet, proficiscuntur. In *scorbuticis.* scorbuticis quando ex hepatis vitio & sub deficiente biliosarum partium separatione, lympha multis sulphureis excrementitiis scatet partibus, sudores etiam nimii valde molestant, præsertim si alvus simul obseratur.

§. XXXVII.

Quomodo resiccandus. Et in hac quidem effusa nimis sudatione, perquam utilia deprehendi alvum laxantia ex manna, tamarindis, item serum lactis dulce, cum pulvere nitroso præcipitante datum. In aliis autem longis & largis sudoribus, quorum caussa nimia cutis atonia & interna partium sulphurearum in sanguine resolutoria commotio, egregie ex usu fuerunt analeptica, cum roborantibus & leniter constringentibus, item acidula, quippe quæ non modo partium solidarum tonum ac robur firmant, sed & unionem ac mixtionem partium sanguinis vinciunt & servant, quorum classem liquor meus anodynus mineralis, spiritus salis dulcis, spiritus sic dictus regius Michaëlis, ex spiritu rosarum, salis dulcis, cum moscho, ambra & confectione alkermes paratus, tinctura rosarum cum phlegmate vitrioli acidulato confecta, saccharum rosaceum, tinctura coralliorum, vel earum solutio cum succo citri facta, ducunt. Alii eundem in finem species de hyacintho valde extollunt, quarum virtus sine omni dubio ab ingredientibus, quæ sunt leniter constringentia, idem ab admixta camphora, ambra & moscho, licet horum dosis exigua sit, minime vero à sterili & & effœto gemmarum pulvere minus solubili, petenda est ac derivanda.

§. XXXVIII.

Alvina excretio ad conservationem corporis necessaria. Hactenus de excretione, quæ per urinarias vias & universale cutis emunctorium succedit, indole & promendo inde judicio egimus: superest jam, ut etiam de ea, quæ per alvi secessum contingit, nonnulla addamus. Quemadmodum autem per urinam maxima & superflua liquidi ex potu portio, una cum salinis crassioris texturæ partibus, secedit, & per cuticularem evacuationem salino-sulphureæ, intestino calido motu ex intima sanguinis mixtione evolutæ sordes, proscribuntur: ita per alvum non modo relictæ post chylum ex alimentis extractum fœculentiæ & furfures, sed & crassiores sulphureæ biliosæ, in ampliſſimo hepatis viscere segregatæ ac per peculiares canales intestinis insinuatæ scoriæ, una cum lymphaticis fermentalibus, ex pancreate, glandulis & tunicis glanduloſis intestinorum stillantibus succis, foras ejiciuntur; eum pariter in finem, quo reliqui vitales corporis humores à sordibus pernicialibus repurgentur, nec unquam à temperata ad integritatem necessaria indole desciscant.

§. XXXIX.

Licet aliquandiu sine noxa supprimi possit. Non quidem negandum, eam alvinæ excretionis esse rationem, ut interceptus ejusdem legitimus naturalis successus, non tam præsentaneo damno sanitatem afficiat, quam si perspiratio aut urinæ fluxus cohibetur, sed sæpius diu sine vitæ vel manifesto valetudinis periculo retineri potest. Quia enim sanguinis massa per cutis tubulos, & maxime renale cribrum, à recrementis salinis & sulphureis liberaliter depuratur, his rite & sufficienter secedentibus, non illico noxa metuenda, licet fæces crassiores aliquandiu in longo & amplo intestinorum tractu moram nectant, modo tonus hujus canalis non adeo sit labefactatus,

ut

ut flatibus cedat, sed iisdem elidendis ac demum scybalis egerendis sufficiat. Et certe complura in observatis medicorum commemorantur exempla de diuturna alvi obstructione indemni, ut apud *Rhodium Cent. II. obs.* 81. *Mœnichen observ.* 5. nec non in *M. N. C. Dec. I. An. III. obs.* 25. *Dec. II. An. III. obs.* 83. quo etiam referenda, quæ *Listerus* in *comment.* ad *Sanctorii Medicin. static. pag.* 150. memorat, de sene quodam, octogesimo & sexto ætatis anno adhuc perfecte sano, qui, licet multum cibi carnesque pariter subcrudas ingereret, a pluribus tamen annis rarissime, & nonnisi semel per hebdomadem, alvum deposuit.

§. XL.

Hinc recte ex eadem judicium petendum.

Nihilominus tamen ex solennioribus ac eminentioribus excretionibus est alvina, ac non solum vitali corporis conservationi, sed etiam morborum solutioni, quæ nonnisi evacuatione absolvitur, quam maxime inservit. Quare ejusdem consideratio, utique tam ad sanum, quam morbosum corporis statum cognoscendum, ac ferendum de eo judicium, utilis admodum est atque necessaria. Potissimum tamen ex eorum quæ alvo secedunt copia, habitu & modo excernendi, medicus non tantum de alimentorum digestione & chyli elaboratione, nec non de humoris biliosi ac pituitosi secretione atque excretione, verum etiam de motus intestinorum peristaltici, immo totius generis nervosi constitutione, indicia sumere ac certior reddi potest.

§. XLI.

Excrementa alba bilis defectum indicant.

Jam itaque quum feces colorem flavum naturalem ab admixta bile mutuentur; his albis, vel grysea tantum tinctura infectis secedentibus, in proclivi est judicare: biliosi humoris in intestinis esse defectum. Hic autem defectus, vel ab obstructis, aut constrictis biliferis ductibus, ut in ictero, proficiscitur, vel ab exsuperante acidorum succorum prima in regione copia, qua bilis obtunditur ejusque color extinguitur, ortum trahit, uti obvium est in senibus, hypochondriacis, infantibus, si lac in ventriculo coacescit, omnibusque, qui paullo largius potum, multum acidi in complexu foventem, ingerunt. Ac tum quidem candescentes feces, minus fœtentes, cum doloris sensu, præsertim in recto, ac tenesmo secedunt. Quandoque etiam eandem ob caussam difficilior est ac tardus alvi secessus & varia in abdomine accidunt pathemata ac tormina, inprimis tamen molesta nauseabunda circa præcordia adest sensatio, quam nostri *das Ubelseyn* appellant, quæ mane potissimum & absoluta digestione percipitur. Ac in his quidem omnibus nullum præsentius datur remedium pulvere acidum absorbente, cum diluente & leniter carminativo vehiculo assumto. Cessant quippe hoc facto dolores & alvus ad officium redit. Quod vero absorbentia & sic dicta præcipitantia, quo etiam referenda magnesia, nec non pulveres bezoardici terrei, sedes uti crebrioris observationis est, moveant, hæc utique subest ratio, quod alcali terreum acidos prima in regione succos imbibens, convertitur in sal neutrum, nerveas intestinorum tunicas ad excretionem sollicitans. Notabilis hanc in rem est observatio *Schelhammeri* in *M. N. C. Dec. II. An. V. p.* 30. de puero, qui convulsivis motibus simulque alvo pertinacius obstructa laborans, propinata ex aquis refrigerantibus cum absorbentibus mixtura, & purgatus est, & convaluit.

§. XLII.

Fusca bruna lis cop

Vicissim quando scybala austero, bruno, vel fusco colore infecta alvo feruntur, largius in sanguine progigni & copiosius ab eodem separari biliosas sordes, indicio est. Excluduntur autem biliosa ejusmodi excrementa solenniter tempore æstivo, quo ob vehementem calorem multum bilis generatur & ad intestina fertur. Observantur quoque in cholericæ constitutionis hominibus, nec non in iis, qui corpus crebrius motu exercent, vini ac spirituosorum potui nimis indulgent & in iram proclives sunt. Potissimum tamen in febribus biliosis, cholericis, tertiana continua & intermittente, febre quoque ardente sive causo, sordes alvinæ multæ, bile largiter refertæ, maxime sub declinatione & perfecta morbi solutione, secedunt. Quia enim hi morbi partim ab ipsa bile stagnante & corrupta natales ducunt, partim etiam sub ipsis per motum intestinum calidum adauctum largus bilis est proventus: ratio utique patet, cur tam biliosa egerantur scybala, ac remittente demum sub declinatione febris spasmo, copiose, insigni tamen cum emolumento, prodeant, ipsumque morbum solutum haud raro indicent. Pariter in melancholia hypochondriaca, mania, cachectico morbo & hysterico malo, alvus non solum segnis est & tarda, sed fœces etiam duræ ac intensius flavo ac fusco colore, quin nigricante conspicuæ, exsolvuntur, nullam plane aliam ob caussam, quam quod ob acidi uberiorem in canale alimentorum proventum, adstringitur excretio, ac bilis acido commixta, ob diuturnam moram, nigredinem contrahit.

§. XLIII.

Viride cremen rum co etiam le.

Ex eodem fonte, bilis nempe constitutione; viridescentium excrementorum origo repetenda. Sunt hæc quam maxime familiaria infantibus lactentibus & plerumque atrocibus ventris torminibus, inquie, jactatione corporis, febre, insequente crebro convulsione epileptica, stipantur. Mali igitur sunt indicii, & lac acidum factum & cum bile quasi confermentatum, viridem colorem & corrosivam indolem contraxisse, produnt. Excluduntur tamen interdum etiam in adultis virides per alvum sordes, ut in passione cholerica laborantibus, præsertim quando post vehementem iram copiosa bilis ad tenuia intestina, acidis succis referta, propellitur. Neque minus in hypochondriacis & hystericis, sæpius non solum per vomitum, sed etiam alvum, viridia, sub gravissimo pathematum spasmodicorum insultu, excernuntur. Sæpe etiam ipsa natura per biliosas & copiosas dejectiones, sponte repurgat corpus a redundantibus salino-sulphureis scoriis, quæ æstate nimis fervida progenitæ, cohibita, ab aëre frigido & humido, ineunte maxime autumno, perspiratione, partim ad hepar, partim etiam ad glandulosas intestinorum tunicas relabuntur, ac demum in ipsum canalem delatæ, molesta tormina & spasmos excretorios producunt. Quod si tamen acres hi succi diutius per intestina feruntur, tonus non solum eorundem nimium destruitur, sed ipse demum etiam tunicæ exeduntur, ut atrophia, hectica, tormina continua, affectus hypochondriacus flatulentus, tumores œdematosi ipseque hydrops, accedant.

§. XLIV.

Fœtor ex crement rum una

Ut color, sic quoque fœtor excrementorum bili iisdem immixtæ plerumque debetur, quæ

quæ quo parcius ineſt, ut albis, eo minor eſt nidor, eo gravior, quo largius. Quod ſi igitur fæces mirum fœtent, aut cadaveroſum plane pædorem difflant, indicium eſt vel bilis copioſæ & corruptæ, vel ſphaceloſæ in inteſtinis corruptionis. Hinc quando in malignis vel dyſenteria ſcybala fœtidiſſima ſecedunt, putredinis lethiferæ ipſiuſque mortis præſagium præbent. Putent tamen etiam ſæpius ſcybala infantum à vermibus, ſi in putrilaginem fatiſcunt, ac tum ſimul adſunt vagi in abdomine dolores & corporis æſtus cum virium languore. Ubi vero alvus fœtida non ſolum, ſed etiam ſpumoſa, crebra & varii coloris fertur, cum ardente dolore & contiuo ad deſidendum ſtimulo, ut in dyſenteria, humores valde acris & corroſivæ naturæ ad inteſtina ferri, & talem quoque rodentem ad recti glandulas amandari, haud fallax ſuppeditat indicium.

§. XLV.

Faces mucidæ quid indicent?

Porro ſæpius contingit, ut fæces admodum mucidæ, pituita craſſa tenaci ſcatentes, exſolvantur. Ex his de imbecilli ventriculi & inteſtinorum digeſtrice virtute, nec non de alimentorum crudorum ac difficilioris ſolutionis, potus quoque minus ſalubris uſu, judicandum; id quod ſæpius obvium eſt in iis, qui noviſſime à morbo convaluerunt & avidius cibos ingerunt, in ſenibus ac his, qui vitæ genus agile, cum otioſo, & victum calidum, cum frigido, commutant. Quando vero major muci pellucidi, vel qui albumini ovi ſimilis eſt copia, cum teneſmo ac moleſtiſſimo recti dolore excernitur, certo utplurimum argumento eſt, ſanguinem exitum molientem in fine recti obhæreſcere, ac mora in glandulis largiter deponere mucum, preſſione vero dolorem cum teneſmo ciere.

§. XLVI.

Excrementa liquida prodeunt copioſa.

Nonnunquam etiam excrementa liquida prodeunt & copioſa, appetitus ſimul viget, corpus tamen emaciatur magis, quam increſcit. Quod ſi contigit, exiles villoſæ in inteſtinis tunicæ ductus muco obſeſſos & inviſcatos eſſe arguit, ut nonniſi tenuis & aquea chyli portio à minus patulis oſculis recipi queat, pinguis vero, gelatinoſa & nutribilis portio ingreſſu excluſa, fæces dilutiores & ſic diarrhœam reddat chyloſam. Merito quoque ab obſtructione lacteorum lævitas inteſtinorum ſenibus familiaris repetenda, eo quod ætate ingraveſcente alvei minutiſſimorum in corpore canalium ſenſim anguſtantur, corrugantur ac concidunt, ut hinc nutritio intercidat ac multum alibilis liquidi per anum effundatur.

Alvus nimia unde?

Viciſſim quando ſcybala duriſſima, inſtar lapidis compacta, magna cum difficultate egeruntur, haud fallaci indicio concludendum: ob mucoſas inteſtinorum glandulas obſtructas aut plane induratas, vel nimium calorem, excrementa ſicceſcere, & labaſcente ſimul motu periſtaltico, diutius retineri. Quin non raro ea inteſtinorum ſiccitas alvique eſt durities, ut nonniſi injecto clyſmate, aut ſumto pharmaco, quicquam exſolvatur, quam in rem memoratu dignus caſus à *Ballonio lib. epidemior. pag.* 58. enarratur, ubi poſt inſuperabilem alvi ſiccitatem, facta ſectione jejunum ita anguſtum & cartilaginoſum deprehenſum eſt, ut vix per illud chylus defflueret. Et hinc quoque eſt, quod nulla medicamenta purgantia calidiora, præſertim ſi humidum jam deficit, excretorios in inteſtina hiantes ductus ſtringendo, alvum potius obſtruant, quam ſolvant.

§. XLVII.

De ſcybalis ſanguinolentis.

Exit præterea cum fecibus quandoque ſanguis ſincerus, quod, ſi ſine torminibus exquiſitis ſuccedit, ex ani venis ſtillat, ubi autem dolores circa umbilicum graviſſimi & crebriores dejectiones ſimul urgent, ex eroſis ab acri humore tenuium vaſis manare & dyſentericum morbum adeſſe, teſtantur. Et ſicuti prius plerumque pro ſanitate eſt, ita poſterius, ſi longius extrahitur, affectum hypochondriacum flatulentum, tormina, hydropem, tumores œdematoſos, atrophiam & hecticam, ob exeſas ſenſim inteſtinorum tunicas, inducit. *& nigris.* Cruori quoque admixto debentur excrementa inſtar picis nigra, quæ cum ſummo virium lapſu & mirifico fœtore dejiciuntur, ac de morbo ſic dicto nigro documentum ferunt, præſertim ſi vomitus ſimul ſanguineus accedit; eo quod ſanguis poſt diuturnam in vaſis meſaraicis ſtagnationem, demum in ileum tenuiſſima membrana obductum perrumpit, & ad craſſa deſcendens, cum fecibus quaſi confermentatus, nigrorem & fœtorem ipſis conciliat. Et de ejuſmodi dejectione intelligendus utique *Hippocratis aph.* 21. *Sect. IV. dejectiones nigræ, qualis eſt ſanguis niger, ſponte venientes, ſive cum febre, ſive ſine febre, peſſimæ; & quanto colores magis pravi fuerint plures, pejus.*

§. XLVIII.

Alvi excretio de motu inteſtinorum teſtatur.

Præter hæc, de bilis aliorumque in inteſtinis ſuccorum indole, ſigna, alvina quoque excretio de motus periſtaltici & univerſi nervoſarum partium ſyſtematis conſtitutione indicium ſuggerit. Quemadmodum enim alvi facilis & conveniens ſucceſſus, reciprocum relaxatorium & conſtrictorium motum in tunicis inteſtinalibus ordinate & æquabiliter ſuccedere teſtatur: ita contra ſimulac hæc motio vitium patitur, & nimia adeſt vel adſtrictio, vel dilatatio, ſeu atonia, alvus aut ſupprimitur, aut effuſe fluit. Nervoſarum autem partium conſtitutio, eo certius ex alvina evacuatione cognoſcitur; quo major inter has & inteſtina viget conſenſio, qua vitium ex illis ad hæc, & ex his ad illas, mutuo propagatur.

§. XLIX.

In genere mala alvus tarda.

In genere igitur tenendum: legitimum inteſtinalis excretionis ſucceſſum, illibatæ ſanitatis; turbatum vero, adverſæ valetudinis certum eſſe indicem. Alvi enim torpor vel plenaria ſuppreſſio recte ſentiente *Sponio aph.* 27. *Sect. II.* omnium conturbationem & vaſorum impuritatem affert, eaque propter merito inter ſigna imminentis morbi refertur, eo quod ſenſibiles corporis partes gravius affectas eſſe & ſpaſmo jam ſtringi ſubindicat. Inprimis teſte eodem *Sponio l. c. aph.* 28. & per experientiam compertum eſt, obſtructo inferiore ventre, flatus in univerſum corpus diſcurrere, ut diſtentis poſtea nimium ab iis inteſtinis cum ventriculo, ſanguinis liber progreſſus impediatur, & ad alia ſuperiora maxime loca converſus, varia, eaque gravia pathemata, cieat. *nimis fluxa.* Nimis effuſa autem per alvum ſeceſſio indicio eſt, poſt vehementiorem ſub crebriori dejectione ſtricturam, ſuccedere nimiam fibrarum remiſſionem & laxitatem, qua fit, ut copioſior humorum affluxus eo contingat, quibus denuo ſpaſmi ac tormina cum dejectione proritantur. *inordinata* Haud abſimilis ratio eſt, quando alvus aliquandiu fluit, poſtea vero per aliquod tempus tenſa eſt ac ſtricta, quippe quod pariter vitioſum periſtalticum motum, ac inteſtina mox ſpaſmo, mox atonia, detineri, arguit. Quumque adeo reciproci

reciproci hujus in inteſtinorum volumine motus conſervatio, magnum conſervandæ valetudinis ſit præſidium, deſtructio autem multorum morborum & ſymptomatum mater; omni utique ſtudio, in ſtatu naturali, ea vitare decet, quæ eundem turbant ac lædunt, ut ſunt inprimis ira, terror ac mœſtitia, frigida potio largius ſudanti corpori ingeſta, omnia auſtera, acida, adſtringentia & duræ compagis alimenta, cibi nimis pingues & flatulenti, nimius cereviſiæ, vini & ſpiritus vini potus, omne frigus, nimiæ vigiliæ & mentis fatigatio, ex medicamentis, creber uſus purgantium inprimis draſticorum, opiata, mercurialia, ſaturnina, item acida ſtiptica.

§. L.

Alvina excretio in capitis Ad morbos quod attinet & judicium ex alvina egeſtione in iis petendum, in omnibus capitis & nervorum affectibus, propter mutuam partium nervoſarum conſenſionem, alvus ſtringitur, & omnis ipſius conſtipatio, ingignit, fovet & exacerbat capitis & nervorum morbos. Obvium hoc eſt in vehementiori cephalalgia, hemicrania, epilepſia, mania, melancholia, affectibus paralyticis, ophthalmia & auditus quoque difficultate, qui omnes morbi optime ſolvuntur alvi fluxu paullo diuturniori, quippe qui ſedatos eſſe primis in viis ſpaſmos, humores ad caput urgentes, & materiam peccantem ad inferiora deſcendere ibique exſolvi teſtatur. Hinc ex vero *Celſus lib. IV. cap. 3.* alvum fluxam ſuperiores partes ſæpe reſolvere; & *Hippocrates Sect. VII. aph. 5.* dyſenteriam in inſania bonam eſſe, aſſerunt. In reliquis quoque chronicis paſſionibus ſpaſmodicis, pathematibus nempe hypochondriacis & hyſtericis, alvus utplurimum conſtipata pedeſque frigidi obſervantur. Quæ ambo ubi præſto ſunt, certo prædici poſſunt variæ ac multæ in ſuperioribus afflictiones, ut præcordiorum anxietates conſtrictivæ, cardialgia, difficilis ſpiratio, melancholia, cephalalgia, vertigo, cordis palpitatio, ructus, digeſtio abolita, dolor flatulentus in hypochondriis, eo quod hæc omnia poſt inæqualem redditum per ſpaſmos in inferioribus humorum curſum, eundemque ad ſuperiora coactum, ſubſequuntur.

aliiſque ſpaſmodicis morbis qualis?

§. LI.

In febribus quæ bona vel mala? Accedunt febres, de quibus pariter experientia compertum eſt, nullam earundem, ſive ſit continua, ſive intermittens, inflammatoria, vel exanthematica, lymphatica, lenta aut hectica, ſine prævia alvi adſtrictione accedere, quæ etiam ſæpius diu in morbi decurſu perdurat, eundemque eo graviorem reddit. Quod ſi vero alvus ſecundum naturam ferri incipit, tam quoad qualitatem, quam quantitatem, haud fallaci ſpe ſanitatis reſtitutio exſpectanda, eo quod hoc facto, certum eſt, ſpaſmos qui morbum proxime faciunt, in nervoſis partibus ſolvi atque remittere. Quin multæ febres, præſertim putridæ & malignæ, item bilioſæ, oborto juſto tempore alvi fluxu ſolvuntur, & ex eodem, reliquis quoque concurrentibus, ſalutis petendum eſt indicium, quod pluribus in *diſſert. de diarrhœa in febribus malignis ſalutari*, excuſſi. Monendum tamen, quod ſi in principio febrium & extra dies criticos intempeſtive alvus largius ſecedat, malum & infauſti decurſus præbeat indicium.

§. LII.

Alvina excretio quomodo in chronicis Quum igitur in omnibus affectibus chronicis ſpaſmodicis, convulſivis, hypochondriacis & hyſtericis, alvus ſegnis, adſtricta & dura admodum noxia ſit: artis utique eſt ac prudentiæ, utiliſſimæ hujus excretionis ſucceſſum conſervare, quod tamen minime acrioribus ſtimulantibus perficiendum, ſed potius apprime ex uſu ſunt ſalina, abſtergentia, nec non abſorbentia & balſamicæ pilulæ, quas extracta amara, reſinæ temperatæ, extractum rhabarbari & aliquot grana aloes rite præparatæ ingrediuntur, unacum clyſteribus emollientibus, carminativis & oleoſis. In febribus autem, quia æque ſtrictura nimia, quam laxitas, periculoſa, eo magis artifici providendum, ne in alterutro delinquat, ſed potius accommodata diæta ac regimine, & congruis tam internis, quam externis præſidiis, alvinæ excretionis ſucceſſum perite moderetur. Hinc ubi alvus ſubducenda, neutiquam draſticis, acrioribus & ſtimulantibus utendum, ſed leniora propinanda, mannata ſcilicet, tamarindinata, tartarea atque nitroſa, cum clyſteribus lenientibus ac oleoſis. Neque etiam dejectiones, licet nimiæ videantur, adſtringentibus, opiatis & narcoticis vi ſunt comprimendæ, ac potius blanda diaphoretica fixiora, mitigantia, cum aliquot granis nitri, vel uno & altero corticis chaccarillæ, nec non ſuccino præparato, vel floribus ſulphuris & dimidio grano theriacæ cæleſtis, omne ferunt punctum.

& ſ bus p dent vend

& ni compe da.

CAPUT XV.

De criſibus & criticis diebus in experientia rationali fundatis.

§. I.

Ad pr ſin ref da cri AD prognoſin medicam, ſive judicium de morbis, præſertim acutis, eorumque fauſto vel infauſto eventu ferendum, referenda etiam doctrina de criſibus, à plurimis Veterum maximi habita & paſſim in ſcriptis celebrata, à multis vero Recentioribus, quibuſdam etiam Priſcorum, partim in dubium vocata, partim neglecta. Primus autem omnium qui de criſi ſcripto mentionem fecit, eſt vetuſtiſſimus medicinæ antiſtes *Hippocrates*. Is enim ſerio inculcavit, ſeptimi cujuſvis & dimidiati ſepteni diei, in acutis morbis medico rationem eſſe habendam, eo quod iiſdem per ſudorem maxime, alvum aut hæmorrhagiam, à natura inſtituantur excretiones, quarum ſucceſſu abſoluto, ipſæ febres demum ſolvantur. Et hos dies vernacula ſua criticos, ſive decretorios, nuncupavit, quia judicium de morbi eventu ferrent. Per criſin vero, quod vocabulum erat κοχὸσημον, priſci vel noxiorum è corpore excretionem, (qui *Heſychio* & *Suida* auctore, notante *Langio lib. I. ep. 37.* τὸ κρῖνειν, ſequeſtrare & veluti per cribrum aliquid excernere, denotat) intellexerunt, vel ipſam morbi ſolutionem criſeos nomine inſigniverunt, (uti effert *Hippocrates lib. I. de præception.* κρίσις ἐστὶν ἀπύκνωσις νόσου,) vel etiam criſin pro ipſius naturæ motu & pugna cum morbo habuerunt. Alii quoque criſin judicium medici, quod format, vel formare debet ex morbi circumſtantiis de ejus eventu, eſſe voluerunt.

quid p eam in lexerin veteres

§. II.

Criſis ſ nario mi ſept rio com tanda. Ut autem genuinus criſeos ſenſus & criticorum dierum ratio eo luculentius pateant, ex his, qui multum iiſdem detulerunt, maximeque *Hippocrate*, tanquam primo fonte hauſta, adducemus

ducemus præcipua testimonia. Primum esto, quod exstat *de dieb. judicat.* §. 9. ita habens: *judicantur febres quarta die, septima, undecima, decima quarta, decima septima & vigesima prima, quædam etiam trigesima & quadragesima.* Et *Sect. II. aph.* 23. & 24. criseos successum sic conceptis delineat verbis: *acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur, septimæ quarta index est. Alterius hebdomadis octava principium est. Consideranda vero est undecima; hæc enim quarta est secundæ hebdomadis. Deinde rursus consideranda decima septima; ipsa enim est quarta quidem à decima quarta, septima vero ab undecima.* Porro *lib. III. præsag.* §. 7. & 8. perite monet: *morbos advertere à prima die oportet, atque singulos dierum quaterniones observare; sic enim haud obscure scies, quo se conversurus sit morbus. Nam febres ardentes epidemicæ judicantur bono ordine in septem ac decem diebus.* Huc etiam referenda, quæ *libr. de prænot.* §. 20. prodidit: *placidissimæ febres & signis securissimis nitentes, quarto die desinunt, aut prius; malignissimæ vero & signis horrendissimis oborientes, quarto die aut prius occidunt.* Eandem cum *Hippocrate* sententiam tuetur *Galenus*, qui integrum de diebus decretoriis concinnavit librum, in quo principes dies criticos vocat septimum, decimum quartum & vigesimum primum, ac in iisdem plures sanari, quam mori declarat.

§. III.

Ac fit cum excretione

Septenos itaque & semiseptenos dies Veteres crisi dicarunt, quibus acutæ & continuæ febres in salutem terminentur. Ipsam vero crisin his diebus per excretiones, sudorem potissimum, alvum, vel hæmorrhagiam succedere idemtidem tradiderunt, omnesque evacuationes, quæ extra criticos hos dies contingunt, pro minus salubribus, sed symptomaticis censuerunt. Et de sudore quidem perspicuis id testatur verbis *Hippocrates Sect. IV. aph.* 36. sic scribens: *sudores febricitanti si inceperint boni, sunt tertia die & quinta, & septima, & nona, & undecima, & decima quarta, nec non decima septima & vigesima prima, porro vigesima septima & trigesima prima & trigesima quarta. Hi enim sudores morbos judicant, qui vero non sic fiunt, dolorem significant, & longitudinem morbi & recidivas.* Idem confirmat *Galenus de dieb. decretor. qui sudores*, inquiens, *manant diebus indicantibus, non criticis, laborem significant, & diuturnitatem morbi: nam judicatoria, non judicantia, aut sunt funesta, aut certe sinistri judicii.* Ac in eodem libro de sudoribus extra periodos crisimos fluentibus sic prodidit: *in sexto judicantur ægri cum difficilibus symptomatibus & periculo non mediocri, imperfecte & obscure.*

vel per sudorem.

§. IV.

Hæmorrhagiam aut alvi fluxum.

Perficitur vero etiam solenniter crisis per sanguinis stillicidium & alvi fluxum. De utroque in procinctu sunt testimonia. Nam de hæmorrhagiis criticis egregius est locus *Hippocratis lib. I. epist.* §. 115. *in febribus*, inquientis, *ardentibus populariter grassantibus, quibus bene ac largiter sanguis per nares erupit, per hoc maxime servabantur, & nullum novi, qui in hac constitutione mortuus esset, si recte sanguis profluxisset. In Philisco enim, Epaminone ac Sileno, quarta ac quinta die parum de naribus stillavit, & moriebantur. Sanguis autem plurimus erupit, maxime adolescentibus & in vigore constitutis, & talium plerique perierunt, quibus sanguis non erupit; senioribus vero ad morbum regium res devenit, aut alvi ipsis turbatæ sunt, aut dysenterici facti sunt.* De salubritate autem liberalioris alvinæ in morbis excretionis passim apud *Hippocratem* exstant effata, ut *Sect. IV. aph.* 28. *sect. VI. aph.* 17. *sect. VII. aph.* 29. inprimis tamen huc referendum quod de febribus inculcat, dum *lib. de judicat.* §. 4. *ardentes febres biliosæ*, ait, *solvuntur plerumque septimo, aut decimo-quarto die, sudore, aut alvo liberiore.*

§. V.

Crises repudiarunt veteres quidam & recentiores.

Tam magnifice de crisi & criticis diebus sentiunt *Hippocrates* atque *Galenus*, quorum tamen fidem subleste reddere & hanc doctrinam plane in dubium vocare haud veriti sunt antiquorum medicorum nonnulli. Hos inter primus fuit *Asclepiades*, qui teste *Cælio Aureliano lib. I. cap.* 14. *p.* 37. asseruit: non esse in passionibus statos dies, quos crisimos appellat, nec certo aut legitimo tempore ægritudines solvi. Idem cum *Asclepiade* professus est *Celsus lib. III. cap.* 4. *est*, inquiens, *de diebus ipsis dubitatio, quoniam antiqui potissimum impares sequebantur, eosque tanquam tunc de ægris judicaretur,* κρίσιμους *nominabant. Id* Asclepiades *jure ut vanum repudiavit. Neque in illo die, quia par imparve esset, ægris majus vel minus periculum esse dixit. Interdum enim pejores dies pares fiunt. Nonnunquam etiam in ipso morbo dierum ratio mutatur, fitque gravior, qui remissior esse consueverat.* Et paucis interjectis sic pergit; *Verum in his quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagorici numeri fefellerunt; cum hic quoque medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri.* Ex recentioribus *Comes de Flisco*, vanitatem criticarum periodorum adstruxit, *lib. de fato* perhibens: in praxi numerum hunc dierum non semper observari, & sæpius aliis etiam diebus crises fieri. Ut mittamus, quæ *Helmontius lib. de tempor.* it. *de febrib.* nec non *Christianus Langius in Misc. natur. curios. & Faber in panchymagogo*, contra observationem crisium in medium attulerunt.

§. VI.

Nonnulli in Græcia tantum succedere putant.

Mitiorem hac de criticorum dierum existentia sententiam fovent ii, qui licet non penitus eosdem negent, autumant tamen, in Græcia tantum, minus in nostris regionibus, succedere crises. Hunc in sensum scribit *Waldschmidius fundam. medic. pag.* 113. *nihil opus, nos adeo curiosos esse debere in caussis crisium rimandis, quum in nostris regionibus & nostro hoc tempore, tales crises non amplius fiant, nec prædictiones nostræ in morbis acutis adeo certæ, nec indubitatæ fidei, prout apud* Hippocratem *inveniuntur.* Eidem sententiæ pollicem premit *Eustadius de die astronom. in nostræ*, inquiens, *Germaniæ regionibus, & præsertim sub nostro polo & in solo nostro, rarius crises perfectæ ad salutem veniunt.* Et *Hollerius comment. in aphor. Hippocr.* testatur: in frigidis & borealibus regionibus rarissime exspectari criticas exactas evacuationes. Neque ab his dissentire videtur *Baglivus Prax. pag.* 140. asserens: in Græcia perfecte succedere crises in acutis morbis; non vero ita in nostris septentrionalibus regionibus, idque adscribendum putat aëris puritati & tenuitati illius regionis & adjacentis orientis valde elastici, quum noster aër aqueis & crassis impuritatibus fœdatus, humores quoque corporis magis impuros faciat, ut ad debitum crisis, sive despumationis officium, nunquam pervenire possint.

§. VII.

Quid per experientiam constet de crisi

In hisce tam diversis auctorum opinionibus & objectis tot difficultatibus, non expeditior ad veritatem inveniendam via, quam ipsa experientia (quæ facta ingenue sistit ac optima veritatis & ratiocinationis medicæ parens est,) duce patet, prudenter in consilium vocatis observationibus practicis. Quare in exponenda hac crisium ratione ac natura, instituto me apprime satisfacturum confido, si, exuto omni auctoritatis præjudicio, ea, quæ per institutum, à quadraginta & quod excurrit annis, artis exercitium, mihi iterato de febrium solutione, quomodo? & an certis ac statis diebus eandem contingat? innotuerunt, candide tradam, & postea rationes adæquatas subjiciam. Scilicet frequentius observavi,

in ephemera. febres quasdam viginti quatuor horarum spatio perfecte terminari, quas Veteres ea propter dixerunt ephemeras.

Synocha, Synocham mitiorem quarto, graviorem septimo die, vel per narium stillicidium, cum proclivitate ad somnum, vel per largum sudorem cedere; ardentes vero & bilioſas fe-

causo, bres, causos dictas, nisi funestum sortiantur exitum, ut plurimum tertio vel undecimo die, liberali sudatione, plerumque cum alvi fluxu, ad finem

tertiana. pertingere, expertus novi. Ipsæ tertianæ sæpius intenso cum æstu aggrediuntur; circa tertium autem & quartum diem remittit insultus, ac in

catarrhalibus. intermittentis typum transit. Compluries quoque & maxime anno MDCCX. Berolini observavi catarrhales & epidemicas febres cum gravibus symptomatibus ingruentes, quarta autem die solutas, excretione facta pustulari circa nares & labia, cum sudore pruriginoso.

§. VIII.

Pleuritide vera & peripneumonia. In pleuritide vera & peripneumonia leviori, inter tertium & quartum diem per tussim cum levamine ejici materiam cruentam, hanc in junioribus & sensibilis naturæ septimo, in adultioribus vero & ubi inflammatio paullo profundior, demum circa decimum quartum diem, inflammationis sequi discussionem, cum largo sudore & liberali screatu, respiratione quoque liberiori, idemtidem experientia compertum habeo; edoctus id crebrius, quum Mindæ Westphalorum, ubi morbus quasi endemius, artem primum factitarem. Pleuritidis autem spuriæ & hepatitidis decursus atque solutio, plerumque septimo, vel undecimo die, per sudorem, aut alvi profluvium,

pleuritide spuria & hepatitide. multoties à me annotata. Febris quoque erysipelacea, quæ sæpe cum gravibus symptomatibus,

erysipelacea. horrore, frigore, vehementi æstu, interdum etiam delirio invadit, intra diem tertium & quartum conquiescit, amandata ad summam cutim materia acri bilioſa, cui nonnunquam tumor glan-

& pestilenti febre. dularum inguinalium jungitur. Qui de pestilentia vera scripserunt observatores, confirmant, febrem pestilentem nonnisi erysipelaceam malignam esse, ac in ea salutis præbere indicium, quando circa tertium, quartum, vel etiam septimum diem, in partibus carnibus carbunculi, aut in glandulis bubones, apparent.

§. IX.

Variolis morbillis. Vix tamen in ullo morbo tam conspicua sunt critica tempora & naturæ ordo, quam in variolis. Hæ enim eodem modo ac morbilli cum truculentis symptomatibus adoriuntur plerumque, quæ facta circa dimidiatum septimum exanthematum eruptione, una cum febre eximie remittunt, idque durat in variolis ad septimum usque, quo succedente primum in facie, postea in pectore brachiis & manibus ac demum infimis partibus suppuratione, febris denuo accenditur sic dicta secundaria, quæ ad undecimum usque diem protrahitur, donec pustulæ, eodem ut suppurari inceperunt ordine, à suprema ad infimam corporis regionem siccentur ac demum frustulatim decidant. Et sic in salutem decurrit variolarum morbus, ubi vero vires ferendis symptomatibus non sufficiunt, nono vel undecimo die lethalis accidit catastrophe. Aliud periculosum ex- *petech* anthematum genus sunt petechiæ, quæ quarto, vel septimo die, in corporis cortice comparere, & prodeuntes levamen cum liberiori respirationis successu inferre solent. Tandem multipli- *contin & ep micis.* ci quoque experientia perspectum teneo: febres multas epidemice grassantes continuas putridas, petechizantes, solvi & salutarem sortiri eventum circa undecimum diem, per copiosum alvi profluvium: de quo pluribus egi in *dissertat. de diarrhœa in febribus malignis salutari.*

§. X.

Crises iam e septeno dies c tingun Quamvis igitur nihil dubii sit, quin in nostris etiam regionibus, in febribus præsertim acutis, septenarius dierum numerus, magnas mutationes in morbis adducat, ac eodem non modo symptomatum, sed & totius morbi cessatio, cum evacuationibus incipiat & successive absolvatur; nihilo minus tamen non semper circa septenos dies crises, sive mutationes in pejus, vel deterius, sed extra dies quoque hos decretorios, paribus scilicet, octavo, decimo & duodecimo, contingere, per experientiam constat. Potissi- *Quibu maxim solenn* mum in hominibus plebeiis, rusticis, simplici & populari victu fruentibus, & qui neque inordinata vitæ ratione, neque affectuum impetu, sanguinis massam impuram reddiderunt, parum quoque medicamentis utuntur, crises cum sufficienti evacuatione perfectas fieri, idemtidem à nobis observatum est. Pariter multiplici experientia *quibu nus?* confirmatum teneo, hos, qui corpore præditi teneriori cum cute valde perspirabili, naturæ agilioris & sensibilioris, ætate juvenes vel viri sunt, & febribus acutis, inflammatoriis & ardentibus laborant, citius crises, quibus morbus ad salutem, vel mortem, terminatur, experiri, quam ii, qui torpidiores natura, temperamento phlegmatici ac succulenti, quippe qui diutius cum morbis conflictantur, protracto ad tres & longius septimanas, febrium discessu.

§. XI.

Non on larga cuatio. Monendum vero, quod non omnes largæ evacuationes, præsertim, quæ per cutem diebus ordinariis criticis succedunt, salutem spondeant, sed illæ tantum, quas symptomatum notabilis remissio, pulsus duri & celeris in molliorem & sedatiorem mutatio, liberior & minus anxia respiratio, animus erectior, urina crassior consistentia cocta, corporis quies, somnus placidior, ac ut verbis *Hippocratis Sect. II. aph.* 13. utar, nox placidior, comitantur & consequuntur. Nam *aut sy tomat remiss crisis.* aliquot certe ipsis criticis diebus, sub largis sudoribus occumbere vidi. Neque etiam omnis pathematum remissio, quæ sæpe etiam diebus paribus accidit, crisis censenda, sed ea tantum, cui arteriarum motu magis naturali & respiratione liberiore facta, evacuationes aut junguntur, aut postea accedunt.

§. XII.

In cri gnosce circum tantiar Et certe præclare monet *Galenus lib. I. de dieb. decret.* quod crisin cognituro noscenda sit ætas,

ætas, natura, anni tempus, locus & pulsuum micatio. Sicut enim hæc omnia de crasi & mixtione humorum, nec non dispositione solidorum ad motus vegetos & promtos, aut imbecilles & tardos testantur: ita pro eorundem differentia, ipsæ non modo corporum naturæ variant, sed & operationes & effectus qui in corporibus contingunt, diversi comparent in morbis. Hinc perpetuæ fere observationis est, quod si sudores largi in febribus inflammatoriis, etiam exanthematicis, statim in principio & ante debitum eruptionis tempus manant, vel etiam materia variolacea ordinario termino citius expellitur & exanthemata comparent, nec post eruptionem pulsus sedatior fit, signum pessimi præbeat ominis. Ego quoque frequentius annotavi; quod febres epidemice grassantes, sive catarrhales, sive rheumaticæ, sive exanthematicæ, sub ordinatis & constantibus anni constitutionibus prognatæ, statas magis & tempestivas obtineant crises ac solutiones, quam quæ præsto sunt, ubi aëris temporum que vicissitudines præternaturales admodum præcesserunt, quippe quæ, non tam exacte servant tempora, sed difficilioris sunt solutionis, quod scire innuit *Hippocrates Sect. II. aph.* 8. *in constantibus*, inquiens, *temporibus, si tempestiva reddantur, morbi constantes & judicatu facillimi fiunt, in inconstantibus autem inconstantes & qui difficulter judicantur.*

temporis

& tempestatum ratio habenda.

§. XIII.

Deinceps medentum sagacioribus apprime cognitum est, ordinatos & criticos ad excretionem cum salute tendentes in febribus naturæ motus, imprudenti medicatione mirum turbari, perverti posse ac plane impediri. Egregia sunt quæ hanc in rem affert *Prosper Martianus in comment. in lib. II. de morb. Hippocrat. sect. II. pag.* 174. *continuo*, inquiens, *medicamentorum refrigerantium usu propter febrem, incrassatis humoribus corporibusque densatis, spontaneæ evacuationes sæpe prohibentur, ut hæc non sit levis causa, cur nostris temporibus tam raro fiant crises, quæ frequentissimæ erant antiquis.* Neque minus luculentum est *Baglivi* testimonium, qui in *prax. pag.* 254. *mirari desinant*, ait, *practici, si hodie nec frequentes, nec perfectæ succedant crises, uti olim in Græcia, siquidem illi Græcarum legum vel ignari, vel obtrectatores, à principio morbi ad declinationem usque purgantibus, diaphoreticis, phlebotomiis, spirituosis aliisque imprudenter & intempestive exhibitis medicamentis, ægrotantes fere conficiunt; ideo impossibile est, ut humores per tam diversas remediorum seditiones distracti, ad criticæ despumationis negotium stato tempore disponantur, sed assiduis confusionibus agitati, loco criseos perfectæ in metastases præternaturales desinant, atque hac de causa nec criseos, nec dierum criticorum, nec aliorum demum naturæ motuum regulas ab antiquis traditas, in febribus observabimus.* Quapropter exquisita nititur veritate quod idem auctor *l. c.* tradit; rusticis & qui medicorum opera non utuntur, crises per sudorem, alvi fluxus aliasque naturæ vias perfici & motu prorsus ordinato fieri.

Crisis per imprudentem medicationem turbari potest.

§. XIV.

In nulla vero ut supra meminimus febre, tam solenniter observatur criseos successus, quam in exanthematica illa fere toti generi humano communi, variolarum nempe & morbillorum; interim non desunt, qui, quod certe mirum, sine ulla solida ratione illum negare audent, aut minimum eundem minus curant, quum tam merito nobis in febribus fit crisis, quando circa statum quoddam tempus, cum notabili quadam evacuatione, vel etiam excretione per cutem, symptomatum fit remissio, immo cessatio, cum meliori pulsu & respiratione, quod certe post eruptionem variolarum & morbillorum conspectius obvium, licet postea tempore suppurationis nova secundaria febris, magis symptomatica, accendatur. Quare gravissimum utique in hoc morbo per imprudentem medicationem conciliatur ab ignaris damnum, dum vel nimis expellentibus & calido regimine intempestive instant, vel etiam in contrarium eruptionem cohibent nimis refrigerantibus, ut valde nitrosis, quorum alias præstantissimorum etiam nostro jam tempore pessimus passim invalescit abusus, ut per eosdem motus ordinatos salutares turbatos multosque, qui revera potuissent servari, periisse, observarim. Quin omnes evacuationes in morbis criticæ, maxime tamen per sudorem, si supprimuntur imprudenter, vel minus sufficienter succedunt, morbi recidivas, vel pejorem priori, & solenniter febrem lentam invehere solent, de quo notandus *Hippocratis aphorismus* 12. *Sect. II.* ita habens: *quæ relinquuntur in morbis post judicationem, recidivam facere solent.* In exanthematica autem illa febre, quæ seculo abhinc nostris plane incognita, jam vero admodum familiaris, in expulsione materiæ caustica ad corporis corticem critica, stati dies non tam certo observantur, symptomata tamen, quando eadem contingit, semper complacantur. Neque denique in recensendis observatis criticis omittendum, quod nulla dies in febribus continuis & acutis, etiam exanthematicis, maxime variolis, magis fatalis sit, quam nonus & undecimus, quorum alterutro plurimi occumbunt, utut reliqui etiam non omni careant periculo.

Inprimis in variolis & morbillis.

quin omnibus morbis.

purpura non servat crises.

Periculosi semper IX. & XI. dies.

§. XV.

Postquam igitur in conspectum ea produximus, quæ circa crises & dies criticos in certa experientiæ veritate ipsoque facto fundata sunt; nunc, quum nihil sine ratione sufficiente in rerum natura fiat, paullo curiosior incidit quæstio: cuinam scilicet causæ illa observatio, quod septenario numero, tam magna, vel in melius, vel deterius fiat mutatio, tribuenda sit? Veteres, quibus corporis nostri mechanico - organica structura, & rerum corporearum natura, proprietates & operationes, motuumque regulæ, plane erant incognitæ, naturæ, tanquam agenti cuidam & principio rationali omnia secundum ordinem, numerum, mensuram & tempus in corpore nostro producenti adscripserunt, in auxilium etiam vocatis cœlestium siderum, solis & maxime lunæ influxibus, quam Priscorum sententiam, plures etiam ex nostris sola credulitate sequi video. Sed qui in philosophicis erroneam per petitionem principii argumentationem norunt & nihil in rationali explicatione & deductione, nisi quod clare & distincte concipi, definiri, vel sufficientibus argumentis probari & adstrui potest, admittunt, fictiones quoque à claris & distinctis conceptibus, sterilia nomina, à caussis realibus distinguere didicerunt, minime hac philosophandi, quæ pigris, non vero sagacioribus ingeniis accommodata admodum, ratione contenti sunt, eo quod ex gratis suppositio tali principio, nullum naturæ phænomenon commode explicari & intelligi potest, tantum abest, ut vel leviissimus usus in applicatione ad praxin inde sperandus.

Criticæ numero septenario adstrictæ mutationes.

non à principio interno.

§. XVI.

Sed motibus in corpore.

Neque enim crisis pro actu quodam mentali aut ideali, quales quidem etiam dantur in corpore, haberi potest, sed potius pro mechanico, sive certo effectu motuum, qui fiunt in corpore nostro, à caussis potissimum corporeis & physicis. Nam quia omnes in rerum natura effectus & mutationes, ad quas vita, conservatio, nutritio, mors, morbus, medicamentorum operatio & sanatio spectant, nonnisi à certis motibus dependent, qui à certa rerum corporearum figura, magnitudine, nexu, situ & vi agente, resistente proveniunt, & omnes inde resultantes effectus certum etiam gradum ac numerum, sive quantitatem motuum, desiderant; necesse utique est, ut notabiles effectus certo quodam absolvantur tempore, quia hoc nihil aliud est, quam certus motuum sibi invicem succedentium ordo & numerus. Quod vero solennissimæ naturæ operationes in toto universo, & maxime microcosmo, potissimum ad septenarii numeri terminum, uti ex diversis ætatum periodis & annis climactericis, de quorum rationali explicatione egi peculiari dissertatione, patet, succedant atque contingant, clarissime sapientissimi divini opificis, summam & infinitam in structura universi & præcipue corporis exhibitam artem arguit, eaque propter ordinati hi omnes septenario numero adstricti & comprehensi universales & in sacris quoque obvii effectus, longe rectius à prima, una & infinita caussa, Deo, quam à multis particularibus principiis rationaliter & moraliter agentibus, deducuntur.

ex summi opificis instituto derivandæ.

§. XVII.

Et sic quoque crisium in morbis ratio reddenda.

Ut itaque clarum etiam ac verum conceptum habeamus de crisi in morbis, illa nobis nihil aliud est, quam morbi & symptomatum successiva cessatio, quæ propter spasmum universalem illum, qui in febribus omnes nervosas & vasculosas partes occupat, maxime in emunctoriis resolutum & caussam quæ ipsum produxit correctam, vel expulsam, contingit. Jam quum ipsæ febres acutæ, pro caussa, vel stases sanguinis & humorum inflammatorias, vel humorem quendam causticæ corrosivæ indolis, partibus nervosis inhærescentem, habeant; ad stases vero sanguinis in vasis præternaturales expediendas & materiam causticam nervis inimicam corrigendam & ab interioribus ad exteriora emovendam, certi partium solidarum motus & fluidorum appulsus requirantur: aliter sane fieri & res concipi nequit, quam ut certis etiam temporibus cessatio morbi & symptomatum sequatur atque eveniat; quam evacuationes liberaliores, remittentibus spasmis, per cutem, alvum, urinam, potissimum vero pulsus & respiratio melior & magis naturalis, testantur. Quod si itaque hæc omnia non observantur, neque evacuationes junctæ sunt, certum indicium est, morbum, vel ejus caussam, nondum per naturam, hoc est motus naturales, victam esse & subjugatam, sed ingens adhuc periculum corpori imminere, quod cum tempore semper ingravescit.

§. XVIII.

Porismata ex crisi practica.

Reddita sic crisium rationali explicatione, multo rectius nunc medicus de crisi Veterum perfecta, imperfecta, evacuatione critica salutari & symptomatica, judicare poterit atque decernere. Inde etiam ratio patebit, cur circa sic dictos criticos dies, rectissime monente *Hippocrate*, nihil moveri debeat, ne motus naturæ ordinati & salutares, quibus materiam peccantem per convenientia organa ejicit, turbentur & ad alia incongrua loca non sine periculo divertantur. Denique prona quoque eluceset consequentia, evacuationes istas salutares, quibus partim materia, quæ morbum fecit, partim etiam noxii humores, qui sub ipso morbo geniti & accumulati fuerunt, excludunrur, non imprudenter cohibendas esse, ne vel recidivæ, vel lentæ sebres, aut aliæ chronicæ affectiones, ingignantur, sed potius eo respiciendum, ut, si motus evacuatorii paullo segniores sint ob debilitatem virium, roborantibus & analepticis iidem adjuventur ac promoveantur.

§. XIX.

Crises quoque præsunt in intermittentibus.

Quæ quidem omnia sicuti de febribus acutis, continuis & ardentibus in propatulo sunt: ita jam quæstio indagine haud indigna emergit: num etiam in intermittentibus febribus crises dentur? quod utique certo respectu affirmamus. Licet enim in iisdem dies certi & stati, qui etiam ad essentiam crisium non pertinent, minus obvii sint: ubi tamen solutio morbi & symptomatum successiva fit, junctis largioribus evacuationibus, ibi recte nostra sententia crisin fieri asseritur, eaque propter quum in omnibus paroxysmis febrium id eveniat, ac sub declinatione largi sudores fluant, urina cocta & cum sedimento appareat, non raro etiam vehementia symptomatum in tertianis per excretiones purulentas circa labia, item in quartanis per pustulas scabiosas & ulcerosas, humore quodam acri corrosivo à partibus interioribus nervosis ad exteriores propulso, mitigetur atque discedat, crises in iisdem contingere neutiquam erit negandum.

§. XX.

Nec non aliis chronicis morbis.

Neque etiam in aliis chronicis morbis insolentes adeo sunt criticæ solutiones. Nonnulli enim morbi, quantumvis diuturni ac rebelles, ita sunt comparati, ut cum die & tempore, maxime circa diversas novas ætatis periodos, sponte solvantur ac cedant. Ac de epilepsia quidem notum, quod infantili & juniori ætati, quam maxime sit infesta, pubertatis autem tempore ac erumpente in virginibus mensium fluxu, sæpissime discedere soleat. Ut adeo experientiæ respondeat *aph.* 28. *Sect. III. Hippocratis: plurimæ affectiones pueris judicantur partim in quadraginta diebus, partim in septem mensibus, partim in septem annis, partim ad pubertatem accedentibus.* Deinceps omnes dolores graviores, cephalalgia, cardialgia, atroces colici, nec non paroxysmi epileptici & spasmodico-convulsivi, crises suas servant, quibuscum complacantur. Ipse porro crebrius observavi, quod graves nervorum & capitis morbi, motus convulsivi ac epileptici, item vertigines & insaniæ, quin pathemata spasmodica, quæ hypochondriacam melancholiam referunt, propulsis ad corporis superficiem purpuraceis efflorescentiis, aut erumpentibus pustulis ulcerosis, felicissime terminentur, præsertim si medicus congrua medicina salutarem hanc crisin prosequatur ac tueatur. Nam sæpius hi morbi à causstica quadam scorbutica materia, nervosis partibus firmiter inhærescente, natales ducunt, quæ, si ad exteriores partes robore naturæ amandatur, graves istæ internarum partium affectiones conquiescunt. *Sennertus* quoque, *Rhodius*, *Tulpius* & *Pechlinus* multa consignarunt exempla, maniam, melancholiam & epilepsiam,

epilepsia

doloribus

nervorum & capitis

diar-

diarrhœa, excretionibus cutaneis & abſceſſibus diſceſſiſſe. Sopores profundos, vertiginem, mentis turbationem, nec non aſthmata convulſiva, accedente dolore podagrico, vel erumpente hæmorrhoidum fluxu, judicatos fuiſſe ac penitus ſublatos, ſæpius vidi. Hydropem anaſarcam, oborta ſpontanea diarrhœa, *Foreſtus lib. X. obſ.* 31. & largiſſima narium hæmorrhagia *Hildanus Cent. I. obſ.* 50. ſine medicamentis ſubſediſſe ac evanuiſſe, teſtantur. Et quæ plura hanc in rem facientia, in ſuperioribus jam *cap. VIII. & IX.* nec non antecedente *XI.* ac *XII.* ſparſim inſeruimus.

CAPUT XVI.

De certis imminentis in morbis periculi ipſiſque mortis indiciis.

§. I.

Prognoſis utilis & neceſſaria.

QUamvis non negandum ſit, nobilem illam de morborum decurſu & maxime eventu perite judicandi ſcientiam, non directe ad finem artis obtinendum pertinere: nullum tamen dubium eſt, quin eadem utilis admodum & ſcitu neceſſaria ſit, & quam maxime ad evincendam certam artis noſtræ rationem ipſiuſque medici exiſtimationem ſervandam conferat. Nam præclare pro more ſuo *Hippocrates*, artis prognoſticæ facile princeps, ſtatim in limine *prænotionum* tradidit: *Medicum prænotionem adhiberi optimum eſſe mihi videtur. Prænoſcens enim & prædicens apud ægrotos, & præſentia, & præterita, & futura, & quæ ipſi ægroti delinquunt exponens, fidem utique fecerit, quod ægrotorum res magis cognoſcat; quare audebunt homines ſeipſos medico committere.* Idem *lib. prædict. Sect. III.* inculcat, *in prædictionibus* inquiens, *medici illius probe memores eſſe debent, quod ſi cui ſucceſſerit prædictio, is apud ægrotum intelligentia præditum admirationi fuerit; ſi vero quis aberraverit, ſupra hoc quod odio habetur, fortaſſe etiam inſanire videbitur.*

§. II.

Ardua tamen & difficilis.

Dolendum modo, excellentem hanc & divinam fere in morbis præſagiendi ſcientiam, tam arduam, tam infidam, incertam & dubiam deprehendi, ut non immerito judicium de morborum eventu ex vero formandum ſit in difficillimis, & medici etiam periti ſæpiſſime in hoc delinquant. Nam quia Veteres non ex integris morborum hiſtoriis, ſed paucis duntaxat circumſtantiis, regulas prognoſticas deſumſerunt; neutiquam certe mirum eſt, parum certi iiſdem ineſſe ac eaſdem ſæpius experientiæ non reſpondere. Accedit, quod, quum primi medicinæ auctores, neque vitæ, neque morborum aut mortis, in quo poſita ſit, naturam & rationem intellexerint, ſtructuræ quoque corporis humani atque ex ea pendentium motuum plane ignari fuerint, ex obſervationibus etiam plenis veras cauſſas & notas futuri in morbi eventus, conveniente & rationali modo elicere haud potuerint, ſed potius etiam hanc artis noſtræ partem empirice tantum coluerint, eaque propter ſymptomata, ſub quibus aliquoties ægros mortuos obſervarant, pro funeſtis illico declararint, quum tamen eadem pro diverſitate corporum, morborum, regionum, morbi etiam temporum, mirifice varient, ut hinc derivata prognoſtica præcepta rarius veritati & experientiæ ſint conſentanea. Recentiorum autem quamplurimi vix alia incedunt via, & ſimul ac artem ſalutarem opificii inſtar addidicerunt, ad ejus exercitium, minus inſtructi iis ſubſidiis quæ rationalem efficiunt medicum, properant, aut ſtatim inter initia morbi præcipitanter nimis, antequam certas notas habere poſſint, judicium interponunt, eaque propter non poſſunt non in prognoſi formanda graviter delinquere & falli, ut tanquam moribundum deſerant, qui poſtea convaleſcit, aut viciſſim vel juramento, ut novi, fidem faciant, convaliturum, qui elapſis vix aliquot horis, occumbit.

§. III.

Addiſcenda tamen ex certis ſignis.

Sed quo magis difficilis & ardua hæc præſagiendi ars eſt, eo magis laborandum medico, quo eandem addiſcat & potiſſimum certa ratione & experientiæ ſubnixa imminentis in morbis ſigna, acquirat, de quo etiam non eſt quod deſperemus. Nam illud negari nullo modo poteſt, omnes eventus, ſive ad ſalutem, ſive interitum referendi ſint, à certis, adæquatis & proportionatis cauſſis proficiſci, nec ſine his contingere poſſe. Quod ſi itaque cauſſas, cur æger neceſſario ex morbo mori debeat, quis probe noſcat; nullum ſane eſt dubium, quin ex earum præſentia futurum interitum conjicere poſſit atque prædicere. Viciſſim quando artifex exacte callet, quo modo, quo tempore, quibus viis aut excretionibus morbus ſolvatur & æger ad ſanitatem traducatur: ex his utique confidenter & cum certa ratione de ſalute futura judicium promere poterit. Proinde quum in ſuperioribus, & maxime capite quarto, genealogiam cauſſarum, quæ ſanitatem immediate pervertunt, & proxime antecedentibus ea, quæ de cognoſcenda morborum ex variis ſignis ſolutione, ſcitu neceſſaria, ſolide & rationali modo expoſuerimus: expedita jam via eſt, ad eruenda ac ſiſtenda futuri in morbis vitæ diſcriminis ſigna atque indicia, quibus tuto in edendo præſagio inniti queat artifex.

Inſtituti ratio.

§. IV.

De indiciis periculi in acutis, ſive febribus.

Quod igitur ad morbos acutos, ſive febres, attinet, ex antecedentibus ut notum ſupponimus, in quavis harum duplicem obvium eſſe motum, probe invicem diſcernendum, alterum ſumme pernicialem & vere morboſum ſpaſticum, qui à circumferentia ad centrum tendit, alterum ſalutarem, poſt ſpaſmum à centro ad circumferentiam directum, cujus beneficio exitiales illæ ſpaſticæ partium ſtricturæ laxantur, inflammatoriæ ſtaſes diſcutiuntur & tubuli excretorii, ſtricti antea & clauſi, feliciſſime adaperiuntur. Jam quicunque binorum horum ſibi oppoſitorum motuum genium, potentiam, effectus & mutuas eorum actiones & relationes penitius novit: is utique magna cum ratione & prudentia in omnibus agere, pericula prudenter prædicere & fauſtos eventus quam optime prænunciare poterit. Nam ſi infeſti ſpaſmi ac inde dependentes inflammationes, congeſtiones ac ſtaſes ſanguinis, à motu calido reſolutorio febrili, certo interpoſito tempore, non digeruntur ac diſcutiuntur, ſed firmius perſiſtunt, in proclivi eſt judicare: demum ſuccubituram naturam, putredinem inſequuturam ipſamque mortem certo futuram; id quod eo magis metuendum, quando ſpaſticæ ſtricturæ circa dies criticos, corpore à morbo jam debili reddito, non conquieſcunt, ſed potius incrementa ſumunt.

in genere

§. V.

Indicia ex spasmo cutis.

Ut autem lethiferi spasmorum effectus eo clarius innotescant, breviter strictimque indicia exponemus haud fallacia, è quibus de illorum præsentia ac vehementiæ gradu conjiciendum. Tenendum igitur: exitiales has spasmodicas stricturas, non unam sed plures in corpore, cum majori, vel minori discrimine, adoriri partes, eaque propter prout partes variant, variis quoque dignosci signis. Nimirum quando rigor cum frigore circa morbi vigorem observatur, vel sæpius recurrit, si corpus non æqualiter molle, sed durum, calidum & asperum est, si exanthemata retrocedunt, vel tantisper absconduntur, exteriora horrent & frigent, fonticuli quoque vel ulcera antea manantia siccantur; nihil boni portendunt, sed summum mortis periculum minantur, quia propter spasmos in superficie corporis, sanguinis & humorum motus ad interiora coactus, pessimas inflammatorias congestiones facile suscitat, & impedit, quo minus morbida materia perspiratione corpore possit expelli. Pergunt quoque in acutis spasmi plerumque ad excretoriorum emissaria, urinarios nempe tubulos & ani ostium, ut urina tenuis aquosa reddatur & alvus plane dura, tensa & occlusa sit. In quibusdam etiam, ob urgentem reciprocam strictu-

& excretoriorum.

ram, frequens meiendi & desidendi adest stimulus.

§. VI.

Fibrarum cordis & tunicar. arteriarum.

Longe gravius periculum imminet, si quando spasticæ contractiones interiores ac nobiliores, quæ motibus vitalibus vacant partes, infestant. Nam pulsus parvus, contractus, celer & durus, item inæqualis & intermittens, non aliunde, quam à spastica & convulsiva strictura nervorum, qui cordis fibris & tunicis arteriarum implantantur, proficiscitur, & semper in statu morbi plurimum periculi portendit. Ejusdem notæ respiratio crebra, anxia & difficilis est, ubi in critica tempora incidit; quandoquidem sicut sapienti *Hippocratis* effato *in prognosticis*, facile spirare magni momenti est ad salutem in omnibus morbis, ita crebrior & ægra spiratio in acutis, minus fausti semper est ominis. Nervis præcordialibus spasmo affectis, summæ urgent anxietates, inquietudo corporisque jactatio, ac ægri crebrius lectum

nervorum pneumonicorum

œsophagi & ventriculi.

situmque mutant. Oesophagi & ventriculi membranæ nerveo-musculares quum stringuntur, vomendi adest conatus, potus regurgitat, non infrequenter è faucibus limpidum serum stillat, deglutitio difficulter perficitur ac inexhausta sitis, cum oris & linguæ ariditate affligit, quibus rapto in consensum simul duodeno, flavus corporis, maximeque faciei, color jungitur.

§. VII.

In universo nervoso genere.

Ubi vero atrocia spasmi latius diffunditur ac universum nervosum genus graviter concutit atque convellit, ad ultima jam ventum esse indicio sunt nares acuminatæ, tempora collapsa, aures frigidæ & languidæ, oculi concavi, cutis circa frontem dura ac tensa, color fuscus aut perpallidus, quibus facies Hippocratica, certus mortis nuncius, describitur. Huc quoque referenda nervorum distensio, quæ semper in acutis terroris & periculi plena, juxta *aph. 6. Sect. IV.* ac potissimum cognoscitur, quando æger supinus cubat, genua contrahit, pronus subinde ad pedes ruit, brachia & pedes nudos exporrigit & inquietus jactitat, ungues ac digitos pallidos habet, manibus floccos legit fimbriasque diducit, vel in vicino pariete, si qua minuta eminent, carpit, quibus si demum tendinum subsultus accedunt, hora adest decretoria.

§. VIII.

Signa inflammationis universalis.

Quamvis autem plurimi ex acutis morbis ex inflammatione interna primam trahant originem eaque propter periculo non careant; sæpissime tamen in ipso vigore morbi novæ superveniunt, vel in ventriculo, vel cerebri membranis inflammationes, quæ nunquam non gravissimi sunt discriminis ac mortis prænunciæ. Atque hæ inflammationes, sive alterutra earundem, sive ambæ simul adsint, non modo in malignis, petechialibus, contagio infestis & castrensibus febribus, sed & in aliis acutis, synochis, ardentibus, purpuraceis, variolis & morbillis, circa septimum, nonum vel undecimum diem accedentes, ægrum certissime perimunt. Et stomachi quidem in-

in ventriculo.

flammati signa sunt, quando intensus æstus & ardoris exquisiti sensus, cum acuto circa præcordia dolore urget, & circumscripta ibi regio tactu durior percipitur, extrema algescunt, summa anxietas & inquietudo affligit, sique omne, quicquid vel medicamenti, vel potus assumtum, aut protinus vomitu rejicitur, aut retentum maximam creat molestiam ipsamque anxietatem adauget. Quandoque tam late inflammatio serpit, ut per œsophagum ad ipsas fauces propagetur, quæ inde ardentibus dolorificis pustulis obsidentur & viscido corrupto muco jugiter obducuntur, ex quo mortis præsagium petendum. Periculosior

& cerebri membranis.

hac, licet sæpius ipsi jungatur, est illa mortem brevi antecedens membranarum cerebri inflammatio, Græcis phrenitis dicta, quæ plerumque assiduam & pertinacem vigiliam impensumque capitis dolorem excipit. Hanc futuram rigor, urinæ copiosæ ac tenues, aurium tinnitus, fortis pulsatio in capitis interioribus & paucæ stillantes è naribus sanguinis guttæ nunciant: præsentem autem produnt oculi rubicundi, scintillantes & torvi, mentis alienatio, sermo inconditus, male cohærens, lacrymarum involuntarius sæpe effluxus, dentium stridor cum abolita humidi apparentia, quæ si convulsionibus demum stipantur, mortis ferunt significationem.

§. IX.

Malignitas ex quibus cognoscenda.

Atqui hæc sunt præcipua pathemata & signa, quæ vitam in discrimen adduci in acutis testantur, obvia maxime in iis, qui temperamento cholerici, sanguinei vel sanguineo-cholerici, ætate juvenes & viri, exquisitiori sensu prædiți, ad iram proclives, habitu corporis macilenti & qui spirituosis nimium indulserunt. Secus vero evenit in his, qui succulenti & spongiosi sunt corporis, phlegmatici, ac vires vel per morbos, inediam aut diuturnam mœstitiam, vel enormes sanguinis profusiones perdiderunt. Nam hi non tam per vehementes spasmos & gravia dolorifica pathemata jugulantur, quam potius ex motuum imbecillitate atque defectu partiumque atonia mortem oppetunt, & ad stagnationes ac stases sanguinis atque humorum statim in principio in putridam corruptionem inclinant. Et licet sic dispositi ægri non sine ventriculi & cerebri membranarum inflammatione pereant: hæc tamen non tam gravibus spasmis & symptomatibus stipatur, sed sub mitiori insultu in corruptionem concedit. Hinc quia morbus plerumque lenioribus incedit symptomatibus, sæpius medicis imponit, ut in præsagio ferendo fallantur, quum tamen ob occultam

cultam perniciem eo difficilioris ſit judicii eoque majorem foveat malignitatem. Cognoſcuntur autem maligni ejuſmodi morbi his indiciis: cum levi frigore & horrore accedunt, vires ſtatim mirum proſtratæ ſunt, pulſus languidus & frequens ſimulque contractus micat, in ſitu erecto facile animo deficiunt ægri, ſomnus nullus, perpetua tamen ad eum adeſt inclinatio, & ſi obrepit, major virium poſtea percipitur languor & mens ipſa emovetur, decumbentes de nullo dolore, ſiti, vel magna moleſtia conqueruntur, inquieti tamen ſunt & ſeſe jactitant, ſique demum extrema algeſcunt ac pulſus deficere incipit, nec in carpo amplius percipitur, lethalis imminet cataſtrophe.

§. X.

Tranſitus inflammationis in ſphacelum indicia.

Quumque porro omnis inflammatio demum in necroſin ſive ſphaceloſam putredinem tranſire ſoleat: noſcenda quoque ſunt ſigna, quæ factum hoc eſſe ſubindicant. Ac tum quidem internus frigoris percipitur ſenſus, dolor acutus antea & acerbus, circa caput vel inferiores partes, ſubito conquieſcit, mens delira quodammodo ad ſe redit, virium vero defectus increſcit, pulſus penitus deficit, vel valde inæqualis, anguſtus & intermittens eſt, alvus ſtricta laxatur & vel præter voluntatem fertur, vultus fœdus ac pallens comparet, tempora, cervix & pectus gelido ſudore madent, extrema corporis frigeſcunt, borborygmi ac ſonitus in ventre exaudiuntur & liquida immiſſa ſonitum quando deſcendunt emittunt, *als wenn ſie in einem hohlen Topf fielen.* Quæ omnia ſi præſto ſunt, mortem adeſſe manifeſto produnt, eo quod ob ſphacelum vires ſumentem, partium atonia & virium lapſus adeo increſcit, ut omnis in corpore motus, & cum eo vita, exſpirent.

§. XI.

In purpura alba,

Sunt vero adhuc alii affectus, qui & inflammatione, & atrocioribus ſpaſmis perimunt, in quibus non minus inſtans vitæ diſcrimen ex obviis phænomenis conjici poteſt. Nimirum febris cum purpura alba, quæ lymphæ valde vappeſcentis & corruptæ ſoboles eſt, ſi in fine aſſociatur aliis acutis febribus, item variolis, morbillis, vel etiam in puerperio poſt lochia ſuppreſſa accedit, nunquam periculi expers eſt, ac utplurimum per inflammationem interiorum partium, præſertim ventriculi & inteſtinorum, necat. Funeſtum autem ſuggerit indicium, ſi æſtum præcordiorum ſummamque anxietatem internus frigoris ſenſus, cum pulſu parvo, debili & inæquali excipit, purpura diſparet, animi defectio, mens

variolis

turbata & ſpiratio difficilis adſunt. Eundem in cenſum referendæ variolæ, quæ ubi ſtatim primis diebus cum gravi dolore lumborum & delirio ingruunt & præmature ſecundo mox die exanthemata, in cute aſpera inſtar purpuræ cum maculis, comparent, ac die quinto & ſexto, poſt plenam eruptionem pulſus non ſedatior fit, ſed celer micat totumque corpus puſtulis obſitum eſt, raro quenquam in juvenili ætate evaſiſſe ſcio. Neque minus periculi metuendum, ubi circa nonum diem graviſſimus ex ſuppuratione dolor accedit, qui ſæpiſſime omnia, quæ ſalutis ſpem oſtendere videntur, pervertit atque immutat. Hic enim ardente ſua vehementia, univerſum genus nervorum ſpaſmis afficiens, ſummas parit anxietates, corporis jactationem, puſtularum ſubſidentiam, donec reſpiratio difficilis, mentis turbatio, convulſio, pulſus languidus & parvus ſupervenientes, brevi vitam eripiant.

§. XII.

Sumto veneno aut draſtico.

Quicunque à veneno vel validiſſimo emetico aut purgante ſumto moriuntur, hos idemtidem inflammatio ſphaceloſa, teſte anatome practica, è medio tollit. Mortis autem præſagium ferunt ardores interni & ſummæ anxietates, pulſus valde parvus & inæqualis, vel plane deficiens, cum ſudore frigido, delirio & convulſione, quam, à pharmaco purgante concitatam ipſe *Hippocrates Sect. VII. aph.* 25. & paſſim alibi, mortiferam pronunciat. Qui ex dolore à calculo decedunt, in his plerumque inflammatio lethalis ventriculi & meningum ſupervenit. Quod ſi enim vomitum & acutiſſimum dolorem febris ſequitur, cum magna anxietate & ſiti vehemente, poſtea ſingultus & delirium cum extremorum frigore accedit, æger non diu amplius erit ſuperſtes. Illud vero atrociſſimum dolorum in inteſtinis genus, quod colicæ convulſivæ nomine notum, ſæpius quoque perimit, dum inteſtinum rectum ob exquiſitiſſimum ſæpe ex ſtagnante cruore doloris ſenſum, & inflammatione & ſphacelo afficitur, ſub quo ex putreſcente inteſtino fœtidiſſima prodeunt excrementa, pulſus frequens & debilis, cum ſummo virium lapſu, ſequitur, & ſphaceloſa corruptio quandoque ad extremas partes ipſumque ſcrotum ſerpit, ut obrepente animi tandem defectione, mors ipſa ſuccedat.

dolore calculi

colica convulſiva.

§. XIII.

Paſſione iliaca.

In paſſione iliaca, ubi acutiſſimi infeſtant dolores, cum contumaci alvi conſtipatione & vomitu aſſiduo etiam male olente, accedente ſingultu, delirio, gelido ſudore, extremorum frigore nervorumque diſtenſione, certos adeſſe mortis prodromos cenſendum, obſervante id dudum *Hippocrate Sect. VII. aph.* 10. ſic perhibente: *ab ileo vomitus, ſingultus, convulſio aut delirium, malum.* Cholericus morbus quando ſtipatur impenſiori dolore & torſionibus, tam ſuperius, quam inferius, magno impetu humores, præſertim virides, eliduntur, ſitis vix extinguibilis uget, facies flaveſcit vel palleſcit & pulſus parvus & conciſus deprehenditur, in ancipiti ægrum verſari ſignificant. Ubi vero arteriarum motus ſenſim gracileſcit ac plane deficit, crura contrahuntur, ſudor frigidus prodit animoque linquuntur ægri, inflammationem in ſphacelum jam conceſſiſſe indicia confirmant. Dyſenteria quoque ſi languentem adhuc à priori morbo corripit, raro ſervatur æger, quia facilis tunc ad putridam corruptionem aditus, quam præſentem torminum acutiſſimorum ſubita remiſſio, exteriorum refrigeratio cum ſumma virium jactura indicant, futuram autem, ſingultus, cardialgia, præcordiorum æſtus atque anxietas, pernicialis in ventriculo inflammationis ſigna nunciant.

cholera.

Dyſenteria.

§. XIV.

Signa paraculoſa.

Accedunt ſigna, quæ ſuffocationem ipſiuſque mortis periculum minantur & antecedunt, conſpicua in iis, qui gravibus pectoris morbis, angina, peripneumonia, empyemate, catarrho ſuffocativo, aſthmate convulſivo, thoracis hydrope detinentur ac tandem pereunt. Nam omnes hi affectus non modo liberum aëris in pulmones ingreſſum & ex iis egreſſum intercipiunt, ſed & ſanguinis per pulmonum vaſa, ex uno in alterum cordis ventriculum, ſufflaminant & tollunt, ac ſic jugulant. Angina quidem, quæ muſculos laryngis internos occupat, & Græcis cynanche dicitur, ubi neque in cervice, neque in faucibus, quic-

in cynanche

quicquam vel tumoris, vel ruboris, conſpicitur, exquiſitiſſimus tamen dolor ac vehemens febris affligunt, citiſſime per ſuffocationem necat. Ac tum quidem, ut verbis utar *Lommii obſervat. medicinal. lib. II.* oculi vertuntur & rubent & veluti iis qui ſtrangulantur prominent, vox impedita nihil ſignificat & qualis catulorum eſt tenuis editur, os apertum hiat frigidi aëris cupidum, ex eoque ſpumans ſaliva movetur, lingua exſeritur, potui datus liquor per nares remeat, ipſe æger totus inquietus eſt, crebro è cubili exſilit, tandem vero ſtrangulatu atque ſyncope oppreſſus perit. Ita etiam præfocatione occidit peripneumonia, in qua ſi nihil plane exſcreatur, ſed anxia adeſt ſpirandi difficultas & magna anguſtia, inquietudo, ſputum intus in pectore ſtrepit, pulſus inæqualis & intermittens ferit, alvus infirmis jam viribus ſponte fertur, quod ſcreatu operoſe ejicitur ſpumoſum, modo flavum, modo cruentum eſt, continua ſimul urget vigilia, phrenitis jungitur, ægri cupidiſſime frigidam auram captant, proni & erecti cubant & reclinati præfocari videntur, quinto, vel ad ſummum ſeptimo die, certo jugulantur.

peripneumonia.

§. XV.

Qui aſthmate ſic dicto convulſivo, idemtidem ſuffocatione pereunt. Naſcitur enim hoc malum plerumque ex hydrope thoracis, dum ruptis hydatidibus, humor effuſus pulmonum impedit liberam expanſionem, ut nec aër ingredi, nec ſanguis per eos curſum conficere queat. Oritur quoque ubi interior bronchiorum tunica, multis & magnis glandulis obſita, ita anguſtatur, ut nec ſpiritum in pulmonibus elidi, nec novum recipi patiatur. Quandoque convulſivus quidam ſpaſmus tam fortiter bronchia concutit atque coarctat, ut ægri ſtrangulatione miſere intereant. Hinc in omnibus hiſce afflictionibus ſumma anxietas & inquies cum tremula ſpiratione, pulſus inordinatus & inæqualis, nec non ſibilus ac ſtrepitus in pectore præſto ſunt, ægri crebrius locum ſitumque mutant & nihil niſi ſpumoſi aut cruenti quippiam extunditur, tandemque inalgeſcentibus corporis extremis, ſyncope & ſuffocatione opprimuntur.

Aſthmate convulſivo

§. XVI.

Idem contingit in catarrho ſic dicto ſuffocativo, qui maxime ſenes, imbecilles atque infantes perimit, ac plerumque paralyſi nervorum pneumonicorum ortum debet. Trahitur in hoc pariter ſumma cum difficultate & anxietate ſpiritus, & quia bronchiis, ſecedente à ſanguine humore viſcido ſeroſo, repletis, nihil tamen ſputi ejicitur, aër admiſſus ſtrepitum & ronchum in fiſtulis edit, donec præcluſo penitus aëre æger ſuffocetur. Quod antequam evenit, pulſus aliquot ſæpe ante horis intermittit, ſenſim gracileſcit penituſque intercidit, nonnunquam etiam mentis turbatio cum extremorum frigore ſupervenit. Pari quoque ratione phthiſici, ſi ob virium plenarium lapſum humor purulentus, copioſus, in exeſa ampla cavitate reconditus, non eliditur, ſed exſpuitio ceſſat, præcluſo ſpiramento, exſpirant, ita tamen, ut periculum & funeſtus eventus diu ante colligi poſſit, quando totum corpus tabe conſumitur, aſſidua hectica febris urget, genæ rubent, alvus nimis fluit, ungues pallent, pedes intumeſcunt, oculi concavi & nares acuminatæ apparent.

Catarrho ſuffocativo.

Phthiſis.

§. XVII.

Ex morbis autem chronicis eminent maxime hydrops, ſcorbutus, cachexia, maraſmus, hectica & tabes, quorum periculum & futurus lethalis exitus pariter certis quibuſdam ſignis poteſt dignoſci. Scilicet qui iiſdem decumbunt, lento gradu ad mortem procedunt, propter ſucceſſive increſcentem & latius ſerpentem viſcerum ex humorum ſtagnatione & extravaſatione corruptionem, quæ, quoniam nulla arte arceri aut perſanari poteſt, certo mortem ingenerat. Indicia vero viſcerum in inferiori ventre corruptorum adeoque ſequuturi interitus ſunt, appetitus penitus proſtratus, cum faſtidio etiam eorum alimentorum, quibus ſani mirum delectati fuerunt. Deinde lenta febris ſi incrementa ſumit & pulſus etiam mane poſt ſomnum celer eſt, nunquam non internam corruptionem produnt. Denique ſummus virium cum reſpiratione difficili lapſus, ſomnus valde laborioſus & plus debilitans, quam reficiens, in peſſimis ſunt. Hæc enim ſi diutius affligunt nulliſque remediis miteſcunt, certo mortem præſagiunt, maxime ſi corpora ſunt ſenilia, vel ex morbo præcedente chronicis ejuſmodi paſſionibus implicita.

In mor chronic ex corr tione v cerum

§. XVIII.

Quod ſpeciatim ad hydropem attinet, ſi is poſt aſthma diuturnum cordiſque palpitationem, vel ex induratione hepatis poſt quartanam ſequitur, ægrum non facile ſervari poſſe, confidenter pronunciandum, ſique urina pauca, turbida & rufa redditur, omen eſt admodum periculoſum, & ſimul ac ſuperiora contabeſcunt faciesque flaveſcit, mortem, aliquot menſes antequam accedit, haud dubie præſagire licet, quæ etiam certiſſime, febre aucta & reſpiratione difficiliori reddita, ſequitur. Pariter his, qui ſæpius, & maxime poſt motum corporis & animi vehementiorem, gravem ac contumacem cordis palpitationem ſentiunt, ac poſtea aſthma convulſivum, hæmoptyſin, aut hydropem incurrunt, diu mortiferum diſcrimen prædici poteſt. Nam horum omnium cauſſa polypoſa in cordis vaſis concretio eſt, quæ nulla ope ſubmovenda, tandemque concurſantibus aliis cauſſis, funeſtum ingenerat morbum, cujus periculum eo certius & gravius, ſi ſubito & ſine manifeſta cauſſa ſæpe anima deficit, quod certiſſimam reddit polypi ſuſpicionem, qui repentinam mortem inferre ſolet, confirmante id jam *Hippocrate, Sect. II. aph. 41. quiſquis ſæpe multumque ſine cauſſa animo linquitur, is ſubito mori conſuevit.*

Speciati hydrope

§. XIX.

In cachexia quando totum corpus intumeſcit ac pallidum fit, ciborum faſtidium adeſt & crebrior male olens vomitus urget, per alvum pauca feruntur, urina cruda & pauca ſecedit, ſpiritus difficulter trahitur, & è corpore adverſus odor ſpirat, accedente poſtremo pulſu frequenti, mortem aliquot menſibus ante prænunciare licebit, quæ eo certius inſequitur, quo ægrotans majora in victu nimioque potu errata admiſit, vel diuturna animi mœſtitia fatigatus fuit. Hepar ampliſſimum illud abdominis viſcus, ubi mortifera corruptio occupat, faſtidium cibi adeſt, maximeque carnium nauſea, frequens & multa urit ſitis, febris urget, vires proſternuntur, ſingultus quaſſat ſubinde diaphragma, vomitu quoque excutitur ſerum vel flava bilis, ipſumque corpus tabe penitus ſenſim macreſcit, & ſæpiſſime certe

Cachexi

corrupti nehepa

in

in pathematibus defunctis, jecur sphaceloſum plane nigrum ſectione deprehendi. Pariter ventriculi exulceratio longum & lethalem adducit morbum, & cognoſcitur, quum ſumma anxietas & vomitus cibum aſſumtum excipit, quæ oblata acri ſalina aut ſpirituoſa medicina augeſcunt, corpus interim contabeſcit, pulſus celer jugiter vibrat, extrema rigent & quandoque horrent, fonticuli ſicceſcunt & ad cicatricem ducuntur, ſomnus acciſus eſt & laborioſus. Et his feralibus qui detinentur paſſionibus, tertio vel quarto plerumque poſt menſe exſpirant, ac diu ante mortis ſigna circumferunt.

& ſtomachi exulceratione.

§. XX.

Cancro exulcerato.

Cancro exulcerato nemo facile ſervatur, propter ſummam corruptionem, quam ſanies nigra, tenuis, odore abominabilis prodit, & lenta febris cum virium defectu, ſomno anxio, laborioſo vel nullo comitatur, donec ultimo animi defectio & mors ſequatur. Porro accidit interdum, ut inflammationes in exterioribus partibus conſiſtentes, cujus generis ſunt eryſipelata, podagra & chiragra, retrocedant ad interiora & cito vitam eripiant, non alia ratione, quam inflammatione & ſphacelatione ventriculi, aut inteſtinorum. Majus diſcrimen eſt, ſi in peſte carbunculi vel bubones interiora repetentes diſparent, vel non rite prodeunt. Hoc enim ſi contigerit, horrore æger concutitur, ſumma anxietate & inquietudine affligitur, æſtus cum exteriorum refrigeratione regioni ventriculi inſidet, ad vomendum eſt conatus, vel etiam ſinguitus accedit, donec ultimo ſub mentis turbatione & & ſyncope, æger animetur. Qui ex nimia ſanguinis profuſione, ut infelici abortu, hæmoptyſi, vomitu cruento, vel morbo nigro Hippocratis, aut gravi hæmorrhagia in febribus obeunt, ex animi quidem defectione & ſyncope pereunt, notabile tamen eſt, quod plerumque vehemens ſitis, inclinatio ad vomitum & pulſus cum debilitate frequentia, nec non artuum diſtenſio, præcedant, indicio, ſanguinem in partibus interioribus, ventriculo & capite ſubſiſtentem, quoſdam adhuc movere ſpaſmos.

retrocedente eryſipelate &c.

carbunculis

nimiis hæmorrhagiis.

§. XXI.

Parturientibus.

Superſunt ſigna mali ominis in partu ac puerperio, quibus plures fœminæ diſcedunt. Nimirum quando mulieres vel ob incongruum fœtus, præſertim grandioris, ſitum, continuis ſpaſmis, doloribus ac laboribus per aliquot dies aſſiduis, junctis ſimul ardoribus internis vehementiſſimis, quos pulſuum celeritas arguit, defatigatæ ſunt, accidit ſæpius, ut parturientes, vel partu brevi defunctæ, dejectis repente viribus, in forte animi deliquium, vel affectum apoplexiæ ſimilem incidant, nullaque arte vel ope vires & vitam recipere poſſint. Hic autem affectus, ubi aliquot horas perdurat, nec penetrantiſſima medicina, qualis eſt ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viva paratus & oleo rutæ eſſentificatus, naribus intruſa, anima revocari poteſt, lethi ſignum eſt. Si facies ſub ſyncoptica hac affectione colorata manet, ſanguinem ex vehementioribus ſpaſmis impetuoſe ad cerebrum coactum, hoc, apoplectico per omnia ſimile malum, produxiſſe ſubindicat, ac plerumque poſt obitum ex ore & naribus ſerum ſanguineum fœtidum effluit. Sæpius etiam evenit, ut fœtus, exſpirante ſub partu matre, poſt mortem demum, ob relaxatas tum vias & interiorem fermentativum motum, foras ex utero mortuus pariter propellatur.

§. XXII.

Puerperis.

Quæ in puerperio decedunt fœminæ, utplurimum ex retento impuro ſanguine, qui enixo partu ex utero ſalutariter per aliquot dies manare ſolet, graves primum patiuntur dolores, quos, ſi non excipit effuſio lochialis ſanguinis, ſed fluxus magis obſtipatur, uteri plerumque inflammatio & febris valde exitioſa ſequitur. Teſtatum facit febrilem hunc morbum incendium ab inferioribus locis uſque ad cordis regionem vergens, cui ſi magna anxietas, virium proſtratio, inquietudo & omnis appetitus dejectio junguntur, poſtea ſenſus internus frigoris cum horrore accedit, pulſus frequens, parvus & debilis micat, viſus quoque obſcurari incipit, mortem ex ſphacelo inſtare, haud dubia eſt ſignificatio. Plurimæ ex puerperis integra mente obire ſolent, & licet hæc antea turbata fuerit, paucis tamen ante mortem horis ſæpe ad ſe redit, ut imperitiores rem penitus in vado eſſe ſibi perſuadeant, pulſus tamen moribundus proximi interitus ſemper certus eſt index. Alia phænomena præſto ſunt in puerperis, quæ ob nimium ſanguinis poſt partum & in puerperio profluvium, pereunt, quippe tunc lentus cum pulſu frequenti & debili calor aſſidue urget, neque etiam mane poſt ſomnum ſedatur, juncta præterea eſt inappetentia viriumque plenaria dejectio, & circa exitum puerperii, hoc eſt ſexta poſt hebdomade, ſyncoptica plerumque mors ſuccedit.

§. XXIII.

Ac infantibus.

Denique morbi, quibus infantes decedunt, utplurimum ſpaſmodici ſunt & convulſivi, inflammationem & ſphacelum, præſertim ventriculi, inteſtinorum, aut capitis, inducentes. In teneriori enim ætate, ob dolores ex dentitione & abdominis ex lacte corrupto tormina acutiora, facilis in epilepſiam & convulſionem, febres quoque & aſthmata eſt lapſus. Quod ſi vero epilepticus paroxyſmus unus alterum crebro conſequitur, & alvus antea fortiter clauſa, ſponte jam dimittit excrementa, mirum fœtida & nigra, vox ſimul clangoſa fit ac ſingultuoſa, totumque corpus ardet, haud dubie augurandum, imminere funeſtum finem.

§. XXIV.

In formanda prognoſi diſtinguenda.

Hæc itaque ſunt potiora & certiora ſigna, quæ in varii generis morboſis afflictionibus periculum, aut plane interitum nunciant: ita tamen comparata, ut in applicatione eorundem ad prognoſin, magnum judicium, curata diſtinctio omniumque circumſtantiarum penſitatio accedere debeat; quo eventus formato ex iis judicio reſpondeat. Et primo quidem ſollicite diſtinguenda ſunt pathemata, in morbis ſpaſmodicis chronicis obvia, ab iis, quæ in acutis comparent. Nam ſæpiſſime in hypochondriacis & hyſtericis ejuſmodi truculenta occurrunt ſymptomata, quæ in acutis lethalem effectum minantur, in illis vero minus periculi aluut. Et quid frequentius eſt? quam quod hypochondriaco & hyſterico malo laborantes ſub paroxyſmis maximas anxietates, ſpirandi anguſtias, cum extremorum frigore & urina aquoſa, pulſu exiſtente debili & parvo, patiantur, quin plane vehemens animi deliquium perſentiſcant, quæ tamen omnia brevi remittunt, exſpirant & ſine periculo tranſeunt.

pathemata chronicorum & acutorum.

§. XXV.

Tempora morbi.

Deinde probe diſcernenda ſunt morborum tempora. Nam ex omnibus, quæ modo attulimus indiciis

diciis funeſtis, ſi quædam, vel etiam plura ſub initio & primis morbi diebus apparuerint, præcipitanter nimis ageret, qui ſtatim mortem inſtare exinde judicaret. Alia vero ratio eſt, quando viribus nimio calore, vigilia aſſidua, inappetentia, anxietate, dolore, per plures dies infeſtante, fractis & exhauſtis, funeſti ejuſmodi ſpaſmi & ab iis oriunda ſymptomata prodeunt, maximeque iis temporibus, quibus morbus alias ſalutariter ſolvi ſolet. Inprimis etiam primus impetus & vehementia morbi invadentis curate expendenda; quæ, ſi ſtatim in principio vires dejicit, pulſu valde frequenter feriente, nil boni portendit, ſed potius imbecillitatem ferendo morbo imparem, ſuccorum impuritatem & ad corruptionem proclivitatem, luculenter arguit.

§. XXVI.

Corpora. Porro exquiſita etiam ſemper habenda eſt ratio corporum quæ ægrotant, & maxime perquirendum: utrum ex imbecillibus, an robuſtis ſint? eo quod illa nunquam non in morbis magis, quam quæ robuſtioris & validioris ſunt conſtitutionis, periclitantur, ac potiſſimum facili negotio ex doloribus vel inflammationibus ſphacelo corripiuntur mortifero. Imbecillibus vero ratione ætatis, ſenes & infantes, ratione corporis ſtructuræ, qui repleti multiſque & exilibus vaſis inſtructi ſunt, annumeramus, neque minus eos, qui à parentibus debilibus ac morboſis procreati ſunt, item, qui præcedente diuturno morbo, vel immodicis ſanguinis profuſionibus ac diuturna inedia, aut impenſo animi affectu, mœſtitia, cura & graviori meditatione, vires attriverunt ac conſumſerunt. Eundem quoque in cenſum referendæ puerperæ & qui ex vitio diætæ aut vitæ regiminis, nec non excretionibus ſuppreſſis, ingentem impurorum ſuccorum copiam ſibi contraxerunt.

§. XXVII.

Et cauſſæ. Neque tandem omittendum, quod in ſignorum conſideratione, ſtudioſe ſemper attendendum ſit artifici: num à cauſſis quibuſdam externis nocentibus, per iram, terrorem, corporis refrigerationem, aut cibum inſalubrem, vel pharmacum vehemens & virulentæ indolis, atrocia jam conſpicua ſuſcitata ſint ſymptomata? Quæ quidem in morbis per ſe periculoſis corporibuſque infirmis, in vitæ diſcrimen ægros adducere, vel ipſam mortem accelerare poſſunt; in morbo vero minus ancipiti & corpore valente, non adeo extimeſcenda.

CAPUT XVII.

De cauſſis mortem in morbis gignentibus.

§. I.

Mortis cauſſæ cognoſcenda. QUum princeps ac præcipuus ſalutari arti præfixus ſit ſcopus, ut in curandis morbis quibus ad interitum facilis & ordinarius fere eſt tranſitus, corpus à morte modis defendat omnibus, idque medicus cum certa firma & fundata ratione facere debeat: neceſſe utique eſt, quo proximas & adæquatas mortis cauſſas & quomodo eædem in & ex morbis gignantur, medentum quilibet ſtudioſe ſcrutetur atque pernoſcat. Jam vero non melior magiſque apta ad perquirendas quæ mortem in morbis inferunt cauſſas ſuppetit via, quam per diſſectionem corporum morbis defunctorum, qua clariſſime, quid mors & quænam formalis ejus ratio, vel ſenſuum miniſterio, palpari poteſt ac perſpici. Nimirum ex omnibus conſignatis obſervationibus & hiſtoriis anatomico-practicis, planum fit atque teſtatum: mortem nihil aliud eſſe, quam ſublatam penitus progreſſivam & vaſorum motionem, quam vel canalium, præſertim circa cor & pulmones, à polypoſis concrementis obturationes, vel largiores ſeri & ſanguinis in cerebro aut nobilioribus aliis partibus extravaſationes, vel ſuccorum in partibus eminentioris uſus nervoſo - muſculoſis inflammatoriæ in ſphaceloſam putredinem tranſeuntes ſtaſes, vel etiam putridæ viſcerum corruptiones, proxime gignunt & immediate producunt. Quapropter è re utique erit, ut quæ ex his in variis morborum generibus poſt mortem deprehendantur cauſſæ ex fide dignis qui inſtituerunt ſectiones auctoribus delibemus, & ea qua fieri poteſt brevitate, hoc loco commemoremus; eum maxime in finem, quo medentes mortiferas has cauſſas congruis remediis tempeſtive averruncare corpusque ab interitu tueri poſſint, nec unquam imprudenti medicatione ad earundem geneſin quicquam conferant.

quæ ſint genere.

§. II.

Speciatim in apoplexia. Incipiemus autem à funeſtis capitis morbis, quorum in numero potiſſimum apoplexia, lethargus, epilepſia atque phrenitis ſunt, & primo loco diſpiciemus: cur ſæpius ſani & robuſti, in optimo ætatis & virium vigore conſtituti, ex apoplexia tam repentina morte pereant? Et de hac quidem curatior eadem defunctorum anatome clariſſime confirmat, quod ſanguinis vel ſeri extravaſatio in cerebro ejus ſit cauſſa. Potiſſimum *Wepferus*, quo nemo majori ſolertia in hujus mali generationem inquiſivit, in eximio *de hiſtoriis apoplecticorum* libro, teſtatur: ſe ſemper fere effuſum ex plexu choroideo cruorem, in cerebri penetralibus reperiſſe. Deinde *Williſius lib. de anim. brutor. cap. IX. p.* 222. refert hiſtoriam de juvene ſanguineo, plethorico & vino indulgenti, in cujus aperto capite, anterior cerebri cavitas ſanguine grumoſo cum ſeri copia impleta viſa eſt. Et *Warthonus in adenograph. cap.* 2. fidem facit: ſe in iis, quos apoplexia ſubito abſtulerat, ventriculos cerebri ſanguine refertos deprehendiſſe. Haud diſſimilis obſervatio legitur in *Miſc. nat. curioſ. Dec. II. An. X. obſ.* 161. dum diſſecto apoplectico, multum ſanioſi ſeri ex cerebro diffluxit, ſinus falcatus cruore turgidus & ventriculi lympha referti, fuerunt offenſi. Alius apoplexia interemtus, ut *l. c. Dec. II. An. I. obſ.* 154. proditum eſt, in ventriculis ſanguinem ſeroſum extravaſatum copioſum exhibuit, & grumos ſanguinis, ovi columbini forma, nec non quartus ventriculus cum infundibulo ſanguine turgidus repertus.

§. III.

Lethargus paralyſis hemiplexia. Et quemadmodum apoplexia ob ſanguinem vaſorum alveis elapſum inducitur; ita in lethargo, paralyſi & hemiplexia, quæ ſæpe diuturnis cephalalgiis, ſcorbuto aliiſque gravioribus affectibus chronicis, lethali eventu ſuperveniunt, ingens ſeri copia in cerebro conſpicitur. Sic *Williſius l. c. pag.* 155. in cephalalgia diuturna ex lethargo demortuo, cerebri anfractus, tam exteriores, quam cavitatem internam, aqua limpida repletos offendit. Puer trium annorum, teſte eodem auctore *l. c. cap. IX. pag.* 225. poſt ophthalmiam & faciei exanthemata ſoporoſus factus,

ctus, largam copiam limpidæ aquæ ſub meningibus ſtagnantis exhibuit, cujus copia etiam ventriculos & thalamos opticos implevit, eoſdemque comprimendo cæcitatem intulit. Ex cephalalgia ſcorbutica demortuum, ventriculos cerebri copioſiori & acriori lympha tam turgidos geſtaſſe, ut unciæ decem effluxerint. *Miſc. nat. curioſ. Dec. II. An. X. obſ.* 3. teſtantur. Paralyticum quoque ſectum, vaſa cerebri atro ſanguine quam maxime turgentia & ventriculos largo ſero diſtenos oſtendiſſe. *Pezoldus obſ.* 60. auctor eſt. Idem confirmat *Harderus obſ.* 34. exemplo paralytici à longo tempore cachectici, quo poſt mortem ſecto, verſus ventriculos & prope baſin cerebri ac cerebellum, exundans ſerum occurrit, polypus quoque oblongus ex eodem loco extractus eſt.

§. IV.

Epilepſia & phrenitide.

Ex epileptico malo qui intereunt, in capite vaſa plerumque cruore turgida obtinent, & ſerum quod à ſanguine ſeceſſit in inferiore cerebri parte ſtagnans. Idem fit, quando quis ex phrenitide moritur, cui etiam funeſta epilepſia ordinario ſolet ſupervenire. Confirmat hoc *Harderus obſ.* 34. caſu epileptici quatuordecim annorum, qui ſanguine diducta habuit cerebri vaſa, protuberantibus inſtar veſicæ aquæ repletæ anterioribus ventriculis, è quibus facta inciſione, ichor copioſiſſime profluxit, qui in tertia & quarta cavitate non minori quantitate delituit. Eandem in rem facit obſervatio *Williſii lib. de morb. convulſ. pag.* 504. ubi in femina, motibus convulſivis & epilepticis mortua, vaſa meningum adeo ſanguine farta fuiſſe narrat, ut quaſi tota ſanguinis maſſa in capite aggeſta viſa ſit, cerebri vero ſubſtantia humore aquoſo redundantius irrigata fuit & ventriculi aqua limpida repleti. Similem hiſtoriam idem auctor *l. c. pag.* 542. conſignavit: de femina, pathematibus convulſivis & hyſtericis oppreſſa, cujus vaſa cerebri mirum ſanguine diſtenta fuerunt, ut ejus vix quicquam in reliquo corpore effluxerit, cerebri cavitatibus ac receſſibus ſeroſa colluvie plenis. Simili ratione *Petr. Pavv. obſ.* 8. commemorat, in epileptico & phrenitide demortuo, vaſa meningum ſanguine atro & aduſto fuiſſe diſtenta & in cerebello putridum humorem repertum. Et *Joh. Rhodius Cent. I. obſ.* 39. in phrenitide membranas cerebri cum rubore adeo tumentes invenit, ut venæ à cerebri ſubſtantia potuerint ſeparari, in alio autem *obſ.* 40. piæ matris vaſa inflammata fuiſſe, ſcripto confirmat.

§. V.

Unde tam ſubita mors.

Sanguinis itaque vel ſeri in capite exundantiam atque effuſionem ſubito mortem inferre teſtatur experientia, neque etiam ratio deficit, cur id contingat, luculenter demonſtrans. Nimirum cerebrum ſanctius animæ domicilium & tenuiſſimi ac puriſſimi liquidi, quo vim, robur, tonum ac motum fibris & ſolidis corporis partibus præſtat, ſecretorium ac officinam eſſe, & ſaniorum Veterum tulit ſententia, & diligentior Recentiorum obſervatio anatomica confirmat. Nam ſpirituoſum ſummæque activitatis liquorem in vaſculoſo cerebri cortice ſecerni, per medullaris ſubſtantiæ mæandros ad oblongatam medullam pergere, & ex hac, nec non ſpinali, per appenſos nervos ad ſubjectas partes derivari, ex eo clariſſime patet: quod conſtricto vel diſſecto membri cujuſdam nervo, protinus ejuſdem ſenſus & motus exſpiret, diffracta vero vel diſciſſa ſpinali medulla, partes infra læſionem illico omni ſenſatione ac movendi potentia priventur, & cervice fracta, nec non læſo vel obturato ſpinæ principio, animans extemplo penitus exanimetur. Quumque ex oblongata in baſi cerebri medulla, novem illa nervorum paria oriantur, quæ ſenſoriis maxime præſunt & ad præcipuas vitales partes cor & pulmones abeunt, in proclivi eſt judicare: hac à ſero vel ſanguine extravaſato obſtructa, aut compreſſa, hunc mobiliſſimi nervei liquidi influxum quam maxime intercipi, ut non mirum ſit, animam nihil amplius percipere & cor atque arterias activo & vitali ſyſtoles motu orbari ac ita mortem ſubito conciliari.

§. VI.

Cauſſa mortis in pectoris morbis plerumque polypus.

A morbis capitis progredimur ad eos, qui in pectore ſedem ac domicilium ſuum habent, ac mortem cient, quorum in numerum referendi ſyncope, à Veteribus ſic dicta cardiaca, aſthma & catarrhus ſuffocativus, peripneumonia & phthiſis. De hiſce etiam experientia anatomica edocemur, quod non alia ratione internecioni dent hominem, quam quod liberum circuitum & tranſitum ſanguinis per cor & pulmones ſiſtant ac intercipiant; id quod teſtatum faciunt polypoſæ concretiones canalium alveos obturantes, neque minus ſcirrhoſi tumores & corruptiones ſanioſæ ac ſphaceloſæ, quæ pulmonum ſubſtantiam in hiſce vitiis infeſtant. Ad ſyncopen quod attinet, qua ſæpius ſubito & præter omnem opinionem plures extingui, immo in lecto, quem ſani firmique conſcenderant, mane exanimes offendi, non novum, ſed res crebræ experientiæ eſt, cauſſa tam repentinæ mortis non alia, quam viſcidior & coagulata membranacea maſſa, quam polypum vocamus, & quæ prius cordis columnis & lacertis, quaſi radicitus implantata, tandem vi dimota, oſtia majoris vaſis obturans, liberum iter ac motum ſanguinis penitus intercludit, unde protinus tota ſanguinis circulatio ſiſtitur ac perit. Plura ejuſmodi exempla memoriæ prodita ſunt in *Boneti anat. pract. lib. I. Sect. II. Malpighii diſſ. de polypo, Bergeri diſp. de polypo cordis & noſtra de ſubita morte præcavenda.* Inprimis etiam huc referti meretur *Bartholini lib. de lacteis thoracis cap.* 14. per teſtimonium, fidem facientis: ſe in iis quos ſubito fato extinctos aperuerit, majora cordis vaſa ſanguine concreto repleta inveniſſe. Solent vero polypi plerumque dextram cordis cavitatem eique annexa vaſa occupare & grandiores quoque ibi deliteſcere, quam in ſiniſtra, fortaſſe quia non ſolum redux à nutritionis & perſpirationis negotio ſanguis, multis particulis tenuibus liquidis, ſulphureis & ſalinis caſtratus, viſcidior eſt & facilius concreſcens, ſed etiam à chylo ex ducto thoracico affuſo, facile in coagulum filamentoſum præcipitatur, quod in auriculæ finibus, vel amplis dextri ventriculi columnis obhæreſcens, ex agglutinatis viſcidis præterfluentis ſeri moleculis, ſenſim paulatimque in majorem molem excreſcit.

§. VII.

Ut in aſthmate & catarrho ſuffocativo.

Sæpius etiam polypus aliis gravibus & periculoſis in pectore malis ſeſe aſſociat & cita ſuffocatione trucidat. Nam in iis, qui aſthmate & catarrho ſuffocativo jugulantur, plerumque polypoſas in vaſis cordis & pulmonum concretiones repertas fuiſſe obſervationum fide conſtat. Teſtatur id maxime *Greiſelius* in *Miſc. nat. curioſ. An. MDCLXX. obſ.* 74. *quotquot*, inquiens, *catarrho ſuffocativo, quo homo frequentius morte decedit ſubita, mortuos aperui, in omnibus corpora calloſa, viſcida ac glutinoſa in corde deprehendi.*

hendi. Sic quoque *Pezoldus obſ.* 61. in aſthmate ſuffocativo & pectoris hydrope cor magnum, polypo ſolido repletum, cum magna in vaſis atri coagulati cruoris copia, obſervavit. Pariter *Miſc. nat. curioſ. Dec. II. An. X. obſ.* 174. aſthma ex polypo cordis & pulmonum, cum duro ſiniſtro pulmonali lobo, deſcriptum tradunt. Potiſſimum vero notabile eſt, quod adduxi in diſſertatione *de aſthmate convulſivo*, Grætzium, ſcilicet medicum quendam caſtrenſem, vel quingentos milites aſthmate ſuffocatos incidiſſe, atque ſemper vel hydropem pectoris, vel polypum cordis ventriculos & vaſa obſidentem, adinveniſſe. Ipſe non minus confirmatius aſſeverare poſſum, me, quotieſcunque copia fuit aſthmate defunctos diſſecandi, polypum in vaſis pulmonum & cordis, nec non ſerum fœtidum effuſum in thoracis cavo offendiſſe, cujus origo merito difficiliori ſanguinis curſui per pulmones debetur, unde ſerum per lymphatica vaſa rupta exprimitur inque pectus deſcendit, ut hinc perpetuo fere gravi aſthmati junctus ſit pectoris hydrops, de quo egregias obſervationes prodidit *Carolus Piſo lib. de morbis ex ſeros. colluv. pag.* 217. nec non *Baglivus in Praxi pag.* 107.

§. VIII.

Peripneumonia.

In peripneumoniacis non modo pulmones materia craſſa & cruore repletos ac inflammatos, ſed & ſæpiſſime polypoſa in vaſis concrementa deprehendi, anatome idemtidem confirmamur. Recenſui tale exemplum in diſſertatione de *peripneumonia* §. 10. juvenis, hoc morbo vita functi, cujus exemti pulmones admodum duri apparuerunt inſtar carnis, & libra examinati, quinque pondo graves fuerunt, aquæ autem injecti ſubmerſi ſunt. Ipſæ veſiculæ quaſi carnea craſſa rubicunda ſubſtantia fuerunt infarctæ, ac diſciſſæ, parum putridi ſanguinei ichoris, nihil vero puris, fuderunt. Aſpera arteria ſpumoſam & tenacem materiam recondidit, pulmonalis autem & arteria & vena, circa confinia cordis obſeſſa fuit polypoſis concretionibus, quæ cordis columnis & fibris firmius connexæ, ex hoc, auriculis, ramiſque appenſorum canalium extractæ, unciarum duarum pondus exceſſerunt. Cordis etiam ventriculi cruore craſſo nigricante penitus fuerunt conſtipati, & in pericardio ſex ad minimum cochlearia aquæ, inſtar loturæ carnis, comparuerunt.

§. IX.

Hæmoptyſi.

Rara quidem ſunt exempla eorum, qui hæmoptyſi pereunt: notavi tamen hic ante aliquot annos memorabilem ejuſmodi caſum. Videlicet virginem octodecim annorum, teneræ conſtitutionis, ex menſium obſtructione diu reſpirandi difficultate preſſam. Inopinato enormis ſanguinis profuſio cum tuſſi ex pulmonibus, iteratis aliquot vicibus inceſſit, & tertia vice tanta copia erupit cruor, ut aliquot vaſa eodem replerentur, ſimul quoque fruſta dura, magna, carnoſa è faucibus protracta ſunt, quæ aqua calida elota, examine inſtituto, nonniſi polypoſa & fibroſa membranacea concrementa fuerunt deprehenſa, & ponderata, quatuor unciarum gravitatem ſuperarunt. Quo tam immani ſanguinis profluvio, omnes penitus conſumtæ ſunt vires, ut tertio poſt die honeſtiſſima virgo placide animam efflaret. Id vero ex hac ſingulari hiſtoria merito elicitur: polypoſa hæc corpora excreta aneuriſmatibus, vel varicoſis pulmonum vaſis inſediſſe, unde illis diſruptis, in majores bronchiorum ramos ſimul apertos penetrarunt. Neque dubium eſt, quin gravis hæmoptyſis ſæpiſſime ex magna obſtructione, à polypo vel ſcirrheſcentia lobi cujuſdam pulmonalis proveniat, unde libero ſanguinis itinere impedito, ipſe impetuoſe ruit ad alia vaſa, quæ nimium diſtendendo, tandem aperit funeſtumque ciet fluxum. Confirmat idem notabili obſervatione *Williſius in op. poſth. Sect. I. cap. VII.* fidem faciens: totum ſiniſtrum lobum à tumore ſcirrhoſo ita obriguiſſe, ut penitus conſtrictus & quaſi lapideus apparuerit, ac plane non mirum fuerit, quod cruor per pulmones rapidiſſime trajiciendus, alicubi è vaſis eruperit.

§. X.

Palpitatione cordis.

Qui palpitatione cordis detinentur, eos polypus cordis plerumque interficit. Egregie hanc in rem prodidit *Baglivus Prax. med. lib. II. pag.* 229. ſic ſcribens: *ſectis cadaveribus plurimis, obſervavimus in cordis ventriculis polypos, aneuriſmata, grumos ſanguinis ingentes & conſimilia, inter quæ elapſo quinquennio annotavimus in cadavere ſexagenarii, palpitatione demortui, aneuriſma ingentis magnitudinis in aorta aſcendente, ubi proxime à corde exoritur, & in cavitate aneuriſmatis, polypum magnitudine ovi anſerini.* Jam facile patebit ratio, quare palpitatio ſola corporis incurvatione, vel capitis ad terram inclinatione, quoties impetit, cohiberi poſſit, & pro vario in latus, vel dextrum, vel ſiniſtrum, decubitu, exacerbatur aut complacetur, de quo memoratu digna obſervatio de juvene, qui, quoties in lecto lateri dextro incumbebat, ſpirandi difficultate, cum ſuffocationis metu cordiſque tremore laborabat, quæ mutato in latus ſiniſtrum decubitu, protinus ceſſabant. Tandem mortuus reperiebatur, & diſſectus ingentis magnitudinis polypum auriculæ dextræ impactum exhibebat. Obſervatur vero etiam in iis qui palpitatione pereunt, ſolenniter ingens ſeri copia in pericardio, teſtantibus id *Piſone de morb. à ſeros. colluv. pag.* 170. *Olao Borrichio in Act. Hafniens. pag.* 173. *Tulpio lib. IV. cap. XX. & Fernelio lib. V. pathol. cap. XI.* Neque alia hujus extravaſati ſeri origo eſt, quam difficillimus ſanguinis per cordis thalamos tranſitus, unde ſerum per poros auriculæ dextræ nimium dilatatos expreſſum, in pericardii conceptaculum deſcendit.

§. XI.

Aſthm

Accidit quoque interdum, ut quidam aſthmate intereant, ubi pulmonum moles ampliſſima & ſenſu integra, totam thoracis cavitatem replet. In his mortis cauſſa quærenda eſt in tunica illa glanduloſa, interius univerſum bronchiorum tractum inveſtiente, quæ tumida, vel ſcirrhoſa impedit, quo minus aër intrare iterumque exire poſſit, unde ſanguinis quoque liber per vaſa pulmonum circuitus intercipitur. Notavimus talem caſum aliquot ante annos in Theologo primario Cizenſi, qui multos per annos ex difficili reſpiratione laboravit, tandem quoque eadem deceſſit. Aperto poſt mortem thorace, pulmones omnem ejus cavitatem occupabant & nihil præternaturale ibi viſebatur, præterquam quod multa ſcirrhoſa tubercula & granula in ramis internis bronchialibus eminerent. Huc quoque referendam cenſeo *Ruyſchii obſ. XIX.* qua caſum proponit de virgine, quæ poſtquam per multos menſes orthopnœa ſuffocativa laboraſſet, extincta eſt, in cujus cadavere aperto culter anatomicus in parte pulmonis magnum pellucidarum veſicularum acervum detexit, quæ aere ita expanſæ erant ac infartæ,

ut is

ut is nonniſi validiori compreſſione elideretur, neque immiſſus per aſperam arteriam flatus ullum cum expanſis hiſce veſiculis habuit commercium. Similes hiſtorias idem auctor *obſ. XX. & XXI.* refert, de viro ac puero dyſpnœa mortuis, in quibus totum malum hæſit in obſtructa pulmonis parte, cujus omnes veſiculæ oppilatæ & extenſæ apparuerunt. In demortuo Principe, qui orthopnœa & hæmoptyſi obierat teſte *Verzaſcha obſervatt. pag.* 307. pulmo ſtupendum in modum fuit inflatus ac univerſam thoracis cavitatem implevit, aſpera autem arteria ſanguine grumoſo & florido referta, & exterior pulmonis ſuperficies innumeris ulcuſculis obſeſſa.

§. XII.

Phthiſis. Ex affectibus chronicis ipſa phthiſi pectorali & conſummata nullus facile majoris periculi eſt, dum hominem lento gradu omnibus viribus exuit ac demum inopinato ſuffocat. In defunctis culter anatomicus ſequentia detegit. Primo in omnium fere, qui phthiſi decedunt, pulmonibus ingentes ſcirrhoſitates, vel dura tubercula, quæ partim pure ſcatent, partim inſtar ſteatomatum ſebaceum concrementum recondunt, reperiuntur, de quo exempla prodita in *Miſc. nat.curioſ. Dec. II. An.III. obſ.* 188. *Actis Hafn. P.I.A.* 1673. nec non apud *Pezoldum obſ.* 64.74. & *Harderum obſ.*46. Deinde in nonnullis pulmonum lobi penitus abſceſſu & pure conſumti, in quibuſdam exſiccati nullum amplius pus fundentes viſuntur, & propagines aſperæ arteriæ, nec non ſanguinea vaſa albeſcunt, & à pulmonum exeſa ſubſtantia, ſine ulla dilaceratione, ſoluta cernuntur, fidem potiſſimum faciente *Pavv. obſ.*22. & 25.*Hardero obſ.*51.& *Bartholino Cent. V.obſ.*7. Porro nonnunquam in pericardio, item thorace, ingens ſeri impuri fœtidi copia offenditur, id quod quamplurimis exemplis confirmatur in *Miſ. nat. cur. Dec. I. An. I. obſ.* 15. *Dec. II. An. III. obſ.* 199. *Harderi anatom. pract. obſ.*41. 45. 47. 51. & 52. *Blancardi anatom. pract. pag.* 189. *Pezoldi obſ.*74. & 92. *Plateri obſervatt. lib. III. pag.* 689. Præterea in omnibus fere obſervationibus quæ anatomen phthiſicorum ſiſtunt, obvium eſt, quod pulmones firmiſſime coſtis itemque diaphragmati adhæreant. Tum quoque crebriori obſervatu conſtat, polypoſas maſſas, vel cruorem coagulatum, in corde vel pulmonum vaſis phthiſico malo extinctorum offendi, de quo phænomeno inprimis conſuli poteſt *Harderus obſ.* 45.49.& 52.*Bartholinus hiſtor.cent. V.obſ.*7. item *Miſc. nat. curioſ. Dec. II. An. V.obſ.*65. Denique concrementa calculoſa tartarea interdum in exulceratis pulmonum ſinuoſitatibus reperiuntur, uti conſtat ex *Harderi anatom. pract. obſ.* 45. *Miſc. nat. curioſ. Dec. II. An. IV. obſ.* 35. *Dec. III. An. III. obſ.* 188.

§. XIII.

Unde phthiſis & cur necet. Hæc autem omnia & ſingula in cadaveribus phthiſi demortuorum conſpicua phænomena, tum morbi genium & ſymptomatum rationem, tum interitus cauſſam ſatis perſpicue declarant. Nam qui prima phthiſeos incunabula atque originem ex obſtructis minimis pulmonalibus vaſculis tumefactis ac induratis deducunt, recte, mea quidem ſententia, judicant. Hæc quippe tubercula, quæ, cum veſiculas pulmonales, tum bronchiales fiſtulas occludunt, impediunt, quo minus aër pulmonum compagem ſufficienter elevare atque diſtendere poſſit, unde intercepto libero ſanguinis itinere, cum difficultate, anguſtia atque anxietate fit reſpiratio, eoque gravior, quo majorem pulmonis partem ſcirrhoſitas occupat. Hæc quoque tubercula, & mole ſua, & acrimonia lymphæ, vel purulentæ quam recondunt materiæ, nervoſas bronchiorum partes perpetuo irritando, continuæ, ſiccæ & ferinæ tuſſis cauſſam ſubminiſtrant. A libero vero ſanguinis per pulmones præpedito circuitu, is regurgitat ad cor, quod nimium ampliando ac opprimendo, maximas anxietates, phthiſicis admodum ſolennes, parit, ubi etiam facta nimia accumulatione, in polypoſam maſſam ſucceſſive coaleſcit, qua poſtea ſanguinis iter magis adhuc per cor atque pulmones ſufflaminatur, ut hinc in univerſo venarum ſyſtemate circulatio fiat tardiſſima. Quin ſerum ſecedens inque poroſam partium ſubſtantiam concedens, tumores pedum & abdominis gignit, qui ſubinde phthiſicis accidunt & mortis ſignificationem ferunt. Idem quoque ſerum à ſanguinis connubio dilapſum, in cordis conceptaculo hydropem pericardii ciet, ac tandem etiam perruptis lymphaticis vaſis, in thoracem exundat. Frequentior vero pulmonum ad pleuram adhæſio, ſero, quod ex poris pulmonum, ſub difficili tranſitu exprimitur, tribui debet. Hoc enim, exhalantibus partibus tenuioribus, tenax fit, quo partes conterminæ conglutinantur. Igitur quo gravior eſt læſio pulmonum, conſumtio, ſcirrhoſitas & obſtructio, eo majus, ob difficiliorem ſanguinis commeatum, ſuffocationis periculum imminet, qua plures phthiſicorum intereunt. Ac demum phthiſi perpetuo fere hecticus calor, cum ingenti virium defectu, jungitur, qui liquido nerveo à putredine inquinato, jure eſt adſcribendus. Quumque ſub continuo hoc æſtu interno ſucci & vires ſucceſſive conſumantur, lente cordis motus fatiſcit, tandem extinguitur, atque mors ſine ulla turbatione mentis plerumque inexpectata & ex improviſo quaſi obrepit.

§. XIV.

In hydrope vel aliis morbis ſuperveniente. Ex chronicis porro malis vix ullum frequentius hydrope perimit, qui plerumque aliis gravibus affectionibus, ut aſthmati, quartanæ, cachexiæ & ſcorbuto ſupervenit. Cauſſam mortis ſi inquiramus; inſpectione cadaverum diligentiori, ingentem copiam ſeri putridi, tam in abdominis cavitate, quam ſæpiſſime etiam in pectore & pericardio, deprehendimus, quod interiora, præſertim omentum (quod nunquam non conſumtum & putridum viſitur, aliaque viſcera corrupta, & ipſa adeo inteſtina, livida ac ſphacelo-ſa reddit, confirmantibus id *Bartholino Cent. III. hiſt.* 81. *Miſc. nat. cur. Dec. II. An. VII. obſ.* 187. *it. obſ.* 188. *Dec. III. An. III. obſ.* 161. *Dec. I. An. IV. obſ.* 3. *Dec. II. An. VI. obſ.* 73. *Dec. I. An. VI. obſ.* 165. *Pezoldo obſ.*77.88.65. *Hardero obſ.* 72. *Petr. Pavv. obſ.* 5. *it.* 28. Et ubi hæc ſeri extravaſatio in hydrope decumbentibus non præſto eſt; ibi etiam nondum omnis ſpes ſalutis evanuit. Quod vero utplurimum paracentheſin factam mors ſubſequatur, in cauſſa eſt aër admiſſus, quo accedente, ſeri putrefactio multum promovetur, quæ ubi incipit, non modo omnis appetitus tollitur & quicquid virium adhuc reſtat conſumitur, ſed & calor præternaturalis, ſine quo non facile hydropicus moritur, ſupervenit atque incenditur, qui penitus omnes vires & ſuperſtites vitales ſuccos ita exhaurit, ut cordis muſculus à motu ſuo vivifico in totum dejiciatur.

§. XV.

Vel ex aſthmate. Fit quoque hic morbus ſæpiſſime ex aſthmate, aſthma vero ex polypo cordis, in cavitatibus ejus detento, aut minimum tumore nodoſo majorum vaſorum oſtia coarctante, qualis etiam in hydropicis diſſectis non raro in conſpectum prodit, uti patet ex *cent. III. Miſc. nat. cur. obſ.* 117. *Dec. III. An. III. obſ.* 161. *it. obſ.* 65. *Pezoldi obſ.* 77. nec non *Boneti Sepulchreto.* Neque rationem difficile eſt invenire, ſiquidem retardato ſanguinis per pulmones motu, is regurgitans ad venarum ſyſtema, ibi tardius movetur atque ſubſiſtit: unde ſeri in partibus inferioribus, per quas ſemper adſcenſus ſanguinis, quia perpendicularis, difficilis eſt, ſeceſſio fit magnaque collectio.

§. XVI.

Vel ex hepatis. Quin naturalis illa difficilior ſanguinis in hepate, ex vaſe portæ venoſo in venam cavam trajectio, multarum chronicarum paſſionum, & quam maxime hydropis, cauſſa potentiſſima utique recte cenſetur. Nam ſanguis ex hoc vaſe per connexos eidem canales regurgitans in pancreas, lienem, meſenterium, inteſtina, hæc viſcera multum infarcit tumidaque reddit, & minimos glandularum ductus occludendo, hæc omnia ſcirrhoſa ac dura efficit; quæ etiam viſcerum vitia ſemper fere, facta inſpectione, oculis ſeſe ingerunt, multiſque exemplis comprobantur à *Miſc. natur. cur. Dec. III. An. III. obſ.* 161. *Dec. II. An. VIII. obſ.* 100. *it. An. VI. obſ.* 73. *An. VII. obſ.* 187. *An. I. obſ.* 2. *An. V. obſ.* 73. *Dec. I. An. VI. obſ.* 68. *it. obſ.* 165. *&* 221. *Hardero obſ.* 71. *&* 72. *Petr. Pavv. obſ.* 5. *& obſ.* 28. *Pezoldo obſ.* 88. *Bartholino Cent. III. Hiſt.* 81. *Riverio Cent. II. obſ.* 53. *Ruyſchio in obſ.* 45. *&* 46. Per indurata ſic & obſtructa vero viſcera, libero ſanguinis curſu præpedito, inducitur ejus ſtagnatio in vena portæ, & inde ſerum ſecedens ad vaſa fertur lymphatica, quæ nimium diſtenta & à tono ſuo dejecta, diducuntur in hydatides, (quarum ingens ſæpe copia in diſſectis viſitur,) quæ diſruptæ, illam exitialem ſeri extravaſationem efficiunt.

§. XVII.

Aut uteri vitio. Ratione haud diſſimili hydropis origo ex ſanguinis circulo per uterum, vel ob vaſa, à materia polypoſa aut cruore coagulato varicoſa reddita, vel ob ipſius uteri ſubſtantiæ ſcirrheſcentiam, impediriori facto. Nam obice ſic poſito, ſub lentiori progreſſu atque ſtagnatione, ſeroſus humor à vinculo diſcedit & copia ac impetu in vaſa lymphatica confluit, eorum latera ampliat, ut interjecta valvulis ſpatia in hydatides abeant, quæ tandem divelluntur & contentum humorem effundunt; cujuſmodi exempla paſſim in obſervatis medicis & maxime in *Miſc. nat. curioſ. Dec. II. An. IX. obſ.* 99. nec non apud *Harderum in apiario obſ.* 87. *Veſalium lib. V. de corp. human. fabrica Cap. IX. & Mauritium Cordæum Comment. in lib. I. Hippocr. de morb. mulier.* conſignata reperiuntur.

§. XVIII.

In cachexia & hectica aliis morbis ſupervenientes. Præterea ſæpiſſime mors in cachecticis, tabidis & diuturna lenta ac hectica febre detentis, ex ingenti abſceſſu interno rupto natales trahit. Effuſum enim fœtidiſſimum pus, non modo viſcus cui inſidet penitus conſumit, ſed & vicinas quas tangit partes labe inficit atque corrumpit, ſimul quoque fœtore ſuo tenuiſſimum illud fluidum, quod fibris vim motricem confert, admixtione ſua contaminat; unde verum *Hippocratis* effatum *Sect. VII. aph.* 8. *ex tuberculi intus ruptione exſolutio, vomitus & animæ deliquium fit.* Occupant autem ejuſmodi abſceſſus maxime meſenterium, hepar, uterum ac rénes, ac pariter fiunt ab intercepto, propter inſuperabiles obſtructiones & compreſſiones vaſorum viſcerumque ſcirrhoſitates, libero ſanguinis circulo, unde cruor ſtaſin concipiens vaſorum tunicas perforat, ac cavitates ſibi efformans, tandem in pus fœtidum convertitur. Junguntur his abſceſſibus teſte obſervatione anatomica, plerumque tumores atque duri ſcirrhi, prout fidem facit *Paræus lib. XXIII. cap.* 36. exemplo fœminæ, cujus meſenterium penitus ſcirrhoſum obſervavit, tantæ molis, ut libras decem cum dimidia pondere æquaret, adhæreſcentibus quamplurimis abſceſſibus, ſua quoque cyſtide incluſo. Pari ratione *Hildanus Cent. I. obſ.* 7. meminit puellæ, cujus meſenterium tumoribus duris ſcirrhoſis & ſteatomatibus refertum fuit, præcipue circa venas, quæ ad portam tendunt. Et *Coiterus obſervatt. anatom.* in hydropico tumorem & magnam colluviem puris fœtidi, quod hepar putredine infecerat, animadvertit. Et quæ plures huc referendæ obſervationes memoriæ proditæ ſunt in *Warthoni tr. de glandul. pag.* 50. *Raygeri obſervatt. & Miſc. natur. curios. Dec. III. An. III. obſ.* 73. *&* 131. Speciatim de iis abſceſſibus quæ renes & hepar occuparunt conſuli merentur, *Miſc. nat. curioſ. Dec. I. An. IV. obſ.* 114. *Dec. III. An. III. obſ.* 72. *Hildanus Cent. II. obſ.* 39. nec non *Harderus obſ.* 76. Frequentius tamen abſceſſus in muſculis abdominis, præſertim à cauſſa externa, reſidet, quo interius rupto, mors utplurimum ſequitur, de quo digna ſunt quæ evolvantur in *Miſc. nat. curioſ. Dec. II. An. I. obſ.* 88. *Hildano Cent. II. obſ.* 37. *Riverio Cent. I. obſ.* 92. Quod vero apoſtema mortem inferat, cauſſa ſubeſt, quia febre lenta, quæ abſceſſus nunquam non ſtipat, omnes paulatim vires exhauriuntur, & tota humorum maſſa ſucceſſive in excrementa reſolvitur ac conſumitur.

§. XIX.

In dolor bus ex c culo pe renum c ruptio- nem. Qui ex calculo renum & veſicæ moriuntur, hos non minus corruptio putredinoſa, vitali moventi infenſiſſima, necat. Nam ſi quando calculus in veſica vel uretere hæret, efficit, ut colatum per renale cribrum ſerum ſalſum immane quantum & ureteres & renes diſtendat, qua vehementi diſtenſione & vaſorum compreſſione, renum ſubſtantia inflammatur atque in abſceſſum vel putrilaginem, qua penitus tandem exeduntur ac conſumuntur, concedit. De hoc frequentiſſima apud obſervatores eſt mentio, è quibus adduxiſſe ſufficiet *Miſc. nat. curioſ. Dec. II. An. VIII. obſ.* 53. *An. II. obſ.* 13. *Dec. I. An. II. obſ.* 81. *An. IV.* 23. *Bartholini hiſt.* 35. *Cent. III. Petr. Pavv. obſ.* 3. *Verzaſchæ obſ.* 2. *cent. I. Fernelium de part. morb. & ſymptomat. lib. VI. cap.* 12. *pag.* 316. *Riolanum lib. II. cap.* 29. *Tulpium lib. III. obſervatt. cap.* 6. *Pancirollum Pentec. quart. obſ.* 31.

§. XX.

Aut int ſtinorum ſphacelu ex conſe ſu. Inſuper compluries in iis, qui ex calculi tormentis & iſchuria diem obierunt, ventriculi inflammationem, ex ſuis ſignis dignoſcendam, nec non epilepticas convulſiones ſupervenientes, animadvertimus, procul omni dubio ob atrociſſimos ſpaſmos, in ventriculum, vel ipſum caput, per conſenſum derivatos. Nam licet in iis quas perluſtravi obſervationibus, parum hujus phænomeni mentionem invenerim, ſed ſectores

ctores plerumque reperto calculo, tanquam mortis cauſſa, aliarum partium inſpectionem ſupervacaneam crediderint; nullus tamen dubito, quin, ſi in diſſectione cadaverum etiam ventriculi & inteſtinorum conſtitutio curatius inveſtigetur, proximior ibi, maxime in ſenibus & debilitatis, mortis cauſſa inflammatio nempe & ſphacelatio, ſit comparitura.

§. XXI.

In morbis acutis & malignis.

Eadem ventriculi & inteſtinorum inflammatio & ſphacelatio, qua plerique, qui morbis acutis malignis decedunt, item ex veneno, vel validiori pharmaco, nec non peſte, morbo Hungarico, dyſenteria, colica vel iliaca paſſione, aut acuta vel omni alia febre ſuccumbunt, tanquam præſentiſſima mortis cauſſa, in diſſectis reperitur. Etenim in nullis certe corporis partibus, inflammatio vel ſphacelatio periculoſior eſt, quam in iis, quæ nervoſæ ac membranoſæ ſunt texturæ & exquiſitiore ſenſu ac motu gaudent, neque minus cum univerſo nervorum genere conſenſionem alunt; cujus generis ventriculum & totum inteſtinorum canalem eſſe, vix ullus addubitabit. Venena vim ſuam maxime exſerere in ventriculum & vicina tenuia inteſtina, ſphacelo eadem corripiendo, ſectiones & obſervationes paſſim proſtantes luculenter declarant, in cujus confirmationem inſtar omnium allegari meretur *Wepferus*, in *tr. de cicuta aquatica*, qui plura experimenta inſtituit, & quæ in animantibus obſervavit, collegit.

§. XXII.

Poſt frigidum potum.

Aquæ aut alius liquoris frigidum potum, corpori calefacto copioſe ingeſtum, vel brevi mortem, vel alias ad mortem tendentes afflictiones invehere, res certæ, quotidianæ & indubitatæ experientiæ eſt. Neque alia tam ſubitæ ac funeſtæ cataſtrophes ſuppetit ratio, quam quod frigidus potus celeriter ipſum ſanguinem in vaſis ventriculi & inteſtinorum coagulet ac in circulari motu ſiſtat, unde, niſi mature diſcutiatur, ut in ſphacelum concedat, neceſſe eſt. Digna eſt, quæ hic interferatur obſervatio, quam ante aliquot annos notavi. Princeps erat excelſa non minus indole, quam corporis forma gratioſiſſimus, ſanguine & ſuccis redundans, obeſior paullo, nec tum vigeſimum quintum ætatis annum egreſſus, qui perfecte antea ſanus, quum vehementi motu corpus exæſtuaſſet, ac poſtea liberalem cereviſiæ frigidæ hauſtum ingeſſiſſet, ſimulque frigido & aperto aeri ſeſe iterum expoſuiſſet, mox de languore, horrore, calore intenſiori & vigilia conqueri cœpit. His ſuccedebant atrociora pathemata, immenſa quippe virium proſtratio, lipothymiam erecto tantiſper corpore ſtatim minitans, pulſus languidus, inæqualis & celer micabat, conatus ad vomitum erat perfrequens, anxietas perpetua, tantopere ſubinde increſcens, ut non modo huc & illuc membra agitaret, ſed & in uno loco diu contineri non poſſet, halitum exſpirabat fœtidum, ac die morbi ſeptimo inter maximum ſuorum luctum mortem cum vita commutabat. Concedebatur ſequenti die medicis facultas corpus aperiendi, eaque inſtituta, ventriculus totus propemodum inflammatus comparuit, ac quod rarum obſervatu, aliquot cochlearia fœtidi & corrupti ſanguinis in ejus cavo. Lien admodum fuit diſtentus, flaccidus, ſanguine lividi coloris refertus & corruptioni tam propinquus, ut ad levem attactum ipſa ſubſtantia ejuſdem diſſolveretur. Totus ſiniſter pulmonis lobus niger deprehenſus eſt, corruptus ac fœtidiſſimus, è quo humor putridus mirifici nidoris in thoracis cavum deſtillaverat, tam erodentis indolis, ut ſpongiam qua detergebatur, atro inficeret colore, nec inuſta ei macula ullo artificio poſſet deleri ac elui. Vaſa de reliquo ſanguinea maxima ex parte inanita, ipſumque cor minoris magnitudinis offendebantur. Eundem cum gelido potu in ſenio confectis & viribus orbatis effectum præſtare fructus refrigerantes, ut melones & perſica mala, avidius devoratos, obſervationum medicarum fide conſtat. Nam notum eſt, quam pronus ſenum, quin etiam ſcorbuticorum & imbecillium ſanguis ſit in ſphaceloſam corruptionem, quæ hinc accedente leviſſima ſæpe cauſſa, quam facile ſuſcitatur.

§. XXIII.

In febribus peſtilentialibus & malignis.

Quos peſtilentia & febres malignæ tollunt, in his ventriculus & inteſtina nunquam non ſphacelata conſpiciuntur: id quod etiam de omnibus ferme febribus acutis, ardentibus, cholericis, ſemitertianis, variolis aliiſque intelligendum eſt. Ego certe plena teſtari poſſum fide, quod omnes eos, quos ex febre quadam acuta obiiſſe novi, ex inflammatione ventriculi, inteſtinorum, vel meningum ſuperveniente, deceſſiſſe deprehenderim: idque non modo ex ſymptomatibus dijudicavi, ſed & diſſectionibus, quas adminiſtravi, & de quibus alii fidem mihi fecerunt, compertum habui. Potiſſimum memoratu dignus videtur caſus fœminæ annorum XXVI. ſenſibilioris naturæ, quæ ex vehementi iracundia febre ardente bilioſa, juncta cum crebris alvi dejectionibus, correpta fuerat. Hæc quidem adhibitis congruis remediis, ex ancipiti tantiſper levata videbatur, poſt impenſam vero denuo ex ira animi commotionem, priora non ſolum, ſed pejora etiam redibant pathemata, quæ licet alvi fluxus erumperet, undecima tamen die ægram jugulabant. Diſſecto poſt mortem cadavere, totus inteſtini jejuni & ilei tractus, partim inflammatus, partim ſphacelatus & niger cum fœtore in conſpectum prodiit, luculento indicio, inflammationem inteſtinorum diarrhœæ quoque in febribus, & in ſphacelum concedentem, mortis eſſe cauſſam. Eandem in his morbis mortis cauſſam teſtatam faciunt conſignatæ paſſim in commentariis medicis hiſtoriæ, ut apud *Foreſtum lib. VI. obſ.* 13. *Diemerbroccium pag.* 273. *Helmontium pag.* 887. *Bartholinum Cent. III. hiſt.* 68. *Cent. V. obſ.* 4. item *Cent. III. ep.* 92. & 29. *Miſc. nat. curioſ. Dec. III. an. III. obſ.* 100. *Dec. I. An. VI. obſ.* 161. *Pezoldum obſ.* 87. *Blancardum obſ.* 67. nec non in *diſſert.* quam ipſe *de inflammatione ventriculi*, ante aliquot annos evulgavi.

§. XXIV.

Diarrhœa & dyſenteria.

Neque alia internecione diarrhœa vel dyſenteria correpti, quam inteſtinorum ſphacelatione, perimuntur, id quod pariter non ſolum ſigna, ſed etiam ſectiones manifeſtant. Laborant vero maxime his in morbis craſſa inteſtina putrida ex ſphacelo corruptione, multiſque ſimul tuberculis obſidentur, fidem facientibus *Miſc. nat. curioſ. Dec. II. An. VI. obſ.* 104. *Act. Hafn. P. II. obſ.* 17. *Platero lib. III. pag.* 821. *Bartholino Cent. VI. hiſt.* 2. *Cent. IV. obſ.* 48. Eadem ratione in colica ſpaſmodica vel iliaca paſſione correp-

colica & ileo.

tis, ex inteſtinorum ſideratione & corruptione mors accedit, uti patet ex *Miſc. nat. curioſ. Dec. II. An. III. obſ.* 65. & 193. *Blancardo anat. pract. Cent. V. obſ.* 1. *Hildano Cent. II. obſ.* 61. *Kerkringio obſ.* 42. *Williſio de medic. oper. pag.* 28. Idem fatum ex inteſtinorum ſphaceloſa affectione ſubeunt infantes, quos vermes enecant, de quo caſus conſignati in *Act. Hafniens. tom. II. pag.* 88. & *Lentilii Miſcellan. medico-pract. pag.* 365.

ex vermibus.

§. XXV.

In colica quandoque coalescunt intestina.

Id vero adhuc notatu perquam dignum eſt, quod in iis qui colica ſpaſmodica, vel veneno non adeo præcipiti internecione occidente, aut aliis atrocioribus in inteſtinis tormentis, pereunt, inteſtina plerumque connexa atque mutuo coalita offendantur. Et licet ipſe hanc inteſtinorum præternaturalem concretionem nunquam obſervarim, fidem tamen mihi fecerunt viri, quibus ſæpius corpora his morbis ubi crebro occurrunt defuncta incidendi occaſio fuit; & ſimiles quoque caſus memoriæ proditi à *Rhodio Cent. II. obſ.* 32. *Petr. Pavv. obſ.* 5. *Bartholino hiſt. anatom. cent. III. hiſt.* 6. *Hoechſtettero Dec. X. caſ.* 6. *Miſc. nat. curioſ. Dec. II. An. VII. obſ.* 15. Cauſſa hujus peculiaris phænomeni vix alia poterit ſuppeditari, quam quod ſerum ex inteſtinorum tunicis glanduloſis & vaſculis minimis ſub arctis illis ſpaſmis exprimatur, quod avolantibus fluidis tenerioribus partibus, glutinoſum & tenax redditum, illam coaleſcentiam efficit, haud ſecus ac ſuperius de coalitu pulmonum cum pleura & contiguis partibus, in pectoris affectibus, meminimus.

§. XXVI.

Puerperis & infantibus.

Accedunt puerperæ, febre inflammatoria pereuntes. Has ſimili ratione uteri ſphacelo tolli, & ſymptomata in iis obvia, & ſectiones poſt mortem adminiſtratæ, commonſtrant, cujus generis plures continentur in *Miſc. nat. curios. Dec. I. An. II. obſ.* 85. *An. IV. obſ.* 195. *Dec. II. An. IV. obſ.* 94. *Dec. III. An. I. obſ.* 22. *An. III. obſ.* 123. Infantes denique puſillos & uberibus adhuc victitantes, ex torminibus ventris, nec non epilepticis convulſionibus, ab acrimonia humorum cauſtica, abripi, res vulgo notiſſima eſt. Neque dubium eſt, quin etiam in his, inteſtina, è quibus non raro antequam exſpirant, nigra excrementa ſecedunt, ſphacelata in diſſectionibus reperiantur, modo frequentius à medicis corporum infantilium & omnis ætatis exanimatorum diſſectio inſtrueretur & à cognatis concederetur.

§. XXVII.

Mortis non cum morbi cauſſa confundenda.

Hæc itaque ſunt obſervata, quæ per cadaverum ſectiones, tanquam veræ interitus in morbis cauſſæ, innoteſcunt. Monendum tamen eſt, id quam maxime hoc in negotio eſſe vitandum, ne mortis cauſſæ cum morborum cauſſis perperam confundantur, quod certe ſæpiſſime animadvertimus. Id enim quamplurimis medentum in more poſitum eſt, ut ægro periculoſo ex morbo decedente, cadaveris inciſionem ſuadeant, & inventis ſub ea internis partibus ſphacelatis atque corruptis, adſtantibus mortiferam labem monſtrent, ſpecioſe differentes, jam defunctum, ob tam ingentem & immedicabilem læſionem, nullo plane modo ſervari potuiſſe ac perſanari. At vero hi graviſſimum admittunt errorem, ac mortis cauſſam, apertiſſima fallacia pro morbi cauſſa venditant, quum potius id in quæſtione ſit: an non ipſæ hæ quæ mortem induxerunt cauſſæ, convenientibus & tempeſtive adhibitis auxiliis præſcindi potuiſſent atque averti. Sed hæc medicorum techna, qua ignaris ſpecioſum fucum faciunt, & famæ ſervientes, delicta, ſi quæ forſan in medicatione commiſerunt, callide atque aſtute obvelare ſtudent.

§. XXVIII.

Qua ratione hæ cauſſæ removendæ

& quidem extravaſationes.

Jam perſpectis ſic adæquatis exitii cauſſis; id utique in futurum uſum inde eliciendum erit medico: ut ejuſmodi medendi rationem ineat, qua eaſdem opportune prima in herba ſubmoveat & averruncet. Scilicet ſtagnationes, ſtaſes & extravaſationes ſanguinis atque humorum in capite præcipitem afferunt interitum, plerumque vero à nimia congeſtione ſanguinis, ab extremis & inferioribus partibus per ſpaſmos ad caput, maxime in plethoricis, facta, ſubnaſcuntur, quæ eo gravior eſt eoque facilius contingit, quo magis ipſum caput à cauſſis antecedentibus fuit debilitatum. Quamobrem prudentis atque periti eſt medici, impetum & accumulationem humorum à capite arcere ac divertere, id quod commodiſſime convenienti ſanguinis miſſione in inferiori corporis regione, pediluviis, clyſteribus emollientibus, alvum leniter ducentibus & antiſpaſmodicis ac carminativis perfici poteſt, cavendo omnia vaporoſa medicamenta, ſpirituoſa, abſynthiaca, ac interdicendo refrigerationes, animi affectus, impenſas meditationes & inebriationes, omniaque quæ caput infirmare ullo modo poſſunt.

§. XXIX.

Polyporum generatio.

Deinceps polypi multarum chronicarum, gravium ac lethalium afflictionum cauſſam conſtituunt, quorum vero ea eſt ratio, ut nulla ope aut medicina tolli poſſint iterumque diſſolvi, & hinc medicus in eorundem medela id tandem agere debet, ut vel mature eorum generationem impediat, vel ſi jam adfuerint, incrementum præſcindat. Jam vero experientia confirmamur, polyporum generationi admodum accommodos atque obnoxios eſſe eos, qui otio indulgent, ſpongioſi habitus ſunt, venas gerunt exiliores, ac vel nimis calidis eſculentis & potulentis, vel etiam acidorum liberaliori uſu, tenuiorem aqueam partem, quæ ſanguini fluiditatem conciliat ejuſque motum inteſtinum cuſtodit, abſumunt, hiſque ſimul efficiunt, ut craſſiores terreſtres moleculæ è fluidi ſinu diſcedant atque concreſcant. Quare injungenda utique exacta vitæ victuſque ratio, & ejuſmodi diætetica maxime præſidia commendanda, quæ vitioſam hanc ſanguinis diſpoſitionem corrigunt ac tollunt, inter quæ principem merito obtinent locum, motus & exercitatio corporis cum aëris mutatione, potus tenuis, nec non conveniens aquarum mineralium uſus, præſertim earum, quæ temperatiores indole & ſal alcali vehunt, ad diſſolvendas fibroſas ad concretionem pronas in ſanguine partes, accommodatiſſimum.

§. XXX.

Viſcerum corruptiones & ulcera.

Porro, quia illæ morbis diuturnis obviæ viſcerum indurationes, corruptiones, ulcerationes &

& abſceſſus, nonniſi à ſtagnatione & quiete humorum circumagendorum natales ducunt: tutiori longe & certiori ratione hæc pariter mala præcaventur, quam perſanantur; cui fini obtinendo idemtidem quam maxime inſerviunt, depromta ex diæta & bono vitæ regimine ſubſidia. Temperies quippe & mediocitas in rebus ſic dictis non naturalibus, eſt efficaciſſimum auxilium, quo & corporis integritas ſervatur & morborum cauſſæ averruncantur; omne autem nimium, peritiſſimo *Hippocratis* effato, naturæ inimicum, dum ſanitatem labefactat, ac deſtruendo humorum vitales in corpore motus, cauſſas morborum præparat atque ingignit. Potiſſimum ad chronicorum morborum geneſin faciunt nimia voracitas, otium atque deſidia, animi mœror, aër denſus, humidus, impurus minuſque elaſticus, potus intemperatior, cibi inſalubres ſemiputridi, quæ omnia ea propter ſummo evitare debet ſtudio, is, qui corpus à gravi vel plane lethifera labe immune præſtare nititur.

§. XXXI.

Inflammationes & ſphacelationes.

In acutis vero morbis, qui inflammatione, eaque in ſphacelum concedente, necant; ſumma opus eſt prudentia, quo in eorundum curatione omnia ea evitentur, quæ inflammatoriam ſtaſin ipſamque putredinem conciliare poſſunt. Nam profecto, ſi in ullo, certe in acuto, qui præcipitis eſt periculi morbo, perquam leves etiam commiſſi errores, tam pernicialis ſunt effectus, ut in ſummum diſcrimen ægros adducant, præſertim ſi jam per aliquot dies ſymptomatum vehementia, continuo æſtu, aſſidua vigilia corpus exhauſtum viresque infirmatæ fuerint. Compluries certe obſervavi, à ſitu paullo diutius erecto, ab improvida linteaminum mutatione, à pedum refrigeratione, ab ira, timore vel terrore incuſſo, à potu ſpirituoſo, nimis calido, ab aſſumto vino, à cibo etiam morbo declinante largius ingeſto, multo magis à medicamento nimis calido, opiato, purgante aut clyſtere acriori, omnia in pejus mutata & lethiferam contractam fuiſſe inflammationem. Hinc licet ipſa natura acutas has & difficillimas paſſiones quam optime ſanet; verum tamen quia plurimæ dantur cauſſæ, quæ naturam in opere ſuo impedire, turbare & motus ſalutares pervertere poſſunt, medici, ceu naturæ miniſtri eſt, omnes has cauſſas probe tenere perſpectas modiſque declinare omnibus; unde etiam præſentia ſua decumbentibus crebro adeſſe debet, ne vel ipſi, vel adſtantes, damnum procurent; id quod ſapienter etiam præcipit *Hippocrates Sect. I. aph.* 1. *oportet*, inquiens, *non ſolum ſe ipſum exhibere quæ decent facientem, ſed etiam ægrotum, & præſentes, & quæ externa ſunt.*

§. XXXII.

Mortis naturalis cauſſa, qua?

Non autem alienum erit, ſi huic de generatione mortis in morbis diſquiſitioni, nonnulla de vera inevitabilis omnibus moriendi neceſſitatis cauſſa, ſubnectamus. Hanc omnibus ex æquo incumbere nemo non novit; in quo vero ejus genuina & adæquata ratio poſita ſit, tantum non omnes & Medicorum & Philoſophorum libri ſicco plane prætereunt pede. Ego vero *Medicinæ rationalis ſyſtematicæ Tom. I. pag.* 62. *ſeq.* nec non *Tom. II. pag.* 54. *ſeq.* in mortis naturalis genuinam cauſſam inquirens, eandem non tam in fluidarum, quam potius ſolidarum corporis noſtri partium depravata conſtitutione, fibrarum nempe & membranarum increſcente cum ætate craſſitie, duritie & compactiore textura conſtituendam eſſe, primus fere merito aſſerui. Nam quia temporis diuturnitate cartilagines in oſſa denſantur, hæc magis magiſque indurantur, tendines cum fibris muſculoſis obrigeſcunt omniumque annoſiorum animantium carnes longe ſolidiores & compactiores ſunt quam juniorum, ac proinde coctione ægrius molleſcunt, nullum etiam dubium eſt, quin tunicæ vaſorum, è quibus corpus penitus coagmentatum eſt, craſſeſcant, alvei canalium his anguſtentur, occludantur, ut minimi eorundem demum concidant, ac nihil plane fluidi tranſmittant. Hoc autem ſi contigerit, intercipitur non ſolum vitalis ille humorum per univerſum corpus circulus, ſed etiam ſecretiones cum excretionibus per minimos tubulos non rite perficiuntur, ſucci vitales ſpiſſeſcunt & ſordeſcunt, vires concidunt, digeſtio perit, nutritio deficit, & ſic ſenſim ſenſimque ad morbos paratur aditus ipſaque mors obrepit.

§. XXXIII.

Et quomodo diu arcenda?

Quod ſi itaque vita diutius conſervanda & ſenectus à familiaribus ipſi morboſis inſultibus vindicanda, eo quam maxime in vitæ victuſque ratione dirigendum eſt conſilium, quo partes ſolidæ flexiles, canales patuli & humores fluxiles, tenues ac puri ſerventur. Hinc evitanda merito omnia qualitate & quantitate exceſſiva, ſenili corpori inſenſiſſima, omnia acida, adſtringentia, ſalſa, cibi nimii flatulenti, duri, difficilis concoctionis, præſertim ex mari deſumti, potus nimium ſpirituoſus, frigidus & craſſus, otioſa quies, frigus, patheticæ animi impenſiores commotiones, veneris intempeſtivum exercitium, diuturna vigilia, exceſſiva corporis agitatio, aër vappidus, impurus ac nubilus. Viciſſim temperiei & moderationi in rebus ſic dictis externis non naturalibus ſolicite ſtudendum, animus ad hilaritatem & tranquillitatem componendus, cibus paucus, mollis & facilis concoctu cum potu tenui & expedite tranſeunte uſurpandus, vinum moderate, non acidum, ſed dulce & ſpirituoſum, bibendum, juſcula analeptica ſorbillanda, balnea & pediluvia ſubinde admittenda, venæ ſectio crebrior ſed parca inſtituenda, corpus moderate exercendum & in aëre puro ac ſereno, rurali maxime, commorandum, corpus ſubinde blando calore fovendum, alvus nonnunquam clementer ſubducenda, & quæ plura eundem in finem præcepta in diſſertatione, *de tuenda ſenum valetudine*, tradidimus.

§. XXXIV.

Lethiferarum læſionum ratio.

Neque poſtremo alia, quam in morbis & ex naturali neceſſitate, ratione, motuum nempe vitalium, tam in ſolidis ſyſtaltici & diaſtaltici, quam in fluidis circulatorii & progreſſivi, plenaria deſtructione atque extinctione, mors à gravi per violentas cauſſas externas læſione evenit. Nimirum pleræque mortiferæ per externam quandam vim illatæ læſiones, enormi ſanguinis profuſione atque extravaſatione trucidant, dum, ex fauciatis tam in, quam extra ampliſſima corporis viſcera, majoribus vaſis, cruor nulla ope compeſcendus manat, ac demum cum viribus vita, exhauſto penitus liquore vitali, concidit. Aliæ lethales violationes ita ſunt comparatæ, ut vitalem

illum ſyſtoles atque diaſtoles motum extinguant, hinc ſi cor ampliore vulnere ſauciatur, illico exanimatur læſus, non ſolum ob extravaſationem, ſed maxime quod circularis ſanguinis progreſſus, pereunte in corde, tanquam centro, recipiente & expellente motu, ſiſtatur atque ceſſet. Idem fit, quando principium nervorum, quod in medulla oblongata cerebri eſt, ſive per vulnerationem, aut ab incumbente gravius humore, offenſam patitur, eo quod ſufficiens liquidi nervei influxus, à quo motus cordis & vaſorum contractorius & relaxatorius ad vitam neceſſarius, dependet, intercipitur penituſque aboletur. Aliæ denique inflictæ vulnerationes putredinem ſphaceloſam & corruptionem poſt ſe trahunt, eademque latius ſerpente ipſoſque vitales ſuccos contaminante lethum inferunt ægrumque lente conficiunt. Ac in his omnium abſolutæ lethalitatis læſionum ratio fundata eſt & continetur.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

DE

METHODO, ORDINE ET LEGIBUS

medendi, tam naturæ, quam artis, nec non de remediis, eorum quatuor generibus, operandi & recte applicandi modo, una cum cautelis, obſervationibus & medicamentis compoſitis ſelectiſſimis.

CAPUT PRIMUM.

De optima naturæ morbis medendi methodo.

§. I.

Natura ſola ſæpe morbos ſanat.

QUod plurimi, præſertim ex plebeiis, ruſticis & qui ſimplici ac populari victu fruuntur, & tranquillioris quoque ab intemperantia affectuum vacui ſunt animi, a febribus acutis, etiam gravioribus, peſtilentibus, malignis, ſine omni medicamento & ſine ſingulari artificioſa medici ope, ſola abſtinentia & quiete, qualicunque evitatione nimiarum refrigerationum, tutius & felicius ſolius naturæ, quæ pollent energia, robore ac viribus ſponte liberentur, & tutius, felicius ac certius, quam multi alii, divites quoque & magnates, qui famigeratiſſimis medicis eorumque pretioſis arcanis utuntur, convaleſcant, tam evidens & notum eſt, ut nulla plane egeat probatione. Quin ad unum fere omnes ex antiquiſſimis & recentioribus medicis in eo conſentiunt & cum *Hippocrate lib. VI. epid.* 5. fatentur: quod natura optima ſit morborum medicatrix, quæ ſuis viribus uſa, juxta *Galenum*, noxia è corpore expellat & utilia ſalutis cauſſa retineat, ut ſine ejus auxilio etiam medicus nihil ſolidi præſtare poſſit.

§. II.

Quid per eam intelligant Veteres.

Quid vero per hanc naturam, quæ tam efficaciter vitam & ſanitatem tuetur, hominemque à præſente mortis & morborum periculo defendit ac liberat, intelligendum ſit, obſcura inde ab omni ævo fuit quæſtio, quam maxime tamen evolvenda. Veteres, quorum ſapientia in phyſicis plus inanibus nominibus, quam rebus & veris cauſſis occupabatur, naturam corporis humani dixerunt omnis motus in eo principium & cauſſam: qua vero definitione nihil aliud egerunt, quam ut id quod in quæſtione erat repeterent, ſive idem per idem explicarent. *Et quidam recentiores.* Quidam non incelebres noſtri ævi viri paullo preſſius naturæ vocem expoſituri, perhibent: omnium actuum, tam mentalium moralium, idealium, quam phyſicorum & mechanicorum in corpore noſtro, unam & primam cauſſam, unum agens & principium eſſe, nempe animam, ratione & interna cognitione inſtructam, omneſque motus ad certum finem & ſalutem corporis dirigentem. Hanc, quando vitaliter agat, id eſt, motus ad vitam conſervandam adminiſtret, naturam appellandam, quæ quidem non actu & contactu quodam phyſico, abſolutæ neceſſitatis, ſed tantum morali quadam cauſſarum nocentium & læſionum imminentium æſtimatione, motus ad eas removendas ac ejiciendas corpore, quamvis ſæpius erronee, inſtituat, adeoque omnes hos motus & conatus, quum in ſalutarem finem, nempe conſervationem corporis tendant, in ſe & ſua natura ſemper bonos & ſalutares eſſe, eamque ob cauſſam perperam noxios & morboſos à vulgo medicorum haberi.

§. III.

Actus vero in corpore triplices.

Nova hæc eſt ac ingenioſe excogitata hypotheſis, quam tamen examini ſubjicere & pluribus ac evidentibus argumentis infirmare jam nec loci eſt, nec noſtri inſtituti, inprimis quum etiam jamjam de eadem abunde in *Medicinæ* hujus *ſyſtematicæ tomo I.* à nobis actum, & alii quoque, quos inter eminet D. *Burchardus*, Profeſſor Roſtochienſis celeberrimus, in *tr. de principio movente primo in animatis*, id docte ſatis & ſolide præſtiterint. Id ſaltim hoc loco monendum eſſe duxi: quod triplices in homine obſerventur actus, in ſe & ſua natura diſtinctiſſimi, nempe mentales, quæ intellectu & voluntate abſolvuntur, ac homini proprii ſunt, ideales, qui in receptione idearum ex objectis & inde emergente certa ſenſatione & perceptione fiunt, quos cum brutis animantibus communes habemus, & denique actus pure phyſici, ſive motus, qui ex operatione & mutua actione rerum corporearum reſultant, & pro diverſa ſtructura, ſitu, nexu, diſpoſitione, magnitudine & figura ſolidorum & fluidorum, certo numero, ordine & fine etiam eveniunt, ac à Philoſophis dicuntur mechanici, & neque principium illud quod intellectu præditum, neque illud quod ideas format, ſed vim motricem, quæ omnibus rebus corporeis eſſentialis eſt, varie modificatam, pro cauſſa vera, proxima & immediata agnoſcunt. Et tales actus phyſici ſunt verum medici & medicinæ objectum, eo quod vita, ſanitas, læſio actionum, ſive morbus, eorum extinctio, ſive mors, præſervatio & reſtitutio à morbis, item vis & virtus rerum quæ nocent & proſunt corpori humano, ab his primo, proxime & immediate dependent, utut

Et his mechanici medicinæ objectum.

utut non negari poſſit, ex divina commercii & conſortii lege, quam ſummus opifex inter actiones vitales, ſenſuales & mentales ſancivit, cogitationes ac phantaſias hominis limitatam & determinatam quandam habere potentiam, actus iſtos pure phyſicos, non cauſſaliter efficiendi, ſed potius turbandi & quadantenus diſponendi.

§. IV.

Horum motuum œconomia natura.

Ut itaque paullo clarius & ſpecialius mentem noſtram promamus, per naturam corporis humani, quæ ſecundum *Hippocratem* omnis ſermonis & ratiocinationis in medicina principium eſſe debet, nihil aliud intelligimus: quam progreſſivum & in circulum abeuntem ſanguinis & omnis generis humorum motum, à cordis & vaſorum, quibus fluida continentur, aliorumque ſolidorum motu contractorio & dilatatorio reciproco, dependentem, quo ſolidorum & fluidorum decenti motu, tam partium utilium & qui in uſum retineri debent, continua ſecretio, quam etiam variæ indolis inutilium, per convenientia emunctoria & cribra excretio, perficitur. His motibus recte & ordine ſuccedentibus, vita & integritas corporis conſervatur ac morbidæ læſiones arcentur, iiſdemque inordinate ſe habentibus, partium & actionum læſiones, ſive morbi, oriuntur, quorum ſanatio illis in ordinem per convenientia auxilia redactis, evenit atque conficitur. Hic autem activus, vegetus ſyſtoles & conſtrictionis ſolidorum motus, tanquam vera cauſſa, quæ recte dici poteſt anima, actionum vitalium, non à principio quodam ſpirituali, morali & metaphyſico, ſed partim à ſolidorum & vaſorum ſtructura organica & virtute elaſtica, partim à fluidi tenuiſſimi, magna potentia movendi inſtructi, ac ſanguine arterioſo & nervis contenti, in motrices omnis generis partes maxime tubuloſas influxu dependet.

§. V.

Methodus naturæ in cauſſarum remotione conſiſtit.

Jam quum clariſſime conſtet, quid ſit natura illa corporis conſervatrix & medicatrix; nunc diſpiciendum erit: qua methodo, qua via, hæc ipſa natura, cujus plane mirabilis in liberando corpus à præſentibus morbi & mortis periculis vis eſt ac energia, hoc ſolenne negotium perficiat. Nam certe cognitio hujus methodi, qua natura, quæ infinite ſapientem architectum pro auctore habet, utitur, merito vera ac firma cynoſura eſt artis medicæ, quæ ſecundum hanc leges & regulas ſuas medendi conſtruere debet, ut naturam recte agentem non turbet, vel pervertat, ſed potius ſequatur & imitetur, vel deficientem & impeditam adjuvet atque in ordinem reducat. Palmarium vero momentum, in quo methodus & ordo, tam naturæ, quam artis in medendo, quam maxime conveniunt, in eo verſatur, quod utroque cauſſæ morborum, quæ œconomiam motuum ſecundum naturam turbant & corrumpunt, removeantur atque corpore ejiciantur. Hinc recte docet *Galenus lib. I. method. medend.* perfectam curationem à cauſſis exordiri. Et ex *Celſi* mente is recte curat, quem cauſſæ origo non fallit; quia cauſſæ inveſtigatio ejuſque primordia & occaſio, in affectionis & remediorum cognitionem ampliſſimam deducunt. Idem confirmat *Fernelius lib. I. cap. 4. method. med.* afferens: morbos abſque cauſſarum præcognitione, nec præcaveri, nec feliciter curari poſſe.

§. VI.

Cauſſa quæ ſunt?

Quod ſi itaque ſola natura ſponte & ſuis viribus uſa, ſine ope & arte medici & ſine pharmacorum apparatu, morbos ſubinde ſanat, idque cauſſas morborum penitus removendo præſtat, jure meritoque quæritur: quænam ſint illæ morborum cauſſæ, & quomodo, quo ordine ac methodo eædem à natura vincantur ac ſubmoveantur. In hac autem decidenda tenendum eſt: quod ſicuti, uti jam monuimus, ad conſervationem corporis nihil magis neceſſarium, quam motus tam progreſſivus, quam excretorius: ita nihil naturæ infeſtius & ad deſtructionem invehendam aptius, quam ſanguinis & humorum quies, ſtagnatio, ſtaſis, extravaſatio, vaſorum occluſio, ſordium retentio & viſcerum induratio. Hæ enim efficaciſſimæ ſunt cauſſæ ad inducendos motus febriles, ſpaſmodicos & convulſivos, quibus maxime motuum morboſorum apparatus continetur, hæ quoque putredinem, quæ & mixtioni & ſtructuræ ſolidorum infenſiſſima eſt, inferunt, quam recentiores medicorum malignitatis nomine inſigniunt.

§. VII.

Ad eas removendas inſervit motus ſolidorum & fluidorum.

Has igitur morbificas cauſſas ſubigere ac removere debet natura, ſi officio ſuo recte perfungi velit. Ad hoc vero exſequendum non convenientius ac efficacius excogitari poterit medium, ipſo motu, tam ſolidorum, quam fluidorum, auctiori facto. Hujus enim indoles & præcipua virtus eſt, ut humores ſubſiſtentes eorumque ſtaſes & ſtagnationes concutere, latibulis extundere, reſolvere, iterum in motum ciere & ſic obſtructiones vaſorum reſerare poſſit. Hic quoque motus ſpiſſos, immobiles impactosque humores fluxiles ac progreſſu idoneos reddit, pariterque copia delinquentes ſuccos ipſumque ſanguinem per congrua loca exonerandos, nec non excrementitios, ſeroſos, ſalſos per diverſi generis emunctoria proſcribendos, quam maxime idoneus eſt, bilioſos quidem & viſcidos per alvi receſſum, ſalſos aquoſos per urinam & ſubtiliores aqueas ſalino-ſulphureas ſordes per univerſale cutis emunctorium exonerando.

§. VIII.

Qui auctior factus & morbos ſubigit & ex

Jam vero memoratu admodum dignum eſt, omnem morbificam cauſſam, ſive quantitate ſeu mole, ſive intemperie & activitate infenſa ſit, principaliter actione ſua afficere partes ſubtiliori motu & ſenſu præditas, quales nervoſo-membranaceæ & muſculoſæ ſunt, & ex illis maxime compoſiti omnes canales & tubuli qui fluida vehunt & motu ſyſtoles atque diaſtoles pollent, quos moleſte vel diſtendit & comprimit, vel lancinat, irritat aut erodit, quod dum efficit, vigore legis mechanicæ microcoſmicæ, moleſta quædam ſpaſtica tractoria motio, ſive reactio, univerſum ſæpe ſyſtema partium nervoſarum & fibroſarum in ſimilem motum per conſenſum abripiens, ſuſcitatur, quæ ſpaſtica motricium, muſculoſarum & nervearum partium conſtrictio, evidentem, primam & proximam motuum morboſorum cauſſam unice conſtituit atque abſolvit. Hæc quippe eſt, quæ omnibus motibus, qui alias ſecundum naturam ordinate fiunt, turbandis & pervertendis apta eſt, hæc functiones partium lædendi ac invertendi potentia pollet, & ex hac omnium in morbis obviorum ſymptomatum origo merito petenda eſt. Quod vero mirandum, idem hic ſpaſticus motus, eſt inſtrumentum ac medium, quo natura utiliſſime utitur ad ipſam morbi cauſſam, quæ motus hos morboſos concitat, ſuperandam ac præſcindendam, ut adeo infi-

morbos ſubigit & ex ſolvit.

nita

nita ſummi architecti ſapientia & providentia in conſtruenda corporis humani machina merito admiranda ſit, qua factum, ut morboſi motus ſubinde remedio ſint, ipſis morborum cauſſis corrigendis ac removendis.

§. IX.

Quotuplex ſit motus hic.

In quo quidem quum magnum naturæ medicatricis arcanum & res maximi momenti contineatur: ſcopo noſtro quam maxime erit conſentaneum, ut mentem noſtram circa hoc negotium paullo clarius exponamus. Videlicet obſervatur, ut paſſim inculcavimus, in omnibus motibus & paroxyſmis ſpaſmus, qui recte primo in univerſalem & particularem, deinde in ſalutarem & pernicioſum diſpeſcitur. Univerſalis, ſi totum vaſorum genus, præcipue vero cor & arteriarum ac fibrarum ſyſtema affligit, & facta præternaturali in iis conſtrictione, ſyſtoles & diaſtoles intenditur ſanguiniſque progreſſus acceleratur, febris recte dicitur, cujus pulſuum frequentia certiſſimus index eſt. Alter particularis, in certis tantum corporis partibus conſiſtit, quas conſtringendo coarctat, ſanguiniſque liberum progreſſum intercipit, adeoque inæqualem commeatum efficiendo, ſanguinis copiam ad alias partes minus ſtrictas impetuoſe urget. Potiſſimum ſpaſtica hæc affectio particularis nervoſas & membranaceas partes exagitat, ut ſunt ventriculus cum toto inteſtinorum volumine, in quo ſcenam ſæpe adornat, quod morbus ille ſpaſmodicus, qui mali hyſterici vel hypochondriaci nomine notus, pathematum & varietate atque atrocia planum facit teſtatumque. Præſto quoque eſt hic ſpaſmus in omnibus hæmorrhagiis, nimiis ſanguinis ad certa loca congeſtionibus, humorum decubitu, in omnis generis doloribus, cunctis anxietatibus & excretionibus ſuppreſſis. Quod ſi vero hic vehementior ſpaſmus duram matrem, quæ totum cerebrum ac cerebellum involvit ac nervorum omnium immo oſſium membranis ortum præbet, tangit, non modo celerrima fluidi nervei per totum membranarum & nervorum ſyſtema fit trajectio, ſed & citra voluntatem artus vel ſtringuntur, vel diſtorquentur, aut valiſſime agitantur, & ſic epilepſia, ſive convulſio univerſalis, naſcitur, quum contra convulſivi motus ex ſpaſmo membranarum ac nervorum ſpinalis medullæ originem ſortiantur.

§. X.

Qui ex iis ad ſalutem

Hi ſunt præcipui illi naturæ motus, qui in morborum inſultu vel paroxyſmo nunquam non adverruntur; jam diſquirendum: quinam ex iiſdem ſaluti & cauſſis morborum removendis apti ſint, & quinam viciſſim ad perniciem ipſamque mortem tendant? Salutares itaque eos in morbis motus ac ſpaſmos dicimus, qui ita ſunt comparati, ut cauſſam morborum ſive ſpaſmodicorum motuum auferant, & tam humores ſtaſin vel ſtagnationem concipientes expediant iterumque in motum cieant, quam & acres cauſticos corrigant atque contemperent, ſimulque ad excretionem materiæ peccantis vergant. Exitioſos vero multumque periculoſos cenſemus eos, qui cutim & omnis generis emunctoria conſtringunt, materiam quæ in vitio eſt ipſumque morbi fomitem intus detinent & ad ima viſcerum ac interiora vitæ penetralia pellunt, neque evacuant. Illos ſanitas, hos mors, excipit.

qui ad interitum tendant.

§. XI.

Spaſmus

Ea quidem omnium ſpaſmorum indoles eſt iſque effectus, ut ſanguinem & humores à corporis ambitu ad interiora agant, ac emunctoriorum minimos ductus ſtringendo, evacuationes quodammodo ſufflaminent: nihilo minus tamen ſalutares ſæpe fiunt, quando ſcilicet interpoſito certo temporis ſpatio, excernicula antea occluſa laxantur, criſpati tubuli adaperiuntur & poſtea major ſuccorum ad corporis ſuperficiem parteſque externas ſuccedit appulſus, cutanea excretio augetur, ſudor manat, urinæ craſſæ minguntur & alvus bilioſa ac viſcida copioſe dimittit. Et ex his excretionibus, quæ morbos & ſpaſmos certo præſertim tempore ſubſequuntur, ſalutaris effectus & auſpicatus eventus merito dijudicandus, unde etiam medici eaſdem criticas, ſive morbum judicantes, appellare ſueſcunt. Solent autem hæ ipſæ, ſi cum ſalute contingunt, die maxime impari, critico ea propter dicto, ſuccedere, dimidiato ſcilicet ſeptimo, nono; undecimo ac decimo quarto, & his diebus vel ad mortem, vel ad ſalutem morbus concedit. Ubi enim hiſce diebus notabilis ſymptomatum fit remiſſio & evacuationes eveniunt, optima ſalutis eſt ſignificatio; quando vero ſymptomatum atrocia perſiſtit, ſpaſmi urgent nec evacuationes animadvertuntur, graviſſimum imminet diſcrimen, ac mors utplurimum morbum terminare obſervatur. Quare licet plures motuum morboſorum in ſe & ſua natura à norma ac ordine deflectant, dirigente tamen ſic divina in artificioſa ſolidarum & fluidarum machinam noſtram conſtituentium partium diſpoſitione, ſtructura & motibus inde reſultantibus, providentia, ſæpiſſime ſunt ſalutares cauſſisque morborum expugnandis idonei, ipſisque morbis ſic optime medentur, quo etiam ſenſu recte à Veterum ſapientioribus natura dicta eſt morborum medicatrix.

quomodo fiat ſalutaris?

§. XII.

Natura cauſſam tollendo ſanat morbos.

Igitur genuina, tuta ac ſaluberrima corpori à ſummo conditore jam inſita methodus, lex ac norma, qua, & ſecundum quam, ipſa natura morbos percurat, in eo maxime verſatur, ut à cauſſa morbi, ſive mole, ſive qualitate peccet, ſpaſtici motus in genere vaſculoſo & membranoſo etiam ſuſcitentur, qui ad ipſam cauſſam morbi removendam, vel convenienti tempore eliminandam, tendant. Hi quando ex voto ſuccedunt, ſola natura morbos ſanat & medicus tantum ſpectatorem agit; quod ſi autem hæc ſola id præſtare nequit, artifex eidem viæ ac methodo inſiſtere, naturam adjuvare, impedimenta tollere, motus moderari, vel intendere, materiam ad congrua loca ducere, ab incongruis divertere, variis debet accommodis remediorum generibus. Ut adeo in eo jam unice omne medentis auxilium, omnis intentio ac ſanandi ratio fundata eſſe & conſiſtere debeat, quo methodum naturæ, ſi in materia ſubſiſtente diſſolvenda atque expedienda, acri emendanda & temperanda demumque debito tempore, per convenientia loca expellenda, occupata eſt, obſervet, ſequatur, adjuvet ac in rectam viam ad ſalutarem finem traducat.

§. XIII.

Naturæ proceſſus in febribus acutis.

Sed neceſſarium æque ac utile erit, quo mentem noſtram paullo clarius exponamus & hanc naturæ methodum in variis morbis inveſtigemus, oſtendendo, qua ratione in iiſdem corpus ſæpe à præſentanea noxa vindicet. Ex horum numero potiſſimum ſunt febres, tam acutæ, quam chronicæ. Acutarum quidem pleræque ſunt inflam-

matoriæ

matoriæ & fixam ſanguinis ſtaſin in tubuloſa partium aut viſcerum ſubſtantia pro cauſſa agnoſcunt, quæ dum ſpaſmum in univerſo genere fibroſo & vaſculoſo ſuſcitat, ſanguinem per totum ſyſtema vaſorum celerius agit & majori copia ad partem affectam appellit, quo fit, ut ſanguis ſubſiſtens & firmius incluſus, ſucceſſive abſtergatur, eluatur, reſolvatur ac in motum redigatur, quod plerumque circa ſeptimum diem contingit. Et ſi tunc ſpaſmus cum omnibus ſymptomatibus etiam ipſa febre remittit, cortex cutis glanduloſus laxatur, exhalatio repetit, ſudor liberius manat, generatæ ſub febrili commotione multæ recrementitiæ ſalino-ſulphureæ ſordes, ſolius naturæ beneficio utiliter evacuantur, ipſa febris ex voto ſolvitur, qua certe naturæ methodo plures, præſertim plebeii, ſine ullius medici ope, ſæpe feliciter, ex febribus inprimis continuis, evadunt.

§. XIV.

Medici officium.

Hæc naturæ methodus curandi quam maxime medico monſtrat viam, quid in hujus generis febribus facere vel omittere debeat. Lex enim curandi hæc eſt: impactus tubulis ſanguis ſucceſſive & paulatim citatiori ſanguinis appulſu reſolvendus eſt. Ex quo facile colligitur, quia à ſanguinis abundantia, qua nimium vaſa diſtenta ſunt & turgent, impeditur ſanguinis per partem inflammatam liberior transpulſus, ut potius exinde major ſanguinis in eadem fiat ſtagnatio ipſaque inflammatio incrementum capiat, tali in caſu nihil præſentius eſſe, quam ſanguinis detractionem provide inſtitutam, partim quo major ſtaſis & inflammatio impediatur, partim etiam ut liberior curſus univerſo ſanguini & transpreſſio per partem affectam concilietur. Viciſſim & illud ex prima & principe morbis medendi lege naturæ addiſcimus, non valde nimiam eſſe ſanguinis quantitatem exhauriendam, ſiquidem detracta, nimia ſanguinis copia, non ſufficiens fit ad partem affectam ejus appulſus, quo tamen ſtaſis, quæ cauſſa morbi eſt, diſſolvi debet. Quare graviter ii peccant medici, qui in febribus inflammatoriis quando ſanguis deficit, repetitas venæ ſectiones moliuntur, quibus nihil aliud perficiunt, quam ut inflammatam partem celerrime ad ſphacelum perducant. Et dum in minimis & capillaribus vaſculis ſanguis & humores ſtaſin ac inflammationem concipiunt atque ex his ipſis eluendi ſunt, per hæc tamen ſanguis craſſus & denſus difficillime tranſit, facile apparet, ea omnia, quæ humores fluxiles reddunt, quæ diluunt, humectant & immodicum calorem, quo ſerum tenue abſumitur, contemperant, remedia convenientiſſima eſſe: contra omnia, quæ humores incraſſant, quæ calorem augent, humidum abſumunt, uti opiata & calidiora ſudorifera, in omni inflammationum genere noxioſiſſima eſſe.

§. XV.

In exanthematicis febribus quid natura faciat.

In acutis graviſſimis febribus, quæ jungi ſolent variolis, morbillis, purpuræ, petechiis, bubonibus peſtilentialibus, ſerum ſanguinis cauſticum, acre, tenue, in partibus nervoſo-membranaceis, præſertim ventriculo & inteſtinis, acerbas ſpaſticas conſtrictiones, nec non humorum ad varias partes congeſtiones efficit, ſimulque febrem accendit, cujus beneficio ſanguis, à partibus exterioribus ad interiores, ubi materia peccans hæret appellitur, ut copioſioris lymphatici humoris & ſanguinis affluxu materia acris cauſtica temperetur, corrigatur, reſolvatur & aptà ad excernendum fiat. Quod ſi naturæ beneficio id feliciter accidit, ſpaſmorum omniumque fere ſymptomatum fit remiſſio, pori & tubuli ſubcutanei relaxantur & ſanguinis ad ſummam cutem & ambitum corporis fit major affluxus, unde materia morbifica cauſtica ibi ſecernitur atque ſub forma exanthematum, puſtularum, bubonum excernitur. Et ſic ſæpe naturæ ſolius beneficio peſtis, variolæ & morbilli, citra ſingularem apparatum medicamentorum, ſanantur. Nam perſpicuis certe verbis *Sanctorius ſect. I. aph.* 139. confirmat: plebeios magis liberari à peſte, quam divites, qui multis medicamentis utuntur; & *Sydenham* in limine *acut. morb.* ita differit: *ipſa peſtis quid obſecro eſt aliud, quam ſymptomatum complicatio, quibus utitur natura ad inſpiratos una cum aëre particulas miaſmodes perem unctoria apoſtematum ſpecie, vel aliarum eruptionum opere, excutiendas.*

§. XVI.

Quid dico faciendu

Quod ſi igitur hac via, natura ſola hos graviſſimos morbos curat, utique etiam medicus, qui naturæ miniſter audit, huic viæ inſiſtere debet, ſi natura ſola id perficere impeditur. Regula namque exanthematicis hiſce febribus medendi hæc eſt: materia acris, cauſtica, vitalibus partibus inhærens, uberiori ſanguinis & lymphæ benignæ appulſu contemperanda eſt, ut apta ad excretionem per ambitum corporis fiat. Ex quo jam conficitur: omnia ea, quæ ad contemperandam materiam acrem faciunt, & quæ ſuccos ſanguini dulces, gelatinoſos, benignos ingenerant, naturæ vacillanti egregie opitulari. Hinc patet, præſtantiſſimum in his morbis uſum eſſe decoctorum, quæ leniunt & demulcent acrimoniam, qualia parari ſolent ex dactylis, ficubus, radice glycyrrhizæ, floribus papaveris rhæados, ſemine fœniculi. Patet quoque porro, plane eximium eſſe uſum bezoardicorum, quæ fixioris indolis ſunt & acrimoniæ humorum temperandæ egregie ſerviunt. Neque ex dictis amplius obſcurum eſſe poterit, quam valde graviter & perverſe in curando procedant ii, qui ſtatim ab initio, antequam materia cocta, temperata & ad excluſionem apta reddita fuit, ſudoriferis valentioribus & expellentibus hos morbos tractant, quibus certe nihil aliud efficiunt, quam ut acerbiora ſymptomata ipſumque funeſtum exitum accerſant. Denique ex allatis id quoque pateſcit; quod quum materia per cutem ſit eliminanda, nefarii ſint eorum auſus, qui eo tempore, quo ipſa ad hoc in ſuperficie corporis emunctorium tranſmitti debet, valentiora purgantia, diuretica, aut emetica, vel etiam acida refrigerantia, aut opiata, vel nimia quantitate nitroſa, præſertim in infantili ætate, propinant, aut corpora liberiori aëri exponunt.

§. XVII.

Febrium intermittentium naturali decurſu

Febres quoque intermittentes remedii & præſidii quippiam complectuntur, & haud raro ſine medici auxilio cum inſigni ſubſequente emolumento diſcedunt. Quum enim contumaces ex iiſdem, ut ſunt quæ autumno, vel hieme accedunt, nec non quartanæ, focum ac fomitem plerumque altius in abdominis viſceribus, hepate, liene vel pancreate conſtitutum habeant, eaque propter corpora ſanguine craſſo farta crebrius infeſtare ſoleant, ac nonnunquam vel ſponte, vel per imprudentem medicationem, in icterum, anaſarcam, aſciten, pedum œdemata, aut lienis tumorem concedant: nihil certe efficacius magiſ-

que

que aptum ad obstructa & infarta hæc viscera reseranda excogitari poterit, quam citatior atque validior sanguinis ad oppilatos tubulos appulsus ac motus, quo utique succi crassi & impacti urgentur, latibulis eliduntur iterumque in motum percientur, ut hinc solutis obstructionum repagulis, ipsa febris, vel sponte sæpe, vel exigua artis ope, feliciſſime desinat.

§. XVIII.

Artificis officium.

Quia vero graves à sanguine nimis copioso & crasso oppilationes, minus ex voto à sola natura expediri queunt, sed potius recurrentibus tam crebro paroxysmis, sanguinis massa admodum consumitur, intemperiem calidam biliosam contrahit, ipsæque vires simul exhauriuntur; omnino artificis est, optimum naturæ processum opera sua, quantum fieri potest, secundare, omniaque auxiliorum genera eo dirigere, quo farcti obstructione viscerum meatus referentur. Quo pertinet maxime prudens & circumspectus pro diversitate corporum usus salium aperientium, spissos succos colliquantium & abstergentium, decocta & infusa ex radicibus & herbis amaris aromaticis incidentibus balsamicis concinnata, accommoda evacuantia, ut sunt balsamicæ nostræ pilulæ, item mercurialia rite præparata; quæ omnia debito ordine ac tempore administrata, utique ad debellandas has contumaces febres & corpus ab imminenti periculo tuendum, præstantissimæ sunt efficaciæ. Contra vero nefaria sane & perversa rebelles intermittentes sanandi est methodus, qua mox in principio purgantia validiora & emetica, item sudorifera, opiata & adstringentia, liberaliori præsertim manu, propinantur, eo quod hoc facto, obstructiones potius obfirmantur, & pessimæ recidivæ, vel alia longe graviora mala arcessuntur, quæ nullam sanationem admittunt.

§. XIX.

aturæ ethodus lym- aticis bribus.

Accedunt arthriticæ, rheumaticæ & catarrhales febres, in quibus maxime peccat serum copiosum excrementitium, tenue, salsum, quod languescente perspiratione retentum, & ad interiora, atmosphæra præsertim à ventis borealibus compressa, repulsum, in glandulosis asperæ arteriæ vel faucium locis, aut membranis articulorum vel musculorum hærens, spasticas ibi strictu-ras movet, unde extremorum horripilatio, refrigeratio, lassitudo corporis gravativa, appetitus prostratio, alvi constrictio, frequentior ad urinam stimulus, calor sub vesperam & noctem auctior, sternutatio, tussis, dolor artuum, subsequuntur. Nihilo tamen secius sub hisce naturæ contrariis ab ambitu ad interiora motibus, subsidium latitat atque remedium; quandoquidem dum sanguis & temperatior lympha ad partes stimulo salino exagitatas largius advehitur, tubuli antea constricti ampliantur & materia caustica contemperatur, sive coquitur, atque adeo ad excretionem cum copioso humore viscido in tussi & coryza, vel ad exhalationem per cutis spiracula in arthritide & variis rheumatismi speciebus apta redditur. Et hic naturæ processus medico planius monstrat, quid in ejusmodi morbis profit, vel obsit, & quid ipsi faciendum, vel omittendum. Prima enim atque palmaria ejus intentio esse debet, quo congruis præsidiis, acrem & salsam materiam corrigat, altera, ut non prius quam coacta & rite præparata fuerit, ejusdem ejectionem moliatur, tertia, quo per convenientia loca & emunctoria excretionem proritet, minime vero

artis ei- m inni- s

ad alia incongrua excretoria per improvide adhibita moventia, purgantia aut emetica, pertrahat, vel plane eliminationem, quæ exhalatione perficitur, præposstero topicorum, adstringentium ac repellentium usu, impediat aut cohibeat.

§. XX.

Hæmorrhagia in salutem à natura instituuntur.

Quemadmodum igitur natura febres, caussam earundem per motus auctiores subigendo ac ejiciendo, sola sæpe persanat: sic quoque eadem methodo per varii nempe generis excretiones alios morbos & arcet & percurat. Animadvertimus videlicet sanguinem in vasis, præsertim in sexu sequiori, ætate juvenili, habitu corporis spongioso, molli, vitæ genere delicatiori & quietiori, statis temporibus vel temporum periodis redundare, stagnare & hinc inde in vasis majoribus impeditius moveri, quo fit, ut spasmo, qui ima abdominis maxime petit, atque ex dolore circa lumbos, flatulentia in abdomine, alvi adstrictione, extremorum refrigeratione, urinæque tenuitate cognoscitur, oborto, venæ in mesenterio & abdomine, comprimantur, & hinc sanguis majori nisu & impetu in fœminis ad uterum, in sexu nobiliori & provectiori ætate ad hæmorrhoidales venas, in adolescentia ad caput & nares urgeatur, ac majori ibi facta collectione, vasa extrema intra tunicas teneriores narium, ani vel uteri jacentia, nimium distendantur, tandem aperiantur atque notabilem sanguinis copiam effundant. Ecquis est, qui hic non animadvertat, salutarem & utilissimam esse hanc sanguinis excretionem, quæ liberat corpus à copia, libero vitalis hujus liquoris progressui contraria & ingens corporis periculum minitante.

§. XXI.

Medica ea- rundem tractatio.

Et salutare hoc negotium ubi natura recte in movendo & excernendo exsequitur, nihil moliri debet medicus. Imprudens enim ipsique rationi contrarium molimen foret, si has excretiones salutiferas externis vel internis constringentibus, aut motus sistentibus, opiatis, narcoticis, cohibere niteretur. Quando vero natura in opere deficit, & vel motus isti spastici non sunt sufficientes ad sanguinem expellendum, vel sanguis nimis crassus, tenax ac viscidus est, vel viæ, per quas debet fieri evacuatio, obstructæ aut nimis spasmo constrictæ sunt: ejus vestigiis merito insistendum & sanguinis exsolutio facilitanda ac promovenda, eumque in finem emmenagogorum moderatiorum cum sufficienti humido, item potus thee, coffee, balneorum, aquarum mineralium, nimiam spasmorum vehementiam sedantium, fotuum, frictionum, eo tempore quo exitum affectat sanguis, usus longe est efficaciſſimus.

§. XXII.

Hæmorrhagiæ solvunt morbos.

Sæpe etiam fit, ut provida solius naturæ ope, graves & vix ulla arte sanabiles morbi, sanguinis profluvio solvantur & finiantur feliciſſime. Ut enim mittamus criticas illas in febribus acutis maxime obvias hæmorrhagias, de quarum salubritate frequens apud *Hippocratem* alioſque Veteres est mentio; multiplici certe experientia compertum est: insaniam, vertiginem, convulsivum asthma, colicam convulsivam, affectus soporosos, item paralyticos, hemicranias, arthriticos & rheumaticos dolores, pathemata hypochondriaca, exsoluto per ani venas sanguine, motu & exercitatione corporis, remisisse ac cessasse. Sæpius quoque à me observatum est, epilepticas convulsiones & convulsivas artuum tractiones,

quæ per multos annos juvenculas afflixerant, accedente menſium tempore ac prodeunte fluxu, ſponte conquieviſſe. Pariter experientia conſtat, cephalalgias, tinnitus aurium, vertiginem aliaque gravia capitis mala, tempeſtivo narium in juvenibus ſtillicidio, egregie levari ac abigi. Et quæ plura *Sect. I. cap. VI.* de damnis ex cohibitis ſanguineis evacuationibus in medium adduximus. Ut adeo in ejuſmodi caſibus nihil ſatius magisque pro ſanitate ſit, quam ut artifex naturæ ductum ſequatur, ſucceſſum evacuationis tueatur atque facilitet, nec ullo modo eundem interturbet.

§. XXIII.

Natura ſanitatem tuetur

Tam ſalubri eventu adornantur à natura evacuationes ſanguinis; præter quas tamen plures adhuc aliorum humorum aliarumque materiarum quæ corpori perniciem intentant, ab eadem per varia loca inſtituuntur excretiones.

per catarrhales defluxiones,

Nimirum ſeroſus quoque humor, tam quantitate, quam qualitate quandoque morborum cauſſam conſtituit, eaque propter cum inſigni ſanitatis emolumento, natura adminiſtra, corpori ſubtrahitur. Obvium hoc eſt vere maxime & autumno, ubi per glandulоſam narium & ſinuum capitis tunicam, pituitariam dictam, item per glandulоſas bronchiorum pulmonalium tunicas, ſeroſomucidus humor copioſe ſub coryza, tuſſi aliiſque catarrhalibus ac rheumaticis affectionibus elimi-

diarrheas

natur. Pariter accumulatis nimium in corporis penetralibus ſeroſis, acribus, bilioſis, ſalſis ſuccis, ſponte ſæpe oboritur alvi profluvium, quo iidem egregio cum levamine ejiciuntur, morbiſque inde oriundis minera ſubtrahitur. Sæpe

ſudores

quoque per cutis ſpiracula natura molitur exitum & ſudorem movet copioſum, tam acrem & mordacem, ut ipſam cutem excoriet, cum moleſtiſſimo ad ſcalpendum pruritu, quo vidimus

& urinæ profluvium.

ſcorbuticam diatheſin ſublatam. In aliis, ſuppreſſa inprimis cuticulari excretione, exſuperantem ſeroſum humorem per urinarios tubulos emittit, corpuſque per copioſum urinæ fluxum ab eo liberat.

§. XXIV.

Per vomitum

Singulari porro naturæ vigori & beneficio tribuendum: quod ſi ventriculus à copia ingeſtorum, præſertim incongruorum, vel crudorum & ſemicoctorum ciborum ſarcina oppletus eſt, vomitu cito citius eum depleat, quod certe apprime pro ſanitate eſt, quippe ubi moles illa relicta ſtomachum aggravat, protinus ructus, flatus, borborygmi, hypochondriorum dolores, ſanguinis ebullitiones, cum pulſu magno & celeri ſomnique defectu accedunt. Hinc etiam de lactentibus puſillis pervulgatæ opinioni non ſine ratione creditur, quod in crebriori vomitu magnum ad ſanitatem eorum momentum ſit repoſitum.

cutis defœdationes

Idem ſentiendum de iis egeſtionibus, quibus natura deliteſcentes intus & noxam minantes morbificas cauſſas ad habitum corporis utiliſſime protrudit, quod ſubinde evenit in variis cutis defœdationibus, ſcabie, lepra, tinea capitis, achoribus, varis, maculis cutaneis, tumoribus eryſipelaceis & ſerpiginoſis ulcuſculis aliiſque in cute efflореſcentiis. Inprimis quoque de podagra ſenes in-

& podagram ſenum.

vadente experientiæ & rationi ſubnixa fert ſententia, eandem longævam præſtare vitam, de quo ſcitum *Sydenhami* effatum: *quid podagra*, inquientis, *niſi naturæ providentia ad depurandum ſenum ſanguinem, atque ad expurgandum corporis profundum, ut cum* Hippocrate *loquamur.* Quæ quidem omnes hactenus enumeratæ criticæ egeſtiones, quum ſanitatem tueantur & morbos mineram ejiciendo arceant, neutiquam intempeſtiva ac præpoſtera ope ſunt compeſcendæ, aut materia ad corticem critice amandata, infido artificio repellenda, ne eo majus eoque gravius in corpus redundet detrimentum.

§. XXV.

Morbi morbos rat

Quod vero quam maxime mirandum, is ſæpe naturæ in tuenda corporis integritate eſt proceſſus, ut uno illo fluidorum & ſolidorum motu auctiori facto, binas morbificas cauſſas tollat & ſic morbos per morbos expugnet. De febribus, quod convulſiones ſolvant, priſca eſt *Hippocratis ſect. V. aph.* 17. ſententia. Quin quartanam illud medicorum ſcandalum convulſiones ipſamque epilepſiam abigere, non modo idem auctor *ſect. V. aph.* 70. nec non *Coac. III.* 80. perhibet: ſed etiam exemplis confirmatur à *Bartholino Cent. II. hiſt.* 68. *Salmutho Cent. II. obſ.* 84. Ipſe quoque compluries obſervavi, motus convulſivos ex vermibus, accedente febre vermibuſque per æſtum vel bilem acrem enectis, ſponte ceſſaſſe. Pathemata hypochondriaca adoleſcentes ac juvenes diu exagitantia, nec ulla medica ope expugnabilia, ſuperveniente quartana, vel tertiana, evanuiſſe, idemtidem novi. Neque minus inſanias & paſſiones ſpaſmodicas, prodeunte in conſpectum purpuraceo in cortice corporis ſcorbutico exanthemate, remiſiſſe ac penitus diſceſſiſſe, compertum habeo. Coryzam in aurium tinnitu, cephalalgia rebelli & oculorum vitiis, cum bonis ægrorum rebus oboriri, experientia uberius conſtat. Dyſenteriam ac diarrhœam hypochondriacis & melancholia hypochondriaca laborantibus, podagricis etiam, ſubinde tuliſſe ſuppetias, & recentiorum & *Hippocratis* teſtimoniis confirmatum eſt. Aliquot etiam mihi innotuerunt exempla, quod anaſarca, item hydrops pectoris, cum cordis magno tremore & ſuffocationis metu, ſuccedente poſt pilularum balſamicarum & ſalis aperitivi uſum ingenti per uterum aquoſi humoris fluxu, ſubſederit atque ceſſarit. Idem per largum alvi profluvium, per lenem ſtimulum procuratum, contigiſſe, & ipſe vidi, & teſtatur *Ballonius lib. I. epid. pag.* 6. Hydropem quoque ſaccatum, ſuſcitato per lapſum ex improviſo copioſo urinæ ſtillicidio, diſparuiſſe, ac feliciter fuiſſe ſublatum uberius enarratur in *diſſert.* haud ita pridem heic habita, *de hydropica lapſu integro abdomine curata.* Et quæ plura rariora exempla paſſim in obſervatis medicorum ſunt conſignata.

§. XXVI.

Morbi chronici non vincit.

Sic quidem natura ſola optima his morbis medetur, & ineffabili ſæpe prorſus modo corporis integritatem tuetur; alia vero ratio eſt morborum chronicorum, quos natura ſola non vincit, ſed qui utique artificis opem atque accommodam medendi methodum per efficacia præſidia expoſcunt. Nam recte in præfatione *Cœlii Aureliani* aſſeritur: *celeres paſſiones ſua ſponte ſolvuntur, nunc fortuna, nunc natura favente, fluore ſudoris, ſanguinis, vel ventris: chronici vero ſolius medici peritiam poſcunt, quum neque natura, neque fortuna ſolvantur.* Et *Celſus* ſcite non minus quam ex vero, *lib. III. cap.* 1. eandem in rem differit; *magis ignoſcendum eſt medico parum proficienti in acutis morbis, quam in longis. Id enim breve ſpatium eſt, intra quod ſi auxilium non profuerit, æger extinguitur. Ibi & deliberationi*

& mutationi remediorum tempus patet, adeo ut raro, si inter initia medicus accessit, obsequens æger illius vitio pereat. Scilicet longe dispar chronicorum & acutorum morborum est ratio, dum non solum in illis vehementes spastici motus, qui morbi caussam impetuose aggrediuntur celeremque exitum gignunt, adsunt; in his vero rarius, neque continuo, sed cum notabili intermissione præsto sunt, sed etiam illi utplurimum celeriter corpori valenti accedunt, hi vero successive generantur & lentis adolescunt incrementis. Accedit, quod eorum qui diutius trahuntur morborum caussæ plerumque sunt obstructiones & indurationes minimorum vasculorum in emunctoriis & glandulosis visceribus, inutilium & superfluorum tam se- quam excretioni dicatis, quibus oppilatis, non potest non ingens vitalibus succis conciliari impuritas, ac demum ipsa viscera & glandulosa excernicula penitus oppleta, indurata & tumefacta in putridam corruptionem, exulcerationem cancrosam vel in abscessum concedere, aut funestis lymphæ effusionibus ansam suppeditare. Adeoque quum in his caussa morbi ipsa mora firmissimas agat radices, & labe latius serpente, vires exhauriat, motus supprimat ipsamque naturam mirum debilitet: non mirum est, naturam in expugnandis iis languere, motibus auctis raro eosdem aggredi, nec dispellendis iis sufficere, sed artis potius hic vigere opus, naturæ vacillanti succurrere idque perficere in quo ipsa deficit.

§. XXVII.

Qui arte sanandi. Hoc autem ex voto exsequendi, nulla itidem alia suppetit methodus, quam qua vitalis ille, vitæ sanitatisque auctor, sanguinis & humorum per omnia vascula itus ac reditus liber redditur, sordiumque per omnis generis excernicula evacuatio integra præstatur, adeoque obstructiones, ubicunque consistant, citissime expediuntur atque humores qui in vitio sunt per congrua emunctoria educuntur. Jam vero ipsa dictitat ratio, vasculorum obstructiones nec prius solvi, nec succos vitiosos eliminari posse, quam mobiles, fluxiles & ad excretionem apti redditi fuerint. Hinc utique omnis perlongos morbos sanandi methodus in eo continetur, ut humores crassi mobiles ac fluidi efficiantur, dura emolliantur, stricta laxentur & postea validiori facto sanguinis impulsu, per intensam solidorum actionem, impacti humores concutiantur, dissolvantur, eluantur & sic obstructionum repagula reserentur. Ex quo quidem clarissime patescit, efficacissimum ad hunc scopum obtinendum esse thermarum, acidularum & aliarum medicatarum aquarum, infusorum, decoctorum, fotuum, balneorum & omnium, quæ incidente & aperiente virtute pollent, tempestivum usum; contra vero ante debitam materiæ quæ in vitio est præparationem, damnosam ac præposteram validiorum purgantium, diureticorum, sudoriferorum, salivantium, mercurialium & metallicorum oblationem, ut certe nihil imprudentius sit, quam intestinis fecibus duris confertis forte purgans exhibere; vel calculum impetuose pellere, ubi a doloris & spasmi atrocia ureteres cum ductibus urinariis stricti, calculusque impactus; aut aquas hydropicorum purgante exturbare niti, ubi succi viscidi adhuc intra membranarum tunicas obhæresunt, vel denique sudorem elicere velle, ubi spiracula cutis spasmo stricta atque compressa.

§. XXVIII.

Naturæ motus mi- Neque vero tantum natura quandoque in

opere deficit, verum etiam nonnunquam alienos plane ac pernicioses in corpore concitat motus, qui caussæ removendæ neutiquam accommodi sunt, sed potius exacerbationi favent. Hunc in censum referendæ sunt illæ sanguinis evacuationes, quæ si non sanguinis copia delinquit, sed serum acre causticum nerveo membranosis partibus insidet & enormes profusiones in impuris cachecticis corporibus suscitat, uti sæpius contingit in purpura, variolis, morbillis, scorbuticis & arthriticis minus plethoricis, eveniunt, sub quibus sanguis, qui potius servari debebat, una cum viribus effunditur, nec ullo modo tenuissima acris materia morbi caussa ejicitur. Hinc utique in tali casu medico opera danda est, ut qua fieri potest celeritate, has pernicioses ejectiones compescat, quod tamen non violentis stipticis & constringentibus expedire consultum est, sed spasticæ multo magis strictura laxandæ, humor acris temperandus & discutiendus, quod commodissime diaphoreticis sedativo nuptis præstatur. Eadem ratio est hæmorrhagiarum, quæ ex obstructione, induratione, vel infarctu viscerum, subnascuntur in cachecticis atque hydropicis. Tunc enim sanguinis evacuationes per nares, hæmorrhoides, vel etiam vomitum frequentiores, maxime detrimentosæ esse solent, quia mali caussam non tollunt, sed potius vires consumendo, fatalem morbi exitum procurant. *nisi salutares in hæmorrhagiis.*

§. XXIX.

Ex febribus, sive febrilibus spasticis generis nervosi & vasculosi commotionibus, minus salutares sunt, quæ a sphacelo interno, ut sunt malignæ, vel a corruptione lenta viscerum aut apostemate, ut sunt hecticæ, oriuntur, & phthisicis, cachecticis atque hydropicis superveniunt, quippe quæ reliquias boni sanguinis ipsasque vires penitus consumendo certissime ad mortem ducunt. Ab assumto veneno causstico, a læsione vel punctura externa partium nervosarum ac tendinosarum, a calculo ureteribus infixo, bile causstica, vermibus, hernia incarcerata, ardore ex concedentibus in exulcerationem confluentibus variolis, omnibusque gravissimis doloribus, febres fieri acutas, quas Veteres dixerunt symptomaticas, experientia indies edocet. Sed omnes sic accedentes febres, nihil boni, sed plus damni minantur, & merito qua fieri potest celeritate & dexteritate exorbitantes hi motus sunt sistendi; quandoquidem frustra caussis a quibus pendent opponuntur, nec easdem ullo modo subigere & abigere possunt, sed potius dum ad affectam & irritatam partem sanguinis majorem affluxum proritant, inflammationem ipsamque postea sphacelationem inducunt. Haud dispar indoles est quarundam intermittentium, earum scilicet, quæ a prohibita perspiratione, iracundia graviori, cibo cum nausea sumto & male digesto, saburra vitiosorum prima in regione succorum & bile acri causstica proficiscuntur. Hæ enim si subsunt caussæ, febriles impetus atque commotiones ad illarum emotionem parum omnino faciunt, quin potius expedit, vel emetico, vel salibus detersivis, aut conveniente laxante & acrimoniam temperantibus, caussas aggredi, ac postea, ubi febriles motus sponte penitus conquiescere renuunt, roborantibus ac tonicis eosdem sistere atque componere. *Febriles*

§. XXX.

Iisdem minus salubribus naturæ motibus accensendi sunt, qui tam membranas cerebri, quam spinalis *Epilepticis & convulsivis motibus,*

ſpinalis medullæ, infeſto fortiori ſpaſmo exagitant, totumque nervorum & muſculorum ſyſtema in conſenſum pertrahunt. Horum claſſem ducunt epileptici & convulſivi inſultus, qui ex dolorum atrocia in dentitione difficili, torminibus infantum, calculi cruciatibus, vermium morſu, læſione cerebri, fractura cranii, punctura duræ matris à feſtucis, nec non in variolarum principio vel fine accedunt, nec ullo modo ſuperandis his cauſſis accommodi ſunt. Neque cordis palpitatio, cujus cauſſa utplurimum eſt polypoſum in cordis thalamis hærens concrementum, bono & ſalutari fine contingit, eo quod validiſſima hæc quaſſatio, cauſſam minime vincere valet. Pariter inanis ille ſingultus & vomitus à ventriculi inflammatione & inſidente virulenta materia, omni utilitate deſtituitur, tanto magis quando materia vellicans intra ſtomachi membranas, ut in purpura, variolis & morbillis repercuſſis ſolenne, hæret. Tuſſis quoque ſicca ferina, quam dura pulmonis ſubſtantiam obſidentia tubercula cient, nullius plane uſus eſt, ſed potius vires conſumit, ſomnum arcet & ſtomachum ad vomitum ſolicitat. Ita etiam copioſæ cum ſævis torminibus in diarrhœa ac dyſenteria, vel poſt acre purgans aſſumtum dejectiones, nec quicquam ad ſalutem conferunt, eo quod non humorum copia, ſed maligna qualitas in vitio eſt, cui fruſtra tanta ſanguinis & ſeri egeſtio opponitur, qua vires magis exhauriuntur & boni ac temperati humores cum detrimento ſubtrahuntur. Idem tenendum de diarrhœis, quæ nonnunquam inflammatoriis febribus ſymptomaticæ accedunt, quippe quæ pariter neutiquam diſcuſſioni ſtaſeos inflammatoriæ favent, ſed plerumque in cauſſa ſunt, ut inflammatio latius, etiam ad inteſtina ſerpat eoque citius necet. Denique omni etiam uſu ac fructu carent motus iſti fortiores, qui graviorem animi affectum, iracundiam vel terrorem excipiunt, qui certe adeo intempeſtivi ſunt, ut vitam in ſummum ſubinde adducant diſcrimen. Ut adeo pateat pernicioſos hos naturæ motus ab iis qui ad ſalutem tendunt provide atque ſolicite eſſe diſtinguendos, & quum non ſolum fructu deſtituantur, ſed ſuccos viresque exhauriendo etiam noceant, tempeſtive compeſcendos, ita tamen, ut ſimul cauſſæ morbi per congrua præſidia removendæ exquiſita habeatur ratio.

cordis palpitatione

ſingultus & vomitu

tuſſi ferina

dejectionibus

poſt animi affectus.

§. XXXI.

Hinc genuina methodus noſcenda & cuſtodienda.

Vidimus itaque naturam ſolam ſæpe ſponte morbos egregie percurare, arcere & corporis integritatem tueri, vidimus ejus vires non omnibus morbis expugnandis ſufficere, ſed artis juvamine indigere, vidimus quoque eandem ſæpius incongruos moliri motus corpori damnoſos, eaque propter ab artifice hos prudenter eſſe emendandos ac componendos. Jam vero vehementer utique optandum eſſet, ut omnes qui ſalutarem artem exercent, genuinam illam & probatiſſimam naturæ methodum, qua morbos feliciter ſanat, intimius perſpectam tenerent & molimina ſua ad ejus præſcriptum adornarent. In quo quidem laudanda merito Veterum ſententia, qui ad unum fere omnes profeſſi ſunt, medicum eſſe naturæ miniſtrum, ſpectatorem, imitatorem & adjutorem; ita ut *Hippocrates* paſſim prodiderit: naturam impulſam artis peritis quæ facienda ſunt monſtrare, nec quicquam ſalutariter fieri poſſe, niſi quod ipſi naturæ convenienter fiat, id quod etiam *Duretus*, optimus Hippocratis commentator, *lib. de hum. purg. pag.* 17. urget, præſtantiſſimum, aſſerens, artis magiſtrum illum eſſe & dici debere, qui fideliſſimus naturæ imitator, obſervator & adjutor. Neque minus ſcite hanc in rem ſcripſit *Fernelius in præfat. lib. I. therapeut. medicinæ*, inquiens, *leges, naturæ legibus debent eſſe conſentaneæ. Et felix medicatio, cui adiutrix natura ſuccurit, irrita vero, quæ repugnante natura tentatur*; cui aſſurgit pariter *Henr. ab Heer obſ.* 5. perhibens: medicum motum naturæ dominæ ſuæ obſervare debere, & nihil ea operante temere mutare, niſi, ut vel infrenem frenet, vel ut pigriorem excitet.

§. XXXII.

Sed dolendum omnino plurimis ignotam eſſe optimam & ſecuriſſimam naturalem morbos ſanandi rationem. Plures quidem præpoſtero niſu arcana ad certos, immo univerſalia ad omnes morbos curandos, magno ſtudio undique conquirunt, quæ accuratius perpenſa re, ſpem plerumque fallunt & manifeſto ignorantiam arguunt medentum, quaſi in tanta corporum cauſſarumque morbificarum diverſitate, unum idemque omnibus aptum eſſet atque accommodum: pauci autem de ſimplici, facili & compendioſa naturæ methodo cogitant, quum tamen non tantum medicamenta curent, verum ipſa potius natura, per remedia convenienter adjuta. Et licet ſint, qui naturam mirum extollunt, ut præter eam nihil ſapere videantur: teſte tamen experientia, haud raro in eo delinquunt, quod nec ipſas naturas, nec motus naturæ, qui in ſalutem, ab iis, qui ad perniciem tendunt, ſolicite diſtinguant, & naturæ opus, ad ſalutarem, uti putant, finem, licet incongrua ratione, directum, interpellare nolint.

§. XXXIII.

Ipſæque naturæ ſtinguenda.

Proinde è re utique erit, ut ultimo loco quodammodo naturarum differentias delineemus, diſquirendo maxime, quæ ad ſpontaneam medicationem aptæ ſint ac diſpoſitæ, quæ minus. Jam naturæ vel robuſtæ ſunt, vel debiles. Robuſtam quidem ſic deſcribit *Aretæus lib. II. cap.* 3. quod ſit, quæ eſt probe temperata, quæ omnia ſuperat, omnibus dominatur, ac per humorem & ſpiritum ac ſolida, horumque omnium convenientem ordinem ac methodum, hominis vitam adminiſtrat. Quæ certe definitio ut antiquiſſima, ita elegantiſſima & principiis naturæ mechanicis quam maxime accommoda, utpote in æquabilitate & temperie, ordine ac motu ſolidorum æque ac fluidorum, conſiſtit utique adminiſtratio vitæ & ſanitatis, & hunc quæ imperturbatum ſervat natura ſucceſſum, jure robuſta dicitur ac valens. Sunt vero maxime plebeii, pauperes & ruſtici, qui ſimplici & populari victu fruuntur, à robuſtis parentibus geniti, nec robur affectuum intemperie ac impetu, vel immoderatis animi fatigationibus atterunt, ætate juvenes ac viri, qui naturæ robore pollent. Viciſſim languet plerumque ac debilis eſt natura in nobilibus, opulentis, laute ac inordinate viventibus, à parentibus morbidis prognatis, patheticis commotionibus crebro obnoxiis, meditationibus ſtudiiſque nimium indulgentibus, ſenibus ac infantibus, poſt morbos perpeſſos, aut ubi occulta labes fluidis vel ipſis viſceribus inhæret, in quibus motus ſolidorum & fluidorum anomali ſunt inordinati atque remiſſi.

§. XXXIV.

Valentes ſint? nec

Valens igitur ac robuſta natura, ad tuendam & revocandam corporis integritatem apta eſt, nec debilis

debilis autem & infirma minus, ſed in præſtando ſaluberrimo hoc negotio languet. Illa morbos graviſſimos ſæpe ſola, vel levi ſaltim arte adjuta, remotis nonnunquam tantum obſtaculis, percurat, hæc vero difficilis eſt ad ſanandum, non ſola ſufficit, ſed opportuno medici conſilio & auxilio indiget, quin omnem ſæpe exquiſitiſſimam medentis eludit artem. Hinc utique multum intereſt, quo medicus naturam ægri curate noſcat, & felix ſane cenſendus, cui fortuna in eo favet, ut natura valente pollentes ſanandos nanciſcatur, fortunatior adhuc, ſi ſint genere, honoribus atque divitiis eminentes, qui ipſum illuſtri præconio nobilitare ſimulque muneribus excipere poſſunt ampliſſimis.

CAPUT II.

De methodo, ordine & legibus artis in medendo.

§. I.

Naturæ in medendo magna virtus.

IN ſuperioribus ſatis, ut puto, evidenter oſtendimus, à benigniſſimo & infinitæ ſapientiæ corporis humani opifice ita conſtructas & coagmentatas eſſe machinæ animalis varii generis partes, ut certi ac determinati motus ſolidorum & fluidorum progreſſivi ſimulque ſecretorii, depuratorii & excretorii contingant, qui non modo ad vitalem conſervationem & durationem corporis in ſe corruptibilis vergant, ſed etiam ſummo artificio ita inſtructi ſint, ut ubi à nocentibus rebus & cauſſis inordinati ſive morbidi fuerint redditi, illi ipſi ad ſubmovendas & deſtruendas illas cauſſas à quibus pendent, conſpirent. Et hoc eſt quod Veteres voluerunt, & quod etiam ipſa attenta confirmat experientia, plures nempe & graves etiam ægritudines, ſponte ſolius naturæ viribus, ſine peculiari medici auxilio, ſaneſcere, & naturam optimam morborum eſſe medicatricem.

§. II.

Arte tamen opus eſt quia natura ſæpe debilis.

Poſſet itaque quiſpiam facile inde hoc elicere dubium: quod quum tam eximia ſit naturæ virtus atque potentia, vana & ſupervacanea cenſeri mereatur in morbis tollendis omnis medici ars & opera. At vero licet hoc de valente & robuſta corporis humani natura, neque adeo corrupta vel debilitata, locum habere poſſit; quum tamen mirum quantum naturæ & corpora quæ morbis affliguntur inter ſe differant, alia firmiora, & valentiora, alia imbecilliora & vitiata ſint, adeoque non ſufficiant ad negotium ſanationis recte conficiendum, utique neceſſarium eſt, ut artis opus ipſis ſubveniat & congruis auxiliis ſuccurrat. Quin experientia ſubinde docet, ipſam robuſtam & idoneam alias ad ſanandum corporis morbum naturam, non ſolam ſemper ſufficientem eſſe ad ſanandum, ſed indigere ſimul variis adminiculis externis, ne impediatur, vel plane invertatur ſalutare, quod molitur negotium; quorum ſi non adhibetur obſervatio, plures, quibus robuſta etiam natura, in variolis, morbillis & febribus continuis, etiam inflammatoriis levioribus, pereunt, qui potuiſſent ſervari, dum regimine nimis calido in lecto, & conclavi, vel refrigeratione intempeſtive admiſſa, potu frigido, vel etiam ſpirituoſo, cereviſiæ vel vini, cibis improvide in vigore morbi datis valde nutrientibus, ſitu corporis nimis diu erecto, improvida linteaminum mutatione, iiſque rebus & occaſionibus, quæ animum ad iram & terrorem movere poſſunt, damnum & noxa procuratur, ut hinc omnino opus ſit quo prudens medicus, ſi non pharmaceuticis, minimum diæteticis, utilem opem & operam præſtet.

externis indiget.

§. III.

Obſtacula removere.

Deinceps ſæpe in ægrotantibus præſto ſunt obſtacula, quæ ſi non removentur, totius naturæ negotium in curando plane turbatur, vel pervertitur, nec tamen ſine medici auxilio & conſilio eadem removeri poſſunt. Exemplo ſit: quando corpus ſanguine redundans atque repletum morbis tentatur acutis, præſertim inflammationibus, natura ſine ſuperflui cruoris per venæ ſectionem imminutione, eoſdem ſuperare & curare nequit. Vel etiam ſi ſordibus & ſcybalis copioſis ac duris canalis inteſtini craſſi invadente morbo refertus eſt, hunc vacuare & recrementa protinus in principio educere expedit, ut felicius & debito ordine motus cauſſam morbi expugnantes ſuccedant, & ad eum, cui deſtinati ſunt finem, pertingere queant. Aut quando etiam evenit, ut prima regio colluvie vitioſorum & ſemiputridorum conferta ſit, idque ſtatim in morbi, ſive ſit acutus, ſive chronicus, invaſione, quam maxime proficuum eſt, convenientibus auxiliis, vel per ſuperiora, vel inferiora, eam prius exturbare, ne vis morbi & ſymptomatum inde augeatur & exacerbetur.

§. IV.

Et ſuccos vitioſos alterare poteſt.

Porro licet non negandum, naturam firmum & præſtans ſuggerere ſubſidium, in emovendis iis morbificis cauſſis, quæ motibus obſecundant & expugnari poſſunt, in alteratione tamen & correctione humorum nocentium non minus neceſſaria, eadem parum vel nihil opitulatur. Sic quando acidi, pontici & corroſivi humores primas vias obſident, qui vehementes dolores, ſpaſmos ac tormina, uti apparet in infantibus, concitant, item in hypochondriacis, in quorum ventriculo omnia coaceſcere ſolent, plus certe commodi & utilitatis ab acidum abſorbentibus exſpectandum eſt, quam ab omnibus naturæ motibus. Idem ſentiendum, ſi bilis exſuperat præcalida, eaque acris cauſtica inflammans eſt, tum certe natura ſola non ſufficit, ſed medicamentum demulcens, orgaſmum bilis acris deprimens, v. g. nitroſum & abſorbens, omne fere curationis punctum abſolvit, quemadmodum id luculenter patet in affectibus cholericis & ex gravi iracundia enatis. Neque etiam venena quæ pauco tempore necant aſſumta, ſolius naturæ ope cicurantur & noxa eorundem abigitur, quum experientia teſtetur, ſub vehementibus à natura ſuſcitatis vomitibus & purgationibus, mori ægros, qui demulcentibus, oleoſis & lacticiniis potuiſſent ſervari.

§. V.

Nec ſufficienter emovet.

Præterea in multis morbis, præſertim acutis, natura evacuationes per hæmorrhagias, ſudorem & alvum molitur, quæ tamen ſæpe non ſufficiunt, ſed imperfectæ ſunt, ideoque arte adjuvari & promoveri debent; viciſſim crebrius nimias profuſiones ſanguinis & humorum ſuſcitat, quæ quia vires adimunt corpus nimium exhauriunt, componendæ ſunt atque ſedandæ. Nihil quoque fere evenit frequentius, ac ut motus vehementes ad deſtructionem potius vitæ, quam expugnationem cauſſarum morbificarum & vitæ conſer-

conſervationem tendentes, inſtituat, uti in atrocioribus morbis epilepticis, convulſivis, doloribus, præcipue qui per conſenſum partium nervoſarum ſubnaſcuntur, ubi ſedativis quam maxime opus eſt. Chronicas jam prætereo paſſiones, ut ſcorbutum, luem veneream, cachexiam, hypochondriacam affectionem, quæ à ſola natura ſine medici ope, plane non ſuperari poſſunt. Quid præterea crebrius evenit, quam quod ex uno morbo, quantumvis egregie ſanato, propter imbecillitatem partium relictam, alter ſæpe deterior, niſi per artem roborantibus in declinatione cito ac tempeſtive occurratur, ingeneretur. Neque denique dubitandum eſt, quin morbus, qui à ſola natura temporis beneficio demum ſuperari poſſet, longe citius atque felicius opitulante arte tolli queat. Quod utrumque diſertis verbis inculcat *Celſus lib. II. cap.* 14. dum ait: *poteſt morbus etiam, qui per ſe finem habiturus eſt, citius tamen adhibito auxilio tolli, quod duabus de cauſſis neceſſarium eſt, ut quam primum bona valetudo contingat, & ne morbus qui remanet, iterum, quamvis levi de cauſſa exaſpereiur. Poteſt enim morbus minus gravis eſſe quam fuerit, neque ideo tamen ſolvi, ſed reliquiis quibuſdam inhærere, quas admotum aliquod auxilium diſcutiat.*

§. VI.

Tranſitus ad inſtitutum.

Ex quibus omnibus adductis obſervationibus utilitas & neceſſitas artis medicæ clariſſime eluceſcit, iiſdemque, quaſi totidem argumentis uberrime confirmatur, ſive natura in morbis languida, ſive robuſta fuerit. Interim tamen id certum manet ac firmum, quod ob imperitiam & temeritatem medentum, qui ductus naturæ non ſequuntur, ſed crebrius pervertunt, ſatius ſæpe ſit, ſoli naturæ negotium relinquere, quam imprudentis ac imperiti auxilio uti. Ne igitur in hoc tanti momenti negotio peccet medicus, ſed firmam habeat regulam, normam ac legem, ad cujus præſcriptum conſilia & molimina ſua inſtituere atque dirigere queat, non utique alienum, ſed convenientiſſimum erit, ut univerſales quædam regulæ & medendi leges, jam præſcribantur, quibus ſummo cum fructu in medendo uti poſſit artifex.

§. VII.

Lex I. Ex his prima eſt: *omnibus in morbis ordinem & ſucceſſum actuum motuumque ſpontaneorum, immo ipſa tempora, quibus natura ſola medelam in ſalutem ægrotantium molitur atque abſolvit, curate & perquam ſolicite obſervare decet.* Vix vero ullus è morborum claſſe eſt, in quo tam conſpicua naturæ methodus tamque diſtincta decurſus tempora, quam in variolis. In variolarum enim morbo obſervatur, naturam primo certo temporis ſpatio uti ad materiam illam cauſticam partibus nervoſis inhæreſcentem, tamque ſæva in principio concitantem ſymptomata, attemperandam, quo mobilis & diſpoſita fiat ad evacuandam, hoc facto, deinde excretionem ordinario intra tertiam & quartam diem auſpicari, eidemque iterum certum, duorum vel trium dierum tempus impendere, ita quidem, ut à ſuperioribus ad inferiores deſcendat partes, & corporis corticem per omnem ambitum ſucceſſive exanthematibus conſpergat. Abſoluta eruptione, rurſus determinatam periodum inſumit ſuppurationi & materiæ evacuatæ maturationi, eaque confecta, interpoſito certo temporis ſpatio, ulcuſcula ſiccat atque conſolidat, incipiendo pariter in ſuperioribus, ac deſinendo in inferioribus. Et hic eſt ſolennis ille naturæ hoc in morbo proceſſus, hic ordo, hæc tempora, quæ artifex ſtudioſe notare debet, quo tempeſtive fatiſcenti naturæ ſuccurrere poſſit, nec unquam adverſi quippiam huic methodo præpoſtere moliatur. Idem vero etiam in aliis morbis obvium eſt, adeo, ut cardo medendi rationis, qua natura utitur, in eo potiſſimum vertatur, ut primo ſemper materiæ hoſtilis & vitioſæ correctioni ſtudeat, eandemque ad evacuationem diſponat atque præparet, idque fere in omnibus morbis, febribus non tantum exanthematicis, verum etiam inflammatoriis, immo chronicis; quæ proinde methodus pari ſtudio ſervanda eſt ac imitanda. Quumque hoc præparationis negotium nonniſi certo temporis ſpatio abſolvi poſſit, utique ut maxime omnium tempus exſpectet, nec curſum præcipitet medicus, neceſſe; quæ certe prudens exſpectatio in medicina ſummum arcanum eſt, de quo non inelegans eſt *Gideon. Hervæi* libellus *de morbis exſpectatione curandis*, cui addi poſſunt ea, quæ in *diſſertatione de curatione morborum in tempore* inculcavi.

§. VIII.

Secunda lex ſic præcipit: *tempeſtive & ſtatim in principio morbis occurrendum eſt, & materia quæ in vitio breviſſima via evacuanda.* Scilicet ex præſtantiſſimis medendi regulis eſt illa Hippocratica, *ſect. II. aph.* 29. ita habens: *incipientibus morbis, ſi quid movendum videtur, move, vigentibus vero, quietem agere melius.* In qua quidem graviſſimus auctor merito utique rejicit omnem illam medendi rationem, quæ in morbi vigore, hoc eſt, ſtatu, impetu & exacerbatione ejus, ubi omnia in vehementiſſimo motu, per fortiora medicamina, maximeque evacuantia, ſuſcipitur: viciſſim vero accommodatiſſimum, ad medicinas quæ movent & evacuant, porrigendas, morbi eſſe initium, ſerio inculcat. Rationem hujus canonis divinus ſenex in ſequente *aph.* 30. ſubjicit, dum ait: *circa principia & fines omnia debiliora ſunt, circa vigores vero fortiora.* Nimirum quia ſub vehementia atque vigore morbi omnia in motu intenſiori ſtatuque turbulento conſtituta, parteſque motibus vacantes muſculoſæ ac nerveæ ſpaſmo obnoxiæ; in proclivi eſt ratio, quare tum omnia ſtimulantia & moventia locum non inveniant, nihilque agendum, ſed potius quieſcendum ſit, neque alia quam humectantia, temperantia & effrenes motus quodammodo placantia uſurpanda. Contra ea inchoante & declinante morbo, omnia ſunt debiliora, id eſt, ſpaſmi & motus intenſi nondum in tanto gradu adſunt, vel vehementiam poſuerunt; ideoque omnino, ſi opus eſt, materia & cauſſa morbi ſtatim in principio exturbanda, vel alienus qui ſub morbi decurſu genitus eſt humor, ſub declinatione expellendus eſt. Si experientiam conſulimus, hæc pariter hanc medendi legem uberrime confirmat. Nam profecto ad graves ipſa in herba jugulandos morbos, præſertim qui contagio debentur, ut ſunt peſtis, dyſenteria, caſtrenſes & mali moris febres miaſmate ſuſceptæ, non efficacius occurrit remedium, quam lene emeticum, ſimul ac corpus iidem inceſſerint oblatum, quo colluvies vitioſorum humorum una cum miaſmate, quod cum ſaliva in ventriculum deſcendit, antequam ad ſanguinis maſſam & nervorum genus deferatur, ſtatim eliminetur. Variolæ quoque, morbilli, purpura & continuæ plures febres, bilioſæ etiam & ardentes, nec non quæ arthriticis & podagricis inſultibus aſſociantur, longe facilius

Lex II.

facilius ſanationem recipiunt, ſi mox in principio, ſimul ac æger conqueri cœpit, prima regio, vel leni emetico, vel clementi purgante, à ſentina vitioſorum humorum fuerit depleta: eo quod increſcente morbo, ſpaſmi augeſcunt, quibus hæ ſordes intus retentæ morbi & ſymptomatum vim mirum exacerbant. Et quia intermittentium febrium, tam tertianæ, quam quartanæ, fomes, initio plerumque in ventriculi & inteſtinorum plicis ac glandulis hæret; è re eſt, ut ſtatim ſub auſpicio primæ viæ à ſordibus ſive per mitiora emetica, ſive ſalia deterſiva, ſive commoda laxantia, repurgentur. Confirmat hoc luculentis verbis *Hippocrates lib. de affect. ſi*, inquiens, *quartana deprehenderit, vomitorium in principio exhibendum, rurſus aliquo intervallo, aliud infra purgans medicamentum. Quod ſi per hæc non ſedatur, medicamenta febrifuga dare oportet.* Neque tamen purgantia fortiora, quæ ipſe *Hippocrates lib. de purgant.* §. 5. rejicit propinanda, quippe quæ nunquam in febribus tuta, quoniam ſpaſticas exacerbant motiones, vel eaſdem, ſi conquieverint, revocant & recidivas pariunt. In lentis febribus, quæ maxime intermittentes male curatas ſequuntur, in principio & laxantia, & leniora emetica tutiſſima, quo iiſdem alimentaris canalis à ſaburra acida viſcida liberetur; quod, ſi negligitur, diuturniores paroxyſmi ingentem & fluidis partibus & viſceribus labem affricant, & lentæ febres ex facili in hecticas concedunt. Periculi plenæ inflammationes internæ, ut pleuritis, peripneumonia, angina, matura ſanguinis miſſione & ſubjuncto infuſo diaphoretico, feliciter in principio diſcuti queunt; hoc autem neglecto, curatio, ob febrem ac intenſiorem inflammationem, difficilis admodum fit & anceps. Ipſa quoque ventriculi inflammatio ſæpiſſime ex potu frigido corpori ſudanti copioſius ingeſto, natales trahit, omne tamen periculum mox declinari poteſt, modo infuſum ex herbis diaphoreticis cum aqua calida factum ſtatim ſorbilletur. Quod ſphacelus exteriora occupans præſentaneo ſubſidio, ſimul ac primordia cepit, ſuffocari & arceri queat, res in vulgus nota eſt, quum elapſo hoc medicandi tempore, mors ſequatur certiſſima. Atque ex his omnibus clariſſime innoteſcit: tempeſtive morbis eſſe ſuccurrendum & occaſionem medendi ſolicite captandam, in qua, ut ait *Hippocrates lib. de præcept.* §. 1. non multum temporis. Quare vehementer certe optandum foret, ut & medici opportunitatem temporis in morbis ſanandis curatius obſervarent & aucuparentur, & ipſi quoque ægrotantes mature medicam opem implorarent, eo quod in tempore curare & morbo occurrere, palmarium in ſanationis negotio momentum eſt, & juſta temporis obſervatio, merito curandi & methodi medendi anima dicenda.

§. IX.

Lex III. Accedit tertia lex: *Evacuationes nunquam in morbis moliendæ, niſi materia excretioni apta & viæ patulæ fuerint.* Summa hujus præcepti *ſect. II. aph. 9. Hippocratis* continetur, ſic perhibentis: *corpora quæcunque quis purgare voluerit, fluida facere oportet.* Nam ipſa ſana ratio ſuggerit, fruſtra materiæ commotionem & expulſionem tentari, niſi ipſa ad motum ac emotionem diſpoſita ſit reddita. Primo itaque omnis ſcopus, omnis intentio medentium in ſanandis perlongis morbis eo utique tendere debet, ut humores craſſi fluxiles & mobiles efficiantur, durities molliatur, viæ adſtrictæ relaxentur, & poſtea validiori facto ſanguinis impulſu & ſtrictura ſolidarum intenſa, impacti humores excutiantur atque obſtructiones reſerentur. Ex quo jam elucescit, quam incomparabilis ſint uſus ad hunc finem conſequendum thermæ, acidulæ & aliæ aquæ ſalubres, infuſa, decocta, fotus, balnea, & omnia, quæ emolliente & diluente virtute prædita ſunt. Patet quoque exinde, quod ante præparationem & mobilitatem materiæ, nunquam validiora purgantia, emetica, diuretica, ſudorifera, mercurialia ad ſalivæ fluxum eliciendum, locum inveniant. Communis fere, ſed peſſimus hinc error eſt, quando deficiente menſium vel hæmorrhoidum, aut ſubſiſtente lochiorum fluxu, pellentia fortiora, ſic dicta emmenagoga, uti ſunt myrrhata, ſuccinata, crocata & alia adhuc calidiora, in uſum præmature vocantur; ſiquidem hæc ſine præmiſſa venæ ſectione ſine primarum viarum expurgatione, ſine antea adhibitis medicamentis fluiditatem ſanguini conciliantibus, potius noxam afferunt & malum augent, tantum abeſt, ut juvamini ſint exoptato. Obſervationes enim docent, ab eorum intempeſtivo uſu febres, capitis dolores, vertigines, anxietates, hæmorrhagias per incongrua loca, deliria, melancholiam, & mille alia ſymptomata, fuiſſe exorta. Præſtat itaque potius prius plethoram demere, alvum laxantibus lubricare, ſanguini fluiditatem decoctis & infuſis appropriatis conciliare, vaſorumque obſtructiones balneis, vel aliis convenientibus remediis, amovere, & tunc pellentia cum cura ſubjungere, & ſic demum exoptatus conſequetur effectus. Hæc lex medendi & regula in ſanandis morbis chronicis, præſertim ſcorbuto, lue venerea, hydrope, quartana, melancholia hypochondriaca, calculo, aſthmate, ampliſſimi non ſolum eſt uſus, ſed etiam in acutis egregia & curate obſervanda. Nam in his pariter extra criſin & ante materiæ maturationem, & ut Veteres loqui amant, coctionem, in vigore paroxyſmi, nunquam evacuantia cum fructu exhibentur. Hinc probe monet *Hippocrates Sect. I. aph. XXII. quæ matura coctaque ſunt, medicamento purgante educere oportet ac movere, non cruda.* Natura ipſa huic methodo inſiſtit, quippe quæ in omnibus fere febrilibus commotionibus, primos dies materiæ hoſtilis attemperationi & reſolutioni ſtatuit, in inflammatoriis & aliis acutis febribus, impendit, quam feliciſſime exſequitur motu & appulſu auctiori ſanguinis ad loca affecta, quo non modo ſenſim ac ſenſim ſanguis & viſcidi humores impacti ſolvuntur, ſed & diſcutiuntur. In aliis quoque morbis, motu tam inteſtino, quam progreſſivo intenſiori, craſſi viſcidi humores attenuantur, diſſolvuntur fluidique redduntur, ſalſi quoque & acres cum oleoſis viſcidis & terreis implicantur & temperantur, nimisque fluxiles & tenues inſpiſſantur: quem proinde naturæ ductum merito artifex ſequi debet.

§. X.

Quarto inter præſtantiſſimas medendi leges *Lex IV.* hæc connumeranda: *Evacuationes per loca humori excernendo convenientia fiant.* Aureum hoc præceptum *Hippocrates S. I. aph. 21.* his inculcat verbis: *quæ ducere oportet, quo maxime repunt, eo ducere oportet per convenientes locos*; idque merito à medentibus maxima cura atque diligentia obſervandum. Etenim ſi medicus humorum, qui in vitio ſunt, excretiones ſtimulo quodam promovere debet, probe omnino diſquirendum, cujus conditionis ac indolis ſit materia hoſtilis evacuanda, & quo in loco & parte

etiam corporis ſit conſtituta, ut breviſſima via commode educi poſſit. Sunt quippe diverſi generis excrementa, ideoque iis eliminandis non quælibet accommodata ſunt emunctoria, ſed quodvis excrementum, peculiare & proprium quaſi habet excerniculum. Hinc ſi in ventriculo & prima regione ſtabulatur & fixam ſedem habet vitioſorum corruptorum bilioſorum humorum ſentina, quæ anxietates, ructus, tenſiones & dolores gravativos parit, ciborum appetentiam proſternit, ſomnum placidum impedit, phlogoſin excitat, vel etiam febres minatur; tum utique emetica, deplendo hac ſaburra ventriculum, utiliſſimam præſtabunt operam, & hac ratione magnus & periculoſus morbus præſcindi poterit. Si in principio morborum inteſtina infarcta, vel ex male adſumtis & male concoctis eduliis multas recondunt cruditates, facile patet, ea, quæ clementer inteſtinalem regionem expurgant, omnium opportuniſſima eſſe. In hypochondriacis prima regio, ac potiſſimum duodenum, ingenti cruditatum acido-bilioſarum colluvie ſubinde refertum eſt, quam ſi quis diureticis vel ſudoriferis præpoſtere vellet eliminare, næ; is non leve damnum allaturus eſſet. Nam ejus generis humores temperantibus obtundendi & per ventrem evacuandi, unde etiam ex thermis & acidulis aliiſque medicatis aquis, quæ alvinas ſordes liberaliter emovent, convenientiſſima in hoc malo ſunt præſidia. Graviori iracundiæ affectu motus canalium bilioſorum periſtalticus auctus ingentem bilis ſæpe corruptæ & acris copiam in tenuia inteſtina effundit, quæ parit anxietates, nauſeam, ciborum faſtidium, compreſſiones circa præcordia: interdum etiam cardialgias & inflammationes ſubortas notavi, ut & choleram; quibus graviſſimis pathematibus ſi fortiori emetico vel ſudorifero, quis vellet ſuccurrere, is certe peſtilentem errorem committeret; de quo complures lugubres eventus propter inflammationes ſubortas notavi, & ut quiſque ſibi caveat, ſerio hortatus ſum in *diſſertatione de medicina emetica & purgante poſt iram veneno.* Nam quia congruum humoris bilioſi excretorium eſt venter, longe tutius & conſultius bilis ab ira commota per rhabarbarina, cum nitro & pulvere præcipitante nupta, vel per alia mitiora laxantia, educitur. Quin ſunt inter exempla quidam, qui ex gravi ira male habentes in balneum ſe demiſerunt & fortiter ſudarunt, hoc eventu, ut lentæ febres, artuum tremores, arthritides, immo hypochondriorum ſpaſmi & contracturæ, ſequutæ fuerint. Nihil quoque magis noxium vel intempeſtivum eſt, quam alvo per quinque vel ſex dies clauſa, ſudorifera, vel alia calida ſpirituoſa, offerre, aut emeticum præbere; nihil inconſultius, ac ſerum in habitu corporis hydropici obhæreſcens per ſudorem velle educere, quum potius, per urinarias vias & alvinam regionem ejus eductionem moliri è re ſit. Peſſime pariter ægrotantium ſaluti proſpiciunt, qui circa illud tempus, quo variolæ, morbilli, purpura & alia exanthemata, vel inflammationes eryſipelaceæ prodire debent, purgantibus, vel emeticis eos exagitant, ſicque materiam illam acrem ad interiora nobiliora loca alliciunt, gravius damnum certo allaturam. Ubicunque vero unius ejuſdemque indolis humor per diverſa emunctoria excludi poteſt, tunc certe non alienum eſt, excretiones in aliis etiam quam ipſi proprie dicatis excretoriis movere, quo divertatur affluxus humoris, qui partem diu infeſtavit. Ita in tuſſi valde humida, qua mucoſa in maxima copia & immoderatius ſcreatu ejiciuntur, opportune purgantia offeruntur, quia mucum ex pectore in glandulas mucoſas craſſorum pertrahunt. Quod etiam valet in fluore albo & gonorrhœa, ubi ſæpius ingens viſcidorum humorum copia ad has partes affectas affluens excernitur, & purgantia eam ob cauſſam, ut divertatur nempe humorum nimius appulſus, optime præſcribuntur. Manet itaque firmum ac ſtabile, naturam ſemper in opere evacuatorio, ſi deficit, ut humores evacuandi commode per congrua emunctoria duci ac ferri poſſint, adjuvandam eſſe.

§. XI.

Non minus univerſalis ac utiliſſima eſt quinta *Lex V.* hæc lex: *nunquam vi morborum curationes aggrediendæ, vel evacuationes moliendæ, ſed paullatim & ſucceſſive agendum & tempus exſpectandum.* Sane ſi ullus ex aphoriſmis *Hippocratis* memoratu dignus & in artis exercitio memori mente tenendus, certe eſt *Sect. II.* 51. ſic præcipiens: *plurimum & repente vacuare aut replere, vel refrigerare, aut omnino quomodocunque corpus movere, periculoſum eſt. Et omnis multitudo naturæ contraria eſt. Quod vero paulatim fit, tutum eſt, tum alias, tum ſi ex altero in alterum tranſitus fit.* Sicut enim omnes in rerum natura operationes per gradus, non per ſaltus, paulatim & ſucceſſive, non vero cum impetu & violentia quadam, perficiuntur; ita eadem quoque via in ſanandis morbis, in caſtigando & expellendo noxio humore, in obſtructionibus reſerandis, procedit natura & temporis beneficio utitur. Quapropter etiam medicus ſuo ſatagens officio naturam imitari & nunquam violenter agere, multo minus impetuoſe evacuationes urgere debet. Nam certa & diuturna experientia compertum habemus, non majus periculum ex errore & temeritate medici ægrotantibus accedere, ac ab emeticis & purgantibus validioribus, neque minus ab iis remediis, quæ vi ſudorem pellunt, aut urinam & ſalivam movent & corpus fortiter calefaciunt. Neque etiam tam ſubita & ingens mutatio, quam corpus à validiſſimis & magna doſi exhibitis remediis patitur, utilis, ſed potius valde noxia eſſe poteſt, quia omnes vehementes motus in eorum numero, qui naturæ infenſi ſunt, qui præternaturales, morboſi & corpori vim inferunt. Hinc quando emeticum porrigendum, conſultius eſt parciori, quam liberaliori manu propinare illud, eo quod ubi humores ad ejectionem anotericam inclinant, operatio erit ſufficiens, & ſi non fuerit, iterato vel auctiori doſi, pharmacum offerre præſtat, ac uno impetu exturbare. Ubi per inferiora ſubducendi ſunt humores peccantes, longe magis è re eſt, id clementioribus & repetito, quam ſimul & ſemel validioribus perficere: eumque in finem apprime ex uſu ſunt pilulæ ſecundum Becheri exemplum confectæ, quæ aloën probe cicuratam & extractum hellebori, cum temperatis balſamicis gummatibus & extractis amaris, habent, ita ut una doſis vix tria purgantium grana capiat, eaque propter tonum ventriculi & inteſtinorum, quem purgantia labefactant, firmant potius & conſervant, aliquoties tamen datæ, alvum ſaluberrime vacuant. Idem faciunt infuſa ex radicibus & corticibus antiſcorbuticis, aromaticis, atque ex rhabarbaro & agarico, addito ſtimulo ſalino-tartareo, per extractionem cum vino confecta, quæ tam ad præcavendos morbos vere & autumno, quam ad ſanandos rebelles chronicos affectus, egregii ſunt uſus. Quod ſi porro per corticem corporis halituoſæ ſordes excludendæ, nunquam in uſum trahenda ea, quæ ſudorem,

dorem, universam sanguinis & humorum massam commovendo, fortiter pellunt; sed potius infusa & decocta diapnoica, vel etiam pulveres fixioris naturæ, nec non temperata balnea, quæ omne punctum in sanatione etiam rebellium morborum chronicorum, præter acutas passiones, ferunt. In lue venerea affectis, si salivæ fluxus proritandus est, nunquam impetu & larga mercurialium oblatione id efficere oportet, præsertim in iis, quibus genus nervosum debile & humores impuri ac intemperati, nisi feralia symptomata vel incompescibile salivæ stillicidium ciere velimus. Pariter in efferatis motibus componendis doloribusque sedandis, proficuum magis est semper anodyna refracta, quam plena & magna dosi adhibere, & sistentibus amico temperamento quædam stimulantia adjungere, quo nomine theriaca cœlestis, massa pilularum Starckii, Wildeganii, vel tinctura antimonii tartarisata, aut acris, cum pauxillo extracti opii remixta, commendari merentur. Quando denique roborandum, & partes nerveæ, ne consuetos spasticos motus repetant, firmandæ, quod fit maxime in reprimendis paroxysmis intermittentium, & quidem familiarissime per famigeratissimum illum chinæ corticem & alia roborantia; tutius semper est, caussa febrili prius subacta & evacuata illud efficere, in accisa & repetita, quam magna & continua dosi, & antequam caussæ prospectum fuerit; eo quod hoc neglecto, experientia teste, phthisis, hydrops, asthmata, hectica & pathemata spasmodico-hypochondriaca conciliantur. Quapropter omnes qui artis operibus manum admovere gestiunt, cum cura monendi sunt, ut quantum fieri potest, ab omni validiori medicina, multo magis plena manu oblata, abstineant, sed potius temporis beneficio utentes, nunquam nimis festinent, & sic demum tuto, sine noxa & periculo, sua conficiant.

§. XII.

Lex VI. *Convenit interdum motus effrenes morbosos compescere, relicta ad tempus eorum caussa.* Sexta hæc lex est, amplissimi in praxi recte instituenda usus. Quemadmodum enim ii motus in morbis, qui à centro ad circumferentiam abeunt, qui comitem habent pulsum citatiorem, cutem relaxant, spasmos cum caussa morbi tollunt & sic in salutem machinæ labefactatæ tendere solent, nunquam à prudenti medico sistendi, sed potius pro circumstantiarum ratione conservandi, vel tantum moderandi sunt: ita è contra illi, qui vergunt à circumferentia ad centrum, quales sunt maxime spasmodici, qui omnia turbant in corpore, & dum liberam dispensationem & motum humorum ac debitam secretionem & excretionem impediunt, interitum minantur, vel nisi ad caussæ remotionem directi sunt, interdum provido consilio protinus compescendi sunt, licet caussa materialis efficiens eorundem adhuc intacta relinquatur. Quod ut testatius patescat, exemplo sit acerbissimus ex calculo dolor. Nimirum dimoto ex renum conceptaculo ac in uretere ob majorem molem vel asperitudinem firmius obhærescente calculo, nerveo-membranaceus hic canalis ob vim illatam arctius constringitur, non solum dolor suscitatur exquisitus, & inflammatio cum febre accenditur, sed etiam per consensum simul ventriculus & duodenum afficitur, & inverso motu peristaltico, vomitus proritatur, quin toto tandem genere nervoso in consensum rapto, deliria, tremores, convulsiones & epilepsiæ excitantur, quæ, ut vidimus, quandoque mors funesta excipit. Sub hoc igitur motuum exorbitantium & symptomatum choragio, si quis velit caussam, calculum, vi emoliri, nec prius vias laxare; is sane nihil aliud efficeret, quam ut spasmodicas constrictiones augendo, lethalem morbi catastrophen induceret. Quin potius longe consultius caussa morbi tantisper relinquitur & motus quavis arte complacantur, atque his demum ad temperiem reductis viisque ampliatis, faciliori negotio caussæ amolitio tentari poterit. Pari ratione in colica passione, primum esse decet, ut vehementia spasmorum deliniatur clysteribus oleosis & unguentis & axungia humana, pinguedine taxi, castoreo, zibetho & hujus generis aliis, & interius quoque ejusdem virtutis medicamenta adhibeantur, ut sunt oleum amygdalarum dulcium, antispasmodica, inque primis liquor noster anodynus mineralis, qui dolores & spasmos effrenes sistit, vomitus compescit, sine stupore tamen & sine omni noxa; hoc autem facto, facile ac tuto caussæ materiali, sive illa hæreat intra canalem intestinorum, sive intra membranas ejus, appropriatis remediis poterit succurri eademque expelli. In hæmorrhagiis quoque nimiis, quarum eruptio semper à spasmis, sanguinem ad certam quandam partem adigentibus & vasa venosa eo excurrentia distendentibus, proficiscitur, vel potentissimis stipticis, constringentibus sanguinemque cohibentibus fluxus non cohibebitur, delinitis autem spasmis, vel sponte cessabit, vel facillima ratione coerceri poterit. Tacemus plurimos alios spasmodicos, convulsivos & cum magna dolorum atrocia junctos affectus, in quibus semper expedit paroxysmos sedantibus prius invigilare, quam caussæ abolitionem urgere. Cavendum tamen quam maxime est, ne in ejusmodi morbis, ubi motus nimii perniciem minantur, ad eos sistendos opiata vel adhuc fortiora sedativa & narcotica adhibeantur. Testantur enim observationes Practicorum celeberrimorum, hoc perperam facto, spasmodicam colicam sæpius in paresin, aut etiam veram paralysin, transisse, aut calculum ureteri remisso nimis eo diutius inhæsisse, ac in universum, lethales inde subsequutos esse effectus, quales annotavit & exemplis confirmavit *Stahlius in dissertatione de impostura opii.*

§. XIII.

Excipit septima lex: *vigente paroxysmo & quando natura jam movet, à fortioribus commoventibus & evacuantibus desistendum, ac potius excedentes motus moderantibus & ad temperiem reducentibus, utendum.* Ipse *Hippocrates* quum observasset, quantam noxam afferat, si quis in illis morbis, ubi sanguis cum impetu circumagitur & morbi vehementia est maxima, fortiora medicamenta, quæ majorem sanguinis cient orgasmum, propinare, aut purgantia exhibere audeat, sapienter *sect. II. aph.* 19. præcepit: *vigentibus morbis, quiescere multo præstat:* ac potissimum valentiora ejusmodi pharmaca tempore paroxysmi febrilis non præscribenda esse serio in *libr. de purgantibus* suasit: *quicumque* inquiens, *à febribus fortioribus corripiuntur, his medicamenta purgantia dare non oportet, donec remiserit.* Etenim quando vehementes motus vel spasmi intensiores præsto sunt, utplurimum exteriores corporis partes cum summa cute constrictæ sunt, & sanguis à circumferentia ad centrum urgetur, alvus, renes, poruli cutis & reliqua emunctoria, propter nimiam constrictionem, non rite munere suo funguntur & excretiones subsistunt; *Lex VII.*

eaque

eaque propter nihil certe imprudentius poterit excogitari, quam tum motus ciere vel augere, & præsertim purgante, vel vomitorio, aut sudorifero valido, humores naturæ corporis nostri inimicos exterminare niti, eoque symptomatum vehementiam magis exacerbare. Quiescendum potius tunc temporis est, vel parum agendum, & magis effrenes motus moderandi ac cum violentis spasmis blande componendi. Hanc ob causam rectius procedunt ii, qui in morbi paroxysmorum vigore atque impetu, si quid arte tentandum, tantum diluentia, blandam diaphoresin conciliantia & moderate nitrosa ac sedativa naturæ amica exhibent. Ubi vero movendum, accommodatissimum tempus est in acutis principium, vel quando vehementia remisit, in chronicis extra paroxysmum & conquiescentibus spasmodicis motibus, quo etiam evacuantia congrua operationem suam bene exsequuntur. Egregium hanc in rem *Cœlii Aureliani lib. II. cap. VIII. pag.* 217. est monitum, dum ait: *nec phlebotomia, nec aliis medicamentis, quæ cito & copiose peccantes humores detrahunt, unquam utendum in augmento passionis, sed potius tempore dimissionis. Unde*, pergit, *in accessione simpliciter mitigantibus utimur adjutoriis.* Sed dolendum profecto, toties totiesque contra hanc impingi legem. Nam communis tam vulgi, quam medicorum non incelebrium, olim fuit & adhuc est opinio, variolarum, morbillorum, purpuræ atque pestis morbum, expellentibus & alexipharmacis fortioribus esse excipiendum, quo illud quod vitæ est inimicum, cito & sine mora per corporis peripheriam proscribatur, unde tot in officinis prostant tincturæ bezoardicæ, spiritus volatiles, salia volatilia, essentiæ antipestilentiales ac pulveres varii generis sudoriferi & alexipharmaci, olea calidiora aliaque id genus plura. At vero sic calor calore fovetur, ignis igni additur, ipse sanguis quasi accenditur, mixtio ejus naturalis & temperata crasis dissolvitur & destruitur, ac in universum nihil aliud efficitur, quam ut anxietates, inquietudines, deliria, epilepsia & convulsiones concitentur, placida & successiva eruptio impediatur, ipsaque materia exanthematica deleteria, plus augeatur, quam imminuatur. Longe tutiora certe in expellendis variolis, morbillis, purpura & omnibus morbis, in quibus aliquid per corporis corticem excerni debet, sunt illa medicamentorum genera, quæ nimias & turbulentas commotiones cum stricturis superficialibus amicabiliter placant, & impedimenta removendo, eruptionem blande adjuvant. Quod quidem, quemadmodum de fortioribus sudoriferis in propatulo est; ita eadem cautio de eorum quæ per os vel alvum vacuant usu, studiose tenenda. Neque enim unquam convenit, emetica vel purgantia, quin salia, majori dosi tempore paroxysmi tertianæ, vel quartanæ, aut non multo ante ejus accessionem, propinare: quippe per experientiam cognitum est, insultum inde longe reddi acerbiorem maximasque cum cardialgia anxietates laborantes affligere. Ratio in proclivi est. Scilicet hæc medicamina non alia ratione quam spasmo agunt, & partes nerveo-membranosas subtili sale acri caustico vellicando à stimulando, ut validiori crebriusque repetita strictura & separetur & exturbetur quod in vitio est, efficiunt; in omni autem febre ejusque paroxysmis, jam tum teste nausea, dorsi dolore, pandiculatione, conatu vomendi, flatibus in abdomine, anxietate præcordiorum, horripilatione, cutis refrigeratione, alvique adstrictione, adsunt spasmi & formalem ejus rationem absolvunt, ideoque dum sic spasmus spasmo accedit, & strictura intenduntur, non possunt non pathemata exacerbari & paroxysmus longe gravior reddi. Ubi vero impetus resedit, nervosum genus tranquillum & partes spasmo prius exagitatæ languent ductusque patuli sunt, tutissime ac utilissime fomes & vitiosa materia artis ope laxantibus, purgantibus vel emeticis è latibulis evocatur atque proscribitur. Quæ certe prudens temporis opportuni exspectatio, tum in morbis, tum in omnibus moliminibus, tam necessaria est, ut sine ea frustraneus sit omnis conatus, de quo scite cecinit *Ovidius:*

Dum furor in cursu est, currenti cede furori,
Difficiles aditus impetus omnis habet:
Aggrediar melius tunc, cum sua vulnera tangi
Jam sinet & veris vocibus opus erit.

§. XIV.

Octava lex sit: *ubi motus jam languent, anodyna & sedantia summa cum cura sunt evitanda; ac potius vires reficientia motusque excitantia usurpanda.* Quemadmodum si non potior, certe haud postrema, dexteritatis atque peritiæ medicæ pars in eo versatur, ut artifex exorbitantes motus opportune complacare noscat: ita profecto præposterum ac damnosum est molimen, quando opprimuntur ac sopiuntur, ubi potius provocandi sunt & excitandi. Etenim anodyna & sopientia pharmaca & ex his frequentissimi usus opiata, ex heroicorum numero sunt, quæ magna pollent efficacia, & tam ad juvandum, quam nocendum parata, ideoque cautissime, ac ut *Celsus lib. V. cap.* 25. monet, non nisi nimia necessitas urgeat, usurpanda. Pessimus quidem quorundam mos fert, ut in quovis dolore, aut somni defectu, imprudenti consilio, sine circumstantiarum perita pensitatione, ad anodyna ceu sacram anchoram confugiant, & doloris mitigationem cum quiete procurare nitantur, quum tamen sapienter præcipiat idem *Celsus lib. III. cap.* 18. quod hæc moderatio semper sit adhibenda, ne quem obdormire volumus, postea excitare non possimus. Semper igitur ante sedativæ virtutis remediorum usum exquisita virium ratio habenda, eademque nunquam in usum vocanda, ubi virium, sive ob ætatis, sive aliam causam, adest imbecillitas, quæ ex impotentia membra movendi, pulsu debili parvoque, item actionum animalium torpore atque segnitie, sufficienter cognoscitur. Hoc autem neglecto quam maxime detrimentosa sunt, senes ad affectus soporosos disponunt, plethoricis sanguinis excretiones supprimunt, quibusdam mentis abalienationem conciliant, in febribus autem malignis aliisque morbis, dum vires penitus prosternunt motusque ad expugnandum morbum necessarios sopiunt, sphacelum ipsamque mortem inducunt. Et certe frequentissima est in observatis medicis mentio noxæ ex improvido sedantium & opiatorum usu, ut apud *Sanctorium de methodo vitandi errores lib. VII. cap.* 12. *Willisium in pharmacia rationali P. I. pag.* 392. *Sennertum Prax. lib. VI. cap. I. pag.* 7. *& Forestum lib. IX. obs.* 14. qui narrat, cacochymicum, cui imperitus medicus præscripserat in dolore calculi opium, somno sepultum esse perpetuo. Ipse quoque novi, quendam febre ardente laborantem, ad sopiendam diuturnam vigiliam aliquot granis laudani sumtis, æternam sibi conciliasse quietem. Quin non desunt exempla, ubi opium in forma suppositorii immissum mortem induxit, cujus generis plura scripto reliquerunt

Lex VIII.

Tilingius

Tilingius lib. de opio pag. 46. *Semmertus l. c. Marcellus Donatus hiſt. mirabil. lib. IV. cap.* 18. Et licet aliquando dolorem primum quodammodo mitigare videantur ejuſmodi ſopientia, attamen infidus eſt effectus & non ita multo poſt acerbiora ingruunt pathemata, morbus pertinacior fit ac pejor, ipſaque mors haud raro ſuccedit. Conceptis id de colico dolore teſtatur verbis *Trallianus lib. X. cap.* 1. ſic perhibens: *qui ex opio & altercо parantur, in colica non temere admovere oportet. Etſi enim doloris levationem afferre videantur, tamen efficiunt, ut poſtea dolor diutius permaneat, putoque bona ratione ipſa non conferre.* Et paucis interjectis ſic pergit: *multi igitur, quum in ejuſmodi affectibus iterum atque tertio dediſſent, effecerunt, ut partes læſæ emorerentur reſolverenturque, interdum vero etiam mortem omnino induxerunt.* Præſtat igitur potius antiſpaſmodicis, balſamicis, corroborantibus, analepticis, itemque bezoardicis paulo fixioribus & accuratiori inſuper diætæ ratione languenti naturæ ſuccurrere, ac motus conſervare atque erigere, ſique vel maxime, ob urgentes atroces dolores, ad complacationem aliquid videtur moliendum, non opiatis & vehementioribus ſedativis, ſed blandiſſimis anodynis, cum balſamicis naturæ amicis nuptis, utendum, qua virtute non poſſum non commendare liquorem meum anodynum ſic dictum mineralem, qui vires non proſternit, ſed cuſtodit, ac tutiſſime ſine metu omnis noxæ poteſt uſurpari; cui interdum refracta doſi balſamum vitæ, vel ſpiritus bezoardicus ad mentem Buſſii paratus adjungi poterit.

§. XV.

Lex IX. Ad nonam jam progredimur legem: *excretiones criticas & ſalutares promovere, non intercipere, decet.* Criticæ Veteribus dicuntur illæ evacuationes, quæ in acutis morbis, cujus generis maxime ſunt febres, ſponte à natura, ſine ulla etiam arte, certis diebus, ut ſunt medius inter tertium & quartum, ſeptimus, nonus, undecimus, plerumque cum bonis ægri rebus eveniunt. Ita enim, ut antecedenti capite docuimus, à ſapientiſſimo opifice coagmentata eſt corporis humani machina, ut inordinati in ea motus, qui à cauſſa morbifica excitantur, ſæpiſſime in medicinam cedant, ac per eoſdem ipſa morbi cauſſa ſumme pernicialis corrigatur & correcta è corpore expellatur. Et quum hæc materiæ correctio certum & determinatum temporis ſpatium requirat, antequam commode è corpore eliminari poſſit, atque huic negotio divina ſapientia ſeptenarium maxime numerum dicaverit, ex eo fit, ut evacuationes, quæ circa ſeptenos, vel ſemiſeptenos dies ſuccedunt, in ſalutem corporis maxime vergant & naturam ordinata ſua perficere indicent. Duplici vero modo excretiones illæ ſalutares ſunt. Vel enim ipſam cauſſam, quæ functiones corporis turbavit, ſecernunt atque evacuant, ut fit in variolis, in morbillis, in febre eryſipelacea, peſtilente, quibus in morbis, ubi ad ſummam cutim, vel glandulas, nocens materia propulſa fuit, mox ſæviſſima illa ſymptomata mitiora fiunt, aut plane conquieſcunt. Vel criticæ evacuationes hoc nomine ſaluti ſunt, quia effectum morbi pernicialem à corpore ſeparant atque removent, ſiquidem ſub ipſo morbo & motu concitatiori febrili, ſanguinis & humorum maſſa in multas excrementitias ſalſas, ſulphureas ſordes diſſolvitur, quæ, dum morbus in vigore & impetu eſt, non commode ſecedunt & expelluntur, ſimul ac vero cauſſa morbifica eſt ſublata, ac v. g. in inflammationibus ſtaſes ſanguinis diſcuſſæ, ſpaſticæ conſtrictiones corpus deſerunt, tubuli excretorii relaxantur & omne alienum atque excrementitium, quod ſub ipſo morboſo motu generatum fuit, utiliſſime propellitur, ut ſudor largiter profluat, alvus ſua ſponte deſcendat & copioſa excrementa mucida bilioſa dimittat, urina quoque craſſior ſecedat atque copioſum deponat ſedimentum, vel etiam humor craſſus viſcidus, in pectoris præſertim morbis, maxime acutis, uberius collectus per expectorationem educatur. Jam quiſque facile perſpicit, nihil perniciosius eſſe, quam ſalutiferas has excretiones temere ſiſtere ac intercipere. Sane, quam gravia, immo ſæpius funeſta mala, non modo à variolis, morbillis, purpura, cruſta lactea, ſcabie, eryſipelate, podagra, arthritide repulſis & ad interiora repercuſſis eveniant, plurimis obſervationibus atque experimentis in praxi medica quotidie innoteſcit. Perquam nota ſunt etiam illa damna, quæ ex antiquis ulceribus ſanatis & diu geſtatis fonticulis, præpoſtere conſolidatis, pullulant. Peſſime non minus ægrotantium ſaluti conſulunt, qui alvi fluxus in febribus continuis, immo malignis, quibus ſæpe ſalutariter morbus terminatur, noxios cenſent, eoſdemque ea propter imprudenter cohibere ac ſiſtere audent. Pariter exitiale molimen eſt, hæmorrhagias, quæ ſæpe febribus continuis ſuperveniunt, ſive in criticis diebus, ſive extra eas obveniant, vi quadam compeſcere, ex quo certe nunquam non capitale notavi damnum: quæ tamen omnia jam tum *Sect. I. cap.* 8. *de damnis ex cohibita cuticulari & cap.* 9. *ſanguineis aliiſque evacuationibus*, nec non *cap.* 15. *de criſibus in experientia rationali fundatis*, fuſius expoſui. Interim ſi forſan excretiones etiam ſalutares nimiæ & excedentes fuerint, ut vires iiſdem gravius peſſundentur, non tam directe ſedativa & ſiſtentia adhibere è re eſt, quam potius ea, quæ appulſum humorum ad alias partes divertunt & motuum impetus blande demulcent atque placant.

§. XVI.

Decima lege præcipiendum: *ut morbo, vel paroxyſmo finito, artifex roborantibus utatur, quo recidiva vel novus morbus arceatur.* *Lex X.* Qui ſaniorem medendi rationem ſequuntur, eos non latet, paroxyſmos morborum, præſertim ſpaſmodicorum vehementiores, ſubſequi magnam atoniam ac debilitatem corporis, & illius inprimis partis, in qua cauſſa morbi inhærens vehementiam ſuam exercuit, quæ relicta debilitas, non modo facillime paroxyſmos priores impetu longe fortiori revocat, ſed & ob ſanguinis circulum ibidem factum impediriorem & vigorem deperditum, humores noxii eo decumbere conſueſcunt, ibique ſtagnationem ſubeuntes, chronicis diuturnis & maxime lentis morbis ampliſſimam ſubminiſtrant occaſionem. Perite idem inculcavit artis noſtræ parens *Hippocrates aph.* 32. *ſect. IV.* hunc in modum differens: *quibus à morbo reſtitutis quippiam eſt infirmum, ibi abſceſſus fiunt.* Quem aphoriſmum *Heurnius* ita exponit: *quando poſt morbum infirmitatis aliquid ſupereſt, quæ ex laſſitudine & imperfecta criſi judicatur, ita ut ſuperſint materiæ febrilis reliquiæ, aut ſi liberalius ſe potu aut cibo invitent, quam immutata ventriculi actio, temperamentum & habitus perferre poſſunt, tunc in diſcrimen venit homo, quia partes internæ & externæ labefactatæ ſunt; hinc ſi non accurata diæta acceſſerit, hepatis & lienis ſcirrhi, vel cephaleæ, vel foras in artus, ſi ibi imbecillitas, abſceſſus*

eſſun-

effunduntur. Quare ne quid coacervetur, dentur pilulæ aloëphanginæ, maſtichinæ vel Ruſi, vel tale quid. Huc quoque referendus, *aph. XI. ſect. II. morborum reliquiæ, quæ à criſi ſuperſunt, recidivos morbos parere conſueverunt*, quod potiſſimum, ſicut rurſus id optime explicat *Heurnius*, contingit, quando ob infirmatam naturæ vim, materia morbifica non tota fuerit excluſa, neque in declinatione alvus purgante ſollicitata. Quæ quum ita ſint & experientiæ quoque teſtimonio uberius conſtent, utique manifeſto apparet, nihil eſſe finito motu morboſo ad reliquias mali exſtirpandas accommodatius, quam ut omne noxium & morbificum, quod adhuc hæret in corpore tacitaſque ipſi ſtruit inſidias, ſive in ventriculo, ſive in venis ſubſtiterit, mature excludatur & corpus ab omni excrementitio ſucco liberetur. Graviter vero in hoc errare utplurimum ſolent medici, quod in fine morbi & ægris ad ſanitatem redeuntibus, morbiferas reliquias neque evacuantibus, neque diaphoreticis eliminent, neque robur deperditum naturæ atque ventriculi per congruam diætam & probata ſtomachica apte reſtituant. Etenim quo minus medicus utilem opem conferre poteſt morbo in vigore conſtituto, eo majus eoque præſtantius in principio atque in declinatione ipſius eſt auxilium, ſiquidem initio, natura adhuc valida exiſtente, multum proderit, ſi omnia congruis ſubſidiis obſtacula, quæ motus ſalutares ſufflaminant, dextre removeat & materiam vitioſam diminuat; in declinatione vero, ſi corpus debilitatum, rurſus confirmet, vires languidas erigat, & quod reſtat adhuc noxium, expellat, & ſic non modo recidivas pejores, ſed & novos longe periculoſiores morbos plerumque ſuccedentes feliciſſime avertat. Ad ſubigendas igitur morborum reliquias & reparandum univerſi corporis robur, egregia virtute ſplendent pilulæ balſamicæ ut Becherianæ & ad harum exemplar paratæ Stahlianæ, vel noſtræ, quippe quæ aliquoties oblatæ, noxia clementer expurgant, ac ventriculo cum inteſtinis robur iterum conciliant, præter quas commendanda etiam ſtomachica, quæ digeſtionem promovent, motum periſtalticum infirmum egregie fulciunt & ſuccis vitalibus tenuitatem ac ſpirituaſcentiam denuo conciliant, quæ tanto utiliora ſunt, quanto minori, continuata tamen ſæpiuſque repetita doſi, aſſumuntur. Quod ſi autem ullo in morbo, certe in variolis & morbillis, reliquiæ morborum ut proſcribantur, corpus firmetur & ab inſultibus morboſis defendatur, neceſſe eſt, quandoquidem hoc neglecto, ex facili varias exulcerationes, abſceſſus quoque viſcerum aliaque graviſſima mala ſubſequi, experientia planum facit teſtatumque. Deinde poſt partum, immo abortum, vel puerperium etiam, uterus valde enervatus & à tono ſuo dejectus ad priſtinum robur commoda medicina reducendus eſt, ne magnæ contumaces ac diuturnæ inde reſultent affectiones, cui ſcopo eximie pilulæ noſtræ balſamicæ, vel infuſa laxantia leniterque purgantia, cum nervinis & uterinis mixta, una cum exquiſito in vitæ victuſque ratione temperamento, ſatisfaciunt. Mirum quoque tonum ventriculi & inteſtinorum labefactare ſolent diarrhœæ ac dyſenteriæ, qui ſi non cito reparatur, lentæ inde febres, pedum œdemata, ſtatus cachecticus, ſpaſini hypochondriaci aliaque redundare poſſunt, ad quæ arcenda egregio uſui, præter exactam diætam, eſt vinum generoſum, uti Hungaricum, vel Gallicum Pontack, parcius inter cibandum potum, nec non elixir ſtomachicum, vel balſamum ſic dictum vitæ, acciſa doſi, ſed diutius, uſurpatum. Semper autem præſtat hæc ſucceſſive perficere, ac vires potentiſſimum fractas atque depreſſas ſenſim analepticis reficere ac refocillare.

§. XVII.

Eadem cura tenenda lex undecima: *debilibus, debilia, valentibus, valentiora conducunt.* Hanc totidem fere vere verbis conſignavit *Celſus lib. II. cap.* 20. ſcribens: *Imbecillis hominibus rebus infirmiſſimis opus eſt, mediocriter firmos, media materia optime ſuſtinet, & robuſtis apta validiſſima eſt.* Et *Hippocrates lib. de loc. in hom. §. 55.* eandem ſic conceptis verbis inculcat: *medicamenta fortiora à natura in debilibus morbis dare non oportet*; ac paullo poſt: *medicamentum ſingulis ſecundum naturam, debilibus debilia à natura, fortibus vero, fortis naturæ pharmaca exhibenda ſunt.* Ut autem hic practicus canon eo clarius pateat, exponendum quid per debilia & valentia; tam corpora, quam pharmaca, ſit intelligendum. Debilitas igitur ejuſque oppoſitum firmitas & fortitudo, dicitur in genere à viribus, quæ valore effectus, id eſt, potentia movendi, ut in microcoſmo, ſeſe produnt. In homine quidem vires ſecundum functiones in quibus ſeſe exſerunt, optime in animales, naturales & vitales diſpeſci poſſunt, ſingulæ vero influxu ſubtiliſſimi, puriſſimi & mobiliſſimi, quod cum ſanguine mixtum & in cerebro ſegregatum per nervos vehitur, tanquam cauſa & fundamento nituntur & continentur. Quod ſummæ activitatis liquidum, quum ex puriori aëris & alimentorum ſubſtantia ortum trahat; facile patet, quod qui bene appetunt, digerunt & egerunt, robuſtioris ſint naturæ; contra ea quibus appetentia proſtrata, ingeſtio, digeſtio atque egeſtio vacillat, debiles & languidi; eo quod in illis humores puri & temperati, in his vero impuri & intemperati redundant. Infirmi vero etiam dicendi, qui ſenſibilioris animi & corporis & quorum nervoſæ partes levi etiam ex cauſa ad ſuſcipiendas anomalas motiones promtæ ſunt atque diſpoſitæ; valentes viciſſim, qui animi compoſiti, nec tam facile à rerum externarum inſultu afficiuntur aut læduntur. Atque adeo in procinctu eſt ratio, quare infantes, ætate graves, vel valde decrepiti, qui ſpongioſum fibrarum habitum obtinent, vaſa, nervos ac tendines exiliores gerunt, vigiliis, animi affectibus, mentiſque fatigationibus nimium indulgent, morbo graviori acuto, vel chronico laborarunt, aut nimium ſanguinis profuderunt, in debilium numerum merito referantur, una cum iis, qui morbo, multoque magis ejus paroxyſmo, jam detinentur. Per fortiora autem medicamenta intelligenda ea, quæ parva doſi magnis agendi viribus inſtructa, evacuandi ſc. & adſtringendi, commovendi & ſiſtendi, calefaciendi & refrigerandi, inprimis ex minerali regno petita: lenia contra ac debilia nuncupanda Galenica vulgo dicta, quæ non vi, ſed blande ac ſucceſſive operationem ſuam exſequuntur, nec majori etiam doſi facile nocent, ut ſunt clementia & per epicraſin laxantia, clyſteres, infuſa theiformia, lac aſininum, ſerum lactis, temperantia, diaphoretica fixa abſorbentia, liquores fixi alcalini cum balſamicis & amaris extractis conditi, nec non plura arcana illa univerſalia, panaceæ, eſſentiæ quoque ſolares dulces, quæ innocenter pariter in omnibus morbis, firmis æque ac infirmis præberi poſſunt, nec quicquam comprehendunt, quod conſpicuam in morbis inducere

poſſit

possit mutationem. Jam quum ad omnes salutares in corpore humano perficiendos effectus exquisita inter agentis & recipientis vires requiratur æquabilitas atque proportio, & natura humana ab omni excessiva, ut ait *Hippocrates*, qualitate lædatur, clarissime innotescit, in omni medicamentorum oblatione corpora curate esse distinguenda eorumque vires cum pharmacorum facultate solicite comparandas, & sic accommodam medendi rationem ineundam. Qui secus procedit, is certe graviter nocet, & debilibus fortia porrigens, vires iisdem opprimit penitusque prosternit, vel plane cum vita extinguit, debilia autem fortibus offerens, frustraneam prorsus locat operam, aut commovendo, nec emovendo quod in vitio est, malum exacerbat. Potissimum tamen cavendum, ne infirmos unquam validioribus pharmacis aggrediamur, sed hi semper magis diæteticis, quam pharmaceuticis sunt tractandi, & nullum medicamentum, ipsis sæpe est optimum. Quumque inprimis debilium numero accensendi sint infantes ac senes: patet certe, quam temerarium & imprudens sit molimen, infantibus dimidii vel unius anni lactentibus, epilepsia ex dentitione difficili correptis, acriora purgantia, ut pulverem ex resinæ jalappæ grano uno aut duobus, & mercurii dulcis binis, vel tribus granis, crebrius propinare, iisdemque demortuis, tamen de securissima medicatione, cum summa alterius contradicentis injuria, gloriari. Pariter ætate provectis tam fortia purgantia damno sunt gravissimo; quippe quæ teste *aph. 36. sect. II.* sana etiam corpora cito exsolvunt, multo magis senilia & imbecillia labefactant & detrimento mactant. Neque etiam infantibus, senibus aliisque imbecillibus, spirituosa calida, sic dicta confortantia, tam proficua & amica sunt ut vulgo putatur, eo quod hæc, ipsumque, ut audit, lac senum, vinum potens, largius haustum, intestinum calorem in succis accendunt eosdemque per hunc exhauriunt penitusque consumunt; moderate vero & medice cum optimi succi cibis assumtum vinum, acido destitutum & generosum ac purum, ut Rhenanum vetustum, vel Hungaricum, stomachi vires totamque naturam egregie reficit atque custodit. Neque vero tantum validiora pharmaca, verum etiam alimenta valentis, ut *Celsus* dicit materiæ, invalidis minus accommoda sunt atque proficua, licet & medicorum & aliorum vulgus erroneam hanc foveat sententiam, debiles & à morbo languidos, cibo, potu & jusculis confortantibus ac nutrientibus esse subinde reficiendos. Recte enim jubet *Hippocrates Sect. I. aph. II. in ipsis exacerbationibus cibos adimere oportet: nam præbere noxium, & cum per circuitus redeunt morbi, in ipsis accessionibus, abstinendum est*; eo quod corpora, ut impura, sic etiam imbecilla, monente eodem auctore, quo magis nutriveris, eo magis læseris, & vires in morbis non meliori ratione reparantur, quam prudenti medicatione & successiva causarum morbificarum remotione. Quamobrem memori utique mente nunquam non reponendum: inter vires corporis & medicamentorum, mensuram quoque alimentorum ipsumque laborem & motum, exquisitam semper servandam esse proportionem, eumque in finem, ut perite vult *Hippocrates lib. de morb.* curate expendendam hominis naturam, corporis staturam, ætatem, anni tempus & constitutionem, situm regionis aliasque id genus plures circumstantias.

§. XVIII.

Ad duodecimam nunc pergimus legem: *per paucis selectis medicamentis, ad morbos & sanandos, & arcendos, utendum.* Sane nihil magis medentem perturbat atque confundit, quam ingens illa remediorum multitudo atque varietas, qua libri botanici, pharmaceutici, chymici & practici referti sunt, ut non sine fastidio perlustrari possint, & parum absit, quin artem ipsam exhorreat diffusissimum hunc campum ingressus. Tam innumera enim sunt remediorum genera, tot compositiones, tot medicaminum vulgo adscriptæ virtutes, ut ne quidem memoria his omnibus capiendis sufficiat, tantum abest, ut quæ de singulorum usu & perita applicatione scitu perquam necessaria, animo teneri queant infixa. Celebrandum quidem in eo merito summi conditoris est providum institutum, quo benigna parens natura affluenter ex inexhausto suo penu varia & multiplicia in sanorum æque ac ægrorum usum suppeditat præsidia, neutiquam tamen opus est, ut omnia in usum vocentur, sed natura, ut in alimentis, sic etiam iis quæ in medicinam cedunt, paucis contenta est. Paucæ quippe & simplicissimæ sunt morborum causæ, ideoque iis etiam removendis pauca sufficiunt adminicula, & ex vero scribit *Jo. Langius ep. 76. ego dico, desipere eos medicos, qui pluribus medicamentis aliquid expediunt, quod paucioribus transigi potest.* Quin potius ipse ego scio & experientia edoctus sum, nunquam medicum, qui immenso isto pharmacorum, quæ in pharmacopoliis asservantur & plerumque sine ratione & fide mirificis encomiis celebrantur, apparatu, utitur, crebrius ea mutat & affatim ægris ingerit, ad veram, certam & intimam eorundem cognitionem, pertingere, in qua tamen præcipuum felicis medendi rationis momentum est repositum. Hic egregium profecto *Damasceni aph. 34.* est consilium: *pharmaca pauca tibi tenenda sunt, & quorum operationes ac potestates jam multoties expertus es. Totius enim multitudinis notitia incomprehensibilis est, ac quum per singulas volueris inquirendo discurrere, multiplici diversitate distentus, nescies, cui debeas fidem adhibere.* Artis igitur atque prudentiæ est, ex tam numerosa supellectili pauca & certæ virtutis quædam deligere ac per longam atque attentam experientiam quid in tot diversis, ut offeruntur quotidie, casibus & circumstantiis præstare queant, quid minus, addiscere, ac tum demum perspectis penitius eorundem viribus ac operationibus, iisdem uti ac in medicatione cum certa ratione inniti. Nam scite hanc in rem scribit *B. Wedelius de medic. facult. cogn. & applic. pag. 25. res se habet hæc instar amicorum. Magis æstimamus unum vel alterum amicum, quam centum notos. Multi etiam amicitiam offerunt, pauci merentur. Ita etiam curiosum, selectum & expertum medicamentum reliquis omnibus præferendum est. Qui omnes habet amicos, neutrum habet, qui omnia novit, neutrum novit.* Qui vero artem speculando tantum agitant & experientia destituuntur, hi certe fluctuant & hallucinantur, nec firmum, solidum & eventu comprobandum interponere possunt consilium, multo minus quamdiu usui insistendum, quando desistendum, qua dosi offerendum & quæ alia sigillatim circumstantiis accommoda, ex vero præcipere.

Lex XII.

§. XIX.

Ex præcipuis præterea medendi legibus est decima tertia: *Medicus in juvando naturæ curatricis opere, plus utatur remediis diæteticis, lenio-*

Lex XIII.

ribus & ſimplicibus, quam pharmaceuticis activioribus & compoſitis. Per diætetica ea intelligimus, quæ ex iis rebus, quibus ad vitæ & ſanitatis tutelam nemo non indiget & quæ recepta in ſcholis denominatione rebus non naturalibus accenſentur. Nam quemadmodum ex harum perverſo & inordinato uſu prima fundamenta & proximæ morborum origines pullulant pariterque vehementia augeſcunt: ita ad morboſas varii generis afflictiones arcendas & ſubigendas, legitimo illarum uſu & exquiſita victus & vivendi ratione aptius & accommodatius eſt nihil, nec ipſa natura ſine hac quicquam boni in ſanando præſtare, nec medicina optatum exſerere poteſt effectum. Unde vera ſunt quæ *Galenus* tradit: *nullum efficax remedium medicina habet, quod ſolidum auxilium afferre poſſit, ſi ei victus ratio reſiſtat, vel illud non adjuvet.* Sane ipſe ego ſancte aſſeverare poſſum, quod remediis diæteticis, quo aëris & cœli mutatio, corporis conveniens motus, accommodatus cibus & potus, nec non ſeri lactis, vel aquarum mineralium prudens uſus, item abſtinentia & quies, referenda, in expugnandis rebellibus chronicis morbis, qui maxime in imbecilli nervoſarum partium ſyſtemate longam & fixam ſedem habuerunt, ut affectus ſpaſmodici & convulſivi, hypochondriaci & hyſterici, id præſtiterim, quod fruſtra artificioſe compoſitis & concentratis medicaminibus tentarant alii, & ipſe à magnæ famæ medicamentis exſpectaram. Diætetica quippe remedia humoribus & motibus vitalibus affinia ſunt, & blande, ſucceſſive & cum tempore laudatiſſimam ſuam exſerunt operationem, naturam imbecillem & morbidam in meliorem ſtatum reducendo. At vero quo major eſt horum ſimplicium in medicina utilitas, eo pauciores ex medicis eorum cognitioni, multo minus dextro uſui debitum conſtituunt pretium ac utiliſſimam dant operam, ſed plerique penſi habitis diæteticis præceptis, nonniſi operoſe concinnatis è pharmaceutico fonte petitis ſubſidiis morbos oppugnare contendunt, quo tamen plerumque nihil aliud efficiunt, quam ut naturam in ſaluberrimo ſanationis ordine, progreſſu & tempore turbent, vel feſtinatione opprimant. Hinc citante *Langio lib. I. ep.* 76. multiplices medicamentorum ex ſimplicibus numeroſis conſarcinatas compoſitiones falſe jam pridem irriſit *Plutarchus in ſympos. Dec. IV.* Cui *Plinius H. N. lib. XXIV. cap.* 1. his verbis perbelle ſuffragatur: *ex terra naſcentibus nata medicina. Hæc ſola naturæ placuerat eſſe remedia parata vulgo, inventu facilia ac ſine impendio, ex quibus vivimus. Poſtea fraudes hominum & ingeniorum capturæ officinas invenere iſtas, in quibus ſua cuique venalis promittitur vita. Statim compoſitiones & mixturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio æſtimantur ulcerique parvo medicina à rubro mari importatur, quum remedia vera pauperrimus quisque evenet. Ita eſt profecto, magnitudo populi Romani perdidit ritus, vincendoque victi ſumus, paremus exteris & una artium medicina imperatoribus quoque imperat.* Longe prudentiores in eo ſe geſſerunt vetuſtiſſimi medicorum, ut peritiſſimus Cous, *Celſus* & methodici, qui, re probe perpenſa, quicquid in arte præſtiterunt, ſolius naturæ ordine & ductu & ignobilibus hiſce auxiliis ac diætæ beneficio effecerunt. Nam pharmaceutice quidem confecta priſcorum medicamenta, magna ex parte incondita ſunt ac nullius fere pretii; contra vero in eorum monumentis longe meliora & utiliora in regimine diætetico recte adhibendo in morbis & extra eos reperire quiſpiam poterit præcepta, quam in ullo fere recentiorum ſcripto. Laudandus tamen merito hoc in genere *Montanus* ejuſque optimus diſcipulus *Crato*, è quorum ſcriptis & ego multum profeci; quumque ipſa experientia de præſtantia magis confirmarer, utiliſſimam me collocaturum operam putavi, ſi neglectui datam hanc potiſſimam artis ſalutaris partem omnibus modis excolere atque ſplendori ſuo reddere anniterer, evulgatis hunc in finem quamplurimis latino idiomate & Germanice redditis iterum iterumque recuſis ſchediaſmatibus, non ſine luculento peritiorum applauſu. Accedit & hoc, quod in univerſa rerum natura nullum purum detur ſimplex, ſed omnia, quæ ad medendum tria ſic dicta regna ſuppeditant, ex variis & diverſis jam tum mixta ſint, nec etiam hoc nomine artificiali mixtione & compoſitione opus ſit; præferenda tamen maxime ea ſimplicia ſunt compoſitis, quæ non uni, ſed duplici, immo ſæpius triplici, indicationi curandi ſatisfaciunt. Ita v. g. manna præter facultatem alvum ſtimulantem, aliam adhuc, videlicet acidos, ponticos humores demulcentem & ſimul ſpaſmo conſtrictas fibras inteſtinales relaxantem, obtinet, unde in hypochondriacis & pectoris affectibus, omnibus aliis purgantibus palmam præripit. Rhabarbarum præter vim ſtimulantem cuſtodit etiam principium ſubadſtringentis & roborantis virtutis, unde tutiſſimum in diarrhœis ipſisque dyſenteriis eſt laxans. Cortex chinæ quoniam non modo amaritiem, qua acidum vitioſum in intermittentibus corrigitur & blandior ſpirituaſcentia ſanguini conciliatur, habet, ſed & elementum genus nervoſum valde imbecille & ad novam febris materiam progignendi pronum roborandi aptum obtinet, aliis antifebrilibus & compoſitis recte anteponitur. Pulvis florum chamomillæ vulgaris propter oleum virtutem anodynam & antiſpaſmodicam, ac propter amaritiem ſubtilem vim aperientem & corrigentem recondit. Mentha cuſtodit oleum ſubtile roborantis pariterque anodynæ virtutis, ſimul quoque elementum adſtringens terreæ fixioris naturæ, ideoque in vomitu non datur ea præſtantius. Neque tamen omnem omnino ſimplicium ſic dictorum compoſitionem, multo minus cum ratione inſtitutam miſcelam, rejiciendam, ſed potius quandoque proficuam admodum, immo neceſſariam eſſe, arbitror. Sic nitrum eſt ſimplex, ſi ullum, certe hoc præſtantiſſimum, quod calorem inteſtinum ſedat, acrimoniam biliоſam temperat, alvum ſimul laxat & urinæ fluxum promovet; quod ſi vero intentio eſt medici præter has virtutes aliam addere, nempe acidum in primis viis corrigendi, commodiſſime ipſi pulvis ex lapidibus cancrorum abſorbens adjicitur. Pari ratione opium, ne nimium ſiſtat excretiones, non inutiliter miſcetur cum purgantibus, ut aloe, in pilulis Wildeganſii, cum extracto hellebori & oleo terebinthinæ in pilulis Starckii, ſive Anglicanis, cum alexipharmacis in theriaca cœleſti. Neque etiam laude ſua defraudanda chymica & ex metallorum cenſu depromta pharmaca, maxime ubi periculum in mora & efficaciter morbi cauſſa & aggredienda & exterminanda; ſemper tamen leniora, quæ ſecura, naturæ amica, & non tam exquiſitam expoſcunt circumſpectionem, præferenda activioribus, quin prudentiæ, ut ſcite monet *Meſues*, granum eſt, ad valentiora nunquam deſcendere, ſi debiliora ſufficiunt.

§. XX.

Addenda denique reſtat lex decima quarta: *Le à crebra mutatione medicamentorum abſtinendum*

&

& ſecuris atque probatis remediis inſiſtendum, licet non ſtatim conſpicuum afferant levamen. Eſt hæc ex præcipuis, quam Veteres ipſa experientia edocti ſolicite inculcarunt. Hos enim medicamentorum continuationem maximi feciſſe, præter alios auctor eſt *Seneca ep.* 2. egregie ex ipſorum mente perhibens: *nihil æque ſanationem impedit, quam remediorum crebra mutatio.* Hinc etiam medicamenta annalia, quæ per integrum annum uſurpabantur, Priſcis dicta ſunt, quorum meminit *Cælius Aurelianus lib. de paſſion. chron. cap.* 2. his verbis: *Veterum quidam in paſſionibus arthriticis annalia medicamenta potanda præbuerunt, ut eſt diacentaurium & diaſcordium, bibenda anno continuo judicantes iis, qui longo tempore fuerunt paſſione vitiati.* Et profecto proſtant incomparabilis adverſus multos morbos virtutis præſidia, quæ ſine continuato & repetito uſu, parum, vel nihil juvant. Luculento exemplo ſunt ſoteriæ aquæ, inprimis Carolinæ thermæ, quarum in debellandis chronicis & rebellibus morbis mira certe efficacia, ſed nonniſi per longum tempus & larga copia iiſdem potis, exſpectanda aut impetranda. Digna eſt quæ hic interſeratur obſervatio ex *M. N. C. Dec. II. Ann. I. obſ.*179. *Reverendus Pater multis ventris torminibus & compreſſionibus pectoris vexatus, ſuaſu quorundam ad thermas Carolinas ſe contulit, & bibere cœpit thermales aquas tanta in copia, ut fidem ſuperare videretur: bibebat nempe ſexaginta quatuor diebus* 26089. *ſextarios, ſextarius autem unus erat duodecim unciarum.* Et additur: *ſi citius diſceſſiſſet & humores commoti non expurgati fuiſſent, in pejorem corporis ſtatum incidiſſet, & omnia media adhibita incaſſum abiiſſent. Ab eo autem tempore curatus egregie fuit, & ter quaterque in anno thermas iſtas inviſit, ſex ſeptimanarum ſpatio ibi commoratus.* Quo etiam referendum *Cælii Aureliani l. c.* monitum; *in articulorum paſſione uſus adhibendus aquarum, tum calidarum, tum frigidarum, ut ſunt Abuleæ & Catiliæ, ſed affectanda repetitio.* Pariter in lacte, inque primis aſinino, quam maxime præſtabiles adverſus chronicas paſſiones, phthiſin, atrophiam, podagram, arthritidem & ſcorbutum reconduntur virtutes quidem; quas tamen non brevi & parco, ſed diuturno demum & largo uſu, exſerit. Quam in rem inſtar omnium eſſe poterit *Pechlini* teſtimonium *obſ.* 23. ita differentis: *lac eſt ſummum remedium, ſed continuato id efficit uſu, quo nempe per iteratas circulationes ſalis arthritici aculei obtundantur, & parato per alvum aut renes tartareo fermento, velut poſitis reduviis, novus recoctuſque ſanguis emergat. At*, recte ſubjungit, *hanc ego curam eo abſolutiorem fore confido, quo lactis uſus diuturnior eſt & diæta in ceteris moroſior. Verum cum deficiant ſtatim ad prima experimenta delicatuli noſtri, nec lactis uſum cum decenti diæta, quæ tamen hic omne fert punctum continuent, mirum non eſt, ſi deſideratus ſe non ſiſtat effectus, aut plane ſiniſter inde emergat eventus.* De quo etiam argumento plura attulimus in *diſſertatione: de mirabili lactis aſinini uſu in medendo.* Serum quoque lactis, præſertim ſecundum noſtram inventionem recenter & dulce præparatum, ſpectatiſſima certe in morbis longis & rebellibus ſplendet efficacia, ſed opus eſt, ut potatio ad unum vel alterum menſem extrahatur, ac eodem modo ſub iiſdemque cautelis in vitæ victusque regimine inſtituatur, quam cum acidulis vel thermis ſolenne eſt, prout latius expoſuimus *in diſſertat. de ſeri lactis virtute longe ſaluberrima.* Decocta medicata, præſertim temperatiora, quicquid in lue venerea ad ſanguinem purificandum, & ex traumaticis, aperientibus & conſolidantibus ſpeciebus concinnata, quicquid in phthiſi & internis atque externis abſceſſibus præſtant, id omne longo & continuato uſui in acceptis ferendum, ſine quo nulla fere virtus nullusque effectus conſpicitur. Quin in plurimis chronicis affectionibus, ut malo hypochondriaco, hyſterico, cachexia, chloroſi virginum, menſium ſuppreſſione, inque primis affectibus uterinis, parum, vel nihil, ſolidi levaminis afferre poterit medicus, niſi paullo diutius appropriatis & accommodis remediis, ut ſunt elixirium noſtrum balſamicum temperatum alcaliſatum, pilulæ polychreſtæ balſamicæ, deterſiva, balnea, elixir ſtomachicum in notis ad Poterium deſcriptum, per aliquot menſes inſiſtat. Cinnabarina, ceu arcanum antepilepticum, à Chymiatris potiſſimum magnis laudibus extolluntur; ſed vix reſpondet effectus, niſi in paullo largiori, ad grana decem, & repetita ad aliquot dies doſi, uſurpentur. Qua quidem ratione, non modo in epilepſia à cauſſa interna, ſed etiam externa, à gravi nempe capitis percuſſione producta, vertigine, motibus convulſivis, præſentaneam & incomparabilem eorum facultatem olim ſæpius expertus ſum, licet non eo, ut vulgo moris eſt, fine, ceu ſedativum & anodynum, ſed potius ut medicamentum, quod humorem alveis elapſum & membranis cerebri vel nervis inhærentem, reſolvit & colliquat, adhibuerim. Nec mercurius dulcis, nec æthiops mineralis, curat luem veneream, vel defœdationes aut exulcerationes cutis, niſi uſus ejus continuetur. Neque etiam chinæ cortex intermittentes tollit, niſi ejuſdem uſui aliquandiu ſub debitis cautelis inſiſtatur. Neque denique fluor fœminarum albus facile abigitur, quam balneis, laxantibus & roborantibus diutius paullo uſurpatis. Et quæ plura hac de re exempla & monita in *diſſertatione de prudenti medicamentorum continuatione*, attuli. Igitur non poſſum non omnibus, qui cum laude in artis exercitio verſari geſtiunt, pauciora, ſed ſelectiora, eaque leniora potius, quam activiora remedia, de meliori commendare, ac ut iiſdem cum prudentia & conſtantia uti addiſcant, quam maxime ſuadere. Nam vere dixit *Helmontius: pauca ſunt, quæ medicum nobilitant*, ſed hæc, addo, pauca pauciſſimis ſunt cognita, & apparatu quidem ac copia medicamentorum non deſtituimur; at perita & in experientia fundata eorundem applicatio, cum dexteritate adhuc ſemper & ubique eſt in deſideratis.

CAPUT III.

De medicamentorum viribus & cauſſis ignorantiæ earum.

§. I.

Remediorum vires parum cognitæ.

QUando medicus naturam, cui principem in ſanando locum merito vindicamus, dextre adjuvare ac imitari nititur; nihil ei prius, nihil poſterius eſſe debet, quam ut non modo juxta *Hippocratem lib. de flat.* cauſſas corporis affecti, ſed & remediorum, quibus tanquam inſtrumentis omnia ipſi perficienda, vires & facultates penitius cognitas habeat atque perſpectas. At vero quo magis in artis exercitio utile eſt ac neceſſarium, veras & non fictas medicamentorum, pro tam diverſa corporum & morborum ratione vires, intimius

intimius noſſe; eo magis utique dolendum, immo mirandum eſt, quod, ſi dicere licet quod res eſt, perpauca ſint remedia, quorum virtutes & operationes certæ ac recte perſpectæ, ſed pleraque ſpem atque exſpectationem curantis fruſtrentur, quin veræ pharmacorum facultates in *Democriti* quaſi puteo adhuc latitent. Quod quidem aſſertum paradoxon & plane à veritate alienum videri poſſet, quum tam numeroſi libri practici, botanici, chymici & pharmaceutici, medicamentorum, tam ſimplicium, quam compoſitorum Galenicorum & chymicorum copiam, non modo recenſeant, ſed & eorum laudes atque efficaciam miris concelebrent encomiis, nec tamen ſatis deprædicare poſſint: nihilo minus tamen re accuratius expenſa & adhibita ad tam magnificas laudes & tantopere decantatos effectus explorandos circumſpecta obſervatione, pauca certe ſuperſunt, quæ fidæ & expertæ virtutis, plurima vero infida, ſuſpecta, fallacia, ficta & energiæ egentiſſima; licet in nullo mendacio ſecundum *Plinium lib. XXIX. cap.* 1. majus ſit periculum quam in medico.

§. II.

Quia eorum multitudo nimia.

Si cauſſam hujus tam pernicioſæ ignorationis medicamentorum quoad veras ſuas vires & facultates diſquirimus, ſunt quidem plures, inprimis tamen ipſa immenſa illa per ignorantiam pariter adeo accumulata moles & farrago remediorum, quibus ars ſalutaris referta & tantum non oppreſſa eſt, impedit, quo minus recte in exquiſitam ſingulorum notitiam pervenire poſſimus. Nam quum tam mirifice dilaudatis pharmacis Practici uterentur, nec tamen exſpectatus effectus ſequeretur, mox ad alia delapſi, nova condere, vel ab aliis recenter condita, in uſum vocare cœperunt, quæ quum eodem modo ipſorum votis non reſponderent, ſed ubique inertiam atque defectum arguerent, alia rurſus conſilii inopes quæſiverunt, immo ad chymica, panaceas & ipſa exotica, quorum modo fama afferebatur, converſi ſunt. Hinc nata eſt tanta medicamentorum ſylva, qua certe nihil ad diſtinendam ægrotantium ſalutem & ad praxeos rationalis & efficacis incrementum remorandum, deterius inveniri poteſt. Nam profecto ſub tanto numero medicamentorum, quibus noſtro tempore pharmacopolia referta & plane onuſta ſunt, genuini & proprii cujuſvis effectus & operationes, in tot differentibus naturis, morbis eorumque cauſſis, recte haberi & cognoſci non potuerunt, neque etiam unquam cognitio intimior ſperanda, aut virium exploratio cum ſucceſſu molienda, niſi prius ad paucorum & ſelectorum numerum redigatur innumerabilis apparatus.

§. III.

Pathologia vera ignota.

Altera cauſſa, ob quam veræ remediorum in medendo proprietates adeo ignotæ atque abſtruſæ, eſt veræ pathologiæ ad hæc uſque tempora neglectus. Nam ſicut ſecundum *Hippocratem lib. cit. de flat.* ſi quis cauſſas corporis affecti probe cognovit, potens eſt valde ea afferre, quæ corpori commodant, nimirum contraria morborum natura perſpecta: ita omnis qui hac cognitione deſtituitur, vel erroneam hauſit, neutiquam etiam accommoda remedia invenire atque in uſum proponere poteſt. Quapropter pathologiam veram veræ therapiæ primum & præcipuum fundamentum habendam eſſe recte ducimus, & hinc etiam non ſine ratione & fine in priori ſectione copioſius & accuratius ad eam ſtabiliendam valde utilia capita adduximus. Quumque ex hac ſolida morborum philoſophia planius innoteſcat, non multiplices & valde abditas atque abſtruſas, ſed ſimplices & manifeſtas eſſe multorum & magnorum morborum ac ſymptomatum cauſſas, quæ maxime pro differentia locorum quibus inſident, valde differentes læſiones & effectus producunt: in proclivi omnino eſt judicare, non pluribus, ſed paucis pariter ad removendas has cauſſas opus eſſe remediis.

§. IV.

Vulg diun dica abſo ineſſ

Accedit tertio & inter ea, quæ defectum in perquirendis & cognoſcendis veris remediorum facultatibus arguunt, merito referendum & illud eſt: quod non modo vulgus, ſed & ipſi medici, qui doctis accenſeri volunt, noxiam hanc foveant opinionem, quaſi ipſis medicamentis formaliter inhærerent noxii, vel ſalutares effectus, qui ipſorum uſum ſequuntur. At vero hæc aſſertio non ſolum erronea, ſed etiam pernicioſa eſt, ac tum in phyſicis, tum medicis rebus ingentem ſterilitatem affert. Etenim omnes omnino corporum in rerum natura vires neutiquam ſunt abſolutæ, ſed relativæ & conditionatæ, certis reſpectibus & circumſtantiis limitatæ. Nimirum omnes effectus & operationes, quæ in corpus male affectum redundant, nonniſi motu accedunt; jam vero ex phyſicis & mechanicis patet, non in uno & ſimplici corpore motum exiſtere, ſed demum ex duorum congreſſu & reactione emergere, ipſamque vim motricem unius corporis ab alterius reagente mirifice modificari: adeoque de nullo etiam medicamento in ſe conſiderato, certus quidam effectus, qui ſpecies motus, ſalutaris, vel minus talis, prædicari poteſt, licet eidem vis quædam ad actionem exſerendam inſit. Quapropter recte omnino colligitur, ut corpora, ſic etiam medicamenta, agere non tam ſecundum receptivitatem, & remediorum effectum non modo ad cauſſas morbificas, ſed & individua quæ varia ſunt, & ſine quorum cognitione fallax omnis medicinæ operatio, recte ſimul referri. Hæc autem accuratior circumſtantiarum cognitio ex parte difficilem & conjecturalem artem noſtram quidem reddit, ſed rationalem ab empirica quam optime diſtinguit: quandoquidem prudentis & cum ratione agentis medici eſt, in ſanando quovis morbo, omnes tam prævios, quam concomitantes circumſtantias probe inquirere, ponderare, naturam medicamenti cum genio morbi, & quidem ſub tali corporis conſtitutione, probe comparare; hoc autem prætermiſſo, præter futilem, cœcam & temerariam Empiriam exſpectandum nihil. Et quamvis poſt cœco tantum auſu adhibitam medicinam interdum per accidens & caſu, vel declinante jam morbo, ſalutaris ſuccedat eventus, eo tamen, ſi non alio nomine, culpandum erit ejuſmodi molimen, quod ſemper periculum ſit, ne gravi damno, quod prudenti adhibita obſervatione evitari poterat, ægrotantes mactet.

§. V.

Quod men c experi tiam.

Res clarius patebit exemplis. Nimirum lippis notum eſt atque tonſoribus, jalappæ purgantem ineſſe facultatem. Hæc autem ſi eadem doſi, ad drachmam dimidiam, vel decem corporibus ſanis, etiam ejuſdem ætatis, mane offeratur, mirum certe erit, quam diverſus effectus ratione temperamenti, conſtitutionis corporis, partium nervoſarum, immo virium, inde reſultabit: in hoc vel decem ſedes cum vomitu, in illo quinque

que tantum, in alio paucas valde, ſed anxietates ſimul junctas cum inappetentia, movebit, in hoc vehementia tormina, in illo nulla, excitabit. Et eadem operationis diverſitas, non modo in reliquis purgantibus, ſed & aliis evacuantibus, emeticis, ſudoriferis & diureticis animadvertitur. Neque etiam in artis exercitio verſantibus obſcurum eſſe poterit, quantopere medicamentorum efficacia ſecundum clima, regiones, anni tempora & tempeſtatum conſtitutiones, victus & vivendi genus diſcrepet: unde recte *Celſus* dicit: *aliud medicamentum Romæ, aliud in Græcia adhibendum.* Certe Weſtphaliæ, Pomeraniæ & ſeptentrionalium regionum incolæ, purgantia, emetica & alia fortiora, experientia teſte, quam optime ferre poſſunt, quæ Italis peſtifera & tantum non venenata ſunt. Hoc vero diſcrimen longe magis in ſtatu morboſo obvium, dum unum medicamentum eodem modo & regimine, tempore ac doſi, eodem in morbo exhibitum, uni prodeſſe, alteri non convenire, ſed nocere, per attentam obſervationem confirmatur. Expertus id nuperius admodum ſum in binis puellis gemellis quinque annorum, quæ eadem victus & vivendi ratione uſæ, eodem tempore variolis corripiebantur, & decumbentes iiſdem medicamentis eademque methodo tractabantur, diverſo tamen plane eventu, dum altera gravioribus longe ſymptomatibus conflictata, inter decimum & undecimum diem exſpiraret, altera vero eadem puſtularum copia obſita, mitius laboraret & feliciter evaderet, ac in eo tantum diverſa eſſet corporis conſtitutio, quod quæ moriebatur laxioris & ſucculentioris, altera vero ſtrictioris & firmioris eſſet habitudinis. Pariter chinæ cortex circumſpecte adhibitus divinum certe in intermittentibus eſt remedium; ſed quam noxius inde etiam in iiſdem febribus propullulet effectus, notiſſimum eſt. Martialia in cachexia, chloroſi, in affectione hypochondriaca, effectum perſæpe præſtant longe ſaluberrimum, nonnunquam vero plus noxæ, quam emolumenti afferunt. Quam diverſa remediorum, quæ ſedativa virtute prædita, ut opiatorum, ſit operatio, noxia & ſalubris, nemo non novit. Sulphura ex mineralibus, maxime ex antimonio, item medicamenta ex mercurio rite parata, incomparabili pollent virtute in chronicis & rebellibus morbis debellandis, inprimis lue venerea, ſed niſi circumſpecte pro circumſtantiarum ratione uſurpentur nocentiſſima ſunt. Superſedeo plura alia adducere exempla, quum ex allatis abunde eluceſcat, veriſſimum eſſe *Hippocratis lib. de arte* §. 7. effatum: *quæ profuerunt, ob rectum uſum profuerunt, quæ vero nocuerunt, ob id quod non recte uſurpata ſunt, nocuerunt.* Et *Celſum lib. III. cap.* 1. egregie ad veritatem ſentire, dum aſſerit: Medicum non ſemper poſſe præſtare artis affectum, licet ſit perpetuum in arte medica, quid fieri debeat, tamen non eſſe perpetuum, quod ſequi convenit.

§. VI.

Quia fallacia cauſſa ut cauſſæ plerumque committitur.

Accedit quarta tam ſupinæ ignorantiæ in propriis & veris medicamentorum facultatibus cognoſcendis cauſſa frequentiſſima, quod nimirum medentes naturæ, morbi & medicamentorum vires atque effectus non curate invicem diſtinguant, ſed ſæpiſſime fallaciam cauſſæ ut cauſſæ admittant, quæ frequens & quaſi propria eſt in medicorum ſcholis, ut nullus facile ſit, qui cum hoc non colluctetur vitio. Nihil enim frequentius, quam quod naturæ, immo morbi effectus, à vulgo & ignaris medicis pro operatione medicamentorum habeantur ac falſo venditentur. Sane qui atrocia illa in variolarum initio obvia ſymptomata, delirium, epilepſiam, applicato antea clyſteri vel interius aſſumto medicamento adſcriberet, is certe plurimum erraret, cum illo, qui viciſſim medicamento diaphoretico, circa quartum diem, quo ſponte omnia pacatiora fiunt, propinato, pathematum ceſſationem tribuere vellet. Plures vero ex idiotis ſæpe hac ratione immeritam plane quandam famam callide aucupantur, ut oblato ab ipſis circa dies criticos, quibus ſponte ſolvitur morbus, vel etiam ſub declinatione medicamini, ſubſequentem ſalutarem effectum tribuant & ignaris imponant. Interim tamen non negandum, remediorum, naturæ & morbi effectus non ſemper à priori diſtinctos ſatis comparare, ſed prudentiſſimos etiam ſæpe in cognitione falli, & recte dixiſſe *Galenum de medicament. facult. lib. II. ſæpe propriam cujuſque medicamenti vim obſcurari neceſſe eſt, ubi fallentem aliunde qualitatem acceperit.* Quo etiam apprime facit elegans *Pechlini in obſervatt.* teſtimonium: *aliquando*, inquientis, in *medicina eveniunt, quæ evenire nec poſſe, nec debere, juratus crederes, adeo aliena illa ſunt, cum à ſcopo medici, tum medicaminis effectu. Nunc etiam quæ ſperas & fingis animo futura, non eveniunt, & cum eveniunt aliter quam oportet.*

§. VII.

Pauci norunt principia indagare.

Neque porro prætereundum, multum omnino ad hanc medicorum circa medicaminum vires ignorantiam contuliſſe, quod perpauci iis adminiculis inſtructi ſint, quorum miniſterio elementa & principia, quibus medicamenta agunt & in corpus operantur, indagari & cognoſci poſſunt, philoſophia nempe experimentali chymicomechanica, quæ variis mixtionibus, deſtillationibus, extractionibus, ſolutionibus, corporum texturam, ingredientia, craſin, à qua eorum qualitates, proprietates & affectiones dimanant, detegit atque recludit. Ob hujus itaque ſcientiæ defectum, turpe dictu eſt, per multa ſæcula tota cana vetuſtas & recentiores quoque in pernoſcendis medicamentorum agendi principiis ſumma in ignorantia verſati. Antiquiores enim commentitiis quatuor elementis, qualitatibus, humoribus & temperiebus tanquam ſaxo adhærentes, nil niſi ſterilia & futilia circa hanc rem propoſuerunt. Poſt hos Philoſophiæ Carteſianæ addicti nimis ſubtiliter de actione medicamentorum in corpus differere, & eorum operationes ex varia particularum figura, magnitudine, nexu derivare voluerunt, ſed parum ad uſum. Et noſtro jam ævo prodeunt, qui hæc omnia rejicientes, aſſerunt: aliam eſſe actionem medicamentorum & corporum phyſicam, juxta phyſica principia explicabilem, aliam vero medicam, ad vivum corpus relatam. At licet nemo unquam negaverit, vivo, non mortuo corpori offerenda eſſe medicamenta; in obſcuro tamen evolvendum manet, quomodo hæc agant in corpore vivo. Et licet porro contendant, per vivum corpus intelligendum eſſe corpus principio interno activo, motus & omnem quoque medicamentorum actionem ad arbitrium & moraliter certum in finem dirigente, inſtructum, eaque propter ſupervacaneum penitus cenſeant illum conatum, quo principia & modus agendi remediorum inveſtigantur: hæc tamen omnia ſunt mera ſuppoſita, quæ nulla firma demonſtratione nituntur, nec etiam quicquam utilitatis ad rationalem therapiam conferunt, ut potius cœcæ Empiriæ apprime faveant.

§. VIII.

Per Philosophiam experimentalem.

Igitur certum interea sit, pro diversa natura & indole medicamentorum, quæ etiam ex parte ipso odore & sapore cognoscitur, aliam atque aliam esse ipsorum operationem, v. g. refrigerandi, calefaciendi, sudorem, urinam & alvum movendi, motus sedandi & intendendi. Certum quoque ac firmum sit, omnes in corpore nostro effectus, à causarum suarum nexu indissolubiliter dependere, adeo ut remedia, si sub certis conditionibus applicentur, certum etiam activitate sua edant effectum. His autem ceu veris, ut sunt, tantisper suppositis, nullum dubium est, quin mediantibus experimentis variis chymicis & mechanicis, à priori quam optime in principia & vires medicamentorum quispiam inquirere & penetrare possit. Clarissimo sunt documento soteriæ aquæ, thermæ nempe & acidulæ, de quarum ingredientibus Veteres ex defectu scientiæ physicæ & chymicæ nonnisi fabulas & commenta in conspectum produxerunt, ego vero, quod citra arrogantiam dixero, primus fere in plurimis Germaniæ fontibus experimentorum ope genuina erui elementa, ut jam de eorum effectu judicare & quid in hoc vel illo morbo præstare possint, verum judicium ferre sit in proclivi. Neque minus ejusdem Philosophiæ experimentalis beneficio & mediante quoque sapore & odore, veras & genuinas in vegetabilibus detegi posse vires arbitror, ut pluribus asserui in exercitatione *de methodo compendiosa vires plantarum indagandi*, inserta *tomo primo opusculorum physico-medicorum.* Quin tentaminum chymicorum adminiculo, multorum certe arcanorum, inprimis quæ ex auro sumtuose præparari jactitarunt, ingredientia, quantumvis occultata, sunt evoluta ac magnificæ ipsis falso & fraudulenter adscriptæ virtutes manifestatæ.

§. IX.

Et experientiam.

Monendum tamen est, non omnes medicamentorum facultates & proprias virtutes, hac ratione solius experimentalis studii subsidio elici posse atque detegi, sed easdem demum à posteriori, sive effectu & experientia, melius in conspectum venire. Ecquis enim est, qui solis experimentis physico-mechanicis argenti vivi vim tam vehementer salivam moventem, nitri virtutem refrigerantem & antispasmodicam, arsenici exitialem venenatam, seminis hyoscyami narcoticam, rhabarbari purgantem, cantharidum diureticam, antimonii emeticam, à priori per ejusmodi experimenta, nisi accedat experientiæ suffragium, conjicere, vel certo determinare poterit. Neque etiam virtutem quandam medicamenti semel aut bis expertam pro certa & probata venditare licet, sed iterata demum & aliquoties sine suspicione alius causæ confirmata experientia verum esse effectum evincit. *Multi siquidem*, ut perite monet *Baglivius Lib. I. prax. cap. 5. §. 1. & 8. ob fausios eventus, semel vel bis observatos, ex aliquo remedio, vel potius ob innatam quandam proclivitatem, tum laudandi, tum fingendi ad lubitum medicamentorum vires, ita erga remedium aliquod afficiuntur, ut putent, illud unum ad curandos quosque morbos, summam vim ac veluti imperium obtinere, sed progressu temporis re melius perspecta, illud particulare & instabile, non vero commune ac perpetuum fuisse, animadverterunt.*

§. X.

Cognitioni obstat com-

Denique etiam haud leve obstaculum penitiori virium in medicamentis cognitioni objicit, tum *positoru usus & mutati* quod rarissime simplicia, ac utplurimum composita, nec hæc sola, sed aliorum usu interpolata, usurpentur, tum etiam quod pleraque medicorum turba animo fluctuet, nec uti quidem decebat, insistat usui, sed juvante non illico oblato medicamento, aliud promat crebriusque mutet. Etenim adhibitis multis simul simplicibus, dubium utique est, cui potissimum adscribendus effectus, multo magis si adjecta ita sunt comparata, ut virtutem vel infringere, vel intendere, possint. Et licet simplicia non semper omni indicationi satisfaciant, sed connubio eorum sæpe opus sit; tamen compositorum etiam genuina virtus nunquam innotescere potest, quando subinde alia atque alia interponuntur ac ipsa adhibendi methodus pluries variatur. Longe magis vero huic cognitioni obest crebra mutatio, quandoquidem remediorum effectus nonnisi certo tempore perfici potest & cognosci, quod nisi exspectetur ipseque usus aliquandiu continuetur, neutiquam de virtute certi quippiam poterit asseri, sed quantumvis egregium pro sterili habebitur. Eximium hanc in rem est *Celsi* præceptum *lib. III. cap. 1. non statim*, inquientis, *condemnetur, si quid non statim profuit; minus vero removeatur, si quid paulum saltim juvat, quia profectus tempore expletur.* Et idem etiam jam præcedenti capite *lege XIV.* pluribus inculcavimus. Atque hæc sunt potiora impedimenta solidæ cognitionis virium in medicamentis; quæ qui superat ac removet, pariterque tempus exhibitionis, dosin & modum cum congruo vehiculo propinandi curate annotat; is omnino genuinas facultates & operationes explorabit & cum certa ratione habebit perspectas.

CAPUT IV.

De medicamentorum quatuor summis generibus & operandi modo, speciatim alterantibus.

§. I.

Medicamentorum in classes distribut necessari

QUum omne fere medici officium in eo contineatur, ut, quæ tum ad tuendam, tum redintegrandam labefactatam valetudinem, nec non levanda & mitiganda urgentia pathemata faciunt, tempestive offerre, & vicissim, quæ insalubria & fugienda, perite arcere noscat; in proclivi est judicare: ad hoc ex voto perficiendum nihil æque necessarium esse, ac distinctam & curatam sanitatis præsidiorum notitiam. Hæc autem cognitio supponit non solum notitiam virium, sed etiam elementorum & operandi rationis; quo medicus solido dijudicare queat ratiocinio, quid ex omni apparatu in hoc vel illo morbo, hoc vel illo individuo, hoc vel illo tempore & pro diversa aliarum circumstantiarum ratione, obsit, aut proficiat. In quo quidem ut recte versetur artifex & habeat, unde cuivis casui accommodum expedite promere & cum fructu afferre queat; nihil aptius magisque proficuum est, quam si omnia hæc sua instrumenta, secundum ipsorum principia, modum operandi & effectus quoque quos sub certis conditionibus præstare possunt, in certas classes perite & compendiose dispescat.

§. II.

Quæ mi nus recte huc usque adornata

Jam quidem quamplurimi ejusmodi syllabi & catalogi materiæ medicæ, à doctis etiam viris concinnati, passim circumferuntur: sed si verum fateri

fateri licet, ita utplurimum ſunt comparati, ut ſolidæ & rationali therapiæ inde adornandæ, plus obſint quam proſint, & à peritis ac in ipſa arte exercitatis vix ſine indignatione perluſtrari queant. Etenim obviæ in iis ſunt longe plures quam par eſt & innumeræ fere remediorum claſſes, ut non ita pridem in ejus farinæ libello vel quinquaginta numerarim, prout nempe ratione partium quas afficiunt, ratione morborum in quibus conveniunt & ratione effectuum quos interne & externe edunt, variant. Ipſæ vero conſignationes diffuſæ & tam variis diverſæ ac plane contrariæ indolis medicaminibus refertæ ſunt, ut qui confidenter, ſine nova curata diſtinctione, earum ductum in conficiendis pharmacis ſequi velit, non poſſit non in ingentem errorem atque confuſionem perduci.

§. III.

Et ad quatuor tantum claſſes reducenda.

Quapropter ſumma medicamentorum genera compendioſe & longe rectius ſic deſcribi poſſe cenſeo, ut quum omnia quæ medendi ſcopo offeruntur, ad removendas morborum cauſſas quoad modum agendi dirigantur, in omni vero morbo vitium vel ſit in motu, vel in materia, quæ movetur, immo ad motum diſponit, motus porro vel nimis, aut in univerſo corpore, aut in certa tantum parte, intenſus, vel imminutus ſit, materia autem vel quantitate, vel qualitate delinquat, cuncta remedia vel circa motum, vel materiam operatione ſua in genere occupentur. Et materiæ quidem qualitate vitioſæ corrigendæ dicata ſunt alterantia, quantitate peccanti evacuantia, motui vero ſi deficit, imminutus eſt & partes atonia laborant, excitando & procurando roborantia, ſi vero intenſus nimis eſt & adauctus ac partes ſpaſmo exercentur, componendo ac remittendo, ſedativa inſerviunt. Hæ ſunt generales quatuor medicamentorum claſſes, ad quas omnia quæ naturæ promtuaria ad medicum uſum ſuppeditant, commodiſſime poſſunt reduci. Quin etiam omnes artis in medendo operationes, his adminiculis & hac ratione quam optime perfici poſſunt, & *Hippocrates* elegantiſſime hinc & vere mechanice medicinam definivit *lib. de flat.* §. 3. ſcribens: *Medicina nihil aliud eſt, niſi ablatio & appoſitio. Ablatio quidem eorum quæ excedunt, appoſitio vero eorum quæ deficiunt. Qui autem iſtud optime facere poteſt, is optimus medicus cenſebitur, quantumque quis ab hoc præſtando deficit, tantum deficit quoque ab ipſa arte.*

Alterantium & evacuantium roborantium & ſedantium.

§. IV.

Actio vero vel fluidas

Deinde quod ad cauſſalem influxum ipſamque remediorum actionem attinet; agunt ipſa immediate & proxime vel in fluidas, vel ſolidas partes, ita quidem, ut alterantia & evacuantia dicata ſint fluidis, roborantia & ſedativa ſolidis. Verum quia tam liquida, quam ſolida, diverſæ naturæ ſunt, diverſis etiam rationibus ſuccedunt operationes. Quippe nonnulla ex medicaminibus proxime actione ſua afficiunt tenuiſſimum ac mobiliſſimum illud fluidum, quod in cerebro ac nervis hoſpitatur, & motum præcipue & ſenſum partibus præſtat, illud vel augendo ac in motum magis ciendo, ut analeptica, cordialia & ſuaveolentia, vel intenſiorem ipſius motum ſedando, ut vaporoſa, anodyna, opiata & graveolentia, quæ exigua etiam doſi aſſumta, præſentaneam exſerunt virtutem. Alia medicamentorum immediate operantur in ſanguinem & qui ipſi ſerviunt ſuccos, ut diluentia, incraſſantia, attenuantia, item abſorbentia & acrimoniam cauſticam vel ſulphuream contemperantia.

§. V.

Vel ſolidas partes afficit.

Quæ in ſolidis effectum præſtant, ut plurimum immediate & proxime eundem in nervoſis partibus exſequuntur, præſertim ventriculo & inteſtinis, quæ ſenſationis exquiſitiſſimæ. Hunc in cenſum veniunt pharmaca ex mineralium claſſe potiſſimum petita, quæ exigua in doſi operantur & in tenuiſſimas ac ſtupendæ exiguitatis moleculas integra virtute & textura diſſolvuntur ac intimæ admiſſionis ad nervoſas partes ſunt, nec tam facile elui poſſunt, ut ex vomitoriis tartarus emeticus, ex ſalivantibus mercurius præcipitatus albus, ex ſulphuribus, ſulphur antimonii noſtra methodo paratum & ſalia volatilia. Alia vero ſale ſubtili cauſtico nervoſas has partes adoriuntur, ut ex venenis arſenicum, ex purgantibus helleborus albus & niger, gummi guttæ, reſina jalappæ & id genus alia, cum omnibus inſectis, inprimis cantharidibus. Notandum tamen quod ex his nonnulla unam præ altera nervoſa parte magis afficiant, uti mercurialia glandulas, lymphatica vaſa ipſasque fauces, antimonialia emetica ductus biliarios, colocynthiaca nerveas inteſtinorum tunicas, helleborus œſophagum, laryngem & aſperam arteriam, cantharides & inſecta nerveos urinarios & ſeminales ductus, ſalia volatilia oleoſa & ſudorifera ex ſale volatili regni animalis confecta tunicas vaſorum arterioſorum. Alia denique ex iis quorum operatio ſolidis dicata, plus muſculoſo-fibroſis, quam nerveis & membranaceis partibus facultatem ſuam inſinuant, quorum è numero ſunt roborantia, quæ vel leniori principio conſtringente fixiori terreo, vel ſulphureo pollent.

§. VI.

Inſtituti ratio.

Sic igitur in genere recte diſtinguenda medicamentorum ſupellex, & ſic quoque in compendio eorum actio & operandi ratio concipienda: jam de ſingulis ſeorſim. Quemadmodum vero medicina rationalis ab evidentibus maxime cauſſis, obſcuris omnibus, ut loquitur *Celſus*, non à cognitione artificis, ſed ab ipſa arte rejectis, inſtrui debet: ita etiam illam ſcientiam, quæ medicamentorum facultates pandit & ad rationes revocat, non ex cauſſis obſcuris nimiſque remotis, vel principiis atomiſticis & ſecundum magnitudinem & figuram particularum geometricis, quæ revera incomprehenſibilia, ſed ab evidentibus, proximis, in ſenſus cadentibus & comprehenſibilibus, immo maxima ex parte ipſa experientia petendam & hauriendam eſſe judico. Cui proinde methodo etiam inpræſentiarum inſiſtam, & in hac facultatum, & proprietatum medicamentorum explicatione, plana admodum, ſimplici & facile concipienda ratione procedam, ita quidem, ut non omnes, ſed ſelectas tantum & uſu comprobatas ex quavis claſſe ſpecies recenſeam atque quoad agendi modum atque uſum nervoſe explicem.

§. VII.

Alterantium quatuor ſunt genera.

Sermo autem primo erit de ALTERANTIBUS, quæ primam remediorum claſſem conficere & maxime circa correctionem materiæ quæ qualitate in vitio eſt occupari, ſuperius dixi. Jam vero quia materia emendanda in morboſis corporis afflictionibus variis modis delinquere poteſt, varias etiam alterantium ſpecies inde reſultare eluceſcit. Nimirum ſuccis corporis noſtri, qui ſecundum naturam blandi, dulces ac tempe-

rati esse debent, vel salino-acidam & corrosivam naturam induerunt, vel intemperie calida, subtili sulphurea infecti sunt, vel nimis viscidam, tenacem & crassam, vel valde acrem & corrosivam indolem contraxerunt. Hinc ut quadruplex hæc vitiosa qualitas corrigatur, quadruplex etiam alterantium genus esse debebit. Et quidem ad acidum imbibendum ac obtundendum, absorbentia, ad exæstuantem & biliosam intemperiem contemperandam & refrenandam, temperantia, ad viscidum & spissum dissolvendum ac colliquandum, incidentia & denique ad acrimoniam urentem & corrodentem involvendam ac mitigandam, demulcentia apta sunt atque accommodata.

§. VIII.

Absorbentia. Primum itaque alterantium genus complectitur ABSORBENTIA. Horum classem ducunt ex marinis mater perlarum, concharum, cochlearum & ostracodermatum variæ species, corallia rubra & alba, nec non os sepiæ; ex animantibus desumpta cornua & ossa, sive per vaporem subcoctione emollita, ac ut in pharmaciis audit, philosophice præparata, sive aperto igne usta, dentes & ungulæ, testæ ovorum, chelæ & lapides cancrorum, mandibulæ piscium, item unicornu animale & fossile; ex subterraneis lapis specularis, creta, crystallus præparata, osteocolla & omnes lapides calcinati & usti, varia bolorum, argillarum & terrarum sigillatarum genera; ex metallis limatura martis; ex chymice confectis omnia salia per incinerationem parata, cineres clavellati, sal tartari, nitrum fixum, spiritus salis ammoniaci urinosus, sal volatile ammoniacum, magnesia alba, tinctura salis tartari, item antimonii acris.

Theoremata.

Absorbentium horum omnium ea ratio est ac indoles, ut cum obvio quocunque acido promte congrediantur, illud imbibant, quantumvis corrosivum hebetent ac destruant & cum eo in tertium quoddam innoxium corpus commigrent. Patet hic effectus exemplo spiritus nostri fumantis & inflammantis quam maxime corrosivi, olei vitrioli, mercurii sublimati, aquæ regis, fortis aliorumque summe causticorum, quæ adjecta ferri scobe, vel commixto alcalino sale, aut absorbente terreo, omni rodente facultate orbantur, ut nec quicquam acidi aut arrodentis supersit. Quamvis vero cuncta alcalina salina & terrea in eo conveniant, quod acidum quodvis curent ac in tertium quoddam commutent: in eo tamen quædam intercedit differentia, quod salia alcalinæ indolis, sive lixiviosa, non solum à quovis acido, sed etiam liquore aqueo in corpore celerrime & ex toto solvantur, terrea vero non tam facile penitus liquescant, uti conspicuum est in coralliis, martis limatura, calce viva, quæ nec ab acido, præsertim vegetabili, prorsus dissolvuntur, sed semper fixior quædam terrestris substantia restitat. Deinde alcalina salia præter vim absorbentem, suscepto in connubium acido, novam acquirunt medicamentosam virtutem, viscidos nempe, limosos & tenaces succos incidentem & colliquantem, leniter stimulantem, ac vel alvum, vel diuresin, vel etiam diaphoresin movent, & promte quoque per excretoria transeunt: plurima vero alia ex corporibus alcalinæ naturæ non tam expedite excretiones proritant, sed potius quandoque adstringentem relinquunt effectum, uti solenne est limaturæ martis, coralliis, bolis & terris sigillatis.

Corollaria practica.

I. Quia igitur alcalina terrea nonnisi ab acido dissolvuntur, hinc utique cavendum est, ne in iis morbis, ubi primam regionem, in qua absorbentia maxime operationem suam exsequuntur, magna crudorum & viscidorum succorum colluvies obsidet, ne indissoluta ibi hæreant, stomachum gravent, appetitum & digestionem destruant alvumque reddant adstrictiorem; id quod sæpius in febribus ardentibus, biliosis, hecticis & ubi languor motus peristaltici & constrictorii in ventriculo præsto fuit, factum fuisse observavimus.

II. Vicissim quia hæc absorbentia acidum tam promte absumunt atque invertunt, acor autem purgantium & vomitoriorum efficaciam quam maxime impedit atque infringit, utilissime digestivi loco, ubi justa acidi est superantis suspicio, horum usui præmittuntur.

III. Utut omnia terrea absorbeant & obtundant acidum; ob diversam tamen singulorum texturam & naturam, quandoque fit, ut productum ex ipsis valde differat, ac diversum sæpe intentioni non respondentem in corpore effectum exsequatur, & hinc exquisitus in oblatione servandus delectus. Quando scilicet medicus præter virtutem absorbentem, etiam quandam roborantem & adstringentem desiderat; expedit marina potissimum, & ex his corallia & ostreas, nec non testas ovorum, item varias margarum species, inprimis quæ sigillari solent, in usum vocare. Si lenius adhuc subadstringendum, perlarum mater & conchæ, ac speciatim ad cohibendum seminis fluxum, os sepiæ, ex usu esse poterunt. Ubi per absorbens laxans simul effectus perficiendus, magnesia, quæ ex lixivio nitri debita enchiresi paratur & nonnisi tenuissimus calcis vivæ flos est, offerenda, quæ tota ab acido soluta, in sal medium amarum, alvum promte stimulans transit, eaque propter in hypochondriacis & ubi prima regio acidis succis scatet alvusque strictior est, eximiam certe exserit efficaciam. Quum diureticus simul effectus præstandus, cancrorum lapides, cochleæ vel corallia usta, nec non osteocolla, utilissimam locant operam. Ad perspirationem una in morbis liberiorem reddendam animalium ossa usta, vel philosophice præparata, commodissime inserviunt. Et denique quo stagnantes & densati humores ipseque coagulatus sanguis resolvantur, nihil certe domestico illo remedio præstantius, quo cancrorum lapides in aceto liquati propinantur.

IV. Absorbentia licet sint medicamenta admodum simplicia, fere domestica & facile parabilia, eorum tamen virtus & efficacia omnibus ferme aliis remediis superior, nec satis dilaudari potest. Nihil enim tam expedite ac promte noxios succos cicurandi & invertendi facultatem ex omni alterantium censu exserit, quam absorbens, neque tamen facile tam securum ullum aliud & innoxium est, nisi majori quam par est copia ingeratur. Adhæc uber admodum acidi in corpore est proventus, maxime in his, quibus bilis deficit, ut senibus ac fœminis, nec non qui sedentariæ vitæ nimium indulgent, & potum, qui multum acidi recondit, largius assumunt, immo in multis morbis, præsertim affectione & melancholia hypochondriaca, enormis plane; acidum autem toti animantium naturæ, & coagulante effectu, libero succorum vitalium progressui admodum inimicum est, & gravissimorum, præsertim chronicorum morborum, primam & originalem caus-

sam

ſam ſuppeditat : ideoque clariſſime innoteſcit, optima & præſtantiſſimæ virtutis immo polychreſta eſſe hæc abſorbentia, quorum tamen uſus Veteribus parcus admodum fuit vel plane nullus, ac demum *Helmontio*, *Tackenio*, eorumque in Belgio maxime aſſeclis *Sylvio* & *Bontekoe* in acceptis ferendus, qui acidum multorum morborum cauſſam eſſe perhibuerunt & primi his acido oppoſitis uſi ſunt præſidiis.

§. IX.

Temperantia. Secunda alterantium claſſis complectitur TEMPERANTIA, quæ non modo inteſtinum calidum partium ſulphurearum in ſanguine motum, ſed & ipſum fervidum, urentem bilioſum humorem in inteſtinis, contemperant, cicurant & hac ratione refrigerant. Hac virtute ex vegetabilium cenſu ſplendent, radix & herba acetoſæ, acetoſella, poma citria, aurantia, Chinenſium, granatorum, ribeſia, fraga, berberes, baccæ rubi idæi, ceraſa & ex iis parati ſucci, ſyrupi item aquæ ex recentibus his deſtillatæ, nec non ſemina quatuor frigida majora & decoctum avenaceum; ex animantium regno ſerum lactis, lac ebutyratum, ſuccus cancrorum fluviatilium, teſtudinum decoctum, decoctum dilutum raſuræ cornu cervi & ſcorzoneræ, cum vel ſine hordeo, gelatina cornu cervi, aqua etiam à raſura cornu cervi deſtillata, hoc nomine commendanda: ex mineralium familia omnibus palmam præripit nitrum, bene purificatum, melius adhuc regeneratum, ex aqua forti per additionem ſalis tartari; ex chymicis denique & pharmaceuticis ſal eſſentiale acetoſellæ, cremor tartari, phlegma vitrioli, clyſſus antimonii ſulphuratus, tincturæ roſarum, florum bellidis, violarum cum ſpiritu vitrioli philoſophice præparatæ, quam optime temperant.

Theoremata.

Temperantia agunt triplici ratione. Vel enim ſale acido, particulas volatiles ſulphureas ligant & motum earum calidum vorticoſum inteſtinum figendo & illas coagulando, quodammodo minuunt. Vel operantur expanſiva aëreo-elaſtica quadam virtute, qualis deliteſcit maxime in nitro, quod ſal acidum & alcalinum, ingentem partium ſulphurearum nec non liquidi aëreo-ætherei copiam involutam recondit, eodemque materiam calidam in vehementi motu vorticoſo calido conſtitutam diſpellit & à centro quaſi ad peripheriam diſplodit, ſale vero neutro materiam craſſam, quæ caloris & ſulphuris matrix, attenuat, reſolvit, diſparat, & ſubtili ſimul ſuo acido partes ſulphureas in celerrimo motu ſiſtit. Vel etiam partes ſulphureas diluendo & disjungendo, humidum calore abſumtum reſtituendo, ſimul etiam nimiam vaſorum elaſticitatem, à qua calor pendet, remittendo, operationem ſuam exſequuntur, uti potiſſimum obſervatur, ab aqueis, ſero lactis, decocto cornu cervi & avenaceo.

Corollaria practica.

I. Hæc certe temperantia multi & magni uſus ſunt in medicina, ubicunque calor præternaturalis exſtinguendus, eaque propter in febribus omnis generis, item inflammationibus & gravioribus ſpaſmis ac doloribus, qui perpetuo fere nimia & calida ſanguinis commotione ſtipantur, iiſdem nullo modo carere poſſumus. Sed acidis, quæ figendo & coagulando agunt, merito præferenda nitroſa. Nitrum enim non tantum refrigerantem, verum etiam rigidas & ſpaſmo afflictas partes relaxantem, ſive antiſpaſmodicam, item urinæ & alvi excretionem promoventem virtutem poſſidet. Quin quum alia refrigerantia & acida fluida magis condenſent & coagulent, nitrum potius colliquat, rarefacit, attenuat humores denſos & viſcidos, ita prorſus, ut ſi vel in pulverem redactum, vel in aqua prius ſolutum, ſanguini nigro coagulato inſpergatur eum & floridiorem efficiat. Quare non ſolum in inflammationibus ipſiſque febribus inflammatoriis, quæ à ſanguine nigro, coagulato & incarcerato naſcuntur, acidis longe præſtantius, ſed etiam quia tenacem & ſpiſſam ſeri materiam, quæ affluens in ſanguine inflammationi ſubjectorum apparet, tam efficaciter fundit ac diſſolvit, ad corpus ab inflammatione defendendum quam maxime proficuum.

II. In febribus chronicis, ut lenta, hectica, quæ utplurimum ex labe vel corruptione quadam viſcerum natales trahunt & quando tuſſis aut hæmoptyſis juncta eſt, ipſique pulmones vitio laborant, non acida, ſed nitroſa & diluentia, præſertim ex regno animalium petita, ut ſerum lactis, aqua & decoctum, nec non gelatina cornu cervi, in uſum vocari debent. Ubi etiam diarrhœis, dyſenteriis, choleræ, calor febrilis aſſociatur, idemtidem abſtinendum ab acidis, refrigerantibus, & potius diluentibus, gelatinoſis, mucilaginoſis, adjecto pulveribus temperantibus & abſorbentibus uno vel altero nitri grano, utendum. De quibus laudatiſſimis virtutibus pluribus videri poteſt, differt. noſtra *de nitri uſu*, nec non ea, quæ *obſervationes circa nitrum* tradit.

§. X.

Incidentia. In tertia alterantium claſſe comprehenduntur INCIDENTIA ſive ATTENUANTIA. Horum in cenſum veniunt radices: pimpinellæ albæ, ari, acori, aſari, armoraciæ, enulæ, cichorii, iridis Florentinæ, ſigilli Salomonis, vincetoxici: herbæ: arnica, beccabunga, cochlearia, naſturtium aquaticum & Indicum, piperitis, ros ſolis, fumaria, trifolium fibrinum, centaurium minus, hyſſopus, ſcordium, chærefolium, carduus benedictus, ſedum minus, alliorum, porrorum & ceparum ſpecies; lignum guaiacum & ejus cortex; aromata piper & zingiber; ſemina: ſinapeos, cochleariæ & naſturtii; gummata: ammoniacum, galbanum, ſagapenum, opoponax, myrrha & benzoe; chymice & pharmaceutice confecta: mercurius dulcis, æthiops mineralis, flores ſulphuris, ſalia alcalia fixa & vegetabilium per incinerationem parata, ſpeciatim ſal tartari, abſynthii, porro media, ut digeſtivum Sylvii, noſtrum aperitivum, ammoniacum, polychreſtum, Ebshamenſe, Sedlicenſe, tartarus vitriolatus, terra foliata tartari, arcanum duplicatum, ſolutio oculorum cancri, nitrum & ſal ammoniacum, volatilia, ut ſal volatile ſalis ammoniaci, ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus, oxymel præterea ſquilliticum, tinctura antimonii acris, eſſentia gummi ammoniaci, piperis Indici, reſina Guaiaci, ſyrupus nicotianæ, de eryſimo, feculæ aronis &c. Fontes quoque medicati, qui præter diluentem & aperitivam virtutem incidente etiam pollent, ut acidulæ Egranæ, Sedlicenſes, thermæ Carolinæ, nec non infuſa theiformia, quæ propter copioſum aqueum elementum, maxime vim ſuam attenuantem & coaleſcentes moleculas disjungentem edunt, ac demum ſerum lactis dulce, quod ob dulce ac ſubtile quod cuſtodit ſal, deterſiva ſimulque ductus excretorios aperiente facultate ſplendet.

Theore-

Theoremata.

Ex his nonnulla in fluidas, nonnulla in ſolidas corporis partes agunt. Quæ fluida immediato contactu afficiunt ſunt perpauca, idque non aliis quam diluentibus aqueis, quorum magna certe ad colliquandos glutinoſos ac viſcidos humores eſt efficacia, nec non ſalibus alcalinis fixis & volatilibus ac nitroſis, quæ præſertim in forma liquida ſanguini aut humoribus ſpiſſis ac denſatis admixta, eoſdem vel ad oculum liquefaciunt atque attenuant, tribuendum. Reliqua omnia in ſolida operantur, eorum tonum, robur, contractilitatem, vaſorumque elaſticitatem atque potentiam ſyſtalticam augendo & intendendo, quo fit, ut contentos ſuccos validius premant, concutiant, motum progreſſivum citatiorem & inteſtinum auctiorem reddant, & fortius crebriuſque ſic trajecti per vaſa capillaria tenaces & ſpiſſeſcentes ſucci, in minores globulos, à quibus fluiditas pendet, diſcerpantur ac dividantur. Hanc autem in ſolida actionem nonnulla ſale acri fixiori exſequuntur, ut radices: ari, pimpinellæ albæ, aſari, iridis Florentinæ, ſigilli Salomonis; herbæ: arnica, piperitis, ros ſolis, ipſumque piper & zingiber, quæ acuti quidem ſaporis, deſtillatæ autem cum aqua per veſicam, nec oleum volatile acre, nec aquam acris ſaporis largiuntur, ſicque fixam ſuam teſtantur indolem. Viciſſim alia effectum ſuum perficiunt ſale acri ſubtili volatili, quorum è numero armoracia, enula, naſturtium, cochlearia, ſinapi omniaque ceparum, alliorum & porrorum genera. Quædam agunt ſale medio ſtimulante, cujus indolis ſunt ſalia illa neutra, quorum acrimonia & irritans facultas non ſolum ſapore innoteſcit, ſed etiam ex effectu, quo majori doſi oblata, alvum vel diureſin movent, pateſcit. Alia ſale acri multis particulis ſulphureis imbuto, effectum edunt, quod obvium in gummi ammoniaco, ſagapeno, opopanace, nec non guajaco & ejus reſina; quæ præter ſal acre, oleum quoque complecti, deſtillatione, qua copioſum hoc fundunt, manifeſtatur. Aliqua demum ſale penetranti ſubtiliori metallico operationem abſolvunt, uti eſt mercurius, inprimis dulcis, item æthiops mineralis.

Corollaria practica.

I. Attenuantium & incidentium virtus latiſſime patet, ut ob multiplicem quem præſtant effectum, variis denominationibus paſſim inſignian-tur. Quod ſi enim tenaces & viſcidi in corpore humores non modo in cavitatibus & vaſorum alveis ſtagnant, ſed & minimos viſcerum & emunctoriorum tubulos farciunt & obſtruunt: hæc præſidia incidente & attenuante ſua facultate impactos humores expediendo & obſtructiones reſerando, aperientem præſtant effectum, & ob id recte dici poſſunt aperientia. Merentur etiam nomen antiſcorbuticorum & ſanguinem depurantium. Nam quia puritas & temperies ſuccorum vitalium à legitima inutilium ac ſuperfluorum ſe- & excretione dependet; hæc autem oppilatis ab humore ſpiſſo & viſcido emunctoriorum & glandularum minimis canaliculis, intercipitur; facile patet: ea quæ lentos ſuccos incidendi & obſtructiones removendi virtute pollent, optima eſſe ſanguinem depurantia, nec non adverſus ſcorbutum præſidia, in quo humores maxime intemperati, & variis heterogeneis, viſcidis, ſalſis, ſulphureis, acribus particulis referti ſunt. Quumque adeo diverſum edant effectum, quæ cuique potiſſimum accommoda, ſciendum.

II. In affectibus itaque ventriculi & primarum viarum, ad diſſolvendas & incidendas viſcidas cruditates egregie faciunt radix ari, pimpinellæ albæ, calami aromatici, piper, zingiber, ſal ammoniacum depuratum, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſal digeſtivum Sylvii, noſtrum aperitivum, ſal abſynthii, ſpiritus ſalis ſimplex, vel dulcificatus, nec non tinctura aperitiva Mœbii. Et ſi per alvum ſimul crudi & male cocti ſucci exturbandi, præſtans utique virtus eſt ſalium mediorum, inprimis ſalis Sedlicenſis, Ebshamenſis & polychreſti, pleniori doſi & cum ſufficienti aqueo vehiculo propinatorum.

III. Ubi humores viſcidi in pectoris affectibus reſolvendi & per ſcreatum rejiciendi, commodiſſimam locant opem, radix enulæ, iridis Florentinæ, ros ſolis, hyſſopus, ſcordium, capillus veneris, gummi ammoniacum, myrtha, benzoe, ſulphur, balſamum Peruvianum, nitrum antimoniatum, terra foliata tartari, oxymel ſquilliticum, ſolutio lapidum cancrorum cum aceto deſtillato, ſyrupus nicotianæ, nec non de eryſimo.

IV. Quando ſpiſſa & tenaci impuritate ſanguis infectus ac inde emunctoria oppilata & dyſcraſia ſalſo-ſulphurea ſcorbutica humores conſpurcati, apprime ex uſu ſunt, radix armoraciæ, cochlearia, naſturtium aquaticum, Indicum, piperitis, beccabunga, centaurium minus, trifolium fibrinum, carduus benedictus, fumaria, ſedum minus, ſinapi, gummi ammoniacum, ſagapenum, myrrha, liquor nitri fixi, oleum tartari per deliquium, ſolutio nitri, elixir noſtrum temperatum, tinctura antimonii acris, eſſentia lignorum, ſpiritus ſalis ammoniaci, ſal abſynthii cum ſucco citri, nec non ex aquis medicatis Sedlicenſis & Egrana.

V. Quando ſanguis congrumatus poſt contuſiones & ſuffuſiones diſſolvendus iterumque fundendus, eximiam laudem merentur radix ſigilli Salomonis, herba arnicæ, chærefolii, acetum deſtillatum cum lapidibus cancrorum, terra foliata tartari, nitrum antimoniatum.

VI. In morbis ubi lympha ſpiſſitudinem contraxit, maximeque à miaſmate venereo, palmam ferunt guaiacum, ſaponaria, tinctura antimonii acris, mercurius dulcis & æthiops mineralis, qui prudenter uſurpatus, ad lentos in glandulis & hepate obhæreſcentes ſuccos colliquandos & reſolvendos, uſus eſt longe præſtantiſſimi.

§. XI.

Accedit quarta alterantium claſſis, continens EMOLLIENTIA & DEMULCENTIA. *Demulcentia.* Hæc inter eminent radices: altheæ, liliorum alborum, liquiritiæ, ſcorzoneræ; herbæ quinque emollientes, lactuca, branca urſina, parietaria; flores: ſambuci, meliloti, malvæ, verbaſci, millefolii, chamomillæ vulgaris, liliorum alborum, borraginis, papaveris rhœados, tiliæ, acaciæ, violarum & maxime omnium crocus; ſemina lini, fœnu græci, aniſi, cydoniorum, pſyllii, papaveris albi, quatuor frigida majora & minora, ſiliqua, amygdalæ dulces, ficus, pineæ, piſtaceæ, gummi ceraſorum, Arabicum, tragacantha, raſura cornu cervi & ejus gelatina, axungia humana, canis, caponis, medullæ oſſium, pinguedines circa omentum, oſſa & meſenterium, olea nativa animalium, butyrum recens, lactis cremor, lac ipſum, ſaccharum lactis, ſperma ceti, mel, vitellus ovi, ejus albumen exſiccatum & in pulverem redactum. Ex præparatis oleum amygdalarum dulcium, lini, raparum, momordicæ, decoctum cornu cervi citratum & ſcorzo-

neræ

neræ citratum, ptiſana, ſerum lactis dulce, ſyrupus è dialthæa Fernelii, unguentum dialtheæ, emplaſtrum diachylon ſimplex, de meliloto, ſpermatis ranarum.

Theoremata.

Virtus horum remediorum duplex eſt, ſolidis, vel fluidis dicata. In ſolidis quidem hanc ita exſequuntur, ut rigidas, duras ac tenſas fibras laxent, molliant eaſque mobiles & flexiles reddant, ſimulque adductos per ſtricturas minimorum vaſorum alveos amplient atque dilatent: in fluidis vero viſcida ſua mucilagine præſtringunt, involvunt & quaſi capſulæ includunt acies & ſpicula ſalium acrium rodentium, & ſic quam optime demulcent. Exterius autem applicata, humorem vaſorum alveis elapſum, nec amplius reſolvendum, aut per lymphatica vaſa reſorbendum, in pus convertunt, ita quidem, ut disjecto per calorem temperatum ſubtiliſſimo liquido, remanens viſcoſa materia, oblinitis blande poris ne nimium humidi exhalet, & prolecto majore ſuci nutritii, ex quo pus maxime conflatur, per relaxatos tubulos affluxu, ad coctionem & maturationem traducatur.

Corollaria practica.

I. Maximæ hæc demulcentia ſunt efficaciæ, ſi venenum cauſticum aſſumtum, & vix ſane melior datur his antidotus, ad pernicialem toxici ex animalium, vegetabilium & mineralium cenſu vim cicurandam & infringendam, lacte præſertim & pinguedinibus copioſe ingurgitatis, quæ non modo acerrima venenorum ſpicula obtundunt atque involvunt, ſed & conſtrictas per virus à validiſſimo ſpaſmo membranas laxant, & hac ratione veneni evacuationem, ſive per vomitum, ſive feceſſum, adjuvant.

II. In omnibus longis morbis & valentibus, præſertim qui ab acrimonia humorum ortum trahunt & nervis potiſſimum inſident, ſimpliciſſima hæc emollientia in infuſis & decoctis oblata, uſum præſtant longe ſaluberrimum. Sæpius certe convulſiones inſania ſtipatas & ſcorbuticas artuum tractiones cum acerbis ventris torminibus, curatas novi decoctis, ex radice pœoniæ, altheæ, herba malvæ, parietariæ, brancæ urſinæ, floribus verbaſci, liliorum alborum, ſambuci, borraginis, chamomillæ, papaveris rhocados, ficubus & ſemine fœniculi, cum aqua vel ſero lactis paratis, largiori tamen ac diuturno uſu, & adjecto interdum uno vel altero cochleari olei amygdalarum dulcium & interpoſito balneo ex aqua dulci cum lacte remixto.

III. Axungiæ & pinguedines animantium recentes, maximeque oſſium medullæ, quæ ſubtiliſſimam recondunt pinguedinem, in ſcorbutica acri humorum diatheſi interne cum fructu uſurpantur.

IV. In aridura partium & ubi articuli vix ſine ſtrepitu moveri poſſunt, nec non in doloribus arthriticis, eadem demulcentia, ut radix ſcorzoneræ, flores ſambuci, millefolium, chamomilla vulgaris, ſemina quatuor frigida majora, inprimis vero ſerum lactis dulce, pinguiuſculis cremoris partibus adhuc refertum, vel etiam pinguedines cum quodam alcali in ſaponis texturam redactæ, mirabilem præſtant effectum, ſed opus eſt, ut pinguia hæc jejuno ventriculo, non adeo magnis, ſed repetitis doſibus aſſumantur, ſuperbibendo hauſtum calidum convenientem.

V. In exulceratione renum & mictione cruenta, quæ ob acredinem humorum quandoque incidit in variolarum morbum, gummi ceraſorum, vel etiam tragacantha, aut albumen ovi ſiccatum, in ſero lactis ſoluta, præſtabilem locant opem. In pectoris vero affectibus, ad acredinem tuſſis cauſſam obtundendam & materiam ad evacuationem præparandam, ſpecifica quaſi virtute laudantur decoctum avenaceum, ſperma ceti, liquiritia, oleum amygdalarum dulcium, ſiliqua dulcis, ſaccharum lactis, crocus, ficus, ſyrupus violarum, flores papaveris & ſambuci.

VI. Hecticus jugis ſi affligit calor & ſucci dulces continua lenta febre acrimoniam ſalſo-alcalinam contrahunt, in cremore lactis & butyro recenti, ob demulcentem effectum, egregia reconditur virtus.

VII. Pariter in cholera, dyſenteria, ſcorbuto, atrophia ſcorbutica, phthiſica & ubicunque acredo ſuccorum in vitio eſt, decocta gelatinoſa, carnium, oſſium, præſertim cornu cervi, item pedum vituli & vervecis, tam interius potu, quam exterius ano mediante clyſtere infuſa, eximii ſunt uſus.

VIII. Quando inteſtina infeſta detinet ſtrictura & alvus cum flatibus retinetur, egregium præſtant effectum emollientia ac demulcentia, ut oleum amygdalarum dulcium, ſerum lactis, decoctum avenaceum, cornu cervi, non tam per os aſſumta, quam potius per clyſterem inferius injecta.

IX. Flores & herbæ emollientes, ſi admixto croci momento decoquuntur & veſicæ incluſæ dolente interna parte exterius applicantur; ut in pleuritide, hepatitide, colica, vel ano in dolore ex hæmorrhoidibus cœcis, conſpicuum torminum conciliant levamen.

X. Quando humor quidam extravaſatus & impactus in pus convertendus, egregie inſerviunt linimenta & cataplaſmata ex pinguedinibus emollientibus & lacte parata, & maxime quidem floribus & foliis liliorum alborum, croco, ficubus, cepis toſtis, farina fabarum, vitello ovi ac melle; abſtinendum vero ab his, ubi in induratis & ſcirrhoſis partibus materia continetur, ac in pus converti nequit, ni funeſtam ciere velimus putredinem.

XI. Mucilagines, quæ ex ſemine cydoniorum & pſyllii cum aqua roſarum vel ſpermatis ranarum conficiuntur, in eroſis atque exulceratis partibus, quibus dolor & ardor jungitur, ut aphthis ulceroſis faucium, cœcis & dolentibus hæmorrhoidibus, teneſmo, dyſenteria, gonorrhœa, vel fluore albo erodente, præſentaneam ſæpe ferunt opem.

CAPUT V.

De Evacuantibus.

§. I.

Evacuantia ſunt varia.

EVacuantium operatio occupatur maxime circa humores qui copia in vitio ſunt, eamque ob cauſſam in ſanitatis tutelam vel naturæ motibus, vel his non ſufficientibus, aut plane deficientibus, artis miniſterio, per congrua emunctoria expelli debent. Jam vero vitioſi ſucci non unius ejuſdemque naturæ, craſeos atque texturæ, nec etiam excernicula per quorum emiſſaria quilibet exturbandus, ejuſdem ſtricturæ atque diſpoſitionis ſunt; ideoque etiam inſtrumenta quibuſcum eorum expulſio adornatur, varia erunt ac multiplicia. Scilicet quæ ſtabulantem in ventriculi

&

& primorum inteſtinorum cavo vitioſam ſaburram ſuperius per os eliminant, emetica, quæ ex inferiori canalis alimentaris regione per ani receſſum, laxantia aut purgantia, quæ per tubuloſum cutis emunctorium, diaphoretica & ſudorifera, per renale cribrum & urinarias vias, diuretica, per glandulas & ductus ſalivales, ſalivantia, per aſperam arteriam ex thoracis cavo, expectorantia, per narium & faucium glanduloſam ſubſtantiam, errhina, ſternutatoria & apophlegmatizantia ac denique quæ ipſum ſuperfluum ſanguinem evocant, emmenagoga & hæmorrhoides cientia vocantur. Sed de ſingulis jam ſeorſim.

§. II.

1. Emetica. Primum inter evacuantia locum obtinent EMETICA ſive VOMITORIA, quæ duplicis ſunt generis, mitiora ſcilicet, vel fortiora. Lenioribus accenſenda merito aqua ſimplex tepida, adjecto pauxillo ſalis & portione mellis, vel olei expreſſi aut pinguedinis, vel decocta cum ſemine vel cortice raphani ruſticani, aut ſemine anethi, vel etiam aqua thermalis, ſimul & ſemel largis hauſtibus copioſe ingurgitata. Validiorum in numero ex vegetabilium claſſe ſunt folia & radix aſari, helleborus albus, ſuccus corticis medii ſambuci, immo omnia cathartica validiora majori doſi data, nec non quæ ab exteris aſportantur gummi guttæ & radix hypecacuanhæ; ex metallorum & mineralium familia, quæ venereæ proſapiæ, ut vitriolum cyprium album, Gilla Paracelſi & Angeli Salæ, ex capite mortuo olei vitrioli Goslarienſis, quod venereæ indolis, cryſtalli viridis æris, ſal emetico-diaphoreticum Mœbii, ex vitriolo Goslarienſi & nitro anaticis partibus paratum, nec non quæ ad regulinam ſtibii ſubſtantiam ortum referunt, ut tartarus emeticus, vitrum antimonii & ex parata aqua benedicta Rulandi, mercurius vitæ, maxime ex butyro antimonii rectificato cum præcipitatione aquæ ſimplicis, vel olei tartari per deliquium confectus, pulvis Monckii, ex duabus partibus reguli antimonii martialis & una nitri paratus, ſulphur ſic dictum auratum antimonii, idque correctum, panacea ſic dicta Glauberiana, Conerdingiana, ad grana quinque vel ſex oblata.

Theoremata.

I. Mitiora emetica & maxime diætetica à Galeno & veteribus potiſſimum ſunt uſurpata, quippe quæ admodum ſecura utplurimum copia ſua, non ſecus ac clyſteres ex iiſdem ingredientibus concinnati, inteſtina, ventriculum, inprimis ſi jam debilis & ad motum excretorium, teſte nauſea, ructibus, oris amaritie, anxietate, proclivis eſt, ad vomitum exſolicitant: ſed non agunt ultra limites ventriculi, ex quo utique humores crudos, pituitoſos & bilioſos ex male ingeſtis & digeſtis collectos non ſine fructu evacuant.

II. Emetica validiora tenuiſſima ſua cauſtica ſalino-ſulphurea acrimonia, exigua etiam doſi, non modo in tunicam ventriculi & inteſtinorum nerveam eam ſpaſmodice convellendo agunt, ſed & ſi paullo majori doſi præbentur, ultra ſtomachum, in ductus maxime nervoſos biliarios, item in glandulas inteſtinorum, meſenterii, pancreaticas ipſumque hepar penetrant & projectos ex his bilioſos & ſalivales humores expellunt, quandoque vero ſi univerſum genus nervoſum afficiunt, hoſtiliter etiam agunt & graviſſime nocent.

Corollaria practica.

I. Veteres albo veratro, ceu ſumme draſtico, emetico ſcopo utebantur, uti auctor eſt *Celſus lib. II. cap.* 13 & quidem in comitiali morbo, in inſania & in valentibus aliis morbis ſine febre, ſed idem perite monet, ut ante hujus pharmaci uſum, corpus probe humectetur. Noſtro vero tempore, quo habemus ſecuriora, merito à violento hoc medicamine abſtinemus & ex ſupra recenſitis tantum ea ſeligimus, quæ naturæ & nervoſis partibus craſi & textura ſua non adeo inimica, nec cum ancipitis periculi metu propinantur. Hæc inter primo loco merito connumeranda radix illa Americana Ipecacuanha, ad drachmam dimidiam & ultra oblata, quæ præter ſalinum ſubtile acre principium, etiam balſamicum ac roborans cuſtodit, & id peculiare plane ſervat, ut omnium celerrime operationem ſuam exſequatur, eaque propter ubi periculum in mora & prompte vomitus ciendus, quam optime adhibetur. Et quoniam vomitu invertitur in ventriculo motus periſtalticus deorſum tendens, per conſenſum etiam in inteſtinis, ſi in diarrhœa vel dyſenteria nimis intenſus eſt, ſufflaminatur & alvi fluxus ad tempus ſiſtitur; unde *Celſus lib. I. c.* 3. recte perhibet: vomitum ventrem, ſolutum comprimere, compreſſum ſolvere. Ipecacuanhæ commodiſſime ſubſtituitur aſarum, cujus radix & folia pariter ſubtili, acri volatili cauſtico elemento, quod coctione prompte exhalat, ſimul quoque roborante & balſamico pollent, & in febre antiqua quartana, tertiana, hydrope, ictero egregium ſuppeditant auxilium. Ex antimonialibus præferendus tartarus emeticus, ex croco metallorum, non vitro antimonii, qui duplo validior, præparatus, qui vel ſolus ad tria aut quatuor grana, vel refracta doſi cum radice ipecacuanhæ mixtus, egregie ſuum facit officium; & ſi quis effectum emetico-purgantem deſideret, decocto mannæ duo vel tria tartari emetici grana adjici poterunt. Pariter uſu eſſe poteſt panacea Glauberiana, ad quinque vel ſex grana cum cremoris tartari ſcrupulo oblata, nec non in aſthmate pituitoſo interdum oxymel ſquilliticum, ad duas vel tres uncias datum. Emeticis vero venereis, quorum vis conſtringens gravius & diutius exagitat nervoſas ventriculi & aliarum partium tunicas, item pulveribus iſtis regulinis antimonii, pulvere Monckii, vitro antimonii, mercurio vitæ, quæ infidæ operationis, & vel fortiſſime, vel inſufficienter operantur, pro majori vel minori humorum in ventriculo diſpoſitione, carere & tutius ab iis abſtinere poſſumus in medicina.

II. Non modo utilis, ſed & quandoque admodum neceſſarius eſt emeticorum paullo valentiorum uſus, ad venena, præſertim quæ narcoticæ ſunt indolis, item miaſmata, quæ ex contagioſis & malignis morbis decumbentibus exhalant, in ventriculum deſcendunt, ibique humoribus fermentantibus ſeſe inſinuant, cito, ne ad penetralia ſerpant, expellenda. Pari ratione ad humores ex commixtione heterogeneorum ingeſtorum, bilis humorumque fermentantium ſalivalium prodeuntes, corruptos & valde vitiatos, qui in ventriculi & inteſtinorum, præſertim duodeni, cavo ſtagnant, mora corrumpuntur & frequentiſſime febri lentæ, quotidianæ, quartanæ, item tuſſi chronicæ, nec non gravioribus morbis capitis, melancholiæ, hemicraniæ, quandoque etiam comitiali, item apoplexiæ, ortum præbent, exturbandos, efficaciter agentia ex uſu eſſe poſſunt.

III. In morbis qui à bile ſpiſſa, in gypſeum

ſæpe & viſcidum coagulum abeunte & ductus biliarios obſtruente oboriuntur, ut ictero tam flavo, quam nigro, cachexia aliiſque, emetica non ſine fructu, relictis aliis nihil juvantibus, propinantur, eoſdemque, exturbata bilioſa copioſa ſentina, feliciſſime abigunt.

IV. In anaſarca, leucophlegmatia, tumoribus partium œdematoſis & aſcite curabili, emetica paullo majori etiam doſi data, vehementer quidem ex ductibus & glandulis inteſtinorum, meſenterii, pancreatis, hepate ſerum aquoſum eliciunt ac per inferiora, rarius vero ſuperiora, ejiciunt.

V. In omni acceſſione & paroxyſmo febrili, inflammatione ventriculi, vel ubi ſtomachus ſpaſmodice afficitur, ut in cardialgia, item vehementi ira, in ſpaſmis hyſtericis, hypochondriacis & ubi ad hæmoptyſin, nimium menſium vel hæmorrhoidum fluxum, diſpoſitio præſto eſt, item ubi morbi a congeſtione humorum ad caput orti ſunt, uti apoplexia, paralyſis, auditus vel viſus deperditus, vertigo, nec non ubi dolores atroces urgent, vomitoria plane exulent, nec unquam etiam plethoricis, niſi plethora per ſanguinis miſſionem ſoluta, nec quibus inteſtina fecibus infarta & alvus obſerata, quam his prius expurgatis exhibeantur.

VI. Præſtat ſemper emetica ad faciliorem operationem in liquida forma, vel etiam cum ſufficienti vehiculo humectante & relaxante pingui offerre; ſiquidem vomitio non tantum validiorem pilori & fundi ventriculi conſtrictionem, ſed ſimul etiam relaxationem orificii ſuperioris œſophagi deſiderat.

VII. Sub emeticorum operatione & poſt eam abſtinendum ab omni refrigeratione, frigido potu, ab omni commotione animi, ab omni calidiori & ſtimulante medicina, acri & ſalſo cibo, ac potius demulcentibus cibiſque boni ſucci & qui facile ſolvuntur utendum. Inprimis apprime ex uſu eſt lac aſininum, ſi haberi poteſt, tres vel quatuor horis poſt ad aliquot uncias potare. Et quæ plura hanc in rem ex inſtituto tradidi in *diſſertatione de cauto & præſtantiſſimo vomitoriorum uſu.*

§. III.

Laxan. Emeticis ſuccedunt ea, quæ per inferiora vitioſam materiam eliminant, quæ pariter duplicis ſunt generis, vel leniora, vel validiora. Inter ea vero quæ alvum clementer, tuto & ſine ſtomachi & ſyſtematis nervoſi læſione movent, & Latinis LENIENTIA & LAXANTIA, Græcis eccoprotica vocantur, præcipuum locum tenent, ex vegetabilibus manna, rhabarbarum, caſſia, agaricus, tamarindi, folia ſennæ, aloe, baccæ ſpinæ infectoriæ, paſſulæ minores, polypodium, flores perſicorum, acaciæ, violarum earumque ſemen: ex ſalibus culinare, borrax, & nitrum, item ex fontibus mineralibus, ut Ebshamenſe, Egranum, & Sedlicenſe, nec non ex Carolinis paratum: ex animantium regno lac, præſertim aſininum, ſerum & ſaccharum lactis; ex præparatis chymicis, terra foliata tartari, tartarus vitriolatus, cremor tartari, ſal ex alumine & ſale tartari concinnatum, ſal eſſentiale acetoſellæ, magneſia, ſal polychreſtum, aurum fulminans, mercurius dulcis, fl. benzoes; nec non compoſita, ut pilulæ de ſuccino Cratonis, aleophanginæ, marocoſtinæ, tartareæ Schrœderi, eſſentia, extractum & ſyrupus rhabarbari, ſyrupus roſarum ſolutivus, aqua laxativa Viennenſis, elixir purgans Thomſoni.

Theoremata.

Laxantia hæc placide, ſine magna commotione & labefactione motus periſtaltici ventriculi & inteſtinorum, non modo ſordes alvinas, ſed & quando liberalius propinantur, ex inteſtinorum glandulis ſerum, ſatis largiter evehunt. Neque tamen ſale acri ſubtili cauſtico, nervoſis partibus inimico, ut purgantia, operationem ſuam perficiunt, ſed ſubſtantia plane innocenti, quæ vero tenuiſſimæ ſalinæ ſtimulantis indolis eſt, & haud ſecus quam emeticorum & purgantium, diuturna coctione avolat & perit, uti patet exemplo mannæ, rhabarbari, aloes, foliorum ſennæ, quæ ea propter rectius infunduntur, quam decoquuntur. Sigillatim vero agunt hæc laxantia vel principio quodam ſalino-ſtimulante dulci, ut manna, caſſia, paſſulæ, polypodium; vel ſale quodam ſubtiliori ſulphureo amaricante terreo, ut aloe & rhabarbarum; vel ſale acido fibras vellicante, ut tamarindi, cremor tartari, ſal acetoſellæ; vel ſale neutro, ut nitrum, borrax, ſal gemmæ, digeſtivum Sylvii, arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, ſalia ex medicatis aquis producta & herbarum eſſentialia; vel ſale quodam calcario amaricante, ut Sedlicenſe, Ebshamenſe, Egranum; vel denique terra calcaria, ut magneſia, quæ ab acido primarum viarum ſoluta, in ſal neutrum acre & ſtimulans tranſit.

Corollaria practica.

I. Polychreſta hæc & præſtantiſſimi multis in morbis uſus ſimulque tutiſſima laxantia medicamenta, quæ nonnullis ob id benedicta audiunt, Veteribus parum cognita fuerunt, in quorum monumentis aloes, rhabarbari, tamarindorum, foliorum ſennæ, agarici, nulla, quantum quidem novi, fit mentio, ſed caſſiæ tantum & polypodii ex mitioribus, ac primus *Dioſcorides* aliquid de rhabarbaro & aloe prodidit, ex quo deinde *Plinius* & *Galenus* quæ habent deſumſerunt, manna vero, tamarindi & folia ſennæ, Arabibus & Ægyptiis medicis demum innotuerunt. Utut vero omnium laxativorum virtus in eo conveniat, quod ſine noxa, impetu ac commotione alvum ſubducant: pro differentia tamen morborum, vel etiam individuorum, utique diſtinctio circa eorum uſum utilis & neceſſaria eſt. Scilicet manna, caſſia, paſſulæ, polypodium, in affectibus pectoris, tuſſi, hæmoptyſi, pleuritide, phthiſi, neque minus in morbis, qui a ſero ſalſo, acri, ſcorbutico naſcuntur, ut arthritides, rheumatiſmi, ſcabies, purpura, cum inſigni fructu adhibentur aliiſque merito præferri debent, quippe quæ non tantum alvinas ſordes emovent, verum etiam ſimul acrimoniam ſalſam temperant & corrigunt. Acidula, ut tamarindi, cremor tartari, ſal acetoſellæ, item ſalia eſſentialia ex herbis nitroſis, ſal polychreſtum, nitrum antimoniatum, in regionibus præcalidis, corporibus cholericis atque tempore æſtivo, nec non in morbis ubi copioſa bilis delinquit & vehementior æſtus præſto eſt, tertiana continua, duplici, æſtiva, in cauſo, cum inexhauſta ſiti, quam maxime conveniunt & aliis anteponenda, eo quod præter facultatem vacuantem, motum quoque inteſtinum partium ſulphurearum ſanguinis & bilis ferociam componunt & cicurant. In morbis qui ex defectu bilis & ſulphuris in ſanguine balſamici naſcuntur, ut ſunt cachexia & omnes fere chronicæ paſſiones, in quibus ſuccorum ſpiſſitudo & viſcerum infarctus adſunt, laxantia amara, ut rhabarbarina, aloetica correcta, omnibus utique palmam præripiunt.

piunt. Ubi vero humores tenaces, viſcidi in vitio ſunt & primam regionem occupant, ac inappetentiam, tenſiones hypochondriorum, ructus, flatulentias cauſſantur, ſalia omnia neutra, tam arte chymica præparata, quam nativa fontium medicatorum, ſi paullo majori in doſi & cum ſufficienti liquido offeruntur, efficaciter alvum ſolvunt & recrementa ſpiſſa & viſcida everrunt. Quando acidum, ut ſolet fieri in hypochondriacis, melancholicis & quartanariis, nimium redundat & omnium aliorum, etiam acriorum, purgantium virtutem infringit atque eludit, præter mannata, magneſia apprime ex uſu eſt, quæ ſicuti à ſpiritu vitrioli ex toto ſolvitur, atque in ſal neutrum amaricantis ſaporis & virtutis purgantis tranſit, eandem pariter, ſi in ventriculo offendit acidum, induit naturam atque efficaciam, contra ea deficiente in corpore ſolvente ſucco, parum vel nihil operatur, & plus incommodi, quam commodi creat.

II. Aurum fulminans & mercurius dulcis inter laxantia quidem referri ſolent, ſed eorum uſus certe non adeo tutus eſt. Nam ſi illud penitus edulcoratum fuerit, parca vel plane nulla ejus operatio; ſi vero ſalino-nirtoſis ſpiculis adhuc uberius refertum, quia ob gravitatem ſuam firmiter inhæreſcit parti ventriculi & inteſtinorum, alvum quidem movet, ſed in ſenſibilioribus ſubjectis atrocia tormina cum flatulentiis aliaque mala parit, quin magis nocet, ubi humorum acido-corroſivorum, vel bilis cauſticæ, in ventriculo aut duodeno copia hoſpitatur. Mercurius autem ſic dictus dulcis, qui ſolus, niſi aſſocietur purgantibus, non facile purgantem exſerit effectum, acceſſu vero bilis corroſivæ in duodeno, deleteriam facile rurſus induit indolem ac generi nervoſo vim ac læſionem infert. Et licet ad enecandos & expellendos vermes paſſim commendetur; nihilo minus tamen quum infantibus mercurialia admodum ſint inimica, atque ego ſubinde gravem noxam & inſignem debilitatem ea attuliſſe obſervarim, non facile, niſi ſumma cautione & ſub certa methodo certoque regimine eorum uſum hoc quoque fine ſuaſerim. Plures porro ad acuendam vim auri fulminantis purgantem admiſcere ſolent ſalia neutra, ut arcanum duplicatum, tartarum vitriolatum, nec negandum, ejuſmodi ſal ad drachmam dimidiam, cum duobus granis auri fulminantis ſic contritum, metallicum quendam ſaporem nanciſci & quoque inteſtina ſtimulando ſedes movere, rarius tamen ſine torminibus ſuccedit effectus. Longe magis vero cavendum, ne mercurius dulcis cum ſalibus, præſertim alcalino vel ammoniacali, attritu ſubigatur, eo quod hac ratione ejus vis corroſiva reſuſcitatur, qua agit in glandularum & nervoſarum partium ſyſtema & moleſtiſſimam ſæpe movet ſalivationem.

III. Omnia ſalia, præſertim neutra & amaricantia ſuperius recenſita, majori doſi ad unciam dimidiam vel unam cum ſufficienti liquido ſoluta & exhibita, inſignem vim alvum vacuantem, ſine commotione ſanguinis, vel appetitus & virium proſtratione obtinent, & longe tutius, immo majori cum efficacia, iis utimur, ac validioribus purgantibus ex regno vegetabilium; præſertim in morbis & corporibus ubi humorum ſpiſſorum & tenacium copia, vel in primis viis, vel in vaſis deliteſcit. Atque etiam fontes medicati, calidi & frigidi, qui acidularum nomine veniunt, quorum magna certe in morbis longis & valentibus cum arcendis, tum depulſandis eſt efficacia, vim ſuam aperientem, deterſoriam purgantem, præter aqueum, ad ſalinum potiſſimum quod recondunt elementum referunt, uti id à me latius variis diſſertationibus in *tomo II. opuſculor. phyſico-medicorum* collectim editis, expoſitum eſt.

IV. Inter flores qui laxante facultate pollent, acaciæ, perſicorum, violarum, roſarum eminent, ſed recentes ſint & tantummodo infundantur, non coquantur. Optime hi exhibentur cum ſero lactis dulci, vel lacte aſinino, tempore præſertim verno, & ita quidem, ut per aliquot hebdomades medicata ejuſmodi potio mane ad menſuram dimidiam ad purificandum ſanguinem, inprimis ſi corpora teneriora & ſenſibilioris naturæ, potetur. Habet enim ſerum lactis & lac quoque aſininum jam tum vim quandam laxantem, ut etiam auctor eſt *Celſus lib. II. cap.* 12. ita diſſerens: *ſunt valetudinis genera, quibus ex lacte purgatio convenit. Antiqui*, pergit paullo poſt, *lac vel aſininum, vel bubulum, vel caprillum, ſumebant, eique ſalis pauxillum adjiciebant decoquebantque id, & ſublatis his quæ coiverant, quod quaſi ſerum ſuper erat, bibere cogebant.*

V. Ex aloe, ſive heparica, ſive ſoccotrina, præparata laxativa magnæ efficaciæ ſunt præſidia, ſi probe prius à principio ſulphureo volatili, valde peregrino & à reſina tenaciter inteſtinorum tunicis adhærente debita enchireſi ipſa liberetur, & non in magna, ſed refracta & exigua doſi, cum extractis amaris & temperatis balſamicis ingredientibus miſceatur, quo nomine utique pilulæ, caſu forſan à *Bechero* inventæ, & ſecundum ejus methodum ex aptioribus concinnatæ ſpeciebus, utique commendationem merentur, ſine non ſolum blande alvum movendi, ſed & inteſtinorum tonum, qui plurimis in morbis labefactatus & à purgantibus etiam læditur, firmandi. Et utut tales pilulæ in corporibus robuſtis & ſanguine abundantibus parum efficiant, eo præſentior tamen earum virtus in natura & à morbo infirmis, imbecillibus, in puerperio & quando ex uteri vitio menſtrualis purgatio non recte ſuccedit. Conveniunt quoque ubi digeſtio à morbo quocunque etiam convaleſcentibus vacillat, ad crudos ſuccos corrigendos & evacuandos, item in hypochondriacis, quorum ventriculus jugiter excludit cruditates acidas. Contra ea aloetica incorrecta & majori doſi data magnopere commovent ſanguinem, eamque ob cauſſam, plethorici, ſenſibilioris naturæ & in ſanguinis excretiones proclives recte ab iis penitus abſtinent, quia id incommodum proprium ſervant aloetica præpoſtere data, quod hæmorrhoides cœcas moleſtiſſimæ ſenſationis excitent & ſanguinem ad regionem lumbarem & partes in pelvi contentas urgeant. Inter pilulas autem quæ aloen cum aliis aptis ingredientibus habent, præter Becherianas, tartareæ Schrœderi, aleophanginæ, marocoſtinæ, de ſuccino Cratonis, Solenandri, uſu & utilitate ſua non defraudandæ.

§. IV.

Longe efficacius autem & validius alvum vacuant PURGANTIA; eoque nomine ex vegetabilibus potiſſimum innotuerunt radices: mechoacanna alba & nigra, ſive jalappa, helleborus niger & albus, iris noſtras, bryonia, eſula; herbæ: ſoldanella, gratiola, linum catharticum Anglicanum, pomum colocynthidis, grana tilli, ſemen cataputiæ, turbith vegetabile, cortex medius ſambuci, nec non gummi guttæ, elaterium & ſcammonium, unacum iis quæ artis pharmaceuticæ miniſterio ex his conficiuntur, trochiſci alhandal, extractum colocynthidis, eſulæ, panchymagogum Crollii, reſina jalappæ, diagrydium

III. P
ganti

dium ſulphuratum, pulvis Cornachinus, ſive Comitis de Warwich.

Theoremata.

Elementum quo cum draſtica hæc pharmaca operationem ſuam perficiunt, eſt utique virulentæ indolis ac tenuiſſimum ſal cauſticum inflammatorium, quod nerveas non ſolum ventriculi & inteſtinorum, ſed etiam univerſi corporis membranas, exili etiam doſi, haud ſecus ac venenum, adoritur, in eaſdem cum violentia agit & ſpaſticas conſtrictiones, præcordiorum anxietates, cardialgias, ventris tormina, cum crebris dejectionibus, ſingultus, ventriculi & inteſtinorum inflammationes, cum extremorum frigore, immo convulſiones, excitare ſolet. Nam ſummæ tenuitatis & activitatis eſſe ac in univerſam humorum maſſam ſuam vim diffundere ſal quod purgantia hæc recondunt, ex eo patet, quod infans ex lacte nutricis quæ purgans aſſumſit purgetur, & iisdem exterius tantum applicatis, purgans validiſſimus & pernicialis quandoque ſubſequatur affectus. Sic Veteres pedes decocto hellebori lavantes, ſe purgabant, ut habet *Heurnius in comment. in aph. Hippocratis.* Globulum ex helleboro fonticulo ad mundificandum impoſitum & vomitum & ſedes moviſſe auctor eſt *Walæus de meth. med. pag.* 124. Unguentum quoque quod habet colocynthidem umbilico illitum, purgat non modo infantes, ſed & adultos. Cauſtica vero & inflammantis virtutis catharticorum indoles ex eo clariſſime pateſcit, quod exterius tantum applicata, cutim inſtar veſicatorii adurant & veſicas excitent, lac eſulæ verrucas conſumat, & eſſentia ex purgantibus, ut jalappa, mechoacanna, ſcammonio extracta & deglutita urat & arrodat fauces cum œſophago, aphthaſque & puſtulas ardentes producat. Et certe virulentam ac veneni æmulam draſticorum eſſe facultatem, *Wepferi* experimenta uberrime evincunt, qui in *tract. de cicuta aquatica* memorat: ſe catellis varii generiis purgantia certa doſi ingeſſiſſe, eoque facto, mox vomitus, convulſiones ac demum mortem ſucceſſiſſe, factaque poſtea ſectione, ventriculum & tenuia inteſtina inflammata & maculis rubicundis, non ſecus ac ſi arſenicum datum fuiſſet, conſperſa comparuiſſe. Et quod memoratu digum, eadem phænomena, eoſdemque effectus, à reſina jalappæ, cujus uſus noſtris temporibus frequens admodum eſt, obſervari, idem auctor conceptis teſtatur verbis:

Corollaria practica.

I. Quum itaque tam vehemens, periculoſa, quin damnoſa acriorum & validiorum catharticorum ſit actio; rectius omnino ab eorum uſu prudens, rationalis & circumſpectus medicus penitus ferme abſtinet. Certe experientiæ teſtimonio uberius conſtat: à nullo per omnia ſæcula pharmaco majorem perniciem, immo tam funeſtos effectus, productos fuiſſe, quam per minus provide data draſtica, ut vel ego, ex quo à quadraginta quinque & quod excurrit annis medicinam exercui, innumera fere obſervarim exempla eorum, qui ſolis purgantibus fortioribus immedicabilem noxam ſibi contraxerunt, vel plane occubuerunt. Neque etiam ullum aliud ex remediorum pharmaceuticorum ſupellectile tam celeriter ac potenter vires proſternit, pulſum immutat, ſtomacho infeſtum eſt ejuſque & inteſtinorum naturale robur & motum lædit atque pervertit, quam acre ejuſmodi pharmacum. Plures novi, qui crebriori horum uſu morbum cachecticum, hydropicum & hypochondriacum nacti ſunt, qui lethalem inflammationem ventriculi cum febre, dyſenteriam & cholericam paſſionem incurrerunt, quin paralyſin dextri vel ſiniſtri lateris experti ſunt. Id quod tamen fuſius jam evolvi & rationibus demonſtravi exemplisque ex auctoribus collectis confirmavi in *diſſertat. de purgantibus fortioribus è foro medico ejiciendis.* Veteres quidem, quibus clementia laxantia maxima ex parte una cum ſalium uſu erant ignota, frequentius his draſticis uſi ſunt, ipſeque *Hippocrates* elaterio potiſſimum atque helleboro purgationes molitus eſt; ſed ſi eorum ſcripta curatius perluſtramus, nonniſi neceſſitate urgente ea propinarunt, & tum quidem provido certe conſilio, & ante, & poſt elaterium, cui plurimum deferebant, lac potui præbuerunt, helleborum vero admixtione mulſi, olei, vel lactis cicurarunt, ne dicam ipſos non promiſcue eadem in uſum traxiſſe, ſed morbos curate diſtinxiſſe, & *Hippocratem* maxime *lib. de purgant.* in omni febre & inflammatione eorum uſum ſerio interdixiſſe. Quin peritiſſimos in arte priſcos damna ex purgantibus neutiquam latuiſſe, uberius teſtantur reperiunda paſſim in eorum monumentis præcepta atque effata. Luculentis certe verbis teſtatum hoc facit *Sect. II. aphor.* 57. ita habens: *qui ſunt ſano corpore dum purgantur, celeriter exſolvuntur;* & *Sect. IV. aph.* 16. purgationem periculoſam pronunciat iis, qui ſunt integra valetudine. Cujus aphoriſmi veritatem *Heurnius* demonſtraturus addit: *vidi ſanos, quos in perniciem traxit ſolum ſimplex apozema purgatorium ex fumaria cum ſennæ foliis, temere exhibitum.* Neque minus *Celſus lib. I. cap.* 3. inculcat: *purgationes, ut interdum neceſſariæ, ſic ubi frequentes, periculum afferunt.* Et *lib. II. cap.* 12. ita ſcribit: *medicamenta,* (intelligit purgantia) *ſtomachum fere lædunt & hominem infirmant, & nunquam in adverſa valetudine recte dantur, niſi morbus ſine febre eſt.* Eadem *Dioſcoridis* eſt ſententia qui *lib. IV. cap.* 178. prodidit: quod ſtomachum offendant eidemque ſupra modum adverſentur. Præ omnibus tamen graphice & copioſe de purgantium venenata qualitate & noxa egit *Campegus* in peculiari libello; ut mittamus *Helmontium* ejuſque ſequaces, nec non *Bontekoe*, purgantia mortifera plane appellaſſe, & *Montanum, Cratonem & Solenandrum*, peritiſſimos ac in arte verſatiſſimos viros, eorum uſum mirum reformidaſſe & pilulas ex extractis amaris, gummatibus & aloe in uſu habuiſſe frequentiſſimo. Inprimis vero quam maxime perniciosa atque infenſa ſunt ejuſmodi draſtica corporibus infirmis, infantibus, ſenibus, à morbo vix convaleſcentibus, quique valde imbecillum ſtomachum ac motuum ataxiam proclive nervoſarum partium ſyſtema obtinent. Neque etiam ulla infeſtior medicina reperitur in cholericæ & ſenſibilioris naturæ hominibus, poſt gravem iræ affectum, ut plures hac ratione ſublatos viderim, inflammatione ventriculi unacum cholera ſubſequuta. Qui colica hæmorrhoidali & ſpaſmis hypochondriacis atque hyſtericis patent, omni etiam cura hæc draſtica evitare debent, niſi grave damnum incurrere velint, de quo quidem plura triſtia exempla enumeravi in *diſſertat. de inflammatione ventriculi.* Et quam detrimentoſa ſint purgantia draſtica infantibus, præſertim ſi ſimul dentitione difficili laborent, memorabilis utique eſt obſervatio, copioſe admodum & ſolide certis de cauſſis evoluta ac *tomo I. Medicinæ conſultat. Dec. V. Caſ. VIII. p.* 262. *ſeqq.* inſerta.

II. Utut vero magna & gravia damna ab uſu purgantium draſticorum metuenda: nihilo minus quia venenum quoque diligenti circumſpectione adhibi-

adhibitum tranſit in medicinam, uti mercurialium & emeticorum antimonialium exemplo conſtat; ſunt etiam utique caſus, rariores tamen, ubi valida cathartica commodam locare poſſunt operam. Nimirum in hydrope anaſarca, præſertim ſi is non ex induratione vel ſcirrhoſitate viſcerum & glandularum, ſed ſubito ex ſtagnatione aquarum, ob menſtrualem vel hæmorrhoidalem ſanguinis fluxum ſuppreſſum, aut ex nimia voracitate in & poſt morbum, enatus, vidi nonnunquam cum fructu adhibitum fuiſſe ſuccum iridis noſtratis ad aliquot uncias, item gummi guttæ, elaterium, extractum eſulæ, cum menſura dimidia lactis, repetito etiam aliquoties uſu. Mire enim inde funduntur aquæ non modo per alvum, ſed & in fœminis per uterum, quin bina memoria teneo exempla, ubi paucas quidem ſedes hæc cathartica, ſed largiſſimum & valde ſalutare urinæ ſtillicidium excitarunt. Hydropici quippe ob nimiam laxitatem & torporem fibrarum inteſtinalium commodiusejuſmodi draſtica ferre poſſunt, ac egent hæ omnino paullo validiori ſtimulo, quo ad motum excretorium animentur. Pariter acriora hæc purgantia utiliter in uſum vocari poſſunt in paralytica membrorum reſolutione, affectibus ſoporoſis & ubi ob languores efficaci medicina opus eſt, nec non in amentia, ut veteri proverbio conſtat, quo etiam referendum *Celſi* effatum *lib. II. cap.* 12. *veratrum nigrum*, inquientis, *aut atra bile vexatis, aut cum triſtitia inſanientibus, aut iis quorum nervi parte aliqua reſoluti ſunt, datur.* Neque minus experientia compertum habeo, in acerbo iſchii & coccygis dolore, ad femora per intervalla excurrente, ea quæ validius alvum ducunt ſuppetias tuliſſe, & exturbatis ſeptem vel octo ſedibus bilioſorum & male coctorum ſuccorum ſaburra, tormina conquieviſſe.

III. Paullo robuſtioris etiam naturæ homines, qui ſeptentrionales regiones inhabitant & duriore ac craſſiore victu fruuntur, purgandi ſcopo, ſi neceſſitas exigit, ea quæ fortiter alvum vacuant aſſumere poſſunt; hac tamen, quam ſerio inculco cum cautela, ut refracta doſi, vel in pulvere unacum ſalibus, ut cremore tartari, vel tartaro vitriolato, adjectis aliquot antimonii diaphoretici granis, dentur, vel ut ipſa v. c. extractum hellebori nigri, trochiſci alhandal, ſcammonium, reſina jalappæ aliaque in formam pilularum redigantur, nupta iis, quæ virulentam vim infringunt & caſtigant, ut ſunt cinnabaris, vitriolum martis, crocus, caſtoreum, ſal ſuccini, ſuccinum, myrrha, quibus ſi extractum panchymagogum Crollii, quod valde acria habet purgantia, convenienti doſi miſcetur, pilulæ utique emergunt, quæ ubi acrior ſtimulus admovendus, egregie officio ſatisfaciunt. Nihilominus tamen memori nunquam non mente tenendum: quod ſi validiori evacuatione opus, longe magis è re ſit, aucta leniorum doſi eandem proritare, quam acrioribus & virulentis urgere.

§. V.

IV. Sudorifera.

Aliud evacuantium genus eſt, quod per cutis ſpiracula liberaliter & conſpectius, vel leniter modoque minus ſenſibili, ſordes ſubtiliores emovet. Quæ largius id faciunt SUDORIFERA, Græcis dicta hydrotica, ſunt remedia, quorum virtute ſenſibilis mador per cutis tubulos lymphatico-arterioſos fertur. Hac virtute ex vegetabilium proſapia eminent radices ſaporis admodum acris & penetrantis oleoſi, angelicæ, imperatoriæ, oſtrutii, petaſitidis, helenii, leviſtici, vinceto-xici, dictamni, valerianæ, contrayervæ, ſerpentariæ Virginianæ, lignum guajacum & ſaſſafras cum corticibus. Ex mineralium familia antimonium crudum, regulus antimonii medicinalis, tinctura ſulphuris volatilis, ex calce viva, ſale ammoniaco & ſulphure parata, ſulphur antimonii correctum & fixatum, nec non mixtura ſimplex. Theriaca quoque, ejus eſſentia, ſpiritus & aqua, omnes ſpiritus & ſalia volatilia ex partibus animantium parata, præſertim cornu cervi, eboris & lumbricorum terreſtrium, ſpiritus Buſſii, tartari, ſerici, fuliginis, eſſentia lignorum, item olea deſtillata fœtida, ut oleum cornu cervi fœtidum, in ſpiritu vini ſolutum.

Theoremata.

I. Famigeratiſſima hæc ex ſudoriferis remedia, non alio modo virtutem ſuam exercent, quam quod principio quo pollent cordis vim ſyſtalticam & arteriarum elaſticitatem, quoad numerum & virtutem ictuum augeant, & majori facta circuli velocitate, ad cutis extimam & cribroſam ſubſtantiam, ex qua prodit ſudor, adducant. Hanc vero exſequuntur vel ſubtili acri calido oleo, ut radices ſuperius enumeratæ, quæ etiam vocantur alexipharmacæ; vel ſale volatili empyreumatico igneæ naturæ, ut omnes ſpiritus ſalia volatilia & olea ex animantibus; vel ſale acriori fixo plus minus reſinoſo, ut radix pimpinellæ albæ, guajacum & ejus cortex, contrayerva, ſerpentaria Virginiana; vel denique actionem ſuam & quidem ſatis potenter edunt, ſale & ſulphure minerali tenuiſſimo, quo nervoſas maxime fibrillas in motum vehementem cient, atque adeo in exili admodum doſi magnam vim poſſident, hinc uno grano mercurii noſtri diaphoretici, item duobus vel tribus granis ſulphuris antimonii fixati, ſudor per univerſum corporis ambitum elicitur, qualem effectum etiam decoctum lignorum & antimonii crudi cum lignis, nec non regulus antimonii medicinalis, præſtant.

Corollaria practica.

I. Valida hæc ſudorifera, licet in majori doſi offerantur, ſudorem minime tamen eliciunt, niſi corpus ſit diſpoſitum; id eſt, niſi cutis tubuloſa ſubſtantia ſatis patula ſit & relaxata, niſi etiam ſufficiente humoris quantitate ſanguis ſit dilutus. Quare ſi quis in morbis ſanandis utilem judicat ſudoris prolectionem, neceſſe eſt, ut quæ recenſuimus ſudorifera, ad diluendum ſanguinem cum ſufficienti liquido ſumantur, v. g. aqua calida, infuſo thee, decocto hordei, atque ut ad cutis fibras remittendas in lectum & hypocauſtum calidum, vel etiam balneum, præſertim vaporoſum, concedat ſudaturus, ac ita ſudor ſatis largus manabit.

II. Sudorifera hæc activiora rarius locum inveniunt & cum inſigni etiam prudentia adhibenda ſunt. Etenim ſudor in ſtatu ſano & naturali, niſi in motum extraordinarium cieatur ſanguis, non profluit, nec ea propter ſalubritatis indicium eſt, ut perſpiratio inſenſibilis, cujus etiam materia, quæ blanda, lymphatica, nutritia, nullius fere ſaporis eſt & odoris, à ſudoris, quæ ſaporis ſalſi, odoris fœtidi & ad urinæ naturam accedit, admodum differt. Deinde ſudorifera hæc ingentem commotionem & orgaſinum efficiunt inſignem, nec moderate, ſed nimis celeriter agunt, inque ſanguine vel ſero impuro refertis corporibus majori impetu cruorem ad vaſa minima & anguſtiora impellendo, periculoſas acutas afflictiones, ex inflammatione & humorum congeſtione oriundas, concitare valent. Nocentiſſima

vero

vero ſunt, ubi ſaburra vitioſorum humorum primæ viæ repletæ, alvus conſtricta & ſi ſtatim poſt iram propinantur. Vidi non ſemel hac perverſa methodo, dolores arthriticos, rheumaticos, lentas quoque & hecticas febres, diutius non ſine periculo affligentes, inductas.

III. In omnibus acutis morbis, febribus, inflammatoriis, etiam exanthematicis, ſudoriferorum uſus plane exulet, & nonniſi quam maxime moderatus minusque creber admittatur. Nam ſæpius certe ab eſſentia alexipharmaca promiſcue, ut jam mos invaleſcit, oblata, calorem, anxietatem & ſymptomatum atrociam increviſſe, obſervavi. Dicuntur quidem hæc remedia alexipharmaca, ut & ipſa theriacalia, quaſi venenis & malignitati humorum reſiſterent, adeoque in morbis contagioſis graſſantibus ipſaque peſte, à medicis mirifice commendantur; at vero plus valent ad horum morborum præſervationem, quam curationem, præſertim ſi epidemii ejuſmodi maligni morbi à tempeſtate nimis humida, vappida, nebuloſa diuturna, ventis ex euro & borea flantibus deſtituta, vel etiam à diluvio & inundatione aquarum graviori originem ſuam trahunt; certius tamen & tutius etiam hoc fine, cum aceto vini aqua diluto propinantur, vel radices alexipharmacæ cum aceto infunduntur, quod deinde alexipharmaca vi imbutum ad aliquot cochlearia cum ſufficienti aqueo vehiculo propinandum, quo pertinet etiam eximius uſus aquæ prophylacticæ Sylvii, eo nempe tempore, quo ejuſmodi morbi graſſantur.

IV. Sudor vero utiliter evocatur in iis morbis, qui à frigore externo & perſpiratione prohibita, ut ſunt catarrhi, rheumatiſmi, alvi fluxus, gravedines, tuſſes, tumores glandularum, oriuntur, item quando à frigido potu ſudanti & calefacto corpori largius ingeſto periculum metuendum; ſed opus eſt, ut inter initia ſtatim offerantur: ac tum quidem tinctura bezoardica, vel ſpiritus bezoardicus Buſſii, cum liquore noſtro anodyno remixtus, egregii uſus. Neque minus ſuſcepto morbi inficientis miaſmate, ſtatim poſt lene aſſumtum emeticum, ſudoriferum conducit, & quidem acetum bezoardicum, vel pulvis bezoardicus, cum camphoræ, quæ princeps alipharmacorum, momento.

V. In iis porro morbis, qui in tubuloſa & fibroſa cutis ſubſtantia conſiſtunt & ab acri viſcida materia texturam cutis deſtruente ac defœdante, ut ſcabie, etiam mali moris, herpetes, lepra, puſtulis & ulceribus venereis, ſudor cum fructu accommodatis remediis liberalius movetur. Idem fit in arthriticis rheumaticiſque omnium partium doloribus, dum ſerum viſcidum ſtagnans acre & membranis nerveis inhæreſcens, hac ratione diſcutitur ac eliminatur. Pari ratione in morbis omnibus ſic dictis frigidis, anaſarca, leucophlegmatia, ſcorbuto frigido, lue venerea, arthritide fixa, malo iſchiadico, paralyſi, ceteris paribus, ſudorifera magnæ ſunt efficaciæ, quia elaſticitatem & vim contractilem cordis & vaſorum, quæ in ejuſmodi affectibus admodum depreſſa eſt, intendunt, reſtituunt & ſanguinis circuitum, ad meliorem impurorum ſuccorum ſequeſtrationem, efficaciter augent. Sed inſiſtendum eſt aliquandiu hiſce præſidiis.

VI. Sudoriſera ſemper meliorem operationem exſerunt, ſi cum ſufficienti & calido liquido aſſumuntur. *Celſus* jam *lib. III. cap. 6.* hoc fine commendat potum calidum his verbis: *ſi nota eſt ſudoris venturi, tum demum calidam aquam potui dare oportet, cujus ſalubris effectus eſt, ſi ſudorem per omnia membra effundit.* Et idem uberius teſtatum faciunt decocta lignorum, quorum uſus in lue venerea aliisque frigidis morbis ſane laudatiſſimus. Vidi quoque febres intermittentes, tertianam, quartanam, in plebeiis feliciter ſublatas, ſi præmiſſo emetico, aliquot horis ante acceſſionem, ſumtum ſudoriferum, cum reginine, ex rob ſambuci, ſale tartari & piperis quibuſdam granis, cum aliquot ſpiritus vini cochlearibus confectum.

§. VI.

Sudoriferis potentia agendi inferiora, ſed ſalubri effectu longe ſuperiora ſunt DIAPHORETICA, quæ placide tantum augent & movent perſpirationem. Ex his inter ea quæ vegetabilium regnum ſuggerit, præcipua ſunt radix chinæ, ſarſaparillæ, carlinæ, gentianæ; ex herbis: carduus benedictus totus, ejus ſemen omniaque ex eo parata, eſſentiæ, aquæ, extracta, ſal, porro ſcordium, ſambucus, iſque humilis ebulus, ejuſque flores, rob, aqua, item fumaria, ſcabioſa, crocus, flores calendulæ, opium quoque; ex regno animalium: omnia oſſa, cornua ac dentes animantium, tam raſa, quam in cineres uſta & philoſophice præparata, maxime omnium quæ cervus ſuggerit, lapides, teſtæ & chelæ cancrorum; ex terreis: omnes terræ ſigillatæ & margarum ſpecies, bolus fabrilis; ex ſalibus: ſalia herbarum per incinerationem parata, item nitrum; ex pretioſis & exoticis: petra di porco, lapis bezoar orientalis & occidentalis; ex mineralibus & chymicis: flores & lac ſulphuris, cinnabaris tam nativa, quam vulgaris & antimonii, antimonium diaphoreticum, ceruſſa antimonii, magiſterium antimonii, ſive materia perlata Crügneri, bezoardicum minerale, tinctura antimonii temperata, ex regulo & ſale tartari, antihecticum Poterii; ex compoſitis: lapis de Goa, qui ex lapide bezoar orientali, tragacantha & ambra conficitur, pulvis bezoardicus Sennerti, Anglicanus, Pannonicus ruber, cordialis Dorncrellii, liquor noſter anodynus mineralis, acetum quoque vini, vel etiam deſtillatum & floribus ſambuci ſuperinfuſum, aut cum lapidibus cancrorum, pulvis noſter polychreſtus diaphoreticus, theriaca cœleſtis, laudanum liquidum, pilulæ Wildeganſii.

Theoremata.

Actio diaphoreticorum varia eſt & multiplex. Vel enim privative agunt & acidum primarum viarum, quod ad ſanguinem delatum ejus ſpirituaſcentiam, fluiditatem & motum inteſtinum deprimit, abſorbent atque invertunt, cujus indolis ſunt omnia terrea alcalinæ naturæ: vel nimiam humiditatem imbibendo & remiſſas nimis fibras adducendo, ut terrræ ſigillatæ, boli & margæ, item oſſa & cornua, tam uſta, quam philoſophice præparata, nec non unicornu foſſile: vel ſulphure anodyno blando vaporoſo ſtricturas ſuperficiales cutis in doloribus laxando & complacando, ut ſunt ſambucina, præſertim flores, crocus, ejus extractum, flores papaveris rhœados, liquor anodynus mineralis noſter, emulſiva ex ſemine papaveris, opiata correcta, potiſſimum theriaca cœleſtis, pilulæ Wildeganſii, laudanum liquidum Sydenhamii methodo paratum; vel motum inteſtinum ſanguinis ferociorem componendo ac figendo, uti nitroſa, refracta doſi fixioribus diaphoreticis nupta, nec non ſpiritus nitri dulcis, emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus, acidulata, ſuccus limonum ipſumque acetum, vel denique poſitive elemento ſubtili acri fibras

& vaſa languentia leniter exſtimulando, prout carduus benedictus, ſcordium, fumaria, china, ſarſaparilla, centaurium minus, ſcabioſa, carlina & gentiana.

Corollaria practica.

I. Quemadmodum illa ſubtiliſſimarum ſordium per cutis poros inſenſibili modo ſuccedens evacuatio, omnium eſt ſaluberrima, eademque intercepta, plures ſuccreſcunt morboſæ afflictiones: ita diaphoreticorum, quæ cutaneam hanc excretionem eliciunt, uſus certe eſt ampliſſimus, univerſalis & fere polychreſtus, in omnibus ferme affectibus, etiam ex præſentibus ſignis nondum ſatis perſpectis & cognitis, ut iis medicus modo carere poſſit plane nullo. Circulus enim ſanguinis & perſpiratio auctior, ſolennia illa naturæ media ſunt ac inſtrumenta, quibuſcum materia quæ in morbis in vitio eſt, corrigitur, digeritur, reſolvitur, diſcutitur ipſeque morbus tutiſſime ſanatur. Potiſſimum tamen in omnibus morbis & febribus acutis, inflammationibus cujuſcunque generis ſint, ſola hæc, pauca & continuata doſi, cum convenientibus vehiculis data, omne ſanationis punctum abſolvunt & revera optima ſunt diſcutientia & ſanguinis maſſam depurantia.

II. Quia exceſſivus, præſertim tempore æſtivo & in cholericis ac bilioſis corporibus, æſtus, nec non qui febribus cholericis & bilioſis jungi ſolet, nimis exſiccat, humidum abſumit & perſpirationem impedit; acidula & nitroſa, ac inprimis lapides cancrorum cum nitro, exhibiti in julapio ex aquis diapnoicis & cum ſyrupo acetoſitatis citri condito, contemperando nimiam exæſtuationem, cum bonis ægrorum rebus ex voto diaphoreſin movent.

III. Ubi ob dolorum atrociam arida & exſucca cutis ejuſque tubuli anguſtantur & coarctantur; præſtat ſemper leniora anodyna & antiſpaſmodica diaphoreticis jungere, qua virtute maxime ſplendet liquor noſter anodynus mineralis, ad tres partes, cum una ſpiritus bezoardici Buſſii parte remixtus, item pulvis diaphoreticus fixior, leniter nitroſus, cum cinnabari & uno vel altero pilularum Wildeganſii grano, id quod etiam pluribus teſtatur *Ettmüllerus* in *diſſertatione de virtute opii diaphoretica.*

IV. Pulveres diaphoretici id ſervant peculiare, quod non ſolum perſpirationis ſucceſſum intendant, ſed etiam ſæpe virtutem laxantem & inſigniter diureticam, exſerant. Certe de pulvere noſtro ſic dicto bezoardico polychreſto, multiplici experientia compertum habeo, eundem ſi mane vel poſt meridiem propinatur & prima in regione offendit acidos ſuccos, quatuor vel quinque ſedes movere, quod in ſenibus & hypochondriacis cum eximio ſanitatis commodo ſuccedit. Idem quando circa lecti introitum offertur, nec tamen cutis ad ſudorem ſatis diſpoſita, ut in principio catarrhorum, largum urinæ movere ſolet fluxum, ubi vero ad diapnoen cutis apta, largiter ſæpe fluit ſudor.

V. In morbis acutis & febribus, ubi parum acidi in primis viis præſto eſt, tutius & majori cum efficacia, fixa & terrea diaphoretica paullo minori doſi offeruntur, ac optime miſcentur cum ſyrupo acetoſitatis citri, nec non aceto vini, quippe ſolum acetum cum aqua non coagulat, ſed ſæpe reſolvit & diſcutit ſanguinem impactum, multo magis ſi diaphoreticis jungatur.

§. VII.

Sudoriferis ac diaphoreticis ſuccedunt ea, quæ ſerum ſalſum, craſſioribus terreſtribus recrementis refertum, per urinarias vias eliciunt, DIURETICA dicta. Horum apparatum *Celſus lib. II. cap.* 31. ſiſtit: *urinam*, inquiens, *movent quæcunque in horto naſcentia boni odoris ſunt, ut apium, ruta, anethum, ocimum, mentha, hyſſopus, aniſum, coriandrum, naſturtium, eruca, fœniculum, præter hæc aſparagus, capparis, nepetha, thymum, ſatureia, lampſana, paſtinaca, ſiſer, cepa.* Nos quæ hunc in finem commendemus, habemus ex vegetabilium numero radices: petroſelini, ſeleri, aſparagi, graminis, liquiritiæ, rubiæ tinctorum, paſtinacæ, ranunculi eſculenti & quæ exteris debentur bareiræ bravæ & acmellæ; herbæ: petroſelinum, hedera terreſtris, equiſetum, chærefolium, urtica, omneſque porri & allii ſpecies; flores: geniſtæ, cyani; ſemina: dauci, petroſelini, ſeleri, fœniculi, milii ſolis, urticæ, violarum, ſemina quatuor frigida majora, lycopodii, fructus alkekengi, cynosbati, juniperi & fraga; lignum juniperinum, ſaſſafras & ejus cortex; reſinæ & balſama: maſtix, ſuccinum, balſamum de Mecca & de Copaiva; ex animalium familia: cantharides, millepedes, vermes Maiales, ſcorpiones, bufones, lumbrici terreſtres, cochinellæ, nec non ſerum lactis: ſalia porro omnia alcalia per incinerationem parata, ſal quoque ſuccini, arcanum duplicatum, ſolutio oculorum cancri ipſumque nitrum; ex præparatis & compoſitis: lixivium benedictum Mynſichti, tinctura tartari, antimonii acris, terra foliata tartari, liquor ſilicum, lithontripticus Michaelis, tartarus ſolubilis, ſpiritus terebinthinæ, maſtichis, ſuccini, balſamum ſulphuris terebinthinatum, juniperinum, oleum juniperi, malvaticum juniperinum, ſyrupus è dialthæa Fernelii, trochiſci alkekengi.

Theoremata.

Quemadmodum parcior & imminutus, vel difficilis urinæ fluxus à variis proficiſcitur cauſſis, & vel 1) ab humidi in ſanguine defectu; vel 2) à tenacibus ſpiſſis urinarios renum tubulos obſtruentibus ſuccis; vel 3) à vehementi canaliculorum renalium ſpaſmo & ſtrictura; vel denique 4) à nimia eorundem laxitate atque reſolutione: ita etiam remedia quæ debitum urinæ fluxum revocant & eliciunt, diverſis ad has cauſſas relatis modis effectum exſequuntur. Videlicet nonnulla fluidum ſanguini ſpiſſeſcenti infundendo urinæ ſtillicidium augent, quæ inter connumeranda omnia diluentia aquea, largus aquæ dulcis tam calidæ quam frigidæ, eo magis herbis diureticis infuſæ, potus, ipſumque infuſum thee ac decoctum coffee. Hac quoque virtute ſplendent ſoteriæ aquæ, tam calidæ, quam frigidæ, quippe quæ præter humoris copiam, qua ſanguinem diluunt, eximia ſimul virtute pollent, alcalino quod recondunt elemento, viſcidos & tenaces humores diſſolvendi & renale cribrum ab obſtructione liberandi. Idem præſtat lactis ſerum pariter & aquoſo largo & ſale dulci nitroſo, abſtergente blandeque ſtimulante elemento inſtructum. Alia humores lentos ac ſpiſſos renalis colatorii ductus farcientes ac oppilantes diſſolvunt eoſdemque ſecretioni aptos reddunt, qua quidem virtute conſpicua ſunt ſalia omnia fixa & ex iis parata lixivia, item tinctura tartari, antimonii acris, liquor ſilicum, terra foliata tartari, tartarus tartariſatus, arcanum duplicatum, ſolutio

oculo-

oculorum cancri, ipſaque magneſia alba, cum primæ regionis acido in ſal aperiens degenerans, neque minus tinctura calcis vivæ, mater perlarum & corallia ſucco citri maritata, una cum ſalibus, quæ ex medicatis aquis exhalationis ope eliciuntur. Nonnulla ſpaſticas in renali emunctorio ſtricturas debitam urinæ ſequeſtrationem ſufflaminantes & intercipientes mulcent atque relaxant, eoque nomine laudem merentur præter nitrum, ſemina quatuor frigida majora & ex iis paratæ emulſiones, ſemen papaveris albi, dauci, milii ſolis, lycopodii, item fructus alkekengi & ex iis artificioſe confecti trochiſci. Eadem facultas ineſt liquori noſtro anodyno minerali, tutiſſimo certe & tamen efficaci remedio, croco ejuſque eſſentiæ, nec non ob nitroſum ſal ſucco graminis, decocto radicis graminis, aſparagi, & quod etiam egregie demulcet oleo amygdalarum dulcium. Quædam remiſſum renalis cribri robur firmant atque adducunt, idque vel oleoſo, tenui & ſubtili balſamico principio, ut maſtix, ſuccinum, balſamum de Mecca, de Copaiva, terebinthina, juniperus, ejus lignum & baccæ, ſaſſafras, petroſelinum, paſtinaca, fœniculum, aniſum, ranunculus hortenſis, ſeleri & quæ ex his confici poſſunt olea, eſſentiæ, ſpiritus, decocta & infuſa; vel roborante quodam fixiori terreo ſulphureo elemento, cujus generis ſunt fructus cynosbati, rob juniperi & ex eo malvaticum juniperinum, fraga exſiccata, bareira brava, hedera terreſtris, cortex radicis acaciæ, equiſetum, veronica, chærefolium. Aliqua demum potenti ſtimulo efficaciam edunt in tubulos renales, quando eorundem robur propter debilitatem ſummam penitus exſolutum, ipſaque hinc eorundem functio ceſſat. Propria hæc eſt facultas inſectis fere omnibus, præſertim cantharidibus, millepedibus, araneis, ſcorpionibus, vermibus Maialibus, bufonibus exſiccatis, nec non ex vegetabilium genere porri & allii ſpeciebus.

Corollaria practica.

I. Quum itaque tam conſpicua inter diuretica ratione principiorum & operationis intercedat differentia; diſcrepans quoque eorundem erit uſus & cum exquiſito diſcrimine pro circumſtantiarum ratione adminiſtrandus. Quod ſi enim redundante in corpore ſanguine, ante ejus imminutionem calculo laborantibus exhibere quis vellet calidiora, oleo ſubtili balſamico perfuſa, ut terebinthinata, ſuccinata, juniperina, vel balſamum de Mecca, Copaiva aut Peru; vel etiam acriora, cauſtico ſale pollentia ex inſectis, allio, cepis & porro: is profecto graviſſime noceret & inflammationem renum induceret, vel calculorum generationem promoveret. Contra ea in corporibus humidioribus, minus ſentientibus, plebeiis & qui craſſo victu fruuntur, nec non in morbis, qui à copia ſeri impuri natales trahunt, fluore fœminarum albo, gonorrhœa, diſpoſitione ad anaſarcam & leucophlegmatiam, efficaciora hæc remedia magno ſunt uſui.

II. Multo magis vero acria & ſtimulantia detrimento ſunt, ſi ob dolores, ut ex calculo, vel ſpaſticas conſtrictiones, urinæ fluxus ſufflaminatur; & tum quidem longe tutiora ac utiliora ſunt, quæ ſtricturas relaxant & dolores leniunt, ut faciunt fructus alkekengi, ſemina dauci, lycopodii, papaveris albi, milii ſolis, quatuor frigida majora, emulſiva, trochiſci alkekengi cum opio, nitrum antimoniatum, depuratum, aquæ florum ulmariæ, tiliæ, acaciæ, oleum amygdalarum dulcium, ſpiritus nitri dulcis, liquor noſter anodynus mineralis, ſerum lactis, nec non exterius balnea, inſeſſus & fotus emollientes, quorum omnium tam egregia virtus eſt, ut placando dolorificos ſpaſmos, non modo ſuppreſſum urinæ fluxum reſtituant, ſed & ipſius calculi progreſſum per ureteres & exitum eximie facilitent atque promoveant.

III. Quando ſeri ſalſi, tartarei copia, quæ dolorum tam arthriticorum, quam rheumaticorum utplurimum genitrix eſt, peccat, utiliter eadem per lenia diuretica expurgatur atque ſubducitur, non vero calidiora, ne iiſdem ſalium ſpicula in motum intenſiorem abripiantur parteſque quibus inſident gravius exagitent. Commendari autem hunc in finem quam maxime merentur radix ſaſſaparillæ, pareiræ bravæ, ſaſſafras, chinæ, liquiritiæ, aſparagi, rubiæ tinctorum, cichorii, fœniculi, petroſelini, graminis, lignum juniperinum & parata ex his cum brodio carnis vel aqua decocta, nec non ſerum lactis, ac potiſſimum acidulæ & thermæ temperatiores.

IV. Ubi vero vitioſi, viſcidi ac tenaces humores in veſica urinaria hærent & cum primis calculi rudimentis excludi debent; acrioribus utique opus eſt magiſque potentibus, cui ſcopo allium cum ſpiritu juniperi ſumtum, pulvis millepedum, vermes Maiales, eſſentia cantharidum, tinctura antimonii acris, liquor ſilicum cum tinctura calcis vivæ ſatisfaciunt, quæ pariter in gonorrhœa virulenta, quando in proſtatis, veſicæ collo & urethra obhæreſcens tenax materia per urinam educenda, prudenter adhibita ex uſu ſunt.

V. Omnium aptiſſima, tutiſſima & utiliſſima ad eliciendum urinoſum laticem præſidia, ſunt ſalia, tam alcalia fixa, quam neutra omnis generis, quippe quæ viſcidos ac lentos ſuccos ſiphunculos urinarios oppilantes diſſolvunt, ſimulque blando ſtimulo excretionem proritant. Quo quidem effectu egregie ſplendent liquor ſalis tartari, cinerum clavellatorum, nitri fixi, tartarus vitriolatus, ſal abſynthii, arcanum duplicatum, ſolutio oculorum cancri, tartarus ſolubilis, terra foliata tartari, nitrum antimoniatum & ſal polychreſtum.

VI. Sed hæc hactenus recenſita remedia non tantum ad eliciendum deficientem urinæ fluxum faciunt; verum etiam alios eximie utiles in morbis præſtant effectus. Dum enim plura ex iis aperiente & incidente, alia roborante, tonica & balſamica, nonnulla anodyna facultate pollent, in longis utique omnibus affectionibus, quæ ab obſtructione glandularum viſcerum & emunctoriorum incunabula ducunt, nec non quæ ab impuritate & copia ſeri ſalſi acris tartarei proficiſcuntur, ex voto ferunt ſuppetias. Et certe ſi ulla medicamenta ab hydrope, tumoribus œdematoſis, calculoſis concretionibus, podagra & arthritide defendunt; certe à prudenti diureticorum uſu id erit exſpectandum. Cavendum tamen merito ab omnibus calidis, acribus & cauſticis, & potius utendum lenioribus magiſque diæteticis, cujus generis ſunt vinum Moſellanum tenue, acidulæ Selteranæ & cereviſiæ vel decocta quæ diureſin blande movent.

§. VIII.

VII. Menſes & hæmorrhoides moventia.

Ad ſalutares & criticas excretiones, quæ ad vitæ & ſanitatis tutelam faciunt, pertinent etiam illæ, quibus bonus & ſincerus ſanguis, ſi copia peccat, non ſolum in fœminis poſt annum decimum quartum ſingulis menſibus per uterum atque etiam poſt partum & abortum emittitur; ſed in viris etiam nimium cruore redundantibus per

extimas ani venas, quæ hæmorrhoidales vocari ſolent, ſponte à natura per vices effunditur. Hæ itaque ſaluberrimæ hæmorrhagiæ, quando modo, quantitate, vel tempore peccant, plane deficiunt, aut vi quadam cohibentur, aptis remediis revocandæ iterumque in ordinem reducendæ ſunt, ne graviſſima inde in valetudinem redundet noxa, vel etiam ut enatus jam morbus abigatur. Inter ea vero quæ ad obtinendum hunc ſcopum ex uſu ſunt, connumeranda inprimis ex vegetabili regno: radix ariſtolochiæ, zedoariæ & quinque aperientes; herbæ: artemiſia, calamintha, matricaria, pulegium, meliſſa, ſabina, polium montanum, ruta, majorana, roſmarinus; flores cheiri, crocus, baccæ lauri, juniperi; gummata bdellium, myrrha, galbanum, opopanax, ſagapenum, ſuccinum; ex purgantibus aloe, rhabarbarum, bryonia, itemque aromata; nec non quæ animalibus debentur ſalia cum caſtoreo & quæ ex mineralibus & chymicis omnibus præferenda martialia.

Theoremata.

I. Quo major ſanguinearum evacuationum ad valetudinem tuendam utilitas eſt atque præſtantia; eo magis utique, ut dudum fecit *Hippocrates*, optandum foret, quo ſuppeterent certa & efficacia ejuſmodi præſidia, quibuſcum medicus illas quotieſcunque è re eſt cum certo ſucceſſu regere, evocare aut moderari, ſicque tempeſtive plures graves ægritudines & præſcindere & expugnare poſſet. Verum quia hæc ſanguinis excretio maxime ipſius naturæ eſt opus, quod in fœminis certæ temporis periodo, qua erumpit, ſuccedit & deſinit, adſtrictum, in viris autem nec omnibus ſolenne, nec adeo periodicum, ac præterea certam cruoris redundantis portionem, nec non vaſcula uteri & ani patula, laxa & ad ſpontaneum fluxum diſpoſita exigit, pariterque à multiplicibus cauſſis ſufflaminari vel plane intercipi poteſt; in proclivi eſt judicare: arduum utique nec tum expeditum eſſe negotium, reſtitans vel deficiens cruoris profluvium iterum procurare, quin nunquam perficiendum, niſi cauſſarum defectus ratio habeatur exquiſitiſſima.

II. Poſito vero quod ſanguis ſupra proportionem & modum in corpore redundet, quod præcipua fluxus cauſſa, poſito etiam quod vaſcula uteri & ani ita diſpoſita ſint, ut ab affluente copioſo ſanguine diſtendi & exitum ipſi præbere poſſint; neque tamen excretionis negotium rite ſuccedere, vel propter vaſcula arteriolarum lateralia, quæ ſecundum naturam non vehunt ſanguinem obſtructa, aut ſpaſmo conſtricta, vel etiam ob imminutam ſanguinis ſpirituaſcentiam & cordis atque arteriarum vim elaſticam contractilem: tunc omnino quæ ſupra adduximus remediorum genera exoptatiſſimam ferunt opem. Ad vaſa quippe minima reſeranda & obſtructiones expediendas egregie præter radices quinque aperientes, ariſtolochiam, rhabarbarum, bryoniam, flores cheiri, præſertim ſi in decocto cum ſalino ſtimulo, ut borrace, offerantur, inprimis etiam conferunt gummata, cum aloe & purgantibus in forma pilularum exhibita. Ad tubulos infeſto ſpaſmo conſtrictos nimis & coarctatos adaperiendos, artemiſia, quæ demulcet, millefolium, crocus, caſtoreum, plurimum valent. Et ad deficientem ſanguinis ſpirituaſcentiam refocillandam, robur ſolidis addendum & fibrarum vaſorumque tonum firmandum, roborantia, quæ ſale volatili oleoſo tenui operationem ſuam exſequuntur, ex uſu ſunt, quo referenda omnia aromata, myrrha, baccæ lauri & juniperi, roſmarinus, pulegium, meliſſa, ſatureia, ſabina, flores cheiri, calamintha, ſuccinum, limatura martis & tincturæ ex marte paratæ, item ſalia volatilia oleoſa.

III. Quando nimia ſanguinis copia, quæ elaſticitati vaſorum valde reſiſtit, retardati, vel imminuti fluxus cauſſa eſt, neutiquam emmenagoga jam dicta, præſertim calidiora, locum habent. Sanguis enim hiſce vehementius commotus peſſima ſæpe concitat mala. Sed opus tunc eſt ſanguinis miſſione, quæ per ſectam in pede venam inſtituta, ſaluberrimum hoc & criticum profluvium, ſola ſæpe reſtituit.

IV. Neque etiam hæc quæ enumeravimus emmenagoga conducunt, ubi ſanguinis & ſuccorum benignorum eſt defectus, ut in iis, qui mox à morbo convaluerunt, & quando primæ viæ ſordibus viſcidis fartæ, tunica villoſa lento muco inviſcata & bona digeſtio & chylificatio vacillat. Tum potius id præcipue agere debet medicus, ut tam deficientem bonum ſanguinem nutrientibus gelatinoſis, juſculis & quæ facile in ſuccum & ſanguinem convertuntur, denuo ingeneret, quam labefactatam ciborum digeſtionem & chyli elaborationem congruis remediis, ſi opus eſt emeticis, vel lenioribus purgantibus, ſalinis aperitivis, amaris ſtomachicis, reſarciat & debito ordini reddat.

V. Sæpe ſanguinis effluxum impedit oppilatio ac infarctus vaſculoſæ colli uteri interni & exterius vaginæ, nec non in viris ani ſubſtantiæ, ut nullum ſanguinem, quantumvis valide appulſum, admittat. Quod ſi contigerit, ſupervacanea & irrita ſane ſunt quæcunque pellentia, niſi prius per congrua auxilia relaxata & emollita fuerit, obſtipata & indurata tubulorum compages. Quod quidem non meliori magiſque præſentanea ratione perfici poteſt, quam balneis, vel fotibus, ſeu balneis vaporoſis, ita parandis, ut vas calida aqua, cui herbæ artemiſiæ, pulegii, flores chamomillæ infuſæ, repletum, in hypocauſto calido, tecto bene corpore, abdomini, quo vapor ad interiora uteri & partium inferiorum aſcendat ac penetret, ſupponatur, & ad calorem aliquandiu conſervandum, ſubinde candentes ſilices aquæ injiciantur. Eundem quoque in finem multum conferunt frictiones calidæ pedum uſque ad inguina, præſertim mox à balneo aquæ dulcis cum pannis calidis inſtitutæ.

VI. In iis autem malis, quæ à ſuppreſſo, deficiente, vel minus recte ſuccedente, menſium, vel hæmorrhoidum fluxu, pendent, non certius, non ſecurius, non efficacius præſidium deprehendi, prudenti aquarum mineralium, inprimis thermarum Carolinarum mitiorum interno, & Tœplicenſium externo uſu, qui omnibus medendi indicationibus apprime ſatisfacit. Potu quippe thermalis aquæ humores lenti inciduntur & evacuantur, obſtructiones minimorum tubulorum expediuntur, balneo vero aquæ Tœplicenſis, quæ omnium leviſſima, conſtringente terreo principio orbata, ſtricturæ remittuntur ipſaque vaſa ampliantur, ut ſanguinem affluentem promte admittere, capere iterumque eructare poſſint.

VII. Quemadmodum res admodum ardua & difficilis eſt in medendo, recte curare & procurare menſium in fœminis profluvium; ita longe majoribus adhuc difficultatibus ſtipatus eſt excretionis hæmorrhoidalis ſucceſſus, ſi copia ſanguinis per venas ani exitum molitur, nec tamen ibi diſpoſitionem ad exitum invenit. Nam licet ad

ciendum

ciendum ſanguinis ex ani venis ſtillicidium pilulæ ex aloe paratæ ſingularem plane præ omnibus aliis poſſideant facultatem, dum non modo particulis ſuis reſinoſis ſulphureis, valde ſubtilibus, in univerſa ſanguinis & humorum maſſa inſignem orgaſmum concitant, ſed & tenaci viſcoſa ac reſinoſa ſua parte inteſtini coli & recti tunicis firmius inhærendo, continuo ſtimulo majorem ſanguinis proritant affluxum; nihilo minus tamen quando cruor ita exæſtuatus ac eo copioſus allectus, ob vaſcula perruptioni minus apta exitu præcluditur, partim extrema canalium ora cum exquiſito dolore in ano tuberculorum inſtar protrudit, partim inter nerveas inteſtinorum tunicas ſtagnans eaſdemque premens, vehementes inflationes, ſpaſmos & varia truculenta in abdomine pathemata, ingignit, quæ frequentiſſimæ certe ſunt obſervationis noſtro hoc ævo, quo omnes fere paſſiones ex fluxus hæmorrhoidalis anomaliis, tanquam cauſſa, repetere, clari etiam viri haud verentur, & pilularum ad mentem Beccheri concinnatarum crebrior nimiſque liberalis uſus, ſeu potius abuſus invaleſcit, quarum alias prudens uſus laudem meretur.

§. IX.

VIII. Expectorantia.

In evacuantium claſſe etiam ea locum obtinent, quæ lympham mucidam in glandulis, vel potius glanduloſis tunicis, ex arterioſo ſanguine ſecretam & in emunctoriis hærentem, evocant. In nullo vero corporis organo mucoſitatis copioſior ſuccedit ſequeſtratio, quam in interioribus canalis aſperæ arteriæ ipſiſque pulmonum bronchiis, quæ interius tunica glanduloſa obducta ſunt, unde per tuſſim copioſa per ſæpe ferosa, pituitoſa, viſcida, interdum etiam purulenta materia, in morbis præſertim qui pulmonum compagem afficiunt, tam acutis, quam chronicis, rejicitur. Et hanc è thoracis cavo evacuationem quæ promovere ſolent, vocantur, EXPECTORANTIA, in quorum numero è vegetabilium familia ſunt maxime radix helenii, ari, iridis Florentinæ, liquiritiæ, herba veronicæ, chærefolii, ſcabioſæ, piloſellæ, ſcordii, hyſſopi, dracunculi eſculenti: flores violarum, crocus, malvæ, papaveris rhœados, ſemen aniſi, fœniculi, cortex ligni ſaſſafras, ex gummatibus reſinoſis gummi ammoniacum, benzoe; ex fructibus paſſulæ, ficus, jujubæ, nuclei pini, mel, ſuccus liquiritiæ, oleum amygdalarum dulcium; ex animalibus: ſperma ceti & pinguedines; ex mineralibus: ſulfur, ejus flores & lac; ex compoſitis balſamum ſulphuris aniſatum, ſpiritus ſalis ammoniaci aniſatus, lohoch ſanum & expertum, ſyrupus pulmonum vulpis, elixir noſtrum pectorale, balſamum pectorale Meibomii, ſpiritus aſthmaticus Michaelis.

Theoremata.

Quemadmodum omnia quæ excretiones adjuvant, non uno eodemque modo ſuam edunt operationem, ſed vel materiam mobilem reddunt & ad evacuandum præparant, vel vias emunctoriorum reſerant, ut à ſuccorum connubio ſegregari poſſit, vel denique vaſa & canales ad motum excretorium exſtimulant: ita ratione haud abſimili etiam expectorantium agendi ſuccedit modus. Nimirum ſi humor ſecretus eſt valde tenuis, acris & tubuli ac pori glandularum è quibus ejiciendus nimis conſtricti, aptiſſima ſunt ea quæ vias emolliunt, acrimoniam hebetant & nimis tenues & fluxiles coagulant, qua virtute ex jam nominatis ſplendent ſuccus radicis liquiritiæ, crocus, ſperma ceti, flores violarum, malvæ, papaveris rhœados, cremor lactis, oleum amygdalarum dulcium, axungiæ, ſyrupus pulmonum vulpis, violarum, papaveris albi, maſſa pilularum de ſtirace, præſertim ſi cum liquido diluente, ut eſt decoctum avenaceum, vel decocto ex raſura cornu cervi gelatiniformi, aſſumantur. Quandocunque vero materia ſpiſſa & copioſa in bronchiis pulmonum hæret & reſpirationi obeſt, eaque propter ſtimulo quodam ad expectorationem opus eſt, tunc tenacem & viſcidam materiam quam optime reſolvunt infuſa ex herba veronicæ, hyſſopi, ſcabioſæ, ſcordii, terra quoque foliata tartari, ſolutio oculorum cancri & nitrum antimoniatum. Et tunicas bronchiorum nerveas principio quodam acri tenui oleoſo, ad motum excretorium animant, gummi ammoniacum & ejus eſſentia, ſpiritus ſalis ammoniaci aniſatus, myrrha, benzoe, pulvis radicis helenii, iridis Florentinæ, ſulphur ſtillatitium, ejus lac, balſamum ſulphuris; aut ubi acrius adhuc calcar admovendum, ut in aſthmate pituitoſo & catarrho ſuffocativo, oxymel ſquilliticum & ſpiritus aſthmaticus Michaelis, qui ex gummi ammoniaco & cryſtallis viridis æris paratur, adhiberi poterunt.

Corollaria practica.

I. In expectorantium uſu, ob diverſa quibus agunt principia ipſumque varium operandi modum, prudenti diſcrimine opus eſt, & qui promiſcue nulla habita differentia temporis, vel materiæ peccantis, iiſdem utitur, is certe plus damni, quam commodi inducit. Hinc quando tuſſi epidemice graſſante, vere vel autumno, antequam materia tenuis & acris attemperata, propinantur quæ ſtimulo agunt expectorantia, vel viciſſim, ubi materia ſatis cocta & præparata, emollientia & relaxantia offeruntur, præpoſterum utique & damnoſum eſt molimen.

II. In tuſſi chronica, humida, aſthmate quoque pituitoſo, in quo multum pituitæ in bronchia pulmonum illabitur, dulcia, linctus, ſyrupi & oleoſa ventriculum, qui in morbis jam tum languidus & à tono dejectus eſt, plus labefactant, appetentiam, digeſtionem & chylificationem minuunt ac non modo uberiori recrementorum proventui ipſiuſque morbi incremento favent, ſed & ad cachexiam, tumores œdematoſos, immo hydropem, diſponunt. Præſtat tunc potius uti medicamentis pectoralibus balſamicis, quæ grata ſimul ventriculo, ut elixirio noſtro pectorali, eſſentia myrrhæ, gummi ammoniaci, corticis ſaſſafras, nuciſtæ, ſpiritu ſalis ammoniaci aniſato, tinctura tartari aliiſque ſimilibus.

III. Cautiſſimus quoque expectorantium debet eſſe uſus in diſpoſitione phthiſica, vel hæmoptyica, ſi tuſſis ſicca, ſpiratio anguſta & difficilis, dolor pectus comprimens, quæ potius à ſanguinis congeſtione, quam materia expectoranda accidunt; quandoquidem ſive emolliendo, ſive ſtimulando agant, affluxum & congeſtionem ſanguinis & humorum augent, tantum abeſt ut removeant.

IV. In morbis acutis pectoris, ut pleuritide vera & peripneumonia, provide pariter excretioni pectorali dicatis, præſertim in principio, utendum, ne ſtaſis & ſtagnatio ſanguinis inflammatoria inde augeſcat; inclinante vero morbo & ubi maxima inflammationis pars diſcuſſa, ad materiam coctam lenteſcentem ex fiſtulis pulmonum evocandam, commodum habent locum.

§. X.

§. X.

IX Errhina & sternutatoria.

Porro ad excretionem, sequestratæ in obducta narium antris & duodecim cranii sinubus glandulosa pituitaria dicta tunica, mucidæ lymphæ, plurimum possunt ERRHINA & STERNUTATORIA, quorum illa leviter, hæc vero validius, has exquisitiori sensu præditas tunicas stimulando, & ad motus excretorios solicitando agunt. Inter leniora quidem errhina dicta, locum quam commode tuentur, majorana, basilicum, thymus, hyssopus, satureia, marum Syriacum, origani summitates, flores liliorum convallium, benzoes, resina guaiaci, quæ ex decocto post inspissationem remanet, rasura tenuissima ligni aloes, sal volatile salis ammoniaci siccum, cum oleo majoranæ essentificatum, nec non vitriolum album; sternutamentum vero movent & quidem validissime euphorbium & pulvis hellebori albi, paullo mitius variæ species tabaci, mercurius præcipitatus, piper.

Theoremata.

Sternutatoria non alia ratione humorem è narium tunicis eliciunt, quam purgantia ex tunicis intestinorum glandulosis, sale nempe tenui acerrimo, tunicas has irritando & ad crispaturam adigendo. Sed uti acriorum purgantium, ita etiam sternutatoriorum, rarior debet esse usus, eo quod natura non facile in evacuationibus vult cogi, sed tantum duci. Errhina vero, sive ptarmica, naturæ & nervis magis amica, sale subtili acri volatili oleoso, tunicam pituitariam blande irritant, stimulant & mucidum liquorem evocant, longeque sternutatoriis sunt tutiora, eo quod hæc motum quendam convulsivum in nervos & per consensum etiam totum pectus invehunt, illa vero roborando potius nervos & nervosas tunicas, officio suo defunguntur.

Corollaria practica.

I. Pulveres errhini, ex herbis cephalicis, præsertim majorana, maro Syriaco, floribus benzoes, liliorum convallium, rasura ligni aloes, grano uno vel altero ambræ adjecto compositi, in capitis gravativis doloribus, hemicrania, affectibus soporosis, memoriæ debilitate, gravedine, coryza, auditus difficultate, cephalalgia pituitosa, præsertim ea quæ in ossibus frontis subsistit & plerumque à coryza suppressa oritur, oculorum mucosa defluxione, somnolentia, vertigine & si quippiam humoris maligni à lue venerea in narium membranis hæret, egregii sunt usus, & præter evacuationem, vigorem quendam addunt actionibus animalibus. Neque minus hoc nomine laudem meretur sal volatile salis ammoniaci cum balsamo nostro mixtum, quod ad aliquot grana naribus inditum, spectatæ est virtutis in auditus & visus difficultate, affectibus soporosis & in sensibilioribus sternutationem ciet, sæpe proficuam, ubi motus in capite excitandi, in paralyticis & apoplecticis.

II. Nostris temporibus, uti fumi tabaci, ita etiam pulveris pro sternutatione, luxurians abusus maxime invaluit, valetudini minus conducibilis. Etenim jugi hoc pulverum attractu, non modo odoratus, propter obstructas & quasi induratas inde papillas nerveas membranarum quæ ossa squamosa & nares investiunt, læditur, sed & ob nimium infarctum ab allecto humore clara vox rauceſcit. Id quod pluribus inculcavi in *dissertatione, de usu & abusu sternutatoriorum.*

§. XI.

X. Apophlegmatizantia.

Haud absimili ratione ac errhina vellicando & irritando narium tunicas mucum ex ipsis eliciunt; APOPHLEGMATIZANTIA salivalem & mucosam materiam ex tota faucium compage glandulosa, uvula & ductibus salivalibus evocant. Quin omnia, quæ errhina & ptarmica facultate gaudent, ori, vel per masticationem, vel gargarisationem admota & indita, phlegma & liquorem salivalem evehunt. Quippe tabacus in pulverem comminutus inter errhina, ac fumus ex ipso inter apophlegmatizantia, principem sibi vendicat locum. Præter nicotianam autem radix pyrethri, ostrutii, angelicæ, zedoariæ, pimpinellæ, galangæ, myrrha, masticata fundunt & egregie colliquant salivam. Usus masticatoriorum eximius ad arcenda miasmata quæ in morbis contagio infestis inspirato aëre hausta, facile se apponunt faucibus, salivæ immiscent & deglutita demum morbum invehunt, si quis forsan in locis infectis & suspectis versetur, ubi etiam tabaci fumus conducit. Decocta vero ex radice pyrethri, pimpinellæ albæ, caryophyllis, herba majoranæ, saturejæ, angelicæ, cum vino vel spiritu vini, qui solus etiam salivam fundit & fibras ductuum stringit, confecta, in vitiis oris & linguæ, dentium, gingivarum nec non aurium, difficili auditu, vel tinnitu, quando orificium tubæ Eustachianæ, quod in interioribus non procul ab uvula hiat, obstructum est lento muco, egregiam locant operam, quæ non minus in uvulæ relaxatione, aphonia, paralysi linguæ, addito sale ammoniaco, vel spiritu salis ammoniaci, apprime inserviunt.

§. XII.

XI. Salivantia.

Neque prætereunda in evacuantium enarratione sunt sialagoga, sive SALIVANTIA, quæ lymphaticum & salivalem laticem fortiter movent & per os evacuant. Utut vero in regno vegetabilium plura sint, quæ ore assumta, ut emetica, vel dentibus, ut modo meminimus, manducata, salivalem humorem è faucibus & glandulis evocant; vix tamen in tota rerum natura suppetunt, quæ tam vehementer totam lymphæ massam in motum concitant atque in salivales glandulas & ductus tam fortiter agunt, ut non tantum per aliquot hebdomades, verum etiam menses, continuus satisque largus succedat salivæ fluxus, quam quæ regnum minerale suppeditat pharmaca, & maxime quidem mercurialis & regulinæ prosapiæ, arte chymica præparata. Nam argenti vivi ea propria laus & peculiaris plane virtus est, ut exterius inunctum, vel parva etiam dosi interius assumtum, liberalissime moveat salivationem, cujus, si recte administretur, beneficio, affectiones ceteroquin insanabiles & contumacissimæ, ex impuritate seri & lymphæ ortæ, lues venerea, herpes, scabies maligna, ulcera cacoethea & serpentia, sanari funditusque expugnari possunt. Et hac singulari ac quasi propria facultate, pollet non modo ipsum argentum vivum cum saccharo probe contritum & cum conserva interius propinatum, sed & omnia ex eo artificiose confecta, ut mercurius dulcis, præcipitatus ruber, albus, cum spiritu salis ammoniaci, ex solutione mercurii in aqua forti præcipitatus, turpethum minerale, arcanum corallinum, mercurius diaphoreticus jovialis, solaris, æthiops mineralis ipsaque cinnabaris, tam nativa, quam antimonialis, vel communis, ex sulphure cum mercurio parata, nec non antiquartium Riverii. Ex

iis vero quæ ad regulinam antimonii ſubſtantiam ortum referunt, commemorari merentur, crocus metallorum, pulvis Monckii, ſulphur ſic dictum auratum, vulgari modo per præcipitationem cum aceto vel ſolutione martis, vel etiam ſolis concinnatum, vel ſingulari modo præcipitatum, ut panacea Glauberiana, in pharmacopœis Brunſvicenſibus Conerdingiana vocata.

Theoremata practica.

I. Quæ jam memoraviſmus ſalivantia optime in duas claſſes poſſunt diſpeſci, mitiora ſcilicet, & fortiora. Ex mitioribus quidem & mercurialibus, æthiops mineralis & cinnabarina, modo in pleniore & continuata doſi offerantur; etiam ſalivæ fluxum proritant & humores lymphaticos in motum cient, atque cum fructu in iis morbis, qui ab obſtructionibus glandularum; vel ſeri coagulo, aut extravaſatione in capite oriuntur, reſolvendo & fundendo coagulatos ſuccos, uſurpantur. Deinde quoque antimonialia; quia ſulphur regulinæ in iis ſubſtantiæ quodammodo nuptum, etiam lenius agunt, nec ab iis tantæ turbæ & ſæva ſymptomata timenda ſunt, ac à pleriſque mercurialibus chymica arte præparatis. Inter leniora quoque mercurium dulcem bene elotum & præparatum, item ipſum argentum vivum rite depuratum, in formam ſolidam & pulverem arte converſum; referimus, excepto mercurio vivo exterius applicato, quippe qui cum unctuoſis in unguentum redactus, & partibus nervoſis inferioribus pedum, poplitibus, genubus, multo magis ſpinæ dorſali, illitus, validiſſime ſæpe & ſubito vix coercibile ſalivæ exprimit ſtillicidium.

II. Modus autem operandi ita evolvendus & concipiendus videtur. Videlicet argentum vivum 1) omnium fluidorum eſt graviſſimum corpus, cujus minimæ etiam particulæ ſolutæ & diviſæ, ſpecificam ſuam gravitatem, reſpectu omnium fluidorum ſuperiorem, ſemper ſervant, & 2) ipſe mercurius ab omnibus ſalinis menſtruis ſolvi & in infinite parvas & ſubtiles moleculas redigi poteſt, quæ ob vim corrodentem & ſimul gravitatem ſpecificam intima vaſorum & pororum in corpore humano penetrant. Mirum enim diffundi poſſe argenti vivi, & partes, & vires, ad oculum patet ex eo, quod ſublimati mercurii unum tantum granum in aqua diſſolutum, vel duas aquæ uncias conſpicuo non ſolum metallico irritante ſapore poſſit inficere, ſed etiam tam efficaci virtute imbuere, ut mercurialis hæc aqua interne & externe adhibita, excretiones per ſalivam, ſudorem, alvum, immo vomitum, pro diſpoſitione ſubjectorum & humorum, potenter moveat, & exterius admota, ſcabiem & omnes cutis defœdationes repente ſiccet ac reprimat. Quandocunque itaque mercurialia, vel exterius applicata per fumum, emplaſtrum aut unguentum, vel interius ſumta, ab humoribus corporis noſtri bilioſo-alcalinis ſolvuntur, ſive in minimas partes diſcerpuntur, promte & efficaciter in nervos & nervoſas maxime fibras glandularum conglobatarum & conglomeratarum, immo in ipſas tunicas lacteorum & lymphaticorum vim ſuam exercent, & earum ſyſtolen atque contractionem augendo, motum lymphæ concitatiorem reddunt, quo intenſiori facto, conſiſtentes in glandulis & minimis vaſis humorum obſtructiones, ſtagnationes & ſtaſes lymphæ coagulatæ tandem reſolvuntur atque expediuntur.

III. Hac utique ratione lues venerea & qui cum hac affinem naturam habent morbi feliciter exſtirpantur; nec ea propter ſemper in curandis his cum Gallica lue morbis opus eſt ſalivatione; ſed qui arcanum novit, dextro mercurialium & antimonialium bene præparatorum uſu & applicatione, ſine ſalivatione, ut olim peculiari diſſertatione adſtruxi, has rebelles ac pertinaces affectiones ſanare poteſt. Neque enim, quod omnes periti & uſu exercitati medici ultro confitebuntur, ſalivæ fluxus cauſſa eſt curationis luis venereæ, ſed potius illa ſublata glandularum & minimorum vaſculorum obſtructio & colliquatio humorum viſcidorum ibi ſtabulantium, quam deinde per accidens ſequitur largior ſalivalis humoris profuſio.

IV. Sub ſalivatione mercurio excitata, ut ſæpius obſervavi, exteriores, præſertim inferiores partes, ut pedes, ordinario frigent & contractæ ſunt, alvi etiam & urinæ fluxus retinetur, ſublato autem per hanc partium inferiorum ſtricturam libero lymphæ & ſeri, nec non ſanguinis in vaſculis minimis circuitu, neceſſe eſt, ut humores ſeroſi & lymphatici cum impetu ruant ad partes ſuperiores, & maxime ſolennia in faucibus glanduloſa conceptacula, è quibus qua data via jugi poſtea feruntur rivo, & cibum, & ſomnum impediente. Vidi quoque in iis, quos enormis & ad tres vel plures menſes durans ſalivatio demum lipothymia & catarrho ſuffocativo è medio ſuſtulit, partes externas tam frigidas fuiſſe, ut nullo auxilio, neque balneo, neque frictione, ad calorem reduci potuerint. Æquabilem autem & liberum lymphæ ipſiuſque ſanguinis per omnes corporis partes interceptum progreſſum, ſalivam movere, continua illa ſputatio teſtatur, ſolennis hypochondriacis ac melancholicis, in quibus pariter ob conſtrictas partes inferiores, lympha & ſaliva majori niſu fertur ad glanduloſam faucium & oris compagem.

V. Quod vero profluens ſub ſalivatione, præſertim in iis qui impura venere infecti ſunt, humor, tam fœtidum & putridum ſpiret nidorem, hæc reddenda videtur ratio: quod mercurii tenuiſſimæ partes, reliquos omnes humores gravitate ſuperantes, ab illis in connubium ſuſceptæ, motu ſuo circumvolutorio, mixtionem, craſin atque texturam ſanguinis, haud ſecus ac in putredine, diſſolvere incipiant, ut hanc ob cauſſam fœtor ſulphureus, volatile quippiam ſpirans, exhalet & ipſi dentes nigredinem contrahant.

VI. Omnes magnopere à Chymicis celebratæ panaceæ maximeque ſolares, quæ potiorem ſuæ facultatis partem ad metallicum & mercuriale elementum referunt, ſi rite præparantur & dextre uſurpantur, non defraudandæ ſunt ſua laude, in morbis ubi cuneo & vecte quaſi opus eſt. Nam ſumma activitate pollent, ac in exili admodum doſi in ſyſtema partium nervoſarum potenter agunt magnoſque effectus præſtant. Quin innotuerunt mihi ejuſmodi medicamenta, antimonialia inprimis, quæ pro diverſa doſi & regimine juncto, item pro diverſa ſubjectorum ratione, in exigua mole, vomitum, alvum, immo ſalivam, movere poſſunt, ſed perpauci medici eorum rectum uſum & peritam adminiſtrationem norunt.

CAPUT

CAPUT VI.

De Roborantibus.

§. I.

1. Analeptica.

TErtium nunc ex ſummis remediorum generibus ſequitur, complectens ea, quæ ſolidis dicata ſunt, ita quidem, ut circa eorum vires ac potentias motrices, eaſdem refocillando, firmando ac intendendo, occupentur, & deſumta à robore generali denominatione, audiunt ROBORANTIA. Horum pariter maxima in arte medica utilitas eſt atque neceſſitas; eo quod robore ac inde pendente motuum exercitio, vita omniumque actionum integritas & continetur, & abſolvitur; eaque propter ubi ſanitas offenſam patitur, roboris maximum momentum ac nonniſi motu labefactatæ functiones ad priſtinum ordinem reducuntur. Jam vero plura, quoad vires & uſum ſpecialius diſtinguenda, hunc cenſum ſubeunt, & primum merito locum obtinent ANALEPTICA, quo quidem nomine inſigniuntur, quæ vires imminutas & depreſſas erigunt, reſtituunt & confortantem, uti vocant, vim habent, & paſſim etiam cordialia & cardiaca dici ſolent. Huic ſcopo obtinendo ſerviunt ex vegetabilibus: flores roſarum, citri, aurantiorum, jaſmini, liliorum convallium; herbæ: meliſſa, origanum, marum, poma citri, Chinenſia recentia & ex aromatibus cinnamomum; ex reſinoſis ipſa ambra; ex animalibus moſchus; & quæ ex his omnibus præparata proſtant, ut oleum de cedro, meliſſæ Turcicæ, roſarum verum, canange, quod ex floribus tiliæ in Perſia elicitur, pomorum Bergamotte, eſſentia ambræ rite præparata, oleum cinnamomi in elæoſaccharum redactum, quod in pulvere ſic dicto ſolari Cellenſi præcipuum, aqua meliſſæ citrata, liliorum convallium, cinnamomi cydoniata. Referri huc quoque poſſunt fructus fragorum, ribii, rubi idæi, ceraſorum eorumque nuclei, & ex iis recentibus paratæ aquæ, ſuccus limonum & exinde confectus ſyrupus.

Theoremata.

Cordialia hæc fragranti ſuaviſſimo ſubtili oleoſo principio agunt & in nervos eorumque liquidum immediate fere penetrant, ipſique motum naturæ blandum & amicum inſinuant. Eſt enim hæc indoles omnis ſubſtantiæ ſulphureæ, tenuiſſimæ & halituoſæ, ut interiora partium nervoſarum promtiſſime pervadat, ac celeriter effectum edat, quod graveolentia ipſaque ſuaveolentia, ſi quis ex idioſyncraſia eadem ferre nequeat, planum faciunt teſtatumque. Hinc etiam ſolo odore, ut in animi deliquio & ſyncopticis, ſubito roborantem ſuam vim exſerunt & vires erigunt, eo quod in nulla corporis parte, & nervorum, & vaſculorum ſanguineorum extremitates, tam nudæ minuſque tectæ, quam in narium amplo & cavernoſo ductu occurrunt, & admota fragrantia expedite ibi nervos & ſpiritus afficere poſſunt.

Corollaria practica.

I. Utut hiſce dictis analepticis in refocillandis viribus non deneganda ſit ſua virtus; ea tamen valde reſtricta & limitata eſt. Optandum quidem eſſet, ut in rerum natura certæ ejuſmodi virtutis proſtarent remedia, quæ, ut vulgus putat & à medentibus etiam ſemper exigit, efficaciter vires in omni fere morbo, præſertim vero acutis & malignis, depreſſas & deficientes redintegrarent; ſed quia in morbis vires non rectius & certius reſtituuntur, quam cauſſis morbificis quæ eas frangunt, ſublatis & noxiis rebus è corpore expulſis, niſi hoc exſequatur medicus, omnis analepticorum uſus erit fruſtraneus.

II. Neque etiam exiſtimandum eſt, reſtaurationem virium veram & conſtantem tantum procurandam eſſe medicamentis, quæ motum in ſpiritibus & partibus ſolidis concitant. Nam in plurimis morbis, præſertim febribus & convulſionibus, magna quidem vis & potentia motrix cordi, arteriis & membranis nervoſis ineſt, & tamen vires naturales ſunt languidæ & valde infirmæ. Proinde potius verum virium naturalium robur maxima ex parte dependet à congruis alimentis, eſculentis & potulentis, in bonos ſuccos & ſanguinem converſis, ex quibus poſtea tenuiſſimum illud, quod in cerebro ſeparatur fluidum, & per nervos ad muſculos & tunicas muſculoſas delatum, potiſſimum corpori & ejus partibus vigorem ac firmitudinem largitur, denuo ingeneratur.

III. Optimæ igitur materiæ nutrientia ſunt optima analeptica, cujus generis ſunt juſcula ex carnibus gelatinoſa, caponum, oſſibus & eorum medulla, per decoctionem cum aqua, pauxillo vini, adjectis aliquot taleolis pomi citri, tantillo ſalis, pulveris macis & caryophyllorum, in clauſo vaſe parata, item quæ ex pane nigro Weſtphalico, aqua & vino cum ovis conficiuntur, decoctum quoque ſuccolade, cum vel ſine lacte, lac ipſum aſininum, aqua panis groſſioris cum corticibus citri deſtillatum, & vinum, maxime Rhenanum generoſum & annoſum, item verum Hungaricum. Hæc tamen præſidia alimentoſa & nutrientia ad vires erigendas, non in ipſo morbo, neque ubi tota maſſa ſanguinis & humorum valde impura eſt, ſed inclinatis morbis & ubi à præcedenti morbo, vel animi affectu, diuturna vigilia, corporis & animi labore ac fatigatione, vel nimiis hæmorrhagiis, vires exhauſtæ ſunt & attritæ, optime conveniunt, quin etiam tunc perita adhibenda moderatio, eo quod celeriter admodum in ſanguinem tranſeunt ejuſque copiam augent.

§. II.

II. De ſamicis

Analepticis in roborantium claſſe ſuccedunt BALSAMICA, quæ calidioris & acrioris ſunt indolis. Comprehendunt hæc medicamenta ſic dicta cephalica, nervina, aut apoplectica, antiparalytica, cordialia ſpirituoſa & hujus generis alia, & ex eorum cenſu quam maxime eminent lignum aloes, ejus reſina atque eſſentia, agallochum album, ſantalum citrinum & ejus eſſentia, in balſamum liquidum concentrata, ambra gryſea, liquidambra, opobalſamum, ſuccinum, benzoe, ſtyrax calamita & ejus reſina, ſtyrax alba, ladanum & ejus reſina, balſamum Peruvianum, de Copaiva, Americanum rubrum, Tolutanum, cortex Peruvianus verus, coſtus amarus, chaccarilla, cinnamomum, caryophylli, cardamomum, cubebæ, macis nuciſta, ſatureia, thymus, ruta, ſerpillum, lavendula, ſpica, origanum noſtras & Creticum, majorana, meliſſa Turcica & noſtra, chamomilla Romana, marum Syriacum, baſilicum, abrotanum, ſpica Indica, ſchœnanthum, folia lauri, myrthi, & ex his deſtillata olea fragrantiſſima vera non adulterata. Ex compoſitis balſamum apoplecticum Crollii,

Crollii, Cellenſe, Scherzeri, noſtrum liquidum vitæ, ſpiritus balſami Peruviani noſtra methodo paratus, ſpiritus ſuccini, maſtiches, aqua apoplectica Sennerti, Anhaldina, eſſentia ambræ vera, ſpiritus volatiles oleoſi, cum oleo cinnamomi, macis, de cedro eſſentificati.

Theoremata.

Enarrata hæc ſimplicia & ex iis præparata tenui æthereo & ſubtili volatili oleo, naturæ admodum blando & amico, in fluida non minus ac ſolida corporis noſtri agunt virtutemque ſuam diffundunt, & partes ſulphureas calidas & æthereas in ſanguine & humoribus deficientes, reſtituunt, augent atque motum inteſtinum calidum & ſpirituaſcentiam vitalibus humoribus fœnerant. Pollent vero etiam ſale ſubtili acri balſamico, eodemque cordis, arteriarum & fibrarum muſculoſarum vim & potentiam elaſticam intendendo, ſanguinis & humorum progreſſum ac circulum egregie promovent, quo poſtea fit, ut humores craſſi & viſcidi attenuentur, obſtructiones ſolvantur & ſaluberrimum perſpirationis negotium, quo optime morbi arcentur, integrum ſervetur ac illibatum.

Corollaria practica.

I. Igitur in omnibus morbis capitis, nervorum, ſpinalis medullæ, ſtomachi & cordis, qui à cauſſa ſecundum Veteres ſic dicta frigida foventur, humorum nempe ſpiſſitudine, condenſatione & ab atonia nervoſarum & muſculoſarum partium, ut in apoplexia, paralyſi, ſtupore & torpore ſenſuum, memoriæ debilitate, auditus difficultate, lipothymia, ingenti virium debilitate, provido, tam interno, quam externo uſu, ſuppetias ferunt exoptatiſſimas.

II. Stomachi quoque & inteſtinorum vitiis, quæ ex atonia, copia cruditatum acido-viſcidarum, depravata digeſtione, natales ducunt, ut inflationi, item diarrhœæ, colicæ flatulentæ, vomitioni mirifice ſubveniunt, & maxime quidem conducunt ætate ſenibus & omnibus imbecillis & debilitatis, nec non qui laxioris ſunt habitus & conſtitutionis phlegmaticæ.

III. Cum fructu etiam uſurpantur, ſi à diuturna anni conſtitutione præhumida & frigida, tempore præſertim autumnali & hiemali, ac inprimis in regionibus ſeptentrioni vicinis, tuſſes humidæ, diarrhœæ, aſthmata pituitoſa, tumores œdematoſi, coryzæ, rheumatiſmi, intermittentes quoque febres & à ſcorbutica impuritate provenientes ægritudines regnant, vel metuendæ ſunt fine potiſſimum præſervatorio.

IV. Cavendum vero ab eorum liberaliori doſi eſt, quando corpora ſuccis & ſanguine plena, alvinæ ſordes reſtagnant, juvenibus & cholericæ ſenſibilioris indolis ſubjectis.

V. Ego medicamentum liquidum balſamicum, quod vulgo vocant balſamum vitæ, ex optimis his & maxime oleis veris non adulteratis conflatum, per viginti & quod excurrit annos in uſu habui, cujus tam ſpectata virtus, ut reliquis omnibus roborantibus & balſamicis quiſque facile carere poſſit, ſi unico hoc interne & externe recte uti norit. Et hoc ſuaviſſimum efficaciſſimumque medicamentum, eximia roborante & reſtaurativa facultate toties totiesque nobilitatum, late quidem jam innotuit; ſunt vero, qui aſſimulatum huic, ex adulteratis maxime oleis, non tam concinnatum, quam confuſum, nefario dolo meo ſub nomine incautis venditant, quod tamen virtutem & famam ſuam neutiquam ſuſtinere poteſt.

§. III.

Sequuntur ſtomachi & inteſtinorum tonum roborantia, quæ ſimul carminativa complectuntur, eoque nomine laude digna ex radicibus: galanga, gentiana rubra, zedoaria, pimpinella, calamus aromaticus, arum; ex corticibus: canella alba, ſaſſafras, citri aurantiorum & pomorum Chinenſium recentes, cortex Africanus, Winteranus, chaccarilla; ex aromatibus: piper, zingiber, caryophylli, cinnamomum, cardamomum, macis; porro chamomilla Romana & vulgaris, abſynthium, mentha, carduus benedictus, femina quatuor carminativa; ex præparatis, oleum de cedro, aurantiorum per expreſſionem paratum, oleum chamomillæ, vulgaris, dauci cretici, aniſi ſtellati, cymini & carvi verum, menthæ, abſynthii, ſpiritus ſalis, nitri dulcis; ex compoſitis ſal volatile Sylvii, elixir ſtomachale noſtrum, Michaelis eſſentia carminativa Wedelii, pulvis ſtomachicus Birckmanni, eſſentia corticum aurantiorum cum ſpiritu nitri dulci, tinctura tartari & olea aurantiorum per expreſſionem parata, eſſentia compoſita abſynthii Conerdingii, aqua carminativa Dorncrellii, ſpiritus de tribus. *III. Stomachica.*

Theoremata practica.

Utut plurima ex adductis ſuperius cephalicis & nervinis, in morbis ventriculi & inteſtinorum, præſertim, qui à tono eorum dejecto, vel debilitato proveniunt, egregio etiam ſint præſidio; ſuppetunt tamen adhuc alia, quæ vitiis harum partium amovendis, pro paſſionum differentia, ſpecifica quaſi efficacia ſunt accommodata. Scilicet ad appetitum, ob ſaburram viſcidorum & acidorum in ventriculo cruditatum vacillantem, redintegrandum, præter amara, ut radicem gentianæ rubræ, herbam abſynthii, cardui benedicti & aromata, radix maxime galangæ, pimpinellæ, canella alba, piper, zingiber, arum cum fructu uſurpari poſſunt. Ad nauſeam, vomitionem & inverſionem ventriculi compeſcendam, nil mentha, ejus aqua ſpirituoſa & oleo probe deſtillato, item maſtiche & ejus ſpiritu, nec non qui ex balſamo Peruviano & ſale tartari paratur, item liquore noſtro anodyno minerali, præſentius & efficacius eſt. Ad doloris cardialgici, colici & torminum atrociam levandam, cortices aurantiorum recentes & ex iis rite extracta eſſentia, aqua & oleum cymini Æthiopici, oleum non adulteratum florum chamomillæ vulgaris, ſpiritus nitri dulcis bene præparatus, remedia ſunt expeditiſſima. Ad inteſtinorum nimiam levitatem & nimias dejectiones moderandas, cortex chaccarillæ peculiari ſplendet efficacia. In inteſtinorum inflatione ad elidendos flatus, aqua carminativa Dorncrellii, eſſentia carminativa Wedelii, item ſpiritus de tribus cum ſpiritu nitri dulci nuptus, eſſentia & aqua zedoariæ, cardamomum, oleum carvi & cymini verum deſtillatum, omnibus facile palmam præripiunt.

§. IV.

Proximum eſt ut roborantia VISCERALIA, quæ nempe viſceribus ſanguineis, ut hepati, lieni, utero, renibus, pulmonibus firmandis & roborandis, quo eo expeditius officio ſuo fungantur, dicata ſunt, adeoque ad horum claſſem hepatica, ſplenetica, pneumonica, uterina, cachectica, antihydropica, antiicterica, antihyſterica, antiphthiſica commode referri poſſunt. Sunt vero hunc in uſum commendabiles radices: gentianæ rubræ, ariſtolochiæ longæ & rotundæ, cichorii, *IV. Viſceralia.*

chorii, zedoariæ, filicis, rhabarbari veri & rhapontici, curcumæ, ononidis, cortex chinæ, chaccarillæ, Winteranus, tamariſci, fraxini, capparum, caſſia caryophyllata herbæ: abſynthium, centaurium minus, fumaria, carduus benedictus, trifolium fibrinum, hepatica nobilis, meliſſa, pulmonaria maculoſa, ſcolopendrium, agrimonia, marrubium, cuſcuta, veronica, ſcabioſa, epithymum, capillus veneris, piloſella. Neque minus laudanda hac virtute ex gummatibus & reſinoſis ſuccinum, myrrha, aloe, bdellium, gummi hederæ, ammoniacum, olibanum, ſagapenum, opopanax, aſa fœtida; ex mineralibus ſulphur commune purum ſtillatitium, limatura martis & omnia ex marte parata, & quæ Chymia ſuggerit varia præparata, ut ſalia herbarum per incinerationem parata, arcanum & terra foliata tartari, ejus cremor, ſal polychreſtum, nitrum antimoniatum, ſpiritus ſalis ammoniaci, tinctura martis, ex floribus ſalis ammoniaci cum hæmatite præparatis, ſpiritu vini extracta, tinctura tartari, antimonii alcaliſata, elixir proprietatis cum lixivio paratum, eſſentia fuliginis, elixir noſtrum viſcerale cum menſtruo aqueo ſalino confectum, antimonium martiale cachecticum, maſſa pilularum Becherianarum & ſimilium. Pertinent huc quoque fontes medicati ſic dicti minerales, præſertim qui ſubtile quoddam martiale elementum cuſtodiunt, ut Pyrmontanæ, Spadanæ & Schwalbacenſes, multo magis qui largius martiali ochra imbuti ſunt, ut Lauchſtadienſes, Radebergenſes, Bebranæ & Freyenwaldenſes.

Theoremata.

Balſamica hæc viſceralia principio & elemento, partim ſulphureo, balſamico & terreo, paullo fixioris naturæ, partim etiam ſale alcalino ſulphureo, ſive ſaponaceo, item amaricante, operationem ſuam in viſcera, quorum vaſa humoribus tenacibus craſſis infarcta & obſtipata ſunt edunt, ſuccos lentos incidendo, diſſolvendo & ſimul ipſis vaſis & fibris à robore & tono dejectis vim contractilem & elaſticam conciliando; adeoque in omnibus iis morbis longis, qui ab horum viſcerum labe naſcuntur, tum ad præſervationem, tum ad curationem, polychreſta & certæ efficaciæ ſunt medicamenta.

Corollaria practica.

I. Licet omnia ſic dicta viſceralia in genere conveniant in eo, quod tonum viſcerum roborent & infarctus atque obſtructiones expediant; nihilo minus tamen pro viſcerum & morborum differentia, eorundem diſcrimen & ſelectum probe ſervare neceſſarium. Ita exempli gratia, ſi hepar laborat obſtructione, & inde morbi, ut icterus, cachexia & ſcorbutus, propullulant, quæ amaritie quadam ſaponacea & deterſiva vim ſuam exſerunt erunt efficaciora, nominatim radices quinque aperientes, rhabarbarum, curcuma, opopanax, bdellium, ſapo venetus, elixir proprietatis ſine acido, eſſentia rhabarbari cum ſale tartari parata, eſſentia trifolii fibrini & omnia ex marte bene præparata. Quando pulmonum nimia præſto eſt laxitas & infarctus, ac inde nati, vel naſcuntur morbi, myrrha, gummi ammoniacum, ſulphur ſtillatitium, herba veronicæ, ſcabioſæ, chærefolii, pulmonariæ, piloſellæ, marrubii, capilli veneris, magis ex uſu ſunt. Ubi lien magnus & languine farctus gignendæ impuritati ſanguinis, ac præſertim cachexiæ, admodum velificatur, cortices tamariſci, cappa-rum, fumaria, ſcolopendrium, cuſcuta, epithymum, radix ononidis, ipſaque martialia aliis præferenda. Quum ex imbecilli & nimium remiſſo renum tono nephritis & calculi progignuntur, cortex radicis acaciæ & ejus infuſum, item rob cynosbati & juniperi, ſpecifica quadam activitate ſuccurrunt. Ex labefactato uteri ejuſque vaſorum robore & retardatis in debito progreſſu ſanguine & humoribus, longæ & multiplices, præſertim poſt abortum, paſſiones pullulant, quibus utique ſingulari quadam efficacia medentur ariſtolochia tam longa, quam rotunda, artemiſia, myrrha, matricaria, galbanum, bdellium, opopanax, ſuccinum, maſſa pilularum Becherianarum & aliæ quoque ad earundem exemplar concinnatæ. Si inteſtina & quæ ſpectant ad ea glandulæ & tubuli ſecretorii & excretorii, biliarii, pancreatici, lactei, robore debito deſtituuntur, ut à copioſiori humorum decubitu fiant nimii alvi fluxus, vel ſubſiſtentes in vaſis humores motibus, inſultibus & paroxyſmis febrilibus, fomitem & occaſionem præbeant, rhabarbarum, cortex chinæ, Winteranus, chaccarillæ, martis tenuiſſimi croci atque eſſentiæ, præſtabunt id, quod non facile aliis obtineri poterit.

II. Circa uſum tamen roborantium id in genere tenendum eſt: quod longe meliorem effectum atque utilitatem præſtent, quando non ſolum ante eorum oblationem ſanguis nimis redundans ſubtrahitur & congruis laxantibus primæ regionis recrementa eliminantur, ſed etiam ſi ipſa ad meliorem humorum fluxilitatem & mobilitatem conciliandam, in decocto, vel infuſo, propinantur, vel adhuc rectius, cum potu acidularum, thermarum, aut ſeri lactis conjunguntur, quo certe horum roborantium, quæ adſtringentis naturæ, operatio egregie adjuvatur atque intenditur, ad tollendos magnos chronicos & inveteratos morbos, inprimis quando paullo diutius continuantur & corpus ſimul convenienti motu, equitatione, vectura aut ambulatione exercetur.

§. VI.

Excipiunt ADSTRINGENTIA & VULNERARIA, Græcis traumatica dicta, quæ fixiori quodam leniter conſtringente elemento, laxas nimis, eliquatas, eroſas ac læſas partes & fibras adducunt, ſtringunt, conſolidant & conglutinant. Atque ex horum cenſu præcipua ſunt radix caryophyllatæ, tormentillæ, biſtortæ, conſolidæ majoris, pentaphylli, plantaginis, rhapontici; ex herbis: vinca per vinca, ſanicula, pyrola, conſolida major, media, Saracenica, uva criſpa, agrimonia, hypericum cum floribus, millefolium cum ſummitatibus, equiſetum, veronica, fragaria, verbena, piloſella, teucrium, plantaginis ſpecies, folia quercus, botrys, meliſſa, mentha, betonica, urtica mortua, flores roſarum, balauſtiorum, cortex chinæ, granatorum, radicis acaciæ, ſuccus acaciæ, catechu, ſanguis Draconis, fructus myrtillorum, cydoniorum, ex aromatibus nuciſta, ex mineralibus hæmatites, alumen & omnes terrarum & margarum ſpecies; ex chymicis flores ſalis ammoniaci martiales, liquor martialis ex capite mortuo florum ſalis ammoniaci martialium paratus; inter præparata eſſentia traumatica Wedelii. *VI. Adſtringentia & vulneraria ſeu traumatica.*

Theoremata.

Species quas jam recenſuimus ex principio paullo fixiori terreſtri cum acido juncto agendi facultatem habent, ac dum nimis relaxatas fibras paullo ſtrictiores reddunt, à decubitu & ſtagnatione

ſtagnatione nimii liquidi eas liberant, ſimulque coëuntibus propius fibris ſolutis, conſolidationem & coaleſcentiam promovent. Differt tamen conſtrictiva in ipſis virtus gradu; ſiquidem in radice tormentillæ, biſtortæ & ejus extracto, floribus balauſtiorum, corticibus granatorum, foliis quercus, alumine, liquore martiali, fructibus & cortice acaciæ, fructibus cydoniorum, & baccis exſiccatis myrtillorum, longe eminentior eſt, quam in herbis ſic dictis vulnerariis, quæ ſubtiliori terreo alcalino principio, quod partibus ſulphureis balſamicis fixioris indolis intermixtum, imbutæ, lenius & tutius operantur, & multi ac præſtantis in praxi medica ſunt uſus. Quod autem hæc tam vulneraria, quam adſtringentia, ſubtilius, ſolubile, terreum, conſtringentis facultatis elementum recondant, ex eo planius facile innoteſcit, quod infuſum eorundem paullo ſaturatius, ad mixturam vitrioli martis, immo omnium liquorum martialium, non ſecus ac cum gallis fit, nigrum & atramentoſum colorem recipiat.

Corollaria practica.

I. Si ullus remediorum uſus cum prudentia & exquiſita providentia inſtituendus, certe adſtringentium. Nam quum vita & integritas totius corporis omniumque ejus partium in perpetuo & progreſſivo circulari motu humorum tenuium & fluidorum, per compagem corporis penitus ferme vaſculoſam & ex minimis prorſus tubulis coagmentatam, contineatur & abſolvatur; conſtringentium vero ea vis atque facultas ſit, ut fluidis mixta, ea incraſſent, poros vero & tubulos ſolidorum coarctent atque anguſtent; in proclivi eſt: hujus virtutis remedia, naturæ animantium & vitalibus motibus minus favere atque amica eſſe, adeoque nec ſatis fida, nec ſecura, niſi magna cum prudentia adhibeantur. Experientia enim indies docet, ab ejuſmodi improvide datis conſtringentibus, in compeſcendis nimiis ſanguinis, vel alvi fluxibus, innumera damna & noxas induci, ac perquam facile inde ægrotantes lentas febres, cachexiam, tumores œdematoſos, affectus ſpaſmodicos, colicos & hypochondriacos incurrere. Et huc etiam referendus imprudens corticis chinæ uſus, in profligandis intermittentium paroxyſmis, quando hujus vi, idemtidem conſtringente, ſordes viſcidæ, bilioſæ, ſalivales, quæ tubulis viſcerum primæ ſic dictæ regionis inhæreſcunt & excerni debebant, retentæ, ibi diutius detinentur, & deteriorem morbum excludunt.

II. Si neceſſitas ejuſmodi conſtringentia poſtulat, non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſive atque in remiſſiori doſi & cum ſufficienti liquido, ſubjuncto etiam corporis motu, propinari debent; id quod etiam perpetuo, quando cortex chinæ, vel etiam martialia, in uſum trahuntur, injungere ſoleo.

III. Infelix, intuta & periculi plena eſt cura, qua nimiæ vomitiones, mictio cruenta, narium, uteri, aut ani hæmorrhagiæ nimiæ, item hæmoptyſis, adſtringentibus compeſcuntur, quod certe nunquam cum bonis ægrorum rebus perficitur, niſi prius ſpaſmi, à quibus plerumque ceu cauſis proximis ſanguinis fluxus pendet, complacati, nimia motuum ferocia ſedata & humores copioſius affluentes ad alia loca derivati.

IV. Herbæ ſic dictæ traumaticæ, ſeu vulnerariæ, atque earum decocta, non modo in vulneribus, eroſionibus & continui ſolutionibus, ſed & in quibuſdam longis & valentibus morbis, ut phthiſi, ſcorbuto, cachexia & calculoſis paſſionibus, quando nempe à tono viſcerum & glandularum dejecto & humorum hoſtili ſtagnatione vel ſtaſi oboriuntur, inſignem & commendabilem ferunt opem. Semper tamen cavendum, ne ubi nimia vaſorum obſtructio & fibrarum conſtrictio, ac pulmones in phthiſi tumoribus ac tuberculis duris obſeſſi, iis utamur. Alias certe vulnerariorum & leniter adſtringentium uſus in infuſo longe ſaluberrimus, ad præſcindenda calculoſa in renibus concrementa moleſtiſſima, quæ ex nimis laxis vel ulceratis renibus potiſſimum natales ducunt, de quo lectu digna Cl. *Heucheri* diſſertatio *de adſtringentium uſu in calculo*. Et hoc nomine infuſum millefolii & ejus ſummitatum, veronicæ, hederæ terreſtris, fragariæ, agrimoniæ, corticis radicis acaciæ, egregii uſus. Pariter in involuntario urinæ ſtillicidio, tam in pueris, quam ſenibus, à nimia laxitate ſphincteris ſuborto, ejuſmodi infuſa expertæ & deſideratæ virtutis deprehendi, admoto ſimul exterius ſpiritu vini rectificato.

V. Efficaciſſimæ virtutis in externis læſis & vulneratis partibus traumaticum, quod ſanguinis & humorum fluxiones promte compeſcit, eſt ſolus ſpiritus vini, probe rectificatus, quo certe nihil præſtantius, ſi partes nervoſæ, tendinoſæ ſenſibiliores, cum nimia ſanguinis profuſione ſauciatæ. Nam ſpirituoſa non ſolum ſuccos, ut videmus in ſanguine & lympha, coagulant, ſed etiam nimium humidum abſumendo, fibras tenſas & ſtrictas reddunt, eademque arctius adducendo & ſanguinis ſtaſin atque ſtagnationem removendo, dolores atque inflammationes arcent atque avertunt. Nec ingloria eſt traumatica facultate noſtro tempore aqua ſpirituoſa l'eau d'arquebuſade dicta, quæ ex optimis herbis vulnerariis deſtillatione cum vino Rhenano in balneo Mariæ paratur, cujus tamen virtus ſpiritui ac vino potius, quam herbis, quarum effectus in fixiori terreo elemento reconditur, quod alembicum non tranſcendit, tribuendus.

CAPUT VII.

De ſedantibus.

§. I.

Sedantium effectus in genere.

COnſideravimus hactenus ſuccincte ea rediorum genera, quæ roborando agunt, ubi motus ſolidorum ſyſtaltici deficiunt, eorum tonus dejectus & partes nervoſæ ac fibroſæ ipſaque veſa nimis reſoluta & relaxata ſunt: nunc tranſeundum ad eorum claſſem, quæ nimiis & effrenibus ſolidorum & fluidorum motibus componendis, ſiſtendis atque ſedandis, & ſpaſticis partium ſtricturis dolorificis remittendis & ſolvendis, virtute qua gaudent dicata ſunt. Quumque adeo multiplex & late patens ſit effectus, ad hanc claſſem referenda quam optime paregorica, quæ laxant blande & demulcent rigidas fibras ſimulque acrimoniam obtundunt, anodyna, quæ dolorum ferociam levant, aptiſpaſmodica, quæ ſpaſticas ſtricturas leniunt ac ſolvunt, antepileptica, quæ motus convulſivos ſiſtunt, hypnotica, quæ ſomnum conciliant, & narcotica, quæ conſpicuum ſenſationibus ſtuporem ac motibus torporem inferunt.

§. II.

Apparatus.

Hac itaque ſedativa generali & ſpeciali facultate ſplendent, radices: pœoniæ, valerianæ, artemiſiæ,

artemisiæ; herbæ: horminum, basilicum, solanum, paris; flores: salviæ, fraxinellæ, acaciæ, ulmariæ, sambuci, tiliæ, pœoniæ, papaveris rhœados, chamomillæ vulgaris, millefolii, rosarum, malvæ, liliorum convallium, primulæ veris, liliorum alborum & omnia ex planta papaveris, semen, cortices, flores, succus, opium & ex hyoscyamo albo ejus semen, semen anethi, pœoniæ; cortex quoque sambuci, tiliæ & thymiamatis; ex aromatibus: crocus, nucista, macis; ex fructibus nuclei cerasorum, persicorum, amygdalæ amaræ, nux vomica. Porro asa fœtida, camphora, nitrum depuratum & artificiale, cinnabarina, nec non ex animalibus depromta castoreum, moschus, zibethum, axungia canis, humana, taxi, vulpis, lac, cremor lactis, vitellus ovi, lumbrici terrestres, rasuræ ossium, ut cornu cervi, dentis hippopotami, ungulæ alcis, unicornu animalis, eboris, lapidis manati, corii humani. Ex chymicis denique & præparatis: liquor noster anodynus mineralis, spiritus nitri dulcis, tinctura sulphuris volatilis, laudanum opiatum, Sydenhami, cydoniatum, hystericum, theriaca, diascordium Fracastorii, theriaca cœlestis, massa pilularum de cynoglossa, de styrace, pilulæ Wildeganii, Starckii, sirupus papaveris rhœados, chamomillæ, millefolii, oleum hyoscyami, lumbricorum terrestrium, pulvis antepilepticus Dresdensis, cujus basis carbo tiliæ, item artemisiæ, specificum cephalicum Michaëlis, pulvis Marchionis, aqua antepileptica Langii & aquæ ex floribus superius recensitis destillatæ, nec non unguentum populeonis.

Theoremata.

Sedantia hæc variis modis efficaciam suam tam in fluida, quam solida perficiunt. Paregorica quidem blandis mucosis, sulphureis, tenuibus partibus, fibras à spasmo duras & strictas, ipso contactu relaxant, spicula vellicantia involvunt atque obtundunt, adeoque in doloribus, tumoribus dolentibus, acribus fluxionibus, in cataplasmate, emplastro, vel unguento apprime ex usu sunt, ut crocus, flores chamomillæ vulgaris, meliloti, liliorum alborum, sambuci, malvæ, papaveris, folia hyoscyami, lac, cremor lactis, vitellus ovi, unguentum populeonis, ad ambusta, quod optime paratur ex malva, cortice arboris tiliæ, sambuci, oleo lini, ceræ.

Antispasmodica, quia plurimi morbi & symptomata, ut in sectione prima pluribus ostendimus, à spasticis stricturis & crispaturis vasorum & fibrarum nervearum tanquam causa proxima gignuntur, amplissimi in arte usus sunt, non vero una eademque ratione munere suo defunguntur. Vel enim ipsas fibras tensas, duras & constrictas immediato contactu molliunt atque remittunt, ut lac, præsertim asininum, oleum amygdalarum dulcium, emulsiones ex seminibus quatuor frigidis, amygdalis, pinguedines animantium, cremor lactis: vel blando sulphure vaporoso fluidi in nervis motum ferociorem complacant, qua virtute imbutæ aquæ ex floribus salviæ, fraxinellæ, acaciæ, tiliæ, sambuci, ulmariæ, persicorum, liliorum alborum, chamomillæ vulgaris, primulæ veris, millefolii, nucleis persicorum, cerasorum, malorum Armeniacorum, cum aqua pluviali vel rore Majali destillatæ, quæ ob vim antispasmodicam, in convulsivis & epilepticis insultibus cum fructu adhibentur. Vel etiam quædam antispasmodica sulphure quodam tenui vaporoso ex regno animali, adeoque magis amico, effectum exsequuntur, ut lumbrici terrestres, castoreum, pulvis secundinæ humanæ, intestini lupi, viperarum, rasura corii & cranii humani, ungulæ alcis, dentis hippopotami, lapidis manati, nec non moschus & zibethum, quæ in convulsivis & epilepticis motibus ac in ipsa etiam chronica epilepsia insigni cum fructu usurpantur.

Anodyna & ad dolores leniendos somnumque inferendum accommoda facultate instructa sunt papaveracea & quæ ex opio & croco, nec non cynoglossa parantur, quæ vaporosa sua sulphurea exhalatione nervorum & membranarum tubulos pervadendo impetuosum fluidi nervei motum compescunt, & sic non modo in parte affecta, sed & universo corpore motus cordis quoque & arteriarum sedatiores faciunt. Nam uti sub nimio motu & agitatione membranarum cerebri & nervosarum partium vigilia præsto est; ita sub earum quietiori & pacatiori statu somnus obrepit.

Narcotica vero quæ torporem & stuporem sensibus ac profundiorem somnum inferunt, vapore sulphureo ingrato & adverso, quo motus fluidi nervei fere extinguitur, minus amice operantur, adeo ut in imbecillis lethalem somnum, in aliis etiam insaniam excitent. Infamata hoc sunt nomine omnia quæ ex hyoscyamo tam nigro, quam albo, strammonio & ejus specie datura, solano ipsiusque pomis concinnantur.

Nonnulla etiam ex sedativis spasmos & dolores sopiunt somnumque conciliant, caulas impedientes auferendo, qua virtute eminent quam maxime nitrum, purificatum vel artificiale, item cinnabarina & camphora. Nitrosa quippe tum æstum, tum motum intestinum calidum partium sulphurearum in sanguine, componunt solidas partes humectant motusque in iis exorbitantes quietiores reddunt, adeoque virtutem possident, refrigerantem, humectantem, anodynam antispasmodicam egregiam. Cinnabarina dextre usurpata in compescendis motibus epilepticis & convulsivis, qui à lympha subsistente viscida in cerebro & ejus ac membranis spinalis medullæ oriuntur, egregii usus, quia eandem longiori usu potenter liquant. Camphora, præsertim cum nitro mixta, egregie discutit inflammationes, quibus semper vigiliæ, dolores, quandoque etiam deliria juncta sunt, & sic virtutem antispasmodicam & sedativam exserit. Asa denique fœtida & sagapenum, quæ gummata graveolentem spirant vaporem, in spasmis intestinorum sedandis, qui fœminas in malo sic dicto hysterico mire excruciant & affligunt, duplici modo suam efficaciam exserunt, partim quod spasmos ac dolores sopiant, partim etiam quod saponaceo gummoso acri sale humores tenaces resolvant & obstructiones glandularum & minimorum tubulorum referent.

Corollaria practica.

I. Magnæ igitur sunt efficaciæ hæc sedativa, quæ subito etiam in exili mole sua perficiunt, ob agilissimum elementum, dum sulphurea vaporosa exhalatione, penitius in interiores poros & partium solidarum tubulos pervadunt & insignem in mobilissima, quæ sensum & motum partibus fœnerat lympha, mutationem, ad motus effrænes complacandos, efficiunt. Sed uti in omni remediorum genere, leniora & mitiora, ceu securiora & naturæ magis amica, fortioribus magisque activis præferenda sunt: ita eadem cautio in antispasmodicorum, anodynorum & sedantium usu solicite tenenda & serio inculcanda; nec unquam facile ad validiora, ut opiata, descendendum

cendendum eſt, ubi leniora, aquæ ex floribus ſuaveolentibus hypnoticæ, vel emulſiva ex ſemine papaveris, vel etiam nitroſa, cinnabarina & caſtorina ſufficiunt.

II. Et licet opiata, per adjecta purgantia & balſamica, ut in pilulis Starkii, Wildeganſii, vel per alexipharmaca, ut in theriaca cœleſti, diaſcordio Fracaſtorii, vel per analeptica, ut in laudano liquido Sydenhamii, correcta, cum prudentia adhibita, virtute & uſu eximio non deſtituantur; attamen ſi alia ſuppetunt ſecuriori modo operantia præſidia, quibuſcum idem effectus obtineri poteſt, præſtat ab illis abſtinere, præſertim ubi debilia corpora, ætas ſenilis, infantilis & vires variis de cauſis proſtratæ. Longe autem magis ab his cavendum, quibus narcotica admixta, ut ſunt pilulæ de cynogloſſa præter opium etiam ſemen hyoſcyami habentes, quibus tamen noſtro tempore frequentius utuntur quibus opiata alias mirum exoſa; ego vero non ſemel etiam ab harum uſu peſſimum notavi effectum.

III. Utut olim opiatis correctis ipſe quoque frequentius uſus ſim; ex quo tamen, divina benignitas mihi conceſſit inventionem liquoris penetrantis & fragrantis aromatici ſaporis & odoris, ex ipſius vitrioli portione ſulphurea, quæ etiam à veteribus Chymicis pro anodyna habita eſt, ſingulari quadam chymica encheireſi præparandi, ab omnibus aliis tuto abſtinui. Hic quippe ſpiritus, quem liquoris anodyni mineralis nomine inſignire ſoleo, totus ſulphureus eſt, ſubito & flagrantiſſime ardet atque abſumitur & ocyſſime à flamma candelæ, etiam tribus adhuc digitis remotus, flammam concipit, atque in calido conclavi ſubito in auras avolat; attactu tamen inſtar glacie eſt frigidiſſimus, ac probe deſtillatus & rectificatus, omni aquæ inſtar olei ſupernatat. Uſus vero hujus remedii ampliſſimus eſt & virtus multiplex, dolores quippe egregie levat & ſomnum conciliat, unde ſummo cum fructu in atrocibus colicæ, calculi, cardialgiæ & podagræ, capitis & dentium doloribus uſurpatur. Sudorem quoque movet, ac licet ipſe ſit calidiſſimus, non tamen ſanguinem commovet. Nullum præterea torporem nullamque debilitatem in capite relinquit, eamque ob cauſam omnibus imbecillis, ubi vires ſumme proſtratæ, ut in hectica febre, non ſine fructu, & quod mirum, virium incremento, dari poteſt. Et quia ejus actio prima & præcipua in ſtomachum, in omnibus ventriculi morbis, nauſea, inflatione hypochondriaca, aſthmatica, cardialgia, incomparabilem flatibus exitum parando, edit virtutem.

CAPUT VIII.

De ſpecifica quorundam remediorum in certis morbis efficacia.

§. I.

Dantur Specifica.

REcenſuimus hactenus omnis generis quæ ad præſervandum & curandum faciunt remedia ſelecta & optima, eaque ſuccincte in certas claſſes ratione virium quas exſerunt & elementorum quibus agunt in genere redegimus. Quum vero attenta in artis exercitio obſervatione compertum habeamus, nonnulla ſanitatis præſidia peculiarem, ſpecialem, ſive ſpecificam præ aliis in certis affectibus poſſidere facultatem, eaque propter etiam uſu & utilitate reliquis jam notis merito eſſe præferenda: utilem & gratum me præſiturum laborem judicavi, ſi ea, quæ longo uſu exploratæ & in certorum morborum curatione ſpectatæ virtutis auxilia, enumerem & paullo ſpecialius evolvam. Non autem, ut vulgi medicorum opinio fert, ſpecifica nobis audiunt ea remediorum genera, quæ ſemper, in omnibus ſubjectis, certo & indubitato ſalutarem in morbis exſerunt effectum, & nunquam medentis ſpem eludunt. Ejuſmodi enim virtutis medicamenta nullibi ſunt reperiunda, & falſa utique eſt perſuaſio, quaſi operationes atque effectus formaliter inſint pharmacis & ab his tantummodo perficerentur, qui demum ex actione medicaminis, & reactione ſive ſynergia ipſius corporis, reſultant. Omnia quippe medicamenta agunt non tantum ſecundum ſphæram activitatis ſuæ, verum etiam receptivitatem ſubjecti, ut, ſi idem remedium, eodem morbo decumbentibus decem perſonis obtuleris, alius atque alius & differens in ſingulis conſequatur effectus.

§. II.

Quo ſenſu intelligenda.

Fallax igitur, inanis & dubia eſt vulgaris illa de panaceis, arcanis & ſpecificis contra hunc vel illum morbum præſidiis doloſa jactatio: & potius per ſpecifica ſic dicta medicamenta nulla alia intelligenda eſſe inculcamus, ac ea, quæ ejuſmodi agendi viribus inſtructa, ut ad hunc vel illum morbum ſanandum efficaciora ſint magiſque proficua. Nonnulla quippe ejus indolis elementa complectuntur, quorum ſingula ad expugnandam morbi cauſam aliquid conferunt, ut ex iis mixtum pluribus ſimul in morbo curandi indicationibus ſatisfaciat. Exemplo ſit rhabarbarum, quod aliis laxantibus omnibus in diarrhœis palmam præripit, eo quod non modo evacuat, ſed & amaritie balſamica acidos & cauſticos ſuccos cicurat atque contemperat, ac demum ceſſante purgatione, tonum inteſtinorum laxum nimis atque remiſſum, ob terreas ſubadſtringentes quas recondit particulas, firmat iterumque adducit. Pariter manna in pectoris affectibus & tuſſi ſtomachali, quæ à cruditatibus acidis ortum trahit, ad repurgandam primam regionem, ob inſitam, præter laxantem virtutem, ipſi dulcedinem copioſam, corroſivos, acidos & acres humores obtundentem ac demulcentem, omnia alia alvum ſubducentia longe antecellit. Alia remediorum hanc ob cauſſam dicuntur ſpecifica, quod eorum virtus in certo morbo ad certum edendum effectum, longa experientia innotuit & abunde confirmata eſt. Hinc cortex chinæ ſpecificum in ſiſtendis intermittentium paroxyſmis, opium in doloribus levandis, mercurialia in expugnanda lue venerea. Quædam ſpecificorum nomen gerunt, quia partibus morbo affectis magis amica ſunt eaſdemque virtute ſua quam maxime afficiunt. Sic partes nervoſæ & membranaceæ cum ipſis nervis medicamenta ſubtili, aromatico, fragrante oleo imbuta quam optime ferunt, minus vero narcotica, opiata & conſtringentia. Ventriculus acidis delectatur, ut iis perfuſus melius appetat & digerat; contra ea pulmonum bronchia ab iis offenduntur & ad ſpaſmos exſtimulantur. Cantharides & inſecta ſale volatili cauſtico prædita, nec ventriculum, nec inteſtina afficiunt; renum autem tubuli urinarii, ureteres cum veſica ipſaque urethra, ab iisdem vellicantur & ſpaſticis agitantur ſtricturis.

§. III.

In febribus intermittentibus in genere.

Sic concipienda virtus ſpecificorum, quorum uſus medico frequens & in pretio eſſe debet: jam ſpecialius paullo quæ ex ipſis his vel illis vitiis dicata ſint & magis appopriata diſpiciemus. Et ad febres quidem intermittentes, maximeque earum paroxyſmos compeſcendos, cortex chinæ noſtro adhuc tempore quam maxime celebratur, hanc ob rationem, quia præter adſtringentem & febriles motus ſiſtentem virtutem, quam cum aliis pluribus, ut vitriolaceis, aluminoſis, radice tormentillæ ac biſtortæ, communem habet, ob amaricans balſamicum elementum, morbificam materiam corrigente & ſolida languentia firmante efficacia, ſplendet. Poteſt autem hic cortex vel in ſubſtantia propinari, vel in eſſentiam aut electuarium redigi, vel etiam, quod optimum vino Rhenano infundi & leniter decoqui. Pariter ad ſpecifica intermittentium referri ſolent flores chamomillæ vulgaris, à *Baglivo* mirum dilaudati, dum ob inſitam amaritiem & oleum, & vim antiſpaſmodicam in febribus quam maxime proficuam, & leniter etiam conſtringentem tonicam obtinent. Quod ſi vero pertinaces ſunt hæ febres & mirum refractariæ, in cauſa plerumque magnæ iſtius glandulæ pancreaticæ obſtructio, ad quam tollendam mercurio dulci, regulo antimonii medicinali & ſulphure antimoniali correcto, dextre ac prudenter uſurpatis, nihil efficacius.

Contumacibus.

§. IV.

Quartana.

Speciatim in quartana peculiari quadam efficacia ſplendet eſſentia rhabarbari & gentianæ, cum lixivio ſalis tartari & ſpiritu ſalis ammoniaci urinoſo parata. Etenim in hac febre hepar & ejus vaſa ſanguine craſſo, ductus biliarii ſpiſſa & lenteſcente bile, ac primæ viæ cruditatibus acidis eminentius confertæ ſunt, eaque propter hoc medicamentum dum acidos ſuccos contemperat & quaſi dulcificat ſtagnantem cruorem cum lenteſcente bile reſolvit atque attenuat, inertem quoque bilem debita balſamica indole imbuit & ſimul blande alvum vacuat, omnibus aliis merito anteponendum. Quando autem hæc febris adeo obfirmata & contumax eſt, ut omnia alia remedia eludat, mercurius dulcis, vel diaphoreticus, rite præparatus, efficaciſſimæ virtutis medium, nec non antiquartium Riverii, quod pariter mercurio virtutem debet. Ac licet mercurialia exhibita etiam ſalivationem moveant, eadem tamen non pertimeſcenda, aut periculoſa eſt, ſed potius ipſa ſuccedente febris ſæpe conquieſcit.

§. V.

Inflammatoriis.

Inflammationibus omnibus, quæ ſemper febre ſtipantur, nunquam periculo carent, & plerumque in partibus nervoſo-membranaceis, pleura, bronchiis pulmonum, ſingulari quadam efficacia medentur nitrum purificatum cum momento camphoræ permixtum, demulcentia, leniter anodyna, emulſiva & diaphoretica fixiora. Inprimis nitrum in omni æſtu febrili reſtinguendo omnia alia antecellit, eo quod præter virtutem, qua motum inteſtinum partium ſulphurearum in ſanguine figit ac complacat, obhæreſcentem quoque in vaſorum anguſtiis ſpiſſeſcentem ſanguinem ac lympham ſolvit & fluxilem reddit & ſimul fibras rigidas & tenſas humectando relaxat, adeoque antiſpaſmodicam exſerit virtutem.

§. VI.

Malignis.

Ubi maligna, hoc eſt in putredinem prona, humoribus ineſt diſpoſitio, vel etiam per contagium ejuſmodi miaſmata illata, quæ ad inducendam corporis ſuccis putridam corruptionem aptiſſima, in acutis non minus, quam chronicis, ego quidem camphora, præſertim nitro nupta, nihil deprehendi præſtantius. Hæc quippe balſamica ſua vi, craſin & mixtionem conſervat atque tuetur, vim fermenti infringit, & perſpirationem ſine ſanguinis exæſtuatione intendendo, eliminationem ſordium per cutis ſpiracula egregie promovet. Quod ſi febris vel inflammatio malignitati complicata, camphora nunquam ſola, ſed ſemper nitro remixta exhibenda. Ad vires autem in omnibus fere, ac potiſſimum malignæ indolis morbis, penitus proſtratas, refocillandas, cortice citri, ob oleum quod complectitur, vix datur præſtabilius, nec non cinnamomo ejuſque aqua, non tamen ſpirituoſa, ſed cum ſuccis fragrantibus, ut fragorum, rubi idæi & ceraſorum, deſtillata. Ubi febris abeſt, oleum cinnamomi & cum eo artificioſe confectum elæoſaccharum, ad reparandas vires egregii uſus. In ipſa peſte, morborum maxime maligno, ſummum alexiterium dici meretur acetum, vel ſimplex, vel cum radicibus alexipharmacis & cordialibus artificioſe præparatum. Succus quoque limonum, item pomorum citri, ſyrupus acetoſitatis citri, cum oleo de cedro conditus, ut acida, potenter reſiſtunt putredini, cujus matrix & fomentum eſt principium alcalino-ſulphureum exaltatum, ad humorum & proportionis mixturæ in iis diſſolutionem corruptivam tendens.

Ipſa p

§. VII.

Dolor cardi cis, c & cal

Accedunt dolores, qui ſi ex ſpaſtica ſtrictura oboriuntur, ut cardialgia, colica & ex calculo, liquor noſter anodynus mineralis omnibus palmam præripit, utpote qui non ſolum blande anodynam & diſcutientem, ſed etiam, quod aliis ſedantibus plane negatum, roborantem egregiam facultatem cuſtodit. Ubi flatus reſtagnant & incarceratis iis nerveæ ventriculi & inteſtinorum tunicæ cum exquiſitis torminibus diſtenduntur, corticibus aurantiorum, floribus chamomillæ, carvo & cymino, ſalubri diſcutiente effectu nihil ſuperius, eo quod propter ſubtile vaporoſum quod recondunt oleum, anodynum & mitigantem, ac propter amarum, aromaticum, acre, fragrans elementum, roborantem & tonicum effectum exſequuntur, quo fit, ut poſtea flatuum cauſa & minera, cruditates ſcilicet, commodiſſime poſſint ejici.

§. VIII.

Rheum ſmis, thritid

Neque etiam in aliis dolorum generibus probatiſſimæ virtutis auxilia deficiunt. Sic cruciatus artuum ſcorbuticos, rheumatiſmos, arthritidem vagam egregie levant lumbrici terreſtres, vel ſuccus ex ipſis expreſſus, vel pulvis illorum, præſertim cum abſorbentibus, cinnabari & nitro remixtus, ac cum lacte aſinino, vel ſero lactis, largius & diutius uſurpatus. Pulvere quoque antimonii crudi, ſi ſucceſſive à minori ad majorem doſin aſcendendo, à granis circiter decem ad drachmæ dimidiæ pondus, quotidie aſſumatur, interpoſito leniori ex temperatis lignis decocto, diuturnas rheumaticas paſſiones & tractoines artuum moleſtiſſimas vidi ſanatas. Ad podagram porro expugnandam commendabilis quam maxime lactis aſinini uſus, priſcis etiam teſte *Plinio & Dioſcoride* frequentiſſimus. Neque minus podagricos egregie ſolatur decoctum ex radice artemiſiæ, ſcorzoneræ, ſaſſaparillæ, chinæ, liquiritiæ,

Podagr

polypo-

polypodii & hermodactylis, liberalius & aliquandiu hauſtum. In odontalgia rob ſambuci interius ad unciam unam cum juſculo ad diaphoreſin proritandam aſſumtum, & exterius in cereviſia ſolutum, qua cum os ſubinde colluitur, ſpecificam certe & præſentaneam opem vexatis confert. *Odontalgia.*

§. IX.

Pathemata hypochondriaca & hyſterica multum affinitatis alunt, & atrociam ſuam exſerunt maxime inflando & ſpaſmodice contrahendo inteſtina ac demum univerſum nervorum ſyſtema in conſenſum pertrahendo: habent tamen ſpectata & experta quibus complacantur præſidia. Hæc inter præter thermas & acidulas, cum balneis & motu corporis, tanquam potiſſima, connumeranda etiam gummata & medicamenta inficeti odoris, ut aſa fœtida, ſagapenum, opopanax & caſtoreum, quæ vel ſola in pilularum formam compacta, vel melius cum purgantibus, ut aloë correcta, extracto rhabarbari, hellebori nigri, myrrha etiam & croco remixta, & crebrius, moderate tamen, uſurpata, mirifice obvios ſpaſmos complacant, tonum nervearum partium firmant & ſimul viſcidos, tenaces humores colliquant & blande evehunt. *Pathematibus hypochondriacis & hyſtericis.*

§. X.

In affectibus capitis & maxime nervorum, qui ex imbecillitate cerebri & totius ſyſtematis nervoſi viriumque languore ortum trahunt, in hemiplexia ſcilicet, paralyſi, ſenſuum imminutione, torpore & ſtupore actionum animalium, auditus difficultate, aurium tinnitu, ſyncope, vertigine, ventriculi & inteſtinorum debilitate, nec non diarrhœa & vomitu, nullum certe præſtantius & præſentius mihi innotuit remedium, quam quod ex oleis cephalicis & aromaticis genuinis concinnatur balſamum liquidum, vitæ dictum, uſu tam interno, quam externo, longe ſpectatiſſimæ facultatis. *In affectibus capitis & nervorum.*

§. XI.

Præterea inſaniæ, tam furibundæ, quam melancholicæ, præter ſanguinis miſſiones, acidularum & thermarum uſum, nec non emetica, nonnulla ſpeciali quadam efficacia dicata celebrantur. Priſci ipſeque *Hippocrates* hunc in finem utebantur quam maxime helleboro albo, cujus virulentiam *Alpino lib. de Med. method.* teſte, ita cicurabant, ut eundem cum oleo vel etiam oxymelite decoquerent & antequam propinarent lac largius potui præberent: ſed exolevit jam penitus hic helleboriſmus, hanc forſan ob cauſam, quod recentiores helleborum colligendi & exhibendi genuinum modum ignorarint, de quo videatur *Schulzii diſſertatio de elleboriſmis Veterum.* Neque tamen negandum, quod in helleboro lateat adverſus deliria ipſamque inſaniam virtus, inprimis ſi ejus venæ ſectione & balneis ex aqua dulci, in omni amentia proficuis, ſecundetur. In ea vero mentis emotione, quæ potius ab animi affectuum vehementia, quam hypochondriorum obſtructione oborta, lac aſininum, nitrum & ſanguis aſininus, in pulverem tritus, eximiam demulcentem, effrenes nervearum fibrarum ſtricturas ſedantem poſſident facultatem, & inter initia ſaluberrimam præſtant opem, eo certiorem, ſi clima mutetur & occaſiones ad animum exæſtuandum ſolicite evitentur. *Inſaniæ.*

§. XII.

Epilepticum malum quo truculentius & vel aſpectu horribilius, eo magis medentes ſoliciti fuerunt de præſidiis ad abigendum illud. Et certe quamplurima paſſim quidem circumferuntur ſpecifica antepileptica; ſed an meliora ac certiora ſuppetant pulvere lumbricorum terreſtrium, cinnabari, pulvere ſecundinæ humanæ, raſura cranii humani, ungula alcis & corio humano, ego quidem vix crediderim. Hæc autem ſicuti in epilepſia idiopathica & chronica conducunt; ita in ſymptomatica, palmam utique fert liquor noſter anodynus mineralis, epilepticos egregie componens inſultus. *Epilepſiæ.*

§. XIII.

Ubi veſicularis & vaſculoſa pulmonum compages craſſa, tenaci pituita firmiter inhæreſcente farcta & obſtipata in aſthmate, gummi ammoniacum, Balſamus Peruvianus, crocus, opopanax, vel in pilularem conſiſtentiam, vel cum tinctura tartari in eſſentiam redacta, uſum atque utilitatem præſtant incomparabilem. Quando autem pulmones phthiſica labe affecti, ſi quæ ſalutis ſpes, eadem quam maxime à lacte aſinino, vel ſolo, vel fonti Selterano, qui idemtidem pulmonum vitiis apprime proficuus, confuſo, exſpectanda. Neque minus hoc nomine commendationem meretur ſulphur ſtillatitium purum, inprimis ſi cum pinguedine animantium, ut axungia humana, vel pinguedine canis recenti, item ſpermate ceti diſſolvatur, & ad ſtomachum roborandum aliquot balſami de Copaiva, olei ligni ſaſſafras & fœniculi guttulæ, adjiciantur. Ea quippe ſulphuris facultas, ut non modo partibus languentibus robur addat, ſed & ſimul diſſolvat & diſcutiat ſpiſſeſcentes ſuccos, qua certe in pulmonum affectibus, exulcerationibus, tuberculis, vomicis, ex ſtaſi & condenſatione viſcoſi & caſeoſi mucilaginoſi, ex chylo præcipitati ſucci, obortis, egregie opitulatur. *Aſthmatis.*

§. XIV.

Præter phthiſin hydropes difficillimis & fere inſanabilibus morbis annumerantur, ſi tamen ſanationem adhuc admittunt, elaterium certe apud Veteres magnæ famæ medicamen, quod per ſuperiora & inferiora, ſi recte adhibetur, aquas educit, & corpore prius rite præparato humoribuſque fluidis redditis, præmiſſis quoque & ſub ejus uſu exhibitis emollientibus ac oleoſis, vix efficacia par obtinet. Quia vero etiam urinæ fluxu hydropicus tumor abſumitur atque abigitur; pulvis cantharidum cum ſale tartari mixtus, additis aliquot ad arcendam inflammationem nitri depurati granis & uno camphoræ, diureſi movendæ largiſſimæ apprime inſervit, modo humores ad hanc diſpoſiti ſint excretionem. Icterus quoque malum ſæpe valde contumax eſt, ſed præter emetica, quæ efficaciter in ductus biliarios agunt, congrua doſi & opportune adhibita, rhabarbarum, radix curcumæ & rubiæ tinctorum, præſertim ſi in aqua & vino, adjecto nitro & ſale tartari, decoquantur, in regio morbo ſingularem prorſus edunt effectum, quem etiam infuſum corticis medii ſambuci, niſi corpus nimis debilitatum, viſcidam bilem colliquando & calculos ex canalium biliariorum alveis eliciendo, exſequitur. *Hydropes.* *Icteros.*

§. XV.

In calculoſa renum diſpoſitione ſpectatiſſima infuſi *Calculo.*

infusi summitatum millefolii est facultas, quando quis eo crebrius & diutius utatur. Nec eximia deneganda virtus fragis exsiccatis, fructibus alkekengi, cynosbati, semini dauci, ac potissimum cortici radicis acaciæ, si vel cum infuso ex aqua, vel cum spiritu juniperi temperatiori, sumantur. Inest enim ipsis virtus quædam traumatica, leniter balsamica & subadstringens, qua remissum tubulorum renalium tonum egregie firmant, substantiam renum exulceratam & ex parte dissolutam conglutinant atque percurant. Amygdalis autem amaris, ob anodynum oleum, nec non oleo amygdalarum dulcium, sub ipso cruciatuum paroxysmo demulcens & mitigans longe eximia inest virtus.

§. XVI.

Mensium. Affectus sequiori sexui solennes, ex uteri & maxime mensium vel lochiorum vitio, præter aloen correctam, myrrha, croco, succino, castoreo & aristolochia rotunda, debita ratione in pilularem formam redactis, optime excipiuntur, eamque ob causam in iisdem nostro jam tempore maximam hoc nomine adeptæ sunt famam pilulæ Becherianæ & omnes ad earum exemplar paratæ. In virili autem sexu ad corrigenda hæmorrhoidum vitia, post mannam, infusum vel decoctum summitatum millefolii saluberrimi effectus; eo quod hæc planta subtile, spasmos leniens atque demulcens oleum recondit, quod multum ratione saporis, odoris & maxime coloris cærulei, convenientiæ alit cum oleo chamomillæ.

Et hæmorrhoidum vitiis.

§. XVII.

Dysenteria Intestinorum canalem graviter exagitat ipsumque corpus innumeris pæne sedibus ferme exhaurit dysentericus morbus, contagio infestus & ingentem sæpe stragem edens, qui pariter non quibusvis in alvi fluxibus proficuis, sed singularibus plane abigitur penitusque exstirpatur auxiliis. Nimirum radix illa Americana ipecacuanhæ, experientia teste maximum antidysentericum, si modo initiante adhuc morbo, justa dosi, semel, vel bis, aut ter exhibeatur. Postea vero præter alia acrimoniam obtundentia, blanda diaphoretica & temperantia interne & externe adhibita, itemque rhabarbarum, ceu optimum laxans, cortici chaccarillæ certissima flaccidas intestinorum fibras roborandi & motus effrenes sedandi inest efficacia.

§. XVIII.

Vermibus. In intestinis quoque vermes varias ludunt tragœdias & horrenda sæpe excitant symptomata, quibus exstirpandis nonnulla peculiari quadam dicata sunt virtute, Græcis ob id anthelmintica vocata. Sed licet horum eximius circumferatur apparatus, non omnia tamen æque exspectationi respondent, & nulla magis probatæ efficaciæ sunt ipsa asa fœtida & sagapeno, præsertim si hæc cum purgantibus, ut mercurio dulci & extracto rhabarbari, in pilularum forma dentur, hac cum cautione, quo ante & post hujus virtutis pilularum usum, aliquot cochleari a olei olivarum, vel amygdalarum dulcium ingerantur, quod certe vermibus, ut omnia oleosa, quam maxime infensum, & fibras intestinales à vermium arrosione spastica strictura affectas, egregie mulcet, ac efficit, ut verminosa progenies per ani secessum exturbetur. Asa quippe fœtida & sagapenum nidore suo quem dispergunt adverso, vermes fugant, haud secus ac de allio domesticis & agrestibus experimentis constat. Semen autem cinæ, item santonici & herba tanaceti, utiliter etiam contra vermes quidem usurpantur, sed non aliter agunt, quam quod putredinosæ colluviei, quæ vires frangit lentumque infert calorem & languorem, resistant & simul tonum intestinorum firmando expulsionem facilitent ac juvent.

§. XIX.

Quando nimium sanguinis, ubicunque sit, ex apertis vasorum osculis effunditur, promta ope & præsentaneis remediis opus est, ne graves insequantur passiones. Ac tum quidem ad compescendum cruoris stillicidium nitro in aqua communi soluto & successive oblato, nec non ad arcendam novam hæmorrhagiam, pulvere dentis hippopotami, repetitis maxime vicibus, vix quicquam præstabilius. Prodest tamen etiam massa pilularum de cynoglossa, ad grana sex vel octo, oleum & semen hyoscyami narcotica virtute pollet, ac sensum solidorum exquisitiorem obtundendo, efficit, quo minus per spasmos sanguis impetuose ad certum quendam locum urgeatur ibique exprimatur. In seminis fluxu, præsertim virulento, vix melius & præsentius suppetit præsidium terebinthina Veneta ejusque oleo æthereo, vel loco hujus balsamo de Copaiva aut Mecca, quæ si cum vel sine camphora, in emulsione ex seminibus quatuor frigidis, lacte, vel sero lactis, post congruorum purgantium, præsertim mercurialium usum, propinantur, incomparabilem præstant efficaciam.

Nimi morrh giis.

Semin fluxu

§. XX.

Excipiunt morbi ex humorum impuritate oriundi, quæ maxima in scorbuto. Est hoc malum maxime endemium, à pravo victu, sub cœlo frigido & humido, prognatum, & à vita sedentaria atque mœrore maxime exacerbatur; longa tamen experientia comprobata adversus illud remedia sunt sic dicta antiscorbutica, trifolium fibrinum, cochlearia, beccabunga, nasturtium, radix armoraciæ, quorum effectus eo magis exoptatus certusque, quum succus ex ipsis expressus cum sero lactis ex nostra præparatione dulci, vel etiam lacte caprillo, dispositio prius corpore, assumitur. Quod si scorbutus jam inveteraverit & doloribus stipetur, strobilos pini in sero lactis decoctos, addita medulla & pinguedine ex ossibus boum & vitulorum, continuato aliquandiu usu, eximie suppetias tulisse novi.

Scorb

§. XXI.

Truculentus ille luis venereæ nomine qui insignitur morbus, vix funditus ex interioribus quibus insidet partium latibulis eradicari poterit, nisi admissis specificis, inter quæ argentum vivum, lignum guajacum cum cortice ipsumque antimonium rite præparatum primas tenent. Nullum enim in toto rerum naturalium censu suppetit pharmacum, quod tam potenter universam lymphæ & humorum massam in motum cieat & largissimum salivæ ad aliquot interdum hebdomades durantem fluxum cieat, quam ipse mercurius, qui corpus subiens, ob specificam in minimis etiam moleculis omnibus succis superiorem gravitatem, ad intima corporis pervadit & per angustias tubulorum strenue eluctans, obstructiones in iis solvit, simul quoque humorum corporis crasin penitus immutat eisdemque intestino quodam motu putredinosam quasi inducit colliquationem, & hac ratione, licet non sine summa molestia & quandoque etiam periculo, gravissimum

Lue ve rea.

viſſimum hunc morbum aliaſque chronicas contumaces, ex ſeri ſpurcitie ortas paſſiones, expugnat. Tutiſſimum autem ex mercurialibus ſalivandi ſcopo uſitatis eſt ipſe mercurius dulcis, ſi abſorbentibus nuptus, per aliquot dies exhibeatur, aſcendendo à minori, ut quinque granorum doſi, ad majorem, duodecim ſcilicet granorum, donec ſaliva liberaliter fluere incipiat, obſervato ſimul convenienti diætetico regimine. Guajacum ſale ſubtili acri reſinoſo, quo aquam cui incoquitur imbuit, fibras vaſorum & tunicas vellicando, totam humorum & lymphæ maſſam ad auctiorem progreſſum adigit, quo tenaces ſucci reſolvuntur & obſtructiones reſerantur.

§. XXII.

*utis de-
œdationi-
us.*

Ad lepram, herpetem & ſcabiem mali moris, nec non alias cutis deſœdationes & ulcerationes, optimum auxilium ex viperis earumque decocto, nec non antimonio, ac præcipue ejus ſulphure diaphoretico, peculiari enchireſi confecto, ſperandum. Plica quoque ſic dicta Polonica, reſtitans aut præpoſtere abſciſſa, gravia invehit pathemata, ad quæ abigenda laudata virtus decocti herbæ & ſeminis lycopodii, quo caput ſæpius tepide abluendum; quandoquidem hac ratione ſerum illud viſcidum excrementitium, cerebrum & caput moleſte afficiens, per cutis qua caput tegitur tubulos ipſoſque crines ſalutariter ejicitur. Oculos ſi infeſtat ſalſa & calida defluxio, cui rubedo juncta, in ſic dicta epiphora, & noctu præſertim palpebræ à viſcoſo humore conglutinantur, pauxillum, & vel unum granum, vitrioli albi, cum butyro recenti ſubactum & orbitæ oculi majori inditum; admirabilem fert opem & promte vitium abigit. Pelliculam viſum intercipientem recens viperarum pinguedo oculo inſtillata promte abſtergit; & guttam ſerenam incipientem egregie diſcutit ſulphur antimonii interius aſſumtum.

*Plica Po-
nica.*

piphora.

*llicula
& gutta
rena.*

§. XXIII.

*ntractu-
s.*

Quando partes contractura & rigiditate afficiuntur, nihil præſentius eſt, quam membra afflicta crebrius in animalia recenter diſſecta & adhuc calentia immittere, quo blando, oleoſo & naturali calido vapore foveantur fibræ tenſæ & molliantur. Ubi poſt lapſum aut gravem contuſionem ac percuſſionem partium externarum, ſtagnantes & coeuntes humores & ſanguinis varia creant incommoda, decoctum vel infuſum arnicæ omne fere curationis punctum abſolvit, ob ſingularem qua pollet incidentem, reſolventem & diſcutientem efficaciam.

*nguine
grumato.*

§. XXIV.

*longæ.
aem.*

Ultimo loco dum de ſpecificis ſermo eſt, non prætermittendum laudatiſſimum illud & admirandæ prorſus ad valetudinem tuendam & longævitatem conſequendam præſidium diæteticum, Veteribus tantopere celebratum, lac aſininum. De hujus efficacia longe ſaluberrima peculiari egi diſſertatione *de mirabili lactis aſinini uſu in medendo*, in qua pluribus, quibus morbis debellandis ejus potus proficuus ſit atque accommodus, & rationibus & exemplis expoſui. Quam ſingulari autem virtute ad prolongandam vitam polleat, luculentum eſt *Patini* teſtimonium *tomi II. epiſtolar. pag.* 213. & dignum quod totum verbis latine redditis tranſcribatur: *precor*, ait, *Summum Numen, velit conjugi Tuæ perfectam largiri ſanitatem. Elapſo decendio, lac aſininum erit admodum ſalubre, quod ut ipſi ex voto proficiat, opto. Si ipſam ad ſanitatem reducere poſſem, cras ſtatim Lugdunum properarem, quod vero nimis procul remotum. Galenus quidem ad Scabiam montem ægrotos ſuos ablegabat, unde ſani redibant, id quod confirmatum habeo nummo Imperatoris Getæ, quem Carolus meus aſſervat, ſignato imagine vaccæ, qua hujus montis accolæ lactis præſtantiam indicare voluerunt. Suppetit etiam nobis Lutetiæ lac aſininum optimæ notæ. Socrus mea, quæ octogeſimo quarto anno apoplexia interiit, hoc per integros ſexaginta annos uſa eſt. Pariter à vigeſimo ſecundo ætatis anno hoc lac potavit Domini conſiliarii Laurentii mater, elapſo anno, octogeſimo ſeptimo anno denata. Hujus ſoror, vidua Andreæ Laurentii, Anatomici, idem fecit & ad octogeſimum quintum annum pervixit. Et certe apud nos egregiam præſtat opem, vere maxime & autumno, inprimis ad arcendos morbos. Ego tamen ejus uſum nemini ſuadeo, niſi viſcera clementi & accommoda purgatione depurata prius fuerint ac præparata.*

§. XXV.

Specifica non promiſcue juvant.

Atque hæc ſunt ſelectiſſima & uſu comprobata ex omni remediorum cenſu. Monendum tamen, quod quum hæc ipſa, ut ſupra jam inculcavimus, neutiquam viribus polleant abſolutis, ſed relativis & certis conditionibus ac circumſtantiis limitatis, in eorum uſu harum inprimis exquiſita habenda ſit ratio, quo ſperatus reſpondeat effectus. Deinceps ſingularis efficaciæ hæc quidem recte uſurpata ſunt remedia, ſed nihil certe juvant, niſi prius corpus probe fuerit præparatum, & obſtacula, quæ virtutem infringere aut impedire poſſunt, remota. Hinc quando ſanguis in venis redundat & primæ viæ ſentina ſordium obſeſſæ, neceſſe eſt, ut ſanguis prius ſubtrahatur, & prima corporis regio à crudorum, bilioſorum & recrementitiorum ſuccorum ſaburra repurgetur ac depleatur.

Et corpus præparandum.

§. XXVI.

Materia vitioſa corrigenda.

Neque etiam exiſtimandum, ſpecificis uſurpatis, nullis plane aliis internis vel externis mediis, ad corrigendam humorum vitioſam qualitatem & evacuationem deſtinatis, opus eſſe. Etenim hæc ſpecificæ virtutis medicamina, efficacia ſua non tam materiam quæ in vitio eſt, quam potius ipſum motum afficiunt eumque ad naturalem ſucceſſum reducendo juvant, quod tum demum quam optime perficitur, quando cauſſæ morbificæ materiales ſublatæ, & præmiſſis, quæ temperando, reſolvendo, diſcutiendo & obſtructiones expediendo humorum corrigunt vitia, appropriata debita proportione, opportuno tempore & modo convenienti in uſum vocantur. Inprimis eo cura dirigenda, quo primæ viæ vacuæ ſint ſuccis viſcidis impuris, quibus oblati medicamenti vis quam maxime obtunditur, vel plane ſuffocatur, quum his expurgatis, integra & ſalva ſua textura ex voto agat & in ventriculi ac inteſtinorum ſubſtantiam nervoſam virtutem ſuam edat, eodem modo ac de emeticis, purgantibus, opiatis, analepticis omnibuſque quæ exili mole magnum edunt effectum, conſtat.

Primæ viæ repurgandæ.

§. XXVII.

Et congrua methodus ſervanda.

Denique in ſpecificorum uſu accommoda ſervanda methodus, ita quidem, ut artifex non ſolum tempus, doſin ac regimen teneat, ſed etiam quamdiu iiſdem inſiſtendum & quæ victus ac vivendi ratio ſimul injungenda, exacte calleat. Etenim methodus medendi ſpecialiſſima, quæ

quæ unice in medentis prudentia, judicio, diligenti attentione, meditatione & obſervatione naturæ ægrotantis conſiſtit, tanti ad ipſum effectum eſt momenti, ut ipſis ſpecificis & appropriatis ſolis longe ſit anteponenda, & ſine ea remedia, quantumvis egregia, alienæ & infructuoſæ ſint operationis, nec quicquam ſolidi in arte præſtari queat. Et hæc quiqunque ſtudioſe obſervat omnia, is certe deſiderato potietur fine, quantum ſcilicet malo plus valet ars noſtra ſalutaris.

CAPUT IX.

De venæ ſectione aliiſque ſanguinem ſubtrahendi modis.

§. I.

POſteaquam igitur plura & ſelecta remedia, quæ interno uſu, cum in præcavendis, tum ſanandis morbis, rite adhibita egregium præſtant uſum atque utilitatem, fuſius expoſuimus: ordo rerum dicendarum exigere videtur, ut jam etiam de illis agamus præſidiis, quorum uſus legitimus externus plurimum in medendo valet. Inter hæc vero primum atque præcipuum locum jure obtinet ſanguinis ſubtractio, ſive per venam ſectam, ſive alios modos facta. Et venæ ſectionis quidem tanta certe eſt efficacia atque utilitas, ut ſi effectum celerem & egregium quem præſtat, ſpectemus, re vera omnia interna in morbis tam avertendis, quam ſanandis, longiſſime exſuperet. Neque ullum remedii genus eſt, quod & operationis celeritate & tolerantiæ facilitate ſe ita commendet, & quod à primis fere medicinæ incunabulis tam frequentis & laudati fuerit uſus, quam ſanguinis per venam ſectam evacuatio. Antiquiſſimus artis noſtræ parens *Hippocrates* eam nullo in morbo intermiſit, & Veteres fere omnes æque ac recentiores medici, qui non vanis & inanibus in praxi præceptis innutriti, ea carere nequeunt, ut adeo merito inter heroica & ſummæ virtutis remedia locum præcipuum mereatur. Sed quemadmodum nullum efficax remedium, niſi provide & dextre uſurpetur, juvat, imprudenter vero adminiſtratum nocet: ita etiam hoc ipſum auxilium cautionem, obſervationem & prudentiam in uſu exigit atque deſiderat. Quare è re utique erit, ut quæ tam de venæ ſectionis, quam reliquarum ſanguinis miſſionum, genuino ac ſalutari uſu tenenda, ediſſeramus, & quidem conciſis theorematibus, per ſubjecta ſcholia illuſtratis.

Theorema I.

Non excellentius, non præſentius, ad plurimos morbos, & acutos, & longos, arcendos, ſuppetit auxilium, ipſa ſanguinis prudenter inſtituta miſſione.

Scholion.

In priori jam ſectione ex inſtituto docuimus, quam graves & periculoſæ paſſiones, ex nimia ſanguinis redundantia, item ex evacuationibus ejus criticis, quæ fiunt in feminis per uterum, & in utroque ſexu, maxime virili, per venas hæmorrhoidales, deficientibus, vel etiam ſuppreſſis, proveniant. Evidenter namque deduximus, quod plethora, tum ad vaſa, tum ad vires, liberum & æquabilem ſanguinis circulum retardando & impediendo, ad colligendas impuritates humorum, ad hoſtiles ſtagnationes, infarctus, obſtructiones & funeſtas ſtaſes, imo extravaſationes & vaſorum ruptiones, occaſionem & cauſſam præbeat efficaciſſimam. Scilicet dum ſanguis copia ſua virtuti contractili & elaſticæ cordis, arteriarum & reliquorum vaſorum fortiter obnititur, non modo progreſſivum per univerſum corpus motum remorando, ut cruor ſpiſſus & ad infarctus, obſtructiones, fœcundas morborum chronicorum matrices, aptiſſimus, evadat, efficit, ſed & in ſenſibilioribus ſubjectis atque in locis valde nervoſis, ſpaſticas ciendo ſtricturas, inæqualitatem in ſanguinis progreſſu & magnas ac impetuoſas congeſtiones ad has vel illas nobiles partes cauſſatur, quæ graviſſimos in pectore, capite & præcordiis morbos inducunt. Hos igitur omnes ancipites afflictiones venæ ſectio, tempeſtive & prudenter inſtituta, in iis præſertim corporibus, quæ ſanguine abundant, vaſa plena & ampla habent & quibus ſanguis, nec per hæmorrhoides, nec menſes fertur, præſentiſſime prævertit. Quumq; copia collecti ſanguinis vere, & quidem circa tempus æquinoctiale, ubi ob ſolis propiorem ad noſtrum clima ſitum, aër tenuior & rarior majorem in ſanguine expanſionem efficit, quam maxime periculum minetur, & morbos à plethora oriundos, teſte etiam *Hippocrate*, proferat, utique convenientiſſimum eſt, ante illud tempus decenti ſanguinis emiſſione ipſius redundantiam imminuere & ſic futuris imminentibus morbis opportune occurrere eoſdemque præſcindere. Neque vero ſemper opus eſt, ut adeo accurate illud æquinoctiale tempus obſervemus. Nam quando congeſti ſanguinis copia citiorem & celeriorem vacuationem deſiderat, vel quando mox ſub finem Februarii & initium Martii ſerenum & tepidum cœlum expanſionem ac turgeſcentiam ſanguini, motui progreſſivo infenſam, infert, non adeo rigoroſe conſtitutus æquinoctii terminus exſpectandus, ſed præſtat tum anticipare eundem. Aliquot mihi nota ſunt exempla eorum, qui ne à recepto diſcederent more ad æquinoctium usque diſtulerunt hoc auxilii genus, ſed increſcente nimis plethora, apoplectico inſultu ante illud tempus perierunt. Neque etiam audiendi ſunt illi, qui vel lunam decreſcentem, vel certam ſiderum conſtellationem, utplurimum fallaciſſimam, quoad tranquillos & ſalutiferos in aëre effectus, opperiuntur, ſed mittendus eſt ſanguis urgente plethora quocunque tempore, maxime ſi cœlum ſerenum & tranquillum, ſub quacunque lunæ phaſi, vel ſiderum conjunctione. Pari ratione pro valetudine eorum, qui ſanguinem copioſum in venis alunt, eſt, ut circa æquinoctium autumnale iterum ſanguinis detractionem admittant, ne cruor, accedente frigida hyemali aura, nimis ſpiſſeſcat & excretionum ſucceſſu ob aëris varietatem & inclementiam feriante, ſordeſcat, morbiſque ex humorum impuritate & ſtagnatione oriundis occaſio ſuppeditetur. Quin nonnullis eminentius ſanguine repletis conducit, quo ter quotannis venam incidi patiantur, initiante ſcilicet Martio, adulto Majo & Septembri, & ſic corpus à morbis defendant.

Theorema II.

Uti copia ſanguinis ejus detractionem exigit; ita ejus inopia & virium defectus eam interdicit.

Scholion.

I. Sanguinis copiam vaſorum repletio pulſuumque magnitudo, victus ſolennis lautus & vinoſus,

vinoſus, quietum & tranquillum vitæ genus, & intermiſſio vel naturalis criticæ aut artificialis conſuetæ evacuationis luculenter produnt; & hæc ubi præſto ſunt, tuto & confidenter ſanguinis detractio admitti poteſt. Contra ea quando corpus infirmum, emaciatum, pulſus debilis, ex inopia maxime ſanguinis & virium, penitus eſt interdicenda, niſi præſentaneam noxam inferre velimus. Nam pulſuum in arteriis robur dependet maxime à copioſiori & vegetiori ſanguinis ex ſiniſtro cordis ventriculo in magnum arterioſum tubum impulſu; robur vero illud cordis ad expulſionem, à libero & ſufficienti ſanguinis per vaſa coronaria in cordis ſubſtantiam, nec non fluidi nervei in fibras cordis influxu, proficiſcitur; ideoque ubi pulſus parvus, debilis ac languidus ex fluidi nervei ſanguiniſque boni parciori influxu & ex ventriculis in arterias impulſu, nocentiſſimum eſt venam pertundere in quocunque ſubjecto & morbo, quia plus ſanguinis & virium, quæ tamen jam tum deficiunt, exhaurit atque abſumit.

II. Peccant ſubinde in eo medici, qui vel in morborum declinatione, vel ſi morbis præcedentibus, ut febribus aut enormibus hæmorrhagiis, alii morbi ſuperveniunt, promti ad ſanguinem emittendum ſunt. Nil frequentius occurrit in praxi, quam quod fœminis, ſuperato qui ſanguinem & vires conſumſit morbo, menſium fluxus ſubſiſtat; quibus certe peſſime conſulunt, qui ad eum provocandum, vel pellentia, vel ſanguinis evacuationes, adminiſtrant; quum potius in id incumbendum ſit, quo & analepticis, & lautiori diæta, ſanguis & laudabiles humores prius de novo ingenerentur.

III. Virium defectio quandoque non à defectu, ſed nimia copia ſanguinis fit. Obſervamus ſæpius in plethoricis juvenibus & viris pulſuum, qui antea fuerunt celeres, tarditatem & debilitatem; videmus quoque univerſi corporis & animi languorem inſuetum & ſomni defectum, ſub magna tamen arteriarum expanſione. Hæc autem ubi ſubeſt cauſſa, ſuperfluum & arteriarum ſyſtolen ac motum mole ſua impedientem cruorem ſubtrahere omnino expedit, & hoc facto, pulſus illico crebrius atque validius micat. Sed prudentis utique & periti eſt medici, talem virium oppreſſionem à copia ſanguinis, etiam morbo præſente, probe diſcernere ab ea, quæ virium & ſanguinis inopiæ ortum debet.

Theorema III.

Poſt venæ ſectionem, ſæpe excretiones ſalutares ſanguinis, imo alvi, ſudoris, urinæ vacuationes melius & liberius quam ante eam ſuccedunt.

Scholion.

I. Quia ſalutiferæ omnis generis excretiones ſanguinis circulum, prout ille celerior vel tardior, vegetior vel languidior eſt, ſequuntur; facile patet, ſi ob nimiam ſanguinis copiam ipſius motus progreſſivus una cum excretionibus fuerit retardatus, imminuta vaſorum plenitudine, augeri ſanguinis circulum, ipſum hac ratione reddi fluidiorem, excretoriorum & colatoriorum vias ab obſtructionibus liberari, & cruorem liberius & largius ad emunctoria pro ſubeundis excretionibus appelli.

II. Hinc ſæpiſſime annotavi, ſuppreſſum in fœminis menſium fluxum, brevi poſt venam in pede ſectam ſponte repetiiſſe. Plura etiam mihi nota ſunt exempla, pertuſa paullo ante vena ſanguinem ex ani venis profluxiſſe, qui antea vel plane nunquam prodierat, vel per longum tempus reſtiterat.

III. Frequenti porro obſervatione compertum eſt, in plethoricis non modo, ſed & iis qui ſpaſticis detinentur affectibus, urinam difficulter reddi valdeque aquoſam & limpidam mingi, ſed protinus poſt emiſſum ſanguinem, urinoſum laticem copioſiorem ſtillare magiſque tinctum. Idem jam pridem notavit antiquiſſimus *Cous Sect. VI. aph.* 36. inquiens: *difficultatem urinæ phlebotomia ſolvit, ſecare vero oportet interiores*; id quod etiam confirmat *Riverius Cent. I. obſ.* 1. *item obſ.* 45. & 89. fidem faciens: admiſſa venæ ſectione, urinas, quæ antea prorſus aqueæ, redditas fuiſſe coloratiores.

IV. Neque minus experientia aliquoties edoctus ſum, in hypochondriacis, quibus alvus ſolenniter tarda atque compreſſa, poſt ſanguinis miſſionem, eandem eſſe ſolutam & ad officium rediiſſe. Ratio hujus effectus procul dubio hæc eſt: in paſſione ſic dicta hypochondriaca ob difficiliorem ſanguinis per meſenterium & hepar tranſitum, vaſa nimium cruore replentur, ob diſtenſionem in eorum tunicis fit ſpaſmus & motus periſtalticus læditur, quo læſo nec flatus, nec excrementa, per alvum rite ſecedunt ac evehuntur; à vena autem tempeſtive in pede pertuſa, vel etiam quod non ſemel, ſed ſæpius obſervavi, evocato per hirudines ex ani venis cruore, reſtituto inde libero per tunicarum inteſtinalium vaſa tranſitu & progreſſu, & reddito inteſtinis debito motu ac robore, melius alvina quoque ſuccedit evacuatio.

Theorema IV.

Venæ ſectio ſæpius ſenibus utiliſſima, imo ad longævam vitam confert.

Scholion.

I. Communis, ſed peſſimus error eſt, ætatem ſenilem plane non ferre ſanguinis ſubtractiones, quaſi vero in grandævis non redundaret ſanguineus latex, ut potius ejus & virium defectu laborarent. Jam lubens equidem concedo non omnes ſenes eſſe plethoricos, & hinc ſanguinis detractione indigere, nec etiam ætas per ſe ad repletionem vaſorum quicquam confert. Verum ſunt utique ſenes valentes, ſani, firmi, vaſis capacioribus inſtructi, qui bene appetunt, comedunt, & non tantum concoctu faciles, ſed & difficiles cibos probe ferre & digerere poſſunt, ideoque neutiquam etiam dubitandum, quin ex bene concoctis alimentis copioſum chylum & copioſum ſanguinem gignant & colligant, cujus florida facies & vaſa ſanguine turgida luculenti ſunt indices. Accedit, quod non modo in virili, ſed & in extrema ætate conſtituti, non raro modicum ſanguinis per ſedis venas profluvium cum conſtanti virium duratione commodiſſime ferant, ac ipſe aliquot octogenarios novi, qui copioſum mictu ſanguinem ſine notabili virium decremento emiſerunt. Quin potius quum ſenectus non adeo ad labores, exercitia & motus corporis apta ſit & proclivis, eaque propter non æquali menſura & proportione egeſta ingeſtis reſpondeant, ſanguiſque motu & calore minus conſumatur, neceſſario nimia humorum ſuccreſcit abundantia, viſcerum infarctus vaſorumque plenitudo, quæ, niſi mature ſolvatur, morbos ſenibus familiares fœcundo gignit germine, maraſmos, tuſſes, coryzas, raucedines, artuum dolores, renum & veſicæ calculos, paralyſes, urinæ difficultates, pruritus, ſcabiem ſiccam, quæ afflictiones, utut proxi-

me

me non à copioso sanguine, sed potius ab impuritate seri proveniant, hæc ipsa tamen à succorum copia, qua excretiones impuritatum intercipiuntur, natales trahit.

II. Complura certe memoria teneo exempla senum, qui ad nonagesimum annum fere, salvi, incolumes & à morbis ætate provectis familiaribus immunes vixerunt, solo venæ sectionis remedio, bis per annum admisso. Et quod senectuti non adversa sit sanguinis per venam vacuatio, universa Helvetiorum gens testatur, qui vel octogenarii, immo nonagenarii, singulis adhuc annis venæ sectionem patiuntur: quam in rem *Wepferus lib. de apoplexia* legi potest. *Primerosius* etiam *lib. IV. de vulg. error. cap.* 23. tribus exemplis confirmat, quod senes octoginta annorum sanguinis è vena missionem commode ferre possint, in gravibus, tam ab internis, quam ab externis causis pendentibus vitiis, id quod etiam à me in peculiari dissertatione, *de magno venæ sectionis ad vitam sanam & longam remedio*, assertum est ac demonstratum. Neutiquam tamen ex his eliciendum: senibus debilibus & languentibus, qui appetentia ciborum carent magnaque debilitate ventriculi & intestinorum laborant, suadendam vel commendandam esse venæ sectionem, minime omnium vero, si cum morbo diuturno chronico conflictantur.

Theorema V.

Venæ sectio in febribus continuis & acutis utplurimum & necessaria & utilis admodum est.

Scholia.

I. Miror sane haud exigui nominis viros venæsectioni alias eximie patrocinantes, confidentius tamen afferere: eandem in omnibus febribus acutis, benignis & malignis, exanthematicis, vel minus talibus, nunquam esse necessariam, sed semper fere noxiam unica tantum synocha excepta, nec in hac etiam absolute, sed tum demum, quando eminens plethora orgasmo stipata eandem exposcat. Dicunt quidem: frequentius observatum esse, admissa sub initium hujus febris sanguinis missione, periculosas circa statum sanguinis metastases & congestiones ad caput esse consequutas, lethalem phrenitidem cum convulsionibus inducentes. Autumant quoque, naturam corporis humani œconomiam magna semper cum sapientia regentem, his in febribus non sanguinis mole peccantis vacuationem, sed potius ejusdem per intensiorem calorem in serum excrementitium resolutionem cum materiæ noxiæ sequestratione, intendere; eaque propter contra naturæ institutum ac finem sanguinis eductionem adornari, & naturam in saluberrimo secretionis negotio turbari. At vero & ratio & constans experientia huic asserto refragatur. Plures certe novi juvenilis & virilis ætatis vegetos & sanguine plenos hisce febribus correptos, qui omissa venæ sectione, intra paucos dies phrenitide, inflammatione ventriculi, faucium, vel etiam peripneumonia obierunt; ubi post mortem totum corpus mirum intumuit & ipse ichor sanguineus largiter è naribus manavit, fœtor quoque mox gravissimus cum putredine successit, nullam aliam ob causam, quam ob inflammatoriam sanguinis in partibus stasin. Vicissim multiplici observatione confirmatum habeo, unicam vel etiam repetitam sanguinis in acute febrientibus missionem, non modo anxietates, sed & alia sæva symptomata imminuisse, vel plane sustulisse. Ut taceam Gallorum morem, qui in omnibus febribus non semel, sed bis vel aliquoties, venam cum bonis ægrorum rebus pertundunt. Metastases vero sanguinis ad caput circa tempora critica venæ sectionem ciere, fallacia causæ ut causæ videtur. Nam licet phrenitides & convulsiones malo successu febre acuta laborantibus sæpe accidant, eodem tamen modo, immo frequentius id evenit, ubi venæ sectio omissa, quam ubi admissa. Et quum omnes fere in febribus acutis, phrenitide & convulsione pereant: certe si venæ sectio horum causa, intermissa eadem, non facile quemquam acute febricitantem interire, prona fluit consequentia.

II. Ego potius neutiquam asseverare dubito, sanguinis missionem in febribus acutis sæpissime utilem esse admodum ac necessariam. Etenim qui acutis corripiuntur omnes plus sanguinis & humorum abundantia, quam defectu laborant. Jam vero in comperto est, febris essentiam maxime in intensione toni & spastica quadam constrictione universi generis vasorum & fibrarum, à qua etiam & progressus sanguinis & caloris ac æstus incrementum dependet, consistere, notum porro est, spasmo vasorum alveos angustari, calore autem succos expandi majusque spatium affectare; ideoque redundans & exæstuans cruor libero per sanguifera vasa transitu excluSus, non potest non impetuose huc & illuc agi & ad vasa minoris diametri, quæ sanguinem secundum naturam non admittunt, tanquam loca incongrua pelli inque eorum angustiis obhærescere ac stasin concipere, unde periculosæ inflammationes, nonnisi tempestiva sanguinis detractione feliciSsime præscindendæ. Uberius hoc patet peritissimorum in arte virorum testimoniis. Ipse artis parens *Hippocrates*, *de vict. acut.* §. 5. in acutis sanguinis missionem serio commendat. Quin Veteres in ejusmodi præcipitis periculi morbis sanguinem ad animi usque deliquium subtrahebant, uti potissimum auctor est *Galenus lib. I. de rat. vict.* perhibens: hujuscemodi missionem sanguinis non tentandam esse nisi in acutissimis morbis, iisque in quibus robustæ vires, florens ætas, plurimus sanguis, regio, aër & anni tempus bene temperata, quales morbi existunt febres ardentissimæ, dolores sævissimi maximæ viscerum inflammationes, carbunculi, synochus, lassitudo phlegmonosa, dolores articulorum vehementissimi. In his enim omnibus multo sanguine semel vacuato, statim quiescit calor, quibusdam alvus cietur, aut sudores moventur, & ita solvitur, aut saltim minuitur morbus, teste *Hollerio Comment. ad aphor.* 3. *sect.* 1. *Hippocr.*

Theorema VI.

In febribus etiam exanthematicis, petechialibus, purpuratis, variolis, morbillis, quin ipsa peste, venæ sectio non prorsus intuta, sed prudenter adhibita, magno interdum præsidio.

Scholia.

I. Haud levis momenti inter medicos viget dissensus: an in iis febribus, ubi pernicialis materia ad cutis superficiem appellitur, sanguis utiliter possit subtrahi? Complures affirmant, alii prorsus pernegant, utrique experientiam in partes advocant. Sed distinctio utique facienda & circumstantiarum rationi hujus remedii usus accommodandus. Nimirum ubi succi deficiunt, vires statim in principio elanguescunt, pulsus debilis, durus & parvus, vasa copiosa, sed angusta, vel etiam robur per animi afflictionem dejectum,

dejectum, verbo: ubi malignitas humorum, ut cum ſcholis loquar, præſto eſt, damnoſum magiſque ad perniciem, quam ſalutem ægri vergens molimen eſt, ſanguinem evocare. Etenim ad materiam non tam mole gravem, quam cauſticam, ſubtilem & virulentam, nervoſis partibus infeſtam, eliminandam, valida cordis & arteriarum motrix vis requiritur, quæ à ſufficienti ſanguinis & fluidi nervei influxu exſpectanda. Deinde ipſa hæc pernicialis materia expellenda nonniſi beneficio ſanguinis & humorum ad ſuperficiem corporis advehitur, ubi vaſa minoris diametri ſunt, facile concidunt & nonniſi vegeto appulſu replentur. Quod ſi igitur quis ſuccos & ſanguinem ubi jam deficiunt & robur languet adhuc ſubtrahere vellet: is certe grave afferret damnum & nihil aliud efficeret, quam ut materia hoſtilis intus remanens, inſtar veneni ſolidorum & fluidorum motum perverteret ipſamque mortem inferret.

II. Longe alia ratio eſt, ſi ob nimiam ſanguinis copiam ejuſque ab æſtu febrili rarefactionem, cordis & arteriarum tunicæ tam vehementer diſtenduntur, ut ſyſtole earum imminuatur ac ſufflaminetur, eaque propter ſanguis non vegete ac libere ad minimos cutis tubulos appelli ibique materia quæ in vitio eſt ſe- & excerni queat. Tunc utique ipſa ratio dictitat, evocata quadam ſanguinis portione, reſiduo ad validiorem circuitum viam pandi, reſiſtentiam tunicarum ſuccorum impulſui æquabilem ipſumque ſyſtalticum & diaſtalticum reciprocum motum revocari, quo fit, ut ſequeſtratio & evacuatio noxii quam optime & ex voto ſuccedat. Obvium hoc eſt ſæpiſſime in corpore juvenili & plethorico, ſanguineæ conſtitutionis, ſub diæta lauta & vinoſa, tranquillo etiam & quieto vitæ genere, aut ubi etiam ob intemperantiam animi affectuum excretiones imminutæ ſuccorum abundantiam genuerunt. Hujus habitudinis corpora, quando purpura, petechiis, catarrhali benigna aut maligna febri, vel etiam variolarum morbo laborant, intermiſſa venæ ſectione certo in diſcrimen adducuntur; contra ea omnia ex voto ſuccedunt, ſi plethora demta, liberior ſanguini conciliatur progreſſus.

Theorema VII.

Non pernicioſa, ſed quandoque admodum proficua eſt ſanguinis miſſio in febribus, apparentibus jam in cute exanthematibus.

Scholion.

Per manus quaſi tradita eſt opinio: efflorescentibus jam in corporis cortice petechiis, purpura, variolis & morbillis, nec ſanguinem mittendum, nec alvum ſubducendam eſſe, ne maligna ad habitum corporis relegata materia irreparabili cum damno ad interiora retrahatur. Quamvis vero hæc obſervatio non exigui ſit momenti, ipſaque experientia nitatur, non tentandam eſſe ſanguinis ſubtractionem, ubi natura, ut ſic dicam, in opere excretionis occupata, & ubi exanthemata non longam & fixam ſedem in cute habuerunt: nihilo minus tamen dantur caſus, ubi venæ ſectio comparentibus etiam efflorescentiis utilis eſt ac neceſſaria. Obſervavi enim in iis, qui purpura, ſive primarius, ſive ſecundarius morbus fuerit, variolis vel morbillis perierunt, vehementes ſpaſmos, tam in artubus & partibus extremis, quam etiam abdomine, quos ob cutim contractam, non modo exanthematum retroceſſio, ſed & ſumma anxietas, corporis jactatio & ſæpius delirium cum animi deliquio fuerunt inſequuta; quæ omnia lethifera ſymptomata non tam, ut vulgaris fert ſententia, à materia exanthematica interiora repetente, quam potius à ſanguinis impetu & congeſtione ad cor ac cerebrum facta, acceſſerunt. Hinc ſola ratione ductus, quatuor intra anni ſpatium puerperas, purpura laborantes, conclamatis propemodum rebus, ſola ſanguinis è vena brachii emiſſione, per DEI gratiam à præſentaneo mortis periculo vindicavi. Simul ac enim ſanguini exitus conceſſus, protinus præcordiorum anxietas animique defectio evanuerunt & melius ſeſe habuerunt ægrotantes, ſumma cum Chirurgi & adſtantium, mortem ſub ipſa operatione præſagientium, admiratione. Eadem ratione in juvene, periculoſe variolis laborante, cum imminens delirium & ingens præcordiorum anguſtia mortem prænunciarent, venæ ſectionem in brachio ſummo cum ſanitatis emolumento inſtitui juſſi. Neque hæc aſſertio clariſſimorum medicorum deſtituitur conſenſu, quos inter primo loco memorandus ſummus venæ ſectionis patronus, *Botallus*, qui *lib. de venæ ſect. pag.* 150. *ſeq.* teſtatur: ſe in bubonibus peſtilentialibus & aliis exanthematibus, ſi febris non remiſerit, ſummo cum fructu ſanguinis miſſionem ſuaſiſſe; ut *Muraltum*, qui *Dec. II. Ao. VII. obſ.* 115. *M. N. C.* venæ ſectionem in febre epidemia, papulis per corpus ſparſis, ſalutarem annotavit, alioſque prætereamus.

Theorema VIII.

In morborum & febrium paroxyſmis atque exacerbationibus venæſectio non ſine periculo, die autem intercalari vacuo utiliter inſtituitur.

Scholion.

In paroxyſmis febrium intermittentium, in epileptico, hyſterico, nec non hypochondriaco inſultu, & quandocunque extrema frigent, vel interni calores & anxietates ægrum exagitant, admiſſa venæ ſectio ſymptomatum vehementiam non modo acuit, ſed & mortis periculum arceſſit. Ratio hujus phænomeni in proclivi. Etenim morborum & ſymptomatum exacerbationes nunquam non ſpaſmi partium, præſertim externarum, ventriculi quoque & inteſtinorum comitantur, quibus ſanguinis liber curſus intercipitur isque majori impetu ad vaſa majora, pectus præſertim & cor urgetur. Si quis itaque in brachio vel pedibus, ubi omnia ſpaſmo conſtricta ſunt, ſanguinem evacuare inſtituat; is certe vehementiam ſpaſmorum his in partibus augebit. Nam quo largius atque uberius ſanguis his partibus ſubtrahitur, eo plus incrementi capit ſpaſtica fibrarum contractio; quum nihil ſit, quod ſpaſticæ huic criſpaturæ & regurgitationi ſanguinis ad interiora magis reſiſtat, quam validus cordis & arteriarum impulſus & liberalis ſanguinis renitentis ad partes affluxus. Hinc utique differre oportet ſanguinis ſubtractionem in diem intermiſſionis, vel remiſſionis, quo ſpaſmus conquievit & liberior ſanguinis ad partes affluxus reſtitutus. Eſt tamen ubi etiam ipſo in paroxyſmo ſpaſtico venam aperire inſigniter conducit, non quidem in partibus ſpaſmo affectis, ſed iis ad quas ſanguis maximo impetu graſſatur. Sic ſæpiſſime contingit, ut à ſpaſmo partium abdominis, immo pedum, qui frigore horrent, ob incuſſum terrorem, aut aliam cauſam, ſanguis ad pectus & caput impetuoſe agatur ipſamque apoplexiam vel ſuffocationem minetur; quo in caſu utiliſſime & cum præſentaneo levamine

vena non partium inferiorum, ſed ſuperiorum in brachio, pertunditur.

Theorema IX.

Datur levior apoplexiæ ſpecies, quam ſola tempeſtiva ſanguinis miſſio diſcutit.

Scholia.

I. Quando vel ex vehementiori animi affectu, præſertim terrore, vel graviori inferiorum partium ſpaſmo, ſanguis cum impetu ad caput latus, vaſa membranarum cerebri arterioſa copia ita diſtendit, ut motus eorum ſyſtalticus ſufflaminetur, ſpecies fit apoplexiæ levioris. Eſt hic affectus fœminis ſic dictis hyſtericis, ſanguine plenis & ſenſibilioris corporis ac animi admodum familiaris, & à vulgo & imperitis medicis pro animi deliquio venditatur, à quo tamen longe multumque differt. Etenim ſub animi defectione cordis & arteriarum pulſus filet, facies pallida eſt & ſpiritus plane intercluſus: in apoplectico autem hoc leviori inſultu, omnis, ſenſuum tam internorum, quam externorum, uſus perit, membra immota jacent, cor vehementi palpitatione concutitur, pulſus magnus & celer micat & facies intumeſcit ac rubore ſuffunditur. Neque tamen mitior hæc apoplexia oritur à diſruptis vaſis, quod incurabile malum, neque à ſeri ſeceſſu, qui in paralyſin terminatur, ſed à ſola ſtagnatione ſanguinis in canalium nimis diſtentorum alveis ſubnaſcitur. Compertum enim ex anatomicis eſt, arterias carotides & vertebrales etiam, quamprimum calvariam ſubeunt & per cerebri membranas excurrunt, craſſiores ſuas tunicas, quibus alias in toto corpore arterioſa vaſa veſtita ſunt, deponere; eaque propter non mirum eſt, à copia & impetu ſanguinis ad cerebrum delati, vim eorum contractilem elaſticam, cujus beneficio ſanguis ulterius in venoſos capitis ſinus protruditur, minui & ſolvi, ſicque ſublata carotidum ſyſtole, cruorem in vaſis membranarum cerebri plexuque choroideo nimium diſtentis ſtagnare & hinc ſequeſtrationem atque influxum liquidi nervorum, à quo motus & ſenſus, intercipi iſtudque in motu ſiſti. Quæ quum ita ſint, jam facile liquet, ad reſtituendam ſyſtolen, ſanguinis per caput liberum progreſſum & liquidi in nervos influxum revocandum, vix præſtantius & aptius dari auxilium, ſanguinis ſufficiente, ex aperta amplo foramine brachii vena, detractione; ita enim intra breve temporis ſpatium mens, ſenſus motuſque corporis ad officium redeunt.

II. Perperam autem ægrotantium ita affectorum rebus & ſaluti conſulunt, qui ob minus perſpectas hujus mali cauſas, venam in extremitatibus inferioribus aperire ſuadent, quia hæ partes plerumque in ejuſmodi acceſſione ſpaſmo conſtrictæ, frigidæ & à loco affecto nimis remotæ ſunt, quo ipſo impeditur, quo minus ſanguis commode derivari queat. Quin aliquoties obſervavi, in corporibus, ubi totum nervorum ſyſtema ad ſpaſticas contractiones valde proclive & extrema ſemper erant frigida, à venæ ſectione, eaque parciori, intra aliquot horarum decurſum vehementiam ſpaſmorum in inferioribus magis increviſſe; qua poſtea ſanguis ad caput impetuoſe propulſus, inſultum quem deſcripſimus, apoplecticum peperit, adeo ſubinde invaleſcentem, ut niſi tempeſtiva ſanguinis miſſione fuerit diſcuſſus, ægrum jugularit, aut minimum paralyſi memoriæque debilitate affecerit.

Theorema X.

Morbi capitis à ſanguinis congeſtione vaſorumque diſtenſione oborti exigunt venæ ſectionem, in vicinis tamen partibus inſtituendam.

Scholia.

I. Vehemens & contumax capitis dolor, narium frequens ſtillicidium, inſania melancholica, vertigo, ophthalmia, capitis eryſipelas, nec non laryngis & pharyngis inflammationes, ſæpiſſime ortum trahunt à ſpaſmis, nimia ſanguinis ad ſuperiora congeſtione & gravi vaſorum diſtenſione, præſertim in hypochondriacis, vel ubi ventriculus cum inteſtinis flatibus & ſcybalis turgent, vel ſpaſticis conſtrictionibus laborant, quibus liber & æquabilis ſanguinis circuitus intercipitur, ut magna copia & impetu ad alias partes, maximeque caput, ruat ibidemque morbos hos inducat. Et tum quidem ad derivandum ſanguinis impetum omneque arcendum periculum, in loco capiti vicino, fronte ſcilicet, temporibus, ſub lingua, item in collo, ſecare expedit.

II. In gravi quidem cephalalgia, ophthalmia, angina, venæ ſectio ſub lingua ſemper utiliſſima; in phrenitide vero, melancholia & capitis à cauſa interna dolore, vena jugularis externa commodiſſime aperitur, aut ſi hæc ab imperito Chirurgo inveniri non poteſt, vena ſecundum longitudinem frontis exporrecta, quæ jugularis externæ ramus, collo prius ſub mento conſtricto & ſpiritu retento, pertundenda. Solennis jam fuit hujus frontalis venæ inciſio antiquiſſimis temporibus, teſte *Hippocrate*, *Sect. V. aph.* 68. ſic perhibente: *parti capitis poſteriore laboranti in fronte excurrens vena inciſa prodeſt.* Confirmat hoc *Hollerius comm. in h. a. conſtat*, inquiens, *experientia, quod hac phlebotomia multi derepente à capitis dolore liberantur.* *Alexander* quoque *Trallianus lib. I. cap.* 13. mirifice in phrenitide ſanguinis è vena frontis miſſionem commendat, eademque phreniticum momento ſe curaſſe teſtatur: & *cap.* 16. *de melancholia* ſcribit: *ſi humoris ſanguinei materia cerebro impacta fuerit, tunc audacter vena in fronte ſecatur: nam ob totius corporis vacuationem, ſi loco jam remedia adhibeas, nihil nocebis.*

III. Licet ſectio venarum capitis, in fronte, pone aures, jugularis externæ, ſublingualis, in morbis qui caput gravius offendunt, experientia teſte, eximiam conferat opem; id tamen non univerſale eſt, neque omnibus omni tempore convenit, ſed ſimul conſideranda eſt ipſius corporis conſtitutio. Nam ſi ejuſmodi capitis morbis magna vaſorum plenitudo juncta, vel etiam ſpaſmi vehementiores in inferioribus, ſanguinem ἀθρόως & cum impetu ad caput urgent, verendum eſt, ne dato per apertam ibi venam vacuo ſpatio, major cruoris copia eo invitetur. Quapropter Veterum peritiſſimi, unanimi ſuffragio ut vena ſimul in brachio vel pede ſolvatur, ſuadent. Sic *Trallianus lib. I. cap.* 16. *ſi*, præcipit, *circa caput aliquid moliri cogites, priuſquam totum corpus recrementis liberum reddideris, offendes magis, quam juvabis, copioſiorem materiam ad locum affectum attrahens.* Neque minus *Hollerius comment. in alleg. aphoriſm. ſi dolor eſt*, ait, *in capite cum corporis plenitudine, oportet primum cubiti venam aperire, deinde ſecare venam frontis; ſi nulla adeſt plenitudo, tuto venam frontis ſtatim ſecabimus; ſique dolor capitis eſt per conſenſum, v.g. à ſuppreſſis menſibus, primum ſecanda eſt vena malleoli,*

malleoli, deinde cubiti, tum frontis; ſi cœperit dolor à diaphragmate aut hepate, aperienda vena cubiti, poſt veniendum ad frontem; & quas plures adhuc de inciſione ipſa tenendas cautiones ſubjicit.

IV. Ad ſectionem venarum, quæ linguæ ſubſtratæ ſunt, in angina, quod attinet; pariter notandum, & eandem cum periculo in corpore plethorico tentari, niſi plethora prius per apertionem venæ in brachio ſoluta fuerit. Obſequendum itaque eſt conſilio *Tralliani*, quod *lib. IV. cap. I. de angina*, proponit: *ego* inquiens, *ſane novi, cum uſus valde urgeret, me venam cubiti mane aperuiſſe, diluculo linguæ ſubjectas ſecuiſſe, & veſperi ex cremore ptiſanæ lacrimam ſcammonii exhibuiſſe, atque ita anginam percuravi.* Pergit deinde: *novi etiam jugulares venas à me ſectas eſſe, cum linguæ ſubjectas non invenirem, ac plurimum adjuviſſe.*

Theorema XI.

In morbis pectoris, ut pleuritide vera & peripneumonia, inciſio venæ in brachio ſæpe ſumme eſt neceſſaria.

Scholion.

Vtut pleuritis ſpuria, quæ rheumatiſmi, ſive doloris arthritici ſpecies eſt, à ſero acri intra membranam pleuræ, coſtas cingente ſuborta, non ſemper ſanguinis miſſionem poſcat, ſed ſæpe ſola diaphoreſi feliciſſime tollatur; longe tamen alia ratio eſt pleuritidis veræ & peripneumoniæ, quatum illa nonniſi levior, hæc profundior pulmonum inflammatio eſt, à ſtaſi ſanguinis firmius impacti pulmonum vaſis prognata. In his enim utique ſanguinis ſubtractione, quin non una, ſed quandoque ſi corpus ſanguine diffluit & plethora urget, reiterata opus eſt, ad incrementum inflammationis impediendum, quod fit, quando ſanguis nimium in vaſis congeſtus, ſtagnans & progreſſu libero excluſus, per proximum locum ad meliorem derivationem ex inciſa vena evocatur, & quidem facta paulo ampliori inciſione, quo eo citius & promtius impetu acquiſito deſcendere & à pulmonibus derivari poſſit.

Theorema XII.

Triplex venæ ſectionis eximius uſus, evacuatorius nempe, revulſorius & derivatorius.

Scholia.

I. Evacuatorius venæ ſectionis uſus dicatus eſt minuendæ ſanguinis plenitudini, & hoc propoſito, nihil intereſt ex quacunque parte ipſum detraxeris. Derivatio ex uſu eſt ad ſanguinis fluxum ex parte affecta in alia loca opportuna adducendum & invitandum, quo ibi evacuetur. Sic in affectibus qui abdomen excruciant ſpaſticis, flatulentis & qui à fluxu menſium & hæmorrhoidum impedito vel ſuppreſſo eveniunt, tutius ſecatur vena pedis, quam brachii, ad derivationem. Hinc recte *Hippocrates lib. de nat. hum.* §. 20. inculcat: *oportet venæ ſectionem in doloribus dorſi & coxendicum in poplitibus & malleolis efficere.* Et *Severinus de efficaci medic. cap. 26. p. 62.* tradit: in dolore nephritico præcavendo, in promovendis hæmorrhoidibus, purgatione lochiorum, in ani inflammatione & prolapſu, in ſanguinis vomitu, in iſchiatide venam pedis ſecari quam feliciſſime. Contra ea in affectibus capitis, apoplexia, lethargo, mania, melancholia, phrenitide, catarrho ſuffocativo, aſthmate ſanguineo, hæmoptyſi, pleuritide, peripneumonia, inflammatione hepatis ſpuria, ſanguis mole & influxu peccans ac cito derivandus felicius & utilius ex proximiori loco, brachio nempe, exantlatur. Revulſio vero, ſeu potius avulſio, fit, quando ſanguinis impetus ex partibus inferioribus ad ſuperiores, ſurſum quaſi retrahitur, ſive revellitur. Ita in nimio menſium vel hæmorrhoidum fluxu utiliter vena ſecatur in brachio. Idem commode fit in gravidis ad abortum præcavendum, ſi vaſa uterina à ſanguine nimium infarcta & diſtenta ſunt, ut pondus uteri deorſum tendentis, inferioribus quodammodo moleſtum fiat & oneroſum.

II. Vſus venæ ſectionis derivatorius & revulſorius caute atque prudenter adminiſtrandus. Nam ſi obſtructiones vaſorum à ſanguine impacto ſubmovendæ, non adeo largam, ſed parciorem ex loco vicino portionem ſubtrahere expedit, quod reliquus ad partem laborantem majori impetu ruat, & obhæreſcentem in minimis vaſculis elidat; eo quod à parciori ſanguinis miſſione reſtitans in venis majorem à celeritate vim acquirit. Hinc eſt, quod apertio venæ ſaphænæ non raro menſium fluxum in momento reſtituat & hæmorrhoidale ſtillicidium ſegnius inciſione venæ in pede promoveatur & expeditius reddatur; quum contra ſubtracto in manu vel etiam in pede nimio ſanguine, ſæpe effectus obtinendi deficiant. Si morbus vero eſt inveteratus & tanta vaſorum obſtructio, ut tolli nequeat; tum in corpore plethorico apertio ſaphænæ plus nocet, quam prodeſt, quia ſanguinem verſus uterum uberius allicit, ut major vaſorum obſtructio inde naſcatur. Neque in hemicrania, ſeu capitis dolore contumaci, vertigine chronica, melancholia, venæ ſectio in fronte quippiam adjumenti afferre poteſt, quia major inde ſanguinis ad caput affluxus proritatur & vaſa membranarum cerebri obſtructa magis infarciuntur, ſed præſtat tunc ſanguinem ex inferioribus ducere. In malo iſchiatico recenti venæ ſectio in pede præſentaneum ſæpe conciliat levamen, in diuturno vero malo neutiquam, ſed incremento favet. Tutius itaque, ſi corpus ſuccis & ſanguine farctum, cum *Hollerio Commentar. in Sect. IV. aphor. 36.* primum venam ſecamus in brachio, deinde iſchiaticam, ut non in uno, ſed in diverſis locis ſanguis revellatur. Ac ibidem apprime ad veritatem hic auctor ſcribit; quod in dyſuria, ſi fit ab infarctu renum à ſanguine, item in inflammatione veſicæ, primum incidenda ſit vena brachii, deinde etiam ſtatim ſubjungenda ſaphæna in malleolo, aut poplite. Ex quibus omnibus plenius innoteſcit: in loco admodum vicino ſectionem fieri poſſe, ſi morbus eſt recens & cauſa mobilis, neque adeo magna vaſorum plenitudo; ubi vero diutius traxit ægrum, vel corpus nimium ſanguine redundat, tum prius in remotioribus partibus, deinde in vicinis, venas aperire convenit.

Theorema XIII.

Multum intereſt ut juſta ſanguinis quantitas evacuetur & quandoque reiterata venæ ſectione opus eſt.

Scholia.

Aetate adoleſcentes, vel tenerioris texturæ homines vaſisque tenuioribus præditi, & feminæ quæ facile incidunt in animi deliquium, ob largiorem ſanguinis miſſionem abſtinere ab ea debent, ſed potius, ſi venæ ſectione opus anguſtiore foramine, neque ſimul & ſemel, ſed plaga aliquoties digitis compreſſa, gradatim ſanguis

mittendus his est. Fœminæ vero post annum quinquagesimum, quo ordinario mensium fluxus desinit, largiorem postulant sanguinis extractionem, quod etiam valet in viris robustis, qui magna habent vasa, & ubi sub lauto vitæ genere consuetus hæmorrhoidum fluxus cessare incipit. Vernali tempore, præsertim Majo, corpora largiorem sanguinis è vena fluxum ferre possunt, quam tempore æstivo, vel autumnali: parcius vero sanguis venis eximendus est, in nimiis hæmorrhagiis, ut hæmoptysi, in enormi mensium vel hæmorrhoidum fluxu; neque etiam ante mensium ordinarium tempus multo sanguine corpus spoliare consultum, ne subsequuturus fluxus, vel plane cessaret, vel imminuatur.

II. In febribus omnibus inflammatoriis, item exanthematicis, si ob nimiam sanguinis copiam opus est ejus missione, curatius paullo circumspiciendum est, ut justa emittatur quantitas. Nam si sub nimia ejus abundantia tantum parva portio educitur, ad unam vel alteram unciam, expansione sanguinis orgastica inde magis sæpe increscente, nihil juvat, ut potius plus obsit, inflammatio inde augescat & exanthematum eruptio minime promoveatur; si vero supra modum & magis quam par est sanguis è vena hauritur, tunc pariter plus detrimenti, quam emolumenti affert; siquidem expulsio exanthematum, quæ per sanguinem ad summam cutim delatum fieri debet, impeditur, ut materia corrupta summa cum pernicie intus maneat. In peripneumonia & pleuritide nimia sanguinis detractio impedit expectorationem & discussionem inflammationis, quæ etiam mediante sanguine fieri debet. In rheumatismis, erysipelate, doloribus arthriticis vagis & fixis, etiam hæc observatio, ut justa sanguinis quantitas ad morbum curandum relinquatur, necessaria, id est, ne vel nimium vel adeo exiguum evacuetur.

III. Si plethora, tam ad vasa, quam ad vires, nimis urget, magna sæpe sanguinis portio, interdum ad libram unam medicam, ex venis exantlanda est, si vero parum extrahitur, sanguine majus spatium inveniente, plus ejus elater intenditur, magis expanditur, & sæpe majori cum impetu in affectam partem irruit. Obversantur adhuc animo nostro exempla, ubi in eminenti plethora per parvum foramen duabus tantum circiter unciis eductis, intra paucas horas insultus apoplecticus sequutus fuit, qui largiori venæ sectione in brachio, ad uncias octo, feliciter sublatus. Memini quoque à fluxu hæmorrhoidali, vehementia frigoris suppresso, in Principe plethorico summas præcordiorum anxietates fuisse subortas, ubi secta fuit vena in pede, qua non ultra quatuor uncias sanguinis emissum, consequente symptomatum exacerbatione, anxietatis scilicet præcordiorum, vigiliarum, inquietudinis, spirandi angustiæ, quæ tamen omnia repetita ad septem uncias sanguinis missione, & quidem in altero pede, protinus conquieverunt.

Theorema XIV.

Rheumatismos, catarrhos, coryzam, tussim, venæ sectio improvida sæpe gignit; tempestive autem admissa egregie arcet.

Scholia.

I. Observatio in praxi medica attenta sæpius nos docuit, à vena secta præsertim vere & autumno, tempestate non adeo placida & serena, complures post aliquot dies in graves catarrhos, coryzas, tusses, passiones rheumaticas & febres catarrhales incidisse, idque familiarissime, si non probe vestiti, corpus auræ frigidiori & humidiori, maxime vespertinæ, objecerunt. Id enim fere perpetuum est, sub paullo largiori sanguinis missione perspirationem minui, adeoque humores per tubulosum cutis corticem sub forma vaporis evehi solitos in interioribus quodammodo remanere: id quod frequentius evenit, si corpora sunt spongiosiora & vasis exilioribus prædita. Neque ratio hujus effectus adeo latet. Nam detracta notabili sanguinis portione, vascula, præsertim minora & extrema, antea sanguine distenta, nunc detumescere & vacua fieri incipiunt. Et quum exquisitus admodum & sensibilis tonus in subcutaneo integumento vigeat, fit, ut sub auræ frigidioris accessu, fibræ cutis elasticæ contrahantur ipsique tubuli sudoriferi sic occludantur, unde recrementa sudoris non modo in corpore remanent, sed & ab exterioribus ad interiora, præsertim faucium & bronchiorum loca glandulosa, vel etiam ad articulorum glandulas mucilaginosas, vel ad eorum ligamenta glandulosa, feruntur, ubi serum valde acre, salsum stagnans, molestas irritationes vasorumque constrictiones efficiens, cursum humorum liberum impedit, unde secessiones seri, dolores, ardores & copiosi humoris affluxus suscitantur.

II. Quemadmodum vero ex improvida vel nimia sanguinis emissione catarrhorum fons & origo promanat: ita crebriori observatu constat, venæ sectionem prudenter vere & autumno institutam & quotannis repetitam, complures à coryza, gravedine & tussi anniversaria liberasse; maxime eos, qui antea sanguinis copia laborarunt, nunquam tamen venæ sectionem admiserunt. Vernali enim tempore, ob majorem aëris rarefactionem & elasticitatem, turgent maxime sanguinea vasa, propter sanguinem à subtilioris æthers accessu magis expansum. Si itaque omittitur sanguinis, vel à natura, vel arte facta vacuatio, sanguinis & humorum in locis maxime laxis, mollibus, glandulosis promtæ ac faciles fiunt stagnationes, decubitus & seri secessiones; quæ omnia mala per opportunam sanguinis ventilationem præscindi possunt.

Theorema XV.

Colica flatulenta uti à venæ sectione nonnunquam exacerbatur; ita convulsiva & hæmorrhoidalis eadem sæpe levatur & abigitur.

Scholion.

Origo flatuum, qui intestina obsident atque molestе distendunt, pendet frequentissime ab intestinorum atonia, sive labefactato eorundem peristaltico motu. Nam sicut vigore hujus motus, & flatus, & alia in intestinis contenta, inferiora versus pelluntur: ita imminuto, vel destructo eo, ingens flatuum, præsertim in flexuris coli, circa hypochondria, proventus fit atque stagnatio. Hæc vero intestinalis atonia maxime originem suam ducit à defectu laudabilis fluidi nervei & sanguinei, quare senes itemque à morbo convalescentes, vel affectu animi diuturno debilitati, nec non homines phlegmate abundantes & infrigidantibus admodum cibis vescentes, colica frequentissime laborant, quæ non sanguinis imminutione, sed medicamentis carminativis, balsamico & aromatico elemento instructis, quam feliciter sanatur. Alia vero ratio est colicæ sic dictæ spasmodicæ, sive convulsivæ, quæ à sanguine inter tunicas intestinales hærente easdemque cum vehementia distendente nascitur, ubi sanguinis tempestiva è pede missio, non modo ab hoc calamitoso malo præservat, sed & illud

ipsum

ipſum præſentiſſimè mitigat, quod etiam *Riverius* jam *Cent. I. obſ.* 44. recte annotavit.

Theorema XVI.

Tam ante, quam poſt venæ ſectionem, quædam utiles tenendæ cautiones.

Scholia.

I. Non facile, niſi ſumma neceſſitate urgente, in ipſo æquinoctio vel ſolſtitio, in plenilunio etiam & novilunio, vel die pluvioſo & turbido, venarum ſectio celebranda eſt; ſed conſultius eſt, aliquot dies ante hæc tempora & die ſereno præſervationis cauſa hoc inſtitutum perficere, hanc maxime ob rationem, quia circa hæc tempora menſium fluxus ordinario incidunt & plures ex morbis ſpaſmodicis, paroxyſmi epileptici & qui hypochondriacis & melancholicis ſunt familiares, redire ſolent, ante quorum acceſſionem corpus à ſuperflua ſanguinis redundantia per venæ ſectionem liberare præſtat.

II. Conſultius ſemper eſt, præſertim ſi quis facile animo deficiat, non ventriculo vacuo, ſed juſculo ſumto, factoque paullo anguſtiori foramine, venæ ſectionem adminiſtrare.

III. Poſt ſanguinis per ſectam venam deceſſum, nec potu, nec cibo onerare ventriculum oportet, multo minus ſe inebriare, aut corpus frigido, vel humido aëri objicere. Crebra enim docuit experientia, plures hac ratione, Martio præſertim & Octobri, inprimis ſi corporis habitus fuit ſpongioſus, in coryzas, tuſſes, rheumatiſmos, febres catarrhales & pleuritidem ſpuriam incidiſſe; utpote per ſanguinis miſſionem eamque largam, perſpiratio non parum minuitur, eo quod ſubcutaneos & ſudoriferos tubulos fluidum eximie exhauſtum tanta mole non amplius accedens, eos non ita patulos atque apertos ut antea ſervat. Hinc aër frigidus accedens eos facile claudendo, humorumque curſum à ſuperficie corporis ad inferiora reflectendo, jam memoratos morbos inducit.

IV. Magis pro ſanitate eſt, primas vias ipſumque ventriculum à cruditatum copia & ſentina humorum, non per forte purgans, ſed laxativum, ante uſum venæ ſectionis liberare. Cavendum vero maxime in plethoricis à fortibus purgantibus tanquam veneno, eo quod operationem ſuam vehementiori inteſtinorum ſpaſmo exſerunt, eoque liberiorem ſanguinis progreſſum valde turbando, perniciales congeſtiones hinc inde in partibus ſæpe efficiunt.

V. In fœminis ob menſium fluxum, & viris hæmorrhoidum ſtillicidio obnoxiis, præſtat ſemper venam pedis aperire, ne ſanguis ab his emunctoriis divertatur: viri vero hæmorrhoidibus vacui, venæ ſectioni in pede non in totum aſſueſcant. Non ſemel enim obſervavimus, hæmorrhoides inde cœcas ſine fluxu fuiſſe proritatas, ad quas removendas venæ ſectio in brachio debuiſſet inſtitui.

VI. A miſſo ſanguine exquiſitior victus ratio tenenda eſt, neque protinus æger ad priſtinam diætam, perinde ut canis ad vomitum, redeat. Hinc majorem in modum deteſtandus eſt mos Germanorum, qui nunquam lautius edunt ac bibunt, quam ubi venæ ſectione perfuncti ſunt.

Theorema XVII.

Cucurbitulæ cum ſcarificatione vicariam ſæpe præſtant venæ ſectionis operam.

Scholion.

Placet inſignem locum ex ipſo *Celſo lib. II. cap.* 10. de uſu cucurbitularum cum ferro adducere, ſic habentem: *uſus cucurbitulæ præcipuus eſt, ubi non in toto corpore, ſed in aliqua parte vitium eſt, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem ſatis eſt. Idque ipſum teſtimonium eſt, etiam ſcalpello ſanguinem, ubi membro ſuccurritur, ab ea potiſſimum parte, quæ jam læſa eſt, mittendum; quod nemo cucurbitulam diverſæ parti imponit, niſi cum profuſionem ſanguinis eo avertit; ſed ei ipſi, quæ dolet, quæque liberanda eſt.* Quare in rheumatiſmis, præſertim quæ dorſum, ſcapulas & brachia occupant, in doloribus quoque artuum utiliter ſcarificatio fit ſat profunda, & ubi dolor preſſorius & conſtrictorius frigidus occupat, ſed quod notabile eſt, parcior ſemper ſanguinis quantitas ex læſa, quam ex ſana parte educitur. Ad dolores podagræ avertendos, nonnulli ſingulis menſibus, non ſine utilitate, ſcarificationem in planta vel dorſo pedis admittunt. In efflorescentiis & deformitate faciei etiam utiles ſunt ſcarificationes cum cucurbitulis, ad eliciendum & derivandum ſanguinem à facie. In cutis defœdationibus, ſcabie, non inutiliter in obeſis & ſpongioſo corporis habitu præditis, idemtidem adhibentur.

Theorema XVIII.

In acutis, ubi vires non patiuntur ſectionem venæ & celerem ſanguinis emiſſionem, præſtat paulatim & ſucceſſive eum, ſi opus eſt, per ſcarificationes & cucurbitulas evacuare.

Scholion.

Præclara ſunt hanc in rem monita apud *Celſum qui lib. II. cap. XI. opus eſt*, inquit, *cucurbitula in acutis quibuſdam, ſi & levari corpus debet & ex vena ſanguinem mitti vires non patiuntur. Idque auxilium, ut minus vehemens, ita magis tutum, nec unquam periculoſum, etiamſi in medio febris impetu, etiamſi in cruditate adhibeantur; ideoque ubi ſanguinem mitti opus eſt, ſi inciſa vena præceps periculum eſt, aut nobili in parte corporis vitium eſt, etiam huc potius confugiendum eſt; cum eo tamen, ut ſciamus, hic, ut nullum periculum, ita levius præſidium eſſe, nec poſſe vehementi malo, niſi æque vehemens auxilium ſuccurrere.* Ego in experientia fundatum quam maxime egregium hoc *Celſi* monitum deprehendi. Non ſemel enim, ſed ſæpius obſervatum à me eſt, morbos capitis, ut epilepſiam, vertiginem, inſaniam, motus artuum convulſivos, à ſecta vena ac celeriori & paullo largiore ſanguinis emiſſione, incrementum cepiſſe, & paroxyſmos ſequentes graviores redditos, idque maxime annotavi in ſenſibilioribus corporibus, juvenibus; contra vero eductionem ſanguinis per cucurbitulas quam optime ferre potuerunt & cum levamine malorum. Ratio mihi hæc videtur: quod vehementia ſpaſmorum in partibus affectis, cui valde ſanguis interius in vaſis reſiſtit, increſcat, ſi ſubito ipſis detrahatur. In acutis febribus, quando à congeſtione ſanguinis in capite metuenda eſt phrenitis, conſultius etiam eſt per cucurbitulas occipiti appoſitas ſanguinem detrahere, quam per venam cubiti ſectam. Ægyptiis medicis olim, ut refert *Alpinus de Medic. Ægypt. pag.* 79. frequenti in more poſitum erat, in omnibus acutis febribus, ubi ex rubore in facie, aſſiduis vigiliis, phrenitidem metuebant, venas intra nates ſcarificare, maxime in diebus criticis atque ab iis tepido aquæ dulcis balneo educi. Ubi vero in morbis celeri opus eſt auxilio & derivatione ſanguinis à parte laborante, v. g. in inſultu apoplectico, peripneumonia, inflammatione uteri, ſyncope cardiaca, quæ

quæ ab infarctu ſanguinis in corde fit, aut ſuffocationis periculo, parum opis præſtant cucurbitulæ, ſed potius circa locum affectum propius infligenda eſt plaga paullo amplior & ſanguis celeriter educendus.

Theorema XIX.

Cucurbitulæ locum habent, ubi à ſanguine vel ſero in parte quadam externa ſtagnante dolores, tumores, inflammationes vel alia vitia fiunt.

Scholion.

Hanc veritatem quoque egregie confirmat *Celſus l. c.* dum ait: *uſus cucurbitulæ præcipuus eſt, ubi non in toto corpore, ſed in parte aliqua vitium eſt, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem ſatis eſt.* Uſus enim ſcarificationis duplex eſt, vel evacuatorius, vel derivatorius, ille ad minuendam plethoram, hic vero ad extrahendam materiam corruptam & infixam utilis. Multi ex Veteribus & præcipue Ægyptii negabant, cucurbitularum uſum ad ſolvendam plethoram aptum eſſe remedium, ſed certis tantum locis & partibus afflictis imponebant cucurbitulas. Verum quando illæ ipſæ omnium regionum partibus, dorſo, brachiis, femoribus, cruribus apponuntur & paullo profundiores ac repetitæ fiunt inciſiones, ad uncias ſæpe duodecim educi poteſt ſanguis, ejuſdem ponderis, conſiſtentiæ, quam qui è vena extrahitur. Nam aliquoties fecimus experimentum, ſiccando ſanguinem per cucurbitulas elicitum, & invenimus tres partes ut in ſanguine per venam emiſſo fluidi, ad unam partem ſolidi, ut adeo vulgaribus in Medicina erroribus id accenſendum ſit, ſanguinem tenuiorem per cucurbitulas, craſſiorem autem per venas evacuari. Interim ad exhauriendam & divertendam materiam vitioſam, cucurbitulæ præ venæ ſectione eximiorem habent uſum. In mentem mihi veniunt aliquot exempla, ubi in dolore vehementi ſcapularum, in oculorum doloribus & fluxionibus acribus, gutta roſacea, tumore capitis eryſipelaceo, venæ ſectio in pede vel brachio admiſſa, nihil profuit, ſcarificatio vero in collo, occipite & pone aures, item appoſitio cucurbitularum in dorſo, egregium attulit levamen. Ægyptii in capitis, oculorum, aurium doloribus & fluxione, ophthalmia, lippitudine, item ad procurandum ſomnum, occipiti, collo & pone aures cucurbitulas applicabant, & profundioribus ſcarificationibus ſanguinem eliciebant, ut refert *Alpinus l. c.* ſed prius ſemper venam cubiti juſſerunt aperiri; quod conſilium utique in plethoricis non ſpernendum, ſed magni æſtimandum, etiam tunc ubi venæ faciei aut narium ſcarificandæ, in capitis vehementibus doloribus, vel inſania, ne ſcilicet major dato ſpatio ad has partes proritetur affluxus. Ad dolores podagricos avertendos ſcarificatio ſingulis menſibus in planta pedum egregie ex uſu eſt, ut vel in ipſa podagra ſcarificationis utilitatem *Cardanus lib. de art. parv. p.* 113. & *Platerus lib. II. prax. med. pag.* 717. aliquot hiſtoriis curatorum confirmet. Cæterum ad ſphacelum abigendum, ne ulterius ſerpat, ulcera quoque peſſima curanda, quam optime adſtruit *Severinus de efficac. Medic. lib. I.* ſcarificationis uſum. In menſibus & hæmorrhoidibus ſuppreſſis, etiam crurum ſcarificationes *Galenus de ſanguin. miſſion.* plurimum commendat, quæ locum habere poſſunt in iis, qui averſantur venæ ſectionem, vel ob vires cordis languidas, diſpoſitionem ad lypothymiam, & teneritudinem ætatis ſanguinis celerem ex aperta vena extractionem ferre non poſſunt.

Theorema XX.

Alius adhuc datur ſanguinem extrahendi modus per hirudines, ſive ſanguiſugas, à quibuſdam medicis mirum æſtimatas.

Scholion.

Antiquiſſimis medicorum hic ſanguinem per hirudines evocandi modus minus cognitus fuiſſe videtur; meminit tamen ipſius *Plinius hiſt. nat. lib. XXXII. cap.* 10. *diverſus*, inquiens, *hirudinum, quas ſanguiſugas vocant, ad extrahendum ſanguinem uſus eſt, quippe eadem ratio earum, quam cucurbitarum medicinalium, ad corpora levanda ſanguine, ſpiramenta laxanda judicatur.* Ex Arabibus quoque *Rhaſi* ſanguiſugarum uſus innotuit, & ex ſuperioris ævi medicis *Zacutus* maxime *Luſitanus*, nec non *Amatus Luſitanus* & *Mercatus* earundem appoſitionem mire collaudarunt, inprimis in morbis qui caput infeſtare ſolent, ut gutta roſacea, puſtulis faciei, capitis doloribus, præcipue rheumaticis, in vertigine, melancholia, angina & dentium dolore, in quibus eaſdem occipiti, collo & pone aures appoſuerunt. Neque etiam ipſe de ſalubritate evacuationis ſanguinis per hirudines dubito, ſed an major ab his, quam cucurbitulis ſcarificatis exſpectanda ſit utilitas, ego quidem non ſine ratione dubito.

Theorema XXI.

Hirudinum applicatio orificio ani in hæmorrhoidibus ſuppreſſis ac inde pullulantibus morbis, valde commendari ſolet.

Scholion.

Hic modus ſanguinem eliciendi ex venis ani per appoſitionem hirudinum, aliis mittendi ſanguinem methodis in morbis, qui ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis proveniunt, ut pathematibus hypochondriacis & quos ſecundum Hippocratem hæmorrhoidum fluxus ſolvit, ut phreneticis, melancholicis, hypochondriacis, nephriticis, iſchiadicis, his à quibuſdam præfertur de cauſis, quod hi morbi à ſtagnante in vaſis inteſtinorum, quorum exitus eſt in hæmorrhoidalibus, oboriantur ſanguine, qui longe facilius & propinquius evacuari poſſit & pars affecta liberari & levari per hirudinum ex ani venis ſuctum, ac ſi ſanguis in aliis locis mittatur. Neque etiam ego negaverim, quod hirudines dictis in morbis præſtiterint quendam uſum, præſertim ſi *Zacuti Luſitani*, nec non *Amati Luſitani* & *Mercati* obſervationibus fides habenda; an vero à ſanguiſugis effectus præſtantior exſpectari poſſit, quam vena ſecta in pede, vel ſcarificationibus profundis in cruribus, ego experientia deſtitutus certa fide aſſeverare nequeo. Nam vidi multoties in vehementibus & inveteratis hypochondriorum ſpaſmis, hirudines ſine effectu applicatas, vidi eaſdem levamen tantum ad tempus attuliſſe, vidi quoque ab earum appoſitione ad hæmorrhoides cœcas mali moris ulcera & fiſtulas procreatas. Deinde ingens ratio dubitandi, quod ex parte affecta ſanguinem hauriant hirudines, hæc eſt: quod ipſæ ex hæmorrhoidalibus externis, quum internæ lateant, ſugant, quæ exiguum, vel plane nullum commercium cum vaſis inteſtinalibus, meſaraicis & portæ ramis, in quibus tamen ſedes pathematum ſpaſmodicorum & hypochondriacorum, habent: in fluxu vero hæmorrhoidali, hæmorrhoides internæ ſanguinem ſtillant, & ob id ſi convenienti modo & tempore fluunt, vitiis ex ſtagnatione in ramis venæ portæ oriundis, apprime opitulantur.

CAPUT

CAPUT X.

De balneorum, pediluviorum & clysterum usu medico.

§. I.

Aqua simplex optima medicina.

TAnta est divini Numinis in procuranda hominum afflictorum salute benignitas, ut inter alia innumera, quæ in auxilium promta sunt remedia, simpliciſſima & ubivis fere obvia prostent, quæ & securitate, & efficacia, tum in morbis avertendis, tum expugnandis, aliis pretiosis, raris, arte etiam chymica operose elaboratis arcanis, longe superiora sunt; id quod omnes ingenui & periti in arte nostra viri ultro confitebuntur. Exemplo sit aqua communis. Hæc certe pura, omnis etiam materiæ salinæ vel terreæ expers, longe magis quam ullum aliud medicinæ universalis meretur nomen, utpote quæ in omnibus individuis, omnibus morbosis afflictionibus, tam internis, quam externis, acutis & chronicis, tam incomparabilem affert opem, ut nulla alia medicina huic æquiparari possit. Ipsi fontes calidi & frigidi salutiferi, quos provida & benigna natura nobis sponte largitur, laudatissimam suam quam exserunt in morbis, præsertim chronicis, debellandis efficaciam, humoris aquei bonitati, subtilitati & largiori hujus potui potissimum debent. Illa vero varii generis salia, quæ in sinu suo recondunt, tam neutra, quam alcalia, cum tenuissimo martis principio, vix aliud quippiam efficiunt, quam ut stimulum addant solidis corporis nostri partibus & tubulis, quo liquidum ingestum expeditius per vasa minima & excretoria ferri, humores tenaces, spissos dissolvere & excrementitias impuras salino-sulphureas partes temperare, diluere & è corpore evehere possit. Insusa quoque theiformia ex appropriatis pro ratione morbi speciebus confecta, quæ nostro tempore familiaris usus sunt, nec non lignorum & radicum decocta ex aqua, quæ in expugnandis longis & rebellibus morbis plurimum valent, præcipuam certe suam efficaciam ad fluidum illud aquæ elementum referunt, eo quod nec radices, herbæ & ligna in pulvere vel sub alia forma assumta, nec ipsa decocta, nisi diluta satis & diutius usurpata, salutarem exserunt effectum. Pariter ptisanæ, quas olim *Hippocrates* maximi fecit in morbis acutis, & lactis vel seri lactis cura in iis morbis, qui ex acrimonia succorum proveniunt, egregii omnino sunt usus; præcipuam autem suam virtutem à diluente suo humore unice mutuant.

§. II.

Tam externi usu.

Quod quidem quemadmodum de interno aquæ usu in propatulo est; ita eadem hæc aqua non minus externe etiam adhibita mirabiles plane & maxime salutares exserit effectus. Testatum id faciunt balnea & pediluvia, quorum præcipuum ingrediens & basis est simplex quidem aqua; nihilo minus tamen hæc sola, sine ullo alio additamento, modo aqua sit pura & levis, medicinalem longe saluberrimam præstant virtutem. Et certe balneorum aquæ dulcis usus in morbis præcipue internis & graviſſimis, priscis jam tum temporibus fuit quam maxime solennis, ut ex *Hippocratis, Galeni, Cælii Aureliani, Aretæi, Celsi & Tralliani* scriptis luculenter patet. Potissimum in graviſſimis capitis morbis, ut insania, sive cum tristitia, sive cum furore juncta, in atroci capitis dolore. Veteres summo cum fructu his utebantur balneis. Et *Alexander* quidem *Trallianus lib. I. pag.* 107. sic prodidit: *aquarum dulcium balneum, si quid aliud, melancholicis opitulatur, sed diutius in eo morentur atque desideant, si etiam æstus fuerit.* Idem confirmat *Aretæus lib. VII. pag.* 134. qui melancholicos in aquis sponte calidis sæpe commorari jubet, hanc subjungens rationem, quia raræ & molles carnes ad hujus ægritudinis remissionem maxime faciunt, quæ tamen siccæ & tensæ in melancholia laborantibus sunt. *Cælius* quoque *Aurelianus lib. I. de morbis chronicis pag.* 134. maniacis aquarum naturalium usum plurimum commendat. Et *Prosper Alpinus de Medicina Ægyptiorum pag.* 115. commemorat: melancholicos plurimos tepidis balneis perfecte sanatos esse. Pariter in renum calculo *Alexander Trallianus pag.* 543. 547. *it. Aretæus pag.* 118. si dolores valde urgent, insessus ad umbilicum usque mirifice commendant.

Veterum testimonio.

§. III.

Et auctoris experientia.

Ipse etiam multiplici experientia edoctus, plena testari possum fide, quod in morbis capitis graviſſimis debellandis, ut mania, melancholia, mentis stupore & torpore, somno inquieto cum terrificis insomniis, in hemicrania, vertigine, scotomia, dentium quoque atroci dolore & in gravioribus aliarum nervosarum partium doloribus, ut ventriculi cardialgicis, intestinorum iliacis & colicis, & qui à calculo renali proveniunt, balnea aquarum Toeplicensium, item insessus in aquam puram temperate calidam, etiam sub ipso paroxysmo & pathematum affliction, præsentissimum attulerint levamen. Tam efficax enim balneorum in complacandis doloribus & relaxandis spasticis stricturis est efficacia, ut quamdiu iisdem afflicti insident, omnes cruciatus & spasmi sileant, relictis autem illis, iterum accedant. Neque minus Veteres, teste *Celso*, & Ægyptii teste *Alpino l. c. pag.* 114. in omnibus febribus, tam continuis, quam intermittentibus, exceptis pestilentibus, familiariter & utiliter adhibuerunt balnea, non tamen in principio & statu, sed declinante impetu. Ipse quoque in quartana senum, diebus vacuis, emollientibus & nervinis balneis non semel sine fructu usus sum.

Ob virtutem spasmos relaxantem.

§. IV.

Humores derivantem. Perspirationem moventem.

Præter hanc autem fibras rigidas, tensas & spasmo constrictas emollientem & humorum ac sanguinis motum à capite & partibus superioribus ad alia loca determinantem & derivantem virtutem, balnea aquæ dulcis etiam egregie circulum sanguinis & humorum atque perspirationem per summam cutim promovent. Nam humiditate relaxant fibras & poros cutis, & calore suo expandunt sanguinem, majorem quoque cordis & arteriarum diastolen, quam in eadem proportione & gradu sequitur systoles, efficiunt, unde pulsuum & magnitudo & celeritas crescit & circuitus humorum acceleratur, hoc aucto, sanguis fluxilior fit & tenuior, ad extimos tubulos corporis summamque cutim promte fertur & difflatio atque exhalatio subtiliſſimarum sordium promovetur, quæ adhuc largior succedit, si quis statim à balneo concedit in lectum; eo quod circumfusæ aquæ gravitate vapores per spiracula exituri in balneo quodammodo coercentur ac reprimuntur, hac autem remota & absersa, in lecto ex apertis atque expansis tubulis magna seri copia prorepit, ut universum sæpe corpus sudore perfundatur.

§. V.

Et heroicorum operationem secundantem.

Porro balnea sive semicupia in eo peculiarem sibi vindicant efficaciam, quod usum & virtutem medicamentorum sic dictorum generosorum, in persanandis gravibus morbis, mirifice secundent. Notissimum enim est, thermarum, acidularum vel aliarum aquarum salubrium in longis & valentibus morbis potum, longe feliciorem effectum & successum sequi, quando interposito usu balneorum, quam si solus instituitur. Non minus, mirabilis thermarum Carolinarum & acidularum Egranarum indies conspicitur in affectibus, præcipue spasmodico-hypochondriacis & ubi systema nervorum valde imbecille & afflictum est; efficacia, quando finito potu, in thermas Tœplicenses laborantes concedunt, & iis temperatis convenienti modo & tempore utuntur. Sunt enim hæ valde leves subtiles & puræ, quod partim per explorationem cum instrumento statico, partim etiam per evaporationem, qua nihil fere solidi relinquitur, innotescit, eaque propter ob insitam hanc puritatem atque subtilitatem, magnam vim penetrandi in intima solidarum partium & fibrarum quæ tensæ & constrictæ sunt habent, easdemque relaxando & emolliendo ad naturalem statum reducunt.

§. VI.

Ut mercurialium.

In atroci lue Gallica ejusque immanibus symptomatibus abigendis, præparato prius per venæ sectionem, laxantia & sanguinem edulcorantia corpore, ex mercurio bene præparata & dextre applicata medicamenta, sive ad salivæ fluxum, sive ad sudorem movendum data, miræ sunt efficaciæ, quando sub eorum usu laborantes in balneum aquæ dulcis indies fere descendunt, postea lecto se committunt & sudorem exspectant.

Decoctorum sudoriferorum.

Decocta etiam radicum, lignorum & sanguinem depurantium ex aqua, in morbis cutaneis, doloribus, exulcerationibus & qui ab enormi humorum acrimonia oriuntur, longe felicius & citius desideratam exhibent operationem, si balneis interpolantur. Et certe dici vix potest, quam copiosas, crassas, pingues aquæ innatantes sordes mali odoris sæpenumero balnea ex intimis cutis tubulis eliciant.

Purgantium.

Si validioribus forsan etiam opus est purgantibus, vel etiam acrioribus urinam cientibus, tutius omnia illa præmissis balneis usurpantur. Veteres quidem in rebellibus admodum morbis multum ellebori albi usu præstitisse constat, sed nunquam eum facile adhibuerunt, nisi prius in balneum corpus fuisset demissum.

Etemeticorum.

Hoc enim modo non solum succi fluidiores & magis mobiles fiunt tubulique excretorii relaxantur, ut eo melius & minori cum molestia peccans materia educatur, sed etiam remissis solidorum fibris, omnis noxa drastici ejusmodi vehementes spasmos & stricturas inducentis pharmaci arcetur. Idem ex usu est assumtis vomitoriis, quibus Ægyptii, teste *Alpino de med. meth.* singulis mensibus ad præservationem, sed nonnisi in balneo, utebantur.

§. VII.

Uterinorum.

Quando morbi ex uteri vitio & ejus vasorum nimia atonia ac distensione orti curandi sunt, ut fluor albus, vel præcavendus abortus, vel concrementa carnea, polypum referentia, vel molæ, quæ crebrioris abortus causæ sunt, expelli debent, vel etiam si menses sufficienter fluunt ideoque in ordinem reducendi, certe ego nunquam non congruis internis remediis uterinis, emmenagogis, balsamicis & purgantibus, frequentem balneorum jungendum usum suadeo, cum exoptato semper successu. Medicamenta ex marte dextre præparata, liquida præsertim, item chinæ cortex, in infuso, vel decocto cum vino, leni sua balsamica adstrictione, tonum partium roborando in cachexia, in inveteratis intermittentibus febribus, in malo hypochondriaco, si ex motus peristaltici intestinorum debilitate provenit, eximium & saluberrimum præstant effectum; longe tamen tutior, longe felicior ab iis exspectanda erit operatio, quando corpus sub eorum usu movetur, aut crebrius balneo immissum mulcetur. Et hæc omnia multiplici experientia edoctus scribo.

Martium.

§. VIII.

Balnea aqua plici modo randa

Ad ejusmodi vero balnea non adhibendæ fontanæ, asperæ, graves & calcarea terra onustæ, sed leves, subtiles aquæ, cujus indolis est pluvialis, nec non fluvialis, post imbres maxime hausta. Optimæ quoque ad instruenda balnea aquæ censendæ, quæ promte sub lotura maculas ex linteis abstergunt, ex quibus legumina & olera facile penitusque mollita coquuntur, quæ parum vel nihil materiæ post evaporationem relinquunt, & herbæ thee aliisque fervide infusæ easdem expedite recludunt & extrahunt. Quod si vero tales haberi nequeunt, utique arte illas corrigere & molles efficere oportet, id quod optime fit, adjecta portione lixivii, vel saponis Veneti, aut affusa quantitate lactis, aut quando decoctum furfurum triticeorum, item florum chamomillæ, nec non foliorum, florum & radicum liliorum alborum, ipsis commiscetur. Veteres uti patet ex *Cælio Aureliano pag.* 575. olea adjiciebant, & ad sopiendos dolores, item ad ischuriam curandam, quæ fit à spasmo & strictura orificii sphincteris vesicæ, ejusmodi balneis utebantur. Et sic concinnata emollientia balnea egregiam profecto opem ad facilitandum partum, præsertim in primiparis, ætatis paulisper adultæ & siccioribus, ultimis gestationis mensibus adhibita, conferunt. Pariter in atrophia dorsali infantum, item in rachitide eximia splendent facultate, eo quod, tubulos partium obstructos & constrictos adaperiunt, succum nutritium fluidiorem ac ut ejus æquabilis & liberior fiat ubique dispensatio, efficiunt.

§. IX.

De balneis roborantibus naturalibus martialibus.

Alia illorum naturalium balneorum est ratio, quæ ob principium martiale subtile quod recondunt, non emolliunt, sed potius partes roborant ac firmant. Innotescunt jam passim in Germania ejusmodi martiatæ aquæ, eoque nomine haud exiguam celebritatem nactæ sunt Freyenwaldenses in Marchia, Bebranæ in Thuringia, Radebergenses & à nobis detectæ Lauchstadienses in Misnia, Eppacenses & Weissenburgenses in Franconia. Omnes hi fontes levem quidem atque subtilem aquam vehunt, ob tenuissimum tamen martis sulphureum crocum, quem etiam si diutius quiescunt deponunt, & cum quo lintea in balneis, nec non injecta ova, flavo colore imbuunt, saporis sunt paullo adstrictivi & interne etiam in iis morbis in quibus martialia locum inveniunt, à perito medico cum fructu possunt usurpari. Longe tamen magis externus eorum usus in balneo celebratur, quam maxime proficuus iis, qui corpora habent phlegmaticæ constitutionis, spongiosi fibrarum sunt habitus, vasaque copiosa & exilia gerunt. Sunt quoque ex usu ubi humores ob lentiorem sanguinis cursum facile spissescunt, sordescunt & scorbuticam impuritatem contrahunt, unde languores, dolores rheumatici, arthritici, item tumores œdematosi, contracturæ quoque & imbe-

imbecillitates ac refrigerationes artuum, fœcundo pullulant germine, quibus omnibus hæc roborantia balnea, ob principium tenue sulphureum martis, quo tonum ac robur languentibus partibus addunt & fibras laxas nimis adducunt, egregie opitulantur. Et licet ea adstringentium horum martialium balneorum natura sit atque conditio, ut nonnisi tepida & admodum temperata adhiberi debeant, & calore intensiori corpus mirum offendant, sanguinem commoveant & dolores capitis partiumque languores inferant; nihilo minus quando corpus post tepidum ejusmodi lavacrum, in quo superior ejus pars plus friget, quam calet, illico lecto committitur, incalescit, pulsus validius vibrat & sæpe ex toto corpore, cum insigni virium incremento & externarum partium robore, sudor diffluere solet.

§. X.

De balneis roborantibus artificialibus.

Accedunt balnea mitius roborantia artificialia, quæ nempe injectis & incoctis aquæ levi ac puræ speciebus cephalicis & nerveis amicis concinnantur & pariter eximia splendent efficacia. Usurpantur ad hæc balnea conficienda, inprimis folia lauri, herba melissæ, abrotani, majoranæ, origani, serpilli, thymi, rorismarini, hyssopi, hormini, menthæ crispæ, nepethæ, pulegii, matricariæ, flores chamomillæ vulgaris & Romanæ, quæ omnia sacculo inclusa, adjectis aliquot salis communis & cinerum clavellatorum manipulis, cum aqua leniter decoquuntur. Medicata ejusmodi corporis in solio lavacra saluberrima sunt in affectibus paralyticis, impotentia atque imbecillitate artuum, corporibus imbecillioribus, cachecticis, frigidis, senibus, ubi vires à morbis fractæ & nervi & ligamenta artuum quadam laborant atonia. Neque minus insigni cum fructu usurpantur in omnibus uteri morbis, qui post abortum, partum difficilem vel etiam puerperium impetunt, nec non quando uterina compages nimia humiditate diffluit, vel plane liquor viscidus albus ex muliebri sinu stillat & inde sterilitas est; promovent quoque egregie cohibitum mensium, & in viris hæmorrhoidum fluxum.

§. XI.

Et vaporosis.

Aliud genus balneorum est, quæ audiunt vaporosa, sive Laconica. In his vapores, sive sicci calidi, ex accenso vini spiritu halantes, sive calidi humidi, ex decoctis herbarum cum vino vel aqua surgentes, immediate ad universum corpus, vel ad certas duntaxat ipsius partes, admittuntur. Est autem calidorum ejusmodi halituum maxima vis ad eliciendum sudorem, tubulos subcutaneos aperiendos, partes duras emolliendas rigidasque ac tensas laxandas, nec non tenaces viscidos humores dissolvendos, & solis calidis aqueis tantum vaporibus durissima animantium ossa & cornua emolliri posse, vel coquis & pharmacopœis notum est. Hinc vaporosorum balneourm usus longe eximius in frigidis morbis, anasarca, tumoribus œdematosis, membris paralysi tactis, atque etiam lue sic dicta Gallica, item in tumore testium, ad prolapsum uteri, vel ani reprimendum, & pro diverso morbi statu & conditione ex variis concinnantur speciebus. In molestissimo illo dysenteriæ fere perpetuo comite, tenesmo, vapores ex lacte & floribus sambuci præsentaneum afferunt levamen. Utiles quoque sunt ejusmodi vapores seu fotus ad hæmorrhoidum fluxum proritandum, ante hirudinum appositionem necessarii. Et quia egregie orificia venarum uterinorum muco obsessa expediunt, ubi mensés difficulter exsolvuntur, summo cum fructu adhibentur.

§. XII.

Cautelæ in balneorum usu.

Quemadmodum vero unumquodque, quantumvis præstans remedium, imprudenter minusque circumspecte usurpatum, salubri destituitur effectu; ita etiam balneorum improvidus & sine exquisita cautione administratus usus, plus nocet, quam prodest. *Galenus* quidem tria hanc ob causam in balneis observanda præcipit, ne qui balneantur aliquo pacto horreant, ne ullum viscus imbecille habeant & ne multitudo crudorum humorum in primis viis adsit. Potiora autem in balneorum usu tenenda momenta huc redeunt. Nimirum antequam eadem administrantur, semper prius solvenda est plethora alvusque libera reddenda; alias ab æstu lavacri gravia damna à congestionibus sanguinis ac humorum ad pectus & caput inde metuenda. Deinde cavendum maxime, ne nimio lavacri calore corpora adeo exæstuentur & quasi elixentur, ut sudore prorsus diffluant; hoc enim facto, ingruit animi deliquium, capitis dolor, lassitudo totius corporis, mentis torpor, oris siccitas & sitis, quam si quis frigida potione restinguere velit, facile gravius malum sibi poterit arcessere. Tempus balneo commodissimum est matutinum, post somnum, concoctione peracta & vacuo ventriculo, præsertim si alvus ante soluta. Expedit etiam corpus in balneum non statim totum immittere, sed successive, primo pedes, deinde femora, postea abdomen usque ad cordis scrobiculum, augendo etiam paullatim aquæ calorem. Neque nimis diu in balneo calido, præsertim martiali, commorandum est, ne vires debilitentur. Post balneum corpus committendum est lecto, quo sudor proliciatur, qui cum jusculo, vel decocto, aut infuso appropriato promoveri potest. In balneis vero nativis temperatis, ut sunt in Missnia Wolckensteinenses & Wisenbadenses, per aliquot sæpe horas desidendum est, præsertim si morbus est gravis & contumax ex vitio nervosarum partium spasmo constrictarum, si mens ex hypochondriorum vel uteri vitio laborat, si contracturæ adsunt partium, ex nimia rigiditate ligamentorum & nervorum.

§. XIII.

A balneis quibus cavendum?

A balneis caveant, quibus caput debile, qui catarrhis & coryza affliguntur, qui ad asthmata & ad animi deliquia proni, vel lento hectico calore tabescunt, tanto magis à vaporosis, præsertim quæ cum spiritu vini accenso apparantur, quippe quæ valde commovent sanguinem & plethoricis atque cacochymicis infensissima sunt, ac ut experientia constat, imprudenti usu morbos capitis, affectus soporosos, apoplexiam, epilepsiam, scotomiam, guttam serenam inducunt. Simili ratione detrimentosa sunt balnea iis, qui ira graviter excanduerunt, & ipse aliquot memoria teneo exempla, quod usurpatis tum iis, febres hecticæ, immedicabiles partium dolores & paralyses accesserint. Et quia dolor colicus sæpe à sanguinis per ani venas exitum molientis intra intestinorum tunicas stagnatione oboritur, sæpe etiam sub immanibus à calculo doloribus præsto est plethora, hoc casu, cautissime utique mercandum est cum ejusmodi calefacientibus balneis, quæ nonnisi plenitudine subtracta, adhibenda sunt.

§. XIV.

De pediluviis eorumque operatione.

Balnea universi corporis sequuntur pediluvia, quorum quoad ingredientia eadem ratio, minor apparatus & ob id frequentior usus & balneorum vicarius.

vicarius. Vel enim ex ſola aqua levi & pura, ſine aliorum additamento magnoque apparatu, parantur, vel ad corrigendum aquarum gravium & aſperarum vitium, lixivium, aut furfures triticei & chamomillæ flores adjiciuntur, vel etiam lac ipſis confunditur. Licet autem pediluvia tantum infimis & extremis corporibus admoveantur, eorum tamen virtus longe lateque ſe diffundit & graves in remotis etiam partibus morbos levat. Dum enim humore illo calido foventur pedes, nervoſæ, tendinoſæ ac muſculoſæ in iis fibræ ex quibus intercurrentibus vaſis coagmentati ſunt, laxantur, remittuntur, pori & tubuli antea conſtricti ampliantur, ſanguini aditus humoribusque debitus redditur commeatus; quo fit, ut impetus aliis partibus incumbens divertatur ac cum inſigni levamine ad inferiora derivetur. Deinceps pediluvia etiam temperato ſuo calore agunt in ſanguinem & humores ſub eorum uſu per pedum vaſa tranſeuntes, eoſdemque tenuiores ac dilutiores reddunt, quo longe expeditius per omnis generis in corpore tubulos curſum conficiant & quaquaverſum promtius excurrant, quo etiam fit, ut ſi paullo calidiora adhibeantur, arteriarum pulſum augeant & ſudorem per univerſum corpus eliciant. Adhæc ingens eſt pedum, ceu partium exquiſitæ ſenſationis nervoſo-tendinoſarum, cum omnibus nervoſis univerſi corporis maximeque in inferiore ventre ſitis partibus, conſenſus, adeo conſpicuus, ut ſi tantum perfrigerentur, illico dolores colici exoriantur, alvus ſtringatur, cutis horreat, perſpiratio intercipiatur & menſium ac hæmorrhoidum fluxus ſiſtatur. Quare non dubitandum, quin, ſi tepido humore mulceantur & ſpaſtica in iis ſtrictura tollatur, ſalubris effectus ad remotiora ipſis annuentia organa propagetur ibidemque ſeſe exſerat.

§. XV.

Quibus conveniant?

Et certe pediluvia laudatiſſimi ad derivationem uſus ſunt in morbis, qui à congeſtionibus ad caput & pectus, per ſpaſmos inferiorum maximeque hypochondriorum factis, ſubnaſcuntur, ut præter ſoporoſos affectus omnes fere capitis morbi ſunt, inſania, mania, melancholia, cephalæa, hemicrania, clavus hyſtericus, vertigo, odontalgia, otalgia, gutta roſacea, ophthalmia, defluxiones oculorum ſalſæ, narium hæmorrhagiæ nimiæ & diuturnæ vigiliæ, nec non quæ pectus affligunt aſthmata convulſiva, dyſpnœæ à copia ſanguinis, cordis palpitationes, tuſſes ſiccæ, hæmoptyſis. Porro ob inſignem qua pollent ſpaſmos remittentem ac ſolventem efficaciam, egregie opitulantur in morbis ſpaſmodicis convulſivis & doloribus, in cardialgia, dolore colico, præſertim hæmorrhoidali, torminibus ex calculo, ventriculi inflatione cum præcordiorum anxietate. Præterea etiam excretiones ſaluberrimas, perſpirationis nempe, urinæ, alvi & ſanguinis quoque ſinceri, per menſes & ſedis venas, efficaciter pediluvia promovent, ſanguini liberum commeatum conciliando, eundem attenuando & ad excretoriorum tubulos alliciendo. Neque minus graves capitis pectoriſque affectus arcent & præſcindunt, maximeque eos, qui per periodos accedunt, quin quotidianum eorum uſum truces periodicas cephalalgias abegiſſe, ipſe expertus novi. Sunt quoque qui in febribus intermittentibus pediluviorum uſum ſuadent, die quidem intercalari vacuo, nec ſine ſalubri effectu, uti patet ex *Obſ.* 144. *Dec. II. An. VI. Miſc. nat. curioſ.* de quartana pediluvio ſanata & quæ *Kozack de ſalib. Sect. XII. cap.* 10. plura hanc in rem habet.

§. XVI.

Caute eorum

Monendum tamen, quod longe felicius ſuccedat pediluviorum operatio, ſi plenitudo ſanguinis per venæ ſectionem in pede prius imminuitur, ſi circa tempus ſomni adminiſtrantur, nec pedes poſt eorum uſum refrigerantur, ſed calidi ſervantur & in lectum transferuntur, eoque facto, auctior per univerſum corporis ambitum redditur perſpiratio. Cavendum vero eſt, ne pedes lavacro immittantur eo tempore, quo menſium fluxus imminet, aut jam exſolvitur, eo quod divertendo ab utero & ad inferiora invitando ſanguinis appulſum, ut ipſum profluvium vel ſiſtatur, vel intercipiatur, efficiunt; contra ea aliquot ante ſtatam menſtruam periodum dies, ad promovendum fluxum egregie faciunt, præſertim ſi temperata emmenagoga vel pilulæ ad mentem Beccheri paratæ, ſimul in uſum trahuntur. Abſtinendum quoque quam maxime à pediluviis conſtringentibus, aluminoſis, ſulphureis, ad reſiccandum moleſtum pedum ſudorem, œdemata diſcutienda, ulcera abigenda, item ſi doloribus podagricis pedes exercentur; ſiquidem iiſdem non ſine periculo materia illa virulenta ad interiores nobiliores partes retropellitur. Et quoniam communis fervidus in Carolinis fons, vulgo *der Prudel*, virtutem quam maxime repellentem poſſidet; providus utique lavacri ex eo uſus eſſe debet, in omnibus paſſionibus, ubi materia vitioſa externo corporis cortici incumbit, ac præſertim in doloribus arthriticis & podagricis.

§. XVII.

Clyſteres affines neis.

Inter remedia externa, domeſtica & facile parabilia connumeranda etiam clyſmata, ſive enemata, quæ nihil aliud ſunt, quam decocta ex certis ſpeciebus confecta & per ſyringam ano pro vario ſcopo & uſu infuſa. Habent hæc multum cum balneis affine atque commune. Balnea quippe lavacra ſunt partium externarum, clyſteres vero inteſtinorum quæ craſſa vocantur, quæ eluunt, abſtergunt & à contentis repurgant. Balnea vel emollientia ſunt, vel roborantia, clyſmata pariter pro varia ingredientium ratione, ſolidas, rigidas, tenſas & ſtrictas partes molliunt & laxant, vel flaccidas & à tono dejectas firmant atque adducunt. Deinceps ſicuti balnea ſola applicatione externa toti ſanguinis & humorum maſſæ virtutem inſinuant, ut liberiorem & expeditiorem eorum progreſſum faciant ſimulque ſalutares excretiones facilitent: ita etiam enematum operatio non ſolum in ſanguinis & humorum circuitum, ex immutatione pulſus, ſed etiam ad excretiones movendas, præter alvi ſubductionem, ex perſpirationis & urinæ uberiori ſucceſſu, luculenter patet. Balnea porro vi pollent inſigni antiſpaſmodica eandemque in diffitas ſpargunt partes: clyſteres non minus hac pollere virtute, qui artis exercitia tractant quam optime norunt. Et denique quemadmodum immiſſo in lavacrum corpore, congeſti præter naturam & non ſine periculo in certa loca humores, ad alias externas & inferiores partes derivantur, quo æquabilis ipſis reddatur ubique commeatus: ſic etiam clyſmata ad divertendas à pectore & capite ſanguinis congeſtiones, gravium pathematum genitrices, inſigni & laudatiſſimo uſu plurimum valent.

§. XVIII.

Et ſunt

Solent vero clyſteres pro diverſo medicationis ſcopo ex variis concinnari ſpeciebus. Et ſicuti indicationes in medendo ad quatuor potiſſimum fines directæ ſunt, alterantem nempe, evacuantem,

tem, roborantem & sedativum: ita eadem etiam clysterum ratio, ut iisdem vel indurata stercora emolliantur, aut qualitate infesta acria, acida & salsa recrementa attemperentur, vel contenta in crassorum canali evacuentur, vel languentes intestinorum fibræ & delassatus peristalticus in iis motus roborentur, vel denique spasmi tunicarum intestinalium remittantur & fibræ strictæ nimis laxentur. Quod si igitur intentio est duras fæces & stercora arida humectandi, vel etiam succos acres, salsos, corrosivos, acidos, bilioso in crassis obhærescentes obtundendi, clysteres optime parantur ex emollientibus & demulcentibus, cujus generis sunt lac animantium, decoctum rasuræ cornu cervi, pedum vervecinorum & vitulinorum, avenaceum, jusculæ carnium pinguia, pinguedines animantium, butyrum insulsum, decoctum ficuum, mel, manna, saccharum, decoctum radicis altheæ, liliorum alborum, seminis lini, fœnu græci, florum chamomillæ, verbasci, meliloti. Quæ quidem ingredientia, quum simul eximiam spasmos relaxandi virtutem obtineant, in omnibus affectibus spasmodicis, doloribus, febribus, sanguinis congestionibus, & ubi alvus sive propter spasmos obstipata, sive stercora indurata obstructa, commodam & utilissimam locant operam.

vel alterantes.

§. XIX.

Ubi alvum simul evacuare & fæces atque humores stagnantes subducere constitutum est, salia ejusmodi decoctis adjecta omne ferunt punctum, ut sunt sal commune, gemmæ, Ebshamense, Sedlicense, digestivum Sylvii, nec non ammoniacum. Et certe dimidia salis uncia clysteri adjecta in evacuando majoris efficaciæ est, quam aliquot unciæ electuariorum ex purgantibus concinnatorum. *Celsius* jam hunc in finem muriam alvo infundendam suadet, id quod etiam cum nostra muria, quæ & pota & per clysterem injecta potenter purgat, nec non cum Sedlicensi aqua, optime succedit. Huc quoque referenda enemata, quæ ex urina humana, vel animantium parari solent, ad educendas alvo viscidos ac lentos succos. Neque minus sapo Venetus solutus egregie pro clysteribus inservit, tum maxime, quando acida, viridis & corrosiva bilis tenellorum adhuc lactantium infantum intestina gravius exagitat. Quando vero fortiori stimulo opus est, tutius emetica, quam drastica & acriora cathartica clysteribus commiscentur, eamque ob causam *Derebeque in observatt.* vinum emeticum clysmatibus in hydrope & apoplexia indendum commendat.

vel evacuantes.

§. XX.

Roborantes clysteres virtute sua non modo intestinis, sed & aliis partibus atonia laborantibus dicata sunt, & ob id varia etiam recipiunt. Quum quidem tunicæ intestinorum languentes roborandæ, carminativa sic dicta ex usu sunt, quæ flatus discutiunt & recrementorum evacuationem secundant, & ex his maxime semina quatuor carminativa majora & parata ex ipsis olea, baccæ lauri & juniperi. In gravioribus capitis morbis, ut apoplexia, paralysi, affectibus soporosis, auditus & visus debilitate, utiliter herba rutæ, majoranæ, roriſmarini, saturejæ, thymi, salviæ, flores lavendulæ, spicæ adjiciuntur. Ubi passiones ex uteri vitio, maximeque ejus atonia oriundæ, affligunt, ob peculiarem & specificam quasi facultatem cum fructu adhibentur herbæ pulegii, artemisiæ, matricariæ, sabinæ, menthæ, flores cheiri, calendulæ, radices aristolochiæ, nec non myrrha & galbanum, & ex his concinnati clysteres crebrius injecti in restituendo mensium fluxu & expellendis molis eximia pollent efficacia.

Vel roborantes.

§. XXI.

Ego quoque experientia edoctus in chronicis ex succorum impuritate, viscerum prava constitutione, infarctu humorumque stagnatione, affectibus, præsertim cachexia, scorbuto, malo hypochondriaco, mensium vel hæmorrhoidum suppressione, maximi facere soleo clysteres, quibus admixta amara & balsamica, cujus generis sunt trifolium fibrinum, summitates centaurii minoris, carduus benedictus, radix gentianæ, scolopendrium, rhabarbarum, essentia rhabarbari, elixir proprietatis, essentia fuliginis alcalisata, spiritus cornu cervi & massa pilularum balsamicarum. Et solo ejusmodi clysterum usu, desperatos se ad sanitatem reduxisse hypochondriacos testatur *Hercules Saxonia lib. I. prax. cap.* 16. Neque minus roborantia apprime proficua clysmata confici possunt ex vino, quibus etiam ubi vires admodum languidæ nec corpus nimis sensibile, addi potest balsamum nostrum vitæ dictum. Hinc in *Actis Anglic. pag.* 598. mentio injicitur clysteris ex vino Hispanico, pipere & vitelle ovi, egregiæ virtutis, quod tota nocte retentum, viscera calefaciat & aliquot horis post sudorem moveat. Quin tam conspicua clysmatum ad corroborandum universum nervorum systema est virtus, ut ipsos febriles in intermittentibus insultus compescant. Etenim *Helvetius* in peculiari tractu, de methodo febres sine interno medicamentorum usu curandi, perhibet; febres sola clysterum injectione ex decocto corticis chinæ cum aqua, vel etiam addito tantillo vini, optime posse persanari, id quod etiam *Albrecht, in Misc. nat. cur. Dec. III. An. III. obs.* 127. quinque confirmat exemplis. Et Ægyptii in quartana pro secreto habent clysterem ex decocti majoranæ libra una & tribus olei laurini unciis, uti auctor est *Alpinus de Medic. method. pag.* 189. addens: *hoc clystere, & in meipso olim quartana vexato summa cum utilitate usus sum, & nonnullos tribus solummodo hisce clysteribus usos, sanatos fuisse, vidi.*

varii generis.

§. XXII.

Supersunt denique clysteres sedantes, doloribus complacandis & spasmis solvendis inservientes. Horum in numero sunt clysteres ex meris oleis, pinguedine animantium & butyro insulso conflati, qui, ubi tunicæ coli à vehementi spasmo obsidentur, ut ipsius cavum angustetur, flatus retineantur & dira oboriantur tormina, uti obvium est in colica convulsiva spasmodica, præsertim hæmorrhoidali & quæ ab inhærente acri caustica à superficie corporis repulsa materia suscitatur, laudatissimæ sunt virtutis. De his magnifice admodum ex Veteribus sentit *Ætius*, qui *lib. IX. cap. de colica* clysterem antispasmodicum parari jubet, ex butyro recenti, adipe anserina, gallinacea, medulla cervina, adipe ursina, cumino, foliis rutæ, nardo Celtica, castoreo & oleo rutaceo, addito hoc præcepto: *utere hoc ipso in vehementibus doloribus, evacuatione tamen prius per alium clysterem facta, & post horæ spatium mensuram unam mediocris poculi tepefactam infunde & jube quiescere ac aliquandiu pharmacum retinere, atque ita divinam ejus videbis facultatem.* Quod si vero spasmis nimius æstus sanguinisque orgasmus jungitur, ut in doloribus capitis, articulorum, hæmorrhagiis, clysteres cum sero lactis, vel lacte ex emollientibus & anodynis quam optime injiciuntur, floribus scilicet chamomillæ vulgaris, sambuci, verbasci, meliloti, nec non croco, nitro depurato & oleo amygdalarum dulcium.

vel sedantes.

cium. Non minus in pathematibus ſpaſmodicis, epilepticis & convulſivis motibus, ut ſpecifica addantur ex uſu eſt. In hyſtericis quidem pathematibus ſagapenum, aſa fœtida & caſtoreum accommoda ſunt. In epileptico & convulſivo inſultu, radix, ſemen & flores pœoniæ, ſuccus lumbricorum terreſtrium, liquor cornu cervi ſuccinatus, utiliter commiſcentur; cujus generis clyſtere ex antepilepticis & tinctura caſtorei parato primiparam epilepſia tentatam egregie eſſe levatam teſtatur *Harderus in Miſc. nat. cur. Dec. III. A. II. obſ.* 100.

§. XXIII.

Clyſterum uſus varius.

Hi itaque clyſteres pro varia medentis intentione ampliſſimi in praxi medica ſunt uſus, quem *Celſus lib. II. cap.* 12. ſic in compendium ſiſtit: *alvi ductio per lotiones ſemel vel ſummum bis non omittatur, ſi caput grave eſt, ſi oculi caligant; ſi morbus majoris inteſtini eſt, quod Græce κόλον nominant; ſi in imo ventre aut in coxa dolores ſunt; ſi in ſtomachum quædam bilioſa concurrunt, vel etiam pituita eo ſe, humorve aliquis aquæ ſimilis confert; ſi ſpiritus difficilius redditur; ſi nihil per ſe venter excernit; utique ſi juxta quoque ſtercus eſt & intus remanet, aut ſi ſtercoris odorem nihil dejiciens æger ex ſpiritu ſuo ſentit; aut ſi corruptum eſt quod excernitur; aut ſi prima inedia febrem non ſuſtulit; aut ſi ſanguinem mitti, quum opus ſit vires non patiuntur, tempusve ejus rei præteriit; aut ſi multum ante morbum aliquis potavit; aut ſi is, qui ſæpe, vel ſponte aut caſu purgatus eſt, ſubito habet alvum ſuppreſſam.* Præter ea autem quæ in ſuperioribus de enematum in variis morbis utilitate paſſim inſerui, tenendum adhuc, quod in genere quam maxime conducant his, quibus venter ægrius deſcendit & ſtomachus imbecillis medicamenta ad ſubducendum efficacia ſuſtinere nequit. Pariter in febribus continuis & exanthematicis præſtat ſemper clyſteribus & venæ ſectione, ſi opus eſt, curationem auſpicari, & ſub eadem etiam ſi alvus clauſa, clyſteribus inſiſtendum. *Chriſtianus* quoque *Langius* in *Miſc. natur. curioſ.* omnibus vulneratis ſerio commendat clyſmatum uſum, ne alvi ſuppreſſio inflammationes vel ſanguinis ſtagnationes augeat. Poſſunt etiam clyſteres aliis adhuc quam quorum meminimus uſibus, pro varia morbi ejuſque cauſæ conditione, adaptari, quo inprimis referendi illi, qui in diarrhœis, dyſenteriis & inteſtinorum eroſione, tam ad acrem humorem contemperandum, quam exeſas partes conſolidandas ſummo injiciuntur cum fructu, conficienda ex decocto pedum vitulinorum, vitello ovi, ſevo hircino, bolo Armena, tragacantha, ſucco cancrorum fluviatilium, ſpermate ceti, balſamo de Copaiva & ſulphuris therebinthinato.

§. XXIV.

Et late patens virtus.

Et licet clyſteres efficacia ſua proxime afficiant inteſtina & in ſubſtantia & materia craſſorum limites non tranſcendant; nihilo minus tamen eorum virtus, non modo ex inteſtinis, tanquam partibus nervoſis & quæ cum reliquis nervoſis corporis partibus exquiſitum conſenſum alunt, ad alias & remotas etiam propagatur, ſed & ipſi ſanguini ac lymphæ inſinuatur. Prius ex eo pateſcit, quod clyſmata, ſi nimis acria, teſte *Avicenna can. med. lib. I. Sect. IV. cap.* 17. febrem accendant, emeticis imbuta vomitum moveant & dolores vel in ſuprema corporis regione complacent; poſterius vero nutriens, confortans & ſtupefaciens eorundem facultas teſtatum facit, & quod, ut quidem fidem faciunt *Act. Angl.* *pag.* 598. ſpiritus vini per inferius os injectus, longe magis inebriet & infatuet, ac ſi eadem menſura per œſophagum ingurgitetur. Potiſſimum tamen conſpicuus eſt clyſterum in inteſtinis tenuibus doloribus & ſpaſticis conſtrictionibus laborantibus effectus, hanc maxime ob cauſam, quod illud craſſorum ampliſſimum colon tenuia cingat iiſdemque ubique ſit circumvolutum, eaque propter infuſum eidem emolliens & paregoricum clyſma, blando tepore ſuo, contigua tenuia ſimul afficiat, & penetrante per tunicarum poros vapore, iiſdem facultatem inſinuet, haud ſecus ac veſica decocto emolliente repleta extrinſecus appoſita, in magnis internarum partium doloribus, ſpaſmis & inflammationibus levamen affert præſtantiſſimum.

§. XXV.

Caute ipſorum plica ſervat

Ut autem ſaluberrimus clyſterum effectus eo certius obtineatur, utique in eorum, haud ſecus quam in aliorum ſanitatis præſidiorum uſu, circumſpectio adhibenda & neceſſariæ quædam cautiones tenendæ. Nimirum ſunt quidam adeo ſenſibilis naturæ, ut inteſtina clyſteres plane ferre nequeant, & ipſe viderim, colicos alioſque dolores eo magis increviſſe, quo plura clyſmata injecta, qui poſtea ſolo interno convenienti laxante eximie levati. Et ſicuti in his clyſterum injectio non urgenda; ita etiam acres non ſtatim applicandi, quando alvi excrementa diutius retenta, ne plus trahant ad infarcta inteſtina & obſtructionem obfirment, ſed potius præmittenda his enemata, quæ laxant, lubricant, ſtercora emolliunt & evacuationi viam pandunt, uti perite monet *Mercatus lib. I. pag.* 64. Poſt paſtum quoque clyſterum uſus tempeſtivus minuſque proficuus, eo quod ciborum concoctionem atque digeſtionem interturbat; chyli elaborationem & extractionem impedit ac nimis celerem ingeſtorum evacuationem proritat.

§. XXVI.

Et mo

Neque etiam alvum crebro nimis & jugiter clyſteribus ſolicitare expedit; tum quia virtutem inteſtinorum expultricem ſequiorem reddunt, ac ut natura iis aſſuefacta officii ſpontaneæ excretionis obliviſcatur faciunt, tum etiam, quod ſubita & repetita crebrius liquoris clyſmatici vel nimis calidi, vel perfrigerati infuſione, ordinata illa & naturalis fibrarum inteſtinalium tenſio lædatur & inordinati motus provocentur, ac quum nullum enema applicari poſſit, quocum non ſimul flatus intrudatur, flatuum metuendus ſit proventus. Præterea quia inteſtina etiam craſſa partes ſunt admodum nervoſæ, omnia quæ nervis ſunt inimica, frigida ſcilicet, acida, auſtera, draſtica virulenta & ſalia acriora, opiata, narcotica, item adſtringentia, penitus ex clyſteribus debent excludi, ne motus inteſtinorum periſtalticus inde lædatur, vel deſtruatur, quo ſalvo, ciborum digeſtio cum ſaluberrimis ſecretionibus & excretionibus ex voto ſuccedit, quo deſtructo, inteſtina ſpaſmis, flatibus & fecibus multis cum moleſtiis obſidentur. Quibus denique addi etiam merentur prælara *Celſi l. c.* monita, *ſervanda*, inquientis, *illa ſunt, ne ducatur ulla cruditate ſubſtante; ne in corpore infirmo, diuque in adverſa valetudine exhauſto; neve in eo, cui ſatis alvus reddit quotidie, quive eam liquidam habet; neve in ipſo acceſſionis impetu, quia quod tum infuſum eſt, alvo continetur, regeſtumque in caput, multo gravius periculum efficit.* ...

CAPUT

CAPUT XI.

De aquæ frigidæ potu ſalutari.

§. I.

IN hac de ſalubritate frigidi, inprimis aquæ puræ, potus, diſquiſitione, duplex potiſſimum nobis agitandum eſt argumentum. Unum, quo demonſtremus, quid ab humido potus, utilitatis, ad ſanitatem, vel integram conſervandam, vel labefactatam recuperandam, ſit exſpectandum. Alterum, ut evictum demus, potum ejuſmodi, ob id etiam quod frigidus eſt, peculiares ſaluberrimas exſerere virtutes & medicinæ præſtabilis gerere vicem.

§. II.

Utilitas humidorum in corpore humano demonſtratur. I. ex ſtructura corporis.

Sane perutile ac neceſſarium eſſe, humidum ac diluens potus elementum, ad conſervandos vitales machinæ animalis motus, comprobant multa. Omnis enim corporis humani ſtructura fibroſa eſt & vaſculoſa. Singulæ ipſius flexiles partes ex innumeris majoribus, minoribus, minimis & tantum non infinite parvis canaliculis coagmentatæ. Atque per horum alveos fluida perpetim feruntur, progrediuntur & circumaguntur. Docent hæc omnia uberius anatomicæ, maximeque immortalis nominis RUYSCHII, injectiones & obſervationes exquiſitæ. In hoc autem fluidorum per ſolida progreſſu continetur vita, atque illo per tenuiſſimos tubulos curſu abſolvitur nutritionis, ſecretionum atque excretionum negotium; ſine quo nec ſanitas, nec partis ullius functio poteſt conſiſtere.

§. III.

Eandem probat II. ſtructura ſanguinis.

Quod igitur per tubulos adeo exiles in corpore vivo & ſano decurrit fluidum; utique eſſe debebit valde tenue. Atque etiam ſic eſſe evincit experimentum noſtrum, quo conſtat, ſanguinem ſani hominis è vena miſſum, libratum & in vaſe amplo fornaci calidæ impoſitum, facta ſucceſſive humidi exhalatione, tres partes amittere, reſtitante tantum una ſicca & ſolida. Neque tamen venoſus ſanguis genuinum de ſubtilitate & fluiditate omnis in corpore ſanguinis fert teſtimonium, ſed is, qui corde & majoribus arteriarum ramis continetur, longe tenuior, eundemque vel triplo majorem humidi quantitatem habere, haud eſt improbabile. Nam ſi quis potum & cibum, à ſano & operoſo homine aſſumi ſolitum, ad ſiccitatem reducet, computatione facta, novem circiter liquidi partes, ad unam ſolidi, ineſſe, patebit. Lac quoque, quod nihil aliud, quam extractus ex alimentis ſuccus, ex quocunque fere animali depromtum, per deſtillationem, minimum ſeptem liquidi partes largitur, relicta duntaxat una ſolidioris maſſæ parte. Lymphaticus quippe & chyloſus liquor, qui ſubclaviæ venæ ſucceſſive copioſe infunditur, ſanguinem diluit inſigniter. Sanguis autem humido ſic imbutus, pergit ad dextrum cor, ex quo inmittitur in pulmones, in quorum vaſculis & veſiculis, hauſto per inſpirationem aëre, conquaſſatur, atteritur & quoad minima intime miſcetur. Quo floridus & fluidiſſimus redditus, venit in ſiniſtrum cor, & ex hoc in univerſum corpus diffunditur, pro ſubeundis ſecretionibus & excretionibus obeundisque functionibus variis, quibus factis, per venas tandem iterum confluit in cor.

§. IV.

Ulterius evincitur III. ex curatione graviſſimorum morborum per aquam

Pateſcit jam, quam neceſſarium ſit ad mixtionem & vitalem ſanguinis motum, humidi elementi, multis modis ſolidum ſuperantis connubium. Ex quo porro facile colligitur, non tam adverſum eſſe vitalibus humoribus humidi, per potum, niſi fuerit inſalubris, aſſumti exceſſum, quam illum, qui in cibis ſolidioribus admittitur. Viciſſim expedita eſt ratio, quare ex defectu potus, fœminis & vitæ ſedentariæ addictis, multæ longæ & graves paſſiones, à ſuccorum ſpiſſitudine & facta inde minimorum tubulorum obſtructione, accidant. Innoteſcit quoque, cur ad arcendas & perſanandas, acutas æque ac chronicas paſſiones, non certius, tutius & magis præſens ſit remedium, quam humectantia & diluentia. Quorum in numero ſunt Veterum ptiſanæ, ſerum lactis, aquæ minerales & medicatæ, thermæ & acidulæ, decocta & infuſa vegetabilium cum aqua. Neque minus in promtu eſt cauſa, qui fiat, ut pharmaca maximarum virium, ex minerali regno petita, in gravibus rebellibus & diuturnis paſſionibus nihil fere eximii præſtent, niſi acceſſerit humidum ſufficiens, virtutem in venas omnes diducens.

§. V.

Pluvialis aqua ceteris præſtat.

Permoverunt me hæc omnia, cum aliis rationum momentis, ut jam ante viginti & quod excurrit annos peculiari diſſertatione aſſererem: aquam eſſe medicinam univerſalem. Non tamen omnem. Sunt enim variæ, ſæpe non ſalubris indolis aquæ. Sed quæ panaceæ nomine digna, leviſſima eſt & puriſſima, heterogeneis, terreſtribus & ſalinis particulis deſtituta. Quibus dotibus ſplendet potiſſimum pluvialis, ruri in aëre libero, non ex ſtillicidiorum compluviis collecta, nec non deſtillata. Talis enim ſubtilis, pura & levis aqua ſubit expedite corporum intima, quæ dura & rigida mollit atque mulcet, firmioremque ipſorum compagem eliquat atque diſſolvit. Unde, uti œconomis notum eſt ac coquis, ad promtiorem ciborum, qui compactioris texturæ, coctionem, item ad eluendas maculas abſtergendaſque ſordes, adhibetur utiliter. Neque eapropter dubium eſt, quin in humano corpore, rigidas præter naturam fibras mulceat atque adeo adverſus inde oriundos multos & difficiles morbos, præſidium ſit certe probatiſſimum.

§. VI.

Damna potus frigidi.

Quæ quum ita ſint, de ſalubritate potus aquoſi dubitabit quidem nemo; ſed quod etiam actu frigidus conducat & ipſis in morbis ſit præſidio, certe arbitrabuntur non omnes. Grave de noxa potus frigidi eſt artis noſtræ parentis, HIPPOCRATIS, jam teſtimonium, quod *libr. de intern. affect. V.* §. 18. ſic habet: *frigido potu, ſi quis in conſiderate utitur, ſpaſmos & rigorem inducit. Nam exitu inquinamenta prohibet, & oſſibus & cerebro bellum indicit.* Et ſane calidi ſunt in omni animante humores. Frigus autem, vitæ ipſique ſervientibus motibus, cenſetur infenſiſſimum. Nam ſuccos denſat fibraſque & ex his coagmentata tenuiſſima vaſcula conſtringit. Quo ſecretionum & excretionum ſucceſſus interturbatur, ipſique libero ſanguinis progreſſui, in quo maxime vitæ ſanitatiſque ratio eſt poſita, ponitur obex. Docet præterea experientia: graves, immo funeſtas, multas, chronicas & acutas paſſiones, à frigido potu fuiſſe inductas. Inflammationes ſcilicet ventriculi, inteſtinorum & pulmonum, morbos ſpaſmodico-convulſivos, aſthmata, phthiſin, hydropem, hecticam, hypochondriacum malum, menſtrui & hæ-

morrhoidalis fluxus ſuppreſſionem, indeque ortas graviſſimas totius ſyſtematis nervoſi paſſiones & quæ id genus plura.

§. VII.

Uſus frigidorum in corpore humano.

Licet autem hæc negari omnino nequeant; neutiquam tamen ea propter frigidum potum penitus eſſe damnandum cenſemus. Dabimus potius rationis & experientiæ ſuffragio evictum: eundem quandoque medicinam præbere, efficacem non minus, quam ſalubrem. Frigus enim ipſum naturæ humanæ non adeo adverſum eſt ac inimicum, uti vulgo putatur. Obſervamus certe, homines & animalia frigidarum ſeptentrionalium regionum, frigus non modo ferre innoxie, ſed & longe robuſtiora, vivaciora & fœcundiora eſſe iis, quæ ſub calido cœlo vivunt & aluntur. Tempore hiemali, ſub conſtitutione aëris quantumvis gelido, epidemici morbi graviſſimi, nec non anomalæ febres, rariores ſunt minuſque infeſtæ, quam æſtate & cœlo regnante æſtuoſo. Experti ſumus id jam per aliquot annos, quibus ob æſtatis fervorem nimium inſolitamque ſiccitatem, ubivis fere, varii generis anomalæ febres, acutæ & chronicæ, nec non dyſentericæ, populares habuerunt circuitus & ſtragem ediderunt haud levem. Atque etiam huic inſalubri aëris & temporum conſtitutioni ſiccæ nimiſque calidæ, illud haud immerito videtur tribuendum, quod ab aliquo tempore, major ſemper mortuorum fuit numerus, quam natorum. Nemo porro non novit, ſub cœlo ſereno frigido, ſpirantibus ex oriente & borea ventis, vires eſſe vegetiores, ciborum appetentiam cum digeſtione promtiorem ipſumque ſomnum ſuaviorem, ac æſtate & ſub atmoſphæra levi ac calida, cujus indicium fert mercurii in barometro deſcenſus. Frigidus enim aër elaſticus eſt & expanſivus, fibrasque ſtringendo, robur ipſis addit, eaque propter cordis omniumque vaſorum ſyſtalticum motum intendit. Cujus in confirmationem facit præterea domeſticum, ſed curioſum experimentum, quo exemtum carpionis majoris cor adhuc palpitans, ſimulac aquæ tepidæ injicitur, illico motum intermittere, in frigidam projectum eundem repetere, iterum calidæ commiſſum, amittere, & in frigida poſtea aliquandiu adhuc concuti cernitur. Ne dicamus, piſces in aëre frigido aliorſum delatos, diu vitam ſervare, in calido autem brevi exſpirare.

§. VIII.

Potus aquoſi frigidi ſalubritas.

Ad ipſum frigidum aquoſum potum quod attinet; eſt is utique, uti antiquiſſimus & communiſſimus, ita etiam ſaluberrimus. Non levis enim hanc in rem momenti eſt obſervatio, quod qui potibus ſpirituoſis, cereviſiis inebriantibus, vino & aquis ſic dictis vitæ liberalius utunter, graviſſimis morbis frequentius afficiantur, apoplexia ſcilicet, paralyſi, ſuffocativo catarrho, capitis doloribus, phthiſi, hæmoptyſi, peripneumonia, hydrope, calculo, podagra, hæmorrhoidum turbis & inde oriundis pathematibus, nec non internorum æque ac externorum ſenſuum vitiis. Illi vero qui frigidum & ſimplicem aquoſum potum bibunt; longe rarius omnibus his diris malis ſunt obnoxii, ſed corporis & animi vires habent integras, appetitu pollent meliori, albos etiam & compactos, nec exeſos dentes gerunt. Nec ea propter ratione caret illud Turcarum præceptum, quo vini potus ipſis ſerio interdictus, tum, ut occaſio præſcinderetur ebrietatis ſenſuſque interni ſibi conſtarent ſemper, tum etiam, ut in calido ſub quo degunt cœlo, vita & ſanitas ſervaretur integra. Atque etiam in Italia & Hiſpania, ubi calidior atmoſphæræ habitudo, ſolennis eſt frigidus, quin glaciatus, potus, quo æſtum reſtinguunt tam utiliter, ut, ſine eo, vix ſanos eſſe incolas, optimates præſertim, vini potui ſimul indulgentes, per experientiam conſtet. De quo teſtis gravis eſt RAMAZZINI, de *tuend. princip. valetud. cap. V.* perhibens: *pro ſingulari beneficio à divina bonitate, ad repellendam aëris æſtuantis violentiam, nix eſt accipienda, in regionibus præſertim calidioribus, ut in Sicilia, regno Neapolitano ac tota fere Italia, tum pro ſanis, tum pro ægris corporibus. Ubi enim, uti aliquando evenit, cum per hiemem vel paucæ nives, vel nullæ delapſæ fuerint, ac propterea nivalis annonæ caritate laboretur, annus ille pro nefaſto habetur. Nec obſervatione caret, quod in hujuſmodi caſu, longe plures & graviores morbi vagati fuerint, quam ceteris temporibus.*

§. XI.

Pro hac pliu duſ ran cau

Quod ſi autem in modum, quo frigus in potu ſalutarem exſequitur effectum, inquiramus; præter id, quod motum inteſtinum partium in ſanguine, intenſiorem, cum inde pendente calore attemperat, à roborante facultate eundem potiſſimum repetendum eſſe cenſemus. Enim vero robur & imbecillitas in genere, quæ partibus corporis vivi & ſani inſunt, non ſecus ac in univerſo, ad virium motricium quantitatem, vel auctam, vel imminutam, referri debent. Deinceps robur animantium vitale, certam in fluidis & ſolidis diſpoſitionem requirit. Quo magis quippe ſolidæ partes tenſæ, ſtrictæ & compactæ, quo copioſior liquidi tenuiſſimi, quod in ſanguine præſertim arterioſo & poroſo nervorum contextu continetur, eſt in partes influxus: eo validior ſolidorum, eoque expeditior liquidorum craſſiorum per canales eſt motus. Contra ea, quo remiſſiores fibræ, ſolidas corporis partes componentes, quo parcior fluidi mobiliſſimi arterioſi & nervoſi influxus, eo major ad motum imbecillitas & in circumagendis liquidis defectus. Plurimi porro morbi vel à ſtaſi, ſive quiete perfecta, vel à ſtagnatione, ſive lentiore humorum progreſſu, & ingignuntur, & ſuſtentantur. Et hæ morbificæ cauſæ pendent ab elatere & motrice ſolidorum vi imminuta. Frigoris autem in univerſum is in corpore effectus, ut fibras ſtringat atque adducat. Igitur, quando potus corpus ſubit frigidus, laxatas ſolidas partes moderate conſtringendo firmat, quo dum non modo vaſorum diameter minuitur, ſed & impenſior fibris conciliatur reſiſtentia, humorum etiam motus partim liberior redditur & expeditior, partim quoque alio determinatur. Ex quibus utique fit planum, frigidum potum, ob roborantem hanc ſuam facultatem ad præſcindendas humorum ſtagnationes & excutiendam quæ in vitio eſt materiam, adeoque morbos & arcendos, & perſanandos, uſus eſſe longe ſaluberrimi.

§. X.

Fri aqu cu mo pra

Jam, ut propius accedamus ad ſcopum, omnis medicatio eo dirigenda, ut non tantum temperata mixtio in humoribus, verum etiam ſymmetria & legitima proportio in vitalibus motibus, conſervetur. Ad hanc autem obtinendam, tranſeundum interdum ad extremum contrarium: Et ipſa illa generoſa remedia, quibus magna juvandi virtus ineſt, à temperie deſciſcunt & ad extremum quoddam inclinant. Nam ſcite non minus, quam vere, tradidit MARTIANUS *Comment. in Hippocr. de humid. uſu, pag. 128. mediocritas*, inquiens, *in calefaciendo & frigefaciendo,*

ciendo, ſicuti extra noxam eſt, ita etiam parum prodeſſe poteſt. Quippe remedium temperatum, ut aliquando CELSUS *dixit, æque tutum, æque debile eſt. Quæ vero extra mediocritatem ſunt, ea, ut lædunt, quibus non conveniunt, ita opem ferunt, quibus convenientia exiſtunt.* Et is etiam ſenſus eſt priſci illius canonis medico-practici: *ſimilia ſimilibus conſervantur, & contraria contrariis curantur.* Etenim ſanitati, cujus ratio in humorum temperie motuque æquabili repoſita, amiciſſima ſimilia, quæ temperiem hanc ſervant atque tuentur. In morbis autem, quia ab intemperata humorum qualitate naſcuntur & motus ab æquabilitate deflectunt, deſiderantur in curatione contraria, quæ exceſſum, aut defectum ad legitimam proportionem, temperiem & ſymmetriam reducant. Sic ubi redundans ſanguinis & humorum copia morbos ingenerat, tollenda hæc eſt contrariis, fame, ſanguinis miſſione & evacuantibus. Viciſſim, quum ſuccorum laudabilium roſcidorum ſit defectus, neceſſaria nutrientia, quæ ſanguinem & humores reſarciunt. Calor excedens, exigit refrigerantia, humiditas nimia, exſiccantia; motuum languor roborantia; impetus motuum, ſedantia.

§. XI.

Specialius conſtratur.

Inde nunc etiam pateſcit, quando, & qua ratione, frigus in potu ſalutarem edere poſſit effectum; de quo ſpecialius porro agendum. Atque ut initio dicamus de illa corporis humani præter naturam conſtitutione, in qua æſtus impenſus ferviduſque inteſtinus partium ſulphurearum motus præſto eſt, uti potiſſimum accidit in febre; tum certe ad æſtum reſtinguendum & calidum motum componendum, potus apprime ex uſu eſt frigidus. Citabimus hujus in confirmationem aliquot probatiſſimæ fidei teſtes. Ille artis noſtræ dictator, HIPPOCRATES, *epid. lib. VI. Sect. IV.* ſic præcipit: *calidæ naturæ refrigeratio confert, aquæ potus & quies.* GALENUS ad ardorem in febribus temperandum, præbuit aquam frigidiſſimam ad ſatietatem. CELSUS *in præfatione* meminit medici cujuſdam CASSII, qui febricitanti cuidam & magna ſiti affecto, frigidam aquam ingeſſit, eoque, protinus febrem ſomno & ſudore diſcuſſit. PRIMEROSIUS *de vulg. error. lib. I. cap. XL. in febre*, inquit, *ſi julepi aut denegentur, aut parcius exhibeantur, corpus à calore febrili emaciatur ac marceſcit, unde non parum damni ægrotantibus imminet. Sed potius talibus febribus laborantibus copioſius & ſæpius præberi debent, ad calorem febrilem temperandum, naturam recreandam; eoque audacius, ſi coctio præceſſerit. Naturales enim evacuationes criticas, per ſudorem, alvum vomitumque adjuvant.*

§. XII.

Varia de hoc rem. edicum teſtimonia.

Potiſſimum in ardente & bilioſa febre, ceu præſtantiſſimus commendatur frigidus potus. Sic HIPPOCRATES jam *lib. II. de morb.* §. 36. tradidit: *in febre bilioſa, quæ hominem quotidie corripit, & os amarum jungitur, & vomitio juncta, & ad lumbos cruraque gravitas, ea die qua febris detinet, quantum quis bibere volet, aquam frigidam ſumere oportet.* Et *lib. de affect. intern.* §. 2. idem auctor ptiſanæ ſuccum bis de die frigidum aſſumere ſuadet. Neque minus in ardente febre dare jubet potiones frequentes & paullatim quam frigidiſſimas GALENUS *meth. medend. lib. IX. cap. V.* præter venæ ſectionem, potionem frigidam impenſe laudat, adjecta ratione, quia extinguit febrem & naturam robuſtam reddit, ut dein per alvum & ſudorem expellat, quæ noxia ſunt. CELSUS *lib. III. cap. XII.* perhibet: *Si in ſummo incremento eſt morbus ardens, utique non ante diem quartum, & magna ſiti accedente; frigida aqua copioſe præbenda eſt & ad ſatietatem danda, qua pro medicamento utuntur.* Idem ſentit ALPINUS *de medic. method. lib. II. in continentibus*, ſcribens, *febribus, vehementer æſtuoſis, medici omnes largum potum algidæ aquæ exhibere ſueſcunt, quia calorem nativum concentrat, ut ſtatim inde ſitis & calor ceſſet; roboratur inde totum corpus, & aqua epota digeritur morbus, & plerumque largiſſimos ſudores frigidæ aquæ potus ſuſcitat, nonnunquam vomitus bilioſi fiunt, & aliquando per alvum copioſi profluunt & urinam copioſam excitat. Mirabile eſt*, concludit, *quomodo tale præſidium has febres expugnet. Nam excretionibus, quas aqua ſuſcitat, hæ febres finiuntur.* Neque minus apprime hanc in rem idem auctor *de medic. Aegypt. lib. IV. c. XV.* prodidit: *aliqui*, ait, *pro ſecreto habent ſynochas & ardentes febres, multam aquam angariæ*, (quæ cucumeris ſpecies) *ægrotis propinantes, ſanare; ſi modo febricitantes ea multis diebus in cibo ac potu ſola utantur. Alii, tempore vehementioris æſtus, largius frigidam potandam concedunt, qua epota, ægros multis pannis contingentes, ſudorem procurant, quo non paucos audio ſanatos fuiſſe.*

§. XIII.

Ipſius Auctoris experientia.

Noſmet ipſi de ſaluberrimo hoc potus frigidi effectu, in febribus ſic dictis bilioſis ardentibus, in ſynocha bilioſa, nec non catarrhali illa ſynocha, quæ elapſo anno hic & alibi graſſata, item in tertiana continua & duplici, ex longa & attenta noſtra experientia, confirmatius teſtamur. Novimus enim, quod urgentibus in hiſce vigiliis aſſiduis, impenſo ſuccos & corpus conſumente ardore, ſiti inexhauſta, cum cute arida & exſucca, decoctum cornu cervi & ſcorzoneræ, cum ſyrupo acidi citri & nitro conditum, frigidum, crebro, ſed minutis hauſtibus, ad duas vel tres menſuras quotidie potum, emolumentum attulerit ſummum, ſomnum & largum ſudorem induxerit, anxietatem autem viriumque languorem ſtrenue diſcuſſerit. Et mirum utique videtur, eas frigida aqua, aut frigidus alius diluens potus, ſudorem moveat valide. Sed ubi æſtu interno uruntur in corpore cuncta & inteſtinus partium ſulphurearum motus eſt vehementiſſimus, frigidus intus ſuſceptus potus eundem non modo attemperat, ſed & calore interius tepefactus, fibras & canales ſubcutaneos laxat, ut ſudor erumpat largiſſimus. Tanto magis vero & certius hic reſpondet effectus, ſi ſufficienti aquæ quantitati indantur ſimul refrigerantia, acida & nitroſa. De quorum virtute ſudorifera notabilis eſt RIVERII obſervatio, quam inſeruit *Cent. I. obſ. XIX.* ſic habentem: *obſervandum, à ſpiritu ſulphuris, vel ejus loco ſpiritu vitrioli, cum aqua exhibito, ſudores copioſos fuiſſe provocatos, quod multis nobis experimentis innotuit, qui plures tertianas curatas vidimus eodem remedio, in ſummo acceſſionis æſtu & urgente ſiti exhibito; unde copioſi ſudores provocabantur, à quibus non ſolum paroxyſmus, ſed etiam totus morbus integre ſolvebatur.*

§. XIV.

In febrili etiam æſtu an potio frigida deneganda?

Quo magis ſemper improbavimus & improbandum cenſemus, illum perverſum, tum medicorum quorundam, tum adſtantium morem, qui urgente mordaci æſtu, in febribus, exanthematicis etiam, varioloſa, morbilloſa, purpuracea, nec non ſynocha, ægris frigidum potum penitus denegant, ac niſi calidum infuſi thée,

aut decocti caffee, concedunt, eosque præterea tricliniis & lectis calidis includunt atque obruunt. His enim nihil aliud efficiunt, quam ut anxietates augeant, vires exsolvant, inquietudinem accersant, quin sæpe expulsionem materiæ ad summam cutim magis impediant, quam juvent. Frigidus potius potus, modo si dextre & perite ministretur, vires mox reficit facilioremque reddit ipsius morbi decursum. Sanguinis enim & humorum texturam, quam calor dissolvere nititur, firmat ac servat, fibrasque ab impetuoso motu & æstu labefactatas, roborat & adducit, quo id quod in vitio est eo promtius excutiant.

§. XV.

Usus ejusdem in morbis à cruditatibus bilioſis oriundis.

Præterea spectatæ quoque medicæ virtutis frigidus est potus iis in morbis, quorum sedes & fomes primis in viis, ex cruditatibus acidonidorosis viscidis stomachi ac duodeni, ex bile corrosiva nerveas tunicas arrodente, nec non ex atonia & motus defectu indeque oriundis flatibus molestis. Inter hos autem præcipuus fere ille morbus sic dictus cholericus, crebris alvi dejectionibus, vomitionibus, nausea, præcordiorum anxietate, ardente circa præcordia dolore, virium prostratione, corporis jactatione & frigido sudore stipatus. Qui, quia natales trahit ex decubitu & congestione sordium acrium bilioſarum, partim ex sanguinis & humorum massa ad intestina delatarum, partim ex male ingestis & egestis heic collectarum; optime utique fert frigidas, aquæ inprimis puræ, potiones, vel solas, vel etiam idoneis aliis remediis nuptas. Hæ enim humorum acredinem diluunt, orgasticam commotionem minuunt, fibras simul firmant tunicasque roborant, eoque faciunt, ut, quæ præsens est excrementitia materia, promte & minori cum dolore expurgetur, novus autem affluxus impediatur, ac potius ad corporis habitum aliaque congrua emunctoria divertatur.

§. XVI.

Experientia Auctoris confirmatur.

Confirmatum id habemus memoratu digno fœminæ generosæ exemplo. Erat hæc constitutionis sanguineo-cholericæ & biennio abhinc ex ira & eduliis variis incongruis passione corripiebatur cholerica. Intra diem enim & noctem plus quam trigesies per superius & inferius os dejiciebat viridia, assumta quævis vomitu reddebat, præcordia angebantur cum sudore frigido, vires languebant insigniter, vigilia urgebat assidua & aderat præterea febris, alternis semper diebus ingravescens, sub cujus accessione ipsa mens emovebatur. Accitus ego, illico ptisanam, ex rasura cornu cervi, scorzoneræ & hordeo excorticato, conficere, ac hujus quatuor cochlearia, cum decem liquoris anodyni mineralis guttis, singulis binis horis frigide sumere jussi. Pedes dein qui admodum erant frigidi, calidæ immittere, ventremque balsamo vitæ inungere, præcepi. Tum sedato quodammodo vomitu ac dolore, suasi liberaliorem ptisanæ potum frigidum & usum pulveris, ex glacie Mariæ præparata, cornu cervi philosophice præparato, conchis, cancrorum lapidibus & aliquot olei macis guttis. Quibus intra quatriduum substiterunt vomitus & dejectiones, febris facta mitior, sequutus somnus & sudor validus, ac morbus solutus. Quam in rem conferri etiam potest observatio, quam in *tom. IV. medic. system. Sect. II. cap. V.* de mirabili potus aquæ frigidæ in cholera successu & cura attulimus.

§. XVII.

Alior etiam moni

Nec alienum erit, in uberiorem confirmationem, adducere nonnulla auctorum testimonia luculenta. Optimam & huic nostræ omnino conformem choleram sanandi methodum tradit ARETÆUS, *lib. II. de curat. acut. passion.* Præcipit enim: ne in principio supprimatur, sed potius promoveatur humorum vitiosorum exitus, sorbendo aquam tepidam assidue, sed paucam: Dein si torquentur intestina & pedes frigescunt, alvum irritandam esse calido unguento monet. Si autem bilioſi humores per inferiora dejecti, bilioſus tamen vomitus adhuc adsit, cum fastidio, anxietate, virium lapsu, vult, ut frigidæ aquæ cyathi duo, aut tres propinentur, ad ventris adstrictionem, quo retrogradus humorum cursus prohibeatur & stomachus ardens refrigeretur. Si vero arteriarum motus ad parvitatem lapsi fuerint, sudor circa frontem & alias partes stillatim decidat, & alvi profluvium & vomitus sistatur, præsente animi deliquio, tum parum odorati & adstringentis aquæ frigidæ esse infundendum. CÆLIUS AURELIANUS, Methodicorum facile princeps, in cholerico morbo frigidam aquam per intervalla sorbere suadet, & catapotia ex ononide composita cum duobus cyathis aquæ frigidæ assumere. ALEXANDER TRALLIANUS recte quidem externum frigidorum usum prohibet in cholera, *lib. VII. pag.* 376. *sed pota*, scribit, *aqua frigida maxime omnium convenit, quæ paullatim bibatur; si virium summa imbecillitas, parum vini addendum.* Perite tamen *l. c. pag.* 475. monet, tum utilem esse frigidam: *si bilioſa per alvum & vomitum egeruntur; si æger vehementer sitit & linguam scabram habet; si æstas fuerit, æger juvenis & calidiori victu primum usus.*

§. XVIII.

Aquæ gidæ in dy ria.

Ex quibus jam recte per analogiam concludendum: in illo cholerico admodum affini intestinorum affectu, quo cum intolerandis fere torminibus ac tenesmo, bilioſa & cruenta dejiciuntur creberrime, non minus proficuum esse frigidum aquosum potum, easdem etiam ob causas. De quo saluberrimo effectu frigidi potus in dysenteria, uberius præterea testatur experientia. Sic DIEMERBROECK. *Observ. XXIX.* meminit dysenteriæ desperatæ, potu frigido sanatæ. In M. N. C. *Dec. II. ann. IX. Observ.* 53. memoratur: cruentas dejectiones, cum febre continua, acerbis torminibus, siti inexplebili, aquæ Nucerianæ frigidæ ad plures cyathos potu, fuisse percuratas. Nos ipsi testamur experti, diluentes potus, ut lactis serum, lac lymphatum, ebutyratum, aquam simplicem, aut mineralem leniorem, Selteranam scilicet, aut Swalbacensem, in dysenterico morbo profuisse eximie. Vidimus id maxime in illa dysenteria, quæ ante aliquot annos, ex calida diuturna insolita aëris æstate constitutione infestavit epidemice, nec paucos sustulit è medio. Qui enim domesticis his remediis ac diæteticis usi, melius habuerunt & sæpius convaluerunt iis, qui pharmaceuticis, quantumvis pretiosis antidysentericis, à morborum artificibus sunt tractati.

§. XIX.

In vo bilioſo turno

Accedit vomitus bilioſus & diuturnus, in quo compescendo pariter præstans est frigidus aqueus potus. In hoc certe vidimus multories saluberrimum effectum, non modo à potu acidularum

larum Antonianarum frigido, ſed & ptiſanæ, nec non aquæ frigidæ ſimplicis, cui aliquot ſpiritus vitrioli, aut liquoris anodyni mineralis guttæ inſtillatæ. Licet etiam potis liberalius acidulis, primum crebriores per os & anum ſequutæ dejectiones biliosæ, remiſit tamen brevi vomitus, nec poſtea infeſtavit amplius. Digna eſt quæ hanc in rem notetur obſervatio in *M. N. C. Dec. III. An. pag.* 166. de ſacerdote temperamenti cholerici, qui per multos annos in more habuit, ut, quotieſcunque ſe, tempore præſertim æſtivo, bile repletum ſentiret, frigidam jejuno ſtomacho copioſe hauriret, eoque ingentem bilis copiam per ſuperiora & inferiora egereret. Hæc autem evacuatio, haud immerito partim humiditati & copiæ aquæ, quæ quaſi ſordium præbet vehiculum, partim etiam ipſi frigori, quod delaſſatam motricem in fibris ſtomachi & inteſtinorum vim revocat & intendit, videtur tribuenda.

§. XX.

In ejectione viſcidarum crudarum.

Non diſpar ratio eſt, illius materiæ viſcidæ vomitus, aut minimum conatus vomendi, qui à collectis crudis & male coctis in ſtomacho ſuccis, matutino tempore, nonnullis, præſertim ſenibus, cum pectoris angore & magno egerendi niſu, accidit. Nam licet ad hunc præſcindendum quidam ex uſu eſſe putent, hauſtum aquæ cujuſdam deſtillatæ ſpirituoſæ, aut, ut vocant vitæ, veſperi aſſumtum, tantum tamen abeſt, ut ſperatus reſpondeat effectus, ut potius alvus obliviſcatur officii eoque malum ingraveſcat. Nos potius ſecura & explicita ratione ſuppetias tulimus multis conſilio: ut abſtinerent à ſpirituoſis, ac circa ſomni tempus quartam menſuræ partem aquæ frigidæ biberent, mane vero infuſum thée, vel meliſſæ, aut veronicæ, corticibus citri conditum, calide in lecto ſorbillarent, ac poſtea lenem madorem exſpectarent.

§. XXI.

Paſſione ica, colica, Hæmorrhoidi- ſup- ſus.

Quæ porro inteſtina detinent tormina, tam colica, quam iliaca, ſive à biliosis mordentibus ſuccis, ſive etiam à ſanguine in vaſis tunicarum inteſtinalium hærente oriantur, optime & certo levantur liquido, maximeque aquoſo, frigide & copioſe ſumto. Oritur enim dolor hic à cauſa, ut Veteres loqui ſolent, calida; eaque propter ipſi optime occurritur contrario, frigido potu. Scilicet incidit ſæpius, inprimis poſt iram ſuppreſſam, ut in corporibus juvenilibus, nec non virilibus, exquiſitioris ſenſus & cholericæ conſtitutionis, acres biliosi humores in cavo & flexuris inteſtinorum hærentes, ipſaque mora acriores redditi, non modo acredine ſua nervoſas inteſtinorum tunicas mordeant, ſed & in vapores reſoluti, eaſdem diſtendant nimium, eoque doloris ſenſum inferant acerbiſſimum. Neque etiam inſolens eſt, in iis maxime, quibus ſuetus hæmorrhoidum fluxus ſuppreſſus, quod ſanguis redundans, lentius per portæ venam & hepatis viſcus means, in connexis tunicarum inteſtinalium vaſis ſubſiſtat, illa diſtendat, has premat & ad ſpaſticam ſtricturam exſtimulet, qua flatibus prohibetur tranſitus & paſſim proritatur diſtenſio, ac propter preſſionem æque ac diſtenſionem, tormina ſuſcitantur fere intoleranda. Potus autem aquoſi frigidi diluens, temperans & roborans eſt facultas. Hinc mordentes biliosos ſuccos, diluendo ipſorumque inteſtinum motum compeſcendo, ita obtundit atque cicurat, ut vellicatione non amplius doloris ſenſum inferant. Sanguinem quoque craſſum obhæreſcentem fluxilem reddendo, liberum facit ipſius per inteſtina commeatum, quo ſublata à diſtentis vaſis preſſione, tollitur & dolor. Fibris præterea ob nimiam expanſionem à robore dejectis, robur reddit, ut iterum ſeſe contrahant, flatusque ad ani oſtium protrudant, quo pariter doloris conciliatur levamentum.

§. XXII.

Probatur exemplis.

Qui ſalutaris aquæ frigidæ in doloribus inteſtinorum effectus, ſicuti firma omnino nititur ratione; ita non minus per experientiam certus eſt atque probatus. Exſtant enim de eo paſſim in medicorum commentariis luculenta & teſtimonia & exempla. E quibus inſtar omnium id, quod conſignavit LUDOVICUS SEPTALIUS, *animadverſ. lib. VII. pag.* 248. dignum quod inſeratur totum. *Contingit*, ſcribit, *aliquando, ut colici dolores adeo vehementes ſint, ut omnem medicamentorum operam eludant, ac quocunque auxilio adhibito, potius augeantur. In quo caſu erit ad contraria tranſeundum. Quum enim colici dolores majori ex parte à materia fiant, aut à flatibus diſtendentibus; fit aliquando, ut aut ratione dolorum, vigiliarum, aut mœroris ob contumaciam, aut invaleſcant nimium, aut inteſtina, accedentibus etiam calidis & foris hppoſitis remediis, aut phlogoſi quadam tententur, aut etiam vera inflammatione incipiant affici, aut multa præexiſtens bilis ibidem transfundatur. Unde ad contraria erit tranſeundum & inſigniter refrigerandum. Quod mihi præterito anno contigit, in nobili quodam Hiſpano, qui cum colicis doloribus per aliquot dies acerrime fuiſſet conflictatus, & jam jam mors eſſet præ foribus, nulli perſentirentur arteriarum pulſus, ſudores eſſent reſolutorii, nulla denique ſupereſſet ſpes ſalutis, ne quidem apud Medicos, etiam præſtantiſſimos; accerſitus & ego, cum ſitim inextinguibilem, linguæ ſcabritiem, nigrorem atque duritiem, pertactis autem hypochondriis & ventre inferiori, calorem in partibus illis æſtuantem adeſſe obſervaſſem, Hiſpano aquam multam, nive etiam refrigeratam, bibendam exhibui, cum natura abſtemius eſſet. Et multæ aquæ potator in ſomnum prolapſus eſt, & quatuor horarum ſpatio cum dormiiſſet, dolore quodam inferioris ventris, à primo maxime, ut ipſe referebat, diverſo, excitatus à ſomno, miram bilis flavæ copiam evacuavit & à doloribus liber evaſit. Unde collegi, medicos, qui illius curationem ſuſceperant, in cauſa morbi illius longe deceptos fuiſſe, cum calidis remediis curationem inſtituiſſent, à frigida materia morbum factum judicantes.* Ut brevitati ſtudentes mittamus illam AMATI LUSITANI hiſtoriam, quam *Cent. I. curat. II.* de muliere colica ex cauſa calida laborante, quæ ex potu aquæ frigidæ ſubito incantamenti inſtar dolore levata eſt, nunquam redeunte, habet, nec non illam, quæ *in M. N. C. Dec. II. ann. X. obſ.* 139. reperiunda. Nos quod in confirmationem adducamus, habemus potiſſimum exemplum Sereniſſimi Principis, qui colicæ biliosæ ſæpiſſime patitur inſultus, contra quam præſentiſſimum ipſi remedium Schlangebadenſis aqua, qua ad duas vel tres menſuras ſubfrigide hauſta, illico dolor levatur ac ceſſat.

§. XXIII.

In ſtomachi vitiis, ſpaſmo, ardore &c.

Pari ratione in ſpaſmis & anxietatibus præcordiorum, in ſic dicto dolore cardialgico, ſtomachi ardore & ſoda, præſtans eſt potus frigidi facultas. Oriuntur enim utplurimum hæ paſſiones

à colluvie acrium bilioſorum, vel etiam acidorum humorum in primis viis, maximeque ventriculo, hoſpitantium, & mutua quaſi confermentatione majori acrimonia imbutorum. Quibus dum nervoſum os ſtomachi ſuperius male afficitur, oritur inde ſtrictura ſpaſtica, dolor, ardor & anxietas. His autem certo & cito ſuccurrere aptus eſt frigidus potus, ſuccos mordentes diluens motumque in ipſis ſupprimens, quo minus vellicent. Hinc recte MARTIANUS in ardore ſtomachi cardialgico hoc remedium plurimum commendat. Et CELSUS *lib. I. c. VIII.* ex vero ſcribit: *qui tarde concoquunt & quorum illico præcordia inflantur, quique propter ardorem, cum noctu ſitire conſueverunt, antequam conquieſcant, duos vel tres cyathos aquæ frigidæ, per tenuem fiſtulam potent.* Idem noſmetipſi experti teſtamur, qui ſæpius obſervavimus, aquam frigidam, vel ſolam, vel liquore anodyno mixtam, opem tuliſſe præſentiſſimam.

§. XXIV.

In malo hypochondriaco.

Inter morbos, quorum ſedes in prima corporis regione, eſt adhuc pervicax illud hypochondriacum malum. Sane qui hujus ortum & cauſas habet perſpectas; is ultro fatebitur, aquæ potum frigidum adverſus illud eſſe apprime utilem. Fundamentum enim hujus paſſionis atonia eſt ſtomachi & inteſtinorum. Hanc excipiunt ſanguinis in vaſis, & ſucci chimoſi, nec non excrementorum, in cavo inteſtinorum ſtagnationes. Hæ porro occaſionem dant flatibus & ſpaſmis, è quibus demum ſymptomata reliqua cuncta. Sed frigida aqua fibras remiſſas firmat & motum periſtalticum æquabilem reddendo, flatus diſſipat, atque id, quod in ſubſtantia æque ac cavo inteſtinorum moram nectit, in motum ciet; unde morbus totus abigitur. Quæ ſalutaris aquæ frigidæ virtus, CELSO jam cognita fuiſſe videtur; qui *lib. I. Cap. VIII.* frigidas potiones commendat, ſi ſtomachus infirmus eſt, quem pallor, macies, præcordiorum dolor, nauſea, vomitus, in jejuno dolor capitis, indicant, ſuadens porro, ut omnes potiones aqua frigida includantur; & ubi cibus aceſcit, ante bibendam aquam egelidam, & hac ratione, & vomitum, & frequentem dejectionem, promoveri, ſi alvus ſubſiſtat. Inprimis autem habeo, quod dilaudem, aquæ frigidæ uſum in malo hypochondriaco. Plures enim novi vegetæ & ſanguineæ conſtitutionis, qui huic morbo, partim ex retenta purpura chronica, partim etiam ex neglecta conſueta ſanguinis miſſione, vitæ genere ex laborioſo ſimul in ſedentarium mutato, cum vehementi melancholia impliciti; adhibitis incaſſum pharmaceuticis remediis cunctis, potu acidularum frigido, per menſem & longius continuato, habuiſſe optime, erumpente etiam ipſa purpura. Si etiam poſtea nonnulla ſymptomata ſpaſtico - flatulenta recruduerunt, dedi conſilium, ut quotidie ante lecti introitum, quarta pars menſuræ aquæ frigidæ, cum quindecim, vel viginti guttis liquoris anodyni mineralis, aſſumeretur & quandoque pulveris nitroſi & pilularum balſamicarum uſus interponeretur. Et ſic ſæpiſſime hoc medicorum ſcandalum ſuſtulit feliciter.

§. XXV.

Pariter in affectu hyſterico.

Quod in viris hypochondriaca, id in fœminis hyſterica pathemata; unde in promtu eſt colligere: in his non minus, quam illis, accommodatum eſſe frigidum potum. Quam atrocia ſint in hyſterica paſſione ſymptomata, præcordiorum angores, ventris tormina, dorſi dolores, artuum convulſivæ tractiones, tendinum ſubinde ſubſultus, animi deliquia, pulſuum debiles & inæquales ictus, faucium præfocationes, conatus ad vomendum, cordis tremores & ſpiritus intercluſus, per ipſam experientiam uberius conſtat. Quam difficulter malum hoc penitus exſtirpetur, ita, ut ſæpe omnium efficaciſſimorum alias pharmaceuticorum remediorum virtutem eludat, pariter eſt notum. Multiplici tamen experientia confirmatum habeo, à nullo tam præſentaneum & certum adverſus illud auxilium eſſe exſpectandum, quam ab aqua frigida, qua ad uncias ſex, vel ſola, vel cum tertia parte aquæ ceraſorum nigrorum remixta, inſtillatis ſimul quindecim liquoris anodyni mineralis guttis, pota, pathemata diſcutiuntur cuncta. Vidi id nuperius admodum in fœmina venuſta, quæ per tres integros menſes ante connubium laboravit hoc malo graviter, & tertio poſt nuptias menſe in illud recidit, ſolo autem hoc remedio, cum mariti & propinquorum gaudio, facili & explicata ratione ad ſanitatem reducta.

§. XXVI.

In p affec tuſſi

Neque tantum in prima corporis regione frigidum humidum efficaciam ſuam exſerit; ſed eandem etiam longius in alias remotas corporis partes diffundit. In tuſſi enim quæ ferina, ſive convulſiva audit, eximie quoque prodeſt. Tuſſis hujus cauſa non humor copioſus lenteſcens ejiciendus ſcreatu, ſed acris quædam ſubtilis materia. Neque ſedes ipſius in ipſa veſiculoſa pulmonum ſubſtantia, ſed in pneumonicis nervis, qui ab inhærente vellicante materia, cum totius pectoris muſculis, ad vehementem moleſtiſſimum motum ſuccuſſatorium exſtimulantur. Quare fruſtra penitus in hoc tuſſis genere dantur ſic dicta expectorantia, laxantia & pituitam incidentia. Sed quæ cauſæ inprimis accommoda, ſunt ea, quæ placide diaphoreſin ſine æſtu interno excitant. Inter quæ haud immerito locum tenet diluens potus, propter frigus ſimul roborans & ulteriorem affluxum & decubitum impediens. Unde ſaluberrimum eſſe potum ejuſmodi frigidum innoteſcit. Quem etiam noſmetipſi utiliorem deprehendimus, quam calidum, in adultis, æque ac infantibus ſic tuſſientibus.

§. XXVII.

In arti ſtim

Quod vero magis videtur mirabile, in externarum quoque partium vitiis frigidus potus opitulatur eximie; quorum in numero ſunt dolores, qui tam articulos affligunt, quam etiam membranis muſculorum inſident. Ad præſervationem enim articularium morborum perutilem eſſe aquoſum potum teſtis eſt BRUYERINUS *de re cibar. lib. XVI. c. III. ex hydropotis*, inquiens, *nemo facile eſt, qui hunc in morbum* (arthritidem ſcilicet) *prolabitur.* Quam ſalutaris vero ſit ad curationem paſſionum in articulis, fidem facit LANZONI, in *M. N. C. Dec. III. Ann. III. obſ. XXV.* memorans: ſacerdotem quendam, doloribus articulorum continuis miſere afflictum, abſtinentia à vino & ſolo potu aquæ ſimplicis, ſic feliciter convaluiſſe ut arthriticus eſſe plane deſierit. Eundem felicem potus aquæ ſucceſſum POTERIUS *Cent. III. cap. 39.* prodidit; ſic perhibens: *Dn. CÆSAR LEVANTE in juventute peſſima arthritide vexabatur, cujus cauſa quinque vel ſex menſes in lecto decumbebat. Primi dolorum inſultus adeo efferati erant, ut ad duos*

menſes

menſes nullo pacto quieſcerent. Primis diebus ad eum vocatus, pilulas catholicas alternis ipſi diebus præſcripſi, ubi contumax erat dolor, laudinas ipſi miſcui. Ad totalem autem curationem ipſi indicavimus, ut bis in menſe de dictis aſſumeret & loco vini in potu biberet aquam perpetuo. Quod præſtitit per decennium, quo tempore perfectam adeptus eſt ſanitatem, ſcipiones & cruces, quibus in ambulando utebatur, primo abjecit, tandem baculum, & modo rectus, ſine auxilio incedit, modo agit ſexageſimum annum, optimo robore donatus & optima valetudine fruens.

§. XXVIII.

In doloribus arthriticis, podagra &c.

Salutarem hunc aquæ potus effectum etiam multiplici experientia habemus confirmatum. Quam præſtabile enim ſit adverſus podagricos dolores remedium, fuſe docui in diſſertatione *de remedio doloris podagrici genuino & ſimpliciſſimo.* Arthriticos vero quoque dolores cum orta inde contractura, aquis in Germania paſſim obviis medicatis quidem dictis, ſed indole tantum levibus ac puris & nonnihil de martiali elemento habentibus, liberaliter, ad unam, vel duas menſuras, quotidie aliquandiu potis, penitus abactos eſſe ſæpius novi. Memini potiſſimum viri, qui per novem & quod excurrit annos manuum pedumque contractura, ex dolore poſt tertianam male curatam affectus fuerat. Is enim poſteaquam ſalubrem noſtratem aquam, quæ ante ſuburbium Glauchenſe, in via qua itur Bœlbergam ſalit, ac præter tenuia nonnulla martis ramenta, à fontana pura & levi non differt, per aliquot hebdomades, quotidie ad ſex vel octo menſuras potaſſet, urinam excrevit copioſiſſimam, manus & pedes ſucceſſive redierunt ad officium & cum maxima omnium qui ipſum ante noverant admiratione, perfectam omnino recuperavit ſanitatem. Ut ſilentio prætereamus plura alia exempla: doloris rheumatici, iſchiadici, per frigidum Egranarum aliarumque mineralium aquarum potum & balneum ex aqua martiata Lauchſtadienſi, feliciter expugnati.

§. XXIX.

Cephalalgiis.

Nec minus in capitis dolore, tam idiopathico, quam ſymptomatico, ſpectatæ virtutis eſt frigidus aquæ potus. Symptomatica enim cephalalgia ſæpius oritur ex ventriculi vitio, à biliosis, acribus, acidis & male coctis ſuccis, in hypochondriacis maxime & hyſtericis, juncta cum lento circa veſperam increbeſcente calore. Et in hac utique ſaluberrimum ſæpius deprehendimus ſimplex noſtrum remedium, ita, ut pota ad quartam, vel dimidiam menſuræ partem aqua fontana, cum tertia parte aquæ ceraſorum nigrorum, aut florum tiliæ, circa lecti introitum, dolor extemplo ſit diſſipatus; uti noviter admodum compertum habemus exemplo fœminæ honeſtæ Islebienſis. In idiopathico vero etiam capitis dolore, cujus cauſa & ſedes in ipſius capitis & cerebri membranis, aquam frigidam potam prodeſſe, hæc teſtatum facit hiſtoria. Vir erat Hebræus, circiter quadragenarius, ſtrictioris corporis habitus, qui ab iracundia & ſuperingeſto cibo, contraxerat dolorem in vertice capitis fixum, ſpatium occupans magnitudine imperialis. Senſus hujus doloris quidem non adeo erat acutus, vibratorius, lancinatorius, aut pulſatorius, uti alias in cephalalgia eſſe ſolet, ſed magis preſſorius & gravativus ſub cranio; neque erat perpetuus, ſed ſubinde, maxime circa veſperam & nocte, ingraveſcebat. Nihilo minus tamen adeo graviter inde luebat univerſum corpus, ut appetitus concideret, ſomnus abeſſet, vires mirifice deficerent, pulſus inordinatus, modo celer, modo rarus & languidus micaret, ipſe quoque animus abjectus eſſet & ſub paroxyſmo quandoque plane turbaretur. Pugnatum fuerat adverſus hunc dolorem ab aliis ſtrenue & efficaciſſimis alias remediis. Sed licet quandoque inde remittere per aliquot dies videretur, levi tamen accedente occaſione, ex ira, aut aliis externis injuriis, iterum vehementia recrudeſcebat priori. Exactis inter hæc duobus circiter menſibus, in conſilium ſimul vocatus eſt medicus certus. Is purgato prius per aquam Sedlicenſem corpore, dedit conſilium, ut æger mane & poſt meridiem biberet dimidiam menſuram aquæ fontanæ frigidæ in lecto. Inde primum quidem factum refrigerium & ſymptomata viſa exacerbata, ſed elapſa hora, pulſuum magnitudo increvit & ſudor erupit largiſſimus, cum doloris levamine. Hinc per ſeptem dies potum continuare præcepit; tam felici ſucceſſu, ut ſucceſſive dolor evaneſceret omnis. Ac licet elapſis aliquot hebdomadibus, poſt iram dolor hic repeteret, eodem tamen remedio per triduum uſurpato, iterum feliciter eſt diſcuſſus, & æger ſanus jam eſt ac vegetus.

§. XXX.

In convulſione.

Revocat hæc hiſtoria in animum aliam de ſingulari effectu potus aquæ frigidæ in affectu atroci ſpaſmodico convulſivo, quam heic inſerere non erit alienum. Puer hebræus duodecim annorum, à terrore & frigore, incidit in ingentes præcordiorum anxietates, cum tuſſi, virium lapſu, extremorum tremore, intercurrente horripilatione & interno æſtu. Tertia die poſt manus & pedes convulſivis motibus & ſubſultibus agitati, per horæ dimidium inſiſtentibus. Inde magis magiſque increverunt convulſivi hi motus, ut dorſum & collum aſpectu horrendis incurvationibus & contractionibus quaſſarentur, idque aliquoties quotidie. Sub paroxyſmo pedes frigebant, thorax elevabatur, reſpiratio erat crebra, pulſus celer & durus, ſenſus tamen conſtabant. Poſt paroxyſmum languebat corpus univerſum, appetitus vero cum ſomno erat integer. Adhibiti in conſilium medici multi, exterorum etiam conſilia conquiſita. Plurimi verminoſam progeniem ſubeſſe cauſam rati, aliqui per terrorem invectum eſſe malum putarunt. Sed data, tam ex illorum ſcientia anthelmintica, quam ex horum præſcripto antepileptica, adhibitis ſimul balneis, fuerunt prorſus fruſtranea. Malum potius perſtitit idem, quin ſubinde factum acerbius. Tandem miſer aquam fontanam frigidam, ad unam, vel dimidiam menſuram, quotidie per vices bibere juſſus eſt. Quo intra quatuordecim dies motus iſti convulſivi paullatim compoſiti, nec in hoc uſque tempus iterum infeſtarunt.

§. XXXI.

Ratio horum effectuum.

Singulares certe & mirabiles ſunt hi aquæ frigidæ effectus; quin inter fortuitos caſus eoſdem referendos eſſe, nonnullis forſan videbitur, quia ratio eorum non adeo obvia. Nos autem cenſemus, cauſam reddi poſſe haud adeo difficulter. Arbitramur quippe: frigidæ potum interdum artificialem quaſi febrem & motum febrilem auctum efficere, cujus in reſolvendis minimorum obſtructionibus & diſcutienda alicubi hærente vitioſa materia, magna vis eſt. Nulla enim febris fit ſine rigore partium externarum; hoc ſanguis intror-

introrsum ad vasa majora congeritur ; indè horum fit major diastole ; quæ in corporibus adhuc valentibus æqualem proritat systolem intensiorem ; hinc universus sanguinis circulus fit auctior & celerior, atque per motus sic intensos causa morbum ingignens concutitur simul & discutitur. Quare prisci medicinæ parentes, HIPPOCRATES & CELSUS, febrem jam habuerunt medicinam, quo magni etiam morbi curantur, paralyses, epilepsiæ, convulsivi motus & affectus spasmodici hypochondriaci. Quin consultum duxerunt, suppressa citius febre, novam accendere. Qua de re pluribus videnda dissertatio *de salubritate febrium*. Atque ex his etiam in promtu ratio : cur balnea frigida, in persanandis chronicis morbis, hydrophobia, paralysi aliisque, mirabilem sæpe ferant opem ; quod vero argumentum peculiari forsan dissertatione uberius excutietur.

§. XXXII.

Cautela circa usum aquæ frigidæ.

Atque hi sunt illi morbi, in quibus aquæ frigidæ potum conducere certum est. Longe plures etiam enumerantur in libro, de *virtutibus medicinalibus aquæ communis*, anglice, auctore SMITH conscripto, & gallice Parisiis edito, in quo potissimum ceu febrifugum magnum & antipestilentiale dilaudatur, & vix morbus est, in quo non prodesse asseritur. Sed nobis sufficit, attulisse illos effectus, quos ipsi spectavimus & propria experientia certos esse novimus. Id vero necessarium erit, ut ultimo loco subjungamus monita quædam, ad obtinendum salutarem effectum servanda. Igitur quando ex vehementi corporis commotione, interiora æstuant & corpus sudore perfunditur, frigidus potus, præsertim largus, utique nocentissimus, & nunquam præbendus est. Idem tenendum, quum per vehementem iracundiæ affectum animalis œconomia & motuum vitalium successus exagitatur ac turbatur. Ubi interiores partes, inprimis stomachus cum intestinis, ipso in paroxysmo atrocibus spasmis & doloribus torquentur, cum extremorum frigore, pulsu duro & inæquali, potum actu frigidum propinare est inconsultum. Majori adhuc cautione opus est, si internæ cujusdam inflammationis signa adsunt, quæ frigore omni, quod stasin obfirmat, non potest non exacerbari & ad sphacelum disponi. Neque etiam frigidum humidum sine noxa dari potest senibus & ubi longa valetudine vires admodum languent; neque ubi crudis vitiosis humoribus prima regio obsessa, & in fœminis, præsertim ex criticarum sanguinis evacuationum defectu, metus est cachexiæ. Spectanda potius in omni hujus remedii, simplicis quidem, sed effectu heroici, usu, ætas, structura solidorum, temperies humorum, morbus, ipsius causa & tempus. Quod si enim corpus juvenile, biliosum; si morbus ex acrimonia & copia bilioforum humorum enatus ; si vires adhuc constant ; si morbi non est impetus & paroxysmus ; corpus totum æqualiter calet, neque sanguinis, vel humorum propter spasmos præsto sunt congestiones : frigidus aquæ potus utique non reformidandus est, sed commendandus.

§. XXXIII.

Ultimo loco quædam adhuc de perniciali hujus remedii abusu ad §. VI. illustrandum merentur adduci. Posteaquam ante aliquot annos compluribus locis varia de excellenti aquæ frigidæ usu medico, & Gallico & Anglico idiomate scripta, prodierunt, & quidam medicorum non levem in praxi inde experti erant fructum, mox ut fieri ab imperitis solet, ceu universali ad omnis generis morbos tum arcendos tum sanandos remedio empirice sine ullo habito discrimine morbi ejusque causæ, individui & naturæ corporis aquæ frigidæ potu uti cœperunt, & sæpius non sine exitiali damno. Ex compluribus exemplis saltim quædam attingam : Juvenis isque medicus ad seminium purpuræ scorbuticæ, cui sæpius obnoxius fuit, delitescens penitus delendum loco cereviſiæ quotidie tres vel quatuor aquæ frigidæ mensuras hausit. Sed exacto aliquot septimanarum spatio magna increvit sitis, quæ, quo majori aquosi potus copia ad eam sedandam utebatur, eo minus extinguibilis reddita fuit, ut nec decem mensuræ illi compescendæ sufficerint : defuit illi omnium ciborum appetentia, secuta est macies cum æstu universi corporis, virium consumtio, & tandem mors ; promte aquæ copia per urinam & alvum secedebat, sed ne quicquam madoris in cute, quæ rigida dura & stricta erat, apparuit. Novi etiam aliquot exempla hypochondriacorum, qui præscripto frigidæ ad tres vel quatuor mensuras singulis diebus potu misere gravibus symptomatibus cruciati fuerunt, sufflaminata identidem perspiratione, partes nervosæ tum internæ tum externæ doloribus spasmis & convulsionibus agitabantur, tam atrociter, ut vix ulla remedia locum invenirent commodum ; & quod notabile erat, ab enormi hoc frigidæ potu partes musculosæ nervosæ & fibrosæ aspectu & tactu rigidiores duriores & crassiores redditæ fuerunt. Pulsus quoque arteriarum longe durior erat naturali. Longiori vero ex meo consilio balneorum temperatorum & remediorum diluentium & demulcentium usu in meliorem quodammodo valetudinis statum pervenerunt.

FINIS.

INDEX

INDEX
LOCUPLETISSIMUS
RERUM OMNIUM
in toto hoc Volumine contentarum.

A

ABORTUS periculosior partu. Pag. 79. quandoque salutaris. *ibid.* quomodo fiat. *ibid.* abortum passæ facile in eum recidunt. *ibid.* quæ faciant. *ibid.* à terrore procreatus. 191. non sine convulsione succedit. 306. ex uteri atonia. 307. post abortum & puerperium. 353. præcavetur venæ sectione in brachio. 457.

Abscessus uteri unde. 167. 168. à fortioribus emeticis coorti. 166. ex morbillis & variolis. 164. seq. differt ab ulcere. 326. interni signa. 325. in abdominis integumentis quandoque subsistit. *ibid.* in thorace. *ibid.* post variolas. *ibid.* in mesenterio. *ibid.* musculorum dorsi. *ibid.* uteri. *ibid.* renum. 326. in parotidibus. *ibid.* sinubus frontis. *ibid.* pulmonum facile recidivat. 356. interni rupti mortis causæ. 400. quid denotet, & quodnam genus illius proprie sic dicatur. 356.

Absorbentia veteribus ignota. 429. eorum apparatus. 428. differentiæ. *ibid.* amplissimæ utilitatis. *ibid.* correctioni materiæ dicata. *ibid.* cum acido in tertium cedunt. *ibid.* præmittenda purgantibus. *ibid.* naturæ opus juvant. 413. quædam adstringunt. 428. cur alvum ducant. 384.

Absorbentium terreorum usus. 139. efficacia in avertendis morbis chronicis. 253.

Abstinentia & motu prius tentandi morbi quam medicamentis. 139.

Acaciæ fructus adstringunt alvum. 261.

Acetum antidotis annumeratur. 201. alvum adstringit. 261. vini optimum alexipharmacum. 204. polysarkia laborantibus commendatur. 252. specificum in peste. 450.

Acicula deglutita quæ mala genuerit. 237. deglutita atrocia ciet pathemata. 312.

Acida ad sanguinem delata fiunt salsa. 69. 38. feces alvinas reddunt albas. 66. primis viis sunt infesta. 107. tenesmum concitant. 66. Senes lædunt. 134. arcendis miasmatibus aptissima. 204. cur inimica corpori humano. 185. 189. quibus noceant & cur. 178. temperant. 429. pulsum mutant. 369. sanguinem coagulant. 374. optima alexiteria. 450. infensa humorum progressui. 428. nitrosis postponenda. 429. clysteribus non indenda. 468.

Acido in primis viis copioso, qui cibi vitari debeant. 111.

Acidum & Alcali nec non viscidum, non universales morborum causæ. 17. seq.

Acidulæ præstantissimum sanitatis præsidium. 139. non semper curant malum hypochondriacum. 153. fœminis commendantur. 243.

Aconitum venenatæ est naturæ. 210.

Actiones naturales quæ sint. 54.

Acuta febris in quo consistat. 407. seq. plerumque inflammatione stipatur. *ibid.* cur recidivet. 356. à natura sanatur. 407. quomodo per artem. 408. venæ sectionem poscit. 456. symptomaticæ malæ. 411.

Acuti morbi quomodo differant à chronicis. 410. caute tractandi. 403. funesti signa. 391. seq. causa mortis in iis sphacelus ventriculi & intestinorum. 400. seq.

Adolescentia quibus morbis exposita. 184.

Adstringentia interna retropellendi pollent facultate. 207. eorum indoles & effectus in genere. 260. quatenus adjuvent excretiones. *ibid.* fortiora appetita naturæ inimicissima. 261. adeoque caute adhibenda. 262. quæ sint. 446. quomodo agant. 447. qua methodo exhibenda. *ibid.* insecura. *ibid.* debilibus noxia. 344. hydropem gignunt. 352. nocent in alvi fluxibus. *ibid.* hæmoptysi. 354. intermittentibus. 350. hæmorrhagiis. 344. gonorrhœa. 354. clysteribus non indenda calculum præscindunt. 447.

Ægri statim à morbo non nimis nutriendi sunt. 358.

Ægroti aliquid concedant consuetudini. 138.

Æquinoctium venæ sectioni cur opportunum? 454. quænam affectiones circa illud familiares. 360.

Aër multum à se differt. 103. sanitatem dispensat. 101. quid in sanguine efficiat. 45. inspiratione non subit ipsum sanguinem. 46. corpus tamen valde alterat. *ibid.* tonum fibrarum diversimode afficit. 35. calidus debilitat. 104. quid sub eo imperandum. 105. frigidus contrahit fibras. 35. quibus cavendus. 134. temperate frigidus præstat calidiori. 104. humidus nocet. 105. humidus & calidus expandit fibras corporis nostri. 35. inconstans repletionem interdicit. 106. purus qualis. 104. serenus excitat vires. 33. 104. temperatus qualis. 104.

Aëris detractio quomodo necet. 31. ingressu in pulmones quare opus. 45. ad sanitatem usus. 104. impuri noxæ quomodo avertantur. *ibid.* intemperati noxæ. 105. quomodo avertendæ. *ibid.* subita mutatio nocet. *ibid.*

Aër magna pollet vi ad immutandum corporis habitum. 156. duplex necessarius ad vitam & sanitatem. 264. multa continet corpori humano insensa. 207. nocivis exhalationibus quandoque scatet. 224. in omnibus animantium succis reperitur. 264. per quas vias se corpori humano insinuet. 211. quomodo in sanguinem venire possit. 264. valde frigidus & humidus cur noxius. 189. vespertinus & nocturnus nocet. 211. universale menstruum. 210.

Aëris natura. 228. seq. naturam & vires nosse debet medicus.

medicus. 158. cur tanta ad vitam animantium conſervandam ſit neceſſitas. 156. repentina mutatio corpori inimica. 185. 267. vis in corpus humanum. 158. 263.
Aër mutat corporis functiones. 291. pulſum. 368. excretiones. 381. morborum epidemiorum cauſa. 291. 334. purus & temperatus ſalubris. 287. craſſior impurus inſalubris. *ibid.* perſpirationem mutat. 288. 334. frigidi effectus. *ibid.* humidi. *ibid.* calidi. *ibid.* frigido-humidus perſpirationi obeſt. *ibid.* ſubitanea illius mutatio quid cutis tono noceat. 360. frigidus qualis ſit. 470.
Æſtas quos proferat morbos. 266. quos gignat morbos. 334. qualis in eo pulſus. 368.
Æſtate abſtinendum à tabaco. 136. ut & venere. *ibid.* quali victu utendum. *ibid.*
Ætas in hiſtoriis morborum neceſſaria. 286. ad morbos facit. 308. 349. pulſum mutat. 368.
Affectus animi alterant corpus. 97. conſueti minus nocent. 138. gravidæ tangunt fœtum. 79. ſanitatem affligunt. 102. ſenes valde lædunt. 135. turbant negotium menſium. 136. eorum noxæ à medico indagandæ. 102. ſeq. iis aſſueti viſcerum labe plerumque affecti ſunt. 103. ex iis multi mortui. 102. animi ſunt cauſæ morborum proximæ. 173. æque nocent, ac venena, & cur? 189. 195. cur eos gravia ſymptomata comitentur. 158. retropellendi facultate pollent. 207.
Albinus. 17.
Alcali & Acidum non univerſalis morborum cauſa. 17.
Alcalinorum uſus ad ſanitatem tuendam. 139.
Alcalinum ſal urinam ſubit. 69.
Alcalina ſanguinem fluidiorem reddunt. 374. terrea abſorbent. 428. non ſoluta ſtomachum gravant. *ibid.* non penitus ab acido ſolvuntur. *ibid.* alcalina ſalia celerrime ſolvuntur. *ibid.* ſoluta in tertium degenerant. *ibid.*
Alexipharmaca in malignis minus proficua. 437.
Alimenta acida nutritioni non quadrant. 108. ſanitatem oppugnant. *ibid.* coagulo obnoxia vitanda. 109. commoda vigorem præſtant. 33. conſtringentia nocent. 109. cruditatem generantia. *ibid.* duriora ſunt incongrua. 108. à quibus facile vincantur. 109. in primis viis fermentationem ſubeunt. 59. mucida viſcoſa nocent. 109. noxia quænam. *ibid.* optima quænam. 105. etiam non optima parum nocent, niſi quantitate peccetur. 111. ſanitatem diſpenſant. 105. ſenibus quæ incommoda. 134. villoſam tunicam obſtruentia. 109.
Alimenta, cur homini tantopere neceſſaria. 157. 246.
Alimenta nocent in morbis ſpaſmodicis. 320. valentis materiæ debilibus noxia. 421. ſuperato morbo parce danda. *ibid.*
Alimentorum facultates ad tres claſſes commode referuntur. 107. uſu quotidiano egemus. 106.
Alimentorum naturam noſſe debet medicus. 158. ſufficiens quantitas, cur requiritur. 246. vitia quos generent morbos. 245.
Allium remedium contra dyſenteriam. 232. ex lacte coctum remedium contra vermes. 236.
Aloe hæmorrhoides movet. 343.
Aloes virtutes. 215.
Aloephanginarum pilul. inſignis uſus. 216.
Aloetica quibus & quando conveniant. 434.
Alpinus (Proſper) 21.
Alterantia materiæ correctioni dicata. 427. quadruplicis generis. *ibid.* pro materia corrigenda variant. *ibid.*
Alteratio à natura non perficitur. 413.
Altiora loca aërem ſalubriorem habent. 104.
Alvi crebrior depoſitio ſalutaris. 120. excrementa variant. 66. laxitas nimia nocet. 118. libertati ſtudendum. 139. quæ huc faciant medicamenta. *ibid.* plus juſto retentæ, noxæ. 64. 66. adſtrictio à dolore dentium. 168. ex difficili dentitione. 237. à potu frigido. 233. à terrore oriunda. 191. incommoda capiti. 262. dejectio cur turbetur à diuturnis meditationibus. 158. fluxus à vermibus. 235. temere ſuppreſſus quæ pariat incommoda. 262. juſta ſucceſſio multum confert ad tuendam valetudinem. 157. ſuppreſſio plurium morborum matrix. 203. obſtructio à ſpaſmo inteſtinorum. 304. ſuccos inquinat. 320. varia pathemata inducit. 304. in febribus noxia. 355. cur aliquamdiu indemnis. 383.
Alvina excretio non ſupprimenda. 118. in morbis conſideranda. 288. 289. 384. multum ad ſanitatem facit. 288. 384. motus inteſtinorum index. 385. quæ evehat. 383. ſub doloribus & ſpaſmis ſupprimitur. 320. nec non in capitis & nervorum morbis. 386. ſine noxa aliquamdiu ſupprimitur. 383. in morbis prudenter movenda. 386. tarda ex bilis defectu. 384. mala. 385. ſuppreſſa morbos inducit. 288. involuntaria unde. 307. nimia & inordinata quid indicet. 385. ſeq. nimia quomodo compeſcenda. 386. 443. Vid. *Purgatio.*
Alvinæ fæces motu periſtaltico expelluntur. 67. multum humidi habent. 66. earum examen chymicum. *ibid.* Vid. *Excrementa.*
Alvum adſtrictiorem habentibus quid faciendum vel fugiendum. 131. quæ ſupprimant. 118. nimis fluxam habentes quid juvet. 131.
Alvus quæ dimittat. 66. infantum ſit aperta. 133. pendet à conditione motus periſtaltici. 67.
Amarorum uſus. 139.
Amnios quid & ubi. 78. 80.
Amygdalæ amaræ volucribus & canibus venenata. 198.
Amygdalarum dulcium oleum certiſſimum contra venena auxilium. 201. oleum in doloribus & ſpaſmis utile. 318.
Analeptica quæ ſint. 444. quomodo agant. *ibid.* limitatæ virtutis. *ibid.* pulſum mutant. 369. motum refocillant. 321. optima nutrientia. 444.
Anaſarca à potione frigida. 234. ex aſthmate gignitur. 352. balneis vaporoſis diſcutitur. 465. purgantibus curatur. 436.
Anatome medico neceſſaria. 15.
Anatomes & phyſices neglectus peperit ſectas. 15. ſeq. peritia medico neceſſaria. 149.
Angina ejus ſpecies. 295. quomodo gignatur. 302. ſpaſmis debetur. *ibid.* ſuffocatione perimit. 394. venæ ſectione ſub lingua levatur. 458. 459.
Anguſtia vaſorum conſiderabilis. 27.
Anima diſtinguit nos à brutis. 88. cum ſenſitiva non confundenda. *ibid. ſeq.* cum corpore qua lege unita *ibid.* corpus alterat. 97. an ſit cauſa motuum vitalium. 33. non efficit omnes motus. 97. utitur miniſterio corporis. 96. in vitales & naturales actiones abſolutum jus non habet. 97. motus vitales ac naturales afficit. 102. ſenſitiva à rationali diſtinguenda 88. quid ſit. *ibid.* perperam à veteribus omnium motuum cauſa venditata. 150. 155. rationalis & conſilii particeps non eſt conſtituendum principium medicinæ. 152. ſed eſt commentum. 151. non eſt medicinæ principium. 300. perperam dicitur natura. 405.
Animalia viva diſciſſa imponenda morſis à cane rabido. 179.
Animalium partes quænam difficilius concoquantur. 109. ſeq.
Animantia munda lege Iſraëlitarum qualia. 106.
Animi inclinationes multum pendent à circulo ſanguinis. 52. mores ſequuntur temperamenta. 29. pathemata quomodo corpus alterent. 36. tranquillitas vitam ſanam præſtat. 97. Vide *affectus animi*. pathemata proxime afficiunt nervos parteſque nervoſas 310. effectus mere corporeos præſtant. *ibid.* eorum effectus

effectus. 287. functiones corporis turbant. 310. morbos pariunt. 287. mutant pulsum. 368. vires debilitant 349. humores corrumpunt. 319. ventriculum afficiunt 313. 319. excretiones criticas sistunt. 288. ad colicam faciunt 297. curationi obsunt 287. nocent in morbis exanthematicis. 315. nec non inter & post pastum. 319. post eas motus insalubris. 412.

Animus in morbis considerandus 287. conspirat cum corpore. *ibid.* ejus inclinationes à corporis structura. *ibid.* & progressu humorum per caput 305. nimis fatigatus ventriculum debilitat. 313. stupidus ex apoplexia unde ? 350. ejus morbi hæmorrhoidibus solvuntur. 343.

Anni humidi & pluviosi valde insalubres 209. tempora peculiares gignunt morbos. 177.

Anniversarii morbi. 183.

Anodyna sitim sedant. 60. eorum usus in progressu calculi per ureteres. 71. Vid. *Soporifera* & stupefactiva mitiora. 216. quæ sint. 448. quomodo agant *ibid.* quomodo utiliter adhibenda. 416. diaphoreticis in doloribus miscenda. 438.

Anodynus liquor celeriter operatur. 317. optimum sedans. 449. in doloribus maxime 419. specificum in epilepsia symptomatica. 451.

Anorexia ex nimia aquarum ardentium potatione 255. seq. unde. 306.

Anthelminthica num tantum circa novilunium porrigi debeant. 236. quæ optima. 452.

Antidotum universale veterum. 201.

Antidotus optima oleosa 312. & pinguia. 430.

Antimonium crudum specificum in passionibus rheumaticis. 450. sulphur in acribus salsis defluxionibus utile. 318. specificum contumacium intermittentium 450. & guttæ serenæ. 453. regulus medicinalis acres & salsas defluxiones arcet. 318. specificum in contumacia intermittentium. 450.

Antispasmodica quæ sint 448. quomodo agant *ibid.* hæmorrhagias sistunt. 417. non sola curant malum hypochondriacum. 317.

Anus prolapsus balneis reprimitur. 464. resolutus involuntariam facit excretionem. 307.

Aortæ fabrica cur notabilis. 41.

Aphonia unde. 187. à vermibus genita 235. à spasmo nervorum lingualium. 305. & paralysi 306. in verminantibus obvia. 305.

Aphthæ differunt ab angina. 295.

Apophlegmatizantia quæ sint & quando adhibenda. 442.

Apoplexia cur non adeo frequens. 185. pueris rarior *ibid.* à terrore oriunda. 191. cur præsentissimæ mortis causa. 160. ex copiosius sumta aqua Matthioli. 256. ex pathematibus animi. 182. nonnunquam hæreditaria 183. 349. quandoque mercurialium progenies 220. sanguinea & spasmodica unde 165. ab ira vehementiori producta. 191. senum unde. 242. 262. vera vel spuria 299. 327. facile recidivat. 359. in paralysin transit. 350. à spasmo duræ matris. 305. differt à catalepsi 299. syncope *ibid.* stuporem animi gignit. 350. ex scabie repulsa 336. podagra emanente 338. suppressione mensium. 341. lochiorum 342. hæmorrhoidum 343. narium hæmorrhagiæ. 346. seq. qualis in ea pulsus 371. lethale in ea. signum thoracis convulsio. 306. spasmis stipatur. 302. causa mortis in ea 396. clysteribus sanatur. 467.

Apoplexiæ veræ causa extravalatio. 299. 302. 327. spuriæ causa stagnatio. 299. 302. 305. 327. vitam non adimit 299. 305. hystericis familiaris 299. 305. venæ sectione discutitur. 458.

Apostematum generatio. 165.

Appetitus & digestio in omni fere morbo læduntur. 60. ejus causa mechanica. *ibid.* quibus destruatur. *ibid.* dejectio periculosa. 246. quibus revocandus. 445.

Aqua pluvialis subtilior reliquis. 112. medicina universalis. 254. simplex optima medicina 463. ad balnea quæ optima. 464. quomodo emendanda. *ibid.*

Aquæ bonæ quales. 112. calidæ potæ commoda. 111. corriguntur coctione. 112. insalubres quænam. *ibid.* potus commoda. *ibid. seq.* cerevisiæ merito antepo-nitur. *ibid.* potores sani & longævi. *ibid.* quomodo explorandæ. *ibid.* salubres, cur principio quosdam offendere videantur. 64. stagnantes & putrescentes noxia evibrant effluvia. 207. seq. cur acrimoniam ingenerant plantis 210. paludinosæ levissimæ. 209. ardentium abusus quam noxius. 255.

—— minerales infarctus & obstructiones tollunt 321. excretiones promovent 348. succos depurant. 321. specificum in hypochondriaca & hysterica passione. 451. continuato usu juvant 423. potissimam facultatem aquæ debent. 463. balneis socianda. 464. ingredientia ab auctore detecta. 426. martiatæ interius & exterius proficuæ. 464.

—— pluvialis aquæ præstantia & quænam tanquam universalis medicina inserviat. 469. 476. experimentum de corde carpionis aquæ tepidæ & frigidæ injecto. 470. frigidæ ad curandos morbos facilitas *ibid.* frigidissima in febribus ad ardorem temperandum à *Galeno* est porrecta. 471. frigidæ usus in morbo cholerico atque dysenteria 472. in vomitu bilioso diuturno *ibid.* in ejectione viscidarum cruditatum 473. in passione iliaca, colica, hæmorrhoidibus suppressis *ibid.* in doloribus intestinorum *ibid.* in stomachi vitiis, spasmo, ardore &c. *ibid.* malo hypochondriaco 474. ut & affectu hysterico *ibid. it.* in pectoris affectibus, tussi &c. *ibid.* in vitiis partium externarum, ut arthritide, podagra &c. 475. in capitis dolore tam idiopathico, quam symptomatico *ibid. it.* in affectu spasmodico-convulsivo. *ibid.* monita quædam Autoris ad usum illius pertinentia. 476. imperite à nonnullis medicis fuit adhibita. *ibid.*

Aquarium insessus. 140. cohibet nimiam transpirationem. *ibid.*

Arabes quædam chymica reliquerunt. 21. argenti vivi usum externum docuerunt. *ibid.* bona remedia invenerunt. *ibid.*

Arcana adversus morbos specifica non dantur. 153. non semper effectus præstant. 290.

Archeus Helmontii figmentum. 17.

Ardens febris qualis in ea pulsus. 371. sanguis. 373. seq.

Argentum vivum olim annumeratum venenis 197. nullam exerit in corpus operationem, nisi solutum 218. ex quo veri veneni naturam induit 197. 219. ut ex communibus veneni notis patet. 219. glandulas faucium afficit & salivalem laticem copiose ex iis ducit *ibid.* cur tam vehementem producat in corpore humano effectum. 220.

Aridura quibus tractanda. 431.

Arnica specificum ad sanguinem congrumatum. 453.

Arnoldus Villanovanus. 21.

Aromata insalubritatem alimentorum corrigunt. 110.

Arsenica veteribus incognita 197. ipsorum patria. *ibid.*

Arsenicalis aqua infamatum venenum. 198.

Arsenicum album venenum fortissimum 196. cum butyro capiti illitum funesta peperit symptomata. 199.

Arsenicum externe applicatum nocet. 310.

Arteriæ asperæ usus. 45.

Arteria partis ligata motus impotentiam facit. 36.

Arteriarum carotidum & vertebralium communicatio ad secretionem fluidi nervei facit. 84. cerebri fabrica. 47.

Arteriæ motu sunt instructæ. 41. tunicas crassiores intra cranium deponunt. 84. sunt venarum & vasorum lymphaticorum radices. 57. cur minores & pauciores venis. 41. uni in pedibus duæ venæ respondent. *ibid.* systaltico motu gaudent. 365. venis continuæ. 366.

Arteria aſpera ſpaſmum patitur 305. cauſſa oppreſſionis pectoris. *ibid.*
Arthritidis cauſæ & incunabula. 174. 179. 262. ab acidis 253. haud repente reprimenda. 263.
Arthritis benigna quomodo fiat maligna 181. quandoque anniverſaria. 183.
Arthriticæ febres unde 409. methodus ſanandi eas. *ibid.*
Arthritis differt à rheumatiſmo 298. hæreditarius morbus. 349. ejus ſigna, cauſa & ſedes 298. quomodo gignatur 302. facile recidivat 356. ſpaſmis ſtipatur 302. topicis exacerbatur 298. 337. ſeq. curatu cur difficilis 298. hieme magis affligit 336. tranſit in calculum 339. hæmorrhoidibus præſervatur & ſolvitur 343. retrocedens necat. 395. balneis martiatis levatur. 465. omnium morborum facillime ſtationem ſuam deſerit atque ad alias corporis partes tranſit. 359. Vid. & infra *voc.* morbus articularis. *vagæ* ſpecificum lumbrici. 450.
Articulorum morbi quomodo gignantur 302. à ſpaſmis ligamentorum 303. topicis perperam tractantur 338. diureticis arcentur. 439. ſcarificatione levantur. 464. ligamenta nerveo-tendinoſa cujus naturæ, & quænam ob humorem heterogeneum in iis fiant. 360.
Artus imbecilles balneis firmantur 465. eorum dolor ſingularis epidemice graſſans 298. ab arthritide diſtinctus. *ibid.*
Aſa fœtida duplici nomine in hyſtericis ſalutaris 448. ſpecificum anthelminticum 452. clyſteribus utiliter commiſcetur. 468.
Aſcarides craſſa incolunt. 332. eorum indicia. *ibid.*
Aſcitis ortus. 168.
Aſſueta ſenibus non mutanda temere. 134. ſeq.
Aſſumpta excretis debent reſpondere. 101.
Aſthma convulſivum unde. 45.
Aſthmatum ſpaſmodicorum ſedes 168. ex potione frigida. 234. ſpaſmodicum cur rarius. 185.
Aſthmatum incunabula. 166. 168. 186. 187.
Aſthma ejus variæ ſpecies 298. cauſa mortis in eo 397. ex retropulſa ſcabie 336. arthritide & podagra 338. ſuppreſſis menſibus. 341. hæmorrhoidibus 343. à tumore & ſcirrheſcentia tunicæ bronchiorum. 398. ſpecifica ejus. 451. flatulentum quid & unde. 298. hypochondriacis familiare. *ibid.* convulſivum differt à ſanguineo & humorali 298. à catarrho ſuffocativo 299. à polypo *ibid.* 329. hydrope thoracis. 299. ex repulſis favis & achoribus. 336. à variis cauſis. 394. hydropem gignit 320. 352. qualis in eo pulſus. 371. funeſta in eo ſigna 394. ſuffocatione perimit 393. unde ſæpius producta. 357. ſuffocativo quinam opprimi ſoleant. *ibid.* pituitoſum à pulmonum atonia. 307. ſpaſmodicum à ſpaſmo diaphragmatis. 305. quomodo hydropem & œdemata pariat. *ibid.*
Aſthmatici balneis læduntur.
Aſtronomia an ſit oculus medicinæ. 14.
Atonia quid 164. quotuplex *ibid.* multorum morborum cauſa. *ibid.* glandularum, quos edat effectus 168. ſolidorum turbat functiones 167. quæ ſpaſmos excipit plurium phænomenorum cauſa. 169. quid ſit 306. ſequitur paroxyſmos 289. 321. ſpaſmo deterior. 307. ſpaſmum ingignit. 308. multorum morborum cauſa. 306. humores corrumpit 320. novorum paroxyſmorum cauſa. 321. balneis emendatur. 465.
Atrophia ex ſcirrho hepatis 329. induratione pancreatis 328. nimiis hæmorrhagiis 349. male curatis alvi fluxibus 352. balneis curatur. 464.
Attenuantia quæ ſint. 429. quomodo agant 430. variæ virtutis ſunt. *ibid.* cautiones in eorum uſu. *ibid.*
Attractio non datur. 47.
Auditus quid 91. ubi fiat & quomodo ſuccedat 89. 91. ſeq. ejus organon auris 91. gravis unde 92. ſeq. gravitas apud ſenes unde. 242. difficilis clyſteribus revocatur. 467.
Avicennæ laudes. 21.
Auriculæ cordis motus in jam mortuis poteſt reſtitui. 31.
Auris auditus organon. 91. ejus anatomica conſideratio *ibid. ſeq.* à quibus recte explorata. 20.
Auripigmentum veteribus arſenicum dictum. 197. ſed peſſime pro veneno venditatur *ibid.* non confundendum cum arſenico citrino. *ibid.*
ex *Auro* parata remedia corroſiva non omni vacant noxa.
Aurum fulminans cur tutius in pilularum, quam pulveris forma exhibeatur 227. ſalibus ſolutum veneni naturam induit. *ibid.* infantibus quando pernicioſum. *ibid.* fulminans intutum laxans. 434.
Autocratia naturæ, non nimis extendenda in medendo. 153.
Autumnus eaſdem cautiones habet, quas ver 135. cur adeo morboſus. 266. quos gignat morbos? 334. qualis in eo pulſus? 369.

B.

Baglivus 17. tonum fibrarum praxi accommodavit 36.
Ballonius 21.
Balnea, quando conveniant 140. quibus noceant *ibid.* eorum uſus noſtris parcius adhibendus *ibid.* commendantur veneno tactis. 201. in morbis contagioſis, præſertim chronicis 205. calculo laborantibus. 236. frigida perſpirationem cohibent. 261. pulſum mutant. 369. poſt iram noxia 416. 465. cautiones in eorum uſu. 465. aquæ dulcis quomodo paranda. 464. ſpaſmos laxant *ibid.* humores derivant 463. perſpirationem ſecundant *ibid.* inſaniam percurant *ibid.* partum facilitant 464. heroicorum operationem ſecundant *ibid.* in rachitide proſunt. *ibid.* frigida ex qua ratione in chronicis morbis mirabilem ferant opem. 476. nativa roborantia martialia quæ & ubi proſint. 464. artificialia roborantia eorumque uſus. 465. vaporoſa quæ & quando utilia. *ibid.*
Balſamica arcendis contagiis inſerviunt. 212.
Balſamica quæ ſint 444. quomodo agant. 446. varii uſus. *ibid.*
Balſamicorum uſus 139. bene temperatorum utilitas. 176.
Balſamum vitæ præcipuum ex balſamicis. 445. vires egregie refocillat 318. 321. ſpecificum in affectibus ex debilitate cerebri nervorumque. 451.
Barometra commendata 105.
Bartholinus 19.
Beccherus 21.
Bellinus 17. & 21.
Berengarius (Jacobus) 21.
Bergerus 17.
Bezoardica utilia in exanthematicis 408. præferenda ſudoriferis. 416.
Bezoardicus pulvis in principio peſtis commendatur. 204.
Bianchi. 17.
Biliarii ductus motu gaudent periſtaltico 304. ſpaſmo affecti morbos gignunt 304. 320. conſentiunt cum ventriculo 320. convulſi diarrhœæ & choleræ cauſa. 306.
Bilis quid ſit 61. ad elaborationem chyli facit *ibid.* alcalinæ eſt indolis *ibid. ſeq.* cyſtica differt ab hepatica 62. qua differentia utraque effluat 63. cyſticæ uſus 62. corpori venenum qui fiat 63. cum urina ſecedit 69. deficiens quomodo ſuppleatur 63. & 118. examen ipſius 61. exſiccata flammam concipit *ibid.* humor excrementitius idemque utiliſſimus 62. inſpiſſata æque in aqua & ſpiritu vini ſolvitur 61. motum ejus quæ adjuvent *ibid.* officina hepar 61.

quan-

quantitas 62. ſanguine ponderoſior eſt 61. ſapo animalis *ibid.* ad ſecretionem ejus quæ faciant *ibid.* & *ſeq.* uſum quæ probent. 62. quibus corrigatur remediis 190. atra unde ortum trahat. 252. Æſtate copioſe generatur 384. ab acidis nigreſcit 379. 384. coloris & fœtoris excrementorum cauſa. 384.
Biſtortæ radix alvum adſtringit. 261.
Blancardus 17.
Boerhaaven 17.
Bohnius 17
Boli alvum adſtringunt 261. abſorbent 428. adſtringunt ſimul. *ibid.*
Bonitas cereviſiæ unde pendeat 113.
Bontekoe 17.
Borellus 17. & 20.
Botallus 21.
Braſſica criſpa, *Braunkohl*, cur nonnunquam inficiat. 232.
Braunius 17.
Bronchia. 45. eorum tunica glanduloſa. *ibid.*
Brunnerus 17.
Bruta cur minus frequenter ægrotent, quam homines. 180.
Bubones venerei retrogradi. 187. ex calidioribus tractata gonorrhœa. 340. repulſi gravia inferunt mala *ibid.* peſtilentiales retrocedentes necant. 395.
Butyrum quale alimentum. 107. ſeq.

C.

Cachectici ſibi caveant à frigore. 267.
Cachexia unde 262. apud ſenes 241. & vetulas 243. ex inſano amore 194. ex potione frigida 234. non juvatur natura, ſed ſola arte curatur 153. cur ſenibus magis familiaris quam juvenibus 170. 184. ſcorbutica ubi inſanabilis 184. ubi reſideat. 167. ex atonia hepatis & lienis 307. 320. ſuppreſſis menſibus. 341. nimiis hæmorrhagiis 349. puerperio 350. aſthmate 352. alvi fluxibus male tractatis *ibid.* qualis in ea ſanguis 373. pulſus 371. funeſta ſigna 394. ejus lethalis cauſa 400. num in metu cachexiæ ex defectu criticarum ſanguinis evacuationum uſus potus frigidi ſit commendandus. 476.
Cacochymia cur hypochondriaco & hyſterico malo accedat. 320. quomodo inducatur à plethora. *ibid.*
Cacochymiæ medicatio à venæ ſectione inchoanda. 139. generatio. 164. 176.
Cacochymici ſibi caveant à frigore 267. pluribus morbis patent. 188.
Cælius Aurelianus 21.
Caffé potus utilitas 110. infuſi uſus frequentior fœminis diſſuadetur. 254.
Calcis vivæ vapor quænam accerſat ſymptomata. 230.
Calculi moventur à frigore 267. naſcuntur ab acidis. 252. Helvetiis & Batavis familiares. 253. dolor cur vomitiones pariat, 168. in cyſtide generantur ab ira 197. ob invadentem mœſtitiam ſæviſſima concitant ſymptomata. 193. 236. quibus remediis ejiciendi. 236.
Calculus renum facile recurrit. 244. inveteratus inſanabilis 184. primæ ſenectæ familiaris 183. veſicæ in ſenibus provectioribus inſanabilis 184. cur rarior. 185.
Calculus hæreditarius morbus 349. ex arthritica materia 339. hæmorrhoidum & menſium ſuppreſſione 345. uretheribus impactus facit dolores 331. urgente dolore non expellendus 417. diureticis præcavetur 439. curatur. *ibid.* ſpecifica in eo. 452. cauſa mortis in eo plerumque renum corruptio 400. nonnunquam ventriculi & inteſtinorum ſphacelus. *ibid.* renum ex atonia eorum. 307. 352. ejus ſigna 330. ex rene pulſus dolorem facit. *ibid.* quomodo vomitum, colicam, icterum & veſicæ calculum gignat. 353. veſicæ ex ipſius atonia 307. ejus ſigna 331. ex renali quomodo fiat. 353. veſicæ felleæ ſigna 331. quæ pariat ſymptomata. 314. per ductus biliarios tranſeuntis ſigna. 331.
Calculi dolor differt à colica 302. 331. cum colica cur ſæpe complicetur. 297. 330. nec non vomitu 315. à ſpaſmo uretherum 303. in conſenſum rapit ventriculum 315. à refrigeratione abdominis irritatur. *ibid.* accedunt demum inflammationes lethales. 393. ſpecificum ejus liquor anodynus 450. funeſta ejus ſigna. 393.
Calculi per alvum excreti. 331.
Calculoſæ concretiones unde. 167. 168.
Calculoſi cur frequenter fiant icterici 353. 354. colicæ & flatibus cur pateant. 353.
Calendarium perpetuum in corpore habere. 35.
Calidiora ſunt cavenda juvenibus. 134. morbum benignum in malignum convertere poſſunt. 207.
Calidum innatum veterum 33.
Calor quid ſit & efficiat 33. auget proventum ſalium 69. corporis quid ſit 51. eſt à circulo ſanguinis *ibid.* quibus augeatur *ibid.* corpori neceſſarius eſt 33. conſumit ſuccos 56. exhalationes concitat 67. juvat ſanguificationem 50. vitæ neceſſarius 51.
Camerarius 17.
Camphora alexipharmacis accenſetur. 205. quandoque antiſpaſmodicis 448. cum nitro ſpecificum in inflammatione 450. in malignis. *ibid.*
Cancer quomodo necet 34. exulceratus cur tam facile perimat 178. eſt inſanabilis. 184. exulceratus quando funeſtus. 395.
Cancrorum chelæ & lapides abſorbens. 428. diæreſin ſimul movent. *ibid.* cum acido ſanguinem reſolvunt. *ibid.*
Candelæ ſebaceæ extinctæ exhalatio quam gravis. 230.
Canes Bononienſes, qui minimæ ſtaturæ permanent. 252.
Canon medico-practici cujuſdam canonis ſenſus. 471.
Cantharides ſpecificum in hydrope. 451.
Cantharidum natura & indoles venenoſa. 225.
Capillamentum incaute demtum capitis morbos gignit. 336.
Capitis lotiones qua cautela inſtitui debeant 140. declivior ſitus quid efficiat 48. dolores infantili ætati familiares. 241.
Caput conſentit cum ventriculo. 313. debile morborum infantilium 308. & impuritatis ſuccorum cauſa 320. ad capitis dolores exacerbatos quænam faciunt. 357. quænam damna ex tinea retropulſa illi obveniant. *ibid.*
Capſulæ lumbaris lympham recipit. 58.
Carbones igniti in conclavi clauſo vitam poſſunt exſtinguere 34. 105. foſſiles aërem inficiunt fumo non ſaluberrimo 105. foſſiles aërem purgant. 212.
Carbonum exhalationes maxime noxiæ 229. lethiferos producunt effectus. *ibid.* præſertim coarctatæ *ibid.*
Carbunculi peſtilentiales retrocedentes necant. 395.
Cardialgiæ generatio 174. 186. 262. Sedes. 163. 179.
Cardialgia à frigida potione. 233. à vermibus 235. ab acidis. 252. quid? 297. diſtinguenda ab inflammatione & inflatione ventriculi. *ibid.* 294. ejus variæ cauſæ. 297. ſeq. à ſpaſmo ventriculi 303. ex præpoſtero topicorum uſu in morbis articulorum 341. menſium emanſione 338. fœminis familiaris 297. quibus levanda *ibid.* 445. ſpecificum ejus liquor anodynus. 450. in ea hæmorrhoides ſalutares. 343.
Carminativa quando clyſteribus addenda. 467.
Carnes aſſæ ab elixis in quo differant 108. augent partem ſanguinis ſulphuream *ibid.* ferarum, quo differant à domeſticorum carnibus *ibid.* dant multum chylum 63. plus nutriunt vegetabilibus 106. quæ nutriendo optimæ 56. in morbis putridis nocent

109. earum uſus ſenibus circumcidendus 135. ſeq. animalium ex morbo mortuorum aliquid virulenti continent. 232.
Caro plus fluidi quam ſolidi habet 367.
Carolinas thermas potantium urina qualis 69.
Carolinæ utiliſſimæ ad hæmorrhagias promovendas 440. in calculo obſunt 380. cur in balneo gignant febres. 335.
Carteſii ſecta in medicinam redundavit. 17.
Caſeus quale alimentum. 107.
Caſſerius 19.
Caſtoreum non ſemper eſt antihyſtericum 153.
Caſtrenſium morborum cauſæ. 210.
Catalepſis ejus ſigna 299. ab apoplexia differt *ibid.*
Cataplaſmata externa retropellendi pollent facultate 207.
Cataracta incipiens, ſpuria & vera unde & quid? 91. incipiens ex ventriculo. 314.
Catarrhales febres unde 173. nonnunquam anniverſariæ 183. cur maximè generentur tempore verno. 266.
Catarrhalis febris diſtinguenda à maligna. 293. ejus origo 409. ex ſubita mutatione aëris 335. criſes ſervat 388. qualem habeat pulſum 371. methodus naturæ & arcentis in ſananda ipſa. 409.
Catarrhi & coryza ſalutares quandoque motus 120. unde 165. à terrore 191. cur frequentiores 185. ſuffocativi unde. 187. ætati infantili familiares 241. vetularum unde. 243. ex ſubita mutatione aëris & perſpiratione ſuppreſſa. 335. venæ ſectione quandoque gignuntur 460. & arcentur *ibid.* balnea non ferunt 465. ſæpe ſalutares 410. ſuppreſſi nocent. 340.
Catarrhus ſuffocativus diſtinguendus ab aſthmate 299. ſigna & ſymptomata *ibid.* quibus familiaris *ibid.* à paralyſi nervorum pneumonicorum 306. à polypis vaſorum pulmonalium 330. poſt morbillos variolas 355. ſuffocatione perimit. 394. funeſta ejus ſigna. *ibid.* cauſa mortis in eo. 397.
Cauſſa proxima omnium, quæ in corpore humano fiunt, eſt motus. 24.
Cauſarum metaphyſicarum uſus nullus in pathologia 171. morbificarum ordines non confundendi. 173.
Cauſæ morborum quæ ſint 406. ſimplices & manifeſtæ 424. rebus externis maxime continentur 291. plerumque ignorantur 322. in nervoſas maxime partes agunt 308. 406. ſectione pateſcunt 290. 322. plures concurrunt ad proximam 291. quorundam ineptæ 322. non confundendæ cum cauſa mortis 290. 402. Medico noſcendæ 286. 321. ſeq. in prognoſi diſtinguendæ 396. certa auxiliorum genera indicant 322. difficulter cognoſcuntur *ibid.* cognitæ non ſufficiunt ad curandum 290. 322. faciunt ad famam medici 322. removentur motu ſolidorum & fluidorum 406. in earum remotione methodus medendi poſita 406. 407. ex præcipuis imbecillitas. 348.
Cauſæ mortis medico noſcendæ 396. ſectione pateſcunt *ibid.* non confundendæ cum cauſa morbi 290. 402. quæ ſint in genere 396. in variis morbis. *ibid.*
Cauſus ejus ſigna 293. differt à tertiana continua *ibid.* in ea criſis fit. 388.
Cauſtica in nervoſis partibus atrocia cient pathemata. 310. 311.
Cautelæ in therapia neceſſariæ. 286.
Cephalalgiæ ortus 163. 174. adoleſcentibus familiares 184. cur frequentiores 185. periodicæ unde 186. procreatio à vermibus. 235.
Cephalalgia ſpaſmis pericranii debetur 303. ejus variæ cauſæ 296. ex abſceſſu in ſinibus frontalibus 326. vino in ventriculo 314. polypo ſinuum cerebri 303. coryza per frigus ſuppreſſa 340. menſium ſuppreſſione 341. narium hæmorrhagia 346. ventriculum per conſenſum afficit 314. 319. narium ſtillicidio mitеſcit 346. ſymptomaticæ & idiopathicæ origo. 475
Cephalica ſpirituoſa in affectibus capitis ex reſolutione pedibus applicanda. 318.
Cerebri humani moles 84. ſubſtantia corticalis 83. ſitne glanduloſa *ibid.* ejus uſus ſecretorius *ibid.* vulnera quæ lethalia 85. cum reliquis corporis partibus mira eſt conſenſio 158. tunicis quænam infeſta. 224.
Cerebrum conſentit cum ventriculo & inteſtinis 287. cum corde 289. ejus diſpoſitio in morbis & quomodo cognoſcenda *ibid.* extravaſatio in eo cur lethalis. 397.
Cereviſiæ pravæ effectus 112. quænam optimæ *ibid.*
Cereviſiæ tenuis liberalior potus commendatur mulieribus. 243.
Cereviſia inebriativa inſalubris 257. triticea noxia infirmis 252. quæ inſalubris 288.
Cerumen quid & unde. 91.
Ceruſſa venenatæ eſt naturæ. 228.
Chamomillæ flores peculiaris virtutis 422. ſiſtunt febriles motus. 318. 450.
Charlottenburgum febribus obnoxium. 208.
Chinæ cortex cur ſit efficax antipyreticum 170. non tamen infallibile 153. 154. alvum adſtringit 261.
China chinæ pulſum mutat 369. febriles motus ſiſtit 318. cur aliis antifebrilibus præferenda 422. quando profit in febribus 380. continuato uſu tollit febres 423. ſpecificum intermittentium 450. quas inducat mutationes 321. balneis ſecundantur. 464.
Chiragra à ſpaſmis ligamentorum 303.
Choledochus ductus ſpaſmo corripitur 304. unde icterus. *ibid.*
Cholera quid 306. ex bile cauſtica 316. à convulſiva affectione ductuum biliariorum & inteſtinorum 306. genus nervoſum in conſenſum trahit 316. funeſta ſigna 393.
Cholerici qui ſint 44. habent fibras tenſas 36. eorum proprietates 131. & diæta *ibid.* in quos morbos facile incidant. 243. cur doloribus magis ſint expoſiti. 180.
Chorion utero continuum 79.
Chronici morbi non juvantur natura, 153. quomodo curandi. 260. cauſæ eorum frequentiſſimæ obſtructiones 411. quæ ad generationem ipſorum faciant 403. quomodo arcendi *ibid.* à ſola natura non curantur 410. optima eos ſanandi methodus 411. continuato medicamentorum uſu tolluntur. 423.
Chronicarum paſſionum fundamentum 158. 164. 174.
Chyli albedo unde 63. elaboratio perficitur in inteſtinis 61. progreſſum quæ juvent 65. ſecretionem juvant valvulæ conniventes dictæ. *ibid.* natura. 237.
Chylus quid ſit 63. differt à ſanguine 50. non eſt proxima nutritionis materia 56. quomodo fiat ſanguis 50.
Chylum copioſum quæ alimenta ſuppeditent 63.
Chylificationem quæ ſervant 139.
Chymi in ventriculo reliquiæ acidæ juvant digeſtionem. 60.
Chymica ſcientia medico opus 14. & 20. quando periculum in mora proſunt. 422.
Cibi crudiores quas noxas inferant 115. ordine aſſumendi 110. non ſimul & ſemel. 115.
Ciborum optimorum abundantia nocet 114. quantitas differt ſecundum individua *ibid. ſeq.* ſumendorum regula 115. varietas facit voraces *ibid.*
Cibos loco ſalubri oportet capere 104.
Cibi abſtinentia in dolore graviori utiliſſima 237. corrupti & alieni cur noxii 197. ſumendi in aëre puro & ſereno. 264.
Cibi multum faciunt ad ſanitatem 287. ingeſti mutant pulſum 368. viſcoſi inflationem ventriculi 297. flatulenti colicam *ibid.* avidiùs ingeſti recidivas pariunt 289.
Ciborum nimietas ſanitati inimica 246. non tamen æque nocet robuſtis ac imbecillibus. 247.

Cibus non aſſumendus in locis contagio infectis. 204. paucior alvum adſtringit. 261.
Cibus ad illorum promtiorem coctionem quænam aqua adhibenda. 469.
Cicuta exterius incaute uſurpata pernicialia concitat ſymptomata. 199. quo pacto vim ſuam funeſtam exerceat. 198. terreſtris cocta furorem parit. 200. ejus natura venenoſa. 197.
Cinnabaris arcanum antepilepticum. 423.
Cinnabarina quomodo antiſpaſmodica. 448.
Circulus ſanguinis eſt ipſa natura veterum, morborum medicatrix. 52. eſt cauſſa agilitatis & roboris. 51. caloris. *ibid.* chylificationis. 50. ſecretionum & excretionum. 51. difficilis per caput. 47. per hepar. 48. venam portæ. 49. omentum lien. 48. colon. *ibid.* vaſa ſpermatica. 49. uterum. *ibid.* celer per pulmones & renes. 50. liber præſervat à morbis. 52. inæqualis quid efficiat. 43. ſanguinis inæqualis in quo conſiſtat. 165. ſanguinis totius medicinæ fundamentum. 372. quoties hora ſuccedat. 368. creber cur neceſſarius. *ibid.*
Citri ſuccus optimum alexipharmacon. 204.
Clavus periculoſe exſcinditur. 311. *hyſtericus* à ſpaſmo pericranii. 303.
Clima mutat ingenia. 97.
Clopton Havers laudatus. 20. & 72.
Clyſteres antifebriles & nutrientes ſecretionem in craſſis fieri confirmant. 64. emollientes commendantur calculo laborantibus. 236. quotuplices. 466. affines balneis. *ibid.* varii quomodo parandi. 467. tenuia potiſſimum afficiunt. 468. late vim diffundunt. 318. 468. quidam ferre nequeunt. 468. poſt paſtum minus proficua. *ibid.* non nimis crebro injiciendi. *ibid.* varii in morbis uſus. *ibid.* in febribus utiles. 355. nervis inimica non capiant. 468. acres non ſtatim applicandi. *ibid.* antifebriles. 467. ex urina. *ibid.*
Cobalti nativi vis venenoſa. 196.
Cocculi piſcibus mortiferi. 198.
Coecitas ex repulſa tinea capitis. 336. ſcabie. *ibid.* conſolidatis antiquis ulceribus. 337. ex epilepſia. 350.
Coelum aſperum & frigidius quare ab ægro vitandum. 358.
Coena qualis optima. 110. ſenum ſit levis. 134. in ea quæ non ſint apta. 115.
Cogitatio intenſior quid efficiat. 102.
Cogitationes profundæ corpori nocent. 194. limitatam habent vim in actiones mechanicas. 405.
Coitus multos fœminarum morbos aufert. 78. poſt gravem affectum non celebrandus. 196.
Coitum ſæpe celebrantibus, quæ ſint tenenda. 119.
Colchicum venenatæ eſt naturæ. 210.
Colica unde. 163. ejus ſedes primaria. 164. à frigida potione. 233. flatulenta primæ ſenectæ familiaris. 184. ſpaſmodica interdum ex tertiana intermittente oritur. 164. ſenum unde dependeat. 241. differt à dolore calculi & hypochondriorum. 297. à ſpaſmo inteſtinorum. 303. ex arthritide præpoſtere tractata. 339. ſuppreſſis menſibus. 345. hæmorrhoidibus. 345. 374. calculoſis cur familiaris. 353. nonnunquam nephritica. 297. parit icterum. 314. 354. facile recidivat. 356. pareſin relinquit. 354. ſphacelo necat. 401. venæ ſectione ſæpe tollitur. 344. quibus levanda. 445. anodynis primum excipienda. 417. ejus ſpecificum liquor anodynus. 450. in hac curanda interdum ad contraria remedia tranſeundum. 473. *flatulenta* quæ & unde. 297. 332. venæ ſectione exacerbatur. 360. *hæmorrhoidalis*. 297. *biliosa*. 297. à ſpaſmo ilei. 304. *hyſterica*. 297. *convulſiva*. 297. conſenſus inteſtinorum teſtis. 316. venæ ſectione curatur. 460. *ſpaſmodica* metallurgis ſolennis. 316. vehementiſſima. 297. ejus ſigna & cauſæ. 297. ſeq. levatur clyſteribus oleoſis. 467. in ea coaleſcunt quandoque inteſtina. 402.
Colocynthiacorum virtus. 215.
Colocynthis cocta vim purgativam perdit. 214.
Colon flatibus ſæpe diſtenditur. 332.
Compoſita veterum incondita. 422. non omnia ſpernenda. 422. virtus ſimplicium ex iis non pateſcit. 426.
Conchæ abſorbent. 428. ſubadſtringunt. *ibid.*
Confortantia ſpirituoſa debilibus non proficua. 420.
Conclavia hyeme non ſunt nimis calefacienda. 135. eorum uſus. 110.
Condimenta acida. 110. ſalſa *ibidem*. ſale acri & oleoſo prædita. *ibid.*
Conſenſio motus fluidorum. 62. partium membranoſarum & nervoſarum. 25. & 29.
Conſenſus partium magni momenti. 286. 309. non fabula. 319. ex partium nexu. 309. à nervorum diſtributionibus. *ibid.* inter quas partes maxime vigeat. *ibid.* ſymptomatum ſuggerit rationes. *ibid.* ex medicamentorum operatione patet. 317. ex principii vitalis concurſu non petendus. 310. nullus inter nervoſas partes & ſanguinea viſcera. 316.
Conſuetudo quid. 137. ejus magna vis. *ibid.* altera natura jure dicitur. *ibid.* facit, ut res pernicioſæ non noceant. *ibid. ſeq.* promtitudinem motuum efficit. *ibid.* non temere mutanda. 138. in morbis exploranda. 288.
Continua febris ex repulſa cruſta lactea. 336. ſcabie. *ibid.* reſtagnante ſanguine lochiali. 342. malus in ea pulſus. 370. in ea proſunt clyſteres. 374. venæ ſectio. 456. corruptionis viſcerum comes. 324.
Contractura balneis martiatis tollitur. 464. ſeq. ſpecificum ejus. 453.
Convulſiones differunt ab epilepſia. 299. ſedes in ſpinali medulla. *ibid.* earum ſigna. *ibid.* minus ſalutares naturæ motus. 411. varias partes quatiunt. 305. à ſpaſmo membranarum ſpinalis medullæ. *ibid.* 393. miræ ex vermibus. 332. prodeunte menſium fluxu ceſſant. 409. accedente febre ſolvuntur quandoque. 410. ſcarificationem meliùs quam venæ ſectionem ferunt. 461. clyſteribus placantur. 468. certæ infantibus propriæ ex ventriculo. 314. ſeq.
Convulſivi motus in quo conſiſtant. 306. in quibus morbis obvii. 305. eorum origo & ſedes. *ibid.*
Cor machina motoria compoſita. 30. perpetuum mobile. 31. motum habet reciprocum. 30. ex quatuor muſculis conſtat. 40. ſanguinis circulum impellit. *ibi.*
Cor perpetuum mobile. 365. ipſius ſyſtole quomodo contingat. 366. pulſus cauſa. *ibid.* imbecillis lipothymiam. 306. ad tempus intercepta ſyncopen parit. *ibid.* ipſius motus unde. 367. pulſui reſpondet. *ibid.*
Cordis arteriæ inſignes & nervi. 33. auricula ſiniſtra, cur minor dextra. 40. ſtructura muſculoſa. 20. vaſorum ſanguiferorum peculiaris ſtructura. 33. vaſorum valvulæ. 40. & vaſorum proportio mutua. 43.
Cor piſcis in aqua calida motu privatum frigidæ injectum reviviſcit. 155.
Cordis læſio cur lethalis. 160. palpitatio ex polypo inſanabilis. 184. tremorum & palpitationum ſedes. 179.
Corallia abſorbent. 428. ſubadſtringunt. *ibid.*
Cornarius ſobrietate vitam produxit. 114.
Cornelius Celſus. 20. & ſeq.
Corporeæ res magnam vim in corpus habent. 369.
Corpus humanum eſt machina perfectiſſima. 29. jure dicitur machina. 27. eſt inſtrumentum ac domicilium mentis. *ibid.* corpus omne eſt agens. 18.
Corpus humanum machina artificioſiſſima. 309. hydraulicæ & vaſculoſæ ſtructuræ. *ibid.* vivum & phyſicum gratis diſtinguitur. 425. ex quo conſiſtat vere ſenſit Hippocrates. 300. in morbis conſiderandum. 289. in prognoſi. 396. medicamentorum oblatione diſtinguendum. 421. partes ipſius conſpirant. 309. ad conſervationem vitæ conſtrictum. 413. impurum periculoſius à febribus prehenditur. 319.

Corpora quævis ſunt ſubſtantiæ activæ. 97. organica, habent virtutem generandi. 75. gracilia, quid iis quadret. 131. impura non bene nutriuntur. 57. juniora facile nutriuntur. *ibid.* quæ motu plus egeant. 124. robuſta quænam. 53. facile corrigunt alimentorum noxias qualitates. 110. ſingulis menſibus increſcunt, ſed per urinæ fluxum copioſiorem iterum minuuntur. 120.
Corporis humani mixti principia. 26. partes ſolidæ & fluidæ. 27. machina eſt deſtructibilis. 29. natura ſalium genitrix. 220. mirabilis œconomia. 245. ſeq. habitus laxus & ſpongioſus multum facit ad morbos. 242.
Corporibus ſintne vires tantum occaſionales. 17.
Corporum vires non ſunt abſolutæ, ſed relativæ. 7. motrices menſurat mechanicus. 18.
Corpora cur æſtate minoris ponderis quam hieme. 265. imbecilliora gravius à cauſis nocentibus afficiuntur. 178.
Corporum naturæ medico debent eſſe cognitæ. 245. 273. differentia. 239. maximi momenti in arte medica. 240. virilium criſis. 259.
Corruptio non ſemper cauſſa mortis. 31. & ſeq. putredinoſa unde. *ibid.* viſcerum quomodo arcenda. 403. ex mortis cauſis. 396.
Coryzæ cur frequentiores. 185. adoleſcentibus & infantibus familiares. 184. 186. unde dependeant apud ſenes. 242.
Coryza ſalutaris ſæpe excretio. 288. 410. 347. ſpaſmis ſtipatur. 302. ſolvit quoſdam morbos. 410. venæ ſectione arcetur. 460. quandoque adducitur. *ibid.* ſuppreſſa à frigore nocet. 340. purgantibus exacerbatur. *ibid.*
Cortex Chinchina non univerſale febrifugum. 14.
Coſtarum fabrica. 44.
Cowperus. 19.
Craanius. 17.
Crato. 21.
Crinonum generatio unde derivandi. 212.
Criſis ad prognoſin ſpectat. 386. ipſius ſigna. 302. ſpaſmo remittente ſequitur. 303. fit per excretiones. 387. quid ſit veteribus. 386. ſeptenario & ſemiſeptenario numero computanda. *ibid. ſeq.* extra ſeptenos etiam dies contingit. 388. quibus ſolennis. *ibid.* unde repetenda. 389. quomodo rationaliter explicanda. 390. non turbanda. *ibid.* melius ſuccedit ordinatis temporibus. 389. autorum variæ de ea ſententiæ. 387. quæ ſit in acutis. 388. & chronicis morbis. 390. in purpura non obvia. 389. per imprudentem medicationem turbatur. *ibid.* pro circumſtantiarum ratione diſtinguenda. 388. non omnis larga evacuatio & ſymptomatum remiſſio criſis. *ibid.*
Crocus metallorum veneni naturam æmulatur. 213.
Cruditates quid generet. 116. non ſunt prima mali hypochondriaci cauſa. 317. viſcidas quæ diſſolvant. 430.
Crurum inflatio & tumor in gravidis unde. 168.
Cruſta infantum *lactea* ſalutaris. 120.
Cruſta lactea unde dependeat. 183. 241. ætati infantili familiaris, retrograda. 178. repulſa febrem facit continuam. 336.
Cubicula quænam noxia. 104.
Cucurbitulæ vicariæ venæ ſectionis. 461.
Curæ anxiæ cur turbent egeſtionem alvinam. 241. 261. ſenibus noxiæ. 170.
Curſus vehementior motus. 122. quibus noceat. *ibid.*
Cuticula tactum moderatur. 94.
Cutis ſtructura qualis. 67. ejus tonus modificat tranſpirationem. 68. eſt tubulis pervia. 67. tactus organon. 94. vitia unde ortum habeant. 168. univerſi corporis emunctorium. 258. ſulphurearum ſordium excretorium. 381. elaſtica. 382. conſentit cum ventriculo. 315. ad ſudoris ſucceſſum facit. 382. ſpaſmo affecta perſpirationem cohibet. 303. varia mala gignit. *ibid. ſeq.* peſſimi ominis in acutis arida. 391. reſoluta imbecillitatem prodit. 307. ſudoris frigidi & colliquativi cauſa. *ibid.* ſumma metaſtaſibus pernitioſis maxime obnoxia eſt. 357. cujus tonus & aëris mutatione repentina vitiatur. 360. hinc æquabilis & moderatus conſervandus. 362.
Cynanche anginæ ſpecies. 295. differt à ſpaſmo faucium. *ibid.* quid? *ibid.* ſigna ejus. *ibid.* funeſta. 393. ſuffocatione perimit. 394.
Cynicus ſpaſmus poſt podagram. 315.
Cynogloſſæ pil. caute adhibendæ. 223.
Cyſtici ductus ſpaſmis affecti diarrhœas & vomitus bilioſos movent. 304.

D.

Daturæ, Indicæ ſemen cujus indolis. 172. 197. quæ gignat ſymptomata. 200.
Deambulatio leviſſima motus ſpecies. 121.
Debiles quomodo nutriendi. 116. qui ſunt. 396. 420. quomodo dignoſcendi. 348. medicina egent. *ibid.* fortiora medicamenta non ferunt. 420. nec valentia alimenta. 421.
Debiliores fugiant edacitatem. 115.
Decocta continuato uſu juvant. 423. lenientia proſunt in exanthematicis. 408. ſudorifera balneis nupta juvant. 464.
Decubitus in latere dextro, quando conveniat. 128. in lecto qualis optimus. *ibid.* ſupinus reprobatur. *ibid.*
Defœdationes cutis cum ſalute ſæpe fiunt. 410. ſpecifica in iis. 453.
Deglutitio difficilis unde. 306.
Dejectio nigra, fœtida, per alvum unde proveniat. 167.
Deliria cur ex læſione nervi oriantur. 158.
Delirium à vermibus excitatum. 235. ex dentium dolore. 236. ex acicula deglutita. 237.
Demulcentia materiæ correctioni dicata. 428. eorum ſupellex. 430. operandi ratio. 431. uſus in variis caſibus. *ibid.* externus & internus. *ibid.*
Dentes meliores habent, qui aquam potant. 112. cur nigredinem contrahant à dulcibus. 254.
Dentium dolor etiam adultioribus gravia parit mala. 236. quo pacto omnium facillime ſiſtatur. 237.
Dentitio difficilis, quæ pariat ſymptomata. 236. cur epilepſiam quandoque excitet. 163. ſpuria, remedia contra eam. 237. ejus ſymptomata unde. 314. 319.
Derivantium ratio. 43.
Deſiderii vehementis effectus. 102.
Deſiderium ventriculo nocet. 313.
Diabetes ex atonia renum. 307.
Diæta non omnibus una convenit. 129. variat ſecundum ætatem. 132. ſecundum virium diverſitatem. *ibid.* temperamenta. 131. ſexum. 136. anni tempora. 135. fœminarum. 136. gravidarum. 79. 136. ſeq. juvenum. 134. ſenum. *ibid.* ſanationi ſervit. 422. à priſcis optime commendata. *ibid.*
Diætetica medicina, quam ſequatur regulam. 129.
Diagnoſis ſcitu neceſſaria. 292. ex obſervationibus haurienda. 293. nititur ſignis. *ibid.* plerumque negligitur. 292. ad eam referendus pulſus. 364. erronea medicum ludibrio exponit. 292.
Diaphoreſis movetur quandoque acidulis & nitroſis. 438.
Diaphoretica fixiora porrigenda in morbis incognitis. 187. morbos contagioſos in prima herba tollunt. 205. polychreſta. 437. ſudoriferis præferenda. *ibid.* ipſorum apparatus. *ibid.* modus agendi. *ibid.* uſus in morbis. *ibid. & ſeq.* in pulvere alvum ſæpe movent. 438. in doloribus anodynis miſcenda. *ibid.* fixa ubi acidum deeſt parce danda. *ibid.* quibus malis conducant. 363.

Diaphragma ſpaſmis patet. 304. conſentit cum ventriculo. 315. convellitur quandoque. 306. in ſternutatione per conſenſum afficitur. *ibid.* titillatione commotum cachinnos movet. *ibid.* ſpaſtice affectum aſthma. 304. 306. 320. & hepatis obſtructionem cauſatur. 320. convulſum aſthmatis & ſingultus cauſa. 306.
Diarrhœæ incunabula. 168. 175. 179. 187. 241. nonnunquam anniverſariæ. 183.
Diarrhœa quomodo ſuccedat. 385. per ſpaſmos. 302. ſæpe ſalutaris excretio. 288. 302. 347. 384. 386. 410. in febribus etiam malignis. 386. critica quandoque. 387. ſolvit morbos. 416. inprimis capitis. 386. à convulſiva affectione ductuum biliariorum & inteſtinorum. 306. ex pedum refrigeratione. 315. à villoſa obſtructa. 385. quandoque minus ſalutaris naturæ motus. 411. ſeq. ſphacelo inteſtinorum necat. 401. inteſtina debilitat. 420. ſuppreſſa nocet. 288. 347. inprimis per adſtringentia. 352. clyſteribus levatur. 468. poſt eam roborantibus utendum. 420. ſymptomatica noxia. 412. quomodo compeſcenda in febribus. 386. bilioſa diuturna nocet. 384. ex purgantium uſu in catarrhis incompeſcibilis. 340. quare malum ſignum. 362.
Diaſtole cordis & arteriarum. 30. ſyſtolen ſequitur & proritat. 365.
Digeſtio prava quos morbos generet. 185.
Digeſtionem calor adjuvat. 60. turbant affectus. 102. ſeq.
Diſſectionum utilitas. 176.
Diuretica evacuantium genus. 438. eorum apparatus. *ibid.* modus agendi. *ibid. ſeq.* uſus pro ratione circumſtantiarum diſcrepans. 439. in doloribus arthriticis & rheumaticis proficua. *ibid.* quæ optima. *ibid.* in compluribus morbis proficua. *ibid. ſeq.* calidiora proſunt humidioribus. *ibid.* & ubi viſcidæ ſordes in renibus. *ibid.* nocent plethoricis. *ibid.* renibus debilitatis. 353. & ubi dolores adſunt. 439.
Dolor perceptionum ſpecies. 94. ejus ſubjectum membranæ. *ibid.* varius eſt. *ibid.* quibus ſopiendus. *ibid.*
Dolores atroces gravium morborum cauſæ. 236. gravativi unde. 166. alvum & vias ordinarias conſtringunt. 261. variæ ſpecies. 296. 303. ſpaſmo in nervoſa parte debentur. *ibid.* pro locorum differentia variant. *ibid.* ſuccos inquinant. 319. excretiones cohibent. 320. partes tono privant. 354. critice quandoque ſolvuntur. 390. levantur liquore anodyno. 317. oleo amygdalarum dulcium. 318. balneis. 463. fotibus emollientibus. 431. ſpecifica in iis. 450. *inteſtinorum*, Vide *colica*, *capitis*, Vide *cephalalgia* &c.
Doloris ſiſtendi ſcopi. 225.
Dolorum effectus veneni effectibus non abſimiles. 237.
Dubitatio medico præcipue commendanda. 154.
Dulcia indoli ſanguinis non conveniunt. 108. cum fermenteſcibilibus non jungenda. 111. cum acidis ſumta fiunt noxia. 252. multum nutriunt. *ibid.* lympham corrumpunt. 254. ſtomacho infirmo aliena. *ibid.* jejuno ventriculo haut ſumenda. *ibid.* cur morbos exaſperent. *ibid.*
Duodenum ventriculus parvus. 61. 63. plurimorum morborum ſedes. 179. ejus flexura febrium fons & origo. *ibid.* ventriculus ſuccenturiatus. 307. ſedes morborum multorum. *ibid.* atonia affectum quæ pariat mala. *ibid.* inflammati & ſphacelati ſigna. 324. eroſi indicia. 333. ſcirrhi in eo ſigna & effectus. 329.
Dura mater habet ſyſtolen & diaſtolen. 85. ejus ſtructura & officium. *ibid.* ejus ſinus. *ibid.* læſiones graves noxas inferunt. *ibid.* membranarum nervoſarum origo. 305. motu tonico gaudet. *ibid.* ſanguinis progreſſum per caput moderatur. *ibid.* ſpaſmos patitur. *ibid.* conſenſum alit cum omnibus membranis. 305. ſeq. ab ejus ſpaſmo mentis & capitis morbi. *ibid.* epilepſia. *ibid. ſeq.* ejus atonia gravium cerebri morborum cauſa. 306.
Duratio quid ſit. 26.
Duretus. 19. 21.
Dyſenteriæ incunabula. 179.
Dyſenteria maligna quo pacto facillime juguletur. 204. cur contagioſæ ſit naturæ. *ibid.* epidemia proles roris corroſivi. 211. non indiſtincte curatur ipecacuanha. 153. non ſine periculo adſtringentibus ſiſtitur. 262. quo pacto caute curanda. *ibid.* minus ſalutaris naturæ motus. 412. rubra & alba. 296. diſtinguenda ab hæmorrhoidibus. *ibid.* ex ſcabie retropulſa. 336. ſolvit quandoque morbos. 410. inflammatione & ſphacelo afficit inteſtina. 324. genus nervoſum afficit univerſum. 315. excrementa in ea. 385. qualis in ea pulſus. 371. ſphacelo necat. 401. adſtringentibus perperam curatur. 352. funeſtæ ſigna. 393. laudanum prodeſt in ea. 318. levatur fotibus. 465. clyſteribus. 468. ejus ſpecifica. 452. poſt eam inteſtina roboranda. 420.

E.

Elegmatum uſus nimius nocivus. 254.
Egeſtiones reſpondere debent ingeſtionibus. 246. 257.
Elaſticitatis inſignia exempla in corpore humano. 35.
Elaſticum quid. 35.
Elaterii virtutes. 215.
Elaterium coctum vim purgativam amittit. 214. quomodo aquas hydropicorum evehat. 316. veteribus ſpecificum ad hydropem. 451.
Electuarii de ovo efficacia in peſte. 226.
Elephantiaſis origo. 202.
Ellebori virtutes. 215.
Ellychnii extincti fumus quam noxius. 230.
Emetica veneni naturam imitantur. 212. perperam è foro medico eliminantur. 154. contra venena ſtupefactiva remedia. 201. locum non habent in affectibus periodicis. 187. & retrogradis. *ibid.* in principio peſtis commendantur. 176. 204. ubi vitanda. 213. in affectionibus ab ira productis. 190. duplicis generis. 432. eorum apparatus. *ibid.* modus agendi. *ibid.* icterum gignunt. 314. poſt iram noxia. 313. 416. pulſum mutant. 369. ad morbos præſcindendos in principio optima. 414. 415. melius in forma liquida. 433. & parciori doſi propinantur. 416. quando noceant. 433. in hydropicis per inferiora agunt. 432. balneis utiliter ſociantur. 464. clyſteribus in apoplexia & hydrope indenda. 467. tempore paroxyſmi non danda. 418. in eryſipelate data inflammationem ventriculi gignunt. 337. necantia quæ habeant ſigna. 393. valentiora quando conducant. 432. ſeq.
Emmenagoga quæ ſint. 439. ſeq. quomodo perite adhibenda. 440. nonniſi præparatis viis & humoribus offerenda. 415.
Emollientia quæ ſint. 430. quomodo agant. 431. uſus internus & externus. *ibid.*
Empiria differt à rationali medicina. 424. ei favet ſententia de principio interno activo. 425.
Empiricorum πρῶτον ψεῦδος. 14. vetus ſecta in quo laudanda. 16. in quo defecerit. *ibid.*
Emplaſtra conſtringentia retropellendi facultate pollent. 207.
Emplaſtrum ſtrobelbergeri paroxyſmos intermittentium ſiſtit. 318. anodynum capitis dolores & vomitus placat. *ibid.*
Empyemata pulmonum ex pleuritide quandoque oriuntur. 165.
Empyema ex pleuritide quomodo. 351. facilius generatur ex pleuritide quam peripneumonia. *ibid.* ex imprudenti

prudenti venæ ſectione in pleuritide. *ibid.*
Endemii morbi quinam. 181. unde oriuntur. 209. quo pacto avertendi ab urbibus. 212. aëris vitio debentur. 335.
Ephemera ejus ſigna. 293. in ea criſis ſuccedit. 388.
Epidemiorum morborum cauſæ. 207. 267. 209. diverſiſſimus habitus unde. 210. hiſtoriæ accuratius annotandæ medicis. 267. ſeq.
Epilepſiæ incunabula. 179. ſubjectum. *ibid.* cur non adeo frequentes in brutis. 180. ex animi pathematibus oriuntur. 185.
Epilepſia à calculis. 236. à dolore dentium. 168. 236. à terrore oriunda. 191. à vermibus. 235. infantili ætati familiaris. 241. ſymptomatica & idiopathica. 182. cur ex nervi læſione oriatur. 158. cur facile recurrat. 244. non indiſtincte curatur lumbricis terreſtribus. 153. non nunquam mercurialium progenies. 220. in adultioribus periculoſior quam infantibus. 183. nonnunquam hæreditaria. 243. quæ incurabilis. 244. ſenibus rarior. 185. cur maxime generetur tempore verno. 266. univerſalis convulſio. 306. differt à convulſione. 299. ejus ſigna. *ibid.* minus ſalutaris naturæ motus. 411. ſeq. ſpaſmis ſtipatur. 302. ſedes in cerebri membranis. 299. à ſpaſmo potiſſimum duræ matris. 306. 407. ex repulſa cruſta lactea. 336. ſcabie. *ibid.* conſolidatis ulceribus. 337. podagra præpoſtere tractata. 338. retentis menſibus. 341. ſuppreſſa narium hæmorrhagia. 346. poſt atroces dolores cur oriatur. 354. hæreditarius morbus. 349. facile recidivat. 356. per criſin quandoque diſcedit. 390. febre nonnunquam ſolvitur. 410. menſium fluxu prodeunte ſæpe ceſſat. 409. ex pollice pedis ſæpe ortum ſumit. 315. qualis in ea pulſus. 371. cur inducat oculorum vitia. 350. ſcarificationem melius quam venæ ſectionem fert. 461. clyſteribus abigitur. 468. ſpecifica ipſius. 451. cauſa mortis in ea. 396.
Epiphora ejus ſpecificum. 453.
Epubemii morbi quibus cauſis debeantur. 291. ſeq. ab aëris ſubitaneis mutationibus oriuntur. 334. quomodo obſervationes de iis inſtituendæ. 291. ſeq.
Equiſetum paluſtre venenatæ naturæ. 210.
Equitatio motus ſpecies. 121. quibus conveniat. 122. ejus gradus. *ibid.* quibus morbis avertendis proſit. *ibid.*
Erdenkopf cum pane comeſtum quænam producat ſymptomata. 230.
Errhina quæ ſint. 442. quomodo agant. *ibid.* uſus & noxa. *ibid.*
Eructationes ab acidis. 252.
Eryſipelacea febris ex menſium emanſione. 341.
Eryſipelas intro verſum lethale. 187. iram quandoque ſubſequitur. 190. haut repente reprimendum. 263. quibus cognoſcatur ſignis. 295. ſeq. quomodo gignatur. 302. differt à phlegmone. 295. ſeq. ſpaſmis ſtipatur. 302. repulſum nocet. 337. retrocedens necat. 395. capitis incaute tractatum multa mala profert. 357. quando res magni periculi habeatur. 362.
Eryſipelata retrograda. 187. ſalutariter per iram excitata. 190. gravidarum unde deducenda. 243. periodica capitis unde. 186.
Eſculenta veneni naturam induentia. 230. venenoſa. *ibid.*
Eſſentia humanæ naturæ in quo conſiſtat. 26.
Eſula cocta vim purgativam perdit. 214.
Evacuantia varii generis. 431. ſeq. operantur ratione circumſtantiarum. 425. præparata materia. 415. in principio & fine morbi offerenda. 414.
Evacuatio per congrua loca. 415. breviſſima via. 414. & præparata materia ſuſcipienda. 415. non impetuoſe urgenda. 416.
Eunuchorum qualia corpora. 76.
Exanthemata unde. 174. repulſa à terrore. 191. ſudoriferis non expellenda. 418. venæ ſectionem non ſemper interdicunt. 457. repelluntur per ſpaſmos 302. refrigerationem. 337. ſeq. purgantia & emetica. 416. ſub ſitu erecto diſparent. 338. repulſa pernicioſa. 302. 315. 337. faciunt oppreſſionem pectoris. 305. critice ſolvunt quandoque capitis & nervorum morbos. 390.
Exanthematica febris naturæ & artis proceſſus in ſanandis iis. 408. quæ noxia in iis. *ibid.* clyſteres ferunt. 468. necnon venæ ſectionem. 456. ſed juſtam 459.
Exanthematica materia repulſa veneni vim habet. 336 cur tam graviter noceat. 337. facit oppreſſionem pectoris. 305. reſtitans quæ pariat ſymptomata. 315
Excrementa nigra à vitriolaceis aut martialibus. 66 Vid. *Alvus.* non evacuata fiunt venena. 206. alvi inſpicienda in morbis. 384. ſigna ex iis. *ibid.* fœtor unde. *ibid.* unde viridia. 319. 384. alba ex bilis defectu. 384. fuſca & bruna ex bilis copia. *ibid.* nigra à ſanguine. 385. liquida copioſa ex obſtructione villoſæ. *ibid.* unde mucida. *ibid.* dura nimis. *ibid.* ſanguinolenta. *ibid.*
Excreta indicia præbent. 375. reſpondere debent ingeſtis. 288. 333.
Excretiones pendent à circulo ſanguinis. 54. reſpondere debent ingeſtionibus. 66. 117. ſunt variæ. 66. earum ſucceſſus medico curæ eſto. 139. æquales debent eſſe ingeſtionibus. 157. cur ſine iis homo vivere non poſſit. *ibid.* diminutæ ante omnia reſtituendæ. 260. quomodo ciendæ in corporibus tum macilentioribus, tum ſpongioſis. 260. prudenter moderandæ à medico. 259. ſuppreſſæ plurium morborum cauſæ. 176. rite peractæ non unica vitæ ac ſanitatis cauſſa ſunt. 152. iis vigentibus totum viget corpus. 258. ad ſanitatem neceſſariæ. 288. 333. à medico conſiderandæ. *ibid.* variæ. 333. in morbis ſalutares. 407. præcipua perſpiratio. 334. evacuationibus turbantur. 348. natura deficiente promovendæ. *ibid.* ſuppreſſæ nocent. 334. 348. & mox revocandæ. 348. *criticæ* ſalutares. 288. duplici modo. 419. ſeptenario numero adſtrictæ. *ibid.* non intercipiendæ. *ibid.* etiamſi fuerint nimiæ. *ibid.* ſuppreſſæ nocent. 288. 389.
Exhalationes ex aquis ſtagnantibus venenoſæ ſunt. 207.
Exhalationum copia è corpore humano. 265.
Expectorantia quæ ſint. 441. quomodo agant. *ibid.* cum diſcrimine uſurpanda. *ibid.*
Experientia medica qualis. 14. ſeq. ſola non eſt ſufficiens. *ibid.* effectum remediorum docet. 426. non tamen una ſufficit. *ibid.*
Experimentum probans vivuſne an mortuus fuerit infans. 80.
Exſpectatio arcanum in medicina. 414.
Exſpiratio quid. 44.
Externorum uſum cur non omnes æque ferant. 89.
Extravaſatio lethalis in capite quomodo arcenda. 402. ſanguinis inter fibrarum interſtitia commentum. 365. ex choroideo plexu apoplexiæ cauſa. 324. ovarii ex vaſis. 327. ex liene diſrupto. 329. ſeri. 328. ſanguinis vel ſeri quomodo necet. 397.
Exulcerationum fœdarum ortus. 168.
Exulcerationes pulmonum fiſtuloſæ inſanabiles. 184.

F.

Facies color vivus unde mutetur. 166.
Facies color ipſius ad hiſtoriam morbi. 287. indicia ex florido. *ibid.* livido. *ibid.* Hippocratica quæ & unde. 392.
Fallacia cauſæ ut cauſæ frequens in medicina. 425.
Fames ingens à vermibus. 235. canina à ſcirrho pancreatis. 328.
Faſtidium ciborum in gravidis unde. 243.

Favi repulsi asthma gignunt. 336.
Febris lactea. 80. ea laborantes nutrices lac sanum infanti præbent. *ibid.* & *seq.*
Febres ex acicula deglutita. 237. ex dentitione difficili. 236. à dolore dentium. 168. ex lacte stagnante. *ibid.* à vermibus ortæ. 235. ardentes ex animi pathematibus oriuntur. 185. cur ex læsione nervorum oriantur. 158. intermittentes cur frequentiores. 185. benignæ quomodo fiant malignæ. 181. lentæ & mesentericæ unde generentur. 167. pestilentiales & petechiales cur tam malignæ. 161. quando salutares. 170. seq. quare facile patiantur recidivam. 169. quare non adeo frequentes in brutis. 180. quo pacto facillime arcendæ. 260. quo pacto fiant juxta Hippocratem. 167. rheumaticæ cur frequentiores. 185. tertianæ incongruæ pertinaciores. 183.
Febris quid sit? 370. seq. denominatio multis communis. 293. ipsius species distinguendæ. *ibid.* formalis ratio spasmo continetur. 302. spasmus universalis. 407. duplici motu absolvitur. 301. 407. sæpe pernicioſa. 411. per se non salutaris. 303. succos vitales corrumpit. 319. vires destruit. *ibid.* ad chronicas passiones disponit. *ibid.* in corpore impuro pejor. *ibid.* ex cohibito fluore albo. 340. ex vermibus. 332. ex refrigeratione post iram & calorem. 335. soluto spasmo remittit. 301. 303. in Carolinis ex tempore gignatur quomodo. 335. convulsiones & epilepsiam solvit. 410. ejus signum pathognomonicum pulsus frequens. 370. pulsum habet durum. *ibid.* mala signa. 391. naturæ & artis methodus in sananda ipsa. 407. in principio optime fert laxantia vel emetica. 415. clysteribus sistitur. 467. quænam aqua in illa conducat. 471. nulla fit sine rigore partium externarum. 475. quare à priscis medicis pro medicina sit habita. 476.
Febriles motus sedem habent in spinali medulla. 305. quibus sistantur. 318.
Fœminæ alunt plus sanguinis quam viri. 73. viris imbecilliores. 136. 287. 349. valent purgatione menstrua recte procedente. *ibid.* iis motus commendandus. 124. cur morbis plus expositæ quam viri. 243. earum morbi unde potissimum deducendi. *ibid.* quo pacto præcavendi. *ibid.* morbis magis obnoxiæ. 349. peculiaribus etiam. 287. qualem habeant pulsum. 368. experiuntur quandoque hæmorrhoides. 342. seq.
Fermentum morbificum falso pro omnium morborum causa venditatur. 151.
Fernelii laudes. 21.
Fibræ motrices. 27. habent duplicem motum. 87. earum constitutio robur præstat. *ibid.* musculosarum tensio, quid efficiat. 36. motrices causarum morbificarum subjectum. 179. in senibus nimis duræ & solidæ fiunt. 162. densiores & laxiores non tam acerbis doloribus sunt expositæ quam teneriores. 180.
Fibrarum structura multum tribuit ad æquabilem sanguinis motum. 156.
Fibris quo pacto robur aut imbecillitas corporis metienda. 240.
Fistula ex variolarum reliquiis. 355. *ani* consolidata apoplexiam gignit. 347. seq.
Flammula Jovis venenatæ est naturæ. 210. vitalis terminus nihil significans. 151.
Flatus unde generentur. 67. quomodo generentur. 332. à cibis viscosis. 297. intestina & abdomen distendunt. 332. colon sæpissime obsident. *ibid.* causa atrocium pathematum. 332. inflationis ventriculi. 297. 332. doloris in sinistro hypochondrio. 332. pulsum quandoque suspendunt. 370. cur calculosis familiares. 353. quibus discutiendi. 445. 450.
Fluida crassiora. 27. vel subtiliora. *ibid.* tenuiora maxime expanduntur à calore. 33.
Fluida non nisi motus expertia morbum faciunt. 174.
Fluida corporis humani solida quantitate superant. 367. ex solidis vitium capiunt. 319. depravantur in febrilibus. *ibid.* animi affectibus. *ibid.* doloribus. *ibid.*
Fluidorum temperies continua agitatione tandem destruitur. 28.
Fluidum nerveum ex tenuissimis partibus chyli, lymphæ & sanguinis delibatur. 83. illud dari probatur. 27. duplicis est substantiæ. 83. veteres dixere spiritum animalem. 83. an sit lucidæ igneæ naturæ. *ibi.* est causa motuum. 86. dat musculis instinctum ad motum. 88. quod experimento probatur. 84. facit ad sensationem. 89. ad robur partium requiritur. 36. salivam subit. 59. lac subit. 81. in generatione multum efficit. 75. sanguini partim redditur, partim exspirat. 86.
Fluidum cur in sanguine prævalere debeat solido. 157.
Fluor albus excretio salutaris unde. 242. suppressus quæ mala pariat. 263. à suppressis mensibus. 341. ex puerperio. 350. post abortum & puerperium. 353. præpostere cohibitus nocet. 326.
Fluviorum inundationes morborum epidemiorum causæ. 208.
Fœsius laudatus. 19. & 21.
Fœtor excrementorum alvi unde. 66. in violenta morte peremtis haud deprehenditur. 160.
Fœtus an per os nutriatur. 80. an per ultimos saltem menses. *ibid.* humanus cystidem bile repletam habet. 63. non respirat. 80. nutritio quomodo fiat. 79.
Fontes salubres præstantissima sunt medicina. 139.
Fonticuli in morbis contagiosis commendantur. 205. sæpe salutari serviunt excretioni. 347. occlusi obsunt. 337. qua ratione damnosi. 358. seq.
Foramen ovale. 80.
Fotus prosunt in dysenteria. 465. ad eliciendas hæmorrhoides. *ibid.*
Frictiones juvant corpus. 123. quales esse debeant. *ibid.* senibus utiles. 135.
Frictio facit ad progressum sanguinis. 321. in syncopticis utilis. 318.
Frigida potio cur adeo nociva. 178. quatenus noxia, quatenus salubris. 233. copiosius in calefactum corpus ingesta deliquium parit. *ibid.* vitam tollit. *ibid.* adversa maxime ventriculi & intestinorum texturæ. *ibid.* febrili æstu correptis exitium infert. 234. cur corporis excretiones sistat. *ibid.* imprimis pestiferas ubi ventriculi imminet quædam inflammatio. *ibid.* maxime infensa senibus. 235.
Frigus intensum infantes lædit. 133. quid in corporibus efficiat. 105. quibus partibus maxime noceat. *ibid.* nocturnum, quo tempore maxime sit cavendum. 106. purgationem menstruam turbat. 136. quomodo hominem perimat. 30. senes lædit. 134. unde corpori oboriatur. 50. seq.
Frigus corpori inimicum. 185. humidum plus valetudini infensum quam siccum. 267. siccum boreale ubi & quibus noceat. 266. externum perspirationem cohibet. 261. post calorem noxium. 335. excretiones criticas sistit. 288. exanthemata repellit. 302. colicæ causæ. 297. in febribus à spasmo cutis. 302. an & quomodo podagricis levamento sit. 360. illius in corpore effectus. 470. qua ratione in potu salutarem edere possit effectum. 471.
Frigore ambusta non sunt nimium & subito calefacienda. 106. enecatis, quomodo succurrendum. 31. ex frigore in magnum calorem concedere periculosum. 106. sub frigore intenso, quibus utendum. 105.
Frigoris & sicci & humidi natura atque efficacia. 266. seq.
Frontalis vena utiliter in capitis morbis secatur. 458. non tamen semper. 459.
Fructus horæi. 109.

Frumentacea terream ſanguinis partem augent. 108.
Functiones triplices in homine. 405. in morbis lædun-tur. 289. mechanicæ medicinæ objectum. 405. læſæ quomodo explorandæ. 289.
Fungi facultate pollent deleteria. 231. quænam excitent ſymptomata. *ibid.* unde veniant triſtia illa ſymptomata. 232.
Funiculus umbilicalis. 78.

G.

Galenus Ariſtotelis principia in medicinam intu-lit. 16. nimis multas finxit pulſuum ſpecies. 364.
Galeni merita. 21.
Galenici cum chymicis jungendi. 22.
Galli cur venæ ſectionem facile tolerent. 37.
Gangrænæ indicia obſervata in ruſtico, canis rabidi morſu extincto. 200.
Gangræna quid. 296. differt à phlegmone. *ibid.*
Gelatinoſa proxime in ſanguinem vertuntur. 37.
Generatio quid ſit. 55. 75. pertinet ad actiones naturales. 75.
Genus nervoſum in morbis omnibus affectum. 308. à cauſticis & venenis ad anomalos motus abripitur. 310. univerſali ſpaſmo affectum mali ominis. 392.
Geſtationis commoda. 123.
Gialappæ reſinæ virtutes. 215.
Gifft-mehl. 196.
Glacies deglutita dyſenterias parit. 233. ſeq.
Glandularum & ſecretionis intimior cognitio, quibus debeatur. 19. conglobatarum vitio enata corpori damna. 58. colli tumores ætati infantili familiares. 241. unde dependeant. *ibid.* laxitas & ατονία quid cauſentur. 168. quid earum obſtructio & tumefactio. *ibid.* tumores unde. 183.
Glandulæ ſunt ſimplices vel compoſitæ. 54. continuati ductus arteriarum. 55. ſimplices nihil ſeparant. 54. conglobatæ dant lymphæ impulſum. 58. Cowperianæ. 72. junctura rum. 20. lenticulares inteſtinorum muci emunctorium. 71. mucilaginoſæ junctu-rarum. 72. mucoſæ eroſæ quid faciant. *ibid.* vaginæ uteri. *ibid.* veſicæ urinariæ. *ibid.* ſpaſmo afficiuntur. 304. ſeq. mammarum ſpaſmo affectæ ſecretionem lactis impediunt. 304. tumores & ulcera gignunt. *ibid.* faucium & palati conſtrictæ ſitis. *ibid.* iterato ſtrictæ & laxatæ ſalivationis cauſa. *ibid.*
Glauberus. 21.
Glaucoma unde. 91.
Gonagra unde. 163. ſenibus familiaris. 183. à ſpaſmis ligamentorum. 303.
Gonorrhœa unde. 168. cur contagioſæ ſit naturæ. 210. inveterata inſanabilis. 184. virulenta quo pacto in prima herba tollenda. 205. inconſultè adſtringentibus tractata quæ mala pariat. 263. adſtringentibus perperam tractatur. 353. ſeq. cohibita & calidioribus excepta luem veneream gignit. 340. ex male curata ſcirrhus proſtatarum. 329. qualem habeat urinam. 380. ipſius ſpecifica. 452. benigna ab atonia veſicularum ſeminalium. 307. virulenta diuretica fert. 439.
Graafius. 20.
Grammanni tinctura antiphthiſica periculoſa. 228.
Gravedines infantibus & adoleſcentibus maxime familiares. 183. 241. cur frequentiores. 198. cur maxime generentur tempore verno. 266. ſenum unde dependeant. 241. cauſa generalis. 168.
Graveolentia ſpecificum in hyſterica paſſione. 451.
Gravidæ hæmorrhoides ſalutariter ferunt. 342.
Gravidas oportet ſtudere liberæ tranſpirationi. 137. & fugere animi commotiones. *ibid.* iis nocet vita ſedentaria. 79. prodeſt venæ ſectio tempeſtiva. 137. & ſeq.
Graviditas à ſcirrho meſenterii quomodo diſtinguenda. 329.
Griebel-Kranckheit ejus cauſa. 230.
Guſtus ejus organon lingua. 93. in papillulis nerveis reſidet. *ibid.* quomodo fiat. *ibid.* & *ſeq.* cum odore ſympathiam alit. 305. à ſpaſmo tunicæ pituitariæ impeditur. *ibid.*
Gutta roſacea haud repente reprimenda. 263.
Gutta ſerena unde. 187. ex paralyſi nervi optici. 306. conſolidatis antiquis ulceribus. 337. ex epilepſia quomodo. 350. ejus ſpecificum ſulphur antimonii. 453. roſacea raucedinem cum difficili ſpiratione concitat. 357.

H.

Habitus corporis qui morboſus, qui ſanus? 287. 348. facit ad pulſum. 368. in hiſtoriis morborum exponendus. 286.
Hæmatitis tinctura alvum adſtringit. 261.
Hæmoptyſes unde. 166. ex animi pathematibus. 185. à terrore ortæ. 191. menſtruæ. 186. nonnunquam hæreditariæ. 183. pueris & ſenibus rariores. 185.
Hæmoptyſis ex diſruptis vaſis pulmonalibus. 49. ejus differentiæ & ſigna. 296. quomodo ſuccedat. 301. hæreditarius morbus. 349. ſpaſmis debetur. 302. à polypis vaſorum pulmonalium. 329. 398. ex menſium ſuppreſſione. 340. ingignit phthiſin. 350. præcipue in fœminis. 341. cauſa mortis in ea. 398.
Hæmorrhagia narium ſalutaris. 120. uteri cum menſibus non debet confundi. 79.
Hæmorrhagiæ unde. 165. ex animi pathematibus. 185. narium menſtruæ. 186. repente cohibitæ quæ mala pariant. 263. terrore cohibitæ. 192. cur maxime generentur tempore verno. 266. earum differentiæ. 296. ſalutares. 288. 409. quomodo ſuccedant. 301. debentur ſpaſmis. 342. 301. conſiderandæ. 344. 288. ſolvunt morbos. 409. ſi deficiunt promovendæ. *ibid.* qualis ante & poſt eas pulſus. 371. quibus præſidiis & quomodo movendæ. 439. ſeq. antiſpaſmodicis rectius ſiſtuntur quam ſtipticis. 417. & adſtringentibus. 447. earum ſpecifica. 452. pilulis de cynogl. & martiali liquore compeſcuntur. 318. criticæ quandoque. 387. à ſpaſmis ſupprimuntur. 302. ſuppreſſæ nocent. 288. 302. non tamen omnium morborum cauſæ. 345. nimiæ debilitant. 349. exitioſæ. *ibid.* funeſta ſigna. 395. ex incongruis locis ſuppreſſis menſibus. 340. ex præputio rariores obſervatæ. 296. Vid. *narium & uteri hæmorrhagia.*
Hæmorrhoidales venæ internæ lethalem rupturam paſſæ. 327. à ſanguiſugis non evacuantur. 462.
Hæmorrhoidalis fluxus. 19. ſeq. 49. excretio ſalutaris. 120. ſuppreſſa nocet. *ibid.*
Hæmorrhoidalis dolor unde. 163.
Hæmorrhoidarii abſtinere debent ab emeticis. 213. ſeq. cur tam atroces ſentiant dolores. 167.
Hæmorrhoides primæ ſenectæ familiares. 183. cur ſenibus magis familiares, quam juvenibus. 170. præternaturale quid. 342. ſalutaris excretio. 288. 342. earum ſigna. 296. diſtinguendæ à dyſenteria. *ibid.* quomodo erumpant. 301. 342. ſpaſmis debentur. 301. inprimis hypochondriorum. 345. hæreditariæ. 343. quibus ſolennes. 342. fœminis quandoque accidunt. *ibid.* gravidis quoque. *ibid.* menſibus ſuppreſſis ſæpe manant. *ibid.* nonnunquam cum lochiis fluunt. *ibid.* cur adeo familiares. 343. ſolvunt multos morbos. 409. mentis morbos ſolvunt & præſervant. 343. nephritidem curant. *ibid.* præſervant ab hæmoptyſi. *ibid.* arthritide. *ibid.* pleuritide. *ibid.* cutis defœdatione. *ibid.* hypochondriaco malo. *ibid.* ſcorbuto. *ibid.* ſcotomia. 344. in morbis ab earum ſuppreſſione aperiendæ. *ibid.* certa ad revocandas ipſas non dantur remedia. 346. intempeſtive pulſæ nocent. 345. 346. nonniſi præmiſſis præparantibus pellendæ.

pellendæ. 415. quibus præſidiis & quomodo movendæ. 440. fotibus revocantur. 465. ſpecifica in vitiis earum. 452. ſpaſmis ſupprimuntur. 303. nunquam vi comprimendæ. 344. earum dolor à ſpaſmo. 303. albæ quid & unde. 342. ſuppreſſæ. 288. 302. 343. colicæ cauſa. 297. in ipſis quomodo ſanguis mittendus. 459. nimiæ funeſta ſigna. 393. venæ ſectione in brachio ſiſtuntur. 459. ex hepatis & lienis vitio. 320.

Hæmorrhoidum fluxus cauſſæ. 74. commoda. *ibid.* eſt naturalis & præternaturalis. *ibid.* fluxus. 157. curat vel lenit morbos chronicos. 260. repreſſus difficulter revocatur. 263. ſtagnatio quas pariat ærumnas. 175. ſuppreſſio quos morbos generet. 185. ex animi pathematibus oritur. 185. à terrore. 191. turbatio morbos gignit. 157.

Hæreditaria diſpoſitio multum facit ad morbos. 287. 349. morbos difficiles gignit. *ibid.* in hiſtoriis morborum recenſenda. 287.

Hæreditarii morbi qui ſint. 349. à ſolidorum vitio pendent difficiles ſanatu. 287. 349.

Hamech confectionis vis purgativa. 214.

Harvæus in quo medicinæ profuerit. 19.

Hectica ex nimia aquarum ardentium potatione. 255. quare inſanabilis. 184.

Hectica febris differt à lenta. 294. ſigna. *ibid.* nunquam ſalutaris. 411. à viſcerum corruptione fovetur. 323. ex ſuppreſſione menſium. 341. lochiorum. 342. nimiis hæmorrhagiis. 349. ſudor largus in ea unde. 383. cauſa mortis abſceſſus ruptus. 400.

Hiſterus laudatus. 79.

Hellebori albi ſuccus, telis illitus, necat. 187.

Helleborus coctus vim purgativam perdit. 214. ſpecificum Veteribus ad inſaniam. 451. albus Veterum emeticum. 432.

Helmontius 17. 21.

Helveti unde proceri. 107.

Hemicrania quid. 303. à ſpaſmo pericranii. *ibid.* ex menſium ſuppreſſione. 341. puerperio. 350. facile recidivat. 356.

Hemiplexia quid & unde. 307. pulſus in ipſa. 371. cauſa mortis. 396.

Hepatis vaſa ſanguinea. 48.

Hepar cur omnium difficillime ſanguinem tranſmittat. 167. unde augeatur. 227. ſcirrhoſum fit ab ira. 218. non alit conſenſum cum nervoſis partibus. 317. ad atoniam cur pronum. 307. atonia laborans multorum morborum cauſa. 307. 317. 320. ſcirrho facile afficitur. 329. maxime affectum in ſcorbuto. 379. ejus conſtitutio in morbis conſideranda. 289. unde cognoſcenda. *ibid.* lethalis corruptionis ſigna. 394. labe affectum quibus curandum. 446.

Hepatici ductus ſpaſmo correpti diarrhœas & vomitus bilioſos cauſantur. 304.

Hepatitis diſtinguenda ab inflammatione ventriculi. 294. ejus ſigna 294. ſeq. differentiæ. 295.

Hernia inteſtinalis ex fortiori emetico. 213.

Herpetis ortus. 168.

Herpes ſæpe annua & ſalutaris. 347. ſcabiei aſſimilatur & ea propter ejuſdem eſt effectus. 358.

Heucherus laudatus. 70.

Heurnius. 19. 21.

Hieme ſtudendum liberæ tranſpirationi. 135. victum duriorem facile toleramus. *ibid.* vini & cereviſiæ generoſioris potus commendabilis. *ibid.*

Highmori antra. 71.

Hippocrates medicinæ rationalis parens. 16. anatomen coluit. 18. chirurgiæ navavit operam. *ibid.* circulum ſanguinis an cognoverit. 19. corporum & naturarum diverſitatem conſiderare juſſit. 18. ignem fecit primum motorem. 33. mechanicis rationibus ſtuduit. *ibid.* morum & decori doctrinam non neglexit. *ibid.* in morbis dijudicandis excelluit. *ibid.* motus prudenter dijudicavit. *ibid.* obſervationes condidit. *ibid.* phyſicam coluit. *ibid.* præſervationem à morbis commendavit. *ibid.* regulas ex obſervationibus formavit. *ibid.* tonum partium indigitavit. 36. qua ratione imitandus. 19. ad ipſius lectionem ſubſidia. *ibid.* quid ex eo capiendum eclectico. 20. ipſi non ſatis patuit natura humani corporis. 26. ipſius ſucceſſores à more ejus deſciverunt. 19. optima jecit artis fundamenta à poſteris relicta. 299. ſeq. potiora & præſtantiora ipſius dogmata. 300. parum meminit ſignorum ex pulſibus. 364.

Hippocratis morbus niger unde. 166.

Hirudines unum ex præcipuis morborum remediis. 260. evacuationi ſanguinis ſerviunt. 462. non plus quam ſcarificatio vel venæ ſectio præſtant. *ibid.*

Hiſpani atque *Itali* quare frigido potu utantur. 470.

Hiſtoriæ morborum præcipuum pathologiæ & therapiæ fundamentum. 147. quid ad integram morbi hiſtoriam requiratur. 148. therapiæ fundamentum. 286. perfectæ ſint. *ibid.* quomodo conſignandæ. *ib.* ad hypotheſes examinandas utiles. 291.

Hollerius. 19. 21.

Hominis definitio. 26. ortus ex ovo. 77.

Homini tria diſtincta inſunt principia. 77. 95.

Homo cur crebrioribus & gravioribus morbis expoſitus, quam bruta. 180. cur tamen diutius iis vivat. *ibid.* triplices in eo actus obvii. 405.

Horripilatio unde. 166. omnibus doloribus atrocioribus juncta. 167.

Horroris vis in corpus. 194.

Humidum cur corporis conſervationi adeo inimicum. 267. quare corpori humano utile. 469. frigidum an ſenibus, ſine noxa dari poſſit. 476.

Humor quando propter illum infeſta materia rurſus repellatur. 360. quidnam illius motum omnium maxime reprimere valeat. *ibid.* retropulſus, num funeſtorum ſymptomatum ſola cauſa exiſtat. 361. quare difficulter, etiam ope convenientium remediorum, ad priſtinum locum relegari poſſit. 362. humorum motus quinam conſervandus. *ibid.* corruptus, quomodo ad appropriatam ſedem reducendus. 363.

Humores boni ſi nimii evacuandi. 119. ſuperflui ubi excernantur. 118. utiles quinam. 51.

Humores proportio elementorum. 287. quantitas. 365. 367. non extravaſantur inter fibrarum interſtitia. 365. cur tam varii ex ſanguine. 381. ad craſin eorum facit potus. 288.

Hungarica febris à qualitate cœli derivanda. 335.

Hydrocephalus quid ſit. 328.

Hydrophobia, ex morſu canis rabidi naſcitur. 199. quo pacto ſananda. 201. ejus ſigna. 295. differt à phrenitide. *ibid.*

Hydropici ſibi caveant ab humiditate frigida. 267.

Hydropis ortus. 166. ſeqq. 175. 243. 255. ſedes. 167.

Hydrops aſcites inſanabilis. 184. cur facile recurrat. 244. cur rarior. 185. cur meſſis tempore homines afficiat. 234. cur ſenibus magis familiaris, quam juvenibus. 170. nonnunquam comitatur quartanam. 164. pectoris inſanabilis. 184. pericardii cur ſemper jungatur aſthmati ſpaſmodico. 166. quandoque congenitus. 183. à ſcirrho meſenterii diſtinguendus. 329. ex atonia hepatis & lienis. 307. 320. ſuppreſſis menſibus. 341. hæmorrhoidibus. 343. uteri vitio. 400. quartana. 352. nimiis hæmorrhagiis. 349. obſtructione hepatis, viſcerum & glandularum. 400. pulſus in eo qualis. 371. funeſta ipſius ſigna. 394. cauſa mortis. 399. facile recidivat. 356. ex aſthmate quomodo gignatur. 305. 320. 400. intra duplicaturam peritonæi paracentheſin admittit. 326. diureticis optime arcetur. 441. ejus ſpecifica. 451. uteri fluxu ſponte ſanatus. 410. ambulatorius eſt ab una parte corporis ad alias, etiam internas. 359. *ſubitaneus* ex ruptis tumoribus ſeroſis in abdomine. 326.

ſaccatus lapſu curatus. 410. *uteri* à polypis. 330. ex ſuppreſſione menſium. 341. *pectoris* ejus ſigna. 328. quibus ſolennis. *ibid* à polypis vaſorum pulmonalium. 330. ex ſuppreſſis menſibus. 341. aſthmate quomodo. 352. uteri fluxu ſponte quandoque ſanatur. 410.
Hyems quos producat morbos. 266.
Hygieine quid. 14. debet niti principiis certis. 99. proximum à phyſiologia locum tenet. 14. 99. qualis ſcientia. 99. quid ſupponat. *ibid.*
Hygrometra commendata. 105.
Hyoſcyamus venenis annumeratur. 200. facile mentem alienat. 223.
Hypnotica ubi tentanda. 225. Vide *Soporifera.*
Hypochondriaca paſſio ex pluribus cauſis enaſcitur. 177. quandoque ex tertiana intermittente. 164. quandoque hæreditaria. 183. 244. non indiſtincte curatur acidulis ac martialibus. 153.
Hypochondriaci flatulentia vexantur. 67. in melancholicam proni. 103. cur phantaſia corrupta laborent. 200. abſtinere debent ab emeticis. 214. & anodynis. 224. caveant ſibi ab iracundia. 150. cur adeo voraces. 248. ad omnem cibum male ſe habent. 253. ſpaſmi cur æſtate conquieſcant. 265.
Hypochondriacum malum teſtatur conſenſum partium membranoſarum. 29. affectio generis nervoſi. 317. imbecillis naturæ proles. 345. in quo conſiſtat. 352. differt à colica. 297. ſigna. *ibid.* radix & ſedes in ventriculo. 313. 317. variæ cauſæ. 345. cauſa prima non cruditates. 317. nec unica ſtagnatio ſanguinis in vaſis venæ portæ. 345. ex animi pathemate. 313. potu frigido poſt iram. *ibid.* ſanguinis ſtagnatione in viſceribus abdominis. 317. ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis. 343. male curata intermittente. 352. alvi fluxu. *ibid.* hæreditarius morbus. 349. fluentibus hæmorrhoidibus affligit. 345. hæmorrhoidalia molimina gignit. *ibid.* hæmorrhoidibus levatur. 343. efflorescente purpura quandoque diſcedit. 410. clyſteribus levatur. 467. cura fundamentalis. 317. ſpecifica in eo præſidia. 451. ſedes illius & qua medela curandum. 474. unde ortum trahat. *ibid.*
Hypotheſes medicæ non omnes quidem rejiciendæ. 150. quia tamen diſcordiarum ſunt progenitrices, ex iis emergere ſtudeat philiater. 154. earum tria genera. 151. multæ in medicina. 291. quomodo examinandæ. *ibid.*
Hypotheſium medicarum lapis lydius. 14.
Hyſterica ſymptomata ex terrore. 191.
Hyſtericæ flatulentiis vexantur. 67. abſtinere debent ab emeticis. 213. paſſiones periodicæ. 186. non indiſtincte curantur caſtoreo. 153. earum cauſæ internæ atque externæ. 173. ſedes primaria. 164. cur ſuaveolentia ferre nequeant. 305. apoplexia leviori corripiuntur. *ibid.* 299. 458.
Hyſterica paſſio hæreditarius morbus. 349. ſedes non in utero, ſed ventriculo & inteſtinis. 316. non à nervis, ſed ſanguine reſtagnante derivanda. *ibid.* ex puerperio. 350. atonia uteri. 307. menſium defectu. 316. 341. cohibito fluore albo. 340. reſtagnante ſanguine lochiali. 342. levatur laudano. 318. clyſteribus. 468. quæ proſint. 316. ſpecifica in ea. 451.

I.

Jacotius. 21.
Jacobus Berengarius Carpenſis. 21.
Jalappæ reſina cur atrocia cieat pathemata. 316.
Icterus cur ex ira progignatur. 190. ex nimia aquarum ardentium potatione. 255. cur facile recurrat. 244. niger cur rarior. 185. primæ ſenectæ familiaris. 183. unde. 175. periodicus unde. 186. flavus & niger unde? 379. à ſpaſmo orificii choledochi. 304. ex atonia hepatis. 307. ſpaſmo ventriculi. 314. purgantibus. *ibid.* venenis. *ibid.* vomitoriis. *ibid.* retento mæconio. *ibid.* colica. *ibid.* ira. *ibid.* febre intermittente. *ibid.* retentis menſibus. 341. calculoſis cur familiaris. 353. & colicis. 354. qualis in eo urina. 379. ſpecifica in eo. 451.
Jejunium cur tolerabilius ſenibus. 247.
Ignavia cur debiliret vires. 245.
Ignes pollent medica peſtilentiæ vis. 212.
Ileon inteſtinorum tenuiſſimum & maxime ſenſibile. 304. lumbricorum nidus. 331. ſpaſmo affectum cauſa doloris circa umbilicum. 303. & colicæ bilioſæ. 304.
Iliaca paſſio à frigida potione. 233. ab inverſo periſtaltico motu. 304. funeſtæ ſigna. 394. ſphacelo inteſtinorum necat. 401.
Imaginationis vis in corpus. 194.
Imbecilles cur parum alimenti deſiderent. 247. quinam ſint. *ibid.* caveant ſibi ab humiditate frigida. 267.
Imbecillibus quomodo ſuccurrendum. 130. ſtricta diæta opus. *ibid.*
Imbecilliora corpora quænam. 130.
Imbecillitas corporum morbis obnoxia. 178. 240. quotuplex. 241. ex præcipuis morborum cauſis. 348. quibus inducatur. 349. quibus cognoſcatur ſignis. 348. 420. ipſius ſpecifica. 466.
Impetigo annua & ſæpe ſalutaris. 347.
Imprægnatarum incommoda. 78.
Inappetentia cur malum in cachecticis & hydropicis ſignum. 324.
Incidentia materiæ correctioni dicata. 428. quæ ſint. 429. quomodo agant. 430. & uſurpanda. *ibid.* aperiunt. *ibid.* ſanguinem depurant. *ibid.*
Incubi ratio. 128.
Induſia in morbis exanthematicis non mutanda. 315. à ſudore tinguntur. 381. pondere increſcunt. *ibid.*
Inedia fracti non ſubito ſunt replendi. 116. quæ iis noceant. *ibid.* quibus conveniat. *ibid.* ſæpe nocet. *ibid.*
Inediæ longioris noxæ. *ibid.*
Infantes calore non ſunt nimis fovendi. 133. crebro, ſed modice cibum capiant. *ibid.* diæta eorum. 132. divitum cur rarius adoleſcant quam pauperum. 82. firmitate & teneritudine differunt. 132. multi mactantur à ſuis nutricibus. *ibid.* primis menſibus leviter nutriendi. 82. quamdiu ſint lactandi. 133. cur difficulter ſudent. 382.
Infanti quis cibus conveniat. 133. lactenti nocet repletio. 132.
Infantia quibus morbis afficiatur. 183. 241.
Infantibus dentientibus lac copioſum non eſt ingerendum. 133. medicinæ multæ & validiores non conveniunt. 134. nocet vinum & ſpirituoſa. 133. tenerioribus lac tenue præbendum. 132.
Infantum diæta ſit circumſpecta. *ibid.* ſanitas pendet à ſana nutricis conſtitutione. 133. ſanitas periclitatur matrum & nutricum delictis diæteticis. 132.
Infantum morbi unde dependeant. 241. quomodo præcavendi. 186. quæ ſigna eorum. 395. quæ cauſa mortis. 402.
Inflammationes quomodo gignantur. 302. aliis ſuperveniunt lethales. 392. in ſphacelum demum concedunt. 393. periculoſiores quandoque ſi mitiora adſunt ſymptomata. 392. in principio quomodo diſcutiendæ. 415. venæ ſectione diſcutiuntur. 408. nimia exacerbantur. *ibid.* earum ſpecifica. 450.
Inflammatoriæ febres earum ſpecies & differentiæ. 294. ex ſuppreſſis menſibus. 342. recidivant quandoque. 356. medicatio earum. 408. qualis in iis pulſus. 371. nimia venæ ſectione exacerbantur. 408. juſta levantur. 460.
Infuſa calida corrigunt ciborum noxas. 110.
Infuſa vinoſa laxantia præferenda purgantibus. 416. diapnoica præferenda ſudoriferis. 417. theiformia potiſſimam facultatem aquæ debent. 463.

Infuſorum uſus liberalior ad arcenda contagia commendatur. 212.
Ingeſtiones debent reſpondere egeſtionibus. 66.
Ingeſtorum natura, modus & ratio probe examinanda. 257.
Inquietudo ſenum unde. 241.
Inſalubrium rerum indoles. 185. ſcientia medico maxime neceſſaria. 188.
Inſania hæreditarium malum. 346. perperam promiſcue ab hæmorrhoidibus repetitur. 347. ex ſuppreſſa narium hæmorrhagia. 346. facile recidivat. 356. hæmorrhoidibus ſolvitur & præſervatur. 343. balneis levatur. 463. ſcarificationem melius quam venæ ſectionem fert. 461. ſpecifica ipſius. 451.
Inſaniæ ſubjectum. 179. cur maxime tempore verno generentur. 266.
Inſecta quomodo venenoſam naturam induant. 195.
Inſectorum ingens copia Romæ. 211. in locis calidis venenoſior. 195. morbos malignos præſagit. 210.
Inſomnia terrifica & dæmoniaca, unde. 166.
Inſpiratio quomodo fiat. 44.
Intemperantia corpori inimica. 185.
Intermittens febris minera prima in regione. 313. unde ſymptomata eorum. *ibid.* quandoque ſalutares. 408. ſeq. quandoque exitioſa. 411. etiam habet criſin. 390. facile recidivat. 367. quibus proritetur recidiva. *ibid.* recta eam ſanandi ratio. 409. & ſiniſtra. *ibid.* optime præſcinditur emetico vel laxante. 415. ſpecifica ad curandam ipſam. 450. male curata gignit hypochondriacum malum. 352. contumacis fomes. 408. & ſpecifica. 450.
Intermittentium phænomena explicata. 169.
Inteſtina craſſa etiam ad ſanguinem aliquid dimittunt. 64. quare tam gravibus ſtricturis ſpaſticis ſint obnoxia. 164.
Inteſtina in morbis maxime debilitantur. 349. conſenſum alunt cum ventriculo. 314. cum membranis univerſi corporis. 315. flatibus obſidentur & diſtenduntur. 332. coaleſcunt quandoque in colica convulſiva. 402. quid patiantur à ſpaſmo. 303. ſeq. inflammatione & ſphacelo corripiuntur in dyſenteria. 324. eorum atonia quæ pariat mala. 306. quibus ſub moveatur. 446. ab eorum convulſiva affectione diarrhœa & cholera. 306. eroſionis eorum quæ ſigna. 333. labem patiuntur male tractatis alvi fluxibus. 352. ſpaſmus eorum quibus tollendus. 431. eorum inflatio quibus curanda. 445. languentia clyſteribus firmantur. 467. eroſa clyſteribus conſolidantur. 468. *craſſa* aſcaridum habitaculum. 332. *tenuium* inflammationis & ſphaceli ſigna. 324. *rectum* à dolore ex hæmorrhoidibus ſphacelum patitur. 324.
Inteſtinorum fibræ cauſa motus periſtaltici. 64. ſenſibilitas. 29. villi ſunt cavi. 64.
Inturationes unde. 164.
Inventa phyſico-chymica medicinam juvant. 20.
Joubertus. 21.
Ipecacuanha non ſemper eſt antidyſentericum. 153. ejus radix in principio peſtis commendatur. 204. ſpecificum in dyſenteria. 452. ejus virtus & prærogativa. 432.
Ira agit in ventriculum & inteſtina. 190. ubi inflammationes periculoſas producit. *ibid.* ſuccos veneno imbuit. 195. ſeq. quibus ſit remedio. 190. effectus ipſius in corpus. 287. 313. 319. facit ad colicam. 298. ad Cardialgiam. 319. ad vomitum. *ib.* ad icterum. 314. ad febres bilioſas cholericas. 319. atrocia ciet pathemata ſi calculus in cyſtide fellea. 331. quæ poſt eam damnoſa? quæ utilia? 416.
Iracundiæ effectus. 35. 102. noxas quid augeat. 103. quid eaſdem avertat. *ibid.*
Iſchiadicum malum quandoque anniverſarium. 183. ſenibus familiare. *ibid.* quomodo gignatur. 302. à ſpaſmis oritur. 303. ſpaſmis ſtipatur. 302. ex menſium emanſione. 344. differt à nephritide. 295. ex hæmorrhoidum ſuppreſſione venæ ſectione levatur. 344. repulſum nocet. 339. quando in eo venæ ſectio inſtituenda. 459.
Jugularis vena in melancholia & phrenitide incidenda. 458.
Juſcula carnium gelatinoſa. 106.
Juvenili ætati commendanda mediocritas. 134.
Juventus prima debet indureſcere. *ibid.* quibus morbis afficiatur. 183. quid peculiare ſervet. 287. quibus morbis pateat. 308. qualis in ea pulſus. 368.

K.

Korn-Mutter quænam producat ſymptomata. 230.

L.

Labor auget circulum ſanguinis. 47. mox à paſtu nocet. 66. ſanitati conducit. 157. mutat pulſum. 368. Vid. *Motus*.
Lac quid ſit. 80. alimentum univerſale. 107. craſſum; quas noxas ferat. 132. ex chylo & ſanguinis gelatinoſa parte ſeparatur. 81. optimum alimentum. 80. peſſimum quale. 132. tenue minus lædit craſſo. 82.
Lac copioſe hauſtum veneni & purgantium vim frangit. 215. cur promptiſſimum contra venena remedium. 201. non ſemper eſt antiphthiſicum vel antipodagricum. 153. qui convertatur in venenum. 252.
Lac optima antidotus. 431. à ſpaſmis ſecretio ipſius intercipitur. 304. quando in flatus explicetur. 297. concretum venenum æmulatur. 312. ſeq. inflationem ventriculi cauſatur. 297. continuato uſu juvat. 423. Vide *Serum lactis*. ex animali depromtum quale ſit. 469.
——— *aſininum* ſpecificum in podagra. 450. in phthiſi. 451. ad longævitatem. 453.
Lacte nutricum graviſſima mala in infantes transferuntur. 189.
Lacticinia noxia. 109. ſenibus non conveniunt. 134. corpori inimica. 185.
Lactis bonitas unde pendeat. 81. quomodo cognoſcatur. *ibid.* examen. 132.
Lactis copia infantibus noxia. 248.
Lactiferi ductus ſpaſmos patiuntur. 304. ſpaſmo affecti interceptæ lactis ſecretionis & tumorum cauſæ. *ibid.*
Læſio unius partis in plures redundat. 27.
Læſiones externæ lethales quæ ſint. 403. ſeq. earum ratio in intercepto humorum circulo. *ibid.*
Lamiarum unguentum unde conficiatur. 172.
Lanciſius. 17.
Lapis in veſica non fit poſt annum XCII. 183.
Larynx ſpaſmo afficitur. 305. ſpaſmo affecta conſtrictivi in gula ſenſus cauſa. *ibid.* irritata facit tuſſim ferinam. 306.
Laudanum liquidum prodeſt in dyſenteria & hyſterica paſſione. 318. in febre ardente mortiferum. 418.
Laxantia juvant gravidas. 136. initio peſtis commendantur. 232. Veteribus minus cognita. 433. qualia ſint. *ibid.* quomodo agant. *ibid.* præferenda purgantibus. 416. pro ratione circumſtantiarum in uſum vocanda. 433. proſunt in principio morborum. 416. ad præcavendum abortum utilia. 354. in tuſſi cur conducant. 316. 416.
Lenta febris ſigna ipſius. 294. differt ab hectica. *ibid.* ex debilitate ventriculi. 321. nimiis hæmorrhagiis. 349. alvi fluxibus male tractatis. 352. ſuppreſſis criticis evacuationibus. 389. quomodo ſtatim præſcindenda. 415. quæ in ea pro ſint. 431. cauſa mortis in ea. 400.

Lepra unde. 168. 202. cur rarior. 185. retrograda pernicioſa. 206.
Lethargus unde. 145. ex eryſipelate repulſo. 338. cephalalgia & ſcorbuto lethali ſupervenit eventu. 396. qualis in eo pulſus. 371. cauſa mortis in eo. 396.
Lien juvat ſanguificationem. 50. mere vaſculoſum. 49. facile læditur. *ibid.* melancholiæ ſedes. 327. non alit conſenſum cum nervoſis partibus. 317. labem contrahit ex triſtitia. 327. atonia laborans quos pariat morbos. 307. 320. 317. ei perperam dolores in latere ſiniſtro tribuuntur. 317. 332. poſt vomitum cruentum magnus & putridus reperitur. 341. ſchirrhi in eo ſigna. 329. labe affectus quibus tractandus. 446. ejus ruptura lethalis. 328.
Lienis ſtructura à quibus expoſita. 19. exciſi effectus. 49. fabrica cur ferme tota ex canaliculis minimis conſtructa. 156.
Lingua guſtus organon. 93. ejus ſtructura. *ibid.*
Lintea recentia perſpirationem cohibent. 261.
Lipothymia ex fortiori emetico. 213. à terrore. 191. cur ex nervi læſione oriatur. 158. atoniæ debetur. 306. ex imbecilli cordis ſyſtole. *ibid.* ex præpoſtero topicorum uſu in morbis articulorum. 338. reſtagnante ſanguine lochiali. 342.
Lippitudines unde. 183. cur maxime generentur tempore verno. 265.
Liquida in corruptionem proniora ſolidis. 28. vitæ neceſſaria. 111.
Liquidum nerveum tenuitatem ſucco nutritio conciliat. 57.
Lithargirii indoles. 172. fumus torquet figulos. 228. perperam olim pro veneno habitum. 197.
Litterati plerumque imbecilles. 130. quo vitæ regimine egeant. *ibid.*
Litteris quo tempore opera ſit danda. 130.
Loca multum faciunt ad morbos endemios & epidemios. 292. altiora ſalubria. 287. humilia inſalubria. *ibid.*
Locorum proprietates noſſe debet medicus. 149.
Lochia non niſi præmiſſis præparantibus pellenda. 415. à ſpaſmis ſupprimuntur. 302. ſuppreſſio eorum cur adeo noxia, quæ inducat pathemata. 342.
Lochiorum ſufflaminatio unde. 168. profuſio repente cohibita quæ mala pariat. 262.
Locuſtarum multitudo morbos malignos præſagit. 209.
Lolium avenaceum temulentum quænam excitet ſymptomata. 230.
Longævitas ejus præſidia. 453.
Lowerus. 20.
Lucubrationes nocent. 126.
Ludovici. 22.
Lues venerea non ſemper curatur mercurialibus. 153. non juvatur natura. *ibid.* quo pacto in prima herba ſuffocanda. 180. retropulſa cur adeo periculoſa. 166. 206.
Lumborum dolor unde. 186. 235.
Lumbrici terreſtres non ſemper ſunt antepilepticum. 153. lumbrici ex dulcibus. 254. ſenibus cur rariores. 185. in ileo hoſpitantur. 332. eorum indicia. *ib.* pulſum reddunt inæqualem. 369. pleuritidem mentiuntur. 332. *terreſtres* ſpecificum in doloribus artuum ſcorbuticis. 450.
Luna ad venæ ſectionem nihil facit. 454.
Lycopodium ſpecificum in plica Polonica. 453.
Lympha cur ſanguini reaffundatur. 17. quid ſit. 57. ubi ſanguini reaffundatur. 17. ſpiſſa quibus diſſolvatur. 430.
Lymphæ curſum quid adjuvet. 58. motus pendet à motu ſanguinis. 17. ſpermaticæ in ſanguinem refluæ utilitates. 76. circulus à ſtricturis ſpaſticis impeditur. 166.
Lymphatica vaſa ubi ſe exonerent. 58.
Lymphaticorum vaſorum origo duplex. 57.

M.

Machina quid ſit. 27. eſt compoſitum. *ibid.* Papiniana illuſtrat effectum caloris in concoctione. 60.
Macilenti ac debiles motui minus ſunt apti. 124.
Macilentiores cur facilius convaleſcant, ac ſpongioſi habitus homines. 162.
Magneſia abſorbens. 428. hypochondriacis utilis. *ibid.* ab acido ſoluta fit laxans. *ibid.*
Maius ac September menſes ſaluberrimi. 104.
Mala Cotonea adſtringunt alvum. 261.
Maligna febris differt ab aliis. 293. κατ ἐξοχην quæ. *ibid.* qualis in ea pulſus. 371. qui malus. *ibid.* in ea ſanguis quandoque roſeus. 373. ſudor largus in ea malus. 352. cauſa mortis ſphacelus. 401.
Malignitas viribus infenſiſſima. 323. ejus ſigna. 289. 323. 392. non ex fictis terminis exponenda. 323. ejus cauſa putredo. *ibid.* medicis ſæpe imponit. 392.
Malpighius. 17. 19. 22.
Mammæ lactis colatorium. 81. terrore afficiuntur in gravidis. 191. ſpaſmum experiuntur. 304. tumores & abſceſſus earum unde. *ibid.*
Mandibulæ piſcium abſorbens. 428.
Mania ex triſtitia. 176. inveterata inſanabilis. 184. non indiſtincte curatur ſanguine aſinino. 153. hæreditarius morbus. 349. à ſpaſmo duræ matris. 305. ejus ſigna & differentiæ. 295. ex menſium. 341. & hæmorrhoidum ſuppreſſione. 343. cur ſæpe melancholiam excipiat. 305. 350.
Maniacus incuſſo terrore ſanatus. 192.
Manna triplici gaudet virtute. 422.
Maraſmus ſenibus familiaris. 183. 324. unde dependeat. 242. eſt inſanabilis. 186. ejus ſigna. 324. viſcerum corruptione nititur. *ibid.*
Mars limatus abſorbens. 428. adſtringit ſimul. *ibid.* ejus liquor compeſcit hæmorrhagias. 318. ejus crocus ſiſtit febriles motus. *ibid.*
Martialia non ſemper ſunt antihypochondriaca. 153. alvum adſtringunt. 261. pulſum mutant. 369. balneorum uſu ſecundantur. 464.
Martianus (Proſper) 19.
Martins-Korn quænam producat ſymptomata. 230.
Maſticationis neglectus nocet. 115.
Maſticatoria ad arcendum miaſma proſunt. 442.
Materia an in ſe & ſua natura ſit paſſiva. 18. corruptibilis, quæ dicatur. 26. morbi indoles ipſius ex quo cognoſcenda. 289. coctæ ſigna. 303. etiam tenuiſſima maximas mutationes in vitali œconomia efficere poteſt. 361.
Matres prægnantes diætam probe obſervent. 136.
Mechanica ſcientia medico opus. 14. tradit doctrinam de motu. 17.
Mechanicæ artis ſcientia artis medicæ alterum fundamentum. 149. 150.
Mechanices notio evoluta. 24.
Mechanici medici non turbant diſciplinam medicam. 17. qui fuerint. 29.
Mechanicus menſurat vires motrices corporum. 18.
Mechaniſmus quid ſit. 27. etiam in animum jus habet. 24. corporis ejus notitia fundamentum therapiæ. 286.
Medendi leges. 414. methodus à medico tenenda. 286. conſiſtit in remotione cauſarum. 406. ſeq. naturæ optima. 406. quæ ſit in variis morbis. 407. in ſpecificorum uſu ſervanda. 453.
Medicamenta certis morbis ſpecifice accommodata non dantur. 153. metallica venenis annumerantur. 226. præcipua quænam. 260. veneni vim habentia. 212. ſcienda. 426. quæ fortia. 420. quæ lenia. *ibid.* pauca & ſelecta uſurpanda. 421. non crebro mutanda. 426. aliquamdiu continuanda. 423. 426. in eorum uſu

corpora distinguenda. 421. Veterum annalia. 423. vires eorum non una experientia cognoscuntur. 426. ægrius à priori perspiciuntur. 425. à medico noscendæ. 423. plerumque tamen ignorantur. *ibid.* multitudo eorum causa ignorantiæ virium. 423. 426. arti noxia. 423. Vid. *Remedia.*
Medicatio in morbis tempestive instituenda. 414. imprudens morborum causa. 289.
Medicina est scientia. 13. nominalis & realis. 16. theoretica & practica. *ibid.* quo differant. 13. in theoreticis & practicis innititur mechanismo. 97. eclectica, quid ex omnium ætatum & sectarum auctoribus boni capiat. 20. ab opinionibus & hypothesibus sit immunis. 150. universalis num detur. 153. & quomodo debeat esse comparata. 260. ob circumstantiarum differentiam difficilis. 424. judicio opus habet. 372. naturam juvat. 413. naturæ errores emendat. 414. hypothesibus & opinionibus referta. 291. ejus partes sunt connexæ. 285. ejus objectum actus in corpore mechanici. 405. ejus principium non est anima. 300. neque spiritus. 301. sed natura corporis. *ibid.* recte ab Hippocrate definita. 300. ejus incrementa quæ retardarint. *ibid.* rationalis quomodo differat ab empirica. 424.
Medicinæ definitio. 13. duo subsidia, ratio & experientia. 8. existentiam quid probet. 14. finis. 22. fundamenta. 14. incrementa ab observationibus, anatome & physica exspectari debent. 19. partes. 14. potissima cura sit præservare. 25. quid fuerint detrimento. 19. subjectum est corpus humanum vivum. 26. partium nexus. 147. certitudo unde patescat. *ibid.*
Medici officium. 14. 160. 171. 173. 407. potestas. 22.
Medicum & medicamenta fugere qui debeant. 138.
Medicus quid sit. 13. acquiescat in causis proximis & adæquatis. 24. auxilio & consilio juvet. 22. eclecticus sit. 20. inniti debet certis principiis. 23. naturæ minister. 22. nocere non debet. *ibid.* pernoscat naturam humani corporis. 26. philosophus per cultrum & ignem. 14. ejus functio purè mechanica. 97. imitari debet astronomos. 147. beatus quis. 245. naturam imitari debet. 407. 412. naturas distinguat. *ibid.* judicio excellat. 285. 372. in morborum principio & fine opem ferat. 354. in semioticis caute se gerat. 372. felix qui. 413. prognosi existimationem consequitur. 292. quænam illius primaria intentio in materia morbifica ad propriam sedem reducenda. 363. mos quorundam medicorum perversus in febre curanda. 471. & potu frigido ægris propinando. 476.
Mediocritas commendanda juvenili ætati. 134.
Meditationes nimiæ sanitatem labefactant. 287. corpus debilitant. 349. ad capitis morbos disponunt. 287.
Medulla oblongata nervorum radix. 84. pars à corde princeps. 85. ejus læsio lethalis. *ibid.* spinalis ejus membranæ sedes motuum febrilium. 305. convulsionum. *ibid.* resolutæ cum nervis suis hemiplexiæ & paresis causa. 307.
Mehlthau ejus natura venenata. 232.
Melancholia hæreditarius morbus. 349. ejus differentiæ & signa. 295. à spasmo duræ matris quomodo. 305. ex suppressis mensibus. 341. hæmorrhoidibus. 343. ex puerperio cur in maniam transeat sæpe. 305. 350.
Melancholici quinam. 242. in quos morbos facile incidant. 243. cur adeo voraces. 248.
Melancholicorum natura & diæta. 131. temperamentum. 44.
Mellita stomacho infirmo aliena. 254.
Melonum insalubritas quomodo coerceatur. 255.
Membranæ nervosæ sensuum instrumentum. 89. tensæ acutius. *ibid.* laxæ remissius sentiunt. *ibid.* ad sensum fluido animandæ. *ibid.* nimis duræ ac solidæ fiunt in senibus. 162. spasmis patent. 301. nervosæ spasmo affectæ dolorem faciunt. 303. capitis externæ cephalalgiæ sedes. *ibid.* cerebri spasmo affectæ melancholiæ, maniæ, apoplexiæ & epilepsiæ sedes. 305. sensorii auditus susurrum & tinnitum gignunt. *ibid.* spinalis medullæ sedes motuum febrilium. *ibid.* convulsionum. *ibid.*
Membranosæ partes plurimorum morborum sedem constituunt. 179.
Memoria abolita ob atoniam duræ matris. 306. ex apoplexia quomodo. 350.
Mens quid sit. 88. 95. considerationem medicam poscit. *ibid.* est spiritus ad imaginem Dei conditus. 96. & natura non debent confundi. 88. 95. in corpus agit. 18. *ib.* utitur ministerio corporis & animæ. 96.
Menses Majus ac September saluberrimi. 104. October vero & November cur morbos multos generent. 105.
Menses salutaris excretio. 288. 340. spasmis debentur. 301. eorum mechanica ratio. 340. solvunt convulsiones. 409. quomodo movendi & quibus. 439. seq. non nisi præmissis præparantibus pellendi. 415. specifica in vitiis eorum. 452. à spasmis supprimuntur. 302. eorum loco fluunt sæpe hæmorrhoides. 342. suppressi nocent. 288. 320. 340. & cur. 302. quæ symptomata inducant. *ibid.* per incongrua loca exitum moliuntur. 340. causantur vomitum & mictum cruentum. *ibid.* fotibus revocantur. 465. & clysteribus. 467. quomodo venæ sectionem ferant. 459. nimium fluentes unde. 307. ex hepatis & lienis vitio. 320. venæ sectione in brachio sistuntur. 459. emanentes ob ætatis rationem, quæ gignant mala. 341.
Mensium negotium turbant animi affectus. 136. fœmineorum fundamentum. 157. fluxus curat vel lenit morbos chronicos. 262. repente cohibitus quæ mala pariat. *ibid.* difficulter revocatur. 263. justa vacuatio magna pars sanitatis. 258. suppressio unde generetur. 167. 168. à terrore. 191.
Menstrua purgatio cur prodeat ab utero. 73. est salutaris. 119. læsa, quid efficiat. 20. pertinet ad actus naturales. 72. post coitum fœcundum cessat. 78. quibusdam gravidis durat. 79. quibus parcius fluat. 72.
Menstruæ purgationis finis. 74. tempus ordinarium. *ib.*
Menstruæ evacuationes in senili ætate periculosæ. 183. haud rite factæ quæ pariant mala. 270.
Menstruam purgationem quæ turbent. 119.
Menstruus sanguis non est corruptus. 74.
Mentha cur optimum in vomitu. 431.
Mercurialia cur tam vehementem producant effectum. 220. minime conveniunt, ubi succorum est magna dyscrasia salino-sulphurea. *ibid.* in horum usu & individui & morbi & regiminis ratio habenda. 221. cur infensissima infantibus tenellis. *ibid.* cur magnam efficiant seri profusionem. 166. instar venenorum suas perficiunt operationes. 220. non semper curant luem Gallicam. 153. perspirationem cohibent. 261. quomodo salivationem moveant. 442. seq. secundantur balneis. 464. in dentitionis difficultate noxia. 314. minus recte parata & data nocentissima. 312.
Mercurialis (Hieronymus.) 21.
Mercurialis aqua usurpata in scabie lipothymiam excitat. 199. inunctio magis noxia, quam remedium mercuriale intro sumtum. 223.
Mercurialium indoles. 172. noxa. 218.
Mercurii corrosivi natura. 198.
Mercurius vivus in iliaca passione cum fructu datur. 65.
Mercurius cum aqua coctus vermes necat. 198. diaphoreticus alexipharmacis annumeratur. 205. dulcis expellendis vermibus aptus. 236. vivus omnis virulentiæ expers. 197. solutus veri veneni naturam induit & æmulatur. 197. 212. Vid. *Argentum vivum.* diaphoreticus singularis. 318. dulcis tutissimum salivans. 453. sed minus tutum laxans. 434. specificum in contumacibus intermittentibus. 450. non cum salibus miscendus. 434.

Meſenterica febris diſtinguenda à malignis. 293. ejus ſigna. *ibid.*
Meſenterium ſcirrhoſis tumoribus afficitur. 323. abſceſſus patitur. 325. ſcirrhus ejus differt à graviditate, mola, hydrope. 329. ex ejus induratione atrophia. *ibid.* abſceſſus in eo contenti ſigna. 325. rupti ſigna. *ibid.*
Metallurgia morbifica. 228.
Metaſtaſis perfecta & ſalutaris quænam. 356. illius rationalis explicatio. 360. quinam cauſis illam diſponentibus obnoxii. *ibid.*
Methodici quales fuerint. 16. in quo defecerint. *ibid.*
Methodicorum diſciplina quid eclectico ſuggerat. 20.
Methodus geometrarum optima. 23. geometrica eſt ſyllogiſtica. 15.
Miaſmata maxime per ſalivam hauriuntur. 202. non per cutis ſpiracula. *ibid.* veri veneni naturam æmulantur. 203. quo pacto facillime pellantur. *ibid.*
Miaſmatum virulentorum natura. 202.
Mictionum cruentarum cauſa. 166. ſeq.
Mictus cruentus ratione cauſarum diſtinguendus. 296. ſpaſmis debetur. 301. ſeq. differt à ſtillicidio ex præputio. 296. quandoque ex veſicæ venis. 380. renum hæmorrhoides recte dicitur. 344. ſenibus familiaris. 296. ex hepatis & lienis vitio. 320. ex menſium ſuppreſſione. 341. emanſione. *ibid.* hæmorrhoidum ſuppreſſione. 343. maxime in ſenibus. 344. quandoque menſtrualis. 341. & periodicus. 344. qualis in eo urina. 380. præſidia in eo. 430. perperam adſtringentibus cohibetur. 447.
Millefolium ſpecificum in calculoſa renum diſpoſitione. 452. in hæmorrhoidum vitiis. *ibid.*
Miſſio ſanguinis præſervat ab abortu. 79. ad præcavendos mulierum morbos commendatur. 243. cur mollioribus corporibus noxia. Vid. *Venæ ſectio.* 175.
Mixtio corporis noſtri. 26. facile poteſt deſtrui. *ibid.*
Modicus cibus modicus medicus. 114.
Mœconium retentum icterum facit. 314.
Mœror ejus effectus in corpore. 287. 319. lieni maxime noxam affricat. 327. largum pedum ſudorem facit. 382.
Mœroris effectus in corpore noxii. 102. ejus noxas quid avertat. 103.
Mœſtitia ſenibus noxia. 170.
Molæ fœminarum unde. 243. 262. 307. earum indicia. 330. diſtinguendæ à ſcirrho meſenterii. 329. à polypoſis concrementis differunt. 330. clyſteribus ejiciuntur. 467.
Montanus. 21.
Morbi definitio nominalis. 162. realis. *ibid.* immateriales. 173. acuti & longi. 183. benigni & maligni. 181. epidemici ſporadici. *ibid.* epidemii & pandemii. *ibid.* contagioſi & chronici. 182. ſimplices & compoſiti. *ibid.* idiopathici & ſymptomatici. *ibid.* genuini & corrupti. *ibid.* recidivantes. *ibid.* recentes & antiqui ſive habituales. 183. hæreditarii & adventitii. *ibid.* congrui & incongrui. *ibid.* ætatum. *ibid.* ubi habeant ſuum fundamentum. 184. ſanabiles & inſanabiles. *ibid.* ſalutares & exitiales. *ibid.* frequentiores & rariores. *ibid.* certis locis peculiares. 185. rariores. *ibid.* hujus differentiæ uſus in therapia. *ibid.* periodici & ſimplices. 186. retrogradi. 187. manifeſti & occulti. *ibid.* epidemii θεῖόν τι habent. *ibid.* acuti non tranſeunt in liberos. 243. cauſa ut fiat activa quid requiratur. 177. continui periculoſiores intermittentibus. 181. cur non ſint multo frequentiores. 177. ex inæquali ingeſtionum & excretionum proportione gignuntur. 157. genus, genium & cauſas indagare debet medicus. 148. hæreditarii unde. 156. non eodem ſemper modo curantur. 153. quo pacto utplurimum ſolvantur. 184. ſalutares longe frequentiores quam exitiales. 185. temperamentorum unde deducendi. 242. vis ac vehementia unde dijudicanda. 165. omnes generis nervoſi affectiones. 308. eorum quatuor genera. 301. debentur ſpaſmis, *ibid.* atoniæ. 306. motibus convulſivis. 304. probe diſcernendi. 292. variant ratione ſubjecti. 286. ætatis. 286. 308. ſexus. 287. habitus corporis. *ibid.* victus. *ibid.* climatis. *ibid.* vitæ generis. 288. tempeſtatum conſtitutionis. 334. per hæreditatem propagantur. 287. Vid. *Hæreditarii morbi.* recidivant. Vid. *Recidivæ.* ſæpe complicantur. 289. affinitatem alunt. 292. habent ſenſibiles remiſſiones. 289. per obſervationes dignoſcuntur. 291. per ſe non ſunt ſalutares. 303. corpus debilitant. 349. ſæpe ſine ſanguinis vitio accidunt. 373. à læſione motuum in corpore pendent. 301. ex perverſa medicatione. 288. ægri incuria. *ibid.* morborum reliquiis. 354. ex nimiis hæmorrhagiis frigidi. 349. à ſolidorum vitio maximeque imbecillitate. 348. eorum fundamentum ex mente Hippocratis. 300. remittente ſpaſmo ſolvuntur. 303. ſpontaneus ipſorum decurſus obſervandus. 290. tempora morborum in prognoſi diſtinguenda. 395. ſeq. eorum effectus medicamentis ſæpe tribuitur. 425. per morbos quandoque curantur. 410. iis tempeſtive occurrendum. 414. Vide *Cauſæ morborum.*
Morbi acuti curantur potius naturæ, quam artis beneficio. 99. animi mutant actiones. 97. *chronici* tentandi prius motu quam medicamentis. 138. *chronici* expugnantur uſu fontium ſalutarium. 139. quando optime curentur. 104. *oculorum* unde derivandi. 90. & ſeq.
Morbi ætatum eorum fundamentum. 308. *anni temporum* unde? 334. *complicati* curatu difficiles. 289. *contagioſi* optime emeticis præſcinduntur. 415. *maligni* medicis ſæpe imponunt. 392. ſeq. quibus ſignis cognoſcantur. *ibid.* funeſta in iis ſigna. *ibid.* cauſa mortis in iis. *ibid.* Vid. *Malignitas. Periculoſi & ferales* à putredine interna. 323. Vide *acuti, chronici morbi, morborum origo.*
Morbifica cauſæ quæ. 172.
Morbilli cur frequentiores. 185. cur maxime generentur tempore verno. 266. retropulſi cur tam periculoſi. 166. ſunt retrogradi. 187. incongrui periculoſiores. 183. diſtinguendi ab aliis exanthematibus. 293. eorum ſigna. *ibid.* maligni vel benigni. *ibid.* criſes ſervant. 388. oborto ſpaſmo recedunt. 302. qualis ante & poſt eruptionem pulſus. 371. in principio requirunt emetica vel laxantia. 415. reliquiæ eorum gignunt morbos. 354. ſeq. hinc curate ſubmovendæ. 420. inprimis alvi ſubductione. 354.
Morborum multorum cauſſæ ex aëre. 103. cauſa efficiens non eſt anima. 172. cauſæ naturales non ſunt ſaltem occaſionales. 152. plures quandoque concurrunt. 173. cauſa proxima. 163. procatarcticæ. 176. ſpuriæ. 151. effectus differentes unde petendi. 180. differentia exquiſita ſcitu neceſſaria medenti. *ibid.* ſeq. cauſæ virulentæ certis tantum partibus infenſæ. 172. malignitas unde æſtimanda. 161. materia ubi quærenda. 258. origo quandoque repetenda, ex ingeſtis. 152. aut nimia repletione. 269. periodicorum fundamentum ubi. 186. recurſus. 244. remiſſiones & exacerbationes unde. 169. vis quo pacto commode præſcindatur. 259. origo non tam à fluidis quam ſolidis repetenda. 372. ex obſervationibus addiſcenda. 291. cognita utilis ad præſervationem. 291. 301. & curationem. 301.
Morbos incurrunt edaces. 114. præcavere facilius quam curare. 22.
Morbus metaſtaſium morborum modus. 361. num illorum metaſtaſes ſemper periculoſæ. 362. morborum à retroceſſione vel tranſlatione materiæ ortorum curatio generalis. *ibid.* methodus morborum ex puſtuloſa & ulceroſa materia provenientium. 363. quando in curatione morborum contraria deſiderantur.

471. quibuſnam morbis potus frigidus utilitatem præſtet. 472. quorundam, qui ſedem in prima ventris regione habent, exempla. 474. in articulati curando quonam remedio utendum. *ibid.* quinam morbi à febre repelluntur. 476. chronicis balnea frigida opem ferunt. *ibid.*

Morbus niger cur tam ſubito necet. 206. ſpaſmis debetur. 302. quomodo ſuccedat. *ibid.*

Morſus animantium quando virulentus. 195. animantis rabioſi cur aliquando interjecto demum tempore in actum deducatur. 196. hominis iracundi lethalis. *ibid.*

Morſu animantium tacti quo pacto curandi. 200.

Motionis & laborum fructus. 88.

Motus quid ſit? 24. cauſa mutationum in rebus corporis. 17. præſervat à corruptione. 28. ejus ſpecies ſyſtole & diaſtole. 24. ipſius cauſæ corporeæ ſunt. 32. & ſeq. in arteriis & nervis quæri debent. *ibid.* *animalis* quis. 86. & ſeq. *corporis* à cibo noxius. 124. ante cibum laudatur. 124. alvum ſiccat. *ibid.* à morbis præſervat. 121. augendo circulum ſanguinis excretiones promovet. *ibid.* medicina univerſalis. *ibid.* ſanitatem præſtat. *ibid.* multa præſtat beneficia. 121. ordine ſuſcipiendus. 124. ſalubri loco adornandus. *ibid.* qua cautione intermittendus. 140. quando ſuſcipiendus. 124. quouſque intendendus. 125. *elaſticus* quid & ubi. 35. *mechanicus* quis. 87. *periſtalticus* quis dicatur & ubi ſit. 64. placidus eſt. *ibid.* & ſucceſſivus. 65. in una inteſtini parte auctus univerſum canalem afficit. *ibid.* indiget fluidi nervei affluxu. *ibid.* eſt præcipua cauſſa ſecretionis chyli. *ibid.* ejus integritas conſervanda. 65. tria principia. 67. *tonicus* intenſior impedit tranſpirationem. 68. *vitales* & animales inter ſe communicant. 32. earum cauſæ. 29. *voluntarii* organa. 86. adſuefacti facile revocantur. 187. ab iis vita, ſanitas & morbi pendent. 163. epilepticus quis. *ibid.* febrilis quis, & unde cognoſcatur. *ibid.* fluidorum introrſum vergentes cur κατ' ἐξοχην morboſi. 163. periſtalticus. *ibid.* ſalutares probe diſcernendi à pernicialibus. 184. ſyſtalticus glandularum conglobatarum. 163. ex partium ſtructura. 309. ſine ſanguinis & liquidi nervei affluxu perſiſtere nequeunt. 301. ſolidorum & fluidorum œconomia natura. 406. & medicinæ principium. 300. ejus cauſæ remotæ non referendæ ad medicinam. *ibid.* quæ proximæ. *ibid.* ſolidorum ſyſtalticus unde. 406. fluidorum à centro ad peripheriam ſalutaris. 301. 407. à peripheria ad centrum morboſus. *ibid.* ſolidorum & fluidorum auctior facit & ſolvit morbos. 406. ab iiſdem pendet ſanitas. 301. à læſis morbi. *ibid.* quadruplici modo læduntur. *ibid.* non valide ſiſtendi. 418. ſub eorum impetu non movendum. *ibid.* *mechanici* medici & medicinæ objectum. 405. *morboſi* in nervoſis partibus ſedem figunt. 308. 406. eorum quatuor genera. 301. per ſe non ſalutares. 303. quo ſenſu ſalutares. 303. 406. 407. in ſolidis & fluidis damnoſi. 349. ad prognoſin ſcitu neceſſarii. 286. quandoque ſiſtendi. 417. *corporis* ad progreſſivum ſanguinis motum facit. 321. pulſum mutat. 368.

Motum antecedat alvi depoſitio. 124. *fortiorem* cibus non ſtatim excipere debet. 125. *periſtalticum* quæ turbent. *ibid.* quæ excitent. 118. ad *motum* & mobile reſpiciendum. 17.

Motu corpora leviora fiunt. 121. fatigatis qualis conveniat cibus. 125.

Motuum & exercitationum prudens ſit moderatio. 123. cuivis eligendum motus conveniens genus. *ibid.* varia genera. 121. & ſeq. leges ex ſtaticis. 20. mechanicorum organa. 86. quantitas debet ingeſtorum moli reſpondere. 123. eſt communicatio in corpore. 26. febrilium indoles. 167. inteſtinorum duæ ſpecies. 155. microcoſmicorum leges. 169. eas noſſe debet medicus. 165. morboſorum indoles. *ibid.* morbificorum tres claſſes. 193. ſcientia medico maxime neceſſaria & utiliſſima. 149.

Mucilagines ubi proſint? 431.

Mucilaginoſa copioſe hauſta veneni & purgantium vim frangunt. 215.

Mucus 71. ejus colatoria. *ibid.* inteſtinalis. 72. unde ſpiſſeſcat. 71. ejus emunctoria conſpirant. 72. excretio copioſior unde obtingat. *ibid.* ſeparatio diverſis temporibus varia. *ibid.* ſalutariter excernitur. 347. pellucidus per alvum ſecedens unde? 385.

Muria purgat & clyſteribus admiſcetur. 467.

Murorum recentium exhalationes gravia gignunt ſymptomata. 230.

Muſculi ſunt organa motus voluntarii. 86. eorum ſtructura à quibus inveſtigata. 20. qualis. 86. color rubicundus ipſis non eſt naturalis. 56. abdominis abſceſſum quandoque continent. 325. item dorſi. *ibid.*

Muſculorum fibrarum vis motrix unde. 87.

Muſtum ſtomacho infirmo alienum. 254.

Mutatio quævis lento procedat gradu. 138. ſubita ſanitatem lædit. *ibid.*

Mutus ira loquens. 190.

N.

Naboth ovarii novi inventor. 77.

Napelli vis virulenta. 198. ſeq.

Narcotica qui tam cito necent. 178. quo pacto operentur. 198. 222. ſeq. volatilis & penetrantis ſunt indolis. 222. quæ ſint & quomodo agant. 448. pulſum mutant. 369. nocent. 417. cur vires dejiciant. 369.

Narcoticorum operandi ratio. 48. noxæ. 35.

Nares olfactus organon. 92. earum ſtructura. *ibid.*

Narium hæmorrhagia ſpaſmis debetur. 301. quibus ſolennis. 346. ſalutaris excretio. 291. 346. ſuppreſſa nocet. *ibid.* ſolvit in juvenibus capitis morbos. 409.

Natura quid ſit? 28. 88. 301. 406. & anima ſunt res diſtinctæ. 88. 95. ſtudet eliminandis noxiis. 119. hunc in finem extraordinarios motus concitat. *ibid.* aſſueſcit medicamentis. 137. ſecundum Veteres quid. 405. non eſt anima. *ibid.* verum medicinæ principium. 301. quid ei tribuerit Hippocrates. 300. ſola ſæpe ſanat morbos. 290. 405. quo ſenſu morborum medicatrix. 303. ſæpe minus ſalutares motus adornat. 411. optimam ſervat medendi rationem. 406. 412. non omnibus morbis expugnandis ſufficit. 410. medici opem non excludit. 413. obſtacula removere nequit. *ibid.* ſuccos vitioſos alterare non poteſt. *ibid.* ſæpe non ſufficienter emovet. *ibid.* externis in ſanando impeditur. *ibid.* ejus pugna cum morbo quid. 303. ejus methodus in variis morbis. 407. ſeq. effectus ipſius quandoque perperam medicamento tribuitur. 425. una ab altera diſtinguenda. 412. quæ debilis, quæ robuſta. ? *ibid.*

Naturæ definitio Ariſtotelica. 32.

Naturæ vox πολύσημος. 153. obſcuriſſima. 162. autocratia non nimis in medico extendenda. 153. natura prudens morbos ſtudio inſtituens eſt commentum & terminus nihil ſignificans. 151. 152. robuſta & imbecillis unde æſtimanda. 240.

Naturarum eſt differentia. 129.

Navigatio unde pathemata in inſuetis. 310.

Nauſea quibus abigenda. 445.

Nebelius. 17.

Nephritis non indiſtincte curatur alemella vel bareira. 153. differt à malo iſchiadico. 295. quomodo gignatur. 302. ſpaſmis ſtipatur. *ibid.* ex menſium emanſione. 341. & ſuppreſſione. 343. maxime in ſenibus. 344. ex atonia renum quibus tractanda. 446. eam prohibent hæmorrhoides. 344. *ſimplex* quid? 295. ejus ſigna & differentiæ. *ibid.* *calculoſa* quid?

quid? 295. ejus ſigna. *ibid.*
Nervi quid ſint. 85. an cavi. *ibid.* an materiam nutritionis advehant. 86. faciunt ad cordis motum. 42. ad ſenſum, motum & nutritionem. 86. omnis generis glandulas intrant. *ibid.* in paralyſi non tam obſtruuntur quam comprimuntur. 85. poris ſunt pervii. 86. in nulla corporis parte adeo aperti ac in naribus. 94. non ſunt ſenſus ſedes. 92. aurium. 89. linguæ. *ibid.* narium. 93. pulmonum & diaphragmatis. 45. oculorum. 90. optici unde procedant. 84. cauſa motus partium. 309. conſenſus. *ibid.* nullam violentiam ferre poſſunt. 310. ab animi pathemate proxime afficiuntur. *ibid.* eorum diſtributio ſcitu neceſſaria. 309. conſtitutio in morbis conſideranda. 289. diſtenſio in acutis periculoſa. 392. læſi atrocia cient pathemata. 311. eorum principium commotum atrocium pathematum cauſa. 310. præcordiales ſpaſmi affecti quæ pariant mala. 392. pneumonici ſpaſmo correpti reſpirationem faciunt difficilem. *ib.*
Nervina clyſteribus quando indenda. 467.
Nervorum paria novem ex cerebro prodeunt. 84. eorum cognitio à quibus petenda. 20. datur continuitas. 86. cum progreſſu fluidorum magnus conſenſus. 29. continuitas facit conſenſum partium. 86. *fluidum* facit ad motum. 87. Vide *fluidum, liquidum nervorum.*
Nervoſæ partes conſenſum alunt. 309. ſeq. nullam ferunt læſionem. 311. à minimæ molis materiis præter naturam motus efficiunt. 310. ab animi pathematibus proxime afficiuntur. *ibid.* in morbis potiſſimum patiuntur. 308. in eas maxime agunt morborum cauſæ & medicamenta. 308. 406. earum conſtitutio ex urina pateſcit. 380. Vid. *genus nervoſum.*
Nervoſarum partium cum univerſo corpore mira conſenſio. 158.
Nervoſo - membranaceæ partes motuum morboſorum ſubjectum. 178. paullo vehementius agitatæ motus animi & corporis inſigniter turbant. 179.
Nervoſum ſyſtema probe cognitum eſſe debet medico. 180.
Nevrologiam explicavit Vieuſſen. 20. 86. ejus ad pathologiam uſus. 86.
Nili exundatio peſtem gignit. 208.
Nimium naturæ inimicum. 246.
Nitrum fixum abſorbens. 428. optimum temperans. 429. præferendum acidis. *ibid.* quos præſtet effectus. 318. calorem extinguit. 321. pulſum mutat. 369. ſanguinem fluidiorem & rubicundiorem reddit. 374. 429. ſpecificum in nimiis hæmorrhagiis. 452. commode miſcetur abſorbentibus. 422. quomodo ſit antiſpaſmodicum. 448. cum camphora ſpecificum in inflammationibus. 450.
Nonnaturales res morbos ingignunt. 422. ad morbos ſanandos egregii uſus. *ibid.*
Noſtalgia qualis morbus. 313.
Nuckius. 19.
Nutrientia analeptica optima. 444.
Nutritio quid ſit. 55. ſolidis æque ac fluidis neceſſaria. *ibid.* cur pereat in ſenibus. 162.
Nutritione cur ſit opus. 28. ad eam plura debent concurrere. 56. quiete opus eſt. 57.
Nutrix quæ optima. 138. cum cura danda. 82. quomodo lac poſſit corrigere. 132.
Nuces alvum adſtringunt. 261. *vomicæ* duplicis generis. 226. non ſine periculo in uſum promiſcuum vocandæ. *ibid.* in quibus morbis auxilium ferant. *ibid.* felibus & canibus mortiferæ. 198.
Nyctalopia excitata ab uſu panis loliacei. 230.

O.

Obeſa corpora quæ ſint. 130. non ſunt in tuto collocata. *ibid.* quid tenere debeant. 131.
Obeſi ſibi caveant à frigore. 267. cur difficulter ſudent. 382.
Oblivio obſtinata à ſuppreſſis menſibus. 305. Vid. *memoria.*
Obſervationes præcipuum pathologiæ fundamentum. 147. eorum uſus ampliſſimus. 291. ad perſpiciendas remediorum vires proficuæ. 289. ſeq. de morborum ſpontaneo decurſu utiles. 291.
Obſervationum medicarum tenor. 148.
Oculus viſus organon. 90. refert cameram obſcuram. *ibid.* ejus anatomica conſideratio. *ibid.* à quibus expoſita. 20.
Oculorum morbi unde deducendi. 91.
Oculi defluxionem & morbos experiuntur à ſuppreſſa narium hæmorrhagia. 346. & muci excretione. 347.
Odontalgia quid. 303. à ſpaſmo ligamentorum dentium. *ibid.* ejus ſpecificum. 451.
Odontalgiæ periodicæ unde. 186.
Odoris ſedes & objectum. 93.
Odorum ingens in nervoſas partes potentia. 178.
Odor cur pereat. 306. à ſpaſmo tunicæ pituitariæ impeditur. 305. errhinorum abuſu læditur. 442. cum guſtu alit ſympathiam. 305. *ſuaveolentium* cur hyſtericis infeſtus. 305. unde pathemata ex eo. 310.
Odorifera cur prompte agant in cerebrum, ejus membranas & nervos. 94.
Oedemata à ſpaſmo diaphragmatis quomodo? 305. ex ſcabie repulſa. 337. ſuppreſſis menſibus. 341. nimiis hæmorrhagiis. 349. aſthmate lento. 352. balneis martiatis abiguntur. 464. nec non vaporoſis. 465. ſpaſmo exterioribus inducto diſparent. 302. repulſa graviter nocent. 339. ſuffocationis cauſa. 302.
Oedematum ortus. 167. 175. cur ad interiora repellantur. 166.
Oeſophagus conſentit cum ventriculo. 314.
Oleoſa ad arcenda contagia commendantur. 212.
Olera dant humidum alimentum. 108.
Olfactus ubi perficiatur. 89. ejus organon nares. 92. quomodo fiat. 93. cum guſtu cur conſpiret. *ibid.*
Ollæ carbonibus repletæ non ſine noxa mulierum pedibus ſubjiciuntur. 230.
Omentum cur difficulter ſanguinem tranſmittat. 49.
Ophthalmia quomodo gignatur. 302. ſpaſmis debetur. *ibid.*
Opiata quomodo agant. 48. infantibus nocent. 133. Perſis cur non noceant. 137. locum non habent in affectibus periodicis. 186. alvum adſtringunt. 261. Vid. *anodyna* & *ſtupefactiva*; retropellendi pollent facultate. 152. ex heroicorum numero. 418. tutius omittuntur. 449. debilibus exitioſa. 344. in calculo mortifera. 418. nec non febre ardente. *ibid.* non offerenda ubi motus languent. 418. ſeq. iis perperam ſiſtuntur hæmorrhagiæ. 344. in colica gignunt paralyticos affectus. 354. 418. clyſteribus non indenda. 468. Vid. *Laudanum.*
Opii indoles ac virtutes. 172. 223.
Opium quibus utiliter ſocietur. 422.
Organa ad edendum motum per ſe non ſunt idonea. 155. exteriora & emunctoria cur tam copioſe ſint conſtituta. 156. ſenſoria & motoria quare in ſenibus amittant robur ſuum. 162.
Oſſa dimidiam fluidi partem habent. 367. calcinata abſorbent. 428. diaphoreſin ſimul movent. *ibid.*
Oſteocolla abſorbens. *ibid.*
Otalgia quid & unde. 303.
Ova probum dant alimentum. 107. ſenibus & debilitatis conveniunt. *ibid.* quibus noceant. *ibid.*
Ovarium vulgare an ſit verum. 77. rectius intra uterum quæritur. *ibid.* vaſa in eo diſrupta mortis cauſa. 327.
Ovorum teſtæ abſorbens. 428.
Ovulum fœminæ deſcribitur. 77. qua ratione maſculum producat. *ibid.*

P.

Palpitatio cordis minus ſaluraris naturæ motus. 412. convulſionis ſpecies. 306. ex ſuppreſſis menſibus. 341. cauſa mortis in ea polypus. 398. qualis in ipſa pulſus. 368.
Palpitationes cordis unde. 168. ex animi pathematibus. 185.
Paluſtria loca inſectorum ſeminarium. 209. 211. valde inſalubria. 208. ideo circa ea non indormiendum. 211. eorum exſiccatio facit ad averſionem morborum epidemicorum. 212.
Panaceæ recte uſurpatæ admittendæ. 443.
Pancreas ſcirrho obſidetur in hypochondriacis & diuturna quartana. 329.
Panis alimentum univerſale. 107. quis optimus. *ibid.* calidus nocet. 109. turbat negotium menſtruum. *ibid.*
Papaveraceorum operandi ratio. 48.
Paracelſus ejuſque nova dogmata. 16. an multum profuerit medicinæ. 17.
Paracentheſis in hydrope ſaccato proficua. 326. in aſcite noxia. 328. & cur. 399.
Paracynanche quid ſit. 295. diſtinguenda ab aliis faucium inflammationibus. *ibid.*
Paralyſis unde. 166. à terrore oriunda. 191. ex triſtitia. 193. ex nimia aquarum ardentium potatione. 255. inveterata inſanabilis. 184. incendii terrore ceſſat. 192. iræ beneficio ſanata. 190. atoniæ gravior ſpecies. 306. vera vel ſpuria. 299. utriuſque ſigna & ſedes. *ibid.* ſpaſmis ſtipatur. 302. quomodo gignatur. *ibid.* ſæpe oritur a ſanguinis reſtagnatione. 299. ex lochiorum ſuppreſſione. 342. ex apoplexia quomodo. 350. poſt dolores atroces. 354. poſt colicam. *ibid.* cephalalgiis & ſcorbuto lethali eventu ſupervenit. 396. facile recidivat. 356. levatur balneis roborantibus. 465. & vaporoſis. *ibid.* nec non clyſteribus. 467. cauſa mortis in ea. 397. *nervi optici* guttæ ſerenæ cauſa. 306. *nervorum pneumonicorum* catarrhi ſuffocativi cauſa. *ibid.* *nervorum cauſticorum* ſurditatis cauſa. *ibid.* *nervorum lingualium aphoniæ cauſa.* *ibid.*
Paregorica quæ dicantur. 448. quomodo agant. *ibid.*
Pareſis quid & unde. 307. poſt colicam frequens. 354.
Paronychia à ſpaſmo perioſtii. 303.
Parotides unde. 183. quæ habeant ſigna. 326. quænam affectiones illas inſequi ſoleant. 357.
Paroxyſmi cur tam facile revertantur. 169. cur redeant ſtatis temporibus. *ibid.* intermittentium unde. 186.
Paroxyſmus relinquit atoniam. 320. ſeq. recrementa gignit. 321. quid in & extra eum agendum. 289. extra eum evacuandum. 321. ſub eo non movendum. 417. nec venæ ſectio inſtituenda. 457. ante eum urina cur tenuis & poſt eum craſſa. 378. *febrilis* nonniſi ſublata cauſa ſiſtendus. 417.
Partes corporis fluidæ & ſolidæ. 27. genitales à Graafio deſcriptæ. 20.
Partes corporis conſpirant. 309. ex earum ſtructura motus & nexu conſenſus. *ibid.*
Partium conſenſus conſpicuus. 28. diverſitas variat circulum ſanguinis. 47.
Partus legitimum tempus. 80. quid fiat poſt eum. *ibid.* non ſine convulſione ſuccedit. 306. ſæpe poſt mortem matris fit. 395. balneis facilitatur. 464. funeſta gravioris ſigna. 395.
Paſſio, quænam paſſiones humectantiis & diluentiis depellantur. 469. à frigido potu autem inducantur. *ibid.* colica & iliaca paſſio unde oriuntur & quibus mediis curantur. 473. ſtomachalium paſſionum origo. 473. ſeq. hyſtericæ paſſionis ſymptomata quænam. 474. curatione difficillima ſunt. *ibid.*
Pathologia altera medicinæ pars. 14. non poteſt carere nevrologia. 86. ex motuum non humorum vitio petenda. 308. nexu gaudet cum reliquis medicinæ partibus. 285. therapiæ fundamentum. 424. minus recte plerumque traditur. 300. ejus ſynopſis. *ibid.* ignorata cauſa ignorantiæ vitium in medicamentis. 424.
Pathologiæ objectum. 147. definitio. *ibid.* veræ & fictitiæ diſcrimen. *ibid.* veræ fundamenta. *ibid.* progreſſum quid hactenus impediverit. 150. veritates fundamentales ex phyſiologia repetendæ. 154. pathologia veterum cur tam manca fuerit. 163.
Paulli. 17.
Pectoralium uſus nimius ventriculo alienus. 256.
Pectoris convulſiones à potu frigido. 254.
Pedes cur facilius intumeſcant quam aliæ partes. 269. ſeq. conſentiunt cum ventriculo. 315. earum refrigeratio cutim ſtringit, tormina & diarrhœam movet. *ibid.* quando vena in iis incidenda. 459.
Pedum frictiones utiles. 140.
Pedum refrigeratio cur ventris dolores excitet. 168.
Pediluvia quem habeant effectum. 140. æſtivo tempore proſunt. *ibid.* eorum tempus commodiſſimum. *ibid.* quomodo paranda. 465. ſeq. pulſum mutant. 369. ampliſſimi uſus in variis morbis. 466. inprimis ſpaſmis & capitis morbis. 318. late virtutem diffundunt. 466. humores derivant & fluidificant. *ibid.* excretiones promovent. *ibid.* nocent ſi menſium fluxus imminet. *ibid.* à conſtringentibus abſtinendum. *ibid.*
Perceptio quid ratione animæ. 89. & corporis. *ibid.* non in nervis, ſed membranis nervoſis fit. *ibid.*
Peregrinatio quando ſanitatis cauſa inſtituenda. 104. quibus commoda. 122.
Pericardium ſero repletum in iis qui palpitatione cordis pereunt. 399. ſeq.
Pericranium ejus ſpaſmus efficit cephalalgiam. 303.
Perioſtium ab ejus ſpaſmo dolores. 303.
Peripneumonia unde. 166. 168. ex potione frigida. 234. juvenibus familiaris. 183. & Weſtphalis. 185. non fit ante pubertatem. 183. ejus ſigna. 294. differt à pleuritide. *ibid.* quomodo gignatur. 302. ſpaſmis debetur. *ibid.* ſæpe poſt colicam accidit. *ibid.* ex hæmorrhoidum ſuppreſſione. 343. criſes ſervat. 388. venæ ſectionem poſcit. 459. tempeſtive diſcutienda. 415. non tam facile in empyema concedit ac pleuritis. 351. providum expectorantium uſum deſiderat. 441. funeſta in ea ſigna. 394. cauſa mortis. 398.
Periſtalticus motus. vide *motus.* multum confert ad tuendam valetudinem. 157. ad ſanitatem neceſſarius. 385. quibus deſtruatur. 385. ſeq. à ſpaſmis invertitur 304. clyſteribus crebrioribus læditur. 468. labefactatus. quæ pariat mala. 307. inverſus facit iliacam. 304.
Perlarum mater abſorbens. 428. ſubadſtringit. *ibid.*
Perſæ opio aſſueti ab illo non læduntur. 137.
Perſpiratio libera prodeſt. 52. infuſis calidis promovetur. 139. nocturna non eſt ſubito repellenda. 127. liberior quibus adjuvetur. 250. omnium excretionum præcipua. 334. minor quantitate urina. 375. differt à ſudore. 380. ſordes evehit maxime perniciales. 334. & tenuiſſimas. 381. corpus agile reddit. *ibid.* balneis movetur. 463. in morbis exploranda. 288. ex quo cognoſcenda. *ibid.* ab aëre mutatur. *ibid.* ſub quo aëris ſtatu optima. 381. à frigido - humido ſufflaminatur. 334. mutata epidemicorum morborum cauſa. 334. ſeq. ſub doloribus & ſpaſmis ſupprimitur. 319. *ſuppreſſa* omnium maxime nociva. 334. morbos gignit. 288. recidivas parit. 289. varia pathemata ciet. 304. ſuccos inquinat. 320.
Perſpirationis cauſa & ratio duplex. 265. æquabilis commodum. *ibid.* cohibita quæ mala gignat. *ibid.*
Peſte laborantes facilius alios afficiunt, quam qui ea occubuere. 208.
Peſtis ſigna pathognomonica. 175.
Peſtilens febris in ea criſis ſuccedit. 388.
Peſtilentia cauſa mortis in ea ſphacelus. 385. ſpecificum in ea. 450. extremi periculi morbus quare pleriſque exitialis. 358.

Petechiæ diſtinguendæ ab aliis exanthematibus. 293. criſes ſervant. 388. qualem habeant pulſum. 371. qui malus. *ibid.* per ſpaſmum cum damno repelluntur. 302.
Phagadenæ ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis. 327.
Phantaſia in actiones naturales operatur. 97. non agit ſine cauſis mechanicis. 24. ejus effectuum exempla. 97. limitatam in actus mechanicos vim habet. 406.
Pharmaca, maximarum quoque virium ex qua cauſa abſque humido ſufficienti nihil eximii præſtent in curatione. 469.
Pharmaceuticæ ſtudium utile. 20.
Pharynx ſpaſmum patitur. 305. ſpaſmo affectus conſtrictivi in gula ſenſus. *ibid.* & laxatus nimis deglutitionis vitiatæ cauſa. 306.
Philoſophia experimentalis vires remediorum recludit. 426.
Philtra unde parentur. 196.
Phlebotomia infelix. 239.
Phlegmatici quinam. 242. in quos morbos facile incidant. 243. cur non adeo acerbis doloribus expoſiti ac cholerici. 180.
Phlegmaticorum natura. 131. diæta. *ibid.* alvus laxa. 67.
Phlegmaticum temperamentum quale. 44.
Phlogoſis unde. 166. 242.
Phrenitis ortus. 166. ex affectu iracundiæ. 190. ſymptomatica lethalis. 182. 184. ejus ſigna & differentiæ. 295. quomodo gignatur. 302. ex ſuppreſſa narium hæmorrhagia. 347. jugularium ſectione levatur. 458. ex ea fit ſphacelus. 324. ſigna futuræ & & præſentis in acutis. 392.
Phthiſici in iram proni. 103.
Phthiſis cur meſſis tempore corpora afficiat. 234. juvenibus familiaris. 183. nonnunquam congenita. *ibid.* ideoque incurabilis. 244. non indiſtincte curatur lacte. 153. quandoque gignitur ex hæmoptyſi. 164. vel ex nimia aquarum ardentium potatione. 255. quare magis vexet juvenes quam ſenes. 170. ſenibus cur rarior. 185. hæreditarius morbus. 349. à pulmonum atonia. 307. obſtructis & tumefactis pulmonum vaſculis. 299. ex cohibito fluore albo. 340. menſium ſuppreſſione & inde orta hæmoptyſi. *ibid.* variolarum reliquiis. 355. hæmorrhoidum ſuppreſſione. 343. reſtagnante ſanguine lochiali. 342. ex hæmoptyſi quomodo. 350. ejus ſpecifica. 451. funeſta ſigna. 394. quomodo necet. 399. ſuffocatione perimit. 393. cauſa mortis in ea. 399.
Phyſica cur opus ſit. 15. qualis eſſe debeat. 14.
Phyſicæ & anatomes neglectus peperit ſectas in medicina. 16.
Phyſices peritia medico maxime neceſſaria. 150.
Phyſiologia prima medicinæ pars. 14. quid tractet. 285. cum aliis medicinæ partibus connexionem alit. *ibid.*
Pietatis ſtudium facit ad vitam longam. 102.
Pilæ parvæ luſus vehementior motus. 122.
Pilulæ balſamicæ ad præſervandum utiles. 139. aloeticæ præferendæ purgantibus. 416. hæmorrhoides movent. 343. caute tamen uſurpandæ. 441. quibus & quando conveniant. 434. intempeſtivus earum uſus noxius. 345. *balſamicæ* non modo inteſtina, ſed confines & partes afficiunt. 318. poſt morbos adhibendæ. 420. egregii effectus in uteri affectibus. 318. puerperis. 355. 420. hypochondriaco malo. 318. *de cynogloſſa* in hæmorrhagiis proſunt. 318. 452. de ſtyrace in tuſſi egregiæ. 317. *Wildeganſii* in colica pareſin gignunt. 354.
Pinguedines quæ praviores. 109. optima antidotus. 430.
Pinguedo unde & quid. 56.
Pinguia affligunt ventriculos acido gravatos. 109. non facile in ventriculo ſubjugantur. *ibid.* copioſe hauſta veneni & purgantium vim frangunt. 215. acidis mixta quæ ſymptomata excitent. 252.
Pira immatura alvum adſtringunt. 261.
Piſa alvum adſtringunt. 261.
Piſces dant alimentum humidum. 108. febri laborantibus concedendi. *ibid.* morbidi vel mortui corpori perniciem creant. 232.
Piſo (Carolus) 21.
Pitcarnius. 17.
Pituitaria tunica vide *tunica*.
Placenta uterina. 79. ejus officium. *ibid.* ſupplet defectum reſpirationis in embryone. 45.
Placentæ noxiæ. 109. inſalubres. 255.
Plantaginis radix alvum adſtringit. 261.
Plantæ in ſtagnis natæ virulentæ ſunt naturæ. 210.
Plethora gravidarum facit cacochymiam. 136. plurium morborum cauſa. 188. 259. non tamen omnium. 154. morbida quæ. 268. cacochymiæ fundamentum. 271. cordis & vaſorum tonum imminuit. 320. nociva. 409. non omnium morborum cauſſa. 347. multorum morborum cauſa. 347. ſenibus etiam familiaris. 455. cacochymiam gignit. 320. in acutis & continuis damnoſa. 456. ad vires ex atonia vaſorum. 307. per hæmorrhagias ſalutariter imminuitur. 409. ſcarificatione abſumitur. 462.
Plethoræ generatio. 164. 176. effectus. 182. ejus nomine quid veniat. 268.
Plethorici ſibi caveant à frigore. 267.
Pleuritis unde. 166. 262. ab ira progenita. 190. vera à ſpuria diſtinguenda. 294. utriuſque ſigna. *ibid.* non confundenda cum pathematibus ex vermibus. 332. debetur ſpaſmis. 302. inprimis pleuræ nervoſæ. 303. ex conſolidatis antiquis ulceribus. 337. hæmorrhoidum ſuppreſſione. 343. criſes ſervat. 388. arcetur hæmorrhoidibus. 343. gignit empyema. 351. facilius concedit in empyema quam peripneumonia. *ibid.* quomodo tempeſtive diſcutienda. 415. venæ ſectio caute in ea adminiſtranda. 351. quæ in ſpuria quandoque in vera ſemper utilis. 459. expectorantia caute adhibenda. 442.
Plica polonica abſciſſa multos morbos infert. 336. ſpecifica ipſius. 453.
Podagra fixa ſenibus familiaris. 183. hæreditaria inſanabilis. 184. iræ beneficio ſanata. *ibid.* introverſa exitialis. 206. non indiſtincte curatur lacte. 153. non venit ante pubertatem. 183. 185. ob ingentem triſtitiam ſæviſſima concitat ſymptomata. 193. quandoque anniverſaria. 183. hæreditarium plerumque malum. 346. quomodo gignatur. 302. à ſpaſmis. *ibid.* & maxime ligamentorum. 303. hieme cur gravius affligat quam æſtate. 336. tranſit in calculum. 239. non ſemper ab hæmorrhoidum ſuppreſſione repetenda. 345. facile recidivat. 356. ſenibus ſalutaris ſæpe. 410. ob imbecillitatem cum damno retinetur. 339. ſcarificationem poſcit. 461. venæ ſectione intempeſtiva cum damno reprimitur. 339. ſpecifica in ea. 450. ſeq. præpoſtere topicis tractata varia infert mala. 337. ſeq. retrocedens quomodo necet. 395. quænam mala à perperam tractata propullulent. 359.
Podagræ incunabula. 163. 179.
Podagrici tumores retrogradi. 187.
Pollutio nocturna ab atonia veſicularum ſeminalium. 307.
Poloni inſignem ſpiritus vini copiam leviter ferunt. 137.
Polypus cur necare poſſit. 31.
Polypi cordis ex nimia ſanguinis abundantia. 188. inveniuntur plerumque in ſubita morte extinctis. 270. in quibus corporibus maxime generentur. *ibid.*
Polyporum generatio. 168. à potu frigido. 234. ex triſtitia. 193. effectus. 156. indicia. 270.
Polypus frequentiſſima morborum & mortis cauſa. 329. ſeq. 397. plerumque in pectoris morbis. 397. quibus familiaris. 402. dextrum cur plerumque occupet cordis ventriculum. 397. ſigna initiantis & conſummati.

ſummati. 330. index ſanguis fibroſus. 374. ex ſuppreſſis menſibus. 341. quomodo arcendus. 402.
Polypi uterini hæmorrhagiis cauſantur. 330. cauſa hydropis uteri. *ibid.* diſtinguendi à molis. *ibid.*
Potentia generandi in fœminis, quo tempore ordinario circumſcribatur. 78.
Potus copia nocet. 117. minus lædit quam ciborum. 111. copioſus alvum laxat. 118. ejus defectus nocet. 117. præſertim fœminis. *ibid.* frigidus quibus cavendus. 134. incongruus, qualis. 117. parcior quas ferat noxas. 117. liberalior commendatus. 257. multum facit ad ſanguinis craſin. 288. in morbis conſiderandus. *ibid.* calidus mutat pulſum. 368. frigidus ſanitati obeſt. 288. mortem inducere poteſt. 401. ſpirituoſus largus nocet. 288. item paucus. *ibid.* fœculentus & frigidus colicæ cauſa. 297. illius defectus quare nonnullis graves paſſiones pariat. 469. frigidus quandoque ſalubris. 470. aquoſi frigidi ſalubritas. *ibid.* modus operandi in potu frigidiori. *ibid.* frigidus potus etiam in ardente & bilioſa febre eſt præſtantiſſimus. 471. nec in febrili æſtu denegandus. *ibid.* ſeq. ejuſdem uſus in cholerico morbo. 472. frigidi facultas in ſpaſmis & anxietatibus præcordiorum, dolore cardialgico, ſtomachi ardore & ſoda. 473. quando nocentiſſimus. 476. potus aquæ frigidæ non imperite, ſed circumſpecte à medicis eſt applicandus. *ibid.* plura de hoc vide ſupra *voc.* aqua.
Potulenta veneni naturam induentia. 233. valetudini infenſa. 255.
la Poudre de ſucceſſion ſaturninæ fertur eſſe indolis. 228.
Practici parum plerumque cauſſas norunt. 322.
Præcordiorum anxietates periodicæ unde. 168. 186.
Prægnantes diætam peculiarem poſtulant. 136. vide *gravidæ*.
Præſervare à morbis in medici poteſtate ſitum magis quam curare. 99.
Præſervatio in quo potiſſimum ſita ſit. 30. nobiliſſima medicinæ pars. 291. ex origine morborum diſcenda. *ibid.*
Primæ viæ earum conſtitutio in morbis exploranda. 289.
Principia hominis tria ſunt conjuncta. 88. 95. ſeq.
Principium medicinæ quale eſſe debeat. 23. cauſſa proxima ſit ſanitatis morborum, vitæ & mortis. *ibid.* clarum eſſe debet. *ibid.* in corpore noſtro exiſtere debet. *ibid.* non poteſt eſſe res ſpiritualis. 24. aut ſenſitiva. *ibid.*
Prognoſis medica quo pacto acquiratur. 149. ex difficillimis. 391. multum facit ad famam medici. 291. 364. ad finem artis proprie non ſpectat. 391. unde petenda. 372. 391. maxime ex obſervationibus. 291. veteribus maxime culta. 364. licet empirice. 391. in ea diſtinguenda pathemata, tempora & corpora. 395. ad eam referendus inprimis pulſus. 364. ex ſanguinis inſpectione fallax. 372. utilis tamen. 370.
Prolapſus ani & uteri balneis reprimitur. 465.
Proſtatæ mucidæ lymphæ ſecretorium. 72.
Proſtratæ ulcere quandoque obſidentur. 327. ſcirrhi in iis ſigna & effectus. 329.
Prunella quid? 295. diſtinguenda ab aliis faucium inflammationibus. *ibid.*
Pubertatis tempore corpora mutantur. 76.
Pueri ſæpe, ſed paucum cibum aſſumant. 134. qui ipſis noceant. cibi. *ibid.*
Puericia quid ratione ſtructuræ peculiare habeat. 287. 349. peculiaribus morbis obnoxia. 349. quibus morbis pateat. 308. qualis in ea pulſus. 368.
Puerperium ad morbos diſponit & cur. 350. in eo utiles purgationes. 355. mortis in eo ſigna. 395. cauſa ſphacelus. 402.
Pulmones juvant ſanguificationem. 50. eorum fabrica. 44. officium eſt uſus. 45. eorum conſtitutio in morbis conſideranda & quomodo. 289. læduntur à tuſſi humida diuturna. 351. à reliquiis variolarum & morbillorum labem patiuntur. 354. ſeq. cum pleura cur in phthiſi concreſcant. 399. ſphacelo correpti quæ habeant ſigna. 324. atonia affecti quæ gignant mala. 307. labe affecti quibus ſanandi. 446. quandoque inflammantur. vid. *peripneumonia*.
Pulmonum fabrica cur ferme tota ex canaliculis minimis conſtructa. 156. tubercula unde. 168. vomicæ juvenibus familiares. 183.
Pulſus quid ſit. 42. 364. quid indicet. *ibid.* in utraque manu explorandus. 43. cauſa ejus motus cordis. 366. ſeq. mechanice examinandus. 364. experientia addiſcendus. 371. aliquamdiu in utroque carpo tangendus. *ibid.* horologii norma numerandus. *ibid.* quot in minuto. 368. non ſemper unus in utroque brachio. 366. ejus tantum quotuor ſpecies. 365. quid ex eo cognoſcendum. 389. facit ad diagnoſin & prognoſin. 364. ejus uſum verum Veteres ignorarunt. *ibid.* Hippocrates parum expoſuit. *ibid.* Galenus nimis multas ejus finxit ſpecies. *ibid.* immutatur à variis cauſis. 368. variat pro tempore febris. 371. cautum ex eo judicium. 369. ſeq. variat in capitis morbis. 371. in catarrhis veſperi ingraveſcit. *ibid.* ſpaſmo remittente molleſcit. *ibid.* *æqualis* non pertinet ad eſſentiam pulſuum. 365. *amplus* non differt à magno. *ibid.* *anguſtus* idem ac parvus. *ibid.* *caprizans* inæqualis ſpecies. 366. *celer* quid. 365. reſpectu cordis. 367. & *frequens* ſeparatim percipi nequit. 366. ſine errore unus pro altero ponitur. *ibid.* febribus jungitur. 370. *ac durus* in morbis ſpaſmodicis ac doloribus. 371. *parvus ac durus* ſanguis ſi exitum molitur. *ibid.* *conciſus* idem cum parvo. 365. *contractus* & parvus idem. *ibid.* *convulſivus* dicitur reſpectu arteriæ. 366. & morientium eſt. *ibid.* *debilis* quid. 365. ratione cordis. 367. in lue venerea, ſcorbuto, hydrope. 371. *dicrotus* inæqualis ſpecies. 366. *durus & mollis* dicitur reſpectu arteriæ. *ibid.* & *frequens* in febribus. 370. inflammationibus & doloribus. 371. plerumque in apoplexia & epilepſia. *ibid.* *formicans* inæqualis ſpecies. 366. *fortis* idem ac magnus. 365. *frequens* non eſt de eſſentia pulſuum. *ibid.* febrium pathognomonicum ſignum. 370. non tamen ſemper. *ibid.* ante eruptionem exanthematum. 371. & ſub febre ſecundaria. *ibid.* *parvus, debilis & contractus* in malignis & petechialibus. 371. *languidus & inæqualis* in pectoris morbis. *ibid.* *humilis* idem cum parvo. 365. *impetuoſus* & magnus unus. *ibid.* *inæqualis* non de eſſentia pulſuum. *ibid.* variæ ejus ſpecies. *ibid.* jungitur plerumque convulſivo. 366. *intermittens* quando & cur ſit. 367. jungitur plerumque convulſivo. 366. ſine exitio quandoque obſervatur. 369. à lumbrico. *ibid.* *latens* idem ac parvus. 365. *magnus* quid. *ibid.* reſpectu cordis. 367. & *celer* in ſynocha. 371. & *creber* in hæmorrhagiis. *ibid.* manifeſtus idem ac magnus. 365. *myurus* inæqualis ſpecies. *ibid.* *obſcurus* & parvus idem. *ibid.* *parvus* quid. *ibid.* reſpectu cordis. 367. & *celer* in continuis malus. 371. & *frequens* in dyſenteria. *ibid.* *frequens & debilis* in continuis peſſimus. *ibid.* *durus, frequens & inæqualis* in principio quartanæ. *ibid.* *profundus* non differt à parvo. 365. *rarus* non de eſſentia pulſuum. *ibid.* & *mollis* in lethargo & ſopore. 371. *robuſtus* idem ac magnus. 365. *ſerratus* inæqualis ſpecies. 366. *tardus* quid. 365. reſpectu cordis. 367. *tremulus* inæqualis ſpecies. 366. *vacuus* idem cum parvo. 365. valens & magnus unus. *ibid.* vehemens quid. *ibid.* ratione cordis. 367. in ſtatu tertianæ & ardentis. 371. *vermicularis* inæqualis ſpecies. 36 .
Pulſum multa variant. 42. & ſeq.
Pulſuum celeritas menſuranda horologio. 42. differentiæ. *ibid.* exploratio utilis. *ibid.*
Pulvinar moribundis ſubtractum, quid efficiat. 48.

Purgantia fortiora fugienda. 138. lædunt gravidas. 137. senibus nocent. 135. validiora infantibus nocent. 133. fortiora quænam. 214. alvinam excretionem turbant. 216. atque hinc tenellos & lactentes infantes graviter lædunt. 217. maxime vero nocent, ubi ventriculi inflammatio imminet. *ibid.* & ubi dolores sunt sanguinisque profusiones metuendæ. 218. vel vires jam sunt fractæ. 218. drastica importunius data quæ mala gignant. 214. mortem inferunt. 215. non sunt propinanda post iracundiam. 190. venenis causticis annumerantur. 214. eorum vis quo pacto destruatur. 214. improvide sumpta quid causentur. 168. locum non habent in affectibus periodicis. 187. singula propriam habent virtutem. 215. retropellendi facultate pollent. 215. semper reformidata à sanioribus medicis. 216. & nisi difficilioribus morbis & magna cum cautione adhibita. 216. lenientia. 216. quæ sint. 434. quomodo agant. 435. intestinorum consensum testantur. 316. pulsum mutant. 369. ubi proficua. 436. robustioribus danda. *ibid.* in fluore albo & gonorrhœa usurpanda. 416. balneis utiliter sociantur. 464. postponenda laxantibus. 416. virulento elemento imbuta. 435. veneni æmula facultate pollent. *ibid.* nocentissima. *ibid.* nocent post iram. 313. 435. in dentitionis difficultate. 314. 421. 435. in morbis exanthematicis. 315. in catarrhis. 340. in febribus. 415. senibus. 421. 435. sanguinis circulum per vasa abdominis turbant. 345. gignunt icterum. 314. alvum cur postea adstringant. 385. recidivas proritant. 356. tempore paroxysmi intermittentium non danda. 418. clysteribus non indenda. 468. quando necant quæ habeant signa. 393. Vide *excrementa alvi.* quid de illis ob humorum retrocessionem notandum. 361.

Purgatio menstrua quibus offendatur. 136. Vide *menses* & *menstrua purgatio.* vernalis non est repudianda. 139. naturæ opus juvat. 413. necessaria post morbos. 354. puerperis prodest. 355. necessaria in febribus. *ibid.* & ante balneorum usum. 465. neglecta purpuræ causa in puerperis. 355. nec non in acutis. *ibid.*

Purpura retrograda. 187. cur adeo periculosa. 166. rubra vel alba in morbis acutis unde. 164. salutaris ira excitata. 190. distinguenda ab aliis exanthematibus. 293. puerperis cur familiaris. 355. ex cohibito fluore albo. 340. suppressis lochiis. 342. crises non servat. 389. acutis ob purgationem neglectam accedit. 355. lethali eventu. 393. in principio admittit emetica vel laxantia. 415. sudor largus in ea unde. 352. per spasmum cum damno recedit. 302. utraque quare nostris temporibus frequentatissima. 358. *scorbutica* efflorescens solvit hypochondriacum malum. 410.

Pus post inflammationem ex sanguine quandoque generatur. 325. effusi in thoracem signa. *ibid.*

Pustularum generatio. 174. ex potione frigida. 234. haud repente reprimendæ. 263.

Putredo exstinctum circulum sanguinis sequitur. 34. in quo consistat. 28. vires motrices destruit. 34. causa mortis. *ibid.* unde proveniat. 160. præsertim mortifera. 161. non est ratio formalis mortis. 159. corpori tamen humano maxime adversæ. 178. 206. visceris interna. 161. gradu differt. 323, viribus infensa. *ibid.* malignitatis causa. *ibid.*

Pylorus scirrho quandoque afficitur. 329.

Q.

Quartana familiaris primæ senectæ. 183. & Westphalis. 185. iræ beneficio sanata. 190. contumax cur æstate minuatur vel penitus expiret. 265. ea laborantes cur tam voraces. 248. febris ejus differentiæ & signa. 294. ex scabie retropulsa. 337. laxantia & emetica in principio fert. 415. balneis levatur. 463. specificum in ea. 450. perperam tractatur adstringentibus. 352. in diuturna pancreas induratum. 329. in principio qualis pulsus. 371. convulsiones & epilepsias quandoque solvit. 410. quomodo gignat hydropem. 371.

Quies disponit liquida ad putredinem. 28. nimia quas noxas ferat. 125. nutritionem promovet. *ibid.* post cibum laudatur. *ibid.* quibus maxime conveniat. *ibid.* animi liberam reddit transpirationem. 102. corporis nimia cur noxia. 261. mutat pulsum. 368.

Quiete corpus habet opus. 125.

Quietis & laborum sit justa proportio. 125. conveniens usus commendatus. 158.

Quinquefolii radix alvum adstringit. 261.

Quotidiana intermittens ejus signa. 294. differt à continua & tertiana duplici. *ibid.*

R.

Ramazzinus. 17.

Ratio quid in medicina denotet. 15.

Rationalium secta vetus. 16. quid eorum conatibus obfuerit. *ibid.*

Raucedines senum unde dependeant. 242.

Raymundus Lullus. 21.

Recentiores ubi præferendi veteribus. 22.

Recidiva eorum indicia. 355. quomodo excludantur. 289. per spasmos inducuntur. 302. unde. 355. ex suppressis criticis evacuationibus. 289. 389. palliativa cura. 289. ægri incuria. *ibid.* reliquiis morborum. 354. intermittentium cur tam frequentes. 355. quomodo arcendæ. 356. 420.

Recidivantes morbi. 182. quo pacto differant à periodicis. 186. cur easdem partes rursus affligunt. 169.

Regius Cartesianus. 17.

Regulæ prognosticæ de morbis observandis insignes. 362.

Reliquiæ morborum novos pariunt morbos. 354. tempestive submovendæ. *ibid.*

Remedia in classes distinguenda. 427. quatuor summa genera. *ibid.* circa materiam, vel motum occupantur. *ibid.* in fluida vel solida agunt. *ibid.* principia eorum paucis cognita. 425. per chymiam recluduntur. *ibid.* eorum operandi ratio scitu necessaria. 286. plures latet. 425. seq. vires eorum non absolutæ. 290. 424. eorum effectus à priori indagandus. 425. non tamen semper cognoscitur. *ibid.* quomodo cognoscendus. 289. seq. operatio eorum observanda. 289. ex causis proximis & experientia petenda. 426. actio in corpus physicum & vivum gratis distinguitur. 425. in nervosas partes maxime & proxime agunt. 308. non semper morbos sanant. 290. sub initium & finem morbi propinanda. 414. eorum multitudo singulorum cognitioni obest. 421. Vide *medicamenta. Remedia diætetica* præferenda pharmaceuticis. 422. *fortia* debilibus exitiosa. 344. in vigore morbi non offerenda. 414. à liberaliori eorum usu cavendum. 417.

Remediorum vires sunt tantum occasionales & relativæ. 153.

Remedium effectu heroicum quodnam dicendum. 476.

Remittentes morbi non confundendi cum periodicis. 186.

Renes tono suo instructi sunt. 70. eorum atonia quid efficiat. *ibid.* structura & usus. *ibid.* consentiunt cum ventriculo. 315. 353. abscessibus patent. 326. atonia affecti quæ pariant mala. 307. debilitati gignunt calculum. 353. inflammationes, ulcerationes. *ibid.* signa puris in iis. 326. labefactati quibus firmandi. 446. ulcerati quomodo tractandi. 430.

Res non naturales sanitatem dispensant. 100. & seq.

Respiratio quid sit. 44. auctior auget circulum sanguinis. 47. sanguini calorem affert. 46. promovet chyli progressum. 66. ejus usus secundarii. 47. impeditæ pravi effectus. 46. difficilis ex restagnante sanguine lochiali.

lochiali. 342. anxia à ſpaſmo nervorum pneumonicorum. 392. in acutis mala. *ibid.*
Reſpirationis difficilis ortus. 168. oppreſſio unde. 166.
Rhabarbarina in principio peſtis commendantur. 204.
Rhabarbarum coctum vim purgativam perdit. 214. cur tutiſſimum laxans in dyſenteria. 422.
Rhachitis in ea proſunt balnea. 464.
Rheumaticæ febres unde. 409. naturæ & artis methodus medendi in ea. *ibid.*
Rheumatici dolores balneis martiatis levantur. 464. ſeq.
Rheumatiſmi unde. 164. 165. 174. 175. 254. cur maxime generentur tempore verno. 266.
Rheumatiſmus hæreditarius morbus. 349. ejus cauſa. 298. quomodo gignatur. 302. à ſpaſmis nervoſarum membranarum. 303. ejus ſigna. 298. differt ab arthritide. *ibid.* venæ ſectione gignitur quandoque. 460. quandoque arcetur. *ibid.* ſcarificatione curatur. 461. ejus ſpecificum lumbrici terreſtres. 450.
Riverius. 22.
Roborantia in calculo proſunt. 70. cur ſint efficacia remedia contra febres. 170. eorum uſus aperitivus. 260. varia eorum genera. 444. ſublata morbi cauſa. 416. ſeq. & finito morbo uſurpanda. 420.
Robur fibrarum multum pendet ab aſſumtis. 35. 129. à ſolidarum partium textura. 87. 129. vitale in quo conſiſtat. 242. unde pendeat. 444. ex vigore motus cognoſcitur. 348. ſolidorum ſanitatem fulcit. *ibid.* analepticis minus reſtauratur. 444. Vide *vires*.
Robuſti ſe nulli diætæ mancipent. 130. quid cavere debeant. *ibid.* non egent medicina. 240. qui ſint. 348.
Robuſtum corpus cum animi robore pari paſſu ambulat. 129.
Robuſtus quiſnam dicatur. 129.
Roris vitioſus effectus. 211.
Rubefacientia morbos capitis levant. 318. narium hæmorrhagias compeſcunt. *ibid.*
Ructus hypochondriacis familiares. 306. per convulſivum motum eliduntur. *ibid.*
Rudbeckius. 19.
Ruyſchius 19. 20.

S.

Saburra ventriculi quomodo exoneranda. 250.
Sachſius laudatus. 31.
Sagapenum cur hyſtericis utile. 448. ſpecificum anthelminticum. 452. clyſteribus commiſcendum. 468.
Sal ſaporis objectum. 93. *commune* corpori amicum. 69. ſed ejus mixtionem non ſubit. *ibid.* in corpore generatur. 69. univerſale aëreum. 227.
Salia volatilia ad arcenda contagia commendantur. 212. vitioſa multorum morborum cauſæ. 254. quo pacto facillime corrigantur. 256. eorum uſus intemperatus noxius. 253. optima laxantia. 434. præcipuum ingrediens aquarum medicatarum. *ibid.* clyſteribus utiliter commiſcentur. 467. tempore paroxyſmi intermittentium non danda. 418. *fixa & neutra* optima diuretica. 439. *per incinerationem parata* abſorbent. 428.
Salium intemperies non univerſalis morborum cauſa. 151.
Salita alimenta nutritioni incongrua. 108.
Saliva diſtingui debet à muco faucium. 59. eſt liquor ſubtiliſſimus. *ibid.* fermenteſcibilis. *ibid.* eſt fermentum. *ibid.* facit ſaporem. 61. habet vim medicamentoſam. 59. dirigit appetentiam liquidorum. 60. menſtruum microcoſmi. 59. ſale eſt imbuta. *ibid.* ex quibus glandulis veniat. *ibid.* iracundorum venenatam induit naturam. 196. non deglutienda in locis contagio infectis. 204. per eam graviſſima mala transferri poſſunt. 189. ex glandulis. 304. per ſpaſmos nimium elicitur. 305. ſub ſalivatione cur fœteat. 443.
Salivæ profuſiones unde. 168. profluvium à mercurialibus. 219.
Salivantia potentiſſima chymica. 442. quæ ſint. *ibid.* quomodo agant. 443.
Salivatio noxia ſumme hypochondriacis. 220. alvum comprimit. 263. quomodo ſuccedat. 442. mediantibus ſpaſmis fit. 302. 304. 442. à mercurialibus. 304. ab acri humore. *ibid.* non impetuoſe movenda. 417. non ſemper ad curam luis venereæ neceſſaria. 443.
Saltatio vehementior motus. 122.
Sambuci cortex medius ſpecificum in ictero. 451.
Sanctorius. 22. 68.
Sanguificatio non perficitur peculiari ſpiritu vitali. 50. non eſt unius viſceris opus. *ibid.* eam juvant calor. *ibid.* lien. 56. pulmones. *ibid.* arteriæ & venæ. 50.
Sanguificationis ratio. 50.
Sanguinei quinam? 242. in quos morbos facile incidant. 243.
Sanguine recte conſtituto viget ſanitas. 101.
Sanguinem quæ alterant, in animum jus habent. 96.
Sanguineo-cholerici quinam. 43.
Sanguineo-melancholici. *ibid.*
Sanguineorum natura & diæta. 131. & ſeq.
Sanguineum temperamentum. 43.
Sanguini ineſt terreſtre. 38.
Sanguinis boni *copia* præſtat robur. 33. *calor* à ſulphurea parte pendet. 38. *circulationem*, Harvæus in lucem propoſuit. 39. circulatio eſt indubiæ veritatis. 40. circulus animam cum corpore connectit. 16. eſt cauſſa vitæ. 24. nutritionis. 51. conſervat corpus. 52. eſt principium, ex quo medicinæ omnes partes fluunt. 25. fit ad leges motus. 40. per pulmones. 47. in embryone abeſt. 44. turbatus & ſublatus morborum & mortis cauſſa. 25. vigorem & robur dat animo. 52. ejus apud Hippocratem indicia. 39. Vid. *circulus ſanguinis*. *color* purpureus unde. 38. in minimis ductibus evaneſcit. 41. *conditio* animæ actiones alterat. 96. *conſtitutio* juſta eget proportione & qualitate. 101. *conſiſtentia* ab inteſtino motu læditur. 39. *copia* animum afficit. 52. definitio. 36. *differentia* eſt quoad individua. 37. differentias medicus perſpicere debet. 38. *humiditas* facile evaporatur. 37. fere tertia pars cerebrum petit. 84. *inſpectio* ſola an medicum de hominis ſtatu ſatis edoceat. 39. maſſa quam cito corpus totum pervadat. 42. menſtrui fluxus periodicus cauſſas habet mechanicas. 74. Vide *menſtrua purgatio*, motus ordinatus ſanitati præſidet. 100. pars ſubtilior motum tribuit cordi & arteriis. 33. portio diaphana nutrit. 56. productio non æque copioſa in omnibus corporibus. 51. quantitas diverſa. 38. & ſeq. juſta quænam. 101. reditus ex pedibus difficilis. 49. regreſſus per venas quibus adjuvetur. 41. reſolutio chymica. 37. temperiem quomodo veteres intellexerint. 101. terreſtreitas cum ſulphurea parte indolem acquirit abſterſivam. 38. tranſitus difficilior ex colo ſiniſtri lateris ad meſentericum ſiniſtrum. 49.
Sanguis ad caput difficilius movetur. 47. aqua ſpecie gravior. 37. continuo eget ſupplemento. 101. cur cito putreſcat. 38. eſt mixtus liquor. 36. gelatina purpurea. 37. habet innatantes partes ſolidas. *ibid.* harum mutua proportio. *ibid.* partes ſulphureas. *ibid.* idem an ſemper in corpore ſit. 39. menſtruus ex uteri pariter & vagina vaſis profluit. 73. an ex arteriis vel venis exſtillet. 74. motu conſumitur & alteratur. 107. microſcopio conſpectus. 39. per renes celerrime fertur. 50. qualis optimus. 39. reſpiratione incaleſcit. 46. ſiccatus inflammabilis eſt. 37. temperatus qualis. 101. tenuis & parcus facit timidos. 53. theſaurus vitæ. 34. velocius movetur per vaſa anguſtiſſima. 42. vilipenditur, quia eſt res obvia. 34. unde ſuppleatur. 102.
Sanguinis circulatio retardata morborum cauſa. 164. circulus liber & æquabilis quis. 155. curſus immoderatus

deratus & impeditus cur morbum formet. 163. effusiones consuetæ, interceptæ multa gravia creant symptomata. 244. ex plethora tardior progressus quas gignat ægritudines. 270. graves congestiones & periculosæ stases ex intestinorum spasmis. 269. elementa prima. 156. infarctus & congestio quos effectus producat in vasis abdominis. 166. fluxus quo pacto præsentissime cohibendus. 255. profusio excretionem diminuit. 260. 261. male fortioribus constringentibus compescitur. 262. impetus varius ratione ætatis & indolis. 170. impuri indicium. 271. magna inopia quas pariat ærumnas. 175. missiones fugiendæ in affectibus retrogradis. 187. motus interceptus gravia parit symptomata. 166. nimia redundantia non universalis est morborum caussa. 151. triplex substantia. 269.

Sanguis calefactus potu frigido densatur. 233. 234. cur debeat esse temperatus & depuratus. 157. stagnans inclinat ad corruptionem. 272. cur facile stagnet in intestino recto & colo. 269. quatenus mortem inferat. 268.

Sanguis præcipuus corporis humor. 372. gravior aqua. 374. proportio solidi & fluidi in eo. 367. ab acidis coagulatur. 374. ab alcalinis & nitro funditur magis & rufescit. *ibid.* quomodo examinandus. 374. qui bonus nondum evictum. 372. differt ratione temperamentorum. 368. qualis plethoricorum. 320. cholericorum. 368. hystericarum. 320. scorbuticorum. 373. malus aspectu sæpe in sanis. 372. & bonus in ægris. *ibid.* non solum qualitate, sed etiam quantitate peccat. 340. Vide *plethora.* cur ex eo tot separentur humores. 381. quoties una hora circumvolvatur. 368. inter interstitia fibrarum non extravasatur. 365. in febribus corrumpitur. 319. dyscrasia ipsius ex urina patescit. 380. ejus intestina commotio sudoris causa. 382. idem venæ sectione & scarificatione elicitur. 374. ex eo prognosis sumenda. 373. quæ tamen fallax. 372. Vide *Circulus sanguinis.* natura illius & qua ratione efficitur atque circumagitur. 469. ejusdem circuitus quare in febre fiat auctior & celerior. 476. *congrumatus* quibus dissolvendus. 430. 453. *planè non concrescens* unde. 374. *crassus & niger* vitiosus ad stagnationes & inflammationes pronus. 373. *extravasatus* nocet. 373. mortis causa. 327. in cerebro quando necet. 397. *fibrosus* malus. 374. *floridus* nimis malus & unde? 373. in febre maligna & spasmodicis morbis. *ibid.* non largiter extrahendus. *ibid. serosus* nimis cur vitiosus. *ibid. spissus & impurus* quibus corrigatur. 430.

Sanguinis dejectio per alvum funesta ex ruptura hæmorrhoidalium. 327. *motus* Hippocratis de eo sententia. 300. in plerisque morbis læsus est. 301. à peripheria ad centrum morbosus. *ibid.* à centro ad peripheriam vitalis. *ibid. progressus* motu corporis promovetur. 321. quadruplici modo intercipitur. 301. interceptus quæ pariat mala. 307. per caput à duræ matris tono pendet. 305. impeditus in capite quos gignat morbos. *ibid.* quid per venam portæ interceptus. 317.

Sanitas quid sit. 100. ejus causæ à medico investigandæ. *ibid.* indicia. *ibid.* proxima causa circulus sanguinis. *ibid.* fœminarum pendet à menstruis recte fluentibus. 119. à solidorum & fluidorum motibus pendet. 301. in quo ejus fundamentum. *ibid.* ex mente Hippocratis. 300.

Sanus quisnam. 100. à medicamentis abstineto. 138.

Saphæna incisa nocet & prodest. 459.

Sapo Venetus clysteribus commiscetur. 373.

Sapor ubi perficiatur. 89. fit in lingua. 93. ejus objectum sal. *ibid.* ratio. 61. cur differat. 94.

Satietas morborum genitrix. 249.

Saturnina medicamenta tristibus exemplis infamata. 228. alvum adstringunt. 261. inimicissima præsertim intestinis. 228. quæ producant symptomata. *ibid.* cur à veteribus annumerata venenis. 228. ab iis abstinendum. *ibid.*

Scabies excretio salutaris. 120. unde. 168. 202. haud repente reprimenda. 263. sicca apud senes unde dependeat. 242. humida contagiosæ est naturæ. 202. introversa pernicioſa. 206. maligna quo pacto prima herba suffocanda. 205. retropulsa cur adeo periculosa. 166. à suppressis mensibus. 341. per spasmos topicis inductos repellitur. 302. repulsa noce. 303. præposterè siccata quos gignat morbos. 336. malis artibus retropulsa quænam damna afferat. 358.

Scammonii virtutes. 215.

Scarificatio vicaria venæ sectionis. 461. eundem quam venæ sectio evehit sanguinem. 374. 462. plethoram etiam minuit. *ibid.* evacuatoria & derivatoria *ibid.* quibus in morbis utilis. 461.

Schaperus. 17.

Scheuchzerus. ibid.

Scirrhi viscera & glandulas occupant. 328. pancreas. *ibid.* pylorum & duodenum. *ibid.* lienem. 329. hepar. *ibid.* ex hæmorrhoidum suppressione. 343. mesenterium. 329. prostratas. *ibid.* uterum. *ibid.* ex mensium suppressione. 341. vesicam. 328. seq.

Scorbuticorum urina salibus saturata. 69.

Scorbutus septentrionalium cerevisiæ ex parte debetur. 112. unde. 175. cur jam ratius conspiciatur Halæ. 254. maris incolis familiaris. 185. & senibus. 166. retropulsus cur adeo periculosus. 166. senum unde. 242. sola arte curatur. 153. in borealibus cur endemius. 335. ex male affecto hepate. 379. ejusque & lienis atonia. 307. 320. qualis in eo pulsus. 371. urina. 379. sanguis sero livido scatens & limosus. 373. hæmorrhoidibus arcetur. 343. quæ in eo profint. 430. ejus specifica. 452.

Scrobiculi cordis percussio cur lethalis. 312.

Secale corruptum nigrum quænam producat symptomata. 230. sale scatet subtili venenato. 231.

Secretio liquidorum fit, vel per glandulas, vel sine illarum ope. 55.

Secretiones alterantur atonia & spasmo. *ibid.*

Secretionis ratio. *ibid.*

Sectio morbis defunctorum est utilis. 15. *cadaverum* utilis. 290. ad observationes necessaria. *ibid.* causas morborum & mortis detegit. *ibid.* 322. 396. cum judicio instituenda. 290.

Sectionis cadaverum utilitas. 149. medicinam apprime illustrant. 270.

Secundina quid sit. 78. succum alibilem ex matre attrahit. *ibid.*

Sedativa quæ dicantur. 447. quotuplicia. *ibid.* eorum apparatus. 447. seq. optimum auctoris liquor anodynus. 449. quomodo agant. 448. magnæ efficaciæ. *ibid.* caute usurpanda. *ibid.* virium ratione inprimis habita. 418. dolores palliative abigunt. *ibid.* præposterè data graviter nocent. 419.

Sedentaria vita corpori inimica. 213.

Sedimentum urinæ unde. 70.

Selteranæ acidulæ ad emendandum fibrosum sanguinem utiles. 374.

Semen continet totũ corpus organicum. 75. in eo per microscopium viva animalcula apparent. *ib.* vide *sperma.*

Semina farinacea dant multum chylum. 63. quæ nutriant. 107.

Seminales vesiculæ earum atonia pollutionis & gonorrhœæ benignæ causa. 307.

Seminis immoderata profusio nocet. 119. nimia copia nocet. *ibid.*

Semiotica quo pertineat. 14. fundamentum ejus circulus sanguinis. 372. caute colenda à medico. *ibid.*

Senectutis ratio. 29.

Senectus cur ipsa morbus. 162. quibus morbis adficiatur. 183. quid peculiare habeat ratione structuræ.

287. 349. qualis in ea pulſus. 368. quibus morbis pateat. 308. 349.
Senem lædunt affectus graves. 135. parcius oportet veſci. 57.
Senes nimis laute viventes quibus morbis conflictentur. 242. ſibi caveant ab humiditate frigida. 267. venæ ſectionem utiliter ferunt. 424. ſanguineas excretiones ſalubres experiuntur. *ibid.* cur difficulter ſudent. 382. morbi eorum unde. 455. cur morbis ex impuritate obnoxii. 336. 349.
Senibus non temere diſcedendum à conſuetis. 134. circulus ſanguinis tardus. *ibid.* commendanda mediocritas. 134. cur familiaris cœcitas. 89. 91. vitandum vinum quale. 134. quæ diæta conveniat. *ibid.*
Senium immedicabile. 244.
Senum morbi unde. 241. morbis quo pacto iis obviam eundum. 242. quibus medicamentis alantur. 242.
Sennertus primus eclecticus. 17.
Senſatio duplex. 88. intenſior, vel remiſſior unde. 89. non in nervis. *ibid.* in partibus tantum nervoſis. *ibid.*
Senſibilitas imbecillitatis corporum index. 241.
Senſus quinque numerantur. 89. mentis ideas exhibent. 90. eorum organa varia. *ibid.* à ſpaſmis ſenſoriorum læduntur. 305. ab atonia duræ matris abolentur. 306.
Sepiæ os abſorbens. 428. ſpecificum in gonorrhœa. *ibid.*
Septentrionis incolæ cur ſana, robuſta & quadrata habeant corpora. 266.
Septica tendinoſis & nervoſis partibus inimica. 310.
Sermo intenſior motus ſpecies. 122. circulum ſanguinis accelerat. 123. hypochondriacis & literatis utilis. *ibid.* mutat pulſum. 368. intenſior quomodo circulum ſanguinis promoveat. 321.
Seri viſcidi albi fluxus quo pacto concitetur. 167. colluvies cur in abdomine veneno interemtorum reperiatur. 166. profuſio cur gignatur à mercurialibus. 167.
Serpentes noſtri cur innoxii. 195.
Serum viſcidum ſtagnans quæ producat ſymptomata. 175. impuritatem contrahit. 320. redundat ſæpe. 347. 410. ſæpe extravaſatur. 328. ſuperfluum ſalutariter excernitur. 347. 410. extravaſatum in cerebro quomodo necet. 397. flavum vel lividum ſanguini innatans quid indicet. 373. limoſum copioſum in lue venerea. *ibid.* paucum in ardentibus. 374. ſalſum tartareum diureticis expurgatur. 439.
Serum lactis dulce egregium. 423. continuato uſu juvat. *ibid.*
Seſſio perquam noxia in morbis acutis. 161.
Sevi hircini exhalatio quam gravia excitat ſymptomata. 230.
Sexus facit ad morbos. 349. mutat pulſum. 368. in hiſtoriis morborum recenſendus. 287.
Simplicia pure talia non dantur. 422. præferenda compoſitis. 421. ſeq. Veteribus maximi uſus. 422. à medicis perperam ſpernuntur. *ibid.* quæ ex iis præferenda. *ibid.* uſurpanda quando vires indagandæ. 426.
Singultus à convulſione diaphragmatis. 45. unde. 187. 262. enormior iræ beneficio curatus. 190. item terrore ſubitaneo. 192. à convulſione diaphragmatis. 306. refrigeratione ſtomachi. 314. præpoſtero topicorum uſu in morbis articulorum. 339. inflammationi ventriculi accedens malus. 412.
Sinus oſſium capitis muci emunctorium. 71. duræ matris. 48. *frontales* quandoque abſceſſum fovent. 326.
Sitis ratio. 60. eam facit defectus humidi in faucibus & œſophago. *ibid.* levant ſomnus & anodyna. *ibid.* cum ariditate linguæ unde. 186.
Situs erectus in morbis acutis cur tam noxius. 338.
Soda ab acidis. 252.
Solanum verum cur audiat furioſum. 200. qui tam cito necet. 178.
Solida agunt in fluida eademque corrumpunt. 319.
Solidorum motus pendet à fluido nerveo. 101. & influxu ſanguinis arterioſi. *ibid.* duplex. 155.
Somni ratio. 94. 127. parati arte æſtimatio. 128. quæ commoda. 127. quis modus. *ibid.* largiori quibus ſit opus. *ibid.* ei nox convenit. 128. ſalubri loco indulgendum. 104. ſub eo perſpiratio educit craſſiores & mucidas particulas. 127. quædam excretiones melius procedunt. 95.
Somnolentia à vermibus procreata. 235. ex tono duræ matris deperdito. 306. ex apoplexia quomodo gignatur. 350.
Somnus ac vigilia ſanitatem diſpenſant. 102. ante mediam noctem melior. 126. cur fibras relaxet. 36. infantum ſit longior. 133. immoderatus unde. 128. inquietus quid denotet. 129. meridianus nocet. 128. qua conditione tolerari poſſit. *ibid.* quibus in terris minus noceat & quibus ætatibus. *ibid.* nimius cavendus. *ibid.* pendet à circulo ſanguinis. 95. perſpirationi favet. 127. poſt diuturnas vigilias impeditior. 129. quæ commoda afferat. 126. qualis proſit. 127. quando protrahendus. *ibid.* quibus arceatur. *ibid.* quibus profundior. 128. quibus turbetur. 127. quid ſit. 94. quietus qualis. 127. ſitim ſedat. 60. ſtatim à cibo non laudatur. 128. turbatur ab affectibus. 102. ubi capiendus. 128. vires inſtaurat. 95. viſcera roborat. 126. vitæ neceſſarius. 94. longior cur noxius. 261. ciborum corruptela interturbatur. 249. malæ concoctionis vitia diſpellit. 250. convenienter ſomno utendum. 158.
Sonus quid. 91. auditu percipitur. *ibid.*
Soporifera quænam. 222. venenis annumerantur. *ibid.* cur naturæ tam infenſa. 222. ubi tentanda. 225. Vide *anodyna* & *ſtupefactiva*.
Soporoſi affectus unde. 166. Vide *lethargus*.
Sordes ſubtilioris naturæ æmulantur venena. 174.
Spaſmi febriles unde. 175. ex repletione. 269. fortioris vis. 166. hypochondriaci cur ſenibus rariores. 185. naturæ & vitæ humanæ infenſiſſimi. 170. 199. partibus inducunt habitudinem ac debilitatem. 169. continuatio per totum genus nervoſum. 168.
Spaſmus quid & quotuplex. 163. quandoque in epilepſiam tranſit. *ibid.* univerſalis quos morbos gignat. 167. morboſus motus. 301. 407. quadruplex. 407. quomodo cognoſcendus. 392. effectus in corpore. 407. rarius à denſo & craſſo ſanguine ſuſcitatur. 373. multorum morborum cauſa. 301. ſanguinis curſum intercipit. 305. perſpirationem ſufflaminat. 304. hæmorrhagias ſupprimit. 303. alvum adſtringit. 304. 392. motum periſtalticum invertit. 304. ſecretionem lactis intercipit. 304. gignit ſtranguriam. 303. 304. atrophiam. 304. ſitim. *ibid.* pulſum convulſivum. 455. ſalivationem. 304. aſthma. *ibid.* faciem Hippocraticam. 392. nervorum tenſionem. *ibid.* oppreſſionem pectoris. 305. conſtrictivum in gula ſenſum. *ibid.* mentis capitiſque morbos. *ibid.* ſeq. reſpirationem anxiam. 392. anxietates. *ibid.* vomitus. *ibid.* dolores varios. 303. febrium acceſſiones. 305. ſenſus lædit. *ibid.* ſuccos inquinat. 319. excretiones turbat. 320. 392. tenues reddit urinas. 378. 377. 392. in cute quæ pariat mala. 391. febrium formalem rationem abſolvit. 301. adeſt in hæmorrhagiis. *ibid.* inflammationibus. 302. capitis morbis. *ibid.* catarrhis, diarrhœis, recidivis. *ibid.* retroceſſione exanthematum. *ibid.* in acutis mali ominis. 391. relinquit atoniam. 308. non tam noxius quam atonia. 307. à venæ ſectione increſcit. 457. morbos facit & ſolvit. 406. remittens morbos ſolvit. 303. utilem quandoque effectum præſtat. 307. ſalutaris quomodo dignoſcendus. 407. levatur liquore anodyno. 317. oleo amygdalarum dulcium. 318. balneis. 463.
Spaſmodici morbi multæ eorum ſpecies. 298. qualis in iis pulſus. 371.
Specifica dantur. 449. quo ſenſu intelligenda. *ibid.* quæ ſint in variis morbis. 450. operantur per conſenſum.

318. non ſola juvant. 453. certa methodo uſurpanda. *ibid.* ante eorum uſum corpus præparandum. *ibid.* maxime locum habent ubi genus nervoſum à virulenta cauſa n. commotum. 311.
Sperma dilutius & debile. 77. maſculinum quid. 76. unde elaboretur. 77. vide *ſemen.*
Spermatis conſideratio. 76. maturitas. *ibid.* quælibet portio eſt organica. *ibid.* virilis in utero fœminæ effectus. 78.
Sphacelatio viſceris nobilioris fit mortis cauſſa. 34. frequentior. 161. præſertim in partibus internis. 185. in plurimis morbis acutis & chronicis deprehenditur. 206. mortiferum corporis venenum. 206.
Sphacelus quomodo necet. 35. unde proveniat. 169.206. à cauſa interna inſanabilis. 184. cur tam cito perimat. 178. ex inflammatione fit. 393. mortis plerumque in morbis cauſa. 289. 323. ſigna facti. 393. in ventriculo ex veneno. 323. duodeno. 324. tenuibus. *ibid.* recto & viſceribus abdominis. *ibid.* utero. *ibid.* maraſmo. *ibid.* membranis cerebri. 325.
Sphincteres ſunt inſtrumenta motus mechanici. 87. eorum & valvularum magna ſenſibilitas. *ibid.* ſtructura. *ibid.*
Sphincterani reſolutus feces involuntarie dimittit. 307. *veſicæ urinariæ* ſpaſmo affectus urinam retinet & ſtranguriam facit. 304. reſolutus urinam involuntarie fundit. 307. exulcerat male tractata gonorrhœa. 353. ſeq.
Spinoziſmi fundamentum. 18.
Spirandi anguſtia ac difficultas unde. 166.
Spiritum vini quando vitare deceat. 111.
Spirituoſa indoli ſanguinis repugnant. 108. 112. cur & quando noceant. 178. fluida coagulant & ſolida ſtringunt. 447.
Spiritus non ſunt medicinæ principium. 301.
Sporadici morbi quinam. 181.
Sputum cruentum ejus ſigna. 296. differt ab hæmoptyſi. *ibid.*
Stagnationes ſanguinis morborum cauſæ. 174. minus periculoſæ ejus ſtaſes. *ibid.* ſeri & aliorum humorum quænam gignant incommoda. 175. ſpaſmorum ſunt genitrices. 174. earum cauſæ antecedentes. 176.
Stahlius uſum motus tonici oſtendit. 36. laudatus. 344. ſeq.
Staſes ſanguinis magis periculoſæ, quam ejus ſtagnationes. 174.
Statio diuturna morbos gignit. 126.
Steno. 20.
Sterilitas unde. 243. unde. 307. ex puerperio. 350.
Sternutatio quomodo ſuccedat. 93. quomodo contingat. 306. à convulſione fibrarum nervoſarum in naribus. *ibid.*
Sternutatoria cur in morbis capitis proficiant. 93. quæ ſint & quomodo agant. 442.
Stomachicorum uſus perverſus in infirmis. 248.
Stomachica quæ ſint. 445. eorum uſus in variis caſibus. *ibid. ſeq.*
Strabiſmus ex epilepſia quomodo. 350.
Stramonium qui tam cito necet. 178.
Strangulatio cur tam celeriter necet hominem. 160.
Stranguria quid. 303. ex ſpaſmo ſphincteris veſicæ. 303. 380. & urethræ. 304. qualis in ea urina. 380.
Strepitus oſſium in ſcorbuticis unde. 78.
Structura corporis humani maxime conſideranda. 27. eſt maxime hydraulica. *ibid.* ejus ſcopus primarius eſt duratio corporis humani. *ibid.* & ſeq. quæ ſana? quæ morbida. 348. in ſenibus & infantibus peculiaris. *ibid.* Vid. *Corpus.*
Studia debilitant ventriculum. 313. 287. corpus. 349. alvum ſegnem reddunt. 287. malum hypochondriacum cient. *ibid.* diſponunt ad capitis morbos. 287. Vide *Meditationes.*
Suaveolentia cur ferre nequeant hyſtericæ. 305. cur tam atrocia pathemata cieant. 310.
Stupefactiva annumerantur venenis. 222. operatione tamen differunt à venenis cauſticis. 222. quando ab ipſis abſtinendum ſit. 224. cur antiquis fuerint ſuſpecta. 223. cur infantibus & ſenibus exitioſæ. 224. ut & debilibus. 225. nunquam utilia in morbis chronicis & cacochymicis. 225. quatenus adjuvent excretiones. 260.
Subjectum ſanitatis quodnam. 99. ejus cognitio ad hiſtoriam morbi neceſſaria. 286.
Sublingualis vena in cephalalgia & ophthalmia utiliter inciditur. 458. in angina cum periculo pertunditur. 459.
Submerſis quomodo ſubveniendum. 31.
Subſtantiæ ſunt viribus activis præditæ. 18.
Succorum nimia copia nocet. 114. abundantia morbis exponit corpus. 269. temperies vires conſervat. 245. etiam utilium copia offendit. 258.
Suctio proprie non datur. 47.
Succus pancreaticus ad elaborationem chyli facit. 61.
Succus qualis eſſe debeat corpori nutriendo. 56.
Sudor nimius vires conſumit. 68. in eo eliciendo cautelæ. *ibid.* differt à perſpiratione. 381. unde. 381. ejus cauſæ. 382. ſubtiliores ſanguine ſordes. 381. & ſulphurea recrementa evehit. *ibid.* odore & colore præditus. *ibid.* cur pro differentia locorum varius. *ibid.* ſeq. ſub quo aëre prodeat. *ibid.* ſæpe ſalutaris. 288. 410. in paroxyſmis nullus. 383. poſt eos multus ſæpe nimius. *ibid.* quandoque criticus. 387. corpus debilitat. 381. pedum largus à mœrore. 382. quibus moveatur. *ibid.* Vid. *ſudorifera.* præſagia ex eo. *ibid.* nimius quomodo compeſcendus. 383. ſuppreſſus nocet. 288. *acris* ſcorbutum præſcindens. 410. *axillarum & pedum* non ſiccandus. 339. *frigidus & colliquativus* unde. 307. *nocturnus* ſalutaris. 347. cohibitus morbos gignit multos. 339. 347.
Sudores quibuſdam ſtato tempore copioſius fluunt. 120. critici cohibiti fiunt venenoſi. 206.
Sudoris utilitas in morbis contagioſis. 206.
Sudorifera quæ ſint. 282. evacuantium genus. 436. eorum ſuppellex & modus agendi. *ibid.* ſeq. rarius locum inveniunt. 436. quibus in morbis proficua. 437. cum ſufficienti vehiculo propinanda. 436. 437. in contagioſis vitanda. 437. in exanthematicis ad pellendum non danda. 418. 437. poſt iram & alvo clauſa noxia. 416. 437.
Suffocatis laqueo vel undis, quomodo ſuccurri poſſit. 31.
Suffuſionis ſpecies unde. 91.
Sulphur artificiale. 210. aurarum veneni naturam æmulatur. 213. narcoticum cur tam celeriter necet hominem. 160. ſpecificum in phthiſi. 451.
Suppuratio quibus promovenda. 431.
Surditas unde. 92. 166. antiqua inſanabilis. 184. unde oriatur. 306. in febre acuta quandoque critica. 350. ſq.
Suſurrus aurium à ſpaſmo membranarum ſenſorii auditus. 305.
Sydenham. 22.
Sylvius. 17. 22.
Symptomata haud confundenda cum morbis. 164. quotuplicia. *ibid.*
Synanche anginæ ſpecies. 295. quomodo diſtinguenda ab aliis inflammationibus. *ibid.*
Syncope unde. 31. ab apoplexia diſtinguenda. 299. atoniæ debetur. 306. cauſa ſyſtole cordis intercepta. *ibid.* ex ſuppreſſione menſium. 341. qualis in diſpoſitione ad eam pulſus. 371. lethalis in parturientibus ſigna. 395. cauſa mortis in ea. 397.
Syncoptici quomodo excitandi. 31.
Synocha à veteribus continens dicta. 293. ejus ſigna. *ibid.* qualis in ea pulſus. 371. criſes ſervat. 388.
Syſtole cordis & arteriarum. 31. & diaſtole quomodo fiant. 34. ſuſcitat diaſtolen & à diaſtole ſuſcitatur. 364. viget in arteriis. *ibid.* cordis pulſuum cauſa. 366.

T.

Tabaco æstate parcius utendum. 136.

Tabacus insuetis cur fumo infestus. 310. cur alvum stimulet. 314.

Tabes cur messis tempore homines maxime afficiat. 234. senum unde. 242. ex nimia aquarum ardentium potatione. 256.

Tackenius (Otto) 17.

Tactus organon cutis. 94. & speciatim ejus papillulæ nerveæ. 89. quomodo fiat. 94. à cuticula temperatur. *ibid.*

Tarantularum ictus quæ producat symptomata. 172. 200.

Tartari emetici natura. 213. *sal* absorbens. 428. *tinctura* absorbens. *ibid.*

Tartarus in urina unde. 379. vide *urina.*

Temperamentum quid sit. 131. facit ad mutationem pulsus. 368.

Temperamentorum doctrina quomodo sit exponenda. 43. ratio in quo consistat. 158. cognitio medico necessaria. 189. 243.

Temperantia gravidis commendatur. 137. præstantissimum in contagiosis morbis præsidium. 204. eorum virtus & apparatus. 429. triplici agunt ratione. *ibid.* cautelæ in eorum usu. *ibid.*

Tempestatum vicissitudines morborum epidemicorum causæ. 334.

Tendo læsus atrocia parit pathemata. 311.

Terebinthinæ oleum exterius in suppressione urinæ utile. 318.

Terra sigillata absorbens. 428. adstringit simul. *ibid.*

Terror cur in sudorem & calorem corporis terminetur. 167. partes externas constringit. 191. & perspirationem cohibet. 261. evacuationes retardat ac penitus sitit. 191. fluxum sanguinis quandoque suscitat. *ibid.* gravia excitat symptomata. 191. in corporibus præsertim imbecillibus. 192. senibus maxime infensus. 170. 192. quin & subitæ mortis causam præbet. 192. in certis tamen morbis est remedio. 192. quo pacto salutariter solvatur. 192. & symptomata ab ipso excitata avertantur. 192. retropellendi pollet facultate. 207. succos veneno imbuit. 196. ejus affectus in corpore. 287. facit ad colicam. 297. gravis sæviſſimorum morborũ causa existit validissima. 360.

Terrore perculsis quid noceat. 103. quid noxas avertat. *ibid.*

Terroris effectus. 36. 103.

Tertiana febris ejus species, differentiæ & signa. 294. convulsiones & epilepsias quandoque solvit. 410. in statu ejus qualis pulsus. 371. laxantia & emetica in principio admittit. 415.

Testes muliebres, an sint verum ovarium, dubium. 77.

Testium virilium fabrica. 76. non multum abludit à corticali substantia cerebri. *ibid.*

Theophrastus Paracelsus. 21.

Theoreticus bonus, an sit malus practicus. 15.

Theoria cum praxi jungatur. 22. medica vera quænam. 13. quis ejus character. 15. indiget anatomes & physices studio. 14. vera rationalis quænam. 15.

Therapeutica medicinæ pars. 14.

Therapiæ cardo in quo versetur. 171. veræ fundamentum. 149. objectum. 147.

Therapia quid sit. 285. consistit maxime in judicio. *ib.* ejus cardo in quo vertatur. 289. 290. 292. nititur morborum cognitione. 348. ejus fundamenta. 285. 292. præcipuum pathologia vera. 424. nexu gaudet cum physiologia & pathologia. 285.

Theriacalia medicamenta spasmos vomitorios coercent. 214.

Thermæ quæ dicantur. 139.

Thermarum usus fœminis conducit. 243. est aperitivus. 260.

Thermometra commendata. 105.

Timor qui corpora ad contagium recipiendum disponat. 203. ejus effectus in corpore. 287.

Tinea capitis salutaris excretio. 120. unde. 168. 183. infantili ætati familiaris. 183. retropulsa cur tam periculosa. 166. repulsa epilepsiam & capitis morbis cœcitatem & ophthalmiam gignit. 336. quisnam morbus ita vocatur. 357. & quænam damna ex capitis repulsa. *ibid.*

Tinnitus aurium unde. 92. à membranarum senforii auditus spasmo. 305. & nimia humiditate. 306.

Tiraquellus illustris hydropota. 112.

Tonicus motus viget etiam in arteriis. 365.

Tonus est partium fibrosarum elasticitas. 35. in cute modificat transpirationem. 68. partium requiritur ad bonam nutritionem. 57.

Tophi arthriticorum ubi nascantur. 72.

Topica in morbis articulorum præposterе adhibita graviter nocent. 338. cutis efflorescentias repellunt. 294. in arthritide cur noxia. 298. quomodo in applicatione cum illis procedendum. 360. 363. ad materiam corruptam in priorem locum restituendam varii generis adhibentur. 364.

Tormentillæ radix alvum adstringit. 261.

Tormina ventris atrocia unde. 187. ex dentitione difficili. 236. intestinalia unde. 174.

Tranquillitas animi sanitati confert. 102.

Transpiratio auctior etiam crassiora excernit. 68. conservanda. 119. impedita valde nocet. 68. in senibus procuranda. 135. libera infantibus servanda. 133. plus quam reliquæ omnes excretiones evacuat. 68. prohibita vere maxime nocet. 135. ubi copiosior succedat. 68. quibus cohibeatur. 68. quibus promoveatur. 119. à prohibita post morbum transpiratione summum periculum metuendum est. 358.

Transpirationis imminutio à terrore. 191. semper debet esse salva in corpore. 258. Vid. *perspiratio.*

Traumatica quæ sint. 352. quomodo agant. 446. qua ratione iis utendum. 447. optimum spiritus vini. *ibid.*

Tristitia solvit vires corporis. 193. obstructiones gignit. 193. ideoque graves producit morbos. 193. morbos alios benignos facit lethales. 193. quo pacto hujusmodi morbi sint præcavendi. 194. ejus vis in ventriculum & intestina. 170.

Tristitiæ effectus. 36.

Tsœmer morbus Hungaricus. 249.

Tumores in mesenterio, dorso, duplicatura peritonæi utero & ovario gignuntur. 326. rupti subitanei hydropis causa. *ibid. seroso-lymphatici* intra membranarum duplicaturas colliguntur. *ibid.* difficulter à priori cognoscuntur. *ibid.*

Tunica intestinorum villosa quid. 63. *pituitaria* narium. 72. 94. spasmo affecta muci excretionem impedit. 305. & odorem cum gustu lædit. *ibid.*

Turcæ quare vini potus illis interdictus. 470.

Tussis auget circuitum sanguinis. 47. salutaris quandoque excretio. 120. ejus variæ species probe discernendæ. 298. quandoque salutaris. 288. 410. 347. spasmis stipatur. 302. ex variolarum & morbillorum reliquiis. 354. seq. quandoque à venæ sectione gignitur. 466. pectoralibus caute excipienda. 347. 441. in ea utilis massa pilularum de styrace. 317. vide *expectorantia. convulsiva* ab irritatione laryngis & tunicæ bronchiorum. 306. & ventriculi cruditatibus. 315. infantibus cur familiaris. 298. cur ei complicetur vomitus. 315. *ferina phthisica* minus salutaris naturæ motus. 412. *ferinæ* sive convulsivæ causa & sedes. 474. *humida* à pulmonum atonia. 307. 351. difficilis curatu. *ibid.* dulcia non fert. 352. *pulmonalis* quæ. 298. *phthisicæ* signa. 298. *stomachalis* sicca vel humida. *ibid.* ejus materia latet quandoque in duodeno. *ibid.*

Tusses unde. 166. 175. à vermibus. 236. cur maxime generentur tempore verno. 266. convulsivæ periodicæ unde. 186. unde ferinæ. 187. humidæ cur frequentiores.

tiores. 199. ſenum unde dependeant. 242. ſiccæ juvenibus familiares. 183.
Tympanitis quid? 332. à flatibus inteſtina diſtendentibus. *ibid.*

V.

Vacuatio una aucta ſupprimit alteram. 231.
Vacuationes plures prohibitæ morborum initium. 259. non ita facile in ordinem reſtituuntur. 259.
Vacuum cur necet animantia. 264.
Valetudinarii læduntur à cibo nimio. 114. & ſeq.
Valetudinis ſervandæ optimum conſilium. 258.
Valſalva. 20.
Valvula coli. 87.
Valvulæ venarum cujus uſus. 41. *vaſorum lymphaticorum.* 58.
Valvularum magna ſenſibilitas. 87.
Vaporoſorum effectus. 95.
Varicum ratio. 49.
Variolæ cur frequentiores. 185. cur non in omnibus æque benigne procedant. 172. incongruæ periculoſiores. 183. in Turcia per impoſitionem producuntur. 205. retrogradæ. 187. retropulſæ cur tam periculoſæ. 166. ſalutariter per iram excitatæ. 185. ſenibus rariores. 190. cur maxime generentur tempore verno. 266. diſtinguendæ ab aliis exanthematibus. 293. quotuplices. *ibid.* criſes ſervant. 388. qualis in iis ſanguis. 374. ante & poſt eruptionem pulſus. 371. per ſpaſmum cum diſpendio recedunt. 302. naturæ methodum & ordinem quam maxime ſiſtunt. 414. in principio poſtulant emetica vel laxantia. 415. earum reliquiæ multos gignunt morbos. 354. & ſeq. hinc ſolicite everrendæ. 355. 420. funeſta in iis ſigna. 393. mala ex illis provenientia. 357. indoles ac natura illarum. 358. ex illis difficilioris ſanationis interdum ulcera ſequuntur. *ibid.*
Vaſa fœtus & ſecundinæ vaſis uteri non ſunt continua. 79. *lactea* quænam recipiant. 64. *ſanguinea* minima cur inter membranas decurrant. 41. cur inter muſculos & membranas ſita ſint. 36. *corporis* cum corde æqualem habent proportionem. 242. *brevia* facile rumpuntur. 327. rupta vomitum cruentum faciunt. *ibid.* ſæpe lethalem. 341. *ſanguifera* eorum atonia cauſa morborum. 307. rumpuntur quandoque & mortem gignunt. 327.
Vaſorum ventriculi & inteſtinorum reptatus & anaſtomoſis. 48.
Vectura quibus conveniat. 122.
Vegetabilia alimenta ſeni proba. 135. cruda ægre concoquuntur. 109. flatulentiam excitant. *ibid.* non habent ſexum. 76.
Vena portæ. 48. cauſſa eſt multorum affectuum chronicorum. *ibid.* peculiaris ſtructuræ & officii. 342. atonia affecta morborum cauſſa. 307. fluxus hæmorrhoidalis cauſa. 342. impedito per eam progreſſu ſanguinis morbos creat. 317.
Venæ portæ cum cava in hepate concurſus. 62. evoluta quoad ſtructuram in pathologicis utilis. 20.
Venæ umbilicalis fabrica. 79.
Venæ & arteriæ ſunt ductus continui. 41. habent tunicam muſcularem. *ibid.* juvant ſanguificationem. 50. arteriis continuæ. 365.
Venæ ſectio abortum præcavet. 136. juvenibus prodeſt. 134. quando tempeſtive inſtituatur. 139. ſenes juvat. 135. ad vitam longam præſidium. 242. & unum ex præcipuis remediis. 260. quid in ea reſpiciendum. 215. temere reformidatur. 154. cur præſente convulſione aut ſpaſmo ſit noxia. 175. intempeſtiva retropellendi pollet facultate. 207. cur vere utiliter inſtituatur. 454. non ſemper ad æquinoctium differenda. *ibid.* ter in anno quibuſdam celebranda. *ibid.* pulſum mutat. 369. ſyſtolen cordis & vaſorum auget. 321. eundem quam ſcarificatio elicit ſanguinem. 374. naturæ opus in morbis juvat. 413. hæmorrhagias ſæpe promovet. 455. urinam elicit. *ibid.* cur alvum quandoque moveat. *ibid.* ad longævitatem confert. *ibid.* multa plethoricis præſtat emolumenta. 321. utilis eſt hyſtericis. 317. hypochondriacis. 317. ſenibus. 455. in morbis ex ſuppreſſione hæmorrhoidum. 344. in renum vitiis. 353. ad præcavendos morbos. 454. & ad præcavendum abortum. 353. ſi ſanguis craſſus & ater. 373. in inflammationibus. 408. in febribus continuis & acutis. 456. in exanthematicis. *ibid.* in apoplexia leviori. 458. in morbis capitis à congeſtione. *ibid.* in pleuritide & peripneumonia. 459. in colica convulſiva. 460. quibus cautelis adminiſtranda. 461. ſit ſufficiens. 460. quando in pede vel brachio inſtituenda. 459. ubi in paroxyſmis. 457. in ſenſibilibus quomodo perpetranda. 459. in exanthematicis cum diſtinctione adminiſtranda. 456. podagram quandoque cum damno reprimit. 339. perperam ſuperato vix morbo adornatur. 458. in pleuritide quandoque empyema ciet. 354. in paroxyſmis morborum noxia. 457. catarrhos quandoque advocat. 460. in colica flatulenta nocet. *ibid.* quibus indicetur & interdicatur. 454. ſub lingua in cephalalgia & ophthalmia utilis. 458. ſed in angina periculoſa. 459. in fronte, jugulo & pone aures non ſola ſemper ſufficit. 458. ſeq. nimia & intempeſtiva quibus morbis anſam præbeat. 361. *evacuatoria, revulſoria & derivatoria* quæ. 459. *nimia* in inflammationibus. 408. & ſi ſanguis tenuis & floridus noxia. 373.
Venena quid? 195. eorum tres notæ eſſentiales. 195. 203. variant juxta regna naturæ. 195. cauſtica cur celeriter perimant hominem. 160. certis tantum animantibus noxia. 198. corporis humani. 201. in aëre contenta. 207. ex regno animali. 195. ex minerali. 196. in quas partes corporis vim ſuam funeſtam exerceant. 198. cur intra cutim admiſſa plus noceant, quam majori doſi intus ſumta. 199. mineralia vera veteribus incognita. 197. ſumma partium tenuitate ſuas præſtant operationes. 148. celerrime totum nervoſum ſyſtema afficiunt. 317. pulſum mutant. 369. per ſpaſmum necant. 306. 312. ſphacelum ingignunt. 324. 393. non proxime inflammationem inducunt. 312. ſigna funeſta. 393. cauſa mortis ex iis ſphacelus ventriculi & inteſtinorum. 400. ſeq. eorum antidota oleoſa. 312.
Venenorum claſſis late patet. 174. 207. corroſivorum ac draſticorum remedia. 201. operatio quomodo rectiſſime explicetur. 235. aliarum cauſarum morbidarum indolem declarat. 172. vis quo pacto externe coercenda. 201. coctione deſtruitur. 214. vis multiplicativa in quibus corporibus ſeſe maxime exſerat. 203.
Venerea medicamina virulentam habent naturam. 227. ideo ab iis cavendum in corporibus infirmis. 228. quem uſum habeant circumſpecte uſurpata. 228.
Venerea lues ex gonorrhœa male curata oriri poteſt. 340. dolores quibus ſtipatur diſtinguendi ab arthritide. 298. pulſus in ea languidus. 371. ſerumque ſanguinis limoſum. 373. ſeq. non ſemper ſalivatione eget. 443. balneis vaporoſis levatur. 427. ejus ſpecifica. 423. ſeq.
Venter natura apertus magna ſanitatis pars. 258.
Venti orientales & ſeptentrionales egregie purgant aërem. 212. ſalubres & inſalubres. 264.
Ventriculi actio ſyſtematica. 60. cordis. 41. expanſio bilem exprimit. 62. ſenſibilitas. 29. ſiniſtri robur. *ibid.* vaſa. 48. inflammatio exitialis. 185. cum partibus nervoſis maxime conſenſio. 158. inflammationes ructuoſæ unde. 186. *atonia* quæ pariat mala. 306. 321. quibus fulcienda. vide *ſtomachica. eroſio* differt ab ejus inflammatione. 294. quæ habeat ſigna. 333. *inflammatio* differt ab ejus eroſione, cardialgia & aliis inflamationibus. 294. ex menſium ſuppreſſione. 341. eryſipelate male tractato. 338. præpoſtero topicorum uſu

uſu in morbis articulorum. 338. potu frigido mitior. 295. feralis in acutis ſigna. 392. *inflatio* differt à cardialgia. 297. ejus ſigna. *ibid.* 332. ab atonia ipſius oritur. 306. ex ſuppreſſione menſium. 341. infantibus & hypochondriacis ſolennis. 297. 332. *ſpaſmus* parit cardialgiam. 303. inflationem nec non vomitum. 304. *ſphacelus* quæ ſigna habeat. 324. ex veneno. *ibid.* 401. *ulcus* obſervatum. 326. quæ ſigna ipſius. *ibid.*

Ventriculus cur non ipſe à calore & fermento ſalivali conſumatur. 60. cur plurimorum morborum officina. 179. cur tam gravibus ſtricturis ſpaſticis ſit obnoxius. 164. robuſtus plus ferre poteſt nutrimenti. 247. in omnibus fere morbis ejus actio læditur. 312. à nimiis ſtudiis. 313. & morbis maxime debilitatur. 349. ab animi pathematibus afficitur. 313. à vermibus obſidetur. 331. conſenſum alit cum omnibus nervoſis partibus. 312. cum capite. 313. œſophago. 314. diaphragmate & pulmonibus. 315. ductibus biliariis. 314. inteſtinis. *ibid.* renibus. 315. 353. pedibus. 315. cute. *ibid.* illius deſtructio ad quænam mala diſponat. 361.

Ventris dolor à vermibus. 235. roſionum ſedes. 179.

Venus immodica debilitat. 76. moderata ſit. 119. æſtate vitanda. 136. qualis optima. 119. nimia corpus debilitat. 349. & intempeſtiva facit ad colicam & cardialgiam. 298.

Vere cibis detrahendum, potus augendus. 135. eſt aër temperatior. 104. febres generantur aliique morbi. 135. oportet corpus munire adverſus viciſſitudines aëris. *ibid.* tranſpiratio impedita maxime nocet. *ibid.*

Ver quos gignat morbos. 334. qualis in eo pulſus. 368.

Vermes non ſemper purgantibus expelluntur. 236. quos morbos procreent. 235. & quæ ſymptomata excitent. 235. eorum varia genera. 331. in ileo lubenter hoſpitantur. 332. ob conſenſum inteſtinorum atrocia cient pathemata. 315. quæ ſi in ventriculo. 332. ileo. *ibid.* vel craſſis. *ibid.* ſuſcitant convulſiones, inſolita pathemata & febres. 332. præſidia adverſus eos. 452. quo demum necent. 402. Vide *Aſcarides*, *lumbrici.*

Vermiculorum in aëre copia morborum malignorum cauſa & præſagium. 210.

du Verney. 20.

Vertiginum incunabula. 179.

Vertigo cauſa proxima quæ. 306. quandoque ex ventriculo. 313. ex cruſta lactea repulſa. 336. lochiorum ſuppreſſione. 342. ſcarificationem melius fert quam venæ ſectionem. 461.

Veſica ſcirrho afficitur ſæpe. 328. & ulcus contrahit. 327. atonia affecta calculum concipit. 307. veſicæ ſphincter. Vide *Sphincter.*

Veſicæ urinariæ ſtructura & functio. 71.

Veſicatoria lippitudinem diſcutiunt. 318. in apoplexia & capitis morbis utilia. *ibid.* aſthma ex repulſis achoribus tollunt. 336. intermittentium paroxyſmos ſiſtunt. 318. vide *cantharides.*

Veſiculæ fellis ſitus. 62. ſtructura. *ibid.*

Veſpæ punctio gangrænam parit. 250. punctura atrocia ciet pathemata. 311.

Veteres cum recentioribus jungendi. 22. quid probi habeant. *ibid.*

Veterum lectio quatenus commendanda. 150.

Victus moderatus ſanitati confert. 114. mutat ingenia. 97. ſimpliciſſimus ſenem juvat. 137. qui inſalubris. 287. facit ad morbos epidemicos. 292. in hiſtoriis morborum enumerandus. 287. durior facit ad ſcorbutum. *ibid.*

Vieuſſens. 20.

Vigilia quid ſit & unde. 95. mutat pulſum. 368.

Vigiliæ diuturnæ cur corpori noceant. 95. emaciant. 126. abſumunt vires. 129. earum noxæ. *ibid.* quibus inducantur. 95.

Villanovanus (Arnoldus) 21.

Villi inteſtinorum gaudent tono. 64. eorum obſtructionem quid impediat. *ibid.* quibus obſtruantur. *ibid.*

Villoſa tunica vaſculoſa & celluloſa. 304. obſtructa diarrhœæ. 385. ſpaſmo affecta diarrhœæ cauſa. 304.

Vina dulcia plethoram inducunt. 113. *Moſellana* & *Rhenana* alvum laxant. *ibid.* nutritioni non ſunt apta. *ibid.* quænam optima. *ibid.* ſenibus quæ noceant. 134. ſeq. ſunt potius medicamenta quam alimenta. 113.

Vini ſpiritus moderatus uſus probatur. 114. rectificatus felibus venenoſus. 198. optimum traumaticum. 447. clyſtere injectus inebriat. 468.

Vino nivem aut glaciem miſcere pernicioſum. 113.

Vinum acido-ſpirituoſum quibus conveniat. 113. aqua temperare bonum. *ibid.* concoctionem juvat. *ibid.* Hungaricum quibus profit. *ibid.* quibus noceat. *ibid.* calidum veneno infectis commendatur. 201. fortius lædit caput. 256. lymphatum præſtat cereviſia. 257. ſtomacho laborantibus mane bibendum. 250. potens & generoſum morbis epidemiis avertendis aptum. 212. Rhenanum optimum alexipharmacum. 204. immoderatius hauſtum quæ mala generet. 257. clyſtere injectum roborat. 467.

Viperæ decoctæ ſpecificum in cutis defœdationibus. 453. eorum pinguedo ſpecificum in pellicula oculi. *ibid.*

Vires agendi in corporibus omnes ſunt conditionatæ & relativæ. 148. corporis quibus rebus debilitentur. 245. corpori inſunt motrices. 323. unde dependeant. 323. 420. eorum cauſæ manifeſtæ. 323. ex quo cognoſcendæ. 420. multum faciunt ad ſanitatem & morbos. 287. in morbis conſiderandæ. *ibid.* cum remediorum efficacia comparandæ. 421. à copia ſanguinis quandoque depreſſæ proſtratæ malignitatem indicant. 289. 323. analepticis minus reficiuntur. 444. in malignis quibus refocillandæ. 450. clyſteribus refocillantur. Vide *Robur.*

Viribus deficientibus decubitus corporis eſt utilis. 47.

Virium naturalium defectus unde æſtimandus. 240.

Virili ætati commendanda mediocritas. 134.

Virilis ætas quibus morbis pateat. 308. qualis in ea pulſus. 368.

Virtutes veræ ſanitatem ſtabiliunt. 102.

Virtus multiplicativa in quo ſita ſit. 76.

Vis elaſtica ſuccum nutritium apponit. 57.

Viſcera eorum conſtitutio in morbis conſideranda. 289. ex urina pateſcit. 380. eorum corruptio in hectica præſto eſt. 323. quibus cognoſcatur lethalis. 394. quomodo arcenda. 403. ſphacelo correpta quæ habeant ſigna. 324.

Viſceribus læſis turbatur ſanguificatio. 50.

Viſceralia quæ ſint. 445. ſeq. quomodo agant. 446. varii ſunt uſus. *ibid.*

Viſcerum ſtructuram qui declarent. 19.

Viſcidum non cauſa morborum univerſalis. 17.

Viſus organon oculus. 90. ejus ſedes retina. 89. quomodo fiat. 90. amiſſio ex dentium dolore. 236. hebetudo apud ſenes unde. 214. à ſpaſmo nervi optici læditur. 305. à vermibus perit. *ibid.* clyſteribus illuſtratur. 467.

Vita eſt in ipſo ſanguine. 34. & mors mechanice fiunt. 32. plantis improprie tribuitur. 30. *ſedentaria* ad quos morbos diſponat. 121. 125.

Vitæ cauſſa cordis motus. 30. definitio. *ibid.* deſidis incommoda. 125. definitio. 159. pathologiæ præcipuum fundamentum. 154. *genus* quodlibet peculiares alit morbos. 288.

Vitam quæ prolongent. 32.

Vitriolum album ſpecificum in epiphora. 453.

Ulcus in quo differat ab abſceſſu. 326. ſeq. ſerum ſæpe utiliter evacuat. 347. ex hæmorrhoidum ſuppreſſione. 343. variolarum & morbillorum reliquiis. 355.

quæ

quæ ſigna ſi in ventriculo. 326. veſica. 327. proſtratis. 327. antiquum præpoſtere conſolidatum varios gignit morbos. 337. cœcitatem. 348. vide *abſceſſus*.
Ungues cur & quid ſint. 94. nigri cur mortis indicium. 150.
Unguium reſectio infelix. 237.
Unicornu animale & foſſile abſorbens. 428.
Vocabula nihil ſignificantia non poſſunt eſſe principium medicinæ. 23.
Vociferatio auget circulationem. 47.
Vocis exercitia ſanitatem conſervant. 122. ventriculum juvant. *ibid.* quibus commendanda. *ibid.* intenſio nimia nocet. 123. quibus maxime cavenda. *ibid.*
Volatilia pulſum mutant. 369.
Vomica quid ſit. 325. quibus ſignis cognoſcenda. *ibid.*
Vomitus gracilibus non convenit. 130. à vermibus. 235. cruentus pueris rarior. 185. periodici unde. 186. ſymptomaticus & idiopathicus. 182. convulſionibus accenſendus. 305. à ſpaſmo ventriculi. 304. quomodo ſuccedat. 306. ſalutaris ſæpe excretio. 410. lactentibus proficuus. *ibid.* ex calculo quomodo. 353. à bile acri bilioſus. 304. ex calculo quandoque lethalis. 353. inflammato ventriculo ſuperveniens minus ſalutaris naturæ motus. 412. quibus movendus. vide *emetica*, quibus compeſcendus. 445. quænam potio vomitui bilioſo diuturno conducat. 472. ſeq. *cruentus* differt ab hæmoptyſi. 296. ſigna ejus. *ibid.* 327. quomodo ſuccedat. 301. 327. fit ex vaſis brevibus. 327. ratione cauſſarum differt. 296. ex hepatis & lienis vitio. 320. 327. menſium ſuppreſſione. 340. ſeq. & emanſione. 341. ex induratione lienis poſt paralyſin funeſtus. 329. perperam adſtringentibus cohibetur. 447.
Vox clara craſſos humores diſſolvit. 260. vide *Vocis*.
Voracitas quibus familiaris. 115. facit maſticationis neglectum. *ibid.* corpori inimica. 185. imbecillibus familiaris. 247. ſed noxia. 248.
Uretheres motu periſtaltico prædiți. 71. ſpaſmis patent. 304. motu periſtaltico gaudent. *ibid.* ab urina cum dolore diſtenduntur. *ibid.*
Urethræ tunica glanduloſa. 72.
Urethra ſpaſmum patiens facit ſtranguriam. 304.
Urina quid. 68. acida non datur. 69. cur facile putreſcat. 70. quænam optima. 118. ſæpe muco infecta redditur. 70. habet ſal tartareum & ammoniacale & fixum. 69. excretorum præcipuum. 375. perſpirationem quantitate ſuperat. *ibid.* ejus examen. 376. elementa. *ibid.* proportio ſolidi. *ibid.* color unde. 377. quantitas unius diei. 376. ex liquidis potiſſimum generatur. 375. ex potu non recipit ſolidum. 376. ex ſanguine ſuſcipit particulas ſulphureas. 377. nec non craſſiores ſordes. 381. largiter fluens ſæpe ſalutaris. 410. 347. ſupprimitur ſæpe. 438. à ſpaſmis urinariorum ductuum. 304. uretheres diſtendit quandoque. *ibid.* involuntarie cur fluat. 307. difficulter in ſcirrho veſicæ redditur. 329. in morbis inſpicienda. 289. vide *uromantia*. qualis in calculo. 331. ſcorbuto. 379. ictero. *ibid.* ſenibus. *ibid.* *alba* in hypochondriacis unde. 315. *aquea* quibus in morbis. 377. unde. 377. ſeq. in febribus quid portendat. 377. quæ poſcat medicamenta. 380. *craſſa* morbis declinantibus. 378. ſeq. poſt febrium paroxyſmum. 378. nimis diu fluens mala. 379. *cryſtallis referta* ubi? *ibid.* *furfuracea* in veſica eroſa. 380. *jumentorum* differt ab humana. 377. *oleoſa* unde & quid indicet. 379. *parca* in ſtranguria. 380. *purulenta* in exulceratione renum & veſicæ. 379. *rufa* ſine ſedimento quando & unde. 378. in inflammationibus mala. *ibid.* quæ poſcat medicamenta. 380. *ſabuloſa* in nephritide. 379. quæ requirat media. 380. *ſanguinolenta* ubi & unde? *ibid.* Vide *mictus cruentus*. *Spiſſa & glutinoſa* ubi. 379. *tartaro referta* in diſpoſitione ad calculum. *ibid.* quibus tractanda. 380. *tenuis* in omnibus ſpaſmodicis morbis. 320. in paroxyſmis febrium. 378. *turbida & craſſa* in gonorrhœa. 380. *vaccina* interne utiliter bibitur. 377.
Urinæ color unde. 70. examen. 68. largior fluxus quandoque ſalutaris. 120. largior fluxus menſtruus à Sanctorio obſervatus. *ibid.* limpidæ unde. 70. neceſſaria eſt inſpectio. 71. retentæ noxæ. *ibid.* largior fluxus ſalutaris. 259. unde fiant coloratiores. 254. immodicæ unde. 168. incontinentia à vermibus. 235. retentio cur noxia. 169. ſuppreſſio à calculis. 236. *ſedimentum* quid indicet. 378. nullum in febribus poſt paroxyſmos malum. *ibid.* *tartarus* unde. 379.
Urinam moventia. 118. quæ reddant copioſiorem. 70. ſubeunt particulæ ſulphureæ pingues. 69.
Urinarii ductus motu periſtaltico gaudent. 304. ſpaſmo corripiuntur. 304. atonia affecti ex urina craſſa dignoſcuntur. 380.
Uromantia reprobata. 71. utilis ad cognoſcendos & curandos morbos. *ibid.* abuſui obnoxia. 375.
Uteri vaſorum ſtructura. 73. ejus notitia anatomica in pathologicis utilis. 20.
Uteri hæmorrhagiæ probe diſtinguendæ. 296. quæ periculoſæ & abortus nunciæ. *ibid.* quæ ſalutares. *ibid.* poſt abortum & partum ex uteri labe. 353.
Uterina balneorum uſui ſocianda. 464.
Uterus mutationes ab imprægnatione ſubit. 78. copioſis conſtat vaſis. 167. prolapſus terrore ſanatus. 192. partibus nervoſis non annumerandus. 316. atonia afficitur quid inde. 307. 320. ſphacelo corripitur. 324. apoſtemate afficitur. 325. ſcirrhum contrahit. 329. ſub partu quandoque rumpitur. 328. ex puerperio facile labem contrahit. 350. à ſuppreſſis menſibus varia patitur mala. 341. non eſt ſedes mali hyſterici. 316. ejus ſtructura cauſa fluxus menſium. 340. ejus hydrops à polypis. 330. ex ejus debilitate varii morbi. 353. ejus inflammatio lethalis in puerperis quibus cognoſcenda. 395. labefactatus quibus firmandus. 446. ejus morbi curantur balneis. 465. nec non clyſteribus. 467.
Uvæ cur bonum præbeant alimentum. 254.
Vulnera vide *læſiones*.
Vulneraria quæ ſint. 446. quomodo agant. 447. in longis quibuſdam morbis utilia. *ibid.* optimum ſpiritus vini. *ibid.*
Vulnerati facile ſyncopen patiuntur. 33.

W.

Whartoni merita. 19.
Williſius 21.

Z.

Zwingerus (Theodor.) 17.

FINIS.

FRIDERICI
HOFFMANNI

CONSILIARII REGIS BORUSSIÆ INTIMI,
ET ARCHIATRI,
PROFESSORIS MEDICINÆ PRIMARII IN ACADEMIA HALENSI,

OPERA OMNIA
PHYSICO-MEDICA

Denuò revisa, correcta & aucta,

IN SEX TOMOS DISTRIBUTA;

QUIBUS CONTINENTUR

DOCTRINÆ SOLIDIS PRINCIPIIS PHYSICO-MECHANICIS,
& anatomicis, atque etiam observationibus clinico-practicis superstructæ.

METHODO FACILI AC DEMONSTRATIVA DEDUCTÆ,
& per experientiam LVII. annorum stabilitæ.

CUM VITA AUCTORIS,

Et ejus PRÆFATIONE de differente medicinæ & medicorum statu atque conditione,
& criteriis boni ac periti medici.

TOMUS SECUNDUS.

GENEVÆ,
Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCCXL.

CONSPECTUS

TOMI SECUNDI.

Medicinæ Rationalis Syſtematicæ Tomi Quarti Pars Prima.

De omnis generis Febribus.

Ejuſdem Tomi Quarti Pars Secunda.

De Hæmorrhagiis & Doloribus.

FRIDERICI

HOFFMANNI

MEDICINÆ RATIONALIS SYSTEMATICÆ

TOMUS QUARTUS,

QUO

SPECIALIS MORBORUM PATHOLOGIA

& huic ſuperſtructa ſolida Therapia cum medendi methodo,

CAUTELIS CLINICIS ET MORBORUM ENARRATIONIBUS ADJUNCTA EPICRISI EXHIBENTUR.

PARS PRIMA,

DOCTRINAM DE OMNIS GENERIS FEBRIBUS

tam intermittentibus quàm continuis & acutis inflammatoriis, perſpicua & demonſtrativa methodo tradens.

JUVENI EGREGIO

FRIDERICO HOFFMANNO

DOCTORI ARTIS MEDICÆ EXPERIENTISSIMO

STRENUO ET SOLERTI RERUM PHYSICARUM

MATHEMATICARUM ET MEDICARUM

CULTORI

FILIO SUO DILECTISSIMO

NEC NON

OMNIBUS DISCIPLINÆ SUÆ ALUMNIS

DOCTIS ET SEDULIS UTILISSIMUM HUNC LIBRUM

DICAT ET PLURIMUM COMMENDAT

AUCTOR.

PRÆFATIO.

TANDEM prodit in lucem promiſſus diu & exſpectatus quartus Medicinæ rationalis ſyſtematicæ tomus, qui morborum pathologicam & practicam ſpecialem diſquiſitionem, cum cautelis & obſervationibus clinicis, nec non morborum curationumque hiſtoriis complectitur, & quidem prima ipſius pars, de omnis generis febribus. Multa quidem ſcripſi & plura edidi, ex quo per triginta & ſeptem fere annos Profeſſoris munere hac in Academia functus ſum; ſed à primo ſtatim tempore firmum cepi propoſitum, maturæ tandem ætati reſervare medicinæ ſyſtema, non quod nutanti hypotheſium ſuſtentaculo, ſed veritatibus inter ſe connexis & methodo demonſtrativa propoſitis, niteretur, ad artem noſtram, multis, in pathologicis præſertim & medendi methodo, laborantem imperfectionibus, perficiendam, & certam ipſius rationem adſtruendam. Ante decem igitur annos evulgavi primum hujus operis ſyſtematici tomum, qui philoſophiam corporis humani vivi & ſani, & doctrinam ſanitatem tuendi vitamque conſervandi tractat, ac haud ita pridem auctior & emendatior recuſus eſt. Succeſſit dein ſecundus tomus, quo philoſophiam corporis humani ægrotantis tradidi, & varii generis cauſas, quibus functiones in corpore varie læduntur, congruo ordine, accurate & copioſe expoſui, ut Medicus rerum inſalubrium, quæ morbis ingenerandis velificantur, cognitionem haberet exquiſitam. Noviſſime in tertio tomo id egi, ut viam ſternerem, ad recte ac penitius percipiendam, & pathologiam, & therapiam. Hinc docui, quo pacto morborum hiſtoriæ colligendæ, morbi dignoſcendi & perite de iis judicandum, genuinam medendi methodum, ex naturæ legibus, arti imitandis & exſequendis, monſtravi, & redactis in generales quatuor claſſes remediis cunctis, longo uſu probata ſelegi, eorumque phyſico-mechanicum in corpus operandi & dextre applicandi modum, candide expoſui. Reſtitit itaque adhuc quartus tomus, ſpecialiſſimam morborum ætiologiam & therapiam, pro tot individuorum & cauſarum morbificarum varietate, exhibiturus, cujus nunc primam partem, febrium doctrinam habentem, eruditorum & ſaniorum Medicorum judicio publice expono, in non pœnitendum, uti ſpero, uſum eorum, qui in artis operibus verſantur. Neque vero me pœnitet, editionem practici hujus operis diu & ad hoc uſque tempus diſtuliſſe, quo longa & ſufficienti experientia inſtructus, certa ubique cum ratione id elaborare poſſum. Ego enim non ſine animi indignatione & ægritudine vidi, quam temere ludant de hominum corio medentum imperiti, & quot quantaque damna inconſulta medicina inferant. Tædet etiam prorſus multorum, immo plurimorum practicorum librorum, qui immaturo adhuc judicio, & inſufficiente, aut plane nulla experientia, ex aliis compilati conſcribuntur, erroribus decumanis referti, qui ſic cum magno ægrotantium detrimento in vulgus emanant. Ad condendum vero practicum ſyſtema, quod firmis & demonſtrativis principiis nitatur, ante omnia ampliſſimo obſervationum practicarum apparatu opus eſſe, quiſque judicio pollens intelliget facile. Vera enim pathologia, quæ generationem morborum ex concurrentibus variis cauſis tradit, genuinum & therapiæ certæ, in curandis & arcendis morboſis afflictionibus occupatæ, fundamentum ac baſis. Sanare quoque nihil aliud eſt, quam cauſas morborum proximas earumque effectus tollere, & præſervare à morbis idem, ac primas morborum origines earumque antecedentes cauſas, avertere, vel per congrua remedia removere. Ideo neceſſarium quam maxime eſt, ut cauſæ nocentes morbificæ, quæ innumerabiles & mirum natura ac operatione differunt, ſufficienter & penitius cognoſcantur, ut deinceps, remediorum, cauſis morborum ceu contraria opponendorum, quæ innumera pariter ſunt & natura ac efficacia, pro corporis diſpoſitione, admodum diverſa, vires & facultates indagentur, & intime perſpiciantur. Ad obtinendam autem hanc cognitionem, via datur alia nulla, quam per numeroſa obſervata clinica, cum cura notata in tot individuis, ratione ætatis, ſexus, nativitatis, hæreditariæ diſpoſitionis, conſuetudinis, victus & vitæ generis, ſenſibilitatis, valetudinis perpeſſæ, diffe-

differentibus, & quod maximum in morbis non tantum ſimplicibus & ſolitariis, ve rum etiam, qui frequentiſſimi, complicatis. In ipſa curatione id utique certum non ullum morbum curari poſſe eadem methodo in genere, ſed quemvis, propte differentem cauſarum & individuorum indolem, curandi rationem poſcere diverſam individualem ſcilicet & ſpecialiſſimam. Quæ quum firmum requirat judicium, qu obſervatis & expenſis curate circumſtantiis ſingulis, quid de morbo ſentiendum quomodo curatio inſtituenda, quibus auxiliis utendum, & quo ordine ac doſi hæ adhibenda; omnino neceſſarium eſt, ut ex numero pluribus obſervationibus addi catur hæc & colligatur. Interim ſolæ obſervationes, etiam curatiſſimè conſcriptæ neutiquam ſufficiunt, ad evitandos tam in judicando, quam uſu remediorum erro res, ſed clave opus eſt, qua rerum in hiſtoriis obviarum facti cauſas eruere, dete gere, aperire, clare demonſtrare, tandemque ex obſervatis particularibus plurimis axiomata univerſalia, magnæ ad pathologiæ & therapiæ incrementa utilitatis, elice re poſſimus. Jam hæc clavis nihil aliud eſt, quam illa rerum medicarum ſcientia quæ deprompta eſt ex principiis in ſenſum & conceptum cadentibus, anatomici nempe & phyſico-mechanicis, ita, ut illorum ope ea, quæ ad corporis human ejuſque partium intimam ſtructuram & ex hac dependentes ſingularum functione pertinent, & horum beneficio, indoles & facultates rerum corporearum, quæ no pro arbitrio, ſed ex neceſſitate à ſummo creatore indita immutabili, in corpus agunt ac unice vitam, ſanitatem, mortem & morbos, horumque & præſervationem, & curationem, diſpenſant, cognoſcantur. Præ omnibus tamen opus eſt deducta ex his principiis pathologia vera, qua ſi quis deſtituitur, nihil ſolidi, nihil recti, de medicamentorum viribus, an in hoc vel illo morbo & individuo, ſalubria ſint, vel inſalubria, judicare valet. Quam manca autem & hiulca ſit, quamque infirmis fundamentis nitatur, & veterum & recentiorum plurimorum pathologia, nemo qui penitius eandem ſine præjudicio expendit, inficias ire poterit, ſed dicere illud & palam ſcribere, tam odioſum eſt, quam veritatem eloqui. Ita tamen omnino eſt. Et ne gravius aut ex affectu forſan ſcriptum videatur, exemplo ſint definitiones, ubivis obviæ. Veras has & reales, genuinum ac firmum eſſe principium, ex quo concluſiones & demonſtrationes, de eſſentia, cauſis & differentiis definiti formandæ, accuratiores Philoſophi, profitentur & aſſerunt omnes. Quæ autem in medica diſciplina paſſim circumferuntur, de arte inprimis medica, de vita, ſanitate, morbis, morte, de febre, inflammatione, morbo ſpaſmodico hypochondriaco definitiones, ita ſunt comparatæ, ut vix ulla ſit, in qua non multum deſiderari queat. Quin, quum in phyſiologicis cerebri & ſyſtematis nervoſi functio & uſus penſi habeatur, & à plurimis tantum non ignoretur; ultro innoteſcit, morbos ex horum vitio etiam ignorari, & mutilam præterea admodum eſſe, non modo morborum, ſed & ſymptomatum ætiologiam. De therapiæ porro, noſtro tempore receptæ, imperfectione, teſtimonio eſt indubio, illa propudioſa inter Medicos vigens diſſenſio, de remediorum viribus & uſu. Lacerantur hac paſſim maximæ virtutis auxilia, venæ ſectio, fonticuli, veſicatoria, purgantia, emetica, martialia, adſtringentia, inprimis chinæ cortex, camphorata, volatilia, opiata & mercurialia, quæ nonnulli in totum, nonnulli ſub certa tantum conditione rejiciunt, alii viciſſim mire laudant ac concelebrant. Luculentius hanc in therapeuticis ignorantiam prodit ingens illa remediorum ſupellex atque farrago, ſimplicium & compoſitorum, Galenicorum & Chymicorum, quam tamen plurimi neceſſariam judicant ad oppugnandos tam multos & varios morbos. Alii contra univerſalia tantum crepant, & pauciſſima numero in uſum vocanda eſſe, contendunt. Ab utraque vero parte diætetica & quaſi domeſtica, illa maximarum in chronicis morbis virium præſidia, quibus Veteres, Chymiæ & Pharmaciæ ignari, graviſſimos morbos debellarunt, aqua nimirum, vel pura fontana, vel mineralis, lac, ſerum lactis, ptiſanæ, decocta & infuſa ſpecierum vegetabilium, balnea, frictiones; abſtinentia quoque & inedia, vel plane ignorantur, vel minimum negliguntur, neque ex merito æſtimantur. Sed ſic obvios nævos atque defectus Medicinæ, uti hodie fere eſt, tetigiſſe ſufficiat & iterum inculcaſſe, quæ ſatis inculcari poſſunt nunquam. Jam quo pacto lapſus hi vitandi, & quam ego ob id hoc in opere ſervaverim tractationis rationem, oſtendam. Sane quum vita & ſanitas res ſit adeo pretioſa & inæſtimabilis, princeps & præcipua omnino eſt cura, ne quippiam admittatur, quod eandem ullo modo labefactare, multo minus deſtruere, queat. Eo potius ſummo enitendum eſt ſtudio,

ut

ut morbi & præmatura mors arceantur. In hoc enim præcipuum medentis positum est officium, tum quod magis in ipsius potestate situm, tum quod ex centum, vix unus eam attingit ætatem, ut ex scientia rerum salubrium & insalubrium, præsentem morbum depellere tuto & certo norit. Ut itaque officio suo recte satisfaciat artifex, per remedia, quæ ipsius manus & instrumenta, nihil plane agere debet ex opinione, quæ secundum *Hippocratem de decent. orn.* in crimen verti debet eam adhibentibus, sed simplex sectanda veritas, cujus genuinus character, si ex indubiis & inconcussæ veritatis principiis, apta connexione ita potest deduci & demonstrari, ut animum convincat, nec dubitatio amplius supersit. Ursit hanc demonstrationem serio jam primus artis conditor, *Hippocrates*, passim. Sic enim graphice scribit *epist. XXVII. ad Athen. oportet non solum dicere, sed etiam demonstrare, quod verum est in Medicina.* Idem *lib. de art. pag.* 9. vult, ut morborum tam manifestorum, quam obscurorum, certæ & infallibiles medelæ sint. Et *lib. de loc. in hom. pag.* 398. *constans*, ait, *& infirma est tota Medicina & doctrinæ optime in ea compositæ, minime fortuito casu egere videntur.* Atque etiam ego existimo, medicam disciplinam ad demonstrationes conficiendas omnium esse aptissimam. Magnus enim est numerus causarum naturalium, non naturalium & præternaturalium, quæ concurrere debent ad proximam causam, à qua functiones læduntur immediate & morbus fit. Quo vero major rerum vel causarum series & ordo; eo pulcriores, pleniores & perfectiores conficiuntur demonstrationes. Jam, uti supra dictum, secundum optimos demonstrandi magistros, definitiones reales sunt illud principium & fundamentum, ex quo conclusiones firma argumentatione deducendæ, & in quod veritates singulæ tandem resolvuntur. Quare in adornanda hac morborum perveſtigatione, hanc mihi præfixi methodum, ut primo loco veram morbi definitionem collocarem, per quam ipse morbus ejusque causa cognosci & ab aliis ratione suæ essentiæ dignosci possit. Dein subjunxi statim generalem morbi historiam, completam cum omnibus necessariis circumstantiis, depromptam partim ex propria, partim aliorum peritissimorum Medicorum experientia, eumque in finem magno cum fructu usus sum ex antiquissimis *Hippocratis & Aretæi*, neque minus *Celsi, Cœlii Aureliani & Tralliani* scriptis, qui accuratius recentioribus morborum consignarunt historias, è quibus ob id eximiora loca passim inserui. Enarrata historia, in proximam & adæquatam cujusvis morbi causam, quæ symptomatum genitrix, inquisivi, & simplici simul ac facili methodo cum hac connexi causas antecedentes remotas, item naturales, nonnaturales & præternaturales, ostendendo apte & intelligenter, qua ratione hæ ad primam in effectum traducendam conspirent. Tum exposui signa, è quibus de morbi eventu judicandum perite, ac, ut sedes morbi & mortis causa innotesceret, addidi demum, quæ in cadaveribus defunctorum reperiantur. Sic tradita morbi theoria, accessi statim ad medicationem & curatorias indicationes, quæ perperam plerumque seorsim tractantur. Curatio enim & medendi methodus opponi debent causis, ideoque etiam proxime cum iis connecti, quo eo melius in oculos incurrant & animo infigantur. Prisca hæc fuit *Hippocratis* sententia, quam *lib. de flat. pag.* 400. sic prodidit: *si quis causas corporis affecti probe cognovit, potens est valde ea afferre, quæ corpori commodent, nimirum contraria, morborum natura perspecta. Est enim secundum naturam Medicina*, id est, Medicina in naturalem statum debet reducere ægrotum. Sed in medicatione merito tenendum: nec Medicum, nec medicamenta, sed ipsam naturam, per quam nihil aliud intelligo, quam corporis machinam potentiis motricibus in solidis & fluidis, nec non ex variis secretoriis & excretoriis artificiosissime constructam, solam sæpe morbum sanare, causasque ipsius debito tempore & ordine per congrua emunctoria eliminare. Hanc itaque methodum, hunc ordinem naturæ & leges, Medicus, ceu peritus ipsius minister, cum cura observare & imitari, ac si deficit, in motibus eandem juvare, vel si excedit, ad moderamen & æquilibrium reducere debet. Quod, quo pacto recte sit faciendum, leges quasdam, naturæ legibus conformes omnino, tradidi & uberius exposui in *Med. ration. syst. tom. III. Sect. II. cap. I. & II.* quæ tam in ratione, fundatæ, quam multiplici experientia sunt comprobatæ. Has qui in medicatione omni observabit curate, peccabit nunquam; qui autem deliquit, certissime contra harum præceptum impegit. Quare omnibus & singulis qui artis exercitio manum admovere volunt, aut jam in eo versantur, sedulo legenda, perpendenda & probe tenenda commendo etiam atque etiam, quæ in ci-

tato *tomo tertio*, maximeque *Sect.* II. *cap.* I. II. III. *&* IV. *ſeqq.* attuli. Inde enim ampliſſimum fructum ad reſolvendas morborum hiſtorias & danda ſalutaria conſilia percipient, & intelligent, ſpecialia hoc in opere practica præcepta, niti univerſa libus illis omnia. Habeant præterea diſciplinæ meæ alumni ſibi commendatos ca ſus, quos cuivis capiti ſubjunxi cum addita epicriſi. Heic enim, ubi recte actum perſpicient applicationem præceptorum, ubi ſecus factum eſſe, candide ſine ulliu injuria dixi, aliorum damno ſapere & cautiores fieri diſcent. Videbunt etiam ex hiſtoriis deprompta ſalutaria monita, ampliſſimi in ſimilibus caſibus uſus. Omni autem erunt incitamento, ut diligentes ſint in annotandis curate morborum hiſto riis, è quibus, ope theoriæ ſolidæ, ad uſum accommodæ, ipſi eruere poterunt ca nones atque cautelas ad incrementa & pathologiæ & therapiæ longe utiliſſimas Nolo tamen, ut mea tantum ſectentur, ſed ut ex aliis etiam decerpant, quæ ver & ad uſum ſcripta, eademque cum prudentia ſibi imitanda proponant. Quem in finem habeo ut commendem *Hippocratem*, *Aretæum*, *Trallianum & Celſum*, ex ve teribus, ex recentioribus Gallis, *Ballonium*, & feliciſſimum Practicum *Riverium*; ex Italis optimum *Hippocratis* ſcholiaſten, *Mercurialem* nec non *Lanciſium & Baglivum* ex Anglis *Williſium*, *Sydenhamum & Mortonem*; ex Belgis *Sylvium & Boerhaven* ex Germanis *Sennertum*, *Hildanum* ac *Ettmullerum*, non neglectis eorum laboribus qui noviſſime in noſtra æque ac aliis Germaniæ Academiis, veris principiis & ſuffi cienti experientia inſtructi, ſcripſerunt. Hæc tam in genere, quam de ſcribend ratione & uſu hujus libri monuiſſe ſufficiat. Optaſſem quidem, ut practicum opus univerſum, uti animo concepi, luci publicæ ſimul exponere potuiſſem, ſed late ni mis patuit campus, quam ut uno ſemeſtri, in tanta ægrotorum, & domi, & foris, conſilium & opem exquirentium, in tanta negotiorum & cauſarum, ex magiſtratu, quem gero academico, multitudine, & ſub valetudine adverſa, qua ſub initium an ni longius quam per menſem ſui detentus, eundem potuerim emetiri. Selegi igitur potiſſimam de febribus doctrinam, eandemque in prima hac parte mihi ſumpſi ex planandam. Dabo tamen operam, ut quam primum fieri poterit, reliquorum ad huc morborum, eodem modo inſtituta tractatio, ſi Deus vitam vireſque conceſſe rit, vertente forſan anno, lucem aſpiciat. Interim ut hic noſter labor in meden tium & ægrotantium fructum cedat ampliſſimum, voveo. Scribebam Halæ Magdeb. Idibus Maii anni cIↃ IↃCCXXIX.

CONSPECTUS

CONSPECTUS
PARTIS PRIMÆ

SECTIO I.

De Febribus Intermittentibus tam ſimplicibus quàm compoſitis & anomalis Catarrhalibus, item Exanthematicis & Malignis nec non Eryſipelacea.

PROLEGOMENA.

De Febrium natura in genere.

CAPUT I. *De febre tertiana.*
II. *De febre quartana.*
III. *De febre quotidiana.*
IV. *De febribus intermittentibus epidemicis anomalis mali moris.*
V. *De febre ſemitertiana.*
VI. *De febre catarrhali benigna.*
VII. *De febre varioloſa.*
VIII. *De febre morbilloſa.*
IX. *De febre purpurata rubra & alba miliari.*
X. *De febribus epidemicis exanthematicis catarrhalibus ſive petechizantibus.*
XI. *De febribus petechialibus veris.*
XII. *De febre peſtilentiali.*
XIII. *De febre eryſipelacea.*

SECTIO II.

De Febribus acutis inflammatoriis, item lentis putridis hecticis nec non ſymptomaticis.

CAPUT I. *De febribus inflammatoriis in genere, ſpeciatim de febre acuta ſanguinea, Græcis ſynocha.*
II. *De febre ardente, nec non cholerica.*
III. *De febre ſtomachica inflammatoria.*
IV. *De angina.*
V. *De febre phrenetica ſive phrenitide.*
VI. *De febribus pneumonicis, ſive pleuritide & peripneumonia.*
VII. *De febre hepatica, ſive hepatitide.*
VIII. *De febre nephritica.*

IX. *De inflammatione veſicæ.*
X. *De inflammatione & febre uterina.*
XI. *De inflammatione oculorum, cum & ſine febre.*
XII. *De febre inteſtinorum inflammatoria ex meſenterio.*
XIII. *De febribus lentis & hecticis.*
XIV. *De febribus ſymptomaticis.*

SECTIO I.

SECTIO PRIMA

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS, tam ſimplicibus quam Anomalis atque compoſitis, item Catarrhalibus, Exanthematicis & Malignis, nec non Eryſipelacea.

PROLEGOMENA

De Febrium natura in genere.

§. I.

bris fre-ens & avis rbus.

Nullus morbus recte meretur appellari univerſalis, certe eſt ipſa febris. Hæc enim univerſum nervoſarum partium genus vehementer exagitat, omniumque in corpore partium functiones graviter pervertit, ut nec ſolidorum, cordis & arteriarum motus, æquabilis ſit atque legitimus, nec ſanguinis reliquorumque humorum progreſſus liber & naturalis, nec ſaluberrimæ ſecretiones & excretiones recte ſuccedant, neque etiam ipſe animus ſibi omnino conſtet, ſed quandoque febrili impetu turbatus, deliret plane. Deinceps omnibus omnino hominibus ex æquo incumbit hic morbus, cujuſcunque ſint ætatis, ſexus & temperamenti, quocunque ſub cælo vivant & quocunque etiam victu & vitæ regimine utantur. Quin epidemice haud raro graſſatur multoſque ſimul magna corripit atrocia ac medentibus multum faceſſit negotii. Neque tantum per ſe ſanitatem ſubvertit & morbus eſt primarius, ſed ſæpe etiam aliis paſſionibus, uti cachexiæ, ſcorbuto, phthiſi, lui venereæ, hydropi, accedit ceu ſymptoma, eaſdemque acerbiores reddit & periculoſiores: Ut adeo, calculo exactius ſubducto, decima mortalium pars, morbo vix alio tollatur è medio, quam febrili.

§. II.

ta- ſalu-

Licet autem febris humano generi tam infeſtus & pernicialis ſit morbus; hanc tamen peculiarem obtinet facultatem, ut motu inteſtino & progreſſivo, quo abſolvitur, auctiori, cauſam ſuam deſtruat ac ſe ipſum ſanare poſſit, immo aliis gravibus & longis morbis ſuperveniens, eoſdem vincat atque expugnet. Ipſe *Hippocrates* & *Celſus* febrem habuerunt medicinam & morborum præſidium, quo magni etiam morbi curantur, paralyſes, epilepſiæ, convulſivi motus, affectus ſpaſmodici, ſic dicti hypochondriaci; quin conſultum duxerunt, ſuppreſſa citius febre, novam accendere. Et teſtantur etiam obſervationes, quod valetudinarii, poſt febrem, firmam & longam ſanitatem fuerint adepti, quin, quod temperamentum & mores fuerint immutati, qua de re latius videri poteſt, diſſertatio noſtra *de febrium ſalubritate.*

§. III.

Febris deſcriptio.

Quum igitur febris tantam potentiam, tam ad mortem, quam ſanitatem habeat; in proclivi eſt judicare: ipſius veram & intimam, quoad indolem, generationem atque effectus cognitionem, utilem eſſe medico & ſcitu neceſſariam. Jam, ſecundum logicas regulas, vera rei cujuſdam definitio, naturam, differentiam & cauſas ipſius comprehendens, verum & optimum eſt demonſtrandi principium, ex quo reliqua phænomena apte deducenda. Hinc omnino etiam de vera, adæquata & reali febris definitione debemus eſſe ſolliciti. Sed pudet & tædet dicere, tam multas tamque varias veterum æque ac recentiorum proſtare febris definitiones; & tamen vix ullam, ullius, aut non niſi exigui eſſe momenti, ad genuinam ipſius indolem veraſque cauſas exponendas. Mihi itaque ad veritatem accommodate ſic definienda videtur febris: quod ſit ſpaſmodica univerſi ſyſtematis nervoſi & vaſculoſi affectio, juncta cum omnium in corpore functionum læſione, orta à cauſa nervoſas partes ad intenſiorem contractionem irritante, ita quidem, ut accedente ipſa, fluida vitalia primum ad interiora, cor & majora vaſa ab externo ambitu agantur, & poſtea, aucta cordis & arteriarum ſyſtole, celeriter cum æſtu per ſtrictiora vaſa iterum extrorſum

trorsum pellantur, donec spasmo laxato excretiones succedant & febris desinat.

§. IV.

Causa formalis. Assero igitur, formalem febris rationem, sive, ut ita loquar, fundamentalem causam, consistere in spasmodica universi generis nervosi & fibrosi affectione, quæ maxime ex spinali medulla procedit, & successive ab exterioribus ad interiores partes vergit. Docui id pluribus & momentosis rationibus in *dissertatione*, *de vera motuum febrilium indole ac sede.* Idem vero etiam luculenter arguunt omnia, quæ in febre præsto sunt pathemata atque phænomena, dolor scilicet dorsi, præsertim circa lumbos, horror, rigor, frigus, præsertim extremorum tremor, unguium livor, vasorum in manibus & pedibus detumescentia, cutis contracta & arida, oscitatio, pandiculatio, pallidus & lividus faciei color, tremens & palpitans cordis motus, præcordiorum anxietas, spiratio ægra, inquietudo, corporis jactatio, sensus ebullientis circa præcordia sanguinis, pulsus contractus, parvus ac debilis, nausea & inclinatio ad vomitum, alvi & perspirationis suppressio, cum urina tenui & aquosa.

§. V.

Causæ materiales variæ. Hinc prona jam fluit consequentia, quod omnia, quæ totum nervosarum & vasculosarum partium systema ad spasmos irritare & sollicitare possunt, ad ingenerandam febrem sint aptissima. Horum classem ducunt, vehementes animi commotiones, terror in primis & ira, materia venenata & subtilis caustica, vel intus genita, vel per contagium suscepta, intercepta perspiratio, sudores critici cohibiti, exanthemata retropulsa, materia purulenta ulcerosa, passim in partibus obhærescens, alimenta nimis acria, corruptæ & biliosæ primis in viis hærentes cruditates, nimiæ vigiliæ, dolor vehemens ac nervosarum partium tensio, in inflammationibus, tumoribus & abscessibus, læsiones nervosarum partium ab acuto instrumento, ab acri & corrosivo pharmaco, balnea frigida & vicissim nimis calida, aut adstringentia. Sed pro differente harum causarum indole & vario, quo nervosum genus infestant, modo, differunt etiam prognatæ inde febres, ut nonnullæ sint benigniores, nonnullæ maligniores, aliæ intermittentes, aliæ continuæ, simplices, vel compositæ, regulares, vel anomalæ, exanthematicæ, putridæ, hecticæ, vel lentæ, ut porro quædam facilius, vel difficilius sanationem admittant, quædam cito decurrant, quædam longius extrahantur, quædam etiam hominem perimant. De qua febrium origine earumque causis & differentiis, pluribus egi in *dissertatione*, *de generatione febrium.*

§. VI.

Febris duplici motu absolvitur. Neque vero omnis celerior cordis & arteriarum systole, ex pulsu frequentiori cognoscenda; nec auctus cum calore intensiori sanguinis circuitus febris est. Sæpe enim talis à vehementi corporis exercitatione, vel sanguinis percalida & spirituosa commotione accidit. Sed ille tantum intensior fluidorum circuitus & illa auctior cordis & arteriarum systole, febris dicenda, quæ à causis internis inducitur & sequitur horrorem, rigorem & frigus partium externarum. Duplex enim in febre sociatus motus, unus qui à peripheria ad centrum, sive à partibus externis ad internas, cor & pulmones, vergit; alter qui hunc sequitur contrarius, à centro ad corporis peripheriam. Illi junctus pulsus parvus, contractus, debilis cum præcordiorum anxietate & spirandi angustia; huic auctior arteriarum motus, pulsus magnus & æstus, extremas etiam corporis partes occupans. Duplicem hunc febrem absolvere motum pridem jam notavit primus artis nostræ parens *Hippocrates*, eundemque disertis verbis fuse descripsit *lib. de flat.* hunc in sensum: *in febre per horrorem sanguinem ab extremis corporis partibus, quæ exsangues & propter frigus palpitant, decedere & concurrere ad locos maxime calidos, & ob sanguinis ibi collecti abundantiam suscitari calorem, ad externa demum transeuntem.*

§. VII.

Uno morboso. Duplex hic motus diversæ plane indolis atque virtutis est. Primus ille, à peripheria ad centrum, minus salutaris, sed καθ' ἐξοχήν morbosus, quin interdum mortifer. Quin enim moriuntur ex Febre, sive continua sit, sive intermittens, acuta, sive chronica, pereunt sub spasmo, frigore, horrore & rigore partium externarum convulsionibus, quia cor, pulmones & cerebrum, sanguine intus congesto nimium obruta, eundem ob debilitatem amplius repellere nequeunt. Alter vero ab interioribus & *Altero salutari.* centro, ad circumferentiam & minima vascula motus, salutaris est & vitalis, immo medicinalis & conservatorius. Sub hoc enim & per hunc, ipsa materia, spasmum febrilem ciens, successu temporis corrigitur, discutitur, ejicitur & ipsa febris solvitur.

§. VIII.

Febris solutio. Nimirum quum causa motus febrilis sit spasmus universalis, nunquam penitus cessat ille, nisi hic fuerit solutus. Hunc autem solutum esse indicatur, si perspiratio fit liberior, mador, vel sudor in cute apparet, pulsus antea durus, impetuosus & celer, mollior fit, moderatus ac tardior, si urina sedimentum ponit & vires successive redeunt. Hæc junctim apparentia, morbi solutionem nunciant, & crisis nomine veniunt, quia ex iis medicus judicium de morbo ferre potest. Hoc etiam sensu exponenda est veterum definitio febris; quod sit lucta cum morbo. Quod si scilicet spasmus, succos ad interiora urgens, cordis & arteriarum motu, ad externa repellente validior est, morbus vincit & mors incidit. Si autem motus per spasmum retrogradus superatur à vitali cordis & arteriarum systole extrorsum sanguinem trudente, morbus abigitur & sanitas redit. Quæ quidem naturæ post luctam hanc victoria, certis, septenario potissimum numero computatis, diebus accidit, qui ob id vocantur critici, quibusque medico de morbi eventu judicandum.

§. IX.

Per naturam & artem præstan. Ineffabilis igitur divina providentia merito celebranda, quæ corporis nostri machinam animalem, tam sapienter potentiis & facultatibus instruxit motricibus, ut ipse morbus, qui nunquam non cum læsione functionum partium & vitæ sanitatisque periculo accidit, ad expugnandam ipsam suam causam suique curationem sæpissime vergat & vergere possit. Atque adeo, quum ipsa natura sit optima morborum, etiam ipsius febris, medicatrix, pernicioſum omnino est molimen, febriles in salutem tendentes motus, imprudenter medicina suspendere, supprimere, aut plane tollere velle. Secundandum potius naturæ saluberrimum opus, quod per auctiorem progressivum humorum motum, ad cor-

correctionem & resolutionem materiæ morbificæ ipsiusque tandem excretionem dirigitur. Id quod optime perficitur diluentibus, humectantibus, temperantibus, aperientibus, roborantibus & nitrosis, nec non iis, quæ, tempore præsertim intermissionis, congruas excretiones promovent.

§. X.

Hæc est nostra sobria & rationalis febrium theoria, causis manifestis, intellectui obviis & ex necessitate agentibus, physico-mechanicis, nitens, ex qua omnia, quæ circa febrilium motuum negotium occurrunt, phænomena, symptomata & effectus, ordine concinno & apta connexione deduci possunt & explicari. Quod quo pacto sit faciendum, & qua ratione etiam ex hac theoria methodus medendi congrua elicienda, causisque opponenda remedia, uberius patebit ex iis, quæ in speciali quarumvis febrium tractatione jam dicemus.

CAPUT I.

De Febre tertiana.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

NUlla febris est, quæ tam exacte motus febrilis in genere, qui & vasa, & nervosas partes infestat, & *Hippocrati* Græcisque rigoris nomine quasi per excellentiam venit, naturam ac genium manifestat, & quæ tam frequenter affligit, nec ulli ætati, temperamento vel sexui parcit, quam quæ alternis diebus cum rigore & horrore invadit, subsequente celeri, qui ex frequentia cognoscitur, pulsu, nec non anxio & ardenti calore, ac tertiana dicitur.

§. II.

Hæc, præsertim si regularis & legitima, his incedit symptomatibus. Caput primum dolet, artus languent, lumborum percipitur dolor circa primam dorsalem vertebram, qui per dorsi longitudinem versus epigastrium ascendit, cum dolorifico tensionis in hypochondriis sensu, alvique strictura: accedit partium externarum, præsertim narium & aurium, refrigeratio, pandiculatio, oscitatio & horror, membra sæpius graviter concutiens, pulsu simul parvo, contracto & debili, interdum quoque ægro sitiente. Sequitur dein nausea, cum inani ad vomendum conatu, vel etiam ipsa vomitio materiæ bilioſæ & pituitosæ, quandoque viridis, juncta sæpius tussi molesta cum pituitæ rejectione, ex stomachi cruditatibus acido-viscidis oriunda. Tum universum corpus fervor, sive anxius, ardens & siccus calor occupat, facies antea collapsa & pallida, cutis contracta & rigida, vasaque in manibus ac pedibus inanita resurgunt, rubescere ac tumescere incipiunt, arteriarum quoque pulsus major, plenior & citatior micat, inquietudo intensior spirituſque difficilior fit, & ægri oculis vix clausis aliena multa loquuntur. Decrescunt postea sensim hæc symptomata, æstus mitescit, cutis laxatur & madescit, urina emittitur flammei coloris, qualis comparet in destillatione spiritus nitri, vel aquæ fortis, sine sedimento tamen; arteriæ simul mollius tangentis manum feriunt & sudore prorumpente paroxysmus discedit; qui tamen pro differentia naturarum & causæ morbificæ quoad durationem varius, ita quidem, ut in quibusdam ad decem vel undecim, in quibusdam ad viginti horas protrahatur. Subsequenti intercalari die, corpus quidem adhuc languet, frigidiusculum est, facileque inhorrescit, pulsus tamen sub febris impetu citatus & vehemens, tardius jam & debilis undulat, & urina quoque crassior mingitur, ac sedimentum ponit, vel minimum nubeculam, quæ dispositio ad sedimentum, exhibet.

§. III.

Sic decurrens paroxysmus febrilis, ipsa symptomatum ratione teste, quam optime ad motus nervosarum partium universi fere corporis spasmodico-convulsivos referri meretur; quo etiam fit, ut omnia ea, quæ nervosas partes ad motus anomalos irritant, uti quidem faciunt animi affectus, fortiora cathartica, nec non cum cibis vel aëre susceptæ materiæ acres, causticæ & venenatæ, item omnia adstringentia, frigida & quæ nervis inimica sunt, quin clysteres acres, quos purgantia validiora ingrediuntur, tum ad generationem, tum recidivam, vel minimum exacerbationem febris, plurimum omnino conferant. *Causa formalis.*

§. IV.

Causam horum motuum febrilium in tertiana veteres quidem bilem intemperatam, ab aliis humoribus separatam & extra venas in imo ventre nidulantem, esse censuerunt: est vero potius materia, quæ illos excitat & fovet, excrementitia salino-sulphureæ & activæ indolis, quæ nostro quidem judicio, sedem potissimum habet prima in regione, partim in biliariis hepatis ductibus, partim in flexura duodeni. Scilicet hoc in cavo humores bilioſi, salivales, præsertim pancreaticus, jam tum vitiati, mutua cum cruditatibus ex prava digestione confermentatione ipsaque diuturniori mora & stagnatione, ejusmodi virulentam gignunt materiam, quæ huic successive per vasa lactea ad sanguinem & cum hoc ad nervosas capitis, medullæ spinalis, ventriculi, intestinorum & nerveas aliorum ductuum secretoriorum & excretoriorum tunicas sufficienti quantitate delata, universalem ejusmodi spasmum ciet, sub quo sanguis ad interiora & vasa majora primum urgetur, postea vero aucto systaltico cordis & arteriarum motu, totius massæ sanguineæ & humorum progressus intenditur, obstructiones in minimis nervosarum partium canaliculis expediuntur, & remittente spasmo relaxatisque excretoriis, febrilis, quæ insedit, materia per cutis spiracula, perspiratione, aut sudore opportune ejicitur, insultusque cessat, donec par rursus hujus excrementitiæ materiæ quantitas ex primis viis ad sanguinem tunicasque nervosas denuo fuerit translata, novumque inducat paroxysmum. *Materialis.*

§. V.

Expedita autem hujus materiei ipsiusque tertianæ genesis est in corpore exquisitioris sensus, cholericæ constitutionis, ad spasmos animique motus proclivi, in ætate plus consistente, quam infantili & senili, regnante æstate nimis fervida & flantibus ex austro & euro ventis; præsertim si potio frigida fuerit ingurgitata, vel corpus tempore vespertino, aut nocturno, auræ frigidiori & humidiori, aut plane insectorum minimorum copia circa compluvia & stagna refertæ, diutius expositum; multo magis quando venter cruditatibus oppletus, vel cibi gravis materiæ, *Causæ antecedentes.*

materiæ, aut adstringentis facultatis, & maxime omnium cum nausea, assumti.

§. VI.

& procatarcticæ. Neque minus frequenti experientia confirmatum habemus, corpora spongiosiora tempore vernali, post largiorem sanguinis missionem, facile in febres tertianas nothas, vel catarrhales incidere, eo facilius, quando, præsertim grassantibus jam febribus, pluvioso & humido cœlo committuntur, & stomachus cibo minus solubili infarcitur. Novimus quoque à purpura frigore externo repulsa, scabie linimentorum mercurialium & sulphureorum ope intempestive siccata, ab improvido acidularum & aquarum mineralium, neglecto simul regimine & assumtis rudioribus alimentis, potu, nec non à percalido Carolinarum, quæ adstringentis virtutis sunt, thermarum, in corpore præsertim plethorico, impuro & cruditatibus referto, balneo, febrem tertianam, interdum continuam, interdum duplicem & anomalam, accessisse.

§. VII.

Dividitur in legitimam & notham. Ex his incunabulis prognata tertiana, non semper una eademque facie incedit, sed discrepat, ideoque merito à medicis in varias dispescitur species. Est quippe vel legitima, vel notha. Illa potissimum adoriri solet homines bilioſæ constitutionis & sensu exquisitiori pollentes, inprimis sub præcalida aëris æstivi intemperie, acerbioribus etiam stipatur symptomatibus, horrore scilicet, calore, capitis dolore, siti, vomitu & anxietate, urina secedente intensius flammea, breviori tamen temporis spatio solvitur atque discedit. *Hippocrates* quidem exquisitam hanc duodecim horis deferve re & septimo paraxysmo finiri, passim asserit, sed tam exactæ periodi febres in septentrionalibus nostris humidioribus & frigidioribus regionibus non observantur, & recte hinc perhibet *Mercurialis prælect. Bonon. pag. 190. rarissime tertiana exquisita Hippocratis invenitur, neque ego vix vidi, & jam quadraginta anni sunt, quod praxin exercui*; id quod ego ipse etiam asseverare possum. In notha autem, sive spuria, mitiora quidem præsto sunt pathemata, calor non tam ardens, vomitus non ita frequens, urina non adeo flammei coloris, & vacuo etiam die virium languor, artuum lassitudo cum inappetentia relinquitur. Ad hæc, segnioris magis naturæ homines, sequiorem sexum & qui spongiosioris sunt habitus, autumnali maxime tempore, infestat.

§. VIII.

Regularem & irregularem. Regularis dein est, vel irregularis, sive anomala & confusa. Illa typum servat æqualem, tam ratione temporis invasionis, quam solutionis, longitudinis ac brevitatis paroxysmi & suetis ceterum incedit symptomatibus. In hac tempus accessionis inordinatum, mox ante, mox post meridiem, jam circa vesperam, quin mediam noctem, ipse paroxysmus, modo brevior, modo longior, urina, remissionis, vel intermissionis tempore, nihil dimittit, sudor vel nimis parcus, vel nimis largus, vacuo etiam die adest, & passiones complicantur insolitæ, pro naturarum diversitate diversæ, ut vel alvi fluxus, vel narium hæmorrhagiæ, vel enormes stomachi etiam subversiones, aut graves capitis dolores, mentis alienationes, anxietates cardialgicæ summæ, artuum dolores ventrisque tormina præsto sint. Et tales irregulares febres, quæ typum non servant, sunt plerumque epidemicæ, ex præternaturali & insolita æstatis vel autumni constitutione provenientes, ut plurimum continuæ, quales etiam elapso MDCCXXVII. anno per universam fere Germaniam, post intensam atmosphæræ per multos menses siccitatem & caliditatem, populares habuerunt circuitus.

§. IX.

Simplicem & duplic Nonnunquam porro simplex, nonnunquam duplex observatur. Simplices paroxysmi alternis diebus recurrunt, duplex autem quotidie accedit, interdum quoque bis, uno die vacuo. Distinguenda tamen duplex à quotidiana, quæ accessionis tempora quotidie servat æqualia, quum in illa paroxysmi recursus alternis diebus respondeat.

§. X.

Continuam. Continua quoque occurrit tertiana, his dignoscenda signis: adoritur cum horrore, anxietate, vomitu, æstu & ingenti languore, nec sequenti die symptomata hæc prorsus intermittunt, sed tantum remittunt, pulsuumque manet adhuc frequentia, cum æstu & languente debilitate; paroxysmi autem die, præcedente levi externorum refrigeratione, omnia iterum exasperantur & ingravescunt. Et talis febris, si epidemia, durat quandoque per duas vel tres hebdomades, antequam in legitimam intermittentem concedat; fit autem crebrius, ut tertiana primum per aliquot dies sit continua & postea in intermittentem bono transeat omine, malo contra, ex intermittente in continuam.

§. XI.

Epidemiam endemi Plerumque tam simplices & regulares, quam duplices & anomalæ, sunt epidemicæ & ex insolita temporum tempestatumque, æstate inprimis, constitutione, proficiscuntur. Endemiæ quæ audiunt, familiares & quasi propriæ sunt certis quibusdam locis, depressioris scilicet situs, uliginosis, piscinis paludibusque cinctis, culicum & insectorum proventu infestis, ita prorsus, ut incolæ rarius annum à febre immunes transigant & advenæ crebrius eadem exerceantur ac difficulter ex toto liberentur.

§. XII.

Tertiana mitior cedit. Omnia hæc febris tertianæ genera mitius primum accedunt, repetentibus autem paroxysmis vehementia invalescunt, manifesto indicio, inordinatis istis, solidorum & fluidorum sub impetu motibus, magis adhuc inquinari magisque intemperatos reddi corporis succos, qui imminuto intermissionis diebus perspirationis & excretionum successu, pejorem adhuc successive indolem contrahunt.

§. XIII.

Paroxysmus quomodo s vatur. Singuli paroxysmi, laxata jam cutis compage, madore, vel sudore solvuntur, urina die intercalari crassior mingitur & nubeculam exhibet, vel plane sedimentum ponit, quod eo copiosius, quo plus corpus sanguine & succis abundat. Si vero sub declinatione sudor non prodit, urina etiam tenuis & aquosa die vacuo secedit, alvique siccitas impensior, uti hypochondriacis maxime solemne, adest; valde affectum esse spasmis à materia rebelli febrili nervosarum partium systema arguunt.

§. XIV.

Febris Initio sp sanea. Tertio ut plurimum vel quarto paroxysmo ulcuscula circa labia prodeunt & lotium cum ardore quodam redditur, tumque symptomata notabiliter mitescunt. Optime autem & secu-

ſecuriſſime hæc febris à natura vel ſola, vel arte adjuta, ex toto ſolvitur, erumpente bilioſo copioſo alvi fluxu & auctiori excretionis cuticularis, die à febre immuni, ſucceſſu, quod ex magnitudine & vigore pulſus viriumque incremento cognoſcitur. Qui tamen epidemicis & anomalis laborant, ſoluta licet febre, difficilius convaleſcunt & vires recuperant, ideoque diæta exactiori indigent.

§. XV.

Conſumit corpus & ingignit ſordes.

Nulla ex febrium genere, calore & auctiori ſub paroxyſmo motu interno, tam celeriter corpus ſucculentum exſiccat & obeſum emaciat, tantamque bilioſorum recrementorum, quæ per vomitum, alvum & urinam ſecedunt, copiam ingignit, ac tertiana, intenſiori ac diuturniori æſtu ſtipata. Et hæc fuit procul dubio ratio, quod veteres febrem hanc à bile intemperata, exſuperante derivarint, licet hæc redundantia effectus potius quam cauſa ſit.

§. XVI.

Quæ conſumaciores.

Longiores & contumaciores ſunt autumnales & hyemales tertianæ, tum maxime, quando viſcera male conſtituta, prima regio ſpaſmis & flatibus referta, alvus ſtrictior, æger vorax, multumque, præſertim ante acceſſionem, ingerit, nec non ubi conveniens regimen in paroxyſmo & poſt eum, ſupprimendo ſudorem, negligitur, vel etiam medicatio perperam inſtituitur, uti plerumque evenit in plebejis & qui manuum miniſterio victum parant, confirmante hæc ipſo *Hippocrate Sect. I. aph.* IX. Breviores contra minuſque ancipites ſunt, ſi æſtate incidunt, prima regio & viſcera ad ſanitatem diſpoſita & regimen diæteticum æque ac diaphoreticum tempore vacuo rite obſervatur.

Quæ brevior.

§. XVII.

Male tractata alios adducit morbos.

Licet omnis intermittens non adeo periculoſa ſit, vix tamen ulla circumſpectione diætæ ratione & tam provida methodo excipienda, quam tertiana & quartana. Quod, ſi non ſervatur, in truculentos & immedicabiles morbos adducit ægrotantes, febrem nempe lentam, hecticam, ſubitum pedum tumorem & hydropem, contracturas & acerbos dolores artuum, malum flatulentum & hypochondriacum variique generis morbos ſpaſmodico-convulſivos, infantes in lethalem plane epilepſiam, qui omnes morbi facile ſuccreſcunt poſt præpoſterum ac nimium adſtringentium, ante ſufficientem materiæ excrementitiæ correctionem & evacuationem, uſum. Hinc apprime ad veritatem *Trallianus lib. XII. cap.* 6. tradit: *tertiana*, inquiens, *facilis quidem curatu, quum autem à medicis illis, qui non recta ratione & via utuntur, male tractatur, non modo difficilis curatu, ſed & inſanabilis interdum redditur.*

Alias quoque ferium ſpecies.

§. XVIII.

Ex facili quoque tertiana per medici & laborantis errorem in aliam febris ſpeciem tranſit, ſimplex ſcilicet in duplicem, quandoque triplicem, immo in quotidianam & lentam, vel plane continuam, aut cholericam.

Facile redit.

§. XIX.

Crebrius demum & facilius quam ullus alius morbus redit tertiana & quartana, inprimis præpoſtera medicatione ſuppreſſa. Simul ac enim corpus à febre haud ita pridem liberatum aeri paullo frigidiori & humidiori ventoque aſperiori ex ſeptentrione ſpiranti exponitur, vel ſtomachus copioſo, aut inſalubri cibo plus juſto aggravatur, vel quidam animi motus, ira potiſſimum aut terror, incidunt, vel etiam purgans paullo acrius propinatur; protinus ſpaſmi febriles, dolor in capite, cum partium ipſius externarum, aurium & narium refrigeratione, oſcitatio, pandiculatio, dolor circa primam lumbarem vertebram, languor artuum, hypochondriorum cum anxietate & alvi ſtrictura tenſio, horripilatio & refrigeratio, cum ſubſequente æſtu, accedunt, quamvis ſub prima reperentis morbi acceſſione, non ſecus ac in principio omnis febris intermittentis, mitiora ſint hæc, & ſequentibus paroxyſmis exacerbentur.

METHODUS PRÆSERVATORIA.

§. I.

Arcentur per rerum non naturalium uſum.

Quum itaque febres tertianæ plerumque epidemicæ ſint & populariter graſſentur, earumque cauſa antecedens febrem ingignens, potiſſimum in aëris vitio, vel diuturna intemperie, nec non in cohibita excretione per cutim & cruditatum prima in regione ſentina, contineatur; facile patet, tempore, quo circumeunt, intemperatum, impurum & vappidum aërem eſſe fugiendum, vitando maxime omnium veſpertinam humidiorem auram, neque cibo copioſo aut gravi ſtomachum onerandum, neque potum largiorem, multo minus ſpirituoſum, vel aceſcentem ingerendum, necque etiam animi affectibus indulgendum.

§. II.

Per remedia.

Inter remedia quæ à febrium inſultu defendunt, æſtate nimis fervida ex uſu ſunt pulveres leniter nitroſi, abſorbentes & diaphoretici, decocta etiam temperata & diluentia, ex radice cichorii, ſcorzoneræ, raſura cornu cervi, hordeo mundo, ad potum ordinarium proficua, nec non acidulæ Selteranæ, vel Wildungenſes, quæ ſimul alvinam excretionem liberam reddunt. Expedit porro quoque, mane infuſo theiformi, ex herba ſanguinem depurante, ut ſcordio, veronica, poſt ſomnum excretionem per cutis poros elicere ac promovere. Neque enim facile febris alvo ſoluta & perſpiratione libera accedit, ut potius, quandocunque illa præter morem adſtringitur, corpuſque languens & frigidiuſculum eſt, febrem præſtolari, haud fallaci judicandum ſit augurio.

INDICATIONES CURATORIÆ.

§. I.

Quæ indicentur in genere.

In curatione vero omnis medentis intentio ad cauſarum proximarum remotionem dirigenda. Atque adeo, quum potiſſimum tenuis, acris mobilis & bilioſus humor, nervoſarum partium & tunicarum vaſorum ſyſtema univerſum, ad univerſalem ſpaſmum & ſtricturam exſtimulans in cauſa ſit; recte utique colligitur, generales medendi intentiones his contineri momentis: 1) ut ſubtilis illa & cauſtica acrimonia temperetur & emendetur; 2) ut correcta & præparata materia peccans, quæ à perſpiratione intercepta in corpore & genita fuit & relicta, per cutis inprimis ſpiracula leniter diffletur & evacuetur; 3) ut vehementia ſpaſmorum, qui præſertim ſub frigore & horrore ſæva concitant ſymptomata, mitigetur; 4) ut cruditates acido-viſcido-bilioſæ, in duodeno potiſſimum ſtabulantes, quæ nidum & hoſpitium materiæ febrili præbent, tempeſti-

ve invertantur & expurgentur; 5) ut vigor motuum poſt paroxyſmum corpori reddatur & excretionum ſucceſſus ſervetur, ne, uti quidem poſt omnem vehementem morbi impetum & partium nervoſo-muſculoſarum ſpaſmum ſolenne, atonia & motuum languor ſuccreſcat, nec inde ſanguinis & humorum progreſſus una-cum ſecretionibus & excretionibus elangueſcant, & hac ratione de novo materia febrilis generetur, foveatur & accumuletur; & denique 6) ut, quum hæc febris ex facili redeat, ceſſante jam hac ipſa, novæ materiæ ad inducendam recidivam aptæ generatio, ſummo ſtudio impediatur & præcaveatur.

§. II.

Humores bilioſi temperandi.

Ad obtinendum itaque primæ indicationis ſcopum, acrimoniam nempe bilioſam, quæ ob intenſiorem æſtum ſuccos ſucceſſive collutulat omnes, contemperandam, nihil efficacius nitro, vulgari tantum rite depurato, quippe quod ſulphur volatile, à quo motus inteſtinus cietur, figendo, æſtum extinguit & longe præſtantioris effectus eſt acidis, quæ calorem quidem reprimunt, ſed humores ſimul inſpiſſant, quum illud eoſdem fluxiles potius ſervet ac tenues. Egregie quoque acrimoniam ſulphuream bilioſam obtundunt diluentia & humectantia, potui deſtinanda, cujus generis ſunt ptiſanæ ex hordeo, radice ſcorzoneræ, raſura cornu cervi, ſucco & corticibus citri, ex aqua pura debito modo decoctis, item decoctum avenaceum, vulgo *der Haber-Tranck*, ſerum lactis dulce, aquæ Selteranæ, vel etiam cereviſiæ tenues, bene coctæ ac diureticæ. Et hæc quidem in paroxyſmo potiſſimum ex uſu ſunt.

§. III.

Per poros evacuandi.

Ex præſcripto ſecundæ indicationis id agendum medenti, quo humores tenues, excrementitios, bilioſos, præparatos nunc & correctos, laxata poſt paroxyſmum poroſa & cribroſa cute, blande educat. Perficitur hoc apprime diaphoreticis lenioribus, ceruſſa ſcilicet antimonii, antimonio diaphoretico, cornu cervi uſto & philoſophice præparato, nec non infuſo theiformi, quod ſcordium, vel carduum benedictum & cortices citri habet, item eſſentia ſcordii, vel cardui benedicti, probe quidem ſaturata, non tamen adeo ſpirituoſa, cum liquore noſtro anodyno minerali permixta.

§. IV.

Spaſmi in paroxyſmo mitigandi.

Tertia indicatio vehementiæ ſpaſmorum ipſo in paroxyſmo mitigandæ dicata eſt. In qua quidem explenda præſtans utique jam laudatus uſus nitroſorum refrigerantium, lenium diaphoreticorum & diluentium blandumque madorem elicientium. Inprimis egregia hoc nomine virtus liquoris noſtri anodyni mineralis, vel qui ipſi ſurrogari poteſt, ſpiritus nitri dulcis bene præparatus, quippe qui blando ſuo & naturæ amico anodyno ſulphure effrenes fluidi nervei & ſolidarum nervoſarum & muſculoſarum partium motus compeſcit, eo felicius, quando is vel cum pulveribus fixis, vel eſſentiis diaphoreticis maritatur & cum aquis, quæ pariter ſedativæ virtutis, florum ſcilicet ſambuci, tiliæ, primulæ veris, liliorum convallium, chamomillæ vulgaris, roſarum, acaciæ, ulmariæ, item ceraſorum nigrorum, propinatur.

§. V.

Sordes primæ regionis acidæ obtundendæ.

Quumque prima corporis regio ſordibus maxime excrementitiis & bilioſis ſcatens mineram & fomitem materiæ febrili præbeat, eo, ut quarta præcipit indicatio, quam maxime annitendum, ut confluentes huc ex univerſo corpore intemperati & vitioſi ſucci attemperentur, & eliminentur. Hinc ubi acidæ cruditates exuberant, ſola abſorbentia, tam terrea alcalina quam ſalina, utramque abſolvunt paginam; & inter hæc ſpectatæ potiſſimum & ſecuræ virtutis lapides & chelæ cancrorum, nec non teſtæ ovorum; quæ ut teneriora & facile ſolubilia, merito anteferenda marinis, rudioribus & ægrius liqueſcentibus cumque acido in adſtrictivam plane facultatem tranſeuntibus.

§. VI.

Bilioſæ & viſcidæ corrigendæ.

Quando bilioſa porro præſto eſt acredo, nitro, uti meminimus, nihil ſuperius; ſi vero lenti ac tenaces, viſcidi ſucci intus conſiſtunt, ſalium neutrorum laudata virtus, tartari quippe vitriolati, ſalis digeſtivi Sylvii, ex capite mortuo ſpiritus ſalis ammoniaci, ex æquali parte ſalis tartari & ſalis ammoniaci, confecti, ſalis quoque ipſius ammoniaci depurati. Qui certe, maxime in robuſtioribus & victui craſſo, duro, marino aſſuetis, Suecis, Batavis, Weſtphalis, quibus ut plurimum diuturnæ eſſe ſolent febres, commendari merentur; opus autem eſt, ut cum ſufficienti aqueo vehiculo diluta exhibeantur. Hæc quippe, ſi repetita, vel majori doſi præbentur, præter effectum incidentem, alvum quoque movent & ſordes efficaciter evehunt, eoque nomine noſtro jam tempore haud mediocrem ſalubritatis laudem adepta ſalia, ex aquis medicatis parata, Sedlicenſe ſcilicet, Egranum, & ad horum imitationem confectum ſic dictum Ebshamenſe ſal, quæ ad unciam dimidiam & plus in aquæ menſura liquata, viſcidas & excrementitias primarum viarum ſordes detergendo & exturbando, ſpectati adverſus intermittentes & qui ex ventriculo oriuntur morbos ſunt uſus. Idem præſtat detecta à nobis aqua Sedlicenſis amara, ad menſuram dimidiam, diebus intercalaribus ter vel quater hauſta, ut vel hac ſola tertianas ſæpe curatas viderim. Quandoque tamen tenerior ventriculi conſtitutio & ſpaſmorum in ipſo cum acidis ponticis ſuccis frequentia, uti ſolenne in infantibus, ſenibus & paſſione hypochondriaca & cardialgica affectis, ſalium, præſertim copioſe datorum, uſum interdicit; eaque propter, mannam tantum ad unam vel duas uncias, cum, vel etiam ſine rhabarbaro, adjecta una vel dimidia terræ foliatæ drachma & aliquot olei de cedro guttis, potius offerre expedit.

Et evacuandæ per inferiora.

§. VII.

Superiora vel utraque.

Ubi demum ipſum duodenum copioſo, bilioſo & vitioſo humore oppletum, vel plane biliarii ductus lentis & pravis ſuccis farcti ſunt, è re eſt, ut per ſuperiora emeticorum ope evacuatio inſtituatur; hunc in finem tenerioribus exhibenda radix ipecuanha nodoſa, robuſtioribus autem hæc, tartaro emetico ad granum unum vel duo admixto, ipſe quoque tartarus emeticus ſolus, vel, qui melius adhuc, julepus noſter emeticus, ex aqua corticum citri ſpirituoſa, julepo roſarum & tartaro emetico ſoluto confectus dandus. Quod ſi vero non tantum ſuperiora, verum etiam inferiora inteſtina à recrementis liberare, in ingluvie maxime deditis, neceſſarium; utrumque commode obtineri poteſt infuſo mannato, quod unciam unam vel unam cum dimidia mannæ, terræ foliatæ tartari drachmam & tartari emetici unum vel duo grana habet.

§. VIII.

Debiles partes roborandæ.

Correctis ſic & evacuatis noxiis per varia excernicula humoribus, ad quintæ indicationis normam

mam eo dirigenda medicatio, quo universum solidarum partium, maximeque ventriculi & intestinorum systema, ob diuturnos spasmos & paroxysmos à robore dejectum firmetur iterum. Versatur in hoc rite perficiendo præcipuum curationis intermittentium momentum, ita prorsus, ut usurpatis quantumvis diu alterantibus, aperientibus, amaris & evacuantibus, paroxysmus tamen nihilo secius persistat, accommodis contra roborantibus debito modo usurpatis, remittat ac cessset. Scilicet reddito nervosis, vasculosis & musculosis partibus robore, non tam pronæ ac promptæ sunt ad concipiendas humorum stagnationes, spasmorum insultantium causas, sed liberior potius sanguinis omnisque generis succorum fit circuitus, pulsus auctior & respiratio cum secretionibus & excretionibus vegetior, ut non modo paroxysmi sistantur, sed & nova febrilis spasmi minera dispellatur, quæ alias, languente vacuo die perspiratione pulsuque tardo, succrescit.

§. IX.

Optime per corticem Chinæ.

Ex omnibus vero, quæ huc usque innotuerunt specificis antifebrilibus, adstrictiva vi agentibus, corticibus nempe & radicibus adstringentibus, nec non ex marte vel alumine confectis, quin etiam paullo calidioribus, nullum quod magis accommodatum, temperatum, omnibus ætatibus, temperamentis & sexui idoneum ac vel mille auspicatis experimentis comprobatum, quin tota, ut aiunt, substantia medicatum pluribusque indicationibus satisfaciens, quam cortex ille Peruvianus, Chinæ Chinæ nomine notus, quippe qui, si convenienti tempore, modo ac regimine usurpatur, ut excretiones naturales non sufflaminet, sed potius promoveat, propter terreum lene adstringens elementum & balsamicam amaritiem, omnibus aliis palmam præripit, & aliquot dosibus tantum, vel ad miraculum, febriles compescit paroxysmos. Longe tamen efficacior est in pulvere & substantia, quam in decocto, infuso, essentia aut extracto, ipsoque sic ceteris paribus tempore vacuo exhibito, pulsus fit vividior, calor cum perspiratione auctior, alvus, præsertim in cholericis, fluidior, manifesto faustæ operationis indicio. Mihi quidem in frequenti usu est electuarium, cujus ope innumeros febrientes persanavi, hac ratione concinnatum: Recipe rob sambuci unciam dimidiam, corticis chinæ drachmas sex, pulveris florum chamomillæ vulgaris drachmas duas, extracti centaurii minoris, pulveris caryophyllorum ana drachmam semis, syrupi acetositatis citri unciam unam semis. M. f. electuarium. D. Admiscere etiam quandoque ad facilitandum perspirationis successum soleo antimonii diaphoretici, theriacæ veteris, vel etiam salis ammoniaci drachmam dimidiam, & finito paroxysmo, singulis binis horis, ejusmodi electuarium ad drachmæ dimidiæ pondus exhibere. Iis autem, qui tenerioris naturæ & stomachi, cortex in formam liquidam redactus, propinandus, hunc in modum: Recipe corticis chinæ unciam unam, corticis chaccarillæ, cinnamomi acuti, salis tartari singulorum drachmam unam, aquæ florum chamomillæ vulgaris libram unam, vini tantundem; digerantur leni calore, colat. adde syrupi corticum aurantiorum unciam semis. M.D.S. Potio antifebrilis, binis quibusvis horis ad unciam unam vel duas sumenda.

§. X.

diva ven-

Ad præscindendas, qui sextæ indicationis scopus, admodum frequentes intermittentium & maxime quidem tertianæ recidivas, certior vix datur ratio, quam qua omnia, quæ ad generationem febris faciunt, evitantur, ac monita superius in præservatione inculcata curate observantur. Et quum exhausto per febrem corpore, appetitus hac discedente impensior esse soleat, ventriculus autem & natura adhuc imbecillior, sæpius certe evenit, ut novus cruditatum primis in viis fiat proventus, & febri vel lentæ, vel superatæ recidivæ ortum præbeat. Hinc consultum omnino ducimus, ut qui mox à febre convaluerunt, leviorem cœnam & facilis digestionis cibos assumant, ac præterea ad sulciendum ventriculi robur, ad ducendas prima ex regione sordes, nec non detergendas, si quæ supersunt, morbi reliquias, efficacibus utantur præsidiis. Nos quæ hunc in finem commendemus habemus potissimum moderatum, sed eo crebriorem usum pilularum nostrarum balsamicarum confortantium, deglutiendo alternis diebus mane, vel vesperi, novem, vel undecim earundem. Totum quippe corpus inde robur nanciscitur, flatus summa cum euphoria discutiuntur, & alvus clementer movetur, aucta subinde sub pulsu vegetiori ipsa perspiratione. Deinde egregii etiam usus elixirium stomachum roborans, de quo ante prandium XXX. vel XL. guttæ sumendæ, eamque in rem elixir nostrum balsamicum, in notis ad Poterium descriptum, elixir stomachale Michaëlis, in adjuncto clavi Schrœderianæ thesauro pharmaceutico inveniendum, vel nostra methodo præparata essentia stomachica, aut etiam essentia gentianæ rubræ, sali volatili oleoso nupta, item elixir viscerale nostrum apprime proficiunt.

METHODUS MEDENDI SPECIALIS.

§. I.

Per vomitoria.

Quando saburra vitiosorum humorum in stomacho ac duodeno efficacem postulat depletionem, quod ex prægressa ingluvie, præcordiorum anxietate, nausea, ructibus & oris amaritie conjiciendum, mox in principio, finito primo vel secundo paroxysmo, die vacuo offerendum emeticum, quale supra commendavimus. Vel, si firmior ventriculus & non modo per superius, sed & inferius os vitiosa sentina exturbanda, talem etiam præscripsimus formulam: Recipe salis Sedlicensis, vel Ebshamensis unciam dimidiam, tartari emetici grana duo, vel tria. M.F. pulvis, dissolvendus in libra dimidia aquæ puræ tepidæ & duabus à finito paroxysmo horis sumendus, facilitando postea evacuationem successivo largiori potu jusculi avenacei tenuioris, pinguedine liberalius imbuti. Recuperatis autem post evacuationem quodammodo viribus, sine mora electuarii superius descripti antifebrilis aliquot doses sumendas suasi, quo sæpissime factum est, ut in prima quasi herba jugulata febris cesserit, & subjuncto exquisito in regimine & victu moderamine, nunquam repetierit.

cum electuario.

§. II.

Per salina.

Contra ea, si quæ fuerunt, quæ excretionem anotericam interdixerunt; multi tamen serosi & crudi succi intus delituerunt ac sufficientem evacuationem exegerunt, salibus detersivis alvum aperientibus medicationem sum aggressus, hunc conficiendo pulverem: Recipe salis Sedlicensis unciam dimidiam, salis ammoniaci, vel digestivi Sylvii, lapidum cancrorum ana drachmas duas, nitri purificati drachmam unam. M. F. pulvis, de quo binis quibusvis horis drachma dimidia in uncia aquæ puræ, vel chamomillæ vulgaris aut ptisanæ, ingerenda, superbibendo semper vasculum infusi theé. Quo postquam aliquoties diebus interjectis egregie, blande tamen & per epicrasin, alvus totusque intestinorum canalis expurgatus, febris

cum chinachina.

tamen nec depulsa, nec quoad vehementiam imminuta, vel corticem chinæ salibus æquali pondere admiscui, vel solum electuarium nostrum interponere jussi, & sic etiam brevi tempore tertianas expugnavi, epidemice etiam grassantes & autumnales.

§. III.

per clysteres & leniss ima. Quod si vero æger affectioni hypochondriacæ obnoxius, inflati stomachi, alvi obstructioris, exquisitioris sensus, impatiens & ad animi motus proclivis; nec emeticis, nec purgantibus salibus, præsertim liberaliori manu, utendum est, sed commodissimam tum locant operam clysteres, ex temperatis carminativis & emollientibus conflati, item pilulæ nostræ balsamicæ, refractiori dosi, ad novem vel undecim, tempore intermissionis deglutitæ, præmittendo aliquot horis, vel postponendo pulveris digestivi, ex cancrorum lapidibus, terra foliata tartari, tartaro vitriolato & nitro depurato, usum.

§. IV.

Quid faciendum in paroxysmo? In accessione febris ipsoque paroxysmo, & maxime quidem rigore; nihil plane à medico tentandum. Abstinendum tum etiam à potione, præsertim frigida, licet sitis ipso sub frigore præsto sit. Increscente vero sensim æstu eoque ad vigorem deducto, potum utique, & quidem sufficientem, præbere decet, non tamen magnis haustibus, sed crebrius interpolatis, studendo simul, ut palato non sit ingratus. Propinanda hinc, quæ supra commendavimus, decocta & infusa, & quæ maxime accommoda ptisana, seu decoctum hordei, cum scorzonera, adjecto limonum, vel rubi idæi syrupo, nec non spiritu nitri dulci & oleo de cedro. Ad æstum quoque & sitim extinguendam ex usu est pulvis temperans, ex duabus lapidum cancrorum & una nitri parte, repetito cum ptisana exhibitus.

§. V.

extra paroxysmum? Erumpens remittente æstu & soluto paroxysmo mador, vel etiam sudor, tam lecti & hypocausti temperie, quam internis quoque adminiculis blande proritandus, eumque in finem, præter jam memorata, egregii usus infusum theiforme ex radice scorzoneræ, herba scordii & corticibus citri. Postquam vero febris penitus deferbuit, corpus ab omni tam interna, quam externa refrigeratione defendendum, & curandum potius, ut in jugi servetur perspiratione, quod accommoda exercitatione & crebriori potuum calidorum usu optime impetrari poterit.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Initii & finis paroxysmi ratio habenda. In perita medicamentorum adversus tertianam, simplex sit, sive duplex, aut continua, administratione, ante omnia observandum à medico, initium paroxysmi, ejusque finis, judicando illud ex refrigeratione partium extremarum, pandiculatione, oscitatione, horrore & pulsu in celeriorem & contractum mutato, & solutionem ex pulsu molliori, remissione æstus, madore, vel sudore. Etenim nunquam in accessione, vel mox ante ipsam, sanguinem mittere, vomitorium, purgans, corticem chinæ, aut aliud roborans & adstringens exhibere licet; defervente vero impetu, sudor, ubi expedit, commode promovendus, & tempore demum à febre prorsus vacuo, diaphoretica, evacuantia, vel etiam pro re nata specifica præbere optimum & accommodatissimum.

§. II.

Quid si continua accedit? Quum tertiana in principio, præsertim in calidioribus, sæpe febrem continuam & ardentem mentiatur, nonnisi temperantia, diluentia & modice leniter salina, digestiva, nitrosa conveniunt, omittendo tum emetica, vel acriora calida sudorifera, donec in tertianæ typum concesserit.

§. III.

contumax & in quotidianam transit? Si contumax est, ut autumno, vel in quotidianam transit, antifebrilis illa potio, quam primus *Crollius* & ex hoc *Riverius* commendat, ex aqua scilicet destillata, ut cardui benedicti, sale absynthii & spiritu vitrioli confecta, bis vel ter quotidie data, egregium affert levamen, eo certius, quando pilularum nostrarum balsamicarum usus interponitur. Monendum tamen, hanc servandam esse enchiresin, ut spiritus vitrioli non immediate cum sale absynthii commiscеatur, sed miscela in aqua adornetur. Ego quoque sali absynthii oleum tartari per deliquium surrogare soleo, videndo, ut in connubio punctum saturationis exacte tangam. Et talis potio similem, immo superiorem aquis mineralibus, acidulis dictis, aperientem virtutem possidet.

§. IV.

vel nimis biliosa agenda. Eadem potio in tertiana nimis biliosa, vel in cholericis ex iracundia enata, admodum proficua; vitanda vicissim amara, sudorifera, alexipharmaca, acriora, aromatica, multo magis salia volatilia, & usurpanda potius temperatissima salina, nitrosa & præcipitantia.

§. V.

China quando secura. Chinæ cortex optimum certe antifebrile, ejusque virtutem etiam in grassantibus epidemice febribus præstabilem deprehendi atque securam; semper tamen securior in sensibilioris, calidioris & vegetioris naturæ subjectis, nec non ubi urina sedimentum ponit ac per cutis poros excretio succedit, quam in segnioribus, melancholicis, phlegmaticis, vel mensium suppressione laborantibus, ac ubi excretionum defectus & urina cruda. Hinc recte ipso assumto, motus corporis, quantum fieri potest, imperandus, & potus non frigidus, sed calefactus exhibendus.

§. VI.

interdum statim rendæ. Quandoque ante correctionem & sufficientem materiæ morbiferæ evacuationem, paroxysmos per specifica & corticem chinæ compescere oportet; ut postea longe meliori effectu mineræ febris & corrigendæ & eliminandæ congruis præsidiis aliquamdiu insisti possit.

§. VII.

nitrosa genda. Quando æstus & pathemata gravius urgent, vires que exhauriunt, corticem chinæ, nitro nuptum, in forma electuarii, intermissionis tempore, cum bonis ægrorum rebus datum fuisse, multis confirmatum habeo exemplis; ita prorsus, ut mox symptomatum mitigatio & virium incrementum successerint. Tenendum tamen, hoc facto, materiæ febrili & temperandæ, & expurgandæ, medicationem adhuc esse accommodandam.

§. VIII.

Purgantia nostra. Purgantia acriora, uti, ob spasmorum quod cient incrementum, nunquam in tertiana propinanda; ita eo minus, quando paroxysmi à cortice chinæ, vel aliis remediis cessant, eo quod facile febrem revocant. Sed quando alvus subsistit, clysteribus, vel pilulis nostris balsamicis, interposito salium usu, officii admonenda.

§. IX.

Emetica cito danda. Emetica, si indicatio adest, statim in principio, quo citius, eo melius, offerenda, nec gratis exspectan-

ctandum, donec materia fuerit concocta, sed proxima via exturbanda, priusquam noxam latius diffundat. Quod si enim febris corpus jam aliquandiu detinuit, æstus ille solennis nimius ventriculum ad inflammationem concipiendam disponit, ab emetico postea facile procurandam. Interim quando paroxysmus, sæpius, licet mitius, recurrit, & febris vel ex neglecto regimine diætetico, vel perperam instituta medicatione, ad aliquot menses extracta, utilissime sæpius dedi vomitorium. Id duntaxat servandum, minorem tum, ac in principio, sufficere dosin, eademque magnam biliosorum humorum colluviem è duodeno exturbari, tam salubri effectu, ut licet febris non penitus cesset, ex facili tamen postea specificis antifebrilibus, & maxime quidem chinæ cortice, subjuncto debito in vita & victu moderamine, abigi possit ac persanari.

Venæ sectio quando inducat.

§. X.

Sanguinis missio in tertiana summa cum cautione instituenda. Nimirum, quando febris primum accedens continuæ speciem refert, ingens æstus cum delirio urget, æstas regnat, æger ætate vigens, sanguine abundat, biliosus, ad iram pronus & diætæ vinosæ assuetus, utiliter utique vena pertunditur. Præmittenda tamen primarum viarum repurgatio & eligendum tempus à febre immune. Sorbillandum etiam paucis ante, vel post sectionem horis, infusum theiforme, inprimis ex floribus chamomillæ vulgaris, singularis plane adversus febres virtutis, partim quo sanguis tenuior redditus eo liberius circumferatur, partim quo motus spastici, quibus tota febrium natura continetur, quodammodo placentur. Contra eo quando prima regio cruditatum sentina fordescit, corpus non sanguine abundat, nec reliqua præsto sunt phænomena, sanguinem mittere nocivum, eo quod excretiones salutares, maxime ea, quæ fit per cutis poros, inde sufflaminantur, ipsaque febris, experientia teste, obfirmatur magis & chronica fit.

noceat.

§. XI.

lativa ent,

Ab opiatis & anodynis, quorum in numero etiam sunt pilulæ de cynoglossa, in intermittentibus prorsus abstinere consultum, quippe quæ infido effectu paroxysmum quidem mitigant, vel interdum suspendunt, sed vires simul dejiciunt totumque febris decursum cum salutari crisi turbant, ut morbi causa majores acquirat vires & paroxysmus longe gravior postmodum accedat; melioris vero notæ sunt pilulæ Wildeganſi, vel theriaca cœlestis.

rin- ia inse-

§. XII.

Aluminosa & vitriolacea etiam febrium paroxysmos sistunt, sed si quis forsan inplebeiis iis uti velit, opus est, ut post eorum usum sudor decocto, vel infuso theiformi calide sumto eliciatur, vel corpus motu exerceatur, quo alias nocens facultas earundem quodammodo averti possit. Post præposterum enim tam horum, quam aliorum eminentius adstringentium usum, plura subsequuta fuisse incommoda annotavi, maxime in iis, qui excretionibus sanguineis assueti, ita ut hæ inde penitus fuerint suppressæ.

carilla us ucat.

§. XIII.

Cortex chaccarillæ accommodatissimum etiam in intermittentibus est remedium, ob principium quo instructus est balsamicum & sulphureum anodynum terreumque adstringens. Sed quia sanguinem exæstuare & calorem accendere solet, in biliosis & ad motuum impetus pronis subjectis minus, & non nisi in refracta dosi, ex usu est, in segnioribus vero, in phlegmaticis & mulieribus magis, & tunc commodissime cum cortice chinæ miscetur.

§. XIV.

Absorbentia cum delectu & moderate usurpanda.

Absorbentium spectatus quidem in febribus effectus, nihilo minus tam moderate, quam cum delectu, sunt usurpanda. Copiosius quippe ingesta, solventibus in ventriculo succis minus obediunt, sed integra relicta, eundem onerant, quin in lentam plane pastam coëundo, anxietates & nauseam cient. Rudiora vero illa, ex marinis maxime depromta, ægrius non modo liquantur, sed & adstrictivam plane postea sortiuntur virtutem.

§. XV.

Topica in cephalalgia obsunt.

Sæpius evenit, ut in paroxysmo præsertim accedente, à sanguine ad caput, potissimum in plethoricis, congesto, exquisita oriatur cephalalgia, cum sensuum & phantasiæ turbatione, cui non promiscue topicis occurrendum. Vidi enim epithemata illa domestica, ex absynthio, ruta, cumino, baccis juniperi, sale communi & pane trito, ob vaporem, quo caput replent, plus nocuisse, quam profuisse. Multo minus vero cephalica & nervina, ut balsamum nostrum vitæ, quod alias in doloribus capitis egregii usus, porrigenda sunt.

§. XVI.

Potus calidus circumspecte danandus.

In paroxysmo potus calidus, ut herbæ theé, fabarum coffeé, non confert, quia humores acres, biliosos, plus justo in sanguinem agit & æstum, nec non anxietates, mirifice auget; sed potius concedenda potio temperate calida. Recte enim *Hippocrates lib. III. de morb.* præcipit: *tertianis potus calidus non confert, sed frigidus.* Extra paroxysmum autem calidæ ejusmodi potiones commode inveniunt locum, præsertim quando excretio alvina libera est.

§. XVII.

Depulsa febre quid faciendum.

Quando febris per specifica depulsa, non omittenda penitus sunt sanitatis præsidia, sed vitanda sedulo corporis refrigeratio, in appetitu moderamen servandum & aliquamdiu tam pilularum balsamicarum, quam elixirii stomachici usui insistendum, uti jam superius in sexta pluribus monuimus indicatione.

§. XVIII.

Oedemata si succedunt.

Quod si vero contigerit, ut ob ingestum largius frigidum potum, vel data præpostere adstringentia, tumores succedant œdematosi, neutiquam in usum vocanda acriora purgantia, martialia, aut salia volatilia, sed omnis medicatio salibus absterſivis, pilulis balsamicis & temperato lignorum decocto conficienda. Ubi etiam anasarca corpus obsidet, emeticum cum extracto panchymagogo Crollii justa dosi oblatum, miram aquarum copiam evehendo, insigniter juvat.

vel anasarca.

§. XIX.

Quomodo tractandi senes.

Senes plethoricos & venæ sectioni assuetos, à refrigeratione in atrocem colicum dolorem, subsequente tertiana continua epidemice grassante, incidisse, crebrius observavi, quibus sanguinis missio admodum fuit proficua, chinæ cortex autem, mature nimis datus, pernicios us, ita prorsus, ut quotidiana hecticæ similis funesta inde fuerit enata.

§. XX.

Pueri.

Pueris octavum vel decimum ætatis annum agentibus, febre tertiana correptis, exoptato cum successu dedi potiunculam emeticam, & post hanc clysteres ex antifebrilibus, centaurio minori & cortice chinæ, applicare jussi, febre ex toto quiescente, nec unquam repetente.

§. XXI.

fœmina cachectica.

Fœminæ ex mensium suppressione cachecticæ febrientes, magna circumspectione tractandæ, rejectis penitus omnibus validioribus, evacuantibus,

æque ac roborantibus, emmenagogis quoque, quæ quidem temperata, sed febre nonnisi discedente, locum inveniunt. Clysteres vero ex leniter laxantibus, amaris & carminativis, nec non infusa blande alvum subducentia, quæ simul amara, corticem chinæ & limaturam martis habent, opem ferunt optimam.

§. XXII.

Puerperæ. Puerperæ intermittentibus affectæ febribus, gravissime inde luunt, & sæva pathemata hysterica incurrunt, nisi lochiorum curate habeatur ratio, tanto magis, quando hæc cum febre per absorbentia marina, vel præcipitantia rudioris texturæ, conchas, corallia, cum, vel sine acido, nimis cito supprimuntur. Tum potius insigni virtute splendent, pilulæ nostræ balsamicæ tonicæ, quæ morbis ex uteri vitio apprime medentur.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Tertiana in biliosis perperam salibus excepta.

Incidit vir quinquaginta annorum, cholericus & in iram admodum proclivis, æstivo tempore in tertianam, quæ per aliquot hebdomadum decursum perstitit, ægerque variis interea animi pathematibus, angore, cura, solicitudine, quin ira affectus, in paroxysmis subinde conatus ad vomendum persensit. Vocatus in consilium medicus, non alia exhibuit medicamenta, quam salia, arcanum quippe duplicatum, sal ammoniacum, sal tartari, nitrum & id genus plura, & hæc quidem liberali admodum manu & repetitis dosibus. Sed tantum abfuit, ut his, quantumvis diu usurpatis, febris fracta fuerit vehementia, ut potius symptomata magis increverint, angustiæ præcordiorum cardialgicæ intensiores, facies admodum contracta, pallida & livida, extremorum etiam die vacuo refrigeratio, cum perpetuo ad tussim siccam stimulo, vomendi conatu, quin singultu, accesserint & simul ac quicquam, esculentum fuerit, sive potulentum, in ventriculum delatum, illico pejus habuerit æger. Nostræ hinc commissus medicationi, omnia salina sepposuit, à vino quoque, licet ejus potui antea assuetus, abstinuit, & crebrius jusculahausit ex pullo gallinaceo, cremore hordei & vitello ovorum, nec non decoctum florum chamomillæ vulgaris. Exterius ante paroxysmum epigastrii regioni impositaest vesica speciebus emollientibus repleta, & alvo injectus clyster ex lacte & manna, adjecto stimuli loco nitro & sale. Mitigatis autem hinc symptomatibus, electuarium ex cortice chinæ, julepo rosarum, theriaca & nitro, intercalari die aliquoties modica dosi dedimus, tam salubri effectu, ut febris penitus discederet nec unquam rediret.

Epicrisis.

Notatu utique dignum est, salium, præstantis alias in intermittentibus virtutis, usum, tam male hoc in ægro cessisse, & inflammatoriam quasi in ventriculo adduxisse erosionem, ut hinc omnia illa, quæ afflixerunt, insolita pathemata pullularint. Ratio tamen peculiaris hujus effectus in proclivi est; scilicet cholericæ constitutionis erat corpus, æger ad iram pronus & sub ipsa febre animi affectibus agitabatur. Jam vero nihil tam promte & celeriter ventriculum cum tenuibus intestinis spasmo afficit, dispositionem ad inflammationem ibi ingignit & bilem acrem ipsiusque effusionem causatur, quam ira, in subjecto præsertim plethorico. Dein notum etiam est, salia, cujuscunque fuerint generis, nervosas ventriculi & intestinorum tunicas mirum in modum irritare magisque ad spasmos sollicitare. Atque adeo, his tam exquisite sentientibus & spastica jam strictura affectis partibus, non potuerunt non malum augere & sinistrum plane effectum edere hæc salina remedia, tanto magis copiose & iterato oblata. Contra ea optimum certe fuit consilium, afflictas has partes mulcere temperantibus, spasmos complacare, & febriles demum motus, diu jam corpori inhærentes, sistere atque compescere.

Observatio II.

Febris in plethorico gravibus symptomatibus stipata sine vena sectione sanata.

Vir quidam generosus, ruri degens, vegetus natura, robustus, sanguine succisque plenus, sexaginta & sex annos habens, postquam nocturno aëri sese incautius commiserat, & sudorem improvida refrigeratione repulerat, tertiana corripiebatur exquisita. Vocabar accedente tertio paroxysmo ego, ægrumque sub frigore deprehendebam omni fere sensu privatum, delirantem, trementibus ob anxietatem summam manibus pedibusque, cum corporis irrequieta jactitatione, facie inflata & bruni coloris, ac pulsu contracto, duro ac celeri. Metuebam hinc gravem capitis morbum & ex adstantibus quærebam: annon vena fuerit secta? sed regerebant: ob impensam naturalem quandam aversionem, nunquam ægrotum ut sanguinem mitteret induci potuisse, neque ipsum, quantumvis plethoricum, unquam spontaneum sanguinis ex nario, vel ani venis expertum esse fluxum. Ter interea tam graviter febricitans pituitam maxime lentam, instar gelatinæ, saturato bilis colore tinctam, alvo dejiciebat, & postquam frigus per tres horas duraverat, succedebat æstus sex horarum, remittentibusque sensim pathematibus, erumpebat demum mador, ægro intercalari die bene se habente. Sitis autem sub frigore & horrore erat intensior, quam sub calore, & urina in paroxysmo rufa sine sedimento secedebat, quod tamen intermissionis die deponebat. Quum igitur æger omnem penitus sanguinis missionem respueret, ut exæstuationem & congestionem sanguinis ad caput omni modo præscinderem, operam dedi, eaque propter loco cerevisiæ, quæ crassior erat & lupulata nimis, ptisanam potui præbendam suasi, & in paroxysmo potionem temperantem, ex aquæ florum acaciæ, sambuci, tiliæ, cardui benedicti ana unciis quatuor, pulveris nostri polychresti bezoardici dicti drachmis duabus, temperantis nitrosi drachma, succi citri cochlearibus binis & sacchari uncia dimidia, cujus etiam per intervalla crebrius aliquot pro dosi cepit cochlearia. Declinante impetu, ad madorem eliciendum, infusum ex scordio & corticibus citri sorbillavit, & extra paroxysmum pulverem ex lapidibus cancrorum, terra foliata tartari & nitro, cum sufficienti quantitate ptisanæ, subinde assumsit. His aliquandiu usurpatis, symptomata post nonum paroxysmum multum mitescebant, & urina multum crassæ dimittebat materiæ. Quare quum ægrum duabus mannæ unciis & salis polychresti drachmæ dimidio, in jure carnis dissolutis, purgassem prius, ad sistendum paroxysmum electuarium antifebrile, consueta methodo & idoneo regimine exhibui. Quo semel adhuc admodum leni insultu subsequente, febris penitus demum corpus deseruit, usurpatis postea aliquoties alternis diebus pilulis nostris balsamicis, cum pulvere salino aperitivo. Et ita perfecte cum sanitate sine recidiva in gratiam rediit æger, & in hunc usque diem ad septuagesimum septimum annum sanus vixit.

Epicri-

Epicriſis.

I. Sub gravibus & inſolitis capitis in hoc ægro pathematibus, ab affecto graviter præter naturam nervorum ſyſtemate oriundis, ſingulari omnino naturæ beneficio evenit, ut minimum bis, vel ter, lentos bilioſos ſuccos copioſe excerneret, & credibile merito, alvo ſimul adſtricta, ancipitem ſubſequuturum fuiſſe capitis morbum.

II. Si febrientes plethorici, nec tamen venæ ſectionem admittunt, optimum conſilium, æſtum temperantibus leniterque alvum ſubducentibus uti.

III. In corpore plethorico, denegata ſanguinis miſſione & urina cruda prodeunte, febris nunquam cito per ſpecifica jugulanda, ſed tutius eſt decem minimum operiri paroxyſmos, qui quaſi remedium adverſus ſuccorum abundantiam, donec ſponte miteſcant ſymptomata, & urina cocta mingatur, ac tum demum, præmiſſis adhuc alvum moventibus, ad febrem tranſire depulſandam.

Observatio III.

Tertiana ſimplex in poſtera medicatione indupli-cem converſa.

Quadragenarius quidam, ſanguineo-melancholicus, à longo jam tempore inordinata uſus diæta, æſtate, qua jam tum febres graſſabantur, ira gravius incitatus & corpus auræ veſpertinæ frigidiori liberius committens, incidit in artuum laſſitudinem, cum ſomno inquieto, dolore dorſi, capitis & hypochondriorum tenſione, ſuccedente horrore & poſt hunc calore. Tertia die idem redit inſultus, & licet frigus non adeo eſſet intenſum, æſtus tamen & reliqua pathemata longe erant acerbiora, anxietas intenſiſſima & mentis plane quædam alienatio. Secatur à medico vena, offertur emeticum, unum tantum vomitum ciens, & poſt quartum paroxyſmum, febris cortice chinæ ſiſtitur. Prodit hinc poſt aliquot dies in publicum æger, & in horto fluvio adjacente bene cœnatur quidem & potat, ſed recidit in febrilem longe vehementiorem paroxyſmum, ſtipatum ſumma præcordiorum anguſtia & æſtu, nec non vomitione, ita ut non modo potum, ſed & ipſa medicamenta rejiceret. Porriguntur hinc elapſis quatuordecim diebus bis pilulæ ex cortice chinæ & floribus ſalibus ammoniaci martiatis, tam infelici effectu, ut tertiana ſimplex in duplicem degeneraret & vires ægri mirifice attereret. Notabatur præterea circa ventriculi regionem tumor, ingeſta omnia vomitu reddebantur, anxietas erat vix toleranda, pulſus etiam extra paroxyſmi tempus celer, urina non ſemper eadem, interdum craſſa cum ſedimento, interdum flava tenuis, non nunquam plane rufeſcens, & clyſtere injecto, alvus copioſa mucida, fœtida & bilioſa dimittebat.

Epicriſis cum curatione.

Eſt hæc febris tertiana duplex, cum metu inflammationis ventriculi, quam imminentem maximæ anxietates, perpetuæ ſtomachi ſubverſiones, alvi conſtipatio, pulſus continuo celer & tumor ventriculi haud dubie præſagiunt. Nec levis notæ error in medicatione commiſſus fuit, quod non modo emeticum in febre tanto æſtu & angore ſtipata oblatum, ſed & ante ſufficientem materiæ febrilis correctionem & primarum viarum expurgationem, paroxyſmus præmature primum cortice chinæ depulſus, & repetens poſtea, pilulis ex floribus ſalis ammoniaci, eminentius adſtringente virtute præditis, oppugnatus. Ut igitur inducta hinc noxa præſcinderetur ipſaque febris perſanaretur, hoc modo medicationem aggreſſus ſum. In infuſo theiformi ex ſcordii manipulo, florum chamomillæ vulgaris, ſummitatum millefolii ana pugillis quatuor, ſeminis fœniculi uncia dimidia, exhibui liquorem anodynum cum elixirio ſtomachali. Deinde ad potum ordinarium commendavi decoctum raſuræ cornu cervi cum radice ſcorzoneræ, cum quo quandoque propinatus hic pulvis: Recipe pulveris Marchion. drachma, lapidum cancrorum, nitri depurati ana drachma dimidia, pulveris caſtorei grana X. M. F. Pulvis D. S. *Pulver auf etliche mahl.* pulvis ad aliquot vices. Poſtea ſal abſynthii cum ſucco citri oblatum. Exterius vero cataplaſma, quod habebat florum ſambuci, chamomillæ vulgaris, Romanæ, ſalviæ, hormini, anethi ſingulorum pugillos ſex, herbæ menthæ criſpæ manipulum, nucis moſchatæ, caryophyllorum, cardamomi, ſeminis fœniculi ana unciam ſemis, redactis omnibus cum fermento panis, ſpiritu vini & aceto roſaceo in formam cataplaſmatis, calide ventriculi regioni appoſiti. Quo facto per univerſum corpus ſudor obortus & anxietas cum vomitu ceſſavit; ac mitiori quoque ſenſim facto febris impetu, tandem electuario ex cortice chinæ, floribus chamomillæ & syrupo acetoſitatis citri, morbus feliciter perſanatus.

Observatio IV.

Tertiana continua in ſene fineſta.

Senex generoſus, ſeptuageſimum & quartum ætatis annum agens, ſanus alias adhuc & vegetus, intermiſerat conſuetam vere ſanguinis miſſionem, & poſt impenſam totius corporis refrigerationem, atroci primum abdominis dolore infeſtabatur, cum extremorum frigore & tremore, ad viginti fere horas perſiſtente. Succedebat poſtea æſtus, cum ſenſuum perturbatione, pulſu vehementi, delirio viriumque proſtratione. Tandem quidem ſuperveniente leni madore, hæc inducias dabant, ſed elapſis aliquot horis levis denuo eveniebat partium extremarum refrigeratio, iiſdem quam antea ſymptomatibus ſtipata, ut non amplius obſcurum eſſet, laborare ægrum febre, tum temporis epidemica, tertiana continua. Accitus hinc medicus, cui ſolennis, ſtatim etiam in principio intermittentium, electuarii, cujus baſis cortex chinæ, uſus, & idem hoc ſuum remedium ſuadet, ſed abſumta licet ſucceſſive dimidia hujus libra, plus increvere, quam remiſere ſymptomata, ſubſequuta enormis virium proſtratio, continens capitis dolor, ſitis, ſumma præcordiorum anxietas ſomnique defectus, pulſu ſemper magno, pleno, citato interdum plane intermittente. Nono morbi die advocabar ego, ægrumque offendebam imbecillimum, graviter de ſiniſtro electuarii, biduo jam omiſſi, effectu conquerentem, ideoque ſanguinis miſſionem, quæ in principio, meo & aliorum medicorum judicio, ſummopere fuiſſet neceſſaria, inſtituere nolui, & nil niſi analeptica & temperantia, cum leniter diaphoreticis ſuaſi. Aderat quidem quotidie ſymptomatum ad ſex vel ſeptem horas remiſſio, ſed totalis virium proſtratio peſſima ominabatur, ideoque capitalem fore morbum prædixi, ægro etiam elapſis aliquot diebus, ipſo ſub paroxyſmo, obeunte.

Epicriſis.

Quamvis ſpecifica antifebrilia, quorum potiſſimum cortex chinæ, nec non reliqua quæ mera adſtrictione agunt, martialia ſcilicet, cortex fraxini & *Hartmanno* familiaria aluminoſa, in moderandis, vel plane ſedandis febrilibus motibus, non contemnenda prudenter uſurpata polleant efficacia; nihilo minus tamen ego nunquam non graviſſimā inde notavi noxam, in corporibus plethoricis, ſpaſticis obnoxiis vehementioribus ſtricturis, hypochondriacis & hyſtericis, & ubi nondum humorum acrimonia emendata, nec æſtus mitigatus.

Tanto vero magis cum cautione ſdanda ſunt ſenibus, quanto major in his ut plurimum humorum ſpiſſitudo & craſſities, alvi obſtipatio, immo haud raro ſanguinis redundantia.

Observatio V.

Tertiana cito & tuto ſanata.

Annus currebat MDCCXIX. quum Charlottiburgi, (quod amœnum prope Berolinum ſeceſſui regio dicatum oppidum, ſed ob paludum & ſtagnorum circumjacentium copiam, febrium, quotannis ibi graſſantium proventu, infeſtum,) plures ex aulicorum miniſtrorum numero propter ciborum ingluviem, veſpertinum improvide admiſſum frigus & aërem noxiis effluviis refertum, tertianæ implicarentur, conſuetis ſymptomatibus ſtipatæ. Ex his plures, qui mea utebantur medicatione hac ratione ad ſanitatem reduxi. Superato ſcilicet tertio paroxyſmo, intermittente die potionem emetico-laxantem porrexi, ex manna & tartaro emetico, in aqua veronicæ vel florum acaciæ ſolutis, qua ingens vitioſorum humorum colluvies per inferiora & ſuperiora exturbata. Hoc facto, tribus, vel quatuor, ante ſubſequentis paroxyſmi acceſſionem, horis, ad lenem provocandum ſudorem, exhibui potionem ex tribus aquæ cardui benedicti unciis & dimidia uncia aquæ theriacalis, cum drachma ſalis tartari & triginta ſpiritus vitrioli guttis. Tum extra paroxyſmum corticem chinæ & flores chamomillæ vulgaris, vel in forma electuarii, vel potionis, binis quibuſvis horis, præbui, quibus per aliquot dies uſurpatis, febris diſceſſit, injuncta poſtmodum, ad arcendam novæ materiæ febrilis generationem, parciori victus ratione, cum elixirii noſtri ſtomachici uſu.

Epicriſis.

Multiplici edoctus ſum experientia, ſpecifica intermittentium præſidia, horumque principem, corticem Peruvianum, felici cum ſucceſſu dari, vel ſtatim in principio febris, perpurgatis prius probe primis viis, vel declinante poſt aliquot paroxyſmos jam ſua ſponte febris impetu, non tam facile nocere, ac ſi natura per plures paroxyſmos imbecilliori reddita, demum uſurpatur. Tum enim magis noxa timenda & majori opus eſt prudentia, eo quod per crebriores paroxyſmos, motu tam inteſtino, quam tonico auctiori, tota ſanguinis & humorum maſſa in excrementitias ſordes fatiſcit, quæ niſi prius ſufficienter expurgatæ fuerint, per adſtrictivam ſpecificorum facultatem intus retentæ, pejoris notæ recidivas, vel novos alios morbos, ingignunt.

Observatio VI.

Tertiana epidemica.

Ex præcalida, diuturna, inſueta plane aëris tempeſtatumque cõſtitutione, elapſo MDCCXXVII. anno, plures febrium ſpecies univerſam fere Germaniam infeſtarunt & laborantes nimio, fere continuo æſtu, virium proſtratione, anxietate, capitis dolore & non nunquam plane delirio, mirifice afflixerunt, ita quidem, ut frequentiſſimæ ex illis eſſent tertianæ continuæ, ſymptomatibus non penitus intermittentibus, ſed tantum remittentibus, donec lapſu temporis, ſucceſſive vel in quotidianas, vel tertianas legitimas, vel etiam quartanas, tranſirent. In harum perſanatione ego quidem felici cum ſucceſſu hac uſus ſum methodo. Sub febre, tribus ſingulis horis, duo circiter cochlearia præbui potionis ex aqua florum ſambuci, tiliæ, ceraſorum nigrorum ana unciis duabus, pulveris præcipitantis & bezoardici ana drachma una, ſucci citri & julepi roſarum ana uncia dimidia. Remiſſionis tempore oblatum laxans ex mannæ uncia cum dimidia, vel duabus, nitri puri & ſalis polychreſti ana granis XV. in jure carnis vel aqua deſtillata ſolutis. Fœminis autem ſpaſmodicis affectibus obnoxiis, clyſteres injicere juſſi, leniter diſcutientes & demulcentes. Perpurgata his prima regione, ad electuarii uſum acceſſi, hac tamen cum differentia, ut ad temperandum æſtum, nitrum adjicerem. Fracta hic poſtero mox die febris atrocia, ut per aliquot adhuc dies hujus remedii uſui inſiſterent & alvum clyſteribus apertam ſervarent, febre autem penitus evaneſcente, exactum in vita & victu tenerent moderamen, & ſubinde pilulas noſtras balſamicas confortantes deglutirent, injunxi. Et ſic brevi tempore, divino auxilio, ægri convaluerunt, quum alii, iiſdem febribus laborantes, adhibitis variis remediis, venæ ſectione, emeticis, ſalibus, amaris & eſſentiis alexipharmacis, diu fuerint afflicti, viribus adeo conſumtis, ut longo tempore omnique arte eaſdem vix potuerint recuperare.

Epicriſis.

Febres, quæ accedentes gravibus ſtipantur ſymptomatibus, intenſo æſtu, ſiti, virium & appetitus dejectione, niſi ſint acutæ, ſed notabiles ſervent remiſſiones, melius in principio ſpecifica febris præſidia ipſumque chinæ corticem ferunt, ac illæ ex tertianis & quartanis, quæ lenius invadunt & lentius procedunt. In illis quippe expedit utique effrenes ſolidorum & fluidorum motus, roborantibus & antiſpaſmodicis moderari, vel plane ſedare; in his vero langueſcente jam naturæ motu & ad removendam in viſcerum infarctu & glandularum obſtructione repoſitam morbi cauſſam non ſufficiente, idem perficere oppido nocivum. Ego certe multis confirmatum habeo exemplis, longe melius antifebrilia propinari in tertianis legitimis; cholerica & juvenilia corpora graviorum ſymptomatum inſultu infeſtantibus, quam ubi ſegniora & phlegmaticæ conſtitutionis nothis implicantur. Nec infrequenter in illis fuit obſervatum, poſt Americani corticis uſum, alvum fluxiſſe, ſudorem largius manaſſe, pulſus intermiſſionis tempore cum virium incremento increbuiſſe, quin ipſum ſalivalem laticem ſtillaſſe.

Observatio VII.

Externa aboſtemuſcurum minis.

Prehendebatur verno tempore tretiana epidemica, vir quidam quadragenarius, laxioris habitus, qui militiæ deditus, tam propter effuſum per crebriora vulnera ſanguinem, quam abuſum vinorum Italicorum, corpus infirmum atque cauſarium reddiderat. Advocabatur medicus, febremque ardentem & malignam, propter intenſum ardorem & ſitim, fore judicans, porrigebat alexipharmacum, ex ſpiritu cornu cervi & tinctura bezoardica. Sed increſcebat inde ardor cum ſiti & accedebat delirium plane, ut æger nudum etiam corpus in paroxyſmo frigido ſubjiceret aëri, gelidamque largiter ingurgitaret aquam. Concedebat tamen febris in tertianæ intermittentis typum, æſtuſque remittebat, debilitas autem inſignis, magna ad ſudorem proclivitas, & mira paroxyſmorũ anomalia ſuccedebat. Diſcedebat tandem penitus febris tertiana, ſed ſudor cum tuſſi affligebat perpetua, & quotidie febrilis quædam, licet ſine horrore & adeo notabili calore, præſto erat commotio, ac præterea infra cordis ſcrobiculum, in media cartilagine enſiformi, tumor quidam prædurus eminebat. Conflictabatur cum hiſce pathematibus per binos fere menſes æger, ac interea à multis medicis exquirebat conſilia, quorum quiſque de affectu & medicatione peculiarem promebat ſententiam, uno febrem eſſe he-

hecticam, altero tertianam duplicem, tertio hydropem, quarto glandularum omenti tumorem, affirmante. Errabant autem omnes. Increscebat enim subinde tumor & exquisitus pungitivus cum ardore dolor jungebatur, & apostema potius intra musculos, non intra cavum abdominis, latitare conjiciebam. Rejectis discutientibus externis emplastris, solum diachylon simplex fuit admotum & super hoc positum cataplasma emolliens. Sic elapso triduo, attolli & mollescere cœpit tumor, purisque subtus undulatio locum incisionis monstravit, qua quinto die facta, pus fœtidissimum, ad tres minimum mensuras, pauco cruore intermixto, effluxit sensim. Inde mitior illico factus calor, somnus quietus redditus, & abscessu injectis balsamicis sensim ad consolidationem perducto, pristinam demum æger recepit sanitatem.

Epicrisis.

Sanguineum corpus apostemati concipiendo quam maxime est opportunum, ob succos in laxa fibrarum textura ex facili subsistentes. In hoc quidem, potus ille frigidus, sub paroxysmo copiose ingestus, cum improvida abdominis refrigeratione sub fervido calore, sanguinem & succos in musculis abdominis consistere fecerunt. Horum ex stasi enatum apostema, factus tumor & materia contenta computruit, quæ sanguini præterlabenti remixta, continuum lentum calorem cum languore induxit, & aperto apostemate, tam fœtidum exspiravit odorem.

Observatio VIII.

tiana ictero tussi ata.

Æstate qua varii generis febres circumibant, vir quadragenarius, post gravem iram, præcordiorum summas anxietates, cum vomendi conatu, incurrebat. Excipiebat hæc posteris diebus icteritius color, in oculi albo quam maxime conspicuus, nec non ferina tussis, noctu potissimum affligens somnumque interturbans. Nihilo minus, postulante sic, quo fungebatur, munere, iter suscipiebat, sub quo vero ob auram frigidiusculam & delicta, quæ committebat, diætetica, febrem nanciscebatur tertianam. Stipabatur hæc solitis pathematibus, major tamen in paroxysmo erat anxietas & inquietudo, urina saturate tincta, sine sedimento, æstus per viginti fere horas persistens, & tussis quoque, noctu præsertim & sub frigore, vehementior. Consulebatur medicus, qui propinabat emeticum, ex tribus tartari emetici granis, quo sexies pituitosus tantum bile leviter remixtus humor ejectus. Hoc facto dabatur electuarium ex radicibus alexipharmacis, pimpinella, gentiana, angelica, addita theriaca veteri & syrupo acetositatis citri. Hinc vero mirum exasperabatur febris fereque reddebatur continua, somnus cum appetentia intercidebat & continuus sine frigore persistebat æstus, sub quo medicus ad sitim extinguendam Martisburgensem suadebat cerevisiam. Advocabar ego, & causam febris cum symptomatibus curatius expendens, rejectis, quæ à medico præscripta fuerant cunctis, contrariam plane medendi ingrediebar viam. Pro potu quippe suadebam decoctum avenaceum, idque etiam cum seminibus quatuor frigidis & papaveris albi in emulsionis formam redigere, & adjecta convenienti nitri portione, pro lubitu liberaliter ingerere præcipiebam. Pulverem dein absorbentem nitrosum, ex antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, nitro & tartaro vitriolato, bis vel ter quotidie, in & extra paroxysmum sumendum, commendabam. Bis etiam quotidie liquor noster anodynus mineralis ad guttas XX. in superiori decocto offerebatur. Redditis per hæc mitioribus cunctis, elapsis quinque diebus, electuarium antifebrile ex rob sambuci unciis duabus, corticis chinæ drachmis sex, syrupi acetositatis citri unciis duabus, pulveris florum chamomillæ drachmis duabus, antimonii diaphoretici, extracti centaurii minoris, nitri, singulorum drachma, quovis bihorio ad drachmas duas, per quatriduum exhibitum. Quo ex toto cessavit febris, cum omni æstu ac siti, ferina tussis conquievit, urina, secus ac per totum morbi decursum, ex bruno-rubicundo colore flavescens sedimentum dimisit, appetitus cum viribus rediit & flavus in facie & corporis superficie color successive disparuit. Denuo vero, ne ex ciborum ingluvie recidiva gigneretur, crebriorem pilularum balsamicarum & salis digestivi ex arcano duplicato, sale digestivo & sale tartari usum, cum abstinentia, serio injunxi, & sic æger, vitata simul omni refrigeratione corporis, animique commotione, quæ facile recidivam creare possunt, maxime si negligitur primarum viarum evacuatio, quæ demum septimo à febre die molienda, ad perfectam rediit sanitatem.

Epicrisis.

I. Hoc in ægro omnia primum in motu spastico excessivo fuerunt constituta, acris etiam subtilis materia potius in vitio fuit, quam crassioris & rudioris humoris moles, testantibus id origine febris ab ira, symptomatibus, ut tussi ferina, & icteritia, ex spasmo ductuum biliariorum. Perperam igitur à medico datum emeticum & electuarium calefaciens, quibus motus spastici cum intestino aucti & pathemata exacerbata. Ex usu potius fuissent motus complacantia & acrimoniam diluentia ac temperantia, cum iis, quæ per cutis poros subtiles sordes eliminant. Quod demum cum successu decocto diluente & humectante, pulveribus absorbentibus nitrosis & temperante diaphoretico electuario, à nobis confectum.

II. Magna omnino est cognatio inter subitaneam ex spasmo icteritiam, tussim ferinam convulsivam, & inter motum febrilem intermittentem, qui nostra sententia in spastica quadam universali vasorum & nervosarum partium systematis strictura consistit. Hinc etiam factum, ut iisdem remediis, terna hæc mala & symptomata omnia simul & semel funditus fuerint sublata.

Observatio IX.

Tertiana curata & in continuum conversa uno remedio.

Miles quidam robustus, postquam in cœna ad satietatem usque ingessisset & noctu aëre nebuloso excubias egisset, præcedente horrore, nausea & conatu ad vomitum corripitur, subsequente æstu & anxietate. Redeunt hæc pathemata tertio die acerbiora, ideoque ad chirurgum properat, qui die vacuo primum dat emeticum, septem ante paroxysmum horis, quo strenue pituitam cum bile evomuit. Febrili die, tribus ante paroxysmum horis, idem morbi artifex piperis albi grana XV. stercoris muris grana X. & lapidum cancrorum drachmam dimidiam in aliquot cochlearibus spiritus vini porrigit, & jubet, ut desuper biberetur cerevisia probe calefacta. Miles lecto inclusus sudat inde fortiter, paroxysmus fugatur, & repetito aliquoties hoc remedio, cura feliciter absolvitur. Accidit vero haud ita multo post, ut juvenis cholericus, in iram pronus & liberaliter vini potui indulgens, tertianæ implicaretur. In consilium vocatur idem chirurgus & idem remedium exhibet, sed tam sinistro effectu, ut continua inde fere

fieret

fieret febris, æstus augeretur, æger deliraret & de exquisito ardoris, quasi carbonis igniti, sensu, in scrobiculo cordis, conquereretur. Parata igitur emulsio ex aqua florum sambuci, tiliæ, papaveris rhœados, seminibus quatuor frigidis & papaveris albi, quæ tam sola, quam cum pulveribus absorbentibus & diaphoreticis, nitrosis, sumta, ac demum adjunctus usus electuarii jam descripti, quem excepit liberalis alvi fluxus, tam salubri eventu, ut febris discederet, symptomata quiescerent & æger sanitatem reciperet.

Epicrisis.

Luculentum hoc exemplum est, non omnia omnibus prodesse. Nam si tertiana in corpus robustum, minus agile ac sensibile incidit, idque ob saburram in ventriculo & transpirationem impeditam; emetica quidem, & postea calidiora ante paroxysmum, eximiæ sunt utilitatis. Sed ubi corpus activum, & motus magis, quam qualitas & quantitas humorum peccat, contraria plane medendi methodus & sedantia adhibenda medicamenta. Et in ejusmodi quidem cholericæ indolis ad iram pronis subjectis, singularis plane est ex Chinchina paratorum effectus, eo quod summa cum euphoria crebras & biliosas alvi dejectiones proritare solent.

Observatio X.

Ex tertiana ventriculi inflatio.

Sexagenarius robustus & plenus, sanguineophlegmaticus, calculi renalis doloribus ab aliquot annis subinde obnoxius, flatibus præterea & ructibus divexatus, nanciscebatur anno abhinc tertianam tum epidemiam. Post tertium paroxysmum, molestiarum pertæsus, à medico ut febrem abigeret, poscit. Paret hic, & electuario, ex rob juniperi, cortice chinæ & syrupo acetositatis citri, post sex dies, febrem ex voto, uti videbatur, profligat. Sed sequitur postea inflatio ventriculi, cum ructibus & borborygmis ventris, præsertim post pastum & alimenta gravis materiæ. His jactatus æger meo ex consilio usus est mane pilulis balsamicis & vesperi pulvere salino aperitivo, ex arcano duplicato, sale Sedlicensi & cancrorum lapidibus, per sex dies, & postea ante prandium essentia carminativa Wedelii, cum æquali parte spiritus nitri dulcis remixta, felici cum successu. Quum vero elapsis vix quatuordecim diebus medicamenta rejiceret, eadem à flatibus & ructibus expertus est incommoda, eaque propter ad priora medicamina confugit, succedente ex voto effectu.

Epicrisis.

Quando tertiana corpus impurum, succis repletum & chronicis passionibus jam affectum prehendit, in medicinam cedit, motu intestino & progressivo auctiori obstructiones referando, viscidos humores attenuando & sordes subtiles difflando. Quando vero cito nimis specificis compescitur, noxia materia remanens & deterior reddita, in dispositio jam corpore, flatulentias creat malumque exacerbat. Et licet opposita his pathematibus præsidia leniter educendo vitiosam materiam ac tonum ventriculi & intestinorum roborando, egregie profuerint; expertus tamen scribo: non facile ejusmodi pathemata cessare, nisi aquæ minerales, præsertim Carolinæ thermæ, in auxilium vocentur, ac vere, vel æstate debito cum regimine usurpentur.

Observatio XI.

Tertiana in sene curata.

Superiori vere, quo tertianæ erant admodum frequentes, vocabar ad septuagenarium vegetum adhuc & strictioris corporis habitus, qui eodem decumbebat morbo, & adhibitis licet pulveribus digestivis salinis, elixiriis amaris, pilulis etiam polychrestis, decimum quartum jam paroxysmum erat passus. Percontatus de omnibus, vires quidem prostratas, stomachum mire languentem & fastidientem & urinam sine sedimento esse, comperio, habitum tamen corporis expendens & pulsum in paroxysmo plenum adhuc & fortem offendens, electuarium offerre non dubitavi. Sumtum illud bihorio quovis ad drachmas duas, bibendo postea aliquot cochlearia vini, auspicato cum effectu, ita, ut subsequens illico paroxysmus mitior longe esset, nec nausea, nec capitis dolore, neque anxietate, ut antea, stiparetur, secundus vero penitus emaneret, urina crassa mingeretur, vires rediret & æger optime convaleret. Ne autem recidiva accideret, ut eodem electuario, parcius tamen, adhuc uteretur, elapsis septem diebus, bis pilulas balsamicas cum sale aperitivo deglutiret, ingluviem ciborum & seria negotia vitaret, temperate calidum potum assumeret & corpus ab omni refrigeratione sollicite defenderet, serio præcepi.

Epicrisis.

Chinæ cortex non tam nocens est, ut vulgo creditur, sed ipsis etiam senibus cum fructu datur: Neque etiam sine exceptione illa practica est regula: quod nunquam sit offerendus, antequam urina compareat cocta. Ego enim multiplici compertum habeo experientia, nunquam ipsum nocuisse, si primæ viæ prius probe expurgatæ, si corpus non impuris succis scatet, viscera sanguinea integra, & nullus inflammationis internæ metus. Multo magis innocens hujus corticis & salutaris effectus, in ægro activæ indolis, fibrosi & amplioribus vasis instructi habitus. Longe præsentiorem etiam expertus sum ipsius efficaciam in corpore quodammodo jam per febrem debilitato fibrarumque tono remissiori, ac si vires adhuc vegetæ & motuum vigor, nisi forsan exspectationem interdicant circumstantiæ.

Observatio XII.

Tertiana cito curata in Carolinis.

Rari sunt in thermis Carolinis diu febricitantes. Simul ac enim febris impetit, intercalari die largiter ingerunt aquas thermales, quæ primas vias efficaciter deplent, sudorem etiam & urinam liberaliter eliciunt. Si post quintum paroxysmum febris non discedit, corticem Peruvianum die vacuo adhibent, vel in electuarii forma, vel decocto, hunc in modum: recipe corticis chinæ unciam, radicis gentianæ rubræ unciam semis, herbæ cardui benedicti manipulum, centaurii minoris tantundem, vini Gallici mensuram; coque leni calore, cola & adde syrupi menthæ unciam, M. de quo tribus quibusvis horis extra paroxysmum duas uncias bibunt, sorbillando mane in lecto infusum theiforme & sudorem eliciendo. Sic feliciter ut plurimum ex toto febrem percurant. Mihi ansam hoc dedit, ut eadem methodo subinde uterer, & surrogata Carolinis Sedlicensi aqua, purgationem ventris molirer, & post eam decoctum illud præberem, auspicato pariter successu in tertiana & quartana, præsertim æstiva ac vernali.

Epicrisis.

Compendiosa & facilis est hæc intermittentes curandi methodus, solennis non modo in Carolinis, sed & iis locis, ubi acidulæ purgantes saliunt. Nec male medentes eidem viæ insistunt & primas vias crudis & biliosis sordibus obsessas salibus deplent. Salia enim reliqua ex regno vegetabili purgantia securitate & promta efficacia

longe

longe ſuperant. Tanto vero magis proficua ſunt, quando in ſufficienti quantitate humidi ſoluta aſſumuntur. Hinc ſi copia non eſt aquæ ejuſmodi medicatæ, ego ad imitationem ipſius aquam paro laxantem, adjiciens uni aquæ menſuræ olei tartari per deliquium unciam dimidiam & in lagena anguſti orificii inſtillans eo uſque ſpiritum vitrioli, donec nulla amplius eveniat ebullitio. Vel diſſolvo in menſura aquæ unciam ſemis ſalis polychreſti, ex ſulphure & nitro calcinatis confecti. Uſurpato aliquoties liquore hoc ſalino, deſcendo tandem perquam ſecure ad ſpecifica roborantia, quæ inter primas tenent, cortex chinæ, caſcarillæ, tamariſci & omnia amara & ex marte rite parata.

Observatio XIII.

ertiana puero chinæ rticem neſia.

Puer facie florens, indole vividus, complexione ſanguineus, à biennio aliquoties hæmorrhoidarius, cum abdomine tumido, ceterum valens, poſt æquinoctium autumnale, tertianam, quo ex diætetico errore neſcio, incurrit, eademque ob paroxyſmi vehementiam, ſtomachum penitus languentem ſomnumque turbatum, graviter decubuit, urina ſimul clara & ſine ſedimento comparente. Excepit hanc medicus aperientibus, crudos ſuccos corrigentibus tutiſſimiſque febrifugis. Sed quum decem paroxyſmos paſſus eſſet æger, parentes percarum natum vitæ diſcrimen ſubire metuentes, inconſulto medico ab empirico quodam potius quam medico opem quæſiverunt, qui electuarium, cujus baſis tormentillæ radix, prompte porrexit, ac ut tribus ſingulis horis, intercalari die, doſis caſtaneæ magnitudine deglutiretur, præcepit. Mitior inde facta febris, ſed continuato aliquamdiu adhuc pharmaco, paroxyſmi tempore, tremor ac frigus totum concuſſit corpus, cum colliſione dentium & labiorum, ſequuta mox convulſio epileptica univerſalis, per viginti horas, fruſtra datis omnibus antepilepticis, perſiſtens, ægro ſub ipſa extincto.

Epicriſis.

Ego quidem permultis confirmatum habeo exemplis, hæmorrhoides in infantibus ac pueris jam prodeuntes, accedentibus pubertatis, vel juventutis annis, raro alium quam ſiniſtrum ac ut plurimum funeſtum ſortiri eventum. Ipſum hoc enim ataxiam motus circulatorii in viſceribus abdominis prodit, ex qua facile labem & vitium contrahere poſſunt. Neque ea propter dubium eſt quin hoc in puero, infimi ventris viſcera, hepar, lien, vel pancreas, fuerint farcta & obſtructa. Motus autem febriles præſidio potius fuiſſent, inprimis quum intermittentes per annum ſæpe infantes detineant, modo medicatio rite inſtituatur, nec tamen adeo ſint detrimento, ut potius corpus firment & longævum efficiant. Perperam igitur adſtringentibus ſalutares hi motus ſedati & cauſa febris altius viſceribus impacta, ſpaſmi quoque tam ex hæreditate à matre hyſterica, quam ex ipſa febre jam præſentes, & ex alvi ſtrictura, ac limpida urina cognoſcendi ſatis, ita adaucti, ut in convulſivos plane degenerarint funeſtos. Memoratu etiam dignum videtur, quod hic puer, multos annos inſolita voracitate laboravit.

Has practico-clinicas de tertiana obſervationes hic adduxiſſe ſufficiat, plures paſſim reliquis meis ſcriptis inſerui, & quidem uberius enarratas ac evolutas, *Medicinæ conſultatoriæ*, ex qua hanc in rem conferri poterunt ea, quæ *Tom. II.* Sect. IV. caſ. CLXXVII. uſque ad CLXXX, attuli.

CAPUT II.

De Febre Quartana.

§. I.

Quartana quid?

TErtianam, & gravitate, & contumacia, ex intermittentibus longe adhuc ſuperat ea, quæ quarto quovis die, intercalaribus integris binis, corripit, eamque ob cauſam vocatur quartana.

§. II.

Paroxyſmi hiſtoria.

Scilicet, poſt meridiem ut plurimum, hora quarta, aut quinta, quandoque etiam citius, quandoque ſerius, cum notabili corporis languore, pandiculatione, capitis, dorſi, lumborum ac tibiarum contuſivo dolore, accedit. Pedes hinc cum manibus refrigeſcunt, corpus univerſum palleſcit, facies & ungues liveſcunt, ſupervenit horror & rigor, huic febri familiaris, lingua & labia tremunt, ſpiritus difficulter trahitur, præcordia anguntur, corpus inquietudine jactatur & pulſus arteriarum contractus ac durus, quandoque etiam inæqualis plane percipitur. Durant hæc omnia per duas plerumque, aut tres horas, ac interea alvus in plurimis ſtringitur, in nonnullis ad deſidendum & mejendum ſtimulus, in quibuſdam, potiſſimum ſenibus, conatus ad vomendum, vomitus & alvi ſeceſſus. Multis etiam, inprimis ætate gravioribus, caput mirum turbatur & mens ſibi non conſtat, ut aliena multa loquantur. Succedit lento poſtea greſſu calor, non adeo urens, ſed ariditate quam maxime moleſtus, evaneſcit rigor, arteriarum ictus ad æqualitatem redeunt, celeriores que ac majores micant, capitis tamen obtuſus dolor perſtat, cum vertiginoſa affectione, & cutis demum pauca ſaltim humiditate perfunditur, donec elapſis quatuor vel ſex horis, & æſtus, & pathemata hæc diſcedant. Ceſſante ſic febris impetu, duobus qui vacui ſequuntur diebus, æger quidem conſtanter fere lectum relinquit, reſtitat tamen ſenſus quidam doloris in artubus ac pedibus, ipſa oſſa quaſi tundens atque profundo pondere obterens, oſteocopus græco nomine dictus, caput quoque in quamplurimis grave eſt & animum faſtidium tenet, urina, quæ in paroxyſmo tenuis reddita & aquoſa, nunc craſſa & cum ſedimento ſecedente.

§. III.

Quartanæ cauſa proxima.

Hæc quæ ſub paroxyſmi impetu ſubinde obveniunt pathemata, uberius utique teſtantur, graviſſime nervoſarum partium ſyſtema in univerſo corpore pati & ſpaſticis conſtrictionibus agitari. Eamque ob cauſam immediata & proxima hujus febris cauſa conſtituenda omnino in univerſali & vehementi ſpaſtica nervoſarum partium ſtrictura, quæ ex ſpinali medulla potiſſimum procedens, non modo tunicas vaſorum, ſed & totum nervorum ac fibrarum ſyſtema, præter naturam afficit, ut motus ſolidorum & fluidorum inde graviter turbentur.

§. IV.

Materialis.

Materialem vero cauſam, quæ nervoſas partes in tam exorbitantes motus abripit, veteres quidem humorem melancholicum extra vaſa putreſcentem eſſe voluerunt; ſed ſicuti in omni febre, ſic etiam in quartana, ſubeſt materia activæ indolis & cauſtica acrimonia imbuta, internas ſenſu exquiſito pollentes partes ad ſpaſticas criſpaturas ſolicitans. Quia tamen ex pancreate ei nupta eſt materia, quæ ad acido-viſcidam indolem accedit, diu-

diuturniores dat inducias, nec tam cito colligitur, nec ad membranas ſpinalis medullæ ex prima regione tam cito appellitur. Quando vero ſufficienti quantitate collecta in primarum viarum latibulo, maſſam ſanguinis ſucceſſive ſubiit, & certo interpoſito tempore, ad ſpinæ dorſi membranas delata, febriles eoſdem ſuſcitat motus, quos præcedenti capite de tertiana enumeravimus.

§. V.

Antecedens. Jam ſi porro hujus materiæ febrilis natales rimamur, hæ utique primario arceſſendæ ex tardo admodum ſanguinis, per viſcera abdominis depuratoria & ſecretoria, hepar præſertim, lienem & pancreas, progreſſu, horumque tandem ſuccedente infarctu & obſtructione. Hoc enim facto, humores fermentales, gaſtrici, lymphatici, ſalivales, à temperata, ſubtili, ſpirituoſa indole deſciſcunt, ac fixam & acidam induunt, ut ad intimam ciborum diſſolutionem & chyli extractionem minus ſint idonei, ſed cruditatum acidarum & viſcidarum ingens fiat proventus. Quibus ipſa mora pejorem indolem contrahentibus, & ab accidentibus aliis externis cauſis acrimoniam induentibus, ipſa demum excluditur febris.

§. VI.

Impeditus humorum per viſcera progreſſus, Videlicet languidiorem ſanguinis per abdominis vaſa curſum in cauſa eſſe, ex eo patet, quod huic febri quam maxime opportuna ſint corpora conſiſtentis & provectioris ætatis, melancholici temperamenti, & quæ, vita ſedentaria nimia, intermiſſa ſanguinis miſſione, victu duro inſalubri, nimioque acidorum & ſpirituoſorum uſu, vel etiam ſolennium criticarum ſanguinis evacuationum ſuppreſſione, nec non animi affectuum intemperantia, ſuccorum incurrerunt & abundantiam, & ſpiſſitudinem ac impuritatem. Cauſticam vero ſimul *Et acris materia.* etiam ſubeſſe materiæ indolem nemo negabit, qui novit, quartanam poſt excluſas ſub æſtate fervente acres ſordes plerumque autumno prodire, per ſcabiem quandoque & purpuram ſolvi, iiſdem repulſis impetere, variolis erumpentibus diſcedere, ex tertiana gigni, in tertianam quoque tranſire, & eodem modo ac tertianam in locis paludoſis, aëre acrium recrementorum copia referto, frequentem admodum eſſe ac epidemiam.

§. VII.

Quartana ſimplex eſt vel duplex. Sic quidem generata febris quartana varium ſubinde exhibet genium. Quandoque ſcilicet ſimplex eſt, quandoque duplex. Simplex, ea, ut jam delineavimus, incedit facie. Duplex vero tum dicitur, quando intra quatriduum bini ſuccedentes accedunt paroxyſmi, ita quidem, ut uterque peculiarem ſuum ſervet typum, & ſingulare acceſſionis tempus, alternatim ſemper præcedenti inſultui reſpondens, tertio duntaxat die à febre penitus vacuo. Id quod ſæpius evenit, quando ſimplex quartana perverſa medicatione excipitur, aut in vitæ, vel victus regimine, committitur error.

§. VIII.

Legitima vel notha. Legitima dein obſervatur eſſe, vel notha. Illa exactius, quam ullum aliud febrium genus recurſus terminum ſervat, tempore ſcilicet pomeridiano. In hac contra certum non eſt reditus tempus, plerumque tamen ante meridiem, æſtus quoque impenſior, ipſoque frigore gravior urget.

§. IX.

Continua. Non nunquam porro quarto quidem quovis die, præviis ut plurimum pandiculationibus & horripilatione, repetit, ſtatum tamen terminum non adeo exquiſite ſervat, nec deferveſcente impetu penitus intermittit, ſed diebus in ſimplici intercalaribus, mitius tantum, quam febrili, affligit; calor naturali intenſior adhuc adeſt, pulſus magis auctus, appetitus languet, vires proſtratæ ſunt, os ſiccum, caput temulentum, ſomnus inquietus, & urina rubicunda, craſſior, cum ſedimento roſeo mingitur, eamque ob cauſam à medicis quartana appellatur continua.

§. X.

Epidemia Ut plurimum populares habet circuitus & epidemia eſt, tum maxime, quando æſtas præceſſit præter conſuetudinem calida & ſicca, eaque propter acria & multa bilioſa recrementa in corpore genita. Id quod anno cIↃ IↃcVI. *Sennertus de febr. lib. II. cap.* 20. nec non anno cIↃ IↃcLII. *Bartholinus cent. I. hiſt. anat.* 95. contigiſſe, memorant, & nosmetipſi de annis cIↃIↃcLXXXIV. cIↃIↃccXIX. XXVI. & XXVIII. multiplici experientia edocti teſtamur. Et quia ob æſtum nimium potus frigidus ſæpe aceſcens ingeritur, & noctu frigus accedit, perſpiratio ſordium acrium impeditur, & humores cum ſanguine ſpiſſi evadunt.

§. XI.

Endemia Nonnullas regiones & tractus endemia lues infeſtat: nimirum in Weſtphalia, Pomerania lociſque, quæ ad boream vergunt, & incolas alunt, victu duriori, craſſiori & crudiori utentes, nullus fere elabitur autumnus, quo non multi quartana prehendantur ac diu admodum eadem detineantur. Idem evenit in locis paludoſis, ſtagnorum & lacuum pravis exhalationibus infeſtis, in quibus vere, tertianæ, autumno quartanæ, largo proventu pullulare & crebro recrudeſcere ſolent.

§. XII.

Variat plethor. & hypochondr. cis, Varium etiam quartanæ exhibere ſolent genium, pro diverſitate corporum, quæ corripiunt. Nimirum ſi incidunt in corpus, quod, ob vitam ſedentariam victumque craſſum & durum, copioſum & craſſum ſanguinem in venis alit, vel quod hypochondria male conſtituta habet, aut diuturniori animi mœrori indulſit, tum graves & contumaces eſſe ſueſcunt, nec periculo vacant, eaque propter in ægrotante exquiſitum victus ac vivendi moderamen; in medente autem magnum in exhibendis remediis poſcunt judicium. Ubi cacochymica diſpoſitio & purpuræ forſan materia ſimul *cacochymicis,* ſubeſt, pathematibus longe acerbioribus incedunt, major virium eſt proſtratio, vigilia, mentis alienatio, præcordiorum anxietas ac purpura demum erumpit, qua, levi ex cauſa retrocedente, febriles paſſiones increſcunt, graviuſque affligunt.

§. XIII.

Infirm ſenibu In ſubjecto, viribus per ſenium, valetudinem, pravam vitæ rationem, aut animi pathemata exhauſto, facile in continuam tranſit, quæ ex languore virium poſt paroxyſmum, pulſu frequenti, lento calore & appetentia proſtrata, cognoſcitur, ægrumque in haud leve diſcrimen adducit. Quando poſt *juveni* intenſiorem æſtatis fervorem, corpus juvenile & agile invadit, proxyſmus longius perdurat, æſtus urens magis in liberalem ſolvitur ſudorem, ſitis quoque & ſtomachi languor impenſius urgent. In- *infans bus.* fantes & pueri, quia ægre medicamenta ſumunt, nec diæteticis præceptis obtemperant, noctu, removendo ſtragula, corpus refrigerant, & præterea habitum corporis laxum, ad ſufflaminandum perſpirationis ſucceſſum, nec non ventriculum, ad colligendam cruditatum ſaburram aptum, obtinent, diutius hac cum febre conflictantur, crebriores in recidivas incidunt, aut aliis poſtea morbis patent.

§. XIV.

ſecura men eſt Interim quartana hæc febris placida admodum eſt atque ſecura, nec facile jugulare ſolet. Sin ſecus evenit, corpus aut ſenile fuit, & viribus jam exhauſtum, aut tenerum nimis, epilepticis inſul-

insultibus obnoxium, aut ipsa febris, intercurrentibus animi pathematibus, tam suscitata quam exacerbata fuit, aut etiam, vel medentis, vel ægrotantis accessit delictum, quo in quotidianam, aut longum alium funestum morbum fuit transmutata.

§. XV.

Gravitate tamen & contumacia securiorem decursum compensat. Diu enim trahi, ac sæpius, ceu verum medicorum scandalum, omnia eludere solet remedia. Evenit hoc maxime in ea, quæ autumno oboritur, per hyemem persistens: raro admodum prius discedit, quam solstitii vernalis tempore, quo poris adapertis succisque ob aëris serenitatem tenuioribus factis, sponte fere evanescit. Rebellis etiam maxime est, quando in visceribus, præsertim hepate, liene & pancreate, vitium altius radices egit, vel tota humorum massa spurca & impura, vel etiam systema nervorum admodum debile ac ad anomalos ejusmodi motus, & concipiendos, & fovendos, dispositum & tanto magis, quando æger voracitate materiam febris colligit semper & auget.

§. XVI.

Contra si vernali, vel æstivo tempore incidit quartana, facilis & explicita ipsius curatio est, quia aëris temperies & tenuitas multum medicationi velificatur. Quæ etiam ex inordinata diæta & cruditatibus in prima regione collectis, integris autem viiceribus, aut quæ ex valde prohibita transpiratione succrescit, ex facili, vel unico sæpe vomitorio, vel diaphoretico, ante accessionem dato, discutitur. Et illa pariter, quæ juvenile & viribus pollens corpus detinet, præsertim si bilis plus, quam humor tenax, acidus peccat, ut potissimum fit in epidemicis æstate grassantibus, nisi ægri vel medentis culpa ingravescat, ex facili medicationem admittit.

§. XVII.

Neque etiam quartana anomala, quæ typum non servat, incerto tempore redit, aut ex simplici in duplicem concedit, adeo est pertimescenda, uti quidem vulgo censent. Ipsum hoc enim indicio est, succos vitiosos non tam lentos & visceribus alte impactos, sed ad emotionem adhuc promtos esse, naturam quoque vegetam in amolienda, quæ morbum facit, materia. Ne dicam, paroxysmos rite decurrentes, multum facere ad dissolvendos viscidos & discutiendos subsistentes humores, adeoque, quo crebrius recurrunt, eo citius causa febris eliditur, & natura ministrante, curatio paucis congruis perficitur.

§. XVIII.

Licet quartana solenniter nullam criticam servet excretionem, fit tamen quandoque, ut erumpentibus pustulis, maculis, ulcusculis & scabie per universum corpus diffusa, nec non prodeunte hæmorrhoidum fluxu, feliciter solvatur. Vidi quoque in infantibus eam cum auspicato successu desiisse in variolas: & de gravidis compertum habeo, quod quartanam non prius evaserint, quam superato partu, infante vero eadem affecto.

XIX.

Quin præsidio quandoque est hæc febris & adversus alios, præsertim chronicos morbos, remedio. Auctus enim ille sub impetu solidorum & fluidorum motus lentos succos circumagendo attenuat, latibulis suis elidit & ad veteres obstructiones, quæ in minimis vasculis, glandulis & nervosis partibus altius consistunt, expediendas & excutiendas multum confert. Hinc prisci jam medicinæ principes, *Hippocrates*, *Asclepiades*, *Galenus* & *Celsus*, se quartana remedio uti, affirmarunt. Et certe ad expugnanda hypochondriaca pathemata spectata ipsius est virtus, quam etiam in epilepsia & convulsivis motibus mire deprædicat *Hippocrates lib. VI. epid.* Ab asthmate quoque convulsivo, item calculo, podagra, si feliciter decurrit & prudenter à medico dirigitur, quartanam liberasse historiæ loquuntur. Dumque corpus ab inhærentibus viscerum vitiis liberat, post discessum suum illud mirifice firmat, ut non tam facile morbis pateat, aut pristinis attentetur denuo, uti experientia suffragante ex *Platone* jam habet *Gellius noct. Att. lib. XVII. cap. XII.* Et nos plures novimus, qui post quartanam longævitatem nacti fuere. Quo magis admiranda hinc DEI providentia est, quæ ipsis etiam morbis plane incomparabilem & medicinalem virtutem tribuit.

§. XX.

Sed diuturna.

Sed ubi longius quam par est extrahitur morbus, succi concipiunt dyscrasiam, & si humores tenues ac bilioси sunt, purpura excluditur, vel partibus spirituosis, roscidis, nutritiis difflatis, lentescunt reliqui, corrumpuntur & longos morbos invehunt. Si etiam perversa medicatione excipitur, in graves & capitales degenerat passiones, cujus generis sunt maxime hydrops, anasarca & ascites, cachexia scorbutica, tumores œdematosi, febris lenta & hectica continua, asthma siccum, icterus, tussis ferina, in senibus affectus comatosi & hemiplexia, in junioribus affectio hypochondriaca & in infantibus sævi convulsivi motus, spinam dorsi, antrorsum & retrorsum miseranda facie distorquentes. Et in his quidem omnibus conspicuum post mortem deprehenditur viscerum vitium, hepatis nempe, lienis, pancreatis, nec non glandularum mesaraicarum, obstructio, infarctus & corruptio.

& peperam excepta morbos facit graves.

§. XXI.

Quibusdam funesta est.

Qui vero quartana febre intereunt, sub frigoris rigore & mente turbata decedunt. Tum enim, qualia duo exempla vidi, in adultioribus adeo increscit spasmorum atrocia, ut nullus plane subsequatur æstus, sed symptomata veneni prorsus æmula adsint, demumque interimant. Et in infantibus, spasticæ strictura in convulsivos plane motus degenerant funestos.

§. XXII.

Facile recidivat.

Qui demum evadunt, habent utique, ut in vitæ victusque ratione exactum servent postea per aliquod tempus moderamen: refractaria enim admodum est hæc febris, pristinamque sedem, data levi occasione, ex facili repetit. Sane qui superata ipsa gulæ indulgent corpusque extenuatum largo, tanto magis insalubri cibo, farcire nituntur, promtissime recidivam, ex congesta denuo cruditatum saburra, incurrunt. Idem experiuntur, qui saluberrimam illam per cutis spiracula excretionem pensi habent, & corpus aëri frigidiori & humidiori incautius committunt, vel frigidum potum ingerunt. Neque minus ex facili iterato prehendit eos, qui affectuum intemperantia jactantur, ac inprimis impensiori tristitiæ diutius indulgent. Et, quod tamen rarius est, repulsa præposterе, quæ ad habitum corporis cum salute acta fuerat, & per scabiem, pustulas, ulcera & purpuram expulsa, materia, illico impetit denuo, qui sedatus fuerat, inde febris impetus.

METHODUS MEDENDI GENERALIS CUM INDICATIONIBUS CURATORIIS.

§. I.

Indicationes quatuor.

QUo pacto intermittens febris sit arcenda, superiori capite sub methodo præservatoria tam fuse exposui, ut supervacaneum ducam illud hoc loco iterùm tradere. Indicationes autem curatoriæ causis quartanæ oppositæ, huc redeunt. I. Ut cruditates viscidæ, acidæ, biliosæ ex primis viis, cum chylo & lympha successive ad sanguinem abeuntes ac in nervosarum partium systemate febriles motus suscitantes, & corrigantur, & per congrua emunctoria evacuentur. II. Ut sanguinis per abdominis viscera, præsertim ad quæ vena portæ excurrit, progressus liber præstetur; congestio vero, infarctus & obstructio expediatur, vel minimum major impediatur. III. Ut spastica vehementior in genere nervoso constrictio, ceu acerbiorum symptomatum causa, leniatur. Et IV. ut dejectum viscerum, stomachi nervosarumque partium robur restituatur, sicque tum ulterior accessio, tum recidiva, præscindatur.

§. II.

Prima perficienda temperantibus, incidentibus & vacuantibus.

Primæ igitur indicationi exsequendæ serviunt ea remedia omnia, quæ acidum obtundendi, lentos succos incidendi, acres contemperandi, & primam maxime regionem expurgandi facultate pollent. Splendent autem hac virtute alcalina pharmaca, uti sunt salia plantarum per incinerationem parata, sal potissimum absynthii & cardui benedicti. Commendanda etiam salia neutra, maxime sal ammoniacum depuratum, terra foliata tartari, sal digestivum *Sylvii*. Quibus ad biliosam acrimoniam infringendam, addenda absorbentia teneriora, cancrorum lapides, conchæ, vel cornu cervi sine igne paratum. Et si præterea educendi scopus, salia fontium medicatorum, Egranum, Ebshamense, Sedlicense, aucta dosi, aut ipsa etiam aqua Sedlicensis, per alvum crassiores, tartarea vero, per urinarias vias subtiliores salinosulphureas sordes, efficaciter evehunt. Habet etiam purgantem facultatem in quartanariis magnesia alba, quæ acidum primarum viarum imbibendo, transit in sal amarum, sali cathartico Ebshamensi simile.

§. III.

Secunda amaris.

Ad obtinendum secundæ indicationis scopum, egregie faciunt amara, quæ balsamico suo fixiori sulphure bilis balsamum restituunt, acidos simul ponticosque humores obtundunt, & lenem quandam spirituascentiam succis conciliant. Talia sunt extracta amara, fumariæ, absynthii, cardui benedicti, gentianæ rubræ, trifolii fibrini, centaurii minoris, essentia, vel extractum rhabarbari, nec non pilulæ balsamicæ, secundum exemplar *Beccheri* confectæ, ex aloë bene depurata, extractis amaris & gummatibus resinosis balsamicis temperatis, quæ præter facultatem alvum laxantem, etiam attenuantem lentos & spissos succos obtinent, præsertim si earum usus supra laudatis salibus interponatur. Pertinet huc quoque conveniens cum debito regimine thermarum & acidularum usus. Sin vero inveterata nimis obstructio viscerum, præsertim pancreatis, quod in quartana rebelli non insons est, lenioribus expugnari nequit, in usum vocanda penetrantiora magisque activa mineralis prosapiæ pharmaca, mercurius quippe dulcis, vel nostra methodo diaphoreticus solaris, nec non antiquartium *Riverii*, quod ex mercurio, antimonio & auro, desuper abstracta aliquoties aqua regia & postea spiritu vini accenso, paratur. Ex antimonialibus, regulus antimonii medicinalis, panacea Glauberiana & Conerdingiana, item sulphur nostrum antimonii correctum, sine præcipitatione cum acido confectum.

Et minera-libus.

§. IV.

Tertia linimentis.

Spasticas generis nervosi strictura remittunt I. linimenta antispasmodica & nervina, spinali medullæ cum frictione calida admota, ex axungia humana, oleo spicæ, lavendulæ, rutæ, salviæ, balsamo Peruviano; II. clysteres ex herbis nervinis, carminativis & antispasmodicis, addita sufficienti quantitate oleorum demulcentium, parati; III. balnea aquæ dulcis, veteribus inprimis ante paroxysmi accessionem usitata: IV. epithemata & linimenta ex spirituosis & aromaticis parata, sub horrore & rigore regioni epigastricæ apposita.

Clysteribus, balneis.

Epithematibus.

§. V.

Quarta maris a stricti

Ultimæ demum indicationi apprime satisfaciunt omnia amara, quæ simul balsamica quadam adstrictiva virtute pollent. Nobiles hac virtute sunt chinæ & chaccarillæ cortices, nec non cortex capparum, item tamarisci, cinnamomi, rasura santali rubri & essentiæ ex amaris plantis extractæ, quæ cum liquore martiali acuatæ, omnibus fere palmam præripiunt. Instar omnium vero erit electuarium nostrum antifebrile, cujus descriptionem superiori jam capite suppeditavimus.

§. VI.

Epicarp discuti tibus.

Peculiaris etiam virtutis adversus quartanam habentur emplastra carpis manuum applicata, quæ inter famigeratissimum est à *Strobelbergero* dictum. Concinnari autem possunt ex iis, quæ tam aromatico balsamico, quam irritante principio, motum & stimulum fibris addunt, ut materiam altius partibus nervosis impactam hærentem excutiant, & promtius die vacuo sanguis circumagatur.

§. VII.

Potissimum stabile nostrum fusum.

Præter ea vero quæ hactenus adduxi quartanæ præsidia, non possum, quin bina subjungam adhuc remedia, quæ miram efficaciam mihi olim in Westphalia præstiterunt, propter quam etiam eadem jam *dissertationi de felici quartanæ curatione*, inserui. Primum est infusum vinosum, omnibus curatoriis indicationibus satisfaciens, de quo matutino tempore quotidie liberalis haustus sumendus. Recipe fibrarum hellebori nigri, polypodii querni, foliorum sennæ sine stipitibus singulorum unciam, herbæ absynthii, centaurii minoris, cardui benedicti, trifolii fibrini, ana manipulum dimidium, rasuræ ligni colubrini, corticis chinæ, aurantiorum recentium ana drachmas tres, limaturæ martis unciam semis, tartari tartarisati tantundem. Conc. cont. irrorentur drachmis duabus spiritus salis ammoniaci urinosi, misceantur & duabus vini mensuris infundantur.

§. VIII.

Et pul resolve ac rob rans.

Alterum hic est pulvis: Recipe corticis chinæ drachmas tres, reguli antimonii medicinalis drachmas duas, mercurii dulcis, (qui non terendus cum pulvere propter salia, sed cuspide tantum cultelli miscendus) croci martis tenuissimi, arcani duplicati, singulorum drachmam, olei menthæ guttas quatuor. M. f. pulvis, cujus drachma dimidia, aut una, cum rob sambuci & julepo rosarum in electuarii formam redacta, mane & vesperi poterit assumi. Et certe egregii usus est hic pulvis in quartana, quæ altas in viscerum penetralibus egit radices, requirit tamen corpus paullo robustius, cum exacto

in

in diæta & vitæ ratione regimine. Licet etiam moleſtam quandoque lenem moverit ſalivationem; ex voto tamen ceſſit, febriſque rebellis fuit expugnata. Cæterum plura de ſpeciali huic febri medendi methodo, infra obſervatione X. nec non *capite IV. de febribus epidemicis*, afferemus.

OBSERVATIONES ET CAUTELÆ CLINICÆ.

§. I.

Quartana omnium max morbus.

QUartana, ex morbis fere contumaciſſimus, ægri patientiam & medici exſpectationem poſcit: inprimis ea, quæ corpori melancholicæ conſtitutionis, ſenibus, hypochondriacis & ubi languidior ſanguinis per venas meſaraicas progreſſus, viſcera infarcta & autumnus adultus, accidit. Non itaque impetuoſe in his aggredienda, aut violentis pharmacis urgenda curatio. Si ſecus fit, plus detrimenti, quam emolumenti ſperandum.

§. II.

Lenioribus amen, excipiur.

In principio quidem morbi, natura ſi robuſta, validiora reſolvendi & colliquandi atque evacuandi virtute pollentia locum inveniunt. Ubi vero morbus inveteravit, corpus tenerum & exquiſite ſentiens, multaque acria & bilioſa recrementa præſto ſunt, mirum inde exacerbatur febris, & haud raro ex ſimplici in duplicem, aut quotidianam plane tranſit. Temperata potius, plus diætetica, quam pharmaceutica, cum iis quæ lenimento ſunt generi nervoſo, infeſtis ſpaſmis jam affecto, in uſum vocanda.

§. III.

Et quandoque fugatur.

Neque enim adeo refractaria eſt quartana omnis, ut non ſæpius leniſſimis cedat. Ego certe plures novi, qui ſolo uſu elixirii temperati balſamici, quod cum aqueo lixivio ex amaris extractis & rhabarbaro, adjecto vino Hungarico, paratum, ex eadem feliciter evaſerunt. Alii ſolo oleo tartari per deliquium, frequentius cum potu aſſumto & hauſto ante paroxyſmum vino veteri Rhenano, cum, vel ſine amaris, ſubjuncto poſtea vehementiori corporis motu, ab eadem ſunt liberati. Nonnulli balneorum aquæ dulcis uſu quotidiano, inſtituta ſimul ante acceſſionem corporis ad ſudorem uſque exercitatione, curati ſunt.

§. IV.

Facilius ſub cœli favore ſanatur.

Semper tamen longe facilius atque felicius quartanæ curatio ſuccedit, ſi cælum eidem velificatur, & aër purior, ſubtilior & rarefactus eſt, uti tempore verno, æſtivoque ſereno. Tum quippe veteres viſcerum obſtructiones promtius expediuntur, lentorque ſuccorum liquatur, & perſpiratione æquabili atque conſtanti, acres per apertos cutis poros ſordes difflantur. Quin novi quoſdam, qui non prius convaluerunt, quam mutato cœlo & in locum ſalubriorem ſeceſſu, vel alio vitæ victuſque genere inſtituto.

§. V.

Potus mutationem poſcit.

Potiſſimum in quartana febre, ſicut omnibus longis morbis, ut potus mutetur ex uſu eſt, & decoctum ex radice ſarſaparillæ, cichorei, herba cardui benedicti, paſſulis minoribus & ſemine fœniculi, tam loco cereviſiæ frigidum, quam loco infuſi thee calidum bibatur, declinante paroxyſmo. Conducibiles quoque ſunt pro potu temperatæ acidulæ, uti Selteranæ, quippe quæ cum dimidia, aut tertia vini parte potæ, in diluendis craſſis & evehendis per urinarios ductus impuris ſuccis, effectum præſtant ſaluberrimum.

§. VI.

Nec non perſpirationis ſucceſſum ante

Studioſe etiam providendum, ut per cutis poros acres ſubtiles ſordes perpetuo eliminentur. Perficiendum hoc tam ante, quam poſt paroxyſmum, & obtinendum, non per potentia ſudorifera, ſed ea, quæ ſolidorum tonum intendendo, progreſſum ſanguinis accelerant ſicque ſudorem eliciunt. Singularis hunc in finem virtutis eſt validior corporis motus, per equitationem, ſaltationem, aut ambulationem, aliquot ante paroxyſmum horis inſtitutus, quo ego quartanam multoties diſcuſſam eſſe novi. Priſcum enim jam *Celſi lib. III. c. 15.* hoc eſt præceptum: *quo die quis febrem exſpectat, ante ſurgere & exercere dareque operam oportet, ut in ipſam exercitationem tempus febris incurrat. Sic enim ſæpe illa diſcutitur.* Mira etiam hac in re virtus mixturæ innumeris experimentis comprobatæ hujus: recipe aquæ cardui benedicti uncias quatuor, theriacalis unciam ſemis, ſalis cardui benedicti drachmam, antimonii diaphoretici drachmam ſemis, ſpiritus vitrioli guttas viginti ad triginta, ſyrupi cardui benedicti drachmas duas. M. de qua, modo prius probe proſpectum fuerit primis viis repurgandis, tribus, vel quatuor horis ante paroxyſmum, dimidia, & deferveſcente hoc, reliqua dimidia portio ſumenda.

§. VII.

& poſt paroxyſmum.

Declinante quoque febre quum deferveſcente æſtu ſponte corpus madeſcit, cavendum, ne ſudor externa refrigeratione, vel potu frigido intercipiatur. Si ſecus fit, febris non modo diuturnior redditur, ſed & facile ſuccedunt contracturæ, nec non tumores pedum œdematoſi. Conſultum potius, temperato externo calore & diluente calido potu, ipſum placide promovere.

§. VIII.

Cum diſtinctione admittit vena ſectionem.

Sanguinis per venam ſectam miſſio, auferendis quartanæ cauſis directe quidem non reſpondet; nihilo tamen ſecius, ubi ſuſpicio eſt, febrem ab impedito ſanguinis per abdominis viſcera progreſſu ſuſtentari, uti in iis qui parhematibus hypochondriaco-hyſtericis obnoxii, fluxum hæmorrhoidalem antea experti, aut molimina ad hunc perſentiſcunt, utiliter utique vena in pede pertunditur, adeo ut unica venæ ſectione quartanam contumacem penitus diſcuſſam eſſe, obſervaverim. Quum etiam gravidæ tantum non omnes ſint plethoricæ, venæ ſectionem, ſi quartana corripiuntur, utiliter non modo ferunt, ſed & poſcunt, ne intenſo per ſpaſmos febriles ſanguinis motu, uterus ad præmaturam excluſionem ſollicitetur. Conſideranda igitur morbi tempora, ipſa corpora, vires & fluidorum ac ſolidorum diſpoſitio, ne perperam inſtituta ſanguinis ſubtractione, ſanatio difficilior fiat & ſpaſmi febriles acceſſionis tempore increſcant, uti pluribus in diſſertatione, *obſervationes clinicæ circa curationem quartanæ*, inſcripta, monui. Notabile autem eſt, quod ſanguis è quartanariorum vena emiſſus conſpicuum exhibeat vitium ac flaveſcente lenta pituita in ſuperficie obductus compareat, cujuſmodi cruſtam albam pituitoſam in venis etiam quartana defunctorum ſe inveniſſe teſtatur *Schenckius*.

§. IX.

Et vomitoria.

Vomitoriorum uſus in quartana pariter cum diſtinctione admittendus. Quando enim crudorum ac viſcidorum ſuccorum colluvies primis, ex nimia ingluvie, eſt in viis, ac ad vomendum proclivitas; expedit omnino, ut breviſſima via per emeticum exturbetur, antequam ſanguinem ſubeat & ſyſtema nervoſum afficiat. Conſultius tamen eſt, iſtud non adhibere, niſi viſcera ſalva,

ventriculus non adeo tener, nec genus nervosum nimis sentiens & debile, ac pulmones nulla labe infecti. Præferenda etiam tutiora & appropriata: ex illis palmam fert radix ipecacuanhæ, quæ præter vomitum moventem, aromaticam & balsamicam habet facultatem. Et inter hæc antimonialibus anteponenda venerea, vitriolum maxime cyprium, vel album, eo quod tam biliosos & glandulosos ductus simul constringendo, ulteriori affluxui materiæ febrilis aditum præcludunt, quam etiam fibras adducendo, & stimulando, ut firmius impacta nervosis partibus materia excutiatur, faciunt. Utraque vero sociata, in temperamentum quasi rediguntur, ut medicina emergat, tum ad stomachum deplendum, tum febrem expugnandam, apprime utilis.

§. X.

Optime fert chinæ corticem.

Chinæ cortex, cum ratione usurpatus, spectatæ adversus quartanam est utilitatis: tenendum tamen, non prius ad ipsius usum esse descendendum, quam perpurgatis probe primis viis, demta plethora visceribusque integris atque apertis. Tutior etiam est in quartana biliosa æstiva, quam quæ autumno vergente grassatur, & viscerum vitio succisque tenacibus fovetur. Tum præstat ipsum in decocto ex vino porrigere, adjectis amaris, aperientibus & diaphoreticis, uti sunt summitates centaurii minoris, herba cardui benedicti, radix gentianæ rubræ, pimpinellæ & sal tartari. Expedit quoque interdum in hac febre virtutem ipsius adjecto martis croco subtilissimo & sale volatili urinoso intendere. Interim si debito tempore, debita dosi & quantitate exhibebitur, & cum diaphoreticis & resolventibus rite permiscebitur, nocebit nunquam. De quo pluribus evolvendam commendo dissertationem, *de recto corticis chinæ usu in febribus.*

§. XI.

Nec non epicarpia.

Ad minuendos præterea, vel sistendos plane paroxysmos, in quartana, præsertim autumnali & rebelli, nec non quæ segniores naturas infestat & sopore stipatur, admodum efficacia reperi epithemata, ex acrioribus, stimulantibus leniterque vesicantibus composita & manuum carpis applicata. Plebeii quidem alio hunc in finem utuntur, sed ingratus nimis est inde fœtor, ideoque optime ejusmodi epicarpia concinnantur ex terebinthina, fuligine, sale ammoniaco, araneis contusis, pipere atque theriaca.

§. XII.

Mineralibus aquis quomodo utendum & quando.

Minerales aquæ, acidulæ præsertim ac thermæ, meo quidem judicio, tam ad præservationem, quam curationem intermittentium faciunt. Sed ante paroxysmum & in ipso plane ab iis abstinendum, & videndum, ut ante accessionem febris, aqua per emunctoria congrua jam sit evecta, ne motus febriles inde exacerbentur. Loco potus tamen temperatæ, uti superius meminimus, semper possunt assumi.

§. XIII.

Alvus clysteribus aperienda.

Si alvus in hac febre pertinacius clausa atque constricta, expedit eandem potius clysteribus, quam internis pharmacis sollicitare. Optima horum enematum ingredientia sunt, quæ præter vim emollientem, paregoricam & spasmos sedantem obtinent, ut summitates millefolii, flores chamomillæ vulgaris, sambuci, tiliæ, semen cumini, brodium carnis vitulinæ, vitellus ovi, cum pauxillo salis gemmæ. Opportune etiam quandoque iisdem specifica quædam antifebrilia, amara, nervina & roborantia commiscentur. Inter Gallos enim ab aliquot jam annis mos increbuit, intermittentes curandi per decoctum chinæ chinæ, crebrius per anum injectum. Idem tamen etiam cum aliis succedit antifebrilibus, ut carduo benedicto, centaurio minori, radice gentianæ, nec non herba majoranæ, rorismarini, abrotani & salviæ. Et certe apprime hæc methodus ex usu est in infantibus, & qui ventriculum minus firmum & facile nauseantem obtinent, hac tantum servata cautione, ut alvus prius emolliente & salino solvatur clystere, quam nervinus & roborans injiciatur.

§. XIV.

Quibus vandus capitis dolor.

Capitis dolores sævi, qui hisce febribus in provectioris præsertim ætatis personis, junguntur, ægre levantur. Potissimum lenimen sperandum ab iis, quæ alvum liberiorem reddunt, nec non à pediluviis, quæ sanguinis impetum à capite ad inferiora trahunt. Inter externa vero acetum rosaceum, item rutaceum, cum sale & nitro mixtum, pani inditum & applicatum, optimum affert solatium.

§. XV.

Recidivæ arcenda dietetica.

Quo demum pacto, ne quartana, uti frequenter fieri assolet, recurrat, sit præcavendum, egregium sane *Celsi* est consilium, *lib. III. cap. XVI* sic habens: *si febris quievit, diu meminisse ejus diei convenit, eoque vitare frigus, calorem, cruditatem, lassitudinem. Facile enim revertitur, nisi à sano aliquandiu timetur.* Hinc, paroxysmi inprimis die, vitare oportet ventos boreales, aërem compressum frigido-humidum, qualis esse solet in humilioribus, paludosis & subterraneis locis, & perspirationis successus custodiendus. Victus etiam exquisita habenda est ratio, ne nimium ingeratur, tanto minus ex alimentis difficilis solutionis. Animus quoque in tranquillitate servandus, & providendum, ne ira & terrore commoveatur, quo febrem quartanam sanis etiam compluries inductam novimus.

§. XVI.

Et pharmaceuticis.

Tum stomacho subveniendum, & elixiriis stomachicis, ex amaris & aromaticis confectis, digestio secundanda, crebro quidem ac diu, sed parcius iisdem utendo, ne debile jam corpus præter naturam exæstuet. Inprimis curandum, ut per alvi secessum, denuo succrescentes crudi succi, blande subducantur, eamque ob causam crebrius utendum pilulis balsamicis, vel nostris cinnabarinis, item de ammoniaco *Quercetani*, quibus, si per chinchinam febris suppressa, salis digestivi usus jungendus. Et his præsidiis non modo pessimæ recidivæ, sed & aliæ sæpius deteriores passiones, lentæ præsertim febres, opportune præscinduntur.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Quartana in gravida curata.

Generosa fœmina sanguinea, macilenta, quinto mense gravida, Septembri, posteaquam in nocturno, frigido, nebuloso aëre iter feciisset, incidit in quartanam, cui præter sueta symptomata, vehemens cephalalgia, summæ præcordiorum anxietates, vomendi conatus & inquietudo, juncta. Medicus amaram essentiam cum alexipharmaca, in paroxysmo & extra eum, quotidie ad guttas minimum sexaginta, porrexit, eo cum effectu, ut bini sequentes paroxysmi longe gravius impeterent, & superius dictis pathematibus intensissimus æstus, ventris tormina ac dorsi dolores accederent, & abortus plane esset metus. Meum hinc rogatum consilium & quæsitum: an venæ sectioni, quam reformidarat primus medicus, locus? Ego vero expensis circumstantiis, eandem oppido necessariam judicavi. Administrata igitur fuit sequenti post febrem die, & sanguis impetuose exsi-

exſiliit. Tum mixturæ calefacienti nimis ſubſtituti pulveres temperantes nitroſi, cum emulſione analeptica. Inde ſequens paroxyſmus mitior factus, & uſurpatis per aliquot adhuc dies iiſdem, demum electuario noſtro, parce, ſed iterato exhibito, penitus abacta fuit febris, & matre, & fœtu ſalvis.

Epicriſis.

Sicuti tempeſtiva ſanguinis miſſio gravidis, quæ ordinario plethoricæ, ad præcavendum abortum perneceſſaria; ita multo magis ex uſu eſt, quando motu febrili calido, vel medicamento exæſtuante, ſanguis in vehementem orgaſmum, ſive motum inteſtinum expanſivum, conjicitur. Feliciter igitur in hac febriente non potuit non ſuccedere febris curatio, poſteaquam ſanguis ſubtractus, calida rejecta & ſurrogata, quæ æſtum ſanguinis reſtinguunt. Corticem autem chinæ gravidis etiam non nocere, ſed circumſpecte datum inſigniter prodeſſe, tum hoc, tum aliis multis in comperto eſt exemplis.

Observatio II.

Quartana in cachectico in fineſtum hydropem terminata.

Quinquagenarius obeſus, vini ac cereviſiæ potator, hinc cachecticus, autumno quartana corripiebatur epidemica eademque per menſem detinebatur, pedibus ſimul tumidis, alvo adſtricta, cum ſopore ac torpore in paroxyſmo. Fruſtra datis multis, chinæ cortex tandem in uſum vocatus in decocto. Quo per hebdomadem uſurpato, febris ſiluit, ſed tumor dextri pedis cum dolore obortus, & enatum, initio ſuperficiarium, poſtea profundius ulcus, ſupra malleolum. Diſcuſſus tamen ligaturis & externis conſtringentibus aquoſis tumor, ulcus quoque conſolidatum. Brevi autem poſt rediit quartana & adhibitis incaſſum omnibus, per ſemeſtre ſpatium perſtitit, ægro interim diætæ incurio & lac in paroxyſmo copioſe ingurgitante. Intumuit hinc venter, urina parce ſtillavit, ſpiritus anguſtus factus, ſcrotum quoque cum pedibus tumefactum, ſuperiora autem tabida, ſequutus hydrops aſcites, quo æger extinctus.

Epicriſis.

Perperam tumor pedis vi repreſſus & ulcus ſiccatum, quum quartanæ haud raro his terminentur, iiſdemque repulſis, & fiant primum, & repetant. E re potius fuiſſet, cachexiam & viſcerum labem oppugnare, & internis magis, quam externis morbo occurrere. Sic omnino recidiva declinari & æger ſervari potuiſſet.

Observatio III.

Quartana tertiana per ſaliuationem.

Juvenis literatus, compotationibus in ſeram noctem ſubinde indulgens, autumno pluvioſo ſub itinere incurrit tertianam primum. Cujus æſtum, quum pomis citriis in taleolos diſciſſis & julapiis copioſis exſtingueret, ſucceſſit quartana, cum exquiſito contuſivo artuum dolore, capitiſque ac pedum quaſi rigore, alvo ſimul clauſa & urina cum ardore ſtillante. Diu hæc febris & medicos & medicamenta eluſit. Tandem datus hic pulvis: Recipe coralliorum, ſalis abſynthii, mercurii dulcis ana drachmam, olei caryophyllorum guttas ſex, laudani opiati grana quatuor. Sumtus is quotidie bis, eodemque intra triduum conſumto, ſalivatio oborta, poſt quam febris diſceſſit. Sed periculi non expers erat ſalivæ fluxus, quum per quatuordecim integros dies, quotidie ſæpe ad menſuras duas, ſuccederet, æger neque ſomnum capere, nec ſolidi quicquam aſſumere poſſet, manus & pedes frigerent, faucium & gingivarum caro mirum tumeret, fœtidiſſimus exſpiraretur halitus, corpuſque debile & marcidum redderetur. Hinc pedes immiſſi ter quotidie pediluvio, ex vino, aqua & herbis aromaticis. Alvus ſubducta clyſtere ex floribus chamomillæ, herba meliſſæ, origani, ſalviæ, oleo chamomillæ cocto, cum ſale communi interius laxante ex manna, caſſia, rhabarbaro & foliis ſennæ. Potui datum decoctum ex ſarſaparilla, china radice, ligno juniperino & maſtiche, cum regimine ſudorifero. Fauces elotæ decocto ſalviæ, menthæ criſpæ, florum roſarum rubrarum, balauſtiorum, ſambuci & radice plantaginis, ex vino, adjecta poſtea eſſentia maſtiches & myrrha. Et circa ſomni tempus oblatus pulvis bezoardicus cum theriaca cœleſti & oleo ligni ſaſſafras. His intra menſem ſublata omnia, & æger ad ſanitatem traductus.

Epicriſis.

I. Abuſus acidorum & pomorum citriorum tertianam in quartanam commutavit utique. Fixiorem enim & lentam reddidit febris materiam, ſimulque primas vias acidorum & ponticorum ſuccorum copia opplevit. Et hinc etiam ratio ſubſequentium incommodorum petenda.

II. Ex vero ſcribit *Williſius de febr.* quartanarios promtos eſſe ad ſalivationem, ex levi etiam mercurialium doſi, & quartanam etiam ſæpe ſalivatione ſolvi. Utrumque confirmatur hoc caſu. Ratio vero cur tam facilis ſit in quartana, ac uti ego obſervavi in tertiana etiam, ſalivatio, hæc mihi videtur; quod, qui eadem decumbunt, primam regionem, ſalſis, acidis partim, partim bilioſis acribus ſuccis, gerunt obſeſſam, à quorum ſalſedine mercurialium vis mire intenditur. Neque tamen reticendum, enormis in noſtro ægro ſalivationis cauſam potiſſimum fuiſſe, quod mercurius dulcis cum coralliis in calcem uſtis & ſale abſynthii intenſius tritus fuerit atque commixtus. Inter omnis enim generis ſalia, fixa potiſſimum alcalina, cum mercurialibus peſſime miſcentur, & validiori tritu, draſticam, humores ſalivales & lymphaticos fortiter commoventem facultatem acquirunt. Memini etiam paratum à medico in contumaci quartana decoctum, ex cortice chinæ, ſale tartari, terra foliata tartari, mercurio dulci & aqua communi, vix coërcibilem concitaſſe ſalivationem. Idem contigiſſe novi in quartana ab oblato mercurio dulci cum ſpecifico *Mynſichti*. Hinc auctor ſum, ut, qui tuto uti velit mercurialibus, eadem nunquam triturando exactius miſceat cum ſalibus, vel ſalia prorſus omittat.

Observatio IV.

Quartana chinæ cortice & corrupta & ſanata.

Robuſtus & plethoricus vir, vitæ ſedentariæ cum craſſiori victu addictus, animi affectibus indulgens & ab anno hæmorrhoidarius, Octobri menſe, ſine præcedente externa cauſa, inhorreſcere cœpit, laſſitudine corporis & contuſivo artuum dolore affligi, pituitam viridem copioſam evomere, cum inſigni præcordiorum angore, ſubſequutus calor univerſi corporis, cum cephalalgia, cuti arida & urina naturali. Quarto die hæc recurrerunt, ideoque medicus quartanam eſſe judicavit & elixirium amarum cum ſpiritu ſalis ammoniaci, nec non infuſum herbæ thee, ante paroxyſmum, largiter ingerere juſſit. Sed ingraveſcente inde morbo, ad ſpecifica magis deſcendit, & chinam chinæ, tam intermiſſionis, quam paroxyſmi tempore, liberali manu porrexit. Licet etiam pectus inde longe gravius opprimeretur & vires corruerent, eodem tamen inſtitit, eo cum effectu, ut alvus pertinacius obſtipare-

tur, vomitus in paroxyſmo cum mirifica anxietate erumperet, hocque non ſuccedente, lipothymia plane ingrueret, ac febris in continuam videretur mutata. Accitus igitur alius medicus, qui venæ ſectionem inſtituens, paroxyſmum effecit illico mitiorem. Intercalaribus poſtea diebus infuſum leniter evacuans, ex foliis ſennæ, radice cichorei, herba taraxaci, paſſulis, tartaro tartariſato, & ſyrupo roſarum ſolutivo, ex vino, per quatuor vacuos à febre dies ſumendum ſuaſit. Præcepit etiam ut clyſtere emolliente alvina regio expurgaretur ac ipſo in paroxyſmo dorſi ſpina & pedes linimento nervino inungerentur. His deferbuit magis adhuc febris, dolor oſtocopus ſublatus, urina reddita largior & ſudor liberalius prodire cœpit. Tranſactis autem ſic quatuor ſeptimanis, pulverem ſupra deſcriptum ex martis limatura, cortice chinæ, mercurio dulci &c. duodecim doſibus obtulit, exſpirante ſenſim febre & ægro, conſumto hoc pulvere, ad perfectam ſanitatem redeunte.

Epicriſis.

Docet hæc hiſtoria, pernicioſum eſſe ſpecificorum uſum ante correctionem & evacuationem humorum nocentium, præſtabilem viciſſim leniter evacuantium, nec non pulveris ex aperientibus metallicis cum chinchina, facultatem. Et certe tutiſſimus cortex hic eſt, ſi cum laxantibus & diaphoreticis propinatur. Neque enim alia ipſius ratio ac opii, cujus ſoporifera virtus adjectis purgantibus, ſudoriferis, vel etiam diureticis & analepticis, ita cicuratur, ut in innoxium quaſi temperamentum redigatur. Hinc ſerio auctor ſum, ut febrifugum hoc, præſertim in corporibus viſcerum obſtructione & infarctu laborantibus, nunquam ſolum, ſed aperientibus præmiſſis, vel iis nuptum, exhibeatur.

Observatio V.

Quartana purgatione curata.

Quum anno CIↃIↃCCXIX. ob ſiccum & calidum per integros fere quinque menſes regnantem aërem, hcic graſſarentur febres varii generis, quartana etiam correpta fuit juvencula ſanguinea mollioris & laxioris carnis. Poſt quartum paroxyſmum chirurgus per ſectam in brachio venam largiter ſanguinem ſubtraxit, & die poſt pilulas dedit valide purgantes, quibus intra nycthymeron vigeſies dejectum. Perſtitit hic alvi fluxus per aliquot dies cum torminibus, licet non tam numeroſis ſedibus, ac demum ſanguis plane cum muco ſeceſſit. Febris autem inde mitior facta & poſtea plane diſcuſſa. Cruentum etiam alvi profluvium, potibus demulcentibus ex floribus chamomillæ, ſambuci cum lacte, item pulvere antidyſenterico *Klapperbeinii*, ex bolo Armena & cortice chaccarillæ compoſito, feliciter ſublatum.

Epicriſis.

Frequentes hoc anno erant & dyſenteriæ, & varii generis febres, ex una eademque cauſſa, impuris nempe, excrementitiis, acribus, bilioſis ſordibus in corpore genitis, perſpiratione ſuppreſſa retentis, atque in primis viis & duodeno potiſſimum collectis, quæ poſtea tranſmiſſæ ad ſanguinem vel per inteſtina, vel per habitum corporis motu febrili, critice quaſi expulſæ fuerunt. Secta igitur in febriente hac vena, perſpiratio fuit imminuta, per draſticum purgans autem impetus humorum ad inteſtina proritatus, factaque ibi majori acris bilioſæ materiæ excretione, febrilis ſpaſmus, ab hac ſuſcitari ſolitus, ceſſavit. Nam ſub eadem epidemica febrium affectione obſervavimus dyſenteriam præpoſtere cohibitam, febres curatu admodum difficiles induxiſſe.

Observatio VI.

Quartana ſæpius recidivans curata.

Sub principio autumni, quo frequens erat quartana, invaſit etiam ſolitis pathematibus plebeium juvenem, poſt copioſe ingeſtum potum corporiſque refrigerationem ſtatim ab ira. Superato quinto paroxyſmo, tria tartari emetici & quindecim tartari vitriolati grana, ſex ante acceſſionem horis data, quibus cum magna præcordiorum anxietate pituitoſum liquamen cum bile evomuit. Ex eo in quotidianam, quæ typum non ſervabat, converſa eſt febris. Oblati igitur pulveres abſorbentes, ſalini, nitroſi & cinnabarini: inde febris brevior & mitior, alvus laxa & ſudor declinante impetu largus. Elapſis aliquot hebdomadibus, debito tempore ac doſi uſurpatum electuarium febrifugum & febris ſucceſſive abacta. Sed quum liberatus obvia quævis ingereret, corpus à frigore non defenderet, rediit febris, quæ tamen poſt aliquot paroxyſmos, balſamo vitæ ad XXX. guttas, in duabus aquæ menthæ unciis, tam ante, quam poſt paroxyſmum, ſumto, iterum diſcuſſa. Breves autem & hæ erant inducíæ. Reconvaleſcens quippe appetitui liberalius indulſit, nec à frigore ſibi cavit, ideoque in eundem recidit morbum. Dedi hinc conſilium, ut grana XV. piperis albi leniter contuſi, cum aliquot cochlearibus ſpiritus vini, quatuor ante paroxyſmum horis ingereret & in lecto ſudaret. Quo demum quater uſurpato, factum, ut febris penitus diſcederet.

Epicriſis.

I. Febres, præſertim quartanæ, in nullis frequentius recidivant, quam in plebeiis. Hi enim neque diæteticis legibus obtemperare, neque ex præſcripto medici vivere ſueſcunt. Unde plerumque tam ob cohibitam perſpirationem, quam ingeſtos multos & graves cibos, promte iterum fomes colligitur febrilis. Ne igitur in morbum erumpat, vel emeticis ſuperius, vel ſalinis deterſivis & balſamicis laxantibus inferius, educendus, vel etiam medicamento digerente ſtomachico præſcindendus, cujus generis maxime eſt piper, in plebeiis ſummopere proficuum.

II. Sudor ante paroxyſmum convenienti remedio atque regimine prolectus, neutiquam nocet, ſed ad febrem vincendam ejuſque inſultum arcendum, quam maxime ſalutaris, ſecus ac communis medicorum fert ſententia. Ego certe multis confirmatum habeo exemplis, ſudore ante paroxyſmum per accommodata medicamenta provocato, modo prima regio à fermento febrili prius exquiſite depleta fuerit, cutis inhorreſcentiam & ſpaſmum, ſine quo nullus ſubſequi poteſt æſtus, fuiſſe prohibita, ipſamque febrem fugatam. Decumanus etiam error eſt, febrilem materiam demum paroxyſmo finito expelli ſudore. Tantum enim abeſt, ut febrem ſudoribus poſt paroxyſmum, vel intercalari die largis, cum ſalute terminatam viderim facile unquam, ut potius, ipſi hi largi ſudores debilitatem partium & atoniam cutis indicárint, corpus ad novum paroxyſmum diſponentem.

Observatio VII.

Quartana in quotidianam ſæpe recidentem mutata.

Puer decennis, facie lividus & palleſcens, abdomine turgidus, appetens tamen ciborum, ex refri-

refrigeratione ſub aura veſpertina contraxerat quartanam. Opponebantur amara in eſſentiam redacta. Sed aucta inde appetentia, corporiſque nocturna denudatione accedente, in quotidianam poſt decem paroxyſmos tranſiit febris. Hinc datæ alternis diebus pilulæ noſtræ in vehiculo liquaræ, & cereviſiæ potandæ menſuræ indita bina cochlearia liquoris ex ſalis tartari, nitri, ſalis ammoniaci, arcani duplicati ana drachmis duabus, in aquæ fontanæ libra liquefactis & decem extracti croci granis adjectis. His intra trium hebdomadum decurſum febris diſcuſſa, abdomen detumuit atque ex facie liveſcens color deterſus. Sed poſt quatuor hebdomades rediit febris quotidie, quæ quidem iiſdem brevi profligata, poſt duos autem menſes denuo repetiit, iiſdemque iterum fuit abacta. Quia autem animadverti, cauſam tam crebræ recidivæ eſſe neglectum poſt febrem remediorum uſum & diætam inſalubrem, ſerio dulcibus, acidis, lacticiniis, caſeo, fructibus horæis interdixi, ac præcepi, ut ternis minimum diebus aliquandiu pilulis & liquore ſuperius dicto inſiſteretur. Sic demum febri expugnata, puer ex voto convaluit.

Epicriſis.

Ægre ex quartana levantur pueri; crebras experiuntur, etiam poſt longum tempus, recidivas, vel alios longos ex ventriculi imbecillitate morbos, vel etiam catarrhales defluxiones lentaſque febriculas incurrunt. Intereſt igitur, ut tempeſtive ſtatim in principio imminentia mala præſcindantur. Ego quidem ut plurimum vacuantibus medicationem cum ſucceſſu exorſus ſum. Ad alvum purgandam frequens mihi fuit pulvis Cornachinus, ex cremoris tartari drachma, antimonii diaphoretici granis XII. & diagrydii ſulphurati granis ſex, cui interdum nitri pauxillum addidi. Hunc in tres doſes diviſum, ter, ſex horis ante acceſſionem porrexi. Si vero nauſea & conatus vomendi adfuit ſimul, dimidium tantum tartari emetici granum uni doſi admiſcui. Sic expurgata ſordium colluvie, infuſum roborans, die vacuo omni bihorio ad cochlear unum, dedi ſic paratum: recipe corticis chinæ unciam ſemis, chacarillæ terræ foliatæ tartari, ſalis tartari ana drachmam, infunde unciis octo aquæ cardui benedicti, colaturæ adde julepi roſarum unciam ſemis. M. Si his febris non diſceſſit, indicium fuit infarctus viſcerum, aut obſtructionis glandularum in abdomine. Ad hanc ſubmovendam uſurpavi liquorem ſalinum ſupra deſcriptum, parca, ſed repetita doſi, ſimulque pro potu præbui decoctum diluens atque aperiens. Præparatis autem hac ratione primis viis & viſceribus reſeratis, non dubitavi, præſertim mitiore & breviore jam facto paroxyſmo, febrilem compeſcere ſpaſmum. In quo quidem conficiendo, tam in puerili, quam juvenili ætate, tutiſſimam inveni methodum *Helvetii*, per clyſterem ex decocto corticis chinæ, bis, vel ter, intercalaribus diebus injectum, præmiſſo tamen, ad educendas prius ſordes, clyſtere emolliente. Sic percurata fuit febris demum, neque unquam rediit, ſi modo convaleſcentes ſibi à refrigeratione, inflantibus & alvum conſtipantibus caverunt.

Observatio VIII.

Quartana in ſenefuneſta.

Senex generoſus octogenarius, per omnem vitam rarius morbis affectus, veſperi, poſt improviſum terrorem & ſuperingeſtum cibum, horrore & frigore corripiebatur, quod ſequebatur calor, ut noctem duceret inſomnem. Redibant hæc quarto die graviora, capitis dolore, artuum languore & præcordiorum anxietate ſtipata. Interim vacuis diebus ſic ſatis bene habebat æger, ſomnum & cibum capiebat. Poſt ſeptimum paroxyſmum conſulebatur chirurgus, qui bis ante paroxyſmum porrigebat emeticum, intermedio tempore pulveribus acribus ſalinis, cum zingibere & radice ari, febrem oppugnabat & potui ſuadebat decoctum lignorum temperatum. Invaleſcebant hinc paroxyſmi, inquietudo, ſenſuum torpor ac mentis plane emotio accedebant, die vacuo etiam perſiſtebat capitis dolor, virium & artuum languor, cum calore præternaturali, & appetentia ciborum plane intercidebat. Vocabar nunc ego ad ægrum per binos jam menſes febre decumbentem, nil vero ob plenariam & alimentorum & medicamentorum nauſeam efficere poteram. Interim quia alvus adſtricta & inflatio ventriculi cardialgica angebat, ſuadebam ut clyſter injiceretur emolliens, cum carminativis & ſtimulo ſalino, quo levamen & ſomnus procuratus. Carpis etiam emplaſtrum ad imitationem Strobelbergeriani imponi jubebam, quo mitior fiebat acceſſio. Interne nil niſi elixir temperatum balſamicum dabam, inprimis quum à ſalinis deterſivis majores ſemper præcordiorum anxietates oboriri viderem. Sed deficiente, ob nauſeam ciborum, febriſque, quæ in continuam quaſi concedebat, diuturnitatem, alimonia vires demum penitus exhauſtæ & mors ſequuta, ita quidem, ut bini penultimi paroxyſmi, intenſo ac diuturno horrore, rigore, anxietate, anheloſa ſpiratione, mentis emotione corporiſque jactatione, per quatuor vel quinque horas, cum pulſu admodum contracto & debili, inſiſterent, ſuccedente poſtea calore & pulſu in celeriorem mutato, ultimus autem eadem quidem impeteret vehementia, ſed nullus plane ſequeretur æſtus, & æger in ipſo rigore atque frigore interiret.

Epicriſis.

Quartana febris, *Hippocratis & Celſi* effato, per ſe quidem ſecura eſt, & neminem facile jugulat, immo, ſi rite decurrit, ad longævitatem ducit. Sed viſceribus inflammatis, aut labe affectis, recte monente *Galeno in lib. III. epid.* enecat quam plurimos, ſive ob aquam inter cutem, ſive omnimodam cibi abſtinentiam. In peſſimis enim eſt plenaria ejuſmodi ciborum averſatio, & ego quidem putreſcens tum quoddam viſcus eſſe obſervavi. Dumque nihil alimenti aſſumitur, corpori viribuſque ſubtrahitur pabulum, ut illud emacietur & hæ elangueſcant penitus. Tanto magis id accidit ſenibus & febre jam diu attritis. Dein ſenibus longæ ejuſmodi febres, ex animi affectu ortæ, admodum ſunt infeſtæ, & licet vires primum non adeo languidæ, cautiſſime tamen tractandæ, quum commiſſos in diæta, aut medicatione, vel leves errores, decrepiti graviter, haud raro capite plane, luant. Qui vero intermittentibus decedunt, ſub vehementia febrilium ſpaſmorum, qui fluida ad caput & interna vitalia organa urgent, ibique ſuccos penitus conſiſtere faciunt, pereunt; id quod non modo in quartanis, ſed & quotidianis, ſi continuæ factæ, animadvertitur.

Observatio IX.

Quartana ſimplex primum,

Juvenis, literarum perquam ſub vita ſedentaria ſtudioſus, Septembri menſe, aëre pluvioſo veſper-

postea duplex, demum triplex cum tumore pedum, curata.

veſpertino, iter ſuſcipiebat, in diverſorio bene prandebat, vinumque auſterum, non adeo bonæ notæ largiter bibebat. Veſperi domum rediens, paroxyſmo afficiebatur febrili, cum artuum languore, qui quarto die gravior & cum majori præcordiorum anxietate redibat. Sumebat hinc ex conſilio medici pulverem digeſtivum ſalinum, & in paroxyſmo, temperantem nitroſum. Alvo inde ſexies ſine torminibus ſoluta, febris defervescebat & levior reddebatur. Quum vero quinto poſt die, veſperi tempeſtate frigido humida medicum relaturus ſucceſſum ipſe adiret, domum reverſus, ex improviſo novum febrilem experiebatur inſultum, priori longe acerbiorem. Redibat idem poſtero die, tertius erat vacuus, quartus paroxyſmum primo, quintus ſecundo reſpondentem, inferebat, ut ſic quartana eſſet duplex. Alvus præterea erat ſtricta, ventriculus cardialgia premebatur, pedes tumebant ad genua uſque totiuſque corporis & faciei aſpectus erat turgidus. Exhibebatur ipſi liquor ſalinus, alcalinus, nitroſus, in paroxyſmo & extra eum & die intercalari pilulæ balſamicæ. Quibus alvus bis ſoluta & in ſimplicem rurſus mutata febris. Inſiſtebatur iiſdem eadem ratione remediis, & ſubſequebatur copioſus alvi fluxus, cum exquiſitis circa umbilicum torminibus, & tam acria noctu æque ac interdiu ſecedebant, ut anus fere eroderetur. Durabat hæc diarrhœa per aliquot dies, febriſque mitiorem inſultum faciebat, ſed tumor pedum cum gravitate & languore lumborum increſcebant potius. Poſt uſum mixturæ ex tinctura antimonii tartariſata, eſſentia chacarillæ & ſpiritu cornu cervi ſuccinato, adhuc quidem febris miteſcebat, ſed languor corporis, cum inappetentia, lurido aſpectu & pedum tumore, metum incutiebant haud levem. Datum igitur extra paroxyſmum electuarium ex rob ſambuci & juniperi, cortice chinæ & caſcarillæ, extracto centaurii minoris, ceruſſa antimonii, ſale cardui benedicti, cum ſpiritu ſalis ammoniaci, quo æger illico ſenſit virium incrementum, ſtomachus melius appetiit, obtuſus & gravativus artuum dolor diſceſſit, febris, poſt unum adhuc mitiſſimum paroxyſmum, penitus ceſſavit, tumor quoque pedum ſenſim ſubſedit & elapſo à primo inſultu menſe, integra reddita fuit ſanitas. Ad quam conſervandam, præter exquiſitam vitæ ac diætæ rationem, pilularum balſamicarum & elixirii ſtomachici uſus commendatus, & ſex jam elapſis ſeptimanis, nihil plane viſum eſt incommodi.

Epicriſis.

Plura ex hac obſervatione in uſum decerpenda. Eluceſcunt inde procatarcticæ cauſæ, quibus conſpirantibus, intermittens febris excludi poſſit, aëris nempe conditio, ſub qua tertianæ & quartanæ jam erant frequentes, imbecillis ex ſtudiorum intemperantia & vita ſedentaria ventriculus, perſpiratio ab aëre veſpertino, frigido humido intercepta & ſtomachus cibi ac potus minus ſalubris copia refertus. Alvo dein, & naturæ, & medicamentorum ope, ſoluta, paroxyſmus fractus, conceſſione autem in auram veſpertinam frigido-humidam rediit mox, eo quod recrementa halituoſa ac ſulphureæ indolis, per poros elabi ſolita, retroacta & ad primas vias ceu imbecilles partes delata, febrilem rurſus conſtituerunt fomitem. Quod autem ſimplex quartana in duplicem conceſſit, id mea quidem ſententia, factum à nimis copioſa ſentina ſuccorum vitioſorum, in ventriculo, propter ipſius imbecillitatem confluentium. A quibus tamen natura ſuo robore, arte adjuta, per crebriores ſedes ſe exoneravit, junctis ſimul ventris torminibus. Porro notabile & hoc, quod ſuccedente copioſo alvi ſeceſſu, tumor tamen enatus fuerit, imo increverit, luculento indicio, copioſas affuiſſe cruditates magnamque viſcerum ac partium externarum atoniam. Hinc ſumto electuario inſigniter roborante, redditoque per illud ventriculo & primis viis robore, vires ſenſibiliter cum appetitu reſtitutæ, febris fugata, tumor ſucceſſive ſubſedit, & ſanitas perfecte revocata. Ut adeo pateat, tumorem pedum, ſub ipſa febre oborientem, non ſic eſſe pertimeſcendum, ac eum, qui poſt febrem, præſertim male curatam, ſuccedit. Specificorum etiam antifebrilium & roborantium, quæ inter primas utique tenent chinæ & chacarillæ cortex, uſum, felicius longe ſuccedere, ſi corporis partes ipſeque ventriculus atonia potius, quam ſtrictura affectæ, & humorum potius copia, quam virulentæ indolis exiguæ molis materia, in vitio eſt.

Observatio X.

Auctoris methodus curandi quartanas.

Plures hactenus ſpeciales, de felici, æque ac infelici quartanæ curatione, enarravi practicos caſus. Jam non abs re erit, brevibus adjicere, qua ego in ſananda hac febre ut plurimum uſus ſim methodo. Nimirum primum fuit, ut ad contemperandos acidos ſalſos, & liquandos viſcidos ſuccos, nec non obſtructiones reſerandas, ter vacuo die, & una vel altera ante paroxyſmum hora, cum hauſtu cereviſiæ tenuis, præberem cochlear liquoris ſalini, ex ſale tartari, ammoniaco, nitro, tartaro vitriolato, ſive arcano duplicato & cortice chacarillæ ſingulorum uncia ſemis, ſoluta in libris duabus aquæ cardui benedicti, ſive chamomillæ vulgaris, adjecta demum drachma dimidia extracti croci. Superato tertio paroxyſmo, elixirio uſus ſum antifebrili, ex radice pimpinellæ albæ, contrayervæ, vincetoxici, ligno colubrino, cortice chaccarillæ ana uncia ſemis, extracto cardui benedicti, ſcordii, ſalis tartari ana drachmis duabus, extractis cum ſpiritus theriacalis & liquoris anodyni mineralis ana uncia, ſpiritus vini tartariſati octo, aquæ florum ſambuci quatuor unciis; dando illud poſt paroxyſmum ter quotidie, ad quinquaginta, vel ſexaginta guttas, cum potu calido, ad ſudorem placide eliciendum: diſceſſit hinc ſæpe febris. Quando vero perſtitit, infuſum laxans ſuperius deſcriptum, diebus intercalaribus mane exhibui, & veſperi modo dictum liquorem ſalinum. Poſt aliquot autem dies electuarium febrem fugans, ex rob ſambuci, juniperi ana uncia, corticis chinæ, chaccarillæ ana uncia ſemis, extracti centaurii minoris, ſalis ammoniaci, antimonii diaphoretici ana drachma, julepi roſarum uncia una cum dimidia, exhibui tempore à paroxyſmo vacuo, bihorio quovis, magnitudine nucis moſchatæ. Si etiam interea alvus officii oblita, clyſtere domeſtico eam ducere juſſi, vel elixirium, ex maſſæ pilularum balſamicarum uncia ſemis, ſoluta in unciis quatuor aquæ fumariæ, cum uncia olei tartari per deliquium, ad centum guttas porrexi. Diſcuſſa ſic febre, ad recidivam declinandam, octiduo ſemel deglutitæ pilulæ balſamicæ, vel à robuſtioribus efficaciores, ex gummi ammoniaci, extracti hellebori nigri, croci, mercurii dulcis, cinnabaris ana drachma, trochiſcorum alhandal drachma dimidia, triginta granorum

pon-

pondere ſumtæ. Uſurpatum præterea quotidie elixir ſtomachale & injunctum exactum in vita victuque moderamen: quibus nunquam fere febris rediit; ſi vero forſan id factum, vecte opus fuit. Ideoque aggreſſus eam ſum emetico, ex radice hypecacuanhæ, vitriolo cyprio & croco, ac ſubjungendo ſtatim electuarii uſum, penitus expugnavi. Qua etiam ratione, me multoties quartanam epidemicam & ex ingluvie ortam, in plebeiis potiſſimum, prima in herba jugulaſſe, teſtor.

Epicriſis.

Methodo hac frequentius ſummo cum fructu quidem uſus ſum, nihilo minus illud adjiciendum in gratiam eorum, qui praxin cum judicio & ſufficiente ratione exercere nituntur, putavi, ut non talem methodum in ullo morbo univerſalem medendi dari autument, quæ perpetua ſit, & in omnibus caſibus & circumſtantiis promiſcue applicari poſſit. Illud enim ſatis ſerio inculcare ſoleo meis auditoribus, nec remedia adverſus morbum, certæ ſemper efficaciæ, nec unam eandemque medendi dari methodum, ſed individualem & ſpecialiſſimam, ex ſollicita hiſtoriæ morbi & maxime corporis ægrotantis & morbificæ cauſæ exploratione, prævia ſufficienti meditatione & deliberatione, inveniendam eſſe, quæ in eo conſiſtit, ut non modo remedia, quibus utendum ſit, cognoſcantur, ſed & quo ordine, qua doſi, quo tempore, & quamdiu cum iis continuandum, exquiſita ratione & experientia, qua optime vires & remediorum virtutes perſpiciendæ & addiſcendæ, judicetur. Memorabilis præter allatos caſus, exſtat *Tom. II. Conſult. medic. Sect. IV. Obſervatione CLXXX.*

CAPUT III.

De Febre Quotidiana.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

ET quartana, & tertiana, ex intermittentibus rarior eſt quotidiana, quæ ſcilicet ſingulis diebus accedit & ſolvitur, ſubſequente poſtea aliquot horarum intermiſſione. *quæ dicitur.*

§. II.

Acceſſio hujus febris primo mane, hora circiter quarta, aut quinta, evenit cum frigore & horrore, ſine rigore tamen. Sub hoc cardialgica præſto eſt nauſea & ventris inflatio, in nonnullis capitis dolor, in aliis animi defectio, in plurimis vomitus, vel alvi ſeceſſus, vel etiam utrumque. Excipit poſtea calor magis lentus, quam mordax, cum ſiti minus intenſa. Pulſus, inordinatus antea & debilis, increbeſcit, non adeo durus tamen eſt, ſed mollior: neque urina flammea, ſed potius cruda ex citrino turbida; multis etiam inſuperabilis fere in ſomnum proclivitas. Paucus demum prodit ſudor: & elapſis decem, vel ultra horis, diſcedit paroxyſmus, corpus hebes & grave relinquens, ſtata poſtero die hora reverſurus. *itima & ria.*

§. III.

Sic quidem incedit & decurrit febris exquiſita quotidiana intermittens. Quæ vero typum hunc non ſervat, ſed vel meridie, vel circa veſperam, vel etiam vago invadit tempore, notha appellatur, errarica, aut anomala. *ando- notha- vaga.*

§. IV.

Irregularis hæc quotidiana, haud raro obſervatur epidemica: tum nempe, quando irregularis ac inordinata diuturna temporum anni fuit conſtitutio. Ego quidem, poſt continuum intenſum æſtate anni MDCCXXVII. & XXVIII. calorem, obortas vidi, pro diverſa corporum conſtitutione, tam diarrhœas & dyſenterias, quam varii generis intermittentes febres, & inter has potiſſimum quotidianas. *Epidemica.*

§. V.

Intermittens autem eſt, de qua agimus quotidiana, ideoque non permutanda cum quotidiana continua. Quæ quidem pariter prima luce cum frigore accedit, ſed calor & languor, cum pulſu celeri ac debili, inappetentia & interdum colliquativus ſudor, per totum reliquum tempus durant. Et ſi longior, ut plurimum funeſta, ægris, fractis penitus viribus, ſub ipſo frigore pereuntibus. *Differt à quotidiana continua.*

§. VI.

Neque etiam confundenda cum catarrhali. Hæc quippe benigna, veſperi cum leniori refrigeratione accedit, mane deferveſcit & catarrhoſis defluxionibus ſatis eſt conſpicua. Et maligna ex repentina inſigni virium proſtratione, & agrypnia facile innoteſcit, neque penitus intermittit, ſed tantum remittit. *A catarrhali benigna & maligna.*

§. VII.

Differt quoque ab aliis intermittentibus. Quando enim ex tertiana ſimplici fit duplex, ſingulis etiam diebus impetit paroxyſmus, ſed inſultus tempora alternatim ſibi reſpondent; aliæ ſunt cauſæ, alia medicatio. *Tertiana duplici.*

§. VIII.

Si ex quartana inſultus quotidianus, triplex dicitur quartana & paroxyſmus non quotidie eadem hora venit, ſed quarto quovis die, quoad acceſſionis terminum, conſpirat; diverſa etiam, ob diverſas cauſas, ineunda medendi ratio. *Quartana triplici.*

§. IX.

A lenta demum febre diſtinguitur, quod illa poſt paſtum & circa noctem ſine horrore obrepat, cum calore in volis manuum plantiſque pedum, noctu etiam magis affligat ſudore ſtipata, mane vero tepeſcat, nec tamen penitus intermittat. *Et lenta.*

§. X.

Jam ſicuti omnis febris proxime nervoſi generis eſt affectio; ita formalem pariter quotidianæ rationem ſpaſtica nervoſarum partium & ſyſtematis vaſorum agitatione abſolvi, indubium plane. Hic autem præternaturalis febrilis motus, per materiam, à naturali & blanda humorum vitaliun indole plane alienam, ad ſanguinem delatam, nec tamen cum ipſo miſcibilem, inducitur. *Ejus cauſa.*

§. XI.

Nimirum primæ ſic dictæ viæ, ventriculus, duodenum & potior jejuni valvuloſi portio, ſunt illud latibulum, in quo vitioſa materia fermenti inſtar hoſpitatur. Inde per vaſa lactea ad ſanguinem & ſuccos tranſmittitur, & cum his ad ſentientes internas partes delata, eaſdem exagitat & ad extraordinarium motum ſtimulat. Et certe in quotidiana etiam febre, primam maxime regionem, varii generis vitioſorum, corruptorum, viſcidorum, acido-bilioſorum ſuccorum ſaburra, ſcatere, plura ſunt quæ uberius evincunt. Etenim junguntur ipſi ordinario fere ructus, nauſea, *Ex vitio viſcerum.*

nauſea, cum conatu vomendi, inappetentia, cardialgica inflatio, præcordiorum anguſtia & pectoris oppreſſio, interdum tenſivus, pungitivus ac morſicans dolor, ad dorſum excurrens. Fœdus dein ut plurimum & ingratus ſapor in ore percipitur, quandoque amaricans, aliquando ſubdulcis nauſeoſus, non nunquam nidoroſus plane. Ipſa demum febris naturæ beneficio per crebriores dejectiones alvi ſponte haud raro ſolvitur, in artificioſa autem medicatione, per ſuperius & inferius os evacuantia, cum ſtomachicis, utramque faciunt paginam.

§. XII.

Sedes in primis viis. Quia tamen longior ut plurimum hæc eſt febris & ad plures ſæpe menſes trahitur, juſta utique ſuſpicio eſt, labem in imi ventris penetralibus ſubeſſe firmius radicatam. Organa quippe ſecretoria, glandulæ & glanduloſæ inteſtinorum tunicæ, remiſſa nimis ſunt atque laxata, ideoque loco ſubtilis lymphatici ſalivalis ſucci, copioſum impurum & ſeroſum plorant. Reliqua quoque ſanguinis depurationi dicata viſcera, hepar, lien & pancreas, ob dejectum robur & languidiorem per ipſa ſanguinis progreſſum, ſuccum lymphaticum & bilioſum minus purum in digeſtionis officinam mittunt. Hinc alimentorum ſolutio & chyli elaboratio turbatur, multæque ſeroſæ & corruptæ cruditates prima in regione & gignuntur, & cumulantur, quæ ipſa mora deterioris indolis factæ, & ad ſanguinem delatæ, febrilem, uti diximus faciunt motum.

§. XIII.

Cur quotidianus inſultus. Quod autem crebrius, quam in aliis intermittentibus, febris inſultus in quotidiana impetat, ob eminentiorem primarum viarum imbecillitatem fieri arbitror. Hæc enim quam maxime cruditatum proventui favet, & facit, ut prompte eædem iſtuc confluant, cito ibi colligantur, breviori etiam tempore ſanguinis maſſam ſubeant & ad nervoſas ſpinalis medullæ membranas deferantur.

§. XIV.

Cauſæ antecedentes & ſubjectæ. Hinc igitur porro eſt, quod omnia quæ viſcerum flacciditati inducendæ & crudorum ac impurorum ſuccorum proventui favent, ad hanc febrem ſternant viam. Inſidiatur potiſſimum hominibus ſegnioribus, otioſis, inordinata & cruda diæta utentibus, crapulæ ex cereviſia, nec non mœrori ac curis nimium indulgentibus, item qui debilem ob prægreſſos morbos, vel ſanguinem effuſum, nacti ſunt ventriculum. Frequentius etiam infeſtat hyberno, autumnali nubilo cœlo, ſenes magis & pueros, fœminas plus quam viros, pituitoſos, phlegmaticos & ſanguineos, præ bilioſis & melancholicis. Ex aliis quoque intermittentibus promta ipſius geneſis: tum ſcilicet, quando æger incongrua vorat, vel crebrius animo movetur, quando purgantibus & emeticis validioribus ſtomachi robur atteritur, anodyna, calida & ſpirituoſa uſurpantur, aut penſi habita primarum viarum repurgatione, adſtringentia & ſpecifica præpoſtere adhibentur.

§. XV.

Exquiſita longa, vaga non. Ceterum quotidiana exquiſita, ex viſcerum atonia oriunda, longius ut plurimum trahitur, multumque negotii medico faceſſit. Quæ vero vaga, populares habet circuitus & ſuccorum tantum vitio debetur, facilius ſanationem recipit.

§. XVI.

Continua propinqua magis anceps. Minus dein periculoſa eſt, quæ plenariam paroxyſmi habet intermiſſionem. Sed quæ ad continuæ indolem inclinat, & ubi ſoluta febre, languor tamen virium, cum pulſuum debilitate & frequentia perſiſtit, corpuſque ſudore diffluit, ita, ſi ad aliquot menſes producitur, vires enervat, ut æger haud raro ſuccumbat.

§. XVII.

Quæ etiam ex intermittentibus, præſertim quartana, ſuccreſcit, rebellis & periculi plena eſt, priſco jam *Celſi lib. III. c. XV.* teſtimonio: *quartana*, inquientis, *neminem jugulat, ſed ſi ex ea facta quotidiana, in malis æger eſt.* Magnum enim viſcerum vitium ſubeſſe indicat & continuæ plerumque eſt propinqua. *Ex intermittentibus per loſa.*

§. XVIII.

Quando incipiente acceſſione bilioſi & pituitoſi vomitus, vel ſeceſſus, eveniunt, bonum, niſi forſan ex febris diuturnitate vires jam nimium fuerint exhauſtæ. Sudor quoque declinante paroxyſmo placide erumpens, & urina poſt febrem copioſior cum ſedimento ſecedens, vehementiam inſultus minuunt, febriſque felicem ſolutionem nunciant. *Si excenes ad bonum*

§. XIX.

Contra ea, ubi excretio nulla, febris etiam per longum nimis tempus detinet, viſcera demum labem contrahunt & cachexiæ, febres lentæ & hecticæ, tabes, in diſpoſitis etiam phthiſes, ſuccedunt. *Si ne malus*

§. XX.

Idem perquam facile evenit, quando adſtringentia & ſpecifica febrifuga præpoſtere adhibentur. Et ſi calidioribus ſudoriferis & eſſentiis alexipharmacis ſpirituoſis acria ex prima regione recrementa in ſanguinem aguntur, expeditus in continuam, cum ſudore perpetuo & virium jactura, eſt tranſitus. *Ex pe ſa me tione morbi*

§. XXI.

Qui autem hac febre demum decedunt, in his frigus longe eſt intenſius ac magis diuturnum, cum rigore, virium proſtratione mentiſque turbatione. Hoc plerumque bis adhuc excipit calor, ſub tertio autem inſultu, pulſuum ictus debiles manent & inæquales, ipſumque frigus in rigorem tranſit emortualem. *Mort ſigna*

INDICATIONES CURATORIÆ cum *METHODO MEDENDI GENERALI.*

§. I.

Indica nes cu riæ tr QUum itaque cauſæ quotidianæ intermittentis, cruditatum ſeroſo viſcidarum prima in regione ſaburra, viſcerum & glandularum flacciditate & impedito ſanguinis per imum ventrem progreſſu contineantur; omnis omnino medicatio merito eo dirigenda: ut I. impuri illi & pravi ſucci è primis viis, præparati prius, per congrua emunctoria proſcribantur; II. viſcera à tono dejecta roborentur & ſic cruditatum ulterior proventus arceatur; & III. liber ſanguinis per viſcera abdominis & inteſtinorum canalem, tanquam digeſtionis & chyli elaborationis officinam, circulatio reſtituatur.

§. II.

Proſun ſalina neutra. Primum ut ex voto perficiatur, laudata eſt virtus incidentium & abſtergentium, & quidem ſalium neutrius generis, inter quæ primas tenent ſal ammoniacum depuratum, digeſtivum *Sylvii*, ex capite mortuo ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſi, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſal Ebshamenſe, Sedlicenſe, nitrum antimoniatum.

acria aromatica.

tum. Dein commendanda etiam, quæ ſale acri aromatico pollent, uti radix ari, calami aromatici, pimpinellæ albæ, coſti veri, zedoariæ, canella alba, zingiber, piper album. Quæ in pulverem redacta, ſalibus dictis mixta, & adjecta una vel altera guttula olei carminativi, egregiam ſuggerunt medicinam antifebrilem.

§. III.

ilulæ alſamicæ n ſali-s.

Ad primæ æque ac ſecundæ indicationis ſcopum obtinendum, exturbandas nempe leniter per alvum ſordes, roborandum ſimul tonum ventriculi & inteſtinorum, eorumque turbatum motum reſtituendum, ſalubritatis laudem merito ferunt, pilulæ balſamicæ Beccherianæ, Stahlianæ & noſtræ, maſſa etiam pilularum aloephanginarum, de ſuccino *Cratonis*, item *Solenandri*, præſertim ſi una cum ipſis ſalibus offerantur.

§. IV.

mara & borantia.

Potiſſimum vero ad reddendum viſceribus abdominis robur ac impediendum impurorum ſuccorum in digeſtionis officinam affluxum, ex uſu ſunt elixiria amara cum martialibus mixta, uti quidem eſt meum temperatum balſamicum, ſine ſpiritu vini paratum, cum liquore alkalino. Vel eſſentia chaccarillæ cum eſſentia gentianæ mixta. Vel etiam elixiria ſtomachica, uti noſtrum, vel *Michaëlis*, additis aliquot guttis tincturæ martialis, ex floribus ſalis ammoniaci martialibus, cum ſpiritu corticum aurantiorum rectificato factæ.

§. V.

hermæ primis acidu-.

Et his quidem etiam promovetur egregie ſanguinis per abdominis vaſa ipſamque digeſtionis officinam progreſſus. Interim ſi refractaria admodum febris repetit, & ab inordinata diæta ſuſtentatur, omnia ſalubritate antecellunt medicatæ aquæ, thermæ potiſſimum atque acidulæ, uti Carolinæ & Egranæ tepefactæ, quæ debito cum regimine, intermixtis amaris, balſamicis & anticachecticis, uſurpatæ, viſcidas ſordes diluunt, per alvum & urinam cum ſeroſis evehunt, infarctus expediunt, liberumque ſanguini reddunt commeatum.

§. VI.

lethodus edendi.

Specialis autem medendi cum hiſce præſidiis methodus, pro temperamentorum, ætatum, anni temporum ratione, corporum conſtitutione, diſpoſitione primarum viarum, ſexu, morbique cauſa inſtituenda, & ſingulis his, tam doſis remediorum, quam ſumendi ratio accommodanda. In genere tamen tenendum: horis à paroxyſmo vacuis pulveres ſalinos cum incidentibus eſſe exhibendos, tertio vel quarto die ventrem ſolvendum pilulis, ita tamen, ut operatio earum accedente paroxyſmo, jam ſit abſoluta, declinante paroxyſmo erupturum ſudorem quiete & calido potu eſſe promovendum, ac demum ſubjungenda roborantia, amara, martialia & antiſebrilia. De quo tamen plura in cautelis & morborum enarrationibus.

OBSERVATIONES ET CAUTELÆ CLINICÆ.

§. I.

Medicatio ante inſti-uenda.

QUotidianæ intermittentes circumſpecte ſunt tractandæ, ne in alios longos & ancipites morbos tranſeant. Inprimis aſpernantur adſtringentia & ſopientia, præcipitantia terrea larga, item omnia purgantia draſtica & ſudorifera, nec non validiora emetica

§. II.

Victus & vitæ ratio habenda.

Multum tam ad quotidianæ curationem, quam recurſum ipſius arcendum facit, vitare animi commotiones, mœrorem inprimis ac diuturnam ſolicitudinem, cum inſalubri cibo, ac vini potu, nec non refrigerationem, præſertim abdominis.

§. III.

Alvina excretio promovenda.

Quum natura ipſa hanc febrem critico alvi fluxu ſæpe ſolvere ſoleat; ipſius ductui inſiſtendum, ipſaque juvanda ab artifice. Unde ægri non ad regimen ſudoriferum, aut pharmacis ad ſudorem cogendi, ſed potius eo annitendum, ut materia vitioſa ipſæque primæ viæ ad alvi fluxum ſalutarem præparentur ac diſponantur. Quod quidem egregie perficitur, quando aliquot ante paroxyſmum horis, lene laxans, pulvis cornachinus, vel pilulæ balſamicæ, cum ſale præbentur.

§. IV.

Vomitus ſecundandus.

Quia porro vomitus huic morbo jungitur, cum bonis ægrorum rebus ſuccedens; è re eſt, ut idem debito tempore & convenienti medicina ſecundetur. Hinc expedit interdum omnino ſtomachi ſubverſionem per emetica ante paroxyſmum data provocare. Ego quidem memini, me aliquoties in febre exquiſite quotidiana, quæ hora quinta matutina invadere ſolebat, porrexiſſe circa noctis tempus, prius quam cruditates ex digeſtionis officina ad ſanguinem delatæ, lene vomitorium, ex radicis pecacuanhæ granis XV. cum dimidia parte pulveris cornachini. Proritatus inde felici cum ſucceſſu fuit vomitus, nonunquam alvi fluxus, & febris minimum mitior facta, aliis poſtea facile expugnanda.

§. V.

Etiam in diuturna.

Si etiam quotidiana febris, diu perſtitit per menſem, vel longius, ac in lentam ferme degenerare videtur, commode offerri poteſt granum unum tartari emetici ſoluti. Quo bilioſum ſtagnantem ſuccum, cum levamine, incredibili fere copia, fuiſſe exturbatum, novi.

§. VI.

Externa ventriculo.

Quando dolor ventriculi preſſorius, vel inflatio & ciborum faſtidium jungitur, regioni epigaſtricæ ſacculi ex herba menthæ, abſynthii, roriſmarini, floribus ſpicæ, chamomillæ Romanæ, caryophyllis & nuce moſchata, vel ſicci, vel ex vino cocti, applicandi. Qui, ubi finita etiam febre imponuntur, perſpirationem & ſudorem efficaciter eliciendo, egregie proſunt.

§. VII.

Et epigaſtrio imponenda.

Frigus, quum nimis acre partes externas exagitat, tum ſacculi modo dicti, tum etiam ſpiritus vini purus, cum oleo menthæ in duplicato linteo ſtomachali regioni cum fructu apponuntur.

§. VIII.

Febrifuga cum diſtinctione uſurpanda.

Cum febrifugis caute in hac febre mercandum. In quotidiana tamen epidemica & erratica, præter ſuperius dicta, ſpecifica etiam antiſebrilia, ipſum quoque electuarium, cujus baſis chinæ & chaccarillæ cortex, tuto adhibentur. Provocata inde, obſervatorum etiam fide, alvi ſæpe laxitas & copioſæ ſumma cum euphoria ſedes. Chaccarillæ autem cortex in hac febre merito præferendus chinchinæ, quia magis roborans & adſtringens eſt.

§. IX.

Nec non venæſectio.

Sanguinis miſſionem raro admittit quotidiana: jam enim præſto eſt inprimis ventriculi imbecillitas & plerumque cachectici quippiam complicatur. Quod ſi autem eminens plethora, præſertim à menſium, vel hæmorrhoidum ſuppreſſione,

sione, urina præterea tincta & æger vini potui assuetus; in principio statim vena secanda, ne febris inde ingravescat, ac uti observata medicorum testantur, lentæ, hecticæ, apostematicæ febres, subsequantur.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Quotidiana rebellis Carolinis expugnata.

Illustrissima persona, triginta annorum, inordinatum diu sectata fuerat vitæ genus, multa incongrua edulia ingesserat, fructus horæos, lacticinia, acetaria, variaque conchyliorum genera, vina etiam potentia & aquas sic dictas vitæ liberaliter potarat, prandium ad vesperam, & cœnam ad mediam usque noctem produxerat & prætera corpus frigido aëri autumno crebrius exposuerat. Incidebat hinc, prægresso frigore, in febrem, quæ mane quotidie accedebat, cum præcordiorum anxietate, cardialgia, capitis dolore, artuum lassitudine & vomitu pituitoso affligebat, ad tertiam vel quartam pomeridianam durabat, somnum turbabat, & post aliquot insultus, largo stipabatur sudore. Appetitus tamen non adeo erat dejectus, sed æger in cœna subinde cibos sumebat, inprimis intrita cum vino. Insistebat hæc febris per quatuor & quod excedit hebdomades, corpusque admodum hebes & languidum reddebat, licet interim variis remediis, purgantibus cum emeticis, salinis pulveribus, etiam cum floribus salis ammoniaci martialibus oppugnaretur, donec infuso corticis chinæ cum comis absynthii, ex vino, abigeretur. Sed quum appetitui redeunti indulgeret æger multaque minus salubria assumeret, elapsa vix hebdomade, febris, majori cum symptomatum vehementia rediit. Opponebantur eadem & evacuantia, & antifebrilia, febrisque discedebat, brevi autem post eandem ob causam repetebat, idque minimum sexies factum, ut semestre interea efflueret spatium, quo corpus ob nocturnos sudores tepidum factum ac vires mirum exhaustæ. Alii igitur accersiti medici, qui de thermis Carolinis, sub exactiori diæta & regimine usurpandis, consilium dederunt. Allata etiam in lagenis vitreis magnis impensis thermalis aqua, & tepefacta ante paroxysmum, mane æque ac vesperi, pota. Sed quum intermedium tempus brevius esset, quam ut aqua ante accessionem corpore posset evehi, gravior primum inde fiebat paroxysmus. Ideo febriles motus specificis prius compositi fuerunt & postea per binos menses Carolinæ singulis diebus matutino tempore usurpatæ, interpositis simul medicamentis amaris stomachicis & pilulis balsamicis. Quibus demum effectum, ut febris contumax expugnaretur, nec unquam rediret.

Epicrisis.

Voracitas & inordinata diæta rebellem facit intermittentem omnem, tanto magis quotidianam, quæ, ex imbecillitate stomachi & cruditatum copia oriunda, novum inde semper nanciscitur fomitem. Dein quum longa febris sedem potissimum habeat in visceribus imi ventris, à crasso sanguine fartis, quæ tracta diutius febre, magis magisque robore exuuntur, in illustrissimo etiam hoc ægro viscera debilia fuisse atque oppleta, certum, unde crebriorum recidivarum origo. Nihil igitur salubrius fuit decenti thermarum usu, quæ partim salino aperitivo, partim ferreo martiali principio roborante instructæ, crudos succos efficaciter evehunt, infarctus expediunt & sic lentam febrem, nec non cachexiam, quam optime præscindunt. Sunt tamen thermæ æque ac acidulæ cum cautione in intermittentibus in usum vocandæ, & providendum, ne paroxysmus in earum operationem incidat, emunctoria claudat, & aquis retentis, anxietates cum gravibus symptomatibus inferat. Hinc tutius, iisdem, composita febre, ad recidivam arcendam uti possumus, & tum, adjunctis medicamentis stomachicis & balsamicis, opem ferunt certe laudatissimam.

Observatio II.

Quotidiana revalens [illegible] ticis curata.

Generosa erat fœmina, triginta circiter annorum, sanguinea, vegeta & tenera, quæ quarto mense gravida abortum cum enormi hæmorrhagia & post hunc mensium suppressionem experta, pallida hinc facta fuerat atque cachectica, cum alvo adstricta & appetitu dejecto. Hæc postquam ostreas in cœna comedisset & vesperi sole occiduo in horto deambulasset, nocte insequente febre corripiebatur, cum anxietate, nausea & ingente artuum languore. Remittente febre dabatur ipsi quidem elixirium stomachale, sed noctu eodem tempore iterum redibat febris paullo gravior. Porrigebatur ob suspicionem cruditatum vomitorium, ex tartari vitriolati granis XII. & radicis hypecacuanhæ granis XXV. quo crassam viridis coloris pituitam evomebat. Nihilo minus stato repetebat tempore febris, majori adhuc compressorio in epigastrio sensu vomendique conatu, quæ silente etiam febre persistebant. Aperiebatur quidem vesperi alvus stricta clystere emolliente; febris tamen & ventriculi spasmus per aliquot dies insistebant & facies icterica plane comparebat. Exhibebatur ipsi mixtura ex aquæ cardui benedicti unciis tribus, theriacalis, cinnamomi ana uncia semis, salis cardui benedicti, antimonii diaphoretici ana scrupulis duobus, spiritus vitrioli guttis XX. syrupi papaveris rhœados drachmis duabus, cujus dimidiam partem vesperi sex ante paroxysmum horis, sumsit, impositio simul ventriculo sacculo, ex speciebus stomachicis & carminativis in vino coctis, quo sudor ante invasionem largus & febris mitior. Instante sequenti paroxysmo, alteram reliquam mixturæ sumsit partem, qui emansit prorsus & spasmus quoque cardialgicus laxatus. Quum vero ægra convalescens appetitui indulgeret, fructibusque horæis ac marinis piscibus vesceretur, quinto post die iterum in febrem incidit, majori fere anxietate, vomendi conatu animique quadam defectione stipatam & vesperi accedentem. Solvebatur hinc alvus, mixtura & externa adhibebantur, sed incassum fere. Persistebat enim potius fervor & languor cum magna debilitate, etiam superato paroxysmo, ut metus esset continuæ. Injiciebatur rursus clyster & vomitorium supra dictum porrigebatur, sequente & vomitu, & alvi secessu. Mitescebant inde symptomata cum febre, & pulvere ex corticis chaccarillæ, tartari vitriolati & salis ammoniaci anatica portione confecto & per septem dies, quatuor quibusvis horis, ad drachmam dimidiam usurpato, discussa demum omnia, ventriculo & corpori robur redditum, mensium quoque fluxus in ordinem redactus.

Epicrisis.

Caveant sibi omnes, qui ex sanguinis immodica profusione languent, à prava diæta & corporis

poris refrigeratione. Tum enim, ob imminutum corporis ipsiusque ventriculi robur, perspirationem quoque imminutam, prompta febrium gesis. Deinceps in quotidiana, cujus causa ingens cruditatum in stomacho & primis viis saburra, magis quam ulla alia intermittente, conducibile est, ventriculum, præmisso blando enemate, leni emetico deplere. Tum spasticas ventriculi stricturas nihil promtius laxat, quam placidum elicere sudorem, quam in rem spirituosa regioni epigastricæ calide applicata egregie conferunt. Tandem expurgata prima regione, chaccarillæ cortex cum salibus, non modo ad febrem fugandam, sed & digestionis successum fulciendum, utiliter adhibetur.

Observatio III.

Quotidiana ex tertiana electuario sanata.

Senex, sexagenario major, macilentus, sanguineo-melancholicus, continuis laboribus per multos annos sub vita sedentaria distentus, superiori anno, quo solennes erant intermittentes, corripiebatur tertiana, postea quam peregre profectus, liberali convivio exceptus & noctu sub cœlo valde humido & pluvioso frigido redux factus erat. Placide hæc admodum decurrebat, & adhibitis prius pulveribus salino-digestivis, post quintum paroxysmum electuario expedite discutiebatur. Nolebat tamen pristinus vigor & appetitus redire, sed à sumto cibo pressorius semper in epigastrio urgebat dolor, nec somnus adeo erat quietus. Dabatur quidem, ad digestionem secundandam, quotidie bis, ad drachmam semis, pulvis ex radice ari, pimpinella alba, gentiana rubra, semine cymini & macis. Sed præter opinionem quotidiana post aliquot dies accedebat febris vesperi. Promtum statim habebat medicus electuarium ex rob juniperi, cortice chaccarillæ & syrupo acetositatis citri, idque omni bihorio deglutire jubebat. Sumto hoc, repetebat quidem paroxysmus, sed sub illo & post eum copiosæ prodibant dejectiones, vel decem numero, ut æger firmiter crederet, validum se accepisse purgans. Continuabatur igitur parciori dosi electuarii usus tam salubri effectu, ut febris discederet & æger penitus convaleret.

Epicrisis.

Enata procul dubio hæc ex tertiana quotidiana fuit, quod sub illa, prima non sufficienter expurgata regio. Unde reliquiæ materiæ febrilis, accepto per malam digestionem incremento, induxerunt quotidianam. Plane peculiaris etiam heic fuit corticis chaccarillæ effectus, canalem intestinorum efficaciter vacuans, febrisque fomitem simul & semel tollens. Is tamen non ubique perpetuus, sed peculiari primarum viarum dispositioni tribuendus. Alias inter omnes constat, corticem hunc potius ad compescendas nimias dejectiones valere. Ut adeo pateat: unum remedium, pro diversa naturæ & corporis habitudine, alium atque alium, & diversum, contrarium plane, exserere posse effectum.

Observatio IV.

Quotidiana anomala post hypercatharsin.

Nobilis quædam tenerior & sanguinei corporis fœmina quinquagenaria, regnante Sirio & instante mensium fluxu, gravi exagitata fuit ira, cum extremorum tremore. Porrexit medicus paullo post purgantes pilulas, quibus tanta hypercatharsis suscitata, ut intra XXIV. horas plusquam quinquagesies, & postero adhuc die, vige-

sies fere, dejiceret. Fractum inde mirifice corporis robur, artus languerunt, ingruit animi, præsertim erecto corpore, defectio, periit appetitus, somnus turbatus & pene omnis intercidit. Exactis inter hæc aliquot diebus, vesperi accessit anxietas summa, cum levi duntaxat horrore & frigore, inquietudo & syncoptica affectio, ut jam animam agere videretur. Subsequuti pulsus ictus celeres, æstus corporis, oris siccitas, & mador corporis per duodecim horas halans, symptomatum attulit levamen. Habuit postea tantisper melius: febrilis tamen commotio modo vesperi, modo noctu, jam gravior, jam levior, rediit quotidie, tussi sicca, & ante, & post illam affligente. Aegre tulit fere omnia stomachus, analeptica, salina, balsamicas pilulas, elixiria stomachica, alimenta ipsa, & quamvis suspensa manu data, sequuta anxietas, æstus, pressio, strictura & ardor ventriculi, nec non tormina ventris. Sic decubuit per mensem, ac interea nihil melius ferre potuit, quam emulsiones ex amygdalis dulcibus, semine papaveris albi, aqua florum acaciæ, liliorum convallium, tiliæ & cerasorum nigrorum, quibus tantillum pulveris bezoardici nitrosi subinde inditum. Potui datum præterea decoctum avenaceum, non nunquam in levem emulsionem cum amygdalis redactum, & ad alvum obstructam solvendam, enema leniens injectum. Elapso autem mense, quodammodo commodius excepit ventriculus medicamenta. Hinc sumsit quandoque decem tantum pilulas ex nostris, quibus alvus cum euphoria laxata. Exhibitum quoque elixirium nostrum balsamicum, parca pariter dosi. Remanserunt nihilo minus febriles commotiones, licet mitiores & sine angore. Ad has igitur componendas oblatus ter quotidie hic pulvis: recipe lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici, arcani duplicati, corticis chaccarillæ, ana drachmam. M. F. Pulvis, dividatur in decem partes æquales. Et ad alvum subducendam usurpatum elixirium purgans, ex massa pilularum balsamicarum in tenui lixivio soluta. His demum intra quadraginta dies sensim febris sublata, vires cum appetitu & sanitate integra redierunt.

Epicrisis.

Pernicioſum utique fuit molimen, post iram & ingruente mensium fluxu, purgans dare, quia tum jam in motu est natura, & spasticæ in nervosis partibus strictura adsunt. Neque dubium est, quin sub proritata inde vehementiori purgatione & affluxu succorum impurorum ab ambitu ad interiora, & erosio, & levis inflammatio intestinis fuerit inducta, quibus effectum, ut, nec medicamenta, nec alimenta, sine incommodo, anxietate & æstu suscipere potuerit. Febrilis etiam irregularis insultus, quotidie bis interdum accedens, cum tussi, suscitatus omnino fuit à levi intestinorum inflammatione, sub qua semper stimulus spasmodicus & vitiata occultatur digestio. Hæc igitur partium & morbi causæ dispositio, nec correctoriam, nec evacuantem, nec roborantem aliam admisit medicinam, quam lenientia & demulcentia. Febri autem, quotidianæ typum servanti, accommodatius fuit nihil, quam chaccarillæ cortex, eximie roborans, mixtus cum aperientibus salinis, absorbentibus leniterque diaphoreticis. Cujus generis pulveres in quotidiana febre, etiam lenta & quæ ex vitio primarum viarum maleque digestorum succorum colluvie oritur, virtutis sunt certe laudatissimæ.

Observatio V.

Quotidiana exquisita diuturna.

Quadragenaria circiter fœmina, sanguineo-colericæ laxiorisque corporis constitutionis, quæ in iram prona, inordinata diæta cum fructibus horæis usa & infusum thée large nimis ingurgitans, stomachi sibi contraxerat languorem, paullo post mensium experiebatur suppressionem. Hos quum proprio artificio pellentibus urgeret, febrem incurrebat quotidianam, ordinariis symptomatibus comitatam, medici tamen ope, exactis tribus mensibus, ab eadem liberabatur. Non autem ita multo post, emanentibus semper mensibus & alvo stricta, in eundem recidit morbum, quem complures in auxilium vocati medici, nec pharmacis, nec aquis medicatis, Egranis æque ac Lauchstadiensibus, neque etiam lactis asinini usu, depellere potuerunt. Perstitit potius idem jam à triennio immedicabilis, & quotidie prima luce accedit febricula, quam comitatur sudor colliquativus pene, ad decimam usque antemeridianam manans, & pomeridie sequitur languor cum dolore lumborum. Præterea extra paroxysmum corpus totum tactu frigidum, vix vesperi ex cibis quicquam assumere valet, & tum etiam ad incongrua magis fertur appetitus. Pallida quoque facies totusque corporis habitus turnidus quasi & inflatus. Obambulat tamen & domestica obit negotia.

Judicium cum consilio.

Quotidianam veram exquisitam, non secus ac quartanam, ex longis esse morbis, & ad unum, immo plures annos, trahi non nunquam, hæc docet historia. Causa vero diuturnitatis inordinata omnino vivendi ratio ægræ, quæ animi affectibus indulget, palato accepta ingerit cuncta & extra paroxysmum in liberum qualemcunque regnantem aërem concedit. Neque enim omnis diuturna intermittens gravem in visceribus supponit labem: sed per ipsum febrilem motum nova semper gignitur vitiosa materia, quæ quando intermissionis tempore perspiratione non excluditur & insalubri victu augetur potius, novum semper induci paroxysmum non est mirum. Jam quidem morbus in habitum quasi transiisse videtur: vegeta tamen natura & corporis extra paroxysmum motus, in causa fuit, quod deteriores huc usque non sequuti morbi alii. Ego quidem, rebus sic comparatis, vix aliam medendi rationem esse, sentio, quam ut ægra curatius ex regularum diæteticarum præscripto vivat, parcius, & cibos nec graves, nec fermentescibiles, sed leves, facile solubiles edat. Perspirationis dein successum custodiat ac secundet, nec obambulatione in aëre libero frigido interturbet. Tum ad contemperandos & liquandos pravos in prima regione succos, salino superius descripto liquore utatur. Blandis porro laxantibus intestinorum canalem expurget eumque in finem, bis octiduo, balsamicas nostras pilulas deglutiat. Stomachi præterea languorem & digestionis vitium elixirio stomachali, crebrius inter cibos sumto, emendet. Ac demum, tam ad promovendam cuticularem excretionem, quam compescendam successive febrilem habitualem commotionem, pulvere ex antimonio diaphoretico, cornu cervi philosophice præparato, tartaro vitriolato & cortice chaccarillæ, bis quotidie ad drachmæ dimidium, per octo dies utatur. His nisi gravius quid interea acciderit, morbum rebellem, expugnari adhuc posse, speramus.

CAPUT IV.

De Febribus intermittentibus Epidemicis anomalis mali moris.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Ex temperatura constitutione insolitorii mori

Superioribus annis MDCCXXVI. XXVII. & XXVIII. plane irregulares & insolitæ erant, temporum ac tempestatum constitutiones, ingentes potissimum siccitates & ardores, complures menses perseverantes. Variis hinc languoribus corpora humana affligebantur, diarrhœis, dysenteriis, intermittentibus febribus variis, simplicibus & duplicibus, quæ nulli temperamento, sexui, aut ætati parcebant. Maxime omnium vero æstate & autumno regnabant febres, partim intermittentes plane, partim remittentes tantum, anomalæ & irregulares, vagum & incertum typum habentes, facile inter se mutabiles, ut plurimum insuetis & gravibus symptomatibus stipatæ, contagio infestæ, nonnullosque per multos menses detinentes, quosdam etiam plane è medio tollentes.

§. II.

Maxime intermittentes malignæ mala

Ambigunt quidem adhuc medici, nostri æque ac prisci ævi: an intermittentes dentur malignæ febres? Re tamen paullo accuratius considerata, non dubitamus affirmare: intermittentes alio tempore esse benigniores, alio utique malignio-res, non secus ac alii morbi ac febres epidemice grassantes. Nam prout variæ temporum & tempestatum sunt constitutiones, magis vel minus regulares, boni & mali moris progigni & grassari morbos, jam olim noster prodidit *Hippocrates*. Experientia quoque stabilit atque confirmat, dari certis temporibus intermittentes, quæ indolem malignam, seu virulentam, referunt, cujus indicia & quasi characteres hi sunt: si insolitis symptomatibus stipatæ & maxime omnium virium junctam habent prostrationem eminentiorem, si epidemice grassantur & contagio etiam inficiunt dispositа corpora, sique earum ferocia exanthematibus in summa cute erumpentibus, pustulis, ulcusculis in labiis, naribus, facie, purpura, vel maculis purpureis, vel etiam scabie mitescit. Hæc enim omnia exiguæ molis, sed valde vehementis & virulentæ indolis materiam tenuissimam, ventriculo & nervosis maxime partibus inimicam atque infestam, in qua potissimum veneni ratio & natura fundata est, subesse, & subitas sævas commotiones atque alterationes concitare, luculenter arguunt.

§. III.

Symptomata epidemicarum historia

Sic febres, quæ superioribus annis nostris locis, immo universæ fere Germaniæ, fuerunt infestæ, anomalæ valde exstiterunt. In quibusdam semel uno die, in aliis bis, accessio facta. In nonnullis primis diebus comparuerunt continuæ, & tertio vel quarto die in intermittentes concesserunt; in aliis vicissim primis temporibus intermissionem habuerunt, postea vero, pessimo omine, factæ sunt continuæ. Aliqui enormes experti sunt per superiora, vel inferiora pituitosas & biliosas dejectiones, quidam remittente, vel intermittente paroxysmo, continuo sudarunt, cum ingenti languore. Nonnulli etiam se ipsa in

febre,

febre, & calere, & algere ſimul, conqueſti ſunt. Juniores in paroxyſmo interdum valde deliraruntſ & ſimul ac clauſerunt oculos, inſomniis agitati maleque cohærentia ſunt loquuti. Senibus cum ſomnolentia accidit febris. Omnes vero de anxio & compreſſorio dolore circa ventriculi regionem, de dolore lumborum, pedum contuſivo, capitis etiam, ſunt conqueſti, & intermiſſionis tempore, de dolore ex nucha per totum ſpinæ tractum ad ſcapulas porrecto. Prodeuntibus demum in facie puſtulis, aut in ambitu exanthematibus purpureis, ſymptomata complacabantur. Et ſi purpura jungebatur ſcorbutica, diutius durabat febris; ſi vero ſuperveniebat alba, funeſtum erat ut plurimum.

§. IV.

Contagio in fecerunt. Obſervatum fuit & id maxime Magdeburgi & in Ducatu Brunſvicenſi, complures in una domo, non ſecus ac in variolis, vel morbillis fieri ſolet, ſucceſſive eodem morbo fuiſſe affectos, & præſertim poſt ſanguinis miſſionem, fortem purgationem, fœminas maxime inſtante menſium fluxu, multi ſi animi affectu immoderato commoti fuerunt, timore potiſſimum & triſtitia.

§. V.

Quomodo erminata. Licet vero, pro diverſa natura ægrotantium, ratione ætatis, temperamenti, naturæ magis, vel minus robuſtæ, mitiora, vel ſæviora fuerint ſymptomata, & non nulli intra quatuordecim dies, alii intra menſem demum convaluerunt, perpauci tamen mortui, niſi ingenti errore medici, aut ægrotantis admiſſo.

PRÆSERVATIO ET CURATIO.

§. I.

Quomodo rcenda æfebres. Frequentes quam maxime fuerunt hæ malignitatis ſuſpectæ febres in locis paludoſis, humidis & aquarum ſtagnis irriguis; uti noſtris in confiniis ſunt pagi Oſtrau & Dieskau. Frequentius etiam infeſtarunt eos, qui poſt ætatem intenſius fervidam, improba victus ratione uſi, veſperi, aut noctu, aëre humido frigido, corpus refrigerarunt, & præterea imbecillioris fuerunt naturæ. Optimum hinc ad declinandum epidemicæ hujus febris incurſum fuit conſilium: vitare loca humilia, uda, multo minus in iis dormire, aëris injuriis ſeſe non exponere, refrigerium omne, etiam per frigidum potum, fugere, ventriculum nec crudis, nec conſtipantibus cibis onerare, animum tranquillum ſervare, omniaque cum cura tenere, quæ acrimoniæ contemperandæ, ſordibusque tam per poros, quam alvum leniter educendis, ſerviunt ac laudabiles ſuccos ingenerant. Neque tamen fortiutendum purgatione, quæ ab ambitu corporis ſuccos trahendo, perſpirationem minuit adeoque noxia eſt, tanto magis quando diarrhœa forſan & dyſenteria jam circumeunt.

§. II.

ndicatio- es meden- li tres. Quum vero harum febrium mali genii cauſa, partim in inſigni dyſcraſia & intemperie ſanguinis & humorum, à naturali & blanda temperie deflectente, ſalino-ſulphurea, partim etiam in humore vitioſæ & virulentæ activæ indolis, in prima regione potiſſimum hoſpitante, univerſum nervoſarum & muſculoſarum partium ſyſtema commovente, conſiſtat; eo utique prudenti conſilio medicus curam dirigere debet, ut I. magis alterantibus & perverſam ſanguinis & humorum qualitatem emendantibus, quam fortioribus evacuantibus utatur; II. ut placide & blandis evacuantibus tam per cutem, quam alvum, præparatam materiam debito tempore excludat, ac III. ut congruis analepticis imbecillitati ſuccurrat, atque demum ſymptomata mitiget.

§. III.

Profuerunt diaphoretica fixa & analeptica. In principio itaque, antequam medicus dignoſcere poterat genium morbi, pulveres diaphoretici, cum leviter nitroſis exhibiti fuerunt, in aquis diaphoreticis & analepticis hunc in modum: Recipe aquæ galegæ, cardui benedicti, acaciæ, ceraſorum nigrorum ana uncias tres, cinnamomi ſ. v. unciam, ſpiritus nitri dulcis, vel liquoris anodyni mineralis guttas XX. ſyrupi acetoſitatis citri, vel papaveris rhœados q. ſ. Hæc tam intra, quam extra paroxyſmum oblata, & potui datum decoctum avenaceum, cum ſucco & corticibus citri, vel etiam cum amygdalis in emulſionem redactum.

§. IV.

Blanda laxantia. Ad alvum ſolvendam profuerunt oppido clyſteres tantum domeſtici, ex decocto avenacco, noſtris *Haber-Grütze*, floribus chamomillæ vulgaris, oleo amygdalarum dulcium & ſale communi parati. Interius vero ad laxandam alvum, potiones ex unciis duabus vel una mannæ, cum drachma una cremoris tartari, in aqua florum acaciæ ſolutis & additis duabus guttulis olei de cedro, perquam utiles fuerunt. Quibusdam etiam infuſum rhabarbari cum paſſulis magis conducibile deprehenſum.

§. V.

Quandoque ſudorem moventia. Ubi natura torpida ad movendum inſultu declinante ſudorem, eſſentia ſcordii probe ſaturata, non tamen adeo ſpirituoſa, cum anatica portione liquoris anodyni & aliquot guttis ſpiritus bezoardici Buſſii data, injungendo ſimul, ut in moderato calore & lecto corpus ſervaretur.

§. VI.

Fracta febre appropriata. Quibus remediis ſucceſſive fracta fuit vehementia febris, ſive potius virulenta ejus cauſæ indoles. Hoc facto, ſi ſine gravioribus ſymptomatibus intermiſerat febris, ad eam fugandam, alia, quæ è re erant accommodata & appropriata, cum debito regimine & juſta methodo, in uſum vocata præſidia.

§. VII.

Quandoque ſtatim in principio. Fuerunt tamen, ubi mox in principio conſultus medicus, qui expurgato per lene vomitorium ſtomacho, & uſurpato poſtea electuario ex cortice chinæ, caſcarillæ, antimonio diaphoretico & nitro cum julepo roſarum & ſyrupo acetoſitatis citri, facili, & explicita curatione, evaſerunt; ſubjunctis poſtea, quæ ad ſanitatem firmandam videbantur neceſſaria.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Bezoardica fixa non valide evacuantia proſunt. In omnibus epidemice graſſantibus febribus, inprimis ſi inſueta habeant ſymptomata, & metus cujuſdam malignitatis ſit, ſemper tutior medendi via, præſertim in principio, per bezoardica fixiora & analeptica temperata, abſtinendo à ſanguinis miſſione, emeticis, regimine etiam nimis calido, tam quoad lectum, quam quoad conclave, immo potum.

§. II.

Cibus parcus, potus tenuis. In omnibus ejuſmodi morbis præſtat abſtinere à cibis & potum tenuiſſimum aſſumere v. g. decoctum ex radice ſcorzoneræ & cornu cervi uſto paratum, adjecto ſyrupo acetoſitatis citri.

§. III.

Vomitus & inquietudo quibus ſedanda.

Si vomitus & inquietudines cum extremorum frigore urgent, conſultius eſt eas blanda diaphoreſi, quam adſtringentibus ſedare; & utique commodam hac in re præſtat operam liquor noſter anodynus mineralis, vel cum refracta doſi liquoris bezoardici *Buſſii*, vel aliquot guttulis olei deſtillati macis veri, aut tantillo extracti croci nuptus. Tum etiam, ad ſpaſmum ſtomachi potiſſimum laxandum, utile decoctum avenaceum, cum oleo amygdalarum dulcium & croco, liberaliter potare, vel emulſione, ex aquis antiſpaſmodicis cum ſeminibus quatuor frigidis & papaveris albi, uti.

§. IV.

Diarrhœa qua poſcat.

In principio ſi alvi fluxus ſociatur, pulvis rhabarbari cum pulvere nitroſo abſorbente, vel etiam doſis pilularum balſamicarum, cum ejuſmodi pulvere nitroſo abſorbente, aliquoties data, ſummæ ſunt efficaciæ. Sique nimis ille urget, pulveri aliquot grana corticis chaccarillæ poſſunt admiſceri.

§. V.

Valide vacuantia nocent.

In intermittentibus epidemice graſſantibus curandis id in genere notare licet: fortes purgationes, per ſuperiora æque ac inferiora parum proficere, ut potius noceant & gravior poſt eas impetat paroxyſmus: lenes autem evacuationes nunquam non proficuæ. Quo alvus enim adſtrictior eſt, eo plus increſcunt cardialgiæ flatulentæ & inquietudines. Monendum tamen, quod in paroxyſmo difficulter, vel plane non, clyſteres locum inveniant, eo quod tanta plerumque flatuum in inteſtinis reſiſtentia, ut nihil admittatur.

§. VI.

Calida item acria.

Obſervatum etiam eſt, acriora & aromatica, eſſentias ſudoriferas alexipharmacas & calidiora omnia, ex ſimplicibus intermittentibus, duplices, vel continuas etiam lethales plane, effeciſſe, præſertim in corporibus ſcorbuticis & ubi materia exanthematica purpuracea inſtar fermenti in humorum & ſanguinis ſinu delituit.

§. VII.

Nec non venæſectio.

Sanguinis miſſio neque præſervationi, neque curationi harum febrium accommodata. Sufflaminat enim ſaluberrimam cuticularem excretionem, ſorditiem ſuccorum hinc auget, vires magis exhaurit & in continuas inde tranſiiſſe intermittentes prius has febres, fuit animadverſum.

§. VIII.

Quid faciendum purpura accedente.

Si purpura complicatur hiſce febribus, cum copioſo & fœtido ſudore, ſummo cavendum eſt ſtudio à præcalido regimine & expellentibus. Aequabilis potius caloris temperies ſervanda & temperata etiam medicamina optima, ne nimis incaleſcat & diſſolvatur ſanguis, nec materia expellenda intus maneat, aut retrocedat prorſus. Hinc enim febris tantiſper quieſcens reſuſcitatur, vel minimum mitior, inſigniter exacerbatur. Idem obſervavimus, ſi materia eryſipelacea, cum magno pruritu juncta, quod interdum ſenibus accidit, ad habitum corporis præſertim pedes propulſa, ad interiora receſſit.

§. IX.

Et febre in intermittentem verſa.

Mitigata ſymptomatum atrocia, in epidemica hac febre ſique ex ea antea continua facta typica intermittens, ſuperatis aliquot hujus paroxyſmis, die intermiſſionis leni laxante, vel emetico prima corporis regio expurganda, & poſtea in uſum vocandus hic pulvis: recipe corticis chaccarillæ, chinæ, nitri purificati, antimonii diaphoretici lapidum cancrorum, ana drachmam unam, de quo drachma dimidia, ter, vel quater quotidie, vel in aqua diapnoica, uti cardui benedicti, galegæ, ſonchi, ſcorzoneræ, vel etiam in electuarium cum ſyrupo redacta, extra paroxyſmum uſurpanda. Quo non modo materia febrilis virulenta primis in viis optime corrigitur, ſed & roborando ſyſtalticam canalium virtutem, placide per diaphoreſin educitur.

§. X.

Varius quovis anno attendendus genius.

Ceterum epidemicæ hæ febres non una omnibus annis incedunt facie, ſed varium pro diverſitate prægreſſæ tempeſtatum conſtitutionis exhibent genium. Hinc Medicus ad medicationem attento ſemper accedat cum judicio neceſſe eſt. Quæ vero ego diverſis annis obſervavi & utilia deprehendi, paſſim in ſcriptis meis tradidi. Inprimis autem circa hoc argumentum evolvi poterit *diſſertatio*, *obſervationes practicas circa febres intermittentes anno* MDCXCIX. *graſſantes*, ſiſtens, item *obſervationes barometrico-meteorologicæ Sect. ult. de conſtitutione epidemica anni* MDCC.

CAPUT V.

De Febre Semitertiana.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Semitertiana compoſita febris.

INter epidemicas, quas jam expoſuimus, intermittentes mali moris febres, haud raro occurrit, quæ ex tertiana intermittente & quotidiana continua confit, eamque ob cauſam Græco nomine ἡμιτριταῖος, & Latino, ſemitertiana vocatur.

§. II.

Quomodo incedat.

Accedit hæc plerumque ante meridiem, cum frigore & horrore gravi pulſuque contracto. Succedit poſtea cum pulſuum frequentia calor aliquot horarum, ſudore erumpente tepeſcens, non tamen penitus intermittens. Intenditur potius, poſt refrigerationem lenem, circa noctem æſtus, cum pulſuum celeritate, & poſtero die lenior perſiſtit, ſine ſiti, donec veſperi, præcedente leviori horripilatione, denuo ingraveſcit. Tertio autem die horror iterum impetit, cum intenſiore calore, eademque, ac primo die, ratione decurrit. Ut ſic ſemper quidem adſit febris gliſcens, veſperi ipſius exacerbatio & tertio die mane hæc cum rigore maxime conſpicua. Virès præterea ſunt dejectæ, appetitus languet, ſomnus deficit, urinæ minguntur tenues crudæ, poſt tertianæ vero paroxyſmum craſſæ & tinctæ, exſpuuntur cum tuſſi pauca cruda, & dorſi, nec non abdominis dolor haud raro jungitur, cum hujus intumeſcentia. Plurimi accedente tertianæ paroxyſmo nauſea premuntur & cardialgia, quidam vomunt plane, nonnulli animi defectionem patiuntur, alii delirant prorſus.

§. III.

Differt a intermittente maligna.

Ignota fere noſtris hæc eſt febris & plerumque intermittentem malignam eſſe putant. Sed multum ab hac utique diſcrepat, quum neque contagioſa ſit, neque exanthematibus ſtipetur, neque etiam tam enormi virium proſtratione, & præterea peculiarem tertio quovis die cum horrore habeat conſpicuam exacerbationem.

§. IV.

§. IV.

Tertiana continua. Alii eam cum tertiana continua permutant, perperam pariter: hæc enim secus ac semitertiana, tertio tantum die, non vero vesperi simul ingravescit, neque tota continua est, sed licet primum continuo calore impetat, tertio tamen ut plurimum die vehementiam ponit, ac in tertianam intermittentem transit.

§. V.

Et tertiana duplici. Neque etiam cum tertiana duplici confundenda est semitertiana: licet enim illa quovis etiam die accedat, insultus tamen alternatim sibi respondet & febris ipsa perfecte intermittit. In hac autem nulla plane intermissio, sed tantum remissio, vespertinus quotidie paroxysmus & tertio semper die duplex.

§. VI.

Continuæ causa ex mesenterio. Composita igitur ex duplici febre est hemitritæa febris, ideoque duplex omnino erit ipsius focus, causa duplex. Nimirum continuæ nidus in mesenterio, ex intercepto per ipsius compagem transitu sanguinis ejusdemque hinc in contiguis tunicis nervosis oborta inflammatoria stasi. *Intermittentis ex prima regione.* Ille autem alternis diebus accedens paroxysmus gravior, non secus ac ipsa tertiana, sedem ac causam habet in intestinis, maximeque duodeno. In cujus flexuoso cavo, ex glandulis, hepate & pancreate, lymphatici & bilioſi, ob mesenterii vitium pariter vitiosi humores, nec non ex stomacho crudi succi, confluentes, mineram conficiunt morbosam, quæ sanguini immixta & ad nervosas spinæ membranas delata, motum inducit præternaturalem febrilem.

§. VII.

Quibus ex causis accidat. Inter ea vero, quæ febri huic ingignendæ apta, connumeranda omnia, quæ succos spissos & impuros reddunt, primamque potissimum regionem atque mesenterii vasa sordibus opplent. Eveniunt hinc quam maxime iis, qui salubris vitæ rationis incurioſi, cibos dulces, acidos & fermentescibiles, farinaceos cum butyro, saccharo & ovis frixos, ingerunt, vitam otiosam colunt & nimis sedentariam, parcius justo bibere solent, vel vina dulcia nimis amant & animi affectibus, præsertim tristitiæ, indulgent. Ex facili etiam eas incurrunt, qui brevi ex morbo convaluerunt, alvum habent strictam, qui crebrius utuntur purgantibus drasticis, quibus etiam hæmorrhoides, vel menses suppressi. Autumno, qui ferax febrium pernicioſarum, propter varietatem & inæqualitatem perspirationi saluberrimæ valde inimicam, præterea frequentior, quam aliis anni temporibus. Et haud raro accidit iis, qui corpori æstuanti frigidum ingerunt potum, aut sudantes in locum frigidum humidum concedunt.

§. VIII.

Quibusdam regionibus familiarior. In quibusdam quoque regionibus frequens magis esse observatur. De Italia testantur hoc cum *Galeno*, *Spigelius* atque *Baglivus*. Et certe regnans ibi interdiu æstus acria recrementa gignit multa, frigidior noctu aura horum exclusionem impedit, & frigidus, quem amant vel injecta glacie incolæ parant, potus facit, ut subsistant in mesenterio, ubi minor resistentia & languidior progressus, succi, stasin concipiant inflammatoriam & sic febris continua, intermittens vero à succis corruptis ex mesenterio ad intestina delapsis, gignatur. Idem evenit in Hungaria, ubi eadem cœli conditio & præterea usus vinorum dulcium spirituosorum liberalior, hanc febrem frequentissime accendit.

§. IX.

Semitertiana periculosa. Quia igitur semitertiana hæc febris, præter communem intermittentium prima in regione causam, fundamentum habet inflammationem & indolem continuam, ut nec symptomatum adsit magna remissio, nec ad vires reparandas spatium, admodum anceps & intermittente simplici longe est periculosior.

§. X.

Brevi decurrit. Præcipitis etiam hanc ob causam est decursus, & plerumque nono, aut decimo tertio die finem attingit, vel in salutem, vel transitu in alium morbum facto, vel etiam in mortem.

§. XI.

Longior in alios morbos transit. Ubi longius extrahitur, aut in suppurationem inflammatio, & morbus in hecticam potissimum, vel lentam febrem concedit, aut si firmior in mesenterio obstructio, in hydropem, aut, rarius tamen, oppleta nimium sordibus prima regione, in intermittentem simplicem quandoque, quandoque duplicem.

§. XII.

Quomodo solvatur. Quando vero non modo declinante paroxysmo, sudor erumpit, sed & septimo critico die, aut post eum alvus turbatur & fluxus oboritur vel bilioſus ac pituitosus, vel etiam cruentus plane, bonum & morbi solutionem nunciat. Vel si etiam dolores in ventre acerbiores, certis plerumque horis ingravescentes accidunt, iisdem discutitur morbus, aut subsequente postea diarrhœa sanioſa & purulenta, aut sanguine copioso nigro secedente, solvitur.

§. XIII.

Mala signa. Contra ea, quando nihil horum evenit, sed potius ardor circa præcordia, tensio & dolor in tota ventriculi regione, vomitus, singultus, inquietudo, jactatio & tremor manuum, animadvertuntur, malum præbent omen & inflammationem latius ad ipsum quoque ventriculum serpisse produnt.

§. XIV.

Sphacelo necat. Qui semitertiana decedunt, sub accessione gravioris paroxysmi, tertianæ typum servantis, succumbunt, inflammatione late diffusa & in putredinem conversa. Quam etiam mortis causam *Spigelius* se semper invenisse testatur. *lib. de semitertian. cap. XIV.* distertis verbis scribens: *quotiescunque mecum repeto, quæ in dissectionibus mortuorum à semitertiana observavi, toties nil aliud potui agnoscere, quam putredines semper in vasis constitisse. Erant enim in dissectis cadaveribus inflammationes, ex sanguine bilioso & pituitoso factæ, circa jecoris cavam partem, in ventriculo, intestinis, tam crassis, quam tenuibus, mesenterio, omento, liene, & sæpius in una partium commemoratarum, aut pluribus, aliquando etiam in omnibus, quæ celeris mortis causæ erant, superveniente gangræna, vel sphacelo alicui loco, etiamsi quandoque exigua esset, partium prædictarum.*

CURATIO.

§. I.

Indicationes curatoriæ binæ. Duplici potissimum fundamento semitertianis medendi methodus nititur. I. ut inflammatoria in mesenterii & intestinalibus tunicis hærens stasis, vitæ periculum intentans, pronte vel discutiatur, vel, ne latius serpat, impediatur. II. ut materia febris, quæ intermittit; corrigatur & placidè evacuetur, servando simul motuum criticorum rationem.

§. II.

Inflammatio quibus discutienda.

Ad primum obtinendum egregie proficiunt pulveres diaphoretici, leniter nitrosi, parca, sed crebriori manu dati. Formula esse poterit hæc: Recipe cerussæ, antimonii, matris perlarum, lapidum cancrorum ana drachmam, solutionis oculorum cancri, nitri depurati ana drachmam semis. M. F. pulvis, de quo tribus quibusvis horis quindecim grana propinari possunt cum decocto ex radicis scorzoneræ unciis duabus, rasuræ cornu cervi uncia, passularum minorum tantundem, radicis cichorei uncia semis, in quatuor aquæ mensuris per horæ dimidium coctis. Idem præstant mixturæ resolventes & diaphoreticæ, ex aquis diapnoicis & analepticis, liliorum convallium, galegæ, cardui benedicti, scorzoneræ, ceraforum nigrorum, cum aceto destillato, lapidum cancrorum, antimonio diaphoretico, mixtura simplici & syrupo cardui benedicti, ternis singulis horis, ad unum vel alterum cochlear exhibitæ.

§. III.

Alvus & sudor quomodo movendus.

His contemperantur etiam & diluuntur primæ regionis sordes intermittentem facientes, ad quas dein expurgandas omnium optima, soluta manna cum cremore tartari, nec non rhabarbari, cum passulis & salis polychresti portione. Quippe quæ sine sanguinis commotione, sine stimulo nervosarum partium, sine virium dejectione, intestinorum canalem evacuant & ad mesenterii quoque infarctum expediendum multum conferunt. Conducunt tamen etiam pilulæ balsamicæ, ex amaris extractis, gummatibus resinosis balsamicis & aloë rite depurata, cum pulvere præcipitante nitroso, moderate, sed frequentius usurpatæ. Si etiam subtiliores sordes per cutis poros aucta perspiratione evehendæ, essentia scordii, cum æquali liquoris anodyni mineralis parte nupta, tutissima pariter & efficacissima.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Medicatio caute instituenda.

Omnis medicatio ita instituenda, ne unquam motui critico salutari obsit, sed eundem potius deficientem juvet & excedentem moderetur.

§. II.

Purgantia nocent.

Hinc purgantia propinare, tanto magis in principio, admodum pernicioſum. Exagitatur enim inde materia nondum præparata, inflammatio augetur & morbus ad funestum citum eventum disponitur.

§. III.

Etiam salina detersiva.

Ipsa salina detersiva, per se data, in hac febre locum non inveniunt, præsertim in majori dosi, excepto nitro antimoniato, cui recte multum detulit *Baglivus*, cum sale polychresto. Habent enim vim aperitivam, diureticam leniterque laxantem, & commodissime ad grana XV. in sufficiente quantitate decocti interdum dantur.

§. IV.

Alvus clysteribus primum aperienda.

Si tamen febris hæc invadit alvo clausa, vel etiam sub ipsa hæc stringitur diutius, clystere tantum, ex paregoricis & emollientibus, seminibusque carminativis cum sapone Veneto, ducenda: quo à copia excrementorum liberentur primæ viæ. Hoc enim si negligitur, per superiora natura viam affectat & vomitum movet, præsertim ubi bile acri bilioſi in hepate ductus turgent.

§. V.

Declinante febre laxantibus.

Declinante autem jam febre, naturæ ductui, quæ sæpe eandem alvi fluxu solvit, insistendum, & superius dicta laxantia & pilulæ balsamicæ commodissime usurpantur.

§. VI.

Emetica caute danda.

In emeticis propinandis maxime cautus sit medicus, ne vomitum & singultum proritet, vel stomachum ad inflammationem disponat. Si vero materia per superius os exturbanda ipsaque natura eo tendat, potus aquæ tepidæ cum sale, aut leniſſimo stimulo antimoniato, satisfacit.

§. VII.

Venæ sectioni rarus locus.

Sanguinis missio non facile locum habet in hac febre, nisi eminens plethora, urgens æstus, in corpore agili adhuc & criticarum hæmorrhagiarum suppressione affecto. Tum utique pernecessaria ad lethalem inflammationem intestinorum præcavendam. Sed in principio statim administranda, & quo citius subtrahitur sanguis, eo expeditius succedit sanatio.

§. VIII.

Vitanda calida & æstus.

Vitanda dein omnia calida, essentiæ alexipharmacæ & tincturæ bezoardicæ, ipsum quoque regimen æstuosum & potus copiosus calidus. Aestus enim inde magis accenditur, criticus mineræ morbi per intestina effluxus turbatur, & vires inter largos sudores dissipantur.

§. IX.

Adstringentia & chinchina.

Pulveres quoque adstringentes, nimium fixi, terrei, testacei omittantur his in febribus, nec non cortex chinæ. Observavit enim jam *Baglivus prax. pag.* 51. iisdem vel inflammationes lethales, vel lentas & hecticas febres fuisse inductas.

§. X.

Tormibus & diarrhœa quomodo succurrendum.

Si etiam dolor in abdomine exquisitus urgeat, vel crebriores quoque dejectiones adsint, abstinendum tamen à sedantibus. Exterius tantum succurrendum linimentis spirituosis roborantibus, abdomini illitis, & interius diaphoreticis tumultus componendus.

§. XI.

Potui qui serviant.

Potui ordinario egregie servit decoctum sub curatione commendatum, nec non decoctum avenæ sic parandum: recipe avenæ mundæ lotæ libram, radicis cichorei, sarsaparillæ, scorzoneræ ana unciam, florum papaveris rhœados pugillos sex, nitri antimoniati unciam semis, adde foliorum scabiosæ manipulum dimidium, nitri puri drachmas duas, coque in quinque mensuris aquæ communis ad consumtionem tertiæ partis, dulcificetur syrupo cardui benedicti, vel papaveris erratici, vel etiam acetositatis citri.

§. XII.

Chamomillæ & millefolium prosunt.

Admodum præterea proficuum hac in febre deprehendi decoctum florum chamomillæ & summitatum millefolii, vel etiam confecta ex ipsis extracta. Spasmos enim, inprimis hystericos, sæpe complicatos tuto leniunt, simulque propter amaritiem, singularem tonicam antifebrilem possident virtutem.

§. XIII.

Recidivæ quomodo arcendæ.

Quum vero vix ulla febris æque facile redeat ac semitertiana, post eam in diæta & vitæ regimine cum cura vitanda utique omnia, quæ superius in causarum procatarcticarum numerum retulimus. Temperata tenenda omnia, alvi beneficium clementioribus servandum, cruditatum proventus stomachicis præscindendus, &, quod maximum, perspirationis successus omni modo custodiendus. Recidivæ enim, uti omnium febrium,

brium, ſic etiam hemetritææ, longe deterioris, magisque refractariæ ſunt indolis, ac primus morbus.

§. XIV.

Sic etiam in cominuis intermittentibus.

Hæc ſunt generalia naturæ ductui & ratione innixa medendi præcepta, quibus obſervatis, curatio recte adornanda & ex voto etiam perficienda. Individualem autem & ſpecialiſſimam methodum, medici ſuggerat judicium, quo pro diverſitate circumſtantiarum, ex morbi hiſtoria agnoſcendarum, ordinem, doſin, tempus & uſum remediorum, perite diſponat ac dirigat. Quumque eadem omnino ſint, quæ in medicatione intermittentium continuarum, quotidianæ, tertianæ & quartanæ, præcipi ſolent ac poſſunt, eadem in his etiam tenenda ſerio inculco, & de iis peculiarem tractationem inſtituere ſupervacaneum duco.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Semitertiana curata.

Virgo nobilis viginti annorum, tenerior, vitæ ſedentariæ & deliciis in victu impenſius addicta, acetaria, fructus horæos, dulcia & lacticinia crebrius aſſumens, autumno incipiente, quum jam per aliquot hebdomades albo laboraſſet fluore, corpuſque motu exæſtuatum frigidiori nocturno aëri expoſuiſſet, primum experta eſt languorem univerſi corporis, dorſi & capitis dolorem. Mane poſt ſucceſſit horror cum anxietate magna, nauſea, vomendique & deſidendi ſtimulo, quem excepit æſtus, pulſu celeri, exiguo, & cuti arida ſtipatus. Miteſcebat tamen cute demum madeſcente, ſed veſperi iterum, poſt levem frigoris ſenſum, ingraveſcebat. Die poſt meliuſcule habebat & urina ſecedebat cruda, tenuis, febriculam autem nihilo ſecius adeſſe, calor quem perſentiebat internus & os ſiccum aridum prodebant. Poſt meridiem etiam increbeſcebat febris & altero die mane cum horrore novus accedebat inſultus, eodem modo, ut primus, incedens atque decurrens. Alternatim hæc ad diem uſque ſeptimum perſiſtebant, quo in abdomine oriebantur murmura, inflatio ventris & hypochondriorum tenſio, & ſequebantur plus quam decem dejectiones mucidæ & morſicantes. Fluebat ſic alvus ultra decimum quartum diem, ægra, inprimis noctu, mirum languebat, exteriora magis frigebant & algebant, interiora vero calebant accedebatque tuſſis ægram violenter exercens, cum ſomni & appetitus defectu. Medicus, quod à principio fecerat, inſiſtebat abſorbentium, refrigerantium nitroſorum uſu perpetuo; nolebant autem pathemata cedere, ſed potius cum ventriculi inflatione cardialgica augebantur. Poſtulato igitur meo conſilio, dedi mixturam hanc diaphoreticam: recipe aquæ liliorum convallium, ſcorzoneræ, ceraſorum nigrorum ana unciam unam ſemis, theriacalis cum vino unciam, lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici, diaſcordii Fracaſtorii ana drachmam ſemis, mixturæ ſimplicis guttas XXX. ſyrupi cardui benedicti, quantum ſatis. M. Qua bihorio quovis ad tria cochlearia data, dejectiones pauciores factæ & cutis calido madore perfuſa. Infuſum etiam theiforme ex veronica, ſcabioſa, floribus chamomillæ vulgaris & ſemine aniſi potum, & loco ordinarii potus, decoctum cornu cervi & hordei citratum. Cum quo ſubinde aſſumtus pulvis, ex ſolo antimonio diaphoretico & lapidibus cancrorum, addita ſolutione oculorum cancri & pauxillo nitri. His intra binas hebdomades ſymptomata, tuſſis, alvi crebrior dejectio, virium labes, aſſidua vigilia & internus æſtus, ſublata. Quum vero metus eſſet febris lentæ, ob gliſcentem diutius internum calorem, præſertim poſt paſtum, ad præſcindendam hanc dataæ pilulæ noſtræ balſamicæ, cum pulvere ſalino aperiente & elixirium noſtrum ſtomachale, felici pariter cum ſucceſſu.

Epicriſis.

Febris hæc exacte ſervavit ſemitertianæ typum & ſeptimo etiam die ſalutarem habuit excretionem per alvum. Interim tamen ſemper etiam in hac febre ratio habenda cuticularis excretionis. Perperam igitur à primo medico crebriori refrigerantium & nitroſorum uſu perſpiratio fuit impedita motuſque humorum ad inteſtina converſus, ex quo omnia pathemata. Mixtura autem leniter ſudorifera ad ſuperficiem corporis ſuccos egit, hincque egregie profecit.

Observatio II.

Semitertiana cum purpura ſanata.

Genetoſa fœmina quadragenaria, tenera, mobilis valde atque ſenſibilis, purpuræ præterea autumno ab aliquot annis obnoxia, poſt corporis refrigerationem & animi commotionem, ſuperiori anno, veſperi horripilatione, capitis & dorſi dolore corripiebatur, ſuccedente æſtu ſedecim fere horarum. Vix inde ſeptem aut octo elapſæ erant horæ, quum gravis impeteret horror cum præcordiorum anxietate, vomendi conatu & virium proſtratione, qui paroxyſmus cum ſubſequente æſtu ad viginti fere horas producebatur. Superato hoc, melius quidem habebat, dormiebat etiam, ſed exactis vix ſex horis, denuo extremorum eveniebat refrigeratio, cum anxio æſtu magnaque debilitate, vehementia tamen ſymptomatum non tam gravi, nec vomendi conatu. Vocabar in conſilium, ſemitertianam agnoſcebam, ſed ob notam mihi ægræ diſpoſitionem purpuræ, hanc ſimul ſubeſſe ſtatim conjiciebam, inprimis quum inſignis præſto eſſet pectoris anguſtia & oppreſſio. Injectus igitur primo clyſter & poſt hunc ad expellendam purpuræ materiam, hanc ante paroxyſmum & remittente eo, ad aliquot cochlearia porrexi mixturam: recipe aquæ cardui benedicti, galegæ, ſcorzoneræ, florum ſambuci ana uncias duas, aceti deſtillati unciam, lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici ana ſcrupulos duos, cinnabaris ſcrupulum unum, ſpiritus nitri dulcis, mixturæ ſimplicis ana guttas XXX. ſyrupi cardui benedicti drachmas duas. M. Hinc quidem ſymptomatum atrocia mitigata, febris tamen priſtinam adhuc, & veſperi, & alterno die, ſervabat incurſionem, & accedebat præterea abdominis dolor cum alvi adſtrictione ſummaque anxietate. Indicio hoc mihi fuit viſcidas & bilioſas multas ſordes primis hoſpitari in viis, eoque inductus, ſuaſi, ut remittente paroxyſmo, decem ex pilulis noſtris balſamicis, cum doſi pulveris abſorbentis nitroſi ſumeret, & prærerea elixirio noſtro viſcerali in decocto pro potu crebrius uteretur. Sequuta inde placida alvi ſolutio, & continuatis iiſdem remediis per aliquot dies, fœtidiſſimæ ſeceſſerunt feces pariterque copioſæ. Hoc facto, mixtura ſuperius dicta iterum uſurpata, nec non pulveres bezoardici, cum pauxillo pulveris corticis chaccarillæ. Sic demum moleſtus in univerſo corpore obortus pruritus, purpura efflоruit, urina ſedimentum poſuit, ac intra tredecim dies febris diſceſſit & poſtea vires etiam recuperatæ.

Epicrisis.

In omnibus fere morbis epidemicis complicata subesse solet ejusmodi materia exanthematica, qua ad habitum corporis, sub macularum, vel aliarum efflorescentiarum forma propulsa, febris, quæ præsto est, insigniter mitigatur; non fallaci testimonio, eandem ante ab acri subtili humore ortam fuisse. In hac vero historia commemorabile, quod materia scorbutica salino-acris in corpore delitescens, non statim à mixtura sudorifera ad cutis extrema fuerit expulsa, sed tum demum, quum natura arte adjuta à sordium sarcina primam liberasset regionem.

Observatio III.

Semitertiana dysenterica funesta.

Quum anno cIↃIↃccxxvii. autumno initiante, circumiret dysenteria, concessit in villam suam vir quinquagenarius, robustus, plethoricus, cibis duris ac salsis cum vini potu assuetus. Eo delatus, plurimos ex villicis maligno hoc fluxu decumbere percepit. Hinc terrore perculsus est haud levi. Bene tamen pransit & bibit, in horto etiam post prandium deambulavit, leviter tantum vestitus, licet aër regnaret frigidiusculus. Vesperi horrere cœpit ac frigere, torminibusque ventris affligi cum æstu, qui per totam fere noctem perstitit. Mane post misit, qui medicum vocarent, interea vero novum expertus est frigoris accessum, cum nausea, anxietate & ventris tensione, subsequente calore. Medicus epidemicam luem subesse ratus, ad præscindendum ipsius fomitem, purgans dedit pharmacum. Quo vel quinquagesies dejecit cum acerbis torminibus æger, alvumque in latrina, torrenti domum alluenti superstructa deponens, ad ventrem frigus incautius admisit. Accensa hinc magis febris, alternis semper diebus gravior, alvus perpetuo fluxit cruenta, demum cadaverosi fœtoris, somnus periit, æger de ardore interno conqueri, corpus jactare & delirare cœpit, donec sexto morbi die convulsus periret.

Epicrisis.

Est hæc febris dysenterica inflammatoria, semitertianæ typum habens, inducta à terrore, cruditatibus primarum viarum, refrigeratione & purgante, nec mirum, conspirantibus tam multis causis, brevi in funestum morbum fuisse adductum hominem sanum atque robustum. Heic vero quam maxime proficua fuisset sanguinis missio, quam in dysenterico morbo mirifice commendat *Sydenhamus*, *Botallus*, *Amatus Lusitanus*, cum aliis. Et hac sola, adjunctis medicamentis diaphoreticis, leniter nitrosis, inflammationem discuti, sphacelum arceri, & firmum alias virum servari potuisse, ego quidem arbitror.

Observatio IV.

Semitertiana ictero discussa.

Quadragenarius vir, tenerioris & biliosæ constitutionis multum delectatus dulcibus, & in prandio, loco vini, subinde sumens aquam sic dictam vitæ, jamque ante annum ictericus, incidit autumno in semitertianam cum magna debilitate, occipitis dolore, siti, calore, ciborum nausea & crebrioribus ventris torminibus. Septimo die solvebatur alvus & per aliquot dies largiter fluebat, febrisque mitescebat. Nihilo minus medicus ad sistendum fluxum exhibebat pulverem, cum terra catechu, quo constitit. Sed factus æger ictericus, flavescente per totum corpus colore diffuso, alvus obstipata, excrementa alba, urina nigra & oleaginosa. Interim sub icteritia hac priora symptomata cessarunt omnia, rediitque appetitus cum viribus. Icterus etiam discussus pulvere rhabarbari cum speciebus diacurcumæ & liquore aperitivo, ex sale tartari, terra foliata tartari & arcano duplicato, composito. Sicque æger penitus convaluit.

Epicrisis.

Orta procul dubio hæc febris à copiosis sordibus biliosis stagnantibus & postea ad intestina delatis, quarum affluxu cum pulvere adstringente ad interiora represso, icteritia supervenit. Adstruitur hinc veritas effati *Hippocratis* & *Celsi*: icteritiam febri succedentem, eam sæpe tollere.

Caput VI.

De Febre Catarrhali Benigna.

Theses Pathologicæ.

§. I.

Febris catarrhalis quid sit?

Ex febribus lymphaticis & serosis est excutienda nunc catarrhalis, in qua motu solidorum & fluidorum adaucto, serum, ob perspirationem interceptam, superfluum & impurum, per glandulosa, faucium præsertim, narium & bronchiorum organa, critice quasi & salutariter ejicitur.

§. II.

Ejus historia.

Incipit hæc, vesperi ut plurimum, cum cutis inhorrescentia, extremorum, inprimis pedum & plantarum refrigeratione, alvi siccitate, stimulo ad mejendum, sed parco mictu, capitis debilitate, languore universi corporis & appetitu adaucto, quasi spurio, nec non siti, difficili deglutitione, stimulo in larynge, narium, & faucium calore, sequitur sternutatio, pectoris gravitas, & calor circa noctem cum pulsu celeri auctiori, tussis violenta, cum coryza, ardore faucium, somno inquieto, mane sudor, gravitas & torpor totius corporis appetitusque prostratio.

§. III.

Causa immediata & sedes.

Immediata horum pathematum causa est serum, seu lympha, acris causlica, in tunicis glandulosis subsistens, easdemque inflammans, cum dolore, tumore & rubore. Contingit hoc in tota narium, palati & faucium regione, tota etiam arteria aspera, cum ramis bronchialibus, quin immo ipso œsophago, ventriculo & intestinis. Has enim simul affectas esse partes, raucedo, tussis, screatus materiæ viscidæ, sternutatio, pectoris gravedo, item nausea, quandoque in vomitum erumpens, ardor in præcordiis, tormina ventris, & subsequens salutaris alvi fluxus, testantur.

§. IV.

Frequens cur vere & autumno?

Hanc autem seri subsistentiam inducit potissimum interceptus perspirationis successus. Hinc enim est, quod vere & autumno, æquinoctii tempore, frequentissimus hujus febris incursus. Tum quippe maxima tempestatum vicissitudo, ex calido in frigidum, sicco in humidum & vice versa, tam varie corporis corticem afficit, ut succedens ibi evacuatio graviter turbetur.

§. V.

Sub aëris mutatione.

Eandem ob causam catarrhi frequentissime accidunt iis, qui subito aërem mutant, ex calido loco in frigidum, vel ex frigido in humidum concedunt; qui corpus autumnali, vel nocturno frigido humi-

humido aëri incautius committunt; qui veſtitum hybernum vere cito nimis deponunt, vel autumno ſerius reſumunt; qui etiam æquinoctio ſanguinis miſſionem paſſi, vel alias criticam largam hæmorrhagiam experti, improvide in aërem liberum frigidiuſculum ſe conferunt.

§. VI.

Neque alia ſubeſt ratio, quod corpora ſpongioſa, laxa, phlegmatica & ſanguinea, infantes, pueri ac feminæ, longe frequentius febri catarrhali pateant, quam adulti, viri, ſtrictioris magiſque bilioſæ conſtitutionis; quod etiam magis eadem afficiantur, qui vigiliis indulgent, crapulam ſectantur, vinoque aut vini ſpiritu corpus exæſtuantes, humidiori & frigidiori aëri poſtea illud exponunt.

§. VII.

In iis quoque, qui poſt cruſtam lacteam & tineam capitis, nec non ſcabiem præpoſtere ſiccatam, poſt incurioſius, aut mala medicatione exceptam coryzam & tuſſim, febrem incurrunt catarrhalem; nulla utique alia poteſt ſuggeri cauſa, quam repulſum ex ambitu corporis ad interiora ſerum acre & rodens, inflammationi inducendæ aptum.

§. VIII.

Non tamen dubitandum, quin quandoque in aëre hoſpitetur ſubtilis cauſtica ejuſmodi materia, quæ inſpiratione hauſta, locis, quæ pertranſit, glanduloſis, ſeſe inſinuat, eademque dolore, tumore & rubore afficit & febrem accendit catarrhalem. Promta certe ejuſmodi acris materiæ geneſis vere ineunte, quo liqueſcente nive & regelata glacie, ſolum aqua inundatur effœta, quæ paſſim ſtagnans & putreſcens, noxia in aërem mittit effluvia multa. Quo etiam fit, ut febres hæ tum ut plurimum ſint epidemicæ & plures uno tempore invadant.

§. IX.

Quod autem catarrhi & catarrhales febres contagioſæ etiam ſint & alios propinquos atque diſpoſitos contagio inficiant, eam utique fit ob cauſam, quod lymphæ potiſſimum vitio debentur, eodem modo ac notum eſt, omnes qui contagio propagantur morbi, lymphæ corruptionem, vappeſcentiam, vel putredinem, habere cauſam.

§. X.

Sic incedit & generatur catarrhalis febris benigna, & hæc qui novit, ex facili eandem diſtinguere poterit ab aliis quotidie accedentibus febrium paroxyſmis, lenta, hectica, quotidiana, tertiana duplici & quartana triplici.

§. XI.

Facili etiam negotio diſcrimen perſpiciet inter illas glanduloſarum in faucibus & naribus tunicarum affectiones, quæ ex lue venerea & ſcorbuto, & quæ ex catarrho eveniunt. In illis enim ſola eroſio & ulceratio, à materia cauſtica lymphatico-ſeroſa, ſine febre; in hac vero, præter arroſionem, inflammatorii quid ſubeſt, ex ſubtiliori ſanguinis parte ſtaſin concipiente, cum febre.

§. XII.

Obvia quoque erit differentia, inter catarrhalem, & eam febrem, quæ rheumatiſmo accedit. Quum in illa tunicæ glanduloſæ internæ afficiantur & excretio ſubſequatur; in hac autem externæ muſculorum tunicæ patiantur & morbus evacuatione critica non ſolvatur.

§. XIII.

Paullo difficilius autem benigna diſcernitur à maligna, inprimis ab initio; ob plurima, quæ ambæ communia habent ſymptomata. In eo tamen differentia, quod hæc, ſecus ac illa, ingentem & ſubitam inferat virium proſtrationem, cum vigilia perpetua, quam mentis turbatio ſequitur, quod contagioſa magis ſit & plerumque etiam petechias & maculas habeat junctas, uti pluribus infra dicetur.

§. XIV.

Longior & gravior in ſcorbuticis.

Ceterum, quo major ſanguinis & ſeri impuri copia, eo graviora adſunt pathemata eoque diutius trahitur morbus, uti potiſſimum obvium eſt in ſcorbuticis, nec non ubi purpuræ materia intus deliteſcit.

§. XV.

In hypochondriacis.

In hypochondriacis, præter diuturnitatem, ob labefactatum ventriculi & inteſtinorum tonum & proclivitatem ad ſpaſticas ſtricturas & flatulentias, gravia varia jungi ſolent pathemata, anxietates præcordiorum inprimis, ſpirandi anguſtia & inquietudo, cum inflativo & preſſorio in hypogaſtrio dolore.

§. XVI.

In plethoricis item & intemperantibus.

Qui ſanguine abundant, intemperanter vivunt, vina non adeo bonæ notæ largius potant & acidis ſalſis cibis delectantur, majorem circa veſperam experiuntur ardorem & tuſſim ſiccam ferinam, cum ſomno inquieto.

§. XVII.

Nec non in menſium ſuppreſſione laborantibus.

Neque minus feminæ, quæ terrore, vel alia ex cauſſa menſium ſuppreſſione laborant, magnas in hac febre experiuntur præcordiorum anxietates, intercurrentibus lypothymiis, univerſi corporis notabilem debilitatem & alternantem frigoris & caloris in cute ſenſum, quæ noctu potiſſimum ingraveſcunt.

§. XVIII.

Per ſe periculi expers.

Per ſe tamen hæc febris benigna omnino eſt, & omni periculo, ſi dextre in medicatione excipitur, vacat, & intra ſeptem, aut quatuordecim dies, ut plurimum diſcedit, omni laſſitudine ſublata. Quin aliæ etiam capitis paſſiones, cephalalgia inprimis & hemicrania, ſuccedente catarrho & naribus bene fluentibus, optime ſolvuntur.

§. XIX.

Excretionibus ſolvitur.

Solvitur ſæpe in principio ſtatim aucta perſpiratione per ſudorem. In aliis poſt aliquot demum dies, vel copioſo ſcreatu materiæ viſcidæ, vel liberali ſeri mucoſi è naribus ſtillicidio. In quibuſdam etiam per crebras alvi dejectiones & in nonnullis, quando urina tenuis antea & parca, larga nunc manat & pondere gravis, ut minimum duplo majorem materiæ ſolidæ quantitatem contineat, ac in naturali ſtatu.

PRÆSERVATIO ET CURATIO.

§. I.

Præſervatio quomodo inſtituenda.

Quod igitur ad arcendum catarrhorum inſultum attinet, vitanda inculco omnia, quibus inducti eoſdem ſupra dixi, & ſuadeo, ut vere & autumno, tempeſtive ſanguis mittatur, modicus cibus ſumatur, perſpiratio cuſtodiatur & corpus ſubinde motu exerceatur. In iis autem, qui laxioris humidioris naturæ ac ætate juvenes ſunt, & ob id, notante jam *Hippocrate Sect.* VI. *aph.* 2. frequenter exercentur catarrhalibus defluxionibus & rheumaticis affectibus; ego multoties cum fructu uſus ſum hac methodo, qua præcepi, ut per quadraginta dies decoctum ex radice chinæ, ſarſaparillæ, cortice ligni ſaſſafras, cum paſſulis & pauco cinnamomo, biberent, ac interea ex cibis nihil

ſume-

ſumerent præter carnem aſſatam, cum amygdalis toſtis & pane bis cocto, ſimul etiam aliquoties ad alvum ſubducendam uterentur ptiſana mannata, demum finita hac cura, elixir ſtomachale, ad XXX. guttas, cum aqua & vino, quotidie ante prandium uſurparent.

§. II.

Indicationes curatoria. Medicatio dein catarrhalium febrium, triplicem hunc ſibi præfixum habet ſcopum : I. ut acrimonia illa ſalina acris lymphæ obtundatur ac temperetur ; II. ut perſpiratio turbata, quæ primaria congeſtionis ſeroſæ ad interiora cauſa, promoveatur ac in ordinem iterum redigatur ; III. ut in fine excretio muci viſcidi craſſi promoveatur, ejuſdemque ulterior generatio impediatur.

§. III.

Acrimonia quomodo temperanda. Acredinem contemperant, præter pulveres ſic dictos bezoardicos abſorbentes, humectantia omnia & oleoſa, inſtar omnium oleum amygdalarum dulcium, dein ſperma ceti, butyrum rubrum, lac, cremor lactis, emulſiones ex amygdalis, vel pineis, cum ſemine papaveris albi, decoctum avenaceum, raparum, hordei, juſcula caponum, gallinarum, cum vitello ovi. Ex dulcibus liquiritia, ejus infuſum, eſſentia & ſuccus Hiſpanicus, ficus quoque & paſſulæ. Si ſubtilis nimis & rodens eſt acrimonia, leniora anodyna locum habent, inter quæ aliis palmam præripiunt papaveracea, crocus, item pilulæ *Wildeganſii*, diacodium *Montani*, pilulæ de ſtyrace, quarum compoſitio & uſus antiquiſſimus pariter ac probatus eſt, uti patet ex *Tralliani lib. V. pag. 247.*

§. IV.

Perſpiratio quibus promovenda. Ad excretiones, præſertim omnium ſaluberrimam cuticularem, faciunt infuſa calida theiformia, ex herba veronicæ, hyſſopi, radice liquiritiæ, floribus ſambuci, papaveris rhœados & ſemine fœniculi. Proficui etiam ſunt pulveres diaphoretici fixiores, inprimis cum aquis diapnoicis & antiſpaſmodicis ſumti. Nihil quoque ad purgationem ſeri per cuticulam utilius ipſa exercitatione & motione corporis, quæ ab *Hippocrate lib. de inſomn. §. IV.* item *de victu acut.* §. 67. mirifice ad ſudorem eliciendum, mane poſt frictionem, commendatur.

§. V.

Mucus quibus educendus, faucibus. Educendæ demum, quæ reſtitat materiæ lentæ, ex faucium glanduloſo periſtromate, ſerviunt pectoralia, ficus & paſſulæ, cum ſpiritu vini accenſæ & in ſyrupum quaſi redactæ, balſamum pectorale *Meibomii*, item elixir pectorale, ex gummi ammoniaco, myrrha, radice liquiritiæ, enulæ, croco, benzoë & oleo aniſi, cujus reſolvens virtus addita tinctura tartari, vel ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, adhuc poteſt intendi. *Naribus.* Ad fundendam autem ſtagnantem in narium cavitatibus pituitam, nihil præſtantius ſale volatili ſalis ammoniaci ſicco, cum aliquot guttulis olei majoranæ puri, non fœtidi, nec adulterati, eſſentificato, crebrius naribus admoto.

§. VI.

Methodus uendi remediis. De applicatione horum remediorum id in genere tenendum : quod matutino tempore expediat perſpirationem promovere potu infuſorum ex herbis calidorum, nec non juſculorum & uſu pulverum temperantium bezoardicorum ; circa noctem vero anodyna & demulcentia dare. Specialis autem medendi methodus, partim in ſymptomatum mitigatione, partim etiam in oblatione medicamentorum, ratione doſeos & ordinis, conſiſtit, & ad individualem corporum diſpoſitionem eſt accommodanda, de qua potiora in ſubjungendis nunc monitis practicis trademus.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Febris catarrhalis leniter tractanda & cauta. Sicuti omnis febrilis æſtus, ita etiam catarrhalis, leniſſime & placide tractandus eſt, æger quoque in moderato calore lecti & hypocauſti ſemper ſervandus. Exulent igitur omnia commoventia calidiora & validiora, una cum regimine æſtuoſo, eo quod materiam acrem magis exagitant, calorem adaugent & æſtuoſam partibus diatheſin conciliant. Vitentur vero viciſſim omnia refrigerantia, acida & quæcunque perſpirationem turbant. Opiata etiam & theriacalia caute in uſum vocentur, tanto magis ſi caput debile & grave, ſi ætas ſenilis & alvus adſtricta.

§. II.

Cibus & potus ſit congruus. Cibus ſit paucus, potus tepidus & ſalubris, optimus decoctum hordei excorticati cum raſura cornu cervi, paſſulis & radice liquiritiæ, item decoctum avenaceum. Vinum autem, nec non vini ſpiritus, propter acidum ſtimulans & ſpiritum, qui calorem accendit, nullius in hac febre utilitatis. In declinatione tamen morbi, ſi excretiones jam adſunt, vinum bonæ notæ conduxiſſe, paulo largius etiam ſumtum, obſervatum eſt, eo quod circulum ſanguinis promovet, & æqualem ſervat perſpirationem.

§. III.

Nitrum quando proſit. Si æſtus eſt impenſior, uti in plethoricis atque cholericis, fervor etiam internarum partium percipitur, nitri aliquot grana pulveribus bezoardicis cum fructu admiſcentur, & emulſiones liberalius uſurpantur.

§. IV.

Alvus quibus ducenda ſub fine. Quando alvus dura nimis & ſtricta, ſub morbo, præter juſcula avenacea, mannata, prunata & paſſulata, nihil convenientius clyſtere emolliente. Egregium tamen quoque uſum præſtant pilulæ aloëphanginæ, vel Beccherianæ, ad X. vel XII. grana, cum granis IV. pilularum de ſtyrace, ante lecti introitum ſumtæ, eo quod & alvum aperiunt, & violentam ſiccam tuſſim moderantur.

§. V.

Item declinante febre. Si etiam declinante febre tuſſis humida nimis, copioſa & pertinax, ad humorem pituitoſum derivandum & per alvum evacuandum, egregie proficit decoctum mannæ largiori doſi, ad uncias duas vel tres, ex aqua veronicæ. Tum quoque proſunt pilulæ balſamicæ *Becheri*, nec non *Ruſi*, ex aloë, myrrha & croco, æquali portione commixtis, paratæ.

§. VI.

In principio purgantia nocent. In principio vero febris catarrhalis alvum ſtimulantia non conferunt, præſertim paullo acriora, quia humores ſeroſos acres ad inteſtina invitant, tormina & alvi fluxus, non ſine periculo febris lentæ, concitant. Quin à mercurio dulci cum reſina jalappæ ſic dato, in virgine plethorica inflammationem ventriculi inductam fuiſſe, novi.

§. VII.

Tuſſis ferina quibus componenda. Ubi tuſſis ferina & vehemens, componenda eſt oleo amygdalarum dulcium recenti, cum ſyrupo capillari Monſpelienſi commixto, item hoc electuario : Recipe olei amygdalarum dulcium drachmas tres, ſpermatis ceti drachmam, ſaccharo candi albi, ſyrupi violarum ana unciam, croci

ſcru-

ſcrupulum, olei aniſi, macis, ligni ſaſſafras, ana guttas ſex, M. De quo ſubinde aliquid deglutiendum.

§. VIII.

Quando in fœminis menſium ſuppreſſione affectis ſuperius dicta pathemata ingruunt, alvus congruis clyſteribus ducenda & diaphoretica propinanda, quæ ſanguinis motum ad ſuperficiem corporis urgent, tumque pulveribus bezoardicis cum fructu adjici poteſt, croci granum unum, vel aliquot grana florum ſulphuris, abſtinendum vero ab omnibus expectorantibus & dulcibus.

§. IX.

Quæ hypochondriacis accidunt inſolita ex ventriculi potiſſimum inflatione ſymptomata, clyſteribus emollientibus & carminativis, nec non eſſentiis carminativis, cum pectoralibus nuptis, quam optime diſcutiuntur.

§. X.

Quando ſuperata febre pulmonum reſtitat laxitas, ut juſto largior fit ſcreatus, pulveribus bezoardicis addenda aliquot corticis chaccarillæ grana, vel balſamum noſtrum ſic dictum vitæ, circa noctem ad aliquot guttas ſumendum.

§. XI.

Sanguinis miſſio, debito tempore & regimine inſtituta, in plethoricis quam optime frequentem catarrhorum inſultum arcet. Sed præſente jam catarrhali febre, penitus ab ea abſtinendum. Tum enim, experientia teſte, diuturnitatem catarrhi adducit.

§. XII.

In tuſſi violenta & nimis diu durante, pectoralia dulcia, incraſſantia, in nimia quantitate oblata, ad cachexiam, immo ad phthiſicum affectum, diſponunt, appetitum & digeſtionis vim infringendo & pulmonum tonum valde labefactando.

§. XIII.

Quamvis juxta *Hippocratem lib. VI. epid. Sect. III.* his, qui ex capite, gravedine & raucedine laborant, ubi febre correpti fuerint, minus recidivæ fiant, ſi videlicet morbus cum defluxione recte fuerit ſolutus; nihilo minus tamen ne via ſternatur ad alium morbum, pariter ex *Hippocratis l. c.* conſilio, ſuadeo, ut convaleſcentes victus & ventriculi rationem habeant, & præterea ad perſpirationem ſervandam, potum infuſi theiformis mane adhuc aliquandiu continuent, uti pluribus ſupra in præſervatoriis monitis dictum eſt.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Vir macilentus, natura ſenſibilior, à multis annis hypochondriacis pathematibus obnoxius, præter conſuetudinem in convivio ſtomachum non modo variis eduliis, ſed & liberali vini potu onerarat. Aliquot horis poſt, noctu, ſub aëre vernali humido frigidiuſculo, iter fecit, ac domum reverſus, correptus eſt horrore, languore totius corporis magnaque capitis gravitate. Sequuta ingens præcordiorum anxietas, tuſſis moleſta & præternaturalis æſtus, cum alvo tenſa & adſtricta. Suaſu uxoris bibit decoctum Succoladæ, quod excepit intenſior anxietas, inquietudo, ſuffocatoria quaſi ſpirandi anguſtia, nec non inflativus dolor lateris dextri in regione hypogaſtrii. Vocatus hinc medicus, qui febrem non modo malignam, ſed & peripneumoniaci quid ſubeſſe judicavit, & tincturam bezoardicam cum ſpiritu cornu cervi, nec non mixturam ex aqua cardui benedicti, diaſcordio Fracaſtorii, lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico & ſyrupo papaveris rhœados, exhibuit. Sed fruſtra & perperam: quarto enim die, quum ob alvum nimis ſtrictam, clyſter injiceretur, evanuerunt, quæ metum gravis morbi incuſſerant, ſymptomata omnia, & tuſſis tantum, gravativus capitis dolor, raucedo & æſtus veſperi increbeſcens, remanſerunt. Ab alio igitur medico commendatum infuſum ex veronica, liquiritia & fœniculo, circa noctem doſis pulveris bezoardici cum grano uno extracti croci & papaveris rhœados, alterno die veſperi doſis pilularum noſtrarum pectoralium, interdum aliquot grana nitri & ſuccini cum emulſione, & ad expectorationem electuarium ex oleo amygdalarum, ſpermate ceti, croco & oleo aniſi. His procuratus ſcreatus & lenis ſudor & reliqua adhuc ſymptomata fere omnia diſceſſerunt. Ventriculus autem manſit imbecillis, & cibo ſumto, gravativum & preſſorium fecit dolorem. Tuſſis etiam noctu fuit acris cum materiæ copioſæ ejectione, quæ interdum etiam vomitum proritavit. Sed quum corpus equitatione exerceret æger, pilulis noſtris balſamicis & inter cibos ſale volatili oleoſo uteretur, & loco tenuis acceſcentis cereviſiæ, biberet ſaturatiorem & amaricantem, ſucceſſive priſtinæ valetudini ex toto fuit redditus.

Epicriſis.

Fuit hæc febris nonniſi catarrhalis benigna, tum etiam popularis. Sed quia incidebat in hypochondriacum corpus, comparuere inſolita pathemata. Stomachus etiam cruditatibus jam plenus non potuit non ægre ferre decoctum ſuccoladæ in copia ſumtum, quo tunica villoſa & oſculis ductuum in ipſa obſtructis, inflatio inducta, cui anguſtia ſpirandi, præcordiorum anxietas, dolor ſiniſtri lateris tenſivus & inquietudo tribuenda. Medicus autem male conſuluit famæ, quod præceps nimis in judicando fuit & hæc ſibi imponere paſſus eſt. Et quod demum diutius hæc febris perſtitit, id utique omnibus evenire ſolet hypochondriacis, in quibus ventriculi robori imminuto convenientibus ſuccurrendum eſt præterea præſidiis.

Observatio II.

Febres catarrhales epidemicæ.

Quum anno cIↃ Ic ccIx. poſt accerrimum hyemale diuturnum frigus, Martio menſe leniori ex auſtro ſpirante vento, nives & gelu ſolverentur, Aprili & Majo initiante, Berolini, quo tum degebam, & alibi, quamplurimos corripiebat febris cum horripilatione & æſtu, ſummo languore, tuſſi ferina, nonnullis quaſi ſuffocatoria, ingenti ſiti & ciborum nauſea. Circa noctem invaleſcebant hæc omnia & ſomnus inde mirum turbabatur: in quibuſdam extrema mox calebant, mox horrebant. Quidam diu decumbebant, præſertim ii, ubi ob præviam humorum diatheſin, purpuræ ſcorbuticæ materia intus deliteſcebat, quæ etiam per vices crebrius maculis rubris & aſperis in extrema cute comparebat, ex levi vero cauſa iterum evaneſcebat. In nonnullis quarto ſtatim die exanthemata rubra morſicantia, urentia, cum magno pruritu, quaſi ab urticis inducta, quæ dicunt *die Neſſelſucht*, erumpebant & tuſſis æque ac caloris mitigationem inferebant. Alii, præſertim fœminæ phlegmaticæ ſanguineæ provectioris ætatis, exquiſitos ſimul rheumaticos dolores patiebantur. Qui vix convaleſcentes, in pu-

publicum prodibant cito nimis, incurrebant ingentem capitis torporem, gravativum dolorem, vertiginem, gravedinem, *den Stockſchnupfen*, languorem corporis cum ſpirandi anguſtia & difficili negotio iterum ad ſanitatem redibant. Ubi etiam vetus jam erat in pulmonibus vitium ex hæreditate, febre hac diſcedente, tuſſis purulenta cum ſanguine ſuccedebat, ſæpe vera phthiſis. Qui porro ab imperitis chirurgis & pharmacopœis purgantes accipiebant pilulas, doloribus acerbis ventris affligebantur, mirumque debilitabantur, animi defectiones patiebantur cum frigido extremorum ſudore, & gravius, & longius, decumbentes. Qui vero & proba victus & regiminis ratione, & dextra medicatione morbo occurrebant, ac pulveribus inprimis bezoardicis ſedulo utebantur, cum uno, vel dimidio grano extracti croci, brevi convaleſcebant iterum.

Epicriſis.

Epidemicæ haud raro ſunt catarrhales febres, tum maxime, quando ex tempeſtatum conſtitutione inſolita ejuſdemque ſubita viciſſitudine, ob mutationem ventorum, inprimis quando rigidum boream mox lenior excipit aura zephyri, ſubnaſcuntur. Pejoris etiam tum ſunt indolis & ægrius perſanantur, qui dyſcraſia ſanguinis & humorum, ab aëris intemperie introducta, foventur. Valde diſſimilia quoque, pro diſpoſitione habitus corporis, viſcerum, ætatis, temperamentorum, nec non victus ratione, inferunt ſymptomata, magis, vel minus benigna. In curatione autem omnia, quæ criticum naturæ motum, ſeri ſuperflui per glanduloſa emunctoria excretioni dicatum, turbant, morbum graviter exaſperant & ſanationem impediunt, uti potiſſimum faciunt purgantia cum corporis refrigeratione. Contra ea optimum utique conſilium, corpus in perpetua perſpiratione ſervare & uſurpare ea, quæ acredinem mulcent, leniunt atque contemperant, ex medicamentis æque ac alimentis, & quod maximum eſt, ab omni cereviſia & vino abſtinere & decoctum temperans bibere, ſine quo refractarii catarrhi difficulter vel plane non cedunt.

Observatio III.

Frequens catarrhorum incurſus ſublatus.

Macilentus, nervoſus & animo mobilis vir, quadraginta annos habens, quum Baccho & Veneri ſtrenue ſubinde litaret, lauto vivendi genere uteretur, nec unquam tamen ſanguinis miſſionem admitteret, à longo jam tempore, vere & autumno, crebrius affligebatur catarrhalibus defluxionibus, quæ cum horrore, æſtu, extremorum frigore, capitis dorſique dolore, laſſitudine totius corporis & inquietudine ipſum invadebant, & accedentibus artuum, coxendicis & nuchæ doloribus, ſæpius per aliquot hebdomades detinebant. A me igitur ſalubre conſilium ad arcendum tam frequentem catarrhorum incurſum rogans, obtinuit hoc : ut I. aliquot ante æquinoctium hebdomadibus, venæ ſectionem cum debito regimine inſtitueret; II. ut bis anno lac cum minerali leniori aqua, Selterana inprimis, ad menſem potaret, & loco cereviſiæ biberet ptiſanam; III. ut bis hebdomade, pulverem bezoardicum abſorbentem, paullo ante quam cubitum iret, aſſumeret, & mane poſt in lecto infuſum veronicæ, cum liquiritia & ſemine fœniculi, ſorbillaret, lenem poſtea exſpectando ſudorem. Quæ omnia, quum per aliquot annos feciſſet, liber fere degit à moleſtis catarrhoſis defluxionibus, & animadvertit, eoſdem illico infeſtaſſe, ſimul ac ſanguinis miſſionem tempeſtivam neglexiſſet.

Epicriſis.

Per immoderatum vini ac veneris uſum, adeo utique infirmantur corpora, ut poſtea levi ex cauſa ægrotent, & potiſſimum, incidente ſubita cœli mutatione, vere & autumno admodum ſolenni, catarrhos, gravedinem, coryzam & tuſſim incurrant, cum febricula. Idem quoque macilentis & plethoricis, poſt corporis refrigerationem contingere, docet experientia. Venæ ſectio autem omnium optime ab his moleſtiis defendit. Si enim ſanguine nimis plena ſunt vaſa, ob difficilem circuitum, non rite depuratur. Hinc ſerum fit & copioſum, & impurum. Et impedita poſtea per cutis poros diffflatione, ad interiora, maximeque glanduloſa loca, ſalſus agitur humor, catarrhum cum febricula ſeroſa faciens. Ego certe multiplici confirmatum habeo experientia, catarrhis crebrius obnoxios, ab eorum inſultu matura ſanguinis miſſione fuiſſe liberatos. Obſervavi quoque eos, qui venæ ſectionem, certo tempore ſuetam, intermiſerunt, affectos fuiſſe catarrhali febre.

Observatio IV.

Catarrhalis febris cum copioſa venæ ſectione nata.

Dux quidam militaris quinquagenario major ſanguine & ſuccis plenus, ex Italia ad noſtras oras accedens, ob inſignem aëris, victus & vinorum mutationem frequentiſſime affectus fuit acerbis colicis in abdomine doloribus. Bibit hinc, meo ex conſilio, præmiſſa venæ ſectione & purgatione alvi per infuſum mannatum, aquam Sedlicenſem, per aliquot hebdomades, quo factum, ut per totum autumnum ac hyemem liber à tormentis ageret. Iterandam igitur hanc curam, medio vere, ſuaſi : ſed antequam id faceret, vino ſe largius implevit & corpus deambulatione per aliquot horas ſub frigido cœlo admodum frigefecit. Inde incidit in febrem, cum coryza, capitis dolore, horrore extremorum, præcordiorum anxietate, æſtu, inquietudine, tuſſi valida, & febre fere continua. Poſt tres tamen dies remiſit febris impetus, ſed horror cum ſubſequente æſtu verſus noctem acceſſit adhuc, & quod commemorabile, declinante ſemper paroxyſmo, venter flatibus diſtendebatur & cruciatus in ipſo facti, calore vero oboriente mitigati. Interdum etiam in paroxyſmo deliravit paullum & facies fuit rubicunda. Mane autem febris ſemper remiſit. Conſultus ego quarto morbi die, expenſis curate cunctis, ex pulſu pleno ac magno judicavi, venam eſſe ſecandam : quod & remittente paroxyſmo in pede feliciter factum eſt. Alvus dein aliquoties clyſtere carminativo & emolliente ſubducta, & poſtea curatio, pulveribus diaphoreticis, temperantibus, leniter nitroſis, cum emulſione ex decocto cornu cervi, amygdalis & ſemine papaveris albi, ſub moderate calido regimine, intra tres hebdomades ex voto confecta, alvo tamen interea bis decocto mannato ſoluta.

Epicriſis.

Venæ ſectio in catarrhoſis affectibus non quidem directe indicatur; interim tamen, ſi corpus eſt plethoricum, ſi ſanguis à calidis & præſertim immoderatiori vini uſu incaluit, & febris catarrhalis ſubito invadens continua videtur, non nocet, ſed prodeſt, elapſis etiam jam aliquot diebus. Dein hoc in caſu commemorabile, quod abdominis dolores, jam per annum ſilentes, accedente hac febre, fuerint reſuſcitati, & quidem tempore remiſſionis, diſcuſſi vero per febris calorem.

lorem. Quod quidem nullam aliam ob causam factum fuisse arbitror, quam quod salsus & acris humor ad intestina delatus eadem molestè affecit, sub æstu vero ad habitum corporis propulsus. Multoties quoque me docuit experientia, pathemata hypochondriaca, colica & spasmodica, in iis, qui diu iisdem affecti, catarrhis, tussi, coryza & catarrhali febre fuisse revocata. Et hypochondriacos, eo tempore, quo alii catarrhis vere & autumno laborant, vehementes tum quasi paroxysmos mali sui experiri.

Observatio V.

bris catarrhalis uſu auri lminantis fine-

Ver erat, quum virgo nubilis, tenerior, sensibilis texturæ & spongiosi habitus, horripilatione, cum calore præternaturali, languore universi corporis, nec non præcordiorum anxietate corriperetur. Intumescebant circa tertium diem colli glandulæ, fauceſque levi afficiebantur inflammatione, aderat simul tussis cum gravedine & raucedine. Vocabatur medicus, qui auri fulminantis, minus puri, grana sex, cum dimidio scrupuli antimonii diaphoretici propinabat. Sumto hoc pulvere, sævissima insequebantur pathemata, animi deliquium, summa anxietas & inquietudo, extremorum refrigeratio & conatus ad vomendum. Opponebantur quidem bezoardica, & fixa, & volatilia, sed incassum. Sequebantur quatuor dejectiones viridissimæ & vomitu ejusdem indolis materia rejiciebatur. Anxietates vero inde nihil minuebantur, sed persistebant perpetuæ cum animi defectione, ardor etiam & constrictorius dolor in præcordiis fixus urgebat, & quovis assumto exacerbabatur, sudor succedebat frigidus, facies Hippocratica & septimo die mors ipsa.

Epicrisis.

Miranda sane, febris hujus minus periculosæ primum visæ, subita catastrophe, demum funesta. Orta hinc ingens controversia: utrum per se fuerit maligna? an vero simplex catarrhalis usu pharmaci facta fuerit lethalis? Id minimum verum: medicamina metallica non bene præparata & corrosivo sale adhuc imbuta, quale est aurum fulminans non rite edulcoratum, veneni prorsus induere naturam & funestum edere effectum in personis tenerioribus, & ubi jam ad lenem inflammationem, nervosæ partes, è quibus etiam ventriculus, jam sunt dispositæ. Aurum enim, ob gravitatem suam firmiter ventriculi tunicis inhærendo, eam cui insidet partem vehementer exstimulat, eandemque spastice constringit, haud secus ac venena, quæ pariter stomacho spasmum inducunt, qui postea per nervorum genus diffunditur totamque œconomiam motuum pervertit. Id quod tanto magis fit in corpore exquisitius sentiente, ubi jam adest febris, quæ nihil nisi universalis fibrarum spastica est contractio. Dein id pariter certum: materiam causticam lymphaticam foris secernendam, forti ejusmodi stimulo retrahi ad ipsum ventriculum & solam ad inducendam ipsi inflammationem esse sufficientem. Ne dicam, primam corporis regionem succis corrosivis acidis biliosis fuisse obsessam, teste ipso colore eorum, quæ secesserunt. Hos autem solos corrosivitate sua propria, multo magis corrosivo adhuc pharmaco adjutos, inflammationem parere posse, nemo negabit. Cautissime igitur mercandum cum medicamentis quodammodo corrosivis ex mineralium familia, ubi stomachus ad inflammationem dispositus, & saburra erodente acido-biliosorum humorum scaret. Tum enim medicamentum ab aliis sine damno sumtum, veneni naturam utique potest induere.

Observatio VI.

Catarrhi cum cephalalgia narium fluxu soluti.

Literatus & vitæ sedentariæ addictus vir, quadragenarius circiter & corpore habitior, à multis jam annis vere & autumno capitis defluxionibus, coryzæ, gravedini, tussi cum incalescentia quadam febrili fuerat obnoxius. Is initiante Octobre, quum poma cydonia cocta crebro & largiter edisset, & alvum inde obtinuisset solito strictiorem, postea etiam per aliquot horas liberiori frigido aëri sese exposuisset, sequenti mox die, circa vesperam, horripilatione, intercurrente æstu corripitur. Mane sensum tractorium admodum dolorificum percipit in humeris & nucha, nec non acutum in anteriori capitis parte, maximeque fronte, dolorem, naribus quidem calentibus, sed aridis & siccis. Datis medicamentis diaphoreticis, leniter nitrosis, cinnabarinis, mitescebant symptomata pedetentim cum æstu, dolor autem in fronte persistebat supra oculos omnemque fere adimebat somnum. Datum hinc consilium, ut crebrius naribus admoveret sal volatile Anglicanum siccum, quod ex sale ammoniaco & sale tartari paratur, oleo cephalico, uti est lavendulæ & majoranæ puro, essentificatum, non omissis insusis theiformibus, ex herbis cephalicis & diaphoresin leniter moventibus. Inde mitiora facta tormenta & præter opinionem è naribus fluxit liquor flavescens viscidus ad aliquot drachmas, idque aliquoties de die, quo facto, post biduum omnis evanuit dolor, & æger perfecte convaluit.

Epicrisis.

Heic origo catarrhalis rheumaticæ febris cum gravi capitis dolore deducenda ab alvo obstructa & perspiratione prohibita, in corpore, ubi caput debile & ad defluxiones catarrhales jam tum fuit proclive. Locus autem doloris in fronte supra oculos fuit in sinubus ossis frontis, qui intus tunica nervosa & pituitaria sunt vestiti. Huc si cum impetu ruit sanguis, à nimio ipsius affluxu & stagnatione oritur dolor, serumque acre transsudat, hocque effluente, dolor discedit. Ut adeo verum sit priscum *Hippocratis* effatum: *sect.* VI. *aph.* X. *cui capite graviter dolenti, pus, aqua, vel sanguis è naribus profluit, is à dolore liberatur.*

CAPUT VII.

De Febre Varioloſa.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Variolæ quid?

VArioloſa febris est acuta, exanthematica, contagiosa, in qua motu quodam critico, materia valde tenuis, caustica, corrupta, inflammans & exulcerans, ad summam cutem propellitur, cum gravibus sæpe symptomatibus stipata.

§. II.

Morbi historia.

Febrem hanc imminentem indicant lassitudo corporis, virium languor, somnus inquietus, ciborum fastidium, cum conatu vomendi, capitis dolor, pavor in somno, alvus clausa, stimulus ad tussim & horripilatio intercurrens. Hæc per

plures ſæpe dies jam præſto ſunt, & poſtea ſuccedit æſtus per totum corpus, cum pulſuum celeritate, ſiti, augetur capitis, lumborum & ſpinæ dorſi dolor. Infantes potiſſimum, ſæpe ex improviſo, epilepſia & rigor ac tremor artuum invadit. Aetate junioribus delirium familiare: corpus eſt inquietum & jactatur. Intra tertium & quartum diem conſpiciuntur in facie & collo veſtigia macularum rubrarum, quæ pedetentim numero plures efflorescunt, poſt faciem & collum, pectus, brachia, ac demum etiam abdomen, dorſum cum femoribus pedibuſque occupantes. Durat hæc eruptio ad duos uſque dies ſucceſſive, ac interea decreſcit febris cum ſymptomatibus, ut pulſus cum calore ſexto die fere ſit naturalis. Elapſo autem quinto incipit fieri ſuppuratio, eodem modo ut eruptio gradatim à ſuperioribus ad inferiora tranſiens, quæ ubi in vigore conſtituta maximeque in facie manibuſque ſuccedit, ob ingentem ardorem & dolorem cutiſque tenſionem fere intolerabilem, accenditur nova ſymptomatica ſecundaria febris, cum ſiti, vigilia & præcordiorum anxietate. Quæ ſympromata, ubi corpus impurum, puſtulæ confluentes & virulenti genii, delirio & convulſionibus accedentibus, nono, vel undecimo die necant. Si vero pauciores & benigniores, pathemata remittunt & fit exſiccatio, donec undecimo & ultra decidant & æger ad ſanitatem redeat.

§. III.

Prima origo ex utero.

Corripiuntur hac febre tantum non omnes homines, cujuſcunque ſexus, ætatis, temperamenti, quin nationis ſint; ideoque in proclivi utique judicare, cauſam ipſius eſſe univerſalem omnibuſque communem. Unde vero origo hujus omnibus adeo infeſtæ materiæ repetenda & ubi ipſius ſedes, non æque expeditum. Veteres quidem natales ipſius à ſanguinis menſtrui, ſub ingravidatione retenti, immunditie fœtui communicata, duxerunt. Et vero utique ſimillimum, primordia hujus virulenti humoris, non ex aëre, victu, aut aliis externis cauſis, ſed ex utero eſſe materno. Id enim experientia frequenti conſtat, infantes à matre minus ſana & impuris ſuccis ſcatente progenitos, variolis mali moris & quandoque exitialibus corripi, matre licet ſub geſtatione vegeta, ob ſuccos pravos in fœtum tranſeuntes. Viciſſim etiam in compèrto, gravidas, ſi proba victus ratione & affectuum moderatione, cacochymiæ, & plethoræ convenienti ſanguinis miſſione, ſaluberrimæ quoque per alvum & cutem excretioni proſpiciant, infantes in lucem edere, qui variolis correpti, non adeo periculoſe decumbunt, ſed paucas ipſas & benignioris indolis, nanciſcuntur.

§. IV.

Sedes cauſæ non in humoribus.

Sed neutiquam hujus maligni humoris ſedes in ipſa ſanguinis & humorum maſſa videtur ponenda. Etenim quamvis per alios morbos exanthematicos, morbillos, purpuram, ſcabiem, apoſtemata, tineam capitis, febres quoque, tota ſuccorum maſſa exagitata fuerit, diſſoluta omniaque ipſi involuta extricata, variolarum tamen materia manet & nihilo ſecius corpus adoritur. Hinc ad veritatem utique proxime accedere videtur, ex ſucco quidem chyloſo lymphatico impuro & corrupto matris, oriri primum ſubtilem hunc & virulentum humorem, ſed viſcoſitate quadam involutum, firmiuſque tubulis quibuſdam impactum, deliteſcere tamdiu, donec in motum fermentativum ſui multiplicativum ab aliis cauſis deducatur, ſuccis inſinuetur & critica quaſi deſpumatione è corpore exturbetur. Nec officit, quod poſt longum interdum tempus in noxam erumpat. Diu enim malignus quidam humor, in tubuloſa partium, immo ipſius cutis ſubſtantia, tanquam in latibulo ſine noxa hærere, & poſtea demum in motum excitatus, univerſum ſyſtema nervoſarum & fibroſarum partium peſſime afficere totamque motuum œconomiam pervertere poteſt. Teſtatur hoc cancer in glandularum ſubſtantia per longum tempus occultatus, teſtatur venenum canis rabidi, item miaſma venereum, quod per lac nutricis infanti communicatum, poſt aliquot demum ſæpe annos reviviſcit, vel in adultis per gonorrhœam virulentam ſuppreſſam ad interiora pulſum, poſt longos haud raro annos prodit, & virulentiam ſuam exſerit.

§. V.

Sed ſpina medulla.

Latibulum autem virulento huic, qui variolas facit, ſucco, præbent, mea quidem ſententia, medullæ ſpinalis tubuli quidam obſtructi. Probabiles minimum quæ id evincunt hæ ſunt rationes. Spinalis quippe medulla cum capite omnium primo in utero formatur, & majus præ aliis partibus cito augmentum acquirit, quod aliter fieri nequit, quam per liquidum, quod per ejus minimos canaliculos fertur. Quod ſi ſtagnans obſtruit quoſdam, ex diuturna mora, ut omnis humor occluſus, valde alienam & perniciosam indolem contrahit. Talis humor compedibus poſtea liberatus & ſui juris factus, non aliam ſæpe ac veneni naturam & vim prodit, humores fermentando, eorum texturam & craſin immutando, ſolidas vero partes vehementer ſtimulando, arrodendo & vellicando. Quod vero ex imis medullæ, maximeque illius portionis, quæ in inferiori regione ſpinæ, materia, quæ variolas efficit, prodeat, hæc confirmare videtur ratio, quod nullus fere morbus tam ſubito totum ſyſtema nervorum & nervoſarum partium adoriatur, quam hic ipſe. Teſtatur id febris acuta celeriter invadens, ſpaſmus nempe totius vaſculoſi & nervoſi ſyſtematis, quam ego utique à membranis ſpinalis medullæ deduco. Teſtatur idem dolor capitis, dorſi & lumborum, individuus fere comes. Teſtantur epilepſiæ, convulſiones, tremores artuum, deliria, quæ mox ſtatim in principio, ſecus ac in ulla alia febre, adſunt. Teſtantur præcordiorum anxietates, item nauſea, vomitus, cardialgia, quæ à ſpaſmis ſubſtantiæ nervoſæ ventriculi & orificiorum ipſius proveniunt: teſtatur alvus ſtricta & clauſa, quæ ſemper fere primis diebus eſt. Teſtatur demum inquietudo cum vigilia, quæ non niſi moleſta generis nervoſi affectio & commotio eſt.

§. VI.

Materiæ indoles cauſtica & putrefaciens.

Sed mittimus hanc paullo ſubtiliorem de prima origine & ſede cauſæ variolarum theoriam, quia directe non pertinet ad artis uſum & therapiam, quæ magis in eo verſatur, ut naturam, genium, facultatem & potentiam operandi virulentæ iſtius materiæ probe indagemus. Indoles igitur hujus videtur mihi duplex, una acris & inflammans, unde dolor, ardor, rubor, tumor, arroſio & exulceratio, altera cauſtica & putrefaciens, quæ motu ſubtiliori inteſtino, craſin & unionem partium mixtum conſtituentium deſtruit atque corrumpit, & hæc proprie ad ipſam malignitatem, magis ſpectat, atque quam maxime ſeſe in variolis malignis prodit.

§. VII.

§. VII.

Triplex variolarum genus: benignæ.

Optime vero variolæ diſtingui poſſunt in benignas, malignas, & quæ ſunt inter has mediæ naturæ. Benignæ his cognoſcuntur indiciis: ſi non adeo copioſæ ſunt numero; ſi debito tempore & ordine prorumpunt, ſuppurantur & exſiccantur; ſi non nimis profundæ; ſi bono pure refertæ, ſufficienter elevatæ & circulum habent rubicundum; ſi facta eruptione in ſuperioribus partibus, febris & ſymptomata notabiliter remittunt & omnia tranquille & placide fiunt. Hæ omni vacant periculo, immo ſponte & ſolius ſæpe naturæ beneficio curantur. Tales autem plerumque ſunt, quæ temperato vere oriuntur, in corporibus non adeo impuris, nec ſero & ſanguine repletis, etiam in pueris. Nam acris & cauſtica materiæ qualitas non modo mediante ſucco roſcido in corpore corrigitur, & ad expulſionem in cute præparatur, ſed & affluxu ejuſmodi ſucci, in ipſo ſuppuratorio actu plane mitis & blanda efficitur.

§. VIII.

Malignæ.

Viciſſim malignum & cauſticum in variolis ſubeſſe virus, inde concludendum: ſi vel nimis cito, vel nimis tardo prodeunt; ſi manent depreſſæ & ſuppurationem renuunt; ſi plurimæ liveſcentis & quædam nigri coloris, vel limbum nigrum habent; ſi pulſus celer, etiam poſt eruptionem ſufficientem, cum inquietudine perſiſtit; ſi erecti animo facile linquuntur; ſi puſtulæ ſunt ſanguinolentæ, vel diarrhœa cruenta, aut mictus cruentus ſupervenit. Lethifera hæc ſunt indicia, & ex viginti vix unus evadit, qui ejuſmodi ſymptomatibus afficitur. In corporibus demortuis hac ſpecie variolarum ſanguis fluidus eſt totus, nec in ſerum, nec in coagulum ſecedit, quod aliquoties obſervavi, manifeſto indicio, putrefactione intima ejus craſin plane eſſe colliquatam, & vinculum ſeri & ſanguinis deſtructum; & hæc eſt cauſſa ipſius mictionis, nec non dejectionis cruentæ, & quod variolæ ſanguinem fundunt. Ejuſdem variolæ ſunt indolis, quando petechiæ ſeſe miſcent, vel etiam puſtulæ parvæ miliares aſperæ, quæ de intima corruptione ſanguinis & lymphæ teſtantur. In quibuſdam porro tardius maligna & putrefactiva varioloſi humoris indoles ſeſe oſtendit, dum poſt exſiccationem febris manet lenta, & in externis partibus, præſertim articulis, in brachiis, manibus, pedibus, tumores oriuntur, & ex iis fiunt fœda exedentia, fiſtuloſa & oſſibus cariem inducentia ulcera, quæ difficillime ſanationem recipiunt, & procedente tempore, lentam inferunt mortem. Interim tamen in genere tenendum, quod malignitas hæc gradu, jam majori, jam minori, differat.

§. IX.

Ubi & cur variolæ.

Virulentæ ejuſmodi variolæ ſunt plerumque epidemicæ & naſcuntur à ſtatu anni temporum plane irregulari, anomalo, diuturno, præſertim ſub cœlo diutius nebuloſo, pluvioſo humido, ventis deſtituto, longe magis poſt diluviones & inundationes aquarum, quando diutius eædem ſupra terram ſtagnant, & aër ob id, & inſectorum, & exhalationum putridarum copia refertus eſt, tumque ut plurimum ſimul graſſantur, ipſiſque etiam variolis complicantur petechiales & aliæ deleteriæ indolis non expertes febres. Deinceps ubi variolæ in corpora impura & cacochymica incidunt, & ubi primæ viæ magna impurorum ſuccorum colluvie ſcatent, plus incrementi capit malignitas. Obſervamus porro miaſma ſive contagium uno tempore majorem virulentiam habere, quam altero. Accidit hoc non ſemper ob manifeſtam quandam ſenſibus obviam cauſam, ſed dubio procul ex perniciosis varii generis exhalationibus, quæ ex animantibus & vegetabilibus ſurgentes, cum aëris particulis ſalino-ſulphureis ſeſe miſcent, ut ipſa unione ſpecificam quandam deleteriam virturem nanciſcantur, non ſecus ac videmus in chymicis, quod ſola commixtione rerum, quæ per ſe non ſunt venenatæ, venenum enaſcatur.

§. X.

Et inter utraſque mediæ naturæ.

Tertium genus eſt variolarum, quas nos mediæ naturæ dicimus, quia non ſunt nec adeo malignæ, nec adeo benignæ, ſed medio modo ſe habent, ideoque prudentem medicum & idoneam medicinam poſcunt. Tales ſunt, quæ non ſparſim, ſed confertim, inprimis in facie & manibus, comparent, & confluentes fiunt; item quæ interiora, nares, fauces, interdum etiam œſophagum occupant, ut ægri non bene deglutire poſſint. Anceps etiam facit judicium, quando in ſuppuratione acris denuo oritur febris, cum æſtu, calore & ardore manuum; ſi caput nimium intumeſcit & largus ſalivæ fluxus eſt, ſi urinæ porro tenues, copioſæ minguntur & corpus largis ſudoribus diffluit. Neque minus ubi novæ ſemper exſiccatis jam ſubnaſcuntur papulæ minores, & ſuppuratio atque exſiccatio nimis protrahitur; ubi cutis tenſior & puſtulæ profundius ſedent, ætas juvenilis, vel virilis, tempus autumnale & hyemale, æſtas etiam nimis fervida & ſicca præceſſit, & præterea non adeo proba victus ratio à decumbente obſervatur: & hæ ſæpius omnino, niſi ſollicite præcaveatur, alios relinquunt morbos. Epidemicæ etiam ut plurimum graſſantur, quum benigniores magis ſint ſporadicæ.

§. XI.

Suſpectæ quæ ſignat.

In ſuſpectis quoque ſignis eſt, quando ſtatim inter initia & ante eruptionem, acuti & pertinaces dolores in ſpina, brachiis, pedibus, lumbis, non coxendice affligunt; ſi cito nimis, primo illico, vel ſecundo die, variolarum veſtigia in cute comparent, tanto magis quum exanthemata aſpera, acicularum capita æquantia, interſperſa; ſi ſtationem non ſervant, mox diſparent, mox redeunt, ſi facies non intumeſcit die tertio vel quarto, vel mox detumeſcit iterum; ſi in juvenibus ante eruptionem grave delirium, nec non difficilis deglutitio; ſi in ſuppuratione ſopor, & poſt hunc alienatio mentis & incongruus ſermo; ſi etiam nimium ſalivæ ſtillicidium.

§. XII.

Alvi fluxus non adeo pertimeſcendus.

Alvi autem fluxus, licet copioſus, non adeo pertimeſcendus: eundem enim per totius morbi decurſum ſine ullo periculo ſucceſſiſſe vidi, tantum abeſt, ut eruptionem impediverit. Atque hanc in rem commemoratu dignum, quod ſcribit *Amatus Luſitanus Cent. III. pag.* 234. *pervenere hac æſtate ad manus noſtras plus minus CL. pueri, variolis & morbillis affecti, è quibus omnes evacuati evaſerunt, alii vero, quibus parentum ex culpa evacuatio facta non fuit, vitam cum morte commutarunt, numero tres; alii vero, quatuor in ulcera difficillima & mala morigerata pervenerunt, quæ cum aphthis communionem habent & facile in gangrænam abeunt. Iis ſimilis ſuperſtes puer, qui ulcus cancroſum & malignum, cubitum dextri brachii occupans, multis foraminibus perforatum, habet.* Scilicet ſicuti in febribus malignis petechialibus, alvi profluvium morbi facit ſolutionem; ſic etiam in mali genii variolis idem

evenire experientia docet, quæ etiam *Ballonii in epid. & ephemerid.* ſententia.

§. XIII.

Quando & quomodo mors eveniat.

Qui variolis moriuntur, criticis ut plurimum diebus, nono, undecimo, vel decimo quarto decedunt, & quidem maxime convulſionibus, quas exquiſitiſſimus ardor, dolor ac tenſio in brachiis, manibus & facie, præſertim ſi profundius ſedent puſtulæ, excitat. Quidam catarrho extinguuntur ſuffocativo. In nonnullis, inprimis ſi malignitas ſubeſt, quando in ſitu erecto, vel extra lectum ſunt, animi obrepit deliquium, maculæ cum puſtulis diſparent, & convulſione ſuperveniente, intra aliquot horarum ſpatium mors excipit. Vidi etiam variolis jam exſiccatis, juvenes quoſdam ſubito inſultu apoplectico eſſe extinctos, poſteaquam in ipſo morbo capitis gravitate, vigilia & per intervalla mentis emotione laboraſſent. Novi quoque infantes unius aut duorum annorum, quum abſoluta exſiccatione in vado prorſus eſſe viderentur, macula eryſipelacea livido-nigricante maligna, quæ totam fere ſuram, vel pedis regionem occupavit, ex improviſo fuiſſe affectos & ſubito mortuos, manifeſto ſphacelationis & magnæ corruptionis in ſanguine indicio.

§. XIV.

Poſt variolas alii ſani.

De iis autem, qui variolarum morbum ſuperant, multiplici confirmatum habeo experientia, quod pueri, qui ante illum valetudine minus firma uſi, variis oculorum & aurium defluxionibus, tinea capitis, doloribus artuum, imbecillitate pedum, rachitide & tabe, nec non adultiores menſium retentione laborarunt, poſtea integram ſanitatem, corporis robur & nutritionem

alii valetudinarii.

lætiorem acceperint. Viciſſim vero novi etiam alios, qui antea ſani & valentes, in variolis vero perverſa medicatione excepti, vel commiſſis in diæta erroribus, valetudinarii poſtea ſunt facti, phthiſin, febrem lentam, tabem & aſthma incurriſſe, viſus vitia, ophthalmias, epiphoras, maculas & albugines contraxiſſe, aut ulceribus ſordidis in facie & artuum juncturis fuiſſe affectos.

§. XV.

Variolæ contagioſæ.

Ceterum ultimo adhuc loco probe tenendum: quod materia variolarum ſemper ſit indolis fermentativæ & ſui multiplicativæ. Unde vix ullus alius morbus, excepta forſan peſtilentia, adeo contagioſus, ac variolarum. Quo etiam fundamento nititur, cum fructu ab Anglis potiſſimum inſtituta variolarum inſitio, qua purulento ex varioloſo decumbente humore in ſauciatam ſani variolas nondum experti hominis cutem immiſſo, protinus idem hic morbus, cum febre omnibuſque quibus ſtipatur ſymptomatibus, ſuſcitatur atque inducitur.

CURATIO.

§. I.

Indicationes curatoriæ naturæ ductui conformes.

NAtura, per quam partium ſolidarum & fluidarum corporis ad motus vitales ſe-& excretorios diſpoſitionem, intelligimus, tam exactum in hoc morbo, ſi moratus, quam in nullo alio ſervat ordinem & tempus, & haud raro ſponte, citra artificioſam medicationem, eundem percurat, quando videlicet craſis ſanguinis & humorum viſcerumque conditio, ita comparata, ut correctioni materiæ cauſticæ & expulſioni ejuſdem non obſtent. His naturæ viis merito inſiſtendum medico, nec aliud agendum, quam ut eidem in opere correctorio, expulſorio & ſuppuratorio congruis auxiliis ſubveniat. Igitur ita inſtituenda medicatio, ut I. materia acris, vitioſa, cauſtica contemperetur & ex veterum loquendi more coquatur, ſimulque effrenes in vaſorum & nervoſarum partium ſyſtemate primis diebus motus ad moderamen traducantur; II. ut eruptio ſecundetur & languentes circa eruptionis tempus motus erigantur, quo omnis ad corporis habitum pellatur materia, accedens autem in ſuppuratione ſecundaria febris moderata ſervetur & graviora arceantur pathemata; III. ac demum declinationis & exſiccationis tempore ſanguinis & humorum maſſa ſub morbo dyſcraſia & impuritate affecta, repurgetur, ſicque oriundi ex reliquiis morbi tempeſtive præſcindantur.

§. II.

Quid faciendum ante eruptionem.

Acredinem materiæ mulcent, ſimulque nimiam ſanguinis exæſtuationem, ipſam excretionem impedientem, blande componunt pulveres temperantes, leniter diaphoretici, cujus generis hic eſt: recipe cornu cervi philoſophice præparati, uſti, antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum, matris perlarum ana drachmam, cinnabaris rite paratæ drachmam ſemis, nitri puri ſcrupulum. M. f. pulvis, de quo pro diverſitate ætatis dandum, & doſis ſumma eſt dimidia drachma. Propinatur commodiſſima in vehiculo ex aqua ſcorzoneræ, nucleorum ceraſorum, florum ſambuci, acaciæ, herbæ cardui benedicti & ſcabioſæ. Dein eundem in finem utilia decocta humectantia & temperantia, avenaceum tenue, cum amygdalis in emulſionem redactum, ſerum lactis dulce, noſtra methodo paratum, aqua hordei cum ficubus decocta. Item emulſio ex decocto ſcorzoneræ & cornu cervi, amygdalis ſeminibuſque quatuor frigidis cum ſaccharo. Cui ad motuum vehementiam moderandam, commode adjicitur ſyrupus papaveris albi.

§. III.

In eruptione.

Quando natura ſegnior in expulſione ſub eruptionis tempore, danda hæc emulſio: recipe ſeminis napi, cardui Mariæ, aquilegiæ ana drachmam, aquæ florum ſambuci, galegæ, cardui benedicti ana unciam f. l. a. emulſio, adde antimonii diaphoretici drachmam ſemis, ſachari perlati quantum ſatis eſt. M. Efficaciter etiam expellit liquor bezoardicus ad mentem Buſſii paratus, cum tripla portione liquoris noſtri anodyni mineralis nuptus. Item elixirium alexipharmacum, ſine ſpirituoſo menſtruo ſic confectum; recipe radicis dictamni, angelicæ, vincetoxici, contrayervæ ana unciam ſemis, herbæ ſcordii, cardui benedicti ana manipulum, fiat extractio in aqua ſcordii libra medica & liquoris anodyni mineralis unciis tribus, additis prius ſalis tartari, croci & myrrhæ ana drachmis duabus; de quo viginti minimum & ad ſummum quinquaginta guttæ præbendæ.

§. IV.

In ſuppuratione.

Eadem proſunt quando ſuppuratio lenta nimis, & puſtulæ elevari renuunt. Tum quoque utilis hæc mixtura: recipe myrrhæ electæ drachmam dimidiam, croci ſalis tartari ana ſcrupulum, aquæ ſcorzoneræ uncias duas, coquatur, coletur & uſui ſervetur. De hac dimidium, vel unum cochlear in emulſione, ex aquis analepticis & diapnoicis cum ſeminibus quatuor frigidis, præſertim circa noctes, porrigendum.

§. V.

Et exſiccatione.

Sub exſiccatione demum propinanda ſunt remedia,

media, quæ putredini reſiſtunt, item quæ ſordes relictas, vel ſub morbo genitas, per congrua emunctoria evehunt. Utilis tum pulvis ex lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, pauxillo myrrhæ, ſuccini, & croco. Proficuum quoque infuſum theiforme ex herba ſcordii, ſummitatibus millefolii & ſemine fœniculi, cui ſi pectus ſimul affectum, veronica cum liquiritia addenda. Potiſſimum hoc tempore interponenda blanda laxantia, balſamicæ ſimul indolis, uti ſunt inſtar omnium pilulæ Beccherianæ, vel ad earundem exemplar paratæ.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Quibus vomitus & epilepſia compeſcenda.

EVenit haud raro, ut in principio, præſertim infantibus, accidant crebræ & anxiæ vomitiones. Ad has compeſcendas & ſpaſmum ventriculi laxandum, egregie proficit liquor noſter anodynus mineralis, vel ſolus, vel cum aliquot guttis ſpiritus bezoardici Buſſiani remixtus. Idem hic noſter liquor eximii uſus, ſi convulſio epileptica, in lactantibus maxime & difficulter dentientibus periculi non expers, urget nimis. Conducit etiam pulvis Marchionis, cum cinnabari & pulvere lumbricorum terreſtrium. Et alvus clyſtere molliente ſolvenda, qua clauſa in principio, epilepticum malum augeſcit.

§. II.

Æſtus mitigandus.

Quando æſtus acrior, nitri doſis in pulveribus augenda & tuto etiam præbenda tinctura roſarum, quatuor florum cordialium, cum phlegmate vitrioli parata, cui multum *Waldſchmidius* atque *Dolæus* tribuerunt. Nec male, quum in corporibus juvenilibus ſanguineis, maximeque ubi variolæ mali moris ad putredinem pronæ graſſantur, ratione & experientia teſte apprime proſit; licet non omnem malignitatem extinguat, neque univerſale adverſus copioſas variolas ſit præſervativum.

§. III.

Salivatio moderanda.

Frequens juvenili inprimis ætati ſymptoma eſt ſalivæ fluxus, qui ſuppurationis tempore ut plurimum effuſior accedens, non modo hanc, ſed & ſomnum, non ſine periculo, impedit. Moderandus igitur, tam per alvi apertionem mediante clyſtere emolliente, quam diaphoreticum bezoardicum medicamentum, cui aliquot grana florum ſulphuris addenda & bibendum deſuper infuſum theiforme ex betonica, veronica & floribus chamomillæ officinalis, quo aucta ſic perſpiratione, à ſalivæ fontibus divertantur humores.

§. IV.

Ardor & dolor faucium mulcendus.

Obſident puſtulæ variolarum ſemper fere interiora faucium laryngem & pharyngem, ibique ardorem, dolorem & difficilem deglutitionem, quandoque etiam aphthas, excitare ſolent. Moleſto huic accidenti ſuccurrendum gargariſmate demulcente, ex decocto hordei & rob diamoron, adjecto pauxillo lapidis prunellæ, quo ſæpius os eluendum. Utile quoque decoctum avenaceum, cum butyro inſulſo, ſyrupo violarum vel granatorum, & nitri tantillo. Et ad mulcendum ardorem, puſtulæ & aphthæ ſubinde tangendæ, & illinendæ mucilagine ſeminis cydoniorum, cum aqua roſarum facta.

§. V.

Oculi defendendi.

Oculos quoque nonnunquam occupant puſtulæ & ſuppurantes vitium eiſdem inducunt. Hinc ſub eruptione ſtatim ab iis defendendi, quod optime fit linteo duplicato, cui ſpiritus roſarum in quo camphora cum croco macerata, inſtillatus, quod tamen ante applicationem in loco calido tantiſper ſiccandum, quo potior ſpiritus portio avolet. Mihi frequens, aquam roſarum & florum ſambuci, adjectis aliquot liquoris noſtri anodyni mineralis guttis & momento camphoræ adhibere, eademque palpebras inungere. Quod ſi vero à puſtulis pellicula relicta, cito eadem poſt declinationem abſumenda hoc liquore: recipe aquæ roſarum unciam, reginæ Hungariæ drachmas duas, vitrioli cyprini grana quatuor, ſacchari ſaturni grana duodecim. M. quo frequentius cum ſubtili penna tangenda eſt excreſcentia. Idem hic liquor, omiſſo tamen vitriolo, egregiæ virtutis in oculorum acri, calida & ardente defluxione, cum rubore, quæ variolis crebro ſuccedit.

Et vitio affecti ſanandi.

§. VI.

Vena ſectio quando proſit.

Pulſuum vehementia & robur, faciei rubor, capitis lumborumque gravitas ac dolor, venarum turgeſcentia, ætas juvenilis, ingenii activitas, diæta vinoſa, ſanguinis miſſio ſueta & evacuatio critica ſuppreſſa, ſanguinis ſubtractionem in variolis, primo vel ſecundo ſtatim die, indicant. Sic evaneſcunt mox pectoris anxietates & oppreſſiones, maculæ confertim in cute efflureſcunt, nec adeo gravia poſt eruptionem metuenda pathemata. Sæpius enim obſervavi, nimiam ſanguinis redundantiam ſufficientem materiæ varioloſæ ad corticem corporis propulſionem impedire, & efficere, ut diſcretæ tantum prodeant puſtulæ, intus autem relicta materie, circa declinationem varia ſymptomata ſpaſmodica, convulſiva, deliria, catarrhos ſuffocativos, quin apoplexiam, inducat. Contra ea, ubi pulſuum durities, humilitas & exilitas, vaſa minus turgent, vires languent, temperamentum phlegmaticum, ætas infantilis & puerilis, corpus obeſum, vomitus in principio adeſt, tuſſis & alvi fluxus, laborans etiam alias ſub ſanguinis miſſione facile animo linquitur, vena non pertundenda, ne nimia ſanguinis copia ſubtracta, materia intus detineatur, & eruptio ad plures dies, non ſine periculo, protrahatur.

Et noceat.

§. VII.

Emetica in principio proficua.

Haud leviſ inter medicos eſt controverſia: utrum emetica in principio variolarum proſint, nec ne? Nos ita cenſemus. Quum variolæ circumeunt, ad præſervationem expedit utique dare ea, quæ ſordes copioſas & crudos ſuccos non modo ex primis viis, ſed & bilioſos & vitioſos humores ex hepate eliminant, quibus retentis, juſtus metus eſt, ne graviorem reddant morbum. Primo etiam invaſionis die locum adhuc habere poſſunt, quando turgere primam regionem vitioſorum ſuccorum colluvie adſunt indicia, ex ægri potiſſimum voracitate incongruorum liquidorum & ſolidorum, nauſea, oris amaritie & ructibus, deſumenda. Tum omnino lene emeticum, tartarus emeticus, ſolutus prius, ad unum vel duo grana in adoleſcentibus in aqua menthæ, vel cinnamomi, additis aliquot mixturæ ſimplicis guttulis, cum fructu datur, evaneſcentibus poſtea, quæ eruptionem impediunt, anxietatibus, ut puſtulæ intra tertium & quartum diem prompte erumpant. Si alvum ſimul expurgandi intentio, tartarus emeticus cum infuſo mannæ dandus, in infantibus ad quartam vel dimidiam partem, aut pondus unius grani. Promiſcue autem tale remedium alternis diebus

porrigere, empiricum eſt conſilium.

§. VIII.

Alvus ante eruptionem tuto ſubducitur.

De purgatione per alvum hæc monenda: Ante morbi inſultum omnino ſunt utilia laxantia, non vero fortiora purgantia; neque etiam mercurius dulcis, præſertim in infantibus & pueris tenerioribus. Optimum decoctum tamarindorum cum rhabarbaro, vel manna: & ſi ſuſpicio, craſſa inteſtina ſcybalis duris eſſe farta, præmittendum clyſma emolliens & ſtimulans. Sub totius etiam morbi decurſu nunquam permittendum, ut alvina feceſſio nimis diu, ad octo vel decem dies reſtitet. Si ſecus fit, inde potiſſimum in infantibus, vel ſuffocativi accidunt catarrhi, vel purpura variolas, aut erumpentes comitatur, aut ſuppuratis iiſdem, non ſine inſigni virium jactura & ſymptomatum vehementia, excipit. Neque hanc ob cauſam eveniens & per totum ſæpe morbi decurſum durans cum bonis ægrorum rebus alvi fluxus eſt compeſcendus.

Sub illa non.

Eruptionis autem tempore, etiam ſi, uti ordinario fieri ſuevit, alvus ſit ſiccior, ab omnibus eam moventibus abſtinendum, ipſis etiam enematibus, quæ tum retineri, retenta anguſtias parere maximas & demum poſt aliquot dies reddi, novi.

§. IX.

In ſuppuratione an & quibus ducenda.

An ſuppurationis tempore in febre ſecundaria proficua ſint alvum ducentia, inter medicos Anglos fuit diſceptatum. *Freindius* peculiari ſcripto adſtruxit variis obſervationibus utilitatem, ita tamen, ut non niſi decoctum mannæ admittat. Nos etiam hanc methodum non improbamus, ſi adſint, quæ purgationem indicant, alvus nempe per totum morbi decurſum ſicca fuit & conſtricta, copioſa in ſuppuratione ſalivatio, & pectus copia humorum obſeſſum, ut anxia inde & difficilis ſit reſpiratio. Sed ego ſemper laxantibus præferre ſoleo clyſteres, emollientes alvinas duras feces & educentes. Qui, ſi non ſufficiunt, laxantia mannata præſertim in infantibus, quibus prima regio & præcordia craſſis viſcidis humoribus obſeſſa, commodam omnino locant operam. Quin novi, me infantibus lactentibus, unius anni, vel ante eruptionem, vel in ſuppuratione, quum ob difficultatem & anguſtiam ſpirandi ſuffocationis metus eſſet, cum præſentaneo levamine porrexiſſe lene emeticum, ex ſexta, vel quarta parte grani tartari emetici, ſoluti in aqua veronicæ, addito pauxillo ſyrupi violarum.

In declinatione non manna.

Cætertum, quam utilia mannata in principio & incremento variolarum, tam pernicioſa eſſe aliquoties obſervavi, poſt declinationem, morbo ſoluto. Ingentes tum enim creant flatulentias, pectus lentis viſcidis ſuccis obruunt, anxietatesque efficiunt, quandoque etiam, ut ulcerationes ſequantur in ipſa cute, faciunt.

§. X.

Vitanda calida omnia.

Ante puſtularum eruptionem, & ſub ipſa etiam, improbanda porro merito omnia calidiora expellentia, tam quæ vulgo dantur ſemina naſturtii & aquilegiæ cum ſtercoreis, ſuccus nimirum ſtercoris ovilli & equini, quam etiam tincturæ bezoardicæ alexipharmacæ, nec non ſpiritus cornu cervi, cum æſtuoſo, quoad lectum & conclave, regimine. Inde enim ſanguinis & humorum maſſa mirum exagitatur, æſtus, anxietas, convulſiones, ſpaſmi, quin delirium, ſi adeſt, exacerbantur. Inde materiæ varioloſæ major inducitur acrimonia atque ſubtilitas, ut ex benignis facile fiant malignæ. Et tantum abeſt, ut his æquabilis & conſtans eruptio procuretur, ut potius cito nimis minus præparata foras agatur materia, ſtationem non ſervatura, ſed cum majori damno mox iterum ad interiora reverſura. Quin potus tantum calidos, infuſa theiformia & decoctum fabarum coffeé, liberalius uſurpata, experientia edocti, rejicimus. Nimium enim ſanguinis maſſam diſſolvunt & materiam roſcidam nutrientem cum viribus inter largos ſudores diſſipant. Temperatum igitur ſit regimen, remedia temperata. Semper tamen diſtinguendæ naturæ, quæ ſi ſegniores, expulſionem juvantia, partitis ſed vicibus data, proſunt utique, & circa ſextum etiam & ſeptimum diem, eruptionem regimine tantiſper calidiori ſecundare licet.

§. XI.

Aeris puritati ſtudendum.

Pariter in variolis oppido nocivum decumbere in loco humiliori, ubi plures eodem morbo detenti. Nam ibi aër, qui pabulum vitæ, impuris ac fœtidis exhalationibus eſt refertus, quæ reſpiratione attractæ, organa ſubeunt vitalia & internam humorum corruptionem adaugent. Hæc etiam ſubeſt, cum regimine calido, ratio, quod ex plebeiis plurimi, variolis, licet bonæ alias ſint indolis, occumbant. Hinc præſtat, uti ſæpius cum fructu ſuaſi, aërem gravem, contecto prius probe ægro, ex apertis feneſtris emittere, purioremque immittere. Neque minus ad corrigendum, inquinatum aërem, expedit collo appendere camphoræ fruſtulum, vel ſi caput odorem ferre nequit, in remotiori conclavis loco illud reponere.

§. XII.

Linteamina caute mutanda.

An corpore ſudore perfuſo linteamina, induſia & lectum mutare liceat, non levis ad curationem momenti eſt quæſtio. Ego, uti largiſſimos ſudores in variolis nunquam ſine periculo eſſe, ſi diu perſeverant, obſervavi: ita longe majus imminere diſcrimen, expertus ſcribo, ex mutatione linteorum, quæ humidum & frigidiuſculum aërem adhuc fovent. Cavendum itaque, ne facile æger in alium lectum tranſportetur, niſi prius diu in hypocauſto calefacto ſteterit. Neque linteamina & induſia mutanda, niſi prius calore ſint probe ſiccata, vel ab alio geſtata. Si hoc negligitur, in exquiſite ſentientibus ejuſmodi corporibus, qualia ſunt, quæ effuſius ſudant, cutis quam facile frigeſcit, maculæ & puſtulæ diſparent & cum vitæ diſcrimine recedunt.

§. XIII.

Recedentes quibus expellendæ.

Quandocunque puſtulæ, vel ob deficiens naturæ robur, vel ob terrorem, refrigerationem, aut ſitum extra lectum diuturniorem erectum, ſubito concidunt, æger in vitæ diſcrimine verſatur certo, & niſi prudens medicus illico analeptico & expellente remedio ſuccurrat, mors in propinquo. Ego cum fructu tum dedi liquorem cornu cervi ſuccinatum, cum liquore anodyno minerali, in aqua cinnamomi ſine vino & cardui benedicti, ſorbillare juſſi poculum infuſi théee, idque aliquoties iterare & præcordiis pedibuſque calida applicare fomenta.

§. XIV.

Sanguis per alvum, urinam, nares & puſtulas exiens quid poſcat.

Mictus ſanguinis, alvus cruenta, hæmorrhagia narium & ſanguinolentum ex puſtulis ſerum manans, magnam ſanguinis & humorum acrimoniam & colliquationem indicant, ac peſſimum, plerumque lethale, præbent omen. Hæc ubi præſto ſunt, acidula, refrigerantia & acrimoniam demulcentia, uti lac ebutyratum & ſerum lactis, plus opis præſtant, quam cætera omnia exquiſitiſſimi artificii remedia.

§. XV.

Abortus incidens periculoſus.

§. XV.

Periculoſum ſymptoma eſt, ſi gravidæ variolas nanciſcuntur, & circa eruptionis tempus, vel etiam in ſuppuratione, abortus accidit: ſanguis enim cum impetu utero effertur. Majus adhuc periculum ipſiuſque mortis juſtus metus, ſi fœtus non cito exturbatur: vehementius enim ſanguinis fit profluvium, ſub quo animi accedit deliquium, expulſioni materiæ adverſum. Si etiam ſanguis parcius emanat, ejus motus ad caput convertitur, ſubſequente inflammatione & delirio. Neque periculo vacat, quando menſes primis diebus, vel in ſuppuratione erumpunt copioſiores, id quod eam plerumque ob cauſam accidit, quod ſanguinis miſſio neglecta.

Et menſium fluxus copioſus.

§. XVI.

Obſervavimus, ſi æſtas nimis ſicca & diu arida, variolas maxime eſſe inflammatorias & alvi fluxu quam facile ſtipari; qui tamen nullo modo ſiſtendus, ſed tantum demulcentibus & terreis diaphoreticis excipiendus. Vitanda tum quoque omnia calida expellentia, cum regimine æſtuoſo, vitanda vero etiam refrigerantia & corporis refrigeratio. Neque alvi profluvium nocet, quando petechiæ, pariter ob valde irregularem temporum anni conſtitutionem complicantur, ut potius remedio ſit & malignos humores optime expurget, ideoque providum ac peritum deſideret medicum.

Alvi fluxus ſalutaris.

§. XVII.

Confluentes quomodo arcendæ.

Quum variolis benignis, non facile quiſpiam, niſi ex medici, aut proprio delicto, pereat, ſed confluentibus, præſertim ſi mali moris fuerint; ex centum autem vix unus ſit, qui variolas non experiatur: ego certe ut funeſtæ hæ arceantur, non certius novi conſilium, ac eo tempore, quo malæ indolis variolæ graſſantur, exquiſitam victus & vitæ rationem ſervare, ſuccos corporis convenientibus evacuantibus & decoctis pro potu temperantibus & mundificantibus à ſordibus liberare, & ad futurum forſan morbi inſultum præparare. Eundem in finem commendabile novum illud inventum inſitionis, ſeu inoculationis variolarum, quod ex oriente in Europam translatum, numeroſis admodum exemplis ab Anglis potiſſimum medicis cum ſucceſſu celebratum, ea tamen lege, ut pus varioloſum ex papulis maturis & benignis promatur, corpuſque ante operationem probe prius præparetur.

Per inoculationem.

§. XVIII.

Veſicatoriorum uſus.

De veſicatoriorum peculiari in hoc morbo efficacia, quam noſtro hoc ævo, Angli inprimis medici, mirifice collaudant, pro certo ego quidem affirmare poſſum nihil. Rarius enim eadem adhibui, niſi ubi pueri, vel adoleſcentes, in ingentem ſoporem ac torporem inciderant, aut finito morbo, vitium oculi contraxerant, rubore ac defluxione affecti.

§. XIX.

Cautiones & impedimenta quibus arcendæ.

Quum variolæ præſertim confluentes & profundiores faciem rugis, foveis & cicatricibus mirum deformare ſoleant; puellæ inprimis pulchritudini ſtudentes enixe ut hoc avertatur rogant. Multi quidem ut faciem à variolis defendant, primis ſtatim diebus ex invento *Sylvii* ſuadent, ut pedes frequenter pediluvio immittantur, & ſic materia ex ſuperioribus ad inferiores partes trahatur. Sed ego ne quid diſſimulem, nunquam periculum feci, nec ea propter certum quid de experimento hoc affirmare poſſum. Interim non penitus rejiciendum cenſeo, ſed frequentibus & circumſpectis id commendo obſervationibus. Longe minus iis aſſenſum præbere poſſum, qui papulas in facie pinguibus & oleoſis, inungere jubent. His enim pori obliniuntur, difflatio impeditur, profundiores redduntur abſceſſus & veſtigia cicatricum longe magis conſpicua. Optimum potius conſilium, quando præter ſuperius dicta interna ſanguinem depurantia, exterius, antequam penitus areſcant papulæ, linimentum applicatur ex humana axungia, ſpermate ceti, cera alba, pauxillo balſami de Copaiva & camphoræ. Favet etiam nitori ac ruborem tollit aqua florum fabarum, roſarum, radicis ſigilli Salomonis, tribus partibus remixta cum una parte aquæ ſic dictæ ſclopetariæ.

§. XX.

Novæ puſtulæ ſuccreſcentes non negligendæ.

Accidit haud raro, ut exſiccatis jam, quæ primum efflorverant puſtulis, ultimis diebus novæ & minores compareant aliæ. Hæ neutiquam negligendæ & refrigeratione aut improba victus ratione excipiendæ. Si enim recedunt, præter ſpem fieri poſſunt funeſtæ. Hinc curandum, ut ſub moderata & æquabili perſpiratione hæ pariter & matureſcant, & areſcant.

§. XXI.

Morbi ex reliquiis quibus præſcindendi.

Superatis tandem variolis, providendum eſt, ne alii pejoris indolis, ſupra jam nominati morbi, ſuccreſcant. Hunc in finem inprimis neceſſarium, ut prima regio à ſordibus, tam in morbo, quam poſt eum ob languidam digeſtionem contractis, non ſemel, ſed aliquoties repurgetur, & quidem per laxantia balſamica, acori & corruptioni reſiſtentia, inter quæ eminent rhabarbarina, pilulæ *Avicennæ*, *Ruſi*, & quæ in curatione commendavimus Beccherianæ, quæ commodiſſime prius in aqua deſtillata, ut menthæ, ſoluræ, propinantur. Dein convaleſcentes non nimis cito in publicum prodeant, ſed aliquandiu adhuc vitent aërem liberum, tanto magis humidum & frigidum. Servent potius conſtantem perſpirationis ſucceſſum, eundemque ſecundent, tam per pota mane infuſa theiformia ex herba veronicæ, ſcordii, ſemine fœniculi & aniſi, quam etiam pulveres leniter diaphoreticos, per aliquod poſtea tempus alternis diebus veſperi uſurpatos. Fugiant frigidum potum cum gravis materiæ & inſalubribus alimentis cunctis, & ad perfectam ſanguinis depurationem, abſtineant à cereviſia & bibant aliquandiu decoctum temperatum ex radice ſcorzoneræ, cichorei, ſarſaparillæ & ſemine fœniculi. Neque omittant inter cibos uti iis, quæ languentem ſtomachi digeſtionem, ad novos bonos ſuccos ingenerandos neceſſarium, fulciunt ac firmant.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Variolæ epidemicæ anni MDCXCVIII.

Conſtitutio aëris præcedens.

INſolita plane per aliquot ex poſtremis ſuperioris ſæculi annos fuerat tempeſtatum conſtitutio. Aeſtas inprimis, propter crebriores boreales ventos, humida ac frigidior, autumni fere naturam geſſerat, ut raro etiam fructus & uvæ recte potuerint matureſcere. Autumnus effuſis pluviis & ſubinde nivibus, cum pruinis ac nebulis incedens, tempus ſordidum, aërem denſum, cœlum obſcurum & modice frigidum attulerat. Et hyems regnarat mirum mutabilis, ſqualida, ſine conſtanti & acriori gelu. Acceſſerat præterea vere anni clɔ Iɔ cxcix. maxima in tractu noſtro ex torrenti-

bus inundatio, & ob ſtagnantes paſſim alveis elapſas aquas, aërem inſigniter vitiarat. Ut ſic perfecta eſſet ubique ad epidemicum morbum diſpoſitio.

Variolæ populares ex & ſine contagio.

Irruebat igitur hoc anno menſe Septembri maxima cum vehementia variolarum morbus, & infantes, pueros, adultos, utriuſque ſexus, gravidas item, puerperas atque nutrices, inquilinos ac hoſpites, adoriebatur, ut non facile immunis maneret unus, qui non prius morbo hoc defunctus, & varioloſorum numerus fere ad bis milleſimum, in noſtra hac urbe aſcenderet. Non nullis ſine, plurimis ex contagio accidit. Ex illis fuerunt potiſſimum improbo victui, intemperantiæ & compotationibus dediti, iracundia commoti, terrore ex aſpectu ægrotantium maxime aut mortuorum perculſi, timentes & horrentes morbum, nec non qui circumëuntibus jam variolis, præſertim in domo, quæ ipſos tenebat, purgantibus illarum incurſum arcere ſuſceperunt. Contagium vero penetrans maxime & efficax fuit, quod ex ſanie jam ſuppurantium puſtularum venit, idque non tantum in eadem domo commorantes inſecit, ſed in alias ædes, quin remotiora etiam loca translatum, pernicialem ſuam vim in diſpoſitis corporibus exſeruit, infeſtum potiſſimum perſonis conſtitutionis ſanguineæ, phlegmaticæ, pituitoſæ, ſpongioſi & mollioris corporis habitus.

Symptomata antecedentia eruptionem benignarum.

Sic autem inceſſit & ſic decurrit epidemica hæc variolarum lues. Antequam in conſpectum prodiret exanthema, omnes fere conqueſti ſunt, de dolore dorſi, capitis, laſſitudine corporis, calore præternaturali, intercurrente horripilatione, cum pulſu frequenti, appetitus proſtratione & ſomno inquieto. In nonnullis infantibus, rarius in adultis, incepit enormibus vomitionibus, quæ per aliquot interdum perſtiterunt dies. Qui non vomuerunt, continuum tamen perſenſerunt conatum vomendi, nauſeam & anxietates præcordiorum, modo graviores, modo mitiores. In adultis quibuſdam & infantibus alvus fluxa, eruptionis tempore iterum conſiſtens; in aliis primum adſtricta, & tertio, vel quarto die demum aliquoties ſine damno fluens. Frequens etiam multis mingendi ſtimulus, paucioribus urina, ſine damno tamen, per aliquot dies ſuppreſſa. Tenelli & lactantes inter continuos ejulatus, pavoribus in ſomno, alvi adſtrictione, vel profluvio, corporis calore & circa finem tertii diei leviori bus quandoque epilepticis inſultibus fuerunt affecti. Seroſis ſolennis fuit ſomnolentia, pruritus corporis, ardens & pruriginoſus palpebrarum dolor, illacrymatio & ſternutatio. Multis compunctorius in dorſo & pectore ſenſus. Pueris circa tertium diem nares ſæpe ſanguinem ſtillarunt. Ex his etiam primis diebus magnam aſcaridum copiam excreverunt nonnulli ſine, nonnulli cum periculo. Adulti mirum fuerunt impatientes, ſubinde aliena multa loquuti delirarunt plane; quod tamen ſufficienti narium ſtillicidio mitigatum, inſufficienti vero adauctum.

Malignarum.

Hæc pathemata præceſſerunt ut plurimum benignas, ubi vero pejoris indolis ſuberant, alia adhuc fuerunt præſto. In infantibus clamores intenſiſſimi, nulla requies, tremores, extremorum nox frigus, mox intenſus calor, cum inſueto languore, in peſſimis fuerunt. In adultis dolor artuum immanis, nec non lumborum, nephriticum & iſchiaticum mentiens, gravis præcordiorum angor, delirium cum diarrhœa, punctorius exquiſitus in pectore, vel hypochondrio ſenſus, tremores, horrores, membrorum incurvatio & contractura. Virium autem à primo ſtatim inſultu notabilis proſtratio, vertigo, vigilia aſſidua, ſub erecto ſitu lipothymiæ, pulſus debilis & frequens, effuſus ſudor, copioſa urina, ſalivatio & inſolita muci è naribus ejectio, malignam plane prodiderunt indolem, licet interdum nec dolor, nec calor notabilis, nec anxietas, nec ſitis adeſſent.

Signa bona.

Intra tertium & quartum diem in benignis contigit eruptio. Nox antecedens plerumque gravis exſtitit & inquieta, anxietatibus, tremoribus, phantaſiis, hæmorrhagiis, quin non numquam epilepticis commotionibus, quidam etiam bis vel ter dejecerunt. Tum comparuerunt primum maculæ rubræ, magnitudine differentes, quandoque exiles & ſucceſſive increſcentes, quandoque latæ, in diſtinctas poſtea puſtulas coëuntes. Factum id primum in ſuperioribus, poſtea manibus pedibuſque copioſiſſime, tum cruribus pectore ac dorſo parcius & in abdomine parciſſime. Cum iis in facie efflоruerunt ſimul in faucium & laryngis internis, labiis & lingua, tumque obortus dolor, ardor, pruritus ac tenſio harum partium. In ipſis quidem oculorum tunicis vidimus nullas, ſed in ſuperciliis & palpebrarum interna æque ac externa facie collectim conſidentes. Unde acerbus oculorum dolor, pruritus & ardor, & ſexto die, accedente faciei intumeſcentia, eorum occluſio ad ſuppurationem uſque durans. Interim promte ſatis ſucceſſit eruptio, & ubi pauciores quinto, ubi copioſiores, ſexto die, penitus fuit abſoluta, ſymptomata vehementiam poſuerunt, pulſus antea concitatiſſimus, nunc tranquillus, æqualis & fere naturalis, ſomnus placidus, mens ſibi conſtans & pectus ab angore liberum redditum.

Et malæ eruptionis.

Malum autem fuit, quando protinus ſecundo, vel in principio tertii diei, variolarum apparuerunt in facie veſtigia, vel his interjectæ puſtulæ varos referentes, vel etiam exanthema miliare, rubrum aut album; & viciſſim quando ſeptimo demum vel octavo die, novæ eruperunt ob materiæ copiam & naturæ imbecillitatem variolæ. Malæ etiam fuerunt, quæ non rubicundæ, ſed lividæ, pallidæ, aut fuſcæ, ſeſſiles item, duræ & aridæ, cum fovea in medio. Peſſimæ, quæ facta eruptione, ſymptomatum non attulerunt levamen. Seri præterea copioſa effuſio, ſive per ſudorem, ſive per urinam, in adultis per alvum, ſive ſalivationem, cum morbo incipiens & ſub eruptionis æque ac ſuppurationis tempore durans, ut plurimum obſervata funeſta. Mictum tamen cruentum, frequens alias malignarum ſymptoma, non annotavimus, ſanguinem autem ex ſiniſtro oculo, mirum ſtatim tumeſcente, in puero quinto die mortuo, manaſſe, novimus. Quibus prævia horripilatione, ſub erecto corporis ſitu, vel ob animi commotionem, diſparuerunt variolæ, ingens accidit anxietas corporiſque debilitas & haud leve vitæ periculum. Qui mortui, quinto, ſexto, vel ſeptimo die obierunt, vel delirio cum convulſione, vel ſopore cum convulſione, aut tetano, poſteaquam prævio notabili horrore, evanuiſſent cuncta ferme exanthemata.

Suppurationis ſucceſſus in benignæ.

Sexto die in benignæ indolis variolis inchoavit ſuppuratio, ac uti eruptio, gradatim à ſuperioribus ad inferiora proceſſit, nono die ut plurimum, in copioſioribus undecimo, quin decimo demum ſeptimo die, deſinens. Elevatæ tum ſunt ſenſim puſtulæ, molles, albæ, rotundæ globoſæ comparuerunt, limbum rubicundum & pus bonum ex albo flaveſcens contraxerunt, cutis interjecta

jecta tenſa, facies & manus, rarius pedes, intumuerunt, & vultus quidem adeo, ut palpebræ clauderentur. Succeſſit ardor, rubor, dolor & tenſio in facie potiſſimum & manibus, accenſa denuo febris cum pulſus celeritate, inquietudine & præcordiorum anxietate, in quibuſdam, licet innoxie, extremorum tremore. Fuerunt ſymptomata hæc jam mitiora, jam vehementiora, pro majori, vel minori, papularum in partibus præſertim extremis copia. Leniora etiam eadem obſervata, in infantibus, feminis, ſanguineis, ſanguineo-phlegmaticis, ſero abundantibus & laxiori cutis habitu præditis. Graviora viciſſim in adultis, cute ſtricta, tenſa ac dura, & ubi puſtulæ profundiores. Non nunquam in adultis complicata frequens ſalivæ ejectio, in infantibus diarrhœa, ut quotidie ter vel quater dejicerent, interdum cinerei coloris, interdum purulenta plane, ſine damno tamen. In vigore ſuppurationis, in iis maxime, quibus alvus per aliquot dies clauſa, prodierunt aphthæ, cum ardore & dolore inflammatorio & viſcoſorum humorum in os confluxu, externis ut plurimum tempeſtive diſcuſſæ.

Et maligna indolis. Contra ea mali ominis fuit, quando puſtulæ non elevatæ, nec ſanie repletæ, ſed depreſſæ manſerunt, vacuæ, inſtar corticis piſi, item ſi lividæ, cinereæ & virideſcentes aut in medio foveola nigricante conſpicuæ. Quod poſtremum quidem non ſemper lethale indicium fuiſſe notavimus, aliis benignis ſymptomatibus concurrentibus; minimum tamen alieni coloris papulæ profundius ſubjectam cutem eroſerunt. Periculoſum dein animadvertimus, ſi in facie, vel manibus, tumor exiguus, aut plane nullus, aut etiam ſubito iterum diſparens; quando ſaliva non bene fluxit, ſed viſcoſa fuit & circa decimum, vel undecimum diem pectus cum ſuffocationis metu oppreſſit; neque minus in ancipiti verſati, quibus ſaliva à primo morbi inſultu eo uſque copioſe effluxit, quibus licet rarius id factum, diarrhœa accidit, cruentus vomitus, aut alvi feceſſus. Maximum periculum imminuit à graviori inflammatione, acerbiori dolore ſicco, tenſione, pulſu cito, intenſa inquiete & anxietate ſtipata; tanto certius, quando frigore & horrore interpolata, ægri de interni ardore & ſiti & externo frigore conqueſti, inflammatio hæc ut plurimum mortis fuit cauſa. Febrem enim accendit maxime æſtuoſam, delirium fecit, vigiliam perpetuam, inquietudinem maximam & corporis in lecto jactationem, quæ demum excepit horror notabilis, puſtulas albas reddens ac demum convulſio lethifera. Factum id maxime in adultis, die nono, undecimo, aut decimo quarto. Infantes autem plerumque perierunt ſuffocatione, procul dubio, quod fauces interius copioſis puſtulis obſeſſæ & varioloſi humoris acrimonia ipſos nervos pneumonicos tunicaſque nerveas in ſpaſmodicam exitialem adduxit contractionem.

Singularia in ſuppuratione. Ex ſingularibus obſervatis fuit, quod ſanguis ex papulis ſuppuratis ſtillare viſus in binis infantibus, uno trium, altero octo annorum, illo evadente, hoc decimo ſexto die mortuo, poſteaquam die quinto cutis utriuſque manus & die nono crurum, colorem ex atro brunum contraxiſſet, in luculentum ſanguinis ſubſiſtentis in ſphacelum proni indicium. Duo etiam alii ſervati, qui non debita perfuncti ſuppuratione, ſed ingentem copiam furunculorum ardentium loco hujus in univerſo corpore nacti, ſimul paſſim efflorescentibus maculis latis, rubicundis, ardentibus.

Exſicca- Qui ſuppurationem ſuperarunt, in iis ſi clementes puſtulæ, nono, ſi copioſiores, undecimo, ſi copioſiſſimæ, decimo quarto die, detumuerunt iterum partes, ardor imminutus, pulſus ſedatior, ſomnus quietus, puſtulæ ſanie turgidæ factæ, maturuerunt, & vel ſponte dehiſcentes, vel perforatæ, pus fuderunt coctum. Id eadem ratione ac in eruptione & ſuppuratione, factum primum in facie, poſtea in manibus ac tandem in pedibus. In dorſo autem & pectore molliores ſemper manſerunt, nec tanta copia puris repletæ ſunt, nec cruſtas craſſas conceperunt, forſan, quod ob poros magis ibi apertos & calorem, materia non tam glutinoſa & arida fieri potuerit. Maturæ puſtulæ dein ſunt corrugatæ, foſſulam in medio nactæ, exaruerunt demum & deciderunt, non ſine ardore & pruritu relicto. Quod, quo citius confectum, eo minus ſubjecta cutis exeſa eſt & foveis deformata, quo tardius, compactis in unum cruſtis, extus aridis, ſubtus ſaniem putridam habentibus, eo magis nævi & cicatrices deformantes ſuperfuerunt. Contigit id maxime in iis, quæ tempore ſuppurationis & exſiccationis cinereæ & virideſcentes apparuerunt, nec non ex ægrotis his, qui ſcalptu intempeſtivo minus maturas lacerarunt, earumque debitam exſiccationem ſic impediverunt.

tionis phænomena.

Et poſt eam pathemata. Abſoluta exſiccatione, orti in quibuſdam furunculi & abſceſſus minuti, omnem corporis ambitum cum dolore, ardore & febrili calore obſidentes. Aliis accidit temporaria manuum pedumque imbecillitas, vel contractura, balneis & linimentis ſpirituoſis promte in plurimis quidem abacta, in nonnullis tamen cacochymicis & maturam opem negligentibus, tranſiens in ulcera circa articulorum epiphyſes ægerrime ſanabilia, quæ incongruis remediis in peſſimas & tabificas fiſtulas degenerarunt. In ſeroſis & catarrhoſis ſucceſſerunt tumores glandularum, inprimis colli, inſignes, duri & renitentes, emplaſtris tamen emollientibus & diſcutientibus feliciter cedentes. Infantibus præſertim & adoleſcentibus, poſt variolas frequens fuit malum epiphora, ſive continuum lacrymarum ſtillicidium, cum dolore, rubore & luminis intolerantia. Cui, niſi cito occurſum, turbidi redditi oculi & tenues in cornea enatæ tunicæ, viſum quodammodo imminuentes. Qui nimis cibos, gravis materiæ, aſſumſerunt, vel carnes avidius comederunt, aut præmature lecto ſurgentes, corporis experti ſunt refrigerium, incurrerunt de novo anxietates, vomitus, immo diarrhœas, magna quidem cum debilitate, ſed ſine periculo.

Penitus arceri non potuerunt, ſed mitiores reddi. Jam in debellanda epidemica hac lue ita ſum verſatus: incurſum quidem ipſius arcere ab iis, qui nondum experti, per remedia fuit irritum, optimum fuga tantum contagii. Id tamen obſervatum, vitæ temperantiam, victum laudabilem, naturæ cujuſcunque accommodatum, abſtinentiam à liquoribus ſpirituoſis & calidis inebriantibus & animum tranquillum, tantum effeciſſe, ut paucæ, benignæ & periculi ut plurimum expertes variolæ in cutem exiverint. Tanto certius, quando frequens uſus pulveris abſorbentis, præcipitantis, nitroſi, adjunctus. Ii quoque qui primam regionem aliquoties à ſordibus repurgarunt, minus copioſas minori periculo ſunt nacti. Sed clementibus, rhabarbarinis, tamarindinatis, mannatis & tartareis, non vero aloëticis, colocynthiacis, acribus & reſinoſis, id fuit perficiendum, optime ante morbum, priuſquam ſanguis à miaſmate infectus, licet id ſine damno etiam factum noverim, quum præſto

jam

jam essent symptomatum nonnulla. Vomitoriis autem uti, interdixerunt ut plurimum circumstantiæ, licet alio tempore eadem alexipharmacis nupta apprime proficua deprehenderim. Neque universalis fuit illa variolarum copiam arcendi methodus, quam post *Sydenhamum*, *Waldschmidius* aliique celebres in Hassia medici dilaudarunt, per crebriorem spirituum mineralium acidorum bene præparatorum, ante infectionem, vel etiam primis morbi diebus, usum, sub temperato tantum regimine. Non enim potuit hoc remedium, omni etiam diligentia adhibitum, extinguere malignitatem in nonnullorum sanguine, nec variolas numerosas declinare. Quin observavi, complures ex illustribus, aliquot antivarioloſi liquoris absumsisse ante & post invasionem uncias, nihilo tamen secius copiosis conspersos fuisse pustulis, vehementissimis symptomatibus stipatis. In quibus id præterea singulare fuit; quod papulæ siccescentes magnam exseruerint corrosivitatem, profundius serpendo & depascendo subjectam carnem, insigni cum dolore, ardore & inquietudine.

Quid factum ante eruptionem.

Qui igitur morbo affecti, his æquabile caloris temperamentum commendavi, & suasi, ut quamdiu vires ferrent, lectum vitarent, aut minimum culcitris ex corio, minus calentibus, uterentur. Ab omnibus etiam calidis, expellentibus, sic dictis alexipharmacis & bezoardicis, volatilibus, ipsa bezoardica tinctura, abstinui, præsertim in juvenili & florida ætate, in sanguineis atque plethoricis. Laudatissimus inventus spiritus nitri probe dulcificatus, (cujus loco jam inventum a me liquorem anodynum mineralem, majori adhuc cum fructu, usurpare soleo) cum anatica portione syrupi papaveris erratici mixtus, additis aliquot mixturæ simplicis guttis. Frequens etiam fuit usus pulveris temperantis, ex matre perlarum, antimonio diaphoretico, cornu cervi sine igne parato, cum tantillo nitri puri. Et vehiculum præbuit aqua scordii, scabiosæ, florum tiliæ, sambuci, papaveris rhœados & cerasorum nigrorum. Eadem quoque usurpata ubi malignitatem prodiderunt symptomata, & præterea pulveri pro una dosi adjectum vel dimidium granum theriacæ cœlestis, vel momentum camphoræ, cujus præstabilem virtutem cum nitro in malignis variolis semper deprehendi.

Sub eruptione.

Ingruente eruptione, præscripta ut plurimum emulsio, ex aquis florum sambuci, acaciæ, fœniculi, scabiosæ, scordii, cerasorum nigrorum, seminibus napi, aquilegiæ, cardui mariæ, cum matre perlarum & julapio rosaceo. Tum etiam corpus curatius à frigoris accessu defendere jussi, & calorem, præsertim die quinto & circa noctem, tantisper intendere, ita tamen ut subjecti semper haberetur ratio, nec non diversæ ætatis, temperiei, copiæ vel motus sanguinis. Docuit enim experientia, deficiente calore externo sufficiente, eruptionem, in infantibus potissimum & phlegmaticis, minus expedite successisse, pustulas jam protrusas iterum collabi lenteque refugere cœpisse, relicta quadam præcordiorum anxietate. Hinc quando in cutem jam plenius iviſſent variolæ, ad expellendas reliquias, essentia scordii probe saturata, vel liquore bezoardico Bussiano, cum liquore anodyno minerali remixto, cum fructu sum usus, tanto magis in malignis.

Suppuratione

Exulcerationis tempore, si ob naturæ segnitiem pustulæ manserunt depressæ & elevationem renuerunt, præstans fuit facultas myrrhæ, aliquot granis, cum pauxillo croci & pulvere bezoardico oblatæ. Sed non nisi in principio: in statu enim suppurationis inflammatoria febris à myrrhatis increvit. Neque unquam usurpata hæc, ubi suppuratio sponte recte succesſit. Urgente in exulcerationis vigore æstu & ardore, emulsione institi, substituto in locum seminis napi, semine papaveris albi, & in locum julepi rosarum, syrupo papaveris.

& exsiccatione.

Absoluta suppuratione, siccescentibus jam in facie & manibus pustulis & febre defervescente, proficuum observavi pulverem ex lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, myrrha electa & croco, qui exsiccationem & consolidationem, balsamica & temperante sua virtute egregie promovit. Per totum præterea morbi decursum, loco cerevisiæ decoctum ex cornu cervi raspato, radice scorzoneræ, hordeo mundo, semine fœniculi & ficubus, tepefactum bibere jussi, cum emolumento; sed infusa calida herbarum, veronicæ, scabiosæ, herbæ thee, eruptionis & suppurationis tempore, liberaliter pota, minus proficua deprehendi.

Symptomatum medicat. hæmorrh.

Ex symptomatibus narium hæmorrhagia caute fuit excipienda: si enim principio statim repressa, sanguis cum impetu ad caput latus, phrenitidem, vertiginem, deliria aliaque horrenda symptomata intulit. Si nimium excretum, defecit vis ad expellendam extrorsum variolarum materiam. Optimum igitur sub profluvio pedes à refrigeratione defendere, interius usurpare diascordium *Fracastorii* cum nitro, & externe, si effusior excretio, naribus attrahere & collo atque temporibus tepide apponere, acetum rosaceum cum camphora.

Delirii & aliorum

Ad delirium in eruptionis puncto nimis atrox, nec emissis jam in cutem variolis cessans, componendum, ne in phrenesin mutetur, expertæ virturis fuit, spiritus vini camphoratus, cum oleo ligni Rhodii, tam naribus haustus, quam tepide iterato fronti & temporibus admotus. Adversus præcordiorum anxietates, tremores, inquietudines, pavores in somno, convulsiones, horrores & variolarum retrocessionem, probati usus hoc: recipe essentiæ castorei paululum inspissatæ drachmam unam, camphoræ grana tria, extracti croci granum unum. Quo præsentissimum ægris levamen allatum.

Diarrh

Diarrhœas sistere periculosum fuit; si tamen vehementia & virium defectus ursit, pulvere bezoardico cum chaccarillæ cortice, id præstitum. Nec prætereunda nitri in compescendis his alvi fluxibus facultas, experientia, contra vulgarem sententiam, multoties confirmata.

Fauciu narium oculoru pathem tum.

Faucium, laryngis & œsophagi ardorem ac dolorem ab insidentibus pustulis, lenire & ab ulteriori insessu defendere jussi decocto florum sambuci, liquiritiæ, ficuum, nec non solo lacte calido, cum ficubus & croco decocto. Si anginosa subfuit inflammatio, juvit aqua florum sambuci, cum rob diamoron, nitro & croco. Aphthæ & labia dolentia inuncta mucilagine seminis cydoniorum. Eadem mucilago cum aqua florum sambuci & rosarum extracta, adjecto croci & camphoræ momento, mirifice profuit in pruritu, ardore & rubore oculorum, nec non ad eos, si clausi, aperiendos. Nares obturatæ litu olei amygdalarum dulcium, vel lini, adapertæ.

Cutis vi rum.

Crustæ papularum duræ emollitæ & cutis subtus ab acri humore exesa consolidata linimento ex tinctura tartari, essentia myrrhæ, oleo amygdalarum dulcium & camphora. Ad delendas,

decisis

decisis crustis, cicatrices, conducibile fuit unguentum ex axungia humana, spermate ceti, saccharo saturni, magisterio bismuthi & oleo tartari per deliquium. Restitantia demum ulcera unguento de cerussa camphorato utiliter tractata.

Observata de venæ sectione & opiatis & papaveraceis.

Cæterum sanguinis missio, neque ad præservationem, neque ad curationem, utilis observata. Ab opiatis & soporiferis interius abstinui, aliorum medicatione edoctus, inde in variolis copiosis majores obortas anxietates, & ante exquisitum suppurationis tempus, periculosum soporem cum tremore & membrorum succussione fuisse susitatum. Papaveracea autem leniissima, semen papaveris albi in emulsione, aqua papaveris rhœados ejusdemque syrupus, utique fuerunt saluberrima.

Conclusio.

Atque hæc est illa methodus & hæc sunt remedia, quibus ego usus sum in magno ægrotantium, centum minimum & quinquaginta numero, è quibus aliquot illustrissima multique generosa stirpe geniti, hac in academia tum commorantes. Felix etiam fuit per DEI gratiam successus, maxima pars evasit & vigesima vix mortua, & ex his maxime, qui malignis affecti. Servavi postea eandem semper medendi rationem, & triginta qui inde elapsi sunt annorum experientia confirmatum habeo, vix ulla alia in variolarum morbo proficua esse atque accommodata.

Observatio II.

Pathemata insolita alvo obducta in variolis.

Generosus adolescens, exquisiti sensus, activæ indolis & macilentus, superiori anno variolis affectus est, quæ sine vehementia symptomatum, placide satis & ordinate in conspectum venerunt. Quum vero circa sextum diem ad suppurationem accederent, præter opinionem miris afflictus est præcordiorum anxietatibus, conquestus simul de dolore abdominis, inquietus fuit, somnum capere non potuit & desidendi stimulus ipsum dimidia quavis hora è lecto surgere coëgit, sed sine secessu. Licet autem hæc ultra diem & noctem urgerent, æstus tamen nec intensior, nec pulsus celerior factus. Ego accersitus in consilium, inquisivi, num sub morbo jam dejecerit? responsum tuli: nec in morbo, nec, quantum quidem recordari posset, triduo ante ipsum id esse factum. Illico igitur injicere jussi clysterem emollientem, oleosum, cum modico salis, flatuum vero & excrementorum remissus non totum, sed tertiam vix partem admisit; ad sellam tamen expertus est instinctum, ibique persensit inhærens orificio ani stercus durum & grandi mole, licet egerendi irritus esset conatus. Hinc iterato enema infundere jussi, & interius dare non dubitavi ptisanam mannatam, cum cremore tartari & oleo amygdalarum dulcium. Soluta inde alvus & per aliquot sedes incredibilis fere scybalorum induratorum copia egesta, æger etiam à prioribus symptomatibus liberatus, somnum recepit, variolæ rite suppurationem subierunt, & cura reliqua ex voto successit.

Epicrisis.

Quale sit alvi beneficium, in omni morbo quærendum: si enim quis in morbum, maximeque in variolas & morbillos, in quibus ordinario primis diebus alvus adstricta, incidit, & intestina jam tum stercorum copia farcta, magna non possunt non insequi pathemata, quorum causam medicus vix perspicere valet. Hinc in quocunque morbo ab initio statim prospiciendum, ut alvus ab excrementis sit depleta, sive id commodissime fiat per enema, sive per laxans internum.

Observatio III.

Variolæ mali moris ex vitio materni succi.

A matre hysterica, inordinate vivente, sub graviditate autem optime semper valente, procreati erant tres infantes. Hos anno clɔlɔccxiix. corripuit variolarum morbus publice grassans. Is licet non adeo mali esset in aliis moris, in his tamen insolita habuit pathemata. In uno quippe, puero quinquenni, eruptio, licet febris cum consuetis symptomatibus adesset, per octiduum duravit & suppuratio etiam longius quam fieri suevit, protracta fuit. In altero, puero quatuor annorum, secundo statim die prodierunt; interspersis maculis asperioribus quasi purpuraceis, æstus & pulsus per totum morbum fuit idem præternaturalis, pustulæ manserunt sessiles, pus non conceperunt & plurimæ punctulo nigro fuerunt conspicuæ. Et in sorore, puella septenni, variolæ confertim occuparunt fauces & guttur, ut vix solidi vel fluidi quippiam deglutire, quin spiritum trahere posset. Nihilo minus usu convenientium & tutissimorum remediorum, temporis beneficio, discessit hic morbus. Sed quum appetitu redeunte, plus ingererent, quam debile corpus ferre posset, nec rigidam & ventosam auram vitarent, factum est, ut in tribus his infantibus passim orirentur dolores & tumores in artisulis, junctura præsertim cubiti, in digitis manuum, plantis pedum, ipso etiam in collo, cum febre lenta. Medicus & chirurgus omnem quidem contulerunt operam; nihilo tamen secius nata inde ulcera ferina, carnem exedentia & ossa cum nigrore corrumpentia, accessit tabes & virium maxima prostratio, ut etiam pueri bini sub initio tertii mensis fatis cederent. Puella autem, non adeo malignis ulceribus affecta, servata: ego quippe in consilium vocatus, pro potu suasi emulsionem ex decocto hordei, seminibus cucurbitæ & melonum cum saccharo. Sumtus cum hac pulvis noster bezoardicus, crebriori, sed parciori dosi, adjectis quandoque aliquot granis reguli antimonii medicinalis, quandoque nitri. Ad alvum laxandam datus syrupus rosarum solutivus cum extracto rhabarbari & mercurio dulci, omniaque hæc per aliquot hebdomades continuata interius. Exterius vero ulceribus putridis injectum balsamum nostrum vulnerarium, cujus principale ingrediens balsamus sulphuris antimoniatus, cum oleo terebinthinæ paratus, idque potissimum, remixtum cum essentia myrrhæ, succini & balsamo Peruviano, miram præstitit opem in ulcere quatuor foraminibus in olecrano hiante. Tumoribus quoque indolentibus ac duris, quibus pedes passim obsessi, impositum emplastrum *Vigonis* de ranis, aucta mercurii portione & admixtis floribus sulphuris. Quibus demum intra aliquot menses ex mortis faucibus erepta fuit puella.

Epicrisis.

I. Feminæ valetudinariæ, si uterum gerentes minus ægrotant, infantes edere solent infirmos & potissimum in variolis & morbillis graviter decumbentes, & credibile, in embryonem impuros matris succos defluxisse.

II. Variolarum morbus in se satis mitis est, si benignos in corpore offendit succos, earumque materia non adeo est virulenta; contra ea, quando in corpus incidit impurum & fermentum à prima nativitate contractum malignum, pessimi

simi genii emergunt variolæ, licet tum in aliis admodum sint benignæ.

III. Ubi exanthemata varioloſa malignæ ex symptomatibus cognoscendæ sunt indolis, nunquam iis fidendum, etiamsi jam aruerint, & lapsæ sint pustulæ. Ita enim sanguinis & humorum massam inquinare solent, ut accedente improba victus ratione, perspiratione intercepta & neglecta repetita primæ regionis & ipsius sanguinis repurgatione, postea insequantur graviſſimi & lethales morbi, apostemata, abscessus in internis partibus, in mesenterio maxime & pulmonibus, cum febre lenta & hectica, in externis vero peſſima & fœda ulcera cancroſa, exedentia.

IV. Quæ autem tum variolas excipere solent mala, non aliter oppugnanda, ac morbi, qui extremæ humorum corruptioni debentur. Unde memini, à peritis medicis & chirurgis ejusmodi maligna ulcera inunctione leviori cum hydrargyro, item mercurio dulci cum laxante dato, nec non decoctis temperatis, cum antimonio crudo, fuisse persanata, modo febris absit.

Observatio IV.

Scabies, furunculi, morbilli & variolæ in uno successivæ.

Juvenis literarum studioſus, victus & vivendi rationis incurioſus, scabie humida & pustuloſa per aliquot menses laboravit, liberatus decoctis & linimento, quod pro basi habebat flores sulphuris. Non ita multo post correptus est morbillis, tum epidemicis, quos pariter evasit. Sed post binas hebdomades efflоruerunt sensim in universo corpore furunculi copioſi, quorum nonnulli insigni inflammatione stipati, in profundos ægre sanabiles abscessus abierunt, donec decoctis mundificantibus, laxantibus appropriatis, maxime mercurialibus, & lenioribus diaphoreticis, sanarentur tandem. Elapso inde circiter menſe, denuo in variolarum incidit morbum, gravibus symptomatibus incedentem. Erant enim maxima ex parte confluentes, septimo vix die, licet febris adesset, comparuerunt, ægre quoque subierunt suppurationem, depressæ potius manserunt, nec post eruptionem pulsuum frequentia ex toto remisit. Egregium tamen levamen æger obtinuit solutione myrrhæ & croci in dilutiore liquore salis tartari, à cujus usu ad sensum succeſſit suppuratio & variolæ cum symptomatibus ad legitimum decursum traductæ. Continuatus igitur longius hujus remedii usus, siccatis etiam jam & decidentibus pustulis, & notabile fuit, sub ipsa suppuratione alvum quotidie sponte vel septies fluxisse, æstumque febrilem, qui tum alias auctior, fuisse mitigatum. Quo etiam factum, ut juvenis hic integram penitus recuperaret sanitatem.

Epicriſis.

I. Variolarum & morbillorum materia, sive, ut ita loqui liceat, fermentum, neutiquam in massa sanguinis & humorum deliteſcit, neque etiam à sola impuritate, sive cacochymia humorum venit. Alias enim repurgatis in hoc juvene per scabiem & furunculos sanguine & succis, non amplius potuisset habere locum. Hinc potius credibile, materialem horum exanthematum causam infixam esse firmius tubulis partis cujusdam stabilis, ibique, haud secus ac cancri & canis rabidi virus, tam diu occuli, donec à contagio, vel specifico quodam liquido, vel aëre in actum deducatur & sui juris fiat.

II. Alvi fluxus, non, uti vulgaris est sententia, in hoc morbo adeo est pertimeſcendus, nec suppurationem semper impedit, nec materiam ad interiora vocat, sed in variolis etiam mali moris, sæpe, expurgando excrementitios succos, in salutem cedit, haud secus ac febres malignas diarrhœa haud raro solvi novimus.

III. Solutio myrrhæ, cum croco, in liquore alcalino minus spirituoso, egregia omnino ad sanguinis depurationem, sulphur blandum & balsamicum vappidis humoribus reddendum, & ad præscindendos multos, qui variolas excipere solent, graves affectus.

Observatio V.

Variolæ in gemellis diverſæ.

Binæ puellæ gemellæ quatuor annorum, quarum una habitior, grandior, animo segnis & torpida, altera macilentior, statura minor, animo autem magis sentiens & vegeta, uno tempore eundem variolarum morbum incurrerunt, sed in alterutra diverso modo & eventu succedentem. In utraque erant confluentes, sed in obesiori illa tardo admodum, die septimo, prodierunt, pus contrahere noluerunt, in facie & manibus fuerunt sanguinolentæ & apertæ serum plorarunt sanguineum, ægram interim miræ discruciarunt anxietates, cum febre & siti continua somnique defectu, donec undecimo die exspiraret. Altera vero omnia habuit mitiora, tertio die venerunt papulæ, nono aruerunt, deciderunt & ipsa mox convaluit.

Epicriſis.

Infantes hæ eodem succo matris nutritæ, eodem victu & regimine usæ, eidem morbo implicitæ, eodem contagio infectæ, eadem methodo iisdemque medicamentis tractatæ sunt, plane dissimili tamen successu & eventu. Patescit igitur, sanitatem corporis, animi viriumque integritatem, morborum originem, decursum & finem, non tam à causis externis, cibo, potu, aëre, regimine, quin medicamentis, dependere, quam potius à peculiari & specifica partium solidarum structura, proportione & dispositione, & hanc ob id omnino magis à medico esse considerandam, quam solam conditionem fluidorum horumque naturam.

Observatio VI.

Variol. primo funeſta

Juvenis succulentus & sanguineus, generosus, cujus familiæ variolarum morbus maxime fatalis, degerat ruri & autumnali tempore, venationi, & mane, & in seram usque noctem, plus justo sub cœlo pluvioso ac nebuloso indulserat, & postea huc delatus, crapula ex vino & esu ostrearum corpus debilitarat & stomacho vim fecerat. Altero die post incidit in variolarum popularem eo tempore morbum. Invasit quippe eundem primum horror & vehemens anxius æstus, insequente nocte admodum inquieta. Die post impatiens fuit, conquestus de exquisito spinæ & capitis dolore, delira & absona multa protulit & alvus fuit adstricta. Injectus hinc ad avocandos à capite humores clyster, quo alvus respondit. Data quoque æstum refrænantia, acidula, nitrosa, pulveres præcipitantes & absorbentes. Inde mitigatum delirium, & intra tertium & quartum diem eruperunt in facie maculæ exiles, aciculæ capitis magnitudine, simulque pustulæ asperæ miliares albæ & rubræ. Quinto die manus & pectus occuparant pustulæ, tam numerosæ, ut vix spatium inter ipsas esset relictum. Hoc facto, remiserunt quidem symptomata

tomata cum æſtu, puſtulæ autem ægre maturuerunt, facies juſto minus intumuit, pulſus ſemper manſit frequens, & ſeptimo die tam exquiſitus ardor & dolor tenſivus in manibus obortus, ut plane eſſet intolerabilis; lectum & locum mutare voluit æger, frigidaque ad manuum incendium reſtinguendum contrectare; ſomnus aderat nullus, ſpiratio vero anxia & difficilis & pectus obſeſſum humorum copia, ſuffocationem minitante. Applicata enemata, exhibitæ emulſiones cum pulveribus bezoardicis ac temperantibus, ſed omnia incaſſum, eodem potius die accidit extremorum refrigeratio, ſubſequente convulſione & brevi poſt ipſa morte.

Epicriſis.

Haud adeo infrequens eſt, variolas certis familiis magis eſſe infeſtas atque funeſtas, cujus tamen cauſa minus cognita. Id vero in comperto, multum ad peſſimam variolarum naturam conferre corporis refrigerationem, ingluviem incongruorum & ebrietatem. Quæ ſi præceſſerunt & paullo poſt morbus impetit, expedit omnino, antequam tota œconomia motuum turbetur, colluviem ex primis viis idoneo laxante vel emetico exturbare. Primæ enim regionis ſordes mirifice impediunt materiæ varioloſæ ſalutarem exitum, immo vim morbi augent. Et ſi tum natura alvi movet fluxum, egregie pro ſanitate eſt. Ut plurimum vero varioloſi moriuntur convulſione, quæ ſuſcitatur ab intolerabili æſtu ac dolore in ſuppuratione puſtularum, inprimis ſi cuti profundius inſident, corpus juvenile eſt ac tenerioris texturæ.

Observatio VII.

variolæ in flume m dentie ſana-

Subito corripiebatur infans lactans unius anni motibus epilepticis, qui ſingulis horæ quadrantibus impetentes, per XXIV. horas inſiſtebant. Prorumpebant inde dentes canini & aculeos viſui & tactui ſiſtebant, die poſt comparebant etiam variolæ, non ut ordinarie ſolet, ſed primum in manibus & pectore, & poſtea in facie. Nutrici magis quam tenello dabantur medicamenta. Huic quidem præter pulverem Marchionis, cum ſpecifico cephalico *Michaelis*, fere nihil, & illi pulvis bezoardicus noſter cum præcipitante remixtus, elixir pectorale crocatum & liquor ex myrrha, croco & ſalis tartari ſolutione. Quibus & dentitio & variolæ ſucceſſerunt feliciter.

Epicriſis.

Non mirum eruptione, & dentium, inprimis caninorum, & variolarum, tam atroces præceſſiſſe inſultus epilepticos. Quod autem variolæ ſerius in facie efflorueriut, id procul dubio tribuendum ſpaſticis tractionibus & ſtricturis ex dentitione in hac regione vigentibus, poris inde nimium coarctatis, materiam impuram non admittentibus. In lactantibus tenellis variolis affectis, medicamenta magis nutrici ſunt præbenda talia, quæ acrimoniam imbibendo, ſuccum chyloſum & nutricium dulcem ac roſcidum reddunt, quo materia cauſtica, quam optime cicuratur ac temperatur.

Observatio VIII.

riolæ ligne ſium

Adoleſcens generoſus incidit in variolas, non quidem confluentes, nec nimis copioſas, nec intenſa febre, nec aliis gravibus ſymptomatibus ſtipatas; pulſus tamen abſoluta etiam ferme eruptione debilis & frequens manſit, ſomnolentia adfuit fere continua, æger ſemper & à ſomno magis languit, puſtulæ elevatæ quidem, ſed pellucido humore plenæ, in medio complanatæ & nonnullæ punctulo nigro inſignitæ. Nono die, æger è lecto, ab adſtantibus ſternendo, levatus, ſellæ in conclavi calido & ſtragulis tectus impoſitus eſt, ſed per quadrantem vix horæ erectus ſedens, rogavit, ut in lectum ipſum cito transferrent propter obrepentem animi defectionem. Factum id. Conciderunt tamen ſubito papulæ, pedes frigefacti, pectus oppreſſum, ſpiritus intercluſus & ſubſequuti motus convulſivi, quibus poſt aliquot horas æger extinctus. *erectum lethales.*

Epicriſis.

Malignitatis characteres habuerunt hæ variolæ à principio ſtatim, pulſum, ſomnolentiam cum virium lapſu, puſtulas pellucidas, in medio depreſſas & nigricantes. Sub ejuſmodi morbi facie & virium languore, ſemper admodum pernicioſum, ægrum paullo diutius in erecto ſitu ſervare. Languidior enim cordis pulſus non ſufficit ad trudendum perpendiculari via verſus caput ſanguinem, unde animi fit deliquium, ſub quo motus ſanguinis elangueſcit, ad interiora convertitur, cor obruitur, extrema frigent, cutis contrahitur, materia virulenta ad interiora & nervoſas partes repellitur, in capite ſanguis ſtagnat & convulſionem demum facit lethalem.

Observatio IX.

Emetico-laxans in erup'ione variolarum cum fructu datum.

Generoſa virgo, quatuordecim annorum, graſſantibus variolis de ingenti capitis & lumborum dolore conquerebatur, cum æſtu præternaturali, ſiti & corporis laſſitudine, cutis mox horrebat, mox calebat. Medicus vocatus, variolarum morbum ſubeſſe conjiciens, mixturam ex ſpiritus nitri dulcis & tincturæ bezoardicæ ana drachma & ſcrupulis duobus ſyrupi papaveris rhœados, ſingulis horis, ad quadraginta guttas porrigebat, ſed ægra poſt hujus uſum alimenta omnia vomitu rejiciebat, & inquietudo cum anxietate & virium proſtratione admodum urgebat. Dabatur igitur hæc mixtura: recipe aquæ florum ſambuci, acaciæ, cornu cervi citratæ ana unciam unam ſemis, theriacalis drachmam ſemis, lapidis bezoardici orientalis ſcrupulum, ſpiritus ſalis ammoniaci guttas X. croci grana tria. Qua binis vicibus aſſumta, ægra ſtragulis obtegebatur & in hypocauſto calido ad ſudorem cogebatur. Sedabatur vomitus & intra ſecundum & tertium diem cum æſtu intenſiſſimo prodibant maculæ. Sed quum ob calorem ardentem ſtrata removerentur, mox corripiebatur horrore, & maculæ illico diſparebant, inſequente ſumma inquietudine, anxietate & vomendi ſtimulo. Eveniebat hæc viciſſitudo aliquoties quotidie, ut his vel ter aucto calore comparerent, & diminuto diſparerent iterum. Medicus certior factus præceſſiſſe malam diætam & ingluviem fructuum horæorum dulcium, lacticiniorum, caſei & acetariorum, ventriculum & primum inteſtinum multa obſeſſum eſſe ſaburra ratus eſt, ideoque, quum præterea alvus per quatuor dies fuiſſet ſtrictior, hanc in uſum vocavit potionem: recipe mannæ electæ drachmas ſex, tartari emetici granum, aquæ cardui benedicti uncias duas, mixturæ ſimplicis guttas decem. M. D. Aſſumta hac, plus quam decē ſequuti vomitus, pituitæ viſcidæ & ſubviridis, nec non

aliquot ſeceſſus. Poſtea data eſſentia theriacalis, cum aqua liliorum convallium, pauliſper ſpirituoſa, qua vomitus, & alvi fluxus ſedatus, anxietates omnes remiſerunt, & diffuſo per univerſum corpus calore æquabili, copioſiſſimæ cum impetu quaſi in facie, manibus, pectore & pedibus eruperunt variolæ, ſtationem ſervantes & ſuppurationem quam optime ſubeuntes, ſine ſævis ſymptomatibus. Inprimis plantæ pedum variolis fuerunt refertæ, ſub cute ibi craſſiori deliteſcentibus & ſub exulceratione graves ſuſcitantibus dolores, qui tamen ſpiritu vini camphorato cum oleo amygdalarum dulcium deliniti, ſecedente in exſiccatione cute totius plantæ.

Epicriſis.

Nil certe pejus eſt, ac ſi variolarum morbus invadit corpus, in quo ventriculus & primæ viæ cruditatum colluvie obſeſſæ. Inde enim augentur anxietates, ſpaſmi invaleſcunt, & ad extremam cutem diffuſi, horripilationem ibi faciunt ejuſque conſtrictionem. Inanis hinc labor eſt, tum expulſionem internis & calore extremo urgere, quin noxius ante debitum eruptionis tempus, eo quod vi pulſæ variolæ admodum ſunt inſtabiles & cum pathematum exacerbatione iterum recedunt. Utile potius ventriculum convenienti laxante & emetico à ſaburra deplere, quod etiam ipſa natura per nauſeam & vomendi deſiderium innuit. Patet igitur, emetica, ante eruptionem data, non tam facile nocere, ſed potius, levata ab onere natura, eandem promovere. Sed imperitus non facile imitetur heic facta cum fructu. Semper enim diſtinguendum eſt inter vomitum & conatum vomendi, qui ab illuvie vitioſorum humorum prima in regione, & inter illum, qui ab acrimonia ſubtili cauſtica nervoſis tunicis inhærente oboritur. In illo utiliſſima vomitoria, in hoc nocentiſſima.

Observatio X.

Noxa ex calore regiminis & medicamentorum in variolis.

Puer quadriennis, graſſantibus in parentum domo variolis, iiſdem, quibus invadere ſolent, afficitur pathematibus. Mater hinc ipſum includit hypocauſto & lecto calido pedibuſque lagenam aqua fervente plenam admovet. Medicus ſenex conſultus omnia habet rata, & præterea ob pavores & ad promovendam eruptionem ſpiritum cornu cervi cum eſſentia caſtorei porrigit. Sed ſecundo die inſultus accedunt epileptici, cum anxia & quaſi ſuffocatoria reſpiratione, ſomno terroribus pleno maximaque inquietudine. Me igitur advocant, qui adveniens feneſtras provide aperire & ſtragula nimia removere jubeo, & loco ſpiritus cornu cervi, ſpiritum nitri dulcem, cum ſyrupo papaveris rhoeados, item pulverem Marchionis, cum nitro & cinnabari exhibeo. Inde poſt paucum tempus ſymptomatum vehementia mitigata, penituſque remiſit, maculæ placide & copioſe prodierunt, totiuſque morbi curatio ex voto ſucceſſit.

Epicriſis.

Peſſimus, vulgi inprimis, mos eſt, varioloſos calidiſſimo regimine excipere, & peſſimum conſilium expellentia & ſanguinem exagitantia offerre. Pereunt enim hac ratione plures, vel minimum in gravia adducuntur pathemata. Memorabilis de eodem hoc cornu cervi ſpiritu eſt caſus in *Ammanni Medicina critica*, de tribus liberis, à paullo liberaliori ejuſdem doſi, enectis. Hinc laude merito dignus *Sydenham*, qui primus fere hunc errorem detexit, & contrariam plane ſuaſit methodum, temperantia nempe, motum ſanguinis nimium ſedantia, anodyna & acidula temperata, cum moderato regimine.

Observatio XI.

Cancroſa corruptio à labio poſt variolas lethalis.

Diu admodum tertiana laborarat puella quindecim annorum, qua demum diſcedente, variolæ publice circumeuntes ſucceſſerunt, ut illa in has tantum non mutata videretur. Prodibant interim feliciter & ſanabantur. Sed exſiccatis iiſdem, remanebat macula rubicunda acerbe dolens in labio inferiori, quæ aucto paullatim rubore, cum acri ardore in tumorem plane elevabatur. Impoſito à balneatore cataplaſmate ex albumine ovi & bolo Armena, nigra cum vicina carne comparebat, ſine omni ſenſu. Sphacelum igitur adeſſe ratus, applicabat decoctum ſic dictum nigrum, ex herbis amaricantibus, foliis quercus, cum aceto & vitriolo, ſed malum longe magis invaleſcebat, & brevi adeo putrida increſcebat corruptio, ut labia cum gingivis penitus abſumerentur ipſique dentes nigrore inficerentur. Admovebantur quidem alia putredini efficaciter reſiſtentia, una cum internis alexipharmacis, ſed fruſtra plane, ægra ob id, conſumtis poſt aliquot hebdomades viribus, miſerrime pereunte.

Epicriſis.

Cauſa horrendæ cataſtrophes vix alia, quam quod variolæ inciderunt in corpus, in quo per diuturnam febrem & calorem vires conſumtæ, & benigni ac temperati ſucci dyſcraſiam viſcidam, impuram excrementitiam contraxerunt. Quum enim ipſæ variolæ jam ejus ſint indolis, ut roſcidos corporis ſuccos conſumant, & putres ulcerationes ob id ſæpe relinquant; mirum non eſt, cancroſam corruptionem in tam imbecilli & impuro corpore fuiſſe ſubortam. Diſcant autem hinc medicinam facientes, variolas in ſordidis & infirmis corporibus circumſpecte eſſe tractandas, & ſuperatis iiſdem, eo quam maxime enitendum, quo dyſcraſia humorum per laxantia, diaphoretica, decocta & infuſa, tollatur penitus. Plures hac de re legantur obſervationes in Conſil. medicis *Tom. II. ſect. IV.* CXCVII.

CAPUT VIII.

De Febre Morbilloſa.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Morbill. febris deſcriptio.

Morbilloſa febris eſt catarrhalis exanthematica, ut plurimum epidemica, qua motu vitali cordis & arteriarum aucto, materia acris, cauſtica, inflammans, ex interioribus, nervoſis maxime partibus, ſub forma macularum rubrarum ad cutem pellitur.

§. II.

Ejus diagnoſis & differentia à variola.

In ſcholis & ſcriptis medicorum plerumque quidem morbilli ſimul cum variolis pertractantur: nec negandum, multum utriſque eſſe affinitatis. Utraque enim febris exanthematica, contagioſa & epidemica, omnibus fere hominibus per-

perpetienda ; utraque certis temporibus magis, vel minus benigna, & sequitur quam maxime athmosphæræ statum, corporis dispositionem ac temperamentum. Sed mihi placuit morbillorum morbum seorsim perquirere, quum insignis tam quoad causam & genium, quam diagnosin & prognosin, utrisque intercedat differentia. In morbillis quippe materia non tam pernicialis, non tam causstica, nec exulcerans ut in variolis, febris etiam totusque morbus ob id longe mitior, nec tam multos jugulat. Ante eruptionem morbillorum adsunt quidem pariter inquietudines, pavores in somno, cordis palpitationes, facta efflorescentia cessantes, sed materia magis infesta est pulmonibus, ideoque id singulare habent, quod indivulsus comes sit, tussis violenta, ferina, qua infantes sæpe per quatuordecim & longius ante dies excruciantur. Præcedit etiam ut plurimum serosi humoris per nares & oculos cum sternutatione & palpebrarum intumescentia secessio. Et hæmorrhagiæ quoque tam narium, quam in fœminis per uterum, cruentus quin vomitus, morbillis longe magis solennes, quam variolis. Præterea non modo mitius, sed & citius decurrit morbillorum morbus & sæpe primo die, ut plurimum tamen post tertium diem, prodeunt maculæ, pro varia corporum succorumque dispositione diversæ, in aliis latiores & ampliores, in aliis minores, in quibusdam instar morsus pulicum, modo rubicundi & purpurei, modo pallidioris & magis plumbei aspectus. Maculæ hæ non elevantur in pustulas, ut variolæ, sed lenticulari aliquali eminentia planam cutis superficiem excedunt, facies & cutis in extremis minus intumescit, & brevi tempore, quinto interdum vel sexto die, ruborem sensim exuunt, & sub auctiori perspiratione iterum evanescunt. Quumque nulla eveniat suppuratio, neque dolor & ardor persentitur, sed insignis declinante morbo pruritus in genis, labiis & toto corpore, ægros ad scalptum excitans. Neque etiam fœda relinquunt vestigia, neque ulcera in articulis & partibus externis, sed supersunt communiter squamulæ furfuraceæ, successive decidentes.

§. III.

Aliisque exanthematibus.

Hæc qui novit, morbillos ex facili ab aliis cutaneis efflorescentiis discernere poterit. Petechias enim amplitudine & elevatione tantisper notabiliori superant, longe mitioribus etiam symptomatibus stipantur & malignitatis ut plurimum sunt expertes. In purpura alba, secus ac in morbillis, ex maculis pustulæ exiguæ pellucidæ surgunt; in rubra eminentiæ miliares sunt, duræ & asperæ. Rubeolæ & rossalia ad erysipelaceam magis indolem accedunt, febrem habent irregularem & præterea in illis exanthematicæ maculæ minoris amplitudinis, ac morbilli, in his vero majoris, ut in statu universum corpus quasi erysipelate affectum, videatur. Et scorbuticæ maculæ latiores sunt ac morbillorum, coloris obscure rubicundi, ut plurimum sine febre.

§. IV.

Ejus origo unde?

Unde vero hujus omnibus communis morbi origo, haud secus ac de variolarum causa admodum est obscurum. Si tamen probabili ratione concludendum, veri omnino simile est, materiam morbillorum esse ex recrementis primi succi nutritii in utero, vel materni lactis extra uterum, glandulis quibusdam forsan firmius impactis & ex longiori mora corrosiva plane indole imbutis. Sed bona fide hæc ignorare potest medicus, etiam rationalis, dummodo pernicialem indolem ex effectibus & quo pacto his obviam eundem, sciat.

§. V.

Quæ mala signa.

Interim morbilli per se minus periculi habent, & sæpius, potissimum in plebeiis, sine medici ope, debito tantum regimine, iterum discedunt. Interdum tamen, ob præcedentem anomalam, insalubrem, diuturnam temporum constitutionem, malignam habent, epidemici inprimis, indolem. Vel accidentales etiam possunt accedere causæ, ægros in discrimen adducentes. Malignitatem autem prodit virium impensa prostratio, extremorum frigus, inquietudo summa, vomitus, deglutitio difficilis mentisque alienatio. Malum dein, quando aliæ maculæ, virulentiæ non expertes, uti petechiæ, purpura, vel etiam pustulæ scorbuticæ, complicantur, vel in fine cum vitæ discrimine superveniunt. Tussis porro continua, cum alvi profluvio & inquietudine magna, infaustum præsagire solent eventum. Neque boni ominis sunt sudores largi, præsertim in provectioribus, qui ob malam diætam & spirituosorum potum, calidum alunt & impurum sanguinem; ex facili enim admisso levi frigore, maculæ, funesto plerumque eventu, recedunt. Finito etiam morbo, si tussicula cum raucedine persistit, nisi cito idoneis succurratur remediis, in phthisin, & hecticam fit transitus.

§. VI.

Quomodo nocet.

Qui autem morbillis occumbunt, maxime ex infantibus, nono plerumque die suffocantur, evidenti indicio, nervosa & glanduloſa pulmonum bronchia, ob copiosam inflammantem materiam, spasmis & stagnatione humorum fuisse affecta & ex nimio seri affluxu demum suffocationem inductam. In quibusdam superato morbo remanet alvi fluxus ad aliquot hebdomades durans, tabem cum morte demum inducens. In nonnullis etiam, præsertim plebeiis, febris succrescit lenta, cum atrophia & abdominis tumore, funesta, ubi post mortem ut plurimum glandulæ mesaraicæ magnæ & pulmones latentibus vomicis obsessi, deprehenduntur.

CURATIO.

Medicatio.

Medicatio morbillorum, iisdem quam variolarum perficienda, acrimoniam nimirum temperantibus, diluentibus & demulcentibus, cum iis, quæ sub moderato lecti & hypocausti calore, materiam hostilem acrem ad corporis extima agunt. Prosunt igitur pulveres absorbentes & diaphoretici fixiores, leniter cinnabarini, item emulsiones & decocta. Quæ, quum præcedenti capite jam sint uberius descripta, specialia autem in cautelis dicenda, plura de iis heic afferre supervacaneum.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Sub initium quæ faciendo.

Si suspicio est in infantibus primam corporis regionem copiosis & crudis succis redundare, expedit in primo insultu leni emetico, uti ex dimidio tartari emetici grano, cum syrupo de cichoreo cum rhabarbaro, eandem deplere. Quando etiam lumbricis laborant, & metus est,

incurſuri epidemice jam graſſantis morbi, è re eſt, ut inteſtinorum canalis prius à verminoſa progenie liberetur, quod commodiſſime perficitur pilulis *Rufi*, cum mercurio dulci & ſemine ſantonici. Quod ſi negligitur, difficulter morbus ſuperatur. In provectioris autem ætatis perſonis, ſi ſanguis redundat, ut primis ſtatim diebus ſubtrahatur neceſſe eſt. Declinantur ſic non modo hæmorrhagiæ ominoſæ, ſed vidi etiam, hoc facto, remiſiſſe illico anxietates cum inquietudine & per univerſum corporis ambitum exanthemata prodiiſſe.

§. II.

Calida & frigida nocent. Sicuti impenſius calefacientia, cum nimio externo calore, materiam deteriorem ac ſubtiliorem reddendo, æſtum cum anxietate augendo & vires diſſipando, nocent; ita viciſſim nitroſa & nimium refrigerantia, in ætate maxime infantili, oppido damnoſa. Retardant enim eruptionem, & retenta materia, ad ſphacelum fit diſpoſitio.

§. III.

Hyſterici ſpaſmi mitigandi. Quando morbilli accidunt fœminis, quæ ſpaſmis hypochondriaco-hyſtericis obnoxiæ, vel menſium inſtat fluxus, haud raro animi deliquia, ſpirandi anguſtia, cum gutturis conſtrictione & ingenti præcordiorum anxietate, jungi ſolent; quibus materiæ in cutem exitus præcluditur. Igitur tum neutiquam pellentibus calidioribus eruptio urgenda; ſed potius adhibenda ea, quæ ſpaſmos leniunt, enemata ex paregoricis & carminativis parata, interdum venæ ſectio; nec non pauxillum caſtorei & nitri pulveribus bezoardicis admixtum: ſic brevi poſt in conſpectum veniunt maculæ.

§. IV.

Tuſſis. Moleſtiſſimum in morbillis ſymptoma eſt tuſſis ferina, ad quam complacandam nihil utilius oleo amygdalarum dulcium, recenter ex non rancidis expreſſo, cum ſyrupo capillari remixto & in decocto avenaceo ad dimidium cochlear crebrius porrecto. Conducit etiam pulveribus abſorbentibus & diaphoreticis admiſcere dimidium granum extracti croci, & uti infuſo theiformi, ex herba veronicæ, radice liquiritiæ, floribus papaveris rhœados & ſemine fœniculi.

§. V.

Diarrhœa. Diarrhœa ſi concurrit, provide eadem tractanda, nec facile compeſcenda. Solvit enim ſæpe morbum & multæ ac copioſæ ſordes è corpore per ipſam ſecedunt. Ex tutiſſimis tum ad eluendam ex inteſtinis acrimoniam, clyſteres ex puris demulcentibus parati. Si vero finito morbo pertinacius inſiſtit diarrhœa, commode pulveribus bezoardicis admiſcenda aliquot chiccarillæ corticis grana, vel etiam tantillum theriacæ cœleſtis.

§. VI.

Quibus medendum hæmorrhagia. Quum ſanguinis profuſiones nimiæ mali ſint ominis & plerumque malignitatis indices, eaſdem cum bonis ægrorum rebus moderari non minimæ res eſt prudentiæ. Exulent omnia poſitive adſtringentia, item eminentius opiata & anodyna. Ego quidem ſæpius cum fructu uſus ſum hac mixtura: recipe aquæ florum acaciæ, ſambuci, tiliæ ana uncias duas, theriacalis drachmas tres, antimonii diaphoretici, diaſcordii Fracaſtorii ana drachmam ſemis, ſpiritus vitrioli guttas XX. ſyrupi papaveris rhœados drachmas duas. M. Liquor quoque noſter anodynus mineralis cum pulvere præcipitante nitroſo ſumtus, exoptatam ſæpius præſtitit opem. Per amuleta vero fluxum hunc compeſcere velle, noxium potius, quam ſalutare deprehendi. Inſita enim propria virtute nihil operantur, ſed tantum impenſiori animi impreſſione, quæ tamen in periculoſis ejuſmodi affectibus omni ſtudio evitanda.

§. VII.

Malignitati. Ubi malignioris ſunt indolis, apprime ex uſu eſt pulvis noſter bezoardicus, cujus baſis bezoardicum minerale, qui non modo ſudorem & eruptionem blande elicit, ſed ſimul etiam humores corruptos imbibendo, ſedem movet, cum euphoria. Præſtabilem etiam ſæpe deprehendi virtutem ſulphuris antimonialis, noſtra peculiari methodo præparati & ad dimidiam, vel quartam grani partem oblati.

§. VIII.

Et ſudoribus. Si ſudore corpus nimium diffluit, ut linteamina ex toto madeſcant, provide eadem ſunt mutanda, prius probe exſiccanda & leniter calefacienda, ne ab eorum frigore materia exanthematica cum periculo certiſſimo recedat. Idem in mutatione lecti tenendum. Maximopere etiam cavendum eſt, ne quis ſubito ex calido in frigidum concedat. Mortem enim inde intra aliquot horarum ſpatium vidi.

§. IX.

Poſt morbum faciendæ. Quum plures, qui finita febre & diſcuſſis jam maculis præmature liberiori aëri ſeſe committunt & ſalubrem victus vitæque rationem ſpernunt, ob retentas ſic & adauctas impuras morbi reliquias, in pejores morbos incidant, aſthma, vel ſuffocativum catarrhum, phthiſin & tabem, quin uti obſervavi in contracturam; ſerio monendi ſunt convaleſcentes, ut per aliquot adhuc hebdomades perſpirationem ſollicite cuſtodiant & eum in finem utantur infuſis theiformibus, leniter diaphoreticis & ſanguinem mundificantibus, interpoſito nonnunquam, ad ſordes per alvum evehendas, balſamicarum pilularum uſu. Victum vero habeant tenuem & aliquandiu à cereviſiæ potu abſtineant bibantque decoctum temperans & diluens, ex radice ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, cichorei, liquiritiæ, hordeo mundo, cortice ligni ſaſſafras, vel ſemine fœniculi. Quod ſicuti in omnibus fere morbis, ſic etiam in febribus exanthematicis, utile eſt & maxime ſalutare.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Poſt morbillos cum purpura gutta ſerena. Conquerebatur generoſa puella, duodecim annorum, de laſſitudine, inappetentia, languore virium & doloribus lancinantibus in cruribus & brachiis, præterea lividum & plumbeum faciei offerebat aſpectum. Octiduo poſt corripiebatur horripilatione, ſubſequente æſtu & gravi dolore capitis lumborumque. Tertio die poſt in conſpectum veniebant maculæ morbillorum, tum epidemiorum, tuſſis ſimul affligebat moleſtiſſima, & propter capitis oculorumque dolorem continuum, nec ſomnum capere, nec lucis ferre poterat aſpectum. Quinto die ſenſim iterum evaneſcebant maculæ ex totius fere corporis ambitu, ſed dolor capitis & oculorum remanebat & præterea alvus à primo morbi inſultu erat ſiccior, ut non niſi clyſtere ſollicitata reſponderet. Quum ſic jam declinare videretur morbus, præter ſpem de novo accidebat ſumma præcordiorum anxietas, cum æſtu totius corporis, ſiti, virium proſtratione & difficili reſpiratione, prodibat poſtea purpura rubra, intermixta alba, ſive miliari, & dolor in oculis & capite ſupra frontem pertinaciter inſiſtebat. Pugnabatur quidem contra hæc tam gravia mala iis, quæ acre-

dinem

dinem humorum cum ſpaſmis mulcere & eruptionem placide promovere poterant. Senſim quoque remittente capitis dolore, puella convaleſcebat; ſed ſuperato morbo viſio erat imminuta, & ſenſim incrementum ſumens, intra menſem in veram guttam ſerenam tranſiit, ita, ut nihil plane viſu dignoſcere poſſet; licet oculi integri, & pupilla tantum duplo naturali amplior, comparerent. Multa & probata adverſus hoc oculorum vitium adhibebantur remedia, ſed fruſtra. Erumpentibus autem decimo quarto anno primum menſibus, ſplendorem aliqualem receperunt oculi rurſus. Hinc in conſilium vocatus, ſuaſi, ut temperatis balſamicis menſium negotium ſecundaretur, veſicatorium mitius aliquandiu geſtaretur, oculi crebrius quotidie pinguedine viperina recenti inungerentur & cum cibo nonnunquam aliquot guttæ balſami noſtri vitæ aſſumerentur. Quibus non quidem in totum, ſed tamen in tantum reſtitutus viſus, ut ſub certo oculi ſitu objecta, & quidem tantum dimidiata facie, conſpicere poſſet, ceterum optime valeret, ingreſſa haud ita pridem matrimonium.

Epicriſis.

Semper ſuſpectum in variolis & morbillis, quando ægri diu ante eruptionem male habent & de doloribus artuum, vel certam partem pertinacius infeſtantibus conqueruntur. Heic ſucceſſit morbillis evaneſcentibus purpura, tam rubra, quam alba. Aut igitur duplex ſpecificæ indolis materia impura intus delituit, quæ non ſimul critico motu, ſed definito & ſucceſſivo fuit expulſa. Aut purpuræ materia forſan per ipſum febrilem in morbillis ſanguinis motum de novo fuit progenita. Dein nunquam etiam non ſuſpectum, ſi gravis capitis & oculorum dolor, alias facta eruptione ceſſans, per totum morbum durat: grave enim ut plurimum capitis vitium relinquere ſolet; in hac guttam ſerenam. Quæ quidem inſanabile ſemper fere vitium, in infantibus tamen & tenerioris texturæ puellis, accedente menſtrua purgatione, & immutata per hanc totius corporis, quoad ſolida & fluida, natura, diſcutitur iterum, præſertim ſi natura ſanationem moliens arte juvetur.

Observatio II.

Morbilli retrocedentes alvi fluxu ſoluti.

Juvenis cholericæ & ſiccæ conſtitutionis, qui per aliquot annos in academia plus Veneri & Baccho, quam Muſis litarat, commovebatur aliquando vehementi ira, die poſt afficiebatur æſtu inſigni cum languore artuum & dorſi dolore, noctem tranſigebat inſomnem & tuſſi exercebatur valida, quæ ferina plane fiebat, & comites habebat anxietates & cardialgias. Datis ardorem nimium temperantibus, poſt tertium diem comparebant maculæ numeroſiſſimæ intra XXIV. horarum ſpatium univerſum corporis ambitum occupantes. Mirum autem inquietus erat æger & impatiens, corpus jactitabat, tantum temperatum etiam lecti calorem reſpuebat, & admiſſa ſubinde aura frigidiori, ut maculæ omnes brevi iterum evaneſcerent, faciebat. Obortiebantur hinc anxietates cum magna inquietudine & ſiti inexhauſta, ut intra diem & noctem quatuor minimum ptiſanæ & emulſionis amygdalatæ epotaret menſuras. Porrigebatur quidem ad revocandam extus materiam lene diaphoreticum, ſed propter ægri impatientiam & jectigationem nihil proficiebat, ſitis potius reddebatur intenſior, ut vix poſſet extingui, & æger vel ſeptem menſuras liquidorum abſumeret. Inde incidebat in alvi fluxum & vel decies intra diem dejiciebat, urina etiam effuſe fluebat, ægro tamen de interno ardore, ſiti & anxietate conquerente largiſſimeque potum ingurgitante. Fluebat ſic alvus per quinque dies, calidus potus cum medicamentis ſpernebatur, neque maculæ amplius comparebant. Nihilo minus ſymptomata ſenſim mitiora fiebant, æger melius habebat, & præter ſpem intra XIV. dies convaleſcebat.

Epicriſis.

Singularis plane hic eſt caſus largi alvi fluxus, quo morbillorum morbus & quidem retrocedentium, ſolutus. Jam quidem nullum eſt dubium, quin materia morbillorum ſit cauſticæ & inflammatoriæ indolis, quæ exitu præcluſo intus retenta, vel expulſa retroceſſit, firmiuſque nervoſis partibus impacta eſt, graves, immo exitiales, efficere poſſit affectiones. In noſtro ægro inſedit utique ori, faucibus, ventriculi & inteſtinorum tunicis, ac ſitim & ardorem cum leniori inflammatione ibi concitavit. Liquidorum vero & quidem accommodatorum copioſo potu, cauſtica materia, tam intra tunicas hærens, quam in ſuccis hoſpitans, mitigata atque correcta fuit, & proritatus alvi fluxus, quo impuri ex univerſo corpore ſucci eo confluxerunt & evacuati ſunt. Ego quippe crebrius obſervavi, in variolis & morbillis, ob impuros & redundantes corporis ſuccos, malum genium exhibentibus, ſponte obortum alvi profluvium, non modo ſine periculo, ſed & admodum ſalutare fuiſſe. Neque etiam facile in periculi plenis morbis deſperare debet medicus, licet ægri magnam potus copiam appetant, modo per alvum, urinam & ſudorem iterum emittatur. Plures enim ſine, quam cum liquidorum appetentia, occumbunt.

Observatio III.

Poſt morbillos alvi fluxus, ulcus & mors.

Infans decennis, feliciter, ut videbatur, ſuperarat morbillos, ſed tamen ea reſtitabat alvi laxitas, ut quævis aſſumta citiſſime per inferiora tranſirent, aderantque præterea tormina ventris cum dolore pedum, qui tactu ſemper erant frigidi. Ad compeſcendum hunc fluxum, medicus minus peritus porrexit pulverem ex radice tormentillæ, terra de catechu & unicornu foſſili, cum pauxillo laudani opiati. Inde enim alvus quidem conſtitit, ſed acerbiſſimus dolor occupavit tibiam ſiniſtram in malleolo, quem mox tumor excepit durus & renitens, qui tandem ſuppuratus & apertus ſanguinem cum copioſo ichore fudit. Succeſſit poſtea ſerpens ulcus, totum ferme pedem depaſcens, cui febris cum tuſſi & difficili reſpiratione ſupervenit, quumque ob nimium pectoris infarctum infans non libere ſpirare poſſet, ſuffocativo demum catarrho fuit extinctus.

Epicriſis.

Sæpius notavi, in infantibus alvum per totum variolarum & morbillorum morbum, & etiam poſt eum, ſine periculo fluxiſſe. Neque alia utilia deprehendi, quam diaphoretica fixa, ut cornu cervi philoſophice præparatum, uſtum, antimonium diaphoreticum, lapides cancrorum, ſuccinum præparatum, quibus pauxillum corticis chaccarillæ admixtum. In uſum quoque vocavi juſcula ex carnibus cum oſſibus con-

contuſis, item cornu cervi parata, adjecta ſemper olei amygdalarum dulcium recentiſſimi portione quadam. Neque minus clyſteres emollientes, ex decocto raparum exſiccatarum una cum butyro inſulſo, admodum fuerunt proficui, qui omnium optime acredinem humorum, coli membranis potiſſimum in ejuſmodi diarrhœis inſidentem, contemperant ac mulcent. Contra ea periculoſum omnino, alvi hunc fluxum adſtringentibus ſiſtere. Sic enim materia acris cauſtica, intus remanens & ſuccis reddita, ad alia ſæpius loca relegatur, ubi poſtea atrocia ciet mala.

Observatio IV.

Emeticum in morbillis proficuum.

Lactans infans unius anni incidit in calorem præternaturalem, cum pavore in ſomno & vomitu. Die ſecundo eruperunt morbilli numeroſi, ſed aſperi & cutem quaſi ſtringentes. Die quarto acceſſit ſumma reſpirandi difficultas & pectoris anguſtia cum anxietate, inquietudine, vigilia & pavoribus. Dedi ſextam partem grani tartari emetici, cum drachmis duabus aquæ florum tiliæ & quatuor guttis eſſentiæ caſtorei. Hinc quinquies dejecit infans viridiſſimam inſtar glutinis materiam, eoque facto vigor acceſſit toti corpori, reſpiratio facta liberior & morbilli rubore perfuſi magis. Oblata poſtea ad calorem temperandum gelatina cornu cervi in tenui decocto hordei, & feliciter evaſit tenellus.

Epicriſis.

Colluvies vitioſorum humorum in ventriculo, morbillorum proceſſum turbare & gravia ſymptomata iis adjicere poteſt utique. Omnia enim quæ circa quartum diem, quo alias morbus remiſſior, hoc in infante præſto fuerunt pathemata, non ex morbillis, ſed cruditatibus acido-viſcido-bilioſis prima in regione ſtagnantibus atque corruptis, ortum traxerunt. Hinc exterminatis iis per leniſſimum emeticum, ſymptomata non modo protinus conquieverunt, ſed & ipſa natura gravi onere levata, eo felicius ipſi potuit ſuccurrere morbo. Quin patet, nec quarto & critico die, ejuſmodi in caſibus leniora & prudenter exhibita evacuantia nocere, inter quæ emetica, in infantibus præſertim lactantibus, merito primas tenent.

Observatio V.

Morbilli cum hæmorrhagia lethales.

Puer undecim annorum, rubicundus facie, ingenio alacris, ſanguine plenus & conſtitutionis calidæ, correptus eſt immani æſtu, dorſi capitiſque dolore, datis tamen temperantibus nitroſis pulveribus, altero die habuit meliuſcule. Tertio autem rediit urens æſtus & quarto die ſequutum narium ſtillicidium. Hoc quinto remiſit, ſexto vero effuſius reverſum. A ſeptimo ad decimum mitiora erant ſymptomata & ſanguinis fluxus ſiluit, erumpentibus paſſim morbillorum maculis. Sed breves induciæ. Undecimo quippe die, rurſus copioſa è naribus facta hæmorrhagia & maculæ evanuerunt. Duodecimo largius adhuc fluxit ſanguis, ita ut vires mirum corruerent & æſtus internus invaleſceret. Decimo tertio die mitiora pathemata iterum, die autem poſt cum hæmorrhagia recruduerunt, donec conſumtis prorſus viribus, decimo quinto die æger efflaret animam.

Epicriſis.

In variolis & morbillis deterioris ſemper notæ ſymptoma eſt, effuſior ſanguinis, per quæcunque loca, fluxus. Indicat enim vehementes ſpaſticas internarum partium, præſertim viſcerum abdominis, ſtricturas, quibus inæqualis redditur ſanguinis progreſſus & ex uno loco in alterum cum impetu urgetur. Per nimiam etiam profuſionem virium inducitur jactura, & minimorum ad extima excurrentium canalium, per quos in cute eruptio fieri debet, exinanitio & ſubſidentia. Unde materia cauſtica retenta, novos ciet ſpaſmos novaſque hæmorrhagias ac demum funeſti eventus fit cauſa. Magnæ itaque prudentiæ eſt, hæmorrhagias in morbis, quorum materia per cutem excernenda, moderari perite, ne deficiat expulſionis facultas. Ego quidem tum commendare ſoleo, ut omne frigus & frigidus potus vitetur, & partes extremæ, manus & pedes, quæ ordinario frigidæ exiſtunt & contremiſcunt, calore bene foveantur & vel lecto probe obtegantur, vel etiam aquæ calido vino mixtæ immergantur, quo revulſio ſanguinis à capite fiat, ſimulque ſpaſtica fibrarum contractio laxetur. Dein eo quam maxime annitendum, quo cauſtica materia foras mittatur, eumque in finem danda diaphoretica cum temperantibus, cujus generis hæc mixtura: recipe aquæ cardui benedicti, florem ſambuci ana uncias duas, theriacalis unciam ſemis, diaſcordii Fracaſtorii, antimonii diaphoretici, nitri ana drachmam dimidiam, mixturæ ſimplicis guttas XX. ſyrupi acetoſitatis citri drachmas duas. M. D. de qua bina, binis quibuſvis horis, cochlearia ſumenda, ſuperbibendo ſemper calidum hauſtum. Et ſi præterea æſtus junctus nimius, interponendus eſt pulvis bezoardicus nitroſus.

Observatio VI.

Morbilli retrocedentes funeſti.

Vir generoſus, macilentus & fibroſæ corporis ſtructuræ, triginta ſex annos habens, aulico miniſterio fungens, ab aliquot jam annis, vini potui liberaliter indulſerat & ſæpe inter potatores egerat tantum non heroem. Incidit is in morbillorum, aulicis tum familiarem & ab ipſo nondum ſuperatum morbum, ſub quo ipſum præter immoderatum æſtum & inquietudinem, violenta tuſſis & ſummæ anxietates præcordiorum, noctu æque ac interdiu afflixerunt, corpore à principio ſtatim ſudore diffluente. Medicus aulæ ordinarius in conſilium vocatus, quatuor quibusvis horis, triginta guttas eſſentiæ alexipharmacæ admodum calidæ porrexit, & ad ſitim extinguendam liberalem potum cereviſiæ valde ſpirituoſæ conceſſit. Interim expulſis maculis anxietates remiſerunt & ſpiritus liberior meavit. Quum autem induſium ſudore totum madeſcens & frigidum mutaturus, à miniſtro imperito recens minuſque calefactum acciperet, illico omnes omnino quibus corpus confertim obſeſſum maculæ diſparuerunt. Inde tanta ſequuta inquietudo, anxietas cum virium jactura, ut omnibus morti videretur proximus. Ego tum temporis præſens accerſitus exhibui illico pulverem meum bezoardicum cinnabarinum cum aqua analeptica, nec non liquorem anodynum mineralem cum tinctura antimonii temperata & aliquot guttulis ſpiritus Buſſiani; quibus paullo poſt & ſudor & maculæ redierunt, æger melius habuit & pulſus antea inæqualis, celer & debilis, plenior ac æqua-

lis

lis redditus. Sed septimo die, quum sudor effusius adhuc manaret & æger in alium lectum ob madorem se conferret, rursus cuncta evanuerunt exanthemata, extrema frigida facta, accessit anxietas maxima & spiratio difficillima, pulsus etiam contractus & parvus redditus, & brevi post, præcedente rigore & convulsione artuum, est extinctus.

Epicrisis.

Morbilli, non secus ac alii morbi exanthematici, sequuntur maxime constitutionem solidarum & fluidarum partium corporis ægrotantis, adeo, ut quo intemperatior hæc, eo pejoris indolis sit ille. Potissimum, de vini potui deditis, crebriori confirmatum habeo experientia, quod raro ex febribus exanthematicis evadant, eo quod febrilis illa intestina partium sanguinis commotio, in plenariam tandem dissolutionem abit, cujus index largissimus sudor cum insigni virium lapsu. Medicus igitur, calida essentia, quæ æstum magis accendit, nocuit potius, quam profuit. Si quoque dissolutorius talis humorum vitalium est status, levis etiam in rebus externis error, uti refrigeratio, linteaminum mutatio, situs erectus, immedicabilem possunt inducere noxam. Et quo languidiores sunt in exanthematicis vires, eo plus semper metuenda retrocessio materiæ exanthematicæ, qua vitæ nihil est infensius.

Observatio VII.

Morbilli in refrigerantium nitrosorum usu letales.

Puelli tres, unus sex, alter quinque & tertius trium annorum, filii viri perillustris Sereniſſimo Duci in Saxonia inferiori à consiliis, corripiebantur successive morbillis. Commendatione generosæ fœminæ in consilium vocabatur novellus Medicinæ Doctor, qui intempestivo nitri amore à præceptoribus imbutus, larga & repetita dosi, præter pulveres refrigerantes nitrosos, exhibebat nihil. Inde retardabatur macularum eruptio, spiratio fiebat angusta & difficilis, tussis continua sine screatu, accedebat asthma intensum & intra septem dies, tres pueri occumbebant, cum ingenti parentum luctu.

Epicrisis.

Non ex unius, sed plurium fide dignorum relatione, de tragico hoc casu certior sum factus. Crebrior ac liberalis refrigerantium nitrosorum usus utique taxandus est. Nam licet nitrum purum merito principem teneat locum inter ea præsidia, quæ æstum extinguunt, & spasticas commotiones componunt, & ego etiam jam ante quadraginta annos eodem frequentius usus fuerim, quin forsan primus, testantibus id variis scriptis, tum dissertationibus, tum *notis ad Poterium*, salubrem nitri facultatem perspexerim & exposuerim; nihilo tamen secius usus ipsius, haud secus ac aliorum magnæ virtutis remediorum, peritum ac prudentem exigit medicum, & ex ejus abusu, ab iis, qui medicinam rationalem nec callent, nec exercent, damna inducta novi, & plura, & gravia. Certe, in morbis exanthematicis, ubi non nimius urget æstus, in febribus catarrhalibus, item malignis, in quibus humorum potius corruptio, quam exæstuatio metuenda, in corporibus maxime humidioribus & infantilibus, omni modo à liberali nitri usu abstinendum. Ob nimiam enim refrigerationem remanet intus foras excernenda infensæ indolis materia, atque ut putredinosa dissolutoria humorum corruptio magis augeatur, facit. Et quum materia morbillorum maxime infensæ hujus sit indolis, ut firmiter insideat nervis pneumonicis & tunicis pulmonum nervosis; nullum omnino est dubium, quin in his puellis non emota, ibi impacta hæserit & suffocatorias humorum stases suscitarit. Cæterum hoc loco monendum duxi, me in infantibus, quando morbilli prodire noluerunt ipsorumque materia altius insidens pulmonum bronchiis suffocativum intentavit catarrhum, insigni cum fructu usum esse vesicatorio, quo sopiti canalium ad expulsionem necessarii motus, quam optime resuscitantur.

Observatio VIII.

Morbilli in hypochondriaca sanati.

Comes illustrissimus, viginti annorum, cholerico-sanguineus, nondum venæ sectionem passus & pathemathibus spastico-hypochondriacis, cum stomachi inflatione & crebriori post cibum vomitu, obnoxius, grassantibus epidemice morbillis, languere cœpit & conqueri de anxietate præcordiorum, dolore capitis, dorsi ac pedum, tussi sicca, interno æstu, intercurrente horripilatione, cute arida & sicca. Tertio die comparuerunt in fronte stigmata rubicunda nonnulla, pathemata tamen noluerunt remittere, nec plures etiam postero die efflorescere maculæ, pulsu interim pleno cum celeritate vibrante. Vena in pede pertusa, sanguis cum impetu exiliit floridus, variegatam post refrigerationem contrahens cuticulam, & inde illico anxietates & vehementes capitis dolores remiserunt. Quin licet primum stigmata in fronte disparere viderentur & pulsus admodum celer cum duritie micaret, æger etiam noctem insomnem fere ob æstum & compunctorium in cute sensum duceret; mane tamen in conspectum venerunt in facie & pectore maculæ morbillorum, pallidiores initio, successive autem magis rubentes & reliquas quoque corporis partes confertim occupantes. Discessit hoc facto capitis, dorsi & pedum dolor, cum pectoris angustia, tussi & interno calore, ac æger melius habuit, conquestus tantum de molesto pruritu ardente & tensione cutis. Potissimum vero ipsum excruciavit oculorum ardens dolor cum rubore adnatæ & illacrymatione, ita ut lucem ferre non posset & noctu palpebræ conglutinarentur. Nono die obortus sudor largus, decimo etiam manans & acidum fœtidum odorem spirans. Undecimo intra nycthymeron sexies dejecit sine torminibus sponte & maculæ ruborem sensim exuerunt, decimo tertio die penitus discussæ, subsequente cutis desquamatione & sanitate.

Epicrisis.

Quum in iis, qui spasticis hypochondriacis detinentur pathematibus, nunquam non major succorum impuritas & acrimonia esse soleat; huic etiam illustrissimo ægro ejusdem constitutionis ea fere unice exhibita sunt, quæ demulcent ac temperant, pulveres nempe temperantes & diaphoretici, leniter nitrosi, emulsiones, exoptato cum successu. Venæ sectionem autem, quum pulsus admodum plenus & vasa turgida essent, eruptio quoque retardaretur, necessariam duxi, crebriori experientia edoctus, sanguine nimium redundante, difficillime, eodemque subtracto, promtissime succedere materiæ exanthematicæ expulsionem. Insolitus vero ille oculorum ardor, rubor

bor & fluxus ſeroſus, tribuendus utique eſt eorum debilitati in pueritia jam ex crebrioribus & diuturnis acribus defluxionibus contractæ. In quibuſvis enim fere morbis ſolenne eſt, ut partes ex prægreſſo morbo debilitatæ, præ reliquis graviter afficiantur, ob decubitum humorum promtius ibi contingentem.

CAPUT IX.

De Febre Purpurata rubra & alba miliari.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Purpura deſcriptio.

FEbris purpurata eſt catarrhali æmula, exanthematica, qua motu ſyſtematis tam vaſculoſi, quam nervoſi intenſiori, materia lymphatica corrupta, ſpecificæ indolis, ex interioribus, maxime nervoſis partibus, ad ſummam cutem, ceu conveniens emunctorium, ſub forma puſtularum minimarum miliarium, aſperarum, rubrarum vel albarum, ſalutariter protruditur.

§. II.

Materia exanthematum differt.

Jam omnis quidem materia exanthematica in eo convenit, quod acrimonia ſua nervos male afficiat ac in æſtuoſum intenſiorem motum univerſum genus vaſorum & ſenſilium partium exſtimulet, eoque tandem exterminetur. Attamen ſicuti acrimonia cauſtica in vegetabilium & mineralium venenis peculiarem obtinet indolem, & ob id peculiaria cuivis ſpeciei propria ſuſcitat pathemata: ita etiam ſingularem & ſpecificam cuivis exanthematicæ materiæ eſſe naturam, non tam à priori, quam potius à poſteriori, effectibus & phænomenis obviis, innoteſcit. Scilicet in petechiis, variolis, morbillis, febre urticata, ſcarlatina, roſſaliis, rubeolis, maculis ſcorbuticis, ſcabie, herpete, phlyctænis, epinyctidibus, gutta roſacea, impetigine & ſudaminibus, ſubeſt ſemper acris quædam materia, quæ modo cum, modo ſine febre, per cutis emunctorium proſcribitur, ſed unumquodque ex his exanthema peculiaribus incedit ſymptomatibus, de quibus ſingulis ſuo loco ſeorſim.

§. III.

Quibus purpura ab aliis differat.

Nunc quomodo ab aliis exanthematicis morbis purpuraceus differat, exponendum duntaxat. Hi autem ipſius ſunt characteres. Effloreſcunt puſtulæ minimæ ſemen milii amplitudine æquantes, numeroſiſſimæ, cum corrugatione, aſpritudine & ariditate cutis & ſpargunt fœtorem peculiarem plane. Nullum aliud exanthema tam inſtabile, crebro ac celeriter retrocedens, iterumque comparens, ac purpuraceum: nec ullum etiam, tam crebro intercurrente mox pruritu & punctura, ſtipatum. Alia exanthemata omnibus æque regionibus incumbunt, & nobiliorem æque ac ſequiorem ſexum infeſtant, purpura autem in certis tantum locis familiaris & quaſi endemia, ac præterea fœminas magis quam viros, maximeque puerperas, corripit. Alia magis epidemica ſunt, contagioſa & ſequuntur conſtitutionem aëris, ſed purpura magis ex vitio viſcerum & ſuccorum quam aëris aboritur, nec epidemica eſt, nec adeo contagioſa.

§. IV.

Rubra vel alba.

Ipſa dein purpura inter ſe differt & definite à medicis in rubram & albam diſpeſcitur. Utraque magis, vel minus acuta, benigna, vel maligna. Rubra ob puſtulas rubicundas ita dicitur, ac ut plurimum minus periculoſa, febris expers & chronica eſt, ut non modo diutius corpori inhæreſcat, ſed & ſæpius ſtatis anni temporibus redeat, de qua inferius ſigillatim. Interdum tamen etiam febre ſtipatur & acutæ indolis eſſe obſervatur. Alba vero magis acuta eſt, nec facile ſine febre occurrit, ideoque plus alit periculi. Hæc etiam non tam facile redit ac rubra, puerperasque magis & fœminas juniores, teneriores ſeroſas corripit, quam rubra, quæ adultioribus potius, ſuccis & ſanguine fartis ipſiſque viris familiarior eſt.

§. V.

Idiopathica, vel ſymptomatica acuta in fine.

Nonnunquam purpura idiopathica eſt, nonnunquam ſymptomatica, & aliis, maxime continuis febribus, ad exitum vergentibus, ſupervenit. Admodum enim familiare eſt, quod purpura rubra, vel alba, vel utraque ſimul, variolis, morbillis, ſynochis putridis, ardentibus quoque & petechizantibus aliiſque epidemicis, in declinatione accedat, novam febrem accendat, & ægrum, fractis & priori morbo viribus, jugulet. Id quod potiſſimum evenire ſolet in iis, qui intemperantius vixerunt, largiori & quotidiano potui indulſerunt, veneris nimio exercitio vires conſumſerunt, & peregrinam ſuccis induxerunt diatheſin; nec non iis, in quibus ſub morbi decurſu alvus diutius clauſa, aut inconſulta medicatione refrigerantia & julapia nimis liberaliter ſunt uſurpata. Quandoque etiam in acutis *principi* febribus, maximeque variolis & morbillis, primis ſtatim diebus, cum cutis aſpredine apparet purpuracei quippiam, rariſſime pariter cum felici morbi eventu. Neque minus catarrhalibus *nec non tarrhalibus accidens.* febribus, cum tuſſi & ſpirandi anguſtia, ſubinde in infantibus ſeſe aſſociat purpura, vomitu, vel etiam alvi fluxu ſtipata; quam, ſi inclinat morbus, pedum & quandoque abdominis intumeſcentia, cum, vel ſine aridura ſuperiorum partium, excipit, donec tandem ſudoribus, vel ſpontaneis, vel arte prolectis, ex toto cedat.

§. VI.

Idiopathicæ purpuræ hiſtoria.

Idiopathica autem purpura his potiſſimum incedit ſymptomatibus. Præcedit levis horripilatio, quam ſubſequitur corporis exæſtuatio, cum ingenti languore viriumque interdum ad lipothymiam uſque dejectione. Præcordia ſtringuntur, pectus angitur, adſunt alta ſuſpiria, inquietudines, vigiliæ, vel ſomnus minimum laborioſus & interturbatus. Aeſtus compunctorius in dorſo ſenſus percipitur, alternante frigoris, horroris & caloris intra cutem affectione, in vola manuum maxime ſenſili. In puerperis lochiorum fluxus retinetur & lac è mammis reſorbetur ac ſtillare ceſſat. His ſuccedit cutis aſperitas & inſtar anſerinæ corrugatio, exſurgentibus innumeris puſtulis, ſive albis, ſive rubris, ſive utriſque ſibi invicem appoſitis, milii ſemen figura & exiguitate referentibus, quæ primum collum, deinde pectus & dorſum ac poſtea brachia & manus occupant. His in ſumma cute effloreſcentibus, graviora antea pathemata mitigantur, pulſus durior prius, contractior & celerior, mollius, liberius & remiſſius undulat, animo vigor dejectus redit, arida cutis madeſcit, & alvus ante hac compreſſa tam firmiter, ut nec flatibus tranſitus pateret, laxatur, & non ſolum hos, ſed & nonnunquam ſtercora,

ſtercora, ſponte protrudit. Poſtea veſiculæ ſenſim ſenſimque explicantur ichore fœtido plenæ, urina magis ſaturata prodit, & ſudor ſingularis huic exanthemati proprii fœtoris erumpit, ſanguinis per lochia fluxus repetit, & intra ſeptem vel plurium adhuc dierum decurſum, cum inſigni extremorum pruritu, puſtulæ diſparent, areſcunt, ſquamularum inſtar decidunt, & æger ſenſim vires recipiens, ad priſtinam redit ſanitatem.

§. VII.

Purpuræ materia corruptus in corpore ſuccus.

Materia porro, quæ exanthematicum hunc morbum proxime facit, ex pravo & corrupto in corpore eſt ſucco; ita tamen, ut, quum duplex ſit purpuræ genus, duplex hic etiam ſit aſſerendus. Jam uti in macrocoſmo, ſic etiam in microcoſmo, duplex datur liquidorum corruptio, una acido-vappida, paullo fixioris indolis, altera ſulphurea fœtida, indolis magis alcalinæ atque volatilis. Illa cadit in ſuccos, qui ſalino & ſulphureo elemento minus inſtructi ſunt, potiſſimumque in pellucidum, inſipidum illum gelatinoſum lymphaticum humorem; hæc autem in ſanguinem & ſuccos, qui copioſa ſulphurea & ſalina ſubſtantia ſcatent, inter quos quam maxime connumerandus, ille, qui ſanguini admixtus, ſpiſſior tantiſper variique coloris eſt atque ſaporis, ſerum dictus. Hunc igitur corruptum purpuræ rubræ, illum vero albæ & miliaris cauſam eſſe, cenſemus.

§. VIII.

Alba lympha acido-vappida.

Lympham enim alba in purpura acore eſſe infectam, evincunt plura. Nimirum ſolennis & tantum non eſſentialis huic exanthemati eſt nimia ſeri ſeceſſio, per ſudores effuſos, urinas copioſas tenues, ſalivationes quandoque, quandoque dejectiones aquoſas. Acidi autem is effectus, ut ſanguini inſinuatum, partes ejus craſſiores in coagulum mittat, ſeroſis ſeceſſum facientibus. Dein omnis generis acida & refrigerantia, ipſum quin nitrum, largius ſumpta nocentiſſima; quæ viciſſim acidum obtundunt & ſanguini ac lymphæ blandam ſpirituaſcentiam conciliant, ſaluberrima. Fœminis porro quæ horæis fructibus, acetariis, dulcibus, farinaceis, aceſcentibus, ſub otioſa & ſedentaria vita delectantur, frequens quam maxime in puerperio febris miliaris. Ne dicam, multos illos ſanguinis grumos, quos in vaſis majoribus & thalamis cordis invenerunt, qui purpura alba defunctos diſſecuerunt, luculenter arguere, præſto fuiſſe acidum coagulans.

§. IX.

Rubra cum acre ſalino-ſulphureum.

In rubra purpura ſubeſſe viciſſim ſerum acre ſalino-ſulphureum, teſtatur pruritus & ardor cutis, in hac longe impenſior, ac in alba. Idem ex eo pateſcit, quod rubrum hoc exanthema, maxime eos invadere ſoleat, qui ſanguinis impuri copiam alunt, ſcorbuticis, ſenibus, fœminis, quæ menſtrui, & viris, qui hæmorrhoidum defectu laborant, diæta ſalſa, vinoſa, cereviſiis craſſioribus & tabaci fumo delectantur, prætereaque laxiori corporis habitu præditi, vitam agunt motus expertem. Quod porro ſordes acres ſeroſæ, per cutis poros eliminandæ, ab aura frigidiori, à potu nimis perfrigerato, corpori ſudanti ingeſto, aut repentino terrore, ad interiora repreſſæ, frequentiſſime talem morbum inducant exanthematicum. Quod etiam medicamenta, quæ ſalium ſpicula involvunt, item temperantia, rubram purpuram egregie protelent; calefacientia autem & volatilia, nec non æſtuoſum regimen, eodem modo ac in ſcabie aliiſque cutis deſœdationibus, ex prava, acri & ſalſa humorum diatheſi oriundis, doloris, ardoris & pruritus faciant augmentum.

§. X.

Cauſæ procatarcticæ & ſubjectæ.

Omnia igitur, quæ ſuccorum & abundantiam & impuritatem ingignunt, ad generationem purpurati mali concurrunt remotius. Evenit autem hoc in iis, qui lauto & pollucibili victu, nonniſi leves cibos, farinacea, placentas, dulcia, fermenteſcibilia & horæos fructus admittente, item qui potu parco, craſſo & aqua quoque impura & ſqualida utuntur; qui in aëre degunt inſalubri, minus puro, ſed vappido, multiſque ſordidis & putridis halitibus referto atque corrupto; quo purpuram ſubinde generari, maligniorem fieri, epidemiam quandoque, nonnullis etiam locis magis familiarem, certisque anni temporibus, Martio inprimis atque Aprili frequentiorem, experientia docet. Frequens porro purpuræ geneſis in iis, qui alvum gerunt ſtrictiorem, qui perſpirationem incurioſius habent; quibus criticæ ſuppreſſæ, aut conſuetæ ſanguinis evacuationes omiſſæ, quibus viciſſim largius ſanguis effluxit, vel ſubtractus, cum virium defectu, qui animo crebrius jactantur, mœrori inprimis ac diuturnæ ſolicitudini indulgent, qui vigiliis & impenſioribus meditationibus robur atterunt, qui demum vitam ducunt otioſam motuſque expertem. Neque minus præ aliis huic morbo patent, qui laxiorem corporis habitum & temperamentum ſic dictum ſanguineum, vel phlegmaticum obtinent, ætate magis infantibus, quam adultis, ſenibus quam floridis, ſexu, magis fœminis, quam viris. Ex fœminis, non tam plebeiis & minus delicatis, quam potius teneris ac nobilioribus, fluore albo ante affectis & omnium maxime puerperis.

§. XI.

Cur puerperes infeſta purpura alba maxime & maligna?

His autem quod adeo infeſta ſit purpura, & quidem alba, plerumque maligna, ob peculiares quaſdam fit cauſas. Videlicet fœminarum plurimæ redundantius in corpore alunt lymphaticos & aquoſos humores, adeoque acidæ potius patent humorum vappeſcentiæ, quam ſalino-ſulphureæ corruptioni, & ob id purpuram potiſſimum nanciſcuntur albam. In gravidarum dein utero, ſanguinis tam progreſſus, quam regreſſus, ob nimium eo appulſum & vaſorum diſtenſionem, valde languidus eſt ac tardus. Hinc ſubſiſtente ibi diutius ſanguine, lymphaticus humor in vaſa ipſi vehendo dicata, magna copia ſecedit. In quorum diverticulis quaſi incarceratus hærens, longiori mora vappeſcit, corrumpitur & acorem contrahit, avolantibus quæ mixtionem conſervant ſpirituoſis & ſubtilioribus particulis. Quandocunque igitur enixo fœtu, uterus concidit iterum, neque ſqualidus lymphaticus humor cum ſanguine fœculento lochiali ſufficienter expurgatur, accedente ordinario tertio puerperii die, motu febrili, Germanis *das Milch-Fieber*, in vaſa majora is reprimitur ipſique cordi infunditur, ex quo maligni inſtar fermenti per corpus diffunditur totamque ſanguinis & lymphæ maſſam inquinans, vires dejicit, vigorem animi peſſundat, anxietates, pectoris compreſſiones, ſuſpiria, cordis tremores cum ſpiritus difficultate facit, ſudores colliquativos mucidos, corruptum acorem redolentes, non nunquam plane frigidos, ſuſcitat, ſomnum arcet, donec vel brevi poſt, die tertio aut quarto à puerperio, interdum ſeptimo, quandoque etiam decimo quarto demum

die,

die, in conſpectum prodeat album hoc exanthema.

§. XII.

Origo ipſius recens unde?

Sed quum enumeratæ hactenus purpuræ cauſæ, præſto fuerunt jam pridem omnes; diſquirendum merito: cur ante aliquot demum luſtra prodierit & ſubinde latius ſerpat? Jam vero ex iis, quæ ſuccis vitalibus materiam, temperiem & intemperiem largiuntur, nihil novimus immutatum, præter frequentiſſimum factum potuum calidorum, herbæ thée inprimis & fabarum coffée, uſum. Experientia etiam docuit, non plebeios & inopes, qui victu ſimplici & potu ſueto utuntur, ſed honoratiores, opulentos, qui laute vivunt & potum calidum in deliciis habent, purpura potiſſimum infeſtari, & in locis ubi mos invaluit liberalius ejuſmodi potum ſorbillandi, purpuram etiam plus regnare & propagari, quam in aliis: in hunc igitur culpam eſſe rejiciendam admodum credidile. Non jam dicam, fabas coffée exoticas, peregrini quippiam noſtri mixtioni ſanguinis minus congruum cuſtodire, ſub aduſtione aliquid ſulphuris empyreumatici nervoſis partibus minus amici ſuſcipere, ac præterea ſaccharum cum decocto hoc aſſumtum copioſius fermenteſcere & cruditates mucoſas, acidas, augere. Id potius minimum pro certo habendum, calidum potum ſordes inteſtinorum & ſalia ſcorbutica acria per urinam evehenda in ſanguinem agere & una cum hoc ad cutis emunctorium pellere, ubi non ut ſudoris materia promte diffiari poſſunt, ſed obhæreſcunt maculaſque ſive puſtulas protrudunt; inprimis quum poſt ejuſmodi calidum potum perſpiratio non ſecundatur, ſed conceſſione in frigidam auram ſufflaminatur. Ut adeo neutiquam mirandum ſit, quod ſub inconſueto alias, jam vero communi abuſu frequentiſſime & ſtatim poſt cibum aſſumti potus calidi, ipſa naturalis mixtio & craſis partium ſanguinem conſtituentium multum immuterur & nova plane ac alia ingignatur, qua in utero cum ſanguine materno in fœtum transfuſa, ipſius purpurati morbi ſemina, & ad illum diſpoſitio jam latius propagentur; uti quidem pluribus docui in diſſertatione *de purpuræ genuina origine, indole & curatione.*

§. XIII.

Purpuræ quando periculoſæ.

Cæterum purpuram albam periculoſiorem eſſe rubra jam diximus. Prognoſis vero de ſucceſſu & eventu hujus morbi ex diſpoſitione corporis laborantis potiſſimum deſumenda. Aegrius quippe ſaneſcit magiſque anceps eſt omnis purpura, quæ cadit in corpus impuris ſuccis fartum. Hinc viri quibus hæmorrhoides & fœminæ, quibus menſes reſtitant, parcius fluunt, aut plane ob ætatis rationem emanent, nec non quibus lochia ſuppreſſa, gravius ſemper & diutius hoc morbo decumbunt. Hinc gravidæ, quæ alvi adſtrictioris & ſub ſedentario vitæ genere, neque medio geſtationis tempore, neque ultimis menſibus ſanguinem redundantem mittunt, in puerperio majorem purpuræ experiuntur vehementiam. Dein majus etiam ſemper diſcrimen in imbecillitate, ſive natura, ſive ex morbo, ſive alia ex cauſa affectis, omnium vero maxime in iis, qui per crebriores animi commotiones, diuturnam inprimis mœſtitiam, genus nervorum reddiderunt debile & ad ſpaſticos anomalos motus concipiendos proclive. Neque minus plus metuenda, quæ ſub aëris conſtitutione inſalubri, febres malignas, perechiales paſſim ingignente, impetit.

§. XIV.

Signa ſuſpecta.

Inter ſuſpecta vero in purpura ſigna connumeranda hæc. Quando exanthematibus ſufficienter expulſis, pulſus præter naturam durus & auctus manet, ſomnus nullus, inquietudo magna & ſpiritus difficilis. Quando ſtatim ſub initium & per totum morbi decurſum ſudores effuſius manant, urinæ pallidæ copioſæ redduntur, vel continuus ad mingendum ſtimulus, vel etiam urina craſſa antea & tincta, ſubito limpida, tenuis & pallida prodit, nec non quando alvus cum torminibus fluxa nimis, inprimis in puerperis. Mali *Mala* præſagii eſt, ſi puſtulæ purpuraceæ modo comparent, modo evaneſcunt & ſymptomata vehementia ſemper eadem infeſtant. Pejus adhuc, ſi materia relapſa interioribus firmius inhæreſcit omnique expulſioni obſiſtit, hincque pectoris cum ſuſpiriis oppreſſio intenditur, fauces ſtringuntur, virium proſtratio increſcit & præcordiorum anxietas cum inquietudine augetur. Funeſta demum indicia, quum hærente intus deleteria materia, interiora ardent & extrema frigent ac rigent ſimulque copioſo frigido ſudore perfunduntur; aut viciſſim quando extrema æſtuant & in abdomine frigoris ſenſus percipitur notabilis. Hæc enim ubi præſto ſunt, æger ut plurimum lipothymia occumbit lethali, ob inflammationem & ſphacelationem, quæ ventriculum, inteſtina, cerebrum, vel in puerperis ipſum uterum, affecit. *& funeſ*

PRÆSERVATIO ET CURATIO.

§. I.

Metho. præſer. di pur.

Nullus quidem morbus tam ægre penitus exſtirpatur ac purpura, quæ plerumque relinquit fermentum ipſam denuo inducens: ſed hoc inprimis proprium chronicæ illi purpuræ, quæ quo pacto ſit arcenda, inferius dicetur. Jam de febre miliari. Quæ cum potiſſimum fœminis, & quidem puerperis, ſit ſolennis, qua ratione hæ ab ipſius incurſu defendendæ, tradendum. Sub graviditate igitur exacta victus ratio ſervanda, corpus motu moderate exercendum, venter à refrigeratione defendendus, ſanguinis copia venæ ſectione ter, vel quater, in ſuperioribus inſtituta, minuenda & alvina excretio ſubinde ſecundanda per mannata, rhabarbarina & tartarea. Inſtante dein partu, non per præmaturum niſum vires convellendæ, nec pellentibus humores exagitandi; poſt partum vero neceſſarium, quo impurus ſanguis expurgetur utero & ſucci à cacochymia contracta liberentur. Sedato hinc ſecundo die impetu, omnis generis excretiones modeſte promovendæ & alternis diebus pilulæ balſamicæ roborantes, vel ſolæ, vel, ſi citatior adhuc pulſus, cum pulvere temperante nitroſo, deglutiendæ. Tum quoque conducit cum juſculis tenuioribus dare ea, quæ ſpaſmos leniunt, ſanguinem grumoſum diſſolvunt ſimulque perſpirationem ſervant, ſperma ſcilicet ceti, oleum amygdalarum dulcium, infuſum theiforme ex floribus ſambuci, chamomillæ & ſummitatibus millefolii, pulveres diaphoreticos, nec non mixturam ex aquis analepticis & diapnoicis, cum aceto deſtillato, lapidibus cancrorum & ſyrupo acetoſitatis citri.

§. II.

Curatio indicantes.

Ipſa vero purpuræ curatio ad tria hæc redit momenta: I. ut vitioſa, quæ ſubeſt, acris, nervoſis partibus infeſta materia corrigatur ac temperetur; II. ut ſpaſticæ fibrarum nervearum inde productæ ſtricturæ laxentur; & III. præparata materia placide per cutis emunctorium evacuetur, nec retrocedat. Ego quidem has medendi indi-

indicationes perfeci hiſce ex multis probatiſſimis auxiliis. Ad acredinem diluendam & nervoſas male affectas partes mulcendas, apprime utilia decocta humectantia, ex raſura cornu cervi, radice ſcorzoneræ cum hordeo & liquiritia, gelatina cornu cervi, nec non ſerum lactis, noſtra methodo paratum dulce. Idem faciunt & præterea expulſionem juvant emulſiones, ex aquis diapnoicis & antiſpaſmodicis, cum ſemine napi, cardui Mariæ & papaveris albi. Inprimis etiam duplici hoc nomine conducunt pulveres temperati bezoardici, cujus generis eſt *Ludovici* atque *Senneri*, nec non noſter. Quibus ad æſtum temperandum & ſpaſmos componendos ſubinde ſuccum citri inſtillare, pulverem præcipitantem nitroſum, vel tantillum croci, aut caſtorei, pro circumſtantiarum ratione admiſcere, vel etiam horum uſum interdum liquoris anodyni mineralis doſi interpolare, ſicque in vehiculo appropriato ex aquis deſtillatis propinare ſoleo. Et ſi purpuræ eruptio juſto impeditior, vel retroceſſio metuenda, aut jam facta, inſtar omnium eſt idem anodynus liquor, remixtus cum tertia parte ſpiritus bezoardici, ad mentem *Buſſii* parati & à me in *obſervationibus phyſico-chymicis Lib. II. obſ. XXVIII. pag.* 238. deſcripti.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Venea in regimine.

Purpura, morbus omnium delicatiſſimus, nihil plane fert exceſſivum, in regimine æque ac medicatione. In regimine quidem æger ſemper in moderato & æquali calore, tam lecti, quam hypocauſti, detineatur, eo quod nimis æſtuoſum vires frangit ac pruritum ardoremque cum anxietatibus auget, frigidius exanthematum eruptionem impedit, ſubſequente languore & angore; & inæquale expulſionem retardat, vel minimum inſtabilem facit purpuram. Vitetur etiam ſtragulorum & induſiorum quantum fieri poteſt mutatio, ac potius jam trita, ſicca & fumigata injiciantur.

§. II.

Calida & alexipharmaca noxant.

Quam graviter dein calida & alexipharmaca medicamenta noceant, docuit ſane uberius experientia, qua conſtat, eadem cum æſtuoſo regimine, in cauſa eſſe, quod ingruente primum novo hoc morbo, omnes fere perierint, quum jam ſub temperata methodo plurimi evadant. Quin liberalior tantum infuſorum & decoctorum calidorum potus, ſudorem nimium movendo & ſerum plus juſto exhauriendo, officit. Ubi vero motus eſt retroceſſionis, vel hæc jam facta, tum potus calidus præſentis efficaciæ, & moderata quoque expellentia locum utique inveniunt.

§. III.

Item refrigerantia.

Viciſſim refrigerantia & inteſtinum motum nimis ſedantia intus detinent materiam, & anxietates ob id ac languores cum periculo intendunt. Ipſum nitrum circumſpecte uſurpandum. In alba enim purpura & ubi malignitatis indicia, refrigerationes externæ cum æſtu ſubinde intercurrente, præſto ſunt, ab eo plane abſtinendum. In rubra vero purpura, ſive alba cum rubra conjuncta, ubi internus adeſt æſtus, cum ſiti & pulſuum magnitudine, medicamenta diaphoretica leniter nitrata omnino accommoda.

§. IV.

Nec non cerevisiæ potum.

Cereviſiæ etiam potum nullus minus fert morbus quam purpura, eo quod multas impuras, craſſas & heterogeneas partes in ſanguinem & lympham invehit. Hinc ego quidem ſemper purpura laborantibus auctor ſum, ut ab omni cereviſiarum genere abſtineant & bibant decoctum ex radice ſcorzoneræ, ſaſſaparillæ & cichorii, cum raſura cornu cervi, hordeo mundo & pauxillo feminis fœniculi, vel aniſi ſtellati.

§. V.

Alvus aperiendæ cautela.

Alvus in purpura nec nimis laxa, nec nimis ſtricta eſſe debet. Si enim diutius retinetur, morbus inde nanciſcitur pabulum & longius extrahitur; ſi vero purgantibus, quin laxantibus omni virulentia deſtitutis, intempeſtive ducitur, materia per poros eliminanda revocatur & præcordiorum anguſtias, tormina & ardores in ventre, nauſeam & ſtomachi ſubverſionem inducit. Hinc in purpura tam idiopathica, quam quæ aliis exanthematicis accedit, tanto magis maligna, alvum nec paullo ante, nec paullo poſt eruptionem irritare licet, ſed quando vis morbi deferbuit & purpura ſicceſcere incipit. Neque tum vix aliud expedit remedium, quam clyſter emolliens, injiciendus ſub ſymptomatum remiſſione, plerumque matutino tempore major, quam veſpertino & nocturno eſt.

§. VI.

Vena ſectio cum diſtinctione adhibenda.

Sanguinis miſſio maxima cum prudentia inſtituenda; nam in purpura alba & maligna, quam ſumma virium proſtratio, cum largis ſudoribus & debilitate ac frequentia pulſus, arguit, plane non eſt admittenda: contra ea inſigniter prodeſt, quin neceſſaria eſt puerperis, quando lochiis retentis, ſymptomata purpuram comitantia ejus incurſum nunciant; cito tamen adminiſtranda. Sic enim ſæpius obſervavi, ſummas præcordiorum anxietates, animi defectiones, laborioſam & anxiam ſpirationem feliciter fuiſſe ſublata & mox ſummo cum levamine in univerſo corpore purpuram propulſſe; id quod pluribus docui & adſtruxi in diſſertatione *de venæ ſectionis prudenti adminiſtratione pag.* 18. *ſeqq.*

§. VII.

Virium ratio habenda.

Quum porro vires plerumque hoc in morbo admodum ſint proſtratæ & ad lipothymias propenſio, ſummo omnino cavendum eſt ſtudio, ne æger ex lecto ſurgat, aut diutius erectus ſedeat, quia facile ſic obrepit animi defectio, & motu humorum ad interiora converſo, exanthemata cum diſcrimine diſparent. Subinde potius vires refocillandæ per mixturas analepticas, ex aqua meliſſæ citratæ, vel Turcicæ, liliorum convallium, ceraſorum nigrorum, florum acaciæ, rubi idæi, cum ſpiritu nitri dulci, matre perlarum & ſyrupo acetoſitatis citri. Quibus pro circumſtantiarum ratione lenia diaphoretica, uti cornu cervi philoſophice præparatum & antimonium diaphoreticum; vel etiam ſi ſudores colliquativi effuſius manant, ſuccus citri & ſpecies de hyacintho, cum fructu adjici poſſunt.

§. VIII.

Veſicantia conducunt.

Veſicatoriorum utilitatem in purpura jam dilaudavit *Hamilton de febre miliari*, eademque ſcapulis apponere ſuadet. Recte omnino. Subtrahunt enim humorem ſeroſum impurum & fibras delaſſatas nerveas ad contractionem exſtimulant, ut materiam morbificam promte excutiant. Hinc ſub tarda eruptione & motu humorum ad interiora ipſumque caput converſo, ſæpius cum fructu præcepi, ut ſuris apponeretur veſicatorium,

rium, cujuſmodi concinnare ſoleo ex emplaſtro de meliloto, pulvere cantharidum, cum pauxillo balſami Peruviani.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Febri purpurſia in puerpera funeſta.

Fœminam novi viginti aliquot annorum, vegetam & alacrem, ſanguineo-cholericam, quæ virgo levi ex cauſa hyſterica experta fuerat pathemata, ſub axillis quoque & pedibus largiter ſudarat, bene cæterum appetens & corpus domeſtica negotia obeundo probe exercens. Hæc utero gerens ex hilari præter morem fiebat triſtis, ſudores ſueti ſicceſcebant, à medio geſtationis tempore perpetuo largus lactis in mammis erat proventus & quinto menſe circa hypochondria exquiſitus oboriebatur dolor ardens, quaſi ex prunis candentibus. Poſt partum admodum laborioſum ingenti horrore febrili corripiebatur per totum corpus, quem excipiebat capitis dolor & inquietudo. Quinto die lochia ſiſtebantur & accedebant præcordiorum anxietates, cum horripilatione febrili, intercurrente æſtu, ardore in ventre & tandem deliriis. Datis diaphoreticis ſub temperate calido regimine, in cordis ſcrobiculo collo & dorſo, nec non brachiis, purpura & rubra & alba effloreſcebat quidem; ſed quum gravi commoveretur iracundia, cutis iterum fiebat arida & ſicca, delirium in furorem plane tranſibat, lac poſt partum etiam copioſiſſimum, retinebatur, in ventre oboriebantur borborygmi, ſpiritus intercludebatur ac demum decedebat.

Epicriſis.

I. Adduxit utique hunc morbum ſanguinis & ſeri impuri abundantia, ob vitæ genus ex mobili in ſedentarium mutatum, ſudores ſuetos ſuppreſſos & venæ ſectionem ſub graviditate plane omiſſam, contracta. Nunquam etiam boni ominis in gravidis, ſi de ardore & æſtu in interioribus abdominis conqueruntur. Signum enim præbet, hiſce in partibus congeſtionis atque infarctus, qui ſucceſſive ipſum ſanguinem magis corrumpit, à quo natura poſt partum febrili motu ſe liberare intendit.

II. Nihil certe in morbis acutis deterius gravi animi affectu, inprimis iracundia vehementi. Si enim in ſanis corporibus magna horum affectuum nocendi facultas, quidni in ægrotis? Heic quidem inde ſanguinis & humorum motus ad caput converſus, phrenitidem cum morte attulit.

Observatio II.

Poſt purpuram animi turbatio, Carolinis ſanata.

Tenera, ſenſibilis & ad iram proclivis fœmina, triginta annorum, ſterile per decem annos duxerat matrimonium, ſana tamen & vegeta. Quum vero maritus inopinata morte extingueretur tempore menſtrui fluxus, ſubſtitit hic, & miſera tota luctui ſeſe dedit, inquieta fuit, nec dormivit, nec appetiit. Paulo poſt horripilationem cum æſtu perſenſit, nec non tremulam manuum & colli agitationem cum cynico ſpaſmo oris, anxietatibus ſubinde affecta & lipothymiis. Datis antiſpaſinodicis & antihyſtericis, conquieverunt tantiſper hæc ſymptomata; ſubinde tamen, licet mitius, repetentia, donec die tandem tertio, cum horripilationis & tractionis in cute ſenſu, in collo, dorſo & univerſo corpore purpura rubra cum alba prodiret, alvo per aliquot dies ante & ſub eruptione clauſa. Interim ſpaſtica priora ſymptomata remiſerunt, ſomnus vero non rediit, prætereaque perpetuus ad urinam fuit ſtimulus, quæ tamen parce ſtillavit. Sed quum inopinato percelleretur terrore, diſparuerunt illico exanthemata omnia, ſequuta ingens præcordiorum anxietas, redierunt pathemata hyſterica ſpaſtico-convulſiva ac mentem plane turbare viſa ſunt. Hinc ſanguis è vena miſſus floridus & datus poſtea liquor anodynus mineralis cum ſpiritu bezoardico, ternis ſingulis horis ex infuſo theiformi. Inde tertio die poſt comparuit iterum purpura, ſtationem tamen non ſervavit, ſed poſt corporis refrigerationem & injectum clyſterem denuo maxima ex parte receſſit. Succeſſit hoc facto mentis confuſio, ut ſine cauſa ſubinde vel in cachinnos, vel in lacrymas ægra ſolveretur, multaque abſurda loqueretur. Corpore autem melius habuit, cibos ſumſit, ſomno non penitus caruit, & ſenſim eo pervenit, ut domeſtica iterum obire potuerit negotia. Elapſo inter hæc ſemeſtri ſpatio meo ex conſilio uſa eſt Carolinis thermis, quibus purpura per omnem corporis ambitum expulſa, qua poſt ſeptimum diem ſquamarum inſtar ſecedente, mens reſtituta, corpus & vires ex voto per DEI gratiam confirmatæ.

Epicriſis.

Purpuram in ſanguineo corpore ex ſanguine menſtruo repente ſuppreſſo generari poſſe, ex hac hiſtoria patet utique. Excrementitia autem purpuræ materia, intus retenta, nervoſis quam maxime infeſta eſt partibus, eaſdemque ſpaſmis & convulſivis plane motibus afficit. Quin diutius deliteſcens in interioribus, ipſam mentem turbare poteſt, hanc procul dubio ob cauſam, quia nervoſis cerebri membranis firmius inſidet eaſdemque exagitat. Carolinarum igitur præſtans maxime eſt virtus ad depurandos corporis ſuccos, recrementitiam materiam ſolidis & fluidis partibus intime inſinuatam ſeparandam & per cutis poros expellendam.

Observatio III.

Purpura alba id. pathica nata.

Sanguineus ac robuſtus juvenis corripiebatur horrore, frigore, æſtu poſtea & ingenti præcordiorum anxietate. Secabatur ſecundo ſtatim die vena, quarto & quinto totum corpus purpura alba confertim occupabat. Æger in conclavi calido detentus, de moleſta gravitate & tractione in ſiniſtro latere conquerebatur, ad mingendum quidem ſtimulabatur, ſed paucam reddebat cum ſtranguria urinam, alvo ſimul per ſex dies clauſa. Dabatur ipſi loco potus decoctum ex avena, radice ſcorzoneræ, cum ſemine papaveris albi & cornu cervi uſto, ac præterea quater quotidie doſes hujus pulveris: Recipe cornu cervi ſine igne parati, oculorum cancri, antimonii diaphoretici ana drachmas duas, cinnabaris antimonii drachmam cum dimidia. M. Inde melius habuit, urinam etiam facilius miſit & exanthemata uberius prodierunt in univerſo corpore. Nono die veſperi nares ſanguinem ſtillarunt & alvus ſponte ſoluta. Nihilo minus per totum morbum ſomno fere caruit, hinc data hæc potio: recipe aquæ florum ſambuci, acaciæ ana uncias duas, antimonii diaphoretici, oculorum cancri, ana drachmam dimidiam, ſyrupi papaveris albi drachmas duas, mixturæ ſimplicis drachmam. M. Qua continuato ſimul pulverum bezoardicorum uſu, undecimo die ex voto convaluit.

Epicri-

Epicriſis.

Purpura alba admodum quidem periculoſa, ſi aliis acutis & exanthematicis morbis accedit, ſi vero idiopathica, cum febre recte prodit & ordinatum ſervat typum, non adeo eſt pertimeſcenda, modo recte temperato regimine & temperatis diaphoreticis excipiatur. Heic quidem ſanguinis copia multum fecit ad generationem morbi, ideoque venæ ſectio mature adminiſtrata commodam locavit operam, quæ in cacochymicis & ſymptomatica purpura, plus ut plurimum damni, quam emolumenti affert.

Observatio IV.

Purpura poſt alvi laxationem feliciter ſoluta.

Tertio poſt partum laborioſum die, fœmina ſucculenta ſanguineo-cholerica, viginti & aliquot annorum, conqueſta eſt de capitis, dorſi & totius corticis corporis dolore, *als wenn ihr die Haut ſehr weh thate*, quaſi cutis doleret, nec non de ſpaſtico ſtupefactivo in manibus ſenſu & ſcintillis igneis oculis obverſantibus. Acceſſerunt dein anxietates præcordiorum, agrypnia, ardor febrilis, virium proſtratio, ſitis, oculorum rubor & ſqualor. Datis lenioribus diaphoreticis cum regimine temperate calido, die quarto erupit purpura, quinto & ſexto die omnem corporis ambitum occupans, interſperſa in pectore, manibus & abdomine rubræ alba: à ſexto die alvus fuit adſtricta & lochiorum fluxus ad nonum uſque ſubſtitit. Hinc ad alvum ſolvendam & lochia revocanda data doſis pilularum Becherianarum, quæ lenem fecit laxationem, & data altera doſi, lochiorum fluxus rediit cum magno fœtore, ſequuti ſudores largiſſimi, acidi & fœtentes ad diem aſque undecimum, urina quoque feceſſit graveolens. His excretionibus ſolutus morbus, vires ſucceſſive redierunt cum ſomno & ægra ſanitatem recepit.

Epicriſis.

Omiſſa ſub graviditate ſanguinis miſſio in ſanguineo hoc corpore ſeri & ſanguinis impuri genuit copiam, ex qua purpura. Quia vero à lochiorum itemque alvi ſuppreſſione ſuccorum impuritas aucta, optimo utique conſilio, pilulæ Becherianæ oblatæ, quippe quæ primo ſtatim die in puerperio datæ materiam & cauſam febris ac purpuræ tempeſtive præſcindere ſolent. Ut adeo pateat: temperata laxantia in purpura non penitus eſſe reformidanda.

Observatio V.

Poſt eryſipelas purpuræ ex primarum viarum ſordities.

Fœmina tres ſupra triginta annos nata filiolum edidit ſanum ac vegetum, & ipſa quoque per tres hebdomades optime habuit. Poſt iracundiam vero & terrorem dextram mammam, ſub alvo à triduo adſtricta, occupavit eryſipelas, quod tamen pulvere ex farina fabarum, ceruſſa & floribus chamomillæ confecto diſcuſſum. Tertio die ingens acceſſit horror ac frigus, ſubſequente acri æſtu per totam noctem durante alvus dura fuit ac tenſa, ſomnus parcus & nullus. Durarunt hæc per tres dies, quarto autem erupit purpura, quæ poſtquam per triduum moleſto ardore & dolore pungitivo ſummam cutem divexaſſet, decidit, æſtus cum pulſus celeritate viriumque dejectione remiſit & ægra tandem & morbum & puerperium feliciter ſuperavit. Nihil autem aliud uſurpatum, quam leniora & fixiora diaphoretica cum humectantibus, clyſteres emollientes ex decocto cremoris avenæ cum chamomilla vulgari, addito oleo amygdalarum dulcium & ſale communi, & remittente morbo ac febre, ſubjunctus uſus pilularum noſtrarum balſamicarum.

Epicriſis.

Puerperæ hanc etiam ob cauſam tam frequenter in exanthematicas, eryſipelaceas & purpuratas febres incidunt, quia primas vias à ſordibus graviditatis tempore contractis non convenienti pharmaco expurgarunt. Quando enim prima regio corrupta ac impura materia repleta, vel levis animi affectus, ut ira, terror, vel improvida corporis refrigeratio, illam commovendo & ſanguini invehendo, febrem ſuſcitat exanthematicam. In noſtra eryſipelas primum productum, eodemque repulſo, de novo febris accenſa, ſubſequente exanthemate purpureo.

Observatio VI.

Puerpera purpurata venæ ſectione ſervata.

Fœmina triginta aliquot annorum, fœcunda jam plurium liberorum mater, ſemper fere in puerperio laborarat purpura, feliciter tamen eandem ſuperarat. Quum vero ſeptima vice exſpectatione citius partus ei, omiſſa ultima venæ ſectione, obtigiſſet, die quinto poſt experta eſt horrorem cum ſubſequente æſtu, lochia parcius juſto fluentia ſubſtiterunt plane, anxietates ipſam infeſtarunt, ſomnus defuit, caput doluit & univerſum corpus languit. Data quidem temperata diaphoretica cum temperantibus & die quarto poſt ſparſim efflоruit, inprimis in cordis ſcrobiculo, purpuraceum exanthema, ſymptomata autem diſcedere noluerunt, ſed potius ſpaſmi in artubus & abdomine acceſſerunt, purpura diſparuit iterum, anxietates fuerunt ſummæ, ægra corpus jactitavit, delirare cœpit & animo ſubinde linqui, ut omnia jam conclamata eſſe viderentur. Hinc vena inciſa in brachio & quatuor circiter ſanguinis unciæ ſubtractæ. Quo facto, protinus præcordiorum angor remiſit, animi defectio ceſſavit, ægra ad ſe rediit, corpus totum calore & madore perfuſum ac paullo poſt erupit copioſiſſima purpura, quæ debito regimine & congrua medicatione ex voto perſanata.

Epicriſis.

Fundatum quidem in experientia eſt, non tentandam eſſe ſanguinis miſſionem, ubi purpuræ eruptio inſtat, aut modo facta; dantur tamen caſus, ubi ſummopere neceſſarium, ut hoc etiam tempore ſanguis mittatur. Nonnunquam enim, lochiis reſtitantibus, aut parcius juſto fluentibus, ſanguis redundans, ob ſpaſmos in abdomine, cum impetu urgetur & congeritur ad cor ac cerebrum, ibique atrocia & lethifera ſuſcitat ſymptomata, quæ perperam vulgo retroceſſioni materiæ exanthematicæ tribuuntur. Hinc ſi per venæ ſectionem ſanguis ſuperfluus ſubtrahitur, ceſſant illico pathemata & liberiore ac æquabili facto circuitu, eruptio expedite ſuccedit ſummo cum levamine.

Observatio VII.

Judicium & conſilium de præſervatione & cura pur-

Purpurata febris, novus & incognitus veteribus morbus poſt quam circa annum Æ. C. MD. LII. Lipſiæ primum cœpit, ſucceſſive adeo vires ſumſit & longe lateque proceſſit, ut in plurimis,

puræ puerperarum.

Germaniæ minimum locis, jam notus ſit atque ſolennis. Quo vero penetravit, haud exiguam primum edidit ſtragem multumque negotii faceſſivit medicis, priuſquam ipſa edocerentur experientia, cujus eſſet indolis, quæ ferret, quæ non, in medicatione æque ac regimine. Hinc ſæpius tam in quam extra Germaniam, medici meum exquiſiverunt judicium atque conſilium, qualis ſit incognitus hic morbus & quo pacto eidem feliciter occurrendum? Quum igitur adhuc latius quotidie ſerpat, non infructuoſum erit, heic inſerere ea, quæ, quum anno MDCC XXIII. Francofurti ad Mœnum primum compareret ad me à medicis perſcripta, una cum iis, quæ reſpondi. Ita autem habebat miſſa mihi relatio hiſtorica: *Infeſtavit ab aliquo tempore puerperas noſtra hac in urbe novus quidam morbus, hunc potiſſimum in modum incedens atque decurrens. Partum enixæ, ſecundo vel tertio puerperii die corripiuntur horrore cum ſubſequente calore, conqueruntur de ſumma pectoris oppreſſione & crebrioribus ſuſpiriis, lochiis ut plurimum reſtitantibus. Interjectis aliquot diebus, erumpunt puſtulæ miliares, imprimis circa cordis regionem conſpicuæ, excipiunt deliria & nervorum ſubſultus, & plurimæ ex ægris occumbunt, aliæ circa quintum, plures nono morbi die. Licet autem morbo huic omnibus viribus ſit occurſum, efficaciſſimis alexipharmacis, imperata quiete, regimine calido, veſicatoriorum applicatione & cucurbitulis ſiccis; irrita tamen fuerunt omnia & tritum obtinuit adagium*: interdum docta plus valet arte malum. *Hinc quæritur: qualis ſit hic morbus; & qua methodo quibuſque medicamentis ſit expugnandus?*

JUDICIUM CUM CONSILIO.

Perſcriptam morbi ignoti hiſtoriam curate & perlegi & expendi. Eſt autem is febris maligna miliaris, quæ noſtris in oris, inprimis Miſniæ tractu, à plurimis annis admodum frequens & puerperis ſæpius funeſta fuit. Ante ſexaginta circiter annos noſtris pariter incognitus fuit hic morbus, primum Lipſiæ obſervatus, ideoque κατ' ἐξοχὴν febris purpuratæ Lipſienſis nomen obtinuit. Jam longius proceſſit ac vires ſumſit, ut non modo puerperæ, ſed & viri, inprimis tamen fœminæ, eodem crebrius decumbant, modo acute & brevius, modo longius, per tres, quin ſex quandoque menſes. Hinc in chronicam & acutam purpuram diſpeſcitur. Illa quidem admodum moleſta, ſed non periculoſa, nec febre ſtipata; hæc autem ſemper febrem habet comitem, nec periculo caret. Periculum tamen in hac eo majus eſt, quo magis corpus quod corripit ex prægreſſa tempeſtatum diuturna inſalubri conſtitutione, pravo victu & vivendi genere, nec non aliis cauſis vel debile eſt, vel impuris ſuccis repletum. Et chronica illa etiam vehementius & diutius inſiſtit, pro corporis, in quod cadit, diſpoſitione. Dein purpura, vel rubra eſt, vel alba. Illa non tam malignæ & deleteriæ indolis, quam hæc, quæ, ſi, ut ſæpius evenit, aliis acutis exanthematicis febribus in fine accedit, mortem ut plurimum infert.

Cauſa hujus tam ſontici morbi maxima ex parte corruptæ, vappeſcenti & corroſivæ lymphæ tribuenda videtur. Quando enim lympha in diverticulis & tubulis glanduloſis ſtagnat & diutius ſubſiſtit, corrumpitur & acrem corroſivam indolem induit. Quæ poſtmodum ſuccis & ſanguini inſinuata & cum hoc ad partes nervoſas delata, truculenta illa in purpura obvia pathemata inducit, anxietates præcordiorum, cardialgias, angores, inquietudines, dolores & tractiones in artubus, languores, reſpirationem difficilem, oppreſſiones pectoris, horrores, lipothymias, pruritus aliaque. Omnia tamen hæc remittunt ſymptomata, ſi beneficio naturæ materia acris ad corporis perficiem propellitur. Singulare autem habet hoc exanthema illud, quod admodum ſit variabile, mox compareat, mox evaneſcat, & hinc ſymptomata jam leniora, jam graviora inferat.

Chronicam purpuram obſervavi ſæpius in fœminis, quæ antea fluorem album expertæ hunc ſubito ſiccarunt; diſparente iterum, hoc repetente, purpura. Dein notavi, fœminas, quibus poſt quinquageſimum annum menſes emanſerunt, purpuram crebrius incurriſſe. Frequens quoque idem hic morbus omnibus, qui vitam colunt ſedentariam, animi affectibus, ira præſertim ac terrore jactantur, lacticiniis, dulcibus & placentis delectantur, nec legitimum experiuntur alvi beneficium. In acutis febribus, variolis & morbillis ſi alvus juſto diutius adſtricta, vel diarrhœa contingens ſubito ſiſtitur, purpura ſubſequi ſolet, ob retentas acres, ſalſas, ſulphureas ſordes. Maxime omnium vero frequens & anceps eſt hic morbus in puerperis, eo quod ſub graviditate, ob retentos menſes, ſanguis nimius fit & impurus, tanto certius, ſi accedit inordinatum vitæ genus, vita ſedentaria, animi angor & ſomnus nimius. Impetere ſolet purpura vel cum, vel paullo poſt febrem lacteam, quæ ſubſiſtentem paſſim corruptam lympham è latibulis excutit & in ſanguinem agit. Quod autem purpura jam frequentior ſit, quam antea, id perverſo potiſſimum abuſui potuum calidorum, inprimis decocti Coffée, tribuendum. Quamvis enim potus hic, ſi alvum ſimul laxat, non facile nocet; certum tamen, quod, ſi liberalius ſub alvo clauſa ingurgitatur, multas recrementitias ex inteſtinis in ſanguinem pellat ſordes, & ſudori movendo aptus ſit, cujus tamen ſucceſſus poſt eundem incurioſius habetur, ut ſucci hinc non poſſint non ſordeſcere.

Ad arcendum porro hunc morbum nonnulla ante, non nulla poſt partum ſunt tenenda. Sub graviditate ſanguis quantum fieri poteſt ab impuritate vindicandus. Hunc in finem in ſanguineis, quæ bene comedunt & minus corpus exercent, bis vel ter, quarto, ſexto & in medio noni menſis, vena pertundenda. Alvus ſemper in officio retinenda, cujus ſi obliviſcitur, admonenda alimentis, vel pilularum balſamicarum, Becherianarum, Stahlianarum, aut noſtrarum uſu, nec non potione ex manna cum rhabarbaro & cremore tartari. Perſpirationis quoque ſaluberrimæ ſucceſſus ſecundandus per corporis motum, diluentia, juſcula, potum tenuem, vitando dulcia, acida, fructus horæos & omnia quæ ſpiſſum & viſcidum ſanguinem ingignunt. Ventriculus, præſertim in cœna, non nimia ciborum copia onerandus, ſomnus longior arcendus & animus in tranquillitate ſervandus. Ex medicamentis ea proſunt, quæ ebullitionem ſanguinis componunt, leniterque cuticularem excretionem promovent, diaphoretica nempe fixa cum temperantibus & nitro. Poſt partum è re eſt, ut ſedata ſanguinis exæſtuatione & pulſus vehementia, ſecundo poſt die, doſis pilularum ſupra dictarum aſſumatur, quæ non modo inteſtina,

ſed

ſed & uterum expurgant, ſimulque lochialem fluxum promovent, eaque propter altero iterum die eaſdem deglutiſe expedit, inprimis ſi lochiorum fluxus tardus nimis, vel inſufficiens. Tertio demum die ſi febris lactea ingruit, neceſſarium eſt, quo bis quotidie dimidia drachma pulveris mei bezoardici cum præcipitante remixti, ſumatur.

Quando autem purpura adeſt, in curatione rite adornanda, ante omnia in lochia inquirendum, an recte & ſufficienter ſeceſſerint? Quod ſi hoc non factum, poſt pediluvium, vena in pede ſecanda. Tum vitandus omnis calor, tam in regimine, quam medicatione; vitanda vero etiam refrigeratio & refrigerantia remedia, ipſoque nitro caute utendum, ac nonniſi ubi ſanguis æſtuat & pulſus celer eſt. Alvus quoque nec nimis ſit adſtricta, nec intempeſtive, vel acrioribus irritetur. Inter medicamenta nulla magis proficua deprehendi, quam pulverem meum bezoardicum, præcipitantem & liquorem anodynum mineralem, una cum pulvere caſtorino cinnabarino. Si pectus cum angore opprimitur, ſoleo liquorem anodynum, tribus partibus, cum una parte ſpiritus bezoardici Buſſii & dimidia parte eſſentiæ caſtorei miſcere, & alternatim propinare hunc pulverem: recipe pulveris Marchionis drachmam, cinnabaris nativæ præparatæ ſcrupulum, pulveris caſtorei grana X. M. f. pulvis, dividatur in doſes IV. Loco potus ordinarii præbere ſuadeo decoctum ex raſuræ cornu cervi, radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, ana unciis binis, decoctis in quatuor aquæ menſuris. Infuſum thée autem liberalius bibere non conducibile, ſed ſufficit aliquot tantum patellas interdum ſorbillare. Quod ſi demum alvus nimis ſicca, enemate domeſtico, ex floribus chamomillæ, ſale communi & nitro cum decocto avenaceo, ſubducenda.

Atque hæc ſunt medicamenta & hæc eſt methodus, quibus ego per Dei gratiam multos purpura decumbentes feliciter ſanavi. Quæ rogatus candide ſic exponere volui, debui. Halæ d. X. Decembr. Anni CIↃ IↃCC XXIII.

Plura exempla legi poſſunt in *Conſult. Medic. Tom.* II. *Sect.* IV. *Cap.* CXCI-CXCV.

CAPUT X.

De Febribus Epidemicis, Exanthematicis, Catarrhalibus ſive Petechizantibus.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

FEbres hæ ſunt lenes continuæ, cum virium proſtratione, vigilia, inappetentia & quandoque cum eruptione macularum in ſumma cute junctæ, ortæ à ſeri excrementitii copia & inteſtina diſſolutione, non ſine contagio & vitæ periculo.

§. II.

Ab initio ſtatim immutatur faciei aſpectus in morbidum, & ægrotaturi tribus vel quatuor antequam lecto affiguntur diebus, conqueri ſolent, de ſpontanea laſſitudine, gravativo corporis & artuum dolore, quaſi oſſa contuſa eſſent & fracta, de virium languore, inappetentia, levi animi defectione, nauſea cardialgica *Ubelſeyn*, capitis dolore & ſomno inquieto, alvo ſimul adſtricta. Accedit poſtea veſperi horripilatio & frigus, ſequitur æſtus, increſcunt ſymptomata, major virium fit jactura, ut vix imbecilles & teneri erecti manere queant, capitis dolor cum vertigine & inquietudine ingraveſcit, in quibuſdam dorſum, vel etiam latera exquiſite dolent, præcordia anguntur, interna ardent, fauces arent, pulſus contractus, celer ac debilis eſt, urina pallida ſine ſedimento, & ſpiritus difficillime trahitur. Tum prodeunt in non nullis quarto, vel circa ſeptimum diem, in dorſo potiſſimum, pectore & brachiis, cum, vel ſine levamine, maculæ, in aliis copioſiores, in aliis pauciores, coloris varii, vel, ut in pleriſque, purpurei, vel lividi fuſci, vel pallidioris roſei, modo latiores, modo minores, in plurimis inſtar morſus pulicum, à quibus tamen dignoſcuntur, dum compreſſæ non relinquunt veſtigium in medio rubicundum. Ob quam macularum diverſitatem, febres hæ varia ſortiuntur nomina, ut vel purpuratæ, vel puncticulares, vel petechiales ſpuriæ, audiant. Sub hoc morbi ſtatu, ſive vigore, acerbiora ſunt omnia, inquietudo maxima, corporis jactatio ejuſque decubitus inſuetus, mens turbata, ſermo delirus, ſomnus nullus, ſudor frigidiuſculus, anguſtia ſpirandi intenſior & pulſus contractus, inæqualis, celer & frequens.

§. III.

His ſi accedunt tendinum ſubſultus, ſitis defectus, borborygmi in ventre, ſingultus, faucium ab aphtis inflammatio, convulſiones, aut ſyncope, cum extremorum refrigeratione & ſudore largiſſimo, certa ſunt mortis indicia. Quando autem circa dies criticos, vel in ipſis, ſeptimo, undecimo, vel decimo quarto, liberalius prodit tepidus ſudor, per aliquot ſæpe dies, licet cum virium languore manans, vel etiam alvus per aliquot dies fluit, ſalutis eſt indicium, tanto certius, quando poſtea pulſus mutatur, antea contactus, increbeſcit, durus molleſcit, celeritatem tantiſper ponit magiſque æqualis fit, quando animus fit erectior, ſitus & decubitus corporis quietior, auditus difficilis, urina turbida & ſedimentum ponens, quod quidem circa dies criticos certum fere fauſti eventus indicium. Hoc quippe facto, ſucceſſive poſtea ſomnus, appetentia & vires redeunt, quod tamen non facile ante diem accidit decimum quartum.

Eventus.

§. IV.

Veteribus hæ febres quotidianæ continuæ ſeroſæ, vel etiam recentioribus catarrhales malignæ vocari ſolent, quia leniter procedunt ab initio & coryza, gravedo, pectoris infarctus, tuſſis ſæpe primis diebus junguntur & veſperi per noctem exacerbationes fiunt. Formalis autem earum ratio conſiſtit maxime in partium ſanguinis, vel potius ſeri diſſolutione, medicante motu febrili, cujus beneficio impuræ, corruptæ, heterogeneæ partes, ſi robur adhuc ineſt naturæ, nec adeo corrupta ſolidorum & fluidorum diſpoſitio, evolvuntur, earumque ſubtilior ſeroſa pars per largum ſudorem, craſſior & mucida per nares, fauces & bronchia, bilioſa mucida per alvi ſeceſſum, & putrida ſalino-ſulphurea, ſub forma macularum, per tubuloſam & fibroſam cutis ſubſtantiam, poſtea ſalutariter propellitur. Exanthematicam enim materiam non cauſam, ſed potius effectum, neque etiam perpetuum hujus febris eſſe, ex eo pateſcit, quod morbus non ſola efflorescentia exanthematum feliciter & perfecte ſolvi ſoleat, ſed plures, eadem copioſe

Formalis ratio.

licet facta, peſſime habeant, alii ſine ea evadant & decedant quoque, nunquam vero firma ſalutis ſpes ſit, niſi ſolennis evacuatio, vel per alvum, vel ſudorem, diebus convenientibus criticis fiat. Quod autem diſſolutio humorum fiat, intolerabilis & extraordinarius plane fœtor ſordium, quæ per alvum, ſudorem & urinam copioſiſſime ſecedunt, planum facit teſtatumque.

§. V.

Materialis cauſa. Materialis igitur harum febrium cauſa, utique ingens & inſolita plane humorum excrementitiorum ſalino-ſulphureorum & mucidorum corruptibilium impuritas, quæ unionem & mixtionem ſanguinis ingreſſa, eundem in inteſtinum diſſolutorium motum deducit. Sed unde hæc primum habeat ortum, diſquirendum merito. Nam licet ſemper, etiam ſecundum naturam, vitalibus ſuccis inſit impurum, per varii generis emunctoria excernendum jugiter: illa tamen impuritas, quæ hunc facit morbum, longe magis à ſuccorum indole aliena eſt, quam ordinaria, & præterea ita comparata, ut ſeſe intime cum lympha & ſanguine uniat, eorumque craſin & mixtionem ingrediatur. Interim ſicuti omnis morboſa impuritas, ſive cacochymia, ab ingeſtis intemperatis & incongruis excretionibuſque, præſertim per alvum & cutim, ſuppreſſis, originem ducit; ita enim hæc corruptiva impuritas, febrium catarrhalium mali moris & exanthematicarum cauſa, pariter ab ingeſtis, maxime potu, incongruis ſimulque excretionibus, præſertim cuticulari, ſuppreſſis, oboritur.

§. VI.

Ex aëre. Epidemias autem plerumque eſſe has febres, experientia docet, ac à præternaturali extraordinaria temporum anni tempeſtatumque conſtitutione oboriri, tali, qua multa in corpore gignuntur recrementa, eorumque per cutis poros ſeceſſione impedita, accumulantur. Quin aëris conſtitutionem ſequuntur hæ febres epidemicæ, ac inde magis, vel minus deterioris ſunt genii. Inprimis per multiplicem conſtat obſervationem, diu perſeverantem aëris auſtralis humidi, calidi, nebuloſi & ventis deſtituti, præſertim vere & autumno, ſtatum, accedentibus poſtea frigidioribus ſeptentrionalibus ventis, febres mali moris putridas, exanthematicas afferre. Neque minus conſtat, quod ſi æſtas diutius ſiccior, autumno, ſpirante vento boreali, prodeant affatim febres epidemicæ, acutæ, intermittentes, exanthematicæ, petechiales, purpuraceæ & dyſentericæ, uti quidem annis cIↃ IↃxcIIx, cIↃIↃccx, xv, xxI. & xxIIx. factum fuiſſe novimus. Denique id etiam per experientiam certum, quod tempeſtatum ſubitæ ac vehementes vere & æſtate, ex frigido in calidum, ſicco in humidum & vice verſa, viciſſitudines, quam maxime generent febres mali moris, quemadmodum evenit elapſo inſaluberrimo anno, quo ea propter ubique fere plures mortuos, quam natos fuiſſe, comperimus. Et certe, nihil ad ingenerandos pernicioſos morbos aptius, quam ſi tempeſtatem ferventem, excipit valde frigida, eo quod nimius calor motu inteſtino accendit ſanguinem, multaque excrementa ſalino-ſulphurea excludit, frigus autem, poros cutis ſtringendo, intus detinet eadem, graviſſimum poſtea damnum certo inductura. Hinc etiam eſt, quod in locis, ubi interdiu æſtus, noctu frigus regnat, Auſtria inprimis atque Pannonia, ob varium hunc & inſalubrem aëris ſtatum, familiares ſunt atque endemiæ exanthematicæ & petechiales malignæ febres. Inde quoque in proclivi judicare, cur in Italia, maximeque Romæ, adeo periculoſum ſit, poſt diuturnum calorem, corpus veſpertino frigido humido aëri exponere.

§. VII.

Et corporis conſtitutione. Neque tamen omnes tales febres petechizantes ſunt epidemiæ, id eſt, ex communi vitio aëris veniunt, ſed quandoque etiam ſine hoc oriuntur, in corporibus præſertim impuris, incongruis & pravis alimentis ſaginatis, nimiaque & crebriori refrigeratione affectis. Inde enim fit, quod febres hæ hyeme potiſſimum graſſentur, & eos quam maxime corripiant, qui pravo victu ac regimine uſi, ac præterea corpus intenſius refrigerarunt. Vidimus id ipſa hac hyeme, qua ex civibus noſtris multi, intemperantiæ in baccho ac venere indulgentes & traha diutius ſub cœlo rigido vecti, inciderunt in has febres & voluptatis dederunt pœnas. Neque etiam ea propter effluvia ex iis, qui his exanthematicis febribus graviter decumbunt, aut mortui ſunt, omnes inficiunt promiſcue, ſed eos tantum, qui diſpoſitionem ad hujuſmodi morbum, ſummam nempe ſuccorum impuritatem gerunt, cæteris, qui ab hac immunes, à contagio etiam liberis.

§. VIII.

Unde ſymptomatum varietas. Cæterum quia ſanguinis impuritas non in omnibus unius ejuſdemque indolis; hinc varii generis ſubinde his in febribus prodeunt exanthemata variaque accidunt ſymptomata, magis vel minus periculoſa. Etenim ſi deleteria prorſus ſubeſt impuritas, ad putredinoſam diſſolutionem humorum tendens, graviora ſunt omnia & petechiæ magis emergunt veræ atque lethales, fuſci, vel nigri coloris, de quibus infra. Quando vero non adeo corruptivæ indolis, ſed mitioris ſalino-ſulphureæ, ſymptomata non tam atrocia, ſed ordinate magis morbus decurrit, maculæque magis ſunt purpureæ & roſei coloris, ac febris ob id purpurea, vel petechialis ſpuria, ſive petechizans, audit. Ubi ſerum ſalſum acre, recenter à perſpiratione prohibita ſubnatum, ſeſe adjungit, coryza, ſternutatio, tuſſis ferina, cum defluxione ſalſi ad fauces & epiglottidem, complicantur, eamque ob cauſam febris catarrhalis malignæ nomine inſignitur. Quandoque etiam ob copiam partium ſalino-ſulphurearum acrium ſub ipſo motu febrili diſſolutorio evolutarum, maculis petechialibus ſeſe aſſociat eaſque antecedit, vel ſequitur purpuraceum exanthema miliare, idque tam rubrum, ex pruritu, ardore, cutis aſperitudine & fœtore ſpecifico acido cognoſcendum, quam, quod pejus adhuc, album, cujus puſtulæ miliares nonnunquam in veſiculas ampliores, ſero acerrimo turgidas, explicantur. Id quod vero, ſi declinante morbo, undecimo, vel decimo quarto die, vel ſerius adhuc, cum magna anxietate, inquietudine, ſpirandi anguſtia, animi deliquio & extremorum frigore, accedit, æger ut plurimum, ob vires jam nimium fractas, ſuccumbit.

§. IX.

Exitus. Qui naturæ & corporis robuſtioris, plebeii & vitæ ruſticæ addicti, ſolo ſæpe convenienti externo regimine, ſine ſingulari artificio, patienter exſpectando tempus, melius & felicius evadunt, quam qui naturæ ſunt imbecillioris, animi meticuloſi, vel mœrore, curis aut intemperan-

tia

tia potus & ingluvie, desidia quoque, aut nimia mentis fatigatione, corpus reddiderunt morbidum & imbecille. Mali porro ominis effusæ excretiones ab initio statim & extra dies criticos, per sudorem, alvum & urinam quoque. Qui autem occumbunt, inflammatione meningum, sive phrenitide, vel faucium & œsophagi, ex aphthis, vel ipsius stomachi, pereunt. Sanguis qui his in febribus extrahitur, conspicuum monstrat vitium, & vel valde fluidus & serosus, rubicundus, vel etiam nimis crassus & nigricans, comparet.

CURATIO.

§. I.

Curatio nititur naturæ robore.

Felix harum febrium exanthematicarum eventus atque curatio, non tam in arte medici, quantumvis periti atque sagacis posita, sed potius à corporis naturæ bonitate ac vigore & convenienti regimine pendet. Hinc si enormis succorum impuritas, vires imbecilles, corpus laxum, spongiosum & minus perspirabile, nec selectissima remedia, nec optima medendi methodus, quicquam proficient. Contra ea quando non tota sanguinis & humorum massa adeo inquinata est, quando vigor adhuc motuum vitalium, animus etiam erectus, corpus nervosum, gracile & pori aperti, feliciter, vel levi artificio, vel sponte plane, succedunt omnia. In his enim dissolutoriis, exanthematicis, acutis & periculosis febribus quam maxime valet practicus ille *Hippocrates* veterumque canon: naturam esse optimam morborum medicatricem, per se doctam, quæ congrua fervet & incongrua rejiciat.

§. II.

Indicationes curatoriæ.

Igitur id tantum in medicatione tenendum medico prudenti, ne motus & excretiones, quæ etiam sine artificio in salutem vergunt, turbet & pervertat, sed placide agat, ab omnibus tam fortiter commoventibus & evacuantibus, quam sedantibus & sistentibus, abstineat, & naturæ opus perite juvet. Proinde hos unice in fines medendi methodus dirigenda: I) ut plenaria dissolutio sanguinis & humorum moderate compescatur & impediatur: II) ut acrimonia salino-sulphurea humorum diluatur ac temperetur succique simul serventur fluxiles; III) ut excretiones per alvum, cutim, urinam quoque & sputum, modeste promoveantur; ac IV) ut vires fractæ foveantur ac restaurentur.

§. III.

Usurpanda acidula.

Ad impediendam putridam humorum resolutionem, spectatæ virtutis temperata acidula, quippe quæ putredinosum miasma, ad naturam salis alcalini sulphurei accedens, cicurant eidemque efficaciter resistunt. Hac virtute splendent ex vegetabilibus acetum vini simplex & destillatum, succus citri, limonum, aurantiorum, berberum, granatorum, ribii & confecti ex iisdem syrupi, nec non succus acetosæ & acetosellæ cum destillatis ex ipsis aquis. Ex mineralibus clyssus antimonii sulphuratus, spiritus vitrioli vulgaris & sic dictus philosophicus, spiritus salis, nitri & maxime omnium sic dicti dulcificati, quos inter ceu specificum eminet spiritus salis dulcis probe elaboratus, ex oleo vitrioli, cum sale communi & spiritu vini, per cucurbitam destillatus.

§. IV.

Temperantia.

Dein tam ad dissolutionem corruptivam intercipiendam, quam acrimoniam acidam obtundendam, conducunt blanda diaphoretica & terrea fixiora alcalina, bolus nimirum Armena, terra sigillata, unicornu fossile, lapides & chelæ cancrorum, mater perlarum, cornu cervi philosophice præparatum, nec non ex compositis, pulvis bezoardicus *Sennerti*, *Ludovici*, noster, Anglicanus, lapis bezoardicus & lapis de Goa.

Humectantia.

Quæ porro humectant & acrimoniam diluunt, sunt maxime pro potu usurpanda, decoctum scilicet hordei, cum scorzonera & rasura cornu cervi, nec non succo vel syrupo acetositatis citri, aqua ipsa pura, vel Wildungensis, cum saccharo, cornu cervi usto & succo citri, ptisana decocta cum cerasis siccis contusis, item jusculа tenuia gallinarum, cum succo limonum, vel aurantiorum, decoctum avenaceum tenue, vulgo *Habergrütze*, nec non cereviſiæ leves diureticæ.

§. V.

Secundanda cutis.

Inter ea quæ excretiones secundant, & quidem per cutem, præter jam dicta bezoardica terrea, aqua scabiosæ, galegæ, cardui benedicti, scordii, florum sambuci, item mixtura simplex, acetum foliis rutæ, cardui benedicti, scordii & galegæ infusum, nec non essentia bezoardica, ex radice vincetoxici, angelicæ, pimpinellæ, dictamni, valerianæ, cortice cascarillæ, herba cardui benedicti & scordii, cum moderate spirituoso menstruo, vel melius adhuc, spiritu salis dulci, nostra methodo confecta.

& alvina excretio.

Alvinam vero excretionem juvant tutissime clysteres emollientes domestici, ex decocto avenaceo, oleo amygdalarum dulcium, floribus chamomillæ vulgaris, sambuci, syrupo violarum, sale communi, nitro. Eundem etiam in finem utile decoctum mannatum, circumspecte & tempore debito datum, ex mannæ unciis duabus, cremoris tartari drachma, in aqua scorzoneræ decoctis, addito syrupo violarum & oleo de cedro.

Vires reficiendæ.

Ex iis demum, quæ vires custodiunt atque reficiunt, præter modicum vini cum aliis diluentibus usum, laudem merentur aquæ rosarum, liliorum convallium, florum tiliæ, rubi idæi, fragorum, melissæ citratæ, cinnamomi, cydoniata, gelatina etiam cornu cervi, cum succo limonum, pomorum Chinensium & saccharo.

§. VI.

Remedia inprimis probata.

Potissimum vero polychresta & expertæ à nobis per multos annos virtutis tria hæc commendamus medicamenta: Recipe antimonii diaphoretici, cornu cervi sine igne parati, lapidum cancrorum, matris perlarum ana drachmam, nitri depurati drachmam dimidiam. M. f. p. Hic pulvis à scrupulo uno, ad drachmam dimidiam, pro dosi sumendus, quandoque solus, quandoque cum drachma succi citri, ex decocto, vel ptisana, quandoque etiam in hac mixtura: recipe aquæ cardui benedicti, florum sambuci, liliorum convallium, cerasorum nigrorum ana uncias duas, rosarum, cinnamomi sine vino, ana unciam dimidiam, spiritus nitri dulcis guttas XXX. syrupi acetositatis citri unciam semis. Alterum utilissimum remedium mixturâ hæc: recipe aquæ galegæ, cardui benedicti, cerasorum nigrorum, florum acaciæ, ana uncias duas, aceti destillati unciam, lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici ana drachmam cum dimidia, cinnabaris scrupulum, mixturæ simplicis, spiritus nitri, vel salis, dulcis, ana guttas XXX. syrupi acetositatis citri drachmas sex. M. D. S.

Mixtur, *davon vvohl umgerùttelt alle zvvey Stunden ein Lòffel voll zu geben.* Sumat. omni bihorio Cochlear unum bene agitata. Tertium eſt hæc mixtura bezoardica: recipe tincturæ bezoardicæ, ſuperius deſcriptæ noſtræ, vel *Michaëlis*, ſyrupi papaveris rhœados, liquoris noſtri anodyni, ana drachmas duas. M. de qua quadraginta, vel quinquaginta guttæ pro doſi ſumendæ.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ CUM METHODO MEDENDI SPECIALI.

§. I.

Regimen ſit temperatum & æquale.

MAximum periculoſis hiſce febribus rite medendi momentum, regimine continetur congruo. In hoc primum eſt, ut æger ſemper in æquali & temperato calore detineatur per totum morbi decurſum. Sub nimio enim æſtu diſſolutorius in ſanguine motus magis intenditur, alvus ſiccatur, anxietates augentur, impuri & ſalſi acres humores acuuntur, vires exhauriuntur, ſudor fit juſto copioſior & cito nimis majorique copia, ſine emolumento, ad cutem propelluntur exanthemata. Frigore autem improvide admiſſo, præſertim ad pedes, perſpiratio facile cohibetur, maculæ & exanthemata retroaguntur, tormina in ventre & diarrhœæ cum ſingultu inducuntur, & criticæ evacuationes turbantur. Et ab inæquali regimine ac ſubita aëris calidi in frigidum, vel contra mutatione, eadem fere, quam ex frigido accidunt incommoda. Interim quia aër impurus continuo hauſtus inſpiratione, viribus infenſiſſimus, cavendum, ne æger in humiliori conclavi vappido aëre pleno decumbat; ſed aër potius morbidis exhalationibus fœtus, provide emittendus & purus admittendus.

§. II.

Perſpiratio cuſtodiatur.

Dein ſummo providendum eſt ſtudio, ut corpus in æquali ſemper maneat perſpiratione & quo cutaneum cribrum, in his morbis admodum ſenſibile, cujus tamen beneficio optime materiæ peccantis ſecretio fit atque excretio, in æquabili ſemper ſervetur tono. Hinc fugiendæ omni modo mutationes linteaminum, induſiorum & ſtragulorum, nec non tranſitus ex uno lecto in alterum. Ego quidem hanc ob cauſam interdicere ſoleo, ut ægri crebro ſurgant, quin tempore critico & quo exanthemata prorepunt, præſertim ſi debiles admodum decumbentes, præcipio, ne lectus ſternatur, nec, ſi linteamina nimis madida, nova injiciantur, ſed trita antea & exſiccata probe. Eſt quoque admodum ſalutare corpus involvere tunicæ talari manicatæ quam vocant *einen Schlafrock*, pedeſque tibialibus induere, ſicque in lecto decumbere, quo omnis auræ frigidioris acceſſus arceatur.

§. III.

Situs erectus, vitandus.

Tum vitandus erectus corporis, & capitis, tam in lecto, quam extra eum ſitus, tanto magis, ubi pulſus debilis & ſumma virium proſtratio, nec non ubi morbus in vigore. Inde enim ob debilem cordis pulſum non ſufficiens ſanguinis copia perpendiculari via ad caput pelli poteſt, lipothymia facile obrepit, imminuitur, vel ſiſtitur cordis & ſanguinis motus, omnes motus ad interiora vertuntur, fibroſa & tubuloſa cutis ſubſtantia contrahitur, materia exanthematica, pejoris nunc quam antea indolis, retropellitur, & ad nervoſas partes delata, convulſiones, deliria, vel etiam ſphacelationes funeſtas paullo poſt ſuſcitat. Id quod plurimis exemplis habeo confirmatum & uberius meo ex conſilio excuſſum eſt in diſſertatione *de ſitu erecto in morbis periculoſis noxio.*

§. IV.

Animus ſit tranquillus & erectus.

Porro animus tranquillus & erectus ſervandus, omneſque occaſiones præſcindendæ, quæ ad metum, puſillanimitatem, iram, vel terrorem ægrum permovere aptæ. Mens potius ſolatio & ſalutis ſpe erigenda, quam mortis periculi denunciatione dejicienda. Ego certe novi febribus ejuſmodi decumbentes, qui forſan non fuiſſent mortui, niſi à theologis & medicis intempeſtiva mortis prædictione & inculcatione, horror & metus ipſis fuiſſet incuſſus ingens, omnibus poſtea illico in pejus mutatis.

§. V.

Alimenta vitentur.

Præterea neque in principio, neque in declinatione, multo minus in ſtatu morbi, laborantes onerare decet alimentis, quæ ex carnibus, ovis & pinguibus parata, uti ſunt illa juſcula ſic dicta confortantia, *die Krafft-Brùhen.* Non enim non in manifeſtum damnum cedere poſſunt, quia præſente jam virium defectu & humorum impuritate, vires magis aggravant, cruditates generant, materiamque & fomitem morbi augent. Memori potius mente tenendus veriſſimus ille practicus *Hippocratis* canon: *corpora impura quo plus nutriveris, eo magis læſeris.* Mihi quam plurima nota ſunt exempla eorum, quibus remittente morbi & ſymptomatum atrocia, præpoſtera liberalitate cibi alibiles congeſti, cum præſentaneo damno, ſubſequente mox anxietate præcordiorum, inquietudine, virium debilitate, quin ipſa morte.

§. VI.

Pharmaca valida nocent.

In medicamentorum autem uſu, ceu perpetuum axioma tenendum: nunquam validiora commoventia & volatilia, emetica, purgantia, diuretica, nec non ſudorifera nimis ſpirituoſa & expellentia, eſſe propinanda. Nihil enim vi & impetuoſe hoc in morbo agendum, in quo naturæ quam maxime viget opus, cui omne nimium inimiciſſimum, temperata vero & moderata amiciſſima.

§. VII.

Medicamenta opportune danda.

Deinceps quum hæ febres habeant certos ſuos typos, ſuas periodos, certis temporibus exacerbationes & remiſſiones; multum omnino refert, ut medicus hæc tempora & medendi opportunitatem obſervet. Quod ſi non facit, plus damni, quam emolumenti affert. Res enim in medendo maximi eſt momenti, ut quis ſciat, quæ tempore exacerbationis, ante, & poſt hanc, ſub declinatione & remiſſione, danda. Paucis igitur in genere notari velim: quod ſub æſtu & ſymptomatum intenſione, humectantia, diluentia, pulveres abſorbentes nitroſi, ſuperius deſcripti, nec non acidula, cum valde moderato externo regimine propinare expediat. Finito vero paroxyſmo, quando cutis laxa, mollior & ad excretiones diſpoſita, analeptica, excitantia, vel, ſi opus bezoardica, perſpirationem moventia, nec non infuſum theiforme ex veronica, ſcordio & liquiritia, exhibere decet. Et quum alvi fluxu ſæpius ſolvi ſoleat morbus, is utique nunquam ſiſtendus, præſertim circa tempora critica, nec adſtringentibus, nec ſedativis, nec opiatis, ſed ſi natura ad hanc excretionem inclinat, nec tamen rite ſuccedit, ſecundanda potius eadem tutiſſime per laxans mannatum, ſupra deſcriptum & tamarindinata.

§. VIII.

Corporis temperatura unius

Quia etiam corpora ægrotantium non ſunt

mento accommodanda.

unius ejuſdemque indolis ac temperamenti, ſed in quibuſdam motus vegetiores & intenſiores, humores quoque calidiores & agiliores, in aliis viciſſim motus languidiores & tardiores, ac humores lentiores magiſque viſcidi; curate utique hæc à prudenti medico diſcernenda cum humorum quantitate, & motus ubique ad temperamentum, convenientem proportionem & æquilibrium reducendi. Hinc ubi nimius æſtus internus & externus, oris ſiccitas cum ſiti & inde vigiliæ nimiæ pertimeſcendæ; ibi nitroſa & potus diluentes, crebrius, ſed moderate, offerre expedit. Contra ea, quando in temperamento ſegni, phlegmatico, meticuloſo, mitis admodum calor, ſitis nulla, pulſus debilis & languidus, cum virium proſtratione, ſomnolentia mentiſque torpore, à refrigerantibus abſtinendum, & analepticis potius ac bezoardicis eſſentiis, crebrius itidem, ſed parcius datis, pugnandum. Quum impuritas ſulphurea & acetoſa in humoribus peccat, & exanthemata magis ad rubræ purpuræ naturam accedunt, pulveres bezoardici fixiores, item diluentia, demulcentia, emulſiones & liquor noſter anodynus mineralis omnibus fere palmam præripiunt. Et in vappeſcentia ſive corruptione lymphæ acetoſa, accedente ea propter alba purpura, præter fixa diaphoretica, liquor bezoardicus *Buſſii*, cum liquore anodyno, proficuus.

§. IX.

Symptomatibus medendum.

Quamvis autem in periculoſis hiſce febribus, non adeo ſcrupuloſa ſymptomatum ratio ſit habenda, ſed potius affectus primarii, cujus hæc effectus & producta; quandoque tamen neceſſarium eſt, ut imminentia eadem arceantur, vel periculum quod præſentia minantur, avertatur. Ex his ſunt cephalalgiæ atque deliria, ad quæ declinanda optimum utique eſt domeſticum remedium, pullos, columbarum, vel gallinarum recenter diſciſſos, capiti raſo applicare, vel epithema ex pane, cum ſale, nitro, camphora, oleo ligni Rhodii & nucleis ceraſorum vel perſicorum, fronti atque temporibus circumponere. In animi deliquiis, vomitu, ſingultu, ſyncope, cardialgia & ſummis anguſtiis, emplaſtrum ex theriaca, oleo nuciſtæ expreſſo, camphora, balſamo Peruviano, croco, oleo de cedro & pauxillo ſpiritus vini, præcordiorum regioni applicandum. In faucium ardore & ſiccitate, gelatina cornu cervi, cum ſucco limonum & ſaccharo cantho, ſyrupus diamoron, nec non oris collutio cum decocto ficuum, ſyrupo diamoron & nitro, opem ferunt egregiam. Urgente ſopore, fricentur ſuræ & plantæ cum aceto rutaceo, vel veſicatorium noſtrum temperatum, magnitudine dimidii thaleri, ſuris apponatur. Et ſi purpura retrocedens anxietates facit & inquietudines, liquor bezoardicus *Buſſii*, vel liquor cornu cervi ſuccinatus, cum ſpiritu nitri dulci, vel liquore anodyno minerali, ex uſu eſt. In tuſſi oleum amygdalarum dulcium & croci extractum.

§. X.

Excretiones medendæ.

Inter excretiones quæ metum incutiunt, eſt ſanguinis per nares ſtillicidium. Prodit hoc ſanguinis ad caput jam infirmum congeſtionem, ex ſpaſmis inferiorum. Hinc ſi proportionatus & moderatus eſt fluxus, cum ſanguinis in corpore abundantia, non adeo nocet, ſed potius graves capitis affectus avertit, id quod tamen rarius evenit. Quando vero paucæ tantum ſanguinis guttæ ſtillant, nullum inde levamen, ſed potius præſagium delirii & inflammationis faucium. Et ubi effuſius manat, vires proſternuntur, excretiones cutaneæ ad interiora reſtringuntur, & exanthemata, quæ adſunt, non ſine diſcrimine diſparent. Ad avertendum igitur ſanguinis ad caput confluxum, pedes ſemper in moderato calore & madore ſervandi, omneque frigus arcendum. Hunc etiam in finem conducibile veſicatorium, noſtra ex inventione temperatum, nec nimis dolens, ſuris apponere, alvumque ſervare apertam, vel per temperata nitroſa, moderate & crebro data, vel clyſtere, vel infuſo mannato. Et eadem quoque juvant, ſi hæmorrhagiæ nimiæ. Ubi vero parcius juſto nares ſtillant, ſanguis tamen, teſtibus oculis rubicundis, torvis & arteriis temporalibus valide pulſantibus, ad caput impetuoſius confluit, præter jam dicta revellentia, derivantia & cucurbitulas nuchæ admotas, ſtillicidium proritare expedit, vel per intruſum naribus ſtramineum culmum, vel ſcarificatorio inſtrumento. Ubi nimius alvi fluxus, pulveribus bezoardicis aliquot tantum grana corticis chaccarillæ admiſcenda, externis tamen potius, quam internis excretio moderanda & abdomen balſamo ſtomachali ex oleo nuciſtæ expreſſo, menthæ & balſamo de Peru inungendum. In ſudore effuſiori ſtragulorum calor quam maxime evitandus, & abſtinendum à potu infuſorum theiformium, ac uſurpandæ ſpecies de hyacintho cum nitro. Et ſi vomitus & ſingultus urgent, præter commendatum externum linimentum, liquore anodyno cum liquore bezoardico, nihil efficacius.

§. XI.

Venæ ſectio emetica & veſicatoria cum diſtinctione uſurpanda

Venæ ſectio in exanthematicis hiſce febribus cum ſumma circumſpectione adminiſtranda. Magis enim ad præſervationem facit, quam ad curationem. Hinc in gravidis & fœminis, quæ nimiis ſanguinis per uterum profluviis obnoxiæ, quum tempus vernum & hyems præceſſit nimis rigida, non ſine fructu ſanguis mittitur, id quod etiam tenendum de iis, qui purpuræ ſcorbuticæ patent, & morbi hujus inſultum metuunt. Viciſſim, ubi jam virium enormis lapſus, morbus ex cacochymia ortus jam præſens eſt, catarrhoſæ affectiones complicantur, febreſque ob aërem vappidum nebuloſum malignæ & putridæ graſſantur, plane à ſanguinis miſſione abſtinendum. De primam regionem vacuantibus monendum: quod ſi morbus invadit corpus, cujus ventriculus, copia alimentorum, præſertim incongruorum, recenter farctus, tartarus emeticus, in infuſo mannato ad unum, vel duo grana datus, eximie ſit proficuus. Nam licet ejuſmodi pharmacum vacuans malignitati non directe reſiſtat, quia tamen materiam & fomitem morbi ſubtrahit, multum omnino facit ad curationem ipſam. Sed ſi quid movendum, heic maxime, ſapienti *Hippocratis* effato, movendum in principio. Veſicatoriis multum in his febribus tribuunt plures. Ego vero ita cenſeo: habent locum ſi metus retroceſſionis exanthematum, ſi natura corporis tarda in excretione, ſopor & torpor adeſt. Tum novi, à veſicatoriis brachiis, vel ſuris appoſitis, mox totum corpus purpura rubra vel alba fuiſſe conſperſum. Sed noſtrum temperatum hic etiam commendamus veſicatorium.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Febris Maligna Petechizans Anno cIↃ IↃcxcIIx. *Halæ Epidemica.*

Conſtitutio aëris præcedens inſalubris.

Varium admodum, maxima tamen ex parte nubilum & pluvioſum cœlum, autumno anni ſuperioris ſæculi xcIIx. regnarat, hyems quoque præter morem tepida & humida, autumno fere ſimilis fuerat, & ver ſubſequentis anni xcIx. pariter juſto calidiorem & humidiorem habuerat aëris ſtatum, ventis ſemper fere ex auſtro ſpirantibus. Hæc autem præternaturalis diuturna & inſalubris temporum anni conſtitutio peſſime mortalium affecit corpora. Inde quippe fibræ motrices nimium laxatæ, ſuccorum ſpirituaſcentia depreſſa, vitalis humorum progreſſus multum retardatus, ſe & excretiones, potiſſimumque omnium ſaluberrima perſpiratio, turbatæ, omnibus ſuccis impuritas ad corruptionem prona inducta, corporibuſque magna ad morbos diſpoſitio ingenita. Exceperunt igitur varii morbi, partim putridi & maligni, partim à ſeri redundantia & in locis glanduloſis ſtaſi pendentes. Inter eos, qui populares habuerunt circuitus fuerunt variolæ & febres malignæ petechizantes. Nimirum circa æquinoctium autumnale anni xcIIx. cœpit variolarum morbus, & per ſex fere menſes tanta inſtitit vehementia, ut vix ullus, qui ipſum nondum expertus, maneret immunis, uti quidem ſuperius *capite VII. pag.* 162. *ſeqq.* enumeravimus. Circa æquinoctium autem vernale anni xcIx. gravior adhuc prodiit lues, adultis præcipue infeſta, & ſtragem edidit haud levem, febris nempe maligna, petechiis variiſque exanthematibus comitata, cujus genium, ingreſſum atque decurſum, ex propria attenta obſervatione jam fuſius paullo delineabimus.

Quos invaſerit morbus & quibus capitalis.

Scilicet invaſit hic morbus ratione ætatis, maxime juvenes & viros; tenellis, puerili ætati & ſenibus pepercit: ratione ſexus majorem edidit ſtragem in maribus, quam fœminis. Dein infeſtavit potiſſimum perſonas conſtitutionis ſanguineæ, item ſanguineo-phlegmaticæ, nec non ſanguine abundantes, obeſos, habitus corporis laxioris, ſpongioſioris & venis plurimis, anguſtis tamen & exilibus diſtincti. Graciliores autem, cholerici & illi, quibus fibræ magis ſtrictæ & venæ amplæ, non tam frequenter eodem affecti. Infenſiſſimus, immo lethalis fuit iis, qui ex nimia intemperantia, præſertim vini generoſi abuſu, nimia voracitate & crebrioribus animi commotionibus, ſanguinis impuritatem & cacochymiam ſibi contraxerunt, vel ex morbis prægreſſis, aut aliis cauſis corpus obtinuerunt jam imbecille. Sine contagio ipſum hunc morbum fuiſſe ſubnatum & intus progeneratum, frequens docuit experientia. Contagii autem vis non in omnes promiſcue ſe exſeruit, ſed maxime in vicinos atque diſpoſitos, ita ut plures iiſdem in ædibus ſimul ægrotarint. Rariſſimi fuerunt ex peregre accedentibus, qui lue infecti.

Symptomata eſſentialia.

Omnes autem, quotquot corripuit hic morbus, hiſce affecit pathematibus, ex quibus, ceu pathognomonicis ſignis, cognoſcendus fuit. Inſignis & ſubita ſtatim inter initia & per totum decurſum morbi durans, adfuit virium jactura atque proſtratio, & tanta laſſitudo & gravitas detinuit membra, ut ægri præ debilitate nec corpus movere, nec erecta ſtatura incedere potuerint, ſed illico vertigo, vel leve animi deliquium, non ſine inſigni vitæ diſcrimine, acceſſerit. Pulſus dein arteriarum deprehenſus debilis, parvus, frequens tamen, interdum majori, interdum minori celeritate & inæqualitate micans. Calor porro ut plurimum viſus remiſſior & minor, ſitis quoque non adeo magna & urina ſanorum ſimillima, ſed vigilia, aut in aliis ſomnolentia, perſtitit continua.

Quoad temperamenta diverſa.

Pro temperamentorum tamen ætatumque diverſitate, nec non rerum externarum acceſſione, diſcreparunt ſymptomata. In ſanguineis confuſus & inconſtans fuit decurſus, dorſi autem dolor major, anxietas præcordiorum gravior, cephalalgia acutior, cum faciei & oculorum rubore, vigilia & delirio, maculæ etiam rubræ affatim in iis fuerunt conſpicuæ. Qui ſanguinem mobiliorem & bilioſum aluerunt, ſub ſtrictiori corporis habitu, majorem experti ſunt ardorem externum, vigiliam cum æſtu, corporis jactatione & inquietudine; acceſſit etiam in his loquacitas, faucium inflammatio, delirium, oculis ſimul protuberantibus, ferocibus atque ſplendentibus. Qui laxiorem & obeſum corporis geſſerunt habitum, cum ſanguine copioſo, ſero viſcido ſcatente, non adeo mordaci calore, nec ſiti, nec inquietudine affecti ſunt, ſed ſomnolenti, debiliſſimi & moroſe taciturni jacuerunt. Somnus vero ut plurimum fuit turbulentus, variiſque abſonis inſomniis interturbatus, à quo male habuerunt, & expergefacti leviter ut plurimum delirarunt. In melancholicis ſimilia ſunt obſervata.

nec non excretiones & quidem diarrhœa.

Quoad excretiones etiam diverſa annotata phænomena. In nonnullis per totum morbum diarrhœa moderata neque inſalutari ſpumoſa & variegati coloris feceſſerunt. Plurimis accidit id circa dies criticos, ſeptimum, nonum, undecimum, vel decimum quartum, cum copioſo ſudore, ac critica quam maxime ſalutaris fuit excretio. Quin, non tantum hoc tempore, ſed & alio, quo ſimiles continuæ putridæ febres graſſatæ, notavi, ſemper magis è re ægrorum fuiſſe, quando alvus lubrica & fluxa, quam ſi obſtructa. Tum enim majores anxietates, cephalalgiæ, inflammatorii faucium affectus, vel purpura alba, cum vitæ diſcrimine ſucceſſerunt.

Sudores.

Sudorum ratio non fuit ubique eadem: continuo quippe & per totum morbum manantes, morbi malignitatem, naturæ imbecillitatem infelicemque ſignificarunt eventum; lenis autem ſudor & mador continuus boni ominis præbuit ſignum. Quando etiam ægri nono, vel undecimo die copioſius ſudare cœperunt, præcedente, vel etiam erumpente ſimul alvi fluxu, ſymptomata multum remiſerunt, animi rediit vigor atque conſtantia, nec non pulſuum æquales ictus, cum optata ſpe ſanitatis. Nec quiſquam fere morbum hunc evaſit periculoſiſſimum, quam diarrhœa, vel ſudore, vel utroque ſimul. Interdum tamen effuſius & longius manavit ſudor, ad hebdomadem fere, ac vires exhauriens hectici morbi metum incuſſit.

Hæmorrhagias.

Narium hæmorrhagia largior ex voto non ceſſit, præſertim crebrius repetens; vidimus tamen & in principio copioſam, cum diarrhœa ſimul erumpentem, ſine vitæ periculo. Menſium quoque fluxus liberalis adnodum tertio, vel quarto morbi die, innoxius tamen, prodiit. Sanguinis vero per ani venas ſtillicidium, quantum quidem novi, viſum eſt in nemine.

Urinam.

Urinæ ut plurimum fuerunt ſanorum ſimiles, inter-

interdum tenues & turbidæ ac pallidæ, ſine ſedimento, quod circa decimum quartum, immo vigeſimum diem, cum aliis fauſti præſagii ſignis, comparuit. A non nullis tamen urinæ ſtatim poſt emiſſionem turbidæ redditæ, non ſine fœtore. In quibuſdam tertio ſtatim morbi die effuſe ſeceſſit, ſuccedente gravativo ſimul capitis dolore, torpore mentiſque ſtupore ac turbatione, quæ accedente die ſeptimo copioſo ſudore, feliciter evanuerunt & ægri ſervati. Quidam viciſſim, maximeque ii, qui diarrhœam, vel vomitum frequentem experti, per aliquot dies parciſſime urinam, limpidam inſtar aquæ, reddiderunt.

Vomitum. Vomitum cum ſingultu per totum fere morbi curſum obſervavimus lethalem. Conatus autem ad vomendum fuit frequentior, præſertim poſt aſſumta medicamenta, vel quando ægri ante morbi inſultum gravi terrore perculſi, aut in principio emeticum aſſumſerunt validius. In non nullis peculiare hoc funeſti ominis ſymptoma viſum, quod liquidum aſſumtum & in ſtomachum delatum, accedente leviore corporis commotione, vel erectione tantum, iterum in os cum murmure ac borborygmo aſcenderit, ac limpidus humor, duo fere cochlearia complens, eructatus. Vidi inprimis hoc cum ſingultu per aliquot dies in viro honorato, in quo inſtituta poſt mortem ſectione, hepar in concava parte plane putridum, nigrum, inſtar picis, nec non in diaphragmate, duodeno & parte pylori, ſphaceloſa comparuit corruptio.

Et exanthemata. Exanthematibus quidam plane caruerunt, quidam confertim obſeſſi. Hæc in non nullis antequam lecto affigerentur, quum adhuc non niſi de languore conquererentur, inter initia ſtatim comparuerunt, minus fauſto eventu. In aliis circa diem ſeptimum, vel nonum in conſpectum prodierunt, bono cum omine. Occuparunt autem ut plurimum collum, dorſum, femora, parcius abdomen pedes & manus, rarius etiam faciem, in uno tamen circa frontem, tempora & mentum rubicundæ admodum conſpicuæ fuerunt maculæ petechiales. Meliores fuerunt parvæ & rubræ, pejores magnæ, lividæ & ad viridem, vel violaceum colorem accedentes. Præterea in iis, quibus alvus tenſa erat & dura cutiſque ſicca & arida, nono inprimis, vel decimo morbi die, quum petechiæ diſparere inceperunt, maximis cum anxietatibus, extremorum refrigeratione ſummaque virium & animi defectione, ſucceſſit exanthema peſſimi moris miliare, purpura nempe alba, multoſque tam antequam prodiret atrociſſimis ſymptomatibus, quam etiam poſtquam prodiiſſet, ob vires penitus jam fractas, interfecit.

Signa mala. Rarius morbum evaſerunt, continua mortis formidine detenti, nec non qui medicamenta reſpuerunt, qui obeſi fuerunt, & copioſum ac impurum aluerunt in venis ſanguinem. Funeſti ominis fuerunt ſudores frigidi, cum pulſu frequenti, debiliſſimo & intermittente, reſpiratione intenſa & acciſa, deliriis, convulſivis motibus, ſeu tendinum in manuum carpis contractione. Delirium nunciarunt oculi feroces, cum rubedine & illacrymatione, ſitis defectus, inquietudo & jactatio corporis, pulſus celer & faciei inflatio. Peſſima quoque macularum retroceſſio, quæ vel admiſſo improvide frigore, vel terrore incuſſo, vel corpore diutius erecto, inducta. Hac enim facta, mox ſumma debilitas, corporis refrigeratio, reſpiratio anheloſa & anxietas præcordiorum graviſſima, cum vitæ diſcrimine, ſubſequuta. In bonis viciſſim fuerunt, quietus corporis decubitus, mentis conſtantia, ſitis, ſomnolentia, macularum die ſeptimo demum, vel nono proceſſus legitimus, alvus liquida, ſurditas circa diem criticum eveniens & aliquamdiu perdurans, idque maxime in iis, qui habitu fuerunt graciles, tenues, cum fibris ſtrictioribus. *Bona.*

Qui mortui, die ut plurimum undecimo, nonnulli tamen etiam ſeptimo, diem obierunt. Qui autem ſanitatem recuperarunt, die undecimo, vel etiam decimo quarto, quin decimo demum octavo, virium reſtaurationem & ſymptomatum remiſſionem ſunt experti. Sex tamen plerumque hebdomadum ſpatio, antequam perfecte ſanarentur, opus habuerunt, ac medio quippe tempore febris ſoluta eſt, & reliquum; tam ad tollenda ſupervenientia accidentia, quam ad vires recolligendas impenſum. *Eventus.*

In regimine commendata uſura aëris ſereni, limpidi, puri, temperate calidi; hypocauſta enim nimis calefacta, vel exceſſivus calor à ſtragulis, ſemper fere, vires exhauriendo & excretorios actus turbando, nocuerunt. Cibi, præcipue ſolidi, admiſſi nulli, ſed in declinatione & poſt illam, tantum liquidi & facilis ſolutionis aſſumti. Uſus vero ciborum liberalis, etiam nutrientium & juſculorum ſic dictorum confortantium, particulis oleoſis alibilibus fœtorum; præſentiſſimum attulit damnum, inprimis circa dies criticos, in ſtatu morbi, aut præſentibus evacuationibus criticis, & inde mox major virium jactura cum excretionum turbatione inducta. Quin novi, largiorem ciborum ſolidorum declinante morbo uſum; gravem peperiſſe recidivam. Nihil autem fere magis nocivum fuit, quam ſitus erectus. De quo quidem ſilent practicorum libri; ego vero non tantum in hoc, ſed & aliis malignis & acutis exanthematicis morbis notavi multoties, quod ſi ægrotantes diutius corpus in erecta ſervarint ſtatura, ſive ſurgentes, ſive in lecto ſedentes, vehementia morbi mirifice increverit, quin ipſa mors exceperit. Inde enim illico ſumma affecti debilitate & animi quaſi deliquio, anxietate præcordiorum, extremorum frigore & maculæ in cute conſpicuæ evanuerunt, cum vitæ periculo. Neque hoc, uti vulgo creditur, ob admiſſum frigus accidit, ſed iis etiam, qui in calore detenti & ab omni frigoris acceſſu probe ſunt defenſi, ob languidiorem ſanguinis ex corde perpendiculari via ad caput pulſum. *Victus & regimen.*

Ex medicamentis alexipharmaca, ſalia volatilia, bezoardica calida & ſpirituoſa, licet ceu efficaciſſima vulgo commendentur, plus damni, quam emolumenti attulerunt, præſertim liberalius & cum calido regimine exhibita. Diſſolutionem enim ſanguinis elementorum promoverunt, & ob id majorem petechiarum fecerunt copiam; vel cephalalgias etiam, anxietates, inflammationes, vel etiam ſudores copioſos, ſuſcitarunt. Quin novimus his ad præſervationem cum regimine aſſumtis, mox ipſo contagio corpus fuiſſe affectum. Fuit tamen, ubi hæc volatilia alexipharmaca analepticis mixta, moderate & caute uſurpata, opem tulerunt egregiam, tum nempe, ubi ex macularum retroceſſione, vel corporis, ſive ex terrore, ſive ex frigoris externi admiſſione, aut ſtatura erecta, refrigeratione, anxietates & debilitates infenſiſſimæ ſubſequutæ. Suaſimus etiam moderatum horum uſum ſtatim in principio, quum circulatio ſanguinis adhuc in vigore eſſet, quo magna *Calida alexipharmaca nocuerunt.*

magna materiæ peccantis portio cum fructu dissipata. Sudoriferum tamen non simul injunximus regimen, nec iis usi sumus in plethoricis & cacochymicis. Neque minus eo tempore, quo crisis instituit, vel etiam jam adfuit, bezoardica volatilia in moderata dosi, criticas evacuationes, debilem & languidum motum resuscitando, egregie secundarunt. Cauti tantum fuimus & parci, ne nimios sudores efficeremus & ad lentas febres induceremus dispositionem.

De venæ sectione.

Sanguinis missio ad arcendum morbi incursum proficua observata, in corporibus plethoricis & quibus sanguinis evacuationes tam spontaneæ, quam artificiales consuetæ: contra ea, quando jam debilitas & virium prostratio insignis adfuit, minus feliciter cessit venæ sectio. Non enim putredinem tollere apta fuit, sed corpora inde magis potius debilitata, ut morbo superando facta imparia.

De vomitoriis, vesicantibus & opiatis.

Vomitoria lenia in iis, quibus prima corporis regio vitiosorum humorum copia obsessa, præservationis ergo ante insultum morbi, opem tulerunt exoptatam. Novi etiam ipso in morbi principio eadem profuisse; verum circa morbi progressum ac statum, continuum vomendi desiderium, nauseam, ardorem circa regionem cordis & anxietatem cardialgicam suscitarunt, vel potius hisce malis præbuerunt causam. Vesicatoria ab aliis nobis eximie laudata, in statu morbi, ubi delirium, vel sopor & convulsiones ægrum afflixerunt, cervici admota. Opiata omniaque soporifera rejecimus, propter pulsum debilem & motus vitales jam languentes, quippe quæ vires magis debilitando & excretiones retardando, majorem efficiunt malignitatem & ad mortem aditum parant placidum quidem, sed certum.

Materia medicamentorum.

Materia vero eorum, quæ à nobis usurpata & salubria deprehensa, fuit hæc: ex aquis; florum sambuci, acaciæ, tiliæ, ulmariæ, rosarum, herbæ scordii, scabiosæ, cardui benedicti; ex syrupis: acetositatis citri, granatorum, cum julepo rosarum; ex pulveribus: mater perlarum, antimonium diaphoreticum, lapides cancrorum, succinum, terra sigillata, cornu cervi ustum, philosophice præparatum, nitrum purum; ex alexipharmacis: camphora, essentia & extractum scordii, vinceroxici, mixtura simplex, spiritus & tinctura bezoardica; ex acidis: spiritus vitrioli philosophicus & nitri dulcis; ex humectantibus: decoctum scorzoneræ, rasuræ cornu cervi, item gelatina cornu cervi; ex analepticis: aqua florum aurantiorum, oleum citri recens cum saccharo, confectio alkermes, de hyacintho, balsamus noster vitæ externe; ex antispasmodicis: essentia castorei, cinnabaris, spiritus cornu cervi succinatus.

Medendi methodus.

Ex his varii generis formulæ pro circumstantiarum ratione concinnatæ, & methodus iisdem utendi ita instructa: in principio morbi pulvis bezoardicus, cum nitro & pauxillo camphoræ remixtus, iterato aliquoties exhibitus; per morbi dein progressum & statum, mixturæ ex aquis temperatis, diaphoreticis, analepticis, antispasmodicis & pulveribus cordialibus bezoardicis cum succo citri aliquamdiu datæ. Potui inditum nitrum, vel spiritus vitrioli philosophicus, aut clysmus antimonii sulphuratus, qui alvum fluidam servat. Et frequens potus decocti cornu cervi citrati, item radicis scorzoneræ, calidus & frigidus, admodum proficuus notatus. Circa diem criticum leniora alexipharmaca & quæ sudorem promovere poterant adjecta, quando natura ad sudorem movendum se armavit & non sufficit. Hinc vel mixtura, vel tinctura bezoardica, vel essentia scordii, mixturis indita.

Symptomatum medicatio.

Hæc optima & securissima fuit medendi methodus & plus quam centies probata. Symptomatibus autem hac obviam itum ratione: in nimio vomitu, anxietate præcordiorum, enormibus diarrhœis & ventris torminibus, externe theriaca cum oleo nucis moschatæ expresso, camphora, oleo caryophyllorum & balsamo Peruviano mixta, regioni stomachali apposita. In diarrhœa etiam nimia vires exhauriente usurpatus pulvis bezoardicus nitrosus, cum momento camphoræ & theriacæ cœlestis. In phrenitide & acuto capitis dolore cum fructu externe admovimus spiritum vini camphoratum & salis ammoniaci, cum oleo rutæ, lavendulæ. Si alvus nimis adstricta, vel tormina in ventre afflixerunt, expertissimi fuerunt clysteres lenientes, vel pure oleosi. Ad erigendas vires, spirituosa, confortantia, aromatica, externe pulsibus & scrobiculo cordis apposita, vel naribus suscepta, opem tulerunt egregiam. Ad fallendam sitim egregium fuit electuarium, ex saccharo Canariensi & spiritu nitri dulci.

Præservatio.

Qui demum ab epidemica hac lue sibi metuerunt, ii prudenti medicorum consilio defensi purgationibus lenioribus, pilulis nempe ex extractis balsamicis amaricantibus, rhabarbarinis & aloëticis. Plethoricis sanguinis subtractio rite administrata. Ad sanguinem vero fluxilem servandum, & dyscrasiam cum malignitate arcendam, commendari meruit infusum veronicæ & scordii, omnibus individuis accommodum. Accedere præterea debuit decens vivendi ratio, cibus & potus moderatus, temperatus nec varius; abstinendum ab affectibus animi, vires omni modo custodiendæ, corpus à refrigeratione defendendum, & ipse aër humidus & vapidus corrigendus accensione lignorum & gummatum resinosorum.

Observatio II.

Constitutio aëris & morborum epidemici anni 172

Ego quidem per omnem vitam non facile memini, ullum annum adeo, quoad tempestatum aërisque constitutionem, ab ordinario statu declinasse & quasi præternaturalem fuisse, quam elapsum MDCCXXVIII. Etenim Martio jam mense cœlum regnavit præter morem calidum, & subsequentibus mensibus calor cum siccitate adauctus, sicque ad medium usque Septembris duravit. Intervenerunt tamen subinde dies & noctes frigidæ admodum & rigidæ, quibus adeo in contrarium mutatus subito aëris habitus, ut præcipitante etiam Aprili noctu in glaciem à gelu aquæ densarentur. Autumno postea tempestas ingruit ac perstitit humida & frigidiuscula fœcunda. Sub finem demum, Decembri & Januario sequenti, successit præter consuetudinem algidissima hyems, ita ut gelu VI. VII. X. XII. & XIII. Januarii die, intensissimum illud post hominum memoriam anni MDCCIX. si non superaret, certo tamen æquaret. Frigidissimam autem hanc tempestatem subito iterum excepit leniissima australis die XIV. aura, quæ copiosissimam nivem cum glacie mox liquavit, interspersis subinde pluviis. Mira etiam sub hac cœli vicissitudine observata argenti vivi in barometro, ratione descensus & ascensus, crebra & quotidie fere mutatio, qualem ne per triginta

triginta annos vix unquam vidiſſe recordor, adeo etiam, ut vel una nocte, à vigeſimo ſeptimo gradu, ad duodecimum, quin octavum delaberetur; luculento indicio, non modo valde ſubitam ratione caloris & frigoris in thermometro, ſed etiam gravitatis aëris, mutationem ac varietatem factam fuiſſe. Hæc autem inſolita & peculiaris aëris annique temporum conſtitutio, non potuit non ingentem etiam mutationem animantium & maxime humanis corporibus inferre functiones tam vitales, quam naturales, potiſſimumque ſecretorios & excretorios actus, turbare atque pervertere, & materiam ac diſpoſitionem ad diverſi & inſueti etiam generis morbos ingignere. Hinc igitur factum eſt, ut non modo in univerſa Germania, ſed & Belgio, Anglia & alibi, tam uberi proventu enati fuerint morbi, quam vix alio tempore viſum unquam. Decurrente quippe vere, æſtate & autumno, febres variæ intermittentes, tertianæ ſimplices, duplices & continuæ, quartanæ ſimplices & duplices, crebrius recidivantes, valde anomalæ & irregulares, in quibuſdam malignitatis ſpeciem referentes, contagio infeſtæ, ſæpe purpuraceo exanthemate ſtipatæ, prodierunt affatim. Variolæ quoque & morbilli non ſiluerunt, & quidam præterea diarrhœa & dyſenteria affecti. Octobre vero & Novembre appetente deſierunt intermittentes irregulares & ſucceſſerunt catarrhales, pro diverſitate & impuritate corporum, plus minus benignæ vel malignæ, ac per Decembrem etiam ac Januarium infeſtarunt, factæ ſimul contagioſæ, cum exanthematibus, petechiis ſpuriis ac purpura. In plurimis cum horripilatione, virium proſtratione, contuſivo artuum dolore, temulentia capitis, juncta raucedine, gravedine & pectoris infarctu, inceperunt, & quotidie circa noctem, quæ ut plurimum inſomnis fuit, major facta inquietudo cum æſtu. In ſpurcis admodum corporibus, quarto, vel etiam ſeptimo die comparuerunt exanthemata, petechiæ maxime ſpuriæ & purpura alba, vel rubra, vel utraque ſimul, modo cum, modo ſine levamine. Optime potius morbus ſolutus vel ſudore largo, vel alvi fluxu, vel copioſo ſcreatu. In benignioribus catarrhalibus cum violenta & convulſiva tuſſi, faucium tumore, quandoque exulceratione, pectoris copioſo infarctu, parotidum, quin eryſipelaceo faciei tumore, ego diluentibus, ſanguinis æſtum & acrimoniam temperantibus cum fructu ſum uſus. Evacuationem alvinam per infuſum uſitatum mannatum movi, quod ſine ulla moleſtia ſex, vel ſeptem ſedes proritavit, humorumque à pectore, faucibus & capite impetum efficaciter derivavit. Et poſtea pulveribus diaphoreticis cum pauxillo extracti croci, nec non infuſis theiformibus, cura ex voto abſoluta. In iis autem febribus, quæ genii minus benigni viſæ, eadem, quam ſupra expoſitum, ratione, medicationem inſtitui.

Ex his quibus exanthemata juncta, memorabilis potiſſimum petechialis mitior, cum purpura alba, cujus hiſtoriam, inprimis ex obſervatione numeroſiſſima praxi occupati medici, ſigillatim percenſere, operæ erit pretium. Cœpit ſcilicet hæc in plurimis cum horripilatione & ſubſequente æſtu mitiuſque per duos aut tres primos dies afflixit, ita ut ægri non penitus lecto affigerentur, ſed tantum de doloribus tenſivis in dorſo & artubus, capitis temulentia, virium appetituſque proſtratione conquererentur. Non nulli conatum vomendi, quidam etiam vomitus experti, plerique tamen primos hoſce dies ſomnolenti, dormiturientes magis, quam vigilantes, tranſegerunt. Accedente autem quarto die, motus febriles graviores acceſſerunt & vix ſequenti mane tantiſper remiſit æſtus, ſimulque ipſo hoc die in quamplurimis ſanguinis per nares erupit ſtillicidium, ac paullo poſt ſub leni madore prodierunt etiam petechiæ. Fuerunt præterea in pleriſque quibus alvi circa hoc tempus obtigit lene profluvium, ad ſeptimum uſque diem, quin quandoque undecimum durans, quod morbi vehementiam imminuit magis, quam adauxit. Abſoluta macularum eruptione, in junioribus potiſſimum, minus meticuloſis & de vita ſollicitis, febris poſtea, ſub levi mentis turbatione, placide & tranquille decurrit & circa decimum quartum diem ad fauſtum exitum pertigit, tantum quod in quibuſdam tuſſis & ſurdaſter ſtatus per octo, vel plures dies durans, remanſit. Quod ſi autem poſt exanthematum efflorescentiam febris impetus cum deliriis increvit potius, undecimo, vel decimo quarto die certo exſpectanda fuit purpura alba. Quæ priuſquam comparuit, ægri ſumma præcordiorum anxietate, inſomnia & ſtricturis circa collum ſunt affecti, ut conquererentur fauces ſtrangulari, ſe ciſtæ eſſe incluſos, teneri, in alieno conclavi & inter peregrinos verſari, rogantes, vincula ut laxentur, ipſique ſuis & quieti redderentur &c. Quod ſi tamen ſub hoc angore & pathematum vehementia purpura in conſpectum venit, & deliria cum reliquis ſymptomatibus poſtea ceſſarunt, & hi feliciter evaſerunt. Sed quibus circa nonum diem tendinum ſubſultus, motus tremuli, reſpiratio anheloſa, involuntaria urinæ & alvi excretio acciderunt, licet etiam demum purpura proreperet, decimo, undecimo, vel decimo tertio die, ſub convulſivis motibus obierunt. Medendi hiſce febribus methodus fuit hæc. Adultis & qui venæ ſectioni aſſueti, ſimul ac conqueri cœperunt, ſanguis ad ſex, vel octo uncias ſubtractus in pede, omnibuſque quies, moderatus calor & abſtinentia injuncta. Conclavia ſemper in æquali tepore ſervata, nulli, quam poſcenti, cibus datus, potus vero ex cereviſia tenui tepidus & parcis hauſtibus pro lubitu unicuique conceſſus. In medicatione, rejectis expellentibus & alexipharmacis, ternis ſingulis horis, exhibitus pulvis temperans, ex abſorbentibus, tam ſimplicibus, quam acido ſaturatis, cum antimonio diaphoretico & nitro, vel loco hujus potio temperata ex aquis deſtillatis, cum temperantibus & ſyrupo acetoſitatis citri. Comparentibus autem exanthematibus, ad impediendam eorum retroceſſionem, pulveribus temperantibus, interpoſitis ſubinde parcis doſibus, uſus eſſentiæ bezoardicæ, infuſum theiforme potui datum & regimen diapnoicum injunctum. Alvus quidem in pauciſſimis adſtricta, ſed ubi fuit, clyſtere emolliente ſoluta. Adverſus cephalalgias uſurpatus ſpiritus vini camphoratus, vel etiam epithema illud domeſticum ex mica panis, baccis juniperi, ſale & cumino. Reliquorum ſymptomatum, ut inappetentiæ, ſomni defectus & laſſitudinis, minus rationem habuimus & præter analeptica temperata, datum præterea nihil. Cæterum feliciter per Dei gratiam, in omnibus fere qui conſiliis medicis in diæta & regimine rite obtemperarunt, curatio ſucceſſit; ii vero, qui hæc penſi habuerunt, maxima quidem etiam ex parte evaſerunt, ſed in morbos poſtea inciderunt corruptos, lenteſcentes.

Idem

Historia febris malignæ exanthematicæ.

Idem hic morbus, iisdem fere symptomatibus, eodem tempore infestavit milites nostros præsidiarios. Scilicet fama percrebuerat, potentissimum Porussiæ Regem huc venturum, milites lecturum. Hinc præfecti meditationes instituerunt campestres, suosque per aliquot dies ante diluculum in campum eduxerunt, ut armis sese exercerent. Erat autem October jam adultus, cœlum frigidiusculum, nebulosum ac subinde pluviosum, milites tamen minus adversus aëris injurias ob vestitum leviorem muniti: male inde ipsorum corpora affecta & dispositio ingenita morbosa, inprimis quum non deessent, qui liberali vini adusti potu corpus calefacere perperam satagerent. Ex eo igitur languere cœperunt multi & plures ægrotare, alii catarrhis, alii rheumatismis, alii diarrhœis, alii intermittentibus febribus, maximeque quartanis refractariis, affici, donec exeunte Novembre longe plures adoriretur febris continua maligna exanthematica, & successive vel centum inficiens, ad finem usque Decembris insisteret. Quotquot hæc corripuit, omnes primum de insolito corporis artuumque languore conquesti sunt, cum capitis gravitate, appetitus defectu & nausea. Sequutus dein horror corporis, quem excepit calor & pulsuum celeres, debiles tamen ictus. Postea non nullos primum mitius afflixit pectoris infarctus, cum tussi & coryza; alios vicissim mox ita prostravit morbi vehementia, ut lecto affigerentur, & simul ac vel caput tantum erigerent, lypothymiis afficerentur. Increbuerunt tum, inprimis accedente quarto die pathemata, somnus defuit, nausea ursit, caput & dorsum doluit, pectus oppressum fuit, in non nullis nares sanguinem stillarunt, aliis vomitus, aliis conatus ad hunc accidit, fuerunt maxime inquieti, delirarunt, corpus jactitarunt, de summo simul angore conquesti. Exactis inter hæc aliquot diebus, circa quintum, ut plurimum tamen septimum diem, prodierunt maculæ petechiales, optimæ rosei & purpurei, pessimæ lividi & fusci coloris. Exanthema quoque miliare, maculis hisce quandoque fuit interspersum rubrum, vel album, morbumque multum exacerbavit. Longe pejus tamen fuit, si post nonum, aut undecimum diem hoc accessit, viribus jam nimium attritis; quin die demum vigesimo primo uni id contigisse novimus, lethali eventu. In quibusdam critico septimo die sudor manavit; in plurimis vero circa quintum vel septimum diem alvus fluere cœpit, ad nonum, vel undecimum usque diem; & hæ quidem excretiones criticæ ægris in salutem evenerunt. Quod si vero sudor statim ab initio fuit effusior, exanthematibus præsentibus nulla remissio, nullum criticis diebus in urina sedimentum, alvus adstrictior, cutis arida, sitis nulla, malum præbuerunt omen, invalescente haud ita multo post delirio, inquietudine, accedentibus cum singultu convulsionibus ac tandem morte. In medicatione harum febrium regimen injunctum moderatum, potus tepidus sufficiens, ex decocto potissimum hordei, cibus interdictus, rejecta calida & alexipharmaca, vomitoria & purgantia, omissa quoque venæ sectio, quæ in binis primum infeliciter cesserat. Dati tantum pulveres temperantes nitrosi ac diaphoretici, modo cum, modo sine succo citri, item potiones ex aquis analepticis ac diapnoicis cum antimonio diaphoretico, matre perlarum, cinnabari & aceto. Alvus obstructa emollientibus clysteribus reserata, nimis fluxa calore & pulverum diaphoreticorum usu ad moderamen traducta, & de reliquo eadem fere ratione, ac supra dictum, symptomatibus cæteris obviam itum. Feliciter etiam cessit curatio, ita ut ex omnibus vix ultra decem mortui, & hi quidem vel nono statim die, vel undecimo accedente purpura. Cæteri fere omnes superato decimo quarto die sensim vires cum somno & appetitu receperunt ac successive cum sanitate in gratiam redierunt. In quibusdam tamen per aliquod adhuc tempus restitit præter languorem tussicula, in aliis etiam passim in carnosis externis partibus effloruerunt furunculi admodum molesti, congruis præsidiis demum etiam sanati.

Consectaria.

Id igitur ex epidemicæ hujus febris historia notatu dignum: quod à sola paulo intensiori perfrigeratione corporis atque transpiratione adhibita, pro dispositione corporum, quatenus plus vel minus impuros in venis inque prima regione alunt succos, varii generis morbosæ affectiones, plus vel minus mali moris, intermittentes nempe, item catarrhales rheumaticæ, petechiales & purpuratæ gigni possint. Dein & illud observationem meretur, quod contagiosa quidem hæc febris fuerit, non tamen omnes, sed tantummodo milites infecerit, qui similem perfrigerationem eo tempore passi, immunibus à contagio & iis, qui in eadem domo habitarunt, & qui visitarunt ægrotos. Quod quidem luculento est testimonio, contagium, ut effectui detur, supponere & requirere, corpora, quæ succos ad recipiendum miasma & ejus activitati obsecundandum dispositos alunt. Tum non prætereundum est, quod milites valde proceræ staturæ vehementius ægrotaverint & difficilius evaserint, quam alii minus proceri. Quia enim in proceræ staturæ corporibus, ob longum ac difficilem sanguinis per venas perpendiculari via regressum ad cor, circuitus tardior est & languidior ac in parvæ staturæ, excretionem autem & maximo perspirationis negotium circulum sanguinis tardiorem, vel celeriorem sequitur, facile patet, sub languidiori sanguinis & humorum circuitu, corpora magis & facilius reddi impura, & autocratiam quoque naturæ in vincendis morbis, quæ consistit maxime in circulatione sanguinis vegetiori & promtis excretionibus, valde languidam esse & insufficientem. Tandem memorabile omnino, quod venæ sectio etiam in principio administrata noxam potius quam opem attulerit, quæ alias non tam facile in robustis hominibus, ut militibus, nocet. At quum à transpiratione prohibita & retentione excrementorum, quæ per cutim diffluntur, primos malum traxit natales, aliquot jam septimanis languor & ciborum ante invasionem febris inappetentia adfuit, facile constat, sanguinis missione imbecillitatem adauctam, perspirationem vero magis imminutam fuisse, quod utrumque non potuit non cum damno accidere.

CAPUT XI.

De Febribus Petechialibus veris.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Desc morb

FEbres petechiales veræ, sunt valde malignæ, contagiosæ, capiti & viribus quam maxime infestæ,

infestæ, cum varii coloris maculis junctæ, & ortæ à succorum vitalium corruptione ac subsequente putrida dissolutione, eaque propter lethales.

§. II.

Nominis ratio.

Merito hæ febres exanthematicæ vocantur malignæ, seu venenatæ: etenim plerumque à tenuissimo, activæ, virulentæ indolis vapore, sive miasmate, è corpore decumbentis halante, ortum ducunt & propagantur. Dein difficulter sanationem recipiunt & brevi sæpe plures jugulant. Tum vires, à quibus motus vitam sustinentes pendent, & celeriter, & graviter, pessundant ac destruunt. Demum, non secus ac maligni homines, mitem prima facie exhibent indolem, medicosque cum adstantibus, ac si catarrhales tantum essent, sæpe decipiunt, postea vero pernicialem effectum tanto majori exserunt vehementia.

§. III.

Indicia & symptomata.

His tamen indiciis deleteria indoles morbi cognoscenda. Ab initio statim ægri conqueri solent de virium summa prostratione atque debilitate, ut erecti vix consistere, vel pedibus incedere queant, sed mox animo deficiant, quum in aliis continuis & acutis morbis demum in statu & vigore ejusmodi imbecillitas observetur. Caput ab initio valde dolet, fervet, cum torpore, animus illico dejicitur, anxius & sollicitus est, ac salutis spem abjicit, pessima quævis ominatur. Assidua urget vigilia, nec ullus reficiens adest somnus, appetentia plane perit, faciei vigor intercidit, pulsus languidus, parvus & inæqualis micat, decubitus in lecto insolitus est atque incompositus, membris quasi convolutis & corpore huc & illuc jectigato, pectoris est oppressio, quandoque cum tussi sicca, musculorum fibræ undulatorio quasi & tremulo motu convelluntur, tendinesque contrahuntur atque subsultant. Plures nec de siti, nec æstu, nec dolore, nec anxietate queruntur, & asseverant potius, nihil mali se persentire, præter languorem & somni defectum. Urina primum mingitur ut pluriinum tenuis sanorum simillima. Quarto, quinto, vel etiam septimo die in conspectum prodeunt maculæ, in dorso potissimum & lumbis, plus minus copiosæ, varii subinde coloris, plerumque tamen sine levamine, ideoque symptomaticæ magis, quam criticæ.

§. IV.

Nomina & differentia.

Exanthemata veteres generali denominatione has dicunt maculas. Latino ab Italis idiomate pedicularium petechiarum & petechialium nomine efferuntur, à voce pedechio, duplex, quia pulicum morsus figura æmulantur; à Gallis ob colorem purpureum, purpuratæ; ab Hispanis taberdillo, à calore ex flavo rubro; à Germanis lenticulares, propter lentis quam referunt figuram & colorem, aut puncticulares, vernacula die *Reb-Flecke*. Hungari vero propter gravem capitis dolorem & delirium complicatum nominant Germana voce *die hitzige Haupt-Krankheit*. Ab aliis autem exanthematibus præter figuram in eo discrepant, quod non modo sine omni ardore, sine pruritu, cutis elevatione, asperitate & exulceratione, prodeant, sed & ut plurimum sine levamine, quia materia eorum non est salina caustica, sed potius putrida & corrupta.

§. V.

Prognosis.

Tantum hinc abest, ut maculæ hæ salutis spem faciant, ut potius quo copiosiores compareant, eo majorem corruptionis gradum, quin lividi, plumbei & ex atro viridescentis coloris, sphacelosam plane corruptionem arguant. Qui etiam evadunt, non cutanea excretione, sed vel sudoribus largis, fœtidum acorem spirantibus, vel alvi fluxibus criticis, convalescunt. Sed non nisi naturæ benignitate ac robore id accidit in his, ubi non adeo eminens succorum corruptio, sed temperata adhuc & quasi quodammodo alexipharmaca indoles. Plurimi potius occumbunt, vel sphacelosa corruptione in ventriculo, intestinis & aliis visceribus, vel phrenitide, frequentius anginosa faucium & œsophagi inflammatione, cadaveribus mox post mortem intolerandum plane fœtorem spirantibus. Quem funestum eventum signa præsagiunt hæc: si sitis vel nulla, vel plane inextinguibilis, si lingua arida, discissa, nigricans, fauces inflammatæ & squalore obsessæ, cum deglutitione difficili: si post exanthematum eruptionem respiratio anhelosa & pectoris angustia persistit & invalescit, vel post sudorem & alvi fluxum delirium cum aliis pathematibus ingravescit, nec urina turbida fit, nec sedimentum ponit; si demum oculi obscurantur, mens plane delira fit, ægri floccos carpunt, tendines subsultant, excrementa involuntarie elabuntur, sudor frigidus manat & convulsiones accidunt, spiritum cum vita præcludentes.

§. VI.

Formalis ratio.

Formalis pernicioſarum harum febrium ratio consistit in putrida dissolutione, sive colliquatione sanguinis & succorum vitalium, potissimumque in fluidi lymphatici elastici tenuissimi, quod in sanguine contentum, in cerebro ac spinali medulla separatum, per nervos in universum corpus distributum, sensum & motum partibus præstat cunctis, inquinatione & vitiosa plane diathesi. Etenim venenatum illum vaporem, quo etiam sana corpora inficiuntur, ejus naturæ esse atque potentiæ, ut non modo sanguinis aliisque humoribus putredinosam successive inducat fermentationem, sed & immediate ad interiora cerebri nervearumque partium pervadat, fluidumque ibi corrumpat subtilissimum, ex eo planum fit, quod suscepto ipso, illico vires tam naturales, quam vitales & animales langueſcere incipiant omnes, in perfecte sanis corporibus salva adhuc sanguinis & humorum crasi & à corruptione immuni.

Ex miasmate virulento.

§. VII.

In corpus delatum.

Hoc virulentum multiplicativæ indolis miasma, corpus maxime subit per nares, fauces & bronchia. Nam nullibi tam aperti minusque tecti discurrunt nervi ex prima & secunda conjugatione, ac in narium cavo. Hoc igitur dum pertransit cum aëre vectus deleterius vapor, non mirum est, eundem immediate, proxime & intime pertingere ad nervos ipsumque cerebrum & infectos ea propter mox temulentia, capitis torpore, virium languore, nec non vertigine affici. Maxime omnium vero commiscet sese salivali latici contagiosum miasma, & cum hoc descendit ad ventriculum, qui etiam, ceu pars nervosa, primam fere sedem præbet contagiosis hisce febribus. Hinc in ventriculo & præcordiis primum se prodere solent prava symptomata, nausea scilicet cum vomendi conatu, alvi frequens cum torminibus dejectio, vel etiam fortis adstrictio, ciborum fastidium, anxietas præcordiorum, cardialgia, *das Ubelseyn*, & frequens copiosæ lymphæ ex stomacho eructatio. Hinc testantur observationes anatomico-practicæ,

in his febribus defunctis ventriculum maxime omnium sphaceloſa corruptione affici. Dum vero miaſma hoc & ſalivæ in ore & liquori menſtruali gaſtrico & pancreatico in ſtomacho miſcetur, multum ejus vis propagativa & multiplicativa intenditur. Etenim inter omnes conſtat, ſalivales hos ſuccos, intimæ alimentorum digeſtioni ſervientes, valde ſubtilis, ſpirituoſæ, aëreo-elaſticæ fermenteſcibilis naturæ eſſe, eaque propter dulcia quibus commiſcentur illico fermentativo motu perciere. Quare quia hi ſucci in motu inteſtino fermentativo jam conſtituti, longe utique facilius delato illuc ſubtiliſſimo putredinoſo miaſmati obſecundant, ut hoc ſeſe propaget & augeat, non ſecus ac exigua pars fermenti panifici ingentem farinæ maſſam fermentat.

§. VIII.

Apophlegmatiſantibus arcendum.

Hinc facile jam eluceſcit ratio, quare ad contagium pernicioſi hujus morbi arcendum, nihil præſtabilius jam pridem à peritiſſimis medicis annotatum, quam ut infectorum, præſertim quum ad extrema & putredinis acumen ventum, halitum facie averſa vitemus, ſalivam crebrius exſpuendo rejiciamus, ac ore contineamus ea, quæ ſalivam eliciunt, radicem angelicæ, zedoariæ, imperatoriæ, pimpinellæ, aut maſticemus, vel ſumigemus tabacum. Neque minus inde pateſcit cauſa, cur miaſma hoc deleterium longe facilius ſuſcipiatur longeque citius pernicialem vim exſerat, in ventriculo copioſis cruditatibus & pituitoſis ac ſalivalibus ſordibus obſeſſo; & cur viciſſim leniora emetica, alexipharmacis nupta, in recenter infectis, certæ & ſecuriſſimæ ad præſcindendum prima in herba morbum ſint efficaciæ.

§. IX.

Origo ex aëre inſalubri per ſe.

Primam autem harum contagio infeſtarum febrium originem recte omnino cum *Hippocrate* ex communi aëris vitio deducendam eſſe reor. Nimirum diuturnus humidus, pluvioſus, nebuloſus, nec non auſtrinus calido-humidus aëris ſtatus, ob eminentem vaporum aqueorum copiam, vim ætheris vividam, elaſticam, expanſivam, quæ ſolidorum & fluidorum ad vitam neceſſarium in corpore motum, ſuſtinet, obtundit ac deprimit. Inde ſalutiferæ excretiones, maximeque perſpiratio, elangueſcunt ac turbantur, inutiles, ſuperfluæ & corruptæ partes retinentur, quibus in ſanguine & ſuccis accumulatis, non poteſt non ſumma ad corruptionem & diſſolutionem prona ingigni diſpoſitio. Accedit quod ſub aliena ejuſmodi tempeſtatum conſtitutione, ipſa vegetabilia & frumenta alienam naturam corpori inimicam contrahant. Nam notum eſt, humido & pluvioſo cœlo diu regnante, in ſecale potiſſimum uberem eſſe proventum lolii eſculenti, vernacula *des Mutter-Korns*, quod noxiæ & tantum non venenatæ eſt indolis. Neque prognatum hoc tempore ſecale, tantam copiam ſpiritus vini per fermentationem præbet, neque tam ſalubrem & reficientem panem largitur, ac illud, quod temporibus anni ſiccis & calidis producitur. Ut adeo non mirum ſit, inſalubria & corrupta hinc confecta alimenta ingeſta, ſimul ipſa corpora diſponere ad putredinem.

§. X.

Vel à pravis effluviis.

Dein aëri inſalubritas & ad ingignendos putridos morbos aptitudo inducitur ex crebra ac diuturna aquarum inundatione. Hac enim facta, humor ſtagnans, accedente inprimis ſolari calore, putreſcere incipit, multaque putrida in atmoſphæram mittit effluvia. Inſectorum quoque varii generis copia circa aquarum ſtagna ſuccreſcit, à quibus cauſticæ, ſalinæ, deleteriæ materiæ ſubtiles multæ in aërem elevantur. Quæ quidem omnia quam ſint ſanitati inſenſa, hiſtoriarum utique docent monumenta, quibus uberius conſtat, poſt aquarum diluviones magnas, contagioſas & tantum non peſtilentis naturæ febres fuiſſe ſubortas, de quo pluribus evolvenda diſſertatio *de temporibus anni inſalubribus*, item *tomus II. Medicinæ ration. ſyſtem. pag.* 278. Ejuſdem infeſtæ naturæ eſt aër exhalationibus putridis ex cadaveribus inhumatis putreſcentibus, vel excrementis animantium ſurgentibus, refertus, tanto magis incarceratus & acceſſu purioris deſtitutus.

§. XI.

Et corporis diſpoſitione.

Neque tamen aër tantum impurus & inſalubris ad generationem horum morborum facit, verum etiam ipſius corporis ad putredinem intus concipiendam habitus ac diſpoſitio. Per ipſam certe experientiam uberius conſtat, phlegmatico-ſanguineos, habitus corporis laxioris & ſpongioſioris, animo meticuloſos & anxios, quorum vires luxuria, ingluvie alimentorum valde incongruorum, ebrietate, venere, fame, diuturna mœſtitia, vigiliis, laboribus, hæmorrhagiis, fractæ atque exhauſtæ, facilius & crebrius gravi hoc morbo prehendi, & difficulter quoque evadere; nullam aliam ob cauſam, quam quod ipſorum corpora impura atque debilia ad putredinem ac corruptionem admodum proclivia. Neque minus de fœminis cachecticis, menſium ſuppreſſione laborantibus, item de lue venerea, vel minimum hujus reliquiis affectis novi, quod ex facili corripiantur, ſed ægerrime emergant.

§. XII.

Hinc caſtris & cis pul famili

Quæ quum ita ſint, in proclivi ſane eſt judicare, quare contagioſæ hæ febres in militum caſtris quam maxime circumeant & ob id caſtrenſes appellari ſoleant. In caſtris enim omnes, quas enumeravimus, morbi hujus cauſæ fere conveniunt. Ibi quippe milites aëris humido calidi & poſtea humido frigidi experiuntur injurias, ſub dio dormiunt in locis uliginoſis, humidis ſæpe atque paluſtribus, excrementa animantium & hominum paſſim non deſunt, nec tamen vento ob circumductum vallum aditus ad diſſipandos fœtidos halitus patet, cibis veſcuntur incongruis, nonnunquam plane corruptis, ſemicoctis, aquas quoque ſtagnantes & putres bibunt, fame & vigiliis corporis robur atterunt. Hinc quando ex laborioſo & difficili hoc vitæ genere in hyberna concedunt, corporaque quieti dant ac ciborum copia onerant, corruptio interna ſenſim contracta adeo demum increſcit, ut apertius in capitalem hunc morbum erumpat, iſque ob id frequentior in hybernis, quam caſtris obſervetur. Eandem fere ob rationem malignis contagioſis ejuſmodi morbis, pauperes, in tenebris & cœno verſantes, aëre fruentes in anguſtis tuguriolis vapido minuſque puro, frequentius afficiuntur, quam opulenti, quibus accuratius vivendi genus & ſanitatis regulas quoad aërem & victum obſervandi eſt copia. Idem evenit in noſocomiis, orphanotropheis & ergaſtulis publicis, ubi plures ſimul converſantur, & vitam colunt inopem, corpus ad concipiendum contagium diſponentem.

PRÆ-

PRÆSERVATIO ET CURATIO CUM OBSERVATIONIBUS CLINICIS.

§. I.

Præservatio quoad dietam & regimen.

Curatio quidem hatum exitialium febrium, tam ratione indicationum, quam regiminis, remediorum, medendique rationis, nec non observationum practicarum, convenit utique cum iis, quæ capite antecedenti de febribus petechizantibus fuse satis tradidimus, ut supervacaneum eadem heic etiam exponere foret. Sed longe magis à perito medico petendum consilium ad arcendum ejusmodi morbum, quippe quod multo tutius, multoque certiores effectus ipsa curatione. Præcipuum vero præservationis momentum in eo quam maxime consistit, ut insalubri ad ingignendos mali moris morbos apto anni tempore, solicite evitetur aër vaporibus & exhalationibus noxiis fœtus, & vivida elastica expansione destitutus. Quum dein sub ejusmodi aëris constitutione corpora jam tum admodum debilia & ad morbos contrahendos dispositа sint, expedit omnino, temperare sibi ab omnibus, quæ viribus adversa, languidioresque faciunt excretiones, animi scilicet vehementibus commotionibus, mœrore, terrore, cura, impensioribus meditationibus, vigiliis protractioribus & nimia venere, item corporis refrigeratione, præsertim noctu, cum leviori tempestate frigidiuscula vestitu. Porro præscindendus curate cruditatum prima in regione proventus, abstinendum ab ingluvie tanto magis insalubrium, à crapula, continua tabaci fumigatione & effusiori potus coffée usu, qui sicuti non ventriculo, ita longe minus nervosis partibus & mixturæ succorum vitalium amicus est. Ut demum aër purus & salubris hauriatur, studendum, & fugienda ob id loca humiliora, in quibus aër facile fit vapidus, nec non ædificia, quæ ventorum perflatui minus patent, ac præterea nimia humiditas accenso igne & suffumigiis ex mastiche, succino, baccis juniperi, corrigenda.

§. II.

num optimum aservatum.

Inter præsidia porro, quæ ad declinandos hos morbos valent, ego quidem præstabilius novi nullum, convenienti & moderato vini optimæ notæ, & quidem Rhenani, usu. Hoc quippe mane, vel etiam inter cibos quotidie potum modice, vires mirifice reficit & sustinet, sanguinis progressum cum excretionibus promovet, ciborum digestionem juvat, ac optime putredini ac corruptioni resistit, præsertim quando moderatior etiam corporis motus & alius diluens potus simul conjungatur. Ego sane longiori experientia edoctus, id pro certo affirmare possum, grassantibus populariter morbis ab aëris constitutione humida, eos, qui exquisitam victus rationem tenuerunt & quotidie moderate bono vino usi, incommodi sensisse nihil. Ipsa etiam in pestilentia ex præstantissimis præservativis vinum esse testantur, qui ex instituto de eadem scripserunt. Quin in petechiis quoque, vinum postremis diebus facta crisi debito modo potum, vires dejectas erigendo & cuticularem excretionem secundando, omnia fere alia auxilia superare assevero.

§. III.

ida prodest.

Ipsa autem in curatione ex omnibus remediis statim in principio optimam opem conferunt acida, maximeque succus citri, ptisanæ potandæ ad extinguendum calorem & arcendam putredinem inditus, item acetum vini, sive simplex, sive destillatum, mixturis ex aquis & pulveribus fixioribus diaphoreticis nuptum. Præter hæc conducunt, quæ vires servando salivalem etiam laticem colliquant, & pectus ab infarctu liberant. Id enim cum celeberrimo olim Erfurtensi Professore, *Cramero*, quem Præceptorem colui insignem, observavi, non facile quempiam his in morbis decedere, cui saliva & sputum liberius fertur. Quam ob rem idem hic in arte exercitatissimus vir frequentissimo in usu habuit mixturas alexipharmacas, quas ingrediebatur, cum aceto destillato, vel aceto scordii, cinnabaris, interdum bezoardicum minerale & oxymel squilliticum. Contra ea pessimus omnino practicorum mos est, in principio statim volatilia, bezoardica & sudorifera cum regimine calido & infuso theiformi fervente exhibere. Sic enim intestinus ille putredinosus motus invalescit cum orgasmo, majorque virium subsequitur prostratio.

§. IV.

Alvi fluxus salutaris.

In morbo declinante nulla magis salutaris excretio, quam quæ fit convenienti tempore per alvum. Ego certe praxi quinquaginta & aliquot annorum uberius confirmatum habeo, rarius solo sudore & hæmorrhagia, sed frequentius per diarrhœam septimo, nono, aut undecimo die erumpentem, solutos fuisse hos morbos, & vicissim nihil perniciosius fuisse diarrhœa gravi statim inter initia, vel alvi fluxu critico cohibito. Neque minus compertum habeo, si catarrhales malignæ & exanthematicæ alvi fluxu solutæ fuerunt, ægros immunes fuisse à purpuræ albæ incursu, quæ haud raro pulsu jam æquali facto, declinante undecimo die morbo, non sine magno periculo supervenit. Perspexerunt etiam jam pridem salubritatem alvini fluxus, artem cum attentione exercentes. Ipse *Hippocrates lib. epid.* memorat, laborantes hujusmodi acutis febribus alvi excretione fuisse sanatos. In quadam pestilenti constitutione diarrhœam admodum salutarem fuisse *Galenus de atr. bil. cap. IV.* testatur. Inprimis *Gerhardus Columba de pestil. febr.* multus est in laudando egregio effectu fluxus alvini, *pag.* 231. sic habens: *omnes quibus alvus copiose ejecit, licet cum signis cruditatis fuerit, tandem liberati. Procedente enim alvi fluore, in dies coctionis signa superveniebant, morbus evadebat clementior, & tandem alvi fluore perseverante, fideliter & integre ægri judicabantur.* Ut mittamus, quæ passim hanc in rem memoriæ prodita sunt à *Valleriola observ. lib. VI. de febr. Schenckio observat. lib. VI. de febr. Riverio observat. Cent. I. obs. XLVII. & LVII.* item *Cent. II. obs. XXXIV. & LXXXVII. Horstio obs. X. Johanne Rhodio Cent. II. obs. LXXXV. Screta de febre castrensi maligna cap. IV. pag.* 331. *pag.* 175. *Boneto in thes. pract. de febr. putr. pag.* 71. item *de causo cap. II.*

§. V.

Hinc promovendus.

Hæc igitur naturæ via; cui insistendum ab artifice, eademque, si deficit, juvanda. Mihi omnino primum & multiplici observatione confirmatum, quicquid in putridis, malignis & pestilentialibus febribus curandis exspectandum ab arte, id maxime in eo contineri, ut medicus convenienti tempore ea usurpet remedia, quæ ad alvum solvendam sine damno faciant. Sed hoc circa hos maxime

dies faciendum, qui audiunt critici, à ſeptimo ad decimum quartum uſque, non primis, quibus ob materiam nondum coctam & excretioni aptam, parum opis conferunt. Sicuti vero ad alvum vacuandam per totum harum febrium decurſum nil peſtilentius illis pharmacis, quæ acrimonia quadam cauſtica agunt, nec exceptis ſennæ etiam foliis: ita nil certe hanc in rem magis proficuum iis, quæ nihil alieni & quod vires frangat in mixtione habent, ſed blande & placide alvum ſubducunt. Eminet hæc inter benedicta illa manna, cum cremore tartari, hiſce etiam febribus ob aciditatem non adverſo, nupta & ſufficienti doſi data. Conducibilis quoque ſyrupus roſarum ſolutivus, mixtus cum ſalino ſtimulo, ex cremore tartari, ſale polychreſto, vel nitro antimoniato & convenienti doſi ac tempore cum ſufficienti diluto vehiculo, uti ſero lactis noſtra methodo dulci, vel aquis etiam temperatis mineralibus, ut Wildungenſibus & Antonianis, oblatus. Non minus ſpectata virtus tamarindorum pulpæ, vel decocti ex his cum manna, aut rhabarbaro. Quam egregium enim effectum præſtent hoc in caſu laxantia, teſtis eximius eſt *Moræus de malign. febr. parox.* plus quam viginti exemplis confirmans, ſe ad alvum laxandam ſummo cum fructu uſum fuiſſe tamarindorum pulpa, item infuſo ex rhabarbaro, foliis ſennæ, cremore tartari, manna & aqua acetoſellæ concinnato.

§. VI.

Vena ſectio præſervatoria magis.

De venæ ſectionis autem utilitate his in febribus diſceptant adhuc medentes. Et certe tanta utique malignarum differentia, ut experientiſſimi etiam medici in iiſdem experiundo demum diſcere cogantur. Id tamen verum: quum eædem plethoricos & plethorico-cacochymicos infeſtant, commodum omnino in his & præterea ſanguinis miſſioni aſſuetis, diæta lauta & vinoſa utentibus & vitæ ſedentariæ indulgentibus, invenit locum ad præſervationem. Experientia enim ſum edoctus, poſt venæ ſectionem, vel plane non corripi, vel lenius ægrotare & facilius convaleſcere, ſanguinis ſubtractionem paſſos, quam non expertos.

§. VII.

Recidiva arcenda abſtinentia.

Id vero omnibus curate tenendum: quod tam ſub, quam declinante hoc morbo, ſtomachus valde langueſcens non alimentorum, multo minus inſalubrium, præſertim carnium mole ſit onerandus. Eſt hoc familiariſſimum, vulgo hominum plebejorum inprimis, præjudicium, ut credant vires cibis eſſe reficiendas. Sed ipſum hoc eſt una ex præcipuis cauſa, quod ægri in portu ſeſe jam conſtitutos cenſentes, ſæpius naufragium faciant, recidivante priori, cum majori vitæ periculo, vel ſuperveniente alio novo morbo.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Hiſtoria Febris petechialis Ann. Mdclxxxiii. *in Principatu Mindenſi graſſantis.*

Quum anno MDCLXXXIII. copiæ Brandenburgicæ ab expeditione contra Turcas ex Hungaria redeuntes, in Principatum Mindenſem hyematum reducerentur, attulerunt ſimul morbum caſtrenſem, febrem nempe malignam petechialem, & ſucceſſive multos pagos & vicos in quibus ſumſerant hyberna, lue infecerunt eadem. Ego juvenis adhuc medicus provincialis à Sereniſſimo Electore Brandenburgenſi Friderico Wilhelmo conſtitutus ibi, feci quod muneris poſtulavit ratio, decumbentes paſſim viſitavi, in morbi hujus maligni ſtatum inquiſivi & operam contuli omnem, ut pro mea tunc ſcientia pernicialem hunc morbum congruis præſidiis oppugnarem & ne latius progrederetur, præcaverem. Excurri igitur & potiſſimum in præfectura Schlüſſelburg, plus quam centum hac febre laborantes offendi, in quibus præter ſummam virium proſtrationem & conſueta alia malignarum ſymptomata, peculiare fuit, quod plurimi ſtatim in principio atroci & diuturna cephalalgia, in ſyncipite inprimis, cum vertigine, oculorum rubore, oblivione ac poſtea delirio, afficerentur; conquerentes ſimul de magno tinnitu & ſuſurro aurium. Quidam de raucedine, pectoris infarctu, faucium ardore & falſo catarrho conquerebantur. Quibus mox corpus petechiis lividis & flaveſcentibus obſeſſum, moriebantur omnes, cum iis qui incongruo, vel nimis calido, vel nimis frigido regimine excepti & à balneatore alexipharmacis expellentibus & theriacalibus uſi fuerunt. In quibuſdam tanta erat corruptionis vehementia, ut ægri ſurgentes & in pavimento frigido ambulantes aliquamdiu, funeſtum in plantis pedum nanciſcerentur ſphacelum, uti in duobus vidi. Qui autem paucas, & rubras habuerunt maculas, nec non ex plebejis, qui nec medico, nec medicamentis uſi, ac minus meticuloſi, ſolo regimine temperato, & potu ſeri lactis, vel decimo quarto die, remittente ſymptomatum vehementia, vel per largos & frigidos valde debilitantes ſudores, vel per diarrhœam ſunt judicati. In bonis fuit ſtatus ſurdaſter circa declinationem accedens & aliquandiu perſiſtens. Qui evaſerunt vix intra aliquot menſes ad perfectam ſanitatem redierunt. In plurimis reſtitit tumor pedum, vel etiam abdominis, cum lenta febre & appetitus dejectione. Quidam diu ſtupidi & oblivioſi manſerunt. Nec defuerunt, qui, præſertim ſi caput frigidiori auræ nimis cito expoſuerunt, poſt morbum gravitate capitis & difficultate auditus affecti ſunt, quin nonnulli facti ſunt & manſerunt per totam vitam ſurdi. In pago, Raden dicto, eodem morbo infecto, commorabatur deſtillator quidam chymicus, qui gloriabatur, ſummo ſe cum fructu uti ſpiritu nitri, inſtillatis in menſuram aquæ puræ, vel cereviſiæ Mindenſis levis, quinquaginta ad manifeſtam uſque aciditatem guttis, dato poſtea liberaliter tepido potu hoc medicato. Nec contemnendæ virtutis deprehendi hoc experimentum, quo in aliquibus fluxus alvi cruentus quandoque ſuſcitatus, non ſine levamine cephalalgiæ aliorumque ſymptomatum, tantum quod qui eodem ſervati, paullo diutius imbecillitate ventriculi & inteſtinorum laborarunt, cachectici quaſi facti, demum tamen etiam congruis remediis ad ſanitatem traducti. Ego vero ad præſcindendum ulteriorem contagii progreſſum, iis, qui nobilioris fortunæ & conditionis erant, præter moderationem & temperantiam, in victu, regimine & animi affectibus, & vitanda refrigeratione, ſuaſi moderatum vini boni uſum. Qui ſanguine craſſo & gravi abundarunt, uti Weſtphali ob victum durum & craſſum fere omnes, his ſanguinem ſubtrahere juſſi, & mane alternis diebus aſſumere doſin tincturæ bezoardicæ, vel pulveris bezoardici, exſpectando poſtea ſub temperato calido regimine cuticula-

rem

rem excretionem auctiorem, quæ etiam tam in locis infectis, quam alibi versantibus, egregie profuerunt. Cæterum sanos ab ægrotis, quantum fieri potuit, separari jussi: pro medicina pulverem ex cornu cervi usto & lapidibus cancrorum leniter nitrosum, cum pauxillo camphoræ cum roob sambuci, aqua & aceto vini singulis fere assumendum ordinavi: qui in primo morbi insultu sæpius usurpatus alios statim à morbo liberavit.

Epicrisis.

Nulla fere regio tam ferax morborum acutorum præsertim febrium catarrhalium mali moris atque petechialium, quam Austria & Pannonia. Unde etiam peculiare & grave hujus morbi genus Hungarica κατ' ἐξοχὴν febris, audit. Evenit autem hoc plures ob rationes. Aestus interdiu his in regionibus est intensior; etiam autumno, & vina ob id generosa admodum & dulcia facit, noctu vero succedit algidior aura, & ob excessivam hanc subitam cœli mutationem excretio salutifera, potissimumque quæ per cutis poros succedit, mirifice turbatur ac intercipitur. Dein victus ibi solennis admodum plenus, ex esu carnium & vini generosi potu, aquæ autem non adeo salubres, quibus sanguinis facile corruptibilis copia ingeneratur. Hinc non mirum est, quod frequentes ibi corrupti & putridi maligni morbi, inprimis in militibus & qui victus illius insueti, simul inordinate vivunt, semicoctis & male præparatis cibis ventriculum onerant, noctu excubias agunt sub frigida aura & in locis humidioribus & frigidioribus degunt ac dormiunt. Neque etiam mirum, dispositionem ad hos morbos cum militibus huc venientibus alio transportari, sub quiete & ingluvie in hybernis, corruptos succos augeri, cruditates prima in regione accumulari, ac tandem in apertum pernicialem morbum hyeme præsertim, erumpere.

Id autem peculiare habet hic morbus, inprimis in iis qui sanguine abundant, ut caput petat; hinc statim in principio venæ sectio suadenda: si vero ex stomacho vitiosorum humorum ex ingluvie & toto corpore huc confluentium colluvie obsesso, eveniat, optimum utique consilium statim in principio, clementi, efficaci tamen emetico, stomachum, vel intestinorum simul canalem expurgare. Quem in finem ego quidem commendare soleo decoctum mannatum, cum dimidia vel una drachma radicis hypecacuanhæ, aut infusum mannæ ex vino cum duobus tartari emetici granis. Sic datis post hanc evacuationem bezoardicis & leniter diaphoreticis, cura succedit longe felicius.

Ex singularibus etiam in hac lue fuerunt sudores copiosi, frigidi, per aliquot dies & noctes manantes, vapidum acorem spirantes, non tamen funesti. *Hippocrates* enim *Sect. IV. aph.* 37. malos eos pronunciat & mortis prodromos. Nos quoque largimur, quod sudor frigidus qui internæ visceris cujusdam inflammationis, vel sphacelationis comes & tantum particularis est, internis calentibus & externis frigentibus, plerumque sit funestus. Sed longe aliam ejus frigidi sudoris efferationem, qui à defectu caloris & virium prostratione oritur, docet experientia. Luculentū hanc in rem est testimonium *Raygeri in schol. observ. Spindleri obs. XCV.* sic habens: *vicissim sæpius & ego in morbi declinatione post XIV. dies viribus bene constitutis & rite se habentibus, reliquisque bonis signis apparentibus, in calido corpore frigidos observavi sudores, post febres acutas & malignas bene judicatas, cum allevatione magna erupisse & ultra XXIV. horas durasse.* Quanquam autem hujus generis sudores non ad mortem tendant, magnam tamen dissipationem caloris & virium indicant. Hinc si unquam, certe tunc succurrendum analepticis, diæteticis æque ac pharmaceuticis, corpus crebrius linteis calidis detergendum & fricandum, quo per externa internus calor excitetur, nec æger in limine recuperandæ sanitatis constitutus deficiat.

Vicissim in pessimis signis fuerunt sudores ab initio & per totum morbum effusius manantes, cum urina perpetuo tenui & copiosa. Hæ enim symptomaticæ sunt excretiones manifestumque præbent indicium colliquationis & dissolutionis elementorum sanguinis mixtionem constituentium. Et secedente tam copiose sero, crassior evadit cruor & ad cerebrum delatus, in vasis meningum capillaribus facile stagnat & inflammationem inducit.

Quod præterea spiritus nitri cerebro & liberaliter in aqueo vehiculo datus, quibusdam eximie profuerit, partim acido tribuendum, quod putredini resistit optime, partim stimulo, quem intulit intestinis, quibus vellicatis sanguinis & humorum impetus à capite ad inferiora vocatus & alvi fluxus cum euphoria proritatus. Sed longe tutior clysmus antimonii sulphuratus, cum diluente tenui potu sufficienti copia exhibitus, quem ego, ceu præstantissimum auxilium, deprehendi & commendo.

Cæterum invadentibus exitialibus hisce morbis, id potissimum perito agendum est medico, ut propagationem & progressum contagii tempestive antevertat. Etenim longe facilius est, corpora ab insultu harum febrium defendere, quam infecta & oppressa persanare. Ac nisi peculiare beneficium naturæ in curatione concurrat, omnia frustra molitur medicus, quantumvis doctus atque peritus.

Observatio II.

Febris petechialis sub diarrhœa funesta.

Juvenis robustus, sed ob vitam sedentariam sanguine non adeo puro plenus, animum laxandi causa Januario exeunte ruri exspatiatus, societatem cerevisiam gravem & spirituosam potantium offendit. Assidet cum iis, & vesperi domum iterum recedens, corpus admodum perfrigerat. Die post de molesto dentium conqueritur dolore, cum corporis lassitudine virium que languore plane insolito. Altero die accedit tussis, cum screatu, coryza, & æstu non tamen adeo gravi. Aucta vero præterea debilitas, appetentia periit cum somno, intercursarunt subinde horripilationes & extremorum refrigerationes, caput torpidum fuit, licet æger non lectum peteret, sed officio suo fungeretur. Accedente quarto die morbus ægrum affixit lecto; hinc consultus medicus, qui serum ex lacte cocto succo citri coagulato bibere jussit. Factum id, subsequutus alvi fluxus vigesies & ultra, ægrum intra diem & noctem ad sellam urgens. Inde vires magis collapsæ, partium tremor cum delirio, alvo quamvis fluente accessit, sub quo quinto die comparuerunt maculæ petechiales, atrociam morbi tamen non levantes, sed sexta stercora & urinam sine sensu reddidit, respiratio facta anhelosa & nocte septimum diem antecedente mors excepit.

Epicriſis.

Hanc etiam febrem fuiſſe ex malignis illis catarrhalibus & petechialibus, quæ per aliquot menſes noſtra hac in urbe circumiverunt, teſtatur dentium dolor rheumaticus, coryza, & raucedo cum tuſſi. Malignitatem autem junctam ingens ſtatim virium lapſus, appetitus plane proſtratus & ſomni defectus, cum pulſu celeri, debili atque frequenti, nec non capitis dolor ac torpor faciunt teſtatum, licet ægroti, adſtantes ipſique minus periti medici, hæc haud raro minus ex æquo attendere ſoleant. Serum igitur lactis in principio ad alvum laxandam & ſiſtendam ſanguinis ebullitionem, non quidem ſine fructu commendandum. Sed ubi catarrhales affectus jam per aliquot dies adfuerunt, minus proficua ſunt ea remedia, quæ alvum turbant & ſerum impurum ad interiora ac inferiora vocant. Licet etiam alvi laxitas, in catarrhalibus malignis criticis diebus ſponte proveniens, admodum ſit ſalutaris; primis tamen diebus alvum ſtimulantia nocent. Intus enim retinent materiam malignam, ac ut inflammatio ventriculi & meningum tandem ſphaceloſa inducatur, faciunt. Tum potius ſemper perſpiratio ſervanda libera & ſerum corruptum diſſipandum per blanda diaphoretica & regimen moderatum. Neque minus in plethorico ejuſmodi corpore ante invaſionem admodum proficua fuiſſet venæ ſectio, ſubjuncta poſtea moderatiori & longiori diaphoreſi.

Observatio III.

Petechiæ in ſorore & fratre diverſæ.

Virgo triginta aliquot annorum, menſium anomaliis ab aliquot annis obnoxia, anno abhinc affecta fuerat eryſipelate capitis, quod in fiſtulas mali moris, glandulas colli, genas faucesque perforantes, deſiit. Sanata tamen adhibita omni diligentia à medico & chirurgo; ſed ab eo tempore, languidior manſit & macilenta. Januario hujus anni ineunte ſubito ipſam infeſtavit ingens capitis dolor, cum torpore, ſomnolentia, virium languore, valida quoque tuſſi ſicca. Increvit hæc debilitas indies, nihil plane appetiit, nec dormivit, ſimul conqueſta eſt de præcordiorum & ſpirandi anguſtia, pulſu frequenti, ſed debili micante. Sexto die paſſim in pectore comparuerunt punctula, ſeptimo acceſſit delirium, ſequutæ convulſiones epilepticæ ac mors, poſt quam maculæ magis venerunt in conſpectum. Frater demortuæ inſperato hoc diſceſſu mirum contriſtatus, paullo poſt pariter conqueri cœpit de dolore capitis & artuum, ſine catarrhoſis defluxionibus, vires conciderunt, appetitus periit, ſomnusque defuit, quarto die petechiæ viſæ ac pathemata mitigata, ſeptimo cum caloris incremento ſub inquietudine & anxietate acceſſit purpura & petechiales maculæ diſparuerunt. Succeſſive tamen convaluit, terreorum bezoardicorum & abſorbentium cum ſucco citri & aquis diapnoicis & analepticis uſu ac potu ptiſanæ.

Epicriſis.

In virgine hac orta febris ſine contagii ſuſpicione. Sed docet omnino experientia, corpora valetudinaria imbecilliora & ubi impuritas ex menſibus retentis, gonorrhœa, vel lue venerea in ſanguine & ſuccis lymphaticis reſtitat, facile corripi graſſantibus ex communi aëris inſalubris vitio morbis, & promte quoque ſuſcipere contagium, quod nihil metuentibus à medicis, chirurgis & aſſiſtentibus contagioſis morbis decumbentibus, affertur. Quod autem ab initio ſtatim exquiſitus & continuus capitis adfuit dolor, cui deinde delirium cum convulſionibus epilepticis junctum, id procul dubio ob debilitatem capitis ex perpeſſo eryſipelate exulcerato factum. Dein frequentioris etiam experientiæ eſt contagioſis morbis defunctorum conſanguineos, ſola ſæpe animi perturbatione ac mœſtitia diuturna, in eundem incidere morbum. In his vero à ſanguinis miſſione, niſi corpus ſit eminentius plethoricum, merito abſtinendum, item à valide commoventibus & evacuantibus, ac vires potius erigendæ, perſpiratio ſecundanda & ſuccorum vitalium integritas conſervanda. Petechias comparente purpura rubra diſparuiſſe, in exanthematicis hujus anni febribus ſæpe viſum, & quidem ſine damno, ſed ubi declinante petechiali morbo ſupervenit purpura alba, id ut plurimum fuit lethale.

Observatio IV.

Petechialis febris exitu erat lethalis.

Acres cum commilitone rixas habuerat adoleſcens viginti annorum, ſimulque terrore fuerat perculſus. Nocte inſequenti ſomno caruit, ac debilitatem, laſſitudinem appetituſque proſtrationem per dies aliquot perſenſit. Quinto poſt die horrore, præcordiorum anxietate & æſtu præternaturali affectus eſt, cum pulſu celeri ac debili. Medicus in conſilium vocatus, ſtatim exhibuit vomitorium, ſanguinem ſubtraxit & ſubjunxit tincturam bezoardicam, nec non pulverem bezoardicum cum & ſine nitro. Sexto die comparuerunt maculæ rubræ & nares aliquoties ſanguinem ſtillarunt, ſomnus fuit paucus, vel nullus, urina ſanorum ſimilis, vires tamen non penitus viſæ proſtratæ, ſed æger ſurrexit ſubinde & obambulavit, defuit quoque delirium. Bene igitur omnia ceſſura ſpes fuit & morbus leniſſime bezoardicis temperatis tractatus. At quum ſeptimo è lecto ſurgeret æger, & per horæ quadrantem erectus ſederet in conclavi licet moderate calido & ſufficienter tectus, ſubito in lipothymiam incidit cum horrore cutis, pleræque petechiæ evanuerunt & quæ manſerunt, nigræ comparuerunt, acceſſit ingens præcordiorum anxietas cum furore, ita ut gladium in adſtantes ſtringere & è feneſtra ſe præcipitem dare vellet. Uſurpatus quidem pulvis bezoardicus cum nitro & camphora, conquievit etiam tantiſper delirium, ſed debilitas increvit, horripilatio perſtitit, acceſſerunt convulſiones & ſub finem diei ſeptimi mors inopina.

Epicriſis.

Nunquam periculo carent petechiæ, licet omnia videantur pacata & medicus conferat cuncta. Quodvis enim accidens in pejus omnia mutare valet. Heic ſitus erectus tam pernicialem mutationem, delirium & mortem adduxit. Qui quantopere in morbis acutis & exanthematicis ſit noxius, ſupra jam pluribus monuimus, ac ut evitetur iterum monemus iterumque.

Observatio V.

Petechiæ febris vi bono ſanguine.

Generoſa fœmina quadragenaria, corporis obeſi, laxi & ſpongioſi, genio indulgens variiſque

que eduliis dulcibus, acidis, lacte, vino quotidie delectata, tempore quo malignæ exanthematicæ febres circumibant, iisdem fere, quam quibus hæ incedebant, affecta fuit pathematibus. Adfuit quippe corporis laſſitudo cum inquietudine, cutis horripilatione, capitis dorſique dolore, accedente poſtera die præcordiorum anxietate viriumque proſtratione. Datum illico lene emeticum, quod miram vitioſorum humorum colluviem evexit, & anxietatum & cephalalgiæ levamen attulit. Tertio die vena in manu pertuſa & ſanguis largiter eductus, qui frigefactus cruſtam glutinoſam in ſuperficie contraxit. Sed poſt venæ ſectionem pejus habuit: ſopor præſto fuit continuus, facies tumida & fauces ſqualidæ factæ, urina vero tenuis naturali ſimilis ſeceſſit. Quinto die ſpiritus factus difficilis & poſt noctem admodum inquietam prodierunt maculæ rubræ in collo, dorſo ac manibus, quæ quidem anxietates levarunt, ſoporem autem non ſuſtulerunt. Interim ob alvum clauſam clyſteres injecti, qui ingentem fœtidorum ſtercorum copiam evocarunt: ſeptimo etiam die largo corpus ſudore perfuſum. Nihilo tamen minus ſine ſenſu ac motu jacuit ægra, appetens vinum, quod ipſi ſuſpenſa manu conceſſum. Quum vero inde melius haberet ac virium animi corporiſque ſentiret incrementum, poſt trihorium quatuor iterum vini Rhenani unciæ potui datæ, iiſdemque potis, mirifice ſe viribus refici aſſeveravit. Sequutus poſtea ſudor largior, infuſo theé adjutus, ſopor mentiſque ſtupor diſceſſit, corpus quoque cum animo vires recepit, & ægra ad ſanitatem demum traducta, alternis ſemper, vel ternis diebus, alvo laxantibus ſubducta.

Epicriſis.

Quo major pravorum ſuccorum prima in regione colluvies; eo graviora etiam in febribus popularibus mali moris adſunt ſymptomata. Urinæ quoque plerumque minguntur tenues, præcordia anguntur & caput exquiſite dolet. Ad hanc igitur circumſtantiam artifici cum cura attendendum ſemper. Tum enim optimum conſilium, illico leni emetico ſordes expurgare. Merito etiam ſanguinis miſſioni præmittitur purgatio. Venæ ſectio heic quidem minus feliciter ceſſiſſe viſa eſt, ſanguine ad caput allecto & ſoporem faciente. Quare etiam practicorum plurimi venam in ſuperioribus pertundere diſſuadent, ac ut potius in pede id fiat, præcipiunt, eo quod inde non facile congeſtio ſanguinis ad caput proritetur. Cruſta autem illa glutinoſa ſanguini emiſſo innatans non mali fuit ominis. Nam *Baglivus* jam *lib. I. opp. pag.* 149. diſertis verbis ſcribit ac teſtatur: *obſervamus in xenodochio omnes fere ab acutis evaſiſſe, quorum ſanguini venæ ſectione extracto cruſta alba atque chyloſa ſupercreſcebat: contra mortuos, quorum ſanguis valde rubicundus.* Et certe ſanguis conſiſtentia craſſior non tam facile diſſolutorio motui inteſtino obſecundat, quam tenuis partibus ſalino-ſulphureis ſcatens. Demum notandum & hoc, quod vinum temperatius, in malignis & petechialibus etiam febribus, non noceat, facta petechiarum eruptione & poris adapertis, ſed quod potius vires refocillando, ſecretorios & excretorios actus partium effœtarum egregie juvet. Cavendum vero ab eo, ſi inflammationis adſunt indicia in ventriculo & primis viis, ſi phrenitis, ſi cutis arida & ſicca.

Observatio VI.

Febris maligna contagioſa venæ ſectione compreſſa.

Biennio abhinc febris maligna contagioſa, non quidem epidemice, ſed tantum ſporadice circumibat, potiſſimumque complures ex domeſticis orphanotrophei Halenſis infeſtabat. Eundem hunc morbum nanciſcebatur filius Inſpectoris hujus orphanotrophei, theologi, tam eruditione, quam pietate & moderatione celebris, ipſe pædagogii Regii alumnus. Pater impenſius hunc ſuum natum deamans, contriſtari non modo cœpit & de ſalute, tam capitali morbo correpti angi, ſed crebrius decumbentem viſitavit, quin lecti & hypocauſti ſocium fecit, ac cum univerſa familia eodem in conclavi cibos cepit. Hinc autem factum eſt, ut omnes ſucceſſive à contagio inficerentur. Pater quidem ſtatim tertio poſt die ſummum virium languorem, capitis artuumque dolorem, ſomnum inquietum, anxietatem & ardorem circa præcordia, cum plenaria ciborum inappetentia expertus eſt. Acceſſit tonſillarum tumor, ardor & æſtus faucium, quinto die delirium, poſtea ſudores colliquativi, nono placida mors. Decumbente hoc adhuc, uxorem idem morbus proſtravit iiſdemque affecit pathematibus, eodem, altero poſt obitum mariti die, funeſto eventu. Excepit virgo his conſanguinitate juncta, quæ quinto die pariter exſpiravit. Ita ut intra quatriduum tres hæ perſonæ obirent. Medici, qui curationi præerant, catarrhalem morbum eſſe cenſuerant, & ob id venæ ſectionem omiſerant. Sed quum morbus ad reliquos etiam domeſticos procederet, & rumor paſſim increbeſceret, eundem tantum non eſſe peſtilentem, alius medicus in conſilium vocatus, qui ob capitis dolores, venæ ſectionem inſtituendam eſſe in principio ſuaſit. Hinc omnibus, quotquot poſtea corripuit, ſimul ac conqueri cœperunt, vena in pede pertuſa & conveniens ſanguinis quantitas educta, tam felici effectu, ut non tantum morbus mitior incederet, maculæ petechiales cum purpura, ſecus quam in primis comparerent, verum etiam ex ſeptem nec unus occumberet, ac ipſe contagioſus morbus ſic deſineret.

Epicriſis.

Perquam utique notatu dignum, ſervatos eſſe qui ſanguinis miſſionem admiſerunt, qui omiſerunt, ſub gravi & diuturno delirio periiſſe, ad quem tamen eventum ſumma animi triſtitia multum forte contulit. De venæ ſectione quidem, an in ejuſmodi acutis, malignis contagioſis & exanthematicis febribus proſit vel noceat, medici adhuc in utramque partem diſceptant. Ego vero cenſeo, abſolute nil poſſe definiri, ſed conſiderandas eſſe à medico circumſpecto ac perito circumſtantias omnes, quoad indolem, cauſam, ſymptomata & tempus morbi, quoad ſubjectum, corpus ægrotans ſolidorumque & fluidorum in eo diſpoſitionem. Ego quidem multiplici edoctus ſum obſervatione, verum eſſe generalem hunc practicum canonem: ſi corpus eſt admodum plethoricum, amplis vaſis inſtructum, ſanguinis miſſioni aſſuetum, ſi morbus ſanum antea corpus corripuit, nec à communi ad putredinem inclinante aëris vitio obortus, ſi vehementer ſtatim caput petit ac delirium metuendum; tum utique ante invaſionem tam ad præſervationem, quam etiam mox in principio, nunquam nocere poteſt moderata ſanguinis miſſio in pede; quin ſub his circumſtantiis in morbo Hungarico ipſaque peſti-

lentia venæ ſectio eſt utiliſſima. Subtracta enim nimia ſanguinis & humorum copia, cordis & ſyſtematis vaſorum ſyſtole longe liberior redditur atque vegetior, una cum motu humorum ad exteriora, quo per univerſale illud emunctorium cutis nocens materia expellitur atque diffiatur. Neque minus à ſanguinis in partibus inferioribus miſſione inſignis ipſius à capite fit derivatio. Nam res certæ eſt experientiæ, ſub acerbo capitis dolore, illico cordis & arteriarum pulſum immutari, irregularem fieri & inæqualem, & pendentes inde functiones vitium capere; & viciſſim ſi caput cum cerebro & nervis à ſanguinis ſtagnatione liberatur, pulſum mox in melius mutari una cum motu humorum progreſſivo vitali. Quod ſi vero adductæ hæ circumſtantiæ deſunt, corpuſque minus ſanguine redundat, noxia omnino & pernicialis ſanguinis miſſio intempeſtiva. Quumque pauci ex medicis prudentia polleant diſcretiva, non mirandum, generoſo hoc remedio plus ſæpe damni, quam emolumenti afferri.

Observatio VII.

Febris maligna exanthematica jugulata emetico.

Quum anno MDCLXXXIX. hyemali tempore graſſaretur febris maligna, quandoque exanthematibus ſtipata, multoſque, præſertim perverſa medicatione exceptos, trucidaret, tota domus Conſiliarii cujuſdam aulici eadem infecta eſt, & ipſe cum uxore graviter decubuit, noſtra tamen opera, benedicente DEO, regimine maxime temperato & lenioribus diaphoreticis, convaluit. Poſtea fratrem ipſius ſimilis invaſit morbus, iiſdem cum ſymptomatibus, virium proſtratione inprimis, capitis & artuum dolore, cum inquietudine. Ego ſtatim in principio vocatus, lene exhibui emeticum ex aquæ florum ſambuci, cardui benedicti ana uncia, tartari emetici granis duobus, mixturæ ſimplicis gutt. XX; quo aſſumto ter vomuit viſcidos cum bile humores & poſt vomitum valide ſudavit. Promotus hic ſudor circa noctem pulvere ex cornu cervi uſti, antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum, ana drachma una, cinnabaris, nitri puri ana drachma dimidia, camphoræ granis duobus, qui in ſex doſes diviſus & ter quotidie aſſumtus. Potui præterea data ptiſana ex cornu cervi, ſcorzonera, cum ſucco citri. Quibus morbus prima in herba feliciter jugulatus & æger poſt aliquot dies ſanus prodiit ac vegetus. Quumque brevi poſt famuli bini eodem modo conqueri inciperent, eadem methodo facili & explicita curatione ipſos ex ancipiti levavi.

Epicriſis.

Attentionem utique hæc meretur obſervatio, cujus generis plures notavi, malignum ſcilicet periculoſum morbum, præſertim ſi à contagio accidit, corporibus alias bene valentibus, nec adeo impuris, vel imbecillis, mox in principio congruis remediis opprimi poſſe ac jugulari. Scilicet quum miaſma contagioſum primo omnium ſeſe cum ſalivali latice miſceat, ſub hoc fermenteſcibili ſucco acrem malignam virtutem propaget atque multiplicet, hincque in naribus, faucibus ac œſophago catarrhoſi quid ſimulet, & ſalivale fermentum deſtruendo, appetitum obtundat, quin etiam acredine ſua nauſeam & cardialgiam faciat; ſane nihil magis indicatur atque è re eſt, quam ut iſtud proxima via per efficax conveniens pharmacum ocyus, antequam latius procedat ex primis viis, vomitu & ſalivatione everratur, poſtea vero miniſterio accommodi diaphoretici reliquiæ miaſmatis virulenti per poros cutis evaporent. Sed cavendum omnino ab alexipharmacis, inter quæ minime connumeranda camphora, præſertim cum nitro remixta. Nam hæc neutiquam, ut vulgaris fert opinio, ſanguinem commovet, ſed vel unica olei cinnamomi, aut caryophyllorum guttula, plus exæſtuat, quam camphoræ drachma dimidia. Non tamen prætermittendus potus diluens ſufficiens temperatus ex ptiſana, ad componendum ſanguinis orgaſmum. Ego novi practicum quendam non infelicem in more habuiſſe, in principio catarrhalium & malignarum petechialium, ſimul ac languor & ardor corpus infeſtavit, ſerum ex lacte cocto cum ſucco citri factum, largiter, ſed per vices potui dare, tam felici effectu, ut poſt aliquot dies ardor, dolor, languor & gravedo diſparuerit.

Observatio VIII.

Purgata ad præſervationem minus efficax.

Plures adhuc ſuppetunt obſervationes, ſed ne nimii ſimus in hiſtoriis, brevitatis cauſa quædam duntaxat ſalutaria ex obſervationibus depromta monita afferemus. Scilicet frequentiori experientia compertum habeo, ut in quacunque exanthematica & contagioſa febre, ſic etiam in petechizante & petechiali, non ita multo poſt contagio tactos fuiſſe, præſertim ex domeſticis, qui ad arcendum morbum laxans vel purgans aſſumſere. Licet autem ſubductio in benignioris indolis exanthematicis minus noceat, ſi tamen pejoris naturæ, uti petechiales, præſtat utique ab omnibus alvum ſtimulantibus abſtinere. Etenim ad cicurandam veneni contagio concepti indolem ipſumque iterum exturbandum, tum præſervationem in metuentibus, tum ad curationem in affectis, nihil aptius & efficacius, quam perſpirationem liberam ſervare & integram, qua, præſertim in imbecillioribus, per alvum vacuantia imminuta, venenum hoc magis detinetur intus. Hinc *Celſus* jam inter præcepta ad peſtilentiæ incurſum arcendum etiam habet hoc: quod alvus non ſit movenda, aut ſi jam per ſe mota eſt, comprimenda.

Ex regime & diæta perverſa recidiva.

II. Crebriori edoctus ſum experientia, declinante ac finito morbo, periculoſiores, immo lethales excitari recidivas, quando ægri corpus plus juſto auræ frigidiori exponunt, in pavimento nudis pedibus incedunt & ventriculum adhuc languentem nimia ciborum, tanto magis carnium, inſalubrium aut ſemicoctorum copia, ſimul ac ſemel onerant. Quare minus etiam ſanitati ſuorum conſulunt ii medentium, qui nimis cito appetentiam uſu elixiriorum ſtomachicorum, quæ ſpiritus mineralis acidus ingreditur, excitare contendunt. Et novi utique tum à copioſiori cibo, ſi non recidivæ, tamen ſtatum quendam cachecticum, cum tumore pedum & abdominis acceſſiſſe & tardiſſime penitus convaluiſſe ægros.

Contagium diu delitescere poteſt.

III. Neque minus experientia conſtat, diu omnino latitare poſſe ſuſceptum in corpore contagium, interdum per aliquot ſeptimanas, antequam in actum ducatur & pernicialem vim exſerat. Atque hinc fit, ut qui eadem cum ægris domo contenti, ſæpe ſucceſſive unus poſt alterum aliquot hebdomadum ſpatio morbo afficiantur, licet jam antea aliquamdiu de laſſitudine

ſpon-

ſpontanea & functionum vitalium & animalium languore fuerint conqueſti. His igitur cito ſuccurrendum congruis diæteticis & pharmaceuticis, præſertim iis; quæ circulum ſanguinis & perſpirationem placide juvant, quæ putredini reſiſtunt & craſin ſanguinis cuſtodiunt, de quibus ſupra mentio facta, quo ocyus venenum iterum è corpore proſcribatur.

& cum veſtimentis afferri.

IV. Sæpius quoque obſervavi, quod tempore inſalubri, quo ob aërem gravem febres mali & benigni moris catarrhales & petechiales populares habuerunt circuitus, ex benigna facta ſit præter ſpem maligna, à contagio, quod medici à vere malignis & petechialibus decumbentibus, cum veſtimento aut capillitio attulerunt. Ut adeo non ſine ratione à Principum aulis & perſona arceantur medici, qui curationem malignorum & contagioſorum morborum tractant, & ſæpius inter ægrotos verſantur.

CAPUT XII.

De Febre Peſtilentiali.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Definitio.

FEbris peſtilentialis eſt acutiſſima, à miaſmate venenato ex locis orientalibus advecto orta, ac niſi vigore motuum vitalium venenum per bubones & carbunculos cito propellatur, lethalis.

§. II.

Differentia.

Differt in eo hæc peſtilentialis ab aliis contagioſis, malignis & exanthematicis febribus, quod omnium ſit acutiſſima, ac interdum primo ſtatim, vel ſecundo die jugulet. Dein noſtris in regionibus nec epidemia, nec ſporadica ex prava victus vel vivendi ratione, aut inſalubri aëris conſtitutione prognata, ſed ſub aëre ſaluberrimo, à ſolo contagio ex calidiſſimis jam infectis orientalibus plagis advecto, ortum ducit. Tum hoc habet peculiare, quod non ut aliæ malignæ febres & putridæ, per largos ſudores, alvi fluxus, aut alias excretiones, ſed tantum quod veneno ad partes externas glanduloſas critice & ſalutariter protruſo, per tumores in abſceſſus deſinentes, ſolvatur. Porro ſecus ac in aliis contagioſis & petechialibus quoque febribus, tanta conſtantia & tenuitas miaſmatis peſtilentialis eſt, ut promte adhæreat rebus poroſis, & ad multa milliaria, integra manente perniciali ſua vi, transferri poſſit. Demum ſingulare in hoc miaſmate infectivo, quod prava & multiplicativa ipſius indoles intenſo frigore non modo cicuretur, ſed & plane extinguatur, quo fit, ut tempeſtate frigida & in regionibus præfrigidis, rarius, vel plane non, ſub calido autem cœlo & vehementiſſime & frequentiſſime graſſetur.

§. III.

Initium.

Quemadmodum vero in omnibus contagioſis & malignis febribus miaſma venenatum cum aëre hauſtum ſalivali fermenteſcibili latici ſeſe inſinuat, ac in his quas pertranſit partibus pernicialem ſuam vim exſerit primum: ita idem etiam quam maxime evenit in peſtilentiali contagio. Hoc enim mox caput, cerebrum, nervos & puriſſimum illud lymphaticum nervorum fluidum petens, capitis torporem, gravitatem, ſomnolentiam & acerbum dolorem, ſenſuum ſtuporem, rerum omnium oblivionem, inquietudinem, vigilias ac virium proſtrationem inducit. Per fauces ad ventriculum vectum, ciborum faſtidium, nauſeas, præcordiorum anxietatem, cardialgiam ſyncopticam, vomendi conatum, nec non vomitum facit. Dein ad membranas medullæ ſpinalis tunicasque arteriarum nerveas delatum, horrorem, pulſum languidum, parvum, contractum, frequentem, quin lipothymiam, producit. Quæ quidem omnia ſtatim inter initia ſunt ordinaria peſtis indicia atque ſymptomata, tanto vehementiora & celerioris operationis, quo plus venenum peſtilentiale aliorum contagioſorum & malignorum morborum miaſma virulentia ſuperat.

§. IV.

Et decurſus morbi.

Quæ dein ſub ipſo morbo præſto ſunt pathemata gravia & multa, nullibi plenius & accuratius enarrata, ac in prima de hoc morbo deſcriptione, quam vetuſtiſſimus Hiſtoricus *Thucydides, lib. II. de bello Peloponeſ.* de peſte Attica dedit. Retinebimus igitur hanc morbi hiſtoriam, quam poſteaquam dixit ex Aethiopia in Aegyptum, & inde Athenas perveniſſe, ſic infit: *ego vero quod factum eſt narrabo; & quibus animadverſis, ſi quando rurſus incidat, poſſit aliquis proviſum quippiam non ignorare, hæc monſtrabo, qui tum ipſe morbo laboravi, tum alios laborantes vidi. Itaque annus ille, ut in confeſſo eſt, inter omnes maxime aliorum morborum immunis fuit; quod ſi quis alio prius morbo laboraſſet, in hunc omnes decumbebant. Alios vero ex ex nulla occaſione, ſed continuo, quum ſani eſſent, primum capitis calores invadebant vehementes & oculorum rubores, & inflammationes, atque internæ partes, & fauces, & linguæ ſanguinolentæ ſtatim erant, ſpiritus difficilis & fœtens exibat. Deinde ex his ſternutatio & raucedo ſuccedebant, ac non multo poſt labor in pectus deſcendebat cum tuſſi vehementi. Quod ſi quando ad cor inhæſit, tum id ſubvertit, tum purgationes bilis, quæcunque à medicis recenſentur, ſubierunt, atque hæ magna cum defatigatione. Pleriſque ſingultus incidit inanis, convulſionem afferens vehementem, quæ nonnullis ſub hac ceſſabat, aliis vero multo poſt. Porro corpus extrinſecus tangenti non admodum erat calidum, neque pallidum, ſed ſubrubrum, lividum parvis puſtulis & ulceribus ſcatens. Internæ vero partes uſque adeo flagrabant, ut ne tenuiſſimum quidem ſtragulum, aut linteum impoſitum, neque aliud quippiam, præter nuditatem, ferrent. Ac jucundiſſimum plane erat in aquam frigidam ſeipſos conjicere; quod multi fecerunt ex iis, in quibus cura non adhibita, qui in puteos ſe dederunt inexhauſta ſiti vexati, & perinde erat plus ac minus bibere. Atque impotentia quædam, qua iis quieſcere non licebat, & vigiliæ perpetuo comitabantur. Corpus, quandiu morbus vigebat, non contabeſcebat, ſed præter ſpem labori obſiſtebat. Quam ob rem vel interierunt plurimi novem & ſeptem diebus ex interno æſtu, cum aliquid roboris adhuc haberent; vel ſi effugiſſent, morbo in ventrem irruente, & exulceratione in eodem facta, & diarrhœa ſimul immodica ſubeunte; plerique mox præ imbecillitate perierunt. Etenim initio ſurſum facto malum, quod in capite primum conſederat,*

derat, universum corpus pervadebat. Quod si quis maxima hæc superasset, huic extremarum partium noxa superveniebat. Malum enim ad pudenda & ad summas manus & pedes decumbebat; & complures his amissis evaserunt, non nulli & amissis oculis. Non nullos etiam, quum primum exsurgerent, cepit oblivio rerum æque omnium, ac tum se ipsos, tum amicos ignorabant. Morbus igitur, concludit paucis interjectis, (*ut alia multa prætermittamus insolita, quæ cuique seorsum evenerunt, aliis alia*) *talem in universum habuit ideam. Alius præterea nullus infestavit eo tempore ex iis, qui consueti habentur, si quis autem accidisset, in hunc desinebat. Ac perierunt non nulli quidem ob negligentiam, alii vero diligenter etiam curati. Neque ullum, fere dixerim, compertum est remedium, cujus usu homines adjutos esse constaret. Nam quod uni opem tulerat, id ipsum officiebat alteri. Iam vero nullum corpus visum est adversus morbum sufficere, quod ad robur & debilitatem attinet, sed sublata sunt omnia, quavis etiam vivendi ratione ad curationem uterentur. Res porro miserrima fuit in universo morbo tum animi dejectio, cum quis se ægrotare intelligeret; nam mente protinus ad desperationem conversa, multo se ipsos magis consternebant, neque reluctabantur; tum vero quoniam alter ab altero, dum curationis officio fungerentur, instar ovium occidebat, atque hoc maximam cladis partem attulit.*

§. V.

Subjecta. Neque tamen in peste unius ejusdemque indolis semper sunt symptomata, sed multum utique secundum temperamenta & constitutiones corporum variant, quam diversitatem probe cognoscere & scrutari oportet medicum. Id vero omnes qui de pestilentiali morbo scripserunt unanimi suffragio confirmant, corpora quæ spongiosioris, rari & porosioris, nec non obesi sunt habitus, temperamento sanguineos & phlegmatico-sanguineos, sexu fœminas, ætate juniores ac infantes, animo timidos & abjectos, vitæ genere pauperes, insalubrem diætam colentes, crapulis deditos & comessationibus in seram noctem indulgentes, longe celerius corripi & gravius decumbere hoc morbo, quam qui animo fortes ac intrepidi, corpore macilenti, nervosi & amplioribus vasis dotati, viri, senes, fluxui hæmorrhoidali obnoxii, item qui fonticulos & ulcera gestant aperta. Neque minus per observationes compertum, nihil ad suscipiendum & deleteriam miasmatis virtutem intendendam aptius esse metu, timore mortis animique consternatione, adeo, ut etiam quosdam solo terrore peste affectos & extinctos esse constet. Nam hi animi affectus sunt inter omnes præcipui, qui vitalem cordis arteriarum motum cum sanguinis circulo minuunt, destruunt & vires tam vitales, quam naturales & animales dejiciunt, quum tamen motuum beneficio venenum conceptum sit exterminandum.

§. VI.

Miasmatis natura. Cujus autem porro indolis ac specificæ naturæ sit venenum, quod pestem excitat, à priori accurate determinare admodum difficile, quia sensibus minus obvium. Quantum tamen ratione assequi & à posteriori judicare licet, duplicis esse videtur, partim sulphureæ putridæ multiplicativæ, instar fermenti, partim subtilis valde acris & causticæ, plus tamen alcalinæ, quam acidæ, naturæ. Putrida enim valde & peregrina sulphurea indoles ex eo patet, quod omnes maligni è putridis, quæ ex cadaveribus inhumatis, aquis stagnantibus putrescentibus & aliis fœtidis excrementitiis sordibus, trahant, & quod ipsum hoc miasma illico contaminet nervorum fluidum, motum solidorum systalticum sistat & corruptionem sphacelosam succis inducat. Causticam autem subtilem acrimoniam inesse miasmati, ex eo concludendum, tum quod contagiosorum morborum ingressum ut plurimum antecedit copia insectorum sale caustico præditorum & ex putredine genitorum, tum etiam, quod nerveas fibrillas vellicando & rodendo, dolorem, ardorem, tumorem & inflammationem causetur, conspicuum satis in bubonibus atque anthracibus.

§. VII.

Solvitur critice per tumores. Pestilentiale hoc intus susceptum venenum, illico, ut supra diximus, omnes omnino in corpore functiones turbat atque pervertit, ac nisi cito ab internis ad externas partes propellatur, certissime necem infert. Neque tamen hoc ut in aliis malignis fit per largos sudores, neque per alvi, aut urinæ fluxum, neque per hæmorrhoidum, aut mensium profluvium, neque etiam per narium stillicidium, spontaneum æque ac arte proritatum, ut potius, tales, præsertim effusiores excretiones, minentur exitium. Sed salutaris & critica, qua perfecte solvitur pestilentialis morbus, excretio, absolvitur per tumores in externo corporis ambitu prodeuntes; ita quidem, ut non secus ac in erysipelate, intra tertium & quartum diem eadem contingat, & quo citius ac melius, eo magis morbi inde mitescat atrocia. Formale enim venenum his tumoribus contineri atque excerni, vel ex eo patescit, quod si chirurgus lancetta, qua aperti, venam sani hominis incidat, is illico etiam corripiatur peste.

§. VIII.

Bubones. Duplicis autem generis sunt pestilentiales hi tumores. Primum à Græcis vocatur communi omnium tumorum nomine bubo. Occupant hi bubones maxime glandulosa loca, frequentius inguinales & axillares, quandoque etiam parotides & mammarias glandulas, item maxillares inferiores sub mento, nec non asperæ arteriæ appositas, ac sese manifestant tumore glandularum duro, dolente, tensivo, cum ardore, ac si boni moris sunt, intumescunt, molliores fiunt & suppurantur. Alterum genus, primo longe deterius, græco nomine audit anthrax, propria significatione carbonem ignitum designans, unde Latinorum diminutivum carbunculus. *Celsus* quidem *lib. V. cap. XXVIII.* sic describit anthracem: *rubor est superque eum non nimium pustulæ eminentes, maxime nigræ, interdum sublividæ, aut pallidæ. In his sanies esse videtur, infra color niger est. Ipsum corpus aridum & durius quam naturaliter oportet. Circa quod quasi crusta est, eaque inflammatione cingitur, neque in eo loco levari cutis potest, sed interiori carni affixa est.* Et *Mindererus*, qui ipse pesti interfuit & de ea egregie scripsit, ita de carbunculis habet: *quando anthrax magnitudine grani sinapis, aut cannabis consedit, contrahit circum limbum & circulum, aut ardentem halonem, amplitudine orbis mensalis, prout carnem & locum attigit. Caro quam tetigit à sana separatur ac uti eschara, seu caro putrida, excidit, ut hiet cavum ac si lupi exedissent.* Ab his carbunculis nulla *vel anthraces.*

cor-

corporis pars immunis eſt, obſident tamen quam maxime membranas muſculorum & ſubſtantiam cutis nervoſam ac fibroſam, in dorſo potiſſimum, brachiis ac femoribus. In loco, quem afficiunt, ægri primo pruritum ſentiunt exquiſitum, ſi ſcalpunt, puſtulæ emergunt, coloris vel rubri, vel lividi, vel albo-purpurei, vel nigri. Puſtulæ compreſſæ ſunt & pure plenæ videntur, ac ſub una, vel pluribus ex his, cruſta cinerea, vel nigra concreſcit, qua ablata, caro corrupta & ſpongioſa apparet, cum dolore intolerabili & ardore carnis circumjacentis, ac tandem inſequitur totalis partis ſphacelatio, ſive mortificatio.

§. IX.

Sphacelo necat.

Quibus autem lethalis eſt peſtilentialis morbus, ex his non nulli primo ſtatim, vel ſecundo die ſyncope pereunt, procul dubio ex Panico, quo perculſi terrore. Sed plurimi, quando venenum vel non expellitur, vel expulſum ſubito relabitur, & nervoſis tunicis nobiliorum partium pleuræ, œſophagi, ventriculi & inteſtinorum, nec non meningibus inhærens, inducit ſphacelum, qui ocyus ad omnia viſcera ipſumque ſanguinem ſerpit, quo fit, ut cadavera illico mire fœteant, intumeſcant & citiſſime putreſcant. Quandoque etiam, quando nimia tumorum peſtilentialium copia prodit, ob inflammationem, dolorem & ardorem intolerabilem, ex febre ſymptomatica, non ſecus ac in variolis fieri ſolet, occumbunt.

PRÆSERVATIO ET CURATIO.

§. I.

Optimum præſervatium fuga & temperantia.

Quum in comperto ſit, noſtris in regionibus peſtilentiam non gigni, ſed ex remotis locis advehi, non ſecurius utique & certius datur conſilium præſervatorium quam fuga contagii. Vetus enim jam *Celſi* eſt præceptum, ut adhuc integer, qui tamen ſecurus eſſe non poſſit, naviget & peregrinetur, quod etiam in peſte Italica anni MDLXXV. eximie profuiſſe, teſtis eſt *Natalis Comes hiſt. lib. XXVII.* Et *Sanctorius Med. ſtat. Sect. aph.* 138. libere profitetur: *qui aliud remedium pro vitanda peſte inſtituunt, quam fugam, vel ſunt homines ignorantes, vel volunt æruſcare.* Eandem etiam ob cauſam optime ſaluti civium conſulunt principes, qui tempore peſtis advectionem & acceſſionem contagii modis arcent omnibus, ſi vero domus fuerit infecta, ſanos illico ſegregare & omnem mortuorum ſupellectilem comburere jubent, ne cum ea ad alios transferatur & morbus. Omnibus vero graſſante peſtilentia temperatiſſime vivendum, vitandus omnis exceſſus in rerum non naturalium uſu, maximeque animi affectibus, & abſtinendum à cunctis, quæ vires ullo modo dejicere, perſpirationis ſucceſſum turbare & cruditates prima in regione gignere poſſunt. Inprimis animus firmandus, & terror, metus ac puſillanimitas diſcutienda, quum certum ſit, timorem ac terrorem plures in peſte necare ac ipſum miaſma.

§. II.

In acidis.

Qui autem inter infectos verſari neceſſum habent, his videndum, ne miaſma ſuccos vitales ſubeat, nec ſalivales intra primas vias ſtagnantes humores in ſui ſocietatem, quod facile fit, pertrahat. Hunc in finem commendanda frequens exſpuitio & oris, cum aceto vini, vel vino colluitio, vel horum in nares attractio. Major efficacia adhuc, ſi ſcordio, ruta, vel corticibus citri fuerint imbuta. Acidum enim genuina miaſmatis putridæ & ſulphureæ indolis videtur eſſe antidotus, quippe quod teſte Chymia mechanica ſulphur & ſalia volatilia figit atque enervat. Quare longe tutius eſt acida deguſtare, vel in ore continere, quam radices alexipharmacas zedoariæ, angelicæ, oſtrutii &c. maſticare. Expedit hinc quoque tum vel vinum Rhenanum, vel aceti bezoardici aliquot cochlearia, cum aqua aut vino diluti, aſſumere. Locuples certe hanc in rem teſtis eſt *Foreſtus*: *ego*, inquiens, *cum graſſante peſte, nuſquam trepide, plenus civium ſtudio me ad ægros conferrem, illis auxiliis ac potiſſimum mali citrii putamine ſucculento, dentibus attrito, me munire ſuevi.* Turcæ, memorante *Cole lib. de morb. acut. pag.* 88. regnante peſtilentia, frequentius utuntur ſucco limonum, quem liberaliter omni juſculo inſtillant.

§. III.

& fonticulis.

Inter externa adverſus contagionem præſidia plures commendant fonticulos; inducti forſan primum obſervatione, qua conſtat, eos, qui ulcera chronica & ſcorbutica in artubus geſtarunt, à peſte & aliis contagioſis morbis fuiſſe immunes. Multus inprimis in laudanda hac fonticulorum virtute eſt *Hildanus, Obſerv. chirurg. cent. IV. obſ. XXIII.* ſic habens. *Neminem autem, quod notandum, eorum, qui fonticulos in cruribus & brachiis habuerunt, præter unum aut alterum ſumme cacochymicum, peſte obiiſſe memini, & proinde præſentaneum præſervativum tempore peſtis eſſe, cum in aliis multis, tum etiam in meipſo expertus ſum.* Et idem mihi quoque à medicis qui peſti Erfurtenſi interfuerant, relatum olim eſſe, memini. Ratio tam egregii effectus prophylactici videtur eſſe hæc, quod materia ſuſcepti miaſmatis, quæ firmiter adhærere ſolet ſeroſiori ſanguinis parti, naturæ vigore ad partem cui fonticulus inſidet, tanquam debiliorem, cum hac ceu vehiculo ablegetur, & per hoc emiſſarium excernatur, unde tum ſæpe circa fonticulum inſolitus dolor ac tumor obſervatur. Forſan etiam confidentia, quam geſtantes de hoc, tamquam certiſſimo fovent præſidio, metum excutit & reſuſcitando animi vires juvat, eodem modo ac de amuletorum adverſus peſtem virtute cenſendum.

§. IV.

Indicationes & curatio.

In curatione porro omnia à medico perito hos in fines dirigenda: I. ut ope naturæ expulſionem ſuſcepti veneni per congruas vias maxime tumores illos criticos promoveat horumque habeat rationem curate; II. ut vires, quæ cum vita pari paſſu ambulant, ſuſcitet & urgentibus ſymptomatibus occurrat. Sed quum quo pacto & quibus hæc rite ſint perficienda, ego ex propria tradere nequeam experientia, aliorum utar, & methodum, quam in curanda peſte ſummo cum fructu adhibuit doctiſſimus pariter & exercitatiſſimus Medicus, *Joannes Langius*, heic inferam, cui poſtea judicium meum & monita rationi & experientiæ congrua ſubjungam. Ita autem gravis hic auctor ſuam peſtem curandi rationem *lib. I. epiſt. XVIII.* deſcribit: *Jam tu probe noſti, me multos, de quibus etiam conclamatum erat, in hac peſtifera lue hac methodo curaſſe. Primum, ſi alvus, aliquot dies ante morbi initium, parum, vel nihil excreverat, tum glande impoſita, aut levi enemate eam exoneravi. Poſtea alexipharmacum*

macum ſudoriferum exhibui, quod, pro ratione ætatis ac virium, ſudorem duas, vel tres, aut plures horas, promoveret. Cordis epithema applicui. A ſudore hora ſexta, vel ſeptima, refectis tamen aliquo juſculo viribus, venam opportunam ſecui, ac mox ab alexipharmaco aliis ſingulis diebus, mane & veſperi, potagia alterantia, quæ ſua qualitate & ſubſtantia veneno reſiſterent, exhibui, & cor quoque confortarent, qualia ſunt, quæ ex ſucco citri, limonum, aurantiorum, acetoſæ & jugulæ, cum momento aceti & ſaccharo decocta conficiuntur. In morbi declinatione, ſi appetitus edendi languebat, ad reliquias morbi exſtirpandas, medicamentum ex rhabarbaro, agarico, caſſia, aut rore Syriaco, ſive manna & tamarindis Indorum exhibui. Poſtremo chirurgis, ne ulceris aut carbunculi conſolidationem præcipitarent; coquis vero ut præſcripto tempore commoda eſculenta & potulenta ægro ſuppeditarent, edixi. Qua curationis ratione ingens ægrorum numerus, Deo optimo auſpice, convaluit. Bubonibus, pergit paucis interjectis, *vero & carbunculis, ſi circa emunctoria, juxta aures paratis, ſub axillis abſceſſus, in inguinum adenibus bubo, virtute expulſante eruperit, aut interim carbunculus in brachiis aut cruribus efflorverit, tum feſtinanter, veluti in vulneribus virulentis, medicamenta, quæ venenum extrahunt, ad locum applicata, vel cucurbitulas, aut emplaſtrum ex fermento, theriaca, farina, ſinapi & cepa ſub cineribus cocta conficito, additis opoponacis & galbani gummis, acerrimo aceto ſolutis, impoſito, & abſceſſum ante maturationem ſcarifica, aut aperi, vel cauterio adurito. Si vero patiens ignem veretur, cauterium potentiale ex canthari-dibus & fermento confectum, aut contuſam ex oleo ſtammulæ radicem applicato, quæ ſua virtute calorifica & ardente non modo noxios humores attrahunt, ſed & non raro factas ex his collectiones aperiunt.*

§. V.

Initiante & vigente. Et utique hæc peſtem curandi methodus rationi conſentanea. Nam in omni morborum curatione ſedulo tenendum hoc monitum, ut ſi alvus ſub initium per aliquot dies, parum, vel nihil excreverit, leni enemate ducatur, quo ab excrementis liberentur inteſtina, ne inde tam ſymptomata exacerbentur, quam remediorum virtus obtundatur. Dein probandum merito auctoris inſtitutum, quo commodo alexipharmaco ſudorem per aliquot horas movit, ut halituoſum illud venenum cito exhalaret & per cutem difflaretur. Neque etiam de nihilo putandum, quod cordi applicuerit epithema. Quamvis enim non proxime tangat & afficiat cor, ſed potius dextrum orificium ventriculi ejuſque tunicas nervoſas & muſculoſas; multum tamen intereſt, ut ventriculus, ceu pars maxime nervoſa, & exquiſiti ſenſus & quæ cum nervoſis univerſi corporis partibus conſenſum alit intimum, ac ubi venenum primo omnium pernicialem ſuam vim exſerit, probe defendatur, quod fit per topica, quæ antiſpaſmodica ſimulque roborante balſamica virtute pollent; quem in finem ego commendare ſoleo, quæ ex theriaca, oleo nuciſtæ expreſſo, camphora, croco, caſtoreo ac balſamo Peruviano concinnantur. Porro poſt uſum alexipharmacorum venam ſecare juſſit, quod omnino proficuum. Initium enim curationis à ſanguinis miſſione facere periculoſum, eo quod primo vel ſecundo poſt eam die, motus ſanguinis ad peripheriam, adeoque etiam perſpiratio, ſemper quodammodo imminuitur, ut venenum intus maneat. Ne dicam, metum & terrorem in peſte correptis, protinus morum ſanguinis à corporis ambitu revocare, ut hinc venæ ſectio, quæ idem efficit, non poſſit non nocere. Sed admitti utique hæc poteſt ſi conſuetudo, ſanguinis abundantia & victus lautus atque vinoſus urget, poſt uſum medicamenti ſudoriferi, eo quod demta ſanguinis copia, propulſio materiæ virulentæ ad glandulas facilitatur & promovetur, tanto certius, quando poſtea lenioribus ſanguinis ad exteriora fluxus ſubinde adjuvatur. Recte etiam laudantur acida, uti ſuccus citri, limonum, acetum &c. quod tota ſubſtantia veneno reſiſtant, quippe quæ putredinem humorum & diſſolutionem ſanguinis valide obtundunt & ob id merito omnibus alexipharmacis & antiloimicis anteponuntur.

§. VI.

nec non declinante morbo. Fracto præterea morbi vigore, ſub declinatione alvum expurgat lenioribus. Quod quidem ſicuti in principio peſtis aliorumque contagioſorum morborum, ob effectum motum humorum ad externa retardantem, admodum nocivum; ita viciſſim quam maxime conducibile, in declinatione. Sic enim educuntur ſordes ſub morbo genitæ pernicioſæ, quibus retentis appetitus proſternitur, lentæ, immo purpuraceæ febres de novo inducuntur, vires languent, calor fit lentus, novuſque ac capitalis haud raro repullulaſcit morbus. At virus tum extrahendum in tumoribus peſtilentialibus ſuadet cucurbitulas, ſcarificationem & veſicatorium, ac in eo pariter conſentientes habet loimiatros. Inprimis elegans *Riverii* eſt obſervatio *Cent. II. obſ. XIX.* qua ceu expertæ virtutis præſidium laudatur, ut, ſtatim ac quis peſte correptus, cantharides cum fermento & aceto pone aures ac in aliis ſuetis emunctoriis applicentur, ac in lecto poſtea quieti decumbere jubeantur ægri, eoque facto, poſt XXIV. horas effluere humorem atrum ſeroſum & peſtilentem morbum poſt aliquot dies plane diſcedere. Neque minus probe etiam monet *Langius*, ne præmature ac cito ulcera conſolidentur. Evocata potius ad partes externas materia & ſuppuratione facta, tumor aperiendus, ulcus ſuetis digeſtivis mundandum, ſed diu apertum ſervandum admota turunda, quo virus omne per illud ſufficienter expurgetur, & tandem ad cicatricem perducendum.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

§. I.

Pauca media ſyſtema. Perquam attentione dignum eſt *Sanctorii* in *Medic. ſtat. aph.* 139. effatum *nobilium fere nemo tum remediis, plebeji vero ſine iis plures, ſanantur.* Nam experientia uberius docet, plebejos, modo non omnibus ſubſidiis deſtituantur, ſed temperato regimine & ad ſatietatem levi potu utantur, citius & rectius tam in peſtilentialibus, quam aliis contagioſis malignis febribus convaleſcere, quam opulentos, qui medicorum & medicamentorum copia obruuntur plane. In illis quippe valens & robuſta eſt natura, cui ſi negotium committitur curationis, longe felicius utique ſuccedit, quam ſi artificioſa medicatione, nonnunquam plane perverſa, impeditur ac turbatur. In nobilibus autem, quum per ſe ob inordinatam vitæ victusque rationem jam tum debilior natura, longe magis utique medicamentorum multorum,

torum, variorum, quin ſæpe minus congruorum uſu, in opere ſuo turbatur & morbus ad infelicem eventum promovetur.

§. II.

Alexipharmaca ſola nocent.

Inprimis nihil perniciosius eſt, quam radices ſic dictas alexipharmacas, oleo volatili calido turgidas, carlinæ, angelicæ, petaſitidis, zedoariæ, ſerpentariæ, Virginianæ, imperatoriæ, vincetoxici, pimpinellæ, oſtrutii & ex his præparatas eſſentias, elixiria, theriacam quoque & mithridatium, ceu genuinam antidotum, liberaliter offerre. Multo vero magis deteſtandi adhuc illi tantopere laudati ſpiritus volatiles, urinoſi & oleoſi, ut cornu cervi, viperarum, fuliginis, item ſalia volatilia, nec non balſamum ſulphuris. Tantum enim abeſt, ut iiſdem noxium expellatur, ut potius intus detineatur & partibus nervoſis altius infigatur. Perpetua quippe hæc lex eſt, ſecretiones, quæ antecedunt excretionem recrementorum in corpore, melius ſub liberiori & moderatiori ad emunctoria appulſu ſuccedere, quam ubi humores impetuoſe ac celeriter commoventur. Augent potius calidiora pharmaca anxietates præcordiorum, calorem intendunt, diſſolutionem humorum promovent & miaſma quoque malignum facile & cum impetu ex ventriculo in ſanguinem ac nervoſas partes agunt, ut ſic multiplici ratione ſint detrimentoſa. Et hæc omnino ita eſſe, loquuntur paſſim medicorum, qui peſtilentiæ interfuerunt, ſcripta, è quibus nominaſſe ſufficit *Hildanum*, *Chald. de Heredia*, nec non *Thonerum*, qui pluribus obſervationibus confirmat, alexipharmacis calidioribus uſos, peſte abſumtos eſſe omnes.

§. III.

Sed acidis nupta prosunt.

Neque tamen penitus radicum & herbarum ſic dictarum alexipharmacarum uſus in peſte damnandus. Tum enim non nocent, quando miſcentur cum iis, quæ vim earum commoventem nimis & calefacientem cicurant & quaſi ad temperamentum reducunt, uti ſunt maxime acida, cum nitro. Sic relatum mihi eſt, in peſte illa, quæ anno MDCLXXXII. noſtram hanc urbem infeſtavit, eximie profuiſſe mixturam ex aquæ cardui benedicti & aceti vini quatuor cochlearibus, lapidum cancrorum & theriacæ drachma, concinnatam & iterato datam. In peſte quoque, quæ anno MDLXXVI. totam fere Lombardiam pervagata, multi paſſim & præcipue Mediolani convaluiſſe dicuntur, ſucco ex ruta capraria, cum aceto, aqua cardui benedicti & modico theriacæ hauſto, corpore poſtea ad ſudorem contecto. Ipſe *Thonerus obſerv. pag.* 21. teſtis eſt; nil profuiſſe in peſte, præter acetum theriacale, inter initia ad eliciendos ſudores exhibitum, eodemque hoc remedio anno MDXLIII. graſſante inter milites febre maligna, integram gregariorum cohortem fuiſſe ſervatam, convaleſcentibus omnibus, quibus tempeſtive hoc acetum oblatum, exceptis paucis, qui ſerius à chirurgo acceperant. In peſte quoque Romana tam egregia præſtitiſſe acetum cum ruta, radice pimpinellæ, betonica, allio & baccis juniperi, addito camphoræ momento infuſum, ut quotquot illo uſi fuerunt, quamvis inter infectos degerint, peſtem evaſerint, fidem facit *Kircherus de peſte pag.* 375. Quin propter acetum, ceu præcipuum ingrediens, aqua prophylactica *Sylvii*, in malignis morbis & ipſa peſte, magni ſemper æſtimata. Et *Geſnerus* ob id *lib. III. epiſt.* 27. auctor eſt, ut omnia alexipharmaca ex vino, cui acetum admixtum, præ-

ſcribitur. Conveniunt autem hæc alexipharmaca acidis nupta primo maxime die, ubi reſolutione ac ſudore opus eſt. Niſi enim, ex vero aſſerit *Mindererus*, intra viginti quatuor horas ab invaſione alexiteria exhibeantur, omnia medica præſidia fore irrita.

§. IV.

Optima in peſte acida & bezoardica fixa.

Inter ea vero quæ præſentiſſimæ in peſtilentiali morbo efficaciæ, communi omnium qui de peſte ſcripſerunt ſuffragio, ſunt maxime acida & terrea. *Fracaſtorius lib. III. pag* 246 *de morb. contag.* tam ad præſervationem, quam curationem commendat hoc: recipe ſucci acetoſellæ uncias duas, citri unciam, diaſcordii Fracaſtorii drachmam, ſpecierum cordialium ſcrupulos duos, aceti unciam. *Mindererus de peſt. cap. XV.* diſertis ſcribit verbis: *nulla eſt putredo, nulla infectio, nulla humorum depravatio, quæ per acida non ſuperetur. Sane, ut liberrime loquar, ſi mihi vitriolicorum remediorum uſus, vel interdiceretur, ego ad curationem peſtis nunquam, vel certe inermis, accederem.* Item teſtatur *Fonſeca de ſer. rat. curand. peſt. Johannes Crato*, inquiens, *Augenius de Monte Sancto, Martinus Rulandus & alii in febribus peſtilentialibus ſpiritum vitrioli ummopere prodeſſe teſtantur. Et ego id teſtari ingenue poſſum, me non modo cum ſyrupis, ſed & cum conſerva roſarum mixtum, felici cum ſucceſſu eum exhibuiſſe.* Ex terreis vero & bezoardicis fixioribus ſingulari virtute pollent antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale, lapides cancrorum, cornu cervi uſtum & philoſophice præparatum, ſuccinum, terra ſigillata, bolus Armena & cinnabaris. Ex quibus varia concinnari, eademque vel ſola, vel acidis nupta, in uſum vocari poſſunt. De quibus tamen omnibus pluribus legendi *Antonius Schneeberg in catal. med. ſimpl. adv. peſt. opera Henrici à Bra edit. Unzerus lib. II. antid. peſtil.* nec non *Mindererus de peſt. cap. XV.*

§. V.

Nec non analeptica.

Deinde inter remedia in peſtilentia conducibilia præcipuum fere locum tuentur analeptica. Vires enim in atroci hoc morbo, tam propter gravem animi metum & conſternationem, quam ob ingentem malignitatem, ſummopere ſunt proſtratæ. Hinc medico quam maxime enitendum, ut removeat ex rebus moralibus & non naturalibus omnia, quæ eaſdem offendere poſſunt, & in medicatione fugiat anodyna & valde vaporoſa, graveolentia. Ad reficiendas autem vires præſtabilis aqua confortans, noſtra methodo ſic paranda: recipe meliſſæ Turcicæ manipulos quatuor, roſarum cum ſale contuſarum, florum liliorum convallium ana manipulum, corticum citri recentium unciam unam ſemis, cinnamomi acuti unciam, macis unciam dimidiam, affunde vini Rhenani menſuram, aquæ communis menſuras tres & leni igne abſtrahe duas cum dimidia menſuras. Poteſt hæc aqua vel cum tantundem aquæ cardui benedicti remixta, vehiculum præbere ſumendis reliquis medicamentis omnibus, vel ſola dari, cum ſyrupo acetoſitatis citri & ſpiritu ſalis acidulata.

§. VI.

Item emetica.

Neque minus apprime in peſtilentia proficua ſunt emetica. Nam prima & præcipua in medicatione indicatio eſt, ut venenum ſuſceptum ocyus citius è corpore pellatur. Jam vero miaſma contagioſum primo omnium ſalivali ſeſe im-

miſcet latici, cum hoc ad ventriculum deſcendit & inde ad ſanguinem transfertur. Hinc optimum utique conſilium, ut venenum breviſſima, qua ſubiit via, iterum exturbetur, ſimul atque cruditates primæ regionis, quæ deleteriam ejus virtutem mirifice intendunt, per ſtomachi os everrantur. Sed opus eſt, ut cito id fiat, ſimul ac quis ſe infectum & languorem cum cardialgia ſentit. Sic ſubjuncto congruo ſudorifero, prima quaſi in herba jugulari poſſe morbum multiplici conſtat experientia, eodem modo ac *cap. X. & XI.* in aliis malignis morbis id ſuccedere pluribus docuimus. Curioſa non minus quam notabilis hanc in rem eſt obſervatio *Riverii*, de quodam, qui ſimul ac ex ſymptomatibus, dolore capitis & nauſea, ſe peſte laborare conjecit, illico pennam oleo illitam in fauces immiſit, qua educta per vomitum materia, primum ſeroſa, dein flava, tandem porracea, in lectum ſe contulit, juſculum ſumſit, ſudavit & illico convaluit.

§. VII.

Sub certa conditione admittenda vena ſectio.

De venæ ſectionis utilitate non æque inter omnes convenit, ſed ſunt qui laudant, ſunt qui damnant. Optime præcipit *Celſus lib. III. cap. IV. deſiderat*; inquiens, *propriam animadverſionem in febribus peſtilentialibus caſus. In hac minime utile eſt, fame aut medicamentis uti, aut alvum ducere. Si vero vires ſinunt, ſanguinem mittere optimum, præcipue ſi cum dolore febris eſt.* Neque minus fidem facit *Riverius in opp. tit. peſt.* ſe in peſtilentiali parotide, quæ plures necavit, venæ ſectione, moderata tamen, ad uncias aliquot, & repetita, plures ſervaſſe. Nos quid de ea cenſeamus, ſupra jam in epicriſi ad *Langii* methodum expoſuimus. Omnia autem huc redeunt: nunquam in principio poſt invaſionem ſtatim, ubi terrore & metu æger jactatur, habet locum, ſed ſecundo vel tertio die, ſi urget plethora & vires ſinunt, admittenda moderata.

§. VIII.

Ac nitroſa.

Sic etiam de nitri uſu ambigunt medentes. Qui rejiciunt, putant illud nimium refrigerare & expulſioni veneni ob id reſiſtere, peſtis etiam venenum jam tum eſſe ſtupefactivum, putredinoſum ac diarrhœas inde metuendas fere lethales. Qui probant illud non ſecus ac in aliis exanthematicis inflammatoriis & malignis febribus, diaphoreticis nuptum, egregie prodeſſe contendunt. Sed lis facile dirimenda. Spectanda ſunt individua eorumque natura & temperamenta, & expendenda morbi ſymptomata. Si corpus eſt plethoricum, temperamentum cholericum, vel ſanguineo-cholericum, æſtus acris, febris intenſa cum ſiti & dolore capitis; nitroſa, refracta doſi cum bezoardicis pulveribus data, commodum locum habent omnino. At ubi torpor & ſomnolentia, pulſus debilis, extrema frigida & timor præceſſit ingens, abſtinendum à nitroſis eſſe docet ratio. Semper tamen tutius eſt, ſi nitrum ſociatur camphoræ, quo connubio camphoræ vaporoſa & nitri refrigerans indoles optime cicuratur & medicina emergit, non modo alexipharmaca, ſed & inflammationi efficaciter reſiſtens. Memini ego, me olim quum Londini verſarer, à peritiſſimo chirurgo ſene, qui peſti Viennenſi interfuerat, audiviſſe, ſe ſummo cum fructu uſum eſſe electuario, quod vocabat nigrum, compoſito ex rob ſambuci & mellis ana libra dimidia, pulveris pyrii uncia & camphoræ drachma, ad unam vel duas drachmas dato. Et *Giſelerus* quoque ſe in peſte Brunſvicenſi ſummo cum fructu adhibuiſſe pulverem pyrium affirmat.

§. IX.

Bubonum & anthracum tractatio.

Perite præterea tractandi critici illi tumores peſtilentem morbum ſolventes. Bubones quidem, ſi cito prorumpunt & cito maturant, boni, ſi autem ſtatim redeunt, metuenda aut mors ipſa, aut minimum gravia ſymptomata, ex inguinalibus paralyſis & gangræna ipſius lateris, ex mento relapſis deglutitio ſolidorum & liquidorum intercepta, cum angina ut plurimum lethali. Periculoſiores etiam qui pone aures, peſſimi, quibus carbunculus inſidet, & lethales circulo livido ſepti. Carbunculi deteriores ſemper quidem bubonibus, ſed quo majores, quo nigriores & quo propiores cordi, eo magis periculoſi. In utrisque ex internis optima ſudorifera & quæ ſuccos ad ambitum corporis agunt. Exterius in bubonibus, ſi tardius prodeunt, attrahentia imponere jubent, cucurbitulas, quin veſicatoria. Si protuberant, ſuppuratio promovenda cataplaſmate ex ficubus, radice liliorum alborum, cepis ſub cineribus toſtis, cum farina lini, melle & croco; vel imponenda ſuppurantia ſimul atque diſcutientia, emplaſtrum diachylon tam ſimplex, quam cum gummatibus, de mucilaginibus, nec non de meliloto. Ubi ſuppurarunt, aperiendi & balſamo *Arcæi*, non nunquam unguento Baſiliconis remixto, mundandi & conſolidandi, ita tamen, ut non nimis cito coëant, ſed aliquamdiu materiæ ſanioſæ concedatur effluxus. Anthracibus, quia humor jam corruptioni obnoxius, non admovenda ſuppurantia, ſed curandum, ut cruſta decidat: quem in finem Loimiatri confinia digeſtivo inungere & acre emplaſtrum ſuperponere jubent. Cruſta delapſa unguento Aegyptiaco, vel fuſco *Würzii* cum melle roſato tractandi. Quod ſi autem corruptio ſphaceloſa adeſt & latius ſerpere videtur, prohibendum hoc ſcarificatione ſufficienti & applicatione liquoris, qui potenter inflammationi ac putredini reſiſtit, expertæ ſæpius à me virtutis, parandi, ex unciis quatuor ſpiritus vini rectificati, drachmis duabus camphoræ, drachma croci & tantundem nitri artificialis, quod ex ſpiritu ſalis ammoniaci urinoſo & ſpiritu nitri confit, ac à vini ſpiritu perfecte ſolvitur.

§. X.

Regimen.

Demum quoad regimen in genere adhuc tenendum, quod, ſicuti in omnibus acutis exanthematicis morbis, nimius lecti & conclavis calor omni ſtudio, ceu ſummopere noxius, vitandus, ita multo magis ipſa in peſtilentia. Viciſſim vero arcendum etiam frigus, ne tumorum eruptio & difflatio ſubtilioris venenoſæ materiæ per cutis poros ullo modo intercipiatur. Temperata potius ſint omnia, uti jam in antecedentibus paſſim monuimus, iterumque monemus.

CAPUT XIII.

De Febre Eryſipelacea.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Deſcriptio morbi.

AD exanthematicas febres merito etiam refertur eryſipelacea, in qua ſub intenſiori ſangui-

ſanguinis & humorum motu, ſerum acre, ſulphureæ, cauſticæ naturæ, ad partes extremas, cum tumore, rubore, ardore & dolore propellitur.

§. II.

Multum convenit cum peſte.

Certe non tam levis, innocens & ſimplex eſt eryſipelacea febris ac vulgo putatur, ſed gravis ſæpe, periculoſa & non raro lethalis; quin multum affinitatis alit cum morbo omnium atrociſſimo, ipſa febre peſtilentiali. Nam ſicuti hæc ſubito cum intenſo horrore, æſtu, virium proſtratione, vehementi dorſi capitisque dolore, vomitu quoque & delirio accedit; ita & ſæpiſſime eryſipelas ſtatim in principio iiſdem ſymptomatibus ſtipatum adoritur. Sicut deinceps in peſtilenti morbo inter tertium & quartum diem materia maligna ad corporis ambitum propellitur, remittente poſtea paululum ſymptomatum atrocia; ita ſimilem ſucceſſum ſervat eryſipelacea febris. Quemadmodum porro peſtilentialis venenata materia maxime glandulas, & quidem inguinales, invadit, ibique dolorem primum ac tenſionem efficit; ſic etiam gravi eryſipelate affecti, primo tumorem, ruborem ac dolorem ſentiunt in inguium adenibus, unde poſtea materia ferventiſſimæ & adurentis quaſi naturæ ad pedes deſcendit. Uti quoque materia peſtilentialis ſedem ſæpius figit in glandulis mammariis, axillaribus & parotidibus; ita eadem obſervantur in eryſipelate, quod ubi capiti imminet, patiuntur primum parotides, ſi mammis, axillares. Peſtifera præterea materia in glandulis abſceſſus format ac partibus extremis facile gangrænam & ſphacelum inducit; ſacrum autem ignem axillares præſertim & mammarias glandulas ſic ſæpe adurere, ut pus contrahant, & artus fœda corruptione afficere, omnes qui medicinam faciunt, uberius norunt. Demum ſicuti in peſte nil periculoſius, quam ſi materia expulſa ab externis ad interiora relabitur; ſic eadem noxa idemque periculum à retroceſſione eryſipelatis metuendum.

§. III.

Differt à peſte inflammatione & phlegmone.

In eo tamen eryſipelacea à peſtilentiali febre differt, quod non ex contagio, ſive cauſa externa, ſed interna oriatur, nec contagioſa ſit & alios ſola exhalatione inficiat, nec tam virulenta ſit, & cum mortis periculo juncta. Inflammatio autem eryſipelacea ab aliis his diſtinguitur, quod tumor in illa depreſſior, dolor non tam tenſivus, color quoque roſeus & floridus, qui in his magis fuſcus. Neque minus à phlegmone diſcernendum eryſipelas: In hoc enim inflammatio magis ſuperficialis, in latum diffuſa & preſſa colorem exuit, materia quoque pauca & tenuis, in illo autem profundior inflammatio, ſubjectam non modo cutem, ſed & pinguedinem & muſculos tangens, attactu ob duritiem colorem non deponens, ac fit à ſtagnante impuro ſanguine, propterea facilis in gangrænam eſt tranſitus.

§. IV.

Eſt verum vel nothum.

Ipſum autem eryſipelas à practicis vulgo diſtinguitur in verum, quod & ſimplex, ac in nothum, quod & ſcorbuticum vocant. Simplex facilis obſecundat commodis remediis internis & externis, ac tantum in ſuperficie cutis hæret, nothum autem magis eſt chronicum, ob ſuccorum impuritatem altius radices agit, difficile curatu & facile abit in ulcera mali moris. Subdividunt igitur hoc iterum in illud, quod cum, & quod ſine exulceratione eſt, in exulcerato plus utique periculi metuendum, & ægris, & medicis, & per longum ſæpe tempus detinet ægre conſolidandum. Porro eryſipelacea febris quandoque idiopathica, ſive morbus primarius, quandoque ſymptomatica & morbus ſecundarius. In anaſacra quippe, aſcite, item diuturno ictero, flavo & nigro, accedit haud raro ſymptomatice eryſipelas, & cito ægrum jugulat. Sæpe etiam complicatur vulneribus partium nervoſarum, præſertim cranii ejuſque membranarum, item fracturis oſſium, ac tum quoque in ancipiti verſatur æger.

Idiopathicum vel ſymptomaticum.

§. V.

Differt ratione corporum.

Deinceps non in omnibus unius ſemper ejuſdemque indolis eſt eryſipelas, ac vehementiæ. Etenim in quibuſdam, juvenibus maxime materia nec adeo virulenta, nec adeo multa, levius facit atque benignius, quod neque glandulas occupat, neque febrem intenſam movet, ſed ſecundo mox die prodit, cum rubore, tumore ac dolore in pedibus, & ſub perſpiratione debita, vel leni remedio domeſtico, promte diſcutitur. Contra ea in cacochymicis, ſenibus & impuris corporibus, ubi materia, & copioſior, & deterior, ſyſtema nervorum & vaſorum gravius exagitatur, febris eſt acrior, dolores & inquietudines acerbiores, ac niſi exquiſita medicatione excipiatur, diu affligit & ægrius cedit. Differt quoque eryſipelas ratione partium, quibus incumbit, & variis diſtinctis ſtipatur ſymptomatibus. In pedibus nitorem inducit tibiis, quin, ſi gravius, cum dolore ad crura uſque propagatur & levi attactu exacerbatur. Faciem ſi occupat, intumeſcit hæc ſucceſſive, rufeſcit, interſperſis copioſis aqueis veſiculis, oculi tumore clauduntur, ſpiritus difficulter trahitur, nares & fauces aridæ valde ſunt & ſiccæ, & torpor plerumque ac ſopor conjunctus eſt, quin ob propinquitatem cerebri metuendum, ne in phrenitidem, vel lethargum degeneret lethalem. Mammas ubi eryſipelas tangit, intumeſcunt, ſæpe lapidis inſtar indureſcunt, cum exquiſito dolore, & facile ſequitur ſuppuratio. Sub axillis ibique poſitis glandulis, acerbiſſimo ſtipatur dolore & plerumque in abſceſſum deſinit. Umbilicalem regionem in infantibus frequentius infeſtat, ac inde per abdomen ſpargitur, cum gravibus pathematibus, funeſto ut plurimum eventu.

& partium.

§. VI.

Zoſter

Ex peculiaribus eryſipelatis generibus eſt illud noſtro tempore paucis cognitum & à veteribus quoque parum notatum, quod *Plinius* vocat Zoſter, noſtri zonam. Gravioribus hoc prodit ſymptomatibus & ſupra umbilicum medium corpus ambit inſtar cinguli, ex præcordiali regione per dorſi tractum, latitudine ut plurimum aliquot digitorum tranſverſorum, cum intenſiſſimo ardore, inſidentibus puſtulis acribus, inſtar ignis urentibus. Sed pernicioſum eſt ac interdum necat. Omnium vero, ut ita dicam, maligniſſimum eſt, quod poſt magnum virium languorem in corporibus ſenilibus, eminentius cacochymicis, non nunquam etiam in febribus malignis & peſtilentialibus, ſub papilla & in cordis regione, vel etiam manibus aliiſque exquiſitioris ſenſus partibus, prodit, lividum mox fit, demum atrum, morte cito ſubſequente, quod *Platerus* inprimis *obſp. tom. II. pag.* 23. ſub nomine maculæ latæ deſcribit.

Et macula lata.

§. VII.

Cauſa materialis.

Ad cauſas hujus febris quod attinet, materialis neuti-

neutiquam ſimplicis, bilioſæ, vel ſalſæ, ſed potius cauſticæ, acris & putrefacientis indolis eſſe videtur. Vehemens enim ipſius in partes nervoſas operatio, totius corporis œconomiam functionum illico graviter turbans & vigiliam, delirium, inquietudinem, anxietatem, corporis jactigationem, vomitum & ſenſuum turbationem, inducens. Longe gravior adhuc, quando expulſa materia retrocedit, quippe quæ tum haud ſecus ac venenum, cito deliria, inflammationem internam, aſthma convulſivum & ſpaſticas ſtricturas ciet ſæpe lethales. Ne dicam gangrænam & ſphacelum, quæ eryſipelas inprimis male tractatum facile excipiunt, virulentiam materiæ luculenter ſatis prodere ac indicare. Unde vero hæc materia trahat ortum, non adeo quidem in expedito; ego tamen crediderim, ex bile variis ex cauſis vitiata & corrupta reddita, in duodeni flexura ſtagnante diutius, ibi cum ſucco pancreatico confermentata quaſi & cauſtica acri facta, eandem conflari, inde ſucceſſive ad ſanguinem & cerebri ſpinaliſque medullæ membranas ferri, univerſum nervoſarum & vaſcularum partium ſyſtema male afficere, febrem efficere, donec demum ad externum corporis ambitum pellatur.

§. VIII.

Subjecta. Ad concipiendam hanc eryſipelatis materiam, diſpoſiti præ reliquis temperamento ſanguinei & ſanguineo-cholerici, plethorici, juvenes, viri, nec non fœminæ gravidæ, in quibus tamen benignioris eſſe ſolet naturæ. Sed in ſcorbuticis, ſenibus & cacochymicis, item fœminis, ſuppreſſione, vel emanſione, aut retentione menſium laborantibus, deteriorem obtinet genium. Crebrius etiam & facili ex cauſa eidem obnoxii, qui à parentibus eodem affectis prognati, & qui ſemel paſſi, ſæpius poſtea ipſius experiuntur inſultum, præſertim ſi ſenes & ſcorbutici. Ego quidem anniverſaria, æquinoctialia, quin ſingulis menſibus redeuntia eryſipelata notavi. Sed de his, in ſenibus maxime & cacochymicis, verum etiam deprehendi *Hippocratis in aphor.* effatum: quod qui ſæpe eryſipelate corripiuntur, tandem eo moriantur.

§. IX.

Cauſa procatarctica. Quæ autem hanc intus delitescentem eryſipelatis materialem cauſſam evolvere & in actum deducere poſſunt, ex rebus non naturalibus ſunt multa. Inter hæc primum ac præcipuum locum ſibi vindicant animi affectus vehementes, ira præſertim ac terror, & conſignavit inter alia *Fallopius* exemplum fœminæ, quæ, quotieſcunque irata, eryſipelas naſi incurrit, potu aquæ hordei facile diſcutiendum. Excludit dein eryſipelas aër nimis calidus & intenſior ſolis ardor, nec non viciſſim ſubita & vehemens corporis, vel pedum refrigeratio. Idem facit cibus calidus, potus exæſtuans, crebra ebrietas, nec non balneum fervidius. Inprimis vero ad excluſionem hujus mali faciunt evacuationes ſanguinis tam artificiales, per ſcarificationes & venæ ſectiones, omiſſæ, quam ſpontaneæ per nares, uterum & ſedis venas, interceptæ. Speciatim capitis eryſipelas frequentius accidit his, qui diu noctuque in aëre humido & pluvio o degunt, item ſenibus. In mammis ſolenne eſt puerperis, præſertim lactantibus, poſt gravem terrorem, tumque illico ſiſtitur lactis effluxus, mammæ duræ fiunt, & à lacte coagulato tumeſcunt.

§. X.

Eventus bonus. Interim eryſipelas, ſi cito & ſine adeo vehementi commotione erumpit, nec corpus ſordidum, nec locus nobilior, aut cum nervoſis partibus communicans, non tantopere periculoſum, ſed ſub auctiori perſpiratione, adhibitis congruis remediis, poſt unum aut alterum diem, tumor ſenſim ſubſidet, ardor ac dolor evaneſcit, color roſeus mutatur in flavum, cuticula finditur, in ſquamas fatiſcens ſecedit & morbus ex voto ſolvitur. Quin ſalubritatis plane notam quandoque fert; ac novi, alios morbos, præſertim aſthma convulſivum, nec non colicam convulſivam, eryſipelate ſuperveniente, fuiſſe feliciter ſublata.

§. XI.

Malus. Sed ubi eryſipelas magnum, profundum, ſucci corporis eminentius impuri, pars exquiſitioris ſenſus, periculo, uti ſupra paſſim dictum, non vacat. Aut enim rubor livorem & nigredinem induit, ac brevi in ſphacelum tranſit funeſtum, aut inflammatio diſcuti renuit, ſuppuratur, ac ulcera mali moris, fiſtulas & gangrænam inducit. Minimum in ſanguineo-phlegmaticis & cacochymicis poſt eryſipelas remanet ingens tumor pedis, ut tibia magnitudine tripla naturalem ſtatum excedat, iſque tumor difficulter admodum abigitur. Qui autem hoc morbo moriuntur, febre pereunt, quæ ut plurimum juncta eſt cum difficillima reſpiratione, interdum cum delirio, aliquando cum ſopore & intra ſeptimum plerumque diem cataſtrophe accidit lethalis.

§. XII.

Ex perversa medicatione. Male etiam cedit, quod perverſa medicatione excipitur. Nam priſcum & verum *Hippocratis aph.* 25. *Sect.* VI. eſt dictum: quod ſi retropellatur, ſit pernicioſum, quin funeſtum; id quod ſæpius incidit. Novi ego poſt vomitorium & validum purgans receſſiſſe eryſipelas, inſequutam ventriculi inflammationem & mortem. A venæ ſectione etiam ad interiora revocatum eſſe, & vagum poſtea cum longe majori incommodo factum fuiſſe, vidi. Obſervavi quoque, repulſo ab ipſa camphora cum minio & bolo cruris eryſipelate, excepiſſe febrem intenſam, ſtomachi dolorem intolerandum, reſpirationem mire laborioſam, vomitum bilioſum, virium languorem, appetituſque proſtrationem, nec prius conquieviſſe hæc pathemata, quam datis antiſpaſmodicis leniterque diaphoreticis, & revocato ad priſtinam ſedem per veſicatorium eryſipelate. De capitis eryſipelate repellentibus, frigidis, adſtringentibus, vel etiam nimis ſpirituoſis, nec non camphoratis linimentis tractato, compertum habeo, quod induxerit vertiginem, affectus ſoporoſos, anginam, phrenitidem, linguæ paralyſin, quæ mala ſenioribus & ſcorbuticis haud raro fuerunt funeſta. Neque minus frigida, ſaturnina, oleoſa, linimenta ſpirituoſa, largiter camphorata, exterius admota, malum eryſipelatis eventum procurant, ac ut in ulcera mali moris, gangrænam & ſphacelum degeneret, faciunt, uti pluribus *Hildanus Cent. I. obſ.* 82. *Moinichen obſ. II. pag.* 245. item *Timæus à Güldenklee lib. VI. caſ. XXXIII.* teſtantur.

CURATIO.

§. I.

Indicationes tres. Recta eryſipelati medendi methodus tribus his abſol-

absolvitur indicationibus: I. ut motus iste febrilis naturæ nullo modo impediatur, sed potius si deficit, promoveatur, si excedit, ad temperamentum reducatur; II. ut materia subtilis caustica, nervosis partibus insidens temperetur, atque ad se & excretionem præparetur; III. ut stasis lymphæ putridæ & causticæ inflammatoria in partibus externis discutiatur, & ad perfectam expulsionem traducatur.

§. II.

Præsidia primæ.

Inter ea præsidia, quæ motum febrilem naturæ quodam modo languentem excitant & promovent, ex classicis remediis laudem omnino meretur mixtura simplex, quando cum spiritu nitri dulci, aut melius adhuc liquore nostro anodyno minerali, miscetur; vel si essentia scordii, aut pimpinellæ albæ, non adeo spirituosa & concentrata, cum tantundem liquoris anodyni nostri confunditur & ad viginti, vel triginta guttas porrigitur. Juvat quoque expulsionem infusum theiforme ex herba scordii, floribus sambuci & semine fœniculi compositum, nec non ex temperatioribus pulvis bezoardicus noster, aut Ludovicianus. Motus spasmosque excedentes moderatur emulsio, ex aqua florum sambuci, tiliæ, acaciæ cum seminibus quatuor frigidis majoribus, nec non semine napi, præsertim si loco vehiculi usurpetur, cum quo pulvis noster bezoardicus, vel solus, vel cum aliquot nitri & cinnabaris granis, assumatur. Idem facit, simul atque expulsionem sustinet mixtura ex una spiritus bezoardici Bussii & tribus liquoris nostri anodyni partibus. Ubi vero motus legitimi, nec nimii, nec deficientes præsto, utilissimum omnino domesticum illud remedium, ex rob sambuci uncia, cornu cervi usti drachma, ex aqua florum sambuci sumtum, cui ego in calidioribus cum fructu adjicere soleo decem, vel duodecim nitri puri grana.

§. III.

Secunda & tertiæ indicationis.

Ad demulcendam humorum acrimoniam materiamque recte præparandam, præter jam dicta, spectatæ sunt virtutis decocta loco potus ordinarii sumta, ex rasura cornu cervi, radice scorzoneræ, altheæ, liquiritiæ & chinæ cum semine fœniculi, item decoctum avenaceum. Discussio stasios inflammatoriæ, per externa perficienda. Sed nil fere ex his sine periculo adhiberi potest ac debet, quam pulvis ex floribus sambuci & radice liquiritiæ, rejectis omnibus unctuosis, spirituosis, terreis, adstringentibus, saturninis, sub temperato calore lecti & hypocausti, subinde insperſus.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

§. I.

Regimen in tempestatum diasmoicum.

Perpetua in practicis est regula: in acutis & exanthematicis febribus, corpus semper in blanda & continua diaphoresi esse servandum, quo sanguinis æqualis ad superficiem corporis fiat & maneat motus, ac cum hoc excrementitia materia jugiter advecta diffletur. Hinc merito etiam idem in erysipelate tenendum, cum quoad totum corpus, tum maxime quoad partem affectam, quo & dolores mitigantur, & discussio egregie promovetur.

§. II.

In topicis idiosyncrasia spectanda.

In externorum usu cautione opus est maxima, ne noceant & vel repellant, vel in ulcus convertant erysipelas. Quin quum cujusque fere corporis peculiaris sit idiosyncrasia, sive specifica quædam & individualis sensibilitas, quæ quam maxime in cute, ceu parte nervosa, viget: hanc etiam ob causam in vitiis cutis eo majori cum circumspectione topica admovenda, quia non omnia fert omnis. Observavi enim sæpissime in mammarum erysipelate, admoto innoxio, & in aliis vel centies probato emplastro, brevi tempore auctam potius fuisse cum dolore inflammationem, quæ, remoto emplastro, illico remisit. Hinc tutissimum nihil applicare, nisi forsan species paregoricas, ex floribus chamomillæ, sambuci, meliloti, radice liquiritiæ, farina fabarum, in forma sacculi, vel pulveris.

§. III.

In suppurationem agenda.

Quod si adhibitis licet efficacibus internis & externis discutientibus, erysipelaceus tumor tamen manet, rubor livescere incipit, dolor profundius hæret, & ad periostium pertingere videtur, ad ulcerationem tendit erysipelas. Tum igitur transeundum ad ea, quæ suppurationem promovent, ita tamen ut simul corruptioni putredinosæ occurratur. Hunc in finem utilissimum emplastrum diachylon simplex, rite confectum, adjecta sufficienti quantitate camphoræ & croci, vel etiam emplastrum Barbette saturninum saponatum, superpositis epithematibus balsamicis, quæ corruptionem arcent. Quando his pus contractum & profundius hæret, aperiendus tumor lancetta & pus successive, non simul & semel, evocandum. Ne autem in glanduloſis maxime locis abscessus in fistulosa & mali moris ulcera transeat, post materiæ secessionem, injiciendus liquor balsamicus, ex tinctura florum hyperici, essentia balsami Peruviani, myrrha electa & aliquot guttulis spiritus terebinthinæ.

§. IV.

Sphacelus imminens arcendus.

Quando erysipelas nimis profundum & magnum, sphacelum, ex colore in bruno rubicundum vergente & symptomatum post expulsionem perduratione, cognoscendum, minatur, præter interna inflammationi & putredini resistentia, nitrum maxime cum momento camphoræ, externe spirituosa & roborantia, conficienda ex aqua calcis vivæ, spiritu vini camphorato, aceto vini cum lythargyrio, admixta quoque essentia scordii & myrrhæ, crebrius calide cum linteis duplicatis applicanda.

§. V.

Sanguinis missio conditionata.

Sanguinis missio in erysipelate quandoque noxia, quandoque utilis. Ne igitur delinquat artifex, tenendum: si invadit erysipelacea febris plethoricos, potibus spirituosis assuetos, primis statim diebus vena in brachio pertundenda. Sic enim liberior fit sanguinis progressus, & expulsio materiæ ad cutem promovetur. Tanto vero magis utile id est, si caput petit erysipelas, tumque gravia hoc auxilio præscinduntur symptomata. Consultum quoque est interdum loco venæ sectionis, cucurbitulis cum scarificatione in cervice uti. Semper tamen post sanguinis subtractionem curandum, ut expeditus & æqualis maneat perspirationis successus.

§. VI.

Scor'uticum internis ſanandum.

In eryſipelate ſcorbutico, quod diu detinet, in uſum vocanda ſanguinem depurantia & leniter laxantia, cum diaphoreticis, ita quidem, ut per aliquod dies alvina regio expurgetur, dein per aliquot tempus ſubjungantur diuretica ac diaphoretica, idque alternatim aliquoties repetatur, ſimulque pro potu ordinario decoctum temperans ex lignis & radicibus mucilaginoſis, cum amaris, præſertim cum radice cichorei, taraxaci & paſſulis, bibatur.

§. VII.

Recidivans quibus arcendum.

Quod ſæpe recurrit eryſipelas, non ſine periculo eſt. Hinc eo annitendum medico, ut corpus ab hoc malo vindicet. Ad quod obtinendum ego quidem nihil efficacius deprehendi, quam debitum, ſub congruo regimine & victu, præparato prius, ſive per laxantia, ſive ſanguinis miſſionem, corpore, inſtitutum aquarum mineralium uſum; eoque nomine præ reliquis laudem merentur, acidulæ Egranæ, thermæ Emſenſes, nec non Carolinæ mitiores. His autem deficientibus, venæ ſectio, vere & autumno præſertim, purgationes per epicraſin & ea quæ ſanguini repurgando ſerviunt, cum exacto in vita victuque moderamine, operam locant commodiſſimam.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Eryſipelas exulceratum.

Vir triginta annorum, pallidus facie & vitæ ſedentariæ addictus, gravi terrore ex oborto improviſo incendio fuerat perculſus, ac per integrum poſtea diem ſub cœlo humido & pluvioſo degerat. Die poſt ingens horror per horæ ſpatium totum concuſſit corpus, ſequutus calor intenſus, cum dolore tenſivo ac pungente in inguine, laſſitudine, impotentia dextrum pedem movendi, conatu vomendi & ſomno inquieto. Tertio poſt invaſionem die rubicundus & ardens tumor dextrum pedem occupavit. Adhibita hinc varia paregorica externa parabiliora & domeſtica, interne vero nihil præter copioſum & frigidum ſub calore potum, datum. Ceſſavit tandem tumor & dolor pedis, ſed collectus alius ingens in malleolo tumor, cum ardore, tenſione, rubore & pulſatione. Applicata iterum externe varia emplaſtra & linimenta ſpirituoſa, at incaſſum. Hinc in ſuppurationem tendit. Ad quam promovendam, admotum cataplaſma emolliens. Succeſſit etiam ſuppuratio, ſed ſtipata febre & atroci circa partem affectam dolore. Apertus demum abſceſſus & rite balſamicis mundatus fuit & tractatus, ut omnia bene cedere viderentur. At quum ex improviſo ira corriperetur, die poſt denuo ipſum inceſſit horror, intenſus per totum corpus ardor, ac abortus in genu ſiniſtro infra flexuram tumor, nulla arte diſcutiendus. Adfuit ſimul febris, vigilia perpetua & inappetentia, æger ob tumoris molem ac dolorem nec pedem extendere, nec eo in latere decumbere poterat. Tandem ſucceſſit ſuppuratio, ſed generatus in femore abſceſſus, qui ingentem puris copiam ex cavo quod ſibi in muſculis ſupra poſitis fecerat, fudit, ægro interim penitus contabeſcente. Nihilo minus tamen injectionibus, variis emplaſtris, externe & interne congruis ſanguinem depurantibus adhibitis, æger ſanitati reſtitutus.

Epicriſis.

Cachecticis corporibus frequens malum eſt eryſipelas, neque in his tam facile diſcutitur ac in ſanguineis & cholericis. Ob profundiorem enim & firmiorem tubulorum obſtructionem ſerique viſcoſitatem, vel in abſceſſum, vel ſi incautius conſtringentibus, frigidis & quæ tonum partium deſtruunt, tractatur, in ſphacelum degenerat. Terror autem vehemens ad interiora, cor nempe & pulmones, pellit ſanguinem, eodemque inde poſtea iterum repulſo, febris ſuſcitatur, viſcidi humores cum impetu minimis tubulis impacti hærent & inflammationem faciunt, idque facile accidit in pedibus, per quos ſanguinis circulus jam tum difficillimus. In hoc quidem eryſipelas gravioribus ſtipatum fuit ſymptomatibus, ob partes, quas occupavit, valde nervoſas ac tendinoſas, quarum irritatio & moleſta affectio, ut ſemper cum exquiſitiori doloris ſenſu juncta, ita febrem, anxietatem, inquietudinem aliaque peperit utique. In his igitur partibus ſumma ſemper in uſu topicorum cautione opus eſt, nec nimis calida, nec acriora, nec ſpirituoſa aut emplaſtra admovenda; ſed potius demulcentia cum diaphoreticis ac nervinis, quo impediatur ſuppuratio, ex qua ulcera difficulter ſanabilia emergunt.

Observatio II.

Eryſipelas funeſtum in ſene.

Vir ſexaginta & octo annorum, carnoſus & habitior, fluxui hæmorrhoidali ante obnoxius, jam à biennio eodem carens, ciborum tamen appetens, tempeſtate humida & calida fecerat iter, & ira commotus largum ſpiritus vini hauſtum ingurgitarat. Veſperi domum redux correptus eſt horrore cum vomitu, quem excepit intenſiſſimus calor, caput occupans, ſomnum turbans mentiſque alienationem inducens. Die poſt inſignem in inguine tumorem & ardorem ſenſit, ac tertio die dolor, rubor & ardor totum femur cum tibia occupavit. Inde remiſerunt quidem priora ſymptomata, pulſus tamen manſit celer, & æger inſuperabili ſopore oppreſſus jacuit. Medicus accitus interius porrexit tincturam volatilem bezoardicam, naribus admovit ſpiritum ſalis ammoniaci, & loco affecto applicuit cataplaſma ex aqua florum ſambuci, aceto, lithargyrio, myrrha & bolo. Sed ſopor diſcuti renuit, quin adauctus potius, ut plane non excitari poſſet æger. Sexto quoque die color pedis rubens in brunum & nigrum converſus, facies cum rubore intumuit, venter à prima ſtatim invaſione occluſus, injectos quinque clyſteres ſine operatione reddidit, die octavo acceſſit difficilis reſpiratio, & poſt hanc lethum.

Epicriſis.

In ſenibus & plethoricis eryſipelacea febris multum alit periculi. In noſtro delirium ſecundo ſtatim die indicavit congeſtionem ſanguinis & quidem impuri ad caput, quæ poſtea etiam gravis ſoporis exſtitit cauſa. Medicus vero perperam egit, quod nec primo ſtatim die venam ſecare, nec alvum ſubducere juſſit, ſed potius interne & externe volatilia ſanguinem magis exæſtuantia adhibuit. Male etiam parti affectæ impoſuit adſtringentia, quibus diſcuſſio & exhalatio non modo impedita, ſed etiam ſtaſis obfirmata, & ſanguis repreſſus ad caput vergit, præſertim quum inteſtinorum tunicæ etiam eſſent ſtrictæ & alvus ob-

obſerata, poſtea tamen decubuit quoque ſanguis ad pectus, & ob difficilem per pulmones curſum, anheloſum ſpiritum & mortem demum induxit.

Observatio III.

Eryſipelas topicis corruptum internis ſanatum.

Fœminam novi triginta annorum, proceram, teneram ac biliosam, quæ per aliquot annos alvum ſegniorem & crebriorem iram fuerat experta. Hanc initiante autumno, ſub aquilonia tempeſtate prehendit eryſipelas in manu ſiniſtra, cum digitorum tumore ac rubore. Applicata topica varia & inter alia albumen ovi cum alumine conquaſſatum. Depulſum etiam malum, ſed brevi poſt rediit idem, non vero priſtinis cedere voluit remediis. Tumor quidem cum rubore diſcuſſus, dolor autem lancinatorius, cum formicationis ſenſu in digitis eorumque articulis diu perſtitit, quin ſub victu minus laudabili crebriorique animi commotione increvit quotidie. Ruptus tandem tumor ploravit materiam ichoroſam acrem, cutem paſſim erodentem, & ulcus enatum dolens & pruriens, noctu præſertim. Licet etiam varia externa & interna ſanguinem depurantia adhiberentur, ſuccrevit tamen alius dolorificus glanduloſus in junctura brachii tumor, qui ad digitorum apices radium quaſi vibrabat, ſive lineam rubicundam, cum intenſiſſimo cruciatu. Sumſit poſtea malum magis vires, digiti intumuerunt, aperti tandem, excrevit caro copioſe ſpongioſa & ichor fœtidus rodens exſtillavit, appetitu & viribus ſimul proſtratis ſomnoque deficiente. Admoverant chirurgi imperiti, affectæ parti valde acria, calida, decoctum ex vino, cum ſpiritu vini camphorato, balſamo ſulphuris & oleo tartari fœtido; ſimulque interius decocta lignorum & pilulas purgantes mercuriales liberali manu dederant, ſed fruſtra. Applicarant poſtea linimentum ex vino, myrrha, thure, ceruſſa, herba chelidonii, floribuſque ſambuci, cui aliquid mercurii præcipitati admixtum, quo acris defluxio intra binas hebdomades ſubſtitit. Tumor quoque in juncturа litu cum ſpiritu vini camphorato, cui balſamum ſulphuris admixtum, diſcuſſum. Sed non ita multo poſt fœmina inſignem virium incurrit languorem, plenariam appetitus defectionem, facile animo defecit, & ob id ſupina in lecto jacuit, crebrius præterea doloribus in manu, dorſo ac pedibus, nec non ventris torminibus afflicta, pulſus quoque juſto fuit languidior, cutiſque mox frigore, mox volatico æſtu perfuſa. Ego in conſilium vocatus, pulverem ex lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici ana drachma, nitri deputati, arcani duplicati ana drachma dimidia, cinnabaris nativæ granis XV. in octo doſes diviſum, bis quotidie dedi. Pro potu ordinario ſuaſi decoctum ex radicibus temperantibus, & juſſi, ut mane in theiformi infuſo ſumeret quinquaginta guttas mixturæ ex liquoris noſtri balſamici uncia dimidia, eſſentiæ croci, liquoris noſtri anodyni ana drachma. Conſilium quoque dedi ut ſubinde pilulis noſtris uteretur, & affecto brachio inuri permitteret fonticulum. Quibus per tres hebdomades uſurpatis, exſpirarunt ſenſim atrocia pathemata, appetitus rediit, ſomnus factus quietior, dolor remiſit, & vires cum ſanitate reſtitutæ.

Epicriſis.

Gravia varia & inſolita pathemata ex impuritate ſcorbutica, ſive ſeri acris bilioſi redundantia, ſi in partes extremas tendinoſas & nerveas critico quaſi motu amandatur, pulluſare, uberius certe hæc docet hiſtoria. Periculoſum etiam in ejuſmodi caſibus topicorum uſu inſiſtere, quorum non alia vis, quam ut tonum partis affectæ variis modis deſtruant; materiam à ſanguine ſeparatam vel ad interiora pellant, vel ejus diſcuſſionem impediant, & ſtaſin firmiorem faciant; ut ſymptomata non poſſint non aut magis increſcere, aut diutius affligere. Longe tutior & faciliori hiſce malis medendi ratio eſt, ſi internis dyſcraſia humorum emendatur, materiæ acris affluxus divertitur eademque per alia emunctoria, cutem, urinam, aut alvum, excluditur.

Observatio IV.

Eryſipelatis creber incurſus non venæ ſectione, ſed Carolinis depuſ ſus.

Fœmina generoſa, triginta aliquot annorum, ſanguinea, ſpongioſa & carnoſa, poſtquam valens antea & menſtruam purgationem etiam recte experta, venationi interfuerat ante & poſt ſolis occaſum, ſub cœlo, nubilo, autumnali, pluvioſo, & corpus ob id non leviter perfrigeravetat, brevi poſt ſubito correpta eſt ingenti horrore, quem excepit æſtus mordax cum inquietudine & tertio die eryſipelas in crure. Brevi hoc depulſum, ne autem rediret, medicus ortum ejus ex ſanguinis plenitudine arceſſens, ſuaſit, ut è pedis vena emitteretur ſanguis largiter. Sed quum ægra Octobre peregrinationem inſtitueret, rediit idem malum, & longius quam prius perſtitit. Medicus igitur vulgari jam hypotheſi, omnium morborum cauſam plethoram eſſe, addictus, eandem heic etiam ſubeſſe opinatus eſt, eaque propter rurſus venam ſecari juſſit, largiterque extraxit ſanguinem; nihilo tamen ſecius poſt binas hebdomades denuo infeſtavit eryſipelas eundem locum. Licet etiam poſtea pulveres abſorbentes cum nitro, ſcarificationes & infuſum laxans in uſum vocaret, quibus tamen nihil aliud effecit, quam ut binis quibusvis menſibus eryſipelas recrudeſceret, pedis autem affecti tumor & imbecillitas perſiſteret ſemper. Demum ego in conſilium vocatus, commendavi Carolinarum internum & externum uſum, cum exacto in vita victuque moderamine & abſtinentia ab acidis, dulcibus, fructibuſque horæis, quibus mire antea ægra delectata, injunxi quoque frequentem uſum elixirii noſtri balſamici, ex amaris extractis, corticibus citri & ſale tartari cum vino Hiſpanico confectis, ſanguinis autem miſſionem interdixi. Inde eryſipelas primum depulſum, ſubſequuti vero dolores rheumatici, per aliquot hebdomades affligentes, qui tamen repetito inſequenti anno Carolinarum uſu, etiam prorſus abacti, & ægra perfectam recuperavit ſanitatem.

Epicriſis.

Perperam omnino heic à Medico ad recidivam arcendam commendata ſanguinis miſſio eaque repetita. In noſtra enim natales eryſipelatis ex perſpiratione ſuppreſſa, eaque propter hac magis adhuc ſanguinis miſſione imminuta, non potuit non impurorum ſuccorum copia creſcere, quæ per eryſipelas ſingulari naturæ vigore expulſa. Recidivæ autem frequentiores, quum de ſanguinis impuritate teſtentur, hæc vero de viſcerum maximeque hepatis vitio; ego certe acidularum, vel thermarum, ad ſanguinem purificandum & viſcera expedienda, & elixiriorum balſamicorum, quæ viſceribus & ſuccis ſpirituaſcentiam reddunt uſu, præſtantius novi nihil.

Observatio V.

Eryſipelas ſcorbu'icum ſæpe recidivans.

Novi in Weſtphalia virum ſexagenarium generoſum, macilentum, ſanguineo-melancholicum, qui delectatus carnibus & piſcibus ſalitis ac infumatis, ab aliquot jam annis, ter vel quater quotannis, in pede ſiniſtro, circa malleolum, paſſus fuerat eryſipelas, quandoque exulceratum. Hic meum petiit adverſus hoc malum auxilium. Suaſi igitur, ut inter malleolum & genu inureretur fonticulus, qui materiam à malleolo exquiſitioris ſenſus parte ad tibiam traxit, immuni ab eryſipelate & fonticuli & malleoli regione. Tum conſilium dedi, ut loco potus ordinarii acidulas Antonianas cum tertia vini parte biberet, à victu duriori abſtineret & mane juſcula cum radice cichorei, apii & ſcorzoneræ ſorbillaret, & pedem debilem & tumidum faſcia ſpiritu vini camphorato madida ligaret arctius. His aliquandiu uſurpatis, liber poſtea diu manſit ab eryſipelatis incurſu.

Epicriſis.

Weſtphalis ob victum durum & craſſum ſemper ſanguis ſpiſſus lenteſcens, qui è vena miſſus, eandem ac apud nos pleuriticorum, exhibet faciem, cum cuticula glutinoſa. Hinc etiam ipſis admodum familiares inflammationes, maximeque eryſipelas ſcorbuticum. Adverſus quod vero optime ſeſe muniunt tempeſtiva ſanguinis miſſione, potu ipſis frequentiſſimo ſeri lactis & vere uſu infuſi laxantis & reſolventis ex vino. Pedes autem, quia lentior in ipſis ſanguinis adſcenſus, perſpiratio quoque languidior, ob id maxime & œdematoſis & eryſipelaceis tumoribus ſunt obnoxii.

Observatio VI.

Zona ex purpuræ retentione.

Profeſſor celeberrimus, quinquaginta aliquot annorum, purpura ſcorbutica crebrius afflictus, poſt corporis intenſam refrigerationem, corripiebatur ſubito languore virium, inquietudine, ſomni appetituſque defectu, horripilatione, æſtu, cui juncta quædam mentis turbatio. Durabant hæc per tres fere dies, quibus elapſis, nocte antecedenti ſenſit intolerandum plane ardorem in præcordiali regione, ad dorſum uſque excurrentem, mane autem inſpecto loco dolente, inſolitum comparuit exanthema, rubicunda nempe area, ex præcordiis ad dorſum cinguli inſtar extenſa, cui inſidebant confertim puſtulæ partim albæ, partim rubræ nigreſcentes. Inde quidem ſymptomata remiſerunt, excepto exquiſito ardente dolore, qui tantus erat, ut nec ſomnum capere, nec locum affectum contingere poſſet. Medici quorum conſilio utebatur, quid hoc rei, neſciebant, & purpuræ peculiare genus, aut ſcorbuticum quoddam exanthema eſſe volebant; ego vero illico cognovi pejorem eryſipelatis ſpeciem, & interne diaphoretica temperata & externe in fine oleum ovorum adhibui, quibus aliquandiu uſurpatis, intra quatuordecim dies, dolor conquievit, puſtulæ aruerunt, cuticula aſpera facta, fiſſa & deſquammata.

Epicriſis.

Eſt hic affectus ex rarioribus, paucis viſus, plurimis incognitus. Solus fere ex veteribus eſt *Plinius*, qui ejuſdem ſub nomine Zoſter meminit. Quam periculoſus autem ſit binis exemplis confirmat *Joannes Langius epiſt. p.* 110. uno Marchionis Georgii in Onelſpachio, qui eodem ex ulcere crucis à chirurgo intempeſtive conſolidato interiit, altero Comitis Palatini Otthenrici, qui à lumbis ad genua uſque hoc exanthemate circumdatus, febre ſimul ad delirium uſque æſtuans, inciſa tamen utriuſque pedis vena adhibitiſque, quæ febrem reſtinxerunt, à morte adhuc vindicatus. Idem etiam cum hoc eſſe videtur affectus, quem *Tulpius lib. III. cap. XLIV. obſerv. medicinal.* ſub nomine exedentis præcordiorum herpetis deſcribit, in viro pleni habitus & calidi jecinoris, qui vehementer circa præcordia doluit, cum acri pruritu, inſigni dolore & frequentibus puſtularum conglomeratarum circulis, primum rubris, mox albicantibus & comparente in qualibet earum cruſta nigra, qua convenienti litu ſeparata, quælibet degeneravit in humidum ulcuſculum, cum acri dolore, ſudore effuſo & interdum tam impetuoſo virulentæ materiæ raptu ad interiora, ut animus non ſecus aliquoties deficeret, ac ſi ipſum occupaſſet contagioſa aliqua peſtilentia.

SECTIO

SECTIO II.

DE

FEBRIBUS ACUTIS INFLAMMATORIIS, item lentis putridis Hecticis, nec non Symptomaticis.

CAPUT I.

De Febribus Inflammatoriis in genere, ſpeciatim de Febre acuta ſanguinea, græcis ſynocha.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Inflammatoriæ febres unde.

UT irritatio generis nervoſi ſpaſtica per omnes ſolidas nerveas corporis partes, proximam cauſam conſtituat omnis motus febrilis, qui horrore & velociore contractione cordis & arteriarum abſolvitur; pro diverſa tamen indole & actione materiæ genus nervoſum præter naturam afficientis, diverſa emergit febris ſpecies, diſtinctis phænomenis, effectibus & ſymptomatibus ſeſe prodens, ita quidem, ut ſi ſtimulus ſit ab humore acri, putrido, ſeu corrupto, quem veteres vocant ichorem, exanthematicæ plus minus malignæ excludantur, ubi vero ſanguis, vel alius humor præter naturæ conſuetudinem alicubi congeſtus nervoſasque membranas tendit impenſius cum dolore ac premit, inflammatoriæ acutæ, ſine exanthematibus, ſuboriantur.

§. II.

Differunt quo ad loca.

Jam quidem omnis continua febris inflammatorii quid, ſive à qualitate prava acri cauſtica, ſive à quantitate nimia moleſta, humoris cujuſdam, alit: attamen proprie inflammatoria febris dicitur illa, cujus cauſa eſt eminens vaſculorum, ſecundum naturam non ſanguinem, ſed tenue liquidum vehentium, à ſanguine oppletio atque diſtenſio. Hoc autem evenit vel in pluribus partibus ſimul, vel in una tantum. Hinc febres inflammatoriæ vel univerſales, vel particulares. Ex illis ſunt, quando omnes fere ſenſu & motu inſtructæ corporis partes, maximeque nervoſo membranaceæ, leviori inflammatione affectæ, quod accidit in ſynochis. Hæ vero ſunt, quando uni tantum certæ parti inſident, à qua etiam in ſcholis medicorum variam ſortiuntur denominationem, adeo, ut ſi meninges tangat inflammatio, febris audiat phrenetica; ſi fauces, anginodea; ſi pleuram, pleuritica; ſi pulmones, peripneumonica; ſi ventriculum, ſtomachica; ſi duodenum & biliarios ductus, ardens & bilioſa; ſi ileon, iliaca, ſi renes, nephritica; ſi meſenterium, meſenterica, ſi veſicam, veſicalis; ſi uterum, uterina; ſi inteſtinum rectum, hæmorrhoidaria. Deinceps inter febres inflammatorias aliæ ſunt idiopathicæ primarium morbum efficientes, aliæ ſymptomaticæ, ſive ſecundariæ, quæ ſequuntur alium morbum, ſed peſſimo plerumque & lethali eventu, uti maxime de febribus continuis conſtat, qui ut plurimum inflammatione in ſphacelum abeunte necant. Jam de ſingulis ſeorſim.

§. III.

Synochæ deſcriptio.

Synocha igitur, ſive ſanguinea febris, eſt acuta, continua, ſuſcitata à ſanguine in partibus maxime nervoſo membranoſis nimium congeſto, qui, niſi opportune naturæ & artis beneficio diſcutiatur, inflammationem inducit lethalem.

§. IV.

Subjecta & differentiæ.

Corripit hæc frequentius plethoricos & ſucculentos, temperamento ſanguineos & ſanguineocholericos, ætate juvenes ac viros, ſanguinis evacuationibus aſſuetos, idque quovis anni tempore, potiſſimum tamen vere & æſtate. Indicia autem ipſius & ſigna, quibus ab aliis acutis & inflammatoriis febribus diſcernitur, huc redeunt: Invadit hæc cum vix notabili horripilatione & leni admodum frigoris ſenſu, in aliis autem gravis eſt horror & longius extrahitur frigus. Aliæ mitius primum accedunt ſenſimque increbeſcunt, donec ad ſtatum & vigorem perveniant, ſed hæc cum graviſſimis ſtatim adoritur pathematibus. In aliis certis temporibus notabilis obſervatur ſymptomatum remiſſio, quæ in ſynochis rara, vel nulla, ut potius eadem quam ſub acceſſione vehementia uſque ad criticum tempus inſiſtant, eaque propter haud incongrue à quibuſdam non continuæ, ſed continentes, vocentur. In malignis ab initio pulſus parvus, debilis & contractus, in hac magnus & plenus. In ſynocha hinc in principio abſolute neceſſaria ſanguinis miſſio; quam aliæ continuæ ſæpe non ferunt.

§. V.

Cauſa & inde pendentia ſymptomata.

Cauſam hujus febris proximam præbet diffuſior ſanguinis in partibus ac viſceribus internis congeſtio atque ſtagnatio. Quam in corporibus, calido ſanguine, ex potuum ſpirituoſorum largo uſu, corporis exæſtuatione, animique excandeſcentia, plenis, ex facili inducit potus ingurgitatus frigidior, corporis extremorumque refrigeratio & perſpiratio quacunque ex cauſa prohibita. Sic enim tubulis & poris in externa ſuperficie conſtrictis, ſanguis cum impetu plus juſto urgetur ad interiora, ibique congeſtus, moleſte afficit nervoſarum & fibroſarum partium ſyſtema, ex quo ſymptomatum origo omnium. Nimirum ſi ad caput vergit impetus ibique colligitur ſan-

ſanguis, facies turgeſcit; oculi rubent & lacrymas plorant, caput dolet, arteriæ pulſant temporales, vertigo adeſt, ſopor, torpor, vel plane mentis alienatio. Quando cordis ventriculi & vaſa pulmonalia à ſanguine impetuoſius irruente nimium diſtenduntur, eſſentiale illud omnium febrium ſymptoma, reſpiratio difficilis & crebra, pectoris anguſtia & anxietas cordiſque palpitatio accidunt, juncta ſimul ſæpe virium corporis animique dejectione. In œſophago levior inflammatio & ſpaſtica glandularum fauciumque ſtrictura facit ſitim, ariditatem & linguæ nigritiem, præſertim ſi in corpus bilioſum, calidum, poſt iram incidit, tumque vulgo vocatur febris ardens *das hitzige Fieber*. In ventriculo inflammatoria congeſtio gignit nauſeam, vomendi conatum, quandoque ſingultum; in inteſtinorum volumine, inflationes malum graviter exacerbantes, alvi adſtrictionem, vel excrementorum fœtidorum ejectionem; in meſaraica arteria & venæ portæ vaſis, dolorem fixum circa primam lumborum vertebram; in membranis ſpinalis medullæ, decubitum inſuetum, membrorum jactationem, torporem & languorem artuum, quandoque etiam convulſiones.

§. VI.

Simplex vel putrida eſt.

Neque tamen hæc ſymptomata adſunt in omnibus omnia, neque vehementia ubique infeſtant eadem. Hinc in ſimplicem à medicis diſtinguitur ſynocha, & putridam, ſive malignam. Illa ſæpe à ſola ſanguinis boni extra locum & vias ſuetas congeſtione ſuſcitatur, mitior, hinc brevi diſcutitur, nec adeo periculoſa. Ubi vero cadit in corpora impuris ſuccis plena, viribus à morbo præcedenti, diuturno animi angore, nimia venere & inordinata victus ratione exhauſta, graviora longe præſto ſunt pathemata, cum virium proſtratione, morbus ipſe diutius ad decimum quartum, vel vigeſimum protrahitur, & quandoque exanthemata, maculæ fuſcæ vel nigræ, excluduntur, non ſine præſenti periculo. Datur præterea ſynocha epidemica; ſed quæ plerumque cum febre catarrhali jungitur & autumno maxime ac hyeme infeſtat. Hæc in principio non aliis, quam ſynochæ ſuetis ſymptomatibus adoritur, maxime homines ſanguine & humoribus plenos, poſtea vero, ſi bene tractatur, poſt diem quartum prodit ſe manifeſtis ſignis catarrhalis, per longum adhuc durans tempus, & quæ per noctem uſque ad diluculum calore præternaturali, nec non catarrhoſis à capite defluxionibus, coryza, tuſſi ſicca & humida infeſtat, donec tandem diſcedat.

§. VII.

Eventus bonus.

Solvitur morbus, ſi cauſa non adeo vehemens, ſolius ſæpe bene valentis naturæ beneficio, ſua ſponte, die quarto, ſeptimo vel undecimo, ordinarie largo ſudore, vel ſecus ac in aliis acutis, optime per liberale narium ſtillicidium, vel etiam, rarius tamen, ac nonniſi ubi maligni quippiam complicatum, per alvi fluxum. Quando etiam hæc febris in principio ſtatim, primo, ſecundo & tertio die, recte tractatur, ſanguinis miſſione & ſubjunctis refrigerantibus, blandiſque diaphoreticis, quarto ſæpe die exoptata fit ſolutio. Si vero omittitur, vel detrectatur venæ ſectio, febrem ad decimum quartum, quin decimum ſeptimum diem protractam vidi, perſiſtentibus gravioribus ſymptomatibus ipſoque delirio, tandem vero naturæ beneficio, vel per ſudorem, vel per alvum fuiſſe ſolutam. Sed quibus lethalis eſt, ii

Malus.

pereunt plerumque inflammatione meningum, vel etiam aliarum partium, ut ventriculi & inteſtinorum ſphaceloſa, quam uberius teſtatam facit cadaverum inſpectio, in quibus præterea ob ſanguinem copioſum cito in fœtidam putrilaginem abeuntem, illico adeſt inſolitus tumor & fœtor intolerandus.

CURATIO.

§. I.

Indicationes curatoriæ.

In medicatione febris ſynochæ perito artifici agenda hæc: I. ut partes vitales à nimium congeſto ſanguine liberentur, ſicque vel levior in iis inflammatio diſpellatur, vel gravior impediatur; II. ut ſanguinis exæſtuatio ſimulque ſyſtematis nervorum ſpaſtica affectio componatur; III. ut illud quod ſtagnat & corruptum eſt, diſcutiatur & liber ſanguinis circuitus, maxime ad corporis ſuperficiem, reſtituatur.

§. II.

Sanguis mittendus & orgaſmus temperandus.

Quo igitur vaſa interiora in viſceribus, corde maxime & pulmonibus, à nimium congeſto, & ſtagnante ſanguine liberentur, vena tempeſtive pertundenda & ſanguis ſufficienti quantitate emittendus. Quod quo pacto ſit faciendum dicetur in cautelis. Deinceps ut impetuoſus ille ſanguinis ſuccorumque orgaſmus, vaſorum, quam facit, diſtenſione nervoſas partes irritans ad contractionem, ſedetur, ex uſu ſunt aquea, diluentia, acida, item nitroſa. Et certe ſi in ullo morbo, ſane ſynocha, quam maxime conducit frigidæ potus aliaque refrigerantia, ex aceto ſucciſque fructuum acidulorum, citri, limonum, ribium. Commendarunt hæc communi ſuffragio veteres, cui accedunt recentiores omnes. Ego quidem expertæ virtutis hanc habeo potionem: recipe aquæ fontanæ menſuram, aquæ roſarum, ſacchari albi ana unciam, ſucci citri tantundem, vel loco hujus ſpiritus vitrioli guttas XX. *Riverius in prax. cap. de Synoch. pag.* 37. laudat pulverem, ex ſacchari unciis quatuor, ſalis prunellæ uncia, eundemque in ſufficienti quantitate aquæ aſſumere, cui, ſi ſitis impenſius urget, ſpiritum vitrioli inſtillare, ſuadet. Nobilis etiam demulcente & refrigerante virtute gelatina liquidior cornu cervi, cum ſaccharo, ſucco citri & aqua roſarum confecta. Potiſſimum tamen proſunt loco potus ordinarii uſurpanda, ſerum lactis ex lacte cocto cum ſucco citri coactum, vel noſtra methodo dulce, & cum ſucco citri, aut ſpiritu vitrioli acidularum, item ptiſanæ ex hordeo, raſura cornu cervi, ſcorzonera, cum ſucco & corticibus citri, nec non cereviſiæ leviores, imbutæ tinctura violarum, roſarum, papaveris rhœados, parata cum aqua acetoſellæ, ſpiritu vitrioli acuata, vel inſtar omnium clyſſo antimonii ſulphurato, de cujus præſtabili virtute ita ſentit *Baglivus opp. lib. I. pag.* 50. *non poſſum non*, inquiens, *laudare eximias vires clyſſi antimonii, cujus ſubacida virtute febres multæ ex aëris mutatione productæ aliæque ardentiores, tanquam in ovo ſuffocantur.* Hæc acida quoque magnopere conducunt in ſynocha ſic dicta putrida, ſeu maligna, quia omnium efficaciſſime putredini reſiſtunt, quæ non ab acido, ſed alcalico volatili fovetur, quod acida deſtruunt.

§. III.

Diaph.

Quæ liberiorem ſanguinis ad ſuperficiem corporis

fis secundanda.

poris motum procurant, ſunt utique blanda diaphoretica, pulveres ſcilicet vel bezoardici temperati, vel abſorbentes, non nunquam ſoli, nonnunquam cum nitro, aut ſucco citri, aſſumendi. Idem faciunt infuſa theiformia, ex herba veronicæ, ſcordii, aut cardui benedicti, cum ſemine fœniculi, quæ inprimis quando quarto die morbus critico ſudore ſolvitur, pulſusque quietior cum ſomno redit, ad ſecundandam hanc ſalutarem excretionem, proficiunt.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Prodeſt ſanguinis miſſio.

In nulla febre, & veterum, & recentiorum omnium conſenſu, tam neceſſaria eſt ſanguinis miſſio, quam in ſynocha, & quidem ſufficiens atque matura. Recte enim monet *Trallianus lib. XII. pag.* 688. continentes ſolerti tractari debere diligentia, præſertim quod ſanguinis miſſionem ſpectat. Maximum enim incommodum eſſe, cum in omnibus morbis, tum in his dilationem. *Nam febres*, pergit, *vehementiores redduntur & vires imbecilliores, ut non amplius magna præſidia ad curationem admitti poſſint. Hi vero indigent maxime, ſanguinis miſſione, qui urinas habent rubras & turbatas, oculos rubros, totum corpus grave, venas latiores & earum torulos apertiores, calidioribus magna parte cibis, potibus, vino liberaliore & vetuſto carnibuſque pinguibus uſi.* Sed non imitandi veteres, præſertim *Galenus*, & qui preſſe hunc ſectatur *Zacutus Luſitanus*, qui ſanguinem ad animi uſque deliquium mittere ſuadent. Menſuram potius ſanguinis extrahendi medicus prudens ex ratione virium, ætatis, ſexus & temperamenti, nec non pulſuum magnitudine venarumque amplitudine, dijudicare debet, ac ubi corpus firmum ſuccisque plenum, præſtat iterare altero die venæ ſectionem, quam ſimul & ſemel nimium evocare, quo ſucceſſive demta copia, perſpiratio ſervetur & difflatio ſordium liberior reddatur. Neque pueri & adoleſcentes pleni ſanguine hoc remedii genus detrectare debent. Qui autem penitus averſantur, his hirudines collo & medianæ ipſi aliquando cum fructu admovere juſſi. Quando etiam ſanguis cum impetu ad caput fertur, & arteriæ intus fortiter pulſant, facies ſimul tumida eſt cum oculis & rubicunda ac nares aliquot tantum guttas ſtillant, provocandum ſtillicidium, vel veteri Ægyptiorum more ſcarificatione narium, vel valida intruſione culmi ſtraminei, quo delirium arceatur. Sed qui tali in caſu venas ſublinguales incidere jubent, minus ſecurum conſilium interponunt; eo quod inde aliquoties incompeſcibilem hæmorrhagiam obortam vidi.

§. II.

Refrigerantia utiſſima.

Deinceps ex præſtantiſſimis in ſynocha remediis ſunt acida, refrigerantia & nitroſa. Et certe in hiſce auxiliis, prudenter ac circumſpecte, ratione temporis ac menſuræ, pro diverſa conditione corporis ægrotantis, uſurpatis, præcipuum curationis momentum in ſynocha æque ac ardente conſiſtit. De quo tamen infra plura dicemus. Id autem ſingularis plane medico-practicæ obſervationis eſt, quod hæc, quin ſola aqua temperate frigida, ſufficienti quantitate pota, ſudorem moveant & ſomnum procurent.

§. III.

Laxantia conducunt.

Præſtat porro in hac febre, ſimplex ſive ſit, ſive putrida, alvum ſervare apertam. Sub febre quidem, non tam internis, quam potius externis, glande, aut clyſtere molli, ex ſero lactis, melle, oleo amygdalarum dulcium, pauxillo nitri & ſalis id perficiendum, quo leniatur fibrarum inteſtinalium ſtrictura & flatus evocentur, qui inteſtini coli partem diſtendendo, anxietates faciunt, & perſpirationis ſucceſſum pervertunt. Declinante autem morbo & apparentibus coctionis ſignis in urina, ad exturbandas materiæ febrilis reliquias, apprime interna ex uſu ſunt, inter quæ ego inprimis utile deprehendi laxans ex manna, cremore tartari, vel etiam caſſia & rhabarbaro. Sed abſint *non draſtica.* valida omnia purgantia, multo magis emetica: his enim, tactis jam levi inflammatione viſceribus, ex facile inflammatio, inducitur funeſta. Quin obſervavi, febre hac ſanguinea laborantes, neque ferre poſſe pilulas alias benignas, quas, aloë, vel extractum ellebori ingreditur, uti ſunt Becherianæ, aloëphanginæ, marocoſticæ & id genus plures.

§. IV.

Vitanda calida & animi affectus.

Ex iis quæ vitanda, ſunt maxime omnia calida & ſpirituoſa, vinum, potus etiam nimis calidi largi, ut infuſum thee nec non regimen æſtuoſum, ratione lecti & conclavis, quæ omnia ſanguinem magis exæſtuant, acerbiora ſymptomata febremque diuturniorem reddunt. Neque etiam ſynocha putrida, ſive maligna ferre poteſt eſſentias alexipharmacas, aut tincturam bezoardicam. Cavendum quoque à multitudine & varietate remediorum, quæ nunquam utilis, ſed ſemper damnoſa eſt, tanto magis, ubi partes nervoſæ ſenſus exquiſitioris, leviter inflammatæ. Inprimis autem fugiendi ſedulo omnes animi affectus, ira præſertim ac terror, quibus inflammatoria jam in inteſtinis præſens congeſtio ingraveſcit, & inflammatio perfecta, quin ſphacelatio, experientia teſte inducitur.

§. V.

Somnolentia & delirium non

Cæterum de morbi decurſu atque eventu hæc adhuc monenda. Vidi ego in hac febre ſæpius in juvenili ætate ac temperamento ſanguineo perpetuam ſomnolentiam, quæ tamen ſine periculo fuit, admoto plantis pedum aceto, cum ſale ammoniaco & baccis juniperi, diſcuſſa. Delirium etiam frequenter vidi diuturnum, poſt neglectam in principio venæ ſectionem, ſed quando decimo quarto die ſedimentum poſuit urina, diſceſſit demum & hoc ſine damno. Neque enim unquam firma ſalutis ſpes, niſi coctio in urina compareat. Sed quando ex præpoſtera medicatione ſanguinis miſſione neglecta, datis calidioribus & alvo diutius occluſa, febri huic ſanguineæ, ille acutorum frequens noſtro tempore ſocius, purpura, præſertim alba, acceſſit, peſſimo id accidit omine. Neque minus peſſimum & plerumque mortiferum eſt indicium, quando alvus diu cohibita, ſponte miram quantitatem, fæcum bilioſarum & corruptarum, ſimul & ſemel, junctis torminibus, profundit. Hoc enim ſphaceli inteſtinorum ſignum eſſe, ex defunctorum cadaveribus habeo compertum.

Sed purpura & deje-ctio impetuoſa periculoſa.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Synocha

Adoleſcens annos habens octodecim, conſtitutione

recidivans lethalis.

tutione tener ac ſanguineus, vultu floridus, laute vivens, delectatus maxime dulcibus, farinaceis, decocto choccoladæ cum lacte & in prandio vinum Hungaricum liberaliter bibens, verno tempore, poſt intenſam, ex ambulatione per acclivia & declivia in ſeram noctem, corporis exæſtuationem, poſtera die corripiebatur horripilatione, ingenti æſtu, inquietudine corporisque totius languore. Datum ipſi de venæ ſectione conſilium, ſed noluit admittere. Hinc dati tantum pulveres ex matris perlarum, lapidum cancrorum, ana drachma, nitri puri drachma dimidia, cum ſucco citri ex aqua frigida ſumendi. Loco potus exhibita ptiſana ex hordeo, ſcorzonera & ſyrupo acetoſitatis citri, alvus quoque clyſtere emollente ſoluta. Quibus factum, ut quarto liberalis prodiret ſudor, pulſus quoad vehementiam & celeritatem ſedatior micaret, urina ſedimentum poneret & ſomnus rediret. Morbus igitur ex voto ſolutus viſus. Quum vero æger viribus nimium credens, dulcibus & lacticiniis indulgeret, potens etiam Hungaricum vinum biberet, poſt ſeptimum diem eandem rurſus incurrit febrem. Sed gravioribus longe ſtipata erat ſymptomatibus, inſomnia maxime atque delirio. Secta quidem die poſt vena, ſed ſine emolumento. Aderant ſimul tormina ventris, & pauca bilioſa feceſſerunt. Clyſter quoque infuſus animi fere deliquium adduxit. Quarto die acceſſit forte ex amicis nonnemo, qui ægro imprudenter dixit: apparere ex omnibus ipſum moriturum, præparet igitur ſe ad diſceſſum. His adoleſcens vitæ amantiſſimus, mirum exterritus, virium illico animi & corporis ingentem expertus eſt lapſum, & fruſtra uſurpatis omnibus, quæ in priori morbo fuerant utiliſſima, ſeptimo die vitam poſuit.

Epicriſis.

Nihil ad ingenerandam exuberantem ſanguinis copiam valentius dulcibus, bellariis, cum ſaccharo & ovis frixis, vinoque Hungarico dulci ſpirituoſo. Atque adeo his etiam nihil aptius ad inducendas febres, quæ ſanguinis plenitudini debent natales. Ego certe plures novi juvenes litterarum ſtudioſos, qui delectati his dapibus & potibus ſpirituoſis, accedente corporis refrigeratione, hanc incurrerunt febrem. Omnes autem recidivæ febrium, quarum fundamentum inflammatio, admodum periculoſæ quin plerumque capitales. Quia enim corpus à priori morbo viribus exhauſtum, maximeque partes, quæ paſſæ, tono adhuc privatæ, ex facili iterum concipiunt inflammationem, quæ primis non amplius obſecundat remediis. Accedit, quod ipſi ægrotantes recidivam ut plurimum parvi faciant, & ob id medicum ſerius in auxilium vocent, pharmacorum pertæſi ſint, quorum operatio languente naturæ vigore minus præterea eſt efficax. Quare declinandæ ſummo ſtudio recidivæ, temperanter vivendum, corpus non nimiis cibis, multo minus ſpirituoſorum potu aggravandum, nec motu aut animi affectibus exæſtuandum, ne ſanguis urgeatur in vaſa ipſius tranſitui non dicata, ibique ſubſiſtat. Vitanda quoque refrigeratio & potius exquiſitum ſervandum regimen. Quam facile enim hæc febris repetat cum vitæ periculo, confirmatum habeo caſu, qui noviſſime evenit. Inciderat ſcilicet in ſynocham artifex ingenioſus ferrarius eademque graviter decubuerat, poſt quatuordecim tamen dies præter exſpectationem ad ſe redire videbatur, dormiebat & appetebat. Sed quum uxor, quo maritus cito vires reciperet & ad labores redire poſſet, ipſi apponeret carnem ſuillam aſſatam cum placentis, ipſumque ut ederet tantum non cogeret, illico excepit anxietas præcordiorum ſumma, difficilis ſpiratio & inquietudo cum plenario virium lapſu, ac poſt viginti quatuor horas interiit. Et certe vix dici poteſt, quantum noceant cibi copioſi, viribus à morbo adhuc imbecillis. Quia enim ciborum moles in ventriculo languente digeri nequit, reſolvitur in flatus, qui expandendo ventriculum & tendendo diaphragmatis velum, miras anxietates cum ſpiritu difficili faciunt. Hinc porro ſanguis urgetur ad dextrum cordis ventriculum, ibi congeſtus ſyſtolem ſufficientem ac in pulmones pulſum ſufflaminat, unde tam ipſe cordis ventriculus, quam ob allatum per cavam ſemper ſanguinem auricula dextra, plus juſto extenduntur, ſyſtole penitus intercipitur & lethalis obrepit ſyncope. Etenim ſubitæ mortis, ſive ſyncopis lethalis cauſam eſſe coagulatum & congrumatum ſanguinem in dextra cordis ejuſque auriculæ camera, ob deficiens robur ad contractionem, teſtantur utique uberius anatomico-practicæ defunctorum ſectiones.

Observatio II.

Synocha uſus vulgantis & omiſſa venæ ſectio lethalis.

Virgo honoratiſſima viginti aliquot annorum, ſanguinea, facie florida, laute vivens & liberalius paulo Rhenanum vinum bibens, ſolita ſemper erat ante æquinoctium vernale & autumnale ſanguinis miſſionem admittere. Eo autem qui ipſi emortualis, anno præter morem calidum erat veris initium, ipſa tamen noluit diſcedere à conſueto venæ ſectionis termino, ſed tempus exſpectavit æquinoctiale & lunæ decrementum. Accidit vero interea, ut ira commoveretur venuſta hæc & ſanguine plena virgo, eaque propter abſente matre & medico ordinario, poſt levem cutis inhorreſcentiam, dorſi dolorem, æſtum, anxietatem, inquietudinem, ſomnique defectum incurreret. Ipſa conſilii inops, ſuaſu cognatæ ad bilem commotam evacuandam, ſumſit pilulas, noſtris *die geſchärfften Haupt-Pillen*, pilulæ cephalicæ acuatæ, quarum baſis trochiſci alhandal. Inde quater quidem dejecit, ſed conqueſta poſtea de dolore preſſorio & ardente ſiniſtri hypochondrii. Quarto die acceſſit medicus, qui venam ſecare juſſit, ſed ſine levamine. Dedit quoque probatiſſima remedia, quo inflammationi ventriculi, quam ſingultus arguebat, occurreret, ſed incaſſum. Acceſſit potius extremorum refrigeratio, mens turbata & ſeptimo die placida mors. Poſt mortem mirum intumuit corpus, effloruerunt que papulæ amplæ in pedibus atque abdomine, è naribus fluxit ſerum putridum ſanguinolentum & totum corpus mox in fœtidam putredinem ruit.

Epicriſis.

Communis quidem ſed valde damnoſa paſſim regnat opinio, ſanguinis miſſionem certis temporibus & ſub certa aſtrorum conjunctione eſſe inſtituendam. Videas inprimis plurimos adeo ſuperſtitioſos, ut credant, non feliciter ceſſuram venæ ſectionem, niſi aliquot ante æquinoctium diebus & decreſcente luna admittatur. Ego vero novi, plures & apoplexia, & febre ſanguinea interiiſſe, antequam præſtitutum hoc tempus attingerent. Nam neceſſitatis nulla lex, ſed ſi ſanguis redundans minatur periculum, mittendus, qui-

quicunque ſit dies, quodcunque tempus. Noſtra formoſa virgo periit inflammatione ventriculi & inteſtinorum gravi, quæ utique opportuna ſufficienti ſanguinis ſubtractione, datiſque congruis refrigerantibus, potuiſſet averti, aſſumto vero acri purgante adaucta potius. Ut adeo pateat, morbum, alias non adeo periculoſum, neglecto tempeſtivo commodorum remediorum uſu & mala tractatione, brevi malignum fieri poſſe atque funeſtum noſtrum. Illa vero corporis poſt mortem cita intumeſcentia, deformis color, putredo ſubito ſuccedens & ſeri ſanguinolenti effluxus, luculenter utique teſtatum faciunt, à ſuccorum plenitudine morbum, & ab eorum putrefactione mortem, fuiſſe inductam.

Observatio III.

Synocha ſeptimo die ſoluta.

Degebat heic juvenis literarum ſtudioſus, viginti quatuor annorum, ſanguineus, ſucci plenus, vultu floridus, qui hæmorrhagiis narium antehac obnoxius & poſtea venæ ſectioni aſſuetus, utramque vero evacuationem ab anno non erat expertus. Hic verno tempore in palæſtra gladiatoria vehementer incaluerat & poſtea in cellam conceſſerat, vinum potaturus. Poſtridie laſſitudinem ſenſit in corpore toto, quam excepit extremorum levior refrigeratio, æſtus vero intenſus, pulſus celer, præcordiorum anxietas, anguſtia ſpirandi & pectoris oppreſſio. Tertio die temporum arteriæ valide pulſarunt, caput intumuit, doluit, oculi protuberarunt, nox inſomnis fuit, urina rufa, ſine ſedimento & delirare cœpit. Hinc vena ſecta & minimum ſeptem ſanguinis unciæ ſubtractæ & data mixtura ex aquæ florum ſambuci, acaciæ, ceraſorum nigrorum ana unciis duabus, aceti deſtillati uncia dimidia, lapidum cancrorum drachma, nitri puri granis XV. ſyrupi papaveris erratici drachmis duabus, de qua ſingulis binis horis quatuor ſumſit cochlearia. Quum etiam quarto die ſanguis impetuoſius ad caput ferretur, nec tamen hæmorrhagia erumperet, ad diſcuſſionem fronti & temporibus ſæpius tepide admotum epithema hoc: recipe aceti roſacei uncias duas, ſpiritus roſarum drachmas duas, camphoræ drachmam, olei ligni rhodii guttas XXIV. Ad ſitim fallendam æſtumque exſtinguendum tinctura florum cordialium cum ſpiritu nitri dulci parata, cereviſiæ tenui pro potu inſtillata; alvus præterea per aliquot dies clauſa, & clyſtere emolliente, & laxante, ex manna, cremore tartari & rhabarbaro quater ſoluta; eoque facto, urina apparuit cocta & ſedimentum incarnati coloris dimiſit. Datis demum ulterius bezoardicis temperatis cum tinctura modo dicta, ſenſim conquieverunt ſymptomata & die ſeptimo pulſuum celeritas remiſit, ſudor largus prodiit, ægerque poſtea ad ſanitatem rediit.

Epicriſis.

Ad præcavendum delirium, longe præſtantius epithema diſcutiens, quam laudata à multis venarum ſublingualium ſectio, quam incompeſcibilem hæmorrhagiam induxiſſe vidi aliquoties. Utiliſſimum quoque ad ſanguinis à capite derivationem alvum ſtrictam mollire atque ſubducere, non quidem purgantibus, ſed clyſteribus & blandis laxantibus, modo id fiat, quando levamen & aliqualis remiſſio percipitur, quod ſecundum noſtram obſervationem, certis diebus, ſecundo præſertim & quarto, accidere ſolet.

Observatio IV.

Venæ ſectio quarto die in ſynochis nilis.

Monachus viginti quinque annorum, quadratus & carnoſus, vitam colens otioſam, potui cereviſiæ craſſioris aſſuetus, nunquam tamen venæ ſectionem paſſus, verno tempore corpus ſuccis plenum validius paulo in horto ad ſeram uſque noctem exercuerat. Inde illico conqueſtus eſt de corporis laſſitudine, inappetentia, ſomno turbulento ac inquieto, alvo ſimul clauſa. Inceſſit ipſum dein levis horripilatio, æſtus magnus, præcordiorum anxietas, pulſus quoque vehementer ſaliit, facies rubicunda fuit & urina pellucida, ſed rufa. Medicus in conſilium vocatus, exhibuit tincturam bezoardicam volatilem cum regimine ſudorifero. Sed nullus ſucceſſit ſudor, anxietas potius adaucta, ſpiritus factus difficilior, ſomno caruit, multa abſona eſt loquutus & tertio die acceſſit præterea acerbus & ardens dolor in faucibus cum deglutitione difficili. Accitus igitur medicus alius, qui venæ ſectionem adminiſtrare, clyſterem injicere, gargariſma uſurpare & exterius epithema diſcutiens gutturi applicare juſſit, ac interius pulveres temperantes nitroſos leniter diaphoreticos dedit. His diſcuſſus primo tumor faucium & dolor ſedatus. Septimo die poſt levem horrorem largius ſanguinem ſtillarunt nares, quod, ne cum damno effuſius fieret, cautum eſt mixturis diaphoreticis & pulveribus nitroſis, nec non epithemate frontali *Obſervatione III.* deſcripto. Sic octavo die æſtus deferbuit & ſudor erupit copioſus, pulſus ſedatior factus, urina ſedimentum poſuit & æger ſucceſſive convaluit.

Epicriſis.

Male hoc in caſu omiſſa in principio venæ ſectio & peſſime in corpore plethorico data volatilia cum regimine æſtuoſo, quibus facillime inflammatio in cerebro & faucibus conciliata. Neque ea propter quarto etiam die nociva fuit venæ ſectio, ſed ad avertendam inflammationem admodum proficua. Ad anguſtiam vero vaſculorum laxandam & ſtagnationem ſanguinis in faucibus diſcutiendam, epithema mature applicatum, cum internis diaphoreticis, utique egregium.

Observatio V.

Synocha catarrhalis epidemica anni 1729.

Quam varia & inſolita plane elapſo anno MDCCXXVIII. aëris tempeſtatumque fuerit conſtitutio, & quam varii quamque graves inde ſuccreverint morbi, inprimis febriles, ſupra *Sect. I. cap. X. obſ. II. pag.* 250. pluribus jam dictum. Perſtitit autem eadem hæc extraordinaria temporum anni habitudo & atmoſphæræ inæqualitas, inſequenti adhuc MDCCXXIX. anno, ſubitamque frigoris in teporem & vice verſa teporis in frigus mutationem fecit. Scilicet attulit novi anni exordium acerrimum gelu, æquale omnino illi intenſiſſimo, quod anno MDCCIX. regnavit, ac perſtitit ad duodecimum uſque Januarii diem, mercurio interim, quod mirandum, in barometro demiſſiorem ſtationem ad gradum tantum VII. ſervante, quum alias aſcendere tum & gradum XXX. tangere ſoleat. Decimo tertio & quarto die lenior ſpiravit aura & regelatum. A decimo ſexto ad vigeſimum uſque, argentum vivum altius iterum ad vigeſimum ſeptimum gradum elatum & frigus fuit acre. Vigeſimo quarto ſubſedit mercurius ad duodecimum, nonum & octavum

gradum & ſequentibus diebus ſucceſſive remiſit gelu, mercurio interim modo ſublato, modo delapſo. Nix præterea cecidit copioſa & diu ſolum obruit, donec medio Februarii diſcuteretur iterum, ex quo magnæ aquarum inundationes. Poſt has viciſſitudines, remittente hyemis aſperitate, Februario menſe, cœpit paſſim circumire ſynocha febris, non ſimplex, ſed complicata, quæ recte dici poteſt ſynocha catarrhalis, ita, ut intra menſis ſpatium vel mille, ex divitibus æque ac pauperibus, eadem heic decumberent. Inceſſit quippe hæc febris homines mediæ potiſſimum ætatis, juvenes & viros, ſanguine & ſuccis plenos, minus infantes, omneſque quotquot corripuit, ſine præcedenti notabili frigore vel horrore, affecit totius corporis & capitis gravitate, inappetentia, ſomni defectu, virium languore & æſtu intenſo, cum pulſu magno, celeri, quandoque inæquali. Quibuſdam variæ ſtatim in mente obſervatæ ideæ atque imagines & artus tremuerunt, aliis perpetua accidit ſomnolentia cum animi dejectione, & omnes ſitum erectum ferre non potuerunt, ſed mox ſyncopticam quandam debilitatem perceperunt. Quibus vena ſtatim in initio pertuſa & ſufficiens ſanguinis copia, pro ratione corporis & virium, ſubtracta; ſubjunctis poſtea blandis diaphoreticis, diluentibus & orgaſmum ſanguinis compeſcentibus, ſub æquali & moderato regimine, cito & optime convaluerunt. Sic enim quarto ſtatim die deferbuit febris, ſymptomata remiſerunt, æſtus reſtinctus, pulſus ſedatior & corpus quietum factum, ac urina, comite ſudore plerumque largo, poſuit ſedimentum. Reſtiterunt tamen poſtea copioſæ defluxiones, à capite ad nares, fauces & pectus, coryzam & tuſſim humidam, vel ſiccam inducentes, ſtipatæ quandoque artuum pedumque rheumatiſmo, quæ circa veſperam exacerbatæ, caloris fecerunt incrementum noctemque inquietam, donec decimo quarto ut plurimum die diſcederent penitus. Sed in quibus, aut ægri, aut medici culpa, ſanguinis miſſio neglecta, & uſurpata calida bezoardica, hi longe gravius & diutius decubuerunt, delirio & aſſidua vigilia affecti ſunt, catarrhos acres & rebelles experti, quandoque exanthema purpuraceum & febris ſæpe ad decimum quartum diem, non nunquam longius, magna inſtitit vehementia. Quin fuerunt, qui accedente purpuræ albæ, aut petechiali exanthemate, plane interierunt.

Epicriſis.

Recte omnino complicata hæc febris dicenda ſynocha catarrhalis: nam ipſius incurſus vehemens ſtatim, ſine rigore, ipſius decurſus ſine remiſſione, ipſius eventus ſudore, ipſius medicatio per ſanguinis miſſionem & temperantia cum nitroſis, luculenter teſtantur, ad ſynochæ familiam ipſam eſſe referendam. Catarrhalis autem connubium produnt ſubſequentes copioſæ muci & ſeri ſalſi, ex naribus, faucibus & bronchiis, cum tuſſi ac ſternutatione ejectiones, nec non febricula veſperi cum calore ingraveſcens. Natales epidemicæ hujus febris non aliunde, quam ex mira, diuturna aëris inæqualitate ac crebra mutatione ex calido in frigidum & frigido in calidum, nec non atmoſphæræ mox gravis & raræ habitu vario, ducendi. Sub his prementis, mox levis viciſſitudinibus, non modo univerſale illud peſſimarum ſordium emunctorium, cutis, diverſimode afficitur, ejuſque canaliculoſa atque poroſa compages à naturali tono dejicitur, ſed & motus illi cordis & arteriarum ſyſtaltici qui vitam ſuſtinent & ab aëris puriori elaſtica ſubſtantia pendent, vitiantur ac mutantur. Ex quo porro fit, ut labefactatis ſic & ſufflaminatis ſaluberrimis ſe & excretionibus, multæ impuræ & viſcidæ ſordes in ſuccis maneant, quæ dein vaſcula obſtruunt, ac ſomitem febribus, populariter circumeuntibus, præbent. Neque nos nunc primum obſervavimus hanc febrem, ſed eandem jam anno MDLXXX. viſam eſſe *Georgius Heniſchius Comment. in Aretæum pag.* 315. teſtis eſt, hæc habens: *anno* MDLXXX. *graſſabatur ſynochus epidemica, non ſimplex ſed compoſita, eo quod & catarrhum, & alia ſymptomata conjuncta habuit, unde & catarrhus cum febre epidemicus fuit appellatus.* Eundem etiam ipſius ortum ac decurſum fuiſſe, quam noſtræ, idem auctor *l. c. pag.* 396. ſubnectit: *febris*, inquiens, *hujus catarrhalis epidemicæ, quæ ſpatio ſex ſeptimanarum, omnes fere Europæ gentes affligebat, ex quibus vix vigeſimus hujus morbi expers erat, præſertim in Saxonia, cauſa, non erat ab alimentis, terra aut aqua putrida, ſed ab aëre, vel cælo potius, nempe à magna illius & anni præcedentis aëris inæqualitate, unde copioſa humorum heterogeneorum & ichorum ſoboles ſuccrevit, quæ facta meatuum conſtipatione & prohibita evacuatione, primum ebulliit, & poſtea putreſcens, hanc febrem excitavit. Quam primum hæc invadebat, omnes vires languebant, præcordia gravitatem ſentiebant, cor preſſionem, & palpitabat, pulſus parvi, celeres & inæquales erant, anhelitus difficilis; caput erat grave, & ingraveſcente morbo ita ægroti languebant, ut tremerent & concciderent. Quidam vigilabant, alii profundiorem ſomnum habebant. Ex capite fluxit acrior & ſubſulſus humor ad thoracem, qui tuſſim movebat, in extremis partibus dolores vagos & fugitivos excitabat. Initio horror & calor totum corpus & caput occupabat, & ad tactum non erat mordax, continuus tamen, cum rubore oculorum & tumore. Urina primum tenuis, mox craſſa; aliis ſanguis è naribus fluebat; pleriſque ſudor copioſus prorumpebat, quo & febris finiebatur, quarto ut plurimum die, interdum, ſed raro, longius protrahebatur, ad ſeptimum, vel nonum diem.* Cæterum illud quam maxime notatu dignum, quod ſynochæ hæ epidemice graſſantes & cum magna vehementia invadentes, adminiſtrata ſtatim ſub initium convenienti ſanguinis per venam ſectam miſſione & adhibitis poſtea temperantibus, & viſcidum colliquantibus tertio mox & quarto die fuerint ſolutæ, nec in putridas, aut diuturnas tranſierint febres, quæ non ſine periculo. Et certe dici vix poteſt, quam inſigniter febrium ſynocharum æque ac ardentium vehementia in principio illico his præſidiis obtundi queat ac frangi. Teſtis eſt jam ipſe *Galenus meth. med. IX.* perite non minus, quam vere ſcribens: *nemo ex ſynocha in putredinis febrem incidit, qui ſanguinem primum detraxit. Quo quidem præſidio neglecto, in ſummum ægri diſcrimen perveniunt, niſi eos, vel virium robur, vel largum alvi profluvium, vel ſudor ex manifeſta phrenitide eripiat copioſus.* Ego quoque obſervavi frequentius, ſynocham ſimplicem, juvenes ſanguine & ſuccis plenos cum magno æſtu & capitis dolore, nec non anxietate, ſub pulſu pleno & crebro, prehendentem, poſt inciſam medianam & dato ptiſanæ largo potu intra quatriduum, ſudore per totum corpus manante,

manante, fuiſſe ſolutam, remittente mox inquietudine cum æſtu ac ſiti, & ſomno redeunte. Opus tamen eſt, ut ſalutaris hæc diaphoreſis per aliquot dies adhuc congruis remediis ſervetur; & poſtea ſolutivo remedio, ex clementioribus manna, tamarindis & rhabarbaro & tartaro, alvus ducatur. Neque etiam omittenda venæ ſectio ſub initio hujus febris, ſi corpus ſanguine redundans ac pulſuum adeſt magnitudo, licet haud ita pridem ſit admiſſa. Aliquot enim exinde mortuos, vel in ſummum vitæ diſcrimen adductos novi, quibus medici ob id ſanguinem ſubtrahere renuerunt, quia ante unum vel binos menſes modo factum; quum tamen ex longo uſu atque experientia in comperto ſit, hac in febre, non ſemel, ſed bis interdum, pro virium robore & ſanguinis abundantia, venæ ſectionem eſſe adminiſtrandam.

CAPUT II.

De Febre Ardente nec non Cholerica.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Ardentes & continuæ plerumque confunduntur.

NOſtra quidem ætate omnes acutæ & continuæ febres, quæ præcedente rigore, cum ingenti æſtu, ſiti, anxietate & pulſuum celeritate junctæ ſunt, vulgo vocari ſolent ardentes, Germanis *hitzige Fieber*. Quin ipſe artis parens, *Hippocrates*, omnium febrium originem ex bile, plus minus vitioſa & meraci deducit, nec ſanguinearum, nec ſynocharum facit mentionem, ſed in ſcriptis ſuis, febres fere omnes continuas, inflammatorias, item ſynochas, tam ſimplices, quam compoſitas, putridas quoque & malignas, appellat ardentes. Nihilo minus tamen inſignem inter has febres eſſe differentiam, luculenter omnino attenta obſervatio incurſus ſymptomatum & decurſus ſingularum, nec non curandi ratio diverſa, docent.

§. II.

Ardens febris quid proprie.

Ardens itaque febris, Græco nomine cauſus, ſtricte & proprie dicitur illa, quæ cum ardente & igneo quaſi calore totius corporis atque ſiti inextinguibili, lingua ſimul arida, fiſſa & nigra, juncta. Binos hos enim pathognomicos cauſi eſſe characteres, veteres volunt omnes, & ob id torridam etiam hanc febrem appellarunt atque urentem. *Hippocrates lib. de affection. p. m.* 167. ita ſuccincte deſcribit ardentem: *calor fervidus, ſitis fortis, lingua aſpera ac nigra, color ſubbilioſus, & ſputum bilioſum.* Sed *Aretæus*, exactus hiſtoriarum morborum ſcriptor, *Lib. II. cap. IV.* hanc ſiſtit pleniorem deſcriptionem: *ignis paſſim acer & tenuis eſt, ſed intus maxime ſpiritus tanquam ab igne calidus; aëris vehemens attractio, frigidi cupiditas, lingua arida, in labiis & cute ſqualor, algent extrema, lotium quam bilioſiſſimum, inſomnietas, arteriarum motus crebri, parvi, imbecilli, oculi puri, luculenti, ſubrubri, facies colorata. Quod ſi morbus ulterius creſcit, omnia majora & ſæviora fiunt. Arteriæ minimis motibus & creberrimis agitantur, ignis aridiſſimus & acerrimus, mens delirat, neminem agnoſcit, ſiticuloſi fiunt, omnia frigida attrectare cupiunt, parietem, veſtem, pavimentum, humorem. Manus frigent, ſed palmæ perquam calidæ, ungues lividæ, ſpiratio crebra eſt & roſcidus humor circa frontem & jugula.*

§. III.

Differt ab aliis continuis & inflammatoriis.

Hæ ardentes proprie ſic dictæ febres, multum differunt ab aliis continuis. Nam in ſynocha, tam ſimplici, quam compoſita & cacochymica, non tam acris & ingens calor eſt, neque tam inexhauſta ſitis, ſed æſtus mitior cum madore quodam. Synochæ magis invadunt ſanguine plenos, habitus laxioris, laute viventes, idque potiſſimum tempore verno ac in regionibus temperatis; ſed cauſi adoriuntur macilentos, bilioſos, ſenſibiliores, generantur ſub tempeſtate calida ſicca diuturna, & regnant maxime in locis calidioribus. In ardente porro, ſecus ac in aliis continuis, facies flaveſcit, vomitio, vel conatus vomendi cum faſtidio ciborum adeſt, urina flammea, intenſius bile tincta mingitur, & per alvum bilioſa fœtida multa exturbantur. Tum id quoque peculiare habent febres ardentes, & quæ à copia & acrimonia bilis ſubnaſcuntur, præ aliis continuis inflammatoriis, item ſanguineis & malignis, ut diebus imparibus & circa tertium exacerbentur, paribus autem remiſſiores ſint, id quod etiam obſervatur in tertianis continuis, cholericis, nec non in illis quas veteres tritæophyas dixere, quæ tertio die ſine horrore & rigore periodico exaſperantur, qualis obſervatur in hemitritæis, ſive ſemitertianis. Accedit, quod febres, quibus ſanguinis puri, ſive impuri copia complicatur, ſæpius quarto ſtatim die ſolvantur, ſudore, vel hæmorrhagia larga ſub facie rubicunda, quum ardentes demum circa ſeptimum diem, poſt rigorem, vel criticum ſudore, vel ſymptomaticum inflammatione ventriculi, duodeni & partium, ad quas biliarii ductus pertingunt, funeſta, terminentur. Demum ratione curationis adeſt diſcrimen: ardentes quippe potum frigidum, ceu præſtantiſſimum auxilium ferunt, ſed non ita aliæ continuæ & inflammatoriæ, multo minus malignæ & putridæ. Sanguinis miſſio in febribus à ſanguine in non minimis vaſis ſtagnante oriundis, item inflammatoriis, præſertim, quæ occupant partes & viſcera ſanguinea, ſummopere eſt neceſſaria; in ardentibus autem veris & exquiſitis, eadem non opus, ut potius noceat.

§. IV.

Rarior eſt apud nos ſimplex & vera.

Sed ſimplicis ejuſmodi & exquiſitæ ardentes febres, frequentiſſimæ quidem fuerunt & ſunt in Aſia, Græcia, Ægypto ac Italia, & ob id à priſcis medicinæ parentibus, *Hippocrate*, *Galeno*, *Aretæo*, fuſe & accurate quoad prognoſin & medicationem deſcriptæ. In temperato autem noſtro climate oppido ſunt raræ, ac non niſi à liberaliori potu vini ſpirituoſi valde, æſtate ardente, motu & exæſtuatione impenſiori animi corporiſque & cohibita perſpiratione, ſuſcitantur. Noſtro potius ſub cœlo & inter noſtrates familiares magis ardentes ſanguineæ, ſive ſynochæ bilioſæ, item cholericæ febres.

§. V.

Sed frequens ardens ſanguinea.

Synochæ autem bilioſæ nobis dicuntur illæ, quæ ſine præcedente ſingulari horrore ac rigore, cum magno ardore, ſiti, vigilia, anxietate & inquietudine, in corporibus ſanguineo-cholericis, copia ſanguinis calidi & bilioſi refertis, oriuntur,

& diebus imparibus, ſeu criticis, antecedente rigore quodam, terminantur in ſalutem, vel mortem. In ſalutem quidem ſolvuntur ſudore, vel ut plurimum hæmorrhagia narium. Hæ enim ſunt ardentes illæ, de quibus *Hippocrates lib. I. epid. com.* 2. notavit: omnes ex iis evaſiſſe, quibus ſanguis è naribus aut aliis viis effluxiſſet, reliquis, quibus id non accidiſſet, pereuntibus. Quando vero funeſtus eventus, deſinunt vel in partium nobiliorum, meningum maxime, pulmonum, ventriculi & inteſtinorum inflammationem lethalem, vel in lethalem ſyncopem, ob ſanguinem in dextro cordis ventriculo collectum, ſtagnantem & demum congrumatum.

§. VI.

Et choleri-ca febris. Alterum noſtris familiare ardentis complicatæ genus cholerica febris. Hæc etiam intenſo æſtu, ſiti, angore & inquietudine aggreditur, ſed cum vomitu, ſeu perpetuo conatu vomendi, dejectione bilioſa & copioſa, extremorum frigore, ardore interno, & anxietate cardialgica jungitur. Sed *quæ vel acutiſſima.* merito etiam cholerica hæc febris diſtinguenda in acutiſſimam & minus acutam. In illa longe major eſt ſymptomatum vehementia, dejectiones bilioſæ, per ſuperiora & inferiora copioſiſſimæ, junctæ cum cardialgia etiam ſyncoptica, & plerumque ante ſeptimum diem necant vehementi ventriculi & inteſtini duodeni inflammatione, cujus indicia vehemens circa præcordia & fixus igneus ardor, cum extremorum refrigerio, ſumma inquietudo & anxietas, ſingultus & eructatio bilis & ſalivalis liquoris copioſa, icteritius faciei color, nec non facies cadaveroſa, ſic dicta Hippocratica. *Et minus acuta.* Non nullæ non adeo acutæ, ſed longius extrahuntur, ita tamen, ut ſubinde remiſſione, vel plane intermiſſione quadam interpolentur, & vel quotidie, vel tertio quovis die, cum vomitibus, anxietatibus & refrigeratione iterum exacerbentur, merito ob id quotidianæ, ſeu tertianæ continuæ, vocandæ. Sed hæ ipſæ, niſi congruis cito ſuccurratur auxiliis, in lentas febres perquam facile degenerant, & ſtomachi diuturna vitia, dolores preſſorios, ructus, inflationes, ob eroſionem ventriculi, aut duodeni, à mordaci bilioſo ſucco, vel ſuperficietenus, vel profundius factam, inferunt.

§. VII.

Cauſa proxima ardentium. Ad cauſas & generationem harum febrium quod attinet, illa quidem exquiſite ardens, qua ſummo fervore & incendio, cum linguæ ſiccitate & ſiti clamoſa, tam partes internæ, quam externæ, uruntur & exſiccantur, cauſam non habet aliam, quam celerrimam ſanguinis & humorum agitationem, per fibroſo-vaſculoſam totius corporis compagem, partim quoad minima vaſcula obſtructam, partim ſpaſmo tenſam atque conſtrictam, ſub quo motu attritivo ſolidorum ad fluida & fluidorum ad ſolida, inteſtinus partium ſulphurearum quoque augeſcit, unde inflammatorius calor, fluidas difflans atque conſumens & ſolidas ſiccans & adurens, enaſcitur. Hic vero æſtus in corporibus ſanguine & ſuccis plenis, ob fibrarum mollitiem & laxitatem, lenior eſt atque remiſſior, ac febris emergit mitior ardens, minus exquiſita, in qua non tam impenſa cutis & faucium ſiccitas, neque etiam ſitis adeo urgens. Et in illa ardentis ſpecie, quam cholericam diximus, non tantum, ob partium ſalino-ſulphurearum in ſuccis redundantiam, & minima non nulla vaſcula anguſtata & obſtructa, celerior eſt motio, verum etiam ſuccus bilioſus copioſius in hepate ſecretus ac in duodenum & ventriculum effuſus, acrimonia & mordacitate ſua, nerveas tunicas acrius ſollicitat, lancinat, arrodit & inflammat, ex quo ſymptomata huic febri propria, ardor, anxietas, cardialgica, nauſea, vomendi conatus, impetuoſæ per ſuperiora & inferiora bilioſæ dejectiones.

§. VIII.

Cauſæ antecedentes. Omnia igitur, quæ ſanguinem exæſtuant & uberi particularum ſulphurearum in ſanguine proventui favent, liberum quoque ejuſdem per nimiam partium vaſcula tranſitum retardant atque impediunt, ad generationem ardentium febrium faciunt. Hinc eſt, quod iiſdem præ reliquis imprimis pateant, qui bilioſæ conſtitutionis, ſtrictioris habitus, potibus ſpirituoſis indulgent, crebrius animo, præſertim ad iram moventur, corpuſque vehementiori motu exagitant. Neque minus inde ducenda ratio, quod ſub cælo calido & in locis meridionalibus frequentiſſima ſit ardens exquiſita, nec non quod apud nos, poſt diuturnum ſolis æſtate ſicca fervorem, ſuccedente autumno frigidiore aura, crebrius incidant, quin epidemice quandoque cum diarrhœis bilioſis, dyſenteriis, tertianis duplicibus & continuis cholericæ graſſentur febres. Quæ autem ingenitam his ad concipiendum hunc morbum diſpoſitionem effectui dant, ſunt maxime perſpiratio cohibita & vehemens ira. Nimirum quando ſucci calidis ſulphureis particulis ſcatent, harum vero per vaſcula minima exhalantia difflatio, ſive per aërem craſſiorem frigidum, ſive improvidam refrigerationem, intercipitur, manent intus, inteſtinum motum ſuſcitant & febrem accendunt. Vehementis autem iracundiæ is in corpore effectus, ut non tantum in univerſo ſyſtemate nervorum ac vaſorum motus intenſionem & rigidam ſpaſticam ſtricturam inducat, ſed & præ cæteris in ductus nervoſo-muſculoſos biliarios agat, eorumque motum periſtalticum fortiter augendo, ex toto ſyſtemate horum canalium exprimat bilioſum ſuccum, eundemque in duodeni cavum trudat copioſe & impetuoſe. In quo flexuoſo ſinu dum ſtagnat, cum ſalivalibus ſuccis & acidis cruditatibus mixtus fermenteſcit, eoque mordacem & tantum non cauſticam indolem acquirit, cujus index eſt color viridis æruginoſus, qualis à commixtione bilis cum ſpiritu acido corroſivo, ut oleo vitrioli & aqua forti, emergere ſolet.

CURATIO.

§. I.

Sanguis non indiſcretim mittendus. In medicatione probe diſtinguendæ diverſæ ardentis ſpecies & corporum ratio habenda. Nimirum quando ardentiſſima eſt febris in corpore bilioſo, macilento, ſanguine & ſuccis minus pleno, non habet locum ſanguinis miſſio. Neque etiam eadem admittenda in febribus cholericis, tam acutis, quam intermittentis typum ſervantibus, & cum numeroſis dejectionibus per os & alvum, ſumma præcordiorum anxietate & extremorum frigore ſtipatis. Sed ubi juncta ardenti ſanguinis plenitudo & febris eſt noſtris frequentiſſima, quæ ex veterum denominatione ſynochus bilioſa, ſive putrida, recte dicitur, nunquam non perneceſſaria eſt ac utiliſſima ſanguinis conveniens, ſufficiens & pro ratione virium & vaſorum amplitudinis, proportionata miſſio. Hac enim facta, non modo vehementia febris & ſympto-

ſymptomatum multum frangitur, ſed brevis etiam & felix eventus, cæteris paribus, ſperandus. Contra ea experientia docet, gravius ſemper & periculoſius decumbere hac febre, fœminas inprimis & ſanguine abundantes, ſi in principio omiſſa ſanguinis ſubtractio. Tum enim natura ipſa ſuperflui ſanguinis excretionem, per nares potiſſimum, molitur, quod ſi non critico & convenienti tempore fit, non ſufficienter ſuccedit, ſanguinis in vaſis cerebri ſubſequitur ſtaſis, phrenitidem valde periculoſam membranarum cerebri inducens.

§. II.

Æſtus ac ſitis temperanda frigido potu.

Poſt ſanguinis miſſionem omni ſtudio eo annitendum, ut igneus iſte totius corporis æſtus cum immodica ſiti & faucium ariditate, removeatur iis, quæ æſtuoſam illam partium ſulphurearum agitationem figunt &, temperant, ac præterea fibrarum rigidum ſpaſmum laxant & humores in vaſculis minimis ſtagnantes diluunt, fluxiles reddunt & obſtructa reſerant, ut æquabilis & liberior fiat per loca convenientia & vaſa tranſitus. Hunc in finem veteres omnes dilaudant potum frigidæ aquæ. *Hippocrates de affect.* §. 2. in ardente febre dandas præcipit potiones frequentes & paullatim quam frigidiſſimas. *Aretæus lib. II. cap. IV. ſi biliоſus*, ait, *vomitus & diſtenſio, adeſt faſtidium, anxietas, virium labefactatio, tunc frigidæ aquæ cyathi duo vel tres propinandi ſunt ad ventris adſtrictionem; facile enim frigida in ventre incaleſcit.* Neque *minus Galenus meth. med. lib. IX. cap. V.* præter venæ ſectionem, potionem frigidam impenſe laudat, adjecta ratione, *quia extinguit febrem & naturam robuſtam reddit, ut deinceps per alvum & ſudorem expellat, quæ noxia ſunt.* Idem ſentit *Celſus, lib. III. c. VII. ſi*, inquiens, *in ſummo incremento eſt morbus ardens, utique non ante diem quartum, magna ſiti accedente, frigida aqua copioſe præſtanda eſt, & ad ſatietatem danda, qua pro medicamento utuntur. Ubi factum eſt, multa veſte operiendus & collocandus, ut dormiat. Fereque poſt longam ſitim & vigiliam, poſt multam ſatietatem, poſt infractum calorem, plenus ſomnus venit, per quem ingens ſudor effunditur idque præſentiſſimum auxilium eſt.* Has tamen ſubnectit cautiones; *ſed in his tantum, in quibus præter ardorem nulli dolores, nullus præcordiorum tumor, nihil prohibens, vel in pulmone, vel in faucibus, non ulcus, non deſectio, non profluvium alvi fuit. Si quis vero in hujuſmodi febre leniter tuſſit, is neque vehementer ſitire debet, neque aquam frigidam bibere.* Accedit *Alpinus med. meth. lib. II.* ita habens: *in continentibus febribus vehementer æſtuoſis, medici omnes largum potum algidæ aquæ exhibere ſueſcunt, quia calorem nativum concentrat, ut ſtatim inde ſitis & calor ceſſet: roboratur inde totum corpus & aqua epota digeritur & plerumque largiſſimos ſudores frigidæ aquæ potus ſuſcitat, non nunquam vomitus biliоſi fiunt & aliquando per alvum copioſi humores profluunt & urinam copioſam excitat. Mirabile eſt*, concludit, *quomodo tale præſidium has febres expugnet; nam excretionibus, quas aqua ſuſcitat, hæ febres finiuntur.* Idem auctor Ægyptiis hoc in uſu, quin inter ſecreta fuiſſe *de Med. Ægypt. lib. IV. c. XV.* tradit, *aliqui*, ſcribens, *pro ſecreto habent ſynochas & ardentes febres, multam aquam angarill* (quæ cucumeris ſpecies) *ægrotis propinantes, ſanare, ſi modo febricitantes iis multis diebus in cibo ac potu ſola utantur. Alii tempore vehementioris æſtus, largius frigidam potandam concedunt, qua epota, ægro multis pannis contegentes, ſudorem procurant, qua non paucos audio ibi ſanatos fuiſſe.*

§. III.

Vel potibus aliis refrigerantibus.

Nec immerito tam magnifice de frigidæ potu in ardentibus ſenſiſſe veteres, uberius teſtatur & ratio & experientia. Niſi enim ventriculus, vel aliæ internæ partes jam vera inflammatione affectæ, nec ſumma cum extremorum frigore anxietas, neque etiam pulſuum contractio & ſanguis deficiens adſit, utique, aqua bonæ notæ, ſubfrigida, non prorſus gelida, hauſtu, non ſimul & ſemel, largiter tamen pota, egregie prodeſt. Nam frigus in humido æſtuoſum nimis partium ſulphurearum & æthereарum in ſanguine motum obtundit, fibraſque remiſſiores adducit, nimiumque diſtentis contractilitatem & elaſticitatem juſtam reddit. Neque etiam à frigore noxa timenda, quia frigidum, ſucceſſivis hauſtibus corpus ſubiens, à calore interno tepeſcit, qui humidus tepor ad relaxandas ſpaſmo conſtrictas fibras & ſuccos in minimis ſtagnantes expediendos & fluxiles reddendos, apprime proficuus, ut hinc ſudor & urina copioſius fluant & alvus moveatur. Sed quum in ſeptentrionalibus noſtris regionibus admodum raræ leves ejuſmodi, puræ & ſubtiles aquæ, reperiantur, coctione & admixtione congruorum corrigendæ utique. Ipſe *Hippocrates* aquam cum hordeo coctam jam in ardentibus laudat. Et *Aretæus* aquam cum lacte mixtam in cholera commendat. Qui noſtratibus proficui deprehenſi frigidi potus, ſunt maxime, julapia, ex aqua fontana cum ſucco citri & ſaccharo, nec non ptiſanæ ex raſura cornu cervi, radice ſcorzoneræ, cum ſyrupo acetoſitatis citri, vel julepo roſarum & ſpiritu vitrioli, conditæ, item aqua cum fruſto panis cocta. Huc quoque referendum ſerum lactis dulce, vel acidulum, cum ſucco citri coactum, item aquæ minerales temperatæ, quo nomine celebres acidulæ Selteranæ, Antonianæ & Wildungenſes.

§. IV.

Acrimoniæ obtundenda.

Ad obtundendam tandem & contemperandam, in cholericis potiſſimum febribus, acrimoniam acidam cauſticam ſuccorum biliоſorum in ventriculo & duodeno ſtagnantium, ſpectatæ virtutis ex compoſitis pulvis Marchionis maximeque pulveres abſorbentes, quæ commodiſſime ingrediuntur terrea teneriora, lapides cancrorum, mater perlarum, conchæ præparatæ, cornua & oſſa philoſophice præparata, nec non ex commendatione *Langii* atque *Cratonis* cryſtallus montana. Nobilis quoque ad æſtum extinguendum & inteſtinum motum componendum nitri virtus, quod his pulveribus cum fructu ob id ſubinde admiſcendum. Sed neceſſe eſt, ut pulveres ejuſmodi temperantes in ſufficienti quantitate diluti vehiculi aſſumantur, crebrius etiam & convenienti tempore. Neque minus ex uſu ſunt diluentia ac demulcentia, emulſiones ſcilicet, ex amygdalis, ſeminibus quatuor frigidis, præſertim cucurbitæ, cum aquis florum, quæ paregorica ſimul virtute pollent, ſambuci, roſarum, bugloſſæ, primulæ veris, tiliæ, liliorum convallium, nec non aqua ceraſorum nigrorum. Conducunt quoque hoc nomine gelatinæ ex raſura cornu cervi, lac ipſum cum aqua mixtum, oleum amygdalarum dulcium, ſerum lactis dulce, item juſcula

ex pullis gallinaceis contusis & in vase clauso cocta. Et hæc utique remedia apprime proficua sunt ad arcendam inflammationem partium nervoso-membranacearum, quæ his morbis eventu demum accedit funesto modo exhibeantur debito ordine, tempore ac dosi, cum judicio & observatis quibusdam cautionibus, jam subnectendis.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

§. I.

Temperies utilis.

Sicut in curatione omnium acutarum febrium; ita maxime ardentium & quæ ex inflammatione fiunt, tutissima & optima methodus est, per totius morbi decursum, placide & moderate procedere, omniaque quæ à temperie & moderamine, quoad pharmaciam æque ac diætam & regimen recedunt, evitare sollicite. Egregium inprimis hanc in rem est *Celsi lib. III. c. VII.* monitum, ita habens: *etiam amplo conclavi æger tenendus est, quo multum & purum aërem trahere possit, neque multis vestimentis strangulandus, sed admodum levibus tantum velandus est. Possunt etiam super stomachum poni folia vitis in aquam frigidam tincta, ac ne nimia siti vexandus est.* Moderatus quippe & æqualis calor, in febribus hisce, ad materiæ morbificæ correctionem, resolutionem & ex corpore diffl ationem, plus præstat, quam omnis, quantumvis pretiosa, medicina. Sed nihil vicissim perniciosius, quam fervido conclavi accendere, vel etiam abstinentia potus intendere, calorem immodicum, qui vires exsolvit, debitam vitiosi humoris à succis vitalibus, se & excretionem impedit, & humidum ad expeditum sanguinis & humorum progressum & ad coarctata & repleta minima vasorum aperienda & relaxanda necessarium, absumit. Neque ea propter semper utilis, sed sæpius nocivus, in æstuosis hisce febribus, frequens potuum calidorum & infusorum theiformium usus. Multo vero magis detrimentum procurant ea, quæ calefaciunt, massam sanguinis commovent & positive sudorem movent. Deinceps non sine ratione *Celsus l. c.* commendat amplum conclave & aëris puri usuram. Nam sicuti subtilior & ætherea elastica in aëre substantia, genuinum illud pabulum & fomentum est, quod virtutem vasorum elasticam vitalem systalticam & robur partium sustinet: ita aër multis humidis & pravis effluviis inquinatus & ob id vi elastica spoliatus, vel sanis, tanto vero magis infirmis corporibus, adversus est atque damnosus. Neque aliam subesse causam arbitror, quod plurimi ex plebeiis, quorum natura ad vincendum morbum alias satis valens, in febribus acutis pereant, quam conclavia angusta, humilia, & haud raro nimis calefacta, in quibus, præsertim quando plures decumbunt, aër morbidus & tetris halitibus gravis est, quem continuo hauriunt.

Et aër purus.

§. II.

Naturæ motus attendendi.

Natura etiam febrium continuarum medicatrix optima: hujus motus igitur cum cura ab artifice attendendi. Exserunt autem hi sese maxime per rigorem, qui ex medulla spinali, cum horroris & frigoris sensu, venit, & certis temporibus, diebus maxime imparibus, dimidio quarti, septimo, undecimo & decimo quarto, accidit. Est quippe hic rigor non nisi affectio generis nervosi universi corporis spasmodica, qua sanguis & humores, ab exteriori corporis peripheria, versus interiora, cor, cerebrum & vasa majora, cum quadam vehementia pelluntur, eaque propter extrema refrigescunt, interiora vero sanguine nimis replentur & distenduntur, unde pulsus contractus est, pectus angitur facieque cum vasis capitis turgescit. Quod si igitur post hunc rigorem, succi intus acti æquali renisu & auctiori cordis & arteriarum systole ad corporis superficiem repellúntur, sæpius tota morbi & causæ morbificæ vis, uno impetu, per largum universi corporis sudorem, aut narium stillicidium, frangitur penitusque eliditur. Sic procedens rigor salutaris est, criticus ob id recte vocatus, post quem arteriarum ictus æquabiles fiunt & molles, circulus sanguinis debitus, & vires cum somno redeunt. Sed ubi cordis & vasorum systaltica vis non tam valida est, ut appulsum sanguinem iterum extus agere possit, symptomaticus est rigor & malus. Tum enim nec corpus incalescit rursus, nec pulsus æqualis fit, nec sanguis per nares, nec sudor calidus universalis per poros, sed particularis & frigidus circa caput & collum, effertur, nec corpus cum animo reficitur, nec somnus redit. Sanguis potius intus in minimis vasis impactus subsistit, ac in cerebro phrenitidem & convulsiones, circa cor & pulmones, summam præcordiorum anxietatem, spirationem anhelosam, difficilem, viriumque ad animi usque deliquium dejectionem, facit, ut postea nono plerumque die, mors excipiat. Quandoque etiam extra criticos dies accidunt ejusmodi rigores, sed hi pariter sunt symptomatici malumque præsagiunt eventum. Hi itaque naturæ motus, mortem, vel salutem, adducentes, probe à medente attendendi. In hoc enim præcipuum ad prognosin & tempestivum remediorum usum versatur momentum, quin totius doctrinæ practicæ fundamentum, quod optime tenuit primus artis parens *Hippocrates*, quod serio inculcarunt optimi & fidissimi hujus interpretes, *Mercurialis* atque *Dureus*, sed ex nostris norunt pauciissimi.

§. III.

Non turbanda natura, sed juvanda.

Quando sic natura motus instituit extraordinarios, quiescendum medico nihilque movendum. Abstinendum quoque plane à cibo. Et corpus tantum in moderato & æquabili calore conservandum. Si autem naturæ facultas ad expellendum sanguinem & excretiones efficiendas, sola non sufficit, juvanda congruis auxiliis perite, sive interius analepticis & diaphoreticis temperatis, sive exterius derivantibus & discutientibus. Nam profecto nunquam magis, quam in periculosis & acutis morbis, summopere necessaria maximique momenti est, temporis in agendo opportunitas.

§. IV.

Caput defendendum.

Ubi igitur post rigorem incidit cephalalgia plethorica, cum incipiente mentis emotione & nares parum sanguinis stillant, epithema nobis usitatum, ex aceto & aqua rosarum, camphora in spiritu rosarum soluta, nitro & oleo ligni Rhodii, subfrigide, non modo temporibus, sed & melius raso toti capiti, admotum, egregie se gerit refrigerando, discutiendo & inflammationi resistendo. Idem hoc epithema, linteo triplicato lato, præcordiis impositum, ad levandam anxietatem, inquietudinem depellendam & spirationem facilitandam eximii usus. Optimum tamen etiam auxilium ad arcendam phrenitidem

exspectan-

exſpectandum à venarum in naribus, ſive id fiat per inſtrumentum ſcarificatorium, ſive intruſum culmum ſtraminis, apertione, tepefactis ſimul & frictis pedibus atque femoribus, & data interius mixtura diſcutiente, diaphoretica & analeptica cum aceto ſtillatitio, aqua cinnamomi, roſarum, cardui benedicti, mixtura ſimplici, cinnabari, lapidibus cancrorum & bezoardico minerali.

§. V.

Sitis ſedanda.

Ad ſedandam ſitim & humectandas fauces aridas cum lingua, ego non præſentius vidi remedium, quam ſerum lactis dulce, in ejus menſura nitri puri drachma dimidia ſoluta, quippe quod crebrius, ſed parvis hauſtibus ſubfrigide potum, æſtum præternaturalem ſimul extinguit. Os quoque & fauces ſubinde eluendæ aqua, in qua rob diamoron & nitri ſufficiens quantitas ſoluta. Præbere hæc etiam poteſt gargariſma. Injectiones vero per ſyphonem nunquam probo, quia valido attritu augent dolorem & inflammationem. Præterea ad præſcindendam anginoſam inflammationem, inſigniter prodeſt linctus lente deglutiendus, ex julepi roſarum uncia, nitri puri granis quindecim & camphoræ granis tribus, in drachma una olei amygdalarum dulcium ſolutis.

§. VI.

Alvus penitè movenda.

Utut alvum purgantia, ratione docente & experientia monſtrante, in febribus ardentibus, non niſi periculo præbeantur; è re tamen eſt, ut alvus ſemper ſit libera. Sub morbo igitur hoc optime præſtant glandes & clyſteres, ex ſolo lacte, melle & pauxillo nitri. Facta vero criſi, & coctione, ex urinæ ſedimento cognoſcenda, alvum utique clementioribus laxantibus ducere, tamarindinatis, mannatis, rhabarbariñis, paſſulatis & tartareis, expertiſſimum, quo vitioſi ſucci, in primis viis per ipſum etiam morbum geniti, exturbentur, ne novo morbo anſam & cauſam præbeant.

§. VII.

Frigidæ potus utilis.

Aquæ frigidæ potio, à veteribus eximie collaudata, heroicum hoc in morbo & magnæ efficaciæ eſt remedium, eaque propter attentionem & circumſpectionem medici poſcit. Supra tamen ſatis fuſe jam expoſitum, cur & quando ex uſu ſit. Heic igitur monuiſſe ſufficiat: nunquam ſimul & ſemel magnis hauſtibus præbendum eſſe frigidum potum, ſed ſucceſſive & crebro, nunquam in principio morbi, ſed elapſis jam aliquot diebus; nunquam tempore acceſſionis, vel exacerbationis, vel etiam ſub rigore & pulſu parvo, aut intermittente, nunquam niſi plethora prius ſoluta. Sed quando extrema calida, pulſus æqualis, celer & magnus.

§. VIII.

Acrimonia temperanda.

Si febris eſt cholerica, acuta, admodum periculoſa, ob ſuccos bilioſos mordaces nimium & corroſivos, nerveas ventriculi & inteſtinorum tunicas arrodentes, celeri & efficaci auxilio eſt opus. Tum igitur conſultum eſt, pulveres abſorbentes ac temperantes, crebro & majori, quam alias moris eſt, quantitate, propinare cum diluentibus ac demulcentibus. Quo nomine ego nunquam non expertæ virtutis commendo pulverem ex lapidum cancrorum, matris perlarum, cornu cervi ſine igne, cryſtalli montanæ, ſive lapidis talci calcinati, ana drachma, nitri ſcrupulo, de quo ſingulis horis ſumenda drachma una, cum emulſionis amygdalatæ unciis binis, cui drachmæ duæ olei amygdalarum dulcium commixtæ. Ad impetuoſas autem bilioſas excretiones compeſcendas, præſtabilis virtus eſt liquoris noſtri anodyni mineralis, præſertim ſi cum aliquot guttis olei macis eſſentificetur & cum diluto veliculo, vel aqua tantum frigida, propinetur. Quia enim nimis celerem ſyſtalticum, vel periſtalticum motum in ductibus biliariis ſiſtit, efficit, ut minor copia ſucci bilioſi ad duodenum trudatur & ob id copioſior excretio ſiſtatur. Et certe his præſidiis, debito tempore, congrua doſi & mature uſurpatis, & cholericam, & dyſentericam paſſionem, brevi fuiſſe ſublatam, multis exemplis edoctus novi.

Impetuoſæ excretiones compeſcendæ.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Ardens copioſo potu julapii ſanata.

Summus quidam militum præfectus, quem vocant Generalem, quadragenario major, ſanguineus & vividus, laute vivens vinique potiſſimum potui indulgens, cæterum bene valens, niſi quod vere & autumno, rheumaticis & catarrhoſis defluxionibus affligeretur, potarat in convivio liberaliter vinum potens Hungaricum Tockavienſe, ad menſuras minimum quatuor, eodemque plenus, veſperi ſub cœlo nubilo & frigido in villam ſuam vicinam redierat. Redux factus, noctem inſomnem & mire æſtuans exegit; mane expertus calorem intenſiſſimum, cum pulſu magno & celeri, cephalalgia, virium proſtratione, faucium ardore ac ſiti. Bibit quidem infuſum thée, ſed inde anxietas increvit & vomendi conatus acceſſit. Sumſit pulverem abſorbentem & nitroſum, ſed ſymptomata perſtiterunt. Admiſit quoque venæ ſectionem in brachio, ſed ſine levamine. Hinc vocatus ego quarto die, offendi ipſum ingenti æſtu affectum & ſummopere conquerentem de ardore ventriculi ac ſiti. Illico igitur removi cereviſiam lupulatam valde & ſpirituoſam, male eo uſque ad ſitim extinguendam liberaliter datam. Annuit æger ac enixe petiit hauſtum frigidæ. Ego vero ſic concedere nolui, ſed paravi julapium, ex aquæ fontanæ menſuris duabus, ſucci citri uncia, cum tantundem julepi roſarum, de quo ſucceſſive biberet & cum quo ſumeret, binis quibuſvis horis, pulverem ex matre perlarum, conchis, nitro & lapidibus cancrorum. Æger impatiens quatuor hauſtibus julapium ingurgitavit omne, tres etiam aſſumſit pulveres ac inde refrigerium ſenſit internum, melius quievit & parum ſudavit. Juſſit itaque ut denuo conficeretur julapium, ejuſdemque menſuras duas intra aliquot horas me inſcio ingeſſit. Inde vero incidit in effuſiſſimum ſudorem, ſequutæ alvi dejectiones crebriores, ſomnus rediit, ſymptomata diſcuſſa & convaluit.

Epicriſis.

Veteres, & inter hos maxime *Galenus*, *Aretæus* ac *Celſus*, aquæ frigidæ potum in ſynocha & ardentiſſima febre mirifice commendarunt, quin in hujus uſu omnem fere ſalutis ſpem repoſuerunt; hac tamen cum cautela, ne detur ubi interna jam inflammatio, ſcirrhus, aut tumor œdematoſus eſt. Ego quoque præſtabilem ſimplicis hujus virtutem multoties expertus ſum in cholericis paſſionibus, ad contemperandum bilis ardorem & acrimoniam, vireſque languentes ſuſcitandas. In noſtro egregia pariter ipſius fuit facultas, maxime quod ſudorem movit. Neque vero etiam

nocere hoc in casu magna julapii quantitas potuit, quum sanguis à copia Hungarici vini vehementer exagitatus esset & quasi incensus. Etenim debet esse proportio quædam inter vim morbi & vires remedii, maximeque huic febri, perite monente *Aretæo*, magnum ac celer remedium opponi. De singulari autem aquæ effectu sudorifero notari inprimis meretur *Riverii* testimonium, *Cent. I. obs. XIX.* ita habens: *observandum, à spiritu sulphuris, vel ejus loco spiritu vitrioli, cum aqua exhibito, sudores copiosos fuisse provocatos; quod multis experimentis nobis innotuit, qui plures tertianas curatas vidimus eodem remedio, in summo accessionis æstu & urgente siti exhibito; unde copiosi sudores provocabantur, à quibus non solum paroxysmus, sed etiam totus morbus integre solvebatur. Minuenda tamen est in minori aquæ quantitate spiritus quantitas, ne nimium acescat.* Cæterum sicuti aquæ frigidæ potus & refrigerantia efficaciſſima in febre, quæ à sanguine propter spirituosorum abusum nimium exæstuato accenditur; ita viciſſim aquæ calidæ potus, in febre, quæ in sanguineo-pituitosis, ex obstipatis per aërem frigidum & humidum cutis poris inducitur, virtutis est longe saluberrimæ. Vidi ego sæpe plebejos, sub cœlo pluvioso, nebuloso & humido inter labores versantes diu & inde febre correptos, solo potu calido, ex aqua, cum carduo benedicto & scabiosa decocta, adjecto æquali mensura vino, & calide pota hac mixtura, sudore inde oborto, cito ac tuto morbum discussisse. Quod autem frigida etiam sudorem movere possit, ratione non caret. Nam expansum nimis vasorum elaterem adducendo, tonum & robur ipsis restituit. Calorem fervidum restinguendo, impedit seri & lymphæ coagulum, quod ipsis à forti calore induci albuminis ovi exemplo constat. Tenaces autem succi, minima vasculorum excretoriorum obstruentes liberam evacuationem impediunt. Frigidum quoque æstuanti corpori immissum tepescit, tepidumque factum fluxilitatem humoribus conciliat & aridas exsuccas partes mollit.

Observatio II.

Synocha cacochymica cum purpura funesta.

Generosissima fœmina, triginta sex annorum, sanguineo-cholerica, natura sensibilior, animo in affectus prona, ingenio alacris & sagax, cæterum corpore nervosa & robusta, ciborum appetens & liberaliter cœnans, ob alvum adstrictiorem & collectas inde cruditates diu conquesta est de doloribus pressoriis & inflatione ventriculi ac hypochondrii sinistri, mensium quoque, ob uterum ex crebra & annua fere imprægnatione debilem, fluxum, ratione copiæ & temporis, non experta est legitimum. Ad tollenda hæc vitia multis quidem usa est medicamentis & medicis, sed sine levamine. Aquarum autem medicatarum potum, ob ventriculi imbecillitatem & atoniam, ferre potuit nunquam, melius tamen balneum ex aquis Tœplicensibus. Accidit interea, ut medio vere, post gravem terrorem & excandescentiam, præcedente levi horripilatione, incideret in febrem valde æstuosam, quæ sitim cum calore accendit intensissimam, somnum excussit omnem, viresque mirifice prostravit. Accitus primum medicus loci, qui venæ sectionem, ante sex hebdomades vix admissam, reiterare renuit. Quinto die vocatus ego, pulsum fortem & magnum deprehendi, cum æstu intolerando, anxietate circa præcordia, inquietudine, insomnia & dolore dorsi. Pugnavi igitur adversus hæc symptomata diluentibus & refrigerantibus potionibus, pulveribus absorbentibus, nitroso-diaphoreticis, cum succo citri permixtis. Fluxit inter hæc ex utero ichor cum sanguine, ad viginti quinque horas. Sed septimo die incurrit horripilatio, extrema refrigerata, pulsus celer & contractus factus, facies turgida, oculi rutilantes & levis cogitationum aberratio visa. Exactis tamen duabus horis & data mixtura discutiente diaphoretica, ex aqua cardui benedicti, cerasorum nigrorum, theriacali, aceto destillato, antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, cinnabari & syrupo acetositatis citri, rediit calor per totum corpus ad pedes usque, pulsus increbuit, oculi splendorem rutilantem posuerunt, & per universum corpus fausto prodiit omine sudor, quem temperatis diaphoreticis & infuso theiformi secundare jussi. Inde magna sequuta symptomatum remissio & ægram in vado constitutam esse, visum quidem, sed quia somnus redire noluit, neque æstus penitus remisit, neque etiam vires restitutæ, non sufficientis & omnibus numeris absolutæ criseos fuit indicium. Nec vanus fuit metus: nono enim die, post lenem rigorem ex dorso, novus paroxysmus febrilis incessit, cum magna præcordiorum anxietate, intensiori æstu, inquietudine, spirandi difficultate, ita ut ægra corpus mirum jactigaret & lectum subinde mutaret. Postero die purpura rubra cum alba comparuit & collum totumque pectus obsedit, quæ congruis præsidiis excepta. Decimo die sanguis rursus profluxit aquosus ex utero, in abdomine oborta tormina, & per alvum feces liquidæ & biliosæ, postea etiam sine sensu, secesserunt, & luculenter prodiderunt gravem in intestinis inflammationem eamque sphacelosam, quam præterea borborygmi in ventre post assumtum potum arguebant. Undecimo die, post perpetuas tandem vigilias mens alienari cœpit, pulsus reddi convulsivus, spiratio fieri anhelosa, subsequente paullo post morte, ob vim cordis & vasorum vitalem elasticam per morbum diuturnum & vigilias continuas fractam, nunc deficientem adeoque naturam penitus succumbentem.

Epicrisis.

Febris hæc merito vocanda synocha cacochymica, sive putrida universi corporis inflammatoria, ex abundantia impuri sanguinis progenita, quæ, si viscera offendit minus integra, ut hic ventriculum & uterum, raro ex voto, sed plerumque funestum, sortitur eventum. Ego vero etiam summopere improbavi, sed tacitus, ne medicus primus malum nomen incurreret, ob factum, quod infectum fieri non poterat, quod neglecta in principio sanguinis missio in corpore plethorico & cacochymico, sub pulsu vehementi, duro & magno, unde etiam ipsa natura à copia sese per uterum liberare molita. Licet etiam septimo die criseos indicia comparuerunt, somni tamen & virium defectus, cum restitante calore, imperfectam eam fuisse, prodidit, & latitare adhuc intus materiam pernicioſam. Fuit hæc purpuracea, quæ teste experientia, in corporibus impuris cacochymicis, præsertim fœminarum, sub declinatione febris continuæ succedere solet, criticis diebus, sed funesto plerumque eventu. Natura enim, sive potentia elastica cordis & vasorum, morbi vehementia jam debilis nimium, eandem minus vincere & expellere potest, unde de novo in minimis vasculis fiunt stases

inflam-

inflammatoriæ, tandemque mors excipit. Noſtra in ægra inſanabiles hæ inflammationes circa uterum & maxime inteſtina conſederunt, eaſdemque dejectiones aquoſæ cum torminibus, præſertim involuntariæ, ob ſeceſſum partium ſeroſarum à ſanguine coagulato ſtagnante, abunde ſatis indicarunt.

Observatio III.

Febris ardens ſanguinea copioſo potu ſanata.

Dux militaris quinquagenario major, ſanguineo-cholericus, robuſtus, ſanguine plenus, laute vivens, plus vini quam cereviſiæ bibens, in iram & vehementes animi affectus pronus, cœlebs, ſed veneri vagæ admodum indulgens, poſtquam ebrius vehementer excanduiſſet & poſtea cum concubina habuiſſet rem, incidit illico in febrem vehementiſſimam ardentem. Invaſit hæc cum artuum tremore, juncta fuit ſumma præcordiorum anxietas, æſtus in pectore ingens, capitis dolor, ſomnolentia, nec non mentis emotio. Conqueſtus ſimul eſt de dolore lateris dextri & quarto die exſpuit tuſſi ſanguinem cum pituita mixtum. Secta quidem fuit in principio vena, ſed quia inde nullum levamen, vocarunt me. Erat autem æger, quum advenirem, impatiens quandoque & irrequietus, quandoque ſomnolentia & torpore obrutus, ſitis ingens, alvus adſtricta, calor vehemens, urina tenuis flammea. Expenſis cunctis, inflammationem ventriculi & pulmonum ac minus fauſtum eventum ſum ſuſpicatus; ideoque ad contemperandum iterum illum inflammatorium æſtum pro viribus adhibui præſidia. Clyſma ſcilicet emolliens & relaxans, ex ſero lactis, melle ac oleo amygdalarum dulcium, cum momento nitri alvo injicere juſſi ad uncias duodecim aliquoties, non tam ad purgandum, quam potius ad humectandas & relaxandas inteſtinorum tunicas, ſiquidem clyſteres ſtimulo carentes, aliquoties injecti & diutius retenti, balneum quaſi præbent internum. Dein quum pulverulenta averſaretur omnia, emulſionem conficiendam ſcripſi, ex decocti cornu cervi menſura, amygdalarum dulcium uncia una cum dimidia & ſeminum quatuor frigidorum majorum ana drachmis duabus, additis aquæ ceraſorum nigrorum unciis binis totidemque roſarum, matris perlarum, nitri depurati ana drachma, julepi roſarum uncia una. Hanc intra aliquot horas ebibit, ac præterea ptiſanam ex hordeo, raſura cornu cervi & ſcorzonera, tam avide ob urentem ſitim ingurgitavit, ut viginti quatuor horarum ſpatio, vel ſeptem ejus menſuras epotaret, idque per aliquot dies. Dedi etiam quandoque juſculum avenaceum cum aliquot cochlearibus olei amygdalarum dulcium. Et exterius thoracem dolentem atque præcordia inungere juſſi linimento ex olei amygdalarum dulcium uncia, camphoræ drachma & extracti caſtorei liquidi drachma dimidia. His æſtus reſtinctus, ſeptimoque die urina turbata ac non nihil ad fundum dimiſit. Acceſſit nono die diarrhœa, ut plus quam decies intra diem & noctem dejiceret, cum levibus torminibus in ventre. Succeſſit hic fluxus alvi per quatriduum, ac interea nihil ſumſit, quam juſcula confortantia carnium cum tantillo vini & macis. Sic feliciſſime febris ſoluta, eoque facto, vires redierunt cum ſanitate.

Epicriſis.

Natura valens & robuſta, congruis auxiliis adjuta, utique ſæpe miracula præſtat, ſeu effectus extraordinarios plane. Quare ego non facile ſpem abjicere ſoleo, in perniciosis etiam & inflammatoriis febribus, quando ægri multum ſitiunt & copioſe commoda ingerunt liquida: in his enim magna vis, febres cum magno ardore junctas, ſanandi. Nam fluxiles & dilutos reddunt ſpiſſos humores, qui obſtructiones vaſorum efficiendo, æſtum augent liberamque exhalationem, tam in, quam extra corpus, intercipiunt. Aridas quoque & nimis rigidas fibras molliendo, febrem efficiunt mitiorem & corpus diſponunt ad excretionem. Nihilominus tamen prudenter etiam ſe gerat artifex in horum benignorum & innocentium remediorum uſu, & caveat, ne febrem, quæ naturæ medicatricis opus, quo auctiori ſanguinis motu obſtructiones & ſtaſes viſcidorum ſuccorum diſſolvit, intempeſtivo refrigerantium potu, nimium deprimat. Nam in febribus minus æſtuoſis & corporibus phlegmaticis, diluentia liberalius data plus nocent, quam proſunt. Ubi vero æſtus fervidus in ſanguineo-cholericis, & maſſa ſanguinis copia partium ſulphurearum referta, largior liquidorum potus, modo ventriculus eum ſubigere poſſit, non nocet, ſed præſtans eſt medicina. Niſi enim in his nimius calor ſiſtatur, vires brevi exſolvit, & lymphaticos humores incraſſando ac coagulando, ipſam gangrænam partibus internis inducit.

Observatio IV.

Cholerica paſſio citò ſanata.

Illuſtriſſima fœmina tenera & exquiſiti ſenſus, vigeſimum quartum annum haud ita pridem egreſſa, appulerat in Carolinis, potatura thermales aquas. Sed quum tertio die ira percita eſſet, & ceraſa cum fragis avidius ingeſſiſſet, in prandio incidit in paſſionem cholericam. Vomuit nempe & dejecit copioſe, intra diem & noctem plus quam vigeſies, cum anxio æſtu & dolore circa præcordia, extremorum refrigerio, magna inquietudine corporiſque jactigatione. Accerſitus ego lac cum tantundem juris pullorum tepide bibere, binis quibuſvis horis pulverem ex cornu cervi ſine igne parato, lapidibus cancrorum & pulvere Marchionis, æquali pondere mixtis, ad drachmam unam ſumere & exterius abdomen inungere juſſi totum linimento, ex tribus olei amygdalarum dulcium partibus, una olei menthæ & dimidia olei macis deſtillati confecto, poſitis ſupra linteis complicatis calidis. His anxietates & tormina ſublata, evacuatio per ſuperius & inferius os imminuta, & intra triduum, addito pulveribus cortice chaccarillæ, morbus facile & explicita curatione diſcuſſus.

Epicriſis.

Nil perniciosius eſt ira, ſi ſtomachus fermenteſcibilibus cibis fartus. Hic enim animi motus mox ſpaſmo ſtringit ſtomachi & inteſtinorum tunicas, & facit, ut humores in hoc cavo hærentes, diutius detineantur, ac ipſa hac mora mutua quaſi confermentatione, indolem contrahant ſæpe tantum non venenatam. Tanto vero magis omnia hæc nocent, ſub aquarum mineralium potu, quippe quo ſemper ventriculus ipſiuſque ſyſtaltica vis infirmatur, ut dein eo facilius in ipſo hærere & colligi poſſint incongrui ſucci & cruditates. Hæc autem vehemens paſſio, à ſumma humorum acrimonia, ex virideſcente vomitu ejectorum colore cognoſcenda, ſuſcitata, celerem opem & efficacem medicinam poſtulavit. Quare pleniori doſi & crebro data corrigentia & demul-

demulcentia. Et licet in principio ingesto largiter lacte subsequerentur vomitus caseosi, acidum in primis viis arguentes, instiri tamen hoc remedio, quo etiam effectum, ut vomitu exturbata, postea nec viresceret, nec coagulata essent, sed liquida, muco & bile imbuta.

Observatio V.

Cholerica febris potu aquæ frigidæ curata.

Quum anno MDCLXXXIV. Mindæ Westphalorum medicinam factitarem, æstate sicca & præcalida regnante, Chiliarcha generosissimus incidit in febrem cholericam. In hac miris torquebatur anxietatibus, inquietudine, interno æstu ac crebris dejectionibus, quæ ita vires prosternebant, ut aliquoties animi plane deliquium incurreret. Nil proficiebant pulveres terrei absorbentes, cum momento theriacæ cœlestis, nil diascordium *Fracastorii*, nil emulsiones ex decocto avenaceo cum amygdalis, nihil etiam exterius linimenta spirituosa. Tertio potius die excretionum vehementia & virium lapsu ad ultima ventum esse videbatur. Tum æger ob ardentem internum æstum enixe petiit haustum aquæ frigidæ. Ego vero propinare renui, & suasi, ut decoctum hordei cum rasura cornu cervi tepide biberet. Discedebam à summe debili & omnem fere salutis spem, irritis huc usque cunctis, abjiciebam. Sed quum post aliquot horas redirem, incredibilem & repentinam interea accidisse mutationem deprehendi. Neque enim amplius de anxietatibus, neque de tam magno virium lapsu, neque etiam de tanto interno æstu conquerebatur & pulsus quoque plenior & quietior micabat. Æger autem me magnopere hæc omnia admirantem alloquebatur & confitebatur: se ob sitim intolerandam sibi amplius temperare non potuisse, sed, sive mortem, sive salutem procuret, ebibisse primum vitrum majus unum frigida aqua plenum à ministro porrectum & post dimidiam horam alterum, sicque mensuram aquæ ingurgitasse. Inde se mox sensisse virium quandam refectionem, adstrictionis quasi sensum in ventriculo, æstus mitigationem & quietem, dejectiones moderatiores cutimque antea aridam & siccam nunc etiam madescere. Nec male cessit postea experimentum, sed æger assumtis jusculis confortantibus, ex carnibus cum macere, vires mox iterum recepit, & sic præter omnium opinionem cito convaluit.

Epicrisis.

Notabile hac in observatione, nil profeciisse præsidia, quæ corrosivam humorum acrimoniam, potissimam passionis cholericæ causam, obtundunt, sed frigidum potum ægrum levasse. Ego quidem frigidam potionem roborantibus accenseo, quæ non tam materiæ, sed potius motuum vitio tollendo apta. Frigus nimirum tonum & elaterem partium vehementi æstu & dejectionum copia valde resolutum, fibras leniter stringendo & adducendo, reparat, & hac ratione facultatem motricem tonicam, in qua virium robur consistit, restituit. Eum enim frigoris esse effectum, ut fibrarum elasticitatem intendat, patet experimento, quo excisso carpionis corde adhuc pulsante, systole illico cessat, si immittitur in aquam calidam, si vero iterum frigidæ injicitur, moveri rursus incipit. Notum quoque est, corpora humana, sub diuturna aëris australina & humida constitutione, virium experiri resolutionem atque languorem, accedente autem subfrigido & sereno à ventis ex oriente spirantibus aëris habitu, illico in omnibus functionibus robur pristinum recipere. Sed uti cuncta roborantia, exemplo martialium & famosi corticis chinæ, cum magna prudentia usurpanda sunt, & non nisi correcto prius, tam quoad qualitatem, quam quantitatem, materiæ vitio, & meatibus satis patulis, neque etiam primis, sed posterioribus diebus: ita etiam id ipsum circa frigidorum potum merito tenendum. Heroicum potius hoc manet auxilium, nec credendum, quod uni, id alteri etiam prodesse. Omnis enim medendi methodus, nititur exacta discretione, non modo morbi ejusque causarum, sed & individuorum, circumstantiarum & quoque temporum. Et quando his minus observatis salutaris subsequitur effectus, ad fortunam potius, quam artem referendus.

Observatio VI.

Ardens continua in intermittentem tertianam mutata.

Fœmina honesta aliquot supra triginta annos nata, corpore robusta, biliosa & animo impatiens, plus inter cibos vini quam cerevisiæ bibens, medio Majo incidit in febrem ardentem exquisitam. Medicus ordinarius præbuit bezoardicam tincturam aliquoties intra aliquot horas. Inde pathemata exacerbata, anxietas scilicet, inquietudo, æstus, vigilia, loquacitas nimia, cum alvi strictura, accesserunt etiam tormina in ventre & deglutitio facta admodum difficilis. Die quarto sanguis quidem ex utero fluxit, symptomata tamen non remiserunt, sed accessit potius, quum inscio medico largum vini haustum assumsisset, leve delirium. Semper autem major mane, quam vesperi symptomatum fuit vehementia. Septimo die, præcedente horrore & rigore, animam agere videbatur, sub mente emota & respiratione cita anhelosa. Elapsis tamen aliquot horis, ad se rediit, corpus sudore diffluere cœpit, & in cute, præsertim dorsi, comparuerunt maculæ rubræ, quas petechias esse crediderunt. Ego nunc in auxilium vocatus, suasi, ut alvus per sex dies clausa duceretur clystere, & mixturam ex aquis destillatis, cum aceto lapidibus cancrorum, mixtura simplici, mihi usitatam, propinavi. Hinc circa decimum quartum diem sensim remiserunt symptomata & ad naturalem statum visa redire omnia. Præter spem autem hæc valde acuta & continua febris, mutata in tertianam intermittentem, quæ solito typo solitisque symptomatibus infestavit, post quatuor tamen accessiones, purgatis decocto mannato & tamarindinato primis viis & pulverum antifebrilium usu, mox discessit. Quum etiam insequenti anno eadem hæc fœmina, eodem tempore, iisdem symptomatibus iterum afficeretur, administrata sub initium venæ sectione, adhibitis diluentibus potionibus & pulveribus salino-nitrosis cum clementer laxantibus, longe mitius decubuit, circa quartum diem febris in intermittentem concessit, mox pariter congruorum usu discussam.

Epicrisis.

Taxandus merito venæ sectionis in fœmina plethorica & vini potui assueta neglectus. Notandus etiam vulgaris, admodum tamen pernicioſus error practicus, quo primis statim diebus, liberali manu essentias bezoardicas & alexipharmacas porrigere sueſcunt plurimi ad malignitatem,

lignitatem, uti ſtolide putant, à corde pellendam. Hæc enim, ſi ſanguis redundat, æſtum inflammatorium magis augent & febrem graviorem ac diuturniorem reddunt, quin, ſi alvus ſimul diutius clauſa, ſanguinem nimium reſolvendo, exanthema pariunt. Ego quidem hanc febrem in principio fuiſſe tertianam arbitror, ob intermiſſam autem ſanguinis miſſionem & data bezoardica, factam eſſe continuam ardentem, ac tandem decimo quarto die defervescentem, naturam & genium ſuum repetiiſſe. Nam alias continua prima periodo in intermittentem cedere ſolet, ſed heic id tertia demum periodo factum, procul dubio & medici & ægrotæ culpa, quæ in ipſo etiam morbo vinum habuit in deliciis. Id vero etiam notatu dignum, quod tertianæ paroxyſmi non diu durarint, ſiquidem per priorem morbum jam corpus à pravis ſuccis ſatis liberatum.

Observatio VII.

Febris ardens in ſenio ex mala curatione funeſta.

Senex ſeptuagenario major, macilentus, ſanguinis miſſionem nunquam per omnem vitam paſſus, à morbis etiam gravioribus immunis, niſi quod interdum vere & autumno coryzam & tuſſim humidam experiretur, Februario menſe, quo frequentes erant ſynochæ catarrhales, febre correptus eſt vehementi, cum pulſu magno, ſubduro & veloci; adfuit ſitis magna & ſomnus defuit. Medicus conſultus maraſmum ſenilem eſſe putavit, ideoque ſanguinem non miſit, ſed ad ſudorem movendum dedit tincturam bezoardicam & mixturam ſimplicem, pro potu ſuaſit decoctum ex ſarſaparillæ unciis duabus, radicis chinæ, ſcorzoneræ, cichorii & liquiritiæ ac corticis cinnamomi uncia, corticum citri uncia dimidia, & ad fauces aridas mulcendas linctum præbuit ex mucilagine ſeminis cydoniorum cum ſyrupo violarum. Sed nihil his profecit ac morbus indies potius exaſperatus. Undecimo morbi die vocarunt me, ubi ægrum offendi viribus penitus exhauſtum, miro ardore æſtuantem, cum lingua arida, fiſſa, nigra & facie fere Hippocratica, conquerentem præterea de ventris torminibus & alvo fluxa. Candide igitur adſtantibus illico edixi, inextinguibile eſſe incendium internum, ægrum moriturum brevi, quod etiam decimo tertio die factum.

Epicriſis.

Febris hæc fuit ardens, ex ſummo æſtu, ſiti magna, lingua arida ſomnique defectu cognoſcenda ſatis. Eſt autem hæc ſenibus plerumque fatalis: multum tamen differt ab ipſo maraſmo ſenili. Hæc enim hecticæ ſpecies, mitiori æſtu ſtipatur, diutius trahitur, nec intra quatuordecim dies necat. Cenſendus autem merito medici error, qui præter ſanguinis miſſionem, ſtatim diluentia & humectantia cum leniter diaphoreticis & nitroſis exhibere debuiſſet. Sic enim intra paucos dies, vaſculorum minimorum à lento in ſenili corpore ſanguine, obſtructiones, quæ inflammationis cauſa, facili tolli potuiſſent ratione. Notandum præterea ex hoc caſu, linguam nigram in ardente febre plerumque præſagire inflammationem in partibus internis, quæ heic in ipſis fuit inteſtinis. In ſenibus enim ardentes non facile tranſeunt in meningum, ſed potius in inteſtinorum inflammationem. Linguæ igitur inſpectio his in febribus admodum neceſſaria, quam etiam *Hippocrates*, multum commendat, qui *Coac. cap. VII.* habet effatum, quod in noſtrum apprime quadrat: *lingua, quæ initiis morborum rigidiuſcula eſt, ſed in calore manet, labentibus inde diebus exaſperatur, livescit & fit hiulca, mortifera. Ac certe calamitoſiſſima eſt, nigra & virulenta.*

Observatio VIII.

Febris cholerica tertianæ typum habens ſanata.

Fœmina generoſa triginta circiter annorum, cholericæ, vegetæ ac ſenſibilis naturæ, facie florida, ſanguine turgida, ruri degens, poſt ingeſta incongrua multa, iram & nocturnam refrigerationem, nanciſcebatur febrem cholericam. Erat quippe æſtus magnus, anxietas cardialgica, ſitis vehemens, extremorum refrigeratio, corporis jactatio, per vomitum crebrius viridiſſima & per ani ſeceſſum etiam liquida bilioſa multa ejiciebantur. Remittebant quidem paullo poſt hæc pathemata quoad vehementiam, cutis incaleſcere & madeſcere incipiebat; remanebat tamen magna debilitas, cum pulſu languidiori ac celeriori, omniaque aſſumta vomitu reddebat. Tertio etiam die, poſt levem inhorreſcentiam, dicta ſymptomata redierunt eadem vehementia omnia. Acceperat à medico pulveres ex lapidibus cancrorum, tartaro vitriolato & nitro, ſed ab eorum uſu majora in prima regione perſenſerat incommoda: hinc poſt tertiam acceſſionem me vocare juſſit. Veni, ægram mire debilitatam & magnopere conquerentem offendi, quod nil neque ex medicamentis, neque alimentis retinere poſſet. Expenſa igitur morbi natura & cauſa, vomitum, qui ſemper virideſcens erat, à motu non tantum ventriculi, ſed etiam ductuum biliariorum intenſiori & ſpaſmodico-convulſivo, componendum inſtitui, & ob id liquorem meum anodynum mineralem, ternis ſingulis horis, ad decem guttas in dimidia uncia aquæ florum tiliæ frigidæ exhibui. Sedata inde ventriculi ſubverſione, dedi emulſionem & ptiſanam, quam retinuit. Tertio die poſt redierunt quidem ſymptomata cum dejectionibus, ſed longe mitiora fuerunt. Inſtiti itaque diluentibus, emulſivis, liquoris anodyni & pulverum abſorbentium leniter nitroſorum uſu: noluit tamen penitus diſcedere acceſſio febris. Hinc poſt nonum demum paroxyſmum, deſcendi ad uſum electuarii antifebrilis ex cortice chinæ, floribus chamomillæ, rob ſambuci & ſyrupo acetoſitatis citri. Quod quidem ne fieret, clam diſſuaſit primus medicus, ex eorum cenſu, qui chinæ corticem fruſtra perhorreſcunt, feliciter tamen ſublata febris & ægra perfecte convaluit.

Epicriſis.

Recte dicenda hæc febris cholerica & quidem tertiana continua. In cujus curatione omnium maxime agendum id medico, ut humores acres cauſtici, primis in viis hoſpitantes, cicurentur, & obtundantur, ſimul atque ductuum biliariorum, nec non ventriculi motus ſpaſmodico-convulſivus, bilem continuo extundens, ſiſtatur, quo vomitus & ſedes compeſcantur. Sic tandem ad febrilem etiam motum coërcendum, ſine damno perquam commode dari poſſunt ſpecifica.

Notatu dignum exemplum legas in *Conſult. Med. Tom. II. Sect. IV. caſ.* CXCVIII.

CAPUT

CAPUT III.

De Febre Stomachica Inflammatoria.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Ex inflammatoriis particularibus stomachica.

DAntur febres ardentes & acutæ univerſales, ubi totum corpus æqualiter magno æſtu & ardore ſicco afficitur, propter inflammatoriam, in minimis vaſculis, vel obſtructis, vel ſpaſmo conſtrictis, ſtaſin, cujus generis ſunt deſcriptæ modo ſynochæ & ardentes. Dantur vero etiam ardentes particulares, quæ à certarum tantum partium, præſertim internarum & ſenſibilium, inflammatione oriuntur & magno cum dolore, ardore interno, æſtu, ac functionum vitalium læſione ſtipantur, neque minus periculi alunt, quam quæ univerſum corpus occupant. Has inter præcipua fere & frequens admodum, parum tamen à medicis notata eſt illa, quæ in ventriculi & inteſtinorum ſubſtantiam cadit, veteribus epiale & lipeiria dicta.

§. II.

Ejus definitio.

Eſt igitur ſtomachica febris, paſſio acuta, ardens & inflammatoria, oriunda ab inflammatione nervoſæ & membranaceæ ventriculi ſubſtantiæ, univerſum nervoſarum partium ſyſtema afficiens & ob id admodum periculoſa.

§. III.

Signa.

Symptomata, individui ipſius comites, è quibus, ceu pathognomonicis ſignis, cognoſcitur, ſunt, vehemens internum incendium, ſumma anxietas, dolor gravis tenſivus in præcordiis, maximeque ſcrobiculi cordis regione, ſitis magna, vigilia, inquietudo, corporis jactatio, extremorum refrigeratio, pulſus ſubdurus, contractus & frequens, vel etiam inæqualis, ſpiratio difficilis, creber conatus vomendi & doloris ad omnia aſſumta, maxime irritantia & medicamenta, exacerbatio.

§. IV.

Differentia.

His etiam diſtinguitur ab aliis, quæ in ſtomachum cadunt paſſionibus. In cardialgico quippe dolore, ſive cardiaca veterum paſſione, pariter quidem magna circa præcordia anxietas, dolor preſſorius & acutus, uſque ad dorſum pertingens, extremorum refrigeratio, aſſiduus ad vomendum ſtimulus corporiſque inquietudo, ſed in ventriculi regione ardor non tam impenſus, nec tanta ſitis & linguæ ariditas, neque etiam pulſus tam celer & contractus; melius quoque ferre poſſunt ingeſta tam alimenta, quam medicamenta, ſpaſmo, quam inflammatione ventriculi affecti. Eroſio dein ſtomachi, quæ ſæpius bilioſas febres, choleram morbum, item iracundiam, excipit, caret febre, non tam ſubito infeſtat, ſed ſucceſſive, per intervalla tantum ingraveſcit, neque dolore tam ardente ſtipatur & diutius trahitur. Quæ autem in inteſtinis conſiſtit inflammatio, habet tormina circa umbilicalem magis regionem, cum crebris dejectionibus ſecum ſpumoſarum bilioſarum, aut leviter cruentarum, æſtus quoque totam corporis ſuperficiem, cum pulſuum celeritate & magnitudine occupans, major eſt, ac ſi ventriculus inflammatus, ubi extrema, manus, pedes & naſus, magis frigeſcunt.

§. V.

Cauſæ proximæ.

Cauſa inflammati ventriculi eſt ſanguinis ſtaſis, non tam in tubulis arterioſis & venoſis, qui ſanguinem ordinario vehunt, quam potius in lateralibus, qui ob anguſtiam diametri, non rubicundos ſanguinis globulos, ſed tantum tenuem lymphaticum humorem ſecundum naturam admittunt. Hinc etiam partis inflammatæ rubedo derivanda. Ardor vero & flammæ quaſi in ventriculo ſenſus fit, dum, partim affluens jugiter ſanguis per canales ſemi obſtructos, vel conſtrictos, majori celeritate fertur, partim etiam libero tranſitu excluſus, ad ramos ampliores regurgitat, ibique crebriorem diaſtolen facit ac ſyſtolen; unde magna accidit partium ſulphurearum attritio mutua & calor maximus, qui eo ſenſibilior, quo magis exquiſiti ſenſus membranæ ventriculi nervoſæ, in quibus conſiſtit. Et dolor junctus tribuendus preſſioni membranarum nervearum à minimis æque ac majoribus vaſis nimium diſtentis, quæ inter tunicas nervoſo-membranaceas collocata.

§. VI.

Cauſæ antecedentes.

Quod autem liber & æquabilis ſanguinis curſus, per minima arteriarum & venarum intercipiatur, iſque in exiliora aquoſi tenuis humoris receptacula præter naturam impingatur, duplici ex cauſa accidit. Una, quando extrema arteriolarum venis connexa, à lentis, craſſis & glutinoſis ſanguinis particulis obſtruuntur, altera, quando vehemens fibrillarum nervearum ſtrictura & ſpaſtica criſpatura, capillares ſubtiliſſimos canaliculos, potiſſimum arterioſos, plus juſto anguſtat atque coarctat.

§. VII.

Et procatarctica cauſæ.

Ob id in proclivi eſt judicare, ventriculum perquam facile poſſe inflammari, ſi ſanguis, craſſus præſertim & glutinoſus, vehementiori corporis, aut animi, ab iracundia, commotione, balneis nimis calidis, potu ſpirituoſorum & medicamentis ſudoriferis exæſtuatur, in vaſcula minima & anguſtiſſima impetuoſe impellitur, à potu autem ſuperingeſto frigido incarceratur & ad ſtaſin cogitur. Neque minus facile patet ratio, quare venena corroſiva, infame potiſſimum arſenicum, acriora item emetica ſtibiata, nec non cathartica valentiora, ſtomachi inflammatione cito interficiant, dum cauſtica ſua virtute nerveas fibrillas ſtringunt, vaſcula coarctant, ſanguiniſque progreſſum ſiſtunt. Eandem ob rationem ventriculi inflammatione pereunt, qui peſte, ardentibus, cholericis & dyſentericis febribus, item ex vehementi ira, aſſumto potu frigido, vel porrecto emetico, aut purgante, moriuntur. Idem accidit iis, qui variolis, morbillis, petechiis, purpura, podagra & ſcabie retropulſis decedunt, in quibus materia ſubtilis cauſtica ad nervoſas ventriculi membranas relapſa, ſpaſmum & conſtrictionem vehementem vaſculorum inducit, ſanguinis curſum ſufflaminantem. Opiata autem & narcotica, non alio modo, infirmos præſertim & debiles, necant, quam quod motricibus nerveis fibris ſtuporem inferant ſanguiniſque progreſſum ſic ſiſtant.

§. VIII.

Differt gradu.

Pro differente tamen harum cauſarum indole & agendi potentia, differt quodammodo inflammationis gradus. Nimirum, quæ à potu frigido

corpori

corpori æſtuanti ingeſto, item à bile per iracundiam commota & copioſius in duodenum effuſa ſuſcitatur, mitioribus ſtipatur ſymptomatibus, non tam facile necat, diutius trahitur & datis inter initia congruis remediis promtius obſecundat. Sæviora vero & periculoſiora ſunt pathemata, quæ à venenis cauſticis, ab emeticis acrioribuſque draſticis inferuntur & celeriter jugulant, niſi cito efficacia opponantur præſidia. Et omnium deterrima illa eſt inflammatio, quæ ſenibus, infirmis, ſcorbuticis & diuturno mœrore confectis, item in fine acutorum morborum accidit, ob ſuccorum vitium inemendabile & magnam virium impotentiam, medicamentis non tam facile reparandam.

§. IX.

Eventus funeſtus.

Sed quando irrequieta eſt corporis jactatio, potus ingeſtus eructatur, ſingultuoſa ventriculi & diaphragmatis convulſio accidit, animus deficit, facies comparet Hippocratica, pulſus intermittens eſt, mens emovetur & artus convelluntur, funeſtum denunciant, ex inflammatione ſphaceloſa facta, eventum. Tum enim ſecto poſt mortem cadavere, non modo ventriculus admodum rubicundus & lumini obtentus copioſiſſimis ramuſculis ſanguine turgidis diſtinctus comparet, ſed & interdum paſſim multis nigris maculis latis & parvis obſeſſus, interdum in fundo cum duodeno & annexis biliariis ductibus ac pancreate, niger, fœtidus ac putris, interdum etiam flatibus mirum diſtentus atque oppletus conſpicitur, fluctuantibus ſimul in ipſius cavo aliquot cochlearibus fœtidi & nigricantis ichoris.

CURATIO.

§. I.

Indicationis curatoriæ.

Genuinæ periculoſam hanc paſſionem ſanandi indicationes eo tendunt: ut I. obſtructiones, à tenacibus ſuccis, locis ac tubulis minus congruis impactis, expediantur; & II. ut vaſcula à ſpaſticis ſtricturis coarctata amplientur & ipſi ſpaſtici motus componantur, quo liber, æquabilis & naturalis ſanguinis progreſſus per ventriculi ſubſtantiam reſtituatur. Quæ ut ex voto obtineantur, commodiſſimam locant operam diluentia, aquoſa, humectantia, demulcentia, antiſpaſmodica, æſtum qui fluida incraſſat reſtinguentia, nec non fibras ſtrictas relaxantia. Quum vero non una, ſed plures cauſæ ventriculo inflammationem inducere valeant, prudentiæ medicæ eſt, pro diverſitate cauſarum ad eas removendas medicationem dirigere ſingulisque præſidia opponere congrua.

§. II.

Acrimonia cauſticorum & biliosa abunden.

Quando igitur ab aſſumto veneno cauſtico, ſeptico, arſenicali, vel acerrimo purgante, emetico, mercuriali, aut metallico medicamento male præparato, inflammatio accidit, non certius, non tutius & celerioris efficaciæ eſt auxilium, quam demulcentia, oleoſa, pinguia, lac ſcilicet, cremor ipſius, oleum amygdalarum dulce, nec non olivarum, crebro in copia hauſta. Horum enim ea eſt virtus, ut tenuia cauſticorum intima fibrarum penetrantia ſpicula obtundant, involvant & quaſi inviſcent, ſimulque fibras rigidas & vaſa coarctata laxent, ſicque ſpaſmos horridos, inflammationis, ſymptomatum graviorum ipſiuſque mortis cauſas, ſiſtant. Inſuper hæc ipſa, mole ſua ventriculum ampliando, ſalutarem hunc ſimul exſerunt effectum, ut motus periſtalticus naturalis, à ſpaſmorum rigore ſufflaminatus, reſtituatur, ſtomachus ad vomitum permoveatur & cum hoc ſimul venenum dilutum iterum extundatur. Si à bile acri corroſiva, ut in cholera, metuenda eſt inflammatio, tunc terrea, abſorbentia fixiora & inter hæc maxime oſſa & cornua philoſophice, uti dicunt; præparata, cum decoctis gelatinoſis, uti pedum vituli & vervecis, gelatina cornu cervi, decoctum hordei, avenaceum, cum, vel ſine lacte, item cum oleo amygdalarum dulcium, ex uſu ſunt. Quando porro ab iracundia vehementi obortus in ventriculo ſpaſmus inflammationem minatur, nihil efficacius eſt pulvere abſorbente nitroſo, cum liquore anodyno alternatim dato, vel in aqua quadam antiſpaſmodica, vel emulſione ex ſeminibus frigidis, aut papaveris albi. Poſtea compoſito ſpaſmo, ad educendas bilioſas ſordes, accommodatiſſima ſunt rhabarbarina & paſſulata.

§. III.

Materia exanthematica contagioſa diſcutienda.

Quæ à retrocedente ex corporis ſuperficie recrementitia acri materia, imminet, vel jam inducta ventriculi inflammatio, depellitur optime emulſionibus ex ſemine cardui Mariæ, cardui benedicti, napi, quatuor frigidis majoribus, cum pulveribus bezoardicis temperatis, quibus ſubinde nitrum cum momento camphoræ addendum. Incomparabilem etiam his in caſibus ad arcendas inflammationes efficaciam exſerit, liquor noſter anodynus mineralis, ſpaſticas ſtricturas reſolvendo, & dolores ſine virium lapſu, vel torpore, quod aliis ſedantibus opiatis ſolenne, ſed potius refectione, complacans. Inprimis egregie ſe gerit liquor hic, quatuor partibus, cum una parte ſpiritus bezoardici *Buſſii* remixtus & parvis doſibus crebrius oblatus, ac dum ſtricturam ſolvit, ſudoremque placidum movet, efficaciter materiam virulentam exanthematicam ab internis ad corporis ſuperficiem agit. Si etiam miaſma peſtilentiale, aut aliorum contagioſorum morborum corpus ſubiit, quod primario ac celeriter vim ſuam putredinoſam & inflammatoriam ventriculo inſinuat, illico leniſſimum exhibendum emeticum, ac poſtea ſubjungendi pulveres blandi diaphoretici, cum nitro & pauxillo camphoræ, vel oleum bezoardicum *Wedelii*, ex uncia olei amygdalarum dulcium, in quo drachma camphoræ ſoluta, ad octo vel decem guttas dandum. Et iiſdem his diſcutientibus quoque depellenda inflammatio ſtomachi, quæ aliis acutis morbis in ſtatu ſupervenit.

§. IV.

Externis ſuccurrendum.

Præterea exterius diro huic malo omnibus modis obviam eundum. Sed improbo, quæ vulgo ſtomacho admoventur calidiora, ut ſpiritus vini camphoratus, olea deſtillata in ſpiritibus ſoluta, emplaſtra quoque ſtomachica. Hæc enim calore ſuo humores ſtagnantes magis coagulant & exſiccant, quam diſcutiunt & in motum cient, eodem modo ac notum eſt, albumen ovi à forti calore indurari, à leni autem liqueſcere in tenuem humorem. Quare ego quidem magno cum fructu multoties tepide tantum applicare juſſi veſicam lacte cum floribus emollientibus & croco decocto plenam. Neque minus admodum proficuum cenſeo linimentum ex olei amygdalarum unciis duabus & camphoræ drachma, cum quo præcordia frequentius inungenda & ſuperius ponenda

nenda lintea calida. Egregium quoque ad discutiendum & sudorem movendum est epithema, ex aceti rosacei unciis binis, spiritus vini camphorati drachmis duabus, essentiæ croci, castorei ana drachma, nitri drachma dimidia, compositum & tepide præcordiis admotum.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Venæ sectio non juvat. Venæ sectio certum quidem & efficax remedium in inflammationibus partium & viscerum, quæ copioso sanguine referta; sed ubi partes nerveæ ac fibrosæ valde sunt, secundum veteres frigidæ dictæ, cujus generis intestina, vesica & viæ urinariæ, quæ vehementibus spasticis stricturis patent, & uberiorem sanguinis affluxum non admittunt, vix usus ullus, sed potius damnum inde exspectandum. Ad declinandam autem ejusmodi inflammationem, si à dolore gravi colico & cardialgia, nec non post iram imminet, corpus valde est plethoricum, juvenile & vini potui assuetum, inter initia statim cum fructu admittenda sanguinis missio.

§. II.

Anodyna insecura. Sic etiam cavendum est in periculoso hoc affectu ab omnibus sistentibus, anodynis & præsertim quæ opium ingreditur. Nam hæc, cum sudoriferis mixta, in principio quidem arcere possunt inflammationem, quam atroces dolores ac spasmi minantur. Verum si adest inflammatio & paullo diutius jam duravit, pernicioſissima sunt & mortem, sphacelum inducendo, accelerant. Quin neque tunc liquor noster anodynus mineralis, longe tamen tutior opiatis, ex usu est, neque etiam ipsa nitrosa, quæ alias in principio egregie resistunt inflammationi.

§. III.

Frigida & irritantia nocent. Quemadmodum porro nihil aptius ad inducendam inflammationem frigido potu; sic etiam ad augendam si jam adest eandem, hoc nihil efficacius. Ob id etiam nitrum, quod liberalius sumtum admodum refrigerantis est naturæ, refracta dosi tantum, cum demulcentibus, lacte, vel emulsionibus, repetita vice dare expedit. In gravi autem cardialgico dolore, quem perperam tractatum facile excipit inflammatio funesta, solicite cavendum ab omnibus irritantibus, maxime emeticis, purgantibus, imo salibus sic dictis digestivis majori copia oblatis, quippe quæ spasmum magis intendunt, & malum exacerbant.

§. IV.

Post iram quæ facienda. Ira quoque gravis sæpe funestæ inflammationis mater, quando mox post eam cibus, præsertim minus salubris & difficilioris digestionis, ingeritur, aut frigidus potus ingurgitatur. Hoc vero ubi accidit, ad arcendum malum in principio nihil conducibilius, quam elicere vomitum, non tamen per valida emetica, sed aquam tantum tepidam, cum oleis ac pinguibus mixtam, & largius potam. Sic novi quosdam post vehementem iram pessime habuisse & in propinquo fuisse inflammationem, usu tamen liquoris nostri anodyni, cum potu aquæ tepidæ, rejectos esse humores bilioſos copioſissimos & morbum discussum. Sed de his aliisque in fontico hoc morbo tenendis, pluribus evolvi poterit dissertatio nostra, *de inflammatione ventriculi.*

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Ex vomitorio præmatura in flammatione ventriculi lethali. Canonicum novi Halberstadii, robustæ constitutionis, ætate adhuc florentem, sub sanitate integerrima subito ac cito lethali ventriculi inflammatione affectum. Quum enim inter rixas ac jurgia vehementissime excanduisset, & paullo post vinum spirituosum, quod vocant Sect, bibisset, insequenti statim die habuit pessime. Incredibiles quippe circa præcordia dolores ipsum torserunt, cum mira anguſtia & vomendi conatu. Ardor quoque ipsum excruciavit stomachi, & in ipso sensus fuit perquam molestus, ac si inhæreret quippiam, quod exitum moliretur. Rogatum igitur à medico consilium, qui promte vomitorium ex sulphure antimonii aurato dedit: inde æger ter valide quidem, sed sine levamine vomuit. Adaucta potius pathemata, pulsuum ictus parvi & fere imperceptibiles facti, frigidusque sudor malo omine erupit. Subsequuta mox mentis emotio, accesserunt convulsiones & intra decem horas excepit ipsa mors. Cadavere dissecto, in ventriculo visæ maculæ plures, nigræ partim, partim rubræ, quarum nonnullæ altius in ipsa substantia constiterunt.

Epicrisis.

Quantum valeat ira vehemens ad concitandos in ventriculi regione spasmos, hæc uberius docet historia. Inprimis hunc animi affectum excipit ut plurimum gravis in illa regione compressio, in qua pylorus ac duodenum situm habent. Quin ipse hic spasmus haud raro ad ductus usque biliarios propagatur, ac ut bilis effusio in duodenum impediatur & ipsa succis reaffundatur, facit. Hinc non infrequens observatio, iracundiæ succedere icterum, cui *Sylvius* jam recte non aperientia, sed anodyna & sopientia opponere suadet. Dum vero ira sursum etiam bilem trudit, os semper amaro sapore plenum, & constricto validius pyloro, vomendi fit conatus. Quum igitur tanta spasmorum post iram vehementia; ipsa sana ratio dictitat, vomitoria plane non convenire, eo quod teneras ventriculi fibrillas magis irritant, & spasmos augendo ad inflammationem pandunt viam. Mors autem tam subita in nostro, non tam inflammationi, ceu causæ proximæ, adscribenda videtur, quam potius spasmo violentiori, qui totum systema nervorum & vasorum convellens, liquidi nervei influxum in cordis musculos etiam sufflaminavit, ita, ut quatuor mortem novissime antecedentibus horis, vix pulsationis vestigium fuerit observandum. Illa igitur intoleranda anxietas, quæ tam vehementem ventriculi spasmum excipit, non tantum nervosarum partium præternaturali constrictioni, verum maxime nimiæ distensioni dextri cordis ventriculi & arteriæ pulmonalis à nimium congesto sanguine debetur. Quod enim dolor est, à male affectis distentis nervosis membranis, id anxius etiam ille sensus, quando vasa sanguinea, præsertim circa cor & pulmones, valide diducuntur & præter naturam afficiuntur. Quum itaque nimia sanguinis copia, à spasmo ex partibus inferioribus ad ipsum cor ejusque cameram & auriculam dextram compellatur, ab ipso quoque hoc

spasmo

ſpaſmo liquidi nervei ſufficiens in machinam hanc motoriam, omnes vitales totius corporis humores circumagentem, influxus impediatur ac intercipiatur, quam facile intelligi poteſt mortis cauſa, quæ ſubinde tam ſubito, ſine præcedenti ſphacelatione, venenum aſſumtum ſequitur.

Observatio II.

Ventriculi inflammatio ex vitro antimonii.

Balneator quidam ultra ſortem, ut genius horum hominum, ſciolus, fœminæ tertiana laboranti propinarat antimonii vitrum in ſubſtantia ad octo grana. Aegra aſſumto hoc, accedente febre frequentiſſime vomuit, diſcedente tamen febre, vomitus etiam & dejectio iterum conſtitit, ſed reſtitit virium lapſus ingens. Redeunte tertio die febre ejuſque comite indivulſo frigore, vomitus quoque & purgatio repetiit, ſummo cum dolore in ſcrobiculi cordis regione & anxietate tantum non intoleranda, remiſerunt hæc tamen iterum deferveſcente febre. Quum vero tertia fieret febris acceſſio, denuo etiam acceſſit vomitus, & comitem habuit dolorem ſtomachi omnium acerbiſſimum, & qui ſuprema inſtare non obſcure ſignificavit. Nec vana fuit ſuſpicio. Paullo enim poſt ſumma inquietudo, extremorum frigus, animi defectio, artuum convulſio ac poſtremo mors ipſa miſeram fœminam occuparunt. Apertum cadaver, inflammatam oſtendit inferiorem ventriculi partem, maculis rubris & nigris paſſim, tam in duodeno, quam annexis inteſtinis, comparentibus. Et quod magis mirandum, virulentus vitri antimonii pulvis inhærebat adhuc tunicæ cruſtaceæ, ut vel manibus mortis cauſa poſſet tangi.

Epicriſis.

Similis fere eſt obſervatio, quam conſignavit *Blaſius*, de puella quinque annorum, quæ aſſumto croco metallorum, vehementiſſime vomuit & convulſionibus demum periit, in qua ventriculus anguſtus & contractus repertus, ut vix ovum magnitudine æquaret & veſicula fellea præter morem turgida. In noſtra vero obſervatione perquam dignum, quod vitri antimonii, virulenta ſpaſtica ſtricturas excitans facultas conquieverit, accedente in paroxyſmo æſtu & febris fine, & quod viciſſim frigore rurſus ingruente recruduerit, & effectum vehementer vomitorium exſeruerit. Sed notum habetur, acceſſionem febrilem cum frigore & horrore ſpaſmis deberi, qui ex ſpinali medulla veniunt, totumque genus nervoſum, atque adeo etiam ventriculum, afficiunt. His contrarius eſt motus ad exteriora tendens ſub æſtu, qui ob id ſpaſmorum & convulſionum quaſi antidotus. Quod autem poſt paroxyſmum quieverit operatio veneni, in univerſali lege motus microcoſmica rationem habet poſitam: ſcilicet valde vehementem & diutius perſiſtentem ſpaſticam fibrarum ſtricturam excipere ejuſdem partis affectæ reſolutionem & atoniam, ſub qua actio veneni eſt fruſtranea. Ut adeo pateat, ad actionem veneni, æque ac medicamenti activi, requiri partium vitalium ad motum diſpoſitionem.

Observatio III.

inens arſenico riculi mma. iſcuſſa.

Hoſpes quidam admiſcuerat juſculo ex errore loco ſacchari arſenicum, idque appoſuerat convictoribus ſuis, quorum plurimi generoſa & nobili ſtirpe ſati. Vix deguſtarant jus, quum omnes pectore angi inciperent, circa ſtomachum dolere, cum labiorum tremore & vomendi conatu. Advocarunt illico me, veni & cognita mali cauſa, copioſe ingurgitare juſſi lac cum oleo amygdalarum dulcium. Vomuerunt inde per dimidium diei ſtrenue, quidam vel centies, ſemper tamen denuo ingerere juſſi lac, donec nihil amplius veneni ſupereſſe videretur & vomitus quieſceret. Sic evaſerunt plurimi brevi & explicita ratione præſentaneam mortem; non nullis tamen, qui lac & oleoſa juſto parcius potarant, emollientes adhuc & oleoſos clyſteres adhibere fuit neceſſum.

Epicriſis.

Optima & præſentanea veneni antidotus heic ex ſimplici, vili & domeſtico depromta. Certe vix cuiquam credibile foret, in lacte & oleo tam nobilem latitare virtutem, niſi experientia ita omnino eſſe demonſtraret. Ea enim mentis humanæ indoles, ut exotica, pretioſa & ægrius obtinenda captet atque velit; domeſtica autem, parabilia, ubivis obvia & vilia negligat & contemtui habeat. Sed divina ſapientia abjectis hiſce longe nobiliorem & fructuoſiorem indidit facultatem medicam, ac magno pretio, labore & artificio comparandis. Norunt ſane in arte exercitati, ſimplicem aquam calidam, vel frigidam, lac, ſerum lactis, olea expreſſa, acetum, nitrum, terrea abſorbentia, ſalia mineralia, ubivis reperiunda, optima adverſus longos, graves atque rebelles morbos eſſe præſidia.

Observatio IV.

Ex potu frigido & vomitorio inflammatio ventriculi.

Sereniſſimus Princeps, ætate florens, ſanguine & ſuccis plenus, vinum potens ſpirituoſum liberaliter potarat, poſtera die corpus ſub venatione ad ſudorem uſque largum vehementer commoverat, ſicque æſtuans & ſitiens magnum cereviſiæ hauſtum ingurgitarat, frigidæ quoque auræ corpus expoſuerat. Inde mox conqueſtus eſt de horrore, languore, interno ardore, vigilia & inquietudine, cum vomendi conatu. Medicus accitus, tertianam intermittentem, tum popularem, ſubeſſe ratus, porrexit vomitorium, ex tribus tartari emetici granis. Hoc aſſumto ter vomuit maxima cum anxietate, quæ certis intervallis ita increvit, ut nullibi ſubſiſtere ac detineri poſſet. Aderat præterea virium proſtratio maxima, ut non ſine animi defectione erectus eſſe poſſet, pulſus emicuit languidus, irregularis, interdum celer, ex ore ſpiravit halitus mirum fœtidus, mens tamen exacte ſibi conſtitit. Nocte mortem antecedente inceſſit ipſum horror ingens ac frigus, acceſſerunt convulſiones & ſeptimo die ſyncope quaſi correptus obiit. Sectum eſt poſt mortem cadaver, in quo ventriculus ferme totus viſus inflammatus, & in ipſius cavo, quod omnium rarum, aliquot cochlearia fœtidi & corrupti ſanguinis, ipſe etiam ſtomachus expanſus & corruptioni propinquus, ut ad levem attactum ipſa ſubſtantia dehiſceret. In venis, & maxime ſeparata ab hepate cava, nullus fere ſanguis repertus. Lien & ſiniſtra ventriculi pars, cum pulmonum lobo ſiniſtro, tota corrupta, nigricantia & fœtida. Quumque ſpongia putridus ichor abſtergeretur, is adeo infecit ſpongiam, ut tota atro & nigricante colore imbueretur, nec calida, nec frigida detergendo.

Epicriſis.

Patet igitur, brevi tempore ſphaceloſa corruptione infici poſſe viſcera, uti heic ventriculum, lienem & lobum pulmonum ſiniſtrum, quæ atro colore & fœtidiſſima corruptione nares inficere feriente infecta. Sine dubio tamen, ventriculus primum ſphacelatus, viſcera infecit reliqua. Ad generationem autem hujus morbi fecit non tantum hauſtus largus frigidus corpori calenti immiſſus, verum etiam improvida emetici aſſumtio. Nunquam enim certius & gravius damnum à vomitorio metuendum, quam ſi ventriculus & inteſtina graviori ſpaſmo, vel inflammatione affecta. Mineralia quippe emetica virulenti quippiam alunt, quo in convulſiones & ſpaſmos ventriculi & totum nervoſum genus abripiunt. Hinc peſſime agunt medici, qui tam temerarie ad ipſorum uſum deſcendunt, antequam ſedem, vel cauſam morbi exacte ſcrutati. Quod ſi enim poſt uſum ejuſmodi pharmaci ſymptomata ingraveſcunt, & ventriculus deprehenditur inflammatus, juſta omnino hæc concluſio: inflammatio aut jam ante emeticum fuit, aut non; ſi fuit, male datum emeticum, ſi non, ſubſequuta ſymptomata inductam eam eſſe teſtantur. Internas demum partes eſſe inflammatas recte conjiciendum, quando virium magna eſt proſtratio, ut ægri facile animo deficiant, quando evaneſcente ardore exquiſito, conqueruntur de ſenſu frigoris circa præcordia & ſaliva ſubinde eructat in os; quando borborygmi & meteoriſmi ſenſu percipiuntur ab aſſumtis liquidis in abdomine; quando demum oculos ob debilitatem claudunt ſubinde & dormire videntur, poſtea vero de majori debilitate & anxietate conqueruntur.

Observatio V.

Inflammatio ventriculi decimo die lethalis.

Fœmina quinquaginta & quod excurrit annorum, ſanguineo-phlegmatica, corpore ſpongioſa & animi ſic ſatis ſedati, omiſerat ab aliquot annis ſuetam alias ſanguinis miſſionem, vitam quoque coluerat maxima ex parte ſedentariam, & tamen appetitui largius paullo indulſerat. Hæc gravius irritata corripiebatur ira, & poſt hanc languorem perſentiebat virium cum inappetentia. Poſt aliquot dies denuo iracundia commovebatur, ſimulque aſſumebat intrita panis cum cereviſia frigida. Inde mox horror ipſam inceſſit, inſequenti nocte ardor intenſus, præcordiorum anxietas, inquietudo & punctorius in ſtomachi regione dolor, ad dorſum uſque excurrens, ructibusque exitum præcludens. Medici morbum colicam eſſe autumantes, carminativa cum anodynis dederunt. Perſeverarunt autem anxietates præcordiorum cum maxima inquietudine per totum morbi decurſum, intervenerunt ſubinde convulſivi quidam motus, cum manuum tremore, aquoſus humor in os eructatus, & pulſus antea celer ac fortis, in debilem & inæqualem mutatus. Quarto die neque de æſtu, neque etiam de ardore, ſed tantum de ſiti & maxime, quod exquiſitum frigoris ſenſum in cordis regione pateretur, conqueſta eſt. Hinc frigidum non appetiit potum, ſed calidum ſemper, maxime infuſum thée ſorbillavit, ex quo tamen pejus ſemper habuit. Quieta quidem ſemper jacuit dormire viſa, non tamen dormivit, mens ſibi conſtitit, debilitas autem magis magiſque increvit, alvus ſine clyſtere dimiſit nihil, nec ullum medicamenta exſeruerunt effectum. Septimo potius die acceſſit ſingultus, nono refrigeratis prius extremis, per aliquot horas ſine ſenſu jacuit, ac demum placide exſpiravit.

Epicriſis.

Nullum omnino eſt dubium, quin morbus hic conſederit in ventriculo. Hujus quippe nervoſo membranacea ſubſtantia paſſa eſt inflammationem, ex præcedente repetita iracundia & ſuperingeſta frigida cereviſia. Et quoniam corpus fuit cacochymicum, ſuccis craſſis & impuris plenum, promta in ipſo fuit ſtaſeos ſanguinis geneſis. Factam autem eſſe inflammationem, horror, æſtus, anxietas præcordiorum, dolor pungitivus in ſtomacho, ructus intercluſi & accedens demum ſingultus luculenter arguunt. Lentius tamen proceſſit & increvit inflammatio, ac demum in ſphacelum conceſſit, quem frigoris in præcordiis ſenſus, ſumma debilitas, pulſus languidus & ſingultus prodiderunt. Notandum enim inflammationem lentius, vel celerius progredi, pro corporis differentia & differente cauſarum vehementia. In ſenſibilioribus quippe & poſt venenum citiſſime fit & citiſſime decurrit; in phlegmaticis autem, ſenibus, ex iracundia & refrigeratione lentius ſerpit & ſeptimo demum, decimo & longius die necat. Nihilo minus cita ſemper opus eſt ope, eodem modo ac in ſphacelo exterius imminente. Neque ea propter dubitandum, quin in noſtra etiam, adhibitis tempeſtive congruis præſidiis, funeſtus averti potuiſſet eventus.

Observatio VI.

Ex vomitorio & ſ purgan poſt ira mors.

Vir, circiter quinquagenarius, ſanus, robuſtus & integer, poſt iram graviſſimam, mox afficiebatur tremore, horrore ac refrigeratione extremorum, cum ingenti præcordiorum anxietate viriumque dejectione, noctem etiam ſequentem, iiſdem ſymptomatibus adhuc perſiſtentibus, tranſigebat, nauſeam percipiebat continuam & vomendi conatum, una cum labiorum tremore & oris amaritie. His jactatus ab advocato medico importune flagitabat vomitorium, qui primum illud dare renuit, victus tamen continuis precibus, porrexit. Sed quia ſumto hoc bis vel ter tantum cum ſumma anxietate & difficultate pauca bilioſa & mucoſa vomuerat, ad uberiorem evacuationem aliam poſtulavit doſin, quæ ipſi etiam conceſſa: hinc autem non ita multo poſt in deterius verſa ſunt omnia. Adfuerunt quidem ſingultuoſi ructus continui, ſed nihil rejiciebatur, afflixit præterea inquietudo ſumma, oppreſſio, ſpirandi difficultas, intolerabilis ardens & anxius dolor in epigaſtrio, cum extremorum refrigeratione, pulſu parvo & non nihil intermittente. Petitum tandem à me auxilium, qui accedens, ægrum extrema fere agentem inveni, ob ſpaſmorum vehementiam, quæ omnes fere corporis nervoſas ſenſui & motui vacantes partes occuparat. Hæc videns, expendi mecum, & quum à ſumto veneno arſenicali eadem ſymptomata oborta largiori lactis & olei cujuſdam expreſſi potu feliciſſime ſublata laborantes tantum non è mortis faucibus ereptos, cognitum haberem, pariter lac bubulum tepidum, ſucceſſive, at copioſe, bibendum, ſuaſi. Inde inſigniter quidem atrocia hæc ſymptomata conquieſcere & per noctem remittere viſa, mane autem ipſe æger, inſcio medico, unciam unam ſalis

Ebs-

Ebshamensis, ad aperiendam quæ firmiter clausa erat, alvum flatusque & anxietates discutiendas sumsit, pessimo vero successu. Symptomata quippe priora reversa omnia, atrocia longe majori, ut assumtis licet analepticis antispasmodicis, animam, intra tertium à sumto primo emetico diem, efflaverit.

Epicrisis.

Vel hanc ob causam commemorabilis hæc observatio, ut medicorum quisque inde discat, innocens alias remedium emeticum stibiatum, moderatiori dosi, uti tartarus emeticus ad duo grana datus, pro certa dispositione spasmodica ventriculi & partium nervosarum, veri veneni vim habere & lethalem effectum exserere posse. Quamobrem circumspectus quilibet medicus, non tam promtus sit ad dandum ejusmodi pharmacum, sed prius scrutetur cum cura corporis ægrotantis cum ventriculo dispositionem ipsamque morbi causam urgentem. Deinceps illa quoque utilissima cautio ex funesto hoc casu elicienda: salia neutra, eaque amaricantia, ut sal Egranum, Ebshamense, Sedlicense, ad deducendos efficaciter & sine molestia per alvum vitiosos humores egregia, tali in casu, ubi primæ viæ spasticis strictoris tenentur, neutiquam esse proficua, ut potius noxam possint inferre & gravissimam & præsentissimam. Sed hanc in rem plura jam attuli in *Diss. de medicina emetica & purgante post iram veneno.*

Observatio VII.

Ventriculi, duodeni, pulmonis dextri, diaphragmatis inflammatio lethalis.

Juvenis viginti annorum, Juris Studiosus, sanguineo-cholericus, macilentus & in iram levi ex causa proclivis, ebrius ex largo vini potu rixas habuerat cum quodam, ac sub his excanduerat vehementissime, postea vero sub cœlo algidissimo vesperi traha vectus fuerat. Domum delatus, prævio horrore, incidit in æstum gravem, inquietudinem, præcordiorum anxietatem, ardore & pectoris in dextro latere dolorem, cum magna spirandi angustia & pervigilio. Irrito usurpatis non nullis, tertio die secta vena & sanguis extractus crassus ac niger. Nihilo minus de internorum ardore perpetuas habuit querelas æger, ac simul ac quicquam assumsit, illico gravem persensit dolorem, screatu materiam cruentam ejecit, pulsus fuit celer, debilis, quandoque plane intermittens, & increscente indies virium lapsu, septimo die è vita discessit. Sub extispicio mox post mortem cadaver abominandum exspiravit fœtorem, & scrutantibus mortis causam ventriculus sese obtulit mirum tumidus, inflammatus ac in fundo, cum ipso pyloro ac duodeno, niger, corruptus & putridus. Dexter quoque pulmonis lobus sphacelatus comparuit & fœda putrilagine affectus, una cum diaphragmatis portione gibbæ partis hepatis.

Epicrisis.

Quantum ebrietas, gravior ira & impensior corporis refrigeratio valeant, ad labefactandam sanitatem, sphacelum visceribus internis inducendum & brevi necandum, hic utique testatum facit casus funestus. Certe vix fortissimum venenum tam deleteriam obtinet facultatem, ut tam cito tantam corruptionem sphacelosam invehere queat. Sed adeo non nunquam in transversum aguntur mortales, ut cupiditatibus pravis obsecundando vitiaque sectando, mortem sibi procurent ipsi, tanto certius, quando tria, uti heic, simul uno tempore concurrunt atque conspirant.

CAPUT IV.

De Angina.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Anginæ definitio.

Angina est inflammatio faucium, juncta cum ardente dolore, tumore, rubore, respirandi vel etiam deglutiendi difficultate & febre, orta à sanguinis, vel seri viscidi acris, in sanguineis, vel lymphaticis tubulis stasi, periculi non expers.

§. II.

Sedes.

In dignotione hujus morbi, locus ubi consistit, inprimis notandus. Est autem sedes in faucibus maximeque iis partibus, quæ pharyngem & laryngem occupant & constituunt. Heic occurrunt plures numero & maximi usus ac sensibilioris indolis partes: radix scilicet linguæ cum osse hyoide, narium foramina in os hiantia, œsophagi initium, musculi pharyngis, item laryngis interni, & externi quorum numerantur tredecim, glandulæ porro majores & minores, tonsillæ, musculi maxillas moventes, vasorum sanguineorum & lymphaticorum, nec non teneræ nervorum propagines.

§. III.

Est vel interna, vel externa.

Prout igitur inflammatio alias atque alias ex his partibus tangit & occupat, gravior, vel levior est, & varia etiam sortitur nomina. Nimirum vetustissima est distinctio anginæ generalis in interiorem & exteriorem, sive manifestam & occultam. Illa in interioribus nerveis & musculosis faucium tunicis consistit, & ob id neque in collo exterius, neque in ore, quantum visui patet, tumor & inflammatio conspicitur, sed ardor internus, febris acuta, in graviori casu non modo spirandi, sed & deglutiendi difficultas, multumque periculi subest. *Aretæus* ita tamen describit, *lib. I. cap. IX. lingua extra dentes & labia prominens, saliva effunditur, pituita crassissima, facies rubicunda & inflata, oculi exserti, patentes, valde rubent, potus in nares refunditur, dolores acerbi sunt, sed strangulatione vexati, eos obscurius sentiunt, pectus & cor ardent. frigidi aëris desiderium adest, & admodum exigue inspirant, eousque donec demum intercluso pectoris transitu strangulentur.* Externa autem magis in oculos incurrit, & occupat potissimum musculosas & glanduloſas externas partes, amygdalas, linguæ radicem & uvulam, facilius quoque discutitur.

§. IV.

Cynanche & synanche.

Specialius ratione partis affectæ considerata angina, gravissima & periculi plenissima esse solet ea, quæ internis laryngis musculis insidet, & in qua exterius non rubor, nil circa cervicem aut collum, observatur, sed interne ardens dolor urget, & ob angustatum asperæ arteriæ caput, vox non modo supprimitur, sed & spiritus difficilis redditur, quin quandoque plane præcluditur, & quidem tam celeriter, ut observatorum fide, haud raro intra viginti quatuor horas, vel tertio die necet. Græci hanc vocant cynanchem. Quæ autem ipsis synanche audit, internos

pharyngis musculos occupat, pariter sine conspicuo externo tumore & rubore, majori deglutiendi, quam spirandi difficultate stipatur, sed ingesta plerumque cum impetu per nares redduntur. Sed quando tumor & rubor oculos & tactum incurrit, inflammatio quæ externis pharyngis musculis incumbit, parasynanche, quæ autem laryngis, paracynanche à veteribus appellatur.

Paracynanche & parasynanche.

§. V.

Deinceps à practicis angina distinguitur in veram, sive exquisitam, & notham. Vera oritur à sanguinis stasi, spuria vero magis à congestione seri, quam sanguinis inflammatoria, in faucibus & colli internis. Illa morbus acutus est, nunquam sine rigore & febre, hæc autem junctam habet febrem plus lymphaticam & catarrhalem, quam acutam. In exquisita non modo dolor ardens & pungitivus circa interiora faucium observatur, sed & lingua sanguine turget, obscuro rubicundo colore tincta, facies simul rubet, arteriæ temporales valide pulsant, quandoque cephalalgia, sopor, vel sensuum torpor jungitur, quandoque lipothymiæ accedunt, quin, si gravior, spiritus difficulter trahitur, anxietas est maxima, inquietudo & extremorum refrigeratio. Citam hinc poscit opem, multumque periculi alit. Sed in spuria gravia hæc pathemata partim plane absunt, partim mitiora adsunt, minus etiam periculi, si rite tractetur, metuendum. Distingui porro angina potest in siccam & valde ardentem, & humidam aut valde mucosam. Illa fit à sanguine, cum febre valde acuta, uti dictum de vera. Hæc autem magis chronica est, febribus catarrhalibus associatur, cachecticis & scorbuticis familiaris est, atque etiam linguam & fauces crasso viscido muco cum oris fœtore obducit.

Vera, vel spuria.

Sicca vel humida.

§. VI.

Omnes hæ anginæ species merito discernendæ ab aliis faucium affectibus. Vera quidem & sicca non permutanda cum illa inflammatione oris & œsophagi mucosa, quæ vocari solet prunella alba. In hac enim muco albo tota faucium regio & lingua oblinitur, lingua fissuras dolorificas contrahit, & junctus est simul magnus ardor, qui usque ad præcordia pertingit, propterea que Germanis audit *die Hertz-Braune*. Malignis hæc sæpe accedit febribus, omine plerumque malo, quia præsentem arguit ventriculi & œsophagi inflammationem. Neque etiam omnis faucium inflammatio est angina, sed ea tantum, quæ cum spirandi & deglutiendi difficultate juncta. Hinc multum utique ab ipsa discrepat levior inflammatio colli & internorum in faucibus, cum tumore & dolore glandularum, quam nostri dicunt, *die bösen Hälse*, quæ frequens admodum est scorbuticis, nec non si malum contumax cum erosione, lue venerea affectis. Vera quoque & interna angina discernenda à solennibus fœminis hystericis & hypochondriacis spasmis, qui faciem constringunt & respirationem æque ac deglutitionem reddunt difficilem. Hi enim sine febre sunt, mox remittunt atque recedunt, atque etiam discuti possunt facile. Demum angina differt ab ardentibus illis & dolentibus in lingua pustulis, quas dicunt aphthas. Etenim in angina dolor & ardor latius sese diffundit & vicinas partes simul in consensum trahit; aphthæ vero certas duntaxat partes afficiunt, quibus pustulæ cum dolore & rubore

Differt à prunella.

à levieri inflammatione.

à spasmis hypochondriaco-hystericis.

ab aphthis.

insident, neque tam familiarem habent comitem febrem, quam angina.

§. VII.

Causa igitur anginæ proxima stasis, vel quandoque congestio seri inflammatoria in faucium internis eveniens, ad quam inducendam faciunt multa. Scilicet observatione constat, eandem frequentius incurrere, quibus evacuationes sanguinis spontaneæ per nares, uterum hæmorrhoides, aut lochia, suppressæ, aut omissæ artificiales, per scarificationes, vel venarum sectiones. In his certe pronta ipsius genesis post impensiorem sanguinis commotionem, sive per potum spirituosum inebriantem, sive per validam corporis exercitationem, vel etiam nimiam vociferationem, præsertim in aëre frigido factam. Observavi quoque à sumto fortiori sudorifero, admisso mox aëre frigidiori, item à balneo nimis calido, post haustum potus frigidi, inflammationis anginosæ initia, quæ tamen adhibitis congruis internis & externis remediis, feliciter mox discussa. Neque minus frequens anginæ generatio admissis in fauces acribus, fibras vasaque irritantibus impensius & constringentibus. Sic experientia teste, funesta sæpe faucium inflammatio accidit iis, qui conclavia calce recenter inducta inhabitant in iisque dormiunt, quo quidem aliquando plures simul infantes enectos esse ego novi, ac idem notabili exemplo confirmat *Tulpius lib. III. cap. XLI.* Eandem inflammantem venenis causticis inesse facultatem, inter omnes constat. Ex purgantibus, elleborus albus specifica quasi indole petit fauces & strangulationem facit. Argentum vivum, præsertim male ex ipso præparata pharmaca, fauces male afficere & inflammare pariter constat. Et idem quoque de solano furioso, nec non morsu canis rabidi accidere, medicorum testantur observata. Inprimis arsenicalium etiam & mercurialium minerarum fumi, item vapores spirituum mineralium, idem hoc malum improvide hausti causantur. Horum quippe omnium subtilissima & magnæ penetrantiæ spicula altius sese musculis, qui cartilagines laryngis movent, insinuando, nervosas ibi tunicas stringendo & liberum sanguinis per vasa transitum intercipiendo, tumorem ejusmodi inflammatorium, pulsatorium, cum dolore pungitivo, sæpius excitant funestum. Quod enim res acutæ pungentes, firmis hisce partibus inhærentes, solam hujus affectus suppeditare possint causam, manifesto testantur spinæ piscium aut officula aspera deglutita & faucibus intrusa, à quibus tale malum sæpissime excitatur, de quo notabilis observatio est *Hildani Cent. III. obs. 42.*

Causa ipsius.

§. VIII.

Sic per se & sua sponte exoritur angina; succedit vero etiam haud raro aliis morbis ceu symptoma. Accidit hoc sæpius in diarrhœa & dysenteria, præsertim si fluxus intempestive cohibetur, de quo memorabile exemplum apud *Hildanum Cent. III. obs. XXVII.* Idem evenit, à repulso præposteré erysipelate, aut topicis perperam tractato podagrico dolore. Neque minus in variolis & febribus malignis ac pestilentialibus, cum summo vitæ discrimine, demum supervenit. Inprimis de febre sic dicta Hungarica, observationes anatomico-practicæ testantur, quod ut plurimum inflammatione meningum & faucium, quæ ad ventriculum & œsophagum extenditur, necet. Sed causa hujus symptomatici insultus

Symptomatica etiam est quandoque.

ple-

plerumque vel in nimis diuturna alvi conſtipatione, vel perſpiratione improvide cohibita, vel repulſa præpoſtere ad interiora materia acri cauſtica, quærenda. Quando vero epidemium eſt malum, aëris vitio tribuendum, & plerumque aliquid maligni complicatum. Accidit hoc haud raro, ſi diuturna aëris pluvioſa & humida fuit conſtitutio, ſi ver eſt, vel autumnus, priſco jam *Hippocratis Sect. III. aph.* 16. 20. 22. teſtimonio, & illud verum eſſe, propria obſervatione confirmat *Bartholinus Cent. I. obſ. LXXXI.* Frequens quoque hujus mali incurſus, ſi aër effluviis ſale acerrimo ſubtili, ob inſectorum copiam, refertus, ſole præſertim occiduo, hauritur, eamque ob cauſam Romæ familiarem eſſe, & quandoque peſtis inſtar graſſari anginam, fidem facit *Hollerius lib. I. prax. c. XXIII.*

Quandoque epidemica.

§. IX.

Prognoſis de eventu.

Cæterum anginæ morbus, tam ob febrem haud raro acutam, quam ſuffocationis metum, multum alit periculi. Periculoſiſſimam autem eſſe veram internam & latentem, jam diximus, & de hac valet illud *Hippocratis* effatum *prædict. lib. III. c. VIII. angina graviſſima eſt, & celerrime interimit, quæ neque in cervice, neque in faucibus conſpicuum quid habet. Hæc etenim eodem die, & ſecundo, & tertio, & quarto, ſtrangulat.* Inprimis maximum ſuffocationis eſt periculum, quando muſculus, qui vocatur thyroarithenoideus, rimæ occluſioni dicatus, affectus. Anceps porro admodum eſt ſymptomatica, ob corpus jam debile & materiæ virulentiam raro ſuperanda. Malum etiam, quando tumor in externis ſubito diſparet, non imminutis, ſed auctis potius ſymptomatibus. Tum enim alias nervoſas partes tranſilit morbus, & vel cerebrum petens, phrenitidem cum convulſionibus, vel ad pulmones delatus, peripneumoniam facit, teſtimonio *Hippocratis Sect. V. aph. X* lethalem. Sed quando ſuffocatio ſtrangulatoria remittit, tumor, dolor & rubor magis extrorſum vergit ſenſimque evaneſcit, felicem ſolutionem nunciat. Sin ſecus, in apoſtema aut mortem fit tranſitus. Si in apoſtema, ac pus in bronchia & pulmones effunditur, teſte *Foreſto lib. XV. obſ. XXIV.* anceps admodum eventus. Si in mortem, nunciant hanc ſpuma ante os, lingua valde tumida, purpureo-nigra, extremorum rigor, ſumma præcordiorum anguſtia atque anxietas, cum pulſu duro, convulſivo & intermittente.

CURATIO.

Cum methodo Medendi.

§. I.

Sanguis mittendus.

Ipſa truculenti hujus mali curatio differt, prout variæ ipſius ſunt ſpecies & ſingularum cauſæ differunt, ad quas recte pernoſcendas & opportune removendas, unice directa eſſe debet medentis intentio. Quando itaque ex manifeſtis ſignis eminens ſanguinis ad caput congeſtio obſervatur, quæ non modo vehementiam inflammationis auget, ſed & lethalium ſymptomatum eſt cauſa, protinus & primo omnium hæc debet eſſe medici cura, ut impetum ſanguinis à parte affecta derivet, id quod commodiſſime ſectione venæ confiniis perficitur. In hoc enim auxilio præcipuam & unicam fere ſalutis ſpem, inde ab omni ævo, tam veteres, quam recentiores medici, collocarunt. Inſtar omnium ſit *Hippocrates*, qui *lib. de loc. in hom.* §. 1. ſic anginæ tradit curationem: *angina affectis, à ſanguine in venis colli collecto & coagulato, ſanguinem ex venis brachiorum & pedum detrahes, & ſimul alvum inferne ſubduces, quo, quod morbum exhibet, detrahatur.* Sed quo pacto & ubi id faciendum, non omnes æque conſentiunt. Plurimi enim ſectionem venarum ſublingualium ſuadent, quam alii rejiciunt, quia ſi non fiat ſufficiens apertio, parum ſanguinis effluat, ſi vero amplum foramen, hæmorrhagia ſequatur non raro lethalis. Inter eos qui ſpernunt, potiſſimum *Tulpius lib. I. obſ. LI.* hanc ob cauſam, quoniam ſanguis eadem attrahatur ad locum per ſe anguſtum & facile ſuffocatio inducatur, ſæpius ab ipſo annotata. Alii, uti *Zacutus Luſitanus Hiſt. Med. princ. lib. I. hiſt. LXXVI. Joh. Stephanus in Hippocr. de ſtruct. hom. Trallianus & Freind in lib. epid.* ſectionem venarum jugularium externarum, præſertim in malo deſperato, ſique præſens eſt ſtrangulationis periculum, mirifice commendant. Sunt porro qui ſcarificationem dilaudant, in nucha & mento, ut *Platerus lib. II. pag.* 395. *Amatus Luſitanus Cent. III. curat. XXVIII. Zacutus Luſitanus in prax. admirand. lib. IV. quæſt. LIV.* circa laryngem *Riolanus in enchirid. anatom. lib. IV. p.* 385. Hirudinum appoſitionem pone aures atque in cervice *Capivaccius & Hollerius* malunt.

§. II.

Alvus ducenda.

Poſt ſanguinis miſſionem, præcipiente eodem *Hippocrate*, aperienda alvus, quo etiam hujus beneficio humores verſus inferiora trahantur & evacuentur. Sed his minime acriora, neque cathartica, in forma pulveris aut pilularum, ſed mitiora, & quidem liquida, conveniunt. Ut vero una, quod dicunt, fidelia duo dealbentur parietes, ac non modo ſuperflui humores detrahantur, ſed & acres ſalſi contemperentur, utiliſſimum erit, decoctum ex mannæ unciis duabus, nitri antimoniati drachma una cum dimidia & ſeri lactis unciis decem. Si autem per os nihil ingeri poteſt, enema injiciendum ex lacte, melle, oleo amygdalarum dulcium & ſale communi ac nitro.

§. III.

Temperandum & diſcutiendum.

Evacuatis ſic tam ſanguine ſuperfluo, quam humoribus impuris, opera danda, ut humor ſanguineus, vel ſeroſus, tubulis impactus, reſolvatur & diſcutiatur congruis remediis, tam internis, quam externis, & febrilis æſtus ſimul contemperetur. Hunc in finem perquam conducibilis frequens uſus mixturæ diaphoreticæ & leniter anodinæ ex aquis antiſpaſmodicis & diapnoicis, florum ſambuci, tiliæ, primulæ veris, acaciæ, galegæ, herbæ cardui benedicti, ſcordii, cum diaſcordio Fracaſtorii, antimonio diaphoretico, lapide prunellæ, aceto quoque & cancrorum lapidibus, nec non ſyrupo papaveris rhœados. Conducunt etiam potus diluentes & humectantes paullo liberalius dati, ſerum quippe lactis dulce & acidulum, cum ſucco citri & ſaccharo paratum, ptiſana ex hordeo mundo, radice ſcorzoneræ & raſura cornu cervi, cum ſyrupo acetoſitatis citri, decoctum avenaceum, ipſum lac quoque, tantundem aquæ remixtum & ſaccharo atque momento nitri conditum.

§. IV.

Externis succurrendum.

Externis præterea ancipiti huic morbo obviam eundum, non nullis quidem in oris cavo, non nullis exterius in collo atque cervice, quo his etiam dolor & æstus inflammatorius mitigetur, acrimonia humorum temperetur, &, qui in vasculorum angustiis firmius subsistunt, succi dissolvantur. Externe frequentissimi usus sunt cataplasmata ex emulsionibus, paregoricis & discutientibus, floribus sambuci, meliloti, chamomillæ vulgaris, verbasci, radice liliorum alborum, ficubus, croco, semine anisi, fœniculi, farina lini, ex lacte coctis, quibus non nulli, nidos hirundinum & stercus canis, ceu specifica, adjiciunt. Merentur hoc nomine etiam commendationem emplastra lenientia, ac mollientia, uti est diachylon simplex, aut de meliloto, malaxatum cum oleo amygdalarum dulcium, vel admixtione spermatis ceti, croci & camphoræ efficacius redditum. Intra os vero non facile suaserim gargarismata, cum injectione per syphonem, ubi magnus dolor & siccus ardor est. Sufficit os subinde colluere, congruo tepido liquore, cui concinnando serviunt, plura, rob dianucum, diamoron, syrupus granatorum dulcis, papaveris rhœados, violarum, mucilago seminis cydoniorum, cremor lactis, lapis prunellæ, quæ omnia pro circumstantiarum ratione, vel lacte, vel decocto liquiritiæ, ficuum, aut avenæ misceri possunt. Neque minus nobilis est virtus olei amygdalarum dulcis recentis, cum spermate ceti, croco & syrupo violarum, in decocto avenaceo dati & aliquamdiu in ore detenti.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

In sanguinis missione tenenda.

In angina sanguinea & corpore plethorico, omnium primo per sanguinis missionem succurrendum. Nam si in ullo morbo, certe in hoc, à præsentaneo periculo ipsius mortis liberat. Sed momentosa & præceps est juvandi occasio. Optimum auxilium ex sectione jugularium. Si vero hanc instituendi copia deficit, aperiendæ sublinguales, ita tamen, ut prius secetur brachialis. Et quando angina sanguinea accedit febri ardenti & Hungaricæ, simulque phrenitidis metus est, vires tamen imbecilles largiorem sanguinis subtractionem non ferunt, cito sublinguales tantum aperiendæ. Quando autem ab acrimonia caustica nervosis faucium & laryngis tunicis inhærente hoc vitium oritur, neque manifesta adest sanguinis redundantia, indicatur potius scarificatio in cervice & mento, vel hirudinum appositio. Ubi etiam in cacochymicis & phlegmaticis, à copia seri viscidi, fauces & externas colli partes obsidet tumor cum dolore & leni inflammatione, præferenda venæ sectioni, scarificatio, in nucha & scapulis.

§. II.

Usurpanda in angina ardente.

In usu externorum attendendum merito ad diversa inflammationis in faucibus genera, & singulis accommodata remedia sunt opponenda. Itaque in omni faucium inflammatione dolorosa & ardente, julepus rosarum cum nitro & momento camphoræ deglutitus, eximie conducit. Gelatina quoque cornu cervi rite parata, cum albumine ovi probe depurata ac succo pomorum Chinensium, nec non saccharo condita, iterato sumta, egregie levat. Si autem fauces arent, ardent, lingua tumet & respirationis æque ac deglutitionis difficultas est, linctus parandus, ex albuminis ovi in aqua quassati unciis binis, aquæ rosarum uncia, syrupi granatorum, diamoron ana uncia dimidia, salis prunellæ granis duodecim, cui, pro circumstantiarum conditione, viginti vel triginta liquoris anodyni guttæ indendæ. Tum etiam exterius collum & cervix oleo camphorato, ex oleo amygdalarum dulcium uncia, olei papaveris albi drachmis duabus & camphoræ drachma dimidia, inungendum.

§. III.

Latente symptomatica & ab acribus inducta.

In angina latente interna, valde æstuosa, solo lacte & ejus cremore, addito lapide prunellæ & syrupo papaveris rhœados, os subinde colluendum, & frequentius bibendum lactis serum. In œsophagi autem inflammatione, febribus malignis in statu haud raro superveniente, ex usu est pulvis, ex nitri drachma, camphoræ granis tribus & sacchari uncia, cum emulsione amygdalarum dulcium, & intus dandus, & exterius in ore aliquamdiu tenendus. Et ubi ab hausstis & inspiratis exhalationibus acribus metallorum, mineralium, calcis etiam vivæ & argenti vivi, suffocationis periculum accidit, nec purgantia, nec venæ sectio locum habent, sed commodissimam locant operam humectantia, demulcentia, interna & externa, lac cum nitro, cataplasmata superius descripta, nec non enemata.

§. IV.

Gargarisma ex spiritu vini.

Inflammatorius ille dolor, qui à sero salso acri in glanduloſa faucium carne, circa pharyngis & laryngis confinia, fit, cum rubore & copioso salivæ fluxu, sine febre, optime discutitur ab initio statim gargarismo ex spiritu vini Rhenani, vel Franconici. Quam præsentanea enim hujus fit virtus, difertis verbis testatur *Walæus meth. med. pag.* 112. inquiens, *angina affectus in principio sese spiritu vini gargarizet, omnis guttaris inflammatio cessabit trium horarum spatio, sive solus hunc in usum cedat, sive cum aliis remisceatur.* Et *Martianus* hanc ob causam in cynanche vera commendat actu calida. Ipse quoque novi, faucium inflammationem brevi fuisse discussam, guttulis octo vel decem spiritus vini camphorati, in quo granum nitri liquatum, lente per fauces dimissis. Quem in finem alii commendant essentiam pimpinellæ albæ, cum spiritu vini confectam.

§. V.

In decubitu seroso faciendа.

Quando magna colluvies humoris impuri serosi ad palati & faucium glandulas decumbit, crebrius usurpanda sunt leniora laxantia, mannata, rhabarbarina, tartarea & passulata. Tum etiam apprime conducit gargarisma, quod pro basi habet sal pharyngæum à *Zobelio in tartarologia* descriptum, quod præparatur ex cremoris tartari & nitri uncia, aluminis usti uncia dimidia, solutis in aceto destillato & solutione postea secundum artem coagulata. Sic quippe parati salis drachma, cum duabus drachmis mellis, in quinque unciis aquæ plantaginis solvenda & cum liquore hoc fauces tam crebro eluendæ, quam idem cum syphone subinde injiciendus.

§. VI.

§. VI.

Emplaſtrorum, gargariſmatum & injectionum uſus.

In faucium & glandularum tumoribus inflammatoriis, emplaſtra emollientia, ſupra tradita, præferuntur merito cataplaſmatibus, quibus ob plures difficultates, rarius uti ſoleo, ſed frequentius decocto ſpecierum emollientium ex lacte, veſicæ indito. De gargariſmatum vero uſu tenendum, quod cum ſyphone injecta locum non habeant: impenſiori enim attritu dolorem & inflammationem magis exaſperant. Melius igitur ac tutius, os cum liquore ad gargariſmum ſubinde eluere. Quod ſi autem & hoc propter impotentiam fieri nequit, injectio leniſſime tantum adigenda, ne irritatio ad vomitum fiat, caput quoque antrorſum inclinandum, non retrorſum, ne dilabendo ad aſperam arteriam ſuffocationem minetur, & iterato injiciendum, ſi magna muci copia inhæret. Præſtat præterea in omnibus hiſce faucium affectibus abſtinere à loquela, quia crebrior ac fortior linguæ agitatio malum exacerbat.

§. VII.

In ſuppuratione agenda.

Si tumores faucium ad ſuppurationem tendunt, eadem optime procurari poteſt caricis pinguibus ichore detentis. Et quando tonſillarum tumor inflammatorius ichore repletus, externe nihil præſtabilius deprehendi melle roſato, cum ſpiritu vitrioli remixto, & ſæpius cum penicillo admoto, quod tumorem minuit, mundat, ulteriorem affluxum impedit, & pituitam ſubſiſtentem colliquat. In aphthis infantum, quæ linguam cum dolore & ardore obſident, ad hunc mulcendum nihil utilius, quam puſtulas ſubinde illinire cremore lactis cum tantillo nitri imbuto. Interdum etiam expedit ad pituitam colliquandam & arcendum nimium affluxum applicare vitriolum album, in aqua pluviali, vel melius roſarum, aut florum ſambuci, liquatum.

§. VIII.

Recidiva cavenda.

Demum ne faucium inflammatio, quod haud raro accidit, repetat, vitanda cum cura omnia, quæ ad inducendam eam facere ſupra diximus. Potiſſimum perſpiratio cuſtodienda, ac inprimis caput, cervix & collum ab omni refrigeratione defendere ex uſu eſt, ne humores & acris per poros diffflanda materia ad interiora agantur ac in molli faucium ſubſtantia ſubſiſtant. Cavendum quoque ab omnibus, quæ ſuccos impenſius exagitant, maximeque ab impenſiori vociferatione, qua humorum affluxus ad ſuperiora allicitur. Si corpus plethoricum, tempeſtiva ſanguinis miſſio inſtituenda, & minus rite ſuccedentibus hæmorrhagiis ſpontaneis, ut eædem in ordinem redigantur, videndum. Neque minus ſubinde alvus ſubducenda, quo & impuritates expurgentur, & congeſtorius verſus ſuperiora motus intercipiatur.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Angina alvi fluxu ſoluta.

Fœmina triginta annorum, cholerica & catarrhoſis defluxionibus admodum obnoxia, levius veſtita ſurrexerat tempore autumnali è lecto ac frigidæ ſeſe auræ incautius expoſuerat. Inde nacta eſt raucedinem cum ardore & dolore gutturis, difficulter ſimul deglutire & loqui potuit, & pulſus, præſertim noctu, fuit celerior. Quum igitur menſes reſtitaſſent, miſſus primum è vena brachii ſanguis & injectum dein clyſma, ſed ſine levamine: gargariſmata vero, propter dolores, ferre non potuit. Interim gutturis tumor, tam interius, quam exterius, mirum increvit, & parum abfuit, quin ægram ſtrangularet: quinto tamen die ſubſedit tantiſper tumor, & dolor mitigatus eſt. Hinc exterius collo admotum emplaſtrum maturativum, ex emplaſtro de melilloto cum croco, cui impoſiti ſacculi calidi, ac ori inditum decoctum ex emollientibus: his maturuit tumor & noctu inſcia ægra etiam feliciter rupit. Sed illapſa procul dubio fuerat materia acris pulmonibus, & ob id ſuffocationem minari viſa eſt. Ad quam diſpellendam, aqua hyſſopi, cum eſſentia caſtorei & liquiritiæ, additis aliquot guttulis ſpiritus cornu cervi ſuccinati, infuſum quoque theiforme ex herbis pectoralibus cum aqua calida, uſurpata. Inde ſudor erupit per univerſum corpus ſimulque materia tenax viſcida, ſexies minimum quotidie, per alvi ſeceſſum ejecta, non ſine torminoſa ventris contractione. Medicus autem metuens damnoſam fore hanc diarrhœam, de ſupprimenda eadem cogitavit, & electuarium ex diatcordio *Fracaſtorii*, conſerva roſarum, pulvere hæmatitis & nuciſta dedit. Cohibitus etiam protinus alvi fluxus, ſed ſequutus ſingultus cum ardore per totum œſophagi tractum, ſputatione materiæ viſcidæ viriumque languore. Hinc alius advocatus medicus, qui pathemata hæc à perperam ſuppreſſo alvi fluxu deduxit & ob id ſuaſit pilulas ex myrrha electa, diagrydio ſulphurato, mercurio dulci, croco, caſtoreo & ſale ſuccini, cum vehiculo calido ſumendas. His non modo ſingultus ſedatus, ſed & materiæ ſeroſæ per alvum excretio revocata, cum ſummo ægræ levamine, quæ ſucceſſive poſtea ad ſanitatem rediit.

Epicriſis.

Memorabile omnino, quod faucium inflammatio, pituitoſo ac ſeroſo alvi fluxu fuerit ſoluta; quod hujus adſtrictio præpoſtera gravia induxerit pathemata, & quod hæc revertente illo exſpirarint iterum. Sed læpiſſime in inflammatoriis faucium affectibus, œſophagus, quin ipſe ventriculus, affligitur, ita, ut eadem quaſi labe eodemque vitio laborare videantur. De aphthis ſæpius notavi, quod eædem œſophagum & ventriculum obſederint: id enim factum fuiſſe, ardor, per totum œſophagi tractum uſque ad præcordia excurrens, prodidit. Tum etiam ægri ſalſa, acria & calida plane non ferre potuerunt, ſed decoctum hordei, avenaceum, raparum exſiccatarum, infuſum theiforme cum lacte, ex uſu fuerunt, hiſque aſſumtis, ardores, ſiccitates & dolores anxii circa præcordia ſublati. Viciſſim vidi, ex ventriculo, in ardentibus febribus, à venenis, aut acrioribus purgantibus inflammato, inflammationem ad fauces & laryngis muſculos fuiſſe propagatam. Hinc manet utique firmum, in faucium oriſque affectibus, præſertim ſi pituita viſcida, craſſa fuerint obſeſſæ, laxantia præſentaneam exſerere opem.

Observatio II.

Synanche curata.

Sexagenarius quidam, diu quartana detentus, hac diſcedente, catarrhis & ventriculi imbecillitati admodum fuit obnoxius. Is quum noctu aëre pluvioſo feciſſet iter, incidit in faucium difficul-

ficultatem, ut ſolida quidem, non autem liquida poſſet deglutire, ac non niſi cum magna intenſione deglutitionis, anxietate ac ſubſequente copioſa excretione phlegmatis. Interius quidem rubeſcebant non nihil fauces, ſed exterius nihil tumoris comparebat. Judicavimus igitur, epiglottidem, quæ inſtar operculi orificium aſperæ arteriæ claudit ſero mucido obſeſſam eſſe & turgidam, ut rimam ſubjectam non exacte claudat, ſed liquidum deglutitum in aſperam arteriam delabatur & anxietates ſubſequentes faciat. Quare juſſi exterius applicare ſpiritum vini camphoratum, interius os ſubinde colluere aqua florum ſambuci, mixta cum ſpiritu ſalis ammoniaci atque eſſentia croci, & quotidie uſurpare pilulas noſtras. His intra aliquot dies malum feliciter ſublatum & æger convaluit.

Epicriſis.

Proprium anginæ ſymptoma difficultas deglutiendi, tam ſolida, quam liquida. Si enim tumor paullo amplior œſophagi principium obſidet, illudque anguſtat, liquida quidem, ſed non ſolida dimittuntur. Si vero tumor hæret in principio gutturis, quod tegit epiglottis, ſolida quidem, dum comprimunt tumentem epiglottidem, tranſeunt ad œſophagum, ſed liquida minus prementia per hians à tumore ſpatium aſperæ arteriæ illabuntur, ibique magnas creant moleſtias.

Observatio III.

Angina ſæpius recidivans ſanata.

Putarant medici fœminam quandam venereo infectam eſſe contagio, eaque propter ipſi mercurialem adhibuerant ſalivationem. Hinc factum eſt, ut ipſa poſtea levi ex cauſa, ab aëre frigido & nebuloſo, ab ira, ab aſſumtis acribus cibis, à refrigeratione capitis, à turbato menſium ſucceſſu, ſæpius incurreret exquiſitum palati, nec non in faucium internis, circa pharyngem & laryngem, ardorem atque dolorem, ſine febre tamen, ſed cum reſpirationis difficultate. Accidit vero, ut dormiret in conclavi humili, noviter exſtructo & vaporibus calcis pleno, ac inde non modo capitis dolore, ſed & impenſo faucium & colli ardore atque dolore, cum inquietudine, ſpirandi anguſtia, anxietate & æſtu afficeretur. Ego vocatus ſanguinis miſſionem, ob vaſa minus turgentia omiſi, ſed tantum applicare juſſi collo cataplaſma ex farina lini, floribus ſambuci, ficubus, croco, oleo amygdalarum dulcium & lacte. Suaſi quoque ut clyſter injiceretur ex lacte, nitro, ſale communi, melle & oleo. Potui dedi lac, cum dimidia parte aquæ hordei, ſive ptiſanæ remixtum, adjecta debita quantitate nitri & ſyrupi violarum, quod copioſius hauſit & frequenter ore continuit; quibus brevi malum diſcuſſum eſt. Ad arcendam autem crebriorem recidivam, dedi conſilium, ut aquas Spadanas, vel Selteranas cum lacte per menſem & ultra biberet, & quotidie mane fauces gargariſando, vel cum aqua ſic dicta ſclopetaria, vel decocto plantaginis ex vino elueret.

Epicriſis.

Promta eſt tumoris & affectus anginoidis geneſis, quando compages fibroſa, glanduloſa & tubuloſa faucium debilitata & tono privata, quod heic factum per ſalivationem mercurialem. Quare qui ſemel, vel iterum ejuſmodi tumore laborarunt, qui non ſtatim congruis præſidiis atque regimine diſcuſſus, ex facili poſtea, per nimiam vocis intenſionem, animi affectum, vinum copioſe hauſtum ac frigido-humidum aërem admiſſum, idem malum rurſus nanciſcitur. Optime autem ejuſmodi recidivæ præcaventur, quando malum primum ſtatim recte perſanatur, penituſque tollitur, ne partibus labem inferat ægre emendandam.

Observatio IV.

Angina ob repellentium præpoſtero uſu gravis diſcuſſa.

Virum novi honeſtum, quinquagenario majorem ſanguineo-melancholicum, robuſtum, ſanguinis miſſionem nunquam paſſum, belle tamen valentem, licet cereviſiæ lupulatæ & ſpiritus ardentis potu admodum delectaretur. Sed quum gravius inter rixas cum uxore excanduiſſet, in exquiſitum capitis incidit dolorem, ſub quo arteriæ fuerunt turgidæ, facies rubicunda, oculi torvi, noctes inſomnes & arteriæ tam valide pulſarunt, ut de ſenſu mallei quaſi in capite pulſantis æger conquereretur. Hinc admotum cataplaſma ex mica panis, baccis lauri, juniperi & aceto roſaceo. Fronti etiam & temporibus ex conſilio vetulæ applicatum albumen ovi, cum alumine conquaſſatum. Sed geſtatis his aliquamdiu, conqueſtus eſt æger de inſigni dolore pungitivo faucium, deglutiendi difficultate & ſpiritu anguſto; lingua mirum intumuit, atro colore tincta, ſiccam linguam ex ore hiante exſeruit, liquida indefinenter appetiit, pulſus celer & vehemens manum vibravit & propter ſpiritum arctius meantem in erecto ſemper eſſe debuit ſitu. Ad graviſſima igitur hæc pathemata depellenda cum fructu uſurpata ſequentia. Sanguis è vena miſſus largiter; clyſter injectus acrior; cataplaſma ex ſtercore canis, hirundinum nido, ficubus, cepis toſtis, floribus ſambuci, chamomillæ, meliloti, ſemine cymini, nitro & camphora, cum aqua florum ſambuci & vino tepide collo appoſitum; interius mixtura ex aquæ florum ſambuci, roſarum ana unciis duabus, aceti deſtillati drachmis ſex, lapidum cancrorum drachma, nitri drachma dimidia, camphoræ granis quatuor in oleo amygdalarum dulcium ſolutis & ſufficienti quantitate julepi roſarum, ſæpius ad aliquot cochlearia data & potum quoque infuſum theiforme ex veronica, floribus ſambuci & radice liquiritiæ; quibus feliciter diſcuſſum ſuffocationis periculum. Poſtea laxans ex ſyrupo roſarum ſolutivo, cremore tartari, diagrydio & rhabarbaro exhibitum, quo aliquoties dejecit. Os demum frequentius elotum aqua pluviali, in qua nitri ac vitrioli parum & ſaccharum ad gratiam ſolutum. Sic brevi explicita ratione anceps hic morbus ex voto depulſus.

Epicriſis.

Attendenda merito in noſtro truculenti hujus mali geneſis. Ortum quippe duxit ex ſanguinis ad caput congeſtione; huic oppoſita exterius conſtringentia; his ſanguis ad interiora repreſſus ipſasque fauces; heic copioſe collectus cruor ſubſtitit & dolorem, tumorem, ardorem aliaque ſymptomata induxit. Albumen enim ovi cum alumine inſigni repellente & vaſa conſtringente virtute pollere, ex ipſius uſu in ophthalmia patet. Et ex conſtrictione in externis facilem ad interna eſſe tranſitum, docet vaſorum mutua com-

communicatio. Sed quum illico venæ sectione & internis æque ac externis discutientibus stasi & stagnationi obviam itum, non potuit non feliciter succedere curatio. Nam si occasio præceps captanda unquam, certe in congestionibus inflammatoriis id faciendum, quæ nisi celerrime removeantur, transitus fit in corruptionem lethiferam & sphacelosam.

CAPUT V.

De Febre Phrenetica, sive phrenitide.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Phrenitidis definitio.

NUlla inflammatio, sive particularis febris, tam magni in medicina momenti, quam quæ in parte omnium nobilissima ipsiusque animæ rationalis domicilio, cerebro, consistit, & tam omnem rationis usum evertit, quam præsentaneum vitæ periculum intentat, ac Græco nomine audit phrenitis. Est igitur hæc phrenitis febris acuta inflammatoria, orta à nimia sanguinis congestione ejusdemque intercepto, per minimas potissimum membranarum cerebri arteriolas, transitu, juncta cum magno æstu, delirio atque vitæ discrimine.

§. II.

Signa futuræ.

Signa imminentis phreneticæ affectionis sic exacte & compendiose exhibet *Trallianus lib. I. cap. XIII. phrenitidem*, inquiens, *futuram vigiliæ potissimum continuæ & intensæ somnique turbulenti præcedunt, ægri exiliunt & somniorum imaginationibus detinentur, & facile eorum, quæ dicuntur, obliviscuntur; si respondent, ferociores ac iracundiores, quam prius, apparent, pulsus habent parvos & duros atque occipitio frequentius indolescunt. Si affectus increverit, fixioribus oculis cernunt, eosque rubentes habent, nec non lacrymæ ex utrisque fluunt.* Præsentis autem indicia & pathemata omnium optime ex veteribus consignavit *Cælius Aurelianus lib. I. cap. II. pag.* 12. ita habens: *in phreneticam passionem declives sequitur febris acuta atque pulsus difficile ad superficiem corporis ascendens. sive humilior, tensior, vultus subinflatus, sive plenus, sanguinis per nares destillatio, vigiliæ juges, aut turbatus somnus & insania turbulenta, mentis sollicitudo ac pravitas sine ratione, frequens tergorum est versio jacendi, cum capitis assidua commotione aliquando etiam sine causa hilaritas, oculorum rubor, cum levi lacrymatione & circumjectio manuum, sine ullo capitis dolore, articulorum frigus, sine tremore, urinæ abundantia flavæ, aquatæ, tenuis & paullatim excluſæ; aliquibus etiam sonitus capitis atque aurium tinnitus, dolor quoque capitis non quiescens, nulla ex manifesta ratione præcordiorum tensio, visus attentus, cor frequenter palpitans.*

& præsentia.

§. III.

Causa proxima.

Omnes hæ phrenitidi junctæ functionum in corpore læsiones, pendent à nimio & impetuoso sanguinis ad caput appulsu, ejusdemque ex intercepto per minima libero transitu, stasi & per alias insolitas vias celerrima trajectione, unde distensiones fiunt vasorum cerebri & faciei, serosus humor secedit, passim obhæresçit, & cerebrum in functionibus suis, maxime rationis usui servientibus, prorsus turbatur. Ex vero enim *Hippocrates lib. de flat.* & passim alibi tradit: prudentiam & rationem hominis in constanti sanguinis habitu in cerebro, sive rectius ejusdem æquabili motu consistere, adeo, ut, hoc interturbato, concidat simul & prudentia, & ratio. Et hæc omnino ita esse veràmque phrenitidis sedem in cerebro consistere, testatum facit uberius sectio eadem defunctorum. In his quippe vasa, tam duræ matris cum sinubus suis, quam piæ meningis, mirum destituta & crasso coagulato cruore farta, ipsæ membranæ aridæ & exsiccatæ, ut pia mater facillime à cerebri cortice separari queat, reperiuntur, & præterea medulla cerebri multo seroso humore perfusa comparet. Id quod pluribus confirmant *Blancardus in anat. pract. obs. III. Schenckius lib. I. fol.*64. nec non *M.N.C. Dec. II. A.V. obs. LXII.*

§. IV.

Causæ antecedentes.

Inter antecedentes causas recte *Cælius Aurelianus l. c.* refert vinolentiam, vel vigiliam, aut jugem in sole moram, mentem natura mobilem, iracundiam, caput per literarum disciplinas debilitatum, ætatem juvenilem. Et certe ad phrenitidem disponunt omnia, quæ caput debile ac imbecillum reddunt, ut deinde in ipsius vasis facile fieri possit sanguinis & humorum mora, nec non quæ sanguinem, crassum præsertim & copiosum, ex partibus inferioribus impetuose ad caput agunt ac congerunt. Hinc observatione medico-practica constat, ad deliras ejusmodi febres admodum esse proclives, qui diuturna mœstitia, cura, studiorum & meditationum profundiorum intemperantia, mentem nimis fatigant, qui vegeti ætate, constitutione melancholico-cholerici, sæpius animo per iram aut odium moventur, desideriis vehementioribus jactantur, vigiliæ, inquietudini, crapulæ ex cerevisiis liberaliter lupulatis, vel vino dediti, qui veneri litant, sedentariæ vitæ motus & exercitationis experti indulgent, & ob pravam victus rationem, & copiosum, & impurum sanguinem in venis alunt. Hinc porro per experientiam in comperto est, à cessante consueto, vel etiam repente suppresso hæmorrhoidali fluxu, emanente quoque aut cohibito mensium, nec non in puerperis lochiorum profluvio, promtam esse, præsertim alvo simul adstricta, phreneticarum affectionum genesin. Tum enim ob stagnationes sanguinis in abdominis visceribus, in nervosis partibus spasticæ suscitantur strictura, quæ inæqualem reddunt sanguinis circuitum & faciunt, ut is cum impetu aliorsum ruat, ibidemque nimium congeratur. Demum phrenitis etiam haud raro inducitur per violentiam externam. Accidit hoc in vulneratione & contusione capitis perquam facile, inprimis plethorico-cacochymicis, nisi cito sanguinis missione & discutientibus occurratur, tumque effato *Hippocratis Sect. VII. aph. XIV.* eventus sequitur ut plurimum funestus.

§. V.

Est vel idiopathica.

Merito autem phrenitis distinguenda in idiopathicam & symptomaticam. In utraque quidem febris adest acuta, sed ea cum differentia, ut in illa præcedat, in hac vero individuus sit comes. Idiopathica in temperato nostro climate rarior, frequentior autem in calidis siccis & meridio-

ridionalibus locis, unde etiam veteres Græci medici, inprimis *Aëtius*, *Trallianus* optime & copioſe de hac paſſione in monumentis ſuis diſſeruerunt. Dantur tamen ſubinde etiam inter nos exempla phreneticæ febris, ſine præcedente alia, potiſſimum à nimia crapula, continua animi iracundia & cerebri per profundas continuas meditationes & vigilias fatigationes, imbecillitate, in ſanguineo vel etiam cholerico-melancholicis hominibus & vitæ ſedentariæ addictis, hypochondriacis, vel hæmorrhoidariis, præſertim ſi fluxus imprudenter cohibetur. Sed de hac recte omnino, confirmante id ipſius experientiæ ſuffragio, tradit *Williſius in pathol. cerebr. cap. X. pag.* 234. quod, niſi cito & opportunis remediis diſcutiatur, quam facile in maniam, ſive delirium furioſum tranſeat. Neque etiam infrequens eſt idiopathica ejuſmodi & in maniam degenerans phreneſis, poſt ſuperatas febres ardentes, item purpuratas, exanthematicas & catarrhales, male tractatas, per nimis æſtuoſum regimen, per medicamenta volatilia, ſanguinem commoventia, opiata etiam, aut repellentia nimis, refrigerantia, nec non incongruas venæ ſectiones. Id quod eo certius & vehementius fit, quando æger ad iram levi ex cauſa promtus eſt ac facilis.

§. VI.

Vel ſymptomatica. Frequentior tamen apud nos ſymptomatica: ſæpius enim evenit, ut in febribus malignis & exanthematicis acutis, petechiis, variolis, catarrhalibus malignis, potiſſimum caſtrenſibus & omnium maxime Hungarico morbo, præſertim male tractatis, phrenitis accedat in ſtatu & mortem inferat. Scilicet ſupervenire ſolet circa dies criticos, cum rigore, tremore artuum, præcordiorum tenſione, externorum refrigerio & urina tenui, vel parcius, vel effuſe nimis fluente. Sed quia ob morbum præcedentem & diuturnas vigilias fractæ jam fere penitus vires & tonus quoque vaſorum membranarum cerebri nimium labefactatus, ſtaſes fiunt in iiſdem ex ſanguine irreſolubiles, quas tertio plerumque die mors excipit.

§. VII.

Differt à mania. Licet autem phrenitis ſæpius in maniam tranſeat, veterum etiam, *Hippocratis*, *Cælii Aurelianı* & *Aretæi* teſtimonio, qui illam ob id cum hac plerumque conjungunt, vel plane confundunt; ambo tamen multum diſcrepant. In phrenitide enim ſemper adeſt febris, cum pulſu celeri, duro ac parvo, delirium quoque non intermittens prorſus, ſed tantùm ſubinde remittens, quo tempore oblivio eſt omnium, quæ ſub delirio contigerunt. Sed mania chronica eſt paſſio, ſine febre acuta, licet cum pulſu præternaturali, duro & inæquali, quandoque parvo, quandoque magno & celeri. Habet quoque maniacus furor ſua intervalla, junctus eſt ordinario cum magno faſtu, ira & odio adverſus amicos atque propinquos, & paroxyſmo ceſſante, exquiſitam ut plurimum memoriam omnium, quæ anteacta habent maniaci. Deinceps phrenitis etiam differt à leviori illa mentis alienatione, quæ in acutis febribus, ante expulſionem criticam exanthematum non raro obſervatur. Nam hæc facilius tranſit, neque etiam urinas tenues aquoſas, vel rigorem & refrigerationem partium externarum habet comitem. Neque minus, quandoque poſt declinationem febris acutæ, obſervatur per aliquot dies, aut hebdomades, quædam deſipientia *à levi delirio in acutis.* & mentis inconſtantia, à phreneſi diverſa, quæ propter ſummam virium & cerebri ex perpeſſo morbo debilitatem oritur, & redeuntibus viribus, vel ſponte ceſſat, vel congruis præſidiis facile iterum penitus diſcutitur.

CURATIO.

§. I.

Curatio quibus perficienda. Quum gravia illa & exitialia pathemata, quæ phrenitidi juncta, à meningum inflammatione, ceu cauſa proxima dependeant; prima utique & princeps medentis eſſe debet intentio, ut hæc in præſervatione arceatur & in curatione removeatur. Hujus autem cauſa quum ſit ſanguinis in vaſculis meningum alibi ſtaſis, alibi cum dolore, tenſione ſpaſtica & ardore, celerrima trajectio: ipſa certe ſana ratio dictitat: ea remedia, quæ effrenem ſanguinis impetum ad caput ſiſtunt, ibi congeſtum derivant, ſubſiſtentem expediunt, atque diſcutiunt, & meninges ſpaſmo conſtrictas relaxant, omnium eſſe, ut ita loqui liceat, indicatiſſima.

§. II.

Sanguis mittendus. Jam in phrenitide, & curanda, & præſervanda, principem merito locum obtinet, communi veterum & recentiorum omnium conſenſu, ſanguinis miſſio; quam etiam circa affectam partem inſtituere præcipiunt omnes. *Tralliano* olim & Arabibus frequens jugularis venæ ſectio, quæ noſtris temporibus perperam exolevit. Nam per experientiam in comperto eſt, hanc in omnibus capitis à ſanguine congeſto & ſtagnante oriundis paſſionibus, aliarum venarum inciſioni longe multumque eſſe anteferendam; eo quod hæc vena jugularis externa, cum interna, ex arteriis carotidibus & vertebralibus cerebri proxime ſanguinem derivat atque deducit. Nec difficilis adeo & periculoſa, ut vulgo putatur hujus venæ inciſio, ſed conſtricto tantiſper faſcia commoda, ut turgeat vena, collo, facili negotio inſtituenda. Deinceps magni æſtimatur à medicis in hoc & aliis capitis morbis venarum ſublingualium ſectio. Inprimis *Ammannus in paræn.* fatetur: ex militibus qui anno MDCLXIV. ab expeditione Hungarica redierunt, & in noſocomio morbo Hungarico laborarunt, evaſiſſe omnes, quibus tempeſtive raninæ venæ pertuſæ, quibus non, eſſe mortuos. Atque ego etiam novi, eandem utiliſſimam fuiſſe ad præſcindendum imminens in febribus acutis delirium, quinto, vel ſexto die, ſana adhuc mente, inſtitutam. Sed difficulter admodum perficitur, ſi delirium jam adeſt, ac præterea ex foramine nimis amplo, ob ſanguinis ad caput impetum, hæmorrhagia metuenda funeſta, ex juſto minori parum ſanguinis fluit, & dato ibi ſpatio, fluxus potius ad cerebrum allicitur. Alii commendant venæ frontalis, conſtricto prius collo, inciſionem, eademque potiſſimum *Trallianus* ſe magna phrenitide correptum ſanaſſe, teſtatur. Nonnulli præferunt arteriotomiam in temporibus, quos inter eſt *Panarolus*, qui *pentec. I. obſ. XIX. pag.* 18. teſtis eſt: ſe ſe arteriotomiam in phrenitide magna cum felicitate expertum, ut ipſa vexati ſtatim reſipuerint. *Cælius Aurelianus* ſcarificationem in toto capite prius raſo in uſum habuit. Longe magis tamen probandus Ægyptiorum mos nares ſcarificandi, cujus vices, deficiente commodo inſtrumento ſupplet experimentum, quo culmo ſtraminis, aut bacillo exili

exili acuto, in nares validius truſo, ſanguinis proritatur ſtillicidium, quod ego quidem cum præſentaneo commodo aliquoties factum eſſe vidi. Et hi in conſini affectæ parte mittendi ſanguinem modi, tam in phrenitide idiopathica, quam ſymptomatica locum inveniunt. Sed quando ex lochiis, nec non menſibus retentis, aut ſuppreſſis, malum hoc metuendum eſt, cito in pede vena aperienda & ſanguis largius emittendus. Neque minus, ſi ex vitiato, aut intercepto hæmorrhoidalis fluxus ſucceſſu, delirium imminet, optimum levamen ex apertione venarum hæmorrhoidalium, per appoſitionem hirudinum, exſpectandum.

§. III.

Alvus ducenda.

Poſt ſanguinis evacuationem alvus ducenda, qua adſtricta, ad ſupernas partes, & qua ſoluta, ad infernas, humorum convertitur affluxus. Scite autem *Hippocrates lib. III. de morb.* §. *IX.* monet: in curatione phrenitidis alvum eſſe præparandam, ut egerat, humectantibus potionibus, quæ tunicas inteſtinales ſpaſmo conſtrictas relaxant, quia primarum viarum ſpaſmus frequens deliriorum eſt cauſa. Ego inſtar omnium hunc in finem commendo potiones mannatas, ex mannæ minimum unciis quatuor, ſolutis in libra ſeri lactis, cum cremoris tartari drachma, nitri drachma dimidia, & olei amygdalarum dulcium uncia una. *Baglivius lib. I. prax.* pulverem Cornachinum commendat, ita *pag.* 102. ſcribens: *quum pluries obſervatum fuit, alvi fluxu ſolutum fuiſſe delirium, ideo natura id docente, proficuum non ſemel expertus ſum pulverem Cornachini, ſuperbibendo ei longa diluentia, ex decocto hordei limati, ſalis prunellæ aliiſque dulcificantibus, præcipue, ſi nimius viſcerum ardor adſit & interna inflammatio.* Si vero celeri opus eſt auxilio, alvus leniente & paregorico domeſtico enemate eſt ſolvenda.

§. IV.

Humectandum & diſcutiendum.

Ex internis porro adverſus phrenitidem præſidiis, ſunt maxime potiones diluentes, demulcentes & humectantes, largiſſima copia datæ, modo, quod rarius fieri ſolet, ut innuit *Aretæus*, phrenetici ſitiant. Inſtar omnium eſt potus ex ſero lactis dulci, vel acidulato, cum ſucco citri parato & julepo roſarum, vel ſyrupo papaveris albi edulcorato, in cujus menſura cum fructu diſſolvitur drachma una nitri depurati, vel ſalis prunellæ. Utiles quoque emulſiones ex decocto hordei, raſuræ cornu cervi & ſeminibus quatuor frigidis, cum julepo roſarum, præſertim quando menſuræ duo nitri ſcrupuli adjiciuntur. Non minus confert lac cum acidulis Selteranis, vel Antonianis remixtum, item ptiſana. Qui potus omnes quo largius bibentur, eo plus efficaciæ in diluendis humoribus, relaxandis conſtrictis tubulis, expediendis obſtructionibus & extinguendo æſtu præſtabunt. Ex medicamentis autem mixtura diaphoretica & diſcutiens, capite antecedente deſcripta, uti in omnibus inflammationibus, ſic etiam phrenitide, effectum exſerit longe ſaluberrimum.

§. V.

Externa uſurpanda.

Inter externa, quæ caput ab humorum affluxu liberant connumeranda pediluvia, vel involutiones pedum in lintea humida calefacta, & quæ omnium optima, balnea aquæ dulcis temperata. Horum inſignem utilitatem quotidiana uberius confirmat experientia & locuples inprimis teſtis eſt *Trallianus*, qui *lib. I.* ita diſſerit: *lavare eos & perungere convenit, quibus jam vacuatio facta eſt & quantitas totum corpus non offendit; verum ſiccitas & vigiliæ plurimæ urgent. Et ſi febricitet æger, nihil nocebit ei, ſi ita lavetur, præcipue etiam, cum balneum tepidum adhibitum fuerit, ut neque aër ſit igneus, neque ſolium nimis calidum. Qui autem febris metu eos non lavant; maxime offendunt. Nam ægri vigiliis magis torquentur balnei abſtinentia, adhuc magis etiam animo turbantur. Lavandi igitur ſunt, quemadmodum comprehenſum eſt. Sic enim balneo utentes; ad bonam temperiem revertuntur, & in poſterum delirio & affectu febrem accendente, liberantur.* Dein veteres, ac inter hos potiſſimum *Trallianus* & *Aretæus*, poſt ſanguinis & alvi vacuationem, caput oxyrrhodino, ex aceto roſaceo compoſito fovebant, ne, uti loquuntur, caput liberalius attraheret humores iiſdemque repleretur. Nec male. Interim nos ſummo cum fructu, in omni delirio, caput totum raſum fovere ſuaſimus, temperato hoc epithemate: recipe aceti roſacci uncias duas, ſpiritus roſarum, in quo decem grana camphoræ ſoluta, drachmas duas, nitri puri ſcrupulos duos, olei ligni Rhodii guttas XX. M. D.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Regimen phreneticorum.

Quam modo tradidimus phrenitidis medicationem, tam in ſymptomatica, quam idiopathica, & præſertim illa inveterata, quæ in maniacum affectum tranſire videtur, quam maxime eſſe accommodatam, expertus ſcribo, nec quicquam præterea vix poteſt excogitari, ſed opus eſt, ut aliquamdiu horum uſui inſiſtatur. Quæ autem in regimine phreneticorum ſervanda, egregie tradit ſæpe laudatus *Trallianus lib. I. pag.* 50. ſic præcipiens: *conſiderari debet etiam habitatio, in qua degit æger, ut aërem nec admodum craſſum; neque humidum frigidumque, aut nimis calidum habeat, ne capiti meatuum denſatio, aut repletio ſuperveniat, ſed temperatus exiſtat, quo animalis ſpiritus temperie ipſius refocilletur ac relaxetur. Sit autem magis lucidus, quam tenebroſus, ut æger per hujus ſenſum ad conſuetorum perceptionem ac conſcientiam perveniat. Quare & amici non nulli admodum familiares ei aſſiſtant, ut etiam increpantes ipſum propter ea, quæ facit, revereatur. Neque vero domeſticus, aut cognatus, cujus cauſa aliquando triſtetur, aut cui iraſcatur, ingredi debet, quippe hoc irritare ægros & commovere ſolet: & ut valde perturbentur, manifeſtam præbet occaſionem. Sed nec amici frequentes & copioſi ad eum ingrediantur; quippe turbam ei tantum excitant, præterea aërem quoque craſſum efficiunt, frigidos emittentes ſpiritus. Jam non vociferanter movendus eſt, ſed leniter, ne in lecto propter imbecillitatem concutiatur. Hoc enim, ſi quid aliud, ægrum irritat & ſomnum impedit, ii vero, qui adſunt, omnia ipſius membra citra violentiam teneant, leniterque perfricent, & præſertim inferiora: atque tunc magis, ubi convulſiones ægro oboriuntur, artus vinculis excipiantur. Quippe hoc materiam ad inferna provocat, præterea convulſiones lenit. Satius autem eſt inferiora quoque, ubi perfricata fuerint, fovere atque ſic deligare; ut materia, quæ fotu ſimul & fricatione accita fuerit, ad ima potius derivari poſſit.*

§. II.

De sanguinis missione tenenda.

De venæ sectione tamen, hæc adhuc tenenda: quod si, ut sæpissime fit, phrenetici eam admittere prorsus renuunt, ego nil præsentius & factu facilius novi, quam ut ex improviso calamus, aut culmus stramineus valide in narium cavum adigatur: sic enim sanguis sæpius illico liberaliter & cum commodo evocatur. Ad venæ frontalis autem incisionem, si idiopatica & chronica est passio, non prius accedendum, præsertim in corpore plethorico, quam aperta prius brachii, vel pedis vena, ne impetus ad caput crescat. Cavendum etiam sub hac operatione, ne instrumentum adhibeatur acutius, venam perfodiens & pericranium cum detrimento lædatur.

§. III.

Phrenitidis ex suppressis hæmorrhagiis & materiâ acri cura.

Quæ etiam ex mensium, vel hæmorrhoidum vitio & oriundis inde vehementibus spasmis pullulat phrenetica passio, optime levatur balneis, mineralium aquarum potu & appositione hirudinum ad venas ani, vel uteri, adhibito simul congruo victu atque regimine. Novi enim, phrenitidem diu durantem, erumpente mensium, vel hæmorrhoidum fluxu, feliciter fuisse discussam. Sed quando phreneticum malum non tam à sanguinis in vasis cerebri congesti copia pullulat, quam potius à materia subtili, acri, virulenta, vel repulsa ab externis, uti in exanthematicis, vel per calidiora & volatilia nimium exaltata, quæ firmiter nervosæ duræ matri impacta spasmos concitat, liberum sanguinis transitum & ad cor recursum intercipientes, præter venarum, quæ capiti propinquæ, sectionem, expedit calvariæ rasæ partes & viscera ex animantibus recenter mactatis adhuc calentia, ut pulmones, hepar & omentum, admovere, & quando refrixerint, calidæ eadem immergere, quo iterum calefiant.

§. IV.

Item plicæ Polonicæ.

In Polonia frequens est delirium phreneticum, melancholicum & maniacum ob latentem plicam, hacque erumpente insania cessat. Hinc optimum consilium plicæ egressum elicere, quem in finem usurpare sueścunt decoctum ex musci clavati manipulis binis, in duabus aquæ mensuris decoctis. Quo dum bis quotidie caput & crines abluunt, intra hebdomadis decursum prodire solent cirri, delirium discutientes. Non raro etiam abscissam plicam sequitur crudelis capitis dolor, quem excipit phreneticus furor cum febre ipsaque mania, quæ tamen usu decocti, vel linimenti ex musco clavato in *M. N. C. Dec. I. Ann. II. obs. LIV.* descripti, plicam revocantis, promte iterum abigitur.

§. V.

Absint commoventia.

Cavendum autem, sicut in omnibus inflammationibus, sic etiam in phrenitide ab acribus & commoventibus, liquoribus spirituosis, à motu animi & corporis fortiori, immo ab omnibus, medicamenta sint, sive alimenta, quæ sanguinem in præternaturalem motum ciere valent. Inprimis nullo modo ad iram irritandi ægri & ob id arcendi ab iis, à quibus læsi & quos ferre nequeunt, domestici sint, sive alieni. Opiata & narcotica absint penitus, præsertim ubi vires jam imbecilles. His enim delira quandoque in febribus induci testatur experientia. Perite hinc monet *Trallianus l. c. si vires*, inquiens, *imbecilles fuerint, tunc maxime vitabis, ne quid torpori som-*

Narcotica

noque inducendo incommodum exhibeas. Nam in his, qui infirmas vires habent, non mediocris noxa talium potionem comitatur. Vesicantia etiam, non nullis solemnia in phrenitide improbo. Nam cantharides acri, quo pollent, stimulo strictas jam & tensas spasmo membranas irritando, delirium augent, & convulsionem facile accersunt. Testatur id diserte *Baglivus, lib. I. prax. pag.* 102. ita scribens: *in aëre Romano, per adhibita viris vesicantia plures vidimus mortuos, ac sanatos. Proficere autem magis fœminis, quam viris, vidimus.* Et paullo post sic pergit: *delirantibus cum febre acuta, lingua arida, indiciis magnæ viscerum inflammationis, si applicentur vesicantia, omnes fere in pejus ruunt, & magna ex parte moriuntur convulsi.*

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Phreni ex cohi critico fluxu.

Laborabat ardente febre cum intolerando ferme capitis dolore, quadragenarius quidam, cui sexto die accedebat alvi fluxus, quem medicus detrimentosum esse putans, pulvere ex bolo Armena, hæmatite & laudano opiato composuit. Cohibito hoc, dolor capitis gravior factus, & poto præterea vino, cui essentia ambræ instillata, maximæ præcordiorum anxietates subsequutæ, fauces cum œsophago inflammatione affectæ, magnaque colluvies viscidæ mucosæ materiæ in oris cavo collecta. Successit etiam delirium furiosum, tam vehemens, ut æger vix à quatuor robustissimis viris in lecto contineri posset. Adversus hoc multa quidem & varia adhibita præsidia, vena in pede pertusa, admota epithemata, appositus calens vituli pulmo, sed omnia incassum, perstitit potius per quinque dies delirium non interruptum, donec decimo quarto, à primo morbi insultu, die mors vitæ faceret finem.

Epicrisis.

Nihil profecto pernicioſius, quam in ardente biliosa febre, ex colluvie acrium biliosorum prima in regione succorum oriunda, alvi fluxum, tempore præsertim critico erumpentem, imprudenter sistere. Neque enim hoc facto fieri potest aliter, quam ut materia biliosa retenta, vel inflammationes in ventriculo & intestinis, vel etiam in capite, uti heic factum, suscitet. Id quod tanto certius accidit, quia à medico temerarie vini usus concessus, qui nunquam, ubi metus inflammationis in primis viis, etiam in parca quantitate, admittendus. Accessit etiam delirium furibundum alvo suppressa, quia ex spastica primarum viarum constrictione, sanguis cum impetu ruit ad caput, ibique congestus, dolores primum, ac postea, ob meningum inflammationem, delirium, peperit. Atque adeo patescit, imprudentem medicationem, frequentissime atrocium non modo pathematum, sed & ipsius mortis esse causſam, tum maxime, quando eædem criticæ humoris peccantis excretiones supprimuntur, & materia nocens in corpore retinetur.

Observatio II.

Phrenitis in lentam & hecticam concedens.

In puerpera tenera, ad iracundiam prona, cereviſiæ & vini potui assueta, restitarat penitus post partum lochiorum fluxus, cum virium ingenti debilitate, ardore, præcordiorum anxietate & spirandi anguſtia. Medici igitur ad provocandum

dum ſanguinis profluvium pulverem ex myrrha, flavedine corticum aurantiorum, lapidibus cancrorum, ſuccino & oleo cinnamomi propinarunt, ac præterea ſal volatile cornu cervi, in aqua cinnamomi ſolutum, dederunt. Sed his nihil aliud effectum, quam ut anxietates præcordiorum ingraveſcerent, urina ſupprimeretur & alvus dura ac tenſa plane nihil dimitteret. Quin poſt ſex dierum pervigilium, oculi fulgidi & facies rubicunda delirium nunciarunt, quod etiam paullo poſt, tanto cum furore ſucceſſit, ut ægra è lecto ſurgens in plateam excurreret, nullumque frigoris ſenſum experiretur, ſed potius in extremis intenſe caleret, licet hyems tum regnaret algidiſſima. Accitus hinc alius medicus, qui venam in pede pertundere juſſit, interius dedit in emulſione ſeminis papaveris albi pulverem ex nitri drachma, camphoræ, theriacæ cœleſtis ana granis ſex, in quatuor doſes diviſum & exterius temporibus admovit epithema noſtrum cephalicum. His ægræ placidus ſomnus conciliatus, cum ſudore largo, ex quo expergefacta, de languore & debilitate maxima eſt conqueſta; ſudor autem ille per totam hebdomadem manavit, ſub quo ipſi liberali manu potui datum decoctum cornu cervi cum ſucco citri. Sic periculoſum hunc morbum evaſit quidem, ſed remanſit lenta febris poſt puerperium, quæ inordinato victu ſuſtentata & adaucta, tandem degeneravit in hecticam, quæ circa æquinoctium autumnale attulit mortem.

Epicriſis.

Peccant communiter medici, quando lochiorum fluxum imminutum, vel penitus emanentem, calidioribus & pellentibus urgent, quæ majorem orgaſmum ſanguini inducendo, anxietates augent alvumque ſiccant. Tum potius, in exquiſitioris præſertim ſenſus corporibus, antiſpaſmodica & ſanguinis æſtum temperantia, nitrum & caſtoreum, ex uſu ſunt, & longe felicius reſtitantem fluxum revocant. In noſtra maturius mittendus fuiſſet ſanguis, quod præſidium ex optimis in puerperis lochiis deſtitutis, ad præſcindenda pathemata graviſſima. Neque dubitandum, quod neglecta venæ ſectione, ſanguis, ob ſpaſmum interiorum, ex urinæ & alvi ſuppreſſione cognoſcendum, ſit ad caput delatus cum impetu, ibique induxerit phrenitidem, quæ deinde aliis convenientibus auxiliis, venæ ſectione, nitroſis & internis æque ac externis diſcutientibus, depulſa, felicem finem per magnum criticum ſudorem nacta eſt. Quod autem remanſerit lenta febris, id non infrequens in puerperis, præſertim inordinato & incongruo victui indulgentibus. Nam naturæ robore per puerperium & morbum fracto, ventriculus etiam debilis eſt, ut poſtea ingeſta non rite digerat & comminuat, ſed cruditates gignantur multæ noxiæ, lentis febribus anſam & cauſam præbentes.

Observatio III.

Phrenitis ex calidioribus lethalis.

Sub initium hujus anni, in febrem nobis aliquamdiu epidemicam, ſynocham catarrhalem, cum animi deliquio, horrore, æſtu & catarrhis, incidit vir probus & profundæ eruditionis, muneri eccleſiaſtico haud ita pridem præfectus. Medicus vocatus, ad malignitatem arcendam crebrius exhibuit mixturam ſimplicem & tincturam bezoardicam, juſſit quoque, ut æger in lecto & conclavi calido detineretur, ac ipſi nihil aliud potui præberetur, quam infuſum calidum herbæ thée. Quinto die apparuere in cute exanthemata: hinc continuata eadem remedia, additum oleum bezoardicum *Wedelii* & interpoſiti quoque pulveres nitroſi. Ægrum vero à primo morbi initio afflixerunt vigiliæ aſſiduæ, ſitis intenſa, corpus ſudore diffluit, jactatum anxietate perpetua ac inquietudine, eademque pathemata perſtiterunt jugiter, licet purpura eſſet expulſa, firmamque in cute ſervaret ſtationem. Nono die data à medico ad quietem conciliandam medicina, opii contagium haud obſcure prodens; perſtiterunt tamen anxietates & corporis jactationes, & æger ſubinde delirare viſus, abſurda non nulla loquutus. Accidit poſtea, ut, neſcio cur, vehementius animo commoveretur æger, quo in furorem per intervalla delirium erupit. Ad quod componendum medicus alius accerſitus undecimo morbi die venam ſecare juſſit, emiſſis decem circiter ſanguinis unciis. Inde primum quidem ſomnus inductus, ſed poſt hunc plane furere cœpit æger, ut vix ab aliquot viris in lecto contineri poſſet, omnia diſcerperet & domeſticos, parentes atque agnatos, diris verbis, quin verberibus exciperet, donec vigeſimo primo die mors miſeriarum faceret finem.

Epicriſis.

Pervenit ad nos triſtis hæc hiſtoria, eo ipſo tempore, quo hæc de phrenitide tractatio typis exſcribebatur, quam non levibus cauſis inducti heic inſerendam duximus. Luculentum autem præbet exemplum, quomodo ex præpoſtera medicatione, regimine nimis æſtuoſo externo & internis calefacientibus, exanthematica alias benignæ indolis materia, malignam & ſubtilem in intima membranarum cerebri penetrantem induere poſſit naturam, ad delirium atrox, maniæ tantum non æquale, inducendum; præſertim ubi cerebrum jam tum imbecille. Dictum igitur hoc ſibi putent, juniores inprimis medicinæ practici, ne unquam in exanthematicis, etiam purpura, calido regimine & calefacientibus pharmacis, ſuos excipiant, vires peſſundent, morbum exaſperent & truculenta inducant pathemata. Deinceps venæ ſectio undecimo morbi die largior, levamen afferre potuit nullum, ut potius, uti ſubinde obſervavimus, detrimento fuerit. Nam in principio quidem, ſi vires adhuc valent & corpus ſanguine redundat, tutiſſimum & efficaciſſimum præſidium eſt utique; ſed ubi vires ob morbum, vigilias & præpoſterum calidum regimen calidaque pharmaca exhauſtæ ſunt; rejicienda largior ſubtractio, quippe quæ vires longe magis proſternit, ad vincendam morbi cauſam tamen neceſſarias. Recte ob id monet *Sydenham in opp.* phreneticis & maniacis, plus interdum ſuccurrendum eſſe analepticis, quam ſanguinis miſſione. Quod ſi tamen ſanguis in cerebri vaſis ſubſiſtens ventilationem poſcit, ſatius eſt, ut eidem proxime per nares procuretur exitus, eo quod ex anatomicis notum eſt, quod internæ carotidis ramus per os cribriforme, una cum nervo olfactorio, ad pituitariam narium tunicam fertur. Hinc ego ſæpius cum fructu, ad phrenitidem arcendam, ſtilo in nares provide, ſed alte intruſo, ſtillicidium elicere juſſi.

Observatio IV.

Delirium poſt phrenitidem ſanatum.

Virgo tenera & in iram prona, ſeptendecim annorum, à parciori menſium fluxu febrem incurrit pleuriticam, cui acceſſit phrenitica. Libe-

rata tamen à mortis periculo liberali narium ſtillicidio; ſed reſtitit poſtea mentis alienatio & phantaſia corrupta, ut interdum angore ac mœrore afficeretur, interdum furore percieretur, cum crebris tenſivis artuum tractionibus. Ego in conſilium vocatus ſuaſi Selteranarum cum lacte potum ad menſem cum balneo aquæ dulcis. Peracta hac cura, pro potu dedi decoctum hordei amygdalatum, cum nitro & ſaccharo conditum, quod largiter bibit. His non modo mens ad conſtantiam & ſanitatem, ſed & menſium fluxus in ordinem redactus, ac intra ſemeſtre ſpatium perfectæ reddita eſt ſanitati.

Epicriſis.

Dici vix poteſt, quam ſpectatæ virtutis in cerebri & nervorum gravibus affectibus, tam convulſivis, quam cum inſania junctis, ſit diluentium & humectantium uſus: his enim humores fluxiles redduntur, obſtructiones expediuntur, acres ſucci diluuntur, ac temperantur, ſpaſmo criſpatæ fibræ remittuntur, & inſigne imbecillis partibus adjicitur robur. Quo nomine, ego quidem, inprimis celebro balneum aquæ dulcis & lac, ſi obtinendum, optime aſininum, cum aquis mineralibus temperatioribus, alcalino ſale fœtis, quales ſunt maxime Selteranæ.

Observatio V.

Phrenitis ex ira in chronicam inſaniam mutata curata.

Adoleſcens quindecim annorum, litterarum ſtudia intemperantius tractans, iracundus & cum ſodalibus inter perpetua jurgia verſans, aliquanto durius à parente verberibus paullo poſt cibum fuerat exceptus. Ex eo male habuit, parum appetiit, minus dormivit, ſomno inſomniis terrificis interturbato, donec poſt ſeptimum diem in phreneticam pathemata erumperent febrem, cum motibus artuum convulſivis, qui per intervalla gravius afflixerunt. In paroxyſmo vehementiſſime vociferabat, maledicta in omnes eructabat, cædebat & diſcerpebat obvia. Licet etiam ſomnum ad aliquot horas caperet, ut videbatur placidum, delirium tamen manebat idem. Comparuerunt poſtea non nullæ puſtulæ rubicundæ in dorſo ac pectore, urinæ ſeceſſerunt tenues ſine ſedimento, & pulſus durus ſemper fuit, celer & inæqualis. In hoc tam gravi morbo, æger præter ptiſanam, cum lacte, ſyrupo roſarum & nitro, bibit nihil, ſed largiter, tam ſalubri effectu, ut gravia ſymptomata cum febre diſcederent. Non tamen perfecte mentis morbus ſublatus, ſed inceſſit animum odium erga propinquos & præpoſitos, levi ex cauſſa vehementiſſime excanduit, ut tremeret, faſtus fuit inſolens & domeſticos cibos plane reſpuit. Hinc datum conſilium, ut Schwalbacenſes aquas biberet, per menſem, & poſtea per quatuordecim dies balneo uteretur ex aquis Schlangenbadenſibus, quod etiam tam feliciter ceſſit, ut ſanus, & corpore, & animo, domum rediret. Ut autem integritas hæc ſervaretur, ſuaſu medici abſtinuit poſtea à cereviſia gravi lupulata, ac ptiſanam ex hordeo cum radice ſcorzoneræ loco ordinarii potus bibit, mane etiam uſus infuſo theiformi cum lacte, cui ſubinde nitrum inditum.

Epicriſis.

Quam noxia poſt cibum ſit ira, ex his uberius patet. Ac uti verum omnino eſt tritum: ira furor brevis, ſic etiam in diſpoſitis ira in febrem facile degenerare poteſt furibundam. Patet dein, quam utilis ſit humectantium & diluentium potus, ut recte adhibitus, curationis punctum abſolvat fere omne. Porro notandum, ad abigendam inſaniam, multum conferre itinera, ob loci, aëris & perſonarum inviſarum mutationem corporiſque motum. Multum vero etiam præſtat, recte jam notante *Hippocrate*, ætatis mutatio, ut ſponte ſæpe, poſt vigeſimum primum ætatis annum, ejuſmodi capitis morbi diſcedant.

CAPUT VI.

De Febribus Pneumonicis, ſive Pleuritide & Peripneumonia.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Deſcriptio pneumonicæ febris.

Pneumonica febris eſt acuta inflammatoria, orta à ſtaſi ſanguinis intra ſanguifera vaſcula pulmonum, vel etiam venæ azygos ramulos in pleura, juncta cum acuto & pungitivo dolore lateris, ſpirandi difficultate, æſtu immodico, pulſu duro & frequenti, tuſſi ſicca, vel etiam humida, quandoque cruenta, periculi nunquam expers.

§. II.

Differt ratione loci inflammati.

Nulla febris inflammatoria eſt, quæ omnis ætatis, ſexus & temperamenti hominibus, in frigidis, æque ac calidis, & temperatis regionibus degentibus, adeo infeſta eſt, & quæ etiam ſimul plures ob aëris inæqualitatem & intemperiem epidemice corripit, quam quæ in thorace fit, ſive in ipſis pulmonibus, ſive in muſculis intercoſtalibus, tam internis, quam externis, pleura nervoſa interius cinctis. Prout autem inflammatio in thorace partibus inſidet diverſis, varia non modo accipit nomina, ſed & ſymptomatibus, eventu & curandi ratione, plurimum differt. Veteres quidem, accurata anatomica partium cognitione deſtituti, ſubjectum pleuritidis & peripneumoniæ eſſe putarunt pleuram, ob id omnem fere thoracis inflammationem dixerunt pleuritidem. *Hippocrates* tamen diſtinctionem jam fecit inter pleuritidem & peripneumoniam. Quo forſan omnes fere priſci & medii ævi, quin ſuperiori adhuc ſæculo medici, inducti, ut in peripneumonia pulmones, in pleuritide autem vera hos plane non, ſed tantum pleuram cum muſculis, quos ſuccingit, affici, aſſeruerint. Falſum autem eſſe hoc aſſertum, & pleuriticum malum omnino etiam in pulmonibus conſiſtere, pluribus & momentoſis rationibus docui *in diſſertatione de pleuritide & peripneumonia*. Validiſſimum enim eſt argumentum ex ſectione pleuriticorum, quam *Petrus Servius* teſte *Welſchio Dec. I. curat. IV.* Romæ in noſodochio ad S. Spiritum, vel in trecentis inſtituit, & ſemper lobum pulmonis infectum materiaque repletum conſpexit, pleura aut nihil omnino ad ſenſum vitiata, aut leviter tantum quodammodo inquinata. Hinc, mea quidem ſententia, ita ſedes diverſa inflammationis in thorace determinanda, ut ſi externas tantummodo partes occupet, emergat pleuritis ſpuria, ſi membranoſæ pulmonalis ſubſtantiæ ſuperficiem, inſtar eryſipelatis prehendat,

hendat, pleuritis sit vera, & ubi altius in ipsam pulmonum substantiam descendat, gravior sit atque profundior, peripneumoniam excludat.

§. III.

Signa pleuritidis spuriæ.

Hæ igitur inter se dissidentes inflammationum in thorace species probe sunt discernendæ à medico, per notas quasdam essentiales & characteristicas, jam sigillatim commemorandas. In pleuritide quippe spuria dolor est valde acutus & pungitivus lateris, qui etiam tactu augetur, decubitus in latere affecto difficilis, tussis sicca, sine ejectione materiæ pituitosæ, vel cruentæ, dolorem tamen, si valida est, exacerbans: juncta etiam simul est febris, cum pulsu subduro, depresso & frequente. Causam deinceps ipsi præbet, non tam sanguinis, quam potius seri acris stasis, in finibus arteriolarum & venularum azygæ connexarum, nec non tubulorum lymphaticorum, in pleura, vel etiam periostio costarum, ubi sensus adhuc est acutior. Hinc nihil aliud quam rheumatismi species est, & ob id familiaris illis, qui catarrhis, doloribus rheumaticis, arthriticis obnoxii sunt, vel hemicrania subinde vexantur, præsertim si ex aëre nimis calido in frigidum, vel contra, tempore potissimum vespertino, concedunt. Neque ea propter sanguinis missionem poscit, nisi eminens admodum urgeat plethora, sed sola diaphoresi & auctiori perspirationis successu, mox & facile iterum, circa septimum plerumque diem, solvitur ac periculi expers est.

§. IV.

Pleuritidis vera.

Pleuritis vera inflammatio est sanguinea, à stasi sanguinis in vasculis vasorum bronchialium, quæ superiori sæculo detexit *Ruyschius*, & quæ tantummodo nutritioni membranarum, vesicularum & vasorum, pulmonum compagem constituentium, serviunt. Atque adeo principaliter ipsi pulmones sunt affecti, sed quoad partem tantum externam superficialem. Et hinc est major, quam in spuria spirandi angustia, sputum cruentum & quod expectoratione morbus solvatur. Febris etiam juncta ut plurimum, sed magis acuta ac in spuria, adsunt quoque dolores, sed non tam acerbi, nec tactu exacerbandi, in latere affecto. Trahitur enim simul in consensum pleura thoracem investiens, tum quod exterior pulmonalis membrana pleuræ soboles, tum etiam quod in plurimis hominum pulmones in alterutro minimum latere pleuræ annati atque concreti sint.

§. V.

Et peripneumoniæ.

In peripneumonia dolor est magis tensivus, obtusus, pressorius, quam acutus & ad dorsum usque & scapulas propagatur. Sed major spiritus difficultas, anxietas, & ægra expectoratio, qua sputum varii coloris ex imo ducitur. Nam in hac vasa pulmonum ipsa, quæ sanguinis cursum ex uno cordis ventriculo in alterum absolvunt, affecta, & sanguine crasso, in solidescentem naturam abeunte, farcta sunt atque obstructa. Quare majori stipatur periculo & facile, quos corripit, necat, præsertim si senes, & tempestiva sanguinis omittitur ventilatio.

§. VI.

Morbi historia ex Aretæo.

Interim licet veteres minus exacte distinxerint thoracis inflammationes; quia tamen frequentissimus fuit morbus, ubi vixerunt prisci illi medicinæ principes, *Trallianus*, *Aretæus*, *Cælius Aurelianus* & reliqui, ex ipsis morbi symptomatum historia accuratior peti potest, quam forsan ex recentioribus. Mihi præ reliquis placuit *Aretæi* descriptio, quam *lib. I. cap. X.* de pleuritico morbo consignavit: *comitatur*, ait, *illum dolor acutus, ad jugula ascendens, ignis acer. Quibusdam vero & in terga & in scapulas dolor protenditur. Sequitur etiam difficilis spiritus, vigilia, ciborum fastidium, malarum rubor, tussis arida, sputa ægre exeuntia, pituitosa, aut abunde cruenta, aut subflava. Pejus est, si cruentum sputum non adsit, si delirant, vel comate occupantur.* Scribit porro, ægros intra septimum, vel decimum quartum diem convalescere, aut perire, pro symptomatum vehementia. Vel si ad vigesimum diem malum extendatur, fieri empyicos. Addit etiam, quod hyems maxime ferax sit, secundo autumnus, ver minus, nisi interdum perfrigidum sit, æstas vero minime; item quod inter ætates senes maxime huic malo obnoxii sint, pueri minime, vel minus eo periclitentur, quia puerilia corpora rara sint, humida & fluxa, multaque in iis diffiatio & exhalatio.

§. VII.

Ad proximam causam concurrunt plures.

Quum autem gravia omnino, quæ febrem pneumonicam comitantur pathemata, unice fundamentum suum habeant in inflammatione pulmonalis substantiæ; in procinctu est judicare: quod omnia, quæ libero sanguinis progressui per minima pulmonum vascula, vel canalium à copia crassæ materiæ obstructione, vel eorum valida spastica, à materia tenui, acri, constrictione, obicem ponunt, ad ingenerandam inflammatoriam hanc febrem sint aptissima, præsertim quando plures simul causæ, quæ dicuntur antecedentes, procatarcticæ & remotæ, in unum hunc effectum conspirant. Igitur ii, qui ex victu crasso, impuro, potu spirituoso, humidi & motus defectu, sanguinem in venis alunt, & copiosum, & spissum, qui recte *Sydenhamo* κατ' ἐξοχὴν dicitur pleuriticus, quam facile, conspirantibus aliis procatarcticis causis, morbum hunc nanciscuntur, tum maxime, quando corpus per intensiorem exercitationem, operosum laborem, balnea item calida, nec non spirituosorum potum, vehementius exæstuatur, & postea frigidæ septentrionali auræ incautius committitur, aut, quod pejus adhuc, subito potus ingurgitatur perfrigeratus. Promta etiam eandem ob causam hujus passionis genesis in sanguineis & plethoricis est, omissa tempestiva sanguinis missione. Idem evenit fœminis, quibus menses, vel inordinate, vel justo parcius fluunt, vel etiam si ob ætatis rationem plane emanent, nec non viris, quibus hæmorrhoidum fluxus non rite obtingit, aut plane suppressus est.

Crassus & copiosus sanguis.

§. VIII.

Spastica vasorum strictura.

Deinceps non semel, sed sæpius observavi, tormina, spasmos & colicos, nec non hypochondriacos in abdomine & intestinis dolores, cum alvi vehementiori constrictione, sequutam fuisse inflammationem pulmonum, maxime in plethorico-cacochymicis. Nam horum ea est natura atque facultas, ut comprimendo vascula, præsertim venosa, liberum sanguinis iter impediant, ejusdemque motum inæqualem & majorem præter naturam appulsum ad alias, inprimis superiores partes, efficiant. Quo postea nimio appulsu fit, ut sanguis non modo urgeatur ad tubulos, qui ob minorem diametrum sanguinem ordinario

nec vehunt, nec capiunt, sed & in hisce vasorum angustiis impactus hærens, æquabilem & inoffensum progressum intercipiat, & omnes functiones, quæ fiunt secundum naturam, perturbet. Et quia corpora hæmorrhagiis admodum obnoxia, plerumque sanguineæ sunt complexionis & spasticis in imo ventre stricturis patent; hinc fit, ut juvenes qui largas narium hæmorrhagias, sputum cruentum & hæmorrhoides præmaturas experiuntur, perquam facile, accedentibus occasionalibus causis, in pleuriticas & peripneumonicas febres incidant. Porro frequenti observatione constat & illud, quod à scabie retropulsa, à præposthere cohibito simplici, vel dysenterico alvi fluxu, à consolidatis antiquis ulceribus, à critico consueto pedum, vel totius corporis sudore suppresso, vel purpura chronica ob frigus externum retrocedente, pectoris obortæ fuerint inflammationes. Illa enim materia acris causticæ indolis, recrementitia, nervosis pulmonum & thoracis tunicis impacta, ob spasticas, quas suscitat, stricturas sanguinis progressui obicem ponit, eundemque in æqualitate turbat. Neque etiam rarum est, post variolas & morbillos, præsertim male tractatos, gigni in thorace inflammationem, quum hi morbi nunquam non pulmonibus infesti esse, ac in iisdem labem & imbecillitatem relinquere soleant.

§. IX.

Epidemica est. Præterea, quandoque ab extraordinaria & insueta aëris temporumque constitutione, pleuritides, tam veræ, quam spuriæ, populares sunt & epidemicæ. Evenit hoc si hyems diuturna nimis rigida regnavit, item quando longam australem aëris temperiem & levem atmosphæram, repente frigida & borealis, valde elastica aura excipit. Quod postremum quum inprimis vere & autumno contingere soleat, hinc tum febres tam catarrhales, & malignæ & benignæ, quam pleuriticæ circumire solent. Post asperam etiam hyemem notavimus grassantes pleuritides crudas, in quibus vix nono & decimo die sputum apparet. *Hippocrates morb. lib. II.* vocat siccas, & in ipsis ægri primis diebus admodum anguntur, viresque dolore & inani tussi admodum concidunt, ut procedente sputo, expectorationi vix sufficiant & ægri difficulter convalescant. Endemiæ etiam dantur peripneumoniæ. Notum quippe est frequentem admodum esse peripneumoniæ morbum & plures, in Westphalia, Pomerania, Suecia, Dania & Russia interficere. Id quod vero tam propter solennem his in regionibus victum durum & crassum, quam propter aërem frigidiorem & asperiorem, septentrionalibus locis proprium, accidere arbitror.

Et endemia.

§. X.

Crises servat. Ego quidem vix in ulla febre tam accurate observavi crises, quam in pneumonica, pleuritica scilicet & peripneumonica. Nam in juvenibus & qui paulo vegetioris naturæ, circa quartum plerumque diem sputum prodit cruentum & septimo die morbus sponte sua per sudorem largum solvitur. In phlegmaticis & segnioribus, nec non ubi vitium pulmonibus insidet altius, undecimo, vel etiam decimo quarto die, morbi fit solutio, partim screatu, partim sudore, pulsu facto molliori, accedente somno placido & virium incremento. In imperfecta autem crisi criticis diebus etiam apparet sudor, sed non sufficiens, ideoque nec ægrum levat, nec morbum solvit. Et ubi symptomata durant ad vigesimum primum diem, metus est abscessus in pectore periculosi. Bonum igitur indicium, quando expectoratio ex imo pulmonum succedit bene, evehens materiam viscidam, quarto die cruentam, dein flavedine tinctam, interdum etiam purulentam. Et quo expeditior screatus, eo major sanitatis spes, quo impeditior, eo minor. Laborandum modo, quando morbus expectoratione materiæ copiosæ virulentæ terminatur, ne in fine phthisis, vel hectica accedat. Nunquam autem tuta crebra alvi fluxio, suspecta etiam urina sine sedimento & minus quoque fausti ominis sudor largus, extra dies criticos. Quando tamen undecimo, vel duodecimo die alvi dejectio non nimis copiosa accidit, non adeo pertimescenda, sed purulenta materia quandoque simul ejicitur. Quando etiam circa diem quartum naturæ beneficio narium prodit stillicidium, id non sine notabili contingit euphoria.

§. XI.

Recidivæ frequentes. Nulla ex inflammationibus tam facile recidivat, ac febris pneumonica, præsertim quæ paullo profundior fuit cum quodam abscessu. Mihi nota sunt exempla, ubi quidam vix convalescentes, inordinata diæta, potu inprimis copioso vini meracioris, in eundem morbum, elapso vix mense relapsi, lethali plerumque eventu. Quin novi inflammationem hanc, bis, ter, quater & pluries anno, eodem in loco, ubi primum constiterat, recruduisse. Ut adeo, qui semel hoc affectu tentati, ejusdem repetitum insultum exacta vitæ victusque ratione, semper opus habeant arcere cum cura.

§. XII.

Mortis causa. Qui autem inflammatione pulmonum moriuntur, suffocatione pereunt, quia materiam in vesiculis aëreis & ductibus bronchialibus hærentem tussi amplius ejicere nequeunt. In sectione pulmones inveniuntur inflati, duri, instar hepatis, & ob vasa sanguine crasso tenaci farcta, aquæ injecti fundum petunt. Vidi etiam pulmones abscessibus parvis & tuberculis duris obsessos, cum inflammata & sphacelata pleura, pulmonum substantiæ adhærente. Neque minus nota mihi sunt exempla, ubi polyposæ concretiones, in vena pulmonali, item arteria magna repertæ, obicem posuerunt liberiori sanguinis per pulmones cursui, & inflammationem, ob sanguinem copiosius, quam debebat, eo delatum, induxerunt.

CURATIO.

§. I.

Indicationes curatoriæ. Quia igitur sanguis subsistens & æqualem circulum intercipiens unica proxima hujus morbi causa, palmarium utique in sanando est momentum, ut is expediatur iterum atque discutiatur. Ad quod perficiendum, hæ subordinatæ faciunt indicationes: 1) quando ulterior sanguinis stasis atque stagnatio impeditur; 2) quando lentor in sanguine pleuriticorum obvius diluitur & colliquatur; 3) quando pars affecta, per spasmum, dolorem & copiosum affluxum rigida mollitur & laxatur, quo impactus cruor ab appulso sanguine arterioso eluatur ac in motum rursus cieatur; 4) quando excretio materiæ viscidæ, sanguinolentæ ac purulentæ, in bronchiis pul-

monum

morum haerentis, per screatum facilitatur, similique abscessus & empyematis generatio praescinditur.

§. II.

Sanguis mittendus.

Ad praecavendam inflammationis incrementum, nihil utilius est sanguinis missione, quae quo citius administratur, eo plus auxilii praestat. Secetur vero vena in brachio, & quidem illius lateris, quod affectum est: mittatur etiam liberalius, si plethora eminens & cum impetu exsilit sanguis. Quin ubi serum admodum tenax & glutinosum emisso sanguini innatat, & respiratio post sectionem adhuc valde difficilis urget, confidenter iterato subtractio administranda, praesertim si paullo profundioris staseos inflammatoriae suspicio.

§. III.

Diluentia prosunt & discutientia.

Ex internis quam maxime proficua, quae sanguinem, serum ac humores tenues reddunt ac fluxiles, crassos vero ac spissos colliquant, blandamque simul movent diaphoresin. Quod ut obtineatur, conducunt haec: Infusum theiforme, ex herbae veronicae, chaerefolii, salviae ana manipulis duobus, radicis liquiritiae uncia, seminis foeniculi drachmis tribus, de quo frequentius patellae quatuor vel quinque sorbillandae. Dein mixtura discutiens & diaphoretica, hunc in modum: recipe aquae cardui benedicti, scabiosae, florum sambuci, acaciae ana uncias duas, theriacalis unciam semis, aceti destillati unciam, lapidum cancrorum drachmam, antimonii diaphoretici scrupulos duos, syrupi papaveris rhoeados, vel syrupi croci, ex sacchari dissoluti uncia & extracti croci granis octo parandi, drachmas duas. De qua dua vel tria cochlearia, bihorio quovis, alternatim danda cum pulvere hoc: recipe antimonii diaphoretici, sive cerussae antimonii, lapidum cancrorum, mandibularum lucii piscis, dentis hippopotami, solutionis oculorum cancri ana drachmam, nitri puri drachmas duas, cinnabaris scrupulum. M. f. pulvis ad drachmae dimidiae pondus pro dosi exhibendus. Quando etiam natura paullo segnior & pleuritis epidemia mali moris, pulveri huic adjicienda camphora, quae potenter resistit inflammationibus, &, ne latius serpant, impedit. Tenendum tamen, dimidium granum pro dosi sufficere & desuper bibendam esse emulsionem ex seminibus quatuor frigidis majoribus, cardui Mariae & nucleis pinearum, cum decocto hordei & cornu cervi paratam.

§. IV.

Spasmus exandus & sputum cundandum.

Dolores acutos mulcet & rigidas fibras optime remittit, vesica calida dolenti parti tantum non perpetuo admota, plena decocto emollientium specierum, uti florum sambuci, meliloti, verbasci, chamomillae, malvae, liliorum alborum, seminum quatuor carminativorum, croci, ex lacte. Recte enim jam *Aretaeus lib. I.* in curatione pleuritidis praecipit, ut lateri dolenti applicetur vesica calente oleo repleta, modo fotus levis sit, ne pondere dolorem efficiat. Et certe hoc topico mirifice levantur dolores, respiratio facilitatur, simulque materia ad expectorationem praeparatur. Ipsam tandem expectorationem egregie promovet linctus: ex olei amygdalarum dulcium uncia dimidia, spermatis ceti drachmis duabus, croci granis decem, syrupi violarum, sacchari canthi ana uncia una cum dimidia. De quo crebrius quicquam deglutiendum, vel cum decocto avenae excorticatae, aut sero lactis dulci assumendum.

CAUTELAE ET OBSERVATIONES CLINICAE.

§. I.

Cautela circa venae sectionem.

Potissimum curationis momentum situm est in sanguinis missione, de qua perite *Aretaeus lib. I. pag.* 186. monet: *nullae moraे atque dilationis in pleuriticis, quin protinus valenti remedio succurramus, datur occasio, quo primo praecipue die vena secanda est cubiti, & quum mediocriter effluxerit, recreandus homo, interjecto temporis spacio, iterum detrahi potest, si bene habeat, sin minus, postridie.* Haec quippe non tantum in juvenili aetate utilissima, sed & senili, quia haec plus sanguine abundat, quam alia, magisque crassum ac tenacem in venis alit, qui inflammationes facit profundiores aegre discutiendas, eaque propter hac in aetate etiam, si vires patiuntur, venae sectio potest repeti. Inprimis curandum, ut pro viribus & quantitate sanguinis, nec nimium, nec parcius extrahatur. Quod si enim justo plus emittitur, non modo expectoratio inhibetur, sed & stasis sanguinis dissolvenda obfirmatur magis, vel plane in sphacelum transit. Si autem minus, quam par est, evocatur, parum juvat, sanguis, nacto spatio, impetuosius affluit, & stagnatio cum inflammatione increscit.

§. II.

Alvi vacuationem.

Deinceps curandum quam maxime in his pneumonicis febribus, ut alvus aperta & intestina à spasmis libera maneant. Suadet id jam *Trallianus l. c.* nec non *Hippocrates lib. III. de morb.* §. 17. *alvum*, inquiens, *in primis quatuor aut quinque diebus subducere oportet, & hoc paullo amplius, quo & febres obtusiores sint & dolores leviores.* Nos quidem commendamus hunc in finem clysteres emollientes & paregoricos, domesticos cum oleo amygdalarum dulcium, quibus & alvus referatur, & strictura intestinorum spastica laxatur. Recte etiam *Aretaeus l. c.* praecipit: *medelam inferioribus partibus adhibendam negligere non oportet, viris quidem in anum, oleum rutaceum, mulieribus in uterum, infundendum est.* Quod experimentum etiam locum habere potest, si intestina crassa spasmis constricta, vel spasmodica uterina passio mulieres detinet.

§. III.

Potum.

Trallianus lib. VI. pag. 269. majorem in modum in ejusmodi inflammatoriis affectibus commendat, & quidem merito, potus aquoso-mulsos. Commendat quoque & laudat cremorem ptisanae, bene decoctum, largiter sumtum, cum amygdalis incoctum: *neque desinas*, ait, *tepidam adhibere, dum cibus & aliae potiones exhibentur*; & addit, *nullum aliud auxilium pleuriticis ita accommodatum invenient, etiam si febris adfuerit vehemens.* Ptisanam suam semper etiam laudat *Hippocrates.* Et certe humida tepide sumta, omnibus praeferenda esse, expertus scribo. Ad humores vero diluendos, nil utilius decocto avenaceo, vel hordeaceo, addita decenti quantitate mellis Prussici, nec non sero lactis dulci. Et quo plus humidi, praesertim si corpus valde sudat, assumitur, eo salubrius est.

§. IV.

Regimen & validae evacuantia.

Uti in omni febre inflammatoria, sic maxime in pneumonica, abstinendum à regimine nimis

calido, quoad lectum & conclave, potu etiam nimis calido. Cavèndum vero etiam viciſſim à refrigeratione & potu frigido. In medicatione exulent omnia fortiter urinam, ſudorem, nec non alvum moventia, ne lymphatici tenues humores, quorum beneficio ſtaſis diſſolvenda, aliorſum trahantur. Nam de alvina excretione perite jam monet *Hippocrates lib. III. de morb. multus humor ſi infra ſecedit à quinta die mortem inducit. Etenim ſupernæ partes reſecantur & ſputi purgatio ſurſum non prodit. Oportet igitur & infernam alvum neque valde ſuppreſſam eſſe, ut ne febres ſint acutæ, neque valde egerere, quo ſaliva ſurſum educi queat & æger viribus valeat.* Quando tamen alvus bis, vel etiam quater ſua ſponte fertur, minime id eſt prohibendum.

§. V.

Anodyna. Ad dolores acutos ſopiendos commendantur plerumque anodyna & opiata. Sed cavendum ab iis eſt, præſertim in ſenili ætate, ubi humorum ſpiſſitudo & inflammatio profundior. *Fugito*, ſerio monet *Trallianus l. c. diacodium & philonium. Nam maxima pericula inducunt, cum humores eductioni contumaces reddunt, & vires proſternunt reddunteque emortuas.* Ubi vero impenſior dolorum atrocia in ætate juvenili, ultra papaveracea, emulſionem nempe cum ſemine papaveris ejuſdemque ſyrupo, vel diaſcordium *Fracaſtorii*, non facile aſcendendum; ita tamen, ut ſemper ipſis admiſceantur nitroſa & diaphoretica. Externe autem ad mulcendos dolores ipſamque diſcuſſionem ſecundandam, præter ſuperius commendata, utilis eſt fotus cum pinguedine caponis calefacta, in cujus uncia, dimidia camphoræ drachma ſoluta.

§. VI.

Expectorantia. Expectorantia & dulcia non nimis cito propinari debent, primis ſcilicet diebus, ſed tunc demum, quando materia cocta, viſcida, mobilis eſt & ad excretionem apta; alias major ad pulmones proritatur affluxus. Non nulli etiam ſperma ceti in copia aſſumtum ad ſanguinem diſſolvendum commendant. Ego vero ob nauſeam, quam parit, plus illud nocuiſſe, quam profuiſſe, obſervavi. Neque etiam hoc tanta diſſolutoria facultate pollet, quam acetum cum cancrorum lapidibus.

§. VII.

Morbo declinante tenenda. Quando die critico, uti ſæpius, niſi turbas faciat medicus, incidit, inflammatio per copioſum ſudorem ſolvitur, quem liberior reſpiratio, corporis quies & virium incrementum ſubſequitur, diaphoreticis & diluentibus aliquamdiu adhuc inſiſtendum, ſed non tam crebro. Exacta quoque victus habenda ratio, ne plus, quam par eſt & ventriculus debilis ſubigere poteſt, aſſumatur; quo morbi reliquiæ penitus conſumantur & recidiva arceatur.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Peripneumonia omiſſa venæ ſectione lethalis. Juvenis accedens ad annum vigeſimum ſextum, ſanguineo-cholericus, habitus corporis ſtrictioris, ante duos annos ſingulis fere menſibus ſibi applicari curavit cucurbitulas cum ſcarificatione, poſtea ſimul & ſemel per annum id intermiſit. Aliquandiu nullo notabili incommodo circa pectus fuit affectus, ſed Februario menſe, hyeme tepida, corripitur primum horrore & rigore, corporiſque laſſitudine, quibus mox acceſſit dolor in pectore, ſpirandi anguſtia, cum proſtratione appetitus, virium, calore præternaturali, pulſu celeri, duro & inæquali, ſomnoque inquieto. Adhibita remedia varia interna pneumonica, omiſſa tamen venæ ſectione, incaſſum. Adaucta enim in pectore anguſtia cum metu ſuffocationis, expectoratio fuit difficillima, febris facta intenſior, facies rubicunda, oculi feroces & aſſidua vigilia circa diem ſeptimum delirii præbuerunt indicium, quod etiam eodem adhuc die accidit, cum ipſa morte. Aperto poſt mortem thoracis cavo, in conſpectum venerunt pulmones mirum inflati, diſtenti & tactu duri. Replerunt hi omnem fere cavitatem & firmiſſime præterea erant adnati diaphragmati, coſtis & dorſi vertebris, in utroque latere, ut difficillime cultri acie potuerint ſeparari. Exemti apparuerunt admodum duri inſtar carnis, veſiculæ quaſi carnea craſſa rubicunda ſubſtantia erant infarctæ, & quum diſcinderentur, pauca quantitas ichoris putridi ſanguinei effluxit, præſente pure nullo. Lanci impoſiti gravitatem, quinque ponderum exhibuerunt & aquæ injecti ſemper ad ima deſcenderunt. Ipſa in aſpera arteria ſpumoſa & tenax materia reperta. Arteria & vena polypoſis concretionibus, quæ ex corde & auriculis, quarum columnis & fibris firmiter erant connexæ, exemtæ, plus quam duarum unciarum pondus habuerunt. Cordis ventriculi craſſo & nigricante cruore penitus erant conferti, & in pericardio ſex minimum cochlearia aquæ, inſtar carnis loturæ, fluctuarunt.

Epicriſis.

Patet hac ex ſectione, in peripneumonia, non ſemper adeſſe pus & materiam, ſed potius craſſam ſanguinis ſubſtantiam firmiſſime poris & tubulis pulmonum impingi, & ita tumorem durum, qui omnium ſymptomatum ſuccedentium cauſa eſt, effici. Innoteſcit deinceps hoc caſu, omiſſam conſuetam ſanguinis ſubtractionem, in corpore plethorico ſanguineo-cholerico, graviſſimæ tali ſanguineæ inflammationi anſam præbere poſſe & occaſionem. Porro admodum probabile, polypoſam ſubſtantiam ex craſſiori ſanguinis parte concretam & in pulmonalibus vaſis hærentem, multum ad generationem hujus affectus contuliſſe. Teſtatur enim *Malpighius de polyp.* peripneumoniam ſæpenumero induci à polypoſis concretionibus in pulmonum vaſis hærentibus. Non immerito quidem mirandum, cur, poſito hoc ſanguinis progreſſui obice, non perpetua ante peripneumoniæ invaſionem difficilis fuerit reſpiratio. Sed vaſa, quibus polypi inhærent, ordinario magis ampliantur, ut ſanguis nihilo minus præterlabi queat. Quamdiu igitur ſanguis placide circumagitur, nec quantitate nimis redundat, liber manet ejuſdem per hos etiam tubos tranſitus, nullumque ſubſequitur incommodum, ut viderim, polypos ad ulnæ uſque longitudinem per arteriæ aortæ, item venæ cavæ truncum ſuperiorem & inferiorem fuiſſe elongatos, ſine ullo ſanitatis detrimento atque periculo. Verum ſi ſanguinis copia accreſcit nimium, tumultuarius violentus in ipſo motus exſurgit, præſertim ſi ab externis conſtrictis impetuoſe ad interna urgetur, congeſtus circa cor & pulmones cruor, maximeque in tubis quibus inhæret

polypoſa

polypoſa maſſa, ſtagnans & accumulatus, inflammatorios tumores, præſertim in viſcere ſanguineo, facillime excitare poteſt. Tum vero quam maxime neceſſaria ſanguinis miſſio tempeſtiva, quo ſanguini iterum paretur circuitus, quæ noſtro in ægro peſſimo conſilio omiſſa.

Observatio II.

Pleuritis ſpuria venæ ſectione ſanata.

Quum ſynochæ & catarrhales febres ſub finem elapſi anni milites noſtros præſidiarios epidemica prorſus ratione infeſtarent, Januario menſe etiam plures, præſertim ex iis, qui contagium vitaturi in circumjectas civitates, ſub frigido valde & humido aëre hinc diſceſſerunt, corripuit ſpuria pleuritis. Ex his triginta commiſſi ſunt curæ medici, amici & auditoris olim mei, qui febre laborarunt valde gravi, cum acuto dolore lateris alterutrius in thorace, tuſſi ſicca, ſed intolerandum dolorem concitante & ſomni defectu. Omnibus is ſtatim ſanguinem mittere juſſit in brachio, qui in pluribus cuticula glutinoſa obductus comparuit. Potui liberaliter dare præcepit decoctum avenaceum tenue, cui incocta ſalvia. Temperatum in omnibus injunxit regimen, & præterea nil niſi pulveres, ex nitro, antimonio diaphoretico, lapidibuſque cancrorum, admixto non nunquam aceto vini & aliquot unciis aquæ cardui benedicti, dedit. Et exterius lateri dolenti calida tantum lintea admota. Sic morbus ſolutus fuit largo ſudore, ſeptimo, vel etiam undecimo, aut decimo quarto die. Juvenibus non nullis & quibus non ſufficiens ſanguinis quantitas ſubtracta, ſeptimo, vel nono die, nares ſanguinem ſtillarunt cum euphoria, & pulſus per totum morbi decurſum magis fuit depreſſus, quam velox. Quos autem febris longius ad decimum uſque quartum diem detinuit, his accidit purpura rubra, quæ veſiculis aquoſis albis quaſi erat obſita in omni corporis ambitu. Nihil tamen aliud uſurpatum, quam pulvis bezoardicus cum nitro, liquor noſter anodynus mineralis & decoctum hordei, nec non avenæ excorticatæ, tepide largiter potum. His convaluere omnes, mortuus nullus, excepto unico, qui pleuritide cum petechiali febre fuerat affectus.

Epicriſis.

Facile in pleuritidem ſpuriam incidit, qui veſtibus non ſatis munitus, in aëre frigido & humido, autumno, vel hyeme, diu verſatur. Nam ego nullum morbum & inflammatoriam febrem, tam promte ab aëris intemperie, inæqualitate & mutatione generari, obſervavi, quam quæ in thorace conſiſtit. Notavi quoque, æſtate valde ſicca & calida, ſi admodum frigidus & ſeptentrionalis ventus ſubito excipit, non tantum deſtillationes catarrhoſas, ſed & rheumatiſmos & pleuritides cum ſputo cruento vehementeſque lateris dolores fuiſſe frequentes. Nam aër quam maxime & proxime, propter continuam inſpirationem, afficit pulmonum viſcus intus, & exterius quoque thoraci & coſtis, quæ tenuioribus muſculis, membranis nerveis & vaſculis ſeptæ ſunt, allabitur, eaque propter quam facile ſpaſticas criſpaturas inferre & liberum humorum circuitum ſiſtere poteſt. Recte autem medicus ſpuria hac pleuritide laborantibus omnibus ſecari juſſit venam, ob craſſum & copioſum qui hyeme gignitur ſanguinem, quum alias non ſemper in ſpuria, ſi corpus magis ſeroſum, ſanguinis miſſio ſit neceſſaria. Neque etiam in pleuritide notha externe ita accommoda ſunt unguenta & linimenta oleoſa, vel etiam humida, eo quod perſpirationem, qua ſtagnans humor diſcutiendus & difflandus, impediunt. Præſtat tantum partem affectam in temperato & æquabili calore, ſub levi calefacto lectulo, ſervare, inprimis quum nec omnis cutis, eodem modo ac in arthritide & eryſipelate, ferre poſſit topica. Demum quoque notandum, purpuram rubram veſicularem non eſſe confundendam cum alba miliari. Illa enim longe benignioris eſt naturæ, & à ſero non tam putreſcente & vappido, ſed potius acri ſcorbutico ortum ducit, & ob id, ſi modeſte & perite à medico excipitur, non tanti eſt periculi.

Observatio III.

Pleuritis vera purgantis uſu corrupta.

Juvenis literarum ſtudioſus, viginti circiter annorum, ſpongioſus habitu & ſanguine plenus, in prima ætate ob id crebrius narium ſtillicidium expertus, liberatus vix ante aliquot menſes à quartana, qua cum per unum & dimidium annum fuerat conflictatus, Martio menſe, poſt multos in victu errores, potum vini minus boni & corporis refrigerationem, incidit in pleuritidem veram, ſymptomatibus ſtipatam conſuetis. Datum in principio purgans, quod aliquot ſedes movit, non ſine ſubſequente imbecillitate. Secta etiam in cubito vena, è qua exiit ſanguis valde ſpiſſus, niger, obductus materia tenaci glutinoſa. Nihilo minus tam impenſa fuit ſpirandi anguſtia, ut propter ſuffocationis metum, nec ſupinus, nec in dextro latere cubare poſſet, ſed erectus ſemper ſedere neceſſum haberet. Pulſus ſimul erat admodum durus parvus & celer, vigilia continua, perpetua tuſſis, & ſputum quodammodo cruentum, cum exquiſito pungitivo dolore rejiciebat. Quinto morbi die vocor ego, & ſtatim lateri dolenti admovere juſſi veſicam ſpeciebus emollientibus ex lacte coctis plenam. Interius dedi pulverem hunc: recipe lapidum cancrorum, mandibularum lucii piſcis præparatarum, antimonii diaphoretici ana drachmam, ſolutionis oculorum cancri, nitri puri ana drachmam ſemis, cinnabaris antimonii grana XV. M. f. pulvis, de quo ternis ſingulis horis dimidia drachma oblata, interpoſito potu infuſi theiformis. Ter etiam vel quater quotidie porrigere juſſi hanc mixturam: recipe aquæ chærefolii, florum ſambuci, cardui benedicti ana uncias duas, aceti deſtillati drachmas ſex, lapidum cancrorum drachmam, mandibularum lucii piſcis, antimonii diaphoretici, ana drachmam dimidiam, ſyrupi jujubini drachmas tres. M. Cereviſiæ & frigidum potum interdixi omnem, ſed liberaliter præbere juſſi infuſum herbæ veronicæ, florum ſambuci, radicis liquiritiæ & ſeminis fœniculi, ex aqua. Septimo die ſupervenit hæmorrhagia narium, ſequutus quoque per univerſum corpus ſudor & morbus ex voto ſolutus. Sanus etiam hinc diſceſſit juvenis, ſed audivi, eundem poſtea fere quotannis eodem malo fuiſſe affectum, ac trigeſimo ætatis anno phthiſi tandem extinctum.

Epicriſis.

Juvenes ſanguinei, qui hæmorrhagiis narium, vel hæmorrhoidum præmaturo fluxui in juventute obnoxii, à thoracis perfrigeratione facile incidunt in pleuritidem ſanguineam. In his vero omne præſidium in ſanguinis miſſione tempeſtiva. Quæ ſi negligitur, vel non conveniens quan-

quantitas emittitur, maxima ſpirandi ingruit difficultas. Quod ubi accidit, ſanguinis è narium ſtillicidium ſponte obortum egregio eſt levamini. Quam ſalutarem criſin etiam in binis pleuriticis gravidis vidi, quæ ſemel tantum, non vero bis, aut ter, ut in graviditate neceſſarium, venam ſibi pertundi curarant. Deinceps nunquam per totum pleuriticum, & peripneumonicum morbum tuta ſunt, quæ alvum ad dejectiones ſolicitant, ſed clyſteres mox in morbi principio ejuſdemque progreſſu, in fine autem laxantia pectori amica poſſunt admitti. Quæ autem ego adhibui auxilia, à me incomparabili cum fructu ſemper fere ſunt uſurpata, inprimis quum medicinam facerem ante quadraginta annos in Weſtphalia, ubi endemiæ pneumonicæ febres. Inprimis habeo, quod laudem crebriorem & largiorem potum infuſi theiformis ſuperius deſcripti, ſive decocti avenacei cum ſaccharo & nitro conditi. Neque reticendum, me ſæpius circa dies criticos pulveribus diaphoretico-nitroſis unum aut alterum camphoræ granum adjunxiſſe, eodemque effeciſſe, ut morbus ſolveretur ſudore & ſubſequeretur expectoratio. Demum nulla inflammatio tam facile & crebro redit, quam pleuritica & peripneumonica, nec non ipſa pleuritis ſpuria, certis præſertim temporibus. Hæc enim rheumatiſmi eſt genus, quod ad aëris vitia facile incidit. Et ubi ſemel vel iterum pars quædam per ipſum morbum debilitata & priſtino robore privata, ſtructura quoque viarum & canaliculorum vitiata, accedentibus aliis cauſis, æquabilem & naturalem ſanguinis motum turbantibus, perquam facile præternaturales humorum ſtagnationes in minimis vaſculis accidere poſſunt.

Observatio IV.

Peripneumonia ex colica lethalis.

Illuſtriſſimus Conſiliarius, robuſtus & habitior, bene appetens & duro victui à longo tempore aſſuetus, interdum cum euphoria hæmorrhoidalem fluxum paſſus, menſe Januario, cœlo algidiſſimo, ex abdominis refrigeratione & eſu leguminoſorum, colicam incurrit, per diem & noctem graviter affligentem. Quum vero medicus alvum clauſam clyſtere non molliret, ſed potionem carminativam cum calidioribus eſſentiis propinaret, tertio die acceſſit ingens reſpirationis anguſtia, cum febre, inquietudine & tenſivo ac pungente dolore, à pectore ad dorſum uſque excurrente. Secabatur igitur vena in brachio, ac non ita multo poſt decoctum mannatum cum aliquot tartari emetici granis porrigebatur. Inde quidem & inteſtina & ſtomachus depleta largiter, ſed anxietas & ſpirandi difficultas facta major. Exhibitæ poſtea mixturæ pectorales reſolventes, ſexto die iterum vena pertuſa & ſeptimo denuo datum infuſum mannatum. Omnia autem incaſſum, ut potius morbus inde ingraveſceret. Exterius tum admotæ thoraci ſpecies carminativæ & pectorales cum aqua calcis vivæ in cataplaſmatis formam coctæ, pariter fruſtra. Tandem potandas ſuaſit medicus Tönnſteinenſes acidulas, quas æger avide per biduum frigide ingeſſit, donec undecimo morbi die, ſuffocatione & ſyncope ſuperveniente, periret.

Epicriſis.

Sæpius obſervavi, ex ſolo dolore colico præcedente, qui clyſteribus & aliis congruis facile ſolvi potuiſſet, ortam fuiſſe peripneumoniam, in robuſtis & craſſo ſanguine plenis, præſertim ſenibus. Ob diſtenta enim à flatibus inteſtina, ſanguis ad cordis & pulmonum vaſa validius urgetur, ibique collectus & denſatus, ægerrimam facit ſpirationem cum pectoris anguſtia. Nam quod dolor eſt in partibus nervoſis, id anxietas in corde & pulmonum vaſis, à ſanguine nimium diſtentis. Fruſtranea autem fuit evacuatio per ſuperiora & inferiora, quippe quæ ſubtraxit humidum ſanguinis, genuinam morbi medicinam, coarctatione etiam abdominis ſub vomitu, magis ſurſum ad pectus ſanguis eſt coactus & ſpiratio difficilior reddita. Potus quoque acidularum frigidus in morbi vigore, caruit ratione omni, ac propter frigus, non potuit non noxam inferre gravem. Fuit autem hic morbi artifex, qui ſingulari methodo febres petechiales curandi, in *Actis Berolinenſibus* inclaruit.

Observatio V.

Empy… ex pl… pneum… curan…

Vir ſanguineus, facie floridus, corpore obeſus & ſpongioſus, poſt aliquot dierum epulas, vino & cibis ſaginatus, noctu & interdiu, Martio menſe, Berolino Mindam Weſtphalorum iter facit. Peracto hoc, poſt aliquot dies nanciſcitur pleuro-pneumoniam, febre ſtipatam intenſa. Ego vocatus venæ ſectione repetita & pulveribus antipleuriticis, nitroſis & cinnabarinis, nec non potu infuſi theiformis, à periculoſis liberavi ipſum ſymptomatibus. Remanſit autem tuſſis quædam cum lenta febre, virium languore corporiſque marcore, reſpiratione tamen non adeo difficili. Hinc uſurpata auxilia varia diætetica & pharmaceutica, ſed nihil per octo hebdomades iiſdem profectum, & tuſſis potius cum dolore pectoris gravativo increvit, parum autem rejecit & veſperi lenta quædam gliſcere viſa febricula. Tandem ex improviſo ſimul & ſemel, intra tres, vel quatuor horas, ultra menſuram materiæ purulentæ cum impetu quaſi ex ore rejecta, reſpiratio illico facta liberior & febrilis calor remiſit. Duravit poſtea hæc puris exſpuitio per menſem, minori tamen copia, ac æger interea bene appetiit atque dormivit, ſucceſſive etiam per DEI gratiam ſanitati redditus, ſolo lactis cum ſaccharo roſaceo cocti potu calido, quotidie ad unam cum dimidia menſuram, interpoſito uſu balſami pectoralis, ex floribus ſulphuris, oleo amygdalarum dulcium, ſpermate ceti, terebinthina Veneta, croco & oleo aniſi, nec non pulveris pectoralis, ex lapidibus cancrorum, ſpermate ceti, ſaccharo, myrrha, radice liquiritiæ in pulverem redacta & bolo Armena.

Epicriſis.

Abſceſſum pleuritidem & peripneumoniam non ſufficienter ſolutam ſequi, paſſim priſci medici tradiderunt. Confirmat id quoque experientia, & ego id præſertim obſervavi in ſanguineis, ſpongioſi & obeſi habitus hominibus. In noſtro autem memorabile, quod rupto abſceſſu, pus effluens ſimul & ſemel per os exturbatum, quod ſi in thoracis cavum delabitur, hecticam facile inducit lethalem, niſi educatur paracentheſi, de qua notabile exemplum communicavimus, *in diſſertatione de perpetuo ſucci nutritii ex thorace ſtillicidio.* Perſanari tamen poſſe talem in thorace abſceſſum & amplam in pulmonibus cavitatem, monſtrat hæc hiſtoria. Non vero prætereundum, ægrum hunc poſtea ſæpius de dolore quodam acuto in latere affecto fuiſſe conqueſtum, poſt

paullo

paullo fortiorem corporis motum, equitationem, largum vini potum ac nimium acidorum usum.

Observatio VI.

Peripneumonia gravis sudore soluta.

Juvenis generosus, viginti annorum, sanguineo-phlegmaticus, narium hæmorrhagiis & largis & crebris ab ineunte ætate obnoxius & ante biennium gravem acutum pectoris morbum passus, Februario mense, postquam corpus saltando vehementius exagitasset, & mox postea in prandio cerevisiam frigidam bibisset, & legumina cum salita carne avidius ingessisset, obscurum quendam in scrobiculo cordis sensit dolorem, sed magnam cephalalgiam, cum pulsu celeri, contracto, sub alvo adstricta. Datus vesperi pulvis temperans, noctem autem duxit insomnem & mane spiratio fuit laboriosa, cum pectoris angore & dolore in sinistro latere, paullo supra costas spurias. Hinc mane vena in brachio pertusa, sanguis evocatus niger, cuticulam glutinosam in superficie gerens, data quoque mixtura discutiens atque resolvens passim descripta. Subtracto sanguine, melius primum habere visus & dolor capitis discessit, postero tamen die & dolor lateris & pectoris angor rediit, quin magis adhuc increvit, cum virium debilitate, somno inquieto, appetitus prostratione, ut æger spem vitæ abjiceret ipse. Ad dolorem igitur mulcendum imposita vesica decocto ex speciebus emollientibus cum lacte plena, alvus quoque stricta clystere emolliente domestico mollita, flatus multos multaque crassa stercora dimisit, ægro inde aliquod levamen percipiente, inprimis quum subinde ex infuso theiformi sorbillaret, & sputum rejiceret crassum fusci coloris. Septimo autem die iterum pejus habuit, corpus jectigavit, spiritus factus angustior & respiratio accisa, invalescente simul febrili calore & accedente mentis turbatione, inprimis quando oculos claudebat. Interpositi hinc mixturæ pulveres nitrosi cum camphora, quibus pectoris quandam sensit liberationem & tantisper appetente nono die sudavit, sputo semper succedente fusco, jam etiam quadantenus flavo. Post nonum diem accessit levior quidam alvi fluxus, ut quotidie ter vel quater dejiceret, primum crassa fœtida, postea mucosa & uti dicebant purulenta. Parum tamen levaminis inde sensit, sed debilior potius factus; donec undecimo morbi die ex improviso subito largissimus per universum corpus prodiret sudor & per bihorium manaret, tam salutari eventu, ut æger post illum somno obrueretur alto, expergefactus virium incrementum & respirationem liberiorem perciperet, ac postea, sputo & alvi fluxu cum leni madore per aliquot adhuc dies persistente, sensim cum sanitate in gratiam rediret.

Epicrisis.

Sic juvenem hunc generosum in ædibus meis commorantem ante annum curavi. Id autem ex casu hoc in practicum usum convertere licet: quod origo peripneumonici mali etiam esse possit ex primis viis, si stomachus flatibus & spasmis detinetur, qui sanguinem nimia copia, ad partes superiores, inprimis thoracem, urgent. Tum quidem, si candide æger delictum confitetur, occasio datur cito præscindendi gravem futurum morbum, si commodis evacuantibus, lenioribus emeticis, laxantibus, aut clysteribus, primæ viæ à sordibus depleantur. Et hoc in casu ratione non destituuntur practici non nulli, uti *Rulandus* atque *Hartmannus*, qui in principio inflammationis pulmonum dare præcipiunt vomitorium, quod, si hæc causa non subest, alias nocentissimum. Porro hac etiam ex historia apparet, non fidendum esse istis excretionibus, quæ in acutis pulmonum morbis fiunt per alvum. Sed genuinæ & saluberrimæ crises, succedunt per sudorem largum.

CAPUT VII.

De Febre Hepatica, sive Hepatitide.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Hepatitis vera rarissima.

Quo frequentior quam modo exposuimus pulmonum inflammatio; eo rarior hepatis inflammatio vera. Quod & cur hoc fiat, primus ego ante aliquot annos multis & validis rationibus adstruxi peculiari *dissertatione, de hepatis inflammatione vera rarissima, spuria frequentissima.* Potiora huc redeunt. Inflammatoriæ febres accidunt quam maxime nervosis & sensu acuto præditis partibus, in quibus ille in incongruis tubulis subsistens sanguis, dolorem movet ac spasmum, qui postea universum nervosarum partium systema in consensum pertrahit, exagitat sicque febrem accendit. Sanguinea autem minus exquisiti sensus viscera, non tam ægre ferunt sanguinis stagnationem, sed cedunt impetuosius affluenti, nec dolor supervenit, nec spasmus, atque adeo neque etiam febris. Quia igitur hæc inter eminet inprimis hepar, quod ex paucis arteriis, sed maximam partem venis, portæ & hepaticæ propaginibus, coagmentatur, & propter tunicarum nervosarum absentiam, in magnam molem potest expandi sine acuto dolore; hinc in ipsius substantiam minus cadit inflammatio.

§. II.

Sed frequentissime spuria, à Veteribus descripta.

Illa autem hepatis inflammatio, quam veteres fuse describunt, merito externa tantum, superficialis, quasi erysipelacea & spuria hepatitis, non secus ac pleuritis spuria, censenda, ejusdemque sedes non in ipsa interna hepatis substantia, sed potius circa convexam partem, in membranis & ligamentis viscus hoc cingentibus & quibus costis spuriis ac diaphragmatis portioni adhæret, constituenda videtur. Sic enim *Hippocrates de intern. affect.* §. *II.* hepaticum describit morbum: *dolor acutus in hepar incidit, & sub ultimas costas, & in claviculam, & sub mammam, & suffocatio fortis tenet, & aliquando lividam bilem revomit, & rigor ac febris primis diebus debilior habet, & dum attingitur hepar, dolet & color ipsius sublividus est, & cibi, quos prius comedebat æger, suffocant ipsum & ingesti urunt ac torquent ventrem. Huic conducunt, ubi dolorem habuerit, tum alia, tum tepefactoria eadem apposita, quæ etiam pleuritidi prosunt. Celsus lib. IV. cap. VII.* hæc acuti jecinoris morbi signa esse perhibet: *dextra parte sub præcordiis dolor vehemens est, idemque ad latus dextrum & ad jugulum humerumque partis ejusdem pervenit; non nunquam manus quoque dextra torpet, horror validus est, bilis evomitur, interdum singultus prope strangulat.* Jam quicunque hæc pathemata curatius expendet, facile

facile perſpiciet, illum, ab *Hippocrate* delineatum morbum, non tam in ipſo hepate conſiſtere, ſed potius ad magnam & paullo profundiorem eryſipelaceam inflammationem partium externarum, thoracem & hepar inveſtientium, eſſe referendum, eo quod non modo ultimas coſtas prehendit, ſed & ad humerum, mammam & claviculam ſeſe extendit ac dolor tactu augetur. Cum rigore quoque, febre & vomitu invadit, quæ ſymptomata inflammationi partium nervoſarum ſolennia. Dolor porro externis mollientibus & fibras laxantibus remittit. Ac reſpiratio ad ſuffocationem uſque difficilis, à ſpaſmo pleuræ & peritonæi, quæ membranæ diaphragma ſuperne & inferne inveſtiunt, idque in conſenſum trahunt, haud immerito derivanda. Qui autem à *Celſo* deſcribitur morbus, non etiam in ipſo hepatis viſcere, ſed in externis ipſi adhærentibus membranoſo-nervoſis partibus conſiſtere videtur, quæ dolore & ſpaſmo affectæ, nervos diaphragmatis, intercoſtales & qui ad ventriculum excurrunt, per conſenſum ſimili afficiunt. Hinc recte monet *Trallianus lib. VIII. cap.* 1. *conſiderari oportet, num inflammatio ipſi jecori proprie acciderit, an tunicis ipſius & muſculis extrinſecus ambientibus.* Quin *Avenzoar lib. I. theiz. tr. XIII. cap. IV.* diſertis verbis ſcribit: *aliquando in panniculo hepatis fit extenſio, unde ſequitur dolor fortiſſimus, quaſi intolerabilis, & apparet patienti, quod hepar ſit, quod doleat.*

§. III.

Licet hepar quandoque corruptione afficiatur.

In corruptionem quidem ſphaceloſam, ingrato fœtore & nigrore cognoſcendam, nec non in purulentam & apoſtematicam interdum abire hepar, teſtatum faciunt obſervata in diſſectione cadaverum, notata paſſim à *Foreſto lib. XIX. de hep. affect. obſ. X. Coitero in obſ. anatomico-chirurg. M. N. C. Dec. II. obſ. II. Capivaccio lib. III. c. XXIII. Bartholino Cent. IV. hiſt.* 18. *M. N. C. Cent. III. & IV. obſ. CXLIV. Dec. II. Ann. IX.* Sed tenendum omnino, non omnem ſphacelationem ſupponere inflammationem; nam illa etiam commode fieri poteſt à quiete & ſtaſi ſanguinis in ramis majoribus, & nullas omnino partes in corpore citius & frequentius ſphacelo affici aut apoſtemate, quam pulmones, hepar, lienem, uterum & omentum, obſervavi. Eadem quoque corruptio ex facili in hæc viſcera tranſire poteſt, ſi contigua pars primum eadem fuit infecta, haud ſecus ac videmus in externis artuum exiguo loco ortam ſphacelationem, ſubito latius ſerpere & vicinam carnem, quin integrum amplum membrum, manum & pedem, corripere atque corrumpere.

§. IV.

Hepatitidis ſymptomata & cauſæ.

Eſt igitur inflammatorius ille affectus, qui partes externas hepati contiguas & confines frequentius invadit, & ut plurimum cum horrore, frigore, interdum etiam vomitu & febre incipit, ac dein dolore, inſomnia, ſpirandi difficultate, inquietudine & alvi adſtrictione ſtipatur, ac vulgo pro hepatis inflammatione haberi ſolet, nihil aliud, quam ſpecies febris rheumaticæ, ſive rectius eryſipelaceæ, quæ fit non tam à decubitu & ſtaſi ſanguinis, quam potius ſeri viſcidi acrioris, membranas & fibrillas nerveas lancinantis. Propterea eidem quam maxime obnoxii ſunt, qui arthriticis & rheumaticis paſſionibus alias patent, qui potibus ſpirituoſis ac iræ indulgent, quibus ſuetæ ſanguinis evacuationes ſuppreſſæ, qui in aëre frigido diu verſantur, aut plane corpus æſtuans eidem incautius committunt, nec non qui diarrhœam potu largiori ſpiritus vini cohibuerunt. Quod vero dextrum thoracis latus rheumaticis doloribus longe frequentius afficiatur ac ſiniſtrum, hanc inprimis ob cauſam fieri arbitror, qui hepar magnum & ponderoſum viſcus ibi diaphragmati coſtiſque ſpuriis connexum, quod ſub vehementiori corporis motu & reſpiratione citatiori, has partes jugi tenſione debiliores reddit, eoque facit, ut humores ibi diſcurrentes facilius ſubſiſtant & etiam in tubulos incongruos urgeantur. Atque hæc etiam ſubeſt ratio, quod per lapſum, ictum, aut emplaſtrum calidius admotum, nec non cucurbitulas, longe facilius dolores & inflammationes inducantur in dextro latere, quam in ſiniſtro & alibi.

§. V.

Pleuritis ſæpe complicatur

Perquam autem notatu digna eſt obſervatio practica, quod interdum caſus occurrant, ubi partes membranaceæ, ſupra & infra coſtas ſpurias, gravi dolore tenſivo, cum febre, tuſſi ſicca & anguſtia ſpirandi afficiuntur, ob irritatam graviter ab acri rheumatico confluxu, non tantum pleuram ſupra diaphragma, verum etiam peritonæi membranam infra hoc, ut adeo morbus partim pro ſpuria pleuritide, partim hepatitide haberi poſſit. Multum enim affinitatis bini hi morbi alunt, dum in utroque dolor ſæpe ad jugulum & humerum ſeſe extendit, difficultas quoque ſpirandi adeſt & tuſſis ſicca, propter conſenſum non modo diaphragmatis, cui hepar firmiter annexum eſt cum pleura & peritonæo, ſed & nervorum intercoſtalium, eo excurrentium. Sunt tamen notæ non nullæ, quibus ambo hi affectus poſſunt diſtingui. In pleuritide quippe notha intra veras coſtas dolor pungitivus & tenſivus, cum tuſſi ſicca, febre & doloris ſub inſpiratione exacerbatione percipitur; in hepatitide autem dolor magis ſentitur circa ſpurias coſtas, qui ad cordis uſque ſcrobiculum, cum febre, præcordiorum anxietate & quandoque vomitu atque ſingultu ſeſe explicat. In hepatitide quoque, ſecus quam in pleuritide, decubitus in ſiniſtro latere ſemper eſt difficilis, quia, ut recte notat *Cælius Aurelianus lib. III. c. IV.* pondere ſuſpenſi hepatis adducuntur dextræ partes, membranoſæ ſcilicet, & propterea fiunt punctiones, ob tractam & tenſam membranam, cui jecur annexum eſt, & quæ cum diaphragmate colligatur.

a qua men differt.

§. VI.

Differt ab alio dextris affectibus.

Neque minus hepatitis merito diſtinguenda à dolore ardenti & fixo circa ſcrobiculum cordis verſus latus dextrum, cum ſingultu & vomitu ſæpe complicato, qui fit à calculo in ductu cyſtico, aut cholodocho hærente, & propterea aliam cauſam obtinet & aliam ſedem, prognoſin etiam aliam requirit & medicationem. Facile etiam hepatitis permutatur cum dolore tenſivo hypochondriorum, nec non qui eſt in muſculis abdominis, de quo jam monuit *Foreſtus lib. XIX. ſæpe imponit tumor dextri hypochondrii medico, tanquam ſit in jecore affectus, quum tamen ſit in muſculis abdominis.* Sed dolor ille dextri lateris, in hypochondriacis & hæmorrhoidariis admodum frequens, conſiſtit in flexura coli, ſine febre eſt, diſcedit citius, ſæpe repetit, nec ſymptomatibus febri inflammatoriæ, ſed malo hypochondriaco ſolennibus, ſtipatur, aliam habet cauſam, medicationem aliam. Et inflammatio muſcu-

muſculorum abdominis, præſertim tranſverſorum, qui arctiſſime alligati ſunt peritonæo circa hepatis confinia, ſenſibus magis eſt obvia & tumor tactui ac viſui ſeſe offert, cutis circumjecta tenſa comparet, ut digitis attracta minime ſequatur, febris ſociata mitior, nec tuſſis, nec vomitus adeſt, plerumque etiam fit à violentia externa & contuſione, ac niſi mature congruis præſidiis ſuccurratur, confines partes afficit, inflammat, in abſceſſum, febrem lentam & hecticam tranſit.

§. VII.

Eventus bonus. Interim hæc frequens hepatitis non adeo terrere debet medicum, nec ægrotum, eo quod ſi medicatio recte inſtituitur, non multum alit periculi & raro jugulat, niſi viſcera interna labe ſint affecta. Ut plurimum enim morbus intra ſeptem, vel undecim dies, finitur largo ſudore. Natura quippe ipſo febrili motu utitur pro medicina, cujus beneficio intra certum tempus materia peccans & ſubſiſtens attenuatur, reſolvitur ac ſenſim ſenſimque diſcutitur. Hinc qui ex inflammationibus convaleſcunt, hos per febrilem motum rite ſuccedentem evadere, cenſendum eſt. Quo ſenſu merito accipiendus *Hippocratis aphoriſmus 52. Sect. VII. quibuſcunque hepar circum circa dolet, iis febris accedens ſolvit dolorem.* Quando autem ſpuria hæc hepatis inflammatio, medici, aut ægroti culpa, non tempeſtive diſcutitur, ſed diutius perſiſtit, dolor permanet, febris accedit lenta, corpus tabeſcit, vires cum appetitu proſternuntur, os ſiccum eſt, urina tenuis alba, abſceſſus facti præbent indicium, qui tamen non tam in ipſa interiori hepatis compage, quam potius in externis tunicis, ligamentis, peritonæo & ſubjacentibus muſculis conſiſtit, gibbam hepatis partem ſimul afficit & plerumque funeſtum facit eventum, teſtimonio obſervationum & ſectionum anatomico-practicarum.

MEDENDI METHODUS.

CUM CAUTELIS ET OBSERVATIONIBUS CLINICIS.

§. I.

Malus. *Natura ſtui inſi- ndum.* Quum pleuritis & hepatitis multum convenientiæ quoad cauſam, originem, ſymptomata & prognoſin alant, ac non niſi loco differant; hinc modus ſanandi hanc parum diſcrepat ab illius, quem capite antecedenti expoſuimus. Quemadmodum vero medicus in quovis morbo ſanando prudentiſſime ſemper procedit, ſi ductum naturæ, quo morbus ſponte ſolvi ſolet, comite ratione ſana ſequitur; ita idem hoc in medicatione hujus paſſionis quam maxime ſervandum. Jam quia hepatitis eodem modo ac pleuritis per ſudorem, congruo critico tempore, dimidio nempe ſeptimi & ſeptimo ipſo die, ſponte ſolvi ſolet; eidem viæ merito inſiſtendum, & uſurpanda primo omnium ea, quæ ad liberiorem perſpirationem conferunt, vitanda viciſſim, quæ cuticularis excretionis ſucceſſum, diætetica ſint, ſive pharmaceutica, ullo modo remorari & impedire poſſunt. Quia autem ſecundum principem illum practicum *Hippocratis* canonem, non cruda, ſed concocta movere oportet; hinc principio id agendum, ut ſerum acre ſalſum, nervoſo-muſculoſis partibus vaſiſque minimis impactum, temperetur, diluatur ac reſolvatur, ſimul atque viæ ad critiam excretionem ſunt præparandæ, iis maxime, quæ fibras rigidas, tenſas, ſpaſmo conſtrictas remittunt ac molliunt.

§. II.

Faciendа. Igitur omnibus modis commendandus potus diluens, decoctum hordei cum paſſulis, vel etiam citratum, ſerum lactis dulce, cum pauxillo nitri & ſaccharo, nec non emulſiones ex decocto hordei, vel cornu cervi, cum amygdalis, quæ liberaliter ſumta & temperant & diluunt. Ejuſdem dein & adhuc diaphoreticæ virtutis ſunt infuſa theiformia ex herba veronicæ, cardui benedicti, floribus bellidis atque ſambuci, crebrius ſorbillata. Diaphoreſin movent ſimulque temperant pulveres, ex antimonio diaphoretico, præſertim ex regulo parato, lapidibus cancrorum, cornu cervi philoſophice præparato, nitro & cinnabari, cum aqua cardui benedicti, ceraſorum nigrorum, cinnamomi & florum acaciæ crebrius aſſumendi. Quibus ſubinde ad auctiorem perſpirationem interponendus uſus liquoris bezoardici, vel noſtri, vel Buſſiani, cum dupla parte liquoris noſtri anodyni mineralis, vel ſpiritus nitri dulcis. Neque negligenda alvina vacuatio, ſed ſi ſegnior, clyſtere emolliente, aut clementi ſolutivo promovenda. Exterius quoque temperato calido fotu evaporatio & diſcuſſio ſubſiſtentis humoris ſecundanda. Quem in finem conducunt decocta ex herbis & floribus emollientibus, cum croco & lacte, veſicæ bubulæ indita & parti dolenti admota, nec non ſacculi ex ſpeciebus reſolventibus & diſcutientibus, herba abſynthii, cardui benedicti, floribus ſambuci, chamomillæ vulgaris & Romanæ, baccis juniperi, ſemine aniſi & carvi confecti, & in vino, aut aceto vini cocti, ac prævia expreſſione impoſiti.

§. III.

Fugienda. Abſtinendum vero interius ab omnibus opiatis, narcoticis & ſopientibus, nec non à ſudoriferis calidioribus, quæ febrem accendere, vigilias intendere & delirium ſuſcitare valent. Exterius fugiendum regimen nimis calidum. Neque oleoſa & pinguia illinenda, quæ poros cutis obſtruunt, neque emplaſtra ſaturnina, vel epithemata ex aceto & lithargyrio admovenda, quæ nimis refrigerant & conſtringunt, neque etiam ſpirituoſa applicanda, quæ fibras rigidiores efficiunt ac dolores intendunt. Ipſe adeo decantatus camphoratus & crocatus vini ſpiritus, cautiſſime adhibendus, ob exſiccationem nimiam, quam partibus æſtu ac incendio jam detentis, infert. Si tamen uſurpare placet, fiat id ſtatim in principio, ante intenſum febrilem æſtum, vel eo valde remittente, & maxime quidem in naturis ſegnioribus.

§. IV.

De venæ ſectione tenenda. Præterea ad præſcindendum inflammationis incrementum admodum utilis & neceſſaria eſt ſanguinis miſſio inter initia, præſertim in manu vel pede lateris affecti inſtituta. Quantitas autem ſanguinis mittendi, nec non repetenda quandoque venæ ſectio, pro ratione plenitudinis vaſorum, conſuetudinis, virium, ætatis corporiſque habitus, dirigenda & judicio medici merito relinquenda, ne in exceſſu, vel defectu peccetur. Interim ſi quis hæmorrhoidarius, præſtat venam ſeligere in pede & ſi plethora urget, poſtea cubiti venam pertundere.

§. V.

Symptomatum singularium medicatio.

Si spasmus in loco affecto tantæ est vehementiæ, ut etiam ventriculum, duodenum ipsaque biliaria vasa in consensum trahat, & præcordiorum anxietas, vomitio, singultus & alvi adstrictio id prodat, & externis, & internis, opem ferre expedit. Tum ego sæpius non sine fructu alvo infundere jussi enema pure oleosum, parti dolenti & præcordiis admovere vesicam decocto emolliente plenam, & interius crebrius dare mixturas diapnoicas & resolventes, quæ aquam cardui benedicti, florum tiliæ, acaciæ, chamomillæ vulgaris, diascordium Fracastorii, nitrum & liquorem anodynum mineralem habuerunt. Quod si autem infarctus & obstructio hepatis, ac oriunda inde icteritia, complicantur; ego quidem singularis virtutis deprehendi epithema ex herbis cardui benedicti, scordii, absynthii, floribus sambuci, chamomillæ Romanæ & vulgaris, semine levistici ac cymini, in vino coctis, crebro admotum. Idem hoc epithema egregium quoque in declinatione morbi ad intercipiendum abscessum cum suppuratione. Sed ubi in inflammatione, à causa potissimum violenta & externa, suppurationis, vel etiam abscessus indicium præbet materia purulenta, per urinam, aut alvum secedens, cum febre lenta; ea utique adhiberi convenit, quæ ad extinguendum æstum febrilem & suppurationem debite tractandam proficua, de quibus tamen infra pluribus agemus.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Hepatitis ex lapsu in abscessum desinens lethalis.

Vir sexagenarius, militum præfectus, sanguineo-cholericus, in Bacchi & Veneris castris strenue militans, anno abhinc post gravem ex caballo lapsum, per aliquot hebdomades laboravit ingenti & acuto dolore in dextro hypochondrio, cum febre, spirandi difficultate & alvo adstricta. Curatus tamen fuit, sed dolor remansit obtusior & conquestus fere per annum de virium & appetitus languore, nec tamen vini potum, nec veneris exercitium intermisit. Accidit vero ut quum equo gradario veheretur, sensum quendam disruptionis internæ perciperet, quo simul & semel pressorius ille dolor cessavit. In urbem delatus me vocare jussit, magnasque querelas effudit de miro languore, summa spirandi difficultate & præcordiorum constrictione. Ego propius accedens, extrema frigida & frigidum in facie sudorem offendi, pulsum autem arteriarum vix percepi. Suasi igitur, ut ægrum in lectum transferrent calidum, & animæ medicum advocarent, meæ enim medicationi non amplius esse locum. Interim secta vena, sed nil fere effluxit, data analeptica interna & externa, sed frustra, & elapsis decem horis, è vivis discessit. Post mortem venter mirum in modum intumuit, ac in umbilicali regione die post disrupit, effluente sanie putrida & tam fœdâ, ut tota domus cadaverosa mephiti inficeretur.

Epicrisis.

Quemadmodum pleuritis vera & levior etiam peripneumonia, si ultra vigesimum diem persistit, facile in empyema, sive abscessum admodum periculosum abit; sic & hepatitis, sive inflammatio musculosarum & membranacearum partium circa hepar, si non discutitur, abscessum formare solet, qui ipsam hepatis substantiam labe inficit atque corrumpit. Testatum id facit casus, quem ego Mindæ Westphalorum observavi & jam enumeravi. Quia autem hanc observationem egregie illustrat, similis à *Foresto* notata *lib. XIX. de hepat. affect.* non abs re erit, si eandem heic inferam. *Vir*, habet, *annos triginta sex natus, dolore hypochondrii dextri per integrum fere annum confectus, cui lenta accessit febris, tabe confectus & plane consumtus est, tota facies citrina & universum corpus flavum evasit, & dolor atrox eum torquebat in dextro hypochondrio, quod durum & valde subtumidum, musculis abdominis plane extenuatis erat, urina tenuis & ignea, oris siccitas, alvus modo adstricta, modo liquida, cibi fastidium, sitis inexhausta. Incisione facta, materia purulenta fœtida emanavit, cum tanto fœtore, ut totam domum impleret, ita ut vix quisquam apud ægrum in cubiculo persistere posset. Aeger autem paullo post animam efflavit. Cadavere aperto, in tota ventris cavitate reperta est ingens copia puris, peritonæum quoque disruptum & putridum conspiciebatur, hepar durum, ingentis magnitudinis, albicans circa stomachum, sed in gibba sui parte prope costas spurias nigrum, exustum & gangræna infectum. In hepate vero nullum conspiciebatur pus. Præcipua autem corruptio hepatis erat in parte dextra, versus costas spurias & circa musculos intercostales, qui etiam cum costis spuriis nigredinem contraxerant, instar carbonis & facillime frangi poterant.*

Observatio II.

Hepatitis sudore c[ess]a.

Vir sanguineo-melancholicus, triginta circiter annos habens, diu jam vitæ sedentariæ addictus, neque cibis boni succi usus, vinis vero dulcioribus semper delectatus, omissa per aliquot annos sueta sanguinis missione, in ingentem per universum corpus languorem incidit, & miram quoque expertus est ad iracundiam proclivitatem, ita, ut à levissima causa commoveretur, & protinus saporem in lingua perciperet amarum. Post mensem correptus est insigni dolore in crure & hypochondrio dextro, tensivo partim, partim gravativo, qui attactu fuit exacerbatus. Accessit cibi fastidium, inquies, somnus insomniis turbatus, calor præternaturalis, extrema ab aëre frigidiusculo mox refrigescebant, faciei color sæpius mutabatur, alvus erat quidem fluida, & à pulveribus, quos nitrum parca dosi ingrediebatur, fœtida & biliosa multa dimittebat, sed post alvi secessum semper fere dolor acerbior reddebatur, qui etiam sub risu & fortiori inspiratione ingravescebat, urina crassa, rubicunda, cum sedimento secedente. Misso primis statim diebus ex mediana largiter sanguine, dabantur diaphoretica, tinctura bezoardica bis quotidie ad triginta guttas cum infuso veronicæ, item pulvis bezoardicus, cum nitro & camphora mixtus, arcanum quoque duplicatum cum nitro & cinnabari, quo sedes proritatæ & anxietates adauctæ. Septimo die accedente, cutis, antea sicca & arida, madescere primum cœpit, & postea sudor erupit largissimus, per viginti quatuor horas manans, quo omnia symptomata, respiratio difficilis, anxietas, horror & extremorum refrigeratio discussa, & somnus quoque rediit, ita ut post decimum quartum diem æger lectum relinqueret. Mense autem Augusto idem malum rediit, non quidem cum

tanta

tanta ſymptomatum & doloris atrocia, ſed diutius ægrum detinuit, & lentam febrem reliquit, diæta ſalubri & congruis remediis poſt aliquod tempus etiam abactam, ægro perfectam ſanitatem recuperante, & exſpirante ſimul illa ad iracundiam promtitudine.

Epicriſis.

Origo hujus morbi merito à craſſo & copioſo ſanguine repetenda, quem vita ſedentaria, victus craſſus & crebrior potus vinorum dulcium ingenuit, eaque propter multum ſimul ad infarctum & obſtructionem hepatis contulit. Acceſſit poſtea crebrior animi commotio, qua ſanguis lentus in minima vaſcula impulſus, ſtaſin ibi concepit inflammatoriam. Id enim curatam meretur obſervationem, quod qui hepatis vitio laborant, ad iracundiam admodum ſint faciles, nec prius prava hæc diſpoſitio ceſſat, quam hepatis labe ſublata. Videtur autem hæc inflammatio levior tantum fuiſſe ac in ligamentis; forſan etiam ſuperficie concavæ hepatis partis, conſtitiſſe, ideoque ſeptimo die ſudore diſcuſſa eſt largiſſimo, quod tempus ordinarium criticum inflammationum eſſe ſolet, ſi diſcuſſioni adhuc locus eſt.

Observatio III.

Hepatitis ſudore ſoluta.

Ante aliquot annos vocabar ad generoſum virum in vicina urbe degentem, ſanguineo-cholericum, ſtrictioris habitus & quadragenario jam majorem. Is à quinque diebus lecto fuerat affixus, conqueſtus de acutiſſimo lateris dextri ſub coſtis ſpuriis dolore, cum maxima præcordiorum conſtrictione & anxietate, ſpiritus difficultate ſumma, febre, vigilia & inquietudine. Medici primum in auxilium vocati, morbum oppido periculoſum, quin capitalem fore, propinquis & adſtantibus dixerant. Putarant enim hepar ipſum laborare & ſphaceloſa tantum non corruptione eſſe infectum, ideoque, præter interna putredini reſiſtentia & analeptica, exterius epithema ex aceto cum lithargyrio cocto, adjecta camphora, appoſuerant. Ego vero candide ipſis edixi, non adeo pernicioſum eſſe, ut crederent, morbum, ſed partes tantum externas hepati connexas, non hepar ipſum, pati. Removere hinc juſſi primum epithema & apponere lateri dolenti, veſicam cum decocto emolliente. Interius præbui pulverem ſupra deſcriptum, nec non mixturam, pro potu ptiſanam, item emulſionem ex ſemine cardui Mariæ, melonum, cucurbitæ & papaveris albi, cum aquis diapnoicis & analepticis, nec non infuſum theiforme ex herba veronicæ, floribus chamomillæ, ſummitatibus millefolii & ſemine fœniculi. Uſurpatis his, lenis mador in univerſo corpore obortus, cum ſymptomatum levamine, undecimo die ſudor manavit largus, & alvus quoque, ſub dolore ſtricta & vix clyſtere ſoluta, ſponte aliquoties dejecit. Atque ſic æger ex voto convaluit, adhuc vivens & optime valens. Dedit autem hic caſus mihi occaſionem ſcribendi diſſertationem academicam, *de hepatis inflammatione vera rariſſima, ſpuria frequentiſſima*, quam epicriſeos loco legendam commendo.

Caput VIII.

De Febre Nephritica.

Theses Pathologicæ.

§. I.

Deſcriptio nephritidis.

Oritur nephritica febris ex renum inflammatione, juncta cum dolore ardente fixo in lumbis, mictu difficili & aliis pathematibus ſpaſmodicis infimi ventris.

§. II.

Simplex levior.

Prout autem inflammatio levior eſt, vel gravior, ſive profundior, differunt etiam ſymptomata aliuſque morbi eſt eventus. Scilicet quando extima & propria renum tunica, innumeris capillaribus vaſculis, ex emulgentibus renum vaſis prodeuntibus, perfuſa, inflammationem patitur, levior hæc eſt, ſuperficialis & eryſipelatis ſpeciem habet; ſtipatur tamen dolore ardente fixo, acuto, cum pulſu celeri, duro, ſiti, mictu ardente, urina tenui, cruda & convenienti medicina, cum regimine leni diaphoretico, citra ſuppurationem, brevi tempore diſcutitur.

§. III.

Gravior in ulcus tranſiens.

Quando vero inflammatio profundior, febris etiam vehementior, dolor in lumbis ardens diuturnior, mictio difficilior, alvus ſtrictior & præcordiorum anxietas atque anguſtia major, urina cruda alba ſecedente. Quod ſi autem hic dolor ad decimum quartum uſque diem perſiſtit, ſuppuraſcere incipit, tumque haud ſecus ac in aliis inflammationibus in pus mutatis, dolor mitior fit & conquieſcit, urina autem prodire ſolet admodum ſaturata cum craſſo ſedimento, quod partim ex purulenta materia, partim muco tartareo conflatum eſt. Quin ſæpe inflammatio tam profunda & inde oriunda exulceratio tanta eſt, ut per plures annos duret, & ſucceſſive totam renum ſubſtantiam conſumat atque depaſcat, tandemque macie & febre hectica ægri moriantur, ac poſt mortem, renis loco, nil quam ſacculus reperiatur plenus pure. Quod ſi perrumpit & in cavitatem pelvis delabitur, incredibiles, uti notavimus, facit ante mortem dolores & urinæ retentionem, ob veſicam, ceu partem nervoſam & exquiſiti ſenſus, ab incumbente pure, corroſam & vehementi ſpaſmo affectam.

§. IV.

Brevis ex ſpaſmo renum.

Deinceps datur febris nephritica brevis & quandoque tantum diaria, quæ cum horrore, dorſi & partium extremarum rigore incipit; poſtea cum dolore lumborum & dorſi ardente, cardialgica ventriculi & alvi ſtrictura decurrit, & tandem ſola diaphoreſi & perſpiratione aucta, intra XXIV. horas, ſæpe ſolvitur, per urinam ſabulo craſſo ſecedente. Frequens hic affectus ſanguine plenis, maxime fœminis poſt quinquageſimum annum, & à ſola refrigeratione dorſi, præſertim lumborum inducitur. Ibi enim renes anterius minus integumentis & tantum muſculis tranſverſis ſunt obtecti, propterea ex facili frigus penetrat & ſubjacentibus hiſce partibus ſpaſticam infert ſtricturam. Febris igitur hæc magis eſt à ſpaſmo, quam inflammatione, & ideo facile

facile etiam converso ab interioribus ad exteriora sanguinis motu & perspiratione revocata, iterum dissipatur. Quod vero renes spasticis stricturis pateant, ex eo facile concludendum, quod plexus nervorum ex pari octavo & intercostali, renalis dictus, ipsam renum substantiam ingreditur, & non modo vasis sanguiferis, sed & ductibus urinariis, tonum, sensum & motum largitur. Et quia idem hic plexus, per ganglion connectitur cum plexu mesenterico & intestinorum, cum stomachi quoque nervis; hinc est, quod renibus, magis adhuc ureteribus, dolore & spasmo affectis, strictura cardialgicæ etiam in ventriculo & intestinis oboriantur, flatus in stomachum cum ructuum elisione urgeantur & alvus stringatur, quin ob inflatum ventriculum diaphragma prematur & spirandi angustia cum anxia præcordiorum constrictione inducatur. Ne dicam tenues, limpidas & aquosas urinas, quæ sub spasmis minguntur, luculenter testari, quod tubuli illi, qui in renibus liquorem urinosum sequestrant, & ad pelvim ducunt, spasmo, seu motu contractili afficiantur.

§. V.

Calculosa gravis.

Aliud febris nephriticæ genus, vehemens & ardentem tantum non mentiens, oritur à calculo: hic quidem, quamdiu in rene quiescit, nihil incommodi affert; ubi vero loco movetur, & transitum per pelvim ac ureteres molitur, spasmos & dolores gravissimos, febrem & supra memorata inducit symptomata, quæ etiam non prius quiescunt, quam in vesicam fuerit delatus. Jungitur autem calculosa hæc nephritis sæpius non modo cum dysuria, sed & non nunquam periculosa urinæ suppressione. Neque etiam prætereundum, non facile calculosam nephritidem gigni, nisi præcesserit nephritis simplex inflammatoria, vel etiam purulenta, in vasculosa & canaliculosa renum substantia, post quam urina extravasata & stagnans, vel puri commixta, sensim dimittit terreas moleculas, è quarum coalitu tandem succrescunt calculi.

§. VI.

Causæ nephritidis.

Omnis autem nephritica febris & passio, eodem modo ac aliæ febres incipit cum horrore & frigore, quod maxime ex spina dorsali & primis lumborum vertebris sumit initium, sub quo sanguinis motus ad interiora ipsumque cor convertitur, eoque à copioso sanguine lacessito, systole postea sequitur celerior. Atque adeo facile innotescit ratio, quare renibus & iis, qui ad nephritidem, sive simplicem, sive calculosam, sive spasmodicam, proclives sunt, nihil sit tam infensum, quam frigus hybernum, regnante vento boreali, aspero & rigido, quo improvide admisso, passiones hæ promte vel inducuntur, vel illico recrudescunt. Ad ingenerandas vero nephriticas has passiones & febres multa disponunt, tanto magis quando plura simul concurrunt, atque in unum effectum conspirant. Primum inter hæc merito obtinet locum plethora, præsertim in corporibus spongiosis & copiosis exilibus vasis dotatis, item in iis, qui evacuationibus sanguinis spontaneis criticis, vel artificialibus assueti, si illæ suppressæ, vel ob ætatis rationem emanserunt, hæ autem aliquamdiu interminssæ. In his expedita mali nephritici genesis, quando simul hæreditaria dispositio, vita sedentaria, nimia stomachi repletio, cibi flatulenti, potus crassus non diluens, aut nimis spirituosus, nec non impensior animi mœror concurrunt. Tanto magis & citius excluditur, quando plethorica ejusmodi crasso & copioso sanguine farcta corpora, vehementi & inconsueto motu, succussante equitatione aut vectura in curru agitantur, vel etiam medicamenta calidiora, urinam moventia, terebinthinata, juniperina, succinata, vel etiam purgantia aloëtica, liberaliùs assumuntur, quibus sanguis crassus cum impetu in subtiles & ultimas renum arteriolas urgetur, ibique subsistens, inflammationem efficit.

§. VII.

Cur sinistrum renem afficiat.

Quod autem sinister ren plus tentetur nephriticis passionibus ac dexter, id tribuendum esse videtur, tum quod ipse non tam bene tectus & à frigore munitus est, ac dexter, qui sub hepate delitescit, tum quod flexura coli ei proxime adjacet, quæ, uti sæpius, quam alibi fit, à flatibus incarceratis distenta, renem & vascula ipsius sanguifera comprimit, ut difficilior fiat per vasa emulgentia sanguinis circuitus, & ab hoc dependens urinæ secretio. Atque hinc etiam est, quod, qui calculi renalis doloribus frequentius obnoxii, insultum eorum illico experiantur, si cibos lentos & crassos, aut alia flatus procreantia assumserint.

CURATIO CUM CAUTELIS ET OBSERVATIONIBUS CLINICIS.

§. I.

Veterum methodus medendi.

Quam veteres servarint in curanda nephritide medendi methodum, tradit *Hippocrates de intern. affect. p.* 217. *si*, inquiens, *urina prodit velut à carnibus bubulis assatis succus, ex renibus ulceratis, dolore lumborum & vesicæ, mox intensiori; & qui simul descendit ad imum ventrem, hanc insinuat curam: multa calida lavato, & tepefactoriam ad dolentem maxime locum adhibeto, & sorbitione utatur è farina cocta, melle affuso, & reliquo victu utatur quam maxime per alvum secedente & vinum bibat album Mendesium, mellei coloris; aut aliud album jucundissimum, probe temperatum. Pro temporis opportunitate serum & lac bibat, serum quidem ad purgationem, lactis autem potum faciat in tempore per XLV. dies. Hæc si ita feceris, morbum in melius dispones.* Eundem fere curandi modum proponit *Celsus lib. IV. cap. X. oportet*, ait, *ubi renes male habent diu, conquiescere, cubare molliter, solvere alvum, si aliter non respondet, etiam ducere, sæpe desidere in aqua calida, neque cibum, neque potionem frigidam assumere, abstinere ab omnibus salsis, acribus, acidis, pomis, liberaliter bibere.* Deinde ad dolorem levandum, immo, si renes exulcerati sunt, semina cucumeris, nucleorum pinearum, crocum cum lacte decoctum commendat.

§. II.

Congrua præsidia.

Hæc veterum curandi ratio ita est comparata, ut nephritico morbo admodum sit accommoda, ac nil fere in eadem desiderari possit, quum omnia eo conspirent, ut vascula & fibræ tensæ, duræ & à spasmo constrictæ relaxentur & molliantur, humores stagnantes crassi diluantur, & obstructiones solvantur. Nos etiam hanc methodum deprehendimus probatissimam, in eaque perficienda his potissimùm usi sumus auxiliis, sero lactis dulci, vel lacte asinino acidulis Selteranis

remix-

remixto, item ptiſana cum lacte confuſa & potui data, emulſionibus ex amygdalis amaris, nucleis perſicorum, ſemine cucumeris, cucurbitæ cum aquis florum acaciæ, ulmariæ, ceraſorum nigrorum; pulveribus, ex oculis cancrorum, cornu cervi philoſophice præparato, lapide manati & nitro compoſitis, cum ſupra dictis, vehiculi loco, ſumtis. Infuſum quoque herbæ thée, propter blandam ſuam adſtrictionem in omnibus renum affectibus, præſervandi & curandi ſcopo, egregiæ eſt virtutis, & ceu ſpecificum olim maximi ſemper fuit habitum.

§. III.

Levioris nephritidis medicatio.

Interim quum variæ ſint nephriticæ hujus febris ſpecies & cauſæ, diverſi etiam gradus; hinc diverſimode etiam adornanda erit cura. Itaque in levi illo & diario ſæpe, ex ſolo frigore & ſpaſmo, renum dolore, nihil aliud agendum, quam ut ſaccŭlis lateribuſque calefactis, & dorſi, & abdominis regio, & ipſi quoque pedes, probe foveantur exterius, interius vero infuſum thée, aut theiforme ex floribus chamomillæ, ſummitatibus millefolii, ſemine fœniculi, ſucceſſive, ſed largiter, corpore ſimul ad ſudorem diſpoſito, bibat & alvus ſtricta validius expediatur clyſtere ex lacte, nitro, melle & oleo. Inprimis ad dolores mulcendos & diaphoreſin eliciendam ſpectatæ virtutis liquor noſter anodynus mineralis, ſi tres ipſius partes, cum una liquoris bezoardici *Buſſii* parte remiſceantur, & bihorio quovis viginti guttæ cum potu calido porrigantur.

§. IV.

Ingravieri uſurpanda.

Quando dolor ardens & fixus in lumbis diutius tenet, & indicium eſt, vaſa renalia ſanguine craſſo farcta eſſe atque obſtructa, cito ſolvenda plethora per venæ ſectionem in pede, vel in diſpoſitis ad hæmorrhoidalem fluxum hirudinum appoſitionem, ad anum. Poſtea interius danda, quæ æſtum ſanguinis temperant, & liberiorem humorum circuitum cum diaphoreſi procurant, quo nomine emulſiva, demulcentia, diluentia, antiſpaſmodica, pulveres diaphoretici cum cinnabari & nitro, omnibus aliis palmam præripiunt.

§. V.

Exulceratæ præſidia.

Ubi vero inflammatio in abſceſſum tranſit, ex puris mictu & dyſuria cognoſcendum, medicatio eo dirigenda, ut pus acre temperetur, abſtergatur & etiam fiat conſolidatio. Ad hoc perficiendum laudata virtus lactis, vel ſeri lactis, cum herbis vulnerariis, floribus hyperici, ſummitatibus millefolii, herba veronicæ, ſcabioſæ, hederæ terreſtris, conſolidæ Saracenicæ & ſaniculæ decocti. Tum quoque utiles emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidis & amygdalis, quibus adjicienda ſufficiens quantitas ſeminis lycopodii, cujus magna vis eſt dolorem leniens, exſiccans & conſolidans. Sunt etiam qui in renum vitiis multum tribuunt gummi ceraſorum in aqua, vel ſero lactis ſoluto & crebrius aſſumto. In illo etiam renum cum exulceratione vitio, quod plerumque in iis, qui diutius calculo laborarunt præſto eſt, ab omnibus acribus, calidis, ſpirituoſis, diureticis & lithontripticis eſt cavendum, quia novam facile inflammationem, vel etiam mictum cruentum, excitare poſſunt. Præſtantiſſimi vero tum uſus mel Pruſſicum album, præſertim cum pulvere nuciſtæ remixtum & loco ſacchari in decocto veronicæ ſumtum, vel etiam ſyrupus de dialthæa *Fernelii*, qui certe, ceu ſpecificum, in renum labe merito commendari dignus. Præterea malvaticum juniperinum, quod ex vino Malvatico & rob juniperi paratur, in antiquis renum ulceribus, à ſenibus præſertim, ad aliquot cochlearia, poſt cibum, ſumitur cum fructu.

§. VI.

Clyſteres proficui.

In nephritide tam inflammatoria, quam calculoſa, primum & princeps auxilium in clyſteribus demulcentibus ano infuſis, qui ſine ſtimulo ſalino & purgante parandi, ex lacte, ſero lactis, vel pura aqua dulci cum floribus ſambuci & chamomillæ decocta, adjectis binis vel una tantum uncia ſyrupi de althæa *Fernelii* & drachma una nitri. Diutius enim enemata debent retineri, quo ſpaſmos laxent & flatibus ſic exitum parent.

§. VII.

Flatus diſcutiendi.

Quum magna ſit conſenſio & communicatio inter renes, colon inteſtinum ipſumque ventriculum; adeo ut unius vitium facile tranſeat & communicetur cum altero, atque etiam inflatio coli, circumflexæ potiſſimum ipſius partis circa ſiniſtrum renem, comprimendo hunc, non modo ad ipſius morbos diſponat, ſed & eos proritet atque exacerbet, hinc tam ad præſervandum, quam mitigandum quod in renibus conſiſtit vitium, operam dare oportet medicum, ut omnia ex iis, quæ flatus cient, & alvum ſtringente facultate pollent, evitentur, contra quæ eam lubricam ſervant, uti oleum amygdalarum dulcium, flatibus etiam diſcutiendis dicata ſunt, uſurpentur, è quibus inſtar omnium eſt ſemen cymini cum ſaccharo obductum & frequentius deglutitum.

§. VIII.

Externa cum diſtinctione adhibenda.

Ad externorum uſum quod attinet, ſi ipſa febris cum dolore acuto adeſt, non facile ego ſuaſerim linimenta pinguia, neque etiam applicationem ſpiritus vini camphorati, multo minus balneum, ſed fotus temperate calidos, cum veſica ſemirepleta decocto florum emollientiũ cum croco ex lacte, longe erit utilior. Si autem febris abeſt, & labes exulcerationis poſtea metuenda, vidi emplaſtrum ſpermatis ranarum, ſumendo uncias ipſius duas, addendo ſacchari ſaturni, camphoræ ana drachmam, olei hyoſcyami drachmas duas, dolorem mitigando, eximie profuiſſe.

§. IX.

Minerales aquæ cum diſcrimine proſunt.

Utut aquarum mineralium uſus in omnibus fere renum vitiis opem ſpondeat eximiam, ſed tamen quum magna ſit in hiſce ingredientium diverſitas, non omnes promiſcue in uſum trahere convenit, ſed utique ſelectus habendus. Carolinæ thermæ, ſi in renibus ulcus, propter ſal calcarium purgans & diureticum, quo pollent, minus quadrant, quia nimium abſtergendo, cavitatem faciunt majorem. Provide quoque & caute agendum cum acidulis efficacioribus Pyrmontanis & Egranis. Emſenſes vero thermales aquæ & ex acidulis Selteranæ, propter ſal tenerum alcali & ſubtilitatem aquarum, magis conducunt. Semper tamen tutior eſt & acidularum & thermarum uſus, ſi cum dimidia parte lactis mixtæ, uſurpentur. Inprimis præſtat ad abſtergendas exulceratas renum partes, Selteranam, primum per quatuordecim dies ſolam, poſtea adhuc per menſem lacti nuptam caprillo, potare & traumatica, decoctum, ſive eſſentiam, interponere.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Nephritis exulcerata sanata.

Sereniſſima princeps, ſexagenaria ferme, mollioris & ſanguineæ texturæ, per aliquot annos nil niſi vinum, ac interdum aquam ſpirituoſam, carminativam, quam vocant Aquavit, bibens, ſubinde tamen copioſe infuſum thee potans, ante aliquot annos, poſt præcedentem corporis exæſtuationem per motum, incidit primum in dolorem dorſi & hypochondrii ſiniſtri, cum horrida refrigeratione, febre, anxietate, inquietudine, ſtrictura alvi, dolore in ſiniſtro rene, fixo, ſubinde tamen de vehementia remittente, ſed verſus noctem ſemper exacerbato, ſub quod urinæ tenues & albæ ſeceſſerunt. Perſeverarunt hæc ſymptomata uſque ad undecimum diem, quo tandem mitior dolor redditus & urina poſtea valde turbida cum craſſo multo ſedimento & bruni coloris emiſſa. Medicus diſciplinæ meæ alumnus, non deſtitit per morbi decurſum idoneis remediis ſuccurrere, & potiſſimum emulſiones demulcentes & refrigerantes, pulveres temperate diaphoreticos & nitroſos, nec non oleum amygdalarum dulcium interne, & externe fomenta ex emollientibus & unguenta ex oleo amygdalarum dulcium cum camphora in uſum vocavit. Ad impediendum quoque ulcerationis incrementum & conſolidationem promovendam, ſuaſit poſtea infuſa herbarum vulnerariarum, ut alchymillæ, veronicæ, ſummitatum millefolii, florum hyperici, cum lacte per menſem & longius potanda, ac vere demum conſilium dedit, ut acidulas Selteranas, per ſex hebdomades, ſub debito regimine biberet. Quibus per Dei gratiam perfecte convaluit Sereniſſima ægra, & etiamnum in exoptata vivit incolumitate.

Epicriſis.

Hæc inflammatio ſine dubio ab obſtructione vaſorum minimorum in renibus fuit ſuborta, quæ in plethoricis, ſicut omnes inflammationes, quam facile fieri poteſt, quando ſanguis per motum, aut calidiora, in extremitates arteriolarum, qui lympham vel ſuccum nutritium vehunt, urgetur & accedit lumborum refrigeratio. Non facile autem talis inflammatio, præſertim ſi paullo profundior, diſcutitur, ſed in ſuppurationem abit, id quod certum requirit tempus. Deinde etiam illud in uſum practicum hinc diſcendum, quod cito ſuppurationi factæ ſuccurrendum ſit blandioribus vulnerariis, ne ſcirrhoſum quid, quod longiorem ſuppurationem ſequitur, gignatur & ulcus poſtea fiat inſanabile.

Observatio II.

Nephritis calculoſa.

Vir ſanguineus, forma venuſtus, venereus vero & vini potator, natus è familia nephritidi obnoxia, vigeſimo octavo ætatis ſuæ anno, febre admodum ardente, cum vehementi dolore in regione lumbari lateris ſiniſtri affectus eſt; adfuerunt ſimul cruciatus diri in regimine, alvus adſtricta, ructus crebri, mingendi difficultas & urina exiit pauca, album deponens ſedimentum. Medicus conſultus febrem ardentem & colicam convulſivam eſſe putavit, ideoque venam ſecare juſſit & clyſteres applicare. Ego vero in auxilium vocatus, quum æger de dolore inſtar pali circa renem ſiniſtrum infixi & ſpaſmodica cruris ſiniſtri contractione conquereretur, quæſivi, num olim laborarit calculo? reſpondit: non, ſed ex familia eorum eſſe, qui calculi cruciatibus obnoxii. Dixi igitur, nephritidem eſſe calculoſam, cum inteſtinorum doloribus, & exhibui emulſionem ex nucleis perſicorum, ceraſorum, cucurbitæ, milii ſolis, papaveris albi, cum aqua graminis, perlarum matre, nitro & ſyrupo papaveris albi adjecto. Exterius loco dolenti admovere juſſi veſicam oleo liliorum alborum & chamomillæ cocto plenam, & ternis ſingulis horis injicere clyſma ex ſero lactis, oleo amygdalarum dulcium, ſyrupo dialthæa *Fernelii* & nitro. His alvus ſoluta, ructus moleſtiſſimi intercepti & ventris tormina non nihil ſedata, ſed calculus graviſſimis doloribus deſcendit in uretheres, ad quos tantiſper componendos & ſpaſticam criſpaturam in uretheribus remittendam dedi liquorem meum anodynum mineralem cum aliquot guttis laudani opiati liquidi, quibus in veſicam dimiſſus & inde etiam ad urethram delatus calculus, ob magnitudinem ibi obhæreſcens ac inſtrumenti ope eximendus, ſub qua operatione meatus urinarius læſus quodammodo, ut dein, ob cicatricem hunc anguſtantem, per omnem vitam mictio facta fuerit difficilior. Ad præſervationem igitur poſtea ſuaſi primum potum infuſi millefolii, dein acidularum Selteranarum cum vino & uſum crebriorem pulveris ex magneſia & nitro. Et jam per aliquot annos à calculi doloribus vixit immunis.

Epicriſis.

I. Quoniam doloribus ex calculo non modo febris valde ardens, ſed & dolores inteſtinorum, cum firma alvi obſtructione, vomitibus & ructibus junguntur; hinc in nullo morbo diagnoſis tam fallax, quam in hoc, præſertim ſi ægri antea nunquam inſultum ipſius experti. Novi calculoſam paſſionem pro ardente febre, pro iliaca paſſione, pro colica convulſiva, hæmorrhoidali, vel flatulenta, fuiſſe habitam, donec calculi proventus errorem argueret. Interim licet minus exquiſite cognoſcatur cauſa, in remediis tamen propinandis ea propter non multum errabit artifex, quum in omnibus his, non alia poſſint uſurpari, quam demulcentia, ſedativa, fibras rigidas laxantia & ſpaſmos remittentia. Quo magis patet, eandem methodum eademque remedia, pluribus morbis ſanandis eſſe poſſe accommoda.

II. Febris vehemens inflammatoria ex calculo ſine ſubſequente inflammatione eſſe poteſt: ſed cauſa febris tum potius ſpaſmus, quam obſtructio vaſculorum ab incarcerato ſanguine; ſpaſmus enim facilius ſolvitur, quam obſtructio diſcutitur.

III. Ad arcendam calculoſam nephritidem nihil utilius infuſo vulnerario, antiſpaſmodicæ ſimul virtutis, cujus generis eſt ex millefolio. Selterana dein pota aqua abſtergit mucum viſcidum, & prima calculi rudimenta colliquat ſenſim ac evehit. Alvus autem laxa, ne ex inteſtinis rem male afficiatur, prohibet, licet eadem neutiquam movenda ſit pilulis, præſertim quæ aloen habent, quibus in ſanguineis, præter dolorem calculoſum, & colicus, & hæmorrhoidalis, ſuſcitari poteſt.

Observatio III.

Fœmina quadraginta circiter annorum, ſanguine *Nephrit*

male tractata funesta.

guine & succis plena, facie florida, venæ sectioni antea assueta fuerat, quam à biennio vero omiserat, & tamen sedentariam coluerat vitam, plenæ ac vinosæ diætæ indulserat, neque sufficientem uteri purgationem habuerat. Hæc corripiebatur fixo in regione siniſtra lumbari dolore, qui per aliquot dies cum virium prostratione, nausea & alvi adstrictione insistebat. Ad hunc leniendum medicus præbebat pulveres ex antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum & opiato sic dicto laudano, ita ut dosis laudani haberet granum, eoque obtinebat, ut dolor redderetur obtusior, alvus vero magis obstiparetur, urina supprimeretur, spiritus arctius mearet, vigilia esset assidua, & præcordia impensius angerentur. Nihilo tamen secius insistebat papaveraceorum usui & emulsionem non modo cum larga seminis papaveris quantitate, sed & pilulas ex diureticis & opio præbebat. Licet autem his dolorem abigere & somnum inducere niteretur, neutrum tamen obtinebat, sed symptomata potius cum spirandi difficultate ingravescebant, abdomen durum reddebatur ac tensum, & accedebat quoque febris. Alius igitur in consilium vocabatur medicus, qui ad alvum expediendam & respirationem facilitandam, exhibebat decoctum ex dulcibus, emollientibus, foliis sennæ sine stipitibus atque rhabarbaro, cui ad sitim extinguendam non nihil spiritus nitri instillatum. Sed omnia frustra. Aegra enim corripiebatur horrore frequenti cum interiorum ardore, subsequebatur syncope cum levi delirio, cumque medicus sub his emeticum ex tribus tartari emetici granis daret, operatio nulla sequuta, & duabus ab eo assumto horis, ægra exspiravit.

Epicrisis.

Imprudentissimæ medicationis hoc est exemplum, qua morbus benignus, in capitalem plane conversus. Expensis enim probe circumstantiis, facile judicandum, malum hoc à nimia sanguinis redundantia in fœmina alias vegeta, ejusdemque stagnatione in vasis majoribus circa lumbos, nephritidem faciente, ortum traxisse, omneque damnum tempestiva liberali sanguinis missione & alvi apertione per clysteres, mature potuisse præscindi.

Observatio IV.

Nephritica febris ex calculo.

Vir quadragenarius, cholerico-sanguineus, multorum liberorum pater, ac ob mercaturæ negotia, multum in itineribus versans, postquam autumnalem sanguinis missionem justo diutius distulisset, & novissime curru noctu & interdiu vectus, corporis & succussationem & refrigerationem fuisset passus, domum delatus vesperi correptus est horrore, quem excepit æstus & dolor acutissimus in siniſtro latere supra ischii os, prope dorsi spinam, cum alvi adstrictione, inquietudine, siti, præcordiorum strictura & ructuum elisione, urina non quidem difficulter, sed alba & tenui secedente. Medicus ordinarius suasit clysterum oleosorum usum & potum olei amygdalarum dulcium cum jusculis. Delinita inde tantisper dolorum atrocia, mane ob alvum strictiorem ac sponte nec flatus, nec stercora dimittentem, tormina quoque & murmura in abdomine, pilulas purgantes cum croco deglutire jussit, quibus non sine prægressis cruciatibus alvus quidem soluta, dolor autem fixus circa renem siniſtrum exacerbatus, inquietudo cum calore adaucta, æger assumta illico revomuit corpusque admodum jactigavit, alvo simul denuo arctissime clausa. Ego in auxilium vocatus, ex dolore fixo in renis regione & subinde ad femur usque excurrente cum aliquali hujus rigore, nephriticam febrem esse conjeci, ac propterea primo omnium sanguinem è vena brachii mittere, dein alvo clysterem paregoricum domesticum cum nitro injicere & interius liquorem meum anodynum mineralem, alternatim cum pulvere temperante salino-nitroso præbere jussi, dato simul pro potu decocto avenaceo, non nunquam cum oleo amygdalarum dulcium, non nunquam brodium carnis cum citri succo. His æstus restinctus, vomitus compositus, dolor quoque conquievit, per intervalla tamen, vesperi præcipue, recruduit. Hinc locum dolentem unguento dialthæa, populeonis, cum oleo juniperi subinde fovere ac bis quotidie liquorem salino-alcalinum ac nitrosum sumere suasi, quibus etiam effectum, ut post septimum diem alvus sponte solveretur, cutis antea arida madesceret, pulsus mollesceret, urina, sub dolore pellucida, crassa nunc secederet ac sedimentum poneret, ipseque dolor penitus evanesceret. Licet autem tum nec sabulum, nec calculus prodiret, nephriticum tamen morbum fuisse patuit postea luculentius. Quum enim æger ad vernalem sanguinis missionem sese accingeret, & ob id alvum prius purgandi causa decoctum mannatum cum cremore & terra foliata tartari usurparet, inde non modo efficaciter alvus est subducta, sed & post toleratos vesperi leniores in lumbari regione versus pubem excurrentes dolores, mane cum urinam mitteret ex improviso simul etiam excrevit calculum oblongum, figuræ pyramidalis fere, diametri lentis, basi durum, superius autem friabilem atque porosum.

Epicrisis.

Calculum in renum substantia occultatum, paullo majorem & duriorem, febrem inflammatoriam cum acerbis doloribus & spasticis symptomatibus, excitare posse, hæc docet historia. Neque tamen id fit, quod irritando vel distendendo partes nervosas spasmos facit, sed quia comprimendo canaliculosam renum substantiam, obstaculum ponit liberiori sanguinis per eorum compagem progressui, & quando tum sanguis abundans cum vehementia per motum succussatorium vehementem in curru aut equo, impetuose ad renes pellitur, nec tamen per venas omnis æque expedite iterum reducitur, gignitur demum inflammatio. Illa enim dorsi sub vectura aut equitatione succussatio, sanguinem omnino impetuosius agit ad renes; unde novi, fœminas curru vectas ad crebriorem urinæ urgeri missionem. Novi etiam validiori hoc motu calculum in renibus quiescentem, esse loco trusum & in uretheres cum dolore translatum. In cura autem sic exclusæ nephriticæ febris, optimum & præsentissimum auxilium in sanguinis subtractione, cujus tamen quantitas merito medici judicio relinquenda. Neque etiam ego melius novi in plethoricis renum passionibus obnoxiis præservativum, quam venæ sectionem tempestive & cum judicio institutam. Atque hinc petenda est ratio, quod notante dudum *Hippocrate*, ab inflammatoriis ejusmodi febribus, nephriticis, peripneumonicis & phreneticis, liberi maneant, quibus hæmorrhoides recte fluunt.

Observatio V.

Nephriticus & hæmorrhoidalis dolor cum numerosa calculorum excretione.

Illustrissimus Comes, quadraginta circiter annos habens, optimæ & sanguineæ constitutionis, bis quotannis hæmorrhoidum, parciori tamen fluxui obnoxius, in intensum dorsi & abdominis incidit dolorem, ut erectus stare non posset, sed corpus semper incurvare necessum haberet: aderat simul creber ad mingendum stimulus, & urina secedebat parcior. Medicus huc usque ordinarius ansam hujus doloris esse voluit sanguinem per ani venas exitum molientem, & in tunicis intestinalibus stagnantem, eaque propter venam in pede aliquoties secari jussit, pulverem antispasmodicum exhibuit, & ad proritandum hæmorrhoidum stillicidium, crebriorem pilularum ad exemplar Becherianum paratarum usum suasit. Sed inde nihil accessit levaminis, dolores non modo remanserunt, sed & periodice sæpe cum extremorum frigore & subsequente totius corporis æstu, præsertim in regione lumbari, recurrerunt. Adiit igitur Carolinas thermas, ibique me in consilium accivit. Quumque ex sedimento urinæ mucoso & quodammodo tartareo conjicerem, illustrissimum ægrum non esse liberum à calculo, ut temperatas tantum thermales aquas biberet consilium dedi. Potis his optime habuit, & quod mirandum, post potum plures numero, magnitudinis variæ, lapillos subcinericios leves, cum urina excrevit, ut numerus eorum intra aliquot hebdomades, vel ad quadringentos accederet. Postea successive pauciores secesserunt ac quatriduo ante finem curæ nullus amplius prodiit. Interim licet sub hoc potu dolores essent mitissimi, in itinere tamen recruduerunt acerbiores, nec per annum postea penitus discesserunt, donec usurpatis infusis herbarum vulnerariarum, liquore anodyno minerali & ad roboranda sub doloribus afflicta membra, Tœplicensibus thermis, liberaretur tam à dorsi, quam renum calculosis passionibus.

Epicrisis.

Sanguineæ & forma venustæ personæ, ſr corpus jam omne nactum augmentum, ex facili patent internis partium inflammationibus, nec non sanguinis evacuationibus, præsertim per sedis venas. Quæ sanguinis excretio, si deficit, haud raro renum inflammatio & calculosa dispositio excipit. Hinc perite *Hippocrates Sect. II. aph. XI.* scribit: *nephriticis si hæmorrhoides fluunt bonum.* In nostro illustrissimo ægro & hæmorrhoidalis intestinorum, & calculi renum dolor fuit conjunctus, quod haud infrequens est. Thermarum autem Carolinarum ea virtus est atque efficacia, ut renes valide expurgent à sabulosis & tartareis sordibus. Sed cautus sit earum usus, si magna in renibus exulceratio, ne irritando eandem augeant majoremque faciant cavitatem. Optimo consilio in nostro ægro post thermalis aquæ potum in usum vocata decocta & infusa vulneraria, cum pulveribus nitrosis & liquore anodyno minerali. Renes enim male affecti ad consolidationem optime ferunt lenem adstrictionem. Unde ab auctoribus omnes fere herbæ vulnerariæ, in morbis ex renum vitio, quam maxime celebrantur.

Plures notatu dignæ observationes legantur in *Consult. med. Tom. II. LXXIII. LXXVII. item LXXXIX.*

CAPUT IX.

De Inflammatione Vesicæ.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Inflammatiæ vesicæ pathognomonica signa.

Vesicæ compages, ex quatuor tunicis, una à peritonæo, altera musculari, tertia nervosa, cui quarta mucosa seu villosa obducta, si spasmo & inflammatione afficitur, haud secus ac si ventriculi ejusdem texturæ carpus, aut aliæ nervosæ partes eandem patiuntur, & multis & gravibus stipatur symptomatibus, licet auctores medici recentiores paucam & vix ullam hujus passionis injiciant mentionem. Pathognomonica autem & essentialia ipsius signa sunt hæc: dolor acutus, ardens & pressorius in regione pubis, cum febre, perpetuo tenesmo sive desidendi stimulo, & continuo ad mingendum conatu.

§. II.

Causa inflammationis.

Inflammationis hujus proxima causa sanguinis vel etiam seri impuri in extremitatibus arteriolarum stasis est, qua sanguifera per vesicæ tunicas discurrentia vasa, à sanguine copiosius congesto nimium replentur, distenduntur & nervosa exquisitissimæ sensationis tunica, in vehementem spasmum abripitur, ex quo reliquorum symptomatum origo.

§. III.

Item symptomatum.

Nimirum gravia illa pathemata, quæ inflammationi vesicæ juncta, dolor ardens pressorius, ani constrictio, tenesmus, difficilis & continuo urgens mictus, borborygmi, ventris tormina, summa præcordiorum anxietas, ægra spiratio, inappetentia, mala digestio, vomitus, extremorum frigus, pulsus durus, inæqualis, contractus, celer, inquietudo, quandoque etiam convulsio, unice pendent à spasmo in vesica, qui, si vehementior, ob nervorum communionem, non modo rectum, sed & reliqua intestina, ventriculum & diaphragma, immo ipsas cerebri & spinalis medullæ membranas, cum universo nervosarum partium systemate, in similes spasticos & constrictorios motus abripit. Quam intima enim stomacho cum vesica intercedat consensio, notavit jam *Celsus lib. VII. cap. XXII.* ita habens: *non ignoramus, orto vesicæ ulcere, sæpe affici stomachum, cui cum vesica quoddam consortium est, ex quo fit, ut neque retineatur cibus, neque, si quis contentus est, concoquatur, neque corpus alatur.*

§. IV.

Levior est vel gravior.

Non tamen semper unius ejusdemque est vehementiæ, sed quandoque levior, quandoque gravior. Levior illa superficialis magis est, spuria quasi & rheumaticæ, vel erysipelaceæ speciei, ac propterea brevi etiam & facilius ipsa febris per diaphoresin tollitur. Oritur etiam non tam à sanguine, sed potius à sero salso, acri, impuro inter vascula & fibrillulas nerveas hærente. Hinc familiaris quam maxime senibus, scorbuticis, arthriticis, rheumaticis, hemicranicis, purpura scorbutica laborantibus atque cachecticis, tum maxime, quando refrigeratione inferiorum

à rigi-

à rigido & boreali aëris ſtatu, perſpiratio intercipitur, ac inoffenſus ſanguinis & humorum per minimos tubulos circuitus ſiſtitur. Quæ autem gravior, profundior eſt, à craſſo & impuro ſanguine in veſicæ vaſis uberius collecto provenit, plethorico-cacochymicos hinc frequentius infeſtat, atrociora habet ſymptomata & perquam facile in ſuppurationem, exulcerationem vel ſphacelum funeſtum plane tranſit.

§. V.

Oritur à ſuppreſſis ſanguinis evacuationibus.

Ex iis quæ ad ingenerandam veſicæ inflammationem conferunt, ſunt maxime criticæ ſanguinis evacuationes, per menſes, vel hæmorrhoides deficientes, vel plane ſuppreſſæ. Magna enim conſenſio veſicæ & inteſtini recti, alterutra parte male & ſpaſmo vel inflammatione affecta, propter hæmorrhoidalia tam interna, quam potiſſimum externa vaſa, è quibus, notante *Veſalio lib. III. cap. IX. de fabrica C. H. pag.* 475. rami, hypogaſtricæ propagines, ad veſicæ cervicem abeunt, unde etiam ſuppuratio & exulceratio ex ruptis ſanguiferis vaſculis in cervice ut plurimum obſervatur magna. Inprimis in fœminis, ſi, uti haud infrequens, & menſium & hæmorrhoidum fluxum experiuntur, ac ille ceſſat, nec hic recte ſuccedit, ſanguis impetuoſe ruit ad veſicæ vaſa & gravia ſymptomata, febrem, ulcerationem, purulentam mictionem, quandoque cruentam, dyſuriam & alia plura incommoda adducit.

§. VI.

Nec non à gonorrhœa male tractata.

Deinceps non raro inflammationem veſicæ infert gonorrhœa, præſertim virulenta, male per adſtringentia, vel etiam nimis calida & acria pellentia tractata. Attenta enim obſervatione conſtat, gonorrhœam ſæpius recurrentem & perverſa medicatione exceptam, abire in proſtatarum, veſicularum ſeminalium & ipſius veſicæ ulcus. Proſtatæ quippe glandulæ, quæ ut plurimum gonorrhœæ ſedes, quando tumore, dolore, inflammatione & ſuppuratione afficiuntur, facile labem communicant veſicæ collo proxime adjacenti, ut vitium latius ſerpat. Tum vero præter fluxum ſeminis ex urethra involuntarium, urina mingitur, quæ craſſum, copioſum, mucilaginoſum purulentum ſedimentum ad fundum dimittit, quod ab urina ſeparatum & exſiccatum flammæ ſi injicitur, tetrum fœtorem, non ſecus ac ſanguis combuſtus, ſpargit.

§. VII.

Eventus morbi.

De ſucceſſu & eventu morbi veritati & experientiæ omnino congruum *Hippocratis* effatum *de prænot. pag.* 464. ſic habens: *veſicæ duræ & dolentes penitus quidem horrendæ ſunt & perniciosæ; perniciosiſſimæ vero, quæ cum febre continua fiunt. Etenim dolores ab ipſis veſicis ad occidendum ſufficiunt, & alvi non egerunt hoc tempore, niſi durum quioddam & hoc coacte. Solvit autem urina micta purulenta, quæ albam ac levem ſubſidentiam habet. Si vero neque ab urina quicquam remiſerit dolor, neque veſica molliatur & febris continua fuerit, in primis circuitibus morbi, ægrum morituum eſſe timor eſt.* Quando autem inflammatio non tempeſtive diſcutitur, lentius aut citius neçat. Qui cito, ex ſphacelo pereunt, ac uti teſtantur obſervationes anatomico-practicæ, veſica ſphacelo affecta, vel vaſa ipſius ſanguifera varicoſa, & nigro cruore farta reperiuntur. Tardius autem mors excipit, quando exulceratio ſuccedit, ex mictu purulento cognoſcenda, quæ tandem vel hectico calore necat, vel latius ſerpens inteſtinum rectum etiam exedit, ac gangrænam inducit funeſtam.

§. VIII.

Urina micida & dyſuria non ſemper ab inflammatia veſicæ.

Interim non omnis urina turbida & ſub mictu difficili & ardore excreta, inflammatæ, aut exulceratæ veſicæ eſt indicium. Id enim haud raro obvium in ſenibus, ſcorbuticis & qui dyſcraſia humorum laborant, & accidit ſine periculo. Quandoque etiam ſolus veſicæ ſpaſmus, ab urina acri, calculo aſperiori, aut collectione ſeri impuri in vaſis veſicalibus, inductus, inſignem muci quantitatem ex villoſa tunica exprimit ac urinæ inſinuat. Neque minus veſicæ ſpaſmus & dyſuria ſæpe comitatur febrem, quæ plerumque eſt ſcorbutica & exanthematica, cum purpura, vel maculis ſcorbuticis inſtar petechiarum, nec periculo vacat. Quin aliquoties in purpura ſcorbutica affectis obiervavi, quod impedita materiæ purpuraceæ per improvidam refrigerationem excretione, vel hac retropulſa, eadem pathemata, ſpaſmus nempe veſicæ ac difficilis mictus, acceſſerint, nullam aliam ob cauſam, quam quod conſtrictis à frigore tubulis ſubcutaneis, motus ſanguinis & humorum ab exterioribus ad interiora converſus, ſimulque recrementitia & acris illa materia nervoſæ veſicæ illapſa.

CURATIO.

§. I.

Spaſmus veſicæ ex ſanguine.

Nulli morbi difficilius curantur, quam qui in veſica conſiſtunt: eſt enim nervoſa & exquiſiti ſenſus pars, ſecundum veterum loquendi morem frigida, & pauco ſanguine perfuſa, ac urina perpetuo ſuperne affluens conſolidationem impedit, præſertim in ſenibus. Quare veſicæ vitia, uti ſpaſmus, inflammatio, exulceratio, difficilis & doloroſus mictus, facilius arcentur, quam perſanantur. Interim quia ſpaſmus veſicæ primam fere cauſam omnibus quæ ipſam infeſtant paſſionibus ſubminiſtrat, præcipua utique medentis intentio, ut eundem tempeſtive præſcindat, & modis declinet cunctis. Sed quum hic ſpaſmus veſicalibus tunicis vel à ſanguine uberius ibi congeſto, tendente ac premente, vel ab acri impuro ſero eo decumbente, inducatur, cauſæ hæ probe ſunt diſcernendæ in medicatione. Quod ſi igitur poſt ſuppreſſum menſium vel hæmorrhoidum fluxum, tale vitium imminet, optimum conſilium, ut excretiones hæ vel revocentur, vel ſanguis copioſe congeſtus per venæ, præſertim in pede, ſectionem, derivetur, quod auxilii genus, iis inprimis, quibus ani, aut uteri venæ ſtillare amplius jam ceſſarunt, proficuum eſt. Et hoc in caſu verum omnino *Hippocratis aph. XLVIII. Sect. VII.* dictum: urinæ difficultatem & ſtillicidium ſolvere venæ ſectionem.

§. II.

Ab humore acri quibus arcendus.

Quando ſcorbuticis & iis, qui rheumatiſmis, arthritide & purpura chronica laborarunt, ulcera antiqua conſolidata ſunt, aut materia quædam exanthematica retropulſa, ſenibus quoque ob dyſcraſiam ſanguinis & humorum impuram, veſicæ paſſiones imminent, cito remediis diluentibus, acrimoniam temperantibus, blandis diaphoreticis ſanguinemque depurantibus eſt ſuccurrendum. Hunc in finem utilia decocta pro potu ordi-

ordinario temperantia, ex radice ſcorzoneræ, chinæ, ſiſere, fœniculi, item infuſa theiformia ex ſummitatibus millefolii, floribus malvæ, baccis alkekengi & ſemine dauci parata, cum dimidia parte lactis mixta & ſyrupo è dialthæa *Fernelii* dulcificata. Neque minus ſpectata ſeri lactis dulcis virtus. Quibus ſi accedit uſus emulſionis ex ſeminibus quatuor frigidis, & pulverum temperantium ex pulvere Marchionis, antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, matre perlarum, cum nitri tantillo & aliquot guttis olei macis, effectus eſt exoptatus. Quia tamen puritas humorum multum etiam debita purgamentorum alvi excretione conſervatur, videndum utique, ut hæc præſtetur libera, optime alimentis, ſin vero minus reſponderit, mannatis, cum vel ſine rhabarbaro, addito nitro antimoniato, aut clyſteribus emollientibus ducenda.

§. III.

In inflammatione & ſpaſmo proficua.

Ubi vero inflammatio cum ſpaſmo jam præſto eſt, præter jam dicta, commendatiſſimus eſt uſus liquoris anodyni mineralis, ad drachmam unam, remixti cum granis quinque extracti croci & granis duobus camphoræ. Tum etiam pulveres diaphoretici ac temperantes, aucta nitri doſi, cum emulſionibus ex ſeminibus quatuor frigidis ſunt porrigendi. Et exterius partem affectam antiſpaſmodicis & leniter diſcutientibus fovere expedit. Nobis hunc in finem uſitata veſica decocto florum emollientium plena, vel loco hujus emplaſtrum ex emplaſtri de meliloto uncia, ſpermatis ceti drachmis tribus, croci, camphoræ ana drachma, nec non oleum anodynum camphoræ, ex olei amygdalarum dulcium uncia, hyoſcyami drachmis tribus & camphoræ drachma, pubis & perinæi regioni crebrius illitum. Ubi etiam ſpaſmus ſolus teneſmum moleſtum, vel difficilem, doloroſam mictionem efficit, præter balnea aquæ dulcis, omnia alia auxilia virtute ſuperant vapores ex decocto florum meliloti, ſambuci, chamomillæ officinalis, malvæ, ſummitatum millefolii cum lacte, in perforata ſella ad laborantes partes admiſſi.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Minerales aquæ utiliſſimæ.

In veſicæ vitiis inveteratis, quæ cachecticis, hypochondriacis, ſcorbuticis, ſenibus & hæmorrhoidariis, nunquam non ſunt frequentia, ad incrementum eorum præſcindendum, per longum uſum efficacius deprehendi nihil, quam peritum aquarum mineralium uſum. Celebres jam pridem hoc nomine Spadanæ aquæ, de quibus ſic diſertis verbis ſcribit *Henricus ab Heer in Spadacren. hæc fontis Spadani, propria ac ſingularis facultas, ut veſicæ renumque dolores ſopiat ac leniat, morbos vero harum partium perſanet, ventriculum debilem roboret, & ciborum languentem appetentiam excitet.* Quin idem gravis auctor ſuadet, ut, ſi renum & veſicæ vitiis affecti liberi ab iis vivere velint, per totum annum hanc medicatam aquam bibant. Neque minus *Tulpius lib. II. cap. LIII.* teſtis eſt fide dignus, deploratum veſicæ ulcus, omnibus parum aut nihil proficientibus, continuo aquæ Spadanæ uſu, tam feliciter fuiſſe debellatum, ut ſumme obſtupuerint, quibus id viſum certam habere deſperationem. Ego vero habeo, quod maxime laudem uſum Selteranarum, quarum ſaluberrima ingredientia penitius inſpexi, quarumque virtutem in omni interna pulmonum, renum & veſicæ labe exemplis habeo confirmatam fere innumeris. Hinc ſuadeo, ut vere ſemper & autumno, per menſem & longius bibantur, vel quod melius inter cibum potus ordinarii loco, cum quarta vini Moſellani parte remixtæ, potentur.

§. II.

Lac cum aqua pro eſt.

Lacticinia quidem per ſe renum ac veſicæ læſionibus & morbis minus accommoda. Sed ſi lac ipſum, præſertim aſininum, cum Selterana aqua bibitur, vel quod melius adhuc, acidulæ hæ, ad abſtergendam eo melius ſanioſam & mucoſam materiam, per aliquot hebdomades primum ſolæ, ac poſtea vel ſolum lac, vel medicatæ huic aquæ confuſum, uſurpantur, magis quam ullum aliud remedium prodeſſe, expertus ſcribo.

§. III.

Venæ ſectio cum diſtinctione admittenda.

Licet ſanguinis miſſio utiliſſima ſit, tam ad arcenda, quam perſananda veſicæ ex ſanguinis congeſtione vitia: multum tamen nocet frequens ipſius adminiſtratio, ubi humorum magis impuritas, quam abundantia in vitio eſt, ac ubi materia acris purpuracea altius ſanguini eſt inſinuata. Nam ſubtracto nimium ſanguine, motus ipſius ad corporis ambitum elangueſcit, perſpiratio ſimul imminuitur, & morbi cauſa magis obfirmatur, licet in principio doloris lenimentum inde accedere videatur.

§. IV.

Vinum dulce non acidum bibendum.

Vini potum *Hippocrates l.* ſuperius *c.* in urinæ difficultatibus commendat; merito tamen tenendum, quod nullum aliud ex uſu ſit, quam dulce, Malvaticum, Hiſpanicum, vel etiam Hungaricum, quod moderate & medice potum, tam ad roborandum ſtomachum, quam ad vires refocillandas, apprime conducit, niſi febris & calor prohibeant. Illa vero vina quæ multum acidi tartarei in ſinu fovent, ut Rhenana, item noſtratia auſtera, penitus merito ſunt rejicienda.

§. V.

Frigus nocet, calor temperatus prodeſt.

Quum omne frigidum nervis nervoſisque partibus ſit inimiciſſimum, calidum vero amiciſſimum; hinc in nervoſæ veſicæ paſſionibus ſumma cum cura etiam vitanda refrigeratio, maxime inferiorum, frigidus potus, ac præſertim in ſenili ætate, remedia nimium refrigerantia, acida & nitroſa. Viciſſim quæ corpus, abdomen inprimis & pedes, à frigore defendunt ac in perſpiratione ſervant, ut motus corporis moderatus, potus infuſi theiformis, potio calida, item pediluvia & balnea aquæ dulcis, optimum doloris procurant lenimentum. Atque etiam hanc ob cauſam è re eſt, ut aquæ medicatæ ipſæ, tam ſolæ, quam lacti nuptæ, tepidæ potius, quam frigidæ bibantur.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Dolor veſica ex ſanguine ſtagnante.

Vir quadraginta annorum, vitæ ſedentariæ ob intemperantiam ſtudiorum addictus, intolerabili cruciatu & tormento circa pubis & perinæi regionem cum magna difficultate reddendi urinam diu ſæpe per intervalla afflictus fuit, &

propter

propter dolorum atrociam, inquietudinem, anxietatem, vigiliam viriumque deſectionem, cum extremorum tremore ac frigore, tam miſere decubuit, ut ad deſperationem quandoque redactus, cultro filum vitæ abrumpere voluerit. Affligebat hæc miſeria interdum per aliquot hebdomades, poſtea ſenſim paulatimque remittebat, ut officio ſuo fungi poſſet; urina plerumque pauca & turbida profluebat, craſſum ſedimentum deponens. Et quum per ſex fere annos hoc malo exagitatus eſſet, viribus tandem penitus conſumtis, quadrageſimo ætatis anno obiit. Omnes, quos per totam civitatem in auxilium vocarat, medici, & calculum, & veſicæ exulcerationem, hujus miſeræ affectionis cauſam judicarunt; ſed aliud longe partis affectæ poſt mortem ſcrutinium docuit, veſica quippe integra, ſine exulceratione, inventa fuit, nec veſtigium ſabuli aut calculi in ea repertum, ipſum vero veſicæ corpus longe craſſius & denſius, copioſis & valde diſtentis vaſis ſanguiferis, quorum nonnulla calamum ſcriptorium craſſitie æquabant, obſitum. Ut adeo omnium horum cruciatuum nulla alia fuerit cauſa, quam inſolita illa ſtagnatio & incarceratio ſanguinis in vaſis veſicæ.

Epicriſis.

Hæc hiſtoria luculenter docet, ſpaſmum veſicæ urinariæ vehementiorem, tantum valere, ut univerſum nervoſarum partium ſyſtema in conſortium trahere & œconomiam omnium corporis functionum perturbare queat. Dein pateſcit: difficilem cum ardore & ſtillicidio mictum, urinam quoque glutinoſam, juxta *Hippocratem* furfuraceam, non ſemper exulcerationem, vel calculum intus latentem prodere, ſed à ſola ſpaſtica contractione veſicæ oboriri poſſe, qua tunica interior mucoſa fortiter compreſſa mucoſum liquidum copioſe in cavitatem veſicæ eructat, quod urinæ immixtum, poſtea cum ipſa excernitur, eodem modo ac notum eſt, dolorificum illum ſpaſmum, qui ſæpe fit in extremitate inteſtini recti exquiſiti ſenſus, ita comprimere tunicam cum vaſis ſuis villoſam, ut inſignis copia muci albi, inſtar albuminis ovi, cum teneſmo dimittatur, quod vulgo vocant hæmorrhoides albas. Veſicæ autem ſpaſmi cauſa non tam eſt in cavitate veſicæ, quam potius intra ejus ſubſtantiam. Nam, ſicuti à menſium vel hæmorrhoidum fluxu ſuffla minato, ſanguis regurgitans ad vaſa ventriculi & inteſtinorum, & intra eorum tunicas ſentientes ſtagnans, diſtractione & compreſſione, vehementia tormina, anxietates, dolores, convulſiones & ſpaſmos concitat, ita etiam, quando vel ex vitio & emanſione fluxus hæmorrhoidalis, vel aliis ex cauſis, ſanguis ad veſicæ corpus magna copia delatus ibi ſtagnat, non mirum eſt, quod in nervoſa ipſius compage ſpaſmos, & quæ ab iis proficiſcuntur ſymptomata, producat.

Observatio II.

e hæmorroidibus ppreſſis haus vesicæ inammatio.

Vir quadraginta annorum, ſanguineo-cholericus, ex vitæ genere valde inquieto tranſiens ad quietum & ſedentarium, experitur brevi poſt hæmorrhoidalem fluxum, quem præpoſtere remediis adhibitis ſupprimi curavit. Sequuta hinc mictio cruenta, ſingulis fere menſibus rediens, qua ceſſante anxietates præcordiorum, dolores lumborum, borborygmi ventris, prava digeſtio & inappetentia oborta. Ad tollenda hæc mala variis uſus quidem remediis, thermis, lactis cura, ſed non cum debito regimine. Acceſſit hinc poſtea funeſta veſicæ inflammatio, cognoſcenda ſatis ex magno ardore, dolore in regione pubis, mictu difficili & dolorifico, febre, præcordiorum anxietate & delirio, ac poſt mortem veſica inflammata & ſphacelata inventa fuit.

Epicriſis.

Hæmorrhoidalis fluxus interdum tranſit in mictionem cruentam, criticam quoque, quæ nullo modo cohibenda, niſi rurſus provocentur hæmorrhoides, alias graviſſima ſubſequuntur ſpaſmodica pathemata non modo, ſed & ipſa veſica tandem inflammatione gravi cum febre afficitur, quæ facile abit in ſphacelum. Nam qui morbis veſicæ moriuntur, ii plerumque pereunt ſphacelo, qui etiam inteſtinum rectum ſæpe afficit, ut hæmorrhoidalia vaſa ſanguine nigro infarcta cum penis livore compareant.

Observatio III.

Veſicæ inflammatio à materia acri lethalis.

Summus hujus urbis Theologus, vitæ ſedentariæ perpetuæque mentis per ardua multa negotia fatigationi aſſuetus, à purpura intus delitescente ſcorbutica in gravem primum per intervalla dyſuriam incidit, juncta ſimul paralyſi ſpuria dextræ manus, quæ, quamdiu perſtitit, remiſſior fuit dyſuria, illa vero evaneſcente, atrocior veſicæ ſpaſmus & dolor cum aſſiduo urinam mittendi ſtimulo, illico rediit. Tandem cum ſanitate quidem in gratiam redire videbatur, ſed quum forte languidum adhuc corpus auræ frigidiori expoſuiſſet, rediere intoleranda mictus tormina, quæ veſicæ inflammatio, ex parte exulceratio febrisque acuta exanthematica exceperunt, funeſto proh! eventu.

Epicriſis.

Inflammatio veſicæ, à ſero ſalſo impuro & corrupto, veſicæ tunicis nerveis firmius inhæreſcente eoſque lancinante, quandoque ſubnaſcitur. Vidi non ita pridem in ſene octogenario, qui per aliquot annos ſumma difficultate mittendi cum dolore urinam laborarat, ac demum, fruſtra adhibita omni efficaciſſima medicina, in pede nactus eſt eryſipelas, quod reliquit ulcus, ichorem ſanioſum ſat copioſe quotidie fundens, tam ſalubri effectu, ut ex eo, & dyſuria, & dolor in pube, omnis evanuerit. *Dravvitzius* quoque qui ante ſeculum jam omnium fere optime germanico idiomate *de ſcorbuto* integrum ſcripſit tractatum, in eo *pagina* 350. *& ſeqq.* plures affert obſervationes & caſus ægrorum, qui de doloribus ſævis ſub urinæ emiſſione conqueſti, quorum cauſa non veſicæ labes ulla, aut calculus fuit, ſed humor tantum impurus ſcorbuticus. Memorabilis maxime caſus, quem conſignavit de lanione, qui, quum nunquam antea ex calculo laboraſſet, ſubito atroces in pedibus perſenſit dolores, qui hinc depulſi, urethram invaſerunt, cum intenſo ardore & difficultate guttatim vix mingendi; applicatis tamen diſcutientibus ceſſarunt quidem, ſed ad pedes redierunt, conſequente eorum tumore.

Observatio IV.

Veſica inflammatio opiati eſu funeſta.

Fœmina quadraginta circiter annorum, ſanguineæ conſtitutionis, vitæ ſeſſili nimium indulgens,

gens, venæ ſectioni alias ſuerat aſſueta, ſed per biennium eam omiſerat, quo factum, ut obſtructis menſibus, in ſummos dolores circa pubis regionem incideret, cum impenſis præcordiorum anxietatibus, forti alvi adſtrictione, appetitus viriumque deſtructione. Sedatis quodammodo ab imperito medico per opiata doloribus; mox incidit in ſyncopen & majores ac vehementiores circa præcordia urſerunt anxietates, ſubſequutum delirium & mors. Inſpecto poſt mortem corpore, & veſicam & uterum inflammatio ac ſphacelus occuparant, cæteris omnibus partibus ſanis.

Epicriſis.

Inſtar axiomatis practici hoc loco notari velim: in inflammationibus nervoſarum & membranacearum partium, ut in phrenitide, pleuritide, hepatitide, item inflammatione ventriculi, inteſtinorum & veſicæ, nil pernicioſius eſſe, & quod tam facile ad mortem perducere queat opiato remedio interno. Stuporem enim hiſce partibus facile inducit, & in minimis vaſculis motum & progreſſum ſanguinis penitus ſiſtit, ut ſphacelus ac mors inducatur. Quare cautiſſime cum ejuſmodi remediis, etiam exterius applicatis, hiſce in morbis agendum eſſe moneo ac inculco ſerio, compluribus lethiferis exemplis hanc obſervationem confirmantibus. Conferunt potius, præter idonea diluentia, diſcutientia, blanda anodyna cum diaphoreticis mixta, inter quæ liquorem noſtrum anodynum mineralem, cum ſpiritu Buſſii mixtum, & reiteratis vicibus, parca tamen doſi, exhibitum, cum blando regimine diapnoico, non ſatis laudare poſſum, ſi prius plethoræ, quando adeſt, tempeſtiva ſanguinis miſſione rite fuit proſpectum.

Præter allatos caſus plures adhuc invenies in *Conſult. med. Tom. II. ſect. III. LXXXVIII. XC. XCIII.*

CAPUT X.

De Inflammatione & febre uterina.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Uteri morboſa diſpoſitio & conſenſio.

PEculiaris uteri fabrica & ſtructura, mira ſcilicet fibrarum totius ſubſtantiæ elaſticitas, vaſorum ſanguiferorum copia eorumque tortuoſus & ſerpentinus flexus, glanduloſa & nervoſa textura, nec non colli & maxime orificii interni exquiſitus ſenſus, faciunt, ut multis & variis morbis, maximeque etiam acutis & periculoſis inflammationibus, oriundis inde abſceſſibus & mali moris ulcerationibus, hoc viſcus pateat. Quin, quia non tam ob nervorum communionem & ſenſibilitatem, quam potius ſanguinis progreſſum in fibroſa & vaſculoſa uteri compage interceptum, ipſius in omnibus reliquis corporis partibus motus turbatur atque pervertitur; hinc magna etiam uteri cum nobiliſſimis corporis partibus, capite, pectore, præcordiis, ventriculo & omni nervorum ſyſtemate eſt conſenſio, & ipſo gravato, aut inflammato, ſæva in propinquis & remotis partibus accidunt pathemata.

§. II.

Inflammationis uterinæ ſigna.

Ex his quæ in uterum cadunt paſſionibus frequens admodum eſt ipſius inflammatio, cognoſcenda ex ardore & dolore fixo in inguine; cum febre acuta, dolore lumborum & imi ventris, abdominis inflatione, ſtimulo ad urinam & alvum, mictu ardenti & difficili, gravibusque aliis in præcordiis, capite & pectore ſymptomatibus. Parum hujus morbi reminiſcuntur medici recentiores, ſed eo crebrius in ~~mo~~numentis ſuis veteres. *Aretæus* quidem ſic egregie ipſum delineat *cap. LXIV. inflammatio uteri*, inquiens, *fit ex pluribus cauſis, ex plaga, ex menſium ſuppreſſione, & frigiditate, & inflatione, non minus etiam abortu & partu, propter malam partus editionem. Sequitur ad uteri inflammationem febris acuta, dolorque capitis ac ejus tendinum & baſis oculorum juncturæque manuum & digitorum, & colli detractio & declinatio, ſtomachi per conſenſum affectio, oſculi uteri concluſio, pulſus parvi, denſi. Si totus eſt inflammatus, totus vehementius pulſatorio motu dolet: ſi poſteriores ipſius partes ſolum inflammatæ fuerint, dolor circa lumbos fit, & ſtercora ſupprimuntur ex recti inteſtini compreſſione; ſi partes ejus anteriores, dolor circa pectinem fit, & urinæ ſtillicidium ac emittendæ difficultas ex veſicæ compreſſione; at lateribus inflammatis, & inguina tenduntur, & crura gravantur, ſi vero fundus ipſius fuerit inflammatus, circa umbilicum maxime dolor conſiſtit cum tumore; at ſi circa oſculum eſt inflammatio, circa ſupernum ventrem dolent, & digito immiſſo durum ac renitens oſculum occurrit.*

§. III.

Differentia inter levem & gravem.

Hæc uteri inflammatio merito diſpeſcenda in leviorem ſuperficialem, & graviorem, ſeu profundiorem. Illa ſæpe puerperis accidit, facile gignitur, potiſſimumque crebrius ſequitur febrem lacteam, admittit etiam medicationem, ſi recte & prudenter inſtituatur, ac facili negotio, intra paucos dies, diſcutitur. Gravior autem, quæ febre intenſa & ſævis ſymptomatibus de vehementia non remittentibus ſtipatur, ſeptimo, nono, vel etiam undecimo ſæpe die necat, ſuperveniente maxime purpura alba, quæ peſſimum ſemper præbet omen, atque ex corrupto, putrido, vappeſcente ſero ac ſanguine, in uteri latibulis hærente, ortum ducit, immo de corrupto jam & ſphacelato utero teſtatur.

§. IV.

Cauſæ variæ.

Cauſa inflammati uteri materialis proxima eſt inæqualis ſanguinis per uterina vaſa circulus. Ob oppleta ſcilicet, coarctata à ſpaſmo & obſtructa minima vaſcula, ſanguis majori cum impetu ac celeritate fertur per vaſcula vicina, eorumque ramos laterales, qui cruorem alias non capiunt, unde tumor, rubor & ardor fit, cum preſſione & irritatione tuniçæ nervoſæ. Ad hoc autem vitium concipiendum in genere diſponunt læſiones, contuſiones & vulnerationes externæ, ſtatus plethoricus, cacochymicus, menſium & lochiorum ſuppreſſio, copioſior ſanguinis ad uterum allapſus atque decubitus, partus laborioſus, animi affectus, ira maxime & terror, vomitus enormis, vel niſus impenſior ad hunc, motus & labor corporis plethorici fortior cum ſubſequente refrigeratione imi ventris, balneorum calidorum abuſus, abdominis & uteri refrigeratio externa, potus frigidus, fluentibus inprimis menſibus, lochiis

lochiis aut hæmorrhoidibus, colica quoque convulsiva, nec non affectio spastico-hysterica gravior.

§. V.

In puerperio cur frequens sit.

Nunquam vero magis hæc periculosa affectio infestat fœminas, quam si in puerperio sunt constitutæ. Post partum enim uterus ab onere levatus, elastica, qua pollet, virtute iterum in arctius spatium coit & sensim sensimque sese contrahit. Hinc diducta uteri vasa angustantur, contentus in iis sanguis per oscula aperta, secundinis prius continua, exprimitur, ac sub nomine lochiorum foras prodit, cum sanitatis emolumento. Simul vero etiam hac angustatione motus & cursus sanguinis aliter dirigitur, & quidem ab utero & inferioribus ad superiora ipsasque mammas, quod circa tertium plerumque diem accidit, non sine febrili commotione, & Germanis propterea audit *das Milch-Fieber*. Quod si igitur lochialis sanguinis exitus per strictura uteri spasticas impeditur, non modo in ipso utero periculosam inflammatoriam stasin concitat, sed & ordinarius ille sanguinis ab inferioribus ad superiora impetus, tam ratione vehementiæ, quam molis sanguinis validius increscit. Tum enim spasticæ & dolorificæ in abdomine urgent strictura, sanguinis vel mucidi humoris ex utero fluxus restitat, alvus clausa est, pedes frigidi, ad urinam stimulus, dolorosa mictio, caput rubet, tumet, oculi fulgent, nares non nunquam guttulas quasdam stillant, animus est inquietus, somnus nullus, vel insomniis terrificis turbatus, ac gravia illa symptomata, respiratio difficillima, lipothymiæ, convulsiones & delirium phreneticum, demum subito sæpius puerperis accidunt funesta.

§. VI.

Quibus somnis.

Luculentis verbis hæc ita evenire testatur *Hippocrates lib. I. de morb. mulier.* §. 72. ita tradens: *si inflammati fuerint puerperæ uteri, venter ardet & magnus fit & ad præcordia suffocatio habet, & uterus, ubi puerperii purgamenta intus manserunt à frigore, occulte distenditur.* Nec non *lib. II. de morb. mul. p. m.* 489. *si*, inquiens, *ignis sacer in uteris fit, etiam pectus id percipit, venter intumescit, perfrigeratur, febris habet magna & rigor supervenit, & spiritus densus, & animi deliquium, & debilitas, & dolor totius corporis, & tristatur, & mente variatur, & affectio ascendit ex inferno ventre ad lumbos, & ad dorsum, & præcordia, & pectora, & collum, caput & stomachum & mortua esse videtur.* Experientia autem teste, fœminæ teneræ, exquisitioris sensus, in vehementes animi commotiones pronæ, pathematibus spasmodicis & flatulentis obnoxiæ, mensium inordinato successu affectæ, alvi adstrictioris, si gravidæ fiunt, post partum quam facile in lochiorum suppressionem cum febre uteri acuta incidunt, non sine summo vitæ discrimine. Interdum etiam inflammatio uteri nascitur, à secundinarum vel totali, vel tantum quoad partem retentione. Hac enim restitante, non tantum sanguinis ex utero exclusio prohibetur, verum etiam succedens putredo febrem movet, vel si hæc jam adest, deteriorem reddit.

§. VII.

In sphacelum abit aut ulcerationem.

Jam sicuti in omni inflammatione, ille subsistens humor, si non discutitur, putrescit & in corruptionem transit, vel sphacelosam, vel ulcerosam, ita idem etiam accidit in ea, quæ uterum infestat. Quæ in sphacelum abit, brevi necat & solennis maxime est puerperis, in quibus post sectionem uterus ut plurimum cum vagina durus, coloris ex atro bruni deprehenditur. Quæ autem suppuratur & ulceratur, diutius trahit, & accidit quam maxime extra puerperium. Patent inflammationi huic suppuratoriæ fœminæ sanguineæ, mollioris & spongiosioris habitus, præsertim si fluori albo sanguinolento fuerunt affectæ, isque adstringentibus intempestive cohibitus. Frequentius etiam eandem incurrunt, quæ impurum & crassum in venis alunt sanguinem, diætam insalubrem sectantur, fructibus horæis, dulcibus & lacticiniis indulgent, inferiora subinde refrigerant, corpore præsertim æstuante, quæ tristitia anguntur, veneris stimulos concubitu obtundere impediuntur, suetam sanguinis missionem intermittunt, aut seniores quietam & ærumnosam vitam ducunt. Ac in his quidem frequentior est inflammatio in collo & orificio interno, quod ex multis fibris nerveis spiraliter est contextum, quam in ipso fundo, eaque propter dolor acerbus & ardens est in pube cum mictu difficili. Signa autem abscessus uteri sic in compendio *Hippocrates lib. I. de morb. mulier.* exhibet: *si*, ait, *uteri fuerint ulcerati, sanguis & pus purgatur & fœtor gravis oboritur, & dolor acutus corripit lumbos ac inguina & imum ventrem, & dolor sursum procedit ad laterum mollitudinem, costas & scapulas, aliquando etiam ad claviculas pervenit, & caput vehementer dolet deliratque, processu vero temporis intumescit & debilitas ipsum corripit, & animi deliquium, & febris tenuis, & perfrigeratio, intumescunt autem maxime crura. Morbus autem corripit ex abortu, si qua corrupto humore ac putrefacto intus non fuerit expurgatus & calor totum corpus tenet. Corripit etiam ex fluxibus, si in ipsis acria fuerint & biliosa mordeant.* Sed plerumque ulcus uteri tandem etiam in gangrænam & sphacelum abit ac interficit. Interdum tamen accidit, ut apostema in utero prognatum interne rumpatur & copiose effluat sanies alba minime fœtida & ægra evadat, qua de re legi meretur *Forestus lib. XXVIII. obs. XLIV. pag.* 693.

§. VIII.

Nec non in cancrum insanabilem.

Quod si autem exterior uteri pars inflammata, ob frigus externum, quam facile abit in scirrhum, qui ulceratus, cancer uteri recte dicitur ac est insanabilis. Neque adeo infrequens est, glandulas copiosiores circa collum uteri, & maxime orificium ejus internum considentes, mutari in scirrhum, tandemque abire in inflammationem ulcerosam, quæ haud secus ac cancer exulceratus, medicationem admittit plane nullam. Recentiores quidem parum, hanc uteri affectionem notarunt; ego vero aliquoties observavi, eadem omnino ratione iisdemque symptomatibus ac pridem jam exacte prodidit *Aretæus lib. II. cap. LXVII.* ita perhibens: *cancri in utero, partim cum, partim sine ulceratione sunt, tumor reperitur circa uteri osculum durus, inæqualis præminens, colore feculentus, rubicundus, quandoque etiam sublividus & dolent vehementer inguina ad supernum ventrem & pectinem ac lumbos, ægreque ferunt contactum & variegatiorem medicationem. Si vero ulceratus est cancer, ad dolores, durities, & tumorem, erosa etiam & inæqualia ulcera conspiciuntur, plerumque quidem sordida oris tumida albicantia, turpes crustas inductas habentia. Quæ vero pura videntur, feculenta, livida, rubicun-*

da & cruenta apparent. Excernitur autem assidue ab ipso sanies tenuis, aquosa, nigra, aut fulva, graveolens, aliquando etiam sanguis fertur & alia signa ad inflammatum uterum relata. Affectio igitur ipsa incurabilis est, veluti alicubi etiam dixit Hippocrates, mitigare tamen oportet, per insessus ex fœnu græco, malva & per cataplasmata similia.

CURATIO.

§. I.

Curatio & præservatio causis accommodanda.

Uteri inflammatio, quum nunquam frequentius occurrat, quam in puerperis & post abortum, dum vel ab improvida obstetricum in partu difficili tractatione & contrectatione violenta, vel à violento nisu sub partus laboribus, sanguinem præsertim impurum ad uterum pellente, vel à lochiorum per dolores & spasmos hysthericos, terrorem, aut refrigerationem, fluxu impedito, inducitur; necessarium omnino est, ad præservationem æque ac curationem, ut medicus omnes has causas probe noscat atque discernat. Quia autem facilius longe est periculosum hunc morbum imminentem arcere, quam præsentem persanare; hinc medens etiam primo omnium eo eniti debet, ut eundem tempestive præscindat, ejusque incursum avertat.

§. II.

Post partum spasmi relaxandi.

Jam missis illis læsionibus, quæ ab externis & violentis causis inducuntur, frequentissimum in artis exercitio est, inflammatoriam hanc febrem, post partum, ob excretionem sanguinis lochialis vel plane deficientem, vel non sufficientem induci. Quare id inprimis agendum artifici, ut confecto partu, primis statim diebus, lochia rite secedant. Quod ut ex voto perficiatur, ad causas fluxus lochialis intercepti removendas, medicatio perite dirigenda. Notum autem est, sub diuturnis & gravioribus partus laboribus, tam vehementem fieri partium, & solidarum, & fluidarum, commotionem & exagitationem, ut quisque ex pulsuum celeritate, totius corporis ardore, siti & inquietudine vix aliter judicare possit, quam adesse febrem, sub quo impetu parum etiam vel nihil recrementorum putridorum & cruentorum utero effertur. Igitur opera danda, ut impetuosus hic post partum motus placide componatur. Fit hoc commodissime, si puerperæ in quiete & temperato regimine diaphoretico servantur, iisdemque diluentia ac blande æstum sedantia propinantur. Quia tamen sub partu, qui non nisi stricturis spasticis & convulsivis ex spinali medulla absolvitur, per consensum spasmi & dolorificæ strictura ad intestina transeunt, quæ superato partu adhuc aliquamdiu persistunt, atque etiam eandem ob consensionem uteri fibras musculosas & nerveas stringendo, liberum sanguinis cursum præcludunt; merito etiam curandum, ut eædem sedentur placidè. Hunc in finem utilis pulvis, ex pulveris Marchionis, lapidum cancrorum ana drachma, antimonii diaphoretici drachma dimidia, nitri puri granis XVI. cujus quarta pars pro dosi, adjectis nonnunquam, si spasmi hysterici simul impensius urgent, granis sex, vel quatuor pulveris castorei, cum aqua florum chamomillæ vulgaris, destillata cum cereviſia triticea, sumenda. Conducit quoque oleum amygdalarum dulcium, ex recentibus, sine igne paratum, quod vel solum, vel cum quarta parte spermatis ceti remixtum, quotidie ad unam vel dimidiam unciam, cum jusculo pulli gallinacei, aut decocto avenaceo, usurpandum. Externe vero totum abdomen inungendum oleo ex anethini, chamæmelini & liliorum alborum ana uncia, olei carvi drachmis duabus, vel camphoræ drachma, superposita mappula complicata calefacta.

§. III.

Lochia promovend.

Composito sic tumultu, ad promovendum lochiorum fluxum, vix præstabilius huc usque innotuit remedium, quam pilularum massa, quæ ad imitationem *Becheri*, ex amaris extractis, gummatibus resinosis temperatis, & aloe probe correcta concinnata est. Secundo igitur statim die, ceteris paribus, quindecim grana pilulari forma, mane, vel vesperi exhibeantur, & pro circumstantiarum ratione, per quinque vel octo dies continuentur. Est enim hoc evacuans clemens maxime & accommodum. Nam roborando, tam intestinorum, quam ipsius uteri, per extensionem nimiam robore exuti, tonum, blande simul stimulando, imum ventrem ac intestina à sordibus, ipsum quoque uterum à stagnante corrupto sanguine repurgat, eoque quam optime & inflammationem, & febrem aliaque sæva à recrementis retentis oriunda pathemata, arcet. Quin eadem hæc curandi ratio apprime ex usu est, quando secundina, vel ipsius pars, aut aliud quoddam exturbandum concretum in utero restitat.

§. IV.

In febr sanguis mittend.

Quod si tamen medentis scopus his expediri nequit, sed febris impetit assidua, venter flatibus attollitur, uteri purgamenta retinentur, & spasmi ad superiora vergunt infesti, alia ineunda est medendi via. Scilicet sanguinis copia, sub graviditate justo plus accumulata, minuenda, per venæ sectionem, non in superioribus, sed pede instituta. Sæpe enim à nimia vasorum distensione fiunt spasmi, & sanguinis exsuperans moles uteri compagem nimium distendendo, ejusdem systalticam & expulsivam potentiam minuit ac impedit. Hinc venæ sectionis remedium omnino maximi, ad promovendum lochiorum fluxum & inflammationem arcendam, est usus. Quod sicuti in Gallia hunc in finem frequentius quam par est adhibetur; ita perperam in nostra Germania rejicitur, ut plures inflammatoria uteri febre correptæ, pereant, quæ tempestiva sanguinis missione potuissent servari.

§. V.

Et sang. stagnan discutiendus.

Præter venæ sectionem, ubi jam præsens est inflammatoria febris, id quam maxime agendum, ut sanguis stagnans in motum cieatur, humores spissi fluxiles reddantur, & stasis discutiatur. Quod ut obtineatur, conducit mixtura hæc: recipe aquæ chærefolii, cardui benedicti, scordii, florum sambuci, acaciæ, aceti destillati ana unciam unam semis, lapidum cancrorum drachmam unam semis, antimonii diaphoretici, vel bezoardici mineralis drachmam semis, spiritus nitri dulcis, sive liquoris anodyni mineralis guttas XX. syrupi card. bened. drachmas duas. M. de qua binis quibusvis horis, duo vel tria cochlearia porrigenda. Tum etiam pro potu exhibeatur tenue jusculum ex pullo gallinaceo, cum radice scorzoneræ, cichorei & rasura cornu cervi confectum, addito ad gratiam succo pomorum aurantiorum. Præbeatur quoque subinde infusum theiforme ex herba veronicæ, scabiosæ, sonchi, floribus hor-

hormini, chamomillæ vulgaris, ſemine fœniculi. Nec omittantur pulveres temperantes ac reſolventes, ex lapidibus cancrorum, ſolutione oculorum cancri, nitro & ſale polychreſto compoſiti. Quales præterea Becherianis, vel ad harum exemplar paratis pilulis, ad lochialem fluxum promovendum & ſanguinis à capite impetum divertendum, commode interponuntur. Sint demum in uſu clyſteres ex ſero lactis dulci, vel decocto florum chamomillæ vulgaris, herbæ artemiſiæ, ſalviæ, hormini, mercurialis, addito melle, nitro & pinguedine gallinarum.

§. VI.

Extra puerperium utendum externis.

Quando vero extra puerperium in corporibus impuris variis ex cauſis accidit inflammatio uteri, non tam in fundo, quam potius in collo, cervice atque vagina, præter jam memorata interna, ſimul in auxilium vocanda præſidia externa, epithemata ſcilicet pubis regioni admota, injectiones uterinæ ex accommodis paratæ, nec non peſſi, item ob loci vicinitatem ſuppoſitoria in anum truſa. Epithema egregium eſt, quod ex aquæ ſic dictæ d'arquebuſade, (quæ non niſi vinum Rhenanum ab herbis vulnerariis in balneo maris ad ſiccitatem abſtractum,) unciis quatuor, eſſentiæ croci, ſpiritus vini camphorati ana unciis duabus, nitri, in aqua florum ſambuci ſoluti, drachma, paratur, ac pro circumſtantiarum ratione cum aceto rutaceo, aut ſcordii remixtum, linteis duplicatis ſæpius applicatur. Ad injectionem vero commendo ſolum lac, vel aſininum, vel muliebre, cum floribus ſambuci, myrrha & croco, adjecto nitro decoctum. Moleſtiſſimum demum hujus paſſionis ſymptoma teneſmum, præter inſeſſus emollientes, egregie lenit oleum amygdalarum dulcium, vel mucilago ſeminis pſylli, aut fœnu græci, ad uncias duas, cum duodecim extracti croci granis ano injecta. Et eadem hæc remedia ſemper etiam ex uſu ſunt, quando inflammatio abiit in ſuppurationem.

§. VII.

Quibus medendum ſi ex fluore albo.

Porro non adeo infrequens eſt, ex fluore albo diuturno, præſertim ſi ſimul ſanguinolentus, male tractato, vel imprudenter cohibito, uterum ejuſque partes tumore affici cum dolore & febre inflammatoria, immo in ſuppurationem abire & exulcerationem. Tum vero cura admodum perplexa eſt atque difficilis, inprimis, quando fluor non è glandulis externis, ſed interna uteri ſubſtantia venit. Ego, ſi paſſio chronica, nil præſtabilius novi, quam uſum thermarum Emſenſium & Carolinarum mitiorum, quippe quæ humores ſubſiſtentes efficacitér diſſolvunt, partemque affectam ſimul roborant. Sed cavendum à balneis adſtringentibus, ipſis etiam Carolinis fortioribus, quæ propter terram calcaream & martialem, adſtringente & repellente virtute pollent. Inſeſſus vero ex herbis uterinis & aromaticis, cum aqua dulci decoctis, proſunt utique. Sic laxatis ductibus & humoribus dilutis, cum fructu poſtea pilulæ dantur Becherianæ, quæ inter ſpecifica uterina locum tuentur præcipuum. Neque rejicienda videtur *Hippocratis* uteri ulcus curandi methodus, quam *lib. I. de morb. mul.* §. 88. ſic tradit: *ſi hic morbus inciderit, multa calida lavato & tepefactoria adhibeto, qua parte fuerit dolor. Et ſi quidem ſuperne fuerint dolores & mulier fortis eſt, totam fomentato & pharmacum deorſum purgans bibendum dato, & ubi tempus anni fuerit, ſerum coctum inſuper bibendum præbeto, per dies quinque, ſi id facere poterit. Si vero non adfuerit ſerum, lac aſininum coquito, & per dies tres, aut quatuor bibendum dato. Poſt lactis autem potum, cum aquis ipſam reficito, & cum cibis commodis, carnibus ovillis, teneris recentibus, & volucrium, & beta, & cucurbita. Abſtineat autem à ſalſis, & acribus, & marinis omnibus ac caprinis.* Et certe lactis ſerum & aſininum lac egregie proficit, non modo ad obtundendam humorum acrimoniam, ſed & contemperandum calorem hecticum, qui ægros graviter ut plurimum urit.

§. VIII.

Inflammationis à cauſa externa medicatio.

Quæ demum à violentia externa inducitur uteri inflammatio, cum febre, dolore inguinum, mejendi difficultate & ſpaſmis in remotis etiam partibus, nec non alvi adſtrictione, poſcit quam maxime venæ ſectionem, non modo maturam, ſed & repetitam, primo in brachio, ac dein in pede inſtitutam. Opus in hac etiam, ut alvus ſubducatur clyſtere, in uterinis morbis nunquam non ſingularis plane utilitatis. Et exterius imponendum emplaſtrum ex emplaſtri de meliloto unciis duabus, ſpermatis ceti uncia dimidia, gummi ammoniaci drachmis duabus, croci drachma, camphoræ drachma dimidia. Non omiſſis internis blandis diaphoreticis & diſcutientibus.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

§. I.

Præſervatio.

Quum puerperæ plurimæ in puerperio ex febre inflammatoria uterina moriantur, præſertim ſi multum ſanguinis craſſi & impuri in venis alant; hic optimum certe ad præſcindendas capitales ejuſmodi affectiones eſt conſilium, quando gravidæ partim ſalubri diæta & vitæ regimine, partim etiam aptis & congruis præſidiis, tam ſolidas, quam fluidas partes, in debita temperie, quantitate & motus æquilibrio ſervare ſtudent. Nam qualis natura ægrotantium, etiam puerperarum, talis etiam eſt vis medicatrix, pugna adverſus morbum, quin ipſa medicatio, in qua omnino plus præſtat natura, quam ipſius miniſtra ars. Igitur ad antevertendum hoc malum quam maxime neceſſarium eſt, ut tempore graviditatis ſanitati conſulatur tam opportunis ſanguinis miſſionibus, quam debitis laxationibus, per rhabarbarina potiſſimum, ut etiam gravidæ modicam & laudabilem diætam ſectentur, animi temperantiæ ſtudeant, & potus diluentes perſpirationem ſimul ſuſtinentes bibant. Deinceps quum haud raro inflammati in puerperis uteri cauſam præbeat, potus nimis calidorum & ſpirituoſorum, vini aromatici, crocati &c. ad partum facilitandum datus, præſertim in ſanguineis, & quæ non ultimis menſibus ſanguinem miſerunt; ſerio omnino monendæ ſunt, & obſtetrices, & uterum gerentes, ut ab ejuſmodi ſanguinem exagitantibus remediis abſtineant, ac potius venæ ſectione in pede, item balneis, noviſſimè ante partum duabus vel tribus hebdomadibus, rite uſurpatis, liberiorem ſanguinis per uterum commeatum & facilem poſt partum effluxum procurent.

§. II.

Omittenda.

In nullo morbo tam infenſa & pernicioſa eſt animi commotio, per terrorem potiſſimum ac iram, quam in uteri inflammatorio. Nunquam etiam

etiam nocentior abdominis & inguinum perfrigeratio, quam poſt abortum & partum. Puerperæ enim, ob continui quæ ipſis accidit ſolutionem, fibrarum & vaſorum dilacerationem humorumque extravaſationem, haud aliter ſunt conſiderandæ, quam graviter vulneratæ. Quam facile autem dictæ cauſæ læſis & vulneratis partibus, adeoque etiam utero, inflammationem inferre queant, res eſt nota etiam in vulgus. Quare ut puerperæ, nec non quæ labem in utero gerunt, ſollicite ſibi ab his caveant, iterum inculcamus iterumque.

§. III.

Cautelæ depellentibus.

Ad emovendum lochiorum fluxum ſubſiſtentem, nunquam danda pellentia fortiora, crocata, myrrhata, ſuccinata, aloetica, vel calida aromatica, nec non ſalina ſtimulantia, tanto minus, ſi mox poſt partum adhuc præſto eſt motuum impetus: hæc enim febrem magis accendunt, ſpaſmum intendunt, ſanguinem in latibulis uteri hærentem, humido abſumto, plus denſant, & ad effluxum reddunt ineptum, vias quoque & emunctoria magis ſiccant atque occludunt. Sed quando ſpaſmus laxari, dolores remittere, viæ pateſcere incipiunt & ſanguis ex utero ferri, tum demum moderate pellentia & tonica propinare expedit. Inter quæ ſolutio ſuccini, myrrhæ, rhabarbari, croci, non cum ſpiritu vini, ſed aqueo lixivioſo menſtruo parata, nec non aqua meliſſæ, aut artemiſiæ leviter ſpirituoſa, qualis eſt, quæ cum cereviſia triticea deſtillatur, omnibus fere palmam præripiunt, ſi crebris & parcis doſibus offerantur.

§. IV.

Venæ ſectione.

Ex præcipuis etiam lochiorum fluxum revocantibus auxiliis eſt venæ ſectio. Nec deterreri ſe patiatur artifex ſymptomatum gravitate, neque etiam ipſa purpura effloreſcente, ſed confidenter admittat, ſi indicationes adſunt, uti jam pluribus ſuperius *Sect. I. cap. IX. de febre purpurata obſ. VI. p.* 220. monui. Quando autem provida, ut ita loquar, natura, ceſſantem aut inſufficientem lochiorum evacuationem liberali ſudore, aut alvi fluxu compenſat, abſtinendum ab iis, quæ lochiis proritandis alias ſerviunt.

§. V.

Ulcerationis medicatio.

Quando autem humor ex utero fertur viſcidus, flavus & ſanguinolentus, haud obſcurum præbet indicium læſæ uterinæ ſubſtantiæ & imminentis inflammationis atque ulcerationis. Ad hanc igitur arcendam, vel ſi jam præſens eſt perſanandam, tuta quam maximè eſt ac neceſſaria crebrior purgatio ex rhabarbaro, tamarindis & manna, quæ frequenter iteranda eſt, quo vitioſi ab utero humores divertantur. Tanti enim hæc ad curationem eſt momenti, ut *Foreſtus lib. XXIX. obſ. XLVIII.* fidem faciat, quendam Amſtelodamenſem nobilem matronam ab ulcere uteri ſanitati reddidiſſe, cui dederat de quarto in quartum diem uncias quinque decocti ſennæ, epithymi, roſarum rubrarum, myrobalanorum Indorum, ſaccharo dulcorati, & abſtergentia decocta in uterum injicere juſſerat. Si ulcus adhuc curandum eſt, poſt lenes aliquot dierum purgationes, decoctum ex ſantalo, lentiſco, ſarſaparilla, mentha, epithymo, radice liquiritiæ & ligno Rhodio, per viginti quinque dies cum regimine ſudorifero cum fructu bibitur, qua de re pluribus conſuli poteſt *Sylvaticus Cent. IV. obſ. LXVIII.*

§. VI.

Cancri auxilia.

Ulcus uteri cancri ulcerati naturam æmulatur, tumque ſanies putrida & laciniæ corruptæ uterinæ ſubſtantiæ cum magno fœtore, ſummo dolore gravibuſque ſymptomatibus prodeunt, & malum fere eſt incurabile. Quicquid autem agendum, non niſi demulcentibus & lenientibus perficiendum. Si ſpes ſanationis adhuc ſupereſt, ego quidem habeo quod laudem potum lactis, potiſſimum aſinini, nec non uſum temperatarum mineralium aquarum, Wildungenſium maxime, vel Selteranarum, interpoſito mane & veſperi balneo aquæ dulcis cum furfuribus triticeis, in quo per horam & longius deſidendum. Viciſſim abſtinendum ab omnibus acribus internis & ſtimulantibus calidis. Caute etiam in uteri abſceſſu ac ulcere adſtringentibus & repellentibus utendum, quia iiſdem facile ſcirrhus inducitur. Optimæ injectiones ex lacte caprillo, croco & aqua florum ſambuci. *Hippocrates* braſſicæ uſum commendat, ſed præſtat betæ rubræ ſuccus, crebrius calide injectus.

§. VII.

Dolores complacandi.

Immanis ſæpe dolor exulcerato uteri cancro jungitur, qui vires penitus peſſundat, omnemque ſomnum adimit. Ad hunc leniendum optimum ſolatium in anodynis, cujus generis ſunt extractum croci & papaveris, maſſa pilularum de ſtyrace, de cynogloſſa, *Wildeganſii, Matthiæ, Starckii.* Notabilis enim hanc in rem *Riverii Prax. cap. X. pag.* 332. locus: *hæc tamen omnia*, inquientis, *aliquando non ſufficiunt ad immaniſſimum dolorem placandum, qui interdum nullum quieti & ſomno relinquit locum. Unde cogimur non raro ad narcotica recurrere, quæ in hoc affectu propter intenſum humorum fervorem minus nocent. Et vidimus nos mulierem, cancro in mamma laborantem, quæ ſingulis noctibus, per quatuor menſes, laudani grana duo, vel tria, innoxie, cum magno ſolatio ſumebat.*

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Uteri laxitas ex hæmorrhagia exhibita.

Laborarat per aliquot menſes largo ſanguinis ex utero profluvio fœmina ſexaginta ſex annorum, cholerica, macilenta & in iram prona, multos in conſilium adſciverat medicos, & variis etiam uſa fuerat medicamentis, ſed incaſſum. Tandem accedens junior quidam medicinæ practicus, ſuaſit externa, partim calida & acria, partim adſtringentia & aluminoſa. His fluxus quidem cohibitus, ſed dolores oborti atrociſſimi, ac brevi poſt loco ſanguinis materia ſanioſa fœtidiſſima effluxit, acceſſit lenta febris, corporis tabes, ſummaque imbecillitas. Notabile inprimis fuit, quod ægra, quando aliquid de pilulis Anglicanis Matthiæ, quas etiam Starckianas vocant, deglutivit, doloris intolerandi ſenſerit aliquod lenimen, hoc autem omiſſo, illico recruduerint tormina acerba. Semper etiam aliquid materiæ fœtidæ ex utero ſeceſſit, hac autem retenta, acceſſerunt protinus borborygmi in abdomine, ſpaſmi flatulenti, hyſterica pathemata, cardialgiæ & circa præcordia anxietates. Sic ægra per biennium miſeram traduxit vitam, ac demum macie & febre confecta fatis ceſſit.

Epicri-

Epicrisis.

Imprudentis medicationis hæmorrhagiæ uteri hoc est exemplum. Nunquam enim sanguinis profluvium, ubicunque fiat, sive internis, sive externis sistendum, sed potius roborantia cum discutientibus mixta exterius, si interna non suffecerint, parti affectæ laboranti sunt admovenda. Si secus fit, & stiptica constringentia in usum vocantur, aliter fieri nequit, quam ut sanguis in coagulum abeat, in vasis subsistat, ipsamque uteri substantiam labe inficiat. Anodynis autem dolores quidem tantisper sopiti, sed non in totum sublati, quia putridæ corruptioni auferendæ non fuerunt idonea. Et quod ab impeditiori materiæ sanioſæ effluxu pathemata hysterica oborta, argumento est, non tantum à sanguinis & humorum copia atque stagnatione, verum etiam à materia acri caustica, fibras uterinas irritante, pathemata ejusmodi spasmodico-hysterica suscitari posse.

Observatio II.

Inflammatio suppurata uteri post abortum.

Fœmina quadragenaria, sanguinea, plethorica, quarto mense gravida, suasu mariti, ut vegetior esset & infantem quoque robustum ac sanum ederet, sumsit pulverem *Monckii*, Ramoneur dictum, qui nihil aliud est, quam antimonii regulus cum nitro in calcem ustus. Successit autem effectus oppido infelix, ut plus quam vigesies vomeret, miramque experiretur debilitatem. Ex eo pessime semper habuit & post quatuordecim dies accidit abortus, quem præcessit dolor in inguine atrocissimus, & sub ipso cum lochiis secessit materia graveolens. Passo abortu, perpetuos & fixos in abdomine ac inguine dolores experta est, pulsus semper fuit celer, interdum animi quandam defectionem incurrit, interdum etiam tussi & articulorum dolore divexata. His symptomatibus per aliquot menses graviter detenta, nacta est tumorem in abdomine, cum dolore lancinatorio jugi & alvi fluxu torminoso. Sequuta est summa corporis imbecillitas viriumque prostratio, extremorum refrigeratio, spirandi difficultas & frequentius syncope, donec tandem inter hæc vitam poneret. Dissecto post mortem cadavere, ingens puris ex albo virideſcentis copia ad aliquot libras ex abdominis cavo profluxit. Intestina utero propinqua erant erosa, eorumque tunicæ comparuerunt quasi abrasæ. Uterus fuit spongiosus & ita ampliatus, ut in longitudine ad decem, & in latitudine ad octo transversos digitos accederet. In ipso lacunæ fuerunt multæ, pure repletæ, ex quibus ingens illa puris quantitas in abdomen fluxerat. In vasis sanguiferis majoribus, nullus repertus sanguis, sed omnis fere in puris abierat materiam.

Epicrisis.

Quam pernicioſa gravidis sint emetica & quidem validiora, ex hoc casu patescit luculenter. Quæ enim uterum gerunt, sunt fere semper plethoricæ, eaque propter fortiori illo nisu & pressione diaphragmatis & musculorum abdominis sub vomitu, sanguis cum magno impetu in uteri vasa urgetur, ibique impactus, inducit inflammationem in ulcus transeuntem. Hinc igitur abortus & reliqua gravia pathemata duxerunt ortum. Non tamen dubitandum, quin partu abacto, gravissimum illud malum, uteri apostema, potuisset præscindi, si mature discutientia, resolventia & roborantia in auxilium fuissent vocata. Pus autem ex utero effusum in abdominis cavum, tunicas intestinales arrosit ac erosit, unde obortus alvi fluxus, cum intensis abdominis torminibus.

Observatio III.

Cancer uteri lethalis.

Elapso anno vocabar ad mulierem tertium supra quadragesimum ætatis annum agentem, sanguineo-cholericam, quæ misere decumbebat, conquesta potissimum de dolore in regione pubis pressorio & elisorio quasi atrocissimo, partus dolores longe superante, stipato cum tenesmo, dorsi tensione, ructibus, vomitibus & alvi strictura, somni appetitusque defectu. Inquirenti in morbi causam & originem, dixit: se ante octodecim annos ultimo laborioso admodum partu esse perfunctam, tam male simul ab obstetrice tractatam, ut vestigia digitorum impressa adhuc in pube gerat. Tum menses, antea semper largos & ordinatos, post puerperium primum cum dolore aliquo stillasse, servasse tamen periodum postea & sufficienter etiam fluxisse. Ante sex autem annos se mensium tempore cecidisse in itinere in torrentem: inde mox constitisse fluxum & sequuta multa & varia pathemata spastico-hysterica, quin post aliquot menses corpus intumuisse totum, cum colore plumbeo. Discussum tamen congruis remediis esse post aliquod tempus tumorem & mensium fluxum etiam repetiisse, excreto multo coagulato crasso & quasi concreto sanguine, ac postea viscida alba & flava materia. Ex eo, quotiescunque mensium acceſſerit periodus, se per triduum acerbis in abdomine afflictam esse doloribus, tamdiu insistentibus, donec sanguis prodierit grumosus primum & crassus, dein tenuior, tum aqua sanguinolenta ac demum materia viscida flava. Sic transiisse quatuor fere annos, & adhibitis interea variis medicamentis, maxime pilulis Stahlianis, cum pulvere salino temperante, spem valetudinis melioris fuisse irritam, malum potius increvisse magis. Jam à binis mensibus & dolorem & fluxum sanguinis emansisse, nunc vero eo esse graviorem & spasmos quasi convulsivos. Hæc audiens & atrocia pathemata videns, male statim ominari cœpi, ac scirrhum, aut aliud immedicabile uteri vitium subesse sum suspicatus. Interim alvum valide strictam clystere oleoso emolliente cum asa fœtida subducere, interius pulverem temperantem cum nitro, cinnabari & castoreo, nec non liquorem meum anodynum mineralem dedi, & exterius parti dolenti admovere jussi vesicam decocto emolliente plenam. His dolorum atrocia primum frangi est visa, & elapsi nonnulli sanguinis grumi, subsequente liquore sanguinolento. Sed post aliquot dies vehementia recruduerunt eadem, ut ægra lamentabili voce uterum extrorsum trahi violenter & jam vaginæ imminere clamaret. Advocata obstetrix, quæ orificium uteri apertum esse, eique durum quoddam corpus incumbere dixit. Data priora remedia, sed frustra. Parati insessus, momentaneum levamen afferentes, imposita exterius, ex muliercularum etiam consilio, varia carminativa, spirituosa & acria, incassum tamen, & accessit capitis dolor. Optimum fuit solatium ex pilulis, quæ pilulas aleophanginas ac de styrace cum croco & cinnabari habebant. Sub his doloribus iterum aliquot san-

ſanguinis grumi & poſtea ſanguis floridus parcus exiit, ſtillante poſtea liquore cruento. Sic decubuit aliquamdiu, doloribus, modo gravius, ſi fluxus reſtitabat, modo mitius, ſi excretis ſanguinis grumis quibuſdam ſerum manabat ſanguinolentum, afflicta, ſimul quoque tumorem ſenſit durum in latere ſiniſtro ſupra inguina. Adhibita interea pro circumſtantiarum ratione varia, tandem impoſitum emplaſtrum efficacius diſcutiens atque reſolvens, quo admoto, formicationis quendam in regione tumoris percepit ſenſum, dolores mitiores afflixerunt, & poſt triduum primum iterum ſanguis grumoſus, tum tenuis & ſerum non cruentum, ſed magis flaveſcens ichoroſum, ac poſt aliquot dies materia craſſa ſebacea flaveſcens profluxit. Seceſſit hæc materia aliquamdiu ac ægra tolerabilius decubuit, uſa interius, infuſo ex herbis vulnerariis cum lacte, balſamo quoque ad imitationem balſami *Locatelli* parati, axungia canis cum herbis traumaticis confecta & exterius injectionibus modo lenientibus, modo abſtergentibus & balſamicis. Nihilo minus tamen latius ſerpſit labes interna, pus & ſanies fœtida, quin non nunquam laciniæ quaſi corruptæ carnis prodierunt, vires morbi diuturnitate ſenſim collapſæ, corpus contabuit, appetitus periit, calor hecticus increvit, urina per octiduum ſuppreſſa cathetere fuit evocanda, ſomnus intercidit, acceſſit demum mentis alienatio, quam triduo poſt excepit mors, elapſis inter hæc tribus menſibus.

Epicriſis.

Plurimi certe ſunt morbi, etiam ipſius *Hippocratis* effato, qui ex utero prodeunt. Hic enim propter plane ſingularem vaſorum fibrarumque ſtructuram, diſpoſitionem & ſitum, ita à ſapientiſſimo opifice eſt fabrefactus, ut non ſolum ad generationis negotium aptus ſit, ſed etiam, ut ſuperflui & effœti in corpore muliebri humores ſeroſi, nec non ipſe ſincerus nimium exundans ſanguis, ſalutari plane modo & motu, per ipſum foras ejiciantur. Huic ſcopo maxime quadrat tanta vaſorum ſanguiferorum copia & ſerpentinus ac inflexus eorum progreſſus ac curſus, quo ſcilicet propter paulo tardiorem & difficiliorem ſanguinis & humorum per uterum tranſitum, eo melius inutilis & ſuperflui humoris fiat ſe- & excretio. Interim propter eundem hunc difficilem ac ſegnem humorum commeatum, non ſecus ac in hepate, multæ ſtaſes & ſtagnationes & inde obſtructiones, indurationes, extravaſationes, ſcirrhoſitates, fœcundiſſimæ morborum matrices, gignuntur. Quin imo quia in hoc viſcere remora & obſtaculum ſæpe ponitur univerſo ſanguinis libero & æquabili circulo; fit, ut in aliis partibus, propter majorem ſanguinis motum & impetum, functiones ſæpe totius corporis labaſcant & vitium contrahant, ut in pathematibus ſic dictis hyſtericis clarum eſt ac manifeſtum. Multum itaque ad ſanitatem mulierum refert, ut hæc pars ſalva, ſarta & tecta omnibus modis & artificiis conſervetur. Parva enim ibi conſiſtens labes, magnas perturbationes efficere poteſt. Clariſſime id videmus, quando ſub partu laborioſo atque difficili, præſertim ab imprudenti obſtetricum tractatione, labes in parte quadam uteri contracta fuit, quæ ſæpius facit, ut ab eo tempore nunquam recte convaleſcant puerperæ. Atque etiam ea eſt natura vitiorum, quæ utero longius inſident, ut demum poſt multos annos pernicialem ſuum effectum prodant, uti quidem etiam ex noſtra morbi hiſtoria liquet. Morbus autem quo laboravit noſtra recte pro cancro uteri, qui ex ſcirrho demum ulcerato productus fuit, haberi debet. Sed uti ego nunquam exulceratum cancrum, cujuſcunque partis fuerit, medicamentorum ope curatum vidi; ita eo magis uteri cancer incurabilis eſt, quia minus commode externorum topicorum applicationem admittit. Neque etiam aliis ſymptomatibus incedit uteri cancer, neque alio modo interficit, quam febre ſuccedente lenta, eodem modo ac is, qui in mammis conſiſtit. Præter dolores quippe immanes & putridas fœtidas varii coloris & conſiſtentiæ emanantes ſordes, cum ſanguine ſæpe mixtas, totius corporis languor, proſtratio virium, hecticus & conſumens calor, ſomni defectus & animi deliquia accedentia, vitales tandem motus extinguunt. Providendum igitur cum cura ac eo annitendum, quo apto conſilio ejuſmodi atrox & funeſtum malum arceatur. Jam ego certe non aptius ad roboranda uteri vaſa & ſanguinis curſum liberum & ſalvum tuendum, adeoque ad omnis generis morbos inde propullulantes præſcindendos, maximeque etiam ad hujuſmodi ſcirrhoſitates valde ſuſpectas amovendas, præſtantius & certius novi auxilium, quam poſt abortum vel poſt partum, uſum laxantium balſamicorum, uti noſtræ ſunt & aliorum balſamicæ pilulæ, item balnea ex herbis roborantibus & nervinis, vel etiam potum aquarum mineralium cum accuratiori diætæ & vitæ regimine. Quare ut medicus hæc remediorum genera multum, imo plurimum ad averruncandas morboſas, quæ ex puerperio oriuntur, affectiones, commendata ſibi habeat, ſerio inculco.

Observatio IV.

Generoſæ fœminæ triginta annorum, ſanguine & ſuccis plenæ, quum feliciter peperiſſet & ſecundinæ etiam prodiiſſent integræ, ſubſtitit mox ſanguis lochialis, ac tenuis tantum materia profluxit ex utero. Hinc ad emovenda lochia, & à medicis, & à mulierculis, multa calida & pellentia exhibita fuerant medicamenta. Sed fruſtra, ſpaſmi enim ac dolores imi ventris, quin tertio die febris acuta & continua acceſſerunt, & ægram in magnum diſcrimen adduxerunt. Petito à me conſilio, ſuaſi, ut primo omnium vena pertunderetur in pede, ac clyſter poſtea molliens injiceretur. Factum utrumque & dolores mitigati, febris tamen cum pulſu duro & celeri perſtitit. Quum vero ſeptimo die ſudor erumperet, & per quatriduum ex univerſo corpore manaret tam largus, ut lectus & linteamina aliquoties eſſent mutanda; vires quidem multum dejectæ, ſed febris cum omnibus aliis ſymptomatibus ſublata. Hinc ſub ſudore juſcula tantum pullorum cum ſucco citri data, poſt eum vires analepticis, tam pharmaceuticis, quam diæteticis refectæ, & ſic ſanitas rediit perfecta, ad quam confirmandam, elapſis quatuordecim diebus, uterum infuſo laxante rhabarbarino, cum aliis congruis nupto, expurgare conſului.

Febris ut rima ſudo ſoluta.

Epicriſis.

Notatu dignus ob id hic eſt caſus, quod fere plane defecerit lochiorum fluxus, puerpera tamen ſervata. Ego vero notavi, difficiliorem ſemper eſſe lochiorum effluxum in fœminis, quæ

vaſa

vaſa gerunt exilia & habitum corporis ſpongioſum. Sunt tamen hæ proniores in ſudorem. Heic provido naturæ inſtituto factum eſt, ut febris ceſſerit in medicinam, cujus beneficio ſtagnantes in vaſculoſa uteri compage humores ſanguinei, ut in aliis inflammatoriis febribus, reſoluti atque diſcuſſi, ſimul etiam corpus per liberalem ſudorem à ſuperfluis humoribus repurgatum ſaluberrime. Nam recte ſcribit *Celſus lib. V cap. VIII. medicamentum ſacri ignis fortiſſimum eſt febris, quæ humorem noxium abſumit.* Ita ſæpius natura compenſare ſolet defectum excretionis cujuſdam in certa parte, per eo uberiorem in alio emunctorio ſuccedentem. Igitur cautelæ loco ſervetur: nunquam invita natura, vi quadam urgendas eſſe & movendas excretiones.

Observatio V.

Febris uterina ſine venæ ſectione ſanata.

Honeſta fœmina, tenera & macilenta corpore, animo alacris, vigeſimo ſecundo ætatis anno feliciter enitebatur filiolum, altero ſtatim die, poſt admiſſam ultimam venæ ſectionem. Poſt partum parcius ſeceſſerunt lochia, graves in abdomine, dorſo & inguinibus oborti dolores, quinto die acceſſit vehemens febris, cum inquietudine, præcordiorum anxietate, inſomnia, magna impatientia & interveniente ſubinde delirio. Datum de venæ ſectione conſilium, ſed quia haud ita pridem adminiſtrata, admittere noluit. Hinc ob alvum adſtrictam injectus clyſter emolliens, ex decocto avenaceo, cum floribus chamomillæ vulgaris, herba & floribus hormini, oleo chamomillæ cocto, addito nitro. Data poſtea quotidie, bis, vel ter, cum tenui juſculo doſis pulveris hujus: recipe ſolutionis oculorum cancri, ſalis polychreſti, nitri puri, lapidum cancrorum ana drachmam. M. dividatur in XII. partes æquales. Circa noctem deglutitæ viginti pilularum harum: recipe pilularum marocoſtinarum drachmam, extracti rhabarbari ſcrupulum, extracti croci, caſtorei ana grana ſex. M. f. pilulæ ex ſcrupulo uno no. XX. His per quinque dies uſurpatis, alvus ſoluta & aliquot ſedes quotidie motæ, nono quoque die fluxus humoris putridi & ſanguinolenti ex utero adauctus, & ſucceſſive ægra ſanitati reddita.

Epicriſis.

Quando natura ex variis, ſæpe occultis cauſis, corruptum ſanguinem & humorem ex utero vel plane non, vel inſufficienter, poſt partum emovet, ac inde imminet periculum, medicus, ſi non per ordinarias vias poteſt, per alia congrua emunctoria, noxium expurgare debet humorem. Sed quia febris adeſt, minus tuta ſunt evacuantia, præſertim per alvum. Hinc lenienda tantum hæc, quod optime fit per clyſteres atque nitroſa. Stagnantes dein humores reſolvendi, quem in finem utiliſſimus fuit pulvis ille ex neutris ſalibus, innocentis & tamen præſtantiſſimæ virtutis. Demum tentanda lenior alvi ſtimulatio, per innoxia etiam & clementia balſamica laxantia. Quod ſi ex voto ſuccedit & vires decumbentis reſpondent, aliquamdiu eſt continuandum. Tutius enim ſemper eſt puerperas purgare per alvum, quam ſudorem. Quam in rem peculiarem laudem ſibi vindicant pilulæ Becherianæ, vel ad earum exemplar paratæ correctæ, quæ certe in mulierum morbis, præſertim qui in puerperio accidunt, leni evacuante & ſimul roborante virtute, omnia reliqua antecellunt, ſi perite & cum aliis congruis in uſum vocantur.

Observatio VI.

Febris uterina ſecundina & lochiis retentis ſanata.

Fœmina acutioris ſenſus, macilenta ac tenera, viginti octo annos nata, pathematibus hypochondriaco-hyſtericis obnoxia & aliquoties abortum paſſa, pepererat noviſſime filiolum laborioſo admodum ad tres dies extracto partu, poſt quem nec ſecundina eliminata, nec lochia evacuata. Sequuti hinc dolores abdominis totius, præſertim ſiniſtri lateris, cum febre, vomitu, dyſpnœa, inquietudine & cardialgia. Ego in conſilium vocatus, tertio poſt partum die ſecare juſſi venam pedis, ad uncias minimum quinque, & injicere enema ex ſola aqua pluviali tepida, cum una drachma pilularum Becherianarum, mellis cochleari, adjectis duabus olei chamomillæ cocti unciis & dimidia ſalis Ebshamenſis. Sic alvus bis ſubducta & cardialgici dolores cum vomitu depulſi. Ad æſtum autem extinguendum pulveres nitroſi dati, & ad mulcendos dolores, ſperma ceti cum extracto croci in juſculo avenaceo. Septimo die quum æſtus deferveſceret, lochialem fluxum per uſum pilularum noſtrarum balſamicarum, item ſale aperitivo ex lapidibus cancrorum, terra foliata tartari & ſale polychreſto, nec non infuſo theiformi ex meliſſa, pulegio, floribus cheiri, calendulæ & chamomillæ promovere ſtudui. Quibus male olens ſanguinolentus humor è putrefacta ſecundina, quin integra hujus fruſtula excreta, & ægra præter omnium ſpem, intra tres hebdomades, ſenſim ſanitati reddita. Quinta demum puerperii hebdomade infuſum laxativum roborans uterinum, ex radice vincetoxici, pimpinellæ, rhabarbaro, agarico trochiſcato, ſemine leviſtici, herba meliſſæ, floribus ſalviæ, foliis ſennæ ſine ſtipitibus, paſſulis & tartaro crudo, ad aliquot dies bibendum obtulimus.

Epicriſis.

Fœminæ quæ ſpaſmis hypochondriaco-hyſtericis & flatulentis paſſionibus obnoxiæ, ſenſibilioris ut plurimum naturæ, difficulter pariunt & gravius quoque in puerperio ægrotant. Spaſmi enim, ad quos naturæ jam diſpoſitæ, non modo debitum ſanguinis lochialis effluxum, ſed & ſecundinarum excluſionem ſæpe intercipiunt. Quin, dum per ſpaſmos ſanguis motu inverſo ad ſuperiora, caput, pectus & ſtomachum urgetur: accidunt illa ſymptomata gravia, dolor ſiniſtri lateris in ſtomacho & coli flexura, cardialgia & vomitus. Tum itaque præſtabilius non ſuppetit auxilium, quam venæ ſectio in inferioribus inſtituta & alvi ſubductio, quibus ſanguinis motus ad inferiora revocatur ſimulque materia, quæ oneri naturæ eſt, ac fovet & ſuſtentat ſæva illa ſymptomata, expurgatur. Quum vero pilulæ balſamicæ ad ſecundinarum & lochiorum emotionem virtutis ſint celebratiſſimæ; propter dolores tamen & vomituritionem ore aſſumi nequiverint, optimum, ut ſæpius expertus ſum, fuit conſilium, eaſdem diſſolvere & cum clyſtere per os inferius injicere. Sedato poſt ea motuum impetu ac æſtu, ipſa natura ſponte materiæ putridæ ex ſecundina corrupta egreſſum eſt molita. Quem ductum ſequi & molimen ſecundare fuit ex uſu. Non tamen prætereundum,

poſt ſeptimum diem, noſtram affectam fuiſſe horripilatione quadam & frigore, intercurrente æſtu, ac in ſitu erectiori lipothymia, quod procul dubio ab incipiente corruptione ſecundinæ accidit. Neceſſarium autem, ſicuti in omni poſt puerperium morbo, ſic etiam in hoc fuit, uterum cum primis viis, ultimis hebdomadibus, quando vires redeunt, convenientibus laxantibus & roborantibus expurgare, non neglectis, pro circumſtantiarum ratione, balneis ex herbis nervinis ac uterinis.

Observatio VII.

Febris uterina repetita venæ ſectione & ſudorifero curata.

Puerpera habitior, plethorica, expoſuerat quinto poſt partum die corpus auræ frigidiori, ſimulque gravi terrore propter exortum incendium fuerat perculſa. Mox inde male habuit, lochiorum fluxus ſubſtitit, dyſpnœa acceſſit, dolor acutus ſiniſtri lateris thoracis, cum tuſſi ſicca, pulſu duro, celeri & præcordiorum anxietate. Data mixtura diaphoretica & diſcutiens & poſtera die ſecta in talo vena eſt. His reſpiratio quidem facta liberior, ſed fluxus lochialis non revocatus. Hinc exhibitum crebro infuſum theiforme ex herba veronicæ, cardui benedicti, floribus ſalviæ & radice liquiritiæ, repetita quoque mixtura modo laudata. Nil tamen profectum, pulſus manſit celer, dolor perſtitit, mox fuit inquieta, leviter etiam deliravit & nares aliquot guttas ſtillarunt. Quare quum ſanguine redundaret fœmina, iterum in cubito vena pertuſa, & poſtea datus liquor anodynus, cum quarta tincturæ bezoardicæ parte & grano camphoræ. Quo ſudor per univerſum corpus viginti quatuor horas effuſe manavit, poſt quem alvus clyſtere molliente ſubducta eſt. Demum rurſus prodierunt uteri purgamenta, & ægra ex ancipiti eſt laxata.

Epicriſis.

Puerperis nil certe pernicioſius, quam frigus & terror. His enim ſpaſtica infertur ſtrictura, ſanguinis motus ad caput & pectus convertitur, lochiorum fluxus ſiſtitur, pedes frigent, alvus ſtringitur, caput rubet & tumet, ſomnus fit turbulentus, delirium leve ingruit, ac niſi cito ſuccurritur, aut phrenitis, aut lipothymiæ graves, mortis prodromi, accidunt. Hoc ſi evenit, præſtantius non eſt remedium venæ ſectione, etiam reiterata, & clyſteribus lenientibus iterato, ſi neceſſitas urget, injectis. Poſt ſanguinem autem miſſum conducit efficax ſudoriferum cum regimine congruo datum. In hoc caſu, ubi ſpaſmi & dolores ſymptomatum cauſa, liquor meus anodynus, qui tutiſſimæ virtutis ſedativæ, cum ſudorifero, uti ſpiritu cornu cervi ſuccinato, aut ſpiritu bezoardico *Buſſii* datus, ad ſudorem movendum & motum humorum exterius vertendum, optimum fuit præſidium. Sola enim anodyna non ſuffeciſſent, neque etiam ſola ſudorifera, ſed ambo mixta & quaſi ad temperamentum reducta. Ratio vero, quare frigus tam pernicialia in puerperis inducat pathemata, eſt acutus ſenſus orificii ipſius uteri, quod ex multis fibris nerveis & muſculoſis contextum, & quo à ſpaſmo gravius affecto, univerſa œconomia motuum ſalutarium, tam ſecretoriorum, quam excretoriorum poteſt inverti. Nam vere ſcribit *Hippocrates lib. II. epid.* poſt partum os uteri ſæpe contorqueri & dolorem fieri juxta coxam & crus, ſed ſecta tali vena liberari. Quem in locum *Mercurialis præl. Bonon.* commentatur hunc in ſenſum: contorſionem uteri eſſe affectum, in quo os uteri diſcedat à propria regione. Tandem in noſtra etiam commemorabile, quod ſecunda venæ ſectio in cubito plus effecerit, quam prima in talo. Eſt tamen hoc non perpetuum. Quod ſi enim lochia ſubſiſtunt, præſtat ſemper in inferioribus ſanguinem poſt pediluvium ſubtrahere. Sed quando ſanguis jam cum impetu ad caput delatus, ad arcendam phrenitidem, ſatius eſt, in loco propinquiori impetum derivare. Mihi certe aliquot innotuerunt exempla, ubi lochiis ſubſiſtentibus, purpurata febris oborta, cum graviſſimis ſymptomatibus, lipothymiis, præcordiorum anxietatibus, mortem ipſam minitantibus, quæ tamen miſſo in brachio & derivato à corde & appenſis ipſi majoribus tubis ſanguine, mox per DEI gratiam diſcuſſa.

Observatio VIII.

Uteri ſtillicidium perpetuum cum gravibus ſymptomatibus.

Illuſtriſſima perſona triginta aliquot annorum, habitu corporis laxo & pleno, ſanguinea, antehac optima valetudine uſa, ſed ab aliquot annis, ob præmaturum conjugis diſceſſum, impenſo mœrore aliiſque crebris animi commotionibus affecta, multis quoque arduis negotiis diſtenta, minuſque ſalubrem victum colens, ante quadriennium incidit in pectoris oppreſſionem & ſpaſticam ventriculi inflationem, quæ tamen interno & externo Carolinarum mitiorum uſu abacta, ut poſtea belle valeret & menſium quoque ſucceſſus legitimus eſſet atque ſufficiens. Anno autem abhinc, poſt ſuperatam febrem continuam & perpeſſos diuturnos catarrhos, primum turbari cœpit menſium fluxus, modo maturius modo ſerius ſemperque cum exquiſitis ventris torminibus ac dorſi tenſione prodire. Recruduerunt quoque pathemata ſpaſtica hypochondriaco-hyſterica & acceſſit ſtillicidium muci rubicundi ex utero perpetuum, cum virium languore, appetitu proſtrato, ſomno turbato & plumbeo corporis aſpectu. Quin, quum nuncio adverſo admodum percelleretur inſtante menſium periodo, præter ſuperiora pathemata, dolor acutus in hypogaſtrio obortus, ac ſi omnia ex imo ventre vi quadam deorſum urgerentur, ſecedente ſimul cum difficultate urina turbida feculenta, intermixtis mox cruoris lenti grumis, mox fibris & filamentis cruentis. Potiſſimum dolor acerbiſſimus compunctorius conſedit fixus in hypogaſtrio, ſupra os pubis, in circumſcripta regione, magnitudine dimidii uncialis, ex qua antrorſum ad veſicam, retrorſum ad ſacrum os, inferius verſus femora excurrit, ſuperius autem venter flatibus fuit cum moleſtia obſeſſus. Interim ad hypochondriaco-hyſterica pathemata & ſtomachi vitium tollenda ad Carolinas iterum tendit, iiſdemque ſub debito regimine interius atque exterius eſt uſa. Quibus ventriculi & inteſtinorum diſpoſitio morboſa emendata, uteri autem vitium, nec in deterius interea, nec melius mutatum. Idem potius perſtitit, & interjecto aliquo tempore, eo proceſſit morbus, ut poſt ſpaſmum in infernis, ſemper mox ſanguis ſincerus, nunc ſpiſſior, nunc craſſior, mox concrementum quoddam coagulatum & quaſi membranaceum ſecederet, difficultates teneſmodes ſub mictione & cacaturitione eſſent perpetuæ, per alvum mucoſitates globoſæ ac teretes, modo cum, modo ſine excrementis, evacuarentur, urina excreta turbida cum ſedimento limoſo, ſubroſeo & cuticula cæruleſcente pituitoſa, pulſus maximam partem eſſet exilis, debilis ac

fre-

frequens, corporis & faciei habitus pallidus admodum, extenuatus, appetitus inconstans, tussicula sicca, agrypnia propter dolores in hypogastrio exquisitos parum cessantes ferme habitualis, post pastum phlogoses affligerent, refrigerationes artuum sæpe recurrerent, vires collaberentur & quandoque deficerent plane.

Epicrisis.

Ad oppugnandum gravem hunc morbum in consilium vocati medici multi, & plures forsan, quam expediebat, in diversum plane abeuntes. Aliqui enim calculum & nephritidem esse volebant, alii malum hypochondriacum, alii scorbutum, alii affectum hypochondriaco-spasticum hystericum, alii orgasmum furiosum. Ego vero, cum ordinario & celeberrimis binis medicis censui, vesicam, uterum & rectum intestinum arctius invicem connexa & in cavitate pelvis comprehensa, à sanguine & succis stagnantibus esse infarcta, eorumque vasa & glandulas relaxata partim esse nimiumque distenta, partim læsa, plane erosa atque exulcerata, & hinc prodire illum fluxum uteri perpetuum & pressorium illum etiam sub alvi & urinæ excretione dolorem atrocem. Dedi etiam consilium, ut adhiberentur ea, quæ partes affectas à spasmis & inflammatione defendant; quæ nimium humorum affluxum ab iisdem avertant easdemque tam interius quam exterius mulceant, roborent atque consolident, pulveres scilicet temperantes nitrosos, pilulas balsamicas, infusa theiformia, ex melissa & millefolio, potum ordinarium Selteranarum cum quarta vini parte, epithemata & emplastra discutientia & roborantia, injectiones quoque in uterum circumspecte factas demulcentes & balsamicas, & postremo omnium saluberrimum lactis asinini potum, aliquamdiu continuatum, interposito subinde balneo tepido, ex aqua dulci cum lacte & furfuribus triticeis. Sed uti fieri assolet in principibus personis, ut multi medici perdant ipsas, ita heic etiam, & multa, & varia, quin non nunquam incongrua plane, usurpata sunt remedia, & quod præcipuum est in longis ejusmodi vitiis rejectum, diu continuatus accommodorum medicamentorum leniorum usus. Hinc sensim, uti comperi, in pejus ruit malum, pathemata magis adaucta, corpus plane contabuit, vires exhaustæ, & vix alius eventus sperandus, quam quem in simili fere casu supra *observatione II.* accidisse meminimus.

Observatio IX.

...bris ute-
...na nimia
...na se-
...one le-
...alis.

Illustris fœmina, triginta & trium annorum, sana & vegeta, post partum conquerebatur altero statim die de insigni ardore, dolore & tumore in interioribus vaginæ, à rudi contrectatione obstetricis colli uteri interni, inducto. Exacerbatis postea symptomatibus, accedente febrili æstu & lochiis etiam non rite fluentibus, advocabatur Archiater. Is venam secare jussit in brachio. Quo quum nil levaminis accederet, sed præcordiorum anxietates, cordis palpitationes & inquietudo intenderentur, alvus quoque cum pedum frigore stringeretur, decoctum mannatum cum cassia dedit, & spatio septem dierum, sexies misit, modo in brachio, modo pede, sanguinem. Sed quum postremo id fieret, ægræ oculi cœperunt obfuscari, ut candelam inferre juberet, quum dies esset quam lucidissima, quin brevi post lethali lypothymia correpta obiit. Die post sectum cadaver, nil autem repertum, præter tumorem vaginæ, cui insidebat macula nigra dimidii uncialis magnitudine, ad internum uteri orificium, ac in toto vasorum systemate vix aliquot restitabant sanguinis cochlearia.

Epicrisis.

De veritate hujus historiæ testis ego sum αὐτόπτης. Quilibet autem illico judicabit, temerarie & imprudenter tam crebro administratam esse venæ sectionem, à medico, qui in Gallia hoc artificium edoctus, & alias ob peculiarem variolas & petechiales febres curandi modum non est ignotus. Dolor enim & spasmus ac inflammatio facili negotio, applicato parti dolenti epithemate discutiente & datis interius blandis diaphoreticis, potuissent abigi. Nimia vero sanguinis subtractione, & lipothymia inducta, & sphacelus contractus, licet unica non nocuisset venæ sectio. Nam ipsa inflammatio sufficienti & valido sanguinis appulsu discutienda, eodemque plus justo subtracto, necessario sequitur sphacelus. Igitur sicuti plures medici delinquunt in eo, quod in inflammatoriis puerperarum affectibus sanguinis missionem repudient omnem; ita heic in excessu peccatum fuit graviter. Sed medium tenuere beati.

CAPUT XI.

De Inflammatione oculorum cum & sine febre.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Ophthalmiæ descriptio.

Frequentissima est inflammatio membranarum oculum investientium, tunicæ præsertim adnatæ, sive albugineæ, græco nomine dicta ophthalmia. Jungitur hæc cum dolore acuto, interdum & pressorio, ardore, rubore, tumore & seri salsi ex oculis effluxu, nec non visu imminuto, vel plane deperdito. Oritur autem, quando vasa arteriolarum lateralia, quæ secundum naturam pellucidum nulloque colore infectum liquorem vehunt, à sanguine valide ad caput congesto implentur, distenduntur & visui sese offerunt. Hanc enim causam esse, patet experimento, quo injecto per siphonem in carotidis ramum liquore spissiusculo rubicundo, adnata oculi tunica, per omnem sui ambitum rufescens & inflammata comparet.

§. II.

Levior est; gravior, vel gravissima.

Est autem ophthalmia, vel levior, vel gravior, vel etiam gravissima. Levior albugineæ tantum tunicæ insidet, nec tam late diffunditur, facilius discutitur, & oritur potissimum à causa externa leviore, insperso pulvere, appulsu asperioris, plaga aut allisu leniori, aura liberius admissa frigida & sudore subito represso, nec non ab administrata cataractæ depositione. Gravior, præter adnatam, etiam confines palpebras infestat totumque oculum exquisito ardore & dolore afficit, qui ad levem lucis accessum exacerbatur. Enascitur hæc maxime à causis internis, seri nempe impuritate & salutaribus excretionibus cohibitis, ac uti ego observavi, à suppresso solenni matutino sudore, à scabie, nec non tinea capitis intempestive abacta, à cohibitis mensibus, ulceribus & fistulis consolidatis, item repulsa rosacea gutta, & propterea ægrius, nec nisi internis & externis adhibitis, discedit. Gravissima demum profundior est, ad ima oculi & interiores tunicas penetrat. Comitatur hanc dolor acerbissimus cum febre, quandoque etiam cum delirio, sequitur suppuratio & humo-

rum

rum effluxus, remanente cœcitate perfecta. Rarius tamen à cauſis internis, ſed plerumque à contuſione validiori inducitur. Vidi ego ſuppurationem excidente lente cryſtallina, poſt ictum fortem inter pugillandum oculo inflictum, vidi vero etiam talem caſum à tinea capitis inveterata, ſubito externis ſiccata.

§. III.

Vera, vel notha. Deinceps alia ophthalmia eſt vera, alia notha, ſive ſpuria. Veræ cauſa maxime interna & ſymptomata graviora, à ſanguinis in tubulis ſtaſi, ægrius abigenda. Spuria à cauſa magis externa, uti pulviſculo in oculos illapſo, à vapore acri, ceparum & allii, ſymptomata hinc ſunt mitiora & facilius cedit ipſa. *Sicca, vel humida.* Alia ſicca eſt, alia humida. Illa fit à ſanguine calido, cum dolore acuto, pungitivo, ac nil ex oculo effluit. Hæc mitiori quidem ſtipatur dolore & ardore, ſed palpebræ tument & multum ſeri acris effluit, ut oculi noctu conglutinentur. Illa frequens ſanguineo-cholericis, juvenibus ac æſtivo tempore, hæc pueris & infantibus, nec non fœminis & phlegmaticis.

§. IV.

Epidemica & periodica. Datur quoque ophthalmia epidemica & periodica. Epidemica enaſcitur certis anni temporibus à diuturna humida & frigida aëris conſtitutione, poſt quam ophthalmicum morbum plures invadere ſæpius obſervavi ac idem teſtatur *Amatus Luſitanus Cent. VII. obſ. LXXX.* Quæ autem certo quodam tempore, vel quotannis, vel circa æquinoctium, vel ſingulis menſibus infeſtat, ſolennis eſt, quando ſueta ſanguinis miſſio intermittitur; menſes non rite fluunt, aut retinentur, quando hypochondriacus affectus ſubeſt, & ſanguis in vaſis hæmorrhoidalibus ſtagnans flatus & ſpaſmos concitat in abdomine, quibus ſanguis cum impetu ad caput & oculos urgetur.

§. V.

Cauſæ ophthalmiæ. Præter ea vero quæ jam de cauſis ophthalmiæ paſſim diximus; ad eandem maxime diſponunt crapula, venus & vigilia immodica, lucubrationes cum intemperantia ſtudiorum, ventus borealis, crebrior aſpectus ignis, ſolis, & colorum ſplendidorum. Idem faciunt fumi acres & metallici, alvus diu & multum adſtricta, refrigerationes extremorum immoderatæ, inprimis menſium tempore, item præcedentes oculorum morbi, debilitatem quandam relinquentes, ophthalmia ipſa, nec non quam maxime variolarum & morbillorum morbus, qui maximam ad oculorum affectus inducit diſpoſitionem. Quando autem, uti haud raro fit, hemicraniæ, interdum etiam odontalgiæ, jungitur ophthalmia, ſerum acre ſcorbuticum ſubeſt, idque aliquoties contigiſſe novi, à podagra retro pulſa; ejuſdemque materia non modo ad pericranium, ſed & oculorum tunicas & perioſtium maxillæ ſuperioris delata.

§. VI.

Eventus. Levem illam ophthalmiam facile diſpelli, graviſſimam in oculi ſuppurationem cum cœcitate tranſire, etiam jam monitum. Gravior autem eſt contumacior, durat ſæpius per menſem & longius, ac haud raro maculas in cornea relinquit, ſplendorem oculorum obfuſcat, humores turbidos tunicamque corneam craſſiorem, glaucam minuſque pellucidam reddit. Semper etiam difficilior curatu in pueris, nec non in ſenibus, in illis ob ſuccorum lymphaticorum abundantiam & partium teneritudinem; in his vero ob humorum impuritatem.

CURATIO.

§. I.

Humores derivandi. In medicatione ophthalmiæ tria hæc perficienda: I. ſanguinis, vel etiam ſeri acris motus à capite derivandus; II. ſtaſis inflammatoria diſcutienda; III. ſymptomata graviora arcenda & oculus à recidiva defendendus. Inter ea quæ humores à capite divertunt, eſt maxime ſanguinis miſſio, quam ex jugulari inſtitutam mire laudat *Hildanus Cent. IV. obſ. XIII.* Alii ſublingualium commendant ſectionem, ſed ante hanc, ſi ſanguis redundat, in brachio aut pede prius pertundenda vena. Sunt qui cucurbitulas cum ſcarificatione in nucha & pone aures ſuadent, & veteres appoſitis hirudinibus multum detulerunt. Dein divertunt efficaciter pediluvia, quibus ter intra viginti quatuor horas uſurpatis, poto ſimul liberaliter infuſo theiformi, feliciter diſcuſſam eſſe ophthalmiam, aliquoties vidi. Serum porro acre ſalſum valide ab oculis revocant veſicatoria, nec non ſi malum inveteratum ſetacea; proſunt quoque ſinapiſmi, ex ſemine erucæ ſacculis incluſo, in vino cocto ac in nucha, vel ſub axillis admoti. Præterea optime caput ab humorum affluxu liberant laxantia, vel etiam pro circumſtantiarum ratione purgantia. Sponte enim purgatione ſæpe ſolvi ophthalmiam notavit *Hippocrates Sect. VI. aph. XVII.* Et *Galenus Meth. med. lib. XIII. cap.* 2. gravis teſtis eſt, nonnullos quibus oculi inflammati ſola purgatione per alvum una die ſanatos.

§. II.

Staſis diſcutienda. Divertens ſimulque diſcutiens egregia virtus ineſt diaphoreticis, quæ liberam perſpirationem procurando, non modo ab oculis & capite ad corporis ambitum humores agunt, ſed & ſuccos ab acrimonia ſalſa repurgant. In ipſa autem parte affecta inflammatoria ſtaſis & internis & externis diſcutienda eſt. Ex illis omnibus præferendum infuſum theiforme ex radice valerianæ, liquiritiæ, floribus ſambuci & ſemine fœniculi, quod largius potandum & ante potum vapor ipſius conſulto ſub tecto capite ad oculum admittendus. Inter externa efficax & ſecurum hoc collyrium: recipe aquæ florum ſambuci, ſclopetariæ ana unciam unam, camphoræ grana tria, ſacchari ſaturni grana decem. M. quod cum linteo triplicato crebrius tepide oculis applicandum. Quando autem nimis mordens adeſt acrimonia, mucilaginem corticis medii florum tiliæ, item ſeminis cydoniorum, cum aqua roſarum, addito pauxillo croci, ſine, vel cum opio, admovere expedit. De ſymptomatum medicatione dicetur in cautelis.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Curatio gravitati mali accommodanda. Quia ophthalmia gravitate differt, diverſa etiam ineunda medendi methodus. Quam levem diximus, optime fert frigida & repellentia, ac ſolum albumen ovi, cum aqua roſarum & pauxillo aluminis conquaſſatum, ſufficit omnibuſque aliis palmam præripit. Gravior non ſolis externis cedit, ſed interna efficacia exigit remedia, quæ ſerum recrementitium ab oculis divertant, ſalſos & acres humores diluant atque contemperent, eoſdemque ſucceſſive per congrua emunctoria eliminent. Proficua hunc in finem infuſa theiformia, ſerum lactis dulce, aquæ minerales, tam martia-

tæ,

tæ, quam alcalinæ, temperantes & diaphoretici pulveres, non omiſſis laxantibus, pediluviis, nec non urgente plethora & ſuppreſſis criticis ſanguinis evacuationibus, venæ ſectione tempeſtiva. In graviſſima cum febre, & ubi periculum eſt, ne in ſuppurationem tranſeant interiora, è re eſt, ut repetita venæ ſectio inſtituatur, aut liberaliter ſanguis ſubtrahatur, & hoc quidem omnium optime per venam ſectam jugularem. Interius pugnandum diaphoreticis, demulcentibus & reſolventibus, inter quæ ſalubritate antecellunt pulveres bezoardici, cinnabarini, leniter nitroſi & camphorati, pota ſimul loco ordinarii potus ptiſana. Exterius vero abſtinendum à collyriis refrigerantibus & potius aqua ſic dicta ſclopetaria, cum aqua roſarum & florum ſambuci, adjecto pauxillo croci & camphoræ, tepefacta, cum linteo duplicato admovenda.

§. II.

De venæ ſectione & veſicatoriis.

Non in omni ophthalmia neceſſaria ſanguinis miſſio, ſed tantum ubi plethora eminens, venæ ſectio aut ſcarificatio omiſſa, vel etiam critica quædam hæmorrhagia intercepta. Interim ſi mali origo à ſanguinis redundantia, præſtat prius venam brachii, pedis, aut jugularem aperire, ac poſtea, ſi opus eſt, ſcarificare pone aures, vel in nucha. Setacea & veſicatoria non facile applicanda in plethoricis, niſi ſoluta prius plethora, & alvo, præſertim in cacochymicis, ſubducta. Neque, ſi veſicatoria neceſſaria, ea ſemel tantum apponere ſufficit, ſed ſæpius, in locis ſenſibilioribus, uti nucha, olecrano, carpis manuum. Hinc præfertur ſetaceum, cui tamen, quia & doloroſum, & moleſtum nimis, nos anteponimus veſicatorium temperatum minus, groſſi magnitudine, per menſem & longius in nucha geſtatum.

§. III.

Purgantibus & diaphoreticis.

De purgantium uſu tenendum, corporum & naturarum diverſitati eundem eſſe accommodandum. Si res mannatis, tamarindinatis & tartareis expediri poteſt, non confugiendum ad acriora. Alias in torpidioribus & phlegmaticis, pilulæ efficaciores, uti tartareæ & de ſuccino *Cratonis*, vel tutius noſtræ balſamicæ, aliquoties porrigendæ. Diaphoretica egregii uſus, ſed diutius adhibenda, quando magis ſerum acre ſalſum, quam ſanguis in vitio eſt, tanto magis ſi ophthalmia ſymptomatica, alii morbo ſupervenit, aut jungitur hemicraniæ.

§. IV.

Regimen & victus.

Quemadmodum in omnibus oculorum morbis; ita maxime in eorum inflammatione, abſtinendum eſt, ab omnibus ſpirituoſis, ſpiritu vini, vino, fumo tabaci, etiam ſternutatoriis. Arcendi fumi, ceparum & allii vapor, cum ignis, radiorum ſolis, lucis & colorum fulgidorum aſpectu. Vitandus corporis exæſtuans motus & nimius craſſuſque victus. Potus ſit aqua pura, vel ptiſana, aut decoctum ex ſemine fœniculi, raſura cornu cervi & hordeo. Colenda ſobrietas, victu molli & temperato utendum, ac quiete in loco tenebricoſo commorandum.

§. V.

Topica noxia.

In adminiſtratione topicorum, ſive collyriorum, magna opus eſt cautione. Plures enim, notante etiam *Septalio*, imperito horum uſu, cœcitate affectos novimus. Scilicet ut plurimum aut acria nimis ſunt, ex aqua calcis vivæ, ſale ammoniaco, cum vitriolo albo, vel Cyprio; aut nimis adſtringentia, cum alumine, ſanguine draconis, bolo Armena, lapide calaminari, tutia & albumine ovi; aut nimis refrigerantia, quæ aquam ſpermatis ranarum, roſarum, plantaginis, adjecto ſaturni ſaccharo habent; aut nimis exſiccantia, ut quæ cum cornu cervi uſto, lapide calaminari & tutia confecta; aut etiam nimis laxantia, ex mucilagine ſeminis pſyllii, cydoniorum, fœnu græci, tragacantha & butyro inſulſo. Omnia autem hæc, licet in aliis oculorum affectibus præſtanti non careant uſu: in inflammatione tamen, præſertim ſanguinea, tantum abeſt ut proſint, ut potius noceant. Inde enim non modo pejor & profundior redditur ſtaſis, ſed & ipſi humores oculorum pellucidi fiunt turbidi, ſequitur oculi tabes, corrugatio, ſuffuſio, epiphora chronica, rubens, ſicca & aſpera, quin & palpebrarum exulceratio.

§. VI.

Quæ proficua.

Ego potius auctor ſum, ut ſeponantur topica omnia ante tertium diem, & antequam convenientia interna jam uſurpata, exceptis ſolis ſaculis ex paregoricis & demulcentibus compoſitis. Poſtea vero omnium optima quæ ſupra commendata. Neque tamen etiam in chronica ophthalmia, ubi continuum lymphæ ſalſæ, acris eſt ſtillicidium, inglorium eſt *Hœchſtetteri* medicamentum ophthalmicum, ex butyri recentis inſulſi drachmis duabus & vitrioli albi ſcrupulo, de quo granum piſi majoris magnitudine in oculi canthum ſubinde indendum.

§. VII.

Reliquiæ ex ophthalmia quibus delendæ.

Quando, quod ſæpius fit, ophthalmia tandem diſcedens relinquit ſpeciem maculæ & viſum imminutum, tunc nihil præſtantius eſt axungia viperarum recenti ex Italia allata, & crebrius ad aliquot guttas oculo inſtillata. Egregie etiam viſum turbatum & imminutum reſtituit ſal volatile ſalis ammoniaci ſiccum, oleo majoranæ imbutum & odore crebrius naribus ſuſceptum. Ejuſdem virtutis vapor eſt ex decocto radicis valerianæ, florum ſambuci, ſeminis fœniculi, ad oculos, tecto prius linteo capite, admiſſus. Sed opus eſt, ut hæc auxilia mature ac tempeſtive adhibeantur. Si enim inveteravit & radices egit vitium, difficillime ſaneſcit. Novi tamen, viſum fere deperditum ex ophthalmico morbo, linimento mercuriali genubus & poplitibus illito interpoſitiſque balneis aquæ dulcis, redditum fuiſſe. Neque minus potenter viſcidos & coagulatos humores diſſolvit ac ſudorem movet, ſulphur noſtrum antimonii fixatum, eaque propter in oculorum vitiis egregie conducit.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Ophthalmia ex Elin ſuppurata.

Juvenis ſanguineus, in palæſtra gladiatoria æſtuans, acceperat forte inter pugillandum ictum cum gladio palæſtrico, quem vocant *ein Rappier*, in oculum ſiniſtrum, ſubſequente mox rubore ac dolore. Ille tamen penſi hæc habens, veſperi largiter ingurgitavit vinum, rixas quoque acres cum ſodalibus movit. Inde die poſt magnus tumor oculum ejuſque vicinas partes occupavit, cum dolore pulſatorio, cephalalgia, præcordiorum anxietate ac pulſu celeri. Chirurgus advocatus, non adeo magni momenti eſſe putans, applicuit collyrium frigidum, quo ſymptomata adeo exacerbata, ut ſomnum abigerent omnem. Hinc medicus in conſilium vocatus, qui ſanguinem mittere & pedibus burſam paſſo-

ris

ris admovere juſſit. Sed incaſſum. Inflammatio potius abiit in ſuppurationem, & quinto ab inflicto ictu die, ingens puris quantitas ex oculo fluxit, quam ipſi humores ſequuti, & ſic oculus cum omni viſu periit. Quin poſtea ſumma cura enitendum fuit, ne hæc inflammatio & exulceratio in ſphacelum degeneraret, quod etiam à medico applicatione ſpiritus vini camphorati cum eſſentia croci, & data interius tinctura bezoardica, præſtitum eſt.

Epicriſis.

Nunquam periculo vacat oculi inflammatio profundior, qualis exſurgere ſolet à graviori contuſione, vel vulneratione, quia ejuſmodi inflammatio non facile diſcutitur, ſed in ſuppurationem, non ſine ſphaceli ipſiuſque vitæ diſcrimine, abit. Noſtro quidem judicio averti potuiſſent gravia hæc ſymptomata, ſi æger non largiori vini potu ſanguinem commoviſſet, majoremque ad partem jam affectam proritaſſet affluxum; ſi dein ſtatim poſt contuſionem ſanguis è brachio miſſus fuiſſet & cataplaſma, ſive ſacculus ex diſcutientibus, uti radice ſigilli Salomonis, ireos Florentinæ, roſarum rubrarum, anthos, lavendulæ, ſambuci, chamomillæ, camphora & croco in vino coctis, fuiſſet admotus, nec chirurgus inſtillatione frigidi collyrii inflammationem reddidiſſet deteriorem.

Observatio II.

Ophthalmia periodica.

Fœmina XLII. annorum, ſanguinea, obeſa, ſcorbutica & glandulas in collo tumefactas gerens, poſt retentum menſium fluxum, corripiebatur oculi ſiniſtri dolore ac rubore, cum ejuſdem lateris cephalalgia admodum vehementi. Liberata primum, annum poſtea ſemper, menſe Octobre, hujus mali experta eſt recurſum, ſub quo appetentia erat proſtrata, lucem ferre non poterat & ſeri ex oculis copioſum ſtillicidium ſemper experiebatur, quod per aliquot menſes perſiſtebat. Pluribus uſa remediis, ſed incaſſum, & notabile erat, quod quoties ſal volatile oleoſum ſumeret, toties ſoporem & torporem ingentem capitis pateretur. Ut itaque hic affectus, qui per triennium ægram mirum afflixerat, radicitus exſtirparetur, acidulas Pyrmontanas æſtate ſub debito regimine potabat, quibus etiam alvus & urina optime feceſſit & ipſa poſtea à contumaci malo eſt liberata.

Epicriſis.

Periodica hæc eſt ophthalmia, ex menſibus ſuppreſſis in plethorica fœmina oborta, menſe maxime Octobre, quo alias ſolennes ſunt ſanguinis excretiones, commotiones & molimina ad excernendum, præſertim per hæmorrhoides. Quare impenſius hoc tempore ſanguis regurgitavit ad caput, ac non tantum oculum, ſed etiam membranas capitis ejuſdem lateris male affecit, unde dolores. Sopor vero & torpor ille, qui ex uſu ſalis volatilis aſſumti accidit, inde derivandus, quod hoc remedio, congeſtus in capite ſanguis magis rarefactus, ſicque recurſus ipſius per venas interceptus. Dein notabile eſt, quod morbi, qui ſtatas ſervant periodos, plerumque fundamentum habeant in abdominis viſceribus, unde optimo conſilio ad eradicandos eos, commendari ſolet uſus aquarum medicatarum, thermarum & acidularum, ad removenda viſcerum vitia efficaciſſimus.

Observatio III.

Subita inflammatio à feſtuca ferrea.

Vir quadragenarius ſanguineo-cholericus, ſubito affectus eſt dolore oculi ac rubore, quem ſibi accidiſſe putavit, à feſtuca minima ferri, ſub ictu clavi cum malleo in oculum ſaliente, licet nihil omnino de ea in oculo compareret. Ipſe igitur ad tollendam paſſionem oculo ſubinde inſtillavit collyrium frigidum, ex aquis ophthalmicis, quo quidem calor & ardor delinitus, ſed bulbus turbidus & obſcurus comparuit ac omnis viſus periit. Me hinc vocavit in auxilium, qui, ne cœcitas ingrueret perfecta, obviam ivi hiſce; ſal volatile ammoniacum ſiccum, oleo majoranæ imbutum, crebrius naribus admovere, fronti & temporibus emplaſtrum ex gummi elemi, animæ, maſtiches, olei nuciſtæ ana drachmis duabus, camphoræ & balſami Peruviani ana drachma, applicare & frequentius ac copioſe bibere juſſi infuſum ſeminis fœniculi cum aqua. Quibus intra aliquot hebdomades oculus recepit ſplendorem & viſus aciem.

Epicriſis.

Si inflammatio ſubito oculum adoritur, non injuſta eſt cauſæ externæ ſuſpicio, licet eadem non ſemper in conſpectum veniat, quia interdum adeo ſubtilis, ut viſum fugiat, ut fit, ſi à fumo acri membranæ oculi male afficiuntur. Diſcimus vero etiam, quam nocens ſit inſtillatio frigidi in oculum ardentem, nec non quo pacto quibuſque remediis oculorum humoribus turbidis reddenda ſit perſpicuitas.

Observatio IV.

Ophthalmia noth. rebellis.

Juvenis literarum ſtudia intemperantius tractans, indulſerat à longo tempore nimium lucubrationibus, & inde ſibi inſignem contraxerat viſus debilitatem. Poſt annum invaſit oculos dolor gravativus preſſorius, non ſine ardore, adeo, ut nec lumen aſpicere, nec citra moleſtiam legere poſſet, ſed ſtatim largum oculorum ſtillicidium experiretur. Medici ſuaſerunt purgantia, tabaci fumum, oculi cum balſamo Peruviano inunctionem externam, nec non fonticulum in nucha. Fruſtra tamen. Quin licet purgantia poſtea fortiora, decocta ſanguinem purificantia, venæ ſectionem in pede, pediluvia cum accurato in diæta & victu regimine adhiberent, nihil tamen aliud omnibus effectum, quam ut ventriculus debilitaretur inſigniter. Alii de ſcarificatione adminiſtranda, fonticulo brachio inurendo & pinguedine viperarum inſtillanda oculo dederunt conſilium, ſed eodem fruſtraneo effectu. Adiit etiam æger Pyrmontanas acidulas, quibus labes & infirmitas oculi adaucta, & nubeculæ viſui oblatæ, ut cataractæ plane metus eſſet. Pariter in vanum laboravit medicus, qui decoctis ſanguinem purificantibus, veſicatoriis, ſternutatoriis variiſque collyriis pertinax malum abigere molitus eſt. Tandem vero ſolo uſu pilularum mercurialium cum gummatibus & extractis balſamicis amaris, item infuſo theiformi, ex ſemine fœniculi, cum anatica lactis parte, nec non externo cataplaſmate, ex mica panis ſimilaginei, cum cremore lactis, croco & floribus ſambuci, allatum miſero levamen, dolor preſſorius diſceſſit, remanſit vero quædam viſus imbecillitas.

Epicri-

Epicriſis.

Hic oculorum affectus non quidem ad veram & exquiſitam ophthalmiam referendus, ſed magis ad notham, quæ ex ſtagnatione lymphaticorum humorum in oculis & ſanguinis circuitu libero impedito, ortum traxit. Hæc autem cauſa, quia chirurgos & medicos latuit, adhibita præpoſtere medicamenta nihil profecerunt. Erant enim non tanti, ut vaſculorum tenuiſſimorum obſtructionem expedire potuiſſent. Illa vero poſtremo uſurpata efficacia reſolventia, pilulæ mercuriales, nec non exterius cataplaſma, accommoda utique fuerunt atque proficua. Igitur multitudo & varietas medicamentorum; prodit ut plurimum medici ignorantiam, qui, ſi cauſam morbi rite intelligit, nec adeo multis, nec variis opus habet remediis, ſed paucis, uſu probatis, ſæpe ſimplicibus, diutius tamen uſurpandis.

Observatio V.

Ophthalmia gravis cum ruptura corneæ.

Viro triginta annorum inopinato pauxillum ſucci illius acris, quo capillorum concinnatores, capillos atro colore inficere ſolent, in oculum ceciderat. Hinc ſequutus rubor oculi & dolor acerbiſſimus, ut patiens nec cibum, nec ſomnum capere poſſet, ac ferendo cruciatui fere eſſet impar. Chirurgus in conſilium vocatus, collyrium ex aqua roſarum, plantaginis & tutia, frigide inſtillandum ſuaſit, hocque nihil plane proficiente, ſaccharum ſaturni in aqua roſarum ſolutum crebrius cum linteo dolenti oculo admovere juſſit. Sed nihil his dolorum atrocia mitigata, oculi potius bulbus quaſi decrevit & minor factus, humores turbati, & viſus plane periit, in cornea quoque tumor inſtar piſi durus apparuit. Admota quidem nuchæ veſicatoria, uſurpata quoque purgantia, ſed malum plus in deterius, quam melius verſum. Hinc chirurgus deſperabundus deſeruit ægrum, omneſque adſtantes de viſu unquam recuperando dubitare cœperunt, inprimis quum præterea palpebra oculi affecti elevari non poſſet, ſed ſemper clauſa & elevata manu ſenſus expers eſſet, quin veſiculoſus tumor in internis palpebræ compareret, aſpectum oculi fere intercipiens.

Epicriſis.

Ophthalmia hæc fuit graviſſima, cum ruptura corneæ, oborta à ſucco acri in oculum illabente, qui arroſione effluxum ſanguinis ac humorum tunicarumque diſtenſionem fecit. Multum vero etiam ad grave malum contulit collyrium frigide admotum, eo quod ſtaſin & ſtagnationem humorum firmiorem reddidit & graviorem. Nos ſequentibus ivimus obviam: ſpiritus vini camphoratus cum balſamo Peruviano, exhalato prius ſpiritu, cum linteo duplicato crebrius oculo fuit admotus. Alvus pilulis ex mercurio dulci, gummi ammoniaco, extracto panchymagogo *Crollii*, balſamo Peruviano & ſale ſuccini ſubducta. Adhibita pediluvia. Potum copioſe infuſum theiforme ex veronica & ſemine fœniculi. Datum interius diaſcordium *Fracaſtorii*, cum lapidibus cancrorum & nitro. Et exterius cataplaſma, ex pomo aſſato, croco, mica panis ſimilaginei cum lacte coctum, oculo impoſitum. His dolor & rubor cum ardore ſublatus, palpebræ quoque tumor diſcuſſus, ſed viſus, ob corneam ruptam & humores incraſſatos, rediit nunquam. Ut adeo pateat, quantum damni ab improvida collyriorum applicatione ſit metuendum.

Observatio VI.

Febris ophthalmico-cephalica.

Juvenis generoſus, viginti aliquot annorum, conſtitutionis teneræ & à ſcorbuticis parentibus genitus, capitis dolores & narium hæmorrhagias crebrius expertus, defluxionibus etiam catarrhalibus & coryzæ ſæpius obnoxius, vitæque ſedentariæ, literarum amore ductus, nimium indulgens, incidit in cephalalgiam gravem, cum atroci oculorum dolore, alvo ſimul adſtricta. Dolor hic erat periodicus, ita ut matutino quotidie tempore cum rubore & ſeri ſalſi effluxu, præcedente refrigeratione & ſubſequente pulſu celeri accederet, per ſex circiter horas inſiſteret, ac poſtea ſenſim diſcederet, die poſt rediturus, ægro interim nec in ſomno, nec appetitu vitium obſervante, niſi quod ſubinde poſt cibos ructus experiretur. Detinebat ſingularis hic affectus per menſem ægrum & fruſtra adhibita fuerunt præſidia varia, collyria, errhina, evacuantia, cephalica, nec non cucurbitulæ, tandem vero à me abactus eſt hiſce. Ter ſcilicet alternis diebus dedi pilularum harum viginti: recipe extracti panchymagogi *Crollii*, gummi ammoniaci, mercurii dulcis, cinnabaris nativæ præparatæ ana drachmam ſemis, extracti croci, caſtorei ana grana ſex. M. f. c. balſamo Peruviano pilulæ ex ſcrupulo no. XX. Una ante acceſſionem hora pedes immittere juſſi ad genua uſque pediluvio ex aqua fluviali, cineribus clavellatis imbuta, ac dum ſic in balneo pedes ſervabantur, ad menſuram unam bibere infuſum theiforme, ex herba meliſſæ, floribus tiliæ, radice valerianæ & ſemine fœniculi, quo ſudor prolectus copioſus. Veſperi exhibui per aliquot dies pulverem ex pulveris Marchionis drachma dimidia, ſuccini, nitri puri, cinnabaris antimonii rectificati ana granis octo. Oculo exterius applicare præcepi aquam Reginæ Hungariæ, cum dupla parte aquæ roſarum & camphoræ momento. Crinibus quoque quotidie inſperſus pulvis ex ſuccino præparato, radice ireos Florentinæ, caryophyllis aromaticis & cardamomo. Quibus per octiduum uſurpatis, diſceſſit malum, ſed reſtitit nubecula quædam, viſum quodammodo intercipiens, quæ tamen crebriori inſtillatione pinguedinis viperinæ recentis, etiam ſublata.

Epicriſis.

Febris hæc recte dici poteſt cephalico-ophthalmica, cujus cauſa fuit non tantum capitis debilitas à longo tempore contracta, verum etiam alvi ob vitam ſedentariam adſtrictio, qua ſpaſmi in primis viis inducti, quibus ferosus ſanguis ad caput impetuoſius actus. Hinc primo omnium in medicatione fuit ſubducenda alvus, ac poſtea recte ante acceſſionem pediluviis & potu infuſi theiformis roborantis copioſo ſudor prolectus per univerſum corpus. Sudor enim & aucta perſpiratio egregie ſerviunt ſpaſmis & doloribus periodice certis ſtatiſque temporibus redeuntibus diſcutiendis & abigendis. Deinde quoque in pertinacibus ejuſmodi capitis oculorumque doloribus cinnabarina & ipſe mercurius dulcis, ſerum lenteſcens ſtagnans fundendo & obſtructiones expediendo, opem ferunt præſentiſſimam. Errhina vero & ſternutatoria, plus nocent quam proſunt, quia humores magis ad oculorum confinia convocant. Varii etiam generis collyria, niſi ſimul diſcutiente virtute polleant, in ejuſmodi oculorum affectibus plus nocumenti, quam emolumenti afferre multoties obſervavi. Tandem ad maculas oculorum & nubeculas delendas, pinguedine viperarum efficacius nihil,

quam etiam *Ludovici* & *Wedelius* paſſim miris ornant encomiis: habet enim acrimoniam ſubtilem, blande detergentem. Sed præſtat in fine illam exhibere, non in principio, ſi ardor adhuc & dolor impenſius urgent. Cæterum plura tum de ophthalmico, tum aliis oculorum affectibus commentatus ſum in diſſertatione, *de morbis oculorum præcipuis recta medendi ratione*, nec non in *Medicinæ conſultatoriæ Tom. II. Dec. IV. Caſ. II.* de dolore & imbecillitate oculorum cum ſuffuſione incipiente.

Observatio V.

Ophthalmica hemicrania.

Generoſus vir, ſexagenarius, macilentus, victui duro & craſſo ſalſo aſſuetus, aliquot per annos ſingulis fere tribus menſibus, eryſipelatis in pede dextro cum horrore & vehementi dolore inſultum expertus eſt, quod tandem in ſuppurationem & ulcus deſiit, ac per annum & ultra ipſum detinuit, poſtea vero à chirurgo perito conſolidatum fuit. Ex eo tempore ſingulis fere menſibus, circa novilunium, incidit in hemicraniam dextri lateris, quæ ſimul gravi dolore, profundius in orbita hærente, cum ſeri ſalſi effluxu ſtipata, qui circa noctem exacerbatus fuit, & paroxyſmus ſemper invaſit cum horripilatione & extremorum refrigeratione, pulſu poſtea alterato & auctiori facto. Malum autem ſolvebatur poſt quartum diem facta criſi, mediante ſudore largiore, ægro alias etiam ſueto. Mali pertæſus, noſtro ex conſilio uſus eſt Pyrmontanis acidulis, quas olim uſurparat, hacque cura abſoluta ſuaſi, ut loco potus ordinarii decoctum ex radice ſcorzoneræ, chinæ, ſarſaparillæ, liquiritiæ & paſſulis, biberet & ſingulis menſibus infuſum ex manna, rhabarbaro & cremore tartari, aſſumeret, victum durum, ſalſum, aromaticum vitaret, & fonticulum etiam dextro brachio inuri permitteret. Quibus remediis quum omni adhibita cura uteretur, liber non modo ab eryſipelate, ſed & ab hemicrania ophthalmica degit; ſcabie tamen ſicca pruriente divexatus, ſicque ſeptuageſimum ætatis annum exceſſit.

Epicriſis.

Ophthalmica hæc eſt hemicrania, in qua notabile, quod ceſſante eryſipelate & ulcere conſolidato in pede dextro, materia ſcorbutica ad dextrum latus capitis & oculum fuerit converſa, & certis ſtatiſque periodis hunc excitaverit morbum. Quum vero ſcaturigo tam eryſipelatis, quam hemicraniæ & ophthalmiæ, ſit quærenda in ſanguinis & lymphæ dyſcraſia ſcorbutica, utique potu acidularum, decoctorum & congruorum laxantium uſu, univerſam ſanguinis & humorum maſſam perpurgare expedit, & hac ratione corpus potius ab ejuſmodi vitiis defendere, quam eadem, ſi adſunt, abigere.

CAPUT XII.

De Febre Inteſtinorum, Inflammatoria ex Meſenterio.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Inteſtinorum inflammationes frequentes.

INteſtina, tam tenuia, quam craſſa, quæ membranoſa fere tota, ex tunica prima à peritonæo, altera muſculari, cum fibris longitudinalibus & circularibus, nervoſa & villoſa contexta, innumeris nervorum & vaſorum ſurculis perfuſa & exquiſito ſenſu ac motu inſtructa, & multis, & gravibus morbis patent, è quibus haud poſtremus inflammatorius, qui ipſis ex variis cauſis accidit. Nam atrocia illa & lethalia quandoque pathemata, quæ aſſumta venena, emetica validiora & draſtica purgantia excipiunt, ab inflammatione in ſphacelum tranſeunte ortum ducunt. Vulnera ac læſiones inteſtinorum, non aliter, quam inflammatione necant. Febres ſynochas & ardentes, maxime cholericas, dyſentericas, item plurimas malignas, neque minus exanthematicas, inprimis variolas, lethalem ſæpe inducere inflammationem, uberius teſtatur diſſectio his morbis defunctorum. Convulſivam etiam colicam, maximeque eam, quæ à podagra retrocedente, ac ſubſiſtente, ex cohibito, aut ſufflaminato hæmorrhoidali fluxu, ſanguine inducitur, iliacam, quoque ex hernia incarcerata, aut inteſtinorum convolutione, paſſionem, non alia ratione, quam inteſtinorum inflammatione, lethum inferre, in comperto eſt. Nihil quippe vitalibus motibus adeo eſt infenſum, quam putredo, quæ excipit inflammationem, ac in nervoſis, exquiſito motu ac ſenſu pollentibus partibus, conſiſtit.

§. II.

Minus mortiferæ quæ in meſenterio.

Sed quia de inteſtinorum inflammationibus ſymptomaticis eiſdemque complicatis febribus, jam ſupra actum & adhuc congruo loco agetur; nunc duntaxat pauca tradere libet, de inflammatoria febre illa inteſtinali, quæ proficiſcitur ex meſenterio. Jam apud medicos in confeſſo eſt, plures morboſas affectiones, præſertim hecticas, lentas, errantesque febres, nec non apoſtemata, in meſenterio ſedem habere fixam; ſed diarrhœas, dyſenterias, immo inflammatorias febres inteſtinorum, pullulare ex meſenterio, id non æque omnibus patet. Verum qui ex phyſiologicis novit, ſanguinis progreſſum, in meſenterio & meſocolo, quibus annexa inteſtina, eſſe tardiſſimum, tum quod tunicis nervoſo-muſculoſis, ſanguinem urgentibus deſtituantur, tum quod vena portæ, pulſu carens, recipiat ſanguinem ex inteſtinis, & tardo flumine vehat ad hepar; is ultro fatebitur, promtam ibi eſſe geneſin ſtagnationum & ſtaſium & ampliſſimum nidum ad excludendas materiales morborum cauſas. Quin quum inteſtina arctius meſenterio ſint connexa, ut ab ipſo etiam ſortiantur membranam, fibrarum quoque in inteſtinis annularium tendo juxta *Williſium*, ſit meſenterium, & vaſa ac nervi utriuſque ſint communia magnam inter has partes eſſe communionem, quoad morboſas affectiones, utique certum.

§. III.

Quæ acutæ, vel chronicæ.

Ipſæ tamen febres, quæ ex meſenterio veniunt & nobis cum *Baglivio* audiunt meſentericæ, in duo merito genera ſunt dividendæ, acutas ſcilicet & lentas, ſive chronicas. Utrarumque materialis cauſa ejuſdemque ſedes in meſenterio, ſed febrium & ſymptomatum generatio quærenda in annexis inteſtinis membranaceis, ita quidem, ut acutæ & inflammatoriæ in tunicis magis conſiſtant & ibi tyrannidem ſuam exerceant. Licet enim meſenterium, quod ex duplicata conſtat membrana, cui interpoſiti innumeri arteriarum & venarum rami, vaſa lymphatica & lactea, glandulæ quoque copioſæ magnitudinis variæ, nec non nervorum propagines, non omni careat motu ac ſenſu: hic tamen admodum obtuſus ac magis gravativus eſt, quam acutus, qualis ad concipiendam inflammationem requiritur.

§. IV.

§. IV.

Signa earum & ſymptomata.

Quare ſi in infimo ventre ardor, dolor cum præternaturali totius corporis æſtu, pulſu celeri, virium proſtratione, anxietate & inquietudine ſeſe prodit, in inteſtinis hæc conſidere, merito judicandum. Sed pro diverſitate locorum, quæ hæc pathemata occupant, varias & certas affectas eſſe partes, merito concludendum. Scilicet ſi dolor acutus eſt ſupra umbilicum & ſub ventriculo cum febre, nauſea & vomendi conatu; indicium præbet, laborare eum coli tractum, qui infra ſtomachum à dextro ad ſiniſtrum latus porrigitur. Qui in dextro hypochondrio ſub coſtis ſpuriis urget doloris ſenſus, præter naturam affectum & inflammatum eſſe coli principium, ubi ileo committitur, arguit, quod etiam *Spigelius* in defunctis reperit ſphacelatum. Acuti cum febre cruciatus in ſiniſtro latere ſub lumbis, ubi pſoas muſculus, in colo & meſocolo, præſertim ubi peritonæo adhæret, mali eſſe ſedem produnt. Quando vero medium abdomen circa umbilicum cum febre gravius dolet, tenuia utique inteſtina inflammatione laborare, certum eſt indicium.

§. V.

Varii ſunt generis.

Febres etiam, quæ cum dolore, ardore, nec non tumore imi ventris junctæ, & tandem per alvi fluxus putridos & copioſos, vel etiam purulentos ſolvuntur, cum magna inteſtinorum difficultate, ex meſenterio provenire, nil dubii eſt. In cachecticis & ſcorbuticis corporibus, qui proveniunt diuturni alvi fluxus, cum lenta febre, vires & corpus conſumente, & qui non tam facile curationem recipiunt, ex eodem fonte ſcaturire, non ſine ratione cenſendum. Febres quoque quæ epidemice & certis temporibus invadunt, cum diarrhœis, immo cruentis ſedibus, non ex ingeſtorum alimentorum vitio, ſed ex præternaturali aëris, præſertim nimis calidi & ſicci, conſtitutione oriuntur, quales biennio abhinc ob inſolitum diuturnum, ad medium fere autumni productum calorem, univerſam propemodum Germaniam ſunt pervagatæ, ſimul etiam graſſantes tunc intermittentes anomalæ, vix aliam habent originem, quam quod in meſenterio multi acres & corrupti humores accumulati.

§. VI.

Earum origo & cauſæ.

Ad ingignendas autem inteſtas ejuſmodi primis in viis inflammatorias febres, præcipuum momentum habet plethora, vel ſimplex, vel cacochymica, à ſuppreſſis aut deficientibus ſalutaribus excretionibus oborta. Promte etiam inducuntur ab intentata per fortiora pellentia, hæmorrhoidum, menſium aut lochiorum provocatione, ab uſu copioſo validiorum purgantium ad ſuperandam contumacem alvi ſtricturam, nec non, uti obſervavi, à purgantium & emeticorum acriorum aſſumtione ad abortum provocandum. Idem facit intenſior animi corporiſque commotio, ac viciſſim improvida abdominis & corporis, præſertim æſtuantis, refrigeratio, potus perfrigeratus, & qui opulentioribus in more eſt, glaciatus. His enim humorum ad interiora, maximeque primam regionem, convocatur partim, partim urgetur affluxus, omniumque facillime ad eas fertur partes, quæ imbecilliores, quibuſque ob defectum ſufficientis potentiæ motricis ſyſtalticæ, vel perpendicularem vaſorum tractum, difficilior eſt humorum progreſſus, quarum in numero potiſſimum ſunt meſenterium, meſocolon & omentum. Quando igitur his in ſedibus, maximeque inteſtinorum tunicis cum meſenterio continuis, incluſus hæret ſanguis, aut humor acris, febrem ciet inflammatoriam continuam, alvi vero, cruentus etiam fluxus, vel ex nimium ampliatis, vel exeſis plane & diſruptis vaſorum oſculis, ſuccedit. Hæc enim omnia ita omnino evenire uberius teſtatur diſſectio ejuſmodi febribus interfectorum, in quibus *Spigelius de ſemitert. cap. VIII.* ſe inveniſſe prodidit: venas hepatis majores ſanguine vacuas, ventriculi tunicam interiorem leviore eryſipelate inflammatam, venas meſaraicas & quæ ad ventriculum atque omentum tendunt diſtentas & craſſiori ſanguine fartas, omentum conſumtum & ſemiputrefactum, durum quoque pancreas & ductum cholodochum obſtructum. Idem confirmat *Chiffletius* notabili obſervatione, de meſenterii inflammatione cum dolore umbilici.

§. VII.

Diſtinguendæ in leviores & graviores.

Merito tamen conſiſtentes his in ſedibus inflammationes in leviores & graviores ſunt diſtinguendæ. Leviores exterioribus tantum inteſtinorum tunicis, quæ maxime membranarum meſenterii productiones, inſident; graviores vero altius ipſam inteſtinorum ſubſtantiam pervadunt, eorundemque interiora ipſaſque glandulas tangunt, ideoque & profundiores ſunt & ampliores. Quæ ſuperficiem occupant, non tantum periculi alunt, ſed adhibito laudabili regimine & congrua medicina, intra quartum, vel ſeptimum diem, diſcutiuntur. Quæ autem interiora profundius obſident, niſi per diarrhœam aut ſanguinis fluxum ſolvantur, longius extrahuntur, quin in ſuppurationem ruunt & in hecticam deſinunt. Ex meſenterio quoque ibique ſtagnantibus corruptis humoribus prodeunt hemitritææ ſic dictæ ſive ſemitertianæ febres, quæ ex continua inflammatoria & intermittente tertiana ſunt compoſitæ, periculi non expertes. Notæ hæ jam fuerunt *Hippocrati* & *Galeno*, eaſdem nitide ac accurate *Spigelius* peculiari libello deſcripſit. Diſcrepant tamen à noſtris in eo, quod quotidie circa veſperam, & alternis quoque diebus, levi accedente horrore, ingraveſcant, junctam habeant abdominis dolorem ventriſque tumorem, & quandoque ad aliquot hebdomades protrahantur, & non nunquam in febrem lentam & hecticam concedant. Sed quia de harum ortu, decurſu & curatione jam ſupra *Sect. I. cap. V.* uberius actum, heic plura dicere non attinet.

CURATIO CUM CAUTELIS ET OBSERVATIONIBUS CLINICIS.

§. I.

Morbi præſervatio.

Quum febres ventriculi & inteſtinorum inflammatoriæ, propter horum ſummam ſenſibilitatem & conſpirationem cum nobiliſſimis corporis partibus, atrociſſimis ſymptomatibus ſtipatæ & ſubinde funeſtæ ſint; medentis cogitationem & intentionem quam maxime ad eas avertendas dirigere expedit. Igitur ſerio & cum cura ſibi commiſſis medicus inculcet, ut vitent omnia quæ ſuperius §. VI. ad eaſdem ingignendas facere diximus. Et quia præterea ſæpius obſervavi, febribus ardentibus, item bilioſis, dyſentericis, nec non puerperarum acutis cum purpura, à vehementi ira, vel gravi terrore, acceſſiſſe mox gravem inteſtinorum inflammationem & ſphacelationem, ac lethum brevi tempore attuliſſe; inprimis neceſſarium, ut occaſiones ſævorum affectuum fideli conſilio & monito præſcindat artifex peritus.

§. II.

In cura ſanguinis affluxus derivandus.

Si vero jam adeſt inflammatoria ſtaſis ſanguinis, omnibus modis lenior eſt diſcutienda & gravior aver-

avertenda. Primus igitur recte medentis erit ſcopus, ut vehementiorem ſanguinis motum ad partem affectam impediat & hac ratione graviorem inflammationem avertat. Obtinetur id commodiſſime in plethoricis ſanguinis miſſione, ex venis in ſuperioribus partibus, amplo ſatis foramine facto, pertuſis, qua in colica convulſiva, in diarrhœa & dyſenteria, in acuto dolore venarum ſedis, gravior inflammatio utique poteſt averti. Poſt ſectam venam divertunt ſanguinis affluxum à loco affecto pediluvia temperata, ſed diutius uſurpata, quæ ſolvendo & laxando ſtrictas inferiorum partium fibras, adfluxum ad pedes divertunt & invitant.

§. III.

Et ſtaſis diſcutienda.

Ad diſcutiendam dein inflammatoriam ſtaſin, ſerviunt quam maxime, quæ dolores & ſpaſmos ſiſtunt, antiſpaſmodica, humectantia & blanda ſedativa, clyſteres ex oleoſis, gelatinoſis & dulcibus compoſiti, item exterius regioni abdominis applicata epithemata, ſacculi, veſicæ oleis expreſſis, vel pinguedinibus animantium, aut decoctis emollientibus repletæ, pinguedo cati ſylveſtris, mixta præſertim cum camphora & pauxillo olei hyoſcyami. Interne vero diſcutiunt & inflammationem arcent quam optime diaphoretica cum anodynis mixta, pauca, ſed crebriori doſi per aliquot dies data, quæ inter eminet ſpiritus carminativus de tribus, aut ſpiritus tartari, vel bezoardicus *Buſſii*, cum liquore anodyno minerali, aut ſpiritu nitri dulci mixtus. Item mixturæ ex aqua cardui benedicti, florum ſambuci, aceto ſambuci, rob ſambuci, antimonio diaphoretico, nitro & ſyrupo papaveris rhœados confectæ, nec non pulveres temperantes nitroſi & diaphoretici, cum momento camphoræ & pauxillo laudani. Neque minus huc ſpectat cautus pilularum Wildeganſianarum uſus. Quæ remedia, cum prudentia, certo tempore & ordine uſurpata, etiam in paſſione iliaca & ſpaſtica tunicarum inteſtinalium corrugatione, quam Græci chordapſum vocarunt, lenimen afferunt exoptatiſſimum.

§. IV.

Vitanda acria, adhibenda enemata demulcentia.

In dolore, ſpaſmo & febre inflammatoria inteſtinorum, omnia acria ſtimulantia, etiam ſalina majori copia data, calida, & purgantia, ceu pernicioſiſſima vitanda. Et culpandus hic communis & deteſtabilis practicorum error, qui alvo pertinacius adſtricta, unum poſt alterum purgans ingerunt, eoque malum non tantum exacerbant, verum etiam reddunt mortiferum. Neque etiam clyſteribus admiſcenda ſalia acrius ſtimulantia, ut ſal gemmæ; vel purgantia, ut extractum colocynthidis, vel catholiconis, ſed ex ſolis emollientibus ſunt parandi. Sic enim balnei aut fotus inſtar, craſſa eluunt inteſtina, & in colo tenuibus circumvoluto contenta, ceu veſica decocto emolliente plena, eadem mulcent, fovent & laxant. Parari igitur poſſunt ex ſolo lacte, mixto cum nitro, vel aqua pluviali, nupta cum ſyrupo violarum, de althæa *Fernelii*, roſarum ſolutivo, aut melle mercuriali. Hæc tamen circa uſum clyſterum addenda obſervatio, ut bihorio fere quovis, ſi neceſſitas urgeat, injiciantur, & paulo diutius retineantur, quod maxime neceſſarium, ſi flatus per os eructant, & crebræ adſunt vomitiones.

§. V.

In dolore opiata, poſt eum roborantia proſunt.

Præmiſſa, ſi vaſorum plenitudo urget, venæ ſectione, laxata etiam clyſteribus admiſſis alvo, ſi atrox dolor cedere nolit; optimo conſilio, ſine omni metu, anodynum ex opio proficit, quo tormina conquieſcunt & ſpaſmi ac ſudor ſequitur. Sed quieſcente & ſedata dolorum & ſpaſmorum cum febre ferocia, ſi ſumma debilitas corporis viriumque imbecillitas excipit, non ulterius inſiſtendum ſuperius laudatis diluentibus, laxantibus & humectantibus, ſed potius nervina & roborantia in uſum vocanda, quorum in numero ſunt maxime eſſentia aut ſpiritus ſuccini, aut maſtiches, extracta cum hoc eſſentia chaccarillæ, elixir noſtrum ſtomachale, pulvis ſolaris Zellenſis, balſamum noſtrum vitæ cum liquore anodyno mixtum, quod balſamum etiam exterius applicatum, levamen inſigne affert, tonum reſuſcitando & robur addendo.

§. VI.

Alvi fluxus ſuperveniens pe rite excipiendus.

Quando vero inflammationes & dolores alvi fluxu ſimplici, aut cruento, maxime hæmorrhoidali, aut etiam, uti quandoque accidit, purulento ſolvuntur, laxantia leniora, ut paſſulæ rhabarbarinæ & clyſteres, item infuſa theiformia, ex ſpeciebus traumaticis & ſanguinem purificantibus, ſcabioſa, veronica, alchymilla, agrimonia, conſolida Saracenica & ſummitatibus millefolii confecta & cum lacte pota, nec non pulveres roborantes, ex cornu cervi philoſophice præparato, uſto, cortice caſcarillæ & ſuccino, in uſum vocantur commodiſſime.

§. VII.

Sanguinis miſſio in dyſenteria cum febre utilis.

Quum diarrhœa & dyſenteria epidemica ſæpe cum vehementi inflammatoria febre invadat juvenilia corpora, non infructuoſa eſt medico-practica quæſtio: an conducat venæ ſectio? Communis quidem medicorum, *Hippocratis* & *Galeni* autoritate confirmata eſt ſententia: alvo fluente, non eſſe ſubtrahendum ſanguinem, ne vires proſternantur. Neque etiam ego aliter ſentio, quum per ipſam experientiam conſtet, multos, tam lienterico, quam dyſenterico alvi fluxu laborantes ſanari, ſine ſanguinis miſſione; ſed jam de illa tantum dyſenteria ſermo eſt, quæ cum febre acuta, præſertim ſynocha inflammatoria, conjuncta. In hac utilem & neceſſariam eſſe venæ ſectionem, affirmo utique. Notum enim eſt, non facile quempiam alvi fluxu, etiam dyſenterico diuturno perire, niſi ex inflammatione & ſphacelatione inteſtinorum, quam ſemper antecedit & comitatur vehemens acuta febris, ex pulſu magno & celeri, ardore & ſiccitate corporis, linguæ ariditate, & ingenti inquietudine cognoſcenda. Et licet omni dyſenteriæ lenta quædam & levis, quaſi eryſipelacea inflammatio, ſit juncta; multum tamen hæc ipſa differt à ſynocha inflammatoria febre, in qua proficuam eſſe ſanguinis ſubtractionem aſſevero, & conſentientes habeo viros ampliſſima & feliciſſima praxi celeberrimos. Sane *Sydenhamus in opp.* cordate affirmat *pag.* 111. ſe ſemper fere curam dyſenteriæ cum venæ ſectione auſpicari, quin *pag.* 115. *ſeq.* habet exemplum dyſenteriæ rebellis, quæ nullis plane remediis cedere voluit, ſed ſola venæ ſectione tandem curata. Idem hoc auxilium mire dilaudat *Riverius*, qui *Cent. II. obſ. LVII.* fidem facit, ſe in dyſenteria cum febre acuta, octavo demum die, cum fructu quinque ſanguinis uncias è brachii vena extraxiſſe, & *obſ. LXIV.* teſtatur, ſe venæ ſectionem, in muliere dyſenteria cum febre graviter decumbente, ſeptimo & octavo die cum emolumento inſtituiſſe. *Amatus* quoque *Luſitanus Cent. II. obſ. XLVIII.* conſignavit exemplum Abbatis, ſanguine pleni & multo vini potui dediti dyſenterici & ſimul acute febricitantis, qui ſecta vena longe melius habuit, & paucis ſubjunctis remediis, plenarie convaluit. Maxime omnium vero multus

eſt

eſt in adſtruenda hujus remedii ſingulari utilitate *Botallus*, qui *cap. IV.* plus quam decem exempla narrat, ubi nil ex omni remediorum cenſu, præter venæ ſectionem, attulerit levamen.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Paſſio ſpaſmodico-inflammatoria, iliacam minitans, curata.

Fœmina, quadragenaria major, ob vitam ſedentariam & tacitum animi profundum cum iracundia mœrorem pathematibus colicis & ſpaſmodicis affecta, quum omiſiſſet vere hoc ſuetam quotannis circa æquinoctium vernale & autumnale ſanguinis miſſionem, Martio menſe vehementi commota fuerat ira ad tremorem uſque omnium corporis partium, & ſumſerat poſtea veſperi pilulas conſuetas purgantes. Hinc noctem tranſegit inquietam, & die poſt nulla poſt pilulas ſequuta purgatio, alvus potius firmiſſime clauſa manſit, & ipſa æſtuoſis anxietatibus circa præcordia atque etiam eructationibus continuis ex ore fuit afflicta, & vomitu fere omnia aſſumta tum medicamenta, tum alimenta rejecit. Injectus ad alvum aperiendam clyſter domeſticus, qui per horam retentus, integer, nec flatibus, nec ſtercoribus ſtipatus, rediit, etiam ſine ſymptomatum levamento. Adhibitum decoctum mannatum cum ſalibus aperitivis & rhabarbaro, ſed mox vomitu rejectum. Medicus etiam ordinarius, flatus in cauſa eſſe putans, dedit carminativa: irrita tamen fuerunt omnia. Perſtiterunt potius ſymptomata, firma nempe alvi adſtrictio, eructatio crebra & vomitus, magna debilitas, inappetentia & ſomni defectus, tantum quod circa veſperam gravius, circa auroram vero mitius affligerent, cum crebriori ad urinam ſtimulo, quæ tamen parca & turbida emittebatur. Tertio die vocatus ego, mox venam pedis ſecare juſſi, & emiſſis, ſine ulla virium jactura, ob vaſa ſanguine valde diſtenta, octo unciis, mox meliuſcule habuit ægra, conquieverunt anxietates æſtuoſæ & eructationes, ut etiam extra lectum verſari potuerit. Nihilo minus pertinax ventris adſtrictio & dolores tenſivi abdominis in hypochondrio dextro perſtiterunt. Injectus igitur clyſter & datæ pilulæ noſtræ balſamicæ polychreſtæ, ſed his nihil emotum; quin quum ad ſeptimum uſque diem alvus eſſet obſtipata, & eructationes, & anxietates nocturnæ æſtuoſæ, cum febricula & dorſi doloribus redierunt. Hinc demum conſilium dedi, ut ſingulis tribus horis clyſter injiceretur, ex aquæ pluvialis unciis XII. ſyrupi de althæa *Fernelii* uncia ſemis, nitri puri drachma, & abdomini veſica emolliente decocto plena admoveretur. Sic clyſteres injecti ſemper per horam retinebantur, & poſtquam quartus eſſet infuſus, flatus primum eliſi, per aliquot dies coerciti, & poſt ſextum ſeceſſerunt etiam fæces, quibus evacuatis, ructus atque anxietates in abdomine diſceſſerunt, mictio etiam melius ſucceſſit. Interius vero ſimul data eſſentia carminativa, cum liquore anodyno ad unciam dimidiam remixta, inſtillatis laudani liquidi guttis XV. inductus ſomnus, ſequutus ſudor ex cute ante ſicca & arida, pulſus antea durus & celer mollior factus, & urinæ fluxus liber redditus. Hoc facto, ex mixtura remotum laudanum, & ſola eſſentia cum liquore anodyno oblata, donec perfecte convaleſceret.

Epicriſis.

Affectio hæc fuit ſpaſmodico-inflammatoria inteſtinorum, iliacam minitans paſſionem. A ſanguine quippe, ob venæ ſectionem conſuetam omiſſam, nimium redundante, & vehementi ira, quæ infenſiſſima inteſtinis, nec non purgante aſſumto, ortum duxit hæc paſſio, & inde etiam omnia quæ jungebantur ſymptomata derivanda. Ad diſcutiendam itaque inflammatoriam ſtaſin & avertendam hujus pediſſequam, paſſionem miſerere mei, ante omnia neceſſarium duxi, ut ſanguinis quantitas ſubtraheretur, quod etiam quoddam attulit levamen. Sed quum ſpaſmus inteſtina inferiora fortiter ſtringens adhuc permaneret, conſilium cepi, quod me tali in caſu non deſtituit, de clyſteribus pure demulcentibus & humectantibus, paullo frequentius injiciendis, qui quaſi inſtar balnei interni ſunt, fibras ſpaſmo conſtrictas temperato humido relaxantes, cui fini etiam exterius appoſui emolliens remedium. Interius vero diſcutiens, ſive carminativum, cum blando anodyno permiſcui, & ita ſpaſmi ſoluti, diſcuſſa ſanguinis & humorum inflammatoria ſtaſis, & excretiones per alvum & cutem adſtrictæ, jam liberius & largius ſequutæ.

Observatio II.

Inflammatio inteſtinorum cruenta diarrhœa ſoluta, repetens lethalis.

Præfectus militum, natione Gallus, quadrageſimum ætatis annum jam emenſus, vir conſtitutionis alias robuſtæ, vitæ genus laborioſum & agile cum quieto & ſedentario permutarat, interea largiter comedens & liberaliter quoque vinum Gallicum, quod vocant Pontack, bibens, hinc primum alvi factus adſtrictioris & ſomni inquietioris, poſt aliquod tempus vero, dolorem lancinatorium in abdomine toto atque etiam lumbari regione expertus eſt, cum phlogoſi, eructatione, pulſuum celeritate & deficiente ſomno. Medicus primis diebus colicum dolorem eſſe judicans, carminativa fortiora & ſpirituoſa elixiria, cum oleis deſtillatis remixta, una cum clyſteribus uſurpavit, ſed inde potius exaſperata ſymptomata, & febre, & inquiete, & dolorum facibus magis accenſis. A me quum peteret opem, & conquereretur de dolore tenſivo circa os ſacrum acuto, quæſivi: an hæmorrhoidali antea fuerit obnoxius fluxui? reſpondit: ſemel tantum ante aliquot annos, ſed parciori, cum prægreſſis lumborum & oſſis ſacri doloribus. Hinc quum venæ ſectionem penitus reſpueret, mutavi tantum medendi methodum, & loco calidorum, interne dedi humectantia & refrigerantia, pulveres nempe diaphoretico-nitroſos, demulcentes & lenientes clyſteres, copioſius applicare juſſi, largiter ſimul & temperate calida ſumta ptiſana. Levata inde quidem fuerunt ſymptomata, nihilo minus remanſit dolor in imo ventre, ab oſſe ſacro ad inguina ſeſe extendens lancinatorius, multum incommodi faceſſens. Exhibui igitur eſſentiam carminativam, cum liquore anodyno & pauxillo laudani opiati, ad mulcendos dolores, & poſtea dedi drachmam magneſiæ albæ cum drachma dimidia nitri in decocto mannato, inde alvus aliquoties ſoluta, & quod mirabile, larga portio ſanguinis atri, corrupti, fœtidi excreta, ita ut intra ſex dies aliquot libræ ſecederent, remittentibus inde mox doloribus & ſævis pathematibus. Demum aſſumtæ pilulæ noſtræ balſamicæ, cum pulvere roborante, cujus baſis chaccarillæ cortex & ſuccinum. His tum perfecte convaluit, ſed vertente anno, adulto jam vere, eundem in morbum cum graviſſimis doloribus & intolerandis cruciatibus ad dorſum uſque excurrentibus, febre & purpura rubra ſtipatis, idem hic vir eſt correptus. Data iterum omnia, quæ levando huic malo antea cum fructu adhibita, adminiſtrata etiam in dorſo ſcarificatio, ſed fruſtra. Sexta enim hebdomade, ob ſomnum

plane deficientem, viribus omnibus exutus, vivere desiit.

Epicrisis.

Sine ullo dubio vir hic, animo & corpore fortis, intestinorum inflammatione periit. Causa hujus morbi in statum plethoricum, sine sanguinis missione & omissa simul consueta corporis exercitatione, & in potum copiosum vini rubri, quod adstrictivæ est virtutis, conjicienda, quum alias sanguine & humoribus abundantes, qui corpus nec satis labore exercent, nec sanguinem mittunt, si alvum paulo largius solutam habent, liberi permanere possunt à passionibus ex plethora oriundis. Si vero hæc etiam excretio deficit, grave imminet sanitatis periculum. Prior morbus fluxu sanguinis nigri & coagulati, procul dubio in vena hæmorrhoidali interna congesti, feliciter fuit solutus, id quod etiam in aliis similibus casibus notavi. Contra ea vidi etiam, quod febres intestinales, cum doloribus & spasmis abdominis, aliquot jam per hebdomades durantibus, subinde post excretum putridum & corruptum nigrum sanguinem, brevi mors sequuta fuerit. Cæterum non possum non hoc loco hanc observationem de vini rubri Gallici, austeri potissimum, noxa, adjicere, quod ipsius frequentiori potui causa multorum morborum, quibus Galli inter nos degentes occumbunt, merito sit adscribenda.

Observatio III.

Diarrhœa purulenta cum febre ex lapsu.

Ruricola habitior & quadratus, pronus cum ventre ceciderat in truncum acuminatum, & ex eo exquisitum in abdomine, paullo supra umbilicum, persenserat dolorem, cum animi deliquio, accensa simul, præcedente horripilatione & refrigeratione, febre. Post aliquot dies sanguinolentam & saniosam per superius & inferius os ejecit materiam multam, eoque facto, siluit febris, remansit tamen languor & appetentiæ prostratio. Quum vero elapsis circiter quatuordecim diebus, domesticis laboribus manum admovere inciperet, denuo recruduit abdominis dolor, animi defectione, horrore & febre stipatus, cum extremorum frigido sudore, ut animam agere videretur. Sequuta tamen diarrhœa cruenta & saniosa per aliquot dies, symptomata iterum mitiora facta ac remiserunt. Sed vix septem dierum fuerunt inducíæ, quibus circumactis, priora repetierunt symptomata cum febre, obortoque alvi fluxu, conquieverunt rursus. Imploratum igitur meum auxilium, qui crebriorem decocti avenacei usum, cum humana, vel canis axungia, butyro rubro potabili & balsamo *Locatelli*, suasi, ac demum decocto herbarum vulnerariarum, alchymillæ, agrimoniæ, saniculæ, pyrolæ, fragariæ, veronicæ, florum bellidis, hyperici aliorumque, ex cerevisia, ægrum hunc ad sanitatem, fortunante Deo, traduxi.

Epicrisis.

Celebris ille Italorum Medicus *Benedictus Sylvaticus*, abscessus subinde in mesenterio succrescere notavit, & notatu inprimis digna, quæ habet *Cent. II. obs. LXXXVI.* ubi sic scribit: *mesenterium sæpe fit sentina multorum excrementorum. Ac obtusi sensus quum sit, diuturnas tolerat affectiones, & in quo non raro suboriuntur apostemata suppurantia, qualia frequentissime à me fuerunt observata, quæ tandem subsidebant per dejectiones purulentas, iterum statis temporibus recurrebant, & oblitescebant denuo per similes dejectiones, non raro cruentas, ita ut imposuerint quibusdam, illas pro dysentericis habentibus.* In nostro certe ægro, lapsu illo in stipitem acuminatum, quassatus forsan fuit excurrens infra ventriculum supra umbilicum coli tractus, quo inductus dolor, raptis etiam in consensum reliquis intestinis, febrem ciens, & per spasmodicam simul strictúram in mesenterii canalibus sanguinem detinens, qui in purulentam postea corruptionem abiit, perrupit & alvo exiit. Latius vero semper serpsit malum & relicta iterumque commota vicina arrodens materia, mali recursum iterato induxit, donec acrimonia ipsius obtunderetur, absceſſus abstergeretur, demumque post semestre spatium, in robusto & agresti corpore consolidationem reciperet.

Observatio IV.

Febris iliaca inflammatoria.

Adolescens quindecim annorum, constitutione tener, indole alacris, Bacchanalium tempore, quotidie duas, vel tres, siccas & duriusculas spiras ingesserat, sub pilæ lusu cum sodalibus admodum incaluerat, & postea, depositis vestibus, ad fluvii ripam considens, corpus perfrigerarat. Inde paullo post atrocia ventris incurrit tormina, cum alvi pertinaci ad aliquot dies strictura. Implorato nostro auxilio, causam à liberali esu spirarum & corporis refrigeratione duximus, inprimis quum in siniſtro abdominis latere eminentia quædam dura tactui sese offerret. Suasimus igitur ut alvus ocyus duceretur clystere emolliente, quo bis alvus stercora dura dimisit, postea dedimus infusum nostrum usitatum mannatum, cum oleo amygdalino, quo sex sedes motæ, tumor subsidere & dolorum vehementia remittere visa. Sed sequenti die tormina cum duro in hypogastrio tumore redierunt, licet flatus multi eliderentur; accessit præternaturalis æstus, cum pulsuum celeritate, somnus inquietus, oris siccitas & ardor, cum lenta pituita. Hinc fauces gargarismatibus elotæ & ad æstum inflammatorium restinguendum oblata emulsio ex seminibus quatuor frigidis, cum pulvere nitroso, interposito ad perspirationem secundandam, liquoris anodyni, cum momento bezoardici remixti usu. Æstu autem increscente, ani os adeo fuit occlusum, ut clysteris tubulum plane non admitteret & à crebriori molimine potius læderetur, circa vesperam tamen calor semper fuit intensior ad mediam noctem durans. Adhibuimus pulveres nitrosos cum salibus digestivis, quibus calor mitigatus & scybala cum flatibus multa emota. Sic decubuit ad duodecimum usque diem, quo tanta anxietas, inquietudo, æstus & virium jactura accidit, ut morti videretur proximus, conquerens maxime de atroci dolore in abdomine, ibi potissimum, ubi durities illa consistebat. Igitur ad arcendam funestam inflammationem potio discutiens ex aqua cardui benedicti, cum aceto, rhabarbaro, antimonio diaphoretico & cancrorum lapidibus data, qua aliquoties usurpata, dolores complacati & sudor prolectus. Imposita etiam ad emolliendum tumorem vesica decocto emolliente plena & clysteres aliquot injecti atque retenti. Hinc ingens stercorum copia quotidie secessit cum emolumento & successive ad sanitatem factus est transitus.

Epicrisis.

Febris hæc recte dici potest iliaca inflammatoria. In ileo enim consedit obstructio, ab esu spirarum siccarum contracta, quæ dolorificos spasmos non tantum in abdomine, sed ad ipsam etiam vesicam excurrentes fecit, ut urina per totum morbi decursum parca & rubicunda tantum cum dolore secederet. Non tam promte autem ex tenui

hoc

hoc inteſtino materiam tenacem obſtruentem evertere licet, quia clyſteres eo non pertingunt, & nec laxantia ſufficiunt, nec potus diluentes. Hinc morbus diutius protractus. Interea ut inteſtinorum inflammatio arceretur, data mixtura & injuncta diaphoreſis continua. Quia tamen inteſtinorum inflammatio quam facile recrudeſcit, hinc ſuaſi demum, ut non modo exactam ſervaret diætam, ab omnibus conſtringentibus abſtineret, animum tranquillum haberet, nec frigidum, ſed calidum potum aſſumeret, verum etiam ad tempus aliquod mane infuſum accommodum theiforme potaret in lecto, & ſudorem blandum exſpectaret.

CAPUT XIII.

De Febribus Lentis & Hecticis.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Hectica & lentæ qua dicantur.

HEcticæ febris apud *Hippocratem*, *Aretæum* vetereſque Græcos æque ac Latinos, ipſumque *Cornelium Celſum*, mentio nulla. Neque lentæ febris nomen in primorum medicinæ parentum monumentis obvium, ſed *Celſus* demum lentarum curationem primus tradidit. Quæ autem poſtea lentæ & hecticæ appellatæ, priſcis, longæ, tabidæ, maraſmi audiunt. *Hippocrates* inprimis lentas febres *Sect. V. aph.* 64. vocat febres longas, iiſque affectos non valde multum febrientes, hecticam vero ſub nomine tabis paſſim deſcribit. Noſtro tempore lentæ & hecticæ febres dicuntur eæ, quæ diuturnæ ſunt & continuo, licet leniori ac remittente, æſtu præternaturali, ſuccos corporis conſumendo, tabem inferunt vireſque debilitant.

§. II.

Utriuſque differentiæ & ſymptomata.

Magna tamen harum eſt varietas & differentia, ratione vehementiæ ſymptomatum & periculi. Stricte nimirum lentæ febres appellantur illæ, quæ mitiora habent ſymptomata, æſtum leniorem, ſudorem ſub ſomno largum, pulſum poſt ſomnum & ante meridiem naturalem, non tantam appetitus & virium proſtrationem, corporiſque ariditatem & urinam liveſcentem neque etiam tantum periculi. In hectica autem æſtus eſt continuus, pulſus ſemper durus, debilis, celer, licet poſt cibum & veſperi calor, celeritas atque duricies increſcant, cutis cum lingua ſicca, dura & arida, genæ rubent, totum corpus eſt imbecillum flaccidum, ſomnus reficiens nullus, urina rubicunda, inferius cum ſedimento, ſuperius cum cuticula coeruleſcente pinguedinoſa, corpus contabeſcit totum, adeo ut oſſa ubique promineant. Deinceps eminens eſt lentarum & hecticarum differentia reſpectu utriuſque cauſæ. In illis enim vitium magis in fluidis & incipiente mala diſpoſitione ſolidæ cujuſdam partis; in his vero ſolidæ potius patiuntur & ipſa jam labes, aut magna corruptela, adeſt viſceris. Hinc lente etiam accommoda medicina adhuc poſſunt abigi earumque cauſæ vinci, ſed hecticæ difficillime, vel plane non ſanationem recipiunt. Hecticæ quippe ſunt magis ſymptomaticæ & gravioribus ulcerationibus, vomicis, abſceſſibus & viſcerum corruptionibus ſuperveniunt. Unde qui phthiſi, abſceſſu, vomica aut exulceratione pulmonum, meſenterii, renum, uteri, & gravioribus ſuppurationibus in internis, muſculis quoque abdominis latentibus, qui cancro genitalium, mammarum, uteri, item qui cachexia & hydrope, ex induratione, ſcirrho, corruptione & putredine hepatis, lienis, omenti, pancreatis & glandularum meſenterii; moriuntur, hectica febre pereunt omnes.

§. III.

Cauſa caloris.

Cauſa caloris continui his in febribus, nulla alia, quam humor quidam corruptus & putridus. Hic enim temperatæ & naturali ſanguinis & humorum vitalium mixtioni penitus eſt adverſus, eandemque inteſtino alieno motu turbat, immutat atque diſſolvit. Idem hic putris ſuccus inſeſtus plane ac alienus eſt nervorum fluido nervoſiſque partibus, & ſenſibiles has atque motrices partes ad intenſiorem contractionem, quæ febris eſſentiam abſolvit, exſtimulat. Igitur quo uberior & diuturnior putridorum & corruptorum ejuſmodi ſuccorum ex viſcerum vitio inſanabili eſt proventus, eo vehementior febris, eoque graviora ſymptomata.

§. IV.

Lentæ ex debilitate corporis.

Lentæ, ſive diuturnæ, mitiores tamen febres, ſunt frequentiſſimæ, neque ulli ætati, aut temperamento, ſexui, regioni, aut loco parcunt. Origo vero illarum & cauſa varia eſt; ſæpiſſime ex morbo præcedente & corpus cum viribus nimium debilitante. Experientiæ ſcilicet teſtimonio in comperto eſt, qui per contumaces intermittentes, vel continuas, item variolas & morbillos, effuſiora ſanguinis per uterum, anum & nares profluvia, per diuturnum alvi fluxum, ſimplicem æque ac dyſentericum, nec non nimiam ſalivationem, gonorrhœam & fluorem album diuturnum vires perdidere, qui etiam mœrore, curis, vigiliis, & aſſiduis lucubrationibus & ſtudiorum intemperantia, nec non per famem, labores graves & continuos, veneris etiam crebrius exercitium, corporis robur attriverunt & exhauſerunt, in lenteſcentes & longas ejuſmodi febres delabi facillime. Ratio hujus generationis in proclivi: corpora his perfuncta benignis ſanguinis & alibilis humoris ſuccis, ſufficienti etiam puriſſimi & nobiliſſimi nervorum liquidi copia deſtituuntur, poſt morbum autem ciborum impenſior ſuccedit appetentia, ſucci tamen intimæ ingeſtorum diſſolutioni ſervientes ſpirituoſi, fermenteſcibiles & ſalivales, nec non bilioſi, à naturali habitu deſcivere, nec adeo ſunt efficaces, vigor quoque motus periſtaltici in ventriculo & canali inteſtinorum languidus eſt: hinc ciborum liberalius ingeſtorum non exacta perficitur ſolutio, concoctio atque digeſtio, ſed ſuccus chyloſus craſſus, rudis minuſque ſubactus elaboratur, ad ſanguinis maſſam truditur, & aliena ſua natura fluidorum craſin temperatam & ſolidorum æquabilem naturalem motum turbat atque pervertit.

§. V.

Ex ſuppreſſis excretionibus.

Deinceps perpetuæ & uberius confirmatæ obſervationis eſt, tabificas ejuſmodi febres ſuccedere quam maxime evacuationibus criticis ſolennibus deficientibus, aut perperam cohibitis. Nihil certe frequentius, quam ut ii, quibus vacuationes acutos morbos & febres ſolventes, ſudor inprimis & aucta perſpiratio, interceptæ, vel non ſufficienter ſucceſſerunt; quibus ſudor conſuetus nocturnus ſiccatus, quibus fonticuli & ulcera antiqua conſolidata, quibus catarrhi aliæque per utetum ceteraque organa defluxiones acres repulſæ, quibus alvi fluxus cohibitus intempeſtive, febribus lentis poſtea tabeſcant. Sic enim vitioſi, impuri, inutiles ac ſuperflui humores, cum ſalute foras excernendi, intus manent, vitales temperatos & nutritios ſuccos inquinant, ut omnis horum maſſa reddatur intemperata, omneſque in corpore motus ac functiones vitium capiant.

§. VI.

Hecticarum & lentarum cur frequens nidus meſenterium.

Porro lentarum & hecticarum febrium nidum frequentiſſime eſſe in meſenterio, & ratione, & experientia habemus confirmatum. Recte enim jam pridem notavit *Fernelius* & ex eo *Sennertus*, in nulla univerſi corporis parte, tam plurimos, latentes etiam morbos, lentas febres, errantes, diarrhœas, choleras, ſcorbutum, melancholiam, cachexiam, hydropem, intermittentes quoque contumaces, figere ſedem, quam in meſenterio. Cauſa autem magnæ hujus ad morbos concipiendos diſpoſitionis nulla alia, quam quia tardus & impeditus admodum per viſcus hoc ſuccorum & ſanguinis progreſſus, ſtagnationes & ſtaſes facillime inducens. Nam vena portæ, pulſu deſtituta, ſanguinem ex meſenterio reducem recipit, ac vice arteriæ fungens, eundem vehit ad hepar, quod quum lentius fiat, in meſaraicis etiam vaſis ponitur obex, gignuntur ſtagnationes, infarctus, quin quandoque plane extravaſationes. Dein hæmorrhoidalis vena, ob perpendicularem ductum & longius ab exortu remotum ſitum, tarde admodum reducit ſanguinem ad portæ venam, ac facit, ut is ſæpius in meſocolo, craſſis inteſtinis, maximeque recto, ſtagnet vaſaque cum dolore diſtendat. Ipſo in meſenterio propter nervoſarum & muſculoſarum tunicarum defectum, ſanguinis curſus plane non adjuvatur & urgetur, ſed vaſa potius inter duplicatam celluloſam membranam diſcurrentia, pinguedine tecta, perpetua relaxatione, toni ſunt remiſſioris, & facile cedunt ſanguini in ipſis accumulato. Chyloſa etiam lympha dum per lactiferos ſic dictos canales innumeros, in capillares tubulos circa glandulas fiſſos, impeditius fertur, ac in ipſis glandulis ab exiliſſimis venulis recipitur, his in anguſtiis facile hæret, nec ea propter mirum, meſenterii glandulas ſæpe infarciri, intumeſcere, indurari ac in ſcirrhos plane degenerare.

§. VII.

Propter humorum in eo ſtagnationem & impuritatem.

Licet autem ipſe hic tardior ſuccorum per meſenterii compagem meatus, hanc corporis præſtet utilitatem, ut humorum & mole & intemperie peccantium excretioni ſerviat, & quidem ſanguinis per hæmorrhoides internas, ac ſeroſarum, mucidarum ac fermenteſcibilium ſordium, per inteſtinorum glandulas innumeras; eandem tamen ob cauſſam accidit, ut quævis fere humorum, tam quoad quantitatem & qualitatem, quam etiam motum vitia, in meſenterium redundent, idque male afficiant. Inprimis plethora nullam partem gravius lædit, quam meſenterium, ac nimia diſtenſione, vaſorum tonum & elaterem debilitando, ibi ſtagnat, & cum detrimento plus juſto coacervatur. Nam quo major in meſenterio ſanguinis ſtagnatio, eo magis increſcit ipſius impuritas; quo major vero ſanguinis & lymphæ ſordities, eo magis functiones in corpore labefactantur, nutritio imminuitur, vires elangueſcunt, inteſtinus in ſuccis motus augetur, arteriæ cum corde ad auctiorem & celeriorem motum exſtimulantur & ſic febris accenditur.

§. VIII.

A ſuppreſſis menſibus, hæmorrhoidibus, diarrhœis & febribus.

Quæ quum ita ſint, ratio eſt in proclivi, quare ſuppreſſo, aut deficiente menſium in fœminis fluxu, notante *Hippocrate lib. II. prædict. §. XIII.* periculoſæ tabidæ, id eſt, hecticæ febres, emergant, chloroſeos, aut febris ictericæ albæ nomine, paſſim obviæ; quare porro in viris ſubſiſtente, inſufficiente, aut plane præpoſtere cohibito hæmorrhoidum ſtillicidio, juxta eundem *Hippocratem Sect. VI. aph. XII.* tabes, id eſt hectica, generetur. Cur etiam, ut ſupra jam meminimus, conſtipatis ſaluberrimis alvi profluviis, quibus ſæpe acuti morbi finiuntur, & quæ crebro critice certis anni temporibus naturæ beneficio ſuccedunt, tabidæ & periculoſæ febres ſubnaſcantur. Neque minus cauſa pateſcit, cur tam pernicioſum, & ad chronicas, lentas etiam & hecticas febres ingignendas nihil ſit aptius, quam, ſi quando, in corporibus præſertim plethoricis, cacochymicis item & hypochondriacis, ubi jam admodum tarda & impedita ſanguinis per meſenterium & connexa viſcera progreſſio, intempeſtive adſtringentibus, etiam famigeratiſſimo chinæ cortice ſiſtuntur febres intermittentes, quæ in his ſalutarem ad ſuperfluorum conſumtionem, vaſorum obſtructiones expediendas & liberum ſanguinis progreſſum reddendum habent facultatem, quibuſque oppreſſis, infarctus in meſenterii tubulis, oppilationes, humorum ſtagnatio & impuritas increſcunt, ac poſtea liberale chronicis & aſſiduis febribus aliiſque morboſis paſſionibus pabulum præbent.

§. IX.

Abſceſſus in meſenterio febrium cauſa.

Neque vero tantum ad ſtagnationes & obſtructiones diſpoſitum admodum eſt meſenterium, verum etiam ad ſuppurationes & abſceſſus concipiendos, quibus perpetuo fere accedit intemperies quædam febrilis. Sunt quidem plures, qui autumant, inflammationes, ſine quibus nulla ſuppuratio, nulluſque abſceſſus fieri poteſt, in meſenterio non habere locum, quia in eo nec dolor acutus, nec ardor, perpetui inflammationum comites, obſervantur. Verum eſſentialis inflammationis ratio non ardore & dolore continetur, ſed ſtaſi humoris ſanguinei in vaſis alienis facta, & ſtaſeos potius productum eſt dolor cum ardore, ſi illa in parte nervoſa, exquiſitioris ſenſus conſiſtit. Staſes autem & extravaſationes humorum cum oriundis inde ſuppurationibus, perquam commode fieri poſſunt in meſenterio, ob decubitum ibi ſolennem, dum vel ex arteriolarum minimis ramulis ſanguis ſæpe cum impetu in laterales tubulos, è quorum numero etiam pinguedinoſi, urgetur, vel etiam ipſa hæc lateralia vaſcula ab impetu humorum rumpuntur, & contentum liquidum effundunt. Ne dicam, nullibi facilius & commodius pus gigni, quam in partibus pinguedine uberius obſeſſis, eo quod ipſa pinguedo, motu inteſtino & putrido humoris extravaſati, promtiſſime in liquamen ſanioſum convertitur.

§. X.

Eorum ſigna & cauſæ.

Igitur frequentiores, ut vulgo putatur, in meſenterio ſunt abſceſſus, cognoſcendi ex febre continua hectica, dolore gravativo & fixo in abdomine & ſanioſæ materiæ per alvum cum inteſtinorum dolore & ardore excretione: quæ autem ad ingignendos hos faciunt, notavi multa. Obſervavi frequentius, in plethoricis, plethorico-cacochymicis, nec non hypochondriacis, à vehementi ira, præſertim paullo ante, vel poſt cibum, tanto magis accedente ſimul refrigeratione, corpus languore fuiſſe affectum univerſali, & ſucceſſiſſe febres tabificas exitioſas. Idem vidi in iis, quæ validioribus pellentibus abortum procurare intenderunt, quando medici menſium ſuppreſſione laborantes calidis & fortioribus emmenagogis, vel purgantibus exceperunt, nec non in viris, quando hæmorrhoidalem fluxum, natura repugnante minuſque proclivi, aloeticis aliiſque calidis pellentibus emovere fuerunt conniſi. Novi etiam, crebrius ſubortas eſſe has ex abſceſſu febres, in ſanguine & ſuccis plenis, à vehementiori inſueta corporis ad validum uſque ſudorem exercitatione, ſubſequente poſtea improvida refrigeratione cor-

poris

poris totius, ac inprimis pedum, quorum ingens cum abdomine conſenſio.

§. XI.

Generandi ratio & decurſus.

Nimirum tam valido & vehementi, ſive per animi affectus, ſive pharmaca, ſive corporis exercitationem, motu, ſanguis in minima meſenterii vaſcula cum impetu urgetur, ſtagnat ibi, in alienos tubulos vadit, ſubſiſtit ibi atque corrumpitur. Hinc prima origo ſuppurationis, quæ dein propter motum inteſtinum latius ſerpit, vicina arrodit, exedit, ut ex abſceſſu minori fiat major, ampla cavitas magnumque apoſtema. Quin materia ſanioſa corrupta, à venis reſorpta & ſanguini inſinuata, ſæpe etiam ad alia emunctoria, glandulas tracheales, nec non renes, fertur. Unde amplo in meſenterio apoſtemati jungitur ſæpe urinæ fluxus purulentus, vel etiam ſputum purulentum, integris renibus ſalvoque pulmone. Quandoque ipſum pus pondere ſuo per meſenterii poros deſcendit ad inteſtina connexa, cavum ipſorum ſubit ſicque alvo expurgatur. Quandoque etiam apoſtema majus dehiſcit tandem, & præcedente horrore, interdum etiam rigore, cum ſuperveniente æſtu, perrupto involucro, effunditur. Quod ſi in loco excretioni minus idoneo contingit, atrocia quaſi colica tormina oboriuntur, ſi in cavum abdominis, interna quæ tangit, male afficit, rodit & gangrænam iiſdem inducit, ſi vero in inteſtinorum cavitatem, pus copioſum ſimul & ſemel per alvum exit. De qua puris excretione hiſtorias conſignarunt *Horſtius lib. XIV. obſ. XXV. & XXVI. Bartholinus Cent. II. epiſt. 23. Cent. VI. epiſt. pag.* 490. *Cent. IV. hiſt. pag.* 96. nec non *Tulpius lib. II. obſ. XXXVI.*

§. XII.

...nptoma.

Febres autem quæ grandes ejuſmodi abſceſſus in meſenterio æque ac aliis viſceribus, hepate, pancreate, renibus veſica & utero, comitantur & ſequuntur, non ſunt mites & lenes, ſed graves, quæ vires & ſuccos corporis conſumunt omnes, hecticæ lethales. Quæ quomodo incipiant, decurrant & quibus ſymptomatibus ſtipentur, accurate & ex vero prodidit *Hippocrates lib. de intern. affect. pag.* 209. *febris*, inquiens, *debilis invadere incipit & rigor, & dolent pectora ad dorſum, aliquando etiam tuſſis premit acuta, & exſpuit ſalivam multam liquidam & ſalſam. Et hæc quidem in principio morbi; in progreſſu vero corpus attenuatur, cruribus exceptis. Hæc enim intumeſcunt & pedes, & ungues contrahuntur, ex humeris autem tenuis & debilis eſt, & fauces velut lanugine implentur, & velut per arundinem ſibilat, & fortiter ſitis per totum morbum, & multa impotentia corpus habet. Hic quum ſic habuerit, in anno corruptus male perit, verum ſtudium quam maxime adhibere oportet ac reficere.*

§. XIII.

...e in-...um.

Aliud lentæ remiſſioris & occultæ febris genus eſt infantibus familiariſſimum. Jungitur cum inſigni abdominis tumore, ſuperiorum marcore, tuſſi ſicca, virium proſtratione, inappetentia & vago æſtu, poſt cibum ſumtum & circa veſperam ingraveſcente, alvo interdum adſtricta, interdum etiam fluxa, alba multa & mucida dimittente. Naſcitur hæc febris quandoque à ſucco chyloſo nimis viſcido, tenaci, villoſam inteſtinorum tunicam & minima lacteorum oſcula obſtruente, quo inflatio inteſtinorum & chyloſa diarrhœa inducitur. Non nunquam ortum trahit à lympha nimis viſcida, lenta, quæ glandulas meſenterii farcit, obſtruit, ac magis magiſque accumulata mirum diſtendit. Occaſionem autem ad gliſcentes has febres potiſſimum præbent nimia infantum voracitas, cibi qui chylum reddunt craſſum, defectus tenuis potus, corporiſque refrigeratio. Quæ vero corripuerunt, diu detinent corpora, nec ſicuti omnes, quæ ex obſtructione & glandularum nerveæ ſubſtantiæ nimia expanſione oboriuntur febres, periculo carent, ſed niſi convenienti medicina occurratur cum vivendi ratione, infantes perimunt, inventis poſt mortem plerumque glandulis meſenterii ingentis magnitudinis, inteſtinis inflatis & tumidis ac pulmonibus corruptis.

§. XIV.

Maraſmus ſenum.

Quæ ſenibus ſolennis atque fatalis eſt hectica, græco nomine dicitur μαρασμος. In hoc lente attenuatur corpus, appetitus perit, vires ſenſim conſumuntur, oſſa carne privantur, ut inſtar ſceleti pelle induti appareant, os ſiccum eſt, ſaliva glutinoſa, exterior cutis cortex friget, riget, areſcit, interiora ardent, pulſus durus & frequens eſt, ſomnus parcus & non reficiens, ſpiritus ægre ducitur, vox rauca fit, lingua exſucca & ſalſa lenta pituita incruſtata ſæpe, ac omnia hæc ſenſimque ingraveſcunt, donec poſt dimidium circiter anni vitam ipſam eripiant. Generatio ſenilis hujus hecticæ ſic nobis concipienda videtur: ſenes ob vitam motus expertem & excretiones in omnibus emunctoriis, præſertim ſubcutaneo, langueſcentes, alvumque tardiorem, omiſſam etiam ex vano metu haud raro ſuetam ſanguinis miſſionem, ingentem ſubinde ſanguinis & impurorum humorum ſibi colligunt copiam; hac præſente, tardiſſima fit ſuccorum per meſenterium, omentum, per hepar quoque, lienem & inteſtina progreſſus, vaſa farciuntur, obſtruuntur, ſequuntur indurationes & demum corruptiones, febrium chronicarum pernicialium genetrices paratiſſimæ.

§. XV.

Hectica ſtomachica & inteſtinalis.

Demum lentæ febris ſpecies adhuc ſupereſt, parum ab auctoribus notata, quæ nobis ſtomachica audit & inteſtinalis. Ortum hæc ducit à tunicarum ventriculi & inteſtinorum eroſione, inducta vel ab acri bilioſo mordaci ſucco, in ipſo corpore genito, vel ab aſſumtis acrioribus, roſiva virtute præditis. Teſtatur enim experientia, poſt choleram, vel vehementem iracundiam, item dyſentericum morbum, longas ſæpe & exitiales ſuccreſcere febres. Venena aſſumta ſtomachum cum inteſtinis corrodere, novit nemo non. De exulcerato ſtomacho à forti purgante, cum maximo poſt cibum dolore, teſtis eſt *Bartholinus Cent. VI. hiſt.* 21. Idem faciunt emetica improvide data, ipſa ſalia amara purgantia, vel ſola liberalius exquiſitius ſentientibus oblata, vel, uti imprudens quorundam conſilium, acidulis indita adhuc & ſumta. Sed difficulter hæ febres, quoad ſuas cauſas & ſedem, dignoſcuntur, & difficulter etiam ſanationem admittunt. Nam læſis arroſiſque ex parte inteſtinorum tunicis, omne quod aſſumitur, præſertim ſalſedine, aut acore imbutum, vel etiam mole nimium eadem male afficit, ſpaſmos, eructationes, tormina facit, alvus interdum laxa, interdum ſtricta eſt, corpus ſimul tabeſcit, mox horror & rigor, mox æſtus, mox frigidus, mox calidus ſudor tenet, cum celeri pulſu ipſaque ſymptomata certis horis periodice redeunt & ingraveſcunt, quin niſi congruis remediis tempeſtive occurratur, morbus fit longus & capitalis.

§. XVI.

Signa lethalia & mortis cauſæ.

Cæterum lentæ hæ & tabificæ febres ex longis ſunt morbis, qui ægros diu tenent, & pro conſtitutione

tione corporis laborantis, modo citius, modo ſerius finem ſortiuntur. Lenta quidem, ſi tempeſtive occurritur, medicationem admittit, hectica autem raro & perfecta plane non. Mortis autem indicium in lethali hectica fuerunt, pulſuum continuo celeres & debiles ictus, ſumma appetitus & virium quoque maxima proſtratio, ita, ut laborantes nec corpus movere, nec in ſitu erecto permanere poſſint, facies Hippocratica, urina pauca, rubra, vel oleoginoſa, ſine ſibilo emiſſa, capillorum defluvium, alvi fluxus, ſudor effuſus & pedum tumor, quippe quæ de ſuccorum partim conſumtione, partim colliquativa diſſolutione teſtimonium præbent. Qui demum moriuntur, magnam & inſuperabilem viſcerum labem poſt mortem diſſecti exhibent. Quandoque enim adſunt ingentes cum amplis cavitatibus in viſceribus abſceſſus, in pulmone, meſenterio, hepate & pancreate, quandoque etiam in utero, ventriculo, renibus, nec non membranis peritonæi, abſceſſus deprehenduntur, vel magni tumores ſcirrhoſi, aut ingentis magnitudinis ſteatomata; quandoque etiam tumores glandularum in meſenterio, vel tubercula & vomicæ in pulmonibus, hepatis quoque lienis, vel pancreatis ſcirrheſcentiæ, omenti & inteſtinorum ſphacelationes & putrium humorum extravaſationes in interaneis offenduntur.

CURATIO CUM CAUTELIS ET OBSERVATIONIBUS CLINICIS.

§. I.

Curatio lenta ex cruditatibus.

Quum variæ tabidarum febrium ſint cauſæ, variæ ſedes, hæ primo omnium recte inveſtigandæ & iiſdem medicatio accommodanda. Igitur quando ex prava digeſtione & inde enatis crudis ac lentis primarum viarum ſuccis, poſt morbos febris ejuſmodi ſuccreſcit, cognoſcenda ex languore, interno æſtu, continua ad ſudandum proclivitate, in volis manuum præſertim ac plantis pedum, eo dirigenda curatio, ut prima regio à ſordibus, febris fomite, liberetur. Perfici poteſt hoc pro circumſtantiarum ratione leni emetico, quale præbet radix hypecacuanhæ, in pulvere, aut infuſo data, & teſtatur *Lindanus*, ſe uno vomitorio & hinc cum elixir proprietatis, intra quatuor dies, curaſſe hecticam. Si autem præſtat materiam vitioſam per os inferius educere ſimulque digeſtioni proſpicere, ex uſu ſunt ſalia ſic dicta neutra, digeſtiva, terra ſcilicet foliata tartari, nitrum antimoniatum, ſal polychreſtum, tartarus vitriolatus, ſolutio oculorum cancri, ſal Sedlicenſe, vel ſola, vel cum dimidia parte pulveris rhabarbari electi mixta, parcius, ſed crebrius, cum ſufficienti vehiculo oblata. Eandem blande laxantem ſimulque egregie roborantem virtutem habent pilulæ balſamicæ, à *Bechero* dictæ, quæ ea propter utiliter aliquoties, ſed minori doſi, deglutiendæ. Expurgato autem alimentari canali, ſubjungenda poſtea analeptica & ſtomachica, inter quæ præ reliquis commendamus eſſentiam chaccarillæ & gentianæ rubræ, item elixir noſtrum ſtomachale cum ſpiritu ſalis, aut nitri dulci, paullo ante cibum quotidie ſumenda, non neglecto commodo corporis motu & ſalubri potu, præcipuo harum febrium præſidio.

§. II.

Poſt morbos & febres ſuppreſſas.

Eadem hæc medendi methodus apprime eſt accommoda in principio illarum gliſcentium febrium, quæ poſt intempeſtive oppreſſas intermittentes, aut ſuffocatas præpoſtere harum recidivas obrepunt. Si autem his nolit diſcedere lenta febris, optimum eſt conſilium ut ipſa prior febris reſuſcitetur, tanto magis ſi ſuſpicio eſt infarctus viſcerum & meſenterii, ut in cachecticis & hypochondriacis. Priſca jam hæc fuit *Celſi* methodus, quam *lib. III. cap. IX.* deſcribit: *in hoc caſu cura Medici eſſe debet, ut morbum mutet. Fortaſſe enim curationi opportunior fiet. Sæpe igitur ex aqua frigida, cui oleum ſit adjectum, corpus ejus pertractandum eſt, quoniam interdum ſic evenit, ut horror oriatur & fiat initium quoddam novi motus. At*, pergit, *ſi diu frigus eſt, & torpor, & jactatio corporis, non alienum eſt, in ipſa febre dare mulſi tres aut quatuor cyathos, vel cum cibo vinum bene dilutum. Intenditur enim ſæpe ex eo febris, & major ortus calor, ſimul & priora tollit mala, & ſpem remiſſionis, inque ea curationis, oſtendit. Sed*, concludit, *eſt circumſpecti hominis, & novare interdum, & augere morbum, & febres accendere, quia curationem, ubi id, quod eſt non recipit, poteſt recipere id, quod futurum eſt.* Nam ſicuti auctior ſanguinis circulus in intermittente ſæpius optima eſt medicina cauſæ, quæ febrem efficit: ſic etiam lentæ febris cauſam, quæ frequentiſſime latibulis partium ſolidarum, glandulis maxime & vaſis meſaraicis, altius infixa eſt, expedit ac tollit. Hinc ſi intermittentibus, præſertim quotidianæ ſuccedit lenta febris, intermittens mox revocata, quod aliquoties à vento boreali, aſpero, lumbis liberius admiſſo, accidiſſe novi, calor intenſior redditus, adhibitis ſimul congruis incidentibus & temperantibus remediis, morbum cum tempore ex voto ſolvit.

§. III.

Ex vitio hypochondriorum.

Quando in plethorico-cacochymicis, cachecticis & ſcorbuticis, à menſium, vel hæmorrhoidum obſtructione, nimia voracitate, mala diæta, potuum ſpirituoſorum abuſu corporiſque refrigeratione, lenteſcentes hæ febres oboriuntur, alia medendi via ineunda, & uſurpanda ea, quæ viſcera ſanguinea, hepar, lien, meſenterium, vaſa & glandulas ab obſtructione liberant & expeditum ſanguinis & humorum per abdominis, & maxime meſenterii vaſa, commeatum procurant. Hunc in finem ſpectatæ virtutis aquarum mineralium, tam acidularum, quam thermalium, uſus. Ipſe ego longo uſu & experientia edoctus ſcribo, quod ad eradicandos ejuſmodi lentos morbos, non certius deprehenderim auxilium, fontibus medicatis, & idem proprio exemplo confirmat *Thonerus obſervat. pag.* 173. Præ reliquis autem hoc nomine ſalubritatis laudem ferunt, ex thermis Emſenſes & Wiſbadenſes, ex acidulis Schwalbacenſes & Selteranæ. Opus tamen eſt, ut debito ordine, tempore ac doſi uſurpentur, junctis ſimul idoneis remediis, quæ digeſtionem juvant, ſpurcis corporis ſuccis temperatam balſamicam indolem reddunt, & ſordium è corpore egreſſum ſecundant. Ubi autem ſalubrium harum aquarum copia non datur, ſurroganda alia ſimilis virtutis præſidia. Ego quidem loco illarum ſæpe cum fructu uſus ſum decocto ex juſculo carnis vitulinæ tenui, cum radice cichorei, fœniculi, aſparagi, graminis, taraxaci & ſcorzoneræ, ita quidem, ut quotidie ejus menſuram, per aliquot hebdomades bibere juſſerim, & ante potum aſſumere medicamentum martiale probe elaboratum, cujus generis ſuggerit tinctura martialis, cum ſucco pomorum Bordorfianorum, cydoniorum, nec non aurantiorum, item tinctura martis *Zvvelferi*, ex vitriolo martis & terra foliata tartari cum ſpiritu vini extracta,

nec

nec non tinctura florum salis ammoniaci martialium, qui cum hæmatite parantur, si cum spiritu vini purissimo, vel melius corticibus aurantiorum imbuto, in tincturam aurei coloris, saporis gratissimi, virtutis præstantissimæ extrahantur. Sed necessarium est, ut tum sub horum, tum aquarum medicatarum usu, exquisita vivendi ratio & salubris diæta accedat, simulque corporis motus imperetur.

§. IV.

erosione ventriculi intestinum.

Quæ ab intestinorum & ventriculi erosione accidit febris lenta tabescens, omnia acria salsa, acida, stimulantia, ceu venenum experitur, ipsum Rhenanum vinum propter acorem non fert, dulcia etiam & fermentescibilia, nec non omnes difficilioris solutionis cibi eandem exacerbant. Curatio vero difficillima est, nec alia poscit, quam demulcentia & roborantia. Ego aliquoties decoctum lactis cum ligno sassafras & cascarillæ cortice, aut floribus chamomillæ & summitatibus millefolii, quotidie ad mensuram potum profecisse novi. Tum quoque radices althææ & juscula cum oryza & lacte decocta proficiunt, tragacantha etiam cum aqua menthæ soluta. Conducunt præterea clysteres ex lacte, cum vitello ovi, terebinthina & melle, aut alii emollientes cum syrupo de althæa *Fernelii*. Et quando spasmi simul in abdomine urgent, egregie eosdem demulcent pilulæ nobis usitatæ, antispasmodicæ, ex extracto chamomillæ, millefolii, oleo nuciftæ, extracto croci & castorei.

§. V.

succo- & um de-

Porro glisens illa & tabifica febris, quæ oritur in iis, qui diuturno animi affectu, mœrore, cura, nimio labore, vigilia, inedia, crebro & intempestivo veneris exercitio, à nimia salivatione, à fluore albo & gonorrhœa diuturna, ab effusiori alvi profluvio, lactatione nimia, ulceribus multum purulentæ materiæ plorantibus, & vires & roscidos succos perdiderunt, omnia sanguinem commoventia & alvum stimulantia, motum etiam corporis impensiorem, alimenta quoque gravis materiæ nimiumque, ut ita dicam, substantifica, interdicit, & poscit potius animi corporisque quietem, alimenta & medicamenta temperatiora, quæ acrimoniam demulcent, calorem restinguunt, blande nutriunt & vires labascentes refocillant. Horum in numero sunt emulsiones ex amygdalis dulcibus, pineis, seminibus quatuor frigidis majoribus, cum decocto cornu cervi, aqua rosarum & cinnamomi cydoniata confectæ, lac asininum & muliebre solum, aut caprillum, vel vaccinum decoctum, cum succo cancrorum fluviatilium, jus pulli cum ptisana mixtum, ptisana decocta cum cancris fluviatilibus, vel etiam testudinibus nemorosis contusis, ex commendatione potissimum *Amati Lusitani Cent. II. curat. LIII.* qui curavit hecticum per pullorum gallinaceorum testudinibus nemoralibus saginatorum usum & lactis asinini potum. Sunt qui ostreas commendant, si stomachus fert, & confirmat hoc notabili exemplo virginis viginti annorum ex pulmonum labe hecticæ, *Lindanus, supra Hartmannum*, quæ largo & diuturno ostrearum esu, tam perfecte convaluit, ut postea diu supervixerit & octo liberos peperit. Vinum non nisi modice concedatur, & hoc quidem Neccarinum, aut Mosellanum, lymphatum. Accedat quoque motio corporis lenis, per gestationes & deambulationem lentam.

§. VI.

ebrium spi-

Quando harum febrium origo est à nimio abusu liquorum inebriantium, vini, spiritus vini, aquarum sic dictarum vitæ, vini adusti, cerevisiæ quoque spirituosioris, cum corporis contabescentia; tunc pariter vitentur omnia calefacientia, spirituosa, analeptica, incidentia pituitam & stomachica, cum cerevisiæ potu, sed usurpetur loco potus decoctum avenaceum, methodo Loweriana paratum, ex avena, radice cichorei, floribus papaveris rhœados & pauxillo nitri antimoniati. Tum quoque utile serum lactis, cum pauxillo nitri, item lac ebutyratum, quibus multum tribuunt *Piens de febr. part. II. pag.* 61. & *Barbatus de sangu. & sero pag.* 110. His etiam conducunt ptisanæ cum hordeo & cichoreo, & affirmat *Borellus Cent. IV. obs.* 89. multos hecticos, tantum non desperatos, solo frequenti hordeatorum usu, fuisse restitutos. Neque minus locum habere possunt emulsiones dilutiores, ac gelatinosa, cum succo citri condita.

vinosorum abusus.

§. VII.

Ab intercepto mensium.

Si, uti frequentius incidit, harum febrium origo in fœminis est à subita mensium suppressione, per potum frigidum, refrigerationem, aut terrorem, ocyssime vena pedis aperienda & decoctum quoddam resolvens, ex radice cichorei, herba sonchi, floribus bellidis minoris & sambuci propinandum, & omittenda omnia fortiora emmenagoga. Quod si autem prognata ab hac causa lenta vel hectica febris diu jam corpus tabe & fervore afflixit, neutiquam suadenda, sed potius interdicenda est sanguinis missio, quia vires nimium debilitat. Ubi etiam à partus tempore menses plane subsiterunt & vera jam adest hectica, cum atrophia, tussi, diarrhœa, pectoris difficultate, universali corporis languore & calore lento consumente, non de remediis menses pellentibus cogitandum, sed symptomata contrarium potius indicant. Idem tenendum de illa tabifica debilitante febre, quæ à fluxu hæmorrhoidali retento, aut obstructo, ortum ducit. Tum quippe, si vires & succi jam consumti, imprudens plane est molimen, ad evomendum fluxum evacuantibus & pellentibus aloeticis, aut sanguinis missione in pede uti. Observavi enim sanguinem valde fluidum & coccinei coloris fuisse evocatum, sed paullo post febrem accensam, vires prostratas, somnum turbatum, & citius, quam quidem fieri potuisset, ad lethalem eventum morbum promotum.

Et hæmorrhoidum successu.

§. VIII.

Marasmi senilis tractatio.

Quæ senibus solennis hectica, marasmus dicta, melius avertitur, quam curatur. Quum vero attenta observatione constet, senes duplici ex causa tabificæ febri implicari, scilicet vel ex plethora, sive potius sanguine & crasso, & copioso, abdominis viscera ipsumque mesenterium infarciente & obstruente, vel ex cacochymia, si copia seri impuri salsi, ob insufficientem ipsius, maxime per cutem, excretionem, ad binas has causas dirigenda utique cura præservatoria. Quod si itaque senex vitæ quietæ & sedentariæ addictus, appetitu tamen ciborum adhuc valens, omissa, vel plane neglecta sueta alias sanguinis missione, vel emanente etiam spontanea sanguinis excretione, & metus est, ne incurrat in lentum, continuum, debilitantem & tabefacientem calorem; id quam maxime agendum medico, ut sanguinis plenitudinem tempestiva venæ sectione minuat, diluentes salubres potus largius bibere suadeat, abstinentiam à cibis nimium nutrientibus ac convenientem corporis motum serio injungat. Si vero senum succi impuris & à blanda naturali indole alienis particulis scatent; nihil aliud agendum,

dum, quam ut per clementiſſima laxantia, rhabarbarina, mannata & paſſulata, ſordes, ſpurcitiem humorum foventes, evocentur & temperati roſcidi ſucci rurſus ingenerentur, per uſum gelatinarum & lacticinia, maximeque aſininum lac, quod utique ſenili ætati, ob demulcentem, aperientem & leniter evacuantem facultatem, eſt ſaluberrimum.

§. IX.

Tabis infantum medicatio.

Quæ infantili ac puerili ætati infeſta eſt ac funeſta lenteſcens febris, relinquitur potiſſimum poſt variolas & morbillos, ventre ſimul tumefacto, ſuperioribus autem penitus contabeſcentibus & in diſſectis eadem defunctis, meſenterium plerumque tumoribus duris, ſcirrhoſis & ſteatomatibus, præſertim circa venas quæ ad portam excurrunt, & pulmones tuberculis ac vomicis conſpiciuntur obſeſſi. In hac conſultius etiam mali inſultum avertere, quam præſens abigere, quod nunquam non irritum eſſe ſolet atque fruſtraneum. Quæ autem tabes in infantibus ortum trahit ex nimia voracitate, ſive addiphagia & refrigeratione corporis, medicationem admittit. Ego quidem non certius in hac novi auxilium, quam externe uſum balneorum aquæ dulcis temperatorum, aliquandiu continuatum, & interne, ad expediendas obſtructiones glandularum, venarum meſaraicarum & lacteārum, crebriorem, ſed parciorem uſum liquoris ſalini aperitivi, ex ſale tartari, nitro, arcano duplicato, æquali pondere mixtis, & addita dimidia parte ſalis ammoniaci, cereviſiæ potandæ inſtillati.

§. X.

Lac utile eſt.

In omni autem hectica haud poſtrema eo tendit indicatio, ut roſcidum illud humidum, quod calor continuus non modo ex ſanguine, ſed etiam ex tubulis ſolidis, & una cum hoc ipſam tandem carnem atque pinguedinem abſumit, reſarciatur. Huic ſcopo quam maxime ſatisfaciunt, alimenta medicinali ſimul virtute inſtructa, inter quæ palmam fert lac ipſum. Nam priſcum eſt *Hippocratis Sect. V. aph.* 64. præceptum: *convenit lac exhibere tabeſcentibus, non valde multum febrientibus, & in febribus longis, & debilibus, & præter rationem conſumtis.* Optimum humanum, quod promtius conſumtum reſtituit humidum & calorem extinguit, idque ex mammillis ſuctum, ne ab aëre vitietur, quo hecticam curatam eſſe, fidem facit *Foreſtus lib. V. obſ. X.* Aſininum minus quidem nutrit, ſed magis refrigerat, calorem temperat, abſtergit, & aperit, ejuſque præſtabilem facultatem laudat mirifice *Ballonius lib. I. pag.* 236. integro conſilio pro illuſtri Principe, qui pronus erat ad tabem. *Cardanus fol.* 323. *dubium non eſt*, ait, *quin tota ſanitas tabidi conſiſtat in adhibitione lactis aſinini.* Et *Aretæus lib. II. de cur. acut.* tabis curam ita inſtituere ſuadet: *ſi quis in tabem prolabitur, tunc terendum tempus non ea quiete & victu tenui, ſed æger ad motiones traducendus, per geſtationes, frictiones & lavacra, quo vitæ reſiduum à morte vindicetur, augeatur & recreetur. Propinandum vero etiam eſt lac, maxime mulieris, quæ proxime peperit puerumque nutrit. Hi namque alimento, ut nuper in lucem editi pueri, egent. Si lactis humani copia non datur, aſinæ, quæ non pridem peperit, lac accipito. Tenue eſt enim & fluxile hujuſmodi lac.* Efficacius nutrit caprillum & vaccinum, ſed gravius eſt multumque caſeoſæ ſubſtantiæ habet, ideoque ne ventriculum male afficiat, corrigendum.

§. XI.

Mihi præ reliquis placuit *Hippocratis* lacte utendi methodus, quam *de intern. affect. pag.*209. ſic tradidit: *dandum eſt & lac aſininum coctum ad ſuppurgationem, bibat etiam crudum lac bubulum, tertia aquæ mulſæ parte admixtum, per XLV. dies, admixto etiam origano.* Recte enim gravis hic auctor paſſim ad lenem purgationem commendat lac aſininum coctum, quia ſal ipſi ineſt dulce inſtar ſacchari, abſtergens leniter & laxans, quod coctione difflato humido, concentratur magis. Origanum autem adjicere præcepit procul dubio ad roborandum ſtomachum & genus nervoſum debilitatum. Ego, ſi lac aſininum haberi nequit, ita lactis curam adornare ſoleo, ut præcipiam primum, per duos, vel tres dies mane potare lac, è vaccis herbis recentibus & appropriatis paſtis multum, ad libram unam, in qua uncia mannæ, aut ſacchari roſati, vel conſervæ roſarum diſſoluta. Dein menſuram ſolius lactis quotidie bibere præcipio, addendo ſacchari unciam dimidiam & nitri drachmam dimidiam. Pro circumſtantiarum ratione, præſertim ubi ſuſpicio labis in meſenterio, aut exulcerationis in viſcere interno, lacti confundo ad dimidias, vel tertias, aquam, aut puram fontanam, aut longe melius Selteranam mineralem. Hac vero deficiente, aquam communem infundere ſuadeo cum veronica, ſoncho, pulmonaria, hepatica, muſco pulmonario, tuſſilagine, hedera terreſtri, ſcolopendrio, capillis veneris, floribus hyperici & roſarum, & infuſum hoc cum tantundem lactis, vel caprilli, vel bubuli calide bibere, adjecto ſaccharo, & pro meliori abſterſione, aliquot guttis olei tartari per deliquium. Cura hæc minimum per ſex hebdomades continuanda, ac interea vitanda omnia quæ ſtomachum gravant, debilitant & lac coagulant. Vinum quoque ex toto circumcidendum, & non aliud ad ſtomachum fovendum concedendum, quam parcum Hungaricum, aut mulſum ex melle Boruſſico confectum.

§. XII.

Antequam tamen cura lactis inſtituatur, videndum eſt, an ventriculus illud ferre poſſit. Sunt enim non nulli, qui lac à natura penitus averſantur. Notavi etiam, quod qui diætæ vinoſæ dediti, cereviſiam largius potant, lac commode ferre nequeant. Neque accommodum eſt hypochondriacis, neque ſi febris vehementiſſima & cephalalgia juncta. Si ſtomachus languidus & obſtructa meſaraica vaſa, corrumpitur, facile in vappam abit magnaque creat incommoda. Videndum igitur, ne in ventriculo deſideat, ad quod avertendum, *Galenus lib. X. ſimpl. medic.* præcipit, ut coquatur & chalybs ignitus, aut ſilices candentes, injiciantur. Tutiſſimum autem lac aſininum, ſero plus redundans, minuſque caſeoſæ ſubſtantiæ habens, quod etiam *Galenus* in hectica præfert; cujus ſaluberrimam virtutem p culiari diſſertatione, *de mirabili lactis aſinini uſu in medendo* excuſſi. Quod ſi tamen aſinini lactis copia non eſt, ſubſtitui poteſt ſerum lactis dulce, methodo à nobis deſcripta in diſſertatione *de ſeri lactis virtute longe ſaluberrima* paratum. Sunt etiam, qui lactis ſerum in B. M. deſtillant, & prolectam deſtillatione aquam mirifice dilaudant, tam potam, quam loco vehiculi aſſumendorum medicamentorum.

§. XIII.

Porro in hiſce ſuſpectis febribus providendum, ut craſis & mixtio ipſius ſanguinis, ab intima diſſolutione & colliquatione elementorum, quam

quam continuus calor minatur, vindicetur & æquilibrium inter calidum & humidum conſervetur. Hunc in finem ſalubria, à medicis paſſim laudata leniora adſtringentia & roborantia. Celebres hoc nomine tincturæ, ſive potius ſolutiones coralliorum, aut matris perlarum, cum acido ſubtili & naturæ amico, uti eſt ſuccus citri, berberum, aurantiorum, vel pomorum Chinenſium. Utilis quoque tinctura roſarum, cum aqua roſarum & phlegmate vitrioli parata. Quæ leniter adſtringunt & roborant, ſunt ſpecies de hyacintho, quæ cum aliquot granis coralliorum & nitri, colliquativos ſudores egregie compeſcunt. Magnæ etiam virtutis elixir noſtrum balſamicum temperatum, ex gummatibus reſinoſis temperatis & extractis, ſine vini ſpiritu paratum. Nec omittendus chaccarillæ & ipſe quoque chinæ cortex, ſi cum ſyrupo acetoſitatis citri, aut nucis Indicæ, adjecto nitro, in electuarii formam redigitur. Proficit etiam bolus rubra fabrilis, cum conſerva, vel julepo roſarum ſubacta. Hæc enim omnia ad levandas ejuſmodi lentas febres, ſi prius humorum & viarum vitio proſpectum, eximiæ virtutis, eorumque rectus uſus merito commendandus. Quin novi plures, & hecticos, & phthiſicos, his diu fuiſſe ſervatos.

§. XIV.

Non ſaturnina metallica.

Quæ autem à chymiatris ad hecticum calorem & adverſus ſudores paſſim laudantur ſaturnina, encomia minus ſuſtinent, ſed propter metallicam, adſtrictivam, nervis inimicam virtutem, tono ventriculi & inteſtinorum ſunt contraria & certius ac plus nocent, quam proſunt. Hinc rejiciendum ſaturni ſaccharum, & quæ præ omnibus celebratur, parata ex hoc antiphthiſica tinctura *Grammanni*. Antihecticum vero *Poterii*, ſi rite ex ſtanno puro, nitro & antimonio paratur & cum emulſionibus datur, non tam noxium eſt, ut quidam putant, ſed ob blandam roborantem diaphoreticam virtutem, utile omnino. Neque enim ſtannum, propter blandum quod fovet ſulphur, nervis eſt inimicum, nec adſtrictivum, uti quidem plumbum. Gravis de ſalutari facultate antihectici hujus teſtis eſt *Muraltus* diſertis verbis in *M. N. C. Dec. II. An. I. obſ. CIX.* ita ſcribens: *diaphoreticum joviale, ſive antihecticum Poterii, ad demulcendam acritudinem humorum matricem, & nervos irritantium, mirum quantum valet. Idem uterum corroborat, ſæpe ex emaciatis & debilibus, quadratos & robuſtos facit.*

§. XV.

Balneorum uſus atque utilitas.

Balneorum in hecticis & lentis frequens, præſertim apud veteres, commendatio. *Sennertus* ex *Galeno* methodum iiſdem utendi pluribus exhibet. Inſtar omnium vero de eorum vario uſu locus eſt *Alpini, de Med. method. lib. VI.* dignus, qui totus huc tranſcribatur. *De externis*, ſcribit, *medicamentis balnea conveniunt, ex aqua dulci, aut ex aqua alterata althæa, malva, violis & aliis ſimilibus. In Ægypto ex lacte aſinino & camelino, vel equino, balnea tepida inſtituunt pro Magnatibus. Epithemata itidem atque inunctiones commendantur. Ex balneis tepida conveniunt atque frigida. Illa humectant ſolidas partes, fuligines, fumidaque excrementa digerunt, corpuſque recte tranſpirabile reddunt, & remiſſa caliditate, etiam calorem hebetant. Hæc refrigerant, cutim denſant, virtutem, calorem augendo, roborant. Sed non in excarnibus corporibus & valde prælanguidis, tutum erit, uti admodum frigidis balneis, quando nedum hæc calorem augebunt, ſed quinimmo prælanguidum extinguent. In robuſtis vero erunt utiliſſima. Robuſti bis in die, ſcilicet mane & veſperi, ante cibum, hiſce balneis utentur, ſemel vero debiles. Nonnulli non vehementer frigida balnea, ſed leniſſimæ frigiditatis, utiliora & magis tuta eſſe volunt. Ideoque primum ægrotos in balneum temperate calidum ducunt, & mox in leviter frigidum, ita ut tepidum potius ſit, ſive leviuſcule frigidum. Ægyptii & Arabes uti ſolent balneis ex aqua Nili fluminis, ex lacte camelino, vel equino, aſinino, vel caprino; item thoraci, hepati, ventriculo, renibus, ex lacte, oleo violato roſatoque tepido, aut ex ſucco lactucæ, junci, endiviæ, portulacæ, polygoni, lenticulæ paluſtris, nenupharis & ſimilium, cum modico lactis & croci, ad penetrationem, admovent epithemata.* Sed tenendum omnino in genere de balneis; eadem commode habere locum in principio morbi & quando à viribus fractis pendet, nec non in lenta infantum febre, quia emolliunt, demulcent, rigidas fibras laxant & ſimul humectant; nihil autem proficiunt in progreſſu morbi, ſique putredo, abſceſſus & exulceratio interna jam præſto ſunt.

§. XVI.

Motus commendatur.

Ex præcipuis veteres & moleſtas has febres expugnandi præſidiis, eſt motus corporisque exercitatio. Veteres jam, *Hippocrates* & *Aretæus*, in tabe curanda mirifice commendarunt varia motuum genera, deambulationem, vecturam, geſtationem, peregrinationem & navigationem, quin *Hippocrates lib. de intern. affect. §. XXXIV. pag.* 238. præcipit: *ſi quis validus fuerit, per triginta dies ad ligna ſecanda ablegetur, & ſummis humeris luctetur, & interdiu d ambulet, & veſperi dormiat.* Sed ſaluberrima & accommodiſſima motus ſpecies equitatio, aut vectura in curru, quibus, perpetua corporis ſuccuſſatione, ſanguinis progreſſus per meſenterium egregie adjuvatur. Multi inprimis ſunt in laudanda equitationis utilitate celeberrimi Angli, *Sydenham* & *Morton*. Ille quidem *opp. pag.* 524. & 781. non veretur affirmare, equitationem eſſe in hectica & phthiſi ſpecificum ſine pari, eoque certius, quo neque mercurius in lue venerea, neque cortex Peruvianus in febribus intermittentibus, efficacius aut certius. Et *Morton. exercit. de phthiſ. pag.* 26. ita graphice differit: *nullum magis conveniens remedium, quam quotidiana ad moderatos uſque ſudores protracta equitatio eſt, in febribus lentis, hecticis, ex vitio maxime ventriculi, ex perverſa forte febrium intermittentium tractatione, nimio intempeſtivoque figentium, præcipitantium & adſtringentium abuſu, frigido potu calenti corpori ſuperfuſo &c. quorum præternaturalis æſtus corporis laudabiles ſuccos depaſcit, ex ventriculi & inteſtinorum ſaburra acida, lenta ſimul & viſcida, meatus obſtruente præter naturam; utpote qua viſcoſus lentor, ſive effœtus chylus, qui vaſa & habitum corporis jam infarcit, æquabili ſuccuſſione diſcontinuatur, excernitur, ut appetitus iterum reſtituatur, novus chylus laudabilis & copioſior elaboretur. Expedit tamen innuere, in lentis auctam & frequentem apprime utilem eſſe, in hecticis vero ſtricte ſic dictis moderatior ſit.*

§. XVII.

Mature ſubveniendum.

Tandem, quicquid in lentis his & tabidis præſtandum, id mature faciendum omne. Neglecta enim hac opportunitate, accedente medentis, vel laborantis errore & morbo diutius protracto, irrita prorſus atque fruſtranea eſt medicatio, & fere ſemper in hecticam tranſitus fit lethalem. Qui autem his febribus jam detinentur, autumno ſemper pejus habent, ob languidiorem naturæ in actibus

bus ſecretoriis & depuratoriis virtutem. Quin, quia circa æquinoctia ordinario ſubitæ inſalubres fiunt aëris & cœli mutationes, plerumque tum non modo gravius ægrotant, ſed & decedunt hectici incurabiles. Igitur neceſſarium eſt, ut circa hæc tempora exactam victus ſervent rationem, animum tranquillum habeant, aëris injurias vitent & à medico quoque conſilium petant.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Lenta febris in bibulo curata repetens in phthiſin tranſiit lethalem.

Vir quadragenario major, phlegmatico-ſanguineus, à multis jam annis compotationibus in ſeram uſque noctem indulſerat, modo cereviſiam, modo vinum, modo vini ſpiritum bibens, parum vero appetens. A duobus autem menſibus valida affectus erat tuſſi, ſomnum omnem arcente, cum intenſo æſtu, veſperi ingraveſcente, ægra ſpiratione, virium dejectione & corporis conſumtione, nec non copioſo per tuſſim muci ſcreatu. Meum per literas exquirebat conſilium, ſed nolui primum manum admovere, uti non facile ſoleo in longis ejuſmodi & deſperatis morbis & qui jam varia medicorum artificia experti. Quum autem intercederet vir honoratus, mihi amiciſſimus, ſuaſi ut biberet cereviſiam medicatam hanc: recipe herbæ hepaticæ, pulmonariæ, hederæ terreſtris, ſcabioſæ, cardui benedicti, veronicæ, agrimoniæ, tuſſilaginis, muſci pulmonarii, florum hyperici ana manipulos duos, rhabarbari uncias duas. M. conc. indantur ſacculo & ad fermentationem ſuſpendantur in quinquaginta menſuris cereviſiæ recentis. Exhibui quoque pulverem ex matre perlarum, antihectico Poterii, lapidibus cancrorum & nitro, cum emulſione dilutiori ex amygdalis & pineis. Dedi porro conſilium, ut largiter ſorbillaret juſcula tenuia, ex carne vitulina, cum radice ſcorzoneræ & cichorei decocta. His per aliquot hebdomades uſurpatis, nunciatum mihi, egregium acceſſiſſe levamen. Hinc ſuaſi, ut uſui inſiſteret adhuc per menſem, quo etiam cum periculoſo morbo in gratiam rediit. Sed quum ſuetum vitæ genus bibulum nihilo ſecius ſectaretur, multiſque domeſticis curis afficeretur, anno circumacto, poſt gravem iram incidit in hæmoptyſin, quam ſequuta phthiſis, hectica tandemque mors.

Epicriſis.

Qui ex nimio potu ſibi phthiſicum & hecticum morbum contraxerunt, omne lactis genus faſtidiunt. Hinc in noſtro conceſſi quidem cereviſiam, ſed medicatam, per herbas leniter roborantes, balſamicas, conſolidantes & ſanguinem purificantes. Hac igitur labes viſcerum, maximeque pulmonum atonia ſublata. Sæpe enim hecticum hoc malum in principio à ſola atonia pendet, ſub qua & ſecretiones, & excretiones rite ſuccedere nequeunt impuritatum, largius ab ejuſmodi bibulis heroibus collectarum. Et profecto ego teſtari poſſum quod decocta ejuſmodi ſpecierum, ex aqua, vel cereviſia, addito quandoque melle, in chronicis ejuſmodi lentis febribus præſtiterint mira, ſi modo aliquamdiu continuata, quin longe plus, quam pretioſa, ſingulari arte & labore confecta. Sed promtus omnino mali recurſus, niſi exacta vitæ victuſque ratione arceatur, & viſcerum imbecillitas penitus emendetur.

Observatio II.

Hectica phthiſis incipiens curata.

Juvenis literarum ſtudioſiſſimus, ob teneram à nativitate corporis conſtitutionem, in catarrhoſas defluxiones, diarrhœas, tuſſes, phthiſin etiam pronus, animo quoque admodum ſenſibilis, tempore vernali afficiebatur tuſſi ferina, tum epidemia, primum ſicca, dein humida cum interno æſtu, intercurrente horripilatione & accedente virium, ob ſomni defectum, proſtratione. Dabantur leniora laxantia, mannata, rhabarbarina, linctus pectorales, pulveres item & elixiria pectoralia, ſed ſine ſingulari levamine. Exactis ſic ſex & pluribus hebdomadibus, hectica imminere viſa; hinc ſuaſi ptiſanæ, ex raſura cornu cervi, radice ſcorzoneræ, hordeo mundo ac ſemine fœniculi, cum æquali parte lactis bubuli, potum quotidie ad menſuram, ita, ut mane dimidiam & pomeridie iterum dimidiam biberet. Sed æger, quo plus, eo melius, putans, quotidie vel duas menſuras ingurgitavit, ventriculo tamen adhuc firmo, haud male. Sumſit quoque ſubinde pulverem ex ſpermate ceti, lapidibus cancrorum, floribus ſulphuris, ſaccharo & pauxillo nitri. His paucis & euporiſtis tantum profectum, ut notabile paulo poſt ſentiret auxilium. Senſim poſtea ſymptomata diſceſſerunt omnia, tuſſis placata, æſtus reſtinctus & appetitus cum ſomno rediit.

Epicriſis.

Non penitus, ſicut in hydropico, ſic etiam in hectico malo, deſperandum eſt, ſi vitium fluidarum nondum tranſiit in labem & corruptionem ipſorum viſcerum, inflammationem ſcilicet, ulcerationem, aut ſcirrhum. Felix igitur eſt medicus, qui hæc bene cognoſcit. Sic enim curationem bonis avibus ſuſcipere poteſt, quæ, ſi feliciter cedit, famam & gloriam inde reportat. Magna adverſus difficiles & longos morbos facultas in ejuſmodi temperatis, euporiſtis domeſticis, diluentibus & humectantibus remediis, quin longe præſtabilior, quam in pharmaceuticis cunctis. Medici in eo plerumque delinquunt, quod ſi tuſſis humida valida adeſt, phthiſin eſſe putant, eaque propter pectoralia multa adhibent, quum tamen ſæpe ſola humorum acrimonia horumque ad pulmones remiſſos decubitus, cauſa ſit tuſſis vehementioris cum ſcreatu copioſo, & dulcia pinguia relaxantia ob id plus noceant, quam proſint. Lactis autem cum aqua diu continuato uſu, veteres jam, *Hippocrates* & *Aretæus*, tabem perſanarunt. Exſtat quoque in *M. N. C. Dec. II. An. IX. obſ.* 189. de viro hectico deſperato viſo, ſolo potu aquæ frigidæ curato, obſervatio *Burgii*, qui B. parentis mei anno MDCLXIV. fuit diſcipulus, ipſiuſque effigiem, clavi pharmaceuticæ præfixam, carmine decoravit.

Observatio III.

Meſenteri abſceſſus diarrhœa ſaniosa ſo lutus.

Miles quidam, facile lividus, corpore macilentus & languidus, pulſum tamen celerem cum quadam duritie exhibens, conquerebatur de alvi fluxu per tres continuos menſes ipſum adeo detinente, ut quotidie, octies, vel decies, deſidere cogeretur, ſecedentibus non nunquam, ut naturaliter fieri ſolet, excrementis, non nunquam vero ſanioſa, non nunquam ſanguinolenta materia, ſine ſcybalis, appetentia ciborum ſimul imminuta faucibuſque aridis. Inquirenti in tam chronici mali cauſam, reſpondit: ſe graviter aliquando in

ſini-

ſiniſtro dorſi & thoracis latere verberibus eſſe percuſſum, ut locus etiam ſugillatus comparuerit, & dolor ſucceſſerit impenſus, præterlapſis autem aliquot diebus, doluiſſe hypochondrium ſiniſtrum, ibique ſupra os ilei protuberaſſe tumorem, aliquot hebdomades ſubſiſtentem, donec obortis in ventre torminibus, alvus ſponte fuerit ſoluta, multaque ſanioſa, fœtida, atro etiam ſanguine tincta, copioſis feceſſerint dejectionibus. Ex eo quidem tumorem ſubſediſſe & dolorem quoque evanuiſſe, ſed diarrhœam perſtitiſſe & adhuc ipſum mirum exercere ac vires abſumere. Dimiſſus igitur eſt conſilio, ut ſerum lactis dulce, noſtra methodo paratum quotidie ad menſuram unam, nec non infuſum, ex ſcabioſa, veronica, ſanicula, mentha, meliſſa, millefolio, floribus hyperici & papaveris erratici frequentius potaret. Quibus etiam effectum, ut poſt aliquot hebdomadum decurſum rediens, gratus profiteretur, parciores longe eſſe dejectiones, corpus vegetius, meliora omnia, nec de perfecta impetranda ſanitate dubium.

Epicriſis.

Nullum certe eſt dubium, quin in hoc abſceſſus fuerit in meſenterii compage obortus, qui demum ruptus, effudit in inteſtinorum cavum ſaniem & cruorem, per ani feceſſum excretum. Qui vero factum, ut à ſuperiorum percuſſione, in abdominis penetralibus inductum apoſtema, diſquiſitione omnino dignum. Nos quidem ab impedita ſanguinis in partibus plagis gravius contuſis circulatione, mali ducimus natales, unde factum, ut in homine plethorico ſanguis majori copia fuerit delatus ad meſenterii diverticulum, ibidemque collectus, demum putreſcere cœperit, & in abſceſſum conceſſerit. In meſenterio enim ſæpius oboriri ſtagnationem, ſi in remotioribus partibus ſanguinis progreſſus interceptus, non novum. Ipſi novimus, hoc facto, meſenterium cum omento putre & ſphacelatum fuiſſe inventum; vulnere lethali diaphragmati inflicto, cruorem vaſa meſenterii perrupiſſe, & abdomen inundaſſe, & in aſthmate ſpaſmodico, à polypo in appenſis cordi canalibus, meſenterium itidem ſanguine multo oppletum, vaſa ipſius diſtenta partim, partim plane diſrupta, comparuiſſe.

Observatio IV.

Hectica phthiſica lethalis.

Vir erat macilentæ & cholericæ conſtitutionis, qui ex hæreditaria quadam & nativa diſpoſitione pulmonum alebat vitium, ac præterea ob nimias lucubrationes vitamque nimis ſedentariam variaſque animi ex ira commotiones, corporis & ſtomachi ſibi contraxerat imbecillitatem. Hic ab aliquot jam annis magnam pituitæ viſcidæ copiam ſcreatu ejecerat, hæcque ejectio mirum demum copia increvit, & per duos fere menſes, cum lenta febre, ſpirandi difficultate, viriumque jactura, nec non exquiſito ſub urinæ emiſſione ardore, duravit. Tum quidem æger emulſionibus, juſculis medicatis & decoctis demulcentibus, interpoſitis clementer alvum laxantibus, cum ſanitate in gratiam rediit; exacto vero circiter anno, eidem malo denuo implicitus eſt. Alium igitur in conſilium adſcivit medicum, qui licet ſemper adfuiſſet anxia reſpiratio, tuſſim tamen non phthiſicam, ſed ex ſtomacho æſtuante & hypochondriacum ſymptoma eſſe judicavit, putavitque, ceſſatura omnia, ſi tempeſtivus prodiret hæmorrhoidum fluxus. Variis demum incaſſum adhibitis, de vena ſecanda conſilium dedit, floridumque è pede extraxit ſanguinem. Sed eodem adhuc die veſperi ægrum horror per univerſum corpus inceſſit, ſubſequente intenſo æſtu, nocte inſomni, virium jactura gravi & perfecta acceſſit hectica, qua etiam è vita menſe Martio diſceſſit.

Epicriſis.

Qui ex parentibus phthiſicis geniti ſunt, iis per totam fere vitam ſemper debilis corporis conſtitutio, ut langueſcat ventriculi digeſtio, & ipſi in catarrhos, ex levi aëris vitio, lento cum calore, proni ſint, quin facillime, niſi regimen circa non naturalium rerum uſum exquiſite obſervent, in phthiſin & hecticam incidant. Hic æger, Collega & amicus noſter, valetudinariam diu duxit vitam & aliquoties circa æquinoctia phthiſica tuſſi cum febre laboravit; DEI tamen auxilio, datorum à nobis remediorum ope, convaluit. Tandem vero ſe commiſit medico, qui perfectam morbi curationem brevi pollicitus eſt. Et quum à plethora & hæmorrhoidum fluxu impedito omnia pathemata pullulare putaret, a venæ ſectione cepit initium, ſed male hæc ceſſit. Inde enim mox peſſime habuit, & in phthiſicam hecticamque incidit tuſſim lethalem, fruſtra omnibus datis remediis. Diſcant igitur, qui plethoram ubique crepant: in debili & hectico corpore nunquam utilem eſſe venæ ſectionem & ſalutarem, quia per continuum calorem ſanguis jam conſumtus, & ſucci potius ingignendi ſunt, quam ſubtrahendi. Sed plura in ſimilibus caſibus notavi delicta. Obverſatur adhuc animo exemplum ſereniſſimæ perſonæ, vix vigeſimum ætatis annum egreſſæ, quæ à matre phthiſica genita & ipſa phthiſi periit. Nimirum quum ex puerperio noviſſime ſuperato admodum debilis, in curru aperto, incitato equorum curſu per aliquot horas vecta, aërem valde frigidum, vento agitatum, ad pectus admiſiſſet, mox de catarrhis, tuſſi anheloſa, ſicca, laſſitudine corporis & ſudore nocturno conqueſta eſt. Medicus catarrhalem febrem eſſe autumans, pectoralia oppoſuit dulcia, indies vero hæc ſymptomata & calor conſumens vires, creverunt. Hinc quia menſes nondum iterum prodierant, venam incidere ſuaſit, quo longe debilior facta, & placide haud ita multo poſt ex hac vita deceſſit. Errant igitur medici vehementer, qui nullum diſcrimen faciunt inter menſium obſtructionem, quæ à copia ſanguinis & infarctu viſcerum eſt, ubi venæ ſectio juvat, & inter eam, quæ ex ſanguinis defectu venit, uti fit in phthiſi & hectica, ubi utique ſanguinem detrahere, qui ordinarie deficit in hecticis, nil aliud eſt, ac mortem promovere.

Observatio V.

Hectica ex meſenterii abſceſſu diarrhœa purulenta ſoluta.

Vir illuſtris, Regi à conſiliis, quadragenario major, ſtatura longus & macilentus, hypochondriacis pathematibus & parciori hæmorrhoidum fluxui obnoxius, poſt iram vehementiorem, perſenſit totius corporis languorem, cum dolore preſſorio, circa primam lumborum vertebram, abdominis torminibus, æſtu interno, veſperi invaleſcente, inappetentia, alvo ſimul clauſa & flatibus ructibuſque ad ſuperiora regurgitantibus. Secta fuit vena & dati pulveres digeſtivi, abſorbentes atque nitroſi: nihil tamen opis allatum. Ventris potius dolores cum æſtu interno increverunt, carnes ac vires conſumſerunt, interdum abdomen mirum intumuit à flatibus, & præcor-

dia tenuit anxietas ſumma. Sic duos exegit menſes, multiſque medicis & medicamentis uſus, hecticus viſus fuit, tantum non conclamatus. Ipſa tamen natura tandem curationis aperuit viam, ſecedente per alvum materia ſanioſa multa, quæ etiam apparuit in urina. Hoc facto, calor quidem & dolor factus mitior, appetitus quoque inſtauratus. Sed quia purulentus hic alvi fluxus, longius quam per tres menſes ſucceſſit, cum inſigni virium debilitate corporiſque marcore, indicium præbuit haud fallax grandis in meſenterio abſceſſus. Interim quum æger exquiſitam diætam ſervaret, juſcula gelatinoſa, lac aſininum, bubulum cum herbis vulnerariis coctum, & caprillum cum Selteranis mixtum, potaret, ſimulque pulverem ex ſemine lycopodii, muſco pulmonario, urtica mortua, tuſſilagine, ſemine cymini, nuciſta & ſaccharo, in emulſione ex amygdalis & pineis ſubinde ſumeret, factum eſt, ut ſenſim vires redirent, ejectio materiæ per alvum ac tuſſim minueretur, & ipſe, præter ſpem omnium, convaleſceret, injuncto poſtmodum victu exacto & regimine congruo.

Epicriſis.

Hypochondriaci & hæmorrhoidarii in meſenterii morbos, inflammationes & abſceſſus delabuntur facile. In his enim jam tum meſaraica vaſa ſanguine farcta & humoribus ſunt diſtenta, tardiſſimuſque per eadem commeatus. Noſtro ſine dubio, à gravi ira, accidit ſanguinis extravaſatio, inflammatio & inde ſuppuratio. Parva autem ſuppuratio, brevi poteſt ampliari & latius progredi in meſenterii compage, largiter obſeſſa pinguedine, quæ in liquamen ſanioſum facile liqueſcit. Quod vero purulenta materia alvo expurgata, tribuendum naturæ beneficio: & quod in urina comparuit pus, à venis reſorptum & per renale cribrum excretum, eodemque modo etiam ſucceſſit puris ſcreatus, integris pulmonibus renibuſque. Quin novi, utero ulcerato, per aſperam arteriã rejectum fuiſſe pus, illæſis plane pulmonibus. Soli etiam naturæ debetur ſanitas recuperata; nec minus providentiæ divinæ, ſi tam periculoſe laborans invenit medicum, qui morbum perite & leniter tractare novit. Sed quia ejuſmodi abſceſſus perquam facile recrudeſcunt, exacte ad ſanitatis regulas vita inſtituenda, & vitanda cum cura cuncta, quæ ad mali recurſum facere poſſunt.

Observatio VI.

Lenta febris poſt tertianam curata.

Fœmina triginta annorum, tenera, victum tenuem, mollem, per multos annos ſuetum, cum craſſo & duro permutarat, & carnes infumatas piſceſque ſalitos liberaliter ingeſſerat. Incidit hinc primum in tertianam notham, à qua poſt menſem liberata, ad ſtomachum fulciendum uſa eſt tinctura aperitiva *Mœbii*, ex ſpiritu ſalis, cum ſale tartari, torna ſolis tincta: hac adeo aucta appetentiâ, ut vix famem ſedare poſſet. Paulo poſt perſenſit virium lapſum appetituſque proſtrationem, cum æſtu interno ac phlogoſi, pulſu veſperi ac poſt cibum ſemper multum increbeſcente, ſucceſſit tandem languor univerſi corporis pedumque tumor ac dolor contuſivus. Medicum igitur accivit: qui, quum primam regionem ſaburra acidorum humorum obſeſſam eſſe recte concluderet, lene dedit emeticum, ex tartari emetici uno & dimidio grano, aquæ menthæ uncia & julepi roſarum drachma. Aſſumto hoc, ingens copia viſcidæ amurcæ viridiſſimæ, inſtar æruginis æris, vomitu rejecta, quæ inſtillato oleo tartari per deliquium, flavum induit colorem, luculento indicio, ex bile & acido corroſivo eandem eſſe conflatam. Mitior inde redditus calor & moleſtus oſſium dolor complacatus, vires quoque reparatæ. Nihilo minus, ad reliquum exturbandum, tertio die iterato datum hoc pharmacum, & evocata tam per ſuperius, quam inferius os, ſimilis indolis recrementa. Poſtea vero datum elixirium noſtrum balſamicum ſtomachale & pulveres præcipitantes cum duplicato arcano, tam ſalutari effectu, ut brevi poſt febris hæc cum omnibus ſymptomatibus diſcederet, & ægra cum valetudine in gratiam rediret.

Epicriſis.

Ortum duxit lenta hæc febris ex primæ regionis cruditatibus, quas ingenuit voracitas, poſt febres ſuperatas ſolennis & uſu ſpiritus ſalis adaucta. Licet enim aperitiva *Mœbii* tinctura ſtomachi vitiis appetitum excitando & digeſtionem facilitando, egregie opituletur; ubi tamen ventriculus plus appetit, quam coquere poteſt, noxam potius affert, quam emolumentum. Recte igitur datum vomitorium, qua ſaburra acido-bilioſa, morbi cauſa exturbata, ſicque ſimul ſublata ſymptomata cuncta.

Observatio VII.

Maraſmus ſenilis.

Novi ſenem octuagenarium, robuſtæ naturæ & ob nimiam ſanguinis redundantiam ſingulis menſibus hæmorrhoidum fluxui obnoxium, ceterum bene valentem & bene appetentem, inprimis quum quotidie vini liberalem hauſtum biberet cum oblectamento. Hic tandem autumno, confecto itinere & pota cereviſia minus defœcata, ingeſtis quoque aliis fermenteſcentibus, digeſtionis turbas & flatulentias expertus eſt; ſubſtitit paullo poſt hæmorrhoidum ſtillicidium, appetitus periit, vires ſucceſſive conciderunt, ructus facti continui, cum conatu ad vomendum, os ſiccatum, alvus obſerata, pulſus celer redditus ac debilis. Hæc durarunt per duos menſes, & graviores indies facta, tandem fruſtra adhibitis omnibus, vitæ attulerunt finem.

Epicriſis.

Senes levi ex cauſa & errore commiſſo, in graves, immo funeſtas, ni mature ſuccurratur, incidere poſſunt affectiones. Quando enim ſanguis hæmorrhoidalis, evacuari ſolitus, retinetur, neque per tempeſtivam venæ ſectionem ad liberum circuitum traducitur, ſtagnat in viſceribus & ad corruptionem vergens, putridam talem febrem, quæ in ſenibus maraſmi nomine venit, ingignit.

Observatio VIII.

Hectica ex corruptione ſphacelosa interna lethalis.

Vir quadragenarius, tener conſtitutione, poſt longum animi mœrorem & vitam ſedentariam, incidit in languorem virium, corporis marcorem, appetitus proſtrationem, calorem præternaturalem, cum pulſu debili & frequenti, ſomno parco & interrupto, facie plumbea, oris ſiccitate perpetua & ſudore matutino. Quum his per ſex ſeptimanas fuiſſet detentus, ob alvum adſtrictam ſumſit purgans, ex diagrydii ſulphurati gr. II. cum tartaro vitriolato, quo multum dejecit & diu-

diutius quam per octiduum. Inde vires adeo conciderunt, ut animus facile deficeret in situ erectiori, calor etiam increbuit & accessit tandem summa præcordiorum anxietas, ad quam levandam vena aperta & aliquot unciæ emissæ sanguinis fluidi & floridi. Licet autem anxietates hoc facto levarentur, æger tamen, ob virium plenarium lapsum, animam haud ita multo post efflavit.

Epicrisis.

Hectica hæc febris est, enata procul dubio, à sphaceloſa visceris cujusdam, ac uti videtur hepatis, corruptione. Non enim novum est, quod in languidioribus & diuturno mœrore affectis, viscera ob sanguinem stagnantem abeant in putredinem, ac teste cadaverum sectione compareant nigra, tanto magis, si vita accessit sedentaria. Signa ejusmodi corruptionis internæ sunt, plenaria appetitus & virium prostratio, somnus nunquam reficiens, facies livida plumbea, carnes flaccidæ, conatus ad vomendum & colliquativus sudor. In nostro notatu inprimis dignum, quod ab unica exigua purgantis dosi incompescibilis alvi fluxus inductus. Neque tamen effectus hic tam purgantis virtuti, quam potius intestinorum inflammationi & humorum acredini tribuendus. Caveat igitur medicus circumspectus, ne, ubi motu intestino continuo vires consumtæ & massa sanguinis recrementitiis humoribus gravis, quippiam drastici purgantis præbeat & perversa incurrat judicia.

Observatio IX.

Lenta febris curata.

Fœmina sexaginta & trium annorum, tenera admodum, ante quinque menses terrore fuerat perculsa gravi, & confestim molestam tractionem & tensionem in artubus persenserat. Ante tres menses supra claviculam sub musculo mastoideo in utroque latere exortus tumor, qui rebellis fuit, nec ullis cedere voluit remediis. Interea lenta & vires consumens febricula, ab aliquot jam mensibus ægram incessit, cum ardore, in volis manuum & plantis pedum, præsertim circa mediam noctem affligens. Accesserunt per intervalla capitis pulsantes & tensivi dolores, qui sub cute, modo huc, modo illuc discurrerunt, ad cervicem, quin ad gingivas usque. In artubus sæpe tractiones fibrarum musculosarum, oculis conspiciendæ, cum dolore lancinante adfuerunt. Nausea quoque cum anxietate, nec non tormina ventris obscura, non nunquam afflixerunt, alvi secessu ut plurimum soluta. Appetitus fuit prostratus, urina crassa, turbida, rubra, cum sedimento & cuticula oleaginosa, præsertim paroxysmo finito secessit. Omnia autem hæc symptomata, mox secundo, mox tertio die invaluerunt, cum pulsu celeriori, qui tamen frequens semper fuit, sed exiguus.

Epicrisis.

Affectus hic merito lenta consumens febris dicendus. Originem dubio procul traxit à vehementi terrore, cujus tanta vis est, ut, præsertim in cacochymico corpore, totam œconomiam motuum, tam vitalium, quam secretoriorum & excretoriorum, pervertat, nervosarum quoque & fibrosarum partium systema valde debilitet, & ad spasmos, contractiones & dolores disponat. Eidem terrori etiam debetur glandularum colli tumor, qui ad lentæ febris generationem multum contulit. *Hippocrates* enim jam eas febres, quæ glandularum tumoribus accedunt, lentas & periculi non expertes judicavit, tum quod sub musculo crasso siti sint intractabiles, tum quod nervos vicinos distendendo, febrilibus spasmis subministrent occasionem. In curando hoc morbo primum fuit, ut primæ viæ à sordibus repurgarentur. Hinc magnesia cum sale Epsomensi ad drachmam dimidiam data, cum lacte amygdalino mannato, & clyster injectus ex decocto avenaceo, manna & chamomillæ floribus. Mane jejuno ventriculo potum caponis brodium, cui incoctæ radices petroselini, fœniculi, cichorii, herba nasturtii aquatici, addito cancrorum fluviatilium succo. Oblatus tum quoque pulvis ex cancrorum lapillis, nitro & solutione oculorum cancri. Potui ordinario serviit ptisana. Exterius glandulis tumidis & dolentibus impositum emplastrum diachylon simplex, cum spermate ceti, oleo hyoscyami, croco & camphora. Et ad artuum dolores complacandos, linimentum discutiens & antispasmodicum inunctum. His ægra per DEI gratiam, intra mensem, ex ancipiti levata & febris persanata.

Observatio X.

Hectica in juvene bibulo curata.

Juvenis melancholico-cholericus, vigesimum annum egressus, compotationibus & ebrietati intemperantissime deditus, aliquoties hæmoptysin passus fuerat, cum pectoris angustia & quasi ebullientis sanguinis sensu circa præcordia, semper tamen liberatus tempestiva venæ sectione, pediluviis & congruis temperantibus atque nitrosis. Accidit vero, ut vehementi ira aliquoties commoveretur, quam sequuta notabilis virium & appetitus prostratio, spirandi difficultas, somnus inquietus, sudor matutinus, tussis vehemens, cum copioso ad libram minimum quotidie screatu, pulsus celer, à meridie potissimum ad medium noctis, cum calore in plantis pedum & volis manuum, urina turbida rubra, interdum cum sedimento, interdum tenui, corpore simul contabescente. Sic per duos menses, varia Medicorum consilia expertus est & artificia ex pectoralibus, antifebrilibus & refrigerantibus, sed frustra. Tandem nostrum petiit consilium; vix tamen dubiam, rebus sic comparatis, salutis spem facere potuimus. Interim lactis suasi potum, quod quotidie bis cum decocto fabarum Coffee hausit; loco potus bibit decoctum ex radice scorzoneræ, cichorii & rasura cornu cervi, cum passulis minoribus, potavit quoque Selteranas cum lacte ad mensuram quotidie, sumsit subinde gelatinam cornu cervi, & usurpavit pulverem ex radice ireos Florentinæ, liquiritiæ, lapidibus cancrorum, nitro & saccharo. His per mensem alternatim usurpatis, melius habere cœpit, æstus mitior factus, & appetitus rediit. Hinc continuavit lactis potum & pulveris usum, subinde quoque jusculæ ex carne vitulina sumsit, simulque appetentior placentarum, ex iis, quæ minus graves & viscidæ, liberaliter quotidie comedit. Sic tandem præter omnium spem symptomata complacata, & æger tantum non desperatus, binis mensibus exactis, surrexit sensimque convaluit, ac biennium supervixit sanus & integer. Sed quum postea antiquum obtineret & liquores spirituosos, cerevisiam, vinum, maximeque spiritus ardentes, ingurgitaret effusius, nocte intempesta perquam frigida è compotatione ebrius domum tendens, in platea subito concidit, ac domum portatus, morte extinctus est subita.

Epicrisis.

Ex raris hecticæ curationibus est hæc: aderant enim omnia hecticæ febris signa. Sed quia primum acciti medici adversus phthisicum malum pectoralibus & dulcibus tantum pugnarant, nec humidum deficiens resarcire, nec humorum acrimoniam demulcere laborarant, parum potuerunt proficere. Ipse enim eventus per remedia procuratus docuit, causam hujus febris magis in humorum vitio eorumque viscositate & acrimonia fuisse positam, quam in labe, corruptione, aut exulceratione visceris. Patet igitur: in hectica febre non semper spem esse abjiciendam, si in juvenili ætate, subito, ex prægressa mala diæta incidit, uti quidem heic factum est.

Cæterum de febribus lentis & hecticis plures jam prodidi observationes in *Medicinæ consultatoriæ Tom. II. Sect. IV. cas. CLXXXII.* usque ad *CXC.* quas evolvendas commendo.

CAPUT XIV.

De Febribus Symptomaticis.

§. I.

Symptomaticæ febres quæ dicantur.

SYmptomaticæ febres dicuntur eæ, quæ aliis morbis primariis, vel sonticis externis læsionibus, ceu symptomata, ob systema nervorum inde male affectum & gravius irritatum, accedunt, nec typum exquisitum servant. Sicut enim omnis generis febres nervosi maxime generis affectiones sunt, & à varii generis causis, hoc impensius affligentibus, stimulantibus & commoventibus, originem ducunt; sic etiam eodem ex fonte derivandæ symptomaticæ, quibus inducendis causæ velificantur pariter multæ.

§. II.

Morbis aliis primariis accedunt.

Ex iis, quæ aliis morbis adjunguntur, notabilis maxime illa symptomatica, seu secundaria febris, quæ in variolis observatur. Nimirum quando post quartum diem primaria febris, expulsa ad corporis habitum exanthematica materia, deferbuit, nono ut plurimum die, quo pustulæ suppurari & maturescere incipiunt, ob impensum qui inde susciatur ardorem atque dolorem, nova accenditur febris, cum pulsuum celeritate, æstu interno, siti, vigilia, inquietudine, quin delirio, quæ undecimo die haud raro laborantes necat, præsertim si adultiores & confluentibus obsessi. Dein dolores arthritici, rheumatici, podagra, chiragra, ischiatis, nec non erysipelas inprimis capitis, semper incipiunt cum insultu febrili, frigore & æstu, sub quo ad cutim & articulos agitur ex interaneis acris recrementitia materia, ibique acerbos suscitat dolores, qui novam cient febrem, eo graviorem, quo graviores ipsi. In dentium quoque gravi dolore, maximeque difficili infantum dentitione, jungitur, ob cruciatum, frequentissime febris symptomatica, quæ periculi non expers, quin in teneris sæpe epilepticæ convulsiones sequuntur. Hæmorrhoidibus porro cœcis impensius dolentibus, sæpe febris, cum horripilatione, vigilia & tremore partium complicatur. Neque minus glandulis induratis, tumentibus & dolentibus febrile symptoma accedere solet. Nullum etiam dubium, quin in pestilentia, si anthrax, seu carbunculus, qui tumor est ardens & acutissime dolens in musculosis partibus, febris accendatur majusque intentet periculum.

§. III.

Vel exter[na] la[esionibu]

In puerperis præterea, tertio ut plurimum à partu die, febris supervenit symptomatica, lactea dicta, cujus origo nulla alia, quam quod ob uterum, enixo partu, iterum contractum, magnus sanguinis ad mammas fit appulsus, quo corporibus glandulosis & fibris nerveis male affectis, dolor inducitur tensivus, febrilem insultum ciens. Si abscessus & apostemata fiunt in partibus, præsertim nervosis & glandulosis, in inguine bubones, aut in axillaribus & mammariis tumores apostematodes, complicantur febres, sæpe gravissimæ & cum dolore junctæ. Idem accidit, quando pars exquisitioris sensus ambustionem graviorem & ampliorem patitur. Neque minus ex symptomaticis febribus sunt illæ sic dictæ vulnerariæ, quæ læsionibus ac vulneribus, manuum præsertim & pedum, nec non aliarum nervosarum partium, pericranii potissimum & meningum, accedunt, quæ etiam fiunt, quando tendines vel nervi, sub venæ sectione improvide punguntur, vel aliis acutis instrumentis læduntur, eodem modo ac evenire solet, si pleura, peritonæum, aut intestina sauciantur. Quin si vulnera & læsiones partium acutius sentientium, acribus & causticis medicamentis, injectis aut insperssis, tractantur, intenduntur non modo dolores, sed & haud raro febres ardentes & continuæ ingignuntur. Tanto certius autem tantoque majori cum periculo hoc accidit, quando nervosis partibus communicatur plane venenum, uti fit in morsu canis rabidi, nec non quando mercurius sublimatus, aut arsenicum, carcinomatibus induntur. Demum non prætereunda illa febris, supra omissa, quæ vermibus & calculo accedit. Non enim adeo insolens in verminantibus febris, putrida dicenda merito, quæ irregularis admodum, cum nausea, abdominis torminibus, urina limosa, alvo ut plurimum laxa. Quæ autem calculo jungitur, oritur à doloribus acutis, tum maxime, quando per uretheres nervosas molitur transitum.

§. IV.

Sunt cito compesce dæ.

Ita autem omnes hæ symptomaticæ & continuæ febres sunt comparatæ, ut universam œconomiam functionum, vitalium inprimis & naturalium, pervertant, vires frangant, multaque exitialia symptomata, deliria, convulsiones & epilepsias, inducere possint. Plane omni tamen destituuntur utilitate, nec sicuti aliæ febres, removendæ & vincendæ causæ serviunt, multo minus sufficiunt. Hinc utique peritus Medicus eo dirigere debet in earum curatione medicationem, ut cito anomalos hos febriles motus compescat, eorumque vehementiam ocyssime retundat. Longe facilius enim & melius hoc in symptomaticis hisce perfici potest febribus, quam quidem primariis; eo quod illæ tantummodo à tensione & spastica strictura nervosarum partium, tanquam à causa immediata, proficiscuntur; hæ vero à causa materiali, non cito transeunte, sed permanente, ortum ducunt.

§. V.

Quid ne si à læsio artis ne vosa exte na.

Curatio ipsa sic instituenda, ut causis amoliendis sit opposita. Quod si igitur à læsione, aut vulneratione partium nervosarum & tendinosarum, tam internarum, quam externarum, maximeque ipsius capitis, insultus accidit febrilis, nullum præsentius & securius auxilium, sanguinis missione, & quidem in parte propinqua instituta. Vulnerariæ enim hæ sic dictæ febres, oriuntur potissimum à sanguine effuso, in partibus sauciatis decumbente. Expedit vero ut mature id fiat, præsertim in

iis,

iis, qui ſanguine abundant. Poſt venam ſectam, diſcutientium, reſolventium & diaphoreticorum uſus longe efficacior, quam hac neglecta. Nos commendamus potiones ex aqua ſcordii, cardui benedicti, chærefolii, ſcabioſæ, aceto deſtillato, aqua theriacali, lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, mixtura ſimplici cum ſyrupo acetoſitatis citri, adjecto interdum pulvere lumbricorum terreſtrium, interdum ſanguine hirci. Melius adhuc vinum bonæ notæ Rhenanum, cum ſucco cancrorum fluviatilium mixtum, addita lapidum cancrorum drachma & theriacæ drachma dimidia. Sic enim conflatur potio, ad inflammationem & ſphacelationem arcendam, virtutis præſtantiſſimæ.

§. VI.

Si à doloribus partium ſenſilium.

Quando ſymptomatica febris ab atroci dolore, partium præſertim nervoſarum & ſenſibilium, accidit; omnia quæ ſine noxa dolorem levant & ſedant ex uſu ſunt, id eſt, ea quæ blanda virtute vaporoſa anodyna pollent. Horum claſſem ducunt flores aquarum fragrantium, uti tiliæ, primulæ veris, acaciæ, liliorum convallium, alborum, ſambuci, roſarum, papaveris rhœados, pœoniæ, nymphææ, nec non blanda papaveracea, emulſio ſcilicet ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus, cum ſemine & ſyrupo papaveris albi, & maxime omnium liquor noſter anodynus mineralis. Laudatiſſimi enim hæc in dentitione difficili, calculo & colica cum febre ſunt uſus. Neque etiam, niſi irritis his, ſi neceſſitas urget, confugiendum ad opiata & narcotica, maſſam pilularum de cynogloſſa, diacodion montanum, laudanum cydoniatum *Helmontii*, *Sydenhami* & quæ plures hujus farinæ compoſitiones. Quando dolori ex inflammatione ſupervenit ſymptoma febris; interne diaphoretica cum nitroſis mixta, omnia fere reliqua virtute antecellunt, quia nihil magis inflammationem diſcutit, quam nitrum, præſertim cum fixis diaphoreticis & camphora mixtum, & qua diſcuſſa, & dolor ceſſat, & febris.

Et inflammationem ſtipantibus.

§. VII.

Externa etiam proſunt.

Quæ à cauſa externorum topicorum uſum admittente, inducitur ſymptomatica febris, præter interna, exterius etiam poſcit demulcentia, dolorem mitigantia & fibras duras ſtrictas mollientia & relaxantia. Sunt hæc maxime neceſſaria in tumoribus venarum hæmorrhoidalium, in tumoribus & doloribus artuum, glandularum inguinalium tumore venereo, in tumentibus mammis, colli glandulis, nec non ſi ſub infelici venæ ſectione punctus nervus aut tendo, ſi animal rabidum, aut inſectum intulit læſionem. His in pathematibus eximie conducunt cataplaſmata ex ficubus, radice & foliis liliorum alborum, melle, farina fœnu græci, cepis toſtis, vitello ovi, lacte & cremore lactis, cum croco; deinde nobili pollet virtute emplaſtrum diachylon ſimplex, mixtum cum ſufficienti quantitate croci, vel cum ſpermate ceti & oleo hyoſcyami; porro dolores egregie mulcent & ſpaſmum laxant veſicæ, decocto emolliente plenæ, & parti afflictæ crebrius calide impoſitæ; neque ad temperandum ardorem & ſtricturam remittendam inutilis eſt mucilago ſeminis pſyllii, cydoniorum, aut lini, cum aqua roſarum facta & crebrius illita.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Febris verminoſa.

Virgo tenerioris conſtitutionis, quatuordecim annorum menſium fluxum parciſſime experta, incidit in febrem, continuo, lento calore per duas hebdomades affligentem, cum tuſſi ſicca, & alvi fluxu, quo multa fœtida cinericei coloris excernebat, languor occupabat totum corpus & facies pallido fœdabatur colore, accedebant quoque crebrius dolores acuti circa ſpurias coſtas, urina erat pauca & craſſum ſedimentum deponebat. Indicabatur lenta febris, à menſium obſtructione prognata; ideoque ad emovendos hos varia à mulierculis ingerebantur. Vocatus ego, quæſivi: num forſan antea vermibus laborarit? dixerunt: ipſam dulcibus & placentis admodum oblectari, atque etiam ante aliquot menſes lumbricos quoſdam per alvum excreviſſe. Exhibui igitur potionem ex rhabarbari drachma, ſeminis ſantonici drachma dimidia, ſalis tartari ſcrupulo, aquæ florum acaciæ unciis ſex, ſpiritus vitrioli guttis xx, infuſis in calido loco, de qua dimidiam partem pro doſi ſumſit. Expurgatis ſic leniter primis viis, ptiſanam pro potu ordinario dedi hanc: recipe hordei mundi manipulos duos, radicis ſcorzoneræ, raſuræ cornu cervi, radicis cichorii ana unciam, herbæ ſcordii manipulum unum, coque in aquæ fontanæ menſuris quatuor per horam, colaturæ adde ſyrupi acetoſitatis citri uncias duas. M. Interpoſitus quoque interdum fuit uſus pulveris, ex pulvere ſeminis ſantonici, cornu cervi uſti, rhabarbari ana drachma una, nitri purificati, ſalis polychreſti ana ſcrupulis duobus, qui ad ſcrupulum una vice ſumtus. His per menſem & ultra uſurpatis, egregie convaluit, licet nulla amplius lumbricorum ſuccederet excretio.

Epicriſis.

Febres verminoſæ à lentis & hecticis differunt in eo, quod hæ poſt cibum ſumtum & veſperi ingraveſcunt, in illis vero hoc non obſervatum. Deinde quoque febres ex vermibus junctum plerumque habent alvi fluxum, quo fœtida & cinerea recrementa ſecedunt, urina turbida cum limoſo ſedimento mingitur, in lentis autem & hecticis hæc non præſto ſunt. Diſcerni tamen hæ febres inter ſe debent ex cauſis antecedentibus, victu maxime, ex dulcibus, lacticiniis, aliis viſcoſis & fermenteſcentibus, optime vero ſi jam ante ſeceſſerunt lumbrici. In medicatione autem, ſi febris complicatur cum alvi fluxu, abſtinendum ab anthelminticis, validioribus purgantibus, à mercurialibus, à ſagapeno, aſa fœtida, tanaceto, quæ alias ſpecifica adverſus vermes, ſed utendum acidulis cum amaris mixtis. Acida enim non modo calori, ſed & putredini verminoſæ egregie reſiſtunt. Plerumque tamen vermes non excernuntur, ſi febris juncta, quia æſtu febrili diſſolvuntur in putridum magma. Ego etiam tali in caſu cum fructu uſus ſum potu acidularum Selteranarum, correctarum prius ſpiritu vitrioli, inſtillatis menſuræ triginta ipſius guttis, quo laxantem acquirunt virtutem. Quæ pro diverſa ratione ætatis & corporis, majori, vel minori doſi quotidie offerri poſſunt.

Observatio II.

Febris ex punctura tendinoſi pedis.

Juveni viginti circiter annorum, macilento & ſenſus exquiſitioris, forte ſcalpellum librarium è manu exciderat in pedis dorſum, partemque hanc tendinoſam cuſpide acuta pupugerat & ſauciarat. Poſtero die, antea perfecte ſanus, incurrit acutum partis læſæ dolorem, cum febre, ſiti, præcordiorum anxietate, vigilia, quin mentis quadam alienatione. Miſſus tum, quia plethoricus erat, illico

ſan-

ſanguis è brachii vena, & data emulſio ex amygdalis dulcibus & ſemine papaveris albi, cum aqua florum ſambuci, tiliæ & acaciæ parata, quam tam ſolam, quam cum pulvere ex matre perlarum, lapidibus cancrorum & nitro ſumſit. Oblata etiam mixtura diaphoretica & diſcutiens, cum diaſcordio *Fracaſtorii*. Et exterius vulnuſculo partique dolenti impoſitum emplaſtrum noſtrum diſcutiens & anodynum. Quibus per aliquot dies uſurpatis, febris cum omnibus ſymptomatibus diſceſſit.

Epicriſis.

Quotidiana teſtatur experientia, quam periculoſæ ſint nervoſarum partium læſiones, & quam pernicioſa invehant ſymptomata. Nulla autem alia horum omnium reddi poteſt ratio, quam quod univerſa nervorum compages, una tantum nervoſa parte gravius læſa, conſentiat, & motus inordinati vehementes in hac excitati, per totum nervorum ſyſtema facile propagentur, uti fuſius deduxi in *tomo III. Med. ration. ſyſtemat. Sect. I. pag. V.* Diſcimus vero etiam ex hac obſervatione, morborum cauſas, non tantum in materiæ nocentis quantitate, aut qualitate, conſiſtere, verum ſæpius etiam motu vitioſo & inordinato niti. Atque adeo perperam agunt medici, qui in ejuſmodi morbis ad humorum correctionem, aut evacuationem, animum & medicationem dirigunt. Præcipuum potius tum in curando ſibi vindicant locum, quæ motibus hiſce turbulentis complacandis ſerviunt, quorum in numero cum reliquis anodynis ſunt potiſſimum opiata correcta, quæ alias minus quadrant, ubi pernicioſa quantitas ſola, vel qualitati noxiæ nupta, in cauſa eſt.

Observatio III.

Febris buboni accedens.

Juvenis viginti aliquot annorum, ſanguineo-cholericus, in Academia ſolertius Veneri & Baccho, quam Muſis litarat, & ante biennium ſub conflictu cum ſodali vulnus acceperat in thorace, quod conſolidatum, pectoris quandam gravitatem & difficilem ſub aſcenſu acclivium, aut ambulatione incitatiore, ſpirationem reliquerat. Hic vere initiante conqueri cœpit de virium languore, capitis dolore, inappetentia, ſomni defectu, calore febrili, modo veſperi, modo noctu, poſt levem horripilationem, ipſum infeſtante, ſubſequente mane ſudore largo, admodum debilitante, cum majori reſpirationis difficultate & dolore in loco veteris circa mammillam vulneris. Medicum igitur in conſilium vocavit, qui mixturis diſcutientibus & diaphoreticis, emulſionibus demulcentibus & refrigerantibus, pulveribus quoque temperantibus cum ſucco citri, febrem oppugnavit, interpoſitis ſubinde laxantibus blandis mannatis & rhabarbarinis & data pro potu ptiſana. Sed fruſtra. Licet enim & capitis dolor evaneſceret, ſudores matutini & febris vehementia tantiſper minuerentur, reſpiratio quoque liberior redderetur & appetitus melior, inſultus tamen febrilis perſtitit ſemper, poſt mediam noctem accedens & ſudore diſcedens, relicto miro corporis languore & debilitate, ut lecto etiam affigeretur. Hinc Medicus, diſſolutioris ægri vitæ rationis non ignarus, forſan occultatã cauſam ſubeſſe ſuſpicari cœpit & in eam ſerio inquirere. Confeſſus igitur tandem eſt æger, in inguine dextro, durum quid protuberare, ſed levem admodum ex eo ſe ſentire dolorem, & credere, eſſe forſan ejuſmodi tumorem, quem dicunt *eine Wachs-Beule*. Erat autem venereus bubo, qui impoſitis emollientibus, maturuit, & apertus magnam fudit puris copiam, quo evacuato, febris ſenſim magis magiſque remiſit, omniaque ſymptomata diſceſſerunt, donec æger, traducto intra tres hebdomades ad conſolidationem abſceſſu, penitus ad ſanitatem redibat.

Epicriſis.

Ex hac hiſtoria id tantum occurrit notandum, quod febres ex glandularum tumoribus ortæ, teſte ipſo *Hippocrate*, pernicioſæ ſint, maximæ omnium autem, quando cauſa tumoris materia virulentæ indolis, uti in bubonibus venereis, ubi in curando, non modo ad febris impetum compeſcendum, ſed & ad venenum è corpore eliminandum, reſpicere decet medicum. Dein meretur & illud notari, quod partes olim à vulnere quodam læſæ internæ, à contracto poſtea morbo, vel febre, rurſus præ aliis pejus afficiantur, & pathemata ibi affligere ſoleant extraordinaria, manifeſto indicio, diu latitare poſſe partis imbecillitatem & labem, facile exacerbandam.

FRIDERICI

FRIDERICI

HOFFMANNI

MEDICINÆ RATIONALIS SYSTEMATICÆ

TOMI QUARTI,

QUO

SPECIALIS MORBORUM PATHOLOGIA

& huic ſuperſtructa ſolida Therapia cum medendi methodo,

CAUTELIS CLINICIS ET MORBORUM ENARRATIONIBUS ADJUNCTA EPICRISI EXHIBENTUR,

PARS SECUNDA,

DOCTRINAM HÆMORRHAGIARUM ET DOLORUM perſpicua & demonſtrativa methodo tradens.

DOCTISSIMIS

MEDICIS JUNIORIBUS,

QUI EX SELECTIS IN FIRMA EXPERIENTIA,

FUNDATIS OBSERVATIONIBUS ET MORBORUM HISTORIIS,

NEQUE MINUS

EX THEORIA VERA ET RATIONALI

IN SIMPLICISSIMIS NATURÆ MICROCOSMICÆ LEGIBUS

ET MOTIBUS FUNDATA,

CIRCUMSPECTAM ET NON SINE AUSPICATO

PER DIVINAM GRATIAM SUCCESSU, SALUBREM

ARTEM EXERCERE CUPIUNT.

HUNC LIBRUM

SINCERO ANIMO

DICAT ATQUE COMMENDAT

AUCTOR.

PRÆFATIO.

SEcundam therapiæ rationalis partem, veritatis Medicæ cupide Lector ! Tibi jam exhibeo : cujus maturiorem editionem, occupationum & conſultationum, quæ me in ſenio plurimum urgent, aſſidua multitudo, quodammodo retardavit. In præſenti hoc libro, difficilem & perplexam admodum maximique in praxi medica momenti materiam, de hæmorrhagiis & doloribus, paulo curatius evolvendam atque obſervationibus clinicis illuſtrandam mihi ſumſi. Nam primo ex omnibus, quæ in genus humanum incidunt, morboſis afflictionibus, febres ſi exceperis, vix ullæ dantur, quæ frequentius invadunt, quæ nulli ætati, nulli temperamento, nulli ſexui parcunt, quam ſpontaneæ à natura per varia corporis loca excitatæ ſanguinis eruptiones. Hæ, probe conſideratis phænomenis & paulo penſicularius ſubductis rationibus, iiſdem propemodum utut non ſatis completis motibus, quibus febres oriuntur, progignuntur. Nam ſicut duo principales motus ad febrem conſtituendam neceſſarii ſunt ; alter qui præcedit & qui ab extima corporis humani ſuperficie ad interiora ſanguinem & reliqua fluida urget atque propellit ; alter qui ſequitur, & ab interioribus verſus exteriora rurſus eundem cum aucta cordis & arteriarum celeritate protrudit : ita ſimiles etiam motuum ſpecies in hæmorrhagicis excretionibus concurrere animadvertimus. Etenim à nulla cauſa interna ſuſcitatur hæmorrhagia præſertim paulo gravior, quæ non extremorum refrigerationem & ſpaſticam habitus corporis conſtrictionem, cum alvo plerumque ſtricta, urina tenui, & parciori per cutis cribrum perſpiratione, comitem habeat, ſanguinem ad interiora & cor pellendo : quem motum poſtea celerior & vehementior, non ſecus ac in febre fit, arteriarum motus & ad certam partem directus ſanguinis impetus conſequitur. Præterea, quemadmodum motus febriles in ſe & ſua natura motibus vitalibus alieni, per ſapientiſſimam autem DEI providentiam, quam in fabrica corporis humani dilucide commonſtravit, ſubinde ſalutarem effectum exerunt, cauſamque ipſam à qua originem habuerunt expugnando, hominem ſanitati reſtituunt : ita etiam ſanguinis quæ præter naturam fiunt excretiones, ipſam cauſam quæ eas excitavit quando ſubtrahunt, à graviſſimis malis & periculo corpus ſæpe vindicant. Cujus rei periodicæ menſtruales in ſexu ſequiori ſanguinis profuſiones, atque per venas ani in ſexu nobiliori inſtitutæ à natura ſanguineæ evacuationes, teſtimonio eſſe poſſunt luculentiſſimo. Quando autem febrium vel hæmorrhagiarum cauſæ ita ſunt comparatæ, ut neque motibus iſtis juſto intenſioribus, neque evacuatoriis tolli poſſint, quemadmodum fit, ſi vitium non tam in materiæ mole, quam in perverſa & maligna humorum indole, aut viſceris cujuſdam corruptela vel obſtructione, aut in motu animi immoderatiori conſiſtit, nunquam tales motus ſalutares cenſendi ſunt, eo quod in detrimentum & præſentiſſimum ſæpe exitium convertantur. Et quia ejuſmodi motus excretorii hæmorrhagici, incompleti febriles, non rationali & intentionali quodam actu, multo minus ad ſalutarem finem deſtinato, ſed ex cauſis phyſicis neceſſitatem effectus quæ inferunt peraguntur ; fit utique, ut non modo vel in exceſſu vel in defectu ſanguinis emittendi peccetur, verum etiam, quod ſæpenumero evenit, per partes nobiliores & vias plane inconvenientes & alienas, conſervationi vitali proxime inſervientes, ut ſunt cerebrum, pulmones, ventriculus, inteſtina tenuia, veſica, renes, plane perverſe & erronee, cum ingenti harum partium corruptela nec non cum ſummo vitæ diſcrimine, ſanguinis ſubinde valde copioſi excluſio ſuſcipiatur. Ceterum etiam doctrina hæmorrhagiarum ea de re multum difficultatis in uſu artis habet, quod aliis iiſque graviſſimis tam acutis quam chronicis affectionibus ſæpiſſime conjungantur, & ſupervenientes quandoque, ſed rarius, morbum ſolvant, ſæpiſſime vero in extremum exitium terminentur. Ex quibus omnibus adductis & paulo penitius conſideratis facile intelligi poſſe arbitror, quam difficilis, ardua & intricata res ſit, prudenter motus hos ſanguinis excretorios tractandi, nec non, ut in ſalutem & conſervationem corporis humani cedant, eos convertendi & dirigendi: atque hæc ipſa difficultas non parum ſuccreſcit & augetur, quod nullum in tota rerum natura divina ſapientia conſtituerit remedium, quod tanta polleat efficacia, ut Medicus, pro ſuo arbitrio & rei exigentia, ſanguinis fluxum ſi deficit, provocare vel reſtituere cum certo effectu poſſit. Enimvero Medicus, pro variis indicationibus & præſervandi & curandi morbos, multi generis evacuantia poſſidet, ut pro lubitu ex-

cretiones per alvum, per urinam, per ſudorem, per nares, per ſalivam, per expectorationem movere poſſit; ſed ejuſmodi medicamina, quæ ſanguinem per certa loca pro Medici arbitrio evacuandi certa potentia inſtructa ſint, plane non reperiuntur. Inter ceteras inſuper difficultates non minima eſt, quod neque ullum certum detur remedium, quod ſine majori detrimento enormem ſanguinis profuſionem expedite compeſcere poſſit. Quæ cum ita ſint, intelligere quiſque poterit facillime, quare poſt doctrinam febrium, quæ in priori tomo paulo penitius agitata & excuſſa eſt, intricatam & plane difficilem hanc in praxi frequentiſſime occurrentem materiam, paulo curatius præ ceteris evolvendam & illuſtrandam utiliſſimum imo ſumme neceſſarium judicaverim. Præter hæc placuit quoque in hoc Tom. II. dolorum pathologiam & theoriam paulo accuratiori ſcrutinio committere, & hæmorrhagiarum tractationi ſubnectere, eo quod inter hæmorrhagias & dolores magnus ſit nexus, magna conſenſio, & inter cauſas quoque & curationem conſpiratio. Dolores præſertim acerbiores certis paroxyſmis certiſque periodis invadere, ac ſemper fere cum febriculoſa quadam partium ſolidarum & fluidarum commotione, quam extremorum conſtrictio, excretionum per alvum, per ſudorem quæ fiunt retardatio, pulſuumque poſtea celeritas & durities ſubſequitur febribus communis, fieri nunquam non obſervatur. Et ſicuti febrium paroxyſmi, per motum ſanguinis verſus corporis ſuperficiem reſtitutum & ſubſequentem ſudorem ſalutariter finiuntur: ita etiam obſervamus dolorum tormenta non facile conquieſcere vel ſopiri, multo minus ex toto abigi, niſi prius ſanguinis circulus uberior cum calore & madore ſubſequente ad partes extremas fuerit converſus. Neque iis qui aſſidue in artis exercitio verſantur obſcurum eſſe poteſt, omnis generis dolores, ſive internas ſive externas partes infeſtent, potiſſimum à ſanguinis conſuetis excretionibus retardatis vel plane ceſſantibus aut ſuppreſſis originem ſuam trahere, & vix aliter citius, niſi in ordinem iis prius reductis, perfectam ſanationem recipere. Teſtimonio poſſunt eſſe cardialgici, colici, nephritici & podagrici dolores, qui, in fœminis, fluxu menſium, in viris conſueto hæmorrhoidum fluxu reſtituto, inſigne allevamentum accipiunt. Denique conſpiratio & harmonia inter hæmorrhagias & dolores vel exinde eluceſcit, quod in utroque affectu, non tam ſanguinis puri, conſiſtentis & fibroſi, ſed potius vitioſi ſeri intra vaſa collecti redundantia magis peccet atque delinquat. Et quemadmodum porro hæmorrhagiæ in iiſdem locis, ubi ſemel vel iterum proruperunt, reverti ſolent, ob debilitatem relictam: ita etiam res cum doloribus comparata eſt, qui, ubi ſemel radicem egerunt in nervoſis quibuſdam partibus, quam facile has rurſus occupant atque invadunt. Poſtremo quantum difficultatis atque negotii, hæmorrhagiarum atque dolorum opportuna cura medentibus faceſſat & quod plurimorum remediorum efficaciam eludant, ita ut ab anodynis ſæpius exacerbentur, in praxi notiſſimum eſt. Prægnantes itaque & juſtæ cauſæ hæ fuerunt, quare præ ceteris morbis, maxime præſenti hoc in ſecundo tomo, de hiſce affectibus paulo curatius agere propoſuerim. Et quoniam caſus clinici & completæ de morbis hiſtoriæ unicum & verum pathologiæ & therapiæ rationalis fundamentum conſtituunt, ſine quarum ſufficiente apparatu nihil ſolidi Medicus in theoria ſtatuere, neque in praxi præſtare & efficere poteſt; cuivis morbo notabiliores quæ mihi ad manus fuere adjeci obſervationes, in quibus fideliter & candide morbi cujuſvis hiſtoriam & progreſſum, quæ remedia, quo ordine uſurpata & qualis effectus conſecutus fuerit, expoſui, atque ſimul in ſubnexa epicriſi inſignem uſum & fructum obſervationum ad circumſpectam & auſpicatiorem praxin exercendam demonſtravi. Ego nihil magis in votis habeo, quam ut etiam alii qui ingenio pollent & in ampla praxi verſantur publicumque bonum promovendi ardorem habent, me hac in parte ſequantur. Ceterum nullus dubito, fore, ut plures ex Medicis, ſi ſcripta mea practica uſque eo in lucem edita, quæ non præcipitavi quinquaginta annorum per DEI gratiam experientia innixus, cum attentione legant & perlegant, non modicum fructum in miſere afflictos redundaturum abundanter percepturi ſint. Sin autem invidi quidam aut in praxi rationali minus verſati, hæc vel quæcunque alia mea ſcripta vilipendere velint, id certe parum curabo.

CONSPEC-

CONSPECTUS PARTIS SECUNDÆ

SECTIO I.

De Hæmorrhagiis partium tam externarum quam internarum.

PROLEGOMENA.

De Hæmorrhagiis in genere.

CAPUT I. *De Hæmorrhagia narium.*
II. *De ſanguinis fluxu ex pulmonibus.*
III. *De vomitu cruento, ſine & cum ſeceſſu nigro, ſive morbo nigro Hippocratis.*
IV. *De hæmorrhoidali fluxu nimio.*
V. *De uteri hæmorrhagia immoderata.*
VI. *De hæmorrhagia ex urinariis viis.*
VII. *De hæmorrhagia cerebri.*

SECTIO II.

De Doloribus & ſpaſmis varii generis internis & externis nec non arthriticis & rheumaticis.

CAPUT I. *De dolore cephalico.*
II. *De dolore cardialgico ſpaſmodico & flatulento.*
III. *De doloribus & ſpaſmis præcordiorum, à calculo felleo ortis, & de ejus generatione.*
IV. *De dolore & ſpaſmo iliaco.*
V. *De inteſtinorum doloribus, atque in ſpecie, de colica flatulenta & ſpaſmodica.*
VI. *De acuto dolore & ſpaſmo ex calculo renali.*
VII. *De ſpaſmo & dolore veſicæ & adjacentium partium.*
VIII. *De doloribus & ſpaſmis externarum partium rheumaticis & arthriticis.*
IX. *De rheumatiſmo odontalgico.*
X. *De dolore & ſpaſmo otalgico.*
XI. *De dolore podagrico & arthritico vero & inveterato.*

SECTIO PRIMA.

DE

HÆMORRHAGIIS PARTIUM TAM internarum quam externarum.

PROLEGOMENA

De Hæmorrhagiis in genere.

§. I.

In quibus locis ordinario hæmorrhagiæ fiant;

PRIMO commemorandum eſt, quod ſanguinis, quæ ſponte à natura fiunt, excretiones, ordinario ex illis locis fiant, quæ textura gaudent teneriori ac rariori, per quam vaſa tenuiſſima undiquaque diſperſa ſerpunt, neque firmis membranis circumtenſa latitant, ſed potius in ſuperficie morantur : quo privilegio quam maxime gaudent interior nariuin pars, pulmonum bronchia, caro gingivarum, ventriculi pars amplior ſiniſtra, inteſtinum ileum, recti inteſtini extremitas, exterior uteri & vaginæ ſubſtantia; ex quarum partium nimium diſtentis & apertis arteriolis cum impetu ſæpe ſanguis prorumpit. Verum extraordinarie quandoque fit, ut per alias vias plane inſuetas, & in quibus paulo profundius vaſa latitant, ſanguis ſeſe exoneret. Ita per minimum digitum ſanguinem excretum vidit SALMUTHUS *cent.* III. *obſ.* 36. it. HENR. AB HEER *obſ.* 36. Ex genu & manu proſilientem ſanguinem menſtruum BARTHOLINUS *obſerv. anat. cent.* I. *hiſt.* 30. & ex mammis ſaltu eundem prodeuntem PANAROLLUS *Pentec.* IV. *obſ.* 15. it. AMATUS *cent.* II. *obſ.* 24. & *cent.* VII. *curat.* 48. memorant : menſtrui vero in viris per penem profluvii obſervationes numero plures in STALPARTIO VAN DER WIEL *cent.* I. *obſerv.* 80. conſpiciuntur.

in quibus extraordinarie?

§. II.

Hi differunt, ratione ſubjecti;

Sanguinis eruptiones perquam familiares ſolent eſſe iis, qui habitus corporis mollioris, ſpongioſioris, atque texturæ tenerioris ſunt, quorum vaſa copioſo ſanguine & ſero turgent, qui ſecundum veterum denominationem dicuntur ſanguinei ; his enim hæmorrhagiæ per omnem fere ætatem ſolennes eſſe ſolent. Qui vero ſunt cholerici temperamenti, & vaſa ampliora, ſtrictioremque corporis habitum poſſident, per quorum vaſa ſanguis celerius fertur & circulatur ; ii in juventutis annis hæmoptyſi maxime ſunt obnoxii. Sanguineo-melancholicis fluxus hæmorrhoidum frequentior ; & ſanguineo-phlegmaticis fœminis cruentus vomitus familiarior eſſe ſolet.

§. III.

ætatis.

Memoratu quoque dignum eſt, diverſas excretionum ſanguinearum ſpecies in diverſis ætatibus contingere; quemadmodum id etiam jam olim recte notatum fuit ab HIPPOCRATE *Sect.* III. *aphor.* 27. 29. 30. Videlicet pueri & adoleſcentes ſanguinis profluvium è naribus potiſſimum patiuntur : in juvenibus cruor exitum ſuum per pulmonum vaſa magis molitur, unde hæmoptyſis & inde orta phthiſis huic ætati familiariſſima; in viris & qui in conſiſtente ætate ſunt conſtituti, ſanguis per ſedis venas, in decrepita autem ætate per vias urinarias plerumque exitum affectat.

§. IV.

Anni tempora.

Annotationem deinceps meretur hæc obſervatio, quod vere & autumno, præſertim circa tempora æquinoctialia, ſanguis nimium redundans plus quam alio tempore ex alveis ſuis effundi ſoleat, atque maxime per nares, in viris per hæmorrhoides, ſi alias ad hunc fluxum diſpoſiti fuerint, fluat. Sanguineæ quoque apoplexiæ, quæ non niſi eruptiones ſanguinis in cerebri meditullio ſunt, circa hæc tempora & potiſſimum vere contingunt : vomitiones vero & mictiones cruentas plus autumno quam vere incidiſſe, à nobis annotatum eſt. Atque etiam circa hæc anni tempora ſolenniter ejuſmodi ſanguinis excretiones & periodice redire atque reverti ſolent.

§. V.

Subjecta hæmorrhagiarum.

Obſervamus porro, omnes fere eos, quibus ſanguis copioſius & frequentius in primis annis per nares erumpit, natura valde imbecilles, animo quoque ſenſibiliores, variiſque morborum afflictionibus, ſpaſmis & doloribus per omnem fere ætatem ſubjectos eſſe, rarius etiam vitam

diu

diu protrahere : quippe in juventute in phthiſin inclinant, in conſiſtente ætate in malum flatulento-ſpaſmodicum ſive hypochondriacum facile incidunt, atque ætate provectiori ad dolores nephriticos & podagricos multum proclives ſunt.

§. VI.

Quæ plerumque hæreditariæ ſunt, atque ab externis ſuſcitantur.

Diſpoſitio ad hæmorrhagias eſt plerumque nativa, quæ à parentibus in liberos transfertur; promtiſſime vero, per cauſas externas, quæ motum validiorem ſanguini inferunt, aut ejus inteſtinam partium agitationem intendunt, in actum deducitur : inter quas omnes animi & corporis motus ſolito intenſiores, atque interna ex alimentis vel medicamentis aſſumta valde calida acria & ſpirituoſa, intempeſtivus quoque balneorum, ſudoriferorum, vel purgantium uſus, principem ſibi locum vindicant.

§. VII.

Quando ſaluares;

quando exitiales?

Quemadmodum ſanguineæ excretiones, quando à nimia vaſorum repletione & ſanguinis ac ſeri redundantia fiunt, multum corpori ſalutis afferunt & promittunt : ita, quando à maligna acri materia, ut fit in febribus malignis exanthematicis, ſuſcitantur, periculi ſunt pleniſſimæ; & quandocunque à viſcerum, præſertim hepatis, lienis aut etiam pulmonum obſtructione, induratione & corruptela proficiſcuntur, lethum plerumque poſt ſe trahunt; quandoquidem facile in cachexiam, hydropem; morbum ſic dictum nigrum Hippocratis, vel in hecticam lethalem terminantur.

§. VIII.

Sanguinis boni abundantia non eſt cauſa proxima :

ſed ſerum copioſius.

Qui ſanguinis boni, & conſiſtentis, fibroſi, purpureo colore præditi abundantiam, pro cauſa hæmorrhagiarum præcipua & proxima materiali agnoſcunt, hi multum errare videntur. Nam, qui ſanguine valde craſſo, denſo abundant, quales ſunt, qui corpus fibroſum & robuſtum poſſident, atque illud ipſum labore ſtrenue exercent, victuque duro utuntur, rarius ſanguinis excretiones patiuntur : ubi vero major & ultra proportionem ſeri copia in vaſis continetur, ſicuti fit in corporibus mollioris texturæ vitæ otioſæ addictis & quæ ſeroſioris naturæ ſunt, ſanguinemque copioſius quam par eſt è vena emittunt, tranſpirationem impeditiorem habent, atque plus appetunt quam digerere & excernere poſſunt; ii quam maxime hiſce præternaturalibus excretionibus & ex his provenientibus incommodis & morboſis affectionibus ſubjecti & expoſiti ſunt. Exceſſiva quoque & incredibilis propemodum ſanguinis, quæ non raro per nares vel per uterum excernitur, copia, plethoræ magis ſeroſæ quam ſanguineæ teſtimonium ſatis firmum exhibet : quod vero perpauca ſæpe ſit maſſæ rubicundæ portio, reſpectu ſeroſæ; id ex eo, quando è vena ſecta in ejuſmodi enormibus hæmorrhagiis emiſſus ſanguis in vaſculo colligitur, luculenter commonſtrari poteſt.

§. IX.

In cujuſcunque partis hæmorrhagia ſingularia quædam ſigna præcedunt.

Notabile inſuper eſt, ubicunque in quadam parte plus ſolito ſanguis erumpere geſtit, in hac ſingularia prius quædam phænomena obſervari: ita totius faciei plus juſtior rubedo ac calor, tumor quoque cum arteriarum majori pulſatione & diſtenſione ſanguinis è naribus profluvium pronunciant. Ante ſanguinis per uterum fluxionem, laſſitudo corporis, dolor dorſi & lumborum, tenſio circa hypochondria, facies pallida, cutis horripilatio pororumque cutis conſtrictio, contingunt. In hæmoptycis præcordiorum anxietas, ſpirandi anguſtia, dolor gravativus undulatorius circa diaphragma, flatulentia in abdomine, extremorum refrigeratio, ante eruptionem percipiuntur. Cruoris vomitum frequentiſſime dolor tenſivus ac preſſorius in hypochondrio ſiniſtro antecedit : quin imo hæmorrhoidum eruptionem, ſpaſticæ quædam ſtricturæ, flatulentiæ abdominis, in oſſe ſacro tenſivus & preſſorius dolor, corporis languor & extimarum partium refrigeratio indicare ſolent.

§. X.

Cauſa proxima hæmorrhagiarum.

Ex quibus jam adductis & probe invicem expenſis, liquido conſtare arbitror, hæmorrhagias, quibuſcunque etiam in locis prodeant, neque à ſanguinis copia, neque ab ejus nimia turgeſcentia exitum per vaſa affectante, neque ex ſeri & ſanguinis acrimonia, diæreſin producente, aut ab ejus nimia tenuitate per vaſorum poros transſudante, ut veterum fuit ſententia, proxime & directe proficiſci; ſed potius ab extra ad intus converſo motu atque inæqualitate circulationis ſanguinis oriri : id quod efficitur, quando certæ partes, præſertim extremæ & à corde valde remotæ, intenſiori fibrarum ſtructura ac contractione ita anguſtantur, ut ſanguis per venas refluere nequeat, ſed, harum aucta ſyſtole, majori copia & impetu, ad alia loca eaque inconvenientia transferatur; unde lateralia arteriolarum vaſa, quæ ordinario non ſanguinem ſtricte ſic dictum, ſed tantum tenuem lymphaticum humorem vehunt, plus juſto diſtendantur & tandem aperiantur neceſſe eſt.

§. XI.

Antecedens.

Ceterum cauſa quoque hæmorrhagiarum, præſertim enormium & ſymptomaticarum, quæ aliis morbis præcipue longis accedunt & ſuperveniunt, in vaſorum & viſcerum infarctu, obſtructione, induratione, quæ liberiori curſui obicem ponunt, quærenda erit. Videmus id in hydraulicis machinis, ubi obſtructis quibuſdam canalibus, fluidum per reliquos apertos majori impetu & celeritate erumpit. Atque idem fit in corpore noſtro : nam quando per venas certæ partis ſpaſmo conſtrictas vel obſtructas non libere tranſire & verſus cor circulari poteſt ſanguis, vis & impetus eum impellens creſcit in ramis & ramuſculis arterioſis, qui humore purpureo repleti & turgidi in extremitate aperiuntur. Declarant id maxime ſectiones cadaverum, quarum leviter quaſdam attigiſſe ſufficiat. Sic in hæmoptyco diſſecto, latus ſiniſtrum pulmonis à tumore obſeſſum vidit WILLISIUS *in Pharmacia p.* 90. Ita etiam in hæmoptyco reperti fuerunt pulmones copioſiſſima materia argillacea per totum obſiti, & ventriculi dextri auricula inſignis magnitudinis. vid. M. N. C. *Dec. II. an. VI. obſ.* 217. BLANCARDUS in *anatom. pract. obſ.* 46. lienem tumentem & vaſa meſenterii atque omenti ſanguine infarcta invenit. In vomitu cruento demortuo hepar durum & ſcirrhoſum, lien quoque tumidus & ſanguine impletus repertus fuit ab eodem Auctore *l. c. obſ.* 23. it. 32. *conf.* B. WEDELIUS in *amœnit. mat. med.* BARTHOLINUS in *hiſtor. anatom. p.* 249. it. M. N. C. *Dec. II. an.* 4. *obſ.* 86. Rectiſſime hinc ſcribit FERNELIUS *meth. med. p.* 14.

quibus viscera & jecur imbecillum & scirrhosum evadit, illis sæpius sanguis è naribus fluit, non secus ac hydropicis: id quod confirmat HEURNIUS *aphor. Hippocr. p.* 191. his verbis: *quibus facies colore subviridi suffusa est, hepate laborant; & signum est jam adfuturi hydropis frequens in iis cruoris per nares effusio.*

§. XII.

Quare hypochondriaci hæmorrhoidarii?

Quoniam autem, ex spasticis partium contractionibus & venarum anguſtationibus, sanguinis præternaturales eruptiones plerumque suum ortum & causam mutuantur; liquido nunc intelligitur, quare hypochondriaci, in quibus ventriculus & universus intestinorum canalis nervosus, ob motus peristaltici perversionem, flatulentis distensionibus, spasticis quoque stricturis assidue afflictatur, ad motus & fluxus hæmorrhoidales valde sint proclives, atque, si sanguis ibi non exitum inveniat, hypochondriacorum pathemata plurimum exasperentur.

§. XIII.

Curatio generalis: quæ venæ sectione minus rite peragitur;

In genere circa curationem omnis generis hæmorrhagiarum id velim notetur, inconvenientissimam esse eorum medendi methodum, qui, dum sanguinis rubicundi & κατ' ἐξοχὴν sic dicti abundantiam pro causa unica materiali & occasionali nunquam non agnoscunt, crebro institutis sanguinis missionibus audacter utuntur; utut, præsertim inter initia & præservationis gratia, in sanguineis præcipue, tempestivum venæ sectionis usum plurimi faciamus. Recta autem medendi ratio unice in eo reposita est, ut primo impetum sanguinis à parte laborante, opportunis remediis, ut sunt pediluvia, clysteres, externarum partium frictiones ac ligaturæ, calida tegumenta, fotus, balnea, derivemus; deinceps ut spasticas nervosarum partium stricturas relaxemus; & demum lenioribus per epicrasin laxantibus, & moderatis diaphoreticis, item inedia sive abstinentia à victu pleno sanguinem ingenerante, nimiam serosæ colluviei abundantiam subtrahamus & præcaveamus.

sed derivantibus, antispasmodicis diaphoreticis.

§. XIV.

Epilogus.

Hæc de doctrina hæmorrhagiarum in genere dicta sufficiant: specialior & fusior hujus in praxi utilissimi argumenti evolutio & discussio in sequentibus capitibus conspicienda erit.

CAPUT I.

De Hæmorrhagia narium.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Narium hæmorrhagia quomodo fiat.

Sanguinis per nares profusio debetur copiosiori ejusdem per validiorem cordis motum ad caput appulsui, quo arteriolæ in pituitaria tunica plus justo opplentur, earumque extrema nimium distenta tandem dehiscunt & sanguinem effundunt.

§. II.

Nares ad sanguinis eruptionem prona.

Narium ea fabrica, ut eruptioni sanguinis facile obsecundent. Etenim in earum interioribus sanguifera vasa in minutissima capillamenta diremta, per tunicam, quæ vomeris os, spongiosa ac ethmoidalia ossa investit, copiose distribuuntur, ac tenui admodum membrana exterius obteguntur. Unde facto validiori sanguinis eo affluxu, is difficulter admodum per venulas refluit, sed ex facili in arteriolis restitat, harum extremitates ultra modum diducit, perrumpit ac effluit, quin haud raro easdem in exigua aneurismata elevat, quæ postea stillicidium faciunt effusius.

§. III.

Eruptionem antecedit copiosior eo confluxus.

Ad nares ipsumque caput validiorem sub hac hæmorrhagia fieri sanguinis & humorum confluxum, cordis & arteriarum vehementior motus, arteriarum in collo ac temporibus potissimum intensa pulsatio, gravativus in capite sensus, faciei rubor ejusdemque cum capite toto intumescentia, nares que interius siccæ & calidæ, luculenter faciunt testatum.

§. IV.

Congestionis causa inæqualis circuitus.

Hujus congestionis palmaria causa inæqualis sanguinis, per minimos, maxime partium extimarum tubulos, progressus, tantum per venas non reducens, quantum per arterias adductum. Quo dein fit, ut ad quasdam partes sanguis justo parcius volvatur ibique deficiat, ad alias vicissim copiosius cum impetu ruat, ibidemque canales ad crepaturam usque farciendo, exundet.

§. V.

Inæqualem progressum facit spastica strictura.

Igitur quodcunque inæqualem sanguinis per canales in corpore commeatum facit; id etiam ad excludendas hæmorrhagias confert. Jam nullum sanguinis profluvium, maximeque omnium hoc per nares succedens, unquam facile sine cutis partiumque extremarum strictura, vasorum detumescentia, horripilatione, refrigeratione, sine alvi adstrictione, flatuum retentione, borborygmis in ventre, membrorum lassitudine, doloribusque in ventre contingere solet, ut potius hæc phænomena ipsam profusionem ordinario vel comitari, vel antecedere soleant. Ex quo fit planum: spasticam quandam fibrarum & vasorum in extremis maxime partibus minimorum strictu ram, inæqualis sanguinis circuitus esse causam. Nimirum, quando per crispaturam hanc spasticam vascula sanguinem potissimum, tum etiam lympham, aut alios succos revehentia, nec non excretorii illi in cute tubuli, per quos juxta naturæ legem serosa sanguinis portio expurgatur, comprimuntur, sanguis ad vasa interna majora regurgitat, quo major citatiorque cordis & arteriarum proritatur contractio, & ipse sanguis ad partes, præsertim debiliores, validius appellitur, ubi ejusdem congestio, aut decubitus, demum causam eruptionis sanguineæ, vel aliorum gravium affectuum præbet.

§. VI.

In plethoricis exagitato sanguine.

Quæ quum ita sint, expedita nunc est disquisitio, quo pacto aliæ adhuc causæ concurrant ad excludendum sanguinolentum hoc stillicidium. Jam scilicet ex facili reddenda ratio, cur, qui succis & sanguine redundant, quieti ac sedentariæ vitæ indulgent, voraces sunt & laute vivunt, corpus tamen, præsertim pedes, frigori incautius exponunt, accedente impensiori corporis vel animi motu insueto, aut assum-

assumtis iis, quæ sanguinem plus exagitant, aromaticis, spirituosis, cerevisiis, vinis, pharmacis calidis volatilibus, nec non admissis balneis fervidis, sanguinis per nares fluxum crebro & promte incurrant; eo quod his liber ubique & æquabilis sanguinis commeatus intercipitur, ut is per minima vasa farcta ad omnia loca æqualiter distribui nequeat, sed dispositas partes nimium obruendo, ibi erumpat.

§. VII.

Sub aëris, autumno & vere, vicissitudine.

Haud difficulter quoque reperiunda sic causa, cur ad certam aëris atmosphærici constitutionem crebro hæc hæmorrhagia erumpat. Per observationem enim in comperto est, plures, vere potissimum & autumno circa æquinoctia, in provectiore etiam ætate narium incurrere stillicidium, non sine levamine. Tum quippe inæqualis admodum esse solet aëris habitudo & frequens ex calido in frigidum, ex sicco in humidum, ac vice versa mutatio. Qua vicissitudine crebriori, quia instratum corpori nerveo - vasculosum cutis emunctorium male afficitur & tonus ipsius cum transpirationis successu labefactatur; mirum non est, sanguinis cursum ordinatum turbari & ad sanguinis eruptiones ansam præberi.

§. VIII.

Et ex frigido ac humido in elasticum & vice versa mutatione.

Eidem causæ tribuendum, quod narium profluvium quandoque populares habeat circuitus, tum scilicet, quando nimis frigidam & humidam aëris ex austro & septentrione constitutionem, subito excipit in elasticam habitudinem mutatio, vel etiam versa vice vicissitudo succedit. Sic enim illa per cutis poros succedens copiosa humidi exhalatio turbatur, serosior sanguinis pars augetur, majori copia ad vasa ampliora ipsumque cor redit, quo validior in his systole & validior quoque fluidorum impulsus, sed inæqualiter procedens, inducitur.

§. IX.

In iis qui morbis spasticis obnoxii.

Neque minus in prono est judicare, qui fiat, ut sanguinis per nares excretionem sæpe incurrant viri, qui rheumaticis, nephriticis, arthriticis & ischiadicis doloribus sunt obnoxii. Absolvuntur enim hi morbi motibus & stricturis spasticis, quibus reddito inæquali sanguinis meatu, ejusdem collectiones & eruptiones in aliis locis præter naturam contingunt. Unde eximium utique *Hippocratis lib. de prædict. II.* monitum, præcipientis, ut ex ægris provectæ ætatis ischiadicis & rheumaticis doloribus affectis quæratur: num ipsis adolescentibus vel juvenibus ex naribus sanguis fluxerit.

§. X.

Quibus restitarunt aliæ sanguinis evacuationes.

Non adeo insolens porro est, ut restitante in fœminis præsertim junioribus, gravidis quoque, mensium, & in puerperis lochiorum, nec non in viris hæmorrhoidum fluxu, facta palindrome, narium stillicidium excipiat sanguinolentum. Nulla tamen alia pariter subest causa, quam quod spasmis, quibus omnes hæmorrhagiæ stipari solent, æquilibrium motus sanguinis progressivi tollatur, isque ad loca excretioni dicata cum impetu agatur, ibi vero exitu præclusus, ruat ubi congruum invenit locum ibidemque egrediendi sibi paret viam.

§. XI.

Qui febribus cum spasmis detinentur.

Frequenter præterea incidit, ut, in iis potissimum, qui tenerum, spongiosum & ad hæmorrhagias dispositum corpus nacti, febribus, præsertim synochæ exquisitæ, sese associet, nec non quartanæ superveniat, atque etiam in exanthematicis morbillosis & varioloſis, ante eruptionem accedat sanguinis per nares profusio. Cujus phænomeni ratio non nisi spasticis nervosarum partium vehementibus stricturis tribuenda. Has enim nunquam fere non his in morbis præsto esse, quæ antecedere solent luculenter indicant, urinæ scilicet tenues, alvus stricta, cutis ad levem auram admissæ horripilatio, refrigeratio, inquietudines & anxietates, donec accedente faciei rubore & inflatione capitisque dolore, erumpat sanguis.

§. XII.

Quibus etiam grandius membrum ademtum.

Nec prætereundum, Medicorum observata subinde fidem facere, quod iis, quibus grandius paullo ex corporis membris mutilatum, aut amputatum, frequens esse soleat sanguinis è naribus stillicidium. Etenim eadem postea adhuc estque manetque sanguinis & chyli quantitas, spatium vero, quo diffundendi succi, minus quam antea, unde cruor stagnat in minimis, & ut aliorsum vergant motus eluctatorii, facit.

§. XIII.

Aut viscera sanguinea obstructa.

Accedit alia inæqualem sanguinis motum præter spasmum inducens causa, viscerum scilicet sanguineorum, hepatis & lienis, infarctus atque obstructio. Hic enim dum obex ponitur sanguinis per vasa cum his visceribus communicantia commeatui, aliorsum convertitur ejus motus ac impetus, ac non raro superiora ipsumque caput petit. Atque hinc accidit, ut inveterato scorbuto, hydropi & cachexiæ demum, accedat hæmorrhagia sæpe funesta. De quo priscum jam *Hippocratis de prædict.* testimonium, magnos lienes comitari hæmorrhagias.

§. XIV.

Narium hæmorrhagia differt ratione quantitatis.

Ipsum autem sic concurrentibus variis causis excluſum sanguinis stillicidium, vel ex dextra, vel ex sinistra nare, raro ex utrisque simul, succedit, ac præterea, pro uberiori, vel parciori sanguinis ad caput affluxu, ejusdemque ibi facto decubitu, ratione quantitatis multum differt. Interdum enim aliquot tantum stillant guttulæ, quandoque effluunt aliquot unciæ, non nunquam vero tam effuse per aliquot horas manat sanguis, ut quinque vel sex librarum pondus æquet.

§. XV.

Ratione successus & frequentiæ.

Dein hæc narium hæmorrhagia, ratione successus, quibusdam longius, quibusdam brevius accidit. Quosdam etiam sæpius, quosdam rarius, infestat. Pueris scilicet & adolescentibus familiarior est, rarior viris ac senibus. Incidit quoque frequentius in virilem, quam fœmininum sexum, cui exundans sanguis solenniter expurgatur per uterina vasa. Neque minus ut plurimum & crebrius observatur in iis, qui spongiosiori, copiosis atque exilibus dotato corporis habitu præditi, non vero ita in macilentis & amplis vasis pollentibus, quibus tamen si accidit hæc hæmorrhagia, esse solet effusior.

§. XVI.

§. XVI.

Facile redit. Præterea attentior docet obſervatio, eos, quibus ineunte ætate copioſa mucida & ſeroſa per aures, nares oculoſque exierunt, ſuperatis pubertatis annis, narium hæmorrhagiæ fieri obnoxios. Hæreditariam etiam ſæpius eſſe hanc ſanguinis evacuationem & à parentibus tranſire in liberos experientia conſtat. Et nullam hæmorrhagiam tam facile repetere, quam quæ per nares contingit, eſt pariter certum; ita ut elapſo diei, aut tantum aliquot horarum ſpatio, ſæpe recrudeſcat.

§. XVII.

Quandoque ſalutaris eſt plethoricis. Jam omnes quidem ſolitæ & frequentes ſanguinis fluxiones, debiliorem naturam, hoc eſt, talem partium corporis ſtructuram, quæ impeditiori minuſque æquabili ſanguinis progreſſui favet, indicant. Interim tamen ſalutares omnino ſunt, quando à nimia ſanguinis mole, in ſpongioſo maxime corpore, ſtagnationum peſſimarumque paſſionum metus eſt. Nec deſunt numeroſiſſima apud obſervatores medicos exempla, quibus vertiginem, ſcotomiam, gravativos capitis dolores, phrenitidem, convulſiones quoque & epilepſiam, per narium hæmorrhagiam ſoluta annotarunt. Viciſſim quam gravia damna à præpoſtera hujus excretionis ſuppreſſione inſequantur, vertigines, apoplexiæ, epilepſiæ, convulſiones, aurium cum auditus difficultate tinnitus, nec non ſerena gutta, vel ſolus primus artis parens *Hippocrates* paſſim confirmat, maxime *prædict.* & in *coacis*.

§. XVIII.

nec non in ſynocha. Criticæ quoque & ſalutares ſunt ut plurimum narium hæmorrhagiæ, quæ in ſynocha febre, ſemicritico die, inter tertium ſcilicet & quartum, vel etiam critico pleno, ſeptimo erumpunt, & has febres, à plethora ut plurimum ortas, ſolvunt.

§. XIX.

Frequens nimis pueris, juvenibus & adultis morbos induxit. Attenta in artis exercitio obſervatio docet, & ab *Hippocrate* jam notatum, eos, quibus in pueritia frequentia fuerunt narium ſtillicidia, accedente juventute, facile incurriſſe pectoris morbos graves, hæmoptyſin, pleuritides, peripneumoniam ipſamque phthyſin; in provectiori autem ætate virili, hæmorrhoidali fluxui, affectibus rheumaticis, arthriticis, iſchiadicis, nephriticis & colicis factos fuiſſe obnoxios.

§. XX.

Enormis ac diuturna necat. Enormes ac diuturnæ ſanguinis per nares profuſiones, quando ex vehementioribus internarum partium ſpaſmis pendent, præcedentibus extremorum refrigerationibus & lipothymiis, tandem in mortem terminari ſolent. Vidimus id ante quadraginta annos in fœmina generoſa, in qua poſt mortem carotides mirum diſtentæ & duplo capaciores, inferior autem coli portio arctius ſtricta, comparuerunt.

§. XXI.

Symptomatica in exanthematicis, malignis & chronicis morbis periculoſa. Quæ febribus exanthematicis, vel etiam malignis, ubi ſumma virium proſtratio, accedere ſolet narium hæmorrhagia, monſtri aliquid alit ſemper, vireſque magis adhuc dejiciendo & ſanguinis ad corporis ſuperficiem curſum una cum materiæ peccantis expulſione minuendo, periculum adducit graviſſimum. Quæ etiam in chronicis morbis, ubi viſcera deſtructa, erumpit, ad mortem ducit, eaque propter cachecticis & hydropicis funeſta ut plurimum obſervatur ſanguinis per nares evacuatio.

CURATIO.

§. I.

Remedia opponenda cauſis. Si enorme ſanguinis profluvium præſens eſt & periculum minatur & nimium deſtruit vires, utique auxilio medici opus eſt. Verſantur autem medendi rationes potiſſimum in eo, ut perſpectis genuinis cauſis, ea opponamus, quæ illis tollendis ſufficere poſſunt.

§. II.

Redundantis ſanguinis orgaſmo. Quando itaque nimia humorum & ſanguinis redundantia atque expanſiva ejus vis & turgeſcentia liberiorem & æqualem per minima vaſa tranſitum impediens, immodicam talem fluxionem cauſatur, quod præſertim fit in corpore juvenili, verno tempore & à motu corporis paullo fortiori, vel etiam ab ingeſtis ſpirituoſis ſanguinem exagitantibus, præter venæ ſectionem, quæ etiam ſimul divertit motum ſanguinis à capite, *nitroſa.* nitroſa omnibus aliis, ad nimium orgaſmum compeſcendum & relaxandas etiam ſpaſticas partium ſtricturas, palmam præripiunt. Olim jam ipſe *Paracelſus*, nec non *Hildanus*, hoc ſale tantum purificato, in omnibus hæmorrhagiis cum fructu uſi ſunt. Et *Riverius* in praxi & obſervationibus ſuis, hujus remedii efficaciam in ſiſtendis fluxibus ſanguineis non ſatis dilaudare poteſt. Similis tamen effectus, utut *& acida.* paulo inferioris, ſunt ipſa acida, tam temperatiora ex vegetabilium familia, ut citri ſuccus, berberum, aqua & ſuccus acetoſellæ, quam potentiora ex mineralibus, ut phlegma, ſeu ſpiritus vitrioli dilutus, vel tinctura roſarum & florum bellidis, cum aqua acetoſellæ & ſpiritu vitrioli præparata, & cum aquæ fontanæ potu, cujus etiam magna vis eſt, inteſtinam illam ſanguinis elaſticam vim componendi, propinata.

§. III.

Spaſticæ ſtrictura ſiſtendæ anodynis. Quia vero in effrenibus ejuſmodi & periculoſis ſanguinis profluviis ſpaſtica quædam nervoſarum partium ſtrictura plerumque ſubeſt, quam preſſo, ut dicunt pede, inæqualis fluidorum ſequitur progreſſus, præter jam laudata nitroſa, ad blanda anodyna ſubinde eſt confugiendum, quorum in numero papaveracea, ut aqua, vel etiam extractum, aut ſyrupus papaveris rhœados, ſyrupus papaveris albi, emulſiones, quæ ſemina quatuor frigida & ſemen papaveris albi habent, & ex aquis florum acaciæ, ſambuci, tiliæ, ulmariæ, chamomillæ vulgaris, primulæ veris confectæ ſunt. Perſiſtente vero pertinacius validiore ſolidorum impetu, deſcendendum ad efficaciora, & aliquot grana maſſæ pilularum de cynogloſſa offerenda. Camphora quoque, propter ſulphureas, quas copioſe ſpargit, exhalationes, ſedativum præſtat effectum, præſertim ſi cum nitro, antimonio diaphoretico, parcior & refractior ejus doſis permixta fuerit. Qualis pulvis inſignem inprimis locum invenit, ſi exanthematica quædam materia, ut ſæpius evenit, ejuſmodi ſanguinis profuſionis cauſa fuerit. Ex omnibus vero ad moderandas ſanguinis tam per narium, quam alia loca profuſiones, vix tutius & certius datur

ullum

ullum remedium, liquore meo anodyno minerali, qui ſulphure vitrioli anodyno fœtus & penitus ſatur eſt, & ſive ſolus, ſive adhuc melius, pulveri nitroſo nuptus & cum aqua tantum fontana datus, orgaſinum ſanguinis illum effrenem protinus compeſcit.

§. IV.

Sanguinis à capite afluxus divertendus derivantibus.

Præterea urgente gravius malo, ut ſanguinis impetus à ſuperioribus divertatur & alio dirigatur, curandum: hunc in finem plura ſunt proficua. Palmarium venæ ſectio in parte inferiori inſtituta. Dein egregia pediluvia temperata, vel immiſſiones manuum in aquam tepidam, quibus laxantur fibræ, partiumque vaſculoſarum tonus remittitur, & ſic quodammodo nimius ſanguinis ad ſuperiora affluxus impeditur.

§. V.

Alvum laxantibus.

Cum porro materia acris bilioſa, flatuum & ſpaſmorum genetrix ſæpius, & præſertim in hypochondriacis immodicæ ſanguinis fluxionis cauſa ſit; derivandi ſcopo certe egregia virtus eorum, quæ canalem inteſtinorum blande expurgant. Quæ interius dantur, ſint temperatiora roborandique ſimul facultate donata, cujus generis ſunt rhabarbarina, rhabarbari pulvis, in ſubſtantia cum aliquot ſalis polychreſti & nitri granis permixtus, vel paſſulæ rhabarbarinæ. Exterius idem præſtant clyſteres ex emollientibus, carminativis temperatis & oleoſis parati, qui latentes in inteſtinali canale ſpaſmos & flatus mulcent ac evehunt.

§. VI.

Et externis.

Divertunt demum etiam nimium ſanguinis affluxum ſimul atque imbecilliorem partem roborant exterius applicata fronti, naribus & collo refrigerantia, cum diſcutientibus mixta, ex quibus probatiſſimæ virtutis epithema, quod ex aceto roſaceo, rutaceo, nitro, camphora, oleo ligni Rhodii paratur, atque etiam naribus attrahi poteſt.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Ad præſervationem ſervanda perſpiratio

Qui impetuoſis & frequentioribus narium hæmorrhagiis obnoxii ſunt, ad has præcavendas, corpus, maxime pedes, ipſumque caput, à frigore probe defendere debent, ne perſpiratio impediatur, quæ ſicuti ad omnes hæmorrhagias, ſic etiam hanc, multum confert, dum abundantia ſanguinis & humorum etiam impurorum inde progignitur. Conſultum igitur eſt, præter abſtinentiam à largo victu, hanc excretionem corporis motu, & infuſis theiformibus, ex herba veronicæ, ſummitatibus millefolii &c. ſervare ac promovere.

§. II.

Vitanda corporis exæſtuatio & clamor.

Qui hæmorrhagiis in juventute frequentius fuere tentati, poſtea iis ceſſantibus & neglecta etiam ſanguinis miſſione, cavere maxime debent ab omni vehementiori corporis motu, etiam intenſo clamore, ſermone ac voce. Obſervavi enim in aliquot litteratis docentibus capitis morbos fere immedicabiles, aurium tinnitum perpetuum, capitis dolorem, paralyſin quoque ſuperveniſſe.

§. III.

Refrigeratio & terror.

Maximè omnium vero poſt enormes hæmorrhagias cavendum eſt à refrigeratione corporis, etiam capitis, nec non à terrore. Hoc enim neglecto, ingentem torporem, ſtuporem, dolorem gravativum capitis, cum dolore oculorum, viſus imbecillitate, vertigine ſubortum obſervavimus, quin ſummam totius corporis debilitatem ipſiusque apoplexiæ metum. Nam quo plus exhauſtum ſanguine corpus, eo magis cavenda ſunt ea, quæ ſanguinem ab externis partibus ad interiores repellunt.

§. IV.

Externis qua cautione utendum.

Eandem ob cauſam in profuſa hæmorrhagia caute, & quidem ſtatim ab initio, mercandum eſt cum frigidis & adſtringentibus, tam per nares attrahendis, quam epithematis forma exterius applicandis. His enim incautius admotis, ſanguinis impetus, obſtructis naribus, vel ad aſperam arteriam & pulmones, ſuffocationis metum, vel ad interiora cerebri converſus, apoplexiæ periculum infert. Tutius potius eſt & conſultius, præmiſſis pediluviis, & alvo per clyſteres ſoluta, ac venæ ſectione, ſi opus fuerit, in pede adminiſtrata, externis hiſce demum uti.

§. V.

In plethoricis hæmorrhagia non vi ſiſtenda.

Illæ ſanguinis fluxiones, quæ à ſanguine nimium redundante, omiſſa conſueta venæ ſectione & deficiente in fœminis menſtruali purgatione, vel emanente lochiorum in puerperis, aut in viris hæmorrhoidum fluxu, oboriuntur & plus ſalutis quam periculi afferunt, nullo modo ſiſtendæ ſunt cum vi. Si vero modum exceſſerint, præter derivantia jam dicta, corallia cum ſpeciebus de hyacintho & nitro mixta, ac ſucco citri imbuta, propinare ſufficiet.

§. VI.

Neque etiam ſi periodica eſt.

Neque minus maximopere eſt cavendum, ne conſuetæ per periodum recurrentes ejuſmodi hæmorrhagiæ ſubito cohibeantur externis, aut internis. Inde enim in ſenibus lethargum, imo apoplexiam obortam, non ſemel obſervavimus.

§. VII.

In cholericis frigidus potus prodeſt.

Solo frigido aquæ fontanæ in & extra paroxyſmum potu, modo externa corporis ſuperficies convenienti foveatur calore, ſucceſſive ad duas vel tres menſuras ſingulis diebus hauſto, narium hæmorrhagias compoſitas eſſe noviimus, præſertim in cholericis, bilioſis & ubi intenſior partium ſulphurearum orgaſmus eſt, qui hac ratione optime complacatur & blandus plerumque ſudor optimo effectu ſuſcitatur. Quare non improbandum conſilium, ut, qui immodicis & crebrioribus vexantur hæmorrhagiis, aquam fontanam, ſed puram, ordinarii potus loco bibant.

§. VIII.

In ſymptomatica quid faciendum.

In ſymptomaticis & raro cum bonis ægrorum rebus decurrentibus ejuſmodi profluviis, qualia febres exanthematicas, variolas, morbillos, purpuram ſcorbuticam, imo ipſas petechias comitantur, non alia convenit exhibere remedia, quam quæ nimium æſtum moderando, cuticularem perſpirationem blande promovent, inter quæ frequentis & probati uſus mihi eſt mixtura ex aquæ florum ſambuci unciis quatuor, aceti de-

deſtillati uncia una, lapidum cancrorum, diaſcordii Fracaſtorii, ana drachma una; nitri ſcrupulo uno, addita ſyrupi papaveris rhœados ſufficienti quantitate; de qua bihorio quovis æger duo cochlearia capiat & temperato lecti calori ſe committat. Ac ſi quippiam malignitatis ſubeſt, pulvis ex antimonio diaphoretico, nitro depurato & camphora propinandus.

§. IX.

Emanens quibus prorſus anda.

Quibus in pueritia & adoleſcentia ſanguis frequentius è naribus ſtillavit, ii haud raro, ceſſante poſtea hac fluxione, capitis, oculorum & aurium vitiis, nec non tumore parotidum vexantur, vel etiam gravioribus malis, epilepſia, phrenitide, idiopathica, vel ſymptomatica, affliguntur. Quod ubi incidit, tum utique commode, ſi caput ejuſque vaſa ſanguine turgent, nares ad ſanguinem fundendum externo artificio irritandæ & aperiendæ ſunt, idque plerumque penna, vel ſtramine in nares fortius intruſo, vel inſtrumento ſcarificatorio perficitur. Idem cum fructu adornatur, ſi in febribus ſynochis & ſanguineis ingens ſanguinis impetus ad caput præſto eſt, & gravia ſymptomata ſine ejus effuſione efficit.

§. X.

Ab animi affectibus quomodo tractandæ.

Hæmorrhagiæ impetuoſæ, quæ fiunt à gravibus animi affectibus, peculiarem tractationem poſtulant. Quod ſi enim ab animi excandeſcentia ſunt, pulveres antiſpaſmodici, nitroſi, cum pura aqua frigida ſucceſſive dati, eximie proſunt; ſi vero à gravi mœrore oriuntur, diaphoretica cum antiſpaſmodicis mixta, liquor noſter anodynus mineralis, cum quarta parte ſpiritus Buſſii, cum regimine blande diaphoretico, omne curationis abſolvent punctum.

§. XI.

Nec non in cachecticis & ſcorbuticis.

Cachectica ſi fuerint corpora hæmorrhagiam hanc incurrentia, rhabarbarina, variis modis crebriuſque oblata, ſive ſola, ſive cum ſalibus digeſtivis permixta, omnibus aliis id genus remediis præferenda eſſe experientia didicimus; ſi vero ſcorbutica viſcerum labes ſubeſt, ſeri lactis cura, interpoſitis rhabarbarinis, erit omnium optima.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Hæmorrhagia in cachectico lethalis.

Vir ſanguineo-phlegmaticus, quadrageſimum ætatis annum egreſſus, à multis jam annis, tam cereviſiæ, quam vini potui nimium indulgens & cachecticus redditus, incidit in icterum, qui congruis remediis rhabarbarinis & aperientibus item diſcutientibus externis aliquoties ſublatus, ſæpius rediit, ac tandem cutis nigrore prorſus fuit tincta, ſimul narium erupit hæmorrhagia, quæ remediis compeſci potuit nullis, ſed diu noctuque ſanguis tenuis, lividus, coagulum prorſus reſpuens exſtillavit, ſubſequuta virium jactura ſumma, & extremis ſemper frigeſcentibus, mente conſtanti obiit.

Epicriſis.

Omnes ſanguinis profuſiones in cachecticis corporibus, ſi modum excedunt, atque ex vitio & obſtructione hepatis vel lienis fiunt, multum periculi alunt, nec facile admittunt ſanationem, duplicem potiſſimum ob cauſam. Scilicet propter obſtructa alicubi vaſa æqualis ſanguinis curſus turbatur, & ad aliam partem plus, quam ſecundum naturam debebat, ſanguinis convehitur, cui poſtea facile ſupervenit eruptio ipſa. Dein ſi viſcus nobilius, quod, uti hepar, ſanguinis repurgationi, ſulphureas acres partes ſecernendo, dicatum, eſt obſtructum, remanentibus intus his recrementis, ſucci in corpore fiunt ſalſi, acres, impuri ac intemperati, qui poſtea partim ſpaſmos concitando intenſos, partim tenera vaſcula erodendo, plane hæmorrhagias faciunt incompeſcibiles. Id quod ſæpius eveniſſe vidi ictero nigro laborantibus, inter quos etiam fuit, cui ex gingivis ſanguis tam effuſe profluxit, ut nullo modo poſſet reprimi. Narium quoque hæmorrhagiam ex ictero nigro lethalem annotarunt M. N. C. *Dec. II. ann. II. obſ.* 144. *pag.* 318. Et maxime omnium hanc in rem notandum *Heurnii* teſtimonium, quod notis in *S. III. aph. XX.* ita habet: *vidi non nullos, quum à vini liberaliori uſu æſtuarent & in hæmorrhagiam tranſirent, tandem evaſiſſe ictericos moxque in hydropem abiiſſe calamitoſum hoc malum.* Nec non illud, quod *epid. L. VI.* conſignavit: *qui vitio lienis laborant, & quibus viridi atroque colore tinctis, nares ſanguinem fundunt, malum.*

Observatio II.

Hæmorrhagia narium in puerperâ lethalis.

A triginta, & quod excurrit, annis animo adhuc obverſatur memoratu dignum de hæmorrhagia narium lethali exemplum in fœmina illuſtri, tum heic degente. Erat hæc circiter trigenaria, macilenta & natura alvi ſegnioris, &, cum utero gereret, perpetuas, ultimis præſertim menſibus habuerat querelas, de calore lento continuo, vires mirum atterente, cum intercurrente cordis palpitatione & quandoque tanta pulſuum debilitate, ut vix perſentirentur, & ægra vernacula aſſeveraret: *Es vvàre ihr, als vven das Hertz gar keine Krafft hätte und in Waſſer làge.* Poſt ſuperatos partus labores, lochia manarunt non ſufficienter, & ſucceſſit è naribus fluxus ſatis largus ſanguinis tenuis non coagulum aſſumentis. Subſiſtente hæmorrhagia hac interjecto aliquot horarum ſpatio, inceſſerunt puerperam pathemata ſpaſtica truculenta, cum extremorum frigore ſummiſque anxietatibus, ſub quibus mens ipſa ſibi non conſtabat animuſque deſperans erat de ſalute, donec erumpente rurſus è naribus ſanguine, pathemata ſenſim remitterent & mens ad ſe rediret. Diſceſſit poſtea hoc ſanguinis profluvium iterumque acceſſit per paroxyſmos, ita, ut per duas vel tres horas ſuccederet, poſtea ad duodecim vel octodecim horas inducias daret, tum præviis anxietatibus, inquietudine, extremorum frigore, & faciei rubore rediret, inter quæ antecedentia pathemata mens ſemper erat aliena & deſperatis cogitationibus adeo turbata, ut nec divini verbi ſolatia eidem erigendo ſufficerent, quæ tamen extra paroxyſmum avide ſibi applicabat decumbens. In hoc tam gravi malo, conſilia & auxilia adhibita multa; venæ ſectionem natura horruit ægra, laxantia autem, clyſteres, pediluvia, frictiones, nitroſa omniaque alias præſtantiſſima fuerunt fruſtranea. Unde per continuans ſanguinis profluvium vires prorſus exhauſtæ atque dejectæ, pulſuum ictus facti inæquales, inquietudo perpetua, donec exactis inter hæc quatuordecim diebus, lipothymia tandem ſub ipſo paroxyſmo ſpaſtico occumberet lethali.

Epicri-

Epicriſis.

Quamvis narium profluvium hoc in caſu ſpeciem præbuerit critici & ſalutaris in locum lochiorum minus ſufficienter fluentium ſuccedentis; tamen propter pathemata in tenera & debili puerpera ſupervenientia ſpaſtica hyſterica, utique exitii fuit pleniſſimum. Tanto certius autem fuit periculum ac damnum, in perſona, cujus vires propter æſtum, diutius jam corpori tempore, quo utero geſſit, inhærentem, craſin ſanguinis & temperiem naturalem deſtruentem, unde etiam ſanguis ſine coagulo prodiit, jam attritæ, & poſtea per ipſum profluvium penitus quotidie magis proſtratæ ſunt atque dejectæ. Nam ſpaſmi ſemper in corpore viribus deſtituto graviores ſunt & pertinaciores, & vel hæmorrhagias, vel inflammationes, aut congeſtiones ſanguinis, in capite relinquunt. Unde, quando gravidæ, ultimis præſertim menſibus, cum æſtu interno de virium debilitate valde queruntur, vidi ſæpe & prædixi in puerperio pravos eventus. Liquet etiam ex hac morbi hiſtoria, in paroxyſmis ſpaſticis redeuntibus, deſperabundas illas & melancholicas anxias mentis alienatæ cogitationes originem ſuam in fœmina alias eximiæ pietatis, à congeſtione & ſtagnatione ſanguinis in cerebri vaſis traxiſſe, minime vero, ut vulgus autumat, à malo dæmone fuiſſe obortas, quum fluente ſanguine per nares & ſpaſmis remittentibus, omnia pathemata deſperabunda ſimul quoque & ſemel exſpirarint.

Observatio III.

Hæmorrhagia rebellis & copioſa ſanata potu frigidæ.

Juvenis perilluſtris, ſanguineæ conſtitutionis & facie floridus, in pueritia & adoleſcentia crebro jam fuerat expertus narium ſtillicidium, & poſtquam in noſtram hanc ante aliquot annos conceſſiſſet Academiam, tantam ſanguinis è naribus profudit ſucceſſive copiam, ut ſex, vel octo menſuras compleret. Quo inducta ingens virium dejectio, cum appetitus languore viſuſque hebetudine. Data quidem plura congrua alias remedia, ſed fruſtra. Tandem & ego in conſilium vocatus ſuaſi, ut ordinarii potus loco aquam fontanam frigidam, cum tinctura roſarum, ſpiritu vitrioli acidulata & ſyrupo berberum remixta biberet, corpuſque exterius, præſertim pedes, probe à frigore defenderet. Quæ cum aliquandiu per quatuordecim circiter dies ſervaſſet, ſubſtitit ſanguinis fluxus, ac poſteaquam juſculis nutrientibus gelatinoſis ex carnibus ſanguis exhauſtus nimis reparatus, convaluit æger ex voto & ipſa quoque viſus hebetudo ceſſavit.

Epicriſis.

Hæmorrhagiis ſunt maxime obnoxii juniores, ſanguinei & ſanguineo-cholerici, habitus corporis ſpongioſi, iidemque miram ſic ſæpe quantitatem ſanguinis, citra vitæ periculum, profundunt. Conſignatæ ſunt ejuſmodi largi profluvii hiſtoriæ à *Zacuto Luſitano*, *Valleriola*, nec non *Foreſto*. Et nuper admodum retulit mihi Theologus, ſe per multos jam annos obnoxium eſſe tam largo narium ſtillicidio, ut non nunquam uno die vel quinque menſuras perdat, facie tamen ſemper rubicunda, pulſuque auctiori manente, nec quicquam proficere adhibita media, quin cohibito per ſpiritum vini naribus attractum fluxu, ſpirandi accedere anxietatem. Sed modo viſcera ſalva ſint, nec ſanguis impurus ſcorbuticus; reſtitutionis tamen ſpes eſt, licet vires haud leviter per nimiam ſanguinis jacturam atterantur. Ex omnibus vero ejuſmodi in caſibus præſentaneæ virtutis frigidus potus, ex aqua tantum ſimplici, ſine additione acidorum, eaque ſæpius cohibitam è naribus hæmorrhagiam vidi. Id tamen monendum, hoc remedium in iis tantum obtinere locum, qui non ex viſcerum obſtructionibus & internarum partium ſpaſticis ſtricturis, ſed ex nimia elaſticitate & expanſione partium in ſanguine ſulphurearum, atoniam vaſorum inducente, hoc malum incurrunt. Frigus enim ſic cum potu intro admiſſum, compeſcit orgaſmum fibraſque nimium remiſſas adducit, eoque facit, ut ſanguinis impetus ab affectis locis diſcedat & ad exteriora ab interioribus divertatur, ac haud raro ſudor erumpat, boni in hæmorrhagiis ſemper ominis. Eadem hæc medicatio etiam locum habere poteſt, ubi à fortiori corporis motu, calida tempeſtate, potu ſpirituoſo atque etiam ardenti veneris maxime deſiderio, ſanguis valide exagitatus prorumpit. Quo caſu præterea *Hildanus* non ſine ratione immiſſionem in balneum frigidum ſuadet.

Observatio IV.

Hæmorrhagia in ſynocha venæ ſectione turbata cum damno.

Generoſa fœmina, quinquageſimum ſextum ætatis annum ingreſſa, vegetæ alias conſtitutionis, per quinquennium admittere noluit ſuetam alias venæ ſectionem, ſed interea aliquoties hæmorrhoidalium venarum ſtillicidium fuerat experta. Hæc ante menſem, eo tempore, quo propter aëris conſtitutionem inſalubrem varii generis febres circumibant, etiam paroxyſmo corripiebatur febrili, accedente tertio die delirio levi & narium ſtillicidio parco, quo tamen delirium non remiſit, ſed perſtitit potius cum leni quodam & continuo cutis madore. Medicus in conſilium vocatus dedit nitroſos & cinnabarinos pulveres & quotidie aliquot menſuras aquæ frigidæ ebibere juſſit. Accedente ſexto die graviora facta ſunt cum delirio pathemata, unde medicus, quod primis diebus faciendum fuiſſet, venam ſecare jubet in pede & decem circiter ſanguinis uncias emittere. Inde quidem æſtus & pulſus ſedatior factus, delirium quoque remittere viſum, remanſit tamen languor maximus, quin octavo die redierunt priſtina pathemata, ſi non majori acerbitate, tamen eadem. Tandem quoque per uterum & anum excreta fuit ingens non tam ſanguinis, quam ſeri ſanguinolenti quantitas. Hinc iterum remittere viſa primum morbi atrocia, ſed exacerbata paullo poſt denuo. Acceſſit præterea ſingultus, quem medicus frigida aqua clyſtere ano infuſa compreſſit. Poſt hunc rurſus per uterum magna ſeri colluvies evacuata, ac poſtremo fatis ceſſit ægra.

Epicriſis.

Ad hanc ægram accerſebar die ſeptimo & ego; ſed malui ſpectatorem agere tantum, quam medicationem ſuſcipere. Exſpectavi potius exitum, quem prædixi, brevi funeſtum, tanto magis, quum de evacuatione ſeri ſanguinolenti per uterum & anum redderer certus. Interim teſtimonio eſt hæc morbi hiſtoria, venæ ſectione non intercipiendum, aut anticipandum eſſe criticum ſanguinis fluxum, qui in ſynocha febre ſeptimo die ſolet erumpere. Haud dubia & fallacia enim fuerunt indicia, naturam ejuſmodi criticum fluxum fuiſſe ſuſcitaturam, eaque propter venæ

ſectio primis, non poſtremis diebus, fuiſſet inſtituenda, naturæ negotium certo turbatura. Viciſſim nunquam ego cum bonis ægrarum rebus accidiſſe novi ſeceſſum non ſanguinis, ſed ſeri ſanguinolenti per uterum. Etenim putrida talis hæmorrhagia labem in utero haud obſcure innuit inflammatoriam, tanto certius, quo magis delirium & ſymptomatum inde oriundorum nullum levamentum ferunt teſtimonium.

Observatio V.

Hæmorrhagia morbillis accedens ſanata.

Juvenis Hebræus, conſtitutione ſanguineus, decimo octavo ætatis anno morbillis correptus, experiebatur ſimul narium hæmorrhagiam copioſam, cum anxietate præcordiorum pectoriſque oppreſſione eximia. Vocatus ego dedi mixturam, ex decocti cornu cervi aquæ florum ſambuci unciis quatuor, ſucci citri uncia dimidia, coralliorum drachma, nitri puri, diaſcordii Fracaſtorii ſcrupulis duobus, ſyrupi acetoſitatis citri uncia ſemis. Qua per vices cochleatim aſſumta, eruperunt nocte una morbilli, ſedata ſymptomata, compreſſa hæmorrhagia.

Epicriſis.

Morbillis complicari narium ſtillicidium non adeo rarum eſt, præſertim in plethoricis. Quin in ſequiori ſexu non modo per nares, ſed vomitum etiam ac uterum ſanguinem effuſum eſſe novi, inprimis in iis, quæ exquiſitius ſentientis & ad iram pronæ naturæ. Sed ſi in exanthematicis ejuſmodi morbis incidit hæc hæmorrhagia, eadem neutiquam ſedanda per frigida, ſed illa, quæ materiam illam acrem cauſticam nerveis membranis inſidentem eaſdemque ad ſpaſticas ſtricturas ſollicitantem contemperant ſimulque blande expellere juvant. Et hunc utique effectum adhibita mixtura præſtat egregie, de quo præterea multiplicia experientiæ ſunt mihi teſtimonia.

Observatio VI.

Hæmorrhagia cum quartana ſanata.

Puer generoſus tener, octennis, ipſo hoc anno, quo febres admodum frequentes, incidit in quartanam, quæ licet aliquoties depelleretur, ſemper tamen rediit, ut æger demum abdomen inflatum & faciem lividam circumferret, quibus crebriores acceſſerunt hæmorrhagiæ narium. Minus fauſti hæc videbantur ominis; nihilo minus adjuvante DEO, infuſo rhabarbarino, cum lixivio alcalino & nitroſo, admixtis extractis amaris, inter potum dato, febris ex toto quievit, omniaque pathemata cum hæmorrhagia diſcuſſa.

Epicriſis.

Mala utique fuerunt hæc indicia. Sed in infantibus, non tam facile obſtructiones & indurationes viſcerum accidunt, quam in adultis. Et ſi etiam adfuerint primordia ejuſmodi labis, facilius tamen hæc amaricantibus & ſalinis iterum disjiciuntur ac tolluntur. Atque eidem cauſæ tribuendum, quod in noſtro feliciter ceſſerit medicatio, quum, ſi in adultis eadem occurrunt phænomena, ex quartana facilis, quin certus, in cachexiam & hydropem ſit tranſitus.

Observatio VII.

Damna ex omiſſa hæmorrha-

Virum novi triginta circiter annos natum, ſpongioſi corporis habitu & temperamento, ut vocant, ſanguineo, qui à primis ætatis annis frequens expertus fuerat, circa æquinoctia potiſſimum, narium ſtillicidium. Adultior poſtea factus, ſanguinis miſſionem vere & autumno adniſit liberalem, quo narium hæmorrhagia quidem emanſit, ſed ſolennes facti circa id tempus capitis dolores, ſponte tamen iterum diſcedentes. Quum vero aliorſum concedens, ex conſilio medici, ſuetam omitteret venæ ſectionem, vere ineunte gravativum capitis incurrit dolorem, cum faciei tumore ac rubore. Nihilo ſecius docentis, quod gerebat, munere ſtrenue alta & elata voce fungens, aurium tinnitum & auditus gravitatem paſſus eſt cum torpore pedis & manus in latere dextro, quæ ipſum per multos annos ad mortem uſque afflixerunt.

giam intercipiente venæ ſectione.

Epicriſis.

Patet ex hac relatione, conſuetas fieri plethoricis, circa æquinoctia præſertim, narium hæmorrhagias, eaſdemque inſtituta ſanguinis miſſione poſſe intercipi. Quia igitur omiſſa poſtea venæ ſectione ſanguis priſtinam ad caput viam legit, mirum non eſt, ſubſequutas ibi ſtagnationes ipſius & gravativum ſenſum. Quin, quum per ſermonem crebrum elatum magis augeretur ad caput affluxus, factum utique, ut à cruore ſtagnante ſecederet ſeroſa portio, ad inferiora deſcenderet, ibique aurium tinnitum atque etiam torporem pedis manuſque induceret. Ex quo id in uſum practicum tenendum: peſſima eſſe medentium conſilia, quæ contra experientiam ſuadent, ut ſueta ſanguinis miſſio, propter vanum decrementi virium metum, omittatur.

Caput II.

De Sanguinis Fluxu ex Pulmonibus.

Theses Pathologicæ.

§. I.

Hæmoptyſis quid?

Illa hæmorrhagia, qua ſanguis floridus & ſpumans mediante tuſſi ex pulmone fertur, recepto in ſcholis medicis nomine, origine Græco, hæmoptyſis appellatur.

§. II.

Differt à ſputo cruento.

Non omnis ſanguinis è faucibus rejectio hæmoptyſeos nomine inſigniri debet. Nam ſæpe è naribus in fauces & pulmones ſanguis deſcendit, ac inde poſtea ſcreatu grumoſus per os rejicitur, præcedente in palato titillatione, in capite dolore, aut gravitate. Interdum quoque per acrem tenuem deſtillantem humorem, ab eroſis & fauciatis faucium, vel etiam ipſius aſperæ arteriæ interioribus ramulis, ſputum ſanguine, vel ſanguinis ſtriis imbutum, educitur cum ipſa tuſſi; proprie tamen hæmoptyſis dici nequit, niſi ſpuriam eam vocare velimus.

§. III.

Ab inducta per violentiam.

Neque etiam noſtræ conſiderationis hic erit ſputum illud ſubcruentum, quod inflammatum in pleuritide vera pulmonem, circa quartum, aut quintum ut plurimum diem, ſequitur; neque etiam illud, quod à cauſa externa violenta, vulnere, contuſione, vel graviori caſu in pulmones ſubnaſci conſueſcit, ſed quod à cauſa interna excitatur, & à læſa vaſculari pulmonum ſubſtantia oritur,

oritur, ſicque proprie & ſtricte hæmorrhagia pulmonum dici poteſt.

§. IV.

Differt ratione quantitatis & læſionis vaſorum.

Pro differente vaſorum pulmonalium læſione & ejus quoque cauſa, varie, tam ratione modi, quam periculi & curationis, hic ſe habet affectus. Scilicet ubi ſanguis ſpumans, floridus ac tenuis per intervalla, cum tuſſi, ſine dolore, non adeo multus educitur, lateralium vaſorum apertionem id denotat; ubi vero ubertim & magno impetu, quaſi vomitu quodam, prorumpit, adeo, ut interdum magna inde pelvis impleatur, grandiorem venæ ramum vel in varicem expanſum, vel in aneuriſma arteriæ, quod ſæpius accidit, abeuntem & ab *Hippocrate* jam animadverſum, diſruptum fuiſſe, eſt indicium. Qui caſus, quo frequentius incidit, eo plus habet periculi, & repente non nunquam tam grandis ſanguinis effuſio hominem exanimat, dum vel intus intra tracheam cohibitus cruor, ob defectum virium, pulmones obruendo ſuffocat, vel vacuato nimium ſiniſtro cordis ventriculo à ſanguine, lethalem excitat ſyncopen.

§. V.

Cauſa hæmoptyſeos proxima inæqualis circulus.

Ut vero ipſa hæc eruptio fiat, aliæ variæ cauſæ concurrant neceſſe eſt. Immediata quidem, ſive proxima, eſt inæqualis & impeditior ſanguinis per pulmonum vaſa tranſitus, ſeu circulatio, dum majori copia & impetu in arteriam pulmonalem ejuſque ramulos affluit & appellitur, quam venæ eum recipere & reddere poſſunt, quo dein ſucceſſive fit magna tenuium ramorum, qui ſubſtantiam cellularem & veſicularem ipſaque bronchia perreptant, expanſio, tandemque varicoſa, ſeu aneuriſmatica potius intumeſcentia, & denique violenta ruptio.

§. VI.

Quod teſtantur ſigna.

Confirmant hoc uberius ſigna & ſymptomata, quæ malum hoc ſolent antecedere ac comitari. Scilicet invadit illud per vices inſultibus, & quaſi per paroxyſmos revertitur ſic, ut æger antea percipiat horripilationem in cute atque extremis maximeque pedibus refrigerationem, vaſa in manibus diſpareant, dolor in dorſo, laſſitudo & gravitas artuum affligat, borborygmi in imo ventre ſint & alvus adſtricta, in pectore gravativus ſenſus cum difficiliori ſpiritu obſervetur, donec ſequente in faucibus titillatorio & ſecundum aſperæ arteriæ tractum quaſi pruriente ſenſu, ſub calida ebullitione & undulatorio in dextro latere motu, ipſa eruptio ſanguinis accidat. Hæc enim omnia indicant ſpaſticam quandam externarum & internarum partium ſtricturam, ſanguiniſque motum non modo eſſe inæqualem, ſed & à peripheria introverti, ad pectus vaſaque majora cogi, ibi plus juſto coacervari, impedito libero per pulmones ad cor tranſitu, regurgitare verſus dextrum latus ibique calidi ebullientis ſanguinis undulatorium ſenſum concitare.

§. VII.

Inæqualem circuitum facit ſanguinis turgaſmus.

Sunt autem plura, quæ æquabilem illum & liberum ſanguinis progreſſum, in quo maxime integritas functionis in quacunque parte conſtat, per pulmones turbant, pervertunt & ſic ad generationem hujus mali conferunt. Nimirum quandoque nimia tantum & ſimplex ſanguinis intra canales, ob auctum inteſtinum partium ſulphurearum aëreo-ætherearum expanſivum motum, turgeſcentia, ſeu orgaſmus ſubeſt, quo ſyſtaltica & elaſtica in vaſis potentia minuitur ac demitur; unde ſtagnatio & nimia ſanguinis ibi fit collectio, accumulatio, tandemque rami arteriæ pulmonalis apertio, vel ruptura.

§. VIII.

Partium nervoſarum ſpaſticæ ſtricturæ.

Alia dein ratione per ſpaſticas, tam internarum, quam externarum partium ſtricturas, pariter æquabilis & liber ſanguinis per minima motus impeditur, ejuſdemque impetuoſus curſus & appulſus ad alia loca, maximeque pulmones, inducitur. Unde frequens admodum in praxi eſt obſervatio, hypochondriaca paſſione laborantes, nec non pathematibus hyſtericis obnoxias fœminas, in quibus ut plurimum menſium fluxus ſub multis & atrocibus ſpaſmis difficulter ſuccedit, incidere in hunc ſanguinis è pulmonibus fluxum, non ſine periculo.

§. IX.

Viſcerum ſanguineorum, nec non pulmonis obſtructio.

Haud diſpar eſt ratio & effectus, quando obſtructo, vel infarcto viſcere ſanguineo, præſertim liene, & inde affecto ventriculo, quod ex dolore tenſivo in hypochondrio ſiniſtro concludendum, incidit hæmoptyſis. Etenim intercepto alicubi ſanguinis libero per vaſa tranſitu, vi legum hydraulicarum, impetus ejus ſic increſcit, ut, ubi minorem reſiſtentiam invenit, copioſe confluat, vaſa diducat tandemque perrumpat. Tanto vero certius tantoque gravius hoc malum excluditur, quando ipſis in pulmonibus magna conſiſtit labes, ac vel vomicæ, aut tubercula in ipſius ſubſtantia, vel polypoſæ concretiones in ramis vaſorum majoribus hærent, quibus, dum obex ponitur ſanguini tranſeunti, is utique qua datur via ruit, aut ubi ſubſiſtere cogitur, perrumpit & hæmorrhagiam facit admodum effuſam.

§. X.

Diſponit ad hæmoptyſin, habitus corporis.

Porro de iis, quæ remotius ad inducendam ſanguinis è pulmonibus eruptionem faciunt, per ipſam experientiam conſtat: corpora graciliora, tenerioribus fibris & vaſis prædita, quæ collo inſtructa longo, pectore anguſto ſimulque quadantenus depreſſo, in quibus pulſus celerius micat, cor etiam ſubinde palpitat, una cum iis, qui à parentibus phthiſicis progeniti, in iram atque impatientiam ſunt proclives, ac in juventute fluxum ſanguinis per nares frequenter experti, deſinente corporis augmento & in longum incremento, intra ſpatium anni vigeſimi quinti ad trigeſimum quintum uſque, accedentibus aliis cauſis externis, perquam facile in hunc ancipitem morbum prolabi.

§. XI.

Sanguinis abundantia cum aliis cauſis.

Non minus per obſervationem medico-practicam in comperto eſt, ut plurimum & omnium facillime, hoc ſanguinis profluvium accidere ſanguineis corporibus & juvenilibus, nec non ceſſante ſanguinis, ſive per nares in adoleſcentibus, ſive per menſes in fœminis, ſive etiam per ani venas in provectioris ætatis hominibus ſpontanea evacuatione, vel etiam omiſſa artificiali ſubtractione. Qui effectus tanto certius ſubſequitur, quando accedit vehementior corporis & animi motus, aut calidorum in cibis, potuſque ſpirituoſi abuſus, intenſus clamor, tuſſis vehementior, inflatio diuturna & violenta tubarum, nec non

nimius in fæcibus vel partu edendo conatus.

§. XII.

Aëris quoque conſtitutio.

Autumno præterea, quando tempeſtas regnat inæqualis maximaque frigoris & teporis eſt viciſſitudo, tum non modo frequentiores eſſe ſolent defluxiones catarrhales, ſed maxime etiam ſubinde ſanguinis fluxiones immodicæ variæ, atque etiam in diſpoſitis illa, quæ fit per pulmones. Idem accidit, quando hyeme ſub intenſiſſimo gelu corporis ſuperficies ſtringitur & ſanguis ad interiora magis compulſus inque pulmonum canalibus accumulatus nimium, facile perrumpit. Unde haud raro accidit, ut hæmoptyſis ſit anniverſaria, quæ Februario menſe, nec non ante æquinoctium erumpere atque redire ſolet, utque etiam circa hæc tempora idem hic morbus plures attentet & quaſi popularis ſit.

§. XIII.

Non in omnibus ejuſdem periculi.

Ceterum de hoc ſanguinis profluvio recte utique ſcribit *Hippocrates Sect. V. pag.* 10. *edit. Foeſian. qui ſputis cruentis detinentur, ex his quidam brevi tempore pereunt, quidam vero diutius trahunt; præſtat enim corpus corpori, ætas ætati, & affectio affectioni, & anni tempeſtas tempeſtati in qua ægrotant: quidam enim morbos facile tolerant, quidam vero omnino tolerare nequeunt.* Etenim non omnibus idem hic morbus eodem modo obſervatur eſſe, aut exitialis, aut tranſitorius. Iis ſcilicet, quibus hæmoptyſis ob ſolam abundantiam, aut ebullitionem ſanguinis accidit, ſi recta medicatione & vitæ victuſque ratione excipiatur, nec periculoſa eſt, nec capitalis. Ego certe vidi ceſſantibus in gravidis menſibus ſanguinis exſpuitionem ſingulis menſibus redeuntem, partu vero excluſo & redeunte menſtruo fluxu ſponte ſine periculo emanentem. Viciſſim notavi hæmoptyſin tempore graviditatis ceſſantem & enixo fœtu uteroque vacuo prodeuntem & ſine periculo per aliquot annos inſiſtentem. Vidi quoque ſanguinis ſputum periculi expers in iis, quæ parcius juſto tributum ſolvebant lunare.

§. XIV.

Omnium tamen hæmorrhagiarum fere periculoſiſſima.

Id vero omnino certum, ex omnibus, quæ præter naturam accidunt hæmorrhagiis, vix ullam eſſe frequentiorem non modo & ſæpius redeuntem, ſed etiam magis ancipitem & periculoſam, quam hæmoptyſin. Nam haud facile ſecundam valetudinem perfecte recuperant hoc malo ſemel gravius correpti, niſi qui magna cura vitam poſtea colunt & ſanitatis regulas obſervant, neque etiam tum ſperatus ſemper conſequitur ſanitatis effectus. Pulmo quippe ex viſceribus eſt nobiliſſimis, qui, dum ſanguinem ex uno cordis ventriculo ad alterum tranſmittit, vitæ ſervit inſigniter, quia vero ea propter, dum vita eſt, in continua expanſione & compreſſione verſatur, vas in ipſo ruptum vel ſauciatum ſanguiferum difficulter admodum coaleſcere & conſolidari poteſt. Accedit, quod extravaſatus in pulmone ſanguis, non facile penitus per bronchia & aſperam arteriam evehatur, ſed in veſiculoſa ſubſtantia reſtitans, putreſcat & teſte jam *Hippocrate* in pus, ulcus ac denique in hecticam & tabem lethalem tranſeat. Quare veritati omnino reſpondet *Tralliani Lib. VII. Cap. I.* teſtimonium, ita habens: *ipſa quidem ſanguinis exſcreatio per ſe, dummodo non immoderatam vacuationem inducit, vitam non adimere conſuevit, ſed peſſimorum morborum longorum magna ex parte cauſa redditur.*

§. XV.

Potiſſimum in ſenibus ſcorbutici.

Potiſſimum majus vel minus eſt diſcrimen quod infert hæmoptyſis ratione cauſarum & illorum, in quæ incidit, corporum. Scilicet ſi ſenioribus accidit, debilior quantumvis & non tam vehemens quam juvenibus ſanguinis evacuatio, major tamen virium ſequitur dejectio & facilius putrida pulmonum corruptio, quam excipit hecticus calor, qui corpus & vires tandem cum vita penitus conſumit. Gravius quoque ac certius ſubeſt periculum, quando diuturnum profundum mœrorem inſequitur hæc ſanguinis evacuatio, quando infimi ventris viſcera una obſtructa, atque humores dyſcraſia ſcorbutica acri bilioſa ſimul infecti.

§. XVI.

Nec non ubi pulmones magis labe affecti.

Demum nec ſanationi ſpes, nec medicinæ locus eſt, ſi ipſum pulmonum viſcus non amplius eſt integrum, ſed vel vomicis reſolutionem eludentibus obſidetur, vel vaſa polypoſas concretiones recondunt, vel etiam varices, vel potius aneuriſmata in canalibus præſto ſunt, quibus crebra & profuſiſſima ſanguinis fit effuſio, tandem funeſta. Has enim plerumque in hæmoptycis ſubeſſe mortis cauſas, edocet cadaverum ſectio, qua patefit, non modo pulmones maxima ex parte ut plurimum eſſe corruptos à ſanguine ibi effuſo putreſcente & ipſam ſubſtantiam membranaceam ſolidam depaſcente, ſed & hoſpitari ſæpius polypoſas concretiones in vaſis pulmonalibus, & quidem magis in iis, quæ plus cum ſiniſtro, quam dextro cordis ventriculo communicant; in iis autem, qui rupto ſanguineo tumore pereunt, pulmones à ſanguine effuſo multo ſpumoſo obrutos & nigros inveniri, reſtitante adhuc exigua in vaſis ſanguinis quantitate.

CURATIO.

§. I.

Medendi indicationes.

QUum, ut dictum, cauſæ hujus mali admodum differant, diverſæ quoque curandi indicationes ſint neceſſe eſt; præcipuæ tamen illarum redeunt huc: primo, ut ſanguinis orgaſmus nimius vaſa plus juſto venoſa expandens compeſcatur; ſecundo, ut ejuſdem affluxus copioſior & impetuoſior à pectore ad exteriores corporis partes derivetur; tertio, ut ſpaſticæ illæ ſtricturæ, quæ ſanguinem ad pulmones validius congerunt, laxentur, & ſic liberior reddatur per totum corpus ſanguinis circulus; quarto, ut læſa pulmonum ſubſtantia vaſculoſa in integrum reſtituatur, & ſic tam mali recurſus, quam oriundi ex læſione alii morbi arceantur.

§. II.

Sanguinis orgaſmus quibus compeſcendus.

Primum ut perficiatur, & ſanguinis ebullitio componatur, apprime conducunt refrigerantia. Inter hæc potiſſimum connumerandus aquæ pctus frigidæ, paulatim quidem, ſed ſufficienter quotidie hauſtus, tecto probe corpore. Novimus aliquot exempla, ſolo hoc medio, debita cum cautione & præmiſſa venæ ſectione adhibito, periculoſum hunc ſanguinis fluxum ſubſtitiſſe. Idque tanto felicius ſuccedit, ſi corpus juvenile calore interno æſtuat; quem potus frigidus reprimendo madoremque tepidum in peripheria corporis eliciendo, partes ſimul ſulphureas calidas

ſanguinis exæſtuationem inducentes evehit. Non minus præſtans pariter ac probatiſſima eſt in reprimendo calido ſanguinis partium aëreò-ætherearum æſtu virtus nitri rite tantum depurati & cryſtalliſati, imprimis ſi cum aquis refrigerantibus, ut plantaginis, portulacæ, aut etiam ſero lactis, convenienti, parca tamen, ſed ſæpius repetita doſi, aſſumatur. Spiritum quoque vitrioli, vel etiam ejus phlegma acidulum, præ omnibus aliis mineralibus, imo vegetabilibus acidis, peculiarem ad orgaſmum ſanguinis compeſcendum poſſidere virtutem, experti novimus, tanto certiorem, ſi cum his ceu menſtruo ex roſis extrahatur tinctura.

§. III.

Sanguis à pulmonibus quibus divertendus.

Ad obtinendum ſecundæ indicationis ſcopum & divertendum ſanguinis à pulmonibus nimium impetum, præcipuum certe momentum repoſitum eſt in venæ ſectione, in brachio, vel etiam in pede inſtituta. Præſtans etiam hoc nomine virtus pediluviorum temperatorum, nec non immiſſionis manuum in aquam tepidam. Neque minus ad derivandum proficua ea, quæ alvum expurgandi facultate pollent, inter quæ ex internis præcipuum locum inveniunt tamarindinata, paſſulata, rhabarbarina, & inter externa, clyſteres emollientes, ſtimulo quodam acuati.

§. IV.

Spaſticæ ſtricturæ quibus laxandæ.

Tertium medendi momentum in eo verſatur, ut ſpaſticæ ſtricturæ, præſertim quæ in minimis vaſis ſanguiferis & partibus nervoſis conſiſtunt, relaxentur. Huic egregie ſatisfaciunt oleoſa demulcentia, ut oleum amygdalarum dulcium, vel etiam lini, ſine igne recenter paratum, cochleatim aſſumtum. Spectatæ quoque virtutis emulſiones ex ſeminibus cucurbitæ, pineis, ſemine papaveris albi & aquis quas vocant hypnoticas, ut roſarum, papaveris rhœados, nympheæ, liliorum convallium, florum tiliæ, nec non ceraſorum nigrorum paratis, quibus nitri & ſyrupi papaveris albi parum adjiciendum. Vel etiam loco harum aquarum ad emulſiones parandas adhiberi poteſt decoctum cornu cervi, eboris, nec non dentis hippopotami; quia in his duris animantium partibus ſingularis quædam ſpaſticis motibus reſiſtendi facultas ineſt. Si vero adeo rebellis hæc ſtrictura eſt, ut mitioribus hiſce cedere & ſanguinis profluvium ſubſiſtere nolit, ad paulo valentiora recurrere licet; inter quæ ſemen hyoſcyami albi ad drachmam dimidiam, cum æquali pondere lapidum cancrorum, duodecim nitri granis & uno camphoræ grano mixtum, omnibus aliis, etiam opiatis, palmam præripit. Securioris tamen, ac nihilo minus egregii effectus eſt mixtura noſtra tonica, quæ ex tincturæ antimonii acris, ſive tincturæ tartari, liquoris anodyni mineralis ana uncia ſemis, liquoris noſtri bezoardici Buſſiani drachmis duabus & olei macis guttis ſex eſt compoſita; quippe quæ ſpaſticas non modo ſtricturas mulcet, ſed & diureſin & diaphoreſin lenius movendo, ſanguinis ad pectus affluxum divertit efficaciter.

§. V.

Reliquiæ quibus tollendæ.

Quartum in hæmoptyſeos curatione eſt, ut diſrupta vaſa conſolidentur, tenues acres humores affluxum eo proritantes attemperentur & incraſſentur ac partis affectæ tonus roboretur. Hoc autem non obtinendum uno eodemque modo ac medio. Quare quæ ego inter plura proficua deprehendi, candide dicam, certus, ſi cum debito judicio & congruo tempore adhibeantur, eadem, ſi medicinæ adhuc locus, non fore fruſtranea. Eſt autem ex his primum mixtura, cujus formula hæc: recipe aquæ plantaginis, ſcorzoneræ, veronicæ, ſcabioſæ, aceti deſtillati ana unciam, coralliorum rubrorum præparatorum, ſpecierum de hyacintho ana drachmam dimidiam, ſyrupi papaveris rhœados drachmas duas, M. Quæ mixtura tribus vicibus aſſumenda, & ſi vehementius ſanguinis profluvium, addenda adhuc pulveris hæmatitis drachma dimidia. Alterum remedium, quod tam in hæmoptyſi ſimplici, quam etiam in ea, cui complicata eſt phthiſis, conducit, eſt decoctum, cujus hæc eſt compoſitio: Recipe florum bellidis, roſarum rubrarum, chamomillæ vulgaris, ſummitatum millefolii ana pugillos quatuor, herbæ conſolidæ ſaracenicæ, hederæ terreſtris, urticæ mortuæ, veronicæ, ſaniculæ, pyrolæ ana manipulum, ſeminis fœniculi, nuciſtæ ana drachmas duas. Mixta conciſa, contuſa dentur, ſignentur ſpecies, *davon 3. Loth in 2. maas Bier zu kochen.* Tertium quod mihi probati uſus fuit auxilium, ſunt pilulæ ex maſſæ pilularum de cynogloſſa drachma dimidia & maſſæ pilularum balſamicarum Becheri drachmis duabus concinnatæ, ad ſcrupulum unum circa lecti introitum ſumendæ. Quartum & ultimum quod in hoc gravi morbo commendem habeo pulverem hunc: Recipe lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici, cornu cervi ſine igne, dentis hippopotami, lapidis manati ana drachmam, nitri depurati drachmam unam cum dimidia, miſce fiat pulvis, optime ſic uſurpandus, ut ſcrupulus unus ipſius viginti guttis liquoris noſtri mineralis anodyni imbuatur & cum aqua antiſpaſmodica propinetur.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Prognoſis ſit cauta in gravi hæmoptyſi.

IN gravi illa & vera hæmoptyſi, qua, ob ruptum majorem arteriæ pulmonalis ramum, magna ſanguinis copia per brevia intervalla erumpit, caveat medicus, ne promiſſis de reſtituenda ſanitate ſit dives, niſi fluxus ſanguinis intra triduum convenientibus remediis compeſcatur. Interim tamen minime viciſſim laborantem gravi metu mortis ita percellat, ut indicto magno periculo, omnibus viribus, ut ſæpe vidi, eum privet & mortem acceleret.

§. II.

Si plethora adeſt ſanguis mittendus.

Si ſanguinis abundantia urget, & manifeſta adeſt vaſorum plenitudo, ſtatim inter initia inſtituenda eſt, ſive in manu, ſive etiam in pede, ſanguinis miſſio, & quidem largior, ad octo, vel plures uncias, ex amplo foramine; quo ſanguinis impetus eo efficacius à loco affecto divertatur, & rupti ac ſauciati canales eo melius iterum coire & coaleſcere poſſint.

§. III.

Nec non ſi hæmorrhoides emanſerunt.

Illa quoque anniverſaria hæmoptyſis, nec non quæ ex hæmorrhoidali fluxu emanente proficiſcitur, inferre ſolet circa tempus annui recurſus rheumaticos in pectore dolores, junctos cum ſanguinis ſputo. Habetur hinc à minus peritis morbus haud raro pro pleuritico; ſed ſecta in pede vena, & provocato ſic hæmorrhoidum fluxu, non modo

ſanguinis exſpuitio, ſed & reliqua pathemata ſimul & ſemel ſolent conquieſcere.

§. IV.

Si ab acri defluxione fit, demulcentia danda.

Ubi ab acri catarrhali defluxione excitatur cum titillatione in faucium profundo tuſſis acerrima, qua ſimul per vices floridus & ſpumoſus ſanguis cum muco exſcreatur, apparentibus nullis plethoræ ſignis manifeſtis, emulſio tantum amygdalarum dulcium ſeminiſque papaveris albi pro potu operam locat præſtabilem; ac præterea pilulis noſtris balſamicis aliquot grana maſſæ pilularum de ſtyrace aut de cynogloſſa admiſcere expedit. Neutiquam vero in uſum vocanda conſolidantia & adſtringentia, quia minima tantum vaſcula arteriæ bronchialis non vero pulmonalis, ſunt ſauciata.

§. V.

In rebelli ligaturis utendum.

Quando effuſior ſanguinis fluxus præſens minatur periculum atque interna auxilia non ſufficiunt, confugiendum utique eſt ad remedium à veteribus frequentius uſurpatum, nempe ligaturam artuum. Hac enim ſanguis in extremis tantiſper retentus, non tam cito ad cor & ex hoc ad pulmones redit, atque adeo imminuto ad pulmones ſic fluxu, rupti ramuli non ita ſanguine implentur, ſed concidunt faciliuſque coëunt. Ne tamen ex ſtaſi ſanguinis partibus ligatis inferatur periculum, hæc adhibenda eſt cautio, ut ſedata hæmorrhagia, ligaturæ non omnes ſimul, ſed ſucceſſive una poſt alteram ſolvantur.

§. VI.

Si ex hypochondriorum vitio temperamentorum habenda ratio.

Quum hæmoptyſis ſæpiſſime ex primarum viarum & hypochondriorum vitio, inteſtinis flatibus ac ſpaſmis diſtentis accidat, maxime in adoleſcentia & juvenili ætate, ob ſedentariam nimis vitam, ſtudiorum intemperantiam, vel etiam affectuum impetum; ad hanc utique cauſam dirigenda etiam eſt in curatione meditatio, ita tamen, ut exquiſita temperamentorum ſervetur diſtinctio. Quodſi enim juvenes ſunt cholericæ conſtitutionis, exquiſitioris ſenſus, ad iram proni, palpitatione cordis ſubinde afficiuntur, & pulſum exhibent magnum, tum abſtinendum eſt ab omnibus alias egregiis carminativis, ſtomachicis, ſalibus volatilibus oleoſis, nec non purgantibus acrioribus, ac potius pulveres temperantes nitroſi, ad alvum laxandam mannata, paſſulata, tamarindinata & ad corrigendam ſanguinis intemperiem diluentia, ſerum lactis caprilli, decocta hordeacea, avenacea & id genus plura, cum fructu adhibentur. Contra ea, ubi peccant humores viſcidi, ubi infarctus viſcerum, intemperies frigida & humida, & habitus corporis ſpongioſus, tunc pilulæ balſamicæ polychreſtæ, nec non ſpiritus ſalis ammoniaci, vel volatilis oleoſus Sylvii, cum tinctura tartari mixtus, item eſſentiæ temperatiores carminativæ, tincturis martialibus mixtæ, utiliter exhibentur.

§. VII.

Adſtringentia nocent valida.

Sicuti remedia quæ validiori adſtringendi facultate pollent, nunquam ullo in morbo, ita nec in hæmorrhagiis ſecuram operam præſtant; omnium vero minime in hæmoptyſi, præſertim illa quaſi critica, nec non ab initio & in paroxyſmo ex uſu ſunt. Etenim, licet fluxum ad tempus ſiſtant, relinquunt tamen in pulmonalibus veſiculis ſanguinis grumulos, qui in corruptionem abeuntes, inflammationem, putredinem, phthiſin & hecticam expedito & facili modo inferre poſſunt. Interim tamen, neutiquam ex toto repudianda ſunt leniora adſtringentia & roborantia, opportuna extra paroxyſmum & in fine fluxus, ad tollendas reliquias & præſcindendam recidivam. Inter hæc laudem merentur eximiam ſolutio coralliorum cum ſucco citri vel aurantiorum facta & in ſyrupi formam redacta, confectio de hyacintho, conſerva roſarum rubrarum cum terra ſigillata, aut hæmatitis pulvere mixta. Chinæ corticem mirifice commendat *Morton in phthiſiologia*, in electuarium cum ſyrupo roſarum redigendum, cui extractum caſcarillæ aquoſum, ſuccinum & pulvis nuciſtæ commode adjiciuntur. Hæc enim, dum partibus motricibus à robore defectis debitum tonum blande reddunt, ut ſanguis per totum corpus promtius & expeditius cum omnibus ſuccis circumeat ſimulque cuticularis excretio liberius ſuccedat, faciunt & ſic utilitatem præſtant. Nec minus eximia eſt efficacia infuſorum theiformium, item decocti roborantis pro potu ordinario. Infuſa quidem optime ex vegetabilibus ſupra memoratis traumaticis, cum herba polygoni, millefolii ſummitatibus & fœniculi ſemine concinnari & quotidie ſorbillari poſſunt. Decoctum vero ex radice ſarſaparillæ, chinæ, raſura ligni ſantali rubri, citrini quoque, ligni lentiſci, vel loco hujus maſtiches, una cum paſſulis poſſunt confici.

Sed temperatiora non repudianda.

§. VIII.

De lacticiniis cautela.

Lactis & lacticiniorum uſus omnino præſtans eſt in hoc morbo. Novi, ſolo lacte caprillo cum floribus papaveris rhœados cocto, admixta dimidia aquæ parte & adjecta portione mellis, quotidie largius aſſumto, immodicam etiam ex pulmonibus ſanguinis profuſionem optime conquieviſſe primum, ac poſtea uſurpatis ſimul multo inter cibos confectis ex amylo, ex toto fuiſſe ſanatam. Id tamen de uſu lacticiniorum omni tenendum: ut non modo ventriculi, an ea ferre poſſit, habeatur ratio, ſed & ne ſimul & ſemel, ſed parcis & repetitis vicibus, ingerantur.

§. IX.

In ſenibus tenenda.

Si ſeniores hunc morbum incurrunt, haud leve ipſis imminet periculum, licet ſanguis non adeo largiter profundatur. Penitus vero in his abſtinendum eſt tam à fortiter adſtringentibus ad ſiſtendam hæmoptyſin, quam ab opiatis ad procurandum ſomnum, ne vires magis dejiciantur & corruptio, in quam ſenilia corpora ipſorumque ſanguis pronus, præcaveatur.

§. X.

Minerales aquæ quæ noceant, quæ prosint.

Caveant ſibi hæmoptyci omnes, præſertim ubi profuſio gravior eſt & copioſior, ab aquarum mineralium, thermalium & acidularum uſu, maxime omnium illarum, quæ ſale quodam copioſo acri & principio calcareo alcalino imbutæ ſunt, Carolinis, Pyrmontanis, Egranis, Sedlicenſibus. Ubi enim partis aut viſceris cujuſdam interni ſubſtantia læſa eſt aut corrupta, labem hæ aquæ augent & exacerbant, adeoque nunquam proſunt. Viciſſim acidulæ temperatiores, ut Selteranæ, quæ purum ſal alcali recondunt, præſertim ſi cum lacte aſinino vel caprillo miſcentur, uſus ſunt ſaluberrimi, eo quod ſanguinis & humorum ſalſam & acrem dyſcraſiam contemperant non modo, ſed & obſtructiones & infarctus pulmonum referant, ſimulque acres particulas per urinarias vias, ne denuo noceant, evehunt.

Eſt

Eſt autem ſic inſtitutus acidularum potus tunc quam maxime utilis, quando à ſcorbutica & icterica ſanguinis & humorum intemperie malum hoc & inducitur & fovetur.

§. XI.

In vitæ victuſque regimine tenenda.

Ultimo loco addendum eximium *Celſi Libr.* 10. *Cap.* 4. conſilium, de iis, quæ ſervanda in vita victuque ab hæmoptycis, dum monet: ipſis utilem eſſe quietem, ſecuritatem, ſilentium; ut caput ſublime cubet, & facies ſæpius aqua frigida foveatur: inimica autem ipſis eſſe, vinum, balneum, venerem, acriora omnia, item calida fomenta, conclavia calida & concluſa, multa veſtimenta corpori injecta, etiam frictiones, niſi ubi ſanguis bene conquieverit. *Hippocrates* autem *Libr. de internis affectionibus* commendat hæmoptyſi affectis aquæ potum, item lac bubulum tertia parte aquæ mulſæ remixtum & copioſius aſſumtum, item lac caprillum, coctum cum ſemine lini & ſemine ſeſami; porro farinam cum lacte coctam. Quæ omnia proficua eſſe, experientia & ratio teſtatur, eo quod tali diæta humores tenues incraſſantur, acres mulcentur & læſarum partium conglutinatio promovetur.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

De hæmoptyſi menſtrua indemni.

Perculſa fuerat nobilis fœmina, triginta annorum, ipſo illo quo menſes fluebant tempore, terrore ingenti, quo illico ſubſtitit ſanguis, & inducta pectoris gravitas, præcordiorum anxietas & cordis palpitatio impenſa. Recurrente dein menſtrua periodo, rediit quidem ſanguinis ſtillicidium, ſed admodum parcum, præcedente preſſorio & tenſorio dorſi ac hypochondriorum dolore, pectoris anguſtia & gravativo in præcordiis ſenſu. Acceſſit vero etiam ſanguinis è pectore per tuſſim ejectio, poſt quatriduum ſponte iterum ceſſans. Quin quotieſcunque poſtea utero purgata, toties, per quinque vel ſex dies, ſanguinis plus vel minus è pulmonibus ejecit, idque per novem annos continuos; ita tamen, ut quum impræ gnatione facta menſes retinerentur, hæmoptyſis etiam quieſceret, poſt partum autem mox rediret, atque etiam ſub ipſa lactatione ſueta periodo ſuccederet. Interim nihil inde detrimenti redundavit in ſanitatem, neque quicquam incommodi ſenſit fœmina, fruſtra tamen ad compeſcendam hanc pulmonum hæmorrhagiam variorum medicorum conquiſivit & conſilia, & auxilia.

Epicriſis.

Singulare hoc eſt hæmoptyſeos menſtruæ, diuturnæ quidem, ſed periculi expertis exemplum, quo aperte confutatur falſa non nullorum opinio, qua hæmoptyſin omnem phthiſin habere, aut comitem, aut pediſſequam putant. Duxit autem originem ex ſanguinis ab utero ad pectus, propter terroris vehementiam, facta regurgitatione, qua vaſa pulmonalia diducta tandem aperta ſanguinem eructarunt, ſed remittente ſanguinis ad interiora menſium tempore ſolenni reſtrictione & evacuato ſuperfluo, liberior iterum factus progreſſus, vaſa occluſa & ſic ſponte ceſſavit hæmoptyſis ac damni intulit nihil. Interim per quas ſemel iterumque ſanguis elatus eſt vias, ex facili poſtea relegit, & accedit quaſi quædam naturæ conſuetudo, certa ſcilicet ſolidarum partium diſpoſitio, qua appulſo validius ſanguini, prompte viam concedunt ac diverticulum, ægre poſtea, ac niſi ſtatim in principio, medicamentis iterum tollenda.

Observatio II.

De hæmoptyſi vere & autumno periodica.

Juvenis viginti annorum, corpore tener, animo ad iracundiam admodum proclivis, per aliquot jam annos circa veris & autumni ingreſſum tuſſi ex pulmonibus ejecerat ſanguinem; noviſſime autem accidit, ut circa idem tempus ira excandeſceret vehementius, eoque hæmoptyſin incurreret largiſſimam, certis quotidie periodis accedentem, hora ſcilicet matutina quarta & veſpertina nona. Eruptionem ſemper ingens præcordiorum anxietas, frigoris notabilis in pedibus ac preſſorius & tenſorius in hypochondrio ſiniſtro ſenſus præceſſerunt; poſtea ſucceſſit ſcreatus ſanguinis, qui per quatuordecim dies perſtitit & octo minimum libras ſanguinis evexit, non ſine magna virium jactura. Medicus in conſilium vocatus, neglecta ſanguinis miſſione, decocta adſtringentia, incraſſantia & pectoralia, ipſum quoque hæmatitis pulverem obtulit, ſed fruſtra prorſus, ac potius ſanguinis evacuatio ſtatas ſuas ſemper ſervavit periodos. Advocatus & ego in auxilium quaternis ſingulis horis propinavi ſalis volatilis oleoſi genuini XX. guttas ex aqua ceraſorum nigrorum; circa ſomni tempus pulveris antiſpaſmodici, ex dente hippopotami, unicornu vero, lapidibus cancrorum, ungula alcis, nitro, diaphoretico antimonio, pulvere lumbricorum terreſtrium & cinnabari, doſin, cum tantillo maſſæ pilularum de cynogloſſa, ſumere juſſi; alvum liberam ſervare emollientibus clyſteribus nitro largius conditis, ac pedes non modo aquæ tepidæ ſubinde immittere, ſed & calidis integumentis à frigoris acceſſu ſolicite defendere, ſuaſi. Quibus, fortunante DEO, curationem ex voto confeci.

Epicriſis.

Periodica fuit hæc hæmoptyſis tam ratione recurſus vernalis & autumnalis, quam etiam eruptionis ipſius mane & veſperi factæ, ſimulatque teſtimonio eſt, quantum valeat iracundiæ affectus ad provocanda ſanguinis profluvia. Quia autem periodos ſervantes morbi fomitem ut plurimum habent ſordium in prima corporis regione colluviem, in promtu eſt judicare, vulgaria illa pectoralia, incraſſantia, adſtringentia, efficere potuiſſe nihil, ac præter leniora evacuantia, recte in uſum vocata fuiſſe ea, quæ ſpaſticas ſtricturas, in conſuetudinem & habitum quaſi tranſeuntes, laxarunt, antiſpaſmodica ſcilicet, maximeque illam cum cynogloſſa confectam pilularum maſſam. Sed minus obvium erit non nullis id, quod ſal volatile oleoſum, cujus vis ſanguinem exæſtuans & humores commovens alias paſſim decantata, uſurpatum cum fructu. Verum candide profitemur ac confidenter, nos ipſo hoc remedio ſæpe ſæpius ſuſtuliſſe cito ac ſecure nimia ſanguinis profluvia, per quæcunque loca facta. Id tamen monendum, neutiquam exhibendum eſſe efficax hoc auxilium, in, aut mox ante paroxyſmum, ſed ceſſante ac remittente fluxu. Etenim quia impenſiores ſpaſmos, eruptionis auctores, excipere ſolet debilitas & relaxatio, ad ſtagnationem novam adeoque inducendum denuo ſpaſmum poſtea anſam præbens, hæc utique non melius poteſt præſcindi, quam robo-

rando partes atonia affectas, quod per ejuſmodi volatilia oleoſa perficitur commodiſſime.

Observatio III.

De hæmoptyſi alvi fluxu ſoluta.

Theologus, vigeſimum quintum ætatis annum egreſſus, ſuccis & ſanguine plenus, incidit, poſtquam è ſuggeſtu verba feciſſet voce intenſa, in hæmoptyſin largam, qua tantum ſanguinis evacuatum, quantum replendæ pelvi integræ ſufficiebat. Hinc debilitatus admodum à medicinæ ſtudioſo petit conſilium, qui tincturam ſulphuris vitrioli cum laudano opiato mixtam propinat, eo cum effectu, ut æger poſt aliquot doles ſuffocationem cum maxima præcordiorum anxietate incurreret. Ad hanc itaque levandam ſanguis ſubtractus & mixtura data diſcutiens ex aqua chærefolii, ſcabioſæ, florum ſambuci, deſtillato aceto, lapidibus cancrorum cum nitro & diaſcordio Fracaſtorii. Quibus quidem urgens malum diſcuſſum, ſed interpoſitis aliquot diebus rediit ſanguinis ſcreatus non mediocri copia, cujus acceſſum aliquoties poſtea factum, æger ex horripilatione & refrigeratione partium externarum, faciei pallore & ſenſu è dextro pectoris latere calidi ſanguinis adſcendentis, prænunciavit. Licet autem huic malo complura præſtantiſſima opponerentur auxilia, & æger etiam aliquod inde acciperet levamen, penitus tamen ſubſiſtere noluit ſanguis, ſed ſubinde aliquot ſanguinis floridi cochlearia eruperunt. Interim accidit, ut æger cibum caperet flatulentum ex pomis terræ, radicis cyclaminis vulgaris, vulgo *Erd-aepffeln*, & ſtomacho admodum debili exiſtente, inde tormentis in ventre atrocibus afficeretur, quibus in copioſum alvi fluxum ſolutis, id commodi tulit, ut ſanguinis è pulmonibus fluxus prorſus ex eo ſubſiſteret, nec unquam poſtea rediret, inprimis quum decoctis vulnerariis, admixtis balſamicis temperatis, novum acceſſum declinare ſatageret. Inter cibos commendavi pultem crebrius aſſumendam ex farina farris *Rocken-mehl*, aqua & butyro.

Epicriſis.

Caute mercandum eſſe cum ſtipticis adſtringentibus, cujus generis eſt tinctura ſulphuris vitrioli, antiphthiſica Gramanni, in hoc ſanguinis profluvio maximeque ejuſdem principio, uberius confirmat hæc hiſtoria, niſi ſuffocationem, vel etiam ipſam phthiſin arceſſere velimus. Patet quoque, tormina & cruciatus imi ventris cum alvi copioſis dejectionibus, ſanguinis à partibus ſuperioribus ad inferiores impetum derivaſſe, & ſic mali pertinaciam expugnaſſe. Quo egregie confirmatur inſignis eorum utilitas, quæ alvum ſubducunt & bilioſum ſerum educunt in rebellibus ejuſmodi pectoris morbis. Simul vero innoteſcit, per accidens quandoque ſalubritatem per ſe nociva afferre, uti in noſtro cibus incongruus flatulentus, tormina impenſa ſuſcitans. Cæterum hac obſervatione docemur, decocta ex herbis vulnerariis, quæ temperata amaritie & adſtrictione nimis relaxata vaſa firmant & roborant, ad perfectam hujus mali ſanationem, ut non amplius redeat, modo viſcera adhuc ſint integra, utiliſſimam exhibere efficaciam.

Observatio IV.

Hæmoptyſis ſæpe recrudeſcens

Theologiæ ſtudio addictus juvenis, temperamento melancholicus, corpore procerus & macilentus, primis quidem ætatis annis ſanus fuerat ac vegetus, ſed ante ſex annos in ſchola deſudans, repente correptus eſt totius corporis refrigeratione, maxime pedum manuumque, cum virium languore, inappetentia, & nauſeabundo anxio circa præcordia ſenſu, quem noſtri vocant *Ubelſeyn*, nec non pectoris anguſtia ac ſtimulo ad tuſſim. Nocte inſequenti præter opinionem ſanguinem exſpuit ſincerum, idque poſtea ſucceſſit per biduum & priora pathemata infeſtarunt per hebdomades ſex, donec Medici ope iterum convaleſceret, & per ſexennium ab hæmoptyſeos recurſu degeret liber. Sed quum in Academiam concedens erudiendis liberis operam ſuam addiceret ſæpiuſque ob id animo commoveretur, accidit, ut idem morbus, iiſdem quam antea ſymptomatibus rediret, extremorum frigore, præcordiorum anxietate, ſpiratione difficili, virium & appetitus dejectione ſomnique defectu. Dato tum pulvere antiſpaſmodico, morbus pauliſper inducias dare viſus eſt, ſed remanſit languor, ac cum ad priſtinum docendi munus rediret æger, rediit & morbus, ita ut per quinque hebdomades quotidie ſucceſſive ſex vel ſeptem ſanguinis floridi cochlearia, ac intermedio tempore viſcidam pituitam pure remixtam, ſcreatu redderet. Adhibita igitur venæ ſectio in pede, dati pulveres antiſpaſmodici, quin dulcis eſſentia & ſolaris pulvis, verum fruſtra, morbus potius perſtitit idem, pulſus præterea fuit inæqualis, celer ac debilis, extrema frigida & tanta virium proſtratio, ut vix loqui & corpus loco movere valeret, macilentus ſimul ob appetitus defectum redditus. Sic rebus fere conclamatis me acceſſit & meum auxilium imploravit, ego vero renui primum medicationem, parentis tamen precibus demum inductus bina ipſi ſuaſi auxilia, quorum ſolo frequenti per octo hebdomades continuato uſu divina gratia convaluit, ac non modo ab hæmoptyſi & omnibus ſymptomatibus liberatus eſt, ſed & ſomnum, appetentiam, vires & carnem recepit. Scilicet præter potum ordinarium ex decocto avenaceo cum ſemine fœniculi, ſuaſi, ut quotidie minimum menſuram decocti temperantis, mane cum tertia parte lactis caprilli & veſperi ſine lacte tepide biberet, quod conficiendum ex raſuræ cornu cervi unciis tribus, radicis ſcorzoneræ unciis duabus, herbæ veronicæ manipulo, ſummitatum millefolii, florum papaveris rhœados tantundem, cornu cervi uſti uncia, coquendo binas harum ſpecierum uncias in tribus aquæ libris. Circa ſomni autem tempus drachmam ſumere juſſi ex aqua ceraſorum nigrorum hujus pulveris: recipe lapidum cancrorum unciam, coralliorum rubrorum præparatorum, matris perlarum, nitri depurati, caſcarillæ, ſingulorum drachmas duas, olei de cedro, nuciſtæ deſtillati ana guttas ſex. M. f. pulvis D.

leniſſimis curata.

Epicriſis.

Ex hac morbi hiſtoria id utique notandum, hoc ſanguineæ excretionis genus, quod per pulmones fit, ſi primis annis infeſtat & conquieſcit dein per aliquot annos, poſtea ex facili, nimio corporis, vel animi motu, maximeque vociferatione & intenſione ſermonis excitari poſſe. In ejuſmodi autem debilibus & ad ſpaſticas turbulentas ſolidorum ac fluidorum motiones pronis corporibus, plus utique valent ſimplicia ac temperata domeſtica quaſi auxilia continuato uſu, quam validiora chymica, conciſa doſi danda, ipſa etiam phar-

pharmaceutica artificiosa & sic dicta pectoralia. Illa enim agunt mitissime, nec adeo molestè afficiunt sensiles nerveas partes, simul blande acrimoniam diluendo temperant, humores crassos attenuant, nutriunt & sic infirmo corpori præstant robur. Et quoniam non frigida, sed calida sumuntur decocta hæc domestica, id præterea ferunt utilitatis, ut sanguinis motum ab interioribus ad exteriora ipsumque cutis emunctorium dirigant. Pulvis autem ille absorbens nitrosus temperat acidam & biliosam acrimoniam, quæ in prima corporis regione hospitans, occasionalem materialem plerumque causam præbet, stimulando & irritando nervosas corporis partes, irregulari sanguinis motui inducendo.

Observatio V.

Hæmoptysis hysterico-cachectica lethalis.

Generosa virgo triginta sex annorum, sanguineæ complexionis & animi in hilaritatem proni, per quatuordecim & ultra annos inordinatam in aula, ratione victus, somni & animi motuum agens vitam, incidit sæpius in anomalum mensium successum, dum illorum fluxus quandoque nimius, quandoque parcus, quandoque plane deficiens erat. Inde male sæpius habuit in ventriculi regione, ac de anxio pressorio dolore, nausea, vomitione, virium collapsu *oder Ubel seyn*, conquerens, potu aquarum spirituosarum, usu elixiriorum stomachicorum, neque minus frequenti esu pomorum citreorum, per integros fere quatuor annos hisce symptomatibus succurrere laboravit, sed penitus incassum. Accedente demum gravi diuturno tristitiæ affectu viribus orbata, ante anni dimidium in epilepticum incidit insultum, qui idoneis remediis usurpatis quidem emansit, inflationes tamen circa præcordia, cum sensu anxietatis, eructationibus, conatu ad vomitum, alvi strictura perstiterunt. Postea per quatuor fere mensium spatium ex toto menses substiterunt, neque ter celebrata venæ sectione in pede, neque moderate sumtis balsamicis & emmenagogis revocari potuerunt. Inde factum est, ut denuo ex fratris subita morte supervenientе tristitia, non ita multo post in gravem sanguinis per pulmonem rejectionem incideret, adeo, ut aliquot libræ intra triduum floridi & spumosi sanguinis cum tussi & screatu ejicerentur. Sanguis ter in pede missus quidem, sed ex improviso successit paroxysmus epilepticus tam gravis & continuus, ut omni sensuum & rationis usu extincto, vitam tolleret.

Epicrisis.

Gravis & lethalis hæc hæmoptysis non ut morbus principalis, sed ut symptomaticus considerari debet, qualis, si cachecticis, spleneticis supervenit, ut plurimum funesta est. Ego bis in simili casu, facta dissectione corporis, lienem magnum corrupto sanguine turgidum inveni, vasaque brevia ventriculi atro sanguine valde distenta, ipsumque ventriculum nimis expansum. Neque dubium est, quin in nostra sedes insultuum epilepticorum, etiam hæmoptyseos, in vitiato & corrupto liene ac ventriculi ob summam atoniam inflatione constituta fuerit; siquidem intercepto libero sanguinis per vasculosum lienis viscus transitu, per consensum vasorum non modo ventriculus patitur, sed & facile regurgitat sanguis ad ramos superiores magnæ arteriæ & versus cordis sinistrum sinum, unde obice hoc posito, sanguinis impetus per arteriam pulmonalem in ipsam substantiam pulmonum vesicularem increscit, vasa minima à sanguine nimium dilatantur, tandem rupta excretionem sanguinis per bronchia & asperam arteriam efficiunt. Ad hujus mali nec non epileptici generationem, utique nimius usus acetositatis citri & aquarum spirituosarum, ingens quoque tristitia mensiumque defectus plurimum valuerunt. Præterea nobis documentum hæc historia morbi præbet, quod sanguinis missio crebrius instituta, neque ad menses in ordinem redigendos, neque ad hæmoptysin sistendam per se efficax & promtum satis sit remedium, item, quod spasticæ strictura ventriculi, præsertim si lien obstructus fuerit, gravia mala, ut hæmoptysin, epilepsiam, facillime causari possint. Epilepsia vero superveniens hæmoptysi, effato *Hippocratis* lethalis est, præsertim quando per venæ sectionem multum sanguinis simul amissum fuit.

Observatio VI.

Hæmoptysis copiosa cum convulsionibus lethalis.

Prædictæ generosæ virginis frater ante sex menses eodem morbo eodemque fere modo occubuit. Is ante duodecim annos à lapsu equi in terram in sputum incidit sanguineum, quod tamen sanatum. Jam erat ætatis XXX. & aliquot annorum, staturæ macilentæ, tristioris animi, faciei pallidæ; & conquerebatur sæpius de anxietatibus & pressionibus præcordiorum sub costis spuriis, præsertim sinistri lateris, cum ardore ventriculi impenso. Passionum harum originem rejecit in potum frigidum forsan calenti, post venationem, cui deditus erat, corpori ingestum. Accedente postea conjugio & insigni animi tristis affectione valde est debilitatus, in festivitate vero quadam aulæ solenni, præter morem & consuetudinem corpus vehementer saltatione exercuit, quo factum est, ut elapsis circiter XIV. diebus, anxietatem & constrictivum senserit circa præcordia dolorem, cum vomendi conatu, postea ex improviso sequuta vehemens admodum sanguinis per pulmones ejectio cum suffocationis metu, sequutæ simul brevi convulsiones epilepticæ satis fortes, quæ intra biduum vitam abstulerunt.

Epicrisis.

Viscera abdominis sanguinea, ut hepar, lien, si insolitæ magnitudinis sunt sanguine & humore infarcta & obstructa, dum æquabilem sanguinis circulum, obice quasi posito, impediunt, ad immodicas & subinde exitiales sanguinis tam per vomitum & secessum, quam per vasculosam pulmonis substantiam profusiones, disponunt. Quia vero tanto impetu & copia erupit è pulmonibus sanguis, nullum dubium est, quin ipso in pulmone jam vitiosa quædam adfuerit dispositio, quæ & *Hippocratis* & nostra sententia in eo consistit, quod rami arteriæ pulmonalis, dispersi per vesicularem & cellulosam substantiam, nimium distenti in tenera anevrismata diducantur, quæ tandem rupta tantam sanguinis copiam fundunt, ut hærens in trachæa metum injiciat suffocationis. Venam vero secare in tali paroxysmo, subtrahendo plus sanguinis adhuc magis nocet, quam prodest, & ad movendam magis epilepticam convulsionem, quam ad eam minuendam, confert.

Observatio VII.

Hæmoptysis post febrem sæpe repetens.

Theologiæ Studiosus, vigesimum quartum ætatis annum agens, Pomeranus robustus, biennio abhinc febre correptus est autumnali, tum epidemica, post quam insequentis anni mense Februario,

bruario, ſub aſcenſu ſcalarum calidam ebullitionem & fluctuationem in ſiniſtro thoracis latere ſub mammilla perſenſit, quam excepit tuſſis cum ſpirandi anguſtia ac demum ſanguinis ſcreatu evacuatio, intra duas horas, ad uncias aliquot. Quam ut compeſceret, ingeſſit largam pulveris antiſpaſmodici doſin, ad unam & dimidiam circiter drachmam, eo cum effectu, ut ſanguis ſubſiſteret & ipſe per annum valetudine ſic ſatis commoda frui videretur. Sed anni ſubſequentis vere rediit ſanguinis ſcreatus, ac primo cruor pituita remixtus, dein noctu ſanguis ſincerus ad duas libras tuſſi exturbatus eſt. Aperta vena, hæmoptyſis pauliſper ſiluit, mox autem recruduit, ac per quinque dies, duodecies intra diem & noctem accedens, duravit, tandem tamen uſu pulverum nitroſorum cohibita, per tres hebdomades dedit inducias. Quibus exactis XIII. Januarii die noctu rediit, & ex eo ad ſextum uſque Maii diem, ſingulis veneris diebus, periodicum quaſi ſervavit acceſſum. Ingeſta interea pulverum tantum non moles hæmoptyſin cohibuit, ſed ſucceſſit mane ingens ſputi viſcidi flaveſcentis rejectio. Initiante vero autumno iterum apparuit in ſputo ſanguis, ac miſſo fere ad libram in pede ſanguine datiſque nitroſis pulveribus, rurſus diſparuit. Januario ſequentis anni rediit hæmoptyſis, eodem modo ſedata, Martio repetiit, iiſdemque remediis iterum eſt depulſa, copioſa autem ſputi viſcidi rejectio manſit, ac præterea in hypochondrio ſiniſtro ſub ſpuriis è regione ventriculi coſtis, intolerabiles ſucceſſerunt dolores pungitivi & ſpaſtici, qui in hunc uſque diem affligunt. Id vero memorandum, ſanguinis exſpuitionem ſemper præceſſiſſe cutis horripilationem, manuumque refrigerationem, cum pungitivo in latere ſiniſtro ſenſu, phlogoſi caput & faciem occupante, nec non ructibus. Ut igitur tam ſcreatum matutinum tolleret, quam etiam mali recurſum anteverteret, acceſſit æger ad me. Et quum vires non adeo exhauſtæ, appetitus etiam adhuc conſtaret, ſub ſpe ſucceſſus felicis ſuaſi uſum elixirii balſamici temperati, item mixturam ex liquore anodyno minerali, tinctura tartari & ſpiritu bezoardico Buſſii conſtantem, laxantia ex rhabarbaro, terra foliata tartari & nitro, loco potus decoctum ex cornu cervi raſpato, radice ſcorzoneræ, chinæ, ſemine fœniculi ac paſſulis, nec non infuſum theiforme, ex ſcolopendrio, meliſſa, polygono, veronica, ſcordio, millefolio, ſalvia, cum radice glycyrrhizæ & ſemine fœniculi.

Epicriſis.

Cruenta hæc tuſſis orta fuit poſt febrem intermittentem, quæ non modo diuturna, ſed & forſan non adeo dextre percurata, vitium reliquit in lienis, aut hepatis viſcere. Id quod haud obſcure arguit paroxyſini acceſſus, quem ſemper cum lateris ſiniſtri dolore & exin propagata quaſi fluctuatione & calida ebullitione in pectus cum phlogoſi factum eſſe, æger aſſeveravit. Fere ſemper autem ſpaſtica tam exteriorum, quam internarum partium conſtrictio hæmoptyſin præcedit, qua impedito ſanguinis ad externa & libero progreſſu, ipſe in interioribus & majoribus vaſis uberiori copia colligitur, accumulatur atque congeritur, unde vaſa nimium diſtenduntur tandemque dehiſcunt ac ſanguinem effundunt. Quoad medicationem dein tenendum, medicamenta ex nitro & abſorbentibus, item venæ ſectionem egregio utique eſſe præſidio, ad derivandum ac intercipiendum impetuoſum ſanguinis ad pectus affluxum, ad cohibendam hæmorrhagiam atque etiam præſcindendum novum inſultum. Interim minime morbo tollendo penitus ſufficit iis tantum inſtituta curatio, ſed temporarium modo præſtat levamen ac ceu cura palliativa conſideranda. Etenim ſanguinis miſſio in talo inſtituta liberalius, minuit omnino plethoram & ſanguinis impetum à pectore ad inferiora revellit, ſed ſi jam obſtructio in vaſe aut viſcere, haud raro fit, ut elangueſcente inde pulſu, expediri nequeat is qui impactus hæret ſanguis, & effectus ſic ſubſequatur pravus. Nitroſa utiliſſima, quia inteſtinum nimium particularum ſulphurearum orgaſticum motum componunt, & relaxando ac mulcendo ſtrictas nerveas partes, ſpaſmis occurrunt. Aſt non ſufficit refrænaſſe impetum & excretionem, ſed eo potiſſimum medicatio dirigenda, ut tollatur fundamentum mali, obſtructa viſcera, hepar maxime & lien, expediantur, dolores hypochondriorum depulſentur atque etiam poſtea relaxati nimium pori ac diſtenta vaſorum orificia in pulmonibus ad naturalem habitudinem reducantur & roborentur, ne ibi fiant ſtagnationes, quibus tam copioſus ſcreatus, quam etiam effluxus ſanguinolenti recurſus, merito tribuendus. Hunc igitur in ſcopum data à me remedia memorata, quibus à prioribus medicis omiſſis, ſpes jam haud vana eſt melioris effectus. Novi quoque in curato ſic hæmoptyco morbo ad arcendum phthiſicum malum, egregie profuiſſe lac cum Selteranis acidulis, vel etiam aqua calcis remixtum, & perite dextreque uſurpatum.

Observatio VIII.

Hæmoptyſis ſimplex.

Plethoricus vir quadragenarius, corpore ſpongioſus, ingenio fœcundo & amœno, laute vivens, omiſſa primum ſanguinis miſſione, vernali ſemper & autumnali tempore expertus eſt hæmorrhoidalis fluxus indicia ac cum fæcibus quippiam ſanguinis excrevit. Hinc ad minuendam plethoram vere & autumno venam incidi paſſus eſt cum euphoria, ſed quum æquinoctio vernali omiſiſſet forte ſuetam ſanguinis miſſionem, poſt vehementiorem corporis motum & liberaliorem vini Rhenani potum, incurrit hæmoptyſin & cum tuſſi aliquoties ſanguinem ſpumoſum & floridum rejecit. Admiſit igitur ſanguinis è tali vena ſubtractionem largam, ac pulverem præcipitantem nitroſum cum liquore anodyno minerali ſumſit, quibus ſanguinis exſpuitio conſtitit ac infuſo dein veronicæ, meliſſæ, pulmonariæ, ſaniculæ, cum ſemine fœniculi & lacte ita convaluit, ut nec amplius hæmoptyſis redierit, neque etiam quicquam incommodi reliquerit.

Epicriſis.

Simplex recte dicenda hæc hæmoptyſis. Quæ enim ſic ex ſola ſanguinis plenitudine & ſuppreſſa ſolenni ejuſdem, vel ſpontanea per menſes & hæmorrhoides, vel artificiali ex inciſa vena, evacuatione, ſine labe viſceris cujuſdam, ſine cacochymica etiam humorum diſpoſitione, oboritur, palindrome quaſi ad pulmones facta, periculo vacat, ſi cito ſuccurritur. Sed tunc maxime juvat venæ ſectio, quæ ſanguinem copioſum non modo demit, ſed & à parte affecta efficaciter revellit impetum. Juvant vero etiam ea remedia, quæ orgaſmum ſanguinis contemperant, nitroſa, lactis ſerum, nec non aquæ frigidæ perite adminiſtus potus, cum iis, quæ ſtagnantem in pectore ſanguinem reſolvunt ac ne putreſcat

ibi

ibi efficiunt; quibus demum ſubjungenda pectoralia & remiſſum pulmonum tonum firmantia. Hac methodo ego complures plethoricos, maxime juvenes, ex corporis exæſtuatione hæmoptyſi affectos, facili & explicita curatione ad ſanitatem reduxi. Sed ſi differtur medicatio, neque adhibentur remedia ſanguinem in pulmones effuſum diſſolventia, & diſrupta vaſa conſolidantia, purulenta gignitur materia ipſaque phthiſis.

Observatio IX.

Hæmoptyſis ex labe viſcerum funeſta.

Vir literatiſſimus, quinquagenario major, cujus fata ob merita illuſtria adhuc luget noſtra hæc academia, nunquam antea hæmoptycus aut phthiſicus, vitæ maxime ſedentariæ addictus, quum ſtudiis intemperantius aliquamdiu invigilaſſet ac præterea animo ſæpe multumque ira ac ſolicitudine fuiſſet commotus, neglecta ſanguinis per venam ſubtractione, corpus exagitavit valide & æſtuans adhuc frigidum ingeſſit hauſtum liberalem. Quo illico ſenſit virium corporiſque languorem, & quum voce elata doceret auditores, incidit in hæmoptyſin, eaque ſucceſſive rejecit aliquoties uncias aliquot. Ipſe autem periculi ex hoc malo probe gnarus, gravi inde mortis perculſus eſt metu, quo vires conciderunt penitus; erectus tamen paulliſper animo melius habere cœpit, ſed variis uſus medicamentis, aqua frigida, ſero lactis cum vino cocto, nitroſis, pectoralibus aliiſque pluribus, parciorem quidem habuit ſanguinis excretionem, tuſſis autem cum raucedine reſtitit, appetentia periit, ſomnus abfuit, vires indies magis collapſæ, caro conſumta, & febris gliſcere cœpit ex pulſu celeri cum æſtu cognoſcenda, qua ſucci roſcidi prorſus abſumti, & mente ad ultima uſque alacri, mors excepit inſperata, licet nec pus, neque etiam ſputum copioſum anteceſſiſſet.

Epicriſis.

Mortis cauſa principalis in erudito hoc viro neutiquam fuit ſanguinis exſpuitio, ſed procul dubio tabeſcentia ac corruptio nobilioris cujuſdam viſceris, pulmonis, vel forte lienis. Hanc enim corruptivam labem ſemper fere prodit appetitus viriumque proſtratio enormis, quæ, ſi in viſcere ſtomacho propinquo, omnem ipſius appetentem & digerentem vim peſſundat. Cauſa vero fatalis hujus morbi, nimiis curis, labori erudito impenſiori, ac potui frigido corpori calenti ingeſto, tribuenda videtur, quo ſanguis & omnes corporis ſucci labe infecti, & in progreſſu impediti ſtagnarunt, ac putreſcentes, funeſtam induxerunt cataſtrophen.

Observatio X.

Hæmoptyſis phthiſica cum recti a lethali.

Locum tenens generoſus, viginti quatuor annorum, ſanguineo-cholericus, corporis conſtitutione debilis, & ab ineunte ætate morbis, præſertim acutis, crebro afflictus, decimo quarto ætatis anno, ex terrore ſub ſomno, incidit in grave delirium periodicum, quod per biennium fere perſtitit, ac tandem iterata ſæpius alternis diebus ſanguinis miſſione eſt abactum. Ex eo natura ita venæ ſectioni aſſuefacta, ut quotannis minimum ter vel quater eandem admittere cogeretur, ſimul pectori inducta morbida ejuſmodi diſpoſitio, ut ſæpius ex eo laboraret, & pleuritide vera, nec non vehementi ſpaſmodica anguſtante ſtrictura ſubinde afficeretur. Quin, quum ipſi ex collato interea militari officio iter longinquum ſub frigido & humido cœlo faciendi neceſſitas imponeretur, illico poſt reditum correptus eſt tuſſi vehementi, qua ſubinde non nihil ſanguinis floridi ejecit, & poſt octiduum; admiſſo adhuc diætetico delicto, ſucceſſit ipſa hæmoptyſis larga, intra quatriduum minimum duas ſanguinis ſpumoſi rubicundi libras evehens. Licet autem adhibitis remediis ſanguinis ſcreatus remitteret, remanſit tamen tuſſis moleſta, pectoris gravitas, ſpiratio difficilis & nocturnus ſudor admodum infirmans. Tuſſis per totum morbi decurſum valida admodum erat, plus ſicca quam humida, paucam quidem materiam flaveſcentem evehens, ſed quia dies noctesque vires & corpus nullis cedens remediis convellebat, nihil boni præſagiebat. Nihil vero magis afflixit ægrotantem, ac dirus & intolerandus fere ſub oſſe humeri ſiniſtri conſiſtens dolor pungitivus & tenſivus, qui per vices totum pectus ſpaſmo adeo conſtringebat, ut omnem fere reſpirationem ad ſuffocationem uſque tolleret. Quin dolor hic poſtea ſe extendit ad regionem lumbarem, ſub tuſſi ſemper vehementior, adeo, ut æger vix per conclave pedibus incedere poſſet. Veſperi & maxime poſt cœnam, frigus cum horripilatione quadam extrema occupabat, quod non vehemens æſtus, ſed effuſus per noctem ſudor ſequebatur, cum pulſu duro & frequenti, urina rubicunda, cum copioſo albo ſedimento. Lateri ſiniſtro ægre incumbere potuit, ac validior ſemper inſequuta tuſſis. Ceterum tot paſſionibus indies vires cum carne conſumebantur, ac præterea phlogoſes interdum cum dolore & ſudore in fronte caput occupabant, ac licet medicus nihil omitteret, tam ex diæteticis, quam pharmaceuticis remediis, quod curationi hujus affectus, vel mitigationi ſymptomatum idoneum, omnia tamen erant fruſtranea. Demum meum etiam exquiſitum ante duos menſes conſilium, qui pariter triſtem exitum ominatus, nil niſi uſum ſeri lactis dulcis commendavi. Invaleſcente itaque hectica febre & perſeverantibus ſpaſmis ac doloribus in dorſo acerbiſſimis, æger in delirium tribus ante obitum hebdomadibus incidit, & ſic etiam rationis uſu privatus obiit. Facta ex decumbentis voluntate poſt mortem ſectione, tota pulmonum ſubſtantia, præſertim vero lobi ſiniſtri, ſcirrhoſa, multis vomicis, pure craſſo, glutinoſo refertis, plena fuit inventa, ac præterea in arteria pulmonali polypus inſtar minimi digiti longus & latus. Ipſe pulmo non tantum cum pleura, ſed & cum pericardio & diaphragmate tam firmiter concretus & quaſi conglutinatus erat, ut vix commode cultro ſeparari potuerit. Tam pertinacis vero & moleſtiſſimi in regione lumbari doloris cauſa nulla alia reperta fuit, quam quod ob firmam cohæſionem pulmonis cum diaphragmate, ſub vehementi & pectus concutiente tuſſi, proceſſus & tendines diaphragmatis lumborum vertebris annexi nimis vehementer tenſi ac diſtorti.

Epicriſis.

Hæc morbi hiſtoria paulo curatius inſpecta, haud exigua in uſum theoriæ & praxeos medicæ præbet argumenta. Scilicet innoteſcit: quod delirium decimo quarto ætatis anno per duos fere annos integros durans, crebrius & fere alternis diebus repetita venæ ſectione quidem conquieverit, ſed quod eo natura ita aſſuefacta eidem, quin debilitata fuerit, ut ter, vel quater ſingulis

gulis annis, ſanguinem mittere fuerit coactus, neque tamen ſub tanta ſanguinis imminutione, à rheumatiſmis in pectore & pleuritide cum febre, congeſtionibus etiam ſanguinis ad partes ſuperiores, potuerit liberari. Deinde id quoque in uſum medicum cedere poteſt, quod poſt morbum pleuriticum, quum debiles adhuc ſunt pulmones, nihil ſit deterius, ac corpus diu atmoſphæræ frigidæ & humidæ exponere, & quod hoc modo hæmoptyſis ac phthiſis, magna pulmonibus labe & obſtructione inducta, ingenerari poſſit. Deterior porro ſemper eſt poſt hæmoptyſin tuſſis ſicca & vehemens, quam humida purulenta & copioſa, quam ego aliquoties in juvenibus ſanavi lacte incocto cum ſpeciebus vulnerariis, uſurpato balſamo pectorali Meibomii & ordinario ſeri lactis potu. Præterea patefit: quod dolor in lumbis fixus & intolerabilis à tenſione nimia proceſſuum diaphragmatis oriri poſſit, id quod etiam in Principe juvene Cizenſi, ante viginti aliquot annos hic mortuo, à copia extravaſati puris proceſſus diaphragmatis comprimentis, obſervatum. Tandem notabile eſt, quod delirium in febre hectica & phthiſi ſupervenire poſſit in corpore diſpoſito.

Observatio XI.

De hæmoptyſi cum inflammatione ventriculi.

Studioſus quinque ſupra viginti annos habens, conſtitutionis ſatis robuſtæ, ante anni dimidium à motu & exercitatione corporis vehementiori, ſub hyeme frigida incurrit in ejectionem ſputi cruenti, ita ut per vices aliquot cochlearia exſcrearet. Adminiſtrata in talo ſanguinis miſſione ſponte ceſſavit malum, quum vero poſt aliquot menſes, in aëre frigido & humido pedibus iter faciens, potu ſpiritus vini repletus, cum ſodali graves moveret rixas, & ira candens frigidam cereviſiam copioſe ſuperbiberet; ingentem quantitatem ſanguinis ſpumoſi tuſſi excrevit, ut intra diem & noctem libræ minimum quatuor fuerint rejectæ. Conquerebatur autem ſimul de vehementi incendio circa præcordia & pectus, partibus externis penitus refrigeratis; aderat continua ſitis, pulſus durus & vehemens, nullus ſomnus, & quando ſanguinem non exſpuebat, miram quantitatem pituitæ viſcidæ ore rejiciebat. Nihil levaminis à ſecta vena, ab uſu ſeri lactis, à pediluviis, à lacte amygdalato cum nitro mixto, nec ab aliis medicamentis inflammationi reſiſtentibus expertus eſt, ſed potius ab omnibus ingeſtis major oborta eſt anxietas & dolor, donec tandem perſiſtentibus hiſce ſymptomatibus & fatiſcentibus omnibus viribus, decimo quarto ab invaſione morbi die, periret.

Epicriſis.

Videmus ex hac morbi hiſtoria, quomodo & à quibus cauſis ſimul concurrentibus, in homine plethorico & qui jam tum levem hæmoptyſin expertus eſt, gravis hæmoptyſis una cum inflammatione ventriculi lethali progigni poſſit. Nam atmoſphæra frigido-humida exiſtente, fortior motus, potus copioſus ſpiritus vini, ira, vociferatio, in homine plethorico ſanguinem in tantam ebullitionem, orgaſmum, congeſtionem & impetum a partibus exterioribus ad interiora urgere & pellere valent, ut ruptis vaſis pulmonalibus, hæmorrhagia periculoſa, ventriculi vero à potu ingeſto frigido inflammatio, nullis levanda auxiliis, accedat. Poſt excretionem autem cruentam magna phlegmatis ejectio ſucceſſit in noſtro, propter majorem humorum ad pectus affluxum, & nimiam membranæ in bronchiis glanduloſæ relaxationem.

Observatio XII.

Hæmoptyſis pectoralis rheumatica.

Fœmina generoſi ſtemmatis, valde teneri corporis animique mobilioris, annorum quinquaginta, per decem fere annos menſtrua caruit purgatione, & hinc etiam ſubinde flatulentiis, præcordiorum anxietatibus, animi perturbationibus, phlogoſibus cum ſtrictiore alvo junctis, à longo tempore fuit obnoxia. Ante annum & quod excedit, circa os ſacrum & in imo ventre dolorem preſſorium cum ardore & pruritu ani perſenſit, & paucis diebus elapſis, portionem ſanguinis ſeceſſiſſe per alvum, quum eam depoſuiſſet, obſervavit, idque aliquoties. Sed ab hoc tempore protinus omnis evanuit dolor & imi ventris moleſtia, brevi tamen poſt cum abdominis ventris alvique ſtrictura percepit dolorem pungitivum in ſiniſtro thoracis latere, cum titillatione in epiglottide tuſſique valida & ſicca, qua demum aliquot ſanguinis floridi & coccineo tincti colore extruſit per intervalla cochlearia, & ſic iterum cunctæ moleſtiæ remiſerunt. Quum vero talem acceſſionem per quatuor menſes circa plenilunii tempus, cum iiſdem antecedentibus ſymptomatibus, ſimili etiam eventu & ſolutione mali, generoſiſſima fœmina experiretur, metu majoris periculi poſtulavit meum conſilium. Ego igitur tres ante acceſſionis hactenus conſuetum tempus dies venam tali tundendam curavi, & minimum ut tres vel quatuor ſanguinis unciæ emitterentur juſſi, pulverem etiam rhabarbari cum lapidibus cancrorum & nitro bis in ſeptimana cum hauſtu aquæ frigidæ circa lecti introitum & infuſum theiforme mane ſumendum ſuaſi, quorum remediorum ope ab omni acceſſione hæmoptyſeos poſtea libera permanſit.

Epicriſis.

Rectius hæc hæmoptyſis pectoralis rheumatica appellari poteſt, quæ ex palindrome, ſive translatione ſanguinis affectantis exitum per venas hæmorrhoidales ad pectus, ubi etiam in muſculis thoracis pleuritidem ſpuriam intentavit, fuit profecta, & ſoluta per apertionem vaſorum ſanguineorum, quæ interius bronchiorum tunicas inveſtiunt. Tenuis enim, floridus & ſpumoſus ſanguis rarius immediate ex pulmonum ſubſtantia, frequentius ex bronchiis & aſperæ arteri æ vaſis ſauciatis venit. Quum autem venæ ſectio validum ſit ſanguinem à partibus ſuperioribus ad inferiores revellens medium, non ſine levamine circa tempus acceſſionis inſtituta fuit.

Plures memorabiles obſervationes legas in *Conſult. Medic. Tom. I. Sect. II. caſ. LXIX-LXXIII.*

CAPUT III.

De Vomitu Cruento ſine & cum ſeceſſu nigro ſive morbo nigro Hippocratis.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Vomitus cruentus quid?

Sicut in hæmoptyſi ſanguis ſubinde ſpumoſus, tenuis & floridus cum tuſſi ejicitur; ita ex ventriculo cruor concretus, ex atro-rufeſcente colore tinctus,

tinctus, multo cum phlegmate insipido, acido, aut viscido mixtus per vomitum exturbatur.

§. II.

Ejus symptomata & signa.

Antecedit hunc sanguinis vomitum ut plurimum punctorius & tensivus hypochondrii sinistri dolor, & ipsa eruptio nunquam fere non cum præcordiorum anxietate & dolore compressorio, nec non constrictione in hoc latere jungitur; atque etiam nullum sanguinis profluvium tam facile ac sæpe lipothymiam habet comitem, quam hoc, præsertim, quando cruor graveolens, corruptus exit.

§. III.

Sedes in ventriculo & liene.

Sedes morbi & scaturigo unde sanguis venit, est in ventriculo, ita tamen, ut in consortium mali, ceu sedes causæ morbi, veniat & ipse lien. Id enim aperte monstrant sectiones cadaverum hoc morbo defunctorum. De liene quidem, quod is semper fere sanguine tumidus, infarctus & quandoque plane induratus deprehendatur. De ventriculo autem, qui copiosis ubique vasis distinctus est, quod brevia potissimum sic dicta arteriosa & venosa, quæ in superna & sinistra tenuiori parte excurrunt, ibique admodum tenera membrana teguntur, si aperiuntur, vel disrumpuntur, sanguinem qui vomitu ejicitur, fundant & suderint, eaque propter varicosa & nigro sanguine distenta deprehendantur, corrupta simul ibi ipsius ventriculi substantia. Sic *Riolanus anthropolog. Lib. II. Cap.* 17. vas breve minimo digito latum deprehendit in rejectione sanguinis per superiora & inferiora. Idem testatur *Columbus rerum anatomic. Lib. XV.* de Cardinali Cibo, nec non *Wedelius* in *Physiolog. reformat. Platerus Observat. Libr. II. & Bonetus medicin. septentrional. Libr. III. Sect.* 5. *Cap.* 4.

§. IV.

Non semper ex brevibus.

Interim non adeo videtur improbabile, licet rarius contingat, quod ex aliis etiam stomachi vasis, si à succis acido-corrosivis, vel etiam à venenis, fuerint erosa, vomitus cruentus succedat. Quod tanto magis factum fuisse concludendum, si dolor stomachi præcessit acutus, atque materia, quæ vomitu rejicitur cruenta, nigra simul est & acida, dentes stupefacit, fauces ac os adurit, & pavimento injecta ebullit, qualem descriptionem *Hippocrates L. II. de morbis* §. 71. tradit.

§. V.

Quæ ad dam dispositas corpora.

Jam sicuti corpora graciliora & teneriora omnium facillime hæmorrhagias, quæ fiunt in partibus internis, incurrunt; ita etiam idem fieri in ea, quæ succedit in ventriculo, testatur experientia, præsertim si subjecta sensibilioris & mobilioris simul sunt animi. Ejusmodi enim corpora vasa ut plurimum gerunt subtiliora & quoad substantiam teneriora, quæ & facile distensionem & rupturam, atque hinc sanguinis effusionem, admittunt.

§. VI.

Inprimis frequens male mensuatis.

Potissimum atroci huic malo obnoxiæ femellæ, inprimis quæ alvi sunt adstrictioris, pubertatis tempore, quo menses primo imminent, nec non quando postea suppressi sunt, aut parcius succedunt. Tum enim, quando gravi ira, vel terrore commoventur, & inferiorum partium accidit refrigeratio, vel etiam medicus pathemata à regurgitante ab utero ad stomachum sanguine orta per emesin excitatam perperam tollere contendit, per quam facile sanguinis eructatio procuratur.

§. VII.

Post intermittentes male curatas.

Pari ratione post intermittentem perversa methodo à medico tractatam & justo citius cohibitam, in tenerioris texturæ fœminis novi substitisse menses. Quos si postea validis & calidis emmenagogis iterum emovere ausus fuit morbi artifex, enormem & lethalem cruentam vomitionem successisse bis observavi.

§. VIII.

Mensibus emanentibus.

Annosiores quoque fœminas, desinente mensium fluxu, graviori & diuturniori mœrore confectas, de doloribus pressoriis in sinistro hypochondrio, cum inappetentia & virium debilitate, diu conquestas notavi; quibus tandem subito impetuosa sanguinis per vomitum mortifera eructatio accidit.

§. IX.

Gravidis plethoricis.

Neque minus gravidas, si sanguine nimis redundant, ejusdemque missionem intermittunt, cruento vomitu tentari in experientia est fundatum; præsertim, quando circa medium gestationis tempus stomachus ipsis crebrius fuit subversus. Quia tamen is, quem vomitu rejiciunt sanguis, parcus est ac tenuis, magis videtur vero simile, eundem ex arteriolarum in œsophago & faucium furculis, non vero ex ipsius stomachi vasis venire, eaque propter minus periculi alere.

§. X.

Parturientibus difficulter.

Contra ea capitale sanguinis observavi cum vomitu profluvium, in fœminis, quæ partu difficillimo ex pravo fœtus situ laborarunt, & immensam sanguinis molem cum vita eructarunt. Vidi tamen etiam, vomitionem cruentam in parturientibus non funestam; sed in his parcior secessit sanguinis quantitas & puerperæ admodum fuerunt plethoricæ, ac ultimis temporibus venæ sectio male fuit intermissa.

§. XI.

Hæmorrhoidariis viris.

In virili etiam sexu occurrunt subinde valetudinarii & hæmorrhoidarii, qui succedente parcius, vel cessante penitus hæmorrhoidali fluxu, de præcordiorum anxietatibus, constrictionibus cardialgicis, cum sudore frigido, alternante calore & frigore, conqueruntur. Quibus, si tandem evacuatio sanguinis fœculenta & cadaver olens per superiora & inferiora accidit, recurrente aliquoties paroxysmo, brevi post sub animi defectione ipsi perire solent.

§. XII.

Ex aëris vitio non adeo periculosus.

Minoris periculi fuit ille cruentus vomitus, quem superiori anno Septembri mense Martisburgi frequenter observavi. Licet enim cruor bruno-nigricans, ad aliquot mensuras, in plebejis maxime fœminis ac viris, eructaretur, præter virium debilitatem, vita tamen fuit superstes. Quin, eodem tempore, occurrerunt in plethoricis maxime hæmoptyses, quæ pariter sine singulari artificio iterum discesserunt. Circa æquinoctiale enim tum tempus, ob subitas & multiplices aëris ex calido in frigidum, & ex frigido in calidum vicissitudines, sanguinis æqualis ac liber circulus turbatur, ut hic, maxime ubi redundat, ad

hanc vel illam partem cum impetu ruat, & ubi exitum invenit, perrumpat, effuso autem nimio, iterum cesset.

§. XIII.

Ab inflammatione ventriculi distinguendus.

De ipsius morbi decursu porro tenendum, spasticum illum & gravativum ventriculi dolorem, qui ut plurimum cum ardore sanguinis vomitui jungitur, non pro stomachi inflammatione esse habendum. Inflammatio enim nunquam non extremorum frigore, vehementi circa præcordia æstu, siti, febre, pulsu contracto, debili & celeri stipatur, quæ tamen in cruento vomitu non sic adsunt. Neque ventriculus inflammatus ferre potest calidum potum, nec non exterius applicationem tegularum calidarum, vel calidorum pannorum, quæ tamen vomitu cruento laborantes eximie solantur.

§. XIV.

Facile recidivat.

Sicuti autem omnes hæmorrhagiæ facile recrudescunt & post hebdomadem non modo, sed mensium etiam, quin annorum decursum, revertuntur; sic etiam idem in hac ventriculi hæmorrhagia accidit. Nam quia per effusionem partibus inducitur debilitas, minus postea resistere possunt sanguini copiosius & validius affluenti, sed is pristinas servat vias, subsistit ibi tandemque etiam erumpit. Quin ea quandoque observatur naturæ quasi consuetudo, ut locum pristinum exacte repetat, & maxime in narium hæmorrhagia, ex nare illius lateris, quo primum successit, postea semper fere succedere soleat sanguinis stillicidium.

§. XV.

Quæ magis, quæ minus periculosa.

Periculum quidem, quod morbus hic inducit, non in omnibus idem, id vero certum, vix ullam hæmorrhagiam periculosiorem esse hac. Interim non tantum discriminis subest, si febris abest, si à suppressis evacuationibus ex plethora oriundis ortus. Contra ea, si febris jungitur, si sanguis corruptus, graveolens & niger prodit, si ex magno & corrupto liene, vel indurato hepate proficiscitur, animique tandem jungitur defectio, summum adest periculum & mortem proximam jam portendit. *Hippocrat. aphor.* 37. *Sect. VI.* nec non *in prognosticis.*

§. XVI.

Periculosissima cum secessu nigro.

Longe gravius longeque certius est periculum, si, uti subinde accidit, vomitui cruento, nigra & pici similis eaque graveolens alvi dejectio jungitur. Hæc enim subitum ut plurimum denunciat interitum, ipsius *Hippocratis* testimonio, qui sub morbi nigri nomine hanc passionem describit.

§. XVII.

Qui ex mesaraicis in ileo.

Proficiscitur cruenta hæc, tam per inferius, quam per superius os ejectio, non immediate ex ventriculi vasis, nec à sanguine in stomachi cavo extravasato, sed potius ex alio viscere, vel intestinis tenuibus, maximeque ileo, & ruptis in ipso mesaraicis, quæ tenuissima tecta sunt tunica, vasis. Hæc enim in defunctis sæpe adhuc nigro sanguine valde distenta deprehendi, simulque totum ventriculum cruenta ejusmodi materia refertum.

§. XVIII.

Hæmor-

Qui autem funestis ejusmodi nigris alvi dejectionibus, cum vel sine vomitu cruento, afficiuntur, vel hypochondriaci sunt, aut hæmorrhoidarii; in quibus sanguinis cursus per mesaraica vasa non recte, sed impeditius succedit, unde dolorificæ vasorum sub membranis excurrentium distensiones, spasmi, congestiones & tandem effusiones pernicioſæ sequuntur. Quibus optime distingui potest à fluxu sanguinis hæmorrhoidali, qui licet interdum etiam subnigricans sit; neutiquam tamen tam immenso dolore intestinorum spasmodico stipatur, neque etiam præsentem interitum, sed potius magnum levamen, affert.

rhoidar & hypo chondri cis frequens.

§. XIX.

Ac propt fœtorem putrilag vires v tamque mit.

Materia illa nigricans, quæ sic per alvum exit, solet esse fœtidissima, quia sanguis effusus, cum stercoribus in cavo intestinorum quasi confermentatus, exaltato principio sulphureo alcalino, in fœtidissimam abit putrilaginem. Quæ, quia infensissima fluidi nervorum naturæ, hinc mox cito vires deprimit & vitales in corpore motus destruit. Atque adeo summa, quæ fere morbo huic perpetuo jungitur virium dejectio, non adeo ex nimia sanguinis profusione ejusque natura, sed potius ex ipsius corruptione putrida est derivanda.

THESES THERAPEUTICÆ CUM CAUTELIS CLINICIS.

§. I.

Medica causis ac commoda da.

In hujus tam horrendi & gravis morbi curatione Medicus utique pro diversitate corporum, causarum & temporis, prudenter & circumspecte sese gerere debet. Etenim alia medendi ratio est in paroxysmo, alia extra eundem; alia, ubi à sola sanguinis abundantia & orgasmo malum suscitatur atque excretio quasi critica est, alia, quando à doloribus & spasmis sanguinem ad interiora urgentibus oritur; rursus vero alia, quando à corrupto aut obstructo viscere, aut à causa externa, veneno vel corrosiva materia, morbus inducitur.

§. II.

In paroxy smo vena secanda pletho rici

Ipso in paroxysmo, si corpus est plethoricum, ipseque sanguinis motus ab exterioribus ad interiora præter naturam conversus est, commodissimum locum habet venæ sectio in brachio. Tenendum vero est, sanguinis mensuram missionisque repetitionem à perito & circumspecto medico pro corporis, vasorum repletionis, virium & ætatis ratione esse præcipiendam.

§. III.

Sanguin æstuante prosunt frigerant potus.

Quandocunque sanguis nimium æstuat atque in orgasmo constitutus, & pulsus impetuosus ac validus est, aquæ fontanæ, vel plantaginis potus, in cujus libra nitri puri drachma & syrupi papaveris rhœados uncia dimidia soluta, successive & temperate sumtus, egregie conducit. Refrigerans enim hæc potio temperat simul humorum acrimoniam, elasticam partium sulphurearum exæstuationem intra vasa componit, & relaxata vasculorum apertorum orificia ita firmat & roborat, ut postea eo facilius coëant iterumque coalescant.

§. IV.

Spasmis gentibus

Porro nunquam non egregiam opem præstant emulsiones, imprimis, quando præcordialis

regio,

dandæ emulsiones.

regio, circa sinistrum potissimum latus, pungitivis & vellicatoriis doloribus spasticisque stricturis affligitur ac sitis cum æstu urget. Possunt autem confici ex seminibus quatuor frigidis & papaveris albi, cum aquis antispasmodicis, florum tiliæ, liliorum convallium, primulæ veris, acaciæ, papaveris rhœados, pœoniæ, cerasorum nigrorum, admixto nitri momento & convenienti syrupi papaveris albi quantitate.

§. V.

Et injiciendi clysteres emollientes.

Præterea ad laxandas spasticas intestinorum strictura & divertendum impetuosum humorum ad partem affectam affluxum, desideratum subinde levamen afferunt clysteres emollientes ac demulcentes, stimulo tamen quodam leniori armati, nitro conditi & frequentius injecti.

§. VI.

Exterius admovenda discutientia & roborantia.

Neque minus inter externa hujus mali remedia connumeranda ea, quæ spasmos sistendo, ventriculum roborando, nec non discutiendo, virtutem suam exserunt. Hoc nomine ego nihil præstantius deprehendi ipso oleo camphoræ, quod paratur, si drachma una camphoræ solvitur in uncia una olei amygdalarum dulcium & postea viginti guttæ olei ligni Rhodii instillantur. Inungitur hoc oleo tota præcordialis regio cum toto hypochondrio sinistro, & postea sacculus, cui species ex floribus chamomillæ Romanæ, sambuci, herba menthæ & absynthii inditæ, in aceto rosaceo, vel vino rubro coctus, subcalide applicatur.

§. VII.

Ligaturæ item, & lavationes manuum pedumque.

Quodsi jam enormis cruoris copia profusa cum summa virium jactura, injiciendæ sunt ad compescendum nimium fluxum artuum ligaturæ, quæ postea, uti capite antecedente monitum, circumspecte iterum solvendæ. Novi etiam non sine successu fuisse consilium, ut manus & pedes ad malleolos usque, aquæ immittantur frigidæ, quo frigus sanguinem in minimis vasis diutius detineat, & sic ejusdem ad cor refluxus aliquantisper retardetur.

§. VIII.

Recursus quibus arcendus.

Extra paroxysmum ad arcendum mali recursum eximie conducit rhabarbari electi pulvis, ad dimidiam drachmam, vel solus, vel cum cancrorum lapidibus, aut duodecim trochiscorum de carabe granis & dimidio camphoræ grano, bis singulis septimanis, ante lecti introitum, cum hausta aquæ fontanæ sumtus. Est enim rhabarbarum quasi specificum ad reserandas paulatim obstructiones. Egregia quoque virtus est infusi theiformis ex herba veronicæ, centumnodii, summitatibus millefolii, radice glycyrrhizæ & semine fœniculi, ad aliquot patellas quotidie poti. Potui ordinario inservit commode aqua fontana pura & levis, in qua ferrum extinctum, vel etiam serum lactis acidulatum.

§. IX.

Si ex menstruis subpressis qua facienda.

Peculiari ratione huic malo occurrendum, si ex menstruis suppressis, vel obstructis oritur. Tum scilicet vena secanda est in pede, & præterea clysteribus ex mensibus provocandis idoneis confectis, ut artemisia, pulegio, floribus cheiri, baccis lauri & juniperi, alvus frequentius eluenda, vel etiam temperatæ ejusmodi species emmenagogæ, in infuso, aut decocto, simul sunt propinandæ.

§. X.

A corrosivis quomodo excipiendus.

Alia quoque ratione medicatio instituenda, quando ab assumtis acribus & acidis liquoribus stomachi vasa erosa & sanguis sic effusus evomitur. Tum scilicet ad contemperandam acrimoniam & cicurandam rodentem facultatem, eximie conducunt pulveres absorbentes terreo alcalini, ad consolidanda autem vascula sauciata optimum remedium lac cum amylo coctum.

§. XI.

Anodyna & stiptica fugienda.

In omni, à quacunque causa fuerit producta, stomachi hæmorrhagia, caute mercandum est cum opiatis & narcoticis, eo, quod virium dejectionem, quæ nunquam non in hoc morbo præsto est, magis adhuc cum summo detrimento augent. Summo etiam studio cavendum est à validis stipticis, adstringentibus & vitriolaceis pharmacis. His enim sanguinis eruptio quidem sistitur, sed cruor in vasis stagnans putrescit & gravis inflammatio cum sphacelo metuenda, aut minimum, si cachecticum corpus est, expeditus fit in hydropem transitus.

§. XII.

A quibus postea cavendum.

Superato vomitu cruento, abstinendum postea omni cura ab emeticis, nec non ab aloeticis, quibus sanguinis orgasmus, ejusdem inordinatus progressus & ad stomachum confluxus inducitur, ac sic facillime malum revocatur. Recte etiam monet *Hippocrates*: fugienda esse oleosa & pinguia, quibus addenda etiam dulcia. Nam licet hæc inter alimenta sint præstantissima, recursui tamen & generationi hujus mali favent, quia vascula dilacerata nimium relaxando, sanguinis affluxum potius invitant, quam arcent.

§. XIII.

Hippocratis monita practica.

Ceterum digna utique sunt, quæ subjungantur *Hippocratis* de morbo nigro monita practica, quæ *libro II. de morbis Sect. V.* consignavit & sic habent: *Morbo atro laboranti medicamentum purgans crebro propinato, & serum & lac, si anni tempus ferat, & cibis abstineat dulcibus, oleosis & pinguibus; utatur potius frigidis & alvum subducentibus, & nisi debilis fuerit, sanguinem è brachio detrahito. Quod si alvus non dejiciat, molli infuso subluito, à crapula & venere abstineat, neque multum exerceatur, neque deambulet, calida non lavet, acria non edat, neque salsa, quæ cum fecerit, cum ætate etiam morbus fugiet.*

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Vomitus cruentus in juvencula curatus.

Virgo, decimum octavum ætatis annum agens, corpore procera, macilenta ac tenera, facie pallida, anno ætatis decimo quarto, post vehementissimam iracundiam, tantam cruoris copiam evomuit, ut mensuram fere compleret. Subsequuta tum febris assidua, qua discussa, mensium fluxus erupit & in hunc usque diem satis ordinate successit. Interim haud raro emicuit sensus doloris pungitivi in sinistro latere & pressorii in ventriculo, quo medicus consultus inductus, cruditates in stomacho subesse suspicatus est, & ob id porrexit vomitorium satis validum antimoniale. Sed inde dolores & pressiones ventriculi mirum exacerbatæ & accesserunt præterea strictura præcordiorum anxiæ, cum intenso

capitis dolore, quin triduo poſt, ſanguis magno cum impetu per os erupit, ſub extremorum algore, aphonia, animi profunda defectione alvique adſtrictione, quæ inſequutus æſtus ingens, cum magna ſiti; poſtero tamen die per vomitum nihil amplius ſanguinis, ſed tantum ingeſta rejecta, & ante meridiem ſemper ægra melius, poſt meridiem pejus habuit. Cum demum ego in conſilium adſciſcerer, his uſus ſum magno cum fructu remediis. Binis ſcilicet ſingulis horis porrexi paulatim ſorbendum hauſtum aquæ fontanæ frigidæ, cum pulvere nitroſo abſorbente & quindecim liquoris anodyni mineralis guttis. Deinde ter ſucceſſive injicere juſſi clyſterem emollientem domeſticum, quo alvus ingentem viſcidorum recrementorum colluviem dimiſit. His levata quidem ægra, conquievit etiam æſtus nimius & urgens præcordiorum anxietas, nihilo minus manſit ſemper conatus ad vomendum, junctus interdum, non cum ſanguinis, ſed pituitæ vomitu, neque capitis dolores, neque anxietates præcordiorum prorſus ceſſarunt, ſed interjecto aliquo tempore redierunt & vires præterea multum fuerunt dejectæ. Quare emulſionem parare juſſi ex decocto cornu cervi & ſcorzoneræ, aqua meliſſæ & menthæ ſine vino, cum ſeminibus quatuor frigidis, papaveris albi & ſyrupo papaveris, quam ægra inſigni ſumſit cum euphoria. Præcordiali vero regioni, ſacculum herba menthæ, floribus ſambuci & chamomillæ Romanæ plenum inque vino coctum ſæpius applicare juſſi. Et ad levandum capitis dolorem liquoris anodyni mineralis guttas quinque, vel ſex, fruſtulo ſacchari Canarienſis inſtillatas, ſæpius ori indere ſuaſi. Sic demum effectum eſt, ut & vomitus cruentus, & omnia reliqua pathemata diſcederent, & ægra priſtinam perfectam recuperaret valetudinem.

Epicriſis.

Quando menſes primum inſtant, decimo tertio, vel quarto ætatis anno, & juvenculæ ob id habent male, fortior animi, per mœrorem, aut iram commotio ſuperveniens, ſanguinis è ſtomacho eruptionem perquam facile ſuſcitare poteſt, idque tanto certius, quando exhibetur emeticum, tum certe veneni vim habens. Quod ſi etiam ſemel hæc adfuit hæmorrhagia, poſt longum annorum decurſum, eadem, quavis data occaſione, facile redit, uti quidem in noſtra factum eſt per vomitorium validum, quo ſanguinis impetus non modo ad ventriculum, ſed & ad caput translatus, in illo cruentum vomitum, in hoc autem gravia pathemata induxit.

Observatio II.

Vomitus & ſeceſſus niger brevi lethalis.

Laborarat per longum tempus quartana febre juvenis, & tandem ab empirico, neſcio quibus, curatus, pravum inde corporis contraxit habitum, cum livido ac plumbeo faciei colore, aliquali etiam circa palpebras tumore & virium languore continuo. Præterea ſæpius conqueſtus eſt, imprimis poſt uſum flatulentorum, vel animi commotionem, de dolore ſiniſtri lateris, alvo ſimul dura & tenſa. Tandem cum pedibus iter aliquot milliarium conficiens corpus valide exagitaſſet, & rixas etiam cum ſodalibus habuiſſet, incidit inopinato in vomitum nigrum, largius & aliquoties erumpentem; ſimul ſeceſſerunt per alvum fæces inſtar picis nigræ ac fœtidiſſimæ. Sub his æger ſæpius animi deliquium, ſi erigeret corpus, incurrit & intra viginti quatuor horas plane exſpiravit. Diſſecto altero ſtatim die cadavere, tam inſacetus nares feriit fœtor, ut non ferre poſſent adſtantes. In ventriculo vaſa brevia nigro colore conſpicua & diſrupta apparuerunt, & tam in ejus cavo, quam etiam ileo inteſtino, liquamen nigrum fœtidum comparuit, vaſis ilei ſimul nigricantibus. Hepar, naturali aliquanto durius viſum fuit, ſed lien adeo durus, ut pene cartilaginis ſpeciem præberet, atque exterior ejus ſubſtantia albeſcens vix acuto cultro diſcindi poſſet; mollior autem interior exigua compages ſuperſtes, atro ſanguine erat plena.

Epicriſis.

Subitaneæ hoc eſt exemplum mortis, ex ſola ſanguinis effuſione, memoratu utique dignum. Nam in aliis ſanguinis profluviis, licet is majori copia effundatur; non tamen tam ſubito mors, vel etiam animi deliquia accedunt. Quare alia utique ſubeſſe debet hujus eventus cauſa, quam ego quidem putredini cum intolerabili fœtore tribuendam eſſe cenſeo. Quæ quia intimæ ad cerebrum nervoſaſque partes admiſſionis, ſubito fluidum illud inficit, quod vires præſtat, eodem modo ac in iis, qui ſphacelo partium tantum externarum afficiuntur, nec non qui cancrum exulceratum gerunt, & ea propter vitam cum viribus ſubito perdunt. Quoad cauſam vero hujus mali, febris quartana diuturna & forſan male etiam curata, reliquit inſigne vitium in lienis viſcere, quo obſtructo, accedente ſpaſtica ſub ira ſtrictura, ſanguis in progreſſu magis adhuc impeditus, nec ea propter mirum eſt, eundem tam brevia vaſa, quam quæ ſunt in ileo, diſrupiſſe & effluxiſſe.

Observatio III.

Vomitus cruentus cum ſeceſſu nigro poſt XIV. dies lethalis.

Fœmina ſexagenaria, plethorica, ſedentariæ vitæ & craſſiori victui addicta, poſt perpeſſam diuturnam mœſtitiam, conqueſta eſt aliquamdiu de laſſitudine corporis & dolore in ſiniſtro latere. Quum vero curru aliquando veheretur & ſimul vento frigidiori corpus exponeret, vomitu ejecit magnam materiæ nigricantis copiam, mox etiam ſimilis coloris per alvum ſeceſſit cum fœtore ingenti, ipſa autem ſub his dejectionibus aliquoties redeuntibus animi ſemper paſſa eſt deliquium. Datæ fuerunt interne analepticæ mixturæ, cum aceto deſtillato & cancrorum lapidibus. Exterius ventriculi regioni applicatum balſamum noſtrum vitæ, ac præterea, ſedato poſt vomitu, rhabarbarum in ſubſtantia cum manna datum. Videbatur malum hiſce mediis aliquantiſper inducias dare, & ſpatio triginta horarum, neque per ſuperiora, neque inferiora, contigit ejectio; nihilo tamen ſecius rediit poſtea aliquoties anoterica & catoterica dejectio cum animi deliquio, appetitus fuit ſimul proſtratus, ſomnus turbulentus, paucus & nihil reficiens; quibus tandem, elapſis duabus hebdomadibus, conſumta fœmina occubuit. Tradito ad balſamationem cadavere, inſpeximus mortis & morbi cauſam ac invenimus, vaſa ventriculi brevia tumida & ſanguine atro farcta ac in inteſtino ileo affatim cruorem atrum. Hepar magnum erat valdeque induratum, lien non quidem durus, ſed naturali duplo major, adeo mollis, ut ipſius ſubſtantia digito preſſa mox dehiſceret & ſanguis fœtidus, obſcure nigricans quaqua verſum diffiueret.

Epicri-

Epicriſis.

Ortus fuit funeſtus hic morbus procul dubio ex emanente ſanguinis per uterum purgatione, qua ceſſante, in fœmina plethorica, neglecta præterea venæ ſectione, neceſſe utique fuit, ut ſanguis in viſceribus ſtagnaret, ea infarciret, & ſubtracto tandem per animi mœrorem eorum robore, morbum mortemque hac ratione inferret. Quod autem diutius malo hoc affecta traxit ægra, neque etiam tam ingens adfuit fœtor, tribuendum videtur, tum, quod ſanguis non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſive effuſus, tum etiam, quod ſanguis in ætate ſenili non adeo particulis ſulphureis ſcatet, quam quidem in ætate juvenili.

Observatio IV.

Seceſſus niger ex tumore brachii triduo lethalis.

Prodierat in dextro brachio infantis menſis unius unica nocte tumor inſignis, qui mox lividus ac durus cum venis inflatis redditus, tenello, poſtquam per tres dies & noctes continuo ejulaſſet & per alvum materiam inſtar picis nigram egeſſiſſet, vitam eripuit. Diſſecto mali moris tumore, cuncti ſubſtrati muſculi, una cum vaſis, exeſi, corrupti, putrefacti, ſanguine fœtido infarcti comparuerunt, & exigua admodum ſanguinis quantitas in reliquis corporis canalibus. Illam vero nigricantem materiam per alvum ejectam, partim ex ventriculo, partim ex inteſtinis veniſſe, arguebat, quod adhuc ibi non nihil ejus ſupererat & vaſa inteſtinorum nigricante ſanguine turgida apparebant.

Epicriſis.

Nutricem hujus tam miſere pereuntis infantis fuiſſe impuram & lue gallica ante annum laboraſſe, fuit poſt fata compertum. Interim non dubium eſt, quin ob motum ſanguinis in parte inflammata & corrupta interceptum, is alias vias quæſiverit ac demum tenuia ventriculi & inteſtinorum vaſa perruperit, eodem modo ac ſubinde evenit, à gravibus partium externarum contuſionibus ſanguinem è naribus, vel etiam per alvum, aut alias vias prorumpere. Quam in rem conſentit peritiſſimus *Platerus*, qui in *praxi pag.* 726. ſcribit: *à contuſione aliqua facta circa viſcera ventriculo vicina ſanguis non nunquam evomitur.* Nigredo autem ſanguinis intimam omnino corruptionem ejus indicat, quæ ſine omni dubio à corrupta illa putrida tumoris materia profecta & communicata. Neque etiam alia ex cauſa, nigri & picei coloris cruorem, qui per anum in ejuſmodi affectibus fertur, quam ex valde corrupto in viſcere quodam ſanguine, totius maſſæ inſtar fermenti texturam invertente, petendam eſſe arbitror.

Observatio V.

Vomitus cruentus moderatus menſtrua antecedens.

Non ita pridem fœmina Hebræa Amſtelodamo meum exquiſivit conſilium. Agit hæc quinquageſimum annum, & ante octo jam fere annos, tribus, vel quatuor, ante menſium fluxum diebus, ſanguinis è naribus per intervalla notabilem quantitatem profudit, donec prodiret uterina purgatio & narium ſtillicidium tolleret. Succeſſit hoc per ſexennium, poſtea vero non amplius è naribus menſtrua periodo ſanguis prorupit, ſed præcedente leviori tuſſi, è faucibus aliquot ſucceſſive cochlearia ſcreatu evacuata. Tum ſemeſtri abhinc ſpatio, circà menſium tempus perſenſit, vomitu, ſine tamen ſingulari conatu, è ventriculo ſanguinem ad aliquot per intervalla, cochlearia protrudi; idque adhuc, quotieſcunque redit tributi lunaris periodus, accidit. Ceterum fœmina eſt ſucci plena, vitæ ſedentariæ, lauto victui & potui vini addicta, & ex eo quo vomitu egeſſit menſtruatim ſanguinem, ob periculi metum virium experta eſt languorem, cum appetitu proſtrato & exiguo ſomno, quæ tamen poſt menſium fluxum & exacto octo dierum ſpatio, inducias dederunt. Accepit & conquiſivit huc uſque multa & varia medicamenta, ſed fruſtra. Neque venæ ſectio, quæ tantum circa æquinoctium fuit celebrata, ullam attulit opem. Ego igitur conſilium dedi, ut ante imminens menſium tempus, venam pedis aperiendam curaret, & tres tantum uncias ſanguinis effluere permitteret; dein ut ſingulis hebdomadibus bis rhabarbari pulverem, cum lapidibus cancrorum & nitro permixtum, mane, vel veſperi, circa lecti introitum cum hauſtu aquæ frigidæ ſumeret, frequentius infuſum theiforme, ex veronica, ſcabioſa ac ſummitatibus milleſolii mane biberet, à vino & carnibus penitus abſtineret, pro potu vero ptiſana uteretur, uſque ad tempus vernum, quo fontis Selterani cum quarta parte lactis mixti potum per quatuor vel quinque hebdomades inſtituere & ipſam ceterum hilari animo eſſe juſſi.

Epicriſis.

Patet manifeſto: hanc ſanguinis eruptionem, non ſymptoma, vel effectum morbi cujuſdam in viſcere vaſculoſo obſtructo conſiſtentis, ſed ſalutare opus naturæ eſſe. Etenim in fœmina hac valde plethorica, per ſpaſmos, ſolenniter menſium fluxum præcedentes, pars ſanguinis ad ſuperiora, & primis annis ad caput, poſtea ad pulmones & denique ad ventriculi vaſa translata fuit, quam translationem veteres palindromen, vel metaſtaſin appellare conſueverunt. Quia vero jam tempus adeſt, ut plenarie mox emaneant menſes; hinc ſuaſi ſingulis menſibus ſanguinis miſſionem & abſtinentiam ab iis quæ multum ſanguinis ingenerant. Et quia præterea cruoris vomitio nunquam non valde ſuſpecta, metuendus omnino eſt gravior, ſi viſcera abdominis ſanguine forte oppleantur & infarciantur, progreſſu temporis, effectus; quem potus aquæ Selteranæ, cum victu tenui & moderata diæta utique avertere & præcavere valet.

Observatio VI.

Vomitus cruentus ab emmenagogis calidis lethalis.

Triennio abhinc peregre vocatus fui ad generoſiſſimam fœminam, delicatæ & teneræ conſtitutionis, vomitu ſanguinolento enormi correptam. Accedens illico obvium habui maritum, monſtrantem binas argenteas pelves, liquamine ex cruore concreto & phlegmate plenas, quod vomitu fuerat exturbatum. In ægra offendi pulſum valde debilem, & vires ita dejectas, ut erecto capite in animi incideret deliquium. Quare ingens periculum ſubeſſe dixi. Dedi quidem analeptica & roborantia, ſed altero die, poſt aliquot adhuc inſtar loturæ carnis, intermixtis ſanguinis fuſci coloris grumulis, vomitus, placide occubuit. Quum in cauſam morbi mortiſque inquire-

rem, rescivi: defunctam, post puerperium laborasse tertiana, tunc temporis grassante genii valde anomali; hanc post quinque accessiones à medico vicini oppidi, missis pulveribus fuisse sublatam, ex eo vero per tres menses restitisse fluxum uterinum & succedisse dolorem hypochondrii sinistri gravativum. Hinc matrem permotam fuisse, ut ab extraneo medico petierit & filiæ miserit medicamenta, elixirium scilicet, quod, quum explorarem gustu, proprietatis sine acido, cum essentia zedoariæ & succini erat, de quo ter quotidie guttas quinquaginta cum vino Rhenano veteri & generoso, sumserit ac pro ordinario potu cerevisiam valde lupulatam habuerit. Sed elapso vix trium hebdomadum spatio, incidisse ipsam in sunestum hunc morbum.

Epicrisis.

Tragicus hic casus doceat juniores practicos: quam pernicioſum sit, emmenagogis, ad ciendos menses, paulo validioribus uti in subjectis tenerioribus, in quibus post puerperium & febrem magis deficit, quam abundat sanguis; tanto magis, si ex dolore gravativo hypochondrii sinistri, labis in visceribus, post febrem, sine dubio adstringentibus cohibitam, & inprimis lienis, justa est suspicio. Nam ubi obstaculum ponitur in interaneis transeunti sanguini, is calidioribus medicamentis valde exagitatus & expansus, venas ventriculi teneriores facile vi perrumpere & exitum affectare, atque etiam sibi parare valet.

Observatio VII.

Morbus niger ex hepatis vitio lethalis.

Cäusidicus clarus, quadragenario major, corporis habitu gracilis & inter labores fori assiduos sedentariam admodum vitam colens, à pluribus jam annis cerevisiam partim, partim vinum in seram usque noctem bibere consueverat, tam largiter, ut quotidie vix tres, vel quatuor vini mensuræ sufficerent. Dum vero potui sic indulsit, ciborum appetentia cum viribus langueſcere cœpit, corpus quoque marceſcere & sæpius gravativus dextri hypochondrii dolor affligere, facie simul existente plumbea & coloris ad ictericum vergentis. Venæ sectionem natura quasi horruit, eandemque vix semel, vel bis, per totam vitam admiserat, in juventute tamen narium stillicidium expertus fuerat frequentius. Quum demum in convivio plus quam tres potentis Hungarici vini mensuras ingurgitasset, saltando quoque corpus valide exagitasset, domum delatus, summam præcordiorum anxietatem persensit ac paulo post iterato per intervalla sanguinis fusci, ex parte concreti, colluviem evomuit ingentem. Injecto ex jure galli, oleo amygdalarum dulcium, nitro & sale aliquoties clysſtere, ejusdem indolis etiam per alvum seceſſit liquamen, ut adeo intra viginti quatuor horas plus quam tres sanguinis mensuræ per superius & inferius os exirent. Vocatus ego, porrexi interius mixturam analepticam leniter adstringentem, ex aqua menthæ, melissæ, theriacali, cinnamomi sine vino, succo citri, cum coralliis, speciebus de hyacintho & syrupo papaveris albi. Exterius præcordiorum regionem inungere jussi linimento ex oleo amygdalarum dulcium, nucistæ & camphora, & superimponere sacculum herba menthæ, absynthii, floribus rosarum rubrarum, chamomillæ Romanæ plenum, ex vino rubro coctum. Quibus quidem sensim sanguinis per superna eructatio constitit, sed remansit magna virium dejectio, cum ciborum plenaria inappetentia, succeſſit tandem ventris, cum superiorum tabe, tumor, & intra bimestre spatium mors ipsa.

Epicrisis.

Cruentam vomitionem ex liene & hepate proficiſci, prisca jam fuit *Galeni* sententia, & ego idem aliquoties experientia habeo confirmatum in iis, qui postquam aliquamdiu de dolore hypochondrii dextri pressorio diuturno conquesti, accedente gravi iracundia, motu corporis impenso, vini potentis abusu, aut refrigeratione externa, vomitus, nec non seceſſus alvinos sanguinolentos incurrerunt, tam largos, ut intra exiguum tempus, ejecta plus quam tres vel quatuor mensuras æquarint. Quare mihi omnino videtur verosimile, non tantum ex brevibus ventriculi vasis, uti in sola vomitione cruoris accidit sine seceſſu per alvum, verum etiam per hepaticos ductus nimium ampliatos, vel plane disruptos venæ portæ ramulos, ad duodenum perrumpere sanguinem ibique effusum, non modo vomitus, sed & dejectiones alvinas sanguinolentas facere. Discant vero etiam ex hac observatione strenui illi spirituosorum inprimis potatores, quam male consulant suis visceribus. Ego enim inde obstructiones, indurationes & rupturas in mesaraicis vasis sanguineis & lymphaticis vidi, unde postea ater funestus morbus, cruentus vomitus, hydropes, lentæ & hecticæ febres.

Observatio VIII.

Vomitus & seceſſus cruentus à mensium retentione.

Percellebatur ingenti terrore fœmina trigenaria ipso illo tempore quo menstrua purgatio succedebat, & tremens adhuc ingerebat aquæ frigidæ haustum liberalem, eoque in artuum tremorem validum & inappetentiam ciborum delabebatur. Redeunte menstrua periodo, sanguis quidem comparuit, sed justo parcior, ac maximæ præcordiorum anxietates, cum nausea, vomitu, extremorum frigore & faciei rubore ipsam infestarunt. Tertio mense priora redierunt pathemata cuncta, & præterea accesſit per triduum vomitus largus sanguinis, vires summopere prosternens.

Epicrisis.

Nihil certe deterius & fœminarum sanitatem magis lædit, quam gravis animi ex iracundia, aut terrore commotio, incidens in illud tempus, quo uterina purgatio succedit. Salutares enim illi motus sueti excretorii sic statim invertuntur, ad interiora vergunt, ac facile postea in habitum transeunt, nisi cito iterum emendentur. Quare si incidit ejusmodi noxa, quam fieri potest citissime succurrendum congruis auxiliis, inter quæ præter venæ sectionem & clysteres demulcentes, quam maxime proficua theiformia infusa, cum iis quæ sanguinis ad exteriora motum rursus revocant, blanda scilicet diaphoretica.

CAPUT

CAPUT IV.

De Hæmorrhoidali fluxu nimio.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Nimius hæmorrhoidum fluxus, quid & qualis.

NOn omnis liberalior ſanguinis per ſedis venas ſeceſſus, pro eo, qui præter & extra naturæ legem fit ac nimius eſt, habendus; ſed conſideranda vaſa, corporis habitus, vires, ætas ac temperamentum. Non enim infrequens, quod ea ſanguinis effuſi quantitas, quæ certis corporibus legitima eſt ac ſalutaris, aliis viciſſim ſit nimia ac pernicioſa. Neque etiam omnis ſolito largior, à mole ſanguinis valde aucta eaque paullo impenſius commota, ſuſcitatus hæmorrhoidalis fluxus, cenſendus eſt morboſus, ſed is demum, qui diutius inſiſtit, qui vires proſternit, quo appetentia, laudabilis alimentorum digeſtio, nutritio aliæque functiones læduntur, ac metus tandem eſt, ne via ad graves & chronicas paſſiones pandatur.

§. II.

Ejuſdem ſigna.

Nimium hæmorrhoidum fluxum antecedunt ut plurimum & comitantur hæc: dorſi & lumborum gravativus preſſoriuſque dolor, interdum crurum ſtupor, extimarum partium cum levi horripilatione conſtrictio, vaſorum in iis ſubſidentia, pulſus durior & conſtrictior, oris fauciumque ſiccitas, urina parcior & frequentius pallida, ſenſus ponderis in podice ad perinæum ſe extendens, ventriculi imbecillitas, flatulentia in imo ventre, frequens ad mejendum & deſidendum ſtimulus, ſubinde cum muci albi & bilioſi excluſione, ac ſenioribus magiſque imbecillis accidit præterea ani procidentia.

§. III.

Quæ ſanguinis excreti qualitas & quantitas.

Sanguis in nimio hoc profluvio ater plerumque in principio excernitur valdeque grumoſus, interdum etiam in fruſta, quæ palmam manus æquant, coactus è varicoſis vaſis evacuatur; poſtea ſequitur rubicundus & demum admodum ferоſus, quandoque pituitoſus, ſive mucus albuminis ovi ſpeciem habens. Copia ſanguinis excreti non nunquam oppido magna, ac uti *Montanus* notavit, quotidie duas libras, vel uti *Panarollus* vidit, quotidie libram æquat. Diu etiam ſæpe inſiſtit profluvium, idque per integrum menſem, viginti, quin quadraginta quinque dies, factum eſſe, obſervatorum fide dignorum teſtimonio conſtat.

§. IV.

Ex hæmorrhoidibus internis venit.

Sanguinis per inteſtinum rectum excretio omnis fit per vaſa ſic dicta hæmorrhoidalia. Externæ tamen hæmorrhoides rarius fluunt, ſed in varices dolorificas facile abeunt, quæ apertæ ſanguinem plorant, neque tamen crebro nimium fundunt. At internæ hæmorrhoides, quæ propagines ſunt ſplenici rami, & ad inteſtini recti interiorem ſubſtantiam, quin ani uſque ſphincterem porriguntur, una cum arteriolis ex meſaraica inferiori productis, non modo fluxus effuſioris fontem præbent, ſed & ſuppreſſæ, morbos, qui ex labe hepatis, lienis, pancreatis, meſenterii & inteſtinorum fiunt, ingenerant.

§. V.

Arteriis maxime, tum etiam venis.

Ipſe fluxus immediate & proxime per arteriolarum ramos ſanguine nimium diſtentos tandemque diſruptos contingit. Neque tamen ex toto negandum, è vena etiam hæmorrhoidali, propter læſam, quæ ipſi cum arteria eſt, anaſtomoſin, multum ſanguinis ibi collecti & ſæpe vitioſi prodire. Patefacta enim ſic via, valvulæ egreſſum ibi impedientes deſunt, & ſi vel maxime eſſent, varicoſa tamen venarum habitudo multum & valvularum ſitum immutet neceſſe eſt.

§. VI.

Cauſa impeditus ſanguinis per hæmorrhoidalia & meſaraica progreſſus.

Salutarem illam per ſedis venas ſanguinis evacuationem, difficiliori per hæmorrhoidales venas, ob ſitum earundem perpendicularem, progreſſui & ad portæ venam ipſumque hepar reditui, in acceptis referendam eſſe, & quando vaſorum in recto extrema ab accumulato ibi ſanguine nimis diducta aperiuntur tandem atque dehiſcunt, contingere, inter omnes conſtat. Unde qui excedentis etiam & pernicioſi hæmorrhoidalis fluxus cauſam atque originem ab impedito ſanguinis per hæmorrhoidales & meſaraicas venas ipſumque hepatis viſcus motu progreſſivo repetit, is minime à vero aberrat. Teſtatum id ſane faciunt obſervationes anatomico-practicæ, quibus confirmatur, illum venæ hæmorrhoidalis ramum, qui juxta coli tractum excurrit ad anum, multo quam quidem ſecundum naturam eſſe ſuevit, ac vel triplo ampliorem, in iis qui hæmorrhoidum exceſſu perierunt, offendi. Etenim quo major ſanguinis per arterias eſt affluxus & ſegnior per venas refluxus, eo magis à collecto ſero & ſanguine fibræ laxantur, vaſorum alvei diducuntur & labefactato ſic magis magisque partium tono ac robore profluvium diutius durat, facilius etiam recrudeſcit.

§. VII.

Ad quem concurrunt plures cauſæ.

Quæcunque igitur ſanguinem ingignunt nimium, ejuſdemque per portæ ramos commeatum remorantur, aut etiam copioſiorem ad loca hæmorrhoidalia affluxum invitant, ad hæmorrhoidalem tam moderatum, quam etiam immoderatum fluxum diſponunt. Hinc eſt, quod qui laxum, ſpongioſum, obeſum, plurimis vaſis ſanguine turgidis diſtinctum corporis obtinent habitum, qui lauto fruuntur victu, vitæ genus colunt ſedentarium motusque expers, & à majoribus hoc morbo affectis prognati, hæmorrhoidum exceſſui quam maxime ſint obnoxii. Eandem quoque ob cauſam accidit, quod acriora purgantia, aloëtica crebrius uſurpata, calidorum ciborumque aromaticorum, nec non potus vinoſi dulcis atque potentis liberalior uſus, omiſſæ ſuetæ ſanguinis ſubtractiones, animi affectus, ira potiſſimum & triſtitia diuturna, & corporis quoque, maxime per equitationem, commotio impenſior, aliaque id genus plura, ut impetat hic ſanguinis fluxus præternaturalis, faciunt.

§. VIII.

Periculoſus fluxus nimius.

Ceterum periculoſum utique eſt effuſius hoc ſanguinis hæmorrhoidalis profluvium. Inde enim vires convelluntur, corpus marceſcit, femora gravantur, ſomnus fit laborioſus, præcordia gravativo ſenſu anguntur, venter cum borboryg-

mis tumet, ac pulsus micat debilis. Urgente postea diutius fluxu, pedes circa malleolos intumescunt, facies item & oculi, color illius fit luridus ac plumbeus, spiritus arctius meat, & postremo in cachexiam, hydropem, lentam & hecticam febrem fit transitus. Ut adeo pateat: ex defectu etiam sanguinis graves subnasci ægritudines, ac utique vitæ viriumque thesaurum esse sanguinem, nec quantitate, nec qualitate peccantem.

§. IX.

Ducit ad hecticam. Exitialis hæmorrhoidum excedentium eventus certius imminet, si tumor hepatis, vel lienis, hypochondriorum inflatio, cum alvo adstrictiore, incipiens cachexia & hydrops, morbosam hanc sanguinis effusionem induxerunt. Sic enim sub ipsa priora mala ingravescunt, obstructiones increscunt & obfirmantur, ac vitiosa quoque sanguinis & succorum constitutio augetur. Unde profluvium fit chronicum, tandemque in atrophiam lentamque hecticam febrem, cum extrema virium jactura terminatur.

§. X.

Et hydropem. Frequentioris observationis est, nimias sanguinis per sedis venas profusiones ducere ad hydropem, idque præsertim in phlegmaticis, & qui rarum corporis obtinent habitum. Si autem hydropi ex hepate indurato supervenit ejusmodi excessiva hæmorrhagia, certum mox subsequuturæ mortis præbet indicium.

CURATIO.

Variæ & differentis indolis sunt causæ, quæ ad excitandum nimium hæmorrhoidum profluvium faciunt atque concurrunt; ideo variæ etiam medendi sunt indicationes, & varia quoque ac diversæ naturæ ad arcendum illud ac persanandum remedia.

§. I.

Sanguinis copia minuenda. Non adeo insolens est, ut in corpore plethorico, restitante aliquandiu sueto alias fluxu, à vehementiori corporis, vel etiam animi commotione, à potu spirituoso liberalius assumto, balneo nimis calido, aut medicamento intestinum sanguinis motum nimium intendente, non modo subito & confertim fiat, sed & solito diutius insistat sanguinis, cum pulsu magno & vehementi, per hæmorrhoides profusio. Quod ubi accidit, primo omnium divertendus ac derivandus sanguinis impetus, eumque in finem sanguinis missio in brachio, vel brachiorum in liquorem aquoso-vinosum tepidum immissio, apprime ex usu est. Dein usurpanda ea, quæ excedentem intestinum partium in sanguine sulphurearum motum componunt, diluentia maxime & refrigerantia, potus aquæ frigidæ, præsertim chalybeatæ, vel mineralis temperatæ, seri lactis cum succo citri coacti, aqua plantaginis, fragorum, acetosæ, acetosellæ, decoctum cornu cervi citratum, tinctura rosarum cum spiritu vitrioli præparata, & confecta ex his cum syrupo rosarum julapia. Eundem in finem præstans est virtus nitrosorum, nitri tantum purificati, vel artificialis, ex spiritu nitri & sale tartari parati, vel in pulvere cum absorbentibus & roborantibus, vel etiam in potu dati. Porro operam locant egregiam, quæ impetuosum solidorum & fluidorum motum placant simulque dolores & spasmos levant, anodyna, inter quæ spectatæ virtutis est liquor noster anodynus mineralis, spiritus etiam nitri dulcis rite paratus, aqua item florum chamomillæ vulgaris & summitatum millefolii, nec non ex papaveraceis, semen papaveris albi, syrupus papaveris utriusque, aqua & extractum papaveris, aut si fortioribus utendum, semen hyoscyami albi.

Ejusdem orgasmus temperandus.

§. II.

Humores impuri per alvum. Quando cum virium jactura & nobiliorum functionum læsione effusior fluxus diu persistit, incipiensque viscerum labes subest, & magis seroso aquei, quam consistentis fibrosi sanguinis copia delinquit, conferunt quam maxime ea, quæ succos vitiosos ac biliosos clementer paullatimque per alvum educunt, simul atque humorum motum à recto intestino ad tunicas & glandulas reliquorum intestinorum alliciunt, eoque nomine merentur laudem rhabarbarina, cum passulis minoribus & tamarindis, vel quod idem, cum cremore tartari, si corpus est biliosum, in potione elæosaccharo citri condita. Tum quoque temperatiora diaphoretica, corrigendo & expellendo acres humores, officium faciunt opportunum, ibi maxime, ubi scorbutici, vel purpuracei aliquid, aut alius exanthematicæ materiæ, sanguinis & seri contextui altius inhæret. Horum in numero sunt cornu cervi ustum, vel, uti vocant, philosophice præparatum, unicornu fossile, diaphoreticum antimonium, acetum vini cum lapidibus cancrorum mixtum, aqua galegæ, florum sambuci, cardui benedicti, theriacalis, simplex mistura, diascordium Fracastorii, quæ in potionem lege artis possunt redigi. Nec proletaria virtus est liquoris anodyni mineralis, cum quarta liquoris bezoardici Bussiani parte nupti; infusi item theiformis ex millefolio, veronica, pilosella aliisque concinnati, & cum dispositione in lecto aut conclavi ad blandum sudorem, poti. Atque etiam non possumus non hoc loco merito commendare refractam camphoræ dosin, ad granum dimidium, præsertim quando nitrosis & bezoardicis pulveribus commiscetur. Hac enim ratione acris & caustica materia, quæ sæpe spasmorum æqualem sanguinis commeatum turbantium & hæmorrhagiam largam inducentium causa est, obtunditur & foras ejicitur, simul adstringentium & anodynorum vis, tantisper ne noceat, refrenatur. Itaque non ineptus censendus ille veterum mos, quo camphoram præcipuis ad sistendas etiam hæmorrhagias medicinis, commiscuerunt, utut exigua admodum dosi, cujus generis sunt species de hyacintho, diatrion santali, diatrion Abbatis, trochisci de carabe, sperniola Crollii, nec non famigeratissimus *Heurnii* ad sistendum sanguinis fluxum pulvis.

& cutem evacuandi.

§. III.

Obstructiones reserandæ. In graviori illo & difficillimæ medicationis fluxu, qui obstructione, vel infarctu moleque adaucta visceris cujusdam, hepatis, lienis, aut in fœminis uteri, nititur; eligenda, si medicinæ adhuc locus, ejusmodi auxilia, quæ dum obstructionum repagula solvunt, humores non nimium commovent. Inter hæc à priscis jam temporibus usu & securitate celebres pilulæ de bdellio Mesue, à *Forestо*, *Solenandro* & *Riverio* laudatæ. Nec contemnendæ pilulæ Becheriana methodo ex amaris extractis & gummatibus temperatioribus concinnatæ, ita tamen ut aloes in locum,

cum, rhabarbari extractum, largius paullo commixtum surrogetur, si hisce nitrosi pulveres pro re nata interponantur. Nil vero ad expedienda obstructa aqueis & diluentibus est præstabilius. Unde quam optime in usum trahuntur minerales aquæ, subtilitate atque temperie nobiles, quarum classem ducunt Antonianæ, Wildungenses & Selteranæ, vel cum, vel sine lacte potæ. Et certe prudens ac moderatus harum aquarum, ad aliquot hebdomades, sub debito regimine & interpositis pilulis dictis, nec non elixirii balsamici temperati martialis pharmaci mixtura acuati usu continuatus potus, palmam præripit reliquis cunctis. *Montanus* præterea in *consiliis*, jus pulli copiose tribus ante prandium horis bibere jubet, eoque plures hoc malo se liberasse testatur. Majoris tamen adhuc efficaciæ erit, si jusculo incoquantur acetosæ, cichorii & scorzoneræ radices, aut etiam medicamentum martiale temperatum, cujus generis est illa cum pomorum succo parata martis tinctura, cum extracto cascarillæ aquoso, primo mane sumatur, ac postea supra laudatum jus copiose bibatur.

§. IV.

Atonia recti intestini firmanda.

Demum inter præcipuas copiosi sanguinis affluxus & effluxus causas referenda merito recti intestini, ejus membranarum & vasorum atonia. Quare adhibenda etiam utique ea, quæ relaxatis nimium & à tono dejectis partibus sœnerant iterum robur. Interius laude sua hoc nomine non defraudandæ sunt species de hyacintho, trochisci de carabe Mesues. Ex martialibus est maxime ipse hæmatites in subtilissimum pollinem redactus, tinctura martis Zvvólferi, crocus martis antimonialis subtilissimus cum conserva rosarum antiqua exhibitus, tinctura item florum salis ammoniaci martialium, cum rectificatissimo vini spiritu parata & cum æquali portione elixirii amari temperati mixta. Inter resinosa & balsamica nobilis est virtus succini præparati vel alcalisati, extracti cascarillæ & santali rubri. Et hæc omnia cum prudentia convenienti ordine ac dosi usurpata, fructu non destituuntur, si modo malum recipit adhuc sanationem.

§. V.

Adhibenda externa.

Adhibenda præterea etiam sunt topica constringentia, ad obtinendum effectum speratum. Si igitur venæ in ani lymbo varicosæ, citra alvi depositionem, magnam sanguinis, non sine syncopes, vel mortis metu, fundunt copiam, colcothar vitrioli, vel etiam lupi crepitum, sine noxa admovere licet. Tanto magis, si leniora prius adhibita profecerunt nihil, cujus generis est decoctum ex floribus balaustiorum, rosarum rubrarum, myrrha, plantagine, malicorio & chinæ cortice cum vino rubro præparatum & cum spongia recto intestino post dejectionem alvinam applicatum. Ubi autem impetus sanguinis effluentis jamjam compositus, ossi sacro cum perinæo & pube apponendum crebrius epithema ex herba menthæ, sumach, floribus rosarum rubrarum, hyperici, rasura ligni santali rubri, mastiche, cardamomo & chaccarillæ cortice, in vino rubro coctis. Neque minus ad firmandum intestini recti tonum ex usu est, idem hoc decoctum ano injicere syringa.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Ordo in medicatione servandus.

In medicatione effusi hæmorrhoidum ac morbosi profluvii hæc servanda methodus: ut præmittatur sanguinis missio & primarum viarum cum recenti cassia, vel rhabarbaro electo in decocto repurgatio; postea vero roborantia & leniter adstringentia, in & externa, tutius adhibere licet. Ex nimia enim sanguinis profusione tanta oritur imbecillitas, ut medicamenta efficaciora rarius felici cum successu applicare sit integrum. Generalis quippe medendi est regula: quo major naturæ est imbecillitas, eo leniora & diætetica magis remedia, minus vero validiora pharmaceutica usurpare decet.

§. II.

Cautelæ circa refrigerantia.

Nitrosa, acidula & refrigerantia, uti in principio, & ubi ingens æstus & orgasmus sanguinis præsto est, usurpantur cum euphoria: ita minus tutus eorundem est usus, sanguine cum viribus jam nimium profuso & ventriculo debilitato, præsertim, ubi ex viscerum obstructione fluxus est symptomaticus.

§. III.

Venæ sectionem.

De phlebotomiæ usu tenendum, eandem non facile in ægro absente esse adornandam; eo quod multum refert, ut justa & conveniens sanguinis quantitas emittatur. Etenim in principio, si corpus sanguine valde turget, major ipsius, ad derivandum, è brachii vena, copia, poterit subtrahi. At ubi jam multum cruoris sponte effusum, parcior & partitis potius vicibus, cum prudenti & cauta ratione, instituenda est missio.

§. IV.

Circa fluxus cohibitionem.

Optime jam monuit *Hippocrates*: hæmorrhoidibus nimium fluentibus, occlusis reliquis venis, unam servandam esse apertam, ne hydropis, vel tabis fiat metus, facta scilicet sanguinis ad pulmones, vel hepar, palindrome. Utut vero effatum hoc proxime intelligendum sit de externis venis nimium fundentibus, & per ustionem, vel stiptica occlusis; recte tamen etiam applicari potest, ubi ex internis, uti in nostris solenne est regionibus, effusius sanguinis fit profluvium. Tanto magis, quia has occludere, sive potius fluxum sistere, non ita promtum est ac expeditum, nec nisi per validiora interna perficiendum, quod, si non perite & valde circumspecte adornatur, damnum redundat, effato *Hippocratis*, certissime.

§. V.

Adstringentium usum.

Quæ quum ita sint, valide adstringentium usus utique sit cautissimus. Neque enim in principio, multo minus, quando vires cum sanguine jam exhaustæ, utilem locant operam, ac potius in corporibus imbecillis & exquisitius sentientis naturæ, spasmodica pathemata, convulsiva, animi deliquia, summas præcordiorum anxietates, cum tremore & palpitatione cordis concitant. Quod si itaque fluxum compescentibus uti necesse, consultum est, non vi & magnis dosibus id perficere, ne noxam inferant. Oportet quoque subjungere diluentia, temperantia & leniora laxantia, inter quæ præstantissimum est

asini-

asininum lac vel serum lactis dulce. Potissimum vero præstat martialia liquida cum ipsis diluentibus assumere.

§. VI.

Cohibitus quibus revocandus.

Quando tamen sanguinis ex hæmorrhoidalibus locis fluxum subito sublatum summæ præcordiorum anxietates, inflationes, cum inquietudine & angustia excipiunt; revocandus is est leniorib. elicientibus & laxantibus, clysteribus quoque emollientibus ac suppositoriis.

§. VII.

Anodynorum cautelæ.

Pari ratione cum hypnoticis, opiatis & narcoticis mercandum est cautissime, quippe quæ, tanto magis intempestive data, insaniam plane inducere apta sunt. Ex optimis, si locus, est illa massa pilularum, à Wildeganso nomen gerens, quæ etiam cum fructu exhibetur, quando atrox dolor & spasmus sub prima lumborum vertebra, nimiam sanguinis effusionem movet, eaque propter est placandus.

§. VIII.

Quæ in victu servanda.

Si ullo in morbo exquisita vitæ victusque ratione opus est; in hoc certe id quam maxime necessarium, eaque neglecta, auxiliis, vel præstantissimis, obtinendum nihil. Quocirca ægris commendanda serio abstinentia à fructibus horæis, leguminibus, acetariis, lacticiniis, carnibus vetustis, induratis fumo atque salitis, ab aromatibus, allio, cepis, vino potenti spirituosisque cunctis. Dissuadendæ etiam venationes, omnes impensiores corporis commotiones, per equitationem maxime & vecturam, in locis præsertim lapidosis & inæqualibus, & placidum potius motus genus, supernam magis, quam inferiorem corporis regionem afficiens, sub cælo amœno, sereno, concedendum. Nihil vero sic laborantibus perniciosius animi commotione, ira inprimis ac terrore, unde occasio ad eas studiose præscindenda omnis. Neque minus multum interest, ut congruo potu utatur hæmorrhoidibus effusis obnoxius. Nos quidem potum aquæ, vel seri lactis, item decoctum santali rubri cum mastiche & cinnamomo, nec non julepos, ex decocto cornu cervi, syrupo acetositatis citri, additis aliquot guttulis olei de cedro, vel unciis aliquot aquæ florum citri, maxime commendare solemus, tum præservandi, tum curandi scopo.

§. IX.

Præservatio.

Composito morboso hæmorrhoidum profluvio, ne iterum erumpat, danda est opera. Obtinendum id exacta vivendi, modo commendata, ratione, sanguinis missione, ter, vel quater quotannis instituta, primæ regionis quovis mense per epicrasin repurgatione, ac dextro aquarum mineralium, vel solo lactis chalybeati usu. Sedulo denique cuncta ex alimentis & laxantibus vitanda, quæ dolorem excitant, quia hæc sequitur desidendi cupiditas.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Hæmorrhoidum excessus lethalis post Pyrmontanas.

Celeberrimi nominis vir, corpore plenus atque robustus, sexagesimum tertium ætatis annum egressus, à multis jam annis liberale sanguinis per venas sedis passus est stillicidium, fere menstruum, eodemque rite succedente, valetudinis incommoda sensit nulla. Sed posteaquam diuturno affectus fuerat cum tacita iracundia mœrore, restitit hæmorrhoidum fluxus, & facies antea florida, facta flavescens & flaccida, cum oculorum intumescentia. Ob metum igitur cachexiæ Pyrmontanas adiit acidulas easdemque ingenti copia hausit, neque tamen in, neque post earum usum, conveniens coluit in vita victuque regimen. Inde effusissimus sanguinis puri per anum sequutus est fluxus, non compescibilis, licet nitrosis pulveribus Becherianisque pilulis uteretur. Pedes potius facti œdematosi, venter intumuit, vires collapsæ, anhelitus factus difficilis, superiora contabuerunt tandemque excepit mors.

Epicrisis.

Nihil certe ex animi etiam commotionibus hæmorrhoidariis est pernicioſius, quam angor & mœstitia diutius extracta, quæ vires, tonum ac robur partium labefactando, efficiunt primum stagnationes, quæ postea obfirmando in abdominis viscer. infarctus, excessivas inducunt hæmorrhagias atque funestas. Pyrmontanæ autem acidulæ, si quis illis uti velit cum fructu, exquisitum postulant regimen, tam sub, quam aliquot hebdomades post usum, tanto magis, si potans jam tum viscerum affectus est labe. Quod quia in nostro non factum, sed potus pro lubitu, sine observatione debita institutus, malum exacerbatum & ad exitum tristem traductum esse non est mirandum, nec ea propter dextro usui quicquam detrahendum.

Observatio II.

Hæmorrhoides nimiæ camphorato compositæ.

Judæus annorum quinquaginta, natus patre hæmorrhoidario, & ipse à prima statim ætate sanguinis stillicidiis, in variolarum quidem & morbillorum morbo è naribus, ac postea hæmoptysi obnoxius, quadragesimo anno cœpit primum pati hæmorrhoidalem fluxum, qui postea singulis fere mensibus, ac non nunquam sub fortiori in itinere maxime corporis commotione, rediit effusior. Quod quum sine sanitatis detrimento contingeret, tulit patienter; sed quum aliquot abhinc annis insisteret profluvium diutius, idque largum, inde admodum fuit debilitatus, & appetentia cum digestione labefactata. Quare ut auxilium quæreret fuit coactus ad moderandum fluxum. Ex variis autem multisque remediis obtinuit nullum. Optimum tamen tulit antimonii tinctura, ex sale tartari & regulo antimonii parata, & non tam acris, quam quæ cum nitro conficitur, in cujus uncia soluta camphoræ drachma dimidia, & mane vesperique cum aquæ frigidæ hausto sumta ad guttas viginti.

Epicrisis.

Perperam utique putant præjudiciis toti inhærentes & parum periti, camphoram nimium concitare sanguinis æstuosum orgasmum eaque propter esse reformidandam, multo minus in immodicis sanguinis fluxionibus in usum trahendam. Alia enim omnino docet experientia, quin camphora, quandoque etiam in majori paullo dosi, ad scrupulum unum sumta, plus refrigerii sentitur, quam incalescentiæ. Veteres sane non adeo alieni fuerunt à camphoræ usu, sed eandem præstantissimarum medicinarum compositionibus commiscuerunt multis, ut quidem ex Augustana

ſtana patet pharmacopœa. Ne dicam, *Riverium* & nos quoque eadem in inflammationibus, in malignis, magno cum emolumento in doſi non exigua fuiſſe uſos. Atque etiam in nimiis hæmorrhagiis, roborans ſimul atque anodyna camphoræ virtus utilitatis eſt maximæ, inprimis ſi aliis medicamentis ſociatur & parva doſi exhibetur. Cum antimonii potiſſimum tinctura mixta camphora, diureſin, neque minus diaphoreſin augendo, ac imbecilles partes roborando, ſanguinis & ſeri affluxum à recto inteſtino divertit aliorſum, ac ob id eximie prodeſt.

Observatio III.

Hæmorrhoides nimiæ ex terrore in virgine curatæ.

Virgo novem ac decem annos habens, venæ ſectionem nunquam paſſa, ſed nimio menſium fluxui ſubinde obnoxia, cruentas experta eſt ſedes, ſine moleſtia tamen atque dolore, idque per dies aliquot. At cum gravi percieretur iracundia, ingentem ſanguinis puri ac ſinceri alvo excluſit copiam, non ſine ſumma virium jactura. Subſtitit tamen rurſus effuſius hoc profluvium, quin hauſto frigido potu, fluxus reſtitit penitus. Sed inde ingentes incurrit præcordiorum anxietates & conſtrictiones, quaſi convelleretur cor ipſum, *als wenns ihr das Hertz abſtoſſen wolte*, extrema facta frigida, facies rubicunda, venæ in capite inflatæ, arteriæ pulſarunt valide ac celeriter cum quadam duritie. Datus ipſi pulvis ex diaphoretico antimonio, cancrorum lapidibus, nitro & cinnabari, cum infuſo ſummitatum millefolii, data quoque ſimplex mixtura cum croco, & habuit melius.

Epicriſis.

Fœminas etiam hæmorrhoides pati, non novum eſt; neque etiam rarum, iræ affectum fluxum earum reddere immoderatum; id vero non adeo obvium, ſolum frigidum hauſtum ſub ipſo fluxu tam gravia concitare poſſe pathemata. At frigus nervoſis partibus ſpaſmo jamjam affectis, uti fit ſub iracundia, eſt inimiciſſimum, & intenſiores ſpaſticas conſtrictiones augendo, tam gravia pathemata inducere valet utique.

Observatio IV.

Nimiæ hæmorrhoides ſanatæ.

Præfectus militum quadragenario major, natura ſanguineus atque robuſtus, à multis jam annis expertus fuerat hæmorrhoidum fluxum cum euphoria. Sed quum à ſueto vini Rhenani potu tranſiret ad vini Gallici Pontack potum, elapſo aliquot menſium ſpatio, hæmorrhoides præter morem ſunt retentæ, & ſucceſſerunt dolores atrociſſimi in lumbis & abdomine, cum virium dejectione, inappetentia, vigilia pulſuque celeri & frequenti. Exhibita vero ter laxante potione ex tamarindis, rhabarbaro & paſſulis minoribus, non modo ſoluta eſt alvus, ſed & ingens nigri & congrumati ſanguinis copia excreta, ſummo cum levamine. Diutius tamen quam par erat perdurabat fluxus ſanguinolentus; quo quia vires nimium atterebantur, datum eſt electuarium ex roſarum conſerva, ſpeciebus de hyacintho, ſuccino, croco martis tenui & granatorum ſyrupo, cujus uſu ad hebdomadem continuato, ad ſanitatem traductus eſt æger.

Epicriſis.

Vina illa Gallica coloris ſaturate rubicundi, uti eſt Pontack atque Vin de Gray, ſi ſine aqua & liberaliter bibuntur, propter adſtrictionem quam alvo præſtant, utilia ſunt minime, ſed experientia teſte, admodum noxia. Unde omnibus etiam modis in periodicis & criticis ſanguinis evacuationibus ſunt vitanda, atque etiam in ipſis excedentibus hæmorrhagiis provide adhibenda. In omnibus autem hæmorrhoidalibus affectibus, ſive ſanguis fuerit ſuppreſſus, ſive fluxerit immoderatius, præſtantius non datur atque accommodatius purgans, quam quod noſtro datum, quo diuturnum etiam fluxum, à copia ſeroſi ac bilioſi ſanguinis oriundum, feliciter ſanatum fuiſſe, ego vidi multoties.

Observatio V.

Hæmorrhoides nimiæ in hypochondriaco funeſtæ.

Ante triginta circiter annos Secretarius Reginis quinquagenarius, corpore ſpongioſus & carnoſus, ob aſſiduos muneris labores vitæ ſedentariæ deditus, ab aliquot jam annis anxiis cardialgicis doloribus & circa præcordia conſtrictionibus, noctu præſertim, ſubinde fuerat afflictus, alvique ordinario erat ſtrictioris, flatulentiis ac ructibus obnoxius, dolores quoque lumbarem ſæpius obſidebant regionem, urina cum difficultate & ſæpe arenoſa procedente. Hinc calculum ſubeſſe renalem judicarunt & varia ad eum propoſuerunt amici domeſtica remedia, inter quæ etiam fuit ſpiritus baccarum juniperi, cum earum rob probe ſubactus, ſaccharoque edulcoratus. Ab horum vero uſu potius ingraveſcebant ſymptomata. Mox enim truculentis ſpaſmis & doloribus inflativis circa hypochondria & abdomen torquebatur, cum partium extremarum frigore & inquietudine, qui emollientes & diſcutiendi facultate pollentes clyſteres etiam eludebant. Tandem accedente cum pulſuum celeritate internarum partium æſtu, miteſcebant quidem dolores, remanſit tamen inflatum abdomen, quod nec tactum manus tolerare poterat ob dolorem, appetentia cum viribus, perſiſtente per quatuor ſeptimanas affectu, concidebant. Celebris tum Medicus vocatus, cauſam horum ſymptomatum hepatis judicans obſtructionem, pilulas Becherianas & mercurii dulcis aliquot doſes præbuit. Sed his omnibus irritis, præter omnem exſpectationem, alvi fluxus, ſine torminibus tamen, fœtidæ corruptæ ex atro-gryſeæ materiæ erumpebat, quem animi intercurrens defectio cum extrema virium jactura tandemque mors excipiebat.

Epicriſis.

Ex vita ſedentaria cum arduis mentis laboribus, ob difficiliorem redundantis in venis meſaraicis regreſſum per hepar, hypochondriaca pathemata, ſive ſpaſmodico-flatulenta, quæ calidorum & ſanguinem exagitantium immodico uſu exacerbantur, accedere, non novum eſt. Hæc autem tempeſtiva venæ ſectione corporiſque motu & exercitatione omnino poſſe averti, experientia confirmat, qua etiam in confeſſo eſt, dolores hypochondriacorum diutius perdurantes demum fluxu ſanguinis per venas ſedales corrupti hæmorrhoidali ſolvi ſalutariter. Notavit id jam *Solenander*, & memoratu digna utique ſunt ipſius de hoc obſervato verba, quæ *conſ. VII. Sect. II. p.* 121.

121. sic habent : *Observavimus hypochondriacos aliquot, quibus istæ corporis regiones, & potissimum sinistrum hypochondrium, multo nigro succo, tanquam atro jure distentæ ac repletæ erant. Novimus, quibus similis ex iis locis humor supra infraque abscessit, quod licet cum periculo conjunctum esset ; tamen evasisse plures scio, & honesto viro,* Johanni Philippo Sleidano, *fratri, bis illud intra annum accidisse memini, & ante mensem honesta & nobilis matrona* de Luttersdorff, *istius atri succi, & quod mirum est fere insipidi, è dextro hypochondrio, ad libras sex, vel septem, vomitu rejecit, sed hi plerumque ascite moriuntur. Alia vero ratio & difficilior evadendi modus est, quando pervicacibus ejusmodi in hypochondriacis doloribus assidua lentaque febris jungitur, quæ ab interna visceris corruptione suborta depascens vires, nunquam non periculosa est.*

Observatio VI.

Effusæ hæmorrhoides soporem discutientes.

Non ita pridem generosissima in comitatu Mansfeldensi fœmina vidua, quinquagesimum annum egressa me accivit, quæ ob lautam & motus expertem vitæ rationem, sanguine, succis & pinguedine plena, semel tamen tantum ab eo tempore quo menses prorsus cessarunt admisit venæ sectionem, & ante octo annos cum mensium fluxu simul apertas fluentes hæmorrhoides passa fuit. Hæc diu jam de lassitudine corporis & viribus languentibus conquesta, incidit circa æquinoctium autumnale in gravem morbum soporosum, adeo ut excitari omni sensu penitus privata nullo modo ab eo potuerit. Medicus hujus urbis famigeratus in auxilium vocatus, venam in pede secandam suasit, & postea potum fontanæ frigidæ præbuit sat largiter, ita ut singulis horis uncias aliquot caperet. Absumtis sic intra biduum quinque vel sex mensuris, post clysterem stimulantem admissum, ingens sanguinis copia, primum crassi, postea tenuioris, per alvum exiit, ita ut intra viginti quatuor horas, plus quam quinque mensuræ profluxerint. Ex eo illico ægra rediit ad se, sopor discussus, collectæ sensim paulatimque vires, datisque analepticis leniter adstringentibus, injecto etiam clystere ex pura aqua frigida, pauca tamen, confecto, belle convaluit.

Epicrisis.

In aqua communi pura fontana & pluviali, eaque frigida, summum adversus plures & magnos morbos repositum esse præsidium, antiqui Medicorum Græcorum & Arabum satis agnoverunt; recentiorum vero plurimi, qui vulgaria & simplicia spernere & exotica pretiosa magna arte parata tantum in usum vocare solent, tam præstantissimam medicinam, quæ fere universalis est, si cautus & peritus Medicus ea uti scit, huc usque & neglexerunt & propemodum rejecerunt. Ego vero ante viginti jam annos scripsi dissertationem *de aqua medicina universali*, nec non *de simplicissimo doloris podagrici remedio* & haud ita pridem *de salubritate frigidi potus* ; quin propria experientia, & Medici, qui heic in curationibus suis aqua frigida utitur fere semper, convictus testor, quod potus aquæ frigidæ generosum & valde efficax sit remedium, quo nimia redundantis & ebullientis sanguinis expansio, motibus vitalibus nunquam non adversa, efficaciter componitur, humores viscidi diluuntur & acres mordaces demulcentur, & quod præcipuum, ipso frigore, partibus à tono & robore defectis, conveniens elastica systaltica virtus restituitur, adeo ut magnum roborans sit remedium. In nostra ægrotante valde plethorica, præmissa venæ sectione in pede, potus aquæ frigidæ immodicam sanguinis ebullientis & vasa distendentis, quæ etiam causam morbi soporosi dedit, vim compressit, & robur systalticum adducendo ac firmando fibras, sanguinis ad venas ani extremas majorem appulsum earumque apertionem concitavit. Qua sanguinis effusione, revulsio magna seri stagnantis à capite facta & tota symptomatum depulsa fuit syndrome. Ex quo intelligitur : arte etiam inductum, immoderatum alias & nimium hæmorrhoidum fluxum, sub certis, quod bene notandum, circumstantiis, corporis & causæ morbificæ remedium saluberrimum quandoque esse posse.

CAPUT V.

De uteri hæmorrhagia immoderata.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Hæmorrhagia uteri quid & qualis.

NOn omnis larga sanguinis per uterum fluxio, quæ in fœminis sanguineis subinde ob nimiam redundantiam accidit, ac si nimia & noxia esset, censenda, sed ea demum, quæ virium imbecillitate stipatur, quam postea aliæ functionum læsiones conspicuæ, ut inappetentia, cruditas ex mala digestione, gravativus circa ventriculi regionem sensus, fœdus faciei color, pulsus languidus & frequens cum lento æstu, pedum œdematosus tumor, turbatus & minus reficiens somnus, insequuntur.

§. II.

Differt ratione temporis.

Hæc nimia sanguinis ex utero effusio, ratione temporis quo impetit multum variat. Nimirum quandoque stato quo erumpere solent menses tempore, sanguis copiose & cum impetu effertur ; quandoque extra illam lunarem periodum, bis vel pluries in mense, redit fluxus ; quandoque ipsa menstrua purgatio solito diutius per complures dies liberaliter succedit. Quæ etiam parturientibus & abortientibus haud raro accidit hæmorrhagia, aliquando ante, aliquando post abortum vel partum, erumpit.

§. III.

Quantitatis & qualitatis sanguinis.

Sanguis qui utero sic effunditur, tam ratione quantitatis, quam qualitatis, item odoris, & coloris, à medico probe debet considerari. Interdum cum impetu exit tenuis & satis floridus sanguis, quem vulgo dicunt *das hertz-Geblùt*, idque frequentius in abortu, vel post eum, à retentis secundinarum fustis, quibus orificia vasorum aperta tenentur. Quandoque cum sanguine copioso coagulatæ & carnem referentes massæ, ovi minoris magnitudine, excluduntur, quod fit, ubi uterina purgatio ad duos vel tres menses substitit. Non nunquam valde grumosus, ater & coagulatus sanguis nigricans erumpit, idque subinde primis puerperii diebus, in gracilioribus & sanguine plenis. In cachecticis sique diutius jam duravit profluvium, sanguis effunditur aut valde aquosus & tenuis, aut mucidus. In scorbuticis

buticis corruptus, fœtidus cum acrimonia & dolore. Frequentius etiam, præsertim in junioribus, vel quæ nondum pepererunt, immoderatam sanguinis vacuationem, fluor albus, sive stillicidium materiæ mucidæ albicantis impuræ sequitur.

§. IV.

Causa sanguinis progressus per uterum impeditus.

Causa immoderatæ & noxiæ ejusmodi hæmorrhagiæ, in copiosiori & impetuosiori sanguinis ad uterum per arterias affluxu, & inæquali ac impedito per venas refluxu quærenda. Hoc enim si contingit à sanguinis turbato motu, vasa uterina nimium distenta, aut relaxata, dehiscunt tandem, vel disrumpuntur, aut eroduntur, ut sanguis liberaliter effluat.

§. V.

In plethoricis.

Sola sæpius plethora adeo exuberat, ut non solum vasa uterina diducat, sed & interdum plane disrumpat. Id vero his fere accidit, quibus menses diu suppressi, postea confertim ac citatius erumpunt; nec non iis, quibus abortus, aut veri aut spurii fœtus, quavis ex causa contingunt. A partu quoque laborioso evenit, vel difficili, quum scilicet vel grandior fœtus, vel oblique situs, nimio conatu excludendus, sub quo vasa vel rumpuntur, vel nimis dehiscunt.

§. VI.

Emanentius & jam mansis nervibus.

Ordinario ferè contingit, fœminas circa illud tempus, quo menstrua purgatio sua sponte desinit, ante annum videlicet quinquagesimum, inordinatam diuturnam admodum, neque omnis periculi expertem, ex utero sanguinis fluxionem pati, qua cessante, cessat etiam penitus dein per uterum sanguinis menstrualis excretio. Interdum etiam, quod aliquoties observavimus, accidit, fœminas annosiores, sexagenarias circiter, subito & ex improviso, immensam cum malo odore sanguinis utero excernere copiam, quæ, juncta tandem febre lenta, interierunt.

§. VII.

Dumper spasmos congeritur, ut patet ex ignis.

Immoderatius sanguinis ex utero profluvium, eo tempore, quo incipit, vel per intervalla revertitur, ut plurimum præcedunt & comitantur hæc: tensio & inflatio hypochondriorum, circa lumbos dolor gravativus & pressorius, quandoque cum sensu refrigerii junctus, extremarum partium refrigeratio, vasorum detumescentia, color faciei pallidus, pulsus citatior, cum interiorum ardore, alvi strictura, urinæ parcior fluxus. Hæc omnia autem satis abundeque testantur, non à causa solum passiva, id est, nimia debilitate & laxitate uteri, sed ab activa etiam, spasmodicis partium vasculorum & nervearum stricturis, sanguinem ad uterum nimium urgentibus, hoc vitium proficisci. Unde etiam ratio repetenda, quod fœminæ hypochondriacæ, hystericæ, & quæ tenerioris sunt ad animi commotiones proclivioris naturæ, hoc molesto malo frequentius afficiantur.

§. VIII.

Agenitis in utero carnosis massis.

Nil frequentius est, quam si in puerperio salutare negligitur regimen, neque in eo, neque post illud, uterus à sordibus probe expurgatur, elapso aliquot mensium spatio, impetuosæ hæmorrhagiæ cum animi sæpius deliquio subsequantur, quæ etiam per intervalla repetunt, & non prius desinunt, quam ejecta foras una vel altera massa carnosa, pugni interdum magnitudine, quam femelæ molam dicunt. Et hæ massæ procul dubio ex laciniis placentæ relictis, & succo nutritio in iis per calorem condensato, non secus ac carnes luxuriantes in sauciatis partibus, gignuntur. Dum vero postea mole sua comprimunt venas uteri, sanguinis circuitum per eas retardant & ad impetus ejusmodi hæmorrhagicos ac motus uteri spasticos, quibus illæ concretiones carnosæ eliduntur, causam præbent sufficientem.

§. IX.

Periculosa est uteri hæmorrhagia.

Si corpus est cacochymicum, pravis succis plenum; si scorbutica, vel etiam venerea lue infectum; ubi viscera non sunt integra, hepar, lien, aut vasa mesaraica sanguine crasso infarcta, non caret malum periculo, sed multum negotii medico facessit. Etenim sub ejusmodi fluxu, succorum labes & cachexia semper increscit; eo quod quo plus debilitantur vires, eo minus ventriculus bene appetit & digerit, eo magis crudi succi, qui difficilius in sanguinis boni & liquidi cerebri substantiam transeunt, generantur, eoque minus dein per sueta & congrua emunctoria fit recrementorum excretio.

§. X.

Maximè in parturientibus & abortientibus.

Vita valde periclitatur in iis, quæ ante partum, fœtu existente mortuo, magnum sanguinis patiuntur profluvium. Nisi enim extraordinario naturæ robore & præsentaneo medici auxilio fœtus excludatur, vel operatione chirurgica opportune eximatur, mortem sequi certissimum est. Periculosæ etiam eæ uteri hæmorrhagiæ sunt, quæ ex ruptis ob secundinam cum violentia extractam vasis oriuntur, nec non quando fistula retenta, postea, in deformes massas, molas dictas, concrescunt, mensium fluxum semper vitiant & nimium reddunt.

CURATIO.

§. I.

Si sanguis abundat mittatur.

In medicatione dextre adornanda, omnino medicus ad varii generis causas & alias atque alias circumstantias & symptomata debet respicere, quo iis removendis idonea & efficacia convenienti tempore opponere possit remedia. Igitur, ubi nimia sanguinis redundantia & quidem à retardato sanguinis menstrui consueto fluxu immoderationis hæmorrhagiæ causa est, non melius ac certius ad præservationem ejusmodi mali suppetit præsidium, quam venæ sectio, aliquot dies ante suetum ordinarii fluxus tempus, in partibus superioribus instituta, sufficientem sanguinis copiam, ad sex vel octo uncias, evacuando. Rectius adhuc, si uterinæ purgationis per aliquot menses suppressio impetuosæ hæmorrhagiæ causa est, tempestiva sanguinis missione in pede, hæc ipsa avertitur commodissime. Ubi vero jam multum sanguinis profluxit, ad ejus impetum divertendum & ad superiora loca revocandum, parcior quantitas est emittenda. Et certe quam præstans sit in venæ sectione præsidium adversus hunc morbum, conceptis verbis testatur *Hollerius in comment. ad aphor. L. Hippocr. Sect. V. vidimus*, inquiens, *quæ sanguine multo è vena detracto convaluerunt, quum nullis aliis remediis fluxus sanguinis reprimi posset.*

§. II.

Si in orgasmo constituus.

Quando nimius ebullientis sanguinis orgasmus fovet & auget hoc malum, ob motum inte-

refrigerantia & diluentia danda.

inteſtinum partium ſulphurearum concitatiorem, diluentia, humectantia, refrigerantia auxilio ſunt efficaciſſimo. Atque inter hæc excellit quam maxime ſola aqua frigida fontana, modo ſatis ſit pura & ſubtilis, aut quæ melior adhuc pluvialis, probe conſervata & putredinis expers, vel admixta nitri decenti quantitate alterata, vel cum ſpiritu vitrioli & ſyrupo papaveris rhœados in julapii formam redacta, & ſufficienti copia pota. Etenim ſimplex hæc medicina, & diluendo ſpiſſos humores, & acres contemperando, nimiumque æſtum reſtinguendo, fibras quoque relaxatas firmando, plus certe præſtat, quam tantopere à medicis, alia varii generis ad hoc malum domandum laudata ſpecifica. Non tamen poſtponenda virtus qua pollet hunc in finem ſerum lactis dulce, & acidulum, item chalybeatum, nec non aqua Selterana cum lacte aſinino, præſertim ubi corpora ſunt graciliora, tenerioris & ſenſibilioris indolis, & lento calore macerantur, item ubi ſcorbutica & exanthematica acris materia vitalibus ſuccis immixta, graviorem hunc & difficiliorem reddit affectum.

§. III.

Spaſmi componendi per anodyna.

Ubi ſpaſmorum & dolorum ferocia, quod ſubinde in puerperio, item poſt abortum, atque in hypochondriaca & hyſterica paſſione affectis evenit, ſanguinis profluvium ciet, confugiendum utique ad ea, quæ blanda & anodyna vi dolores & motus effrenos ſolidorum placant atque ſedant. Hoc nomine liquorem noſtrum anodynum mineralem cum pulvere nitroſo ſimul ſumtum, pulveres antiſpaſmodicos, qui ungulæ alcis, dentem hippopotami, lapidem manati, cornu cervi philoſophice præparatum, pulverem marchionis, nitrum, cinnabarim, ſuccinum, caſtoreum recipiunt, merito laudamus, quorum virtus eo fit efficacior, ſi unum vel alterum granum laudani hyſterici, item maſſæ pilularum de cynogloſſa additur ipſis. Papaveracea quoque, anodynorum leniſſima, ut folia papaveris rhœados, in infuſo theiformi cum ſummitatibus millefolii, & floribus chamomillæ vulgaris, aqua, ſyrupus, extractum papaveris, laudabilem, præſertim ubi ſimul humorum peccat acrimonia, opem locant.

§. IV.

Serum impurum alia ad congrua emunctoria divertendum.

Quia in hoc affectu frequentius copioſum & vitioſum ſerum ſanguini ſe immiſcet, opus eſt, ut ad alias vias id dirigatur & per congrua excretoria evacuetur. Perficitur id optime & efficaciter per blanda per epicraſin operantia laxantia, inter quæ manna, rhabarbaro, caſſia & tamarindis nihil datur convenientius & præſtantius, modo in convenienti & ſufficienti quantitate exhibeantur. Nam manna tabulata, ad duas uncias cum drachma una cremoris tartari in infuſo ex aqua florum acaciæ cum oleo citri præſcribenda pro doſi, alias non ſufficiens, & ſatis valida fit purgatio. Rhabarbarum optime miſcetur cum paſſulis Corinthiacis in infuſo, vel ſi cum iis in ſyrupiformem maſſam redigitur. In paulo robuſtioribus pulvis mechoacannæ albæ, ad drachmam dimidiam, vel ſcrupulos duos, cum æquali cremoris tartari parte permixtus, locum perquam commodum invenit. Divertenda vero etiam ſeroſa illuvies ad renale cribrum, quod præter ſerum lactis, vel aquam Selteranam, terra foliata tartari, ſolutio oculorum cancri, nitrum antimoniatum, tinctura tartari cum ſpiritu nitri dulci & ſpiritu tartari mixta, præſtant efficaciter.

§. V.

In reb fluxu benda ſtringe interne

Impetu ſanguinis nimis vehemente ad lipothymiam uſque perſiſtente, confugiendum utique demum ad ea, quæ adſtrictoria pollent facultate efficaci, cujus indolis ſunt ſpecies de hyacintho, trochiſci de carabe, hæmatites, bolus Armena, eſſentia terræ catechu, cum liquore anodyno & refracta doſi eſſentiæ anodynæ remixta, famigeratiſſima Sylvii mixtura, ad omnes immodicas ſanguinis profuſiones utilis. Externe vero *Et ext* in forma emplaſtri ſtercus ſuillum, aceto forti imbutum, regioni pubis applicatum, ſiſtendi facultate gaudet haud proletaria. Vel concinnandum cataplaſma ex foliis plantaginis & polygoni, floribus roſarum, balauſtiorum, coquendum in aceto roſaceo & ſubfrigide apponendum. Nec minus præſtans hoc nomine eſt efficacia emplaſtri ſpermatis ranarum, cum alumine, oleo hyoſcyami & camphora permixti, ac regioni lumbari admoti.

§. VI.

Ad pr vation robur ceribu redden dum.

Quando fluxio jam per aliquod tempus conquievit, præſervandi cauſa ad arcendam recidivam, præſertim ſi corpora ſint ſeroſiora, & cachexia jam adeſt, aut imminet, robur non modo utero, ſed & omnibus viſceribus conciliare oportet. Id vero commode & efficaciter præſtari poteſt pilulis methodo Becheriana paratis, aliquoties aſſumtis, item elixirio noſtro balſamico viſcerali, cum tinctura martis Zwölfferi, vel etiam Ludovici, permixto. Laudem etiam merentur juſcula alterata cum ſucco plantaginis, cichorii, acetoſæ. Potus ſit aqua frigida, in qua aliquoties fruſtum chalybis candefacti extinctum. Aquæ quoque Selteranæ ſolæ per plures dies epotæ, laudabilem præſtabunt opem. Contra ea fugienda vina, carnium, ovorumque eſus & omnia ea, quæ ſanguinem nimium adaugent & exagitant.

§. VII.

Et uteru rite pur gandus.

Quia vero experientia multiplici teſtante, quam maxime abortio & puerperium ad enormes hæmorrhagias, præſertim ſi uterus poſtea non bene purgatus fuit, diſponere ſolent; providendum utique omni cura erit, in puerperio, vel etiam poſt illud, ut ipſe ſatis mundificetur. Cui ſcopo obtinendo feliciter & efficaciter omnino pilulæ Becherianæ, & quæ ad earum imitationem paratæ ſunt ex extractis amaris, temperatis reſinoſo-gummatibus, extracto rhabarbari & refracta aloës gummoſæ doſi, concinnatæ inſerviunt, ſi non modo duobus aut tribus diebus poſt partum per aliquot dies ſumantur, ſed & medio puerperii tempore, ſimili modo per tres aut quatuor dies ipſarum uſus continuetur. Vel pilularum loco infuſum ex aqua meliſſæ, vino, rhabarbaro, herba meliſſæ, roriſmarini, radice pimpinellæ, agarico, paſſulis minoribus, corticibus aurantiorum & citri per aliquot dies hauriendum. Quibus remediis id efficitur, ut uterus ejuſque vaſa ab omni ſuccorum vitioſorum illuvie, atque tia m laciniis, quæ ex retenta ſecundina remanent & rudimentum molarum carnearum præbere poſſunt, expurgetur ac liberetur.

CAUTE-

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Vena sectionis monita & cautela.

Ad perſanandum æque ac protelandum hoc malum, potiſſimum prudentiæ medicæ momentum in eo repoſitum, ut pro differente corporum & cauſarum ratione, menſura, modus ac tempus, mittendi è vena ſanguinis, rite perſpiciatur & obſervetur. Scilicet quæ habitioris ſunt corporis & à ſola ſanguinis abundantia ſæpe cum immani hæmorrhagia abortiunt; illæ ſola ſubtractione ſanguinis, tempeſtive in brachio celebrata, vel etiam ſi res poſtulat repetita, ab incurſu hujus morbi poſſunt vindicari. Contra ea ubi viribus jam valde exhauſtis, nimia ſanguinis copia profuſa, præſtat à venæ ſectione abſtinere. Tum vero è re eſt, brachium utrumque tepidæ aquæ, cui quippiam vini admixtum, per horæ dimidium immittere, quo ſanguinis impetus ad exteriora divertatur. Idque remedium longe efficacius eſt ac utilius ipſis cucurbitis ad mammas applicatis, quas tamen *Hippocrates* paſſim in ſcriptis ſuis in ejuſmodi caſibus magnopere commendat.

§. II.

Alvum ſolventia neceſſaria.

Si diutius hoc malo colluctantur fœminæ, ſive ſint bilioſæ, ſive phlegmatico-ſanguineæ conſtitutionis, rarius feliciter ſine alvum ſolventibus remediis ſanantur. Sunt autem inter hæc optima rhabarbarina, rhabarbarum cum cremore tartari, aut ſi multum ſeroſæ colluviei evacuandum eſt, cum tertia parte mechaocannæ albæ acuatum. Utiles quoque pilulæ temperatæ balſamicæ, ſecundum exemplar Becheri, refracta bene præparatæ aloës doſi concinnatæ, vel loco harum alœphanginæ, vel de ſuccino Cratonis, quarum virtus interpoſitis nitroſo-ſalinis pulveribus utique exaltatur.

§. III.

Quandoque emetica lenia.

In tenerioribus bilioſis & cachecticis leniora emetica, cujus generis eſt radix ipecacuanhæ, ſingulis menſibus ad arcendum malum exhibita, non male ceſſiſſe novi, à qua methodo ipſe *Hippocrates* & *Riverius* quoque non alieni. Prima enim regio, ob deperditam digeſtionem, haud infrequenter multorum chronicorum uteri affectuum cauſam & fomitem fovet ac præbet eaque propter ut efficaciter depleatur expedit.

§. IV.

Adſtringentia & anodyna caute danda.

Validiora adſtringentia caute & provide admodum adhibere oportet, quod etiam de narcoticis tenendum, quæ neque in principio, neque etiam ubi vires à nimia ſanguinis profuſione penitus jam exhauſtæ, imminente fere ſemper animi deliquio, conducunt. Quin vidi ſæpius, ab adſtringentibus fluxum exacerbatum fuiſſe; vidi quoque non nullas, ab immoderatiori horum uſu in immanes & graves chronicas paſſiones, cachexiam, hydropem, lentam & hecticam febrem, perpetuum lymphæ ex utero ſtillicidium, cum intumeſcentia & tumore duro circa dextrum latus inguinalis regionis, fuiſſe præcipitatas.

§. V.

Etiam Heurnii pulvis.

Pulvis *Heurnii* cujus deſcriptionem in *commentario ad aphoriſmos Hippocratis Libr. V. aphoriſm. L.* exhibet, & quem maximo cum ſucceſſu ſemper in immoderatiori uteri fluxu ſe adhibuiſſe refert, non contemnendus eſt. Compoſitio autem ita habet: accipe ſeminis hyoſcyami, papaveris albi ana drachmam unam, hæmatidis, coralliorum rubrorum ana drachmam ſemis, camphoræ ſcrupulum dimidium. M. de quo mane & veſperi dimidia drachma pro doſi ſumenda. Nos quoque ab ejus uſu olim laudabilem effectum vidimus, ſed convenit eum exhibere, ubi omnia in actuoſo ſunt motu, arteriarum pulſu celeri & vehementi, cum aſſidua vigilia, atque tum etiam ſecurius, cum ipſi additur nitrum ad dimidiam drachmam; minime vero ubi vires cum ſanguine exhauſtæ ſunt, & pulſus vix digito tangi poteſt. Nam à ſeminis hyoſcyami uſu paulo largiori, in dementiam conjectas fuiſſe quaſdam perſonas novimus. Idem monitum etiam tenendum de pilulis de cynogloſſa, quæ pariter ſubactum in exhibitione deſiderant judicium practicum.

§. VI.

Minerales aquæ ad curam potiſſima.

Quando à viſcerum obſtructione chronicum malum fovetur, cura ſine legitimo aquarum mineralium, vel acidularum, vel thermarum temperatiorum uſu, rarius ex voto ſuccedit. Expedit vero medicamentis temperate balſamicis hanc curam ſecundare, & exterius quoque ad roborandа viſcera ipſumque debilitatum uterum, ſilente fluxu, balneo aquarum ſubadſtringenti virtute gaudentium, cujus indolis ſunt noſtræ Lauchſtadienſes, uti.

§. VII.

Potus ſeligendus commodus.

Multum intereſt, quo potus genere utantur illæ, quæ ejuſmodi immodicis ſanguinis fluxionibus macerantur. Neutiquam enim ventriculus, in hoc affectu valde imbecillis, omnia æque bene ferre poteſt. Inprimis abſtinendum ab omni ceresiſia, à potu quoque vinoſo, ac potius in uſum vocanda decocta, ex raſura ligni ſantali rubri, citrini, radice cichorei, ſemine fœniculi & paſſulis, parata. Quibuſdam ſolus potus aquæ fontanæ frigidæ, alteratus quodammodo ſyrupo acetoſitatis citri, vel tantillo nitri injecto, optime ceſſit. *Ludovicus Septalius Libr. VII. animadverſ. medicar. articul. CXLIV.* decoctum corticum aurantiorum, mane ad octo vel novem uncias potum, tanquam remedium certiſſimum deprædicat, eoque fere infinitum mulierum numerum ab hoc morbo ſe liberaſſe aſſeveravit, ſed inter ſecreta id ſervavit. Recepit autem aquæ libras ſeptem, in hac incoxit cortices trium pomorum aurantiorum, aliquando adhuc viridium, interdum etiam addidit in fine aliquid herbæ piloſellæ.

§. VIII.

Quæ vitæ victuſque ratio tenenda tam in curatione.

Uti in omni præternaturali hæmorrhagia, ita etiam in hac ipſa, ventriculi & exacta vivendi ratio maxime habenda eſt. Ob vires enim cum ſanguine deperditas, ventriculus nec bene appetit, nec decenter digerit, nec recte egerit, ſed cruditatum & flatuum copia turget ut plurimum venter. Optimus eſt cibus ſiccus, modicus & ſalubris; minime gelatinoſus, difficilioris ſolutionis & qui inflat. Potionibus, ſi fuerint aquoſæ, ſubinde modicum vini optimi rhenani, vel genuini vini Pontack, admiſcendum eſt. Ac uti nimium frigus, ita etiam immoderatus æſtus aëris nocet. Neque admittenda eſt nimia corporis quies, neque nimia ejus exercitatio, veneris uſus ſit parciſſimus. Demum ſi unquam affectus

animi præſentaneum damnum inferunt, certiſſime id contingit in ſanguine exhauſtis corporibus.

§. IX.

Quam poſt morbum.

Multum tandem refert, ut quæ extreme immodicis ſanguinis fluxionibus debilitatæ, ſedato fluxu, convenienti diæta priſtinam ſenſim recuperent ſanitatem. Nam ſi repente cibis ſe replent, quos imbecillis ventriculus non ſatis digerere poteſt, facile incurrunt ob cruditates in alias chronicas paſſiones. Nimirum uti effato *Hippocratis* impura corpora nutrientibus læduntur : ita etiam valde debilitata. Habenda igitur eſt quam maxime ventriculi ratio, & analepticis ac nutrientibus cibis quidem reſtaurandæ ſunt vires, ſed parca manu offerantur neceſſe eſt.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Hæmorrhagia uteri cum febre lenta lethalis in vetula.

Vidua hujus loci honeſta, jam ſeptuagenaria, extenuati corporis, ſedentariæ vitæ multum addicta, poſt quinquageſimum annum ceſſante ex toto menſtrua purgatione, aſſueta fuit ſingulis annis circa æquinoctia ſanguinis miſſioni, poſt annum autem ſexageſimum ex muliercularum conſilio eam omiſit. Unde intra ſexageſimi & ſeptuageſimi anni ſpatium aliquoties pathematibus ſpaſmodico-flatulentis, tumentibus quoque venis hæmorrhoidalibus externis, interdum etiam ſanguinis mictione, tentata fuit. Medicus ſalutari conſilio ſuaſit venæ ſectionem crebrius repetendam, ſed ipſa hujus moniti negligentior, incidit tandem in ingentem animi mœrorem eumque diuturniorem, ac paulo poſt ex improviſo immodice ſanguis per uterum effluxit, & fruſtra datis optimis analepticis & roborantibus, per menſes aliquot & longius continuavit. Tandem cum intolerabili fœtore profluxit ex pudendis cruor, lenta ſucceſſit febris & ſumma virium dejectio, donec placide obiret miſera.

Epicriſis.

Neque ab immoderata uteri hæmorrhagia vetulæ immunes, ſi plethoricæ ſunt & ſanguinis miſſionem negligunt. Quin ſi cum vita ſedentaria animi mœror jungitur, quam facile ab abundante ſanguine & in viſceribus abdominis, præſertim utero, ſtagnante, ſphaceloſa corruptio ſuccreſcere poteſt, quam fœtor ſubinde indicat, qui intolerabilis fit, maxime quando hæc corruptio ad ipſum inteſtinum rectum penetrat. De fœtidiſſimo uteri profluvio hiſtoriam quoque refert *Heurnius* in *notis ad aphoriſm. Hippocrat.* & quidem 56. *Sect. V. vidi* inquit, *nobilem matronam, quæ profluvio uteri extabuit & tanto fœtore effundebatur, ut nullus non exiſtimaret alvo venire. Sed hic fœtor longe alvum ſuperabat. Exiſtimo totum ejus uterum, in teterrimum tabum eliquatum, una effuſum fuiſſe. Languebat hæc mirum in modum, ac quaſi lethargo ſtupebat mente, lente obiit intolerabilibus fœtoribus, ego ſane nil fœtidius unquam olfeci.*

Observatio II.

Hæmorrhagia uteri peſſo ſtiptico ſanata.

Illuſtris ſtemmatis fœmina, floridæ formæ, ſanguine & ſuccis plena, vigeſimo octavo ætatis anno tertium jam menſem gravida, ex uteri ſinu ſanguinem per duas hebdomades exigua quidem quantitate profluere ſenſit, vehementioris vero ſaltationis motu mox in talem incidit hæmorrhagiam, ut univerſus propemodum ſanguis, uſque ad menſuras ſex, vel ſeptem, floridus & fluidus, intra aliquot horas, è corpore promanaſſe viſus fuerit, intercurrentibus ſubinde animi deliquiis. Nihil auxilii tam intra quam extra ad cohibendum tantum ſanguinis impetum prætermiſſum fuit, ſed fruſtraneo effectu. In tanto itaque vitæ periculo coactus ego fui ad anceps & extremum confugere auxilium, linteum ſcilicet apte contortum & probe ſolutione capitis mortui vitrioli imbutum, quod in uteri ſinum quouſque penetrari potuit, intrudi curavi. Hoc non multo poſt ſubſtitit fluxus, & exhibitis analepticis medicamentis & alimentis erectus quodammodo animus cum viribus. Tertia die poſt, tentata eſt extractio lintei, quæ non fuit ſine difficultate, quia illud plane exſuccum & ſiccatum erat, ipſique ſuperne congrumatus, niger, aridus ſanguis adhæreſcebat. Factum hinc eſt, ut, quum ſeceſſum peteret ægra, fruſtum maſſæ carneæ ex utero ſimul, cum aliqua ſanguinis fluidi portione prolaberetur. Quo excluſo, quum nihil amplius exiret, poſtea per commodam diætam & medicamenta, ventriculi digeſtionem ac vires reſtaurantia, generoſa hæc fœmina ſucceſſive convaluit.

Epicriſis.

Non novum eſt, ab incoërcibili ſanguinis ex utero profuſione in partu laborioſo, in abortu etiam, in lethalem ſyncopen incidere poſſe fœminas. Sub tanto autem mortis periculo, anceps etiam remedium experiri non inconſultum eſt. Et licet tale ſtipticum uteri internis partibus applicare nunquam antea obſervatum vel viſum fuerit; tamen hæc obſervatio docet, ſtiptica etiam internis uteri partibus non adeo eſſe inimica, ſiquidem poſt hæc fœmina gratioſa admodum & concepit & peperit feliciter.

Observatio III.

Hæmorrhagia uteri antiſpaſmodicis ſanata.

Judæi uxor annorum ſexaginta tenerioris & mobilioris naturæ multorum liberorum mater, quum tertio jam menſe crederetur gravida, citra ullam manifeſtam occaſionem copioſe ſanguinem ex uteri ſinu prorumpere ſenſit, excluſa ſimul non ita multo poſt maſſa carnea pugni magnitudine. Hoc facto nihilo minus permanſit fluxio puri & etiam fibroſi ſanguinis cum virium inſigni decremento; quin quum gravi terrore percelleretur, mox continua ad lipothymiam ingruit proclivitas, cor palpitavit, & tremuit cum magna præcordiorum anxietate ſpirandique anguſtia, extrema friguerunt, & quandoque, ut in epilepſia fit, ſub animi deliquio, pollices cum reliquis digitis fortiter conſtricti fuerunt. Atque hæc omnia ſub ſuavi quodam oblato odore, graviora; remiſſiora vero ſub graveolenti adhibito remedio fuerunt. Quum itaque omnia deſperata adſtantibus viderentur, in conſilium vocatus ego, bono animo ipſos eſſe juſſi, ac remotis aliis medicamentis, clyſterem injici curavi carminativum, poſtea ad violentas ſyſtematis nervoſi illas commotiones ſedandas præſcripſi pilulas, quæ extractum florum chamomillæ, millefolii, crocum, caſtoreum, camphoram & aſam fœtidam habuerunt, quarum ſingulis tribus horis numero V.

vel

vel VI. deglutitæ fuerunt. Quibus ægrota succeſſive ſanata fuit.

Epicriſis.

Uti vehementiores animi commotiones in plethoricis magna, ita in ſanguinis defectu longe majora damna procreare poſſunt, potiſſimum pathemata ſpaſmodica convulſiva & quæ vulgo in fœminis appellari ſolent hyſterica, quibus frequentius puerperæ poſt lochia infeſtari ſolent. Terror vero, ſi ullus ex animi affectibus, in immodicis hæmorrhagiis perniciosiſſimus. Nam ſiſtit quidem ipſas, ſed poſtea graviora concitat mala. Imprudentiæ hinc eſſet, denuo ſanguinis miſſionem tentare. Nihil potius à prudenti medico aliud agendum, quam ut antiſpaſmodicis convenientibus motus hoſce intenſiores nervoſarum partium componat, & per diaphoretica & analeptica ſanguinis liberum curſum, per extima etiam corporis, promoveat.

Observatio IV.

Hæmorrhagia uteri poſt menſes emanentes rebellis ſanata.

Fœmina quinquaginta trium annorum, temperamenti cholerico-melancholici, in animi commotiones valde prona, ante annum & dimidium incidit in immodicam ſanguinis ab utero fluxionem, quæ die nocteque integrum per annum duravit, & ſubinde parcior, quandoque vero tam larga fuit, ut cyathos aliquot compleret. Inde maxima animi ad lipothymiam uſque, nec non virium & appetentiæ dejectio ſequuta eſt, intercurrente ſæpius, mox ſingulis, mox tertio die, cum horrore præcedente, febricula. Varia fruſtraneo eventu oppoſita fuerunt remedia, tandem vero martialium uſu cohibita fuit hæc ſanguinis profuſio, ſed in ejus locum fluor albus ſucceſſit, cum tumore pedum œdematoſo, ſpirandi difficultate, inappetentia & alvo adſtrictiore junctus. Crebriori tamen pilularum noſtrarum, item tincturæ antimonii acris, cum ſpiritu Buſſii & liquore noſtro anodyno permixtæ uſu, fluor albus cum tumore œdematoſo ſublatus ad tempus eſt, licet non ita multo poſt rurſus infeſtaret, ac tandem ſuffimigio, ex tacamahaca, ſuccino, raſura eboris & floribus ſulphuris, aliquoties in die uſurpato, cum continuatis ſuperioribus remediis, ex toto etiam ſanatus eſt.

Epicriſis.

In hac hiſtoria venit illud notatu perquam dignum, quod poſt illud tempus, quo alias ordinario ceſſat menſtrua purgatio, exceſſiva adhuc tamdiu prodierit ab utero fluxio; id quod ex parte iracundæ animi affectioni adſcribendum. Quoniam autem hic morbus ingentem atoniam viſcerum abdominis, præſertim uteri, habuit pro fundamento, ad eam expugnandam & tonum reſtituendum, præter amara atque memoratam eſſentiam, quæ ſimul diaphoreſin & diureſin movet, nec non ſuffimigia, ad ſiſtendum album fluorem nihil unquam inveni præſentius, & hinc quoque in noſtra felicis & ſaluberrimi fuerunt effectus.

Observatio V.

Hæmorrhagia uteri immodica cum mola ſanata.

Illuſtris fœmina, conſtitutionis tenerioris, triginta & aliquot annorum, inordinatum menſium ſæpius experta fuit fluxum, ita, ut ad duos & plures menſes retinerentur & poſtea impetuoſius ſanguis, primo grumoſus, dein tenuis, magna copia profunderetur. Tum quidem remediorum convenientium beneficio malum depulſum, ſed ſequentibus annis, menſibus præſertim hyemalibus, Januario & Februario, ſuppreſſio tributi lunaris in tertium menſem rurſus acceſſit, ac poſtea fluxus effuſiſſimus rediit, exeuntibus ſimul fruſtis duris fœtentibus, cum magna portione aquæ. Tertio anno ſpecies molæ prodiit, dura nempe carnea maſſa, pellicula alba cincta, multis cellulis referta cum exceſſiva ſanguinis profuſione, quam magna virium jactura; inappetentia, ventriculi imbecillitas, nauſea; præcordiorum anxietas, dolor dorſi & artuum, cum pauco ſomno ſequuta. Quare ego in conſilium adſcitus, hac medicationis methodo, divina favente gratia, ægram à moleſtiſſimo hoc affectu liberavi & integre reſtitui, ita, ut gravida aliquoties facta, ſingulis binis menſibus miſſo è brachio ſanguine, feliciter liberos ſanos pepererit. Methodus vero curationis, quæ tribus vicibus adhibita, in eo conſiſtebat: per tres dies circa ſomni tempus deglutitæ fuerunt pilulæ balſamicæ noſtræ, ad quarum operationem promovendam mane poſt ſumſit drachmam pulveris ſalini, ex tartaro vitriolato, lapidibus cancrorum, nitro, ſale Ebshamenſi, æquali pondere permixtorum, poſt quinque dies deſcendit mane in balneum, paratum ex aqua pluviali, in qua infuſa herba menthæ, meliſſæ, origani, hormini, ſalviæ, flores ſpicæ, adjecta convenienti quantitate aluminis & cinerum clavellatorum.

Epicriſis.

Mirum forſan cuipiam videri poterit, quod inter caſus nimia hæmorrhagia uteri laborantium etiam abortus recenſuerimus; verum cum hi ipſi non aliter fieri poſſint, niſi præcedente ex utero hæmorrhagia, eaque præternaturali, utique curanti incumbit, convenienti methodo, & fœtum in utero ſervare ſalvum, & fœminam à gravibus & ſonticis pathematibus, quæ à nimia ſanguinis profuſione, ceu cauſa, oriuntur, vindicare. Quæ omnia melius præſtari nequeunt, quam methodo jamjam à nobis propoſita. Potiſſimum balnea & inſeſſus ex convenientibus remediis parata, in diuturnis uteri morbis & vitiis corrigendis, ſi ullum aliud, plurimum valent. Et ſic multæ ad fœtum vivacem edendum inhabiles ac ſæpe abortientes, ad geſtationem, partum & grata matrimonii pignora idoneæ redditæ fuerunt.

Observatio VI.

Hæmorrhagia uteri diuturna analeptica & diaphoretica mixtura ſanata.

Generoſa fœmina quadraginta & aliquot annorum, fluxibus ex utero immodicis ſæpius laboravit, tandem à vehementi terrore in immanem hæmorrhagiam incidit, ad quam ſiſtendam, Medicus venæ in brachio ſectionem, pilulas Stahlianas, pulverem antiſpaſmodicum, neque minus eſſentiam millefolii, tincturam martis Ludovici, maſſam pilularum de cynogloſſa, ſed omnia incaſſum, adhibuit. Eruperunt potius fruſta ſanguinis congrumati cum fœtore, cui malo mixturis analepticis, item tinctura martis cydoniata cum arcano tartari maritata, & ad alvum pertinaciter conſtrictam, magneſia alba fruſtra obviam ivit, & iterata rurſus venæ ſectione in brachio, ſanguis ſeroſus lixivioſi ſaporis, profluxit. Diutius itaque perſeverante hoc fluxu, mirum non modo vires langueſcebant, ſed & lipothymiæ, capitis

dolores, vertigo & aurium tinnitus accedebant. Unde ego in auxilium vocatus, ſequentem dare juſſi mixturam: Recipe aquæ florum ſambuci, tiliæ, liliorum convallium, meliſſæ, ana unciam unam ſemis, theriacalis, cinnamomi ſine vino ana unciam ſemis, aceti deſtillati unciam, lapidum cancrorum drachmas duas, antimonii diaphoretici drachmam, ſpiritus nitri dulcis guttas XXX. ſyrupi acetoſitatis citri drachmas ſex, M. D. de qua quotidie bis vel ter, duo cochlearia ſumere præcepi. Ad regionem pubis vero epithema ex herbis menthæ, meliſſæ, roriſmarini, origani, floribus roſarum rubrarum, & cortice chaccarillæ, cum vino rubro, Pontak, coctum tepide applicare, manuſque ſæpius de die in aquam tepidam cum vino rubro mixtam, immittere juſſi, pro potu ſuaſi decoctum ſantali, lentiſci & radicis cichorei. Quibus dextre adhibitis remediis, hæmorrhagia uteri cum omnibus ſymptomatibus ceſſit, & generoſa patiens, recuperatis ſenſim viribus, optime convaluit.

Epicriſis.

Nimis frequens & repetita uterina hæmorrhagia ingentem uteri ejuſque vaſorum atoniam ſubindicat, ad quam removendam, Medicus maxime apta remedia porrigere debet. Huic vero ſcopo obtinendo, neque adſtringentia, neque anodyna, neque nitroſa, aut ſola refrigerantia interne ſumta, reſpondent, ſed applicanda etiam ad confirmandum harum partium robur externa idonea remedia. Præterea mixturæ analepticæ & diaphoreticæ, cum conveniente regimine calido, ad tranſpirationem, ſi malum urget, & alia, ſpectatiſſimæ alias virtutis remedia reſpuit, augendam, divertendo non modo ſanguinis impetum, ſed & acrimoniam, quæ ſæpius ſubeſt, demulcendo, inſigni emolumento ſunt.

Observatio VII.

Hæmorrhagia uteri ex infelici ſecundinæ extractione.

Ediderat felici partu gemellos fœmina fere trigenaria, ſed retentis paullo diutius ſecundinis, extractionem earundem molita eſt obſtetrix. Quod quum non ſine violentia perficeret, remanſerunt fruſtula non nulla, & ſequutus tam immodicus lochiorum fluxus, ut aliquoties animi deliquium incurreret puerpera. Quin ex eo per dimidium anni ſtillicidium ſucceſſit ex pudendis ſanguinolentum, plane refractarium & fere perpetuum, vix quandoque ad aliquot dies inducias concedens. Bis etiam interea ſimul excreta maſſa ovi gallinacei minoris magnitudinem referens, cuticula obducta pellucida & intus habens liquorem ſpiſſiuſculum turbidum atque fœtentem. Peſſime ea propter habuit miſera, appetitus periit, vires conciderunt, caro contabuit & vix corpus movendi ſuperfuit potentia. Tandem haud ita pridem à me ſalutare petiit conſilium, qui ipſi ſuaſi uſum pilularum Becherianarum, cum æquali portione extracti rhabarbari & aliquot granis pulveris antimonii martialis ſic dicti cachectici, mixtarum, & exterius pubis regioni admovere, ac ſi fieri poſſet, ipſum in uterum injicere juſſi, decoctum meliſſæ, menthæ, caryophyllorum, maſtiches, florum roſarum rubrarum & balauſtiorum, ex vino Gallico, quod vocant Pontack. Qua methodo quibuſque præſidiis plures ſanitati redditas fuiſſe novi.

Epicriſis.

De infelici extractionis ſecundinarum cum vi quadam factæ ſucceſſu, plures in artis exercitio notavimus obſervationes. Nam ſi quando diſſiliunt in fruſta ſecundo partu edenda, & ex his non nulla remanent, in corruptionem ipſa abeunt, & colliquata ichoroſum faciunt fluxum, ſimul lentum quendam accendunt calorem, vires mirifice dejicientem. Quandoque præpoſtero hoc molimine enormis inducitur hæmorrhagia, cum omnimoda fere virium jactura, quin ipſius vitæ periculo. Non nunquam etiam ex relictis fruſtulis ſuccreſcunt poſtea concrementa fungoſa, ex membranis in variam formam & magnitudinem contexta, quæ molas dicunt ſpurias, continuo materiæ ſanguinolentæ ſeroſæ fœtidæ ſtillicidio ſtipata. Fruſtra autem, teſte experientia multiplici, pugnatur contra hæc mala internis ſolis, ac potius locis affectis ipſique utero, nimis partim laxato ac debili, partim læſo & exulcerato, admovenda injectionis, aut epithematis forma, ea, quæ roborant ac putredini reſiſtunt. Interna enim ſalva ſua textura eo pervadere & vitium tollere nequeunt; ſed quæ immediate labe affectas partes tangunt operationis ſunt & celerioris, & melioris. Unde longe profecto opportunius & efficacius ſuccurri poſſet gravibus & diuturnis in utero morbis, qui haud raro poſt partum accidunt, ſi tam lubenter admitterentur injectiones ejuſmodi & topica uterina, quam quidem veteribus peſſos admovere moris fuit.

Observatio VIII.

Ex hæmorrhagia uteri Heurnii pulvere ſublata pathemata curata.

Adiit Carolinas thermas fœmina viginti quatuor annos habens, ſanguinea, iiſdemque ad hyſtericam, qua detinebatur, paſſionem debellandam ex medici conſilio uſa eſt. Sed ipſum inter uſum, minus forſan dextrum, experta eſt inordinatum copioſum ſanguinis ex utero fluxum & poſtea ad aliquot interdum hebdomades durantem. Inde virium debilitatem, appetitus defectum & languorem cum lurido faciei colore incurrit. Medicum igitur vocavit in conſilium, qui pulvere Heurnii ſanguinis profluvium compoſuit quidem, at ingens poſtea præcordiorum anxietas cum cardialgia infeſtavit, ipſam ſuffocationem minitans. Unde ad hæc mala depulſanda multis variiſque uſa eſt remediis, quorum tamen nullum effectum edidit ſperatum. Sumſit quoque ex alius medici ſuaſu emeticum, quo multum viſcidæ ac virideſcentis materiæ exturbatum, & non nihil levaminis allatum. Nihilo ſecius ſanguis paulo poſt largius profluxit & ægram ut de malo funditus exſtirpando eſſet ſollicita coëgit, id quod etiam fortunante DEO præſtitum eſt his; pilulis nempe noſtris balſamicis, quotidie ad aliquot grana, interpoſito pulvere ex antimonio martiali cachectico; nitro antimoniato & depurato, aſſumtis, uſurpata ſubinde tinctura martis Zwólferi & poto cereviſiæ loco decocto ex radicibus & lignis temperato.

Epicriſis.

Mineralium aquarum uſus non minus nimium fluentibus, quam ſuppreſſis ex utero fluxibus, opitulatur; ſed prudentem & peritum deſiderat medicum. Nam morbus uterque, inveteratus præſertim, ab obſtructione & farctu vaſorum uteri ducit haud raro natales, ea tantum cum differentia, quod in nimio profluvio obſtaculum liberi progreſſus ſit in vaſis majoribus venoſis, in

defi-

deficiente vero in vasis minoribus, maxime arteriosis. Minerales autem aquæ utique impedimentum hoc tollere valent, eaque propter præstant utrumque. Id vero tenendum: utendum esse iisdem non ipso sub fluxu, sed extra eum, ad arcendum recursum. Si secus fit, augetur uteri laxitas, augetur affluxus. Tum potius per balsamica roborantia interius & exterius utero remisso robur reddere, ac postea, ne repetat profluvium, minerales aquas ad eluendos meatus eosdemque servandos apertos, in usum vocare convenit.

Observatio IX.

Illustrissimi Consiliarii uxor, quæ quadragesimum jam compleverat annum, habitus valde teneri ac gracilis, animique admodum mobilis & sensus exquisitissimi, aliquot abhinc annis per semestre fere spatium diuturno & fere assiduo ex utero fluore alternante cruento laboravit. Hinc primum medicis loci usa, ab eorum medicatione effectum sensit nullum. Unde contulit se ad virum quendam celeberrimum, qui brevi felicem ac certam opem spondens, pilulas suas ipsi commendavit, ut de iis quavis hebdomade ter vel quater sumeret, idque aliquamdiu. Sed inde etiam vix quicquam levaminis est experta. Demum meum petiit consilium, quo potum Selteranarum per mensem & ultra in cura cum debito regimine, interposito interdum laxante, suasi. Quod priusquam faceret, B. D. *Brunneri* judicium exquisivit, qui meo pariter calculum adjecit consilio. Unde tanto majori fiducia ad usum hujus præsidii accessit; atque etiam ex eo tam salutarem percepit effectum, ut hæmorrhagia sensim remitteret, penitus tandem cessaret, ac ipsa ad pristinam perfectam sanitatem rediret.

Epicrisis.

Concinnatæ illæ ad mentem & methodum Becherianam balsamicæ pilulæ utique in affectibus ex utero, præsertim in seroso ioribus, item puerperii tempore, debita sua non defraudandæ sunt laude. Sed quod medicus pro lubitu iisdem & inordinatas ac nimias hæmorrhagias moderari ac sistere, & vicissim menses, si suppressi sunt, revocare possit, id non sine ratione inter fabellas reponendum. In nostra certe id docuit eventus. Fons autem Selteranus acres & tenues humores diluendo & temperando, eosque per diuresin efficaciter evacuando, sicque causam spasmos hæmorrhagiæ auctores suscitantem tollendo, non potuit non prodesse egregie.

Confer quoque eos casus, qui *Sect. III. CX. & CXI. item CXXVI.* legi possunt.

CAPUT VI.

De Hæmorrhagia ex urinariis viis.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Hæmorrhagia per urinarias vias quid?

Venit hæc hæmorrhagia in scholis plerumque mictus cruenti nomine, & est sanguinis per urinarias vias, cum, vel sine urina, sive ex renum, sive vesicæ vasis, nimium ampliatis, ruptis, aut arrosis, emissio, pro circumstantiarum ratione plus vel minus periculi habens.

§. II.

Quomodo dignoscendum an sanguis mictus?

Haud raro accidit, ut medici in dignoscendo: utrum sanguis cum urina mictus sit, nec ne? eximie fallantur. Si quidem majori in copia, ut interdum contingit, ad libram & ultra, sanguis sincerus cum urina mictus, vel pars aliqua cruoris sine urinæ connubio, prodit per urinarium meatum, res nullo eget discrimine. Si vero cruor urinæ fuerit admixtus parcius, tunc paulo curatiori opus est scrutinio. Sæpe enim mingitur lotium coloris sanguinei, sæpe etiam deponit sedimentum non aliter ac sanguis solet, nullo tamen præsente sanguine. Sæpius vicissim bruni, vel nigrescentis coloris urina emittitur, ut nulli suspicio sanguinis, qui tamen mixtus est, in sensus & mentem incurrat. Quare suggerenda utique sunt certa indicia, è quibus hoc tam multiplex discrimen perspiciendum. Scilicet si rubedo urinæ sanguini æmula à particulis sulphureis, mixtura salium, præsertim alcalinæ indolis, exaltatis, proficiscitur, tunc quam primum emissa fuit, clara & perspicua apparet, sedimentum vero incarnati & cinnabarini coloris est; quod tamen, sufficienti calore admoto, mox in supernatantem liquorem se recipit, ut clara rursus & perspicua ut antea appareat. Contra vero quum urina rubet à sanguine, tunc opaca & crassiuscula sine perspicuitate mingitur, sedimentum vero est grumosum, ex rubro nigricans, idque non dissolvitur, aut rursus ab urina absorbetur. Si etiam lotii rubedo est à sanguine, linteum per quod colatur, tingit rubore, quod non fit, quando est à salibus color tantum intensus.

§. III.

Et unde veniat?

Quia plures urinæ secernendæ & excernendæ serviunt viæ; scire refert discrimen: unde profluxerit mictu redditus sanguis. Quod si itaque sanguis sincerus confertim, repente & sine dolore mingitur, ex renum substantia sanguineo vasculosa illum prodiisse recte jam judicavit *Hippocrates Sect. IV. aph.* 78. Sed ubi parcior sanguinis quantitas, obscuri nigricantis coloris, cum vel sine materia purulenta, maxime si cum dolore & ardore in pube sub mictione, vel post eam redditur, tunc ex vesica læsa, aut exulcerata illum stillasse certum. Quod autem renalis sanguinis effluxus sine, & qui ex vesica venit cum exquisito dolore succedat, id diversitati structuræ tribuendum: renes enim exquisito carent sensu. Sed quando sanguis per nervosas acutissimæ sensationis vesicæ tunicas viam molitur; dolor non potest non oriri atrociissimus, nec mirum gravissima tum incidere symptomata, animi deliquia, spirationem difficilem, pulsum obscurum, parvum & frequentem non nunquam, nauseam, animi anxietatem, & frigidum sudorem. De quo mictu etiam conferri meretur, *Hippocratis aphor. lib. IV. aph. LXXX. Si quis sanguinem unaque grumos sæpe mingat ac stranguriam habeat, unaque dolor incidat in aqualiculum & in interfemineum, huic vesicæ vicinæ partes laborant.* Quando porro ex uretheribus, à calculo magno, vel aspero læsis, sanguinis quippiam cum urina miscetur, dolor circa lumbos & ilia acutus, difficilis & fabulosa mictio, aliaque calculi in uretheribus hærentis signa id manifestant. Propter læsa à calculo vesicæ ejusque tunicarum sanguinea vascula, si excernitur quippiam cruoris, non modo cum summo dolore & prævia obstructione quandoque urina prodit, sed & grumi interdum cum moleculis crassioribus

fabulosis firmiter compacti una cum ea emittuntur, quod etiam interdum accidit, si calculus in rene firmiter impactus eum sauciat.

§. IV.

Alia speciei ex vesica ejusque sphincktere.

Alia adhuc mictionis cruentæ species datur, cujus tamen raro mentio fit à scriptoribus medicis, quæ videlicet ex ipsis vasis vesicæ, vel potius ipsius sphincteris contingit, quando nimium hiant & à sanguine distenta aperta fuerunt. De hac mictionis cruentæ specie notatu dignum est *Cælii Aureliani Lib. IV. tardar. passionum cap. IV.* effatum, ita habens: *solent, sicut in podice, vel feminarum sinu, aut matricis collo, etiam in vesica, hæmorrhoides generari, quæ fluorem sanguinis præstant, quibusdam intervallis variatum. Quod oportet apprehendere prudentem, cum non coacervata primo fuerit effusio, sed augmentis quibusdam promota, interjectis defectionibus, ac retento sanguine dolore circa pubem, siquidem aliquando inflatæ ac tumentes hæmorrhoides difficultatem vel abstinentiam faciunt mictus, dysuriam Græcis vocatam, vel ischuriam. Archigenes vero dicebat, ut statis periodis menses & hæmorrhoides, ita & certis vicissitudinibus interdum plethora se effundit per renes & vesicam.* Cui merito addendum *Heurnii Comment. in aphorism. Hippocratis* 78. de signis discriminis loci præceptum: *sanguis qui à musculo vesicæ emingitur, non exacte permiscetur urinæ, sed in fundo depositus grumescit, quin hic grumus, qui interdum citra urinam excidit, dolorem circa vesicæ musculum consistentem facit; à rene vero qui mingitur sanguis, & copiosus est, & urinæ exacte miscetur, videturque tota urinæ consistentia nihil aliud esse, quam tenuis ac dilutus sanguis; mox tamen sedet liquidus minimeque concretus & rubicundus.*

§. V.

Differt à gonorrhœa sanguinolenta.

Non autem confundi debet ipsa sanguinis mictio cum gonorrhœa, sive seminis fluxu sanguinolento. Non enim adeo est insolens, ut in iis, qui gonorrhœa laborant virulenta, ex glandulis prostatis valde relaxatis, ob majorem lymphæ, vel seri affluxum, non modo seminalis liquor, sed & serum mucidum, arenulis etiam refertum, interdum quoque per intervalla plane sanguis ex hiantibus nimium, aut ab acrimonia materiæ effluentis arrosis vasorum osculis, per urethram, citra urinæ fluxum, emittatur.

§. VI.

Ab hæmorrhagia penis.

Probe etiam à sanguinis mictu dignoscere oportet illum sanguinis fluxum, qui fit per membri virilis integumenta. Nos aliquot memoria tenemus exempla, ubi certis periodis in viris ex ipso pene fluxit sanguis per aliquot hebdomades purus, satis largiter, præcedente tensivo quodam in inguine ac femoribus dolore. Collegit etiam ejusmodi exempla *Stalpart van der Wiel, Cent. I. Obs. LXXX.* Sed tum sanguis non prodit urinæ mixtus, sed stillat seorsim guttatim, ex ramo vasorum hæmorrhoidalium exteriorum, qui ad pudenda excurrit.

§. VII.

Salutaris est quandoque.

Dein tenendum discrimen mictionis cruentæ criticæ & salutaris, à minus tali & morbosa. Illa quippe fit frequentissime per renes magna in copia, rarius & in minori quantitate per sphincterem vesicæ, citra dolorem & magnum incommodum, & redit etiam certis periodis. Contingit hoc maxime per translationem, sive quæ Græcis dicitur metastasin, excernendi sanguinis per menses, aut hæmorrhoides, iis vel cessantibus, vel obstructis, aut suppressis. Vidimus nos talem criticam mictionem liberaliorem in viris, sanguine abundantibus, sive plethoricis, juvenilis, vel etiam senilis ætatis, suppresso, vel etiam penitus cessante hæmorrhoidali fluxu, aut consueta omissa sanguinis missione, periculi tamen prorsus expertem. Vidimus quoque in fœminis octogenariis, vegetis & laute adhuc viventibus, præsertim si cessantibus mensibus sanguinis missio vel fuerat neglecta, aut plane omissa.

§. VIII.

Post suppressas hæmorrhoides.

Præterea non semel, sed aliquoties notavimus in senibus, deficiente fluxu hæmorrhoidali, item in viris ætatis consistentis, hæmorrhoidibus cæcis & tumentibus si afflicti fuerint, à motu corporis & animi fortiori, sanguinis portionem non exiguam, bruno colore instar decocti caffee tincti, citra urinæ difficultatem cum mictu prodiisse; qui procul omni dubio ex vasis vesicæ sanguineis circa sphincterem ejus rumentibus & apertis profectus fuit. Venæ enim hæmorrhoidales externæ communicant cum vesica & ramos etiam ad eam spargunt; minime vero, ut non nullorum fert opinio, de internis id putandum, quarum ramos ad vesicam excurrentes anatomicus huc usque vidit nullus.

§. IX.

Quomodo succedat renibus.

Succedit vero hæc sanguinis cum mictu excretio, ex aliis sanguineis suppressis, hæmorrhoidalibus potissimum, per renes, dum videlicet sanguis accumulatus & per arteriam mesaraicam inferiorem ad tunicas intestini recti adductus, ibi cum exitum non invenit, quasi regurgitat ad truncum arteriæ magnæ, sive potius majori copia ibi colligitur, & ad vasa renum arteriosa, quæ & copia, & magnitudine, venas emulgentes superant, delatus, orificia eorum nimis distendendo & aperiendo, ad tubulos urinarios, qui cum arteriolarum finibus connexi sunt, ex his in papillarum oras, in pelvim, inde tandem ad uretheres & vesicam transit. Atque adeo in tali casu nec anastomosis, nec diæresis, nec diapedesis, tantopere ab autoribus decantata, locum obtinent.

§. X.

Quomodo ex vesica.

Vesica tam etiam excretioni sanguinis obnoxia est, quia valde difficilis est, ob perpendicularem & valde demissum ejus situm, sanguinis per venas ex ipsa regressus. Quo fit, ut sub hæmorrhoidibus externis tumentibus, vel internis obstructis, in plethoricis præsertim, accumulatus & ibi stagnans sanguis, præter naturam orificia vasorum capillarium ipsius vesicæ, vel magis sphincteris, aperiat atque perrumpat.

§. XI.

Causa pertissima suppressæ hæmorrhoides.

Maxime omnium fluxus hæmorrhoidalis suppressus, vel ex quacunque alia causa cessans, causam mictionis cruentæ, maxime illius, quæ fit per renes, subministrat. Notatu dignum hanc in rem est exemplum, cujus meminit *Hercules Saxonia lib. III. cap. IV.* nobilem Batavum, fluxu hæmorrhoidum suppresso laborantem, per quinque annos, ex intervallo, multum sanguinis sponte & subito ante urinam ex ure-

urethra emisisse. ROLFINCKIUS quoque *Dissert. anatom. Lib. V. cap.* 26. aliam historiam refert: *Illustris vir*, scribit, *hæmorrhoidali fluxui assuetus, eo suppresso, incidit in mictionem cruentam, multarum septimanarum spatio durantem, quæ evanuit hæmorrhoidibus apparentibus, levi fluxu & parco satis, ita, ut vix ani terga tingeret.* Neque minus *Reiselius epistola LXIV.* casum memorabilem enarrat, de pastore quodam, ob hæmorrhoidum à triennio suppressionem, magnam sanguinis crassi & sinceri, sine urinarum aquis, cum impetu promanantem & matulam replentem quantitatem, excernente, qui tamen per totam vitam nihil sanguinis è vena miserat. Cum vero hic eundem paroxysmum, ter stato circuitu, expertus fuisset, secessserunt tandem naturales & limpidæ urinæ. Postquam autem medici consilio vino usus fuerat paulo largius, & diebus aliquot continuatis pilulis ex aloë, succo cichorii imprægnata & extracto trochiscorum alhandal, hæmorrhoides ei fluxerunt & malum cessavit.

§. XII.

Motus dein corporis fortior maxime equitatio.

Utut vero omnis motus corporis fortior in plethoricis facile ad hæmorrhagicas excretiones suscitandas ansam præbet; speciatim tamen ad mictionem cruentam nulla ipsius species majorem vim habet equitatione. Possemus ejus exempla plura afferre, quæ etiam passim apud auctores reperiunda. Sic *Riverius Centur. II. obs.* 13. memorat de quinquagenario, qui quoties equitationi peregrinationis causa sese commisit, urinas sanguinolentas reddidit. *Hollerius* quoque *in Aphorism.* 78. *Sect. IV. Hippocrat.* inquit: *Sunt non nulli, qui si durius equitent, aut sese exerceant immoderatius, ex calefactis renibus, sanguinem mejunt.* Et paulo post: *arbitramur*, ait, *sanguinolentam urinam & turbidam reddi ab hoc Reverendissimo Episcopo propter dilatationem factam tum in cavitatibus renum, tum in vasis urinariis, propter intensam caliditatem, à motu violento primo generatam, dum curru, salebroso itinere concuteretur, præcipue circa dorsi regionem: deinde succedente ingenti calore, dum cum veste pellicea sub sole ardente montem ascenderet. Ex his igitur omnibus tantus calor circa partes renum fuit excitatus, ut ob nimiam dilatationem, urina sanguinolenta excreta fuerit. Et inde est, quod nunc quoque quotiescunque fatigatur & corpus exercet, in idem symptoma incidat, turbidæ scilicet sanguinolentæ urinæ.* Ratio vero, quare equitatio, cujus alias in præcavendis & etiam sanandis chronicis affectionibus magna vis & efficacia est, ad hæmorrhagiam renum & vesicæ plurimum disponat, inde petenda venit, quod propter compressionem venarum in femoribus, in perinæo etiam & ano, sanguinis recursus multum retardetur. Hinc copia sanguinis major fit & increscit in arteriis, motusque sanguinis in superioribus partibus augetur & intensior fit præsertim circa lumbos, per motum succussorium. Sic facto citatiori sanguinis affluxu, emulgentes tandem arteriæ quam facile aperiuntur. Recte enim scribit MALPIGHIUS tractatu *de renibus*: *In nostro corpore, præter pulmones, non alia est pars, quæ exundantis sanguinis injuriis magis subjiciatur, quam renes.*

§. XIII.

Calculus in rene delitescens.

Deinceps sanguineæ mictionis, sed magis priori infestæ & periculosæ, causam non infrequenter calculus intra renem delitescens subministrat. Multa enim hujus succurrunt exempla, & talem quoque habet *Horstius Lib. IV. Observ.* 37. ubi sine omni lumborum dolore, calculosi, præsertim qui sanguine plus justo abundant & corpus vehementer motu exercent, sanguineam emittunt urinam. Quomodo vero hoc fiat, vero videtur simillimum, quod calculus mole major ac figura asper, sine dolore quidem intra renes diu delitescere possit, nihilo minus haud levem compagi renum vasculosæ labem suo affrictu ac compressione inducat, eorum quoque functionem naturalem lædat & sic ansam erumpendi sanguini præbeat. Scilicet quando calculus mole & pondere suo ramos venæ emulgentis comprimit, liberiorem sanguinis transitum per hos impediendo, efficit, ut per arteriolas emulgentes adductus, nimia copia & impetu earum tenues & capillares ramulos, qui ultimo terminantur in tubulos urinarios, valde distendat & tandem viam sibi faciat in eos, qui secundum naturam tantum urinam vehunt, eosdemque subeat ac in urinam transeat. Id quod longe adhuc magis fit, quando in dispositione ad calculum, varii generis remedia, quæ urinam & calculum pellunt, commendantur & applicantur, ut quidem communis & pessima est consuetudo, præsertim si calidiora fuerint, ex terebinthina, succino, vel junipero parata. Fit etiam tali in casu, ut calculus in renalibus tubulis incarceratus, arrosione & excoriatione dilacerando minima renum vascula, sive siphunculos, exulcerationem efficiat. Qua facta, pus cum sanguine per uretheres in vesicam instillat, & sic mictum valde dolorificum, exeunte puris & sanguinis corrupti cum urina portione, producit. Id quod tamen etiam quandoque fieri potest, quanquam rarius, ab uretheris per calculum exulceratione.

§. XIV.

A vesicæ arrosione & ulcere.

Mictionis quoque cruentæ, copiosæ & valde ancipitis species est, quando ex vesica, ab acriori præsertim ibi stagnante copioso sanguine, exulcerata, mucosa valde, ex parte purulenta & cruenta materia in ejusdem cavitatem descendit. Tum enim cum intenso ardore, intolerando dolore & difficultate urina redditur, simulque tremores & convulsivæ artuum, cum frigore & tremore stipatæ motiones, sese jungunt. Vidimus id aliquoties in gonorrhœa desperata & inveterata laborantibus, acri simul & corrosiva materia è genitalibus profluente ac partes vicinas arrodente. Quæ labes interna ubi adest, ac renum, vel vesicæ substantia simul corrupta est, & purulenta ac putrida materia copiose secedit, urinæ exeunt furfuraceæ, & parvæ carunculæ, aut corpora, capillos, vel vermiculos æmulantia, in urina conspiciuntur, quæ à vesica nequaquam possunt abscedere. Hæc enim resolvi nequit in ejusmodi filamenta. Sed à contenta mucosa, vel in renibus, vel in vesica, materia, concrescunt in ejusmodi figuram & consistentiam.

§. XV.

A violentia externa.

Accedit aliud cruentæ mictionis genus, à causa videlicet externa, contusione, lapsu in terram, elevatione onerum & percussione productum. Hoc quidem in vita civili & praxi sæpius occurrit, causam tamen ipsius reddere non tam promtum ac obvium est. Quod si enim vasorum in renibus ruptio, vel continui solutio, causa foret, non tam subito, uti tamen fit, per venæ sectionem & sanguinem dissolventia posset

sana-

ſanari. Nos potius modum ita concipiendum eſſe cenſemus, quod à contuſione & contorſione vaſorum, inprimis ſanguineorum, & ibi ſtagnante ſanguine, ejus circulatio per has partes læſas impediatur; hinc creſcere impetum & copiam ſanguinis in vaſis internis; atque hæc nimium inde, præſertim in plethoricis, diſtenta, ut ſanguis locum mutet ac effluat, facere. Tale quid enim commode maxime fit in renibus, ſi ibi facta fuit percuſſio. Unde ſunt inter exempla, ubi etiam à ſubluxatione vertebrarum, cruenta inſequuta fuit mictio. Quin ſicuti ex tibia amputata dyſenteriam *Hildanus Centur. II. Obſ.* 10. ſic etiam & nos obſervavimus, ex oſſe tibiæ fracto, urinam cruentam redditam fuiſſe. Ut adeo facile concipiendum ſit, à contuſione venarum & ſanguine ſic ſtagnante alicubi, fieri poſſe ejuſdem per urethram ſtillicidium.

§. XVI.

A torminibus & acribus.

A torminibus atrocibus ventris, item à ſumtis acrioribus purgantibus, nec non à diureticis acrioribus, ut cantharidibus, urinam reddi poſſe cruentam, experientia eſt confirmatum. Debetur autem hoc ſymptoma ſpaſticis venarum ſtricturis, quibus liber ſanguinis circulus intercipitur. Unde ex facili jamjam ratio reddenda, quare morbillis, & variolis inprimis malignis, funeſtus ejuſmodi affectus interdum aſſocietur. Proſtant quidem obſervationes apud auctores, quod à veſicatoriis quæ habent cantharides, externe applicatis, cruenta fuerit mictio exorta; interim nos fatemur candide, à nobis nunquam tale quid viſum vel obſervatum eſſe, ut haud injuria hanc operationem in dubium vocare liceat, ac forſan longe ab alia cauſa in morbo ſub applicatione veſicatoriorum hæc cruenta urina excreta fuiſſe poſſit.

§. XVII.

Mictus cruentus periculoſus.

Omnis vero cruentus mictus eſt periculi non expers. Etenim licet etiam in principio ſalutaris & criticus, à palindrome facta ob menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſionem, viſus fuerit; tamen quia non modo facile revertitur & vires exhaurit, ſed & ſi error accidit, vel in diæta, aut ſi imprudenter ſtipticis tractatur, inflammatio ac corruptio facile ipſis renibus, vel veſicæ induci poteſt, utique periculum alit. Incidit præterea & hoc frequentiſſime, quod grumus quidam ſanguinis ex renibus deſcendentis, in ea parte, ubi urether ductu obliquo inſeritur veſicæ, impactus, valde infeſtam & difficulter ſanabilem inducat iſchuriam. Quandoque etiam congrumatur in veſicæ cavo ſanguis, & ſphincteri firmiter inhærens, implacabilem cum urinæ ſuppreſſione præbet dolorem, id quod etiam accidit, quando vaſa ſphincteris ſanguinea, non ſecus ac hæmorrhoides cœcæ, ſanguine craſſo admodum turgent.

§. XVIII.

Periculoſiſſimus cum puris mictu.

Ex periculoſiſſimis mictus ſanguinolenti ſpèciebus eſt, quæ ex rene, vel veſica profundius læſa & ulcerata venit, & junctum habet cum acerbo dolore puris mictum. Interim tamen cavendum ne mucoſum & glutinoſum quod in urina ſubcruenta ſubinde conſpicitur ſedimentum, pro pure habeatur, quod ſupernatare magis ſolet. Sedimenti enim hujus ſæpe tanta eſt copia, ut, ſi à renum exulceratione eſſet, jam centies abſumti ipſi fuiſſent. Eſt potius mucoſitas, quæ ex nimis relaxata glanduloſa veſicæ & urethræ tunica, aut ex proſtatis læſis exſtillat & urinæ permiſcetur.

CURATIO.

§. I.

Vena ſectio utiliſſima à ſanguinis abundantia.

Perſpectis ſic paulo penitius variis excretionis per urinam cruentæ cauſis & ſedibus, prudentis nunc eſt medici, tum ad avertendas præſervative, tum ad tollendas in cura differentes has cauſas judicium in propinandis convenientibus remediis paulo exactius adhibere. Igitur, quando ex nimia ſanguinis redundantia oritur, vel metuendus eſt affectus, ſanguinis miſſione nihil tutius & præſtabilius eſt, hac tamen obſervata cautela, ut ipſo in paroxyſmo in partibus ſuperioribus, brachio videlicet, ſanguis detrahatur, & ejus mittendi copia ex virium & habitus corporis ratione æſtimetur. Quod ſi vero à conſueto hæmorrhoidum fluxu ſuppreſſo, inſolita hæc evacuatio ortum traxerit, ad præſervationem tutius eſt venam pedis aperire. Idem tenendum eſt, quando in colica ſpaſmodica & vehementibus ventris torminibus, ut interdum fit, urina cruenta mingitur, ob ſanguinem ſtagnantem & congeſtum circa inteſtinorum tunicas, exitumque per venas hæmorrhoidales non invenientem. Quin potius, quia hic affectus per certas etiam periodos reverti ſolet, tempeſtiva venæ ſectione ut ipſi occurramus, eo magis eſt neceſſarium.

§. II.

Dandæ refrigerantia.

Si à vehementi, cum, vel etiam ſine plethora, orgaſtica ſanguinis ebullitione & expanſione, qualis ſubinde à fortiori corporis, vel etiam animi commotione, vini & calidorum ſanguinem nimis moventium remediorum abuſu accidere ſolet, malum hoc ortum ſuum habet, præter ſanguinis per venam ſectam ſubtractionem, nitroſis & inteſtinum elaſticum motum ſanguinis refrenantibus, ſive refrigerantibus, nihil certius & præſtabilius. Hoc nomine depuratum nitrum, vel artificiale, ex ſpiritu nitri & ſale tartari confectum, cum terreis & abſorbentibus mixtum, vel in forma pulveris, vel etiam potui inditum, plurimum commendamus. Cui pro vehiculo in hiſce caſibus ſerum lactis dulce, & acidulum, aqua decocta hordeacea, & ſola aqua pura fontana, vel ad dimidiam partem cum Selterana, aut Tónnſteinenſi mixta, decoctum cornu cervi & ſcorzoneræ, optime inſerviunt, vel etiam cereviſiæ tenuiores, quibus tincturæ roſarum, florum bellidis, cum ſpiritu vitrioli, minime vero ſalis, cujus acrimonia volatilis pulmonibus & renibus infeſta eſt, paratæ, ſunt ſufficienti quantitate inſtillandæ.

§. III.

Alvus ſeren vanda aperta.

Quum alvi adſtrictio, ſeu tardior fæcum ſeceſſio, plurimum ad ingenerandum, imo ad fovendum & ſuſtentandum hoc malum habeat momenti, partim quod oriundis inde flatibus & ſpaſmis inteſtinorum æqualis ſanguinis circulus & diſtributio impediatur, & ad unam, præſertim debiliorem partem, ſolito plus ſanguis feratur, partim etiam, quod multæ impuræ, acres, bilioſæ ex prima regione particulæ ad ſanguinis & humorum maſſam adducantur; hinc, ſi quid aliud, ad illud avertendum ejuſque recidivam præſcindendam,

dendam, certe alvi laxitas & ſubductio admodum proficua eſt ac neceſſaria. Id vero minime purgantibus, ſeu acrioribus ſtimulantibus, vel ſalibus copioſe aſſumtis, multo minus aloëticis, & pilulis quas etiam refracta doſi aloë ingreditur præſtandum. His enim exacerbatur malum certiſſime. Lenientibus potius laxantibus & quæ ſimul roborante gaudent virtute, id exſequendum, inter quæ, ut in omni immodica & præternaturali ſanguinis excretione, rhabarbarina, imprimis cum paſſulis mixta, uti ſunt paſſulæ Corinthiacæ, ſolutione rhabarbari per blandam inſpiſſationem laxativæ redditæ, vel pulvis rhabarbari cum cremore tartari remixtus, nec non clyſteres emollientes, ita etiam heic primas tenent.

§. IV.

Vaſa nimium laxata adducenda.

Ad vaſa vero nimium in renibus diducta & aperta roboranda & leniter adſtringenda, vel etiam, ſi eorum ſubſtantia læſa fuerit, conſolidanda, decocta, vel infuſa, ex lenioribus vulnerariis & leniter conſtringentibus, uti ſunt agrimonia, hedera terreſtris, equiſetum, herba millefolii cum ſummitatibus, virga aurea, radix conſolidæ majoris, cum melle Pruſſico, renibus mirum amico, quodammodo dulcificata, opem ferunt laudatiſſimam; quæ decocta pro re nata etiam miſceri poſſunt cum lacte. Neque minus egregii ad demulcendum & conſolidandum uſus erit lac amygdalinum, præſertim ſi bolus Armena cum ipſo ceu vehiculo ſumatur.

§. V.

Renibus aut veſica exulceratis danda acrimoniam temperantia.

Si renum, uretherum, vel veſicæ, arroſio & exulceratio præſens eſt, ut ſæpius fit in continuo & diutius cum doloribus vexante malo, ad humorum acrimoniam contemperandam, præcipua medentis debet eſſe directa intentio, eaque neglecta, nullum doloris levamen, nulla etiam partis ſauciatæ & læſæ conſolidatio & reſtitutio ſperanda, aut obtinenda. Hunc autem in finem nobilis eſt virtus ſyrupi dialtheæ Fernelii, item decocti Foreſti, nec non ejus, quod *Mynſichtus* contra mictum cruentum laudat. Facit huc quoque infuſum, quod præter jam dictas herbas vulnerarias, corticem radicis acaciæ, gummi ceraſorum habet; nec non, pulvis ex radice altheæ, glycyrrhizæ, ſpermate ceti, ſeminibus quatuor frigidis, papaveris albi, lycopodii & croco, cum ſ. q. ſacchari candi conditus.

§. VI.

Grumi ſanguinis diſſolvendi.

Ad dyſuriam, immo iſchuriam, quæ frequens & periculoſum, renalis vel etiam veſicalis hæmorrhagiæ ſymptoma eſſe ſolet, dum ſanguinei grumi uretheris principium, ubi inſeritur veſicæ, vel ipſum ſphincterem veſicæ obſtruunt, non certe efficacius & promtius auxilium, quam aqua pura calida copioſe hauſta, & exterius balneum applicatum, proſtat. Tum quoque præſtat aquam tepidam ſyringa in urethram & veſicam injicere, quo acris humor diluatur & grumuli hi diſſolvantur. Atque etiam ipſe *Hippocrates l. c.* eadem hæc remedia commendat, lavacrum nempe aquæ calidæ & tepefactoria ad locum affectum appoſita. Quod ſi vero ob grumos ſanguineos in ipſa veſica, ſeu ſphincstere ejus obvios, ſpaſmus oriatur, ut inde totalis & pernicialis iſchuria inducatur, interne emulſionem ex ſeminibus quatuor frigidis, cum lapidibus cancrorum & antimonio diaphoretico, item pulverem ex ſpermate ceti, lapidibus cancrorum & nitro; externe vero veſicam repletam decocto florum emollientium ex lacte abdomini applicatam, nec non alvi apertionem, cum manna, vel clyſtere emolliente & oleoſo, uſus deprehendimus longe præſtantiſſimi.

§. VII.

Optimum acidulæ temperatæ.

Præter hæc autem omnia ad renum & veſicæ vitia detergenda, inveterata etiam ſananda, nihil unquam aquis medicatis temperatioribus, ut ſunt Selteranæ, Antonianæ, Wildungenſes, efficacius, tanto certius ſi cum lacte, inprimis aſinino, ferierint remixtæ. Id enim docent non modo ſaluberrima ipſarum elementa, ſed potiſſimum multiplex de hoc effectu experientia, de quo omnes, qui de viribus medicatarum aquarum experti ſcripſerunt, teſtimonium ferunt conſenſu unanimi.

§. VIII.

Egregium quoque lac ejuſque ſerum.

Neque minus egregia virtus & adverſus hunc morbum præſidium eſt in lacte, nec non lactis ſero. Hæc enim jam olim ſuo tempore, in urinæ mictione cruentæ, magni fecit *Hippocrates lib. de internis affectionibus* §. 17. *Si*, inquiens, *urina prodit veluti à bubulis carnibus aſſatis ſuccus, ægrotus pro temporis opportunitate ſerum & lac bibat; ſerum quidem ad purgationem, lactis autem potum faciat in tempore, per quinquaginta aut quadraginta dies; hæc ſi feceris, morbum in melius vertes.* Lac quoque ovillum vel caprillum laudat *Riverius Obſ. XIII. Centur.* 17. nec non *Gatinarias* atque *Foreſtus*, qui hoc ſolo remedio ſanguinis mictum ſæpe ſe curaſſe gloriantur; ita tamen, ut unicuique doſi, boli Armenæ drachmam unam permiſcuerit. Id quod etiam in graviori ſanguinis mictu utique convenit, in leviori autem minus faciendum cenſet idem *Riverius*.

CAUTELÆ CLINICÆ.

§. I.

Venæ ſectionis cautelæ.

De venæ ſectione, in qua præcipuum tam ad curationem quam præſervationem, ſi malum à criticis hæmorrhagiis ſuppreſſis oritur, repoſitum eſt momentum, hæc adhuc tenenda: quod ſanguinis miſſio in principio ſit inſtituenda largior. Sic enim non modo evacuantis, ſed & divertentis remedii vicem gerit. Quando vero ſanguinis mictus ſuas ſervat periodos, duabus vel tribus ante acceſſionem horis, vena pertundenda & prout corporis conditio fert ſanguis emittendus.

§. II.

In vini potu.

Hippocrates l. c. in mictione ſanguinea ab ulcerato rene, vel veſica, vinum album, mellei coloris jucundiſſimum, probe temperatum, bibendum peritiſſime ſuadet. Nam vina nimium ſpirituoſa, aut acido abundantia, ut Rhenanum, minime ubi nimia & dolorifica adeſt ſanguinis mictio, conferunt, ſed potius vina dulcia, ut Hiſpanicum, Canarienſe, Hungaricum præſtant, dum ventriculi digeſtioni & ſimul veſicæ afflictæ favent.

§. III.

In potu ordinario.

Quum porro multum interſit, quale potus genus in uſum ducat renum & veſicæ vitio laborans; tenendum omnino: ab omnibus cereviſiis craſſioribus & acidis abſtinendum eſſe, potum eligendum copioſum, ex cereviſia tenui, quippe quæ medicamenti aquoſi inſtar, acre & arenoſum eluit ac diluit. Teſtis hanc in rem gravis eſt *Sydenham*

denham, qui eandem ceu ſaluberrimam commendat *Libr. de mictu* cruento à calculo renibus impacto *pag.* 705. adeo, ut ipſe, quoties curru vehi debuerit, non prius rhedam ingreſſus ſit, quam hauſtum cereviſiæ tenuis paulo liberaliorem ingeſſerit, eundemque pariter iterare ante regreſſum domum verſus, ſi forte alicubi diutius fuerit commoratus. Et hoc pacto ſemper ſibi à mictu cruento ſatis præcautum eſſe, aſſerit. Obſervandum tamen; cereviſiam bene coctam eſſe debere & fermentatam.

§. IV.

In corporis motu. Utut motus & exercitatio corporis conveniens magnum ſit, tam ad præcavendas, quam perſanandas chronicas paſſiones præſidium, attamen in excretionibus ſanguinis, & præſertim quæ fiunt urinarias per vias, res longe aliter eſt comparata. Etenim vix aliud, motu corporis citatiori, præſertim equitatione, ad propagandum hoc malum magis valet, quin ſolam loquelam paulo elatiorem & longius continuatam, in mictione dolorifica & cruenta, quæ per veſicam læſam fit, vidimus damnoſam. Jam dudum etiam id notatum fuit ab antiquiſſimo medicinæ noſtræ parente *l.c.p.*16. perhibente: *ſi quis ſanguinem cum urina mittit, & corpus quietum habet, citius ſanabitur, ſi vero laboraverit, dolores multo graviores obtinebit.* Neque minus *Sydenham* in *opp. p.* 700. ſuo exemplo rem optime decidit. Nam quoties permultum itineris pedibus confecit, vel in curru per plateārum pavimenta vectus eſt, quantumlibet tardo equorum greſſu, toties mictum reddidit cum ſanguine permiſtum, quoties vero per viam regiam lapidibus non ſtratam, licet perquam longiſſime, curru vectus eſt, tale quid ipſi accidit nunquam. De ſomno etiam peritiſſime refert, quod ipſi curæ fuerit, ut lectum citius peteret, quo eo magis concoctio recte perficeretur, ſicut ex adverſo nocturnæ lucubrationes eam imminuant.

§. V.

Quæ fugienda. Inter ea vero demum, quæ in medicatione hujus mali vitanda, nihil certe eſſe poteſt infeſtius, quam ſi cruenta hæc mictio, ſive ex renibus, ſive ex veſica fiat, ſive critica, ſive ſymptomatica ſit, remediis adſtringentibus, fluxum nimis impetuoſe ſiſtentibus, ut communis fere & deteſtabilis medentium error eſt, excipiatur. Hoc enim facto, à grumis intra vaſa retentis inflammationes fiunt, exulcerationes & putredines. Sicuti enim hæmoptyſis iiſdem his remediis tractata, quam facile in inflammationem & phthiſin, vel pulmonum exulcerationem, ita etiam mictus cruentus in inflammationem, exulcerationem & putredinem abit. Nihilo minus tamen, ſi excretio ſanguinea effuſiſſima fuerit, cum ſumma virium jactura, mixturam, qua *Sylvius* feliciter in cruento mictu uſus eſt, ex aquæ plantaginis unciis duabus, portulacæ, cinnamomi, aceti deſtillati ana uncia una ſemis, coralliorum rubrorum præparatorum, lapidum cancrorum, terræ ſigillatæ ana ſcrupulo uno, laudani liquidi granis tribus, ſyrupi coralliorum Quercetani, vel de ſymphyto Fernelii, q. ſ. ad gratum ſaporem, experientia invenimus olim comprobatam.

§. VI.

Externa adhibenda. Externorum quoque non inutilis eſt ad lumbarem regionem applicatio. Hoc nomine venit emplaſtrum ſpermatis ranarum, quando cum alumine vel ſaccharo ſaturni & pauxillo camphoræ miſcetur. Vel meretur etiam commendari albumen ovi cum alumine conquaſſatum & ſubfrigide regioni pubis appoſitum, ſub forma epithematis. Nam blanda refrigerante & adſtringente vi, hæc ſanguinis impetum quodammodo refrenant.

§. VII.

Ad arcendam recidivam ſervanda. Qui ejuſmodi malo ſubinde conflictantur, vel ad illud inclinant, providam omnino & diætæ & vitæ regiminis curam habeant neceſſe eſt. In victu quam maxime à vini potu, ab omnibus aromatibus, præſertim allio & cepis, radicibus aperientibus, ut petroſelini, paſtinacæ, Selleri, aſparagi, prorſus abſtineant, neque ſomnum in dorſo capiant, atque nimis calidis pannis, ſeu pellibus illud ſuffulciant. Vitandus etiam eſt nimius potus calidus infuſi Thee, vel aliarum herbarum, ſed potius frigidus, vel ſubfrigidus concedi debet. Decoctum potiſſimum ceraſorum exſiccatorum in ptiſana, non ſine euphoria, ſæpius pro potu ſumendum commendavimus.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Mictus cruentus ex plethora. Fœmina illuſtriſſima LII. annorum, ſanguineo-cholerici temperamenti, ab ineunte fere ætate catarrhis, tuſſi, cephalalgiis, vere præſertim & autumno, fuit obnoxia. Menſes ſemper largiter fluxerunt, qui nunc à biennio penitus ceſſarunt. Ex quo tempore doloribus ex calculo ſæpius conflictata, ſubinde quoque intenſi ſpaſmi, tenſiones & dolores occuparunt abdomen, cum alvi ſtrictura & urina aquoſa copioſe ſecedente. Nunc ſæpius in extremitatibus manuum & pedum dolores perſentit ſatis exquiſitos, tunc maxime, quando dolores ex calculo conquieſcunt. Nam his præſentibus protinus artuum dolores evaneſcunt. Anni vero ſpatium ferme eſt elapſum, ex quo mictu cruento, ſine omni dolore lumborum vel artuum fuit afflicta, qui potiſſimum ſub motu corporis, qualicunque etiam recrudeſcit. Originem hujus profluvii derivandum eſſe arbitratur ex nimio lithontripticorum à medicis exhibitorum uſu; quotieſcunque ad cruentam mictionem comprimendam utitur remediis, protinus ſe pejus habet, & de tenſivo hypochondrii ſiniſtri dolore, de nauſea, de flatibus, capitiſque dolore conqueritur. Contra hæc vitia tollenda aliquoties ſecta eſt pedis vena, quam in brachio minus belle potuit ferre; invaleſcentibus inde mox ſymptomatibus. Frequentavit acidulas Selteranas, thermas Embſenſes, ſed fruſtraneo effectu. Exegit à me ſalutare conſilium, imperavi, ut ſingulis binis menſibus, ſanguinis miſſionem ſive per ſcarificationem, ſive per inciſionem venæ in pede admittat, ſecundo, ut loco potus ordinarii utatur ſequenti decocto: recipe ſantali rubri, radicis ſcorzoneræ, ana unciam, cremoris tartari drachmas duas, ſacchari Canarienſis unciam, coque in menſuris duabus aquæ communis per horæ dimidium, in fine addantur guttulæ duæ vel tres olei de Cedro, cum ſaccharo ſubactæ. Infuſum quoque theiforme ordinavi ex ſummitatibus millefolii, floribus papaveris rhœados, hyperici, herba veronicæ, piloſellæ & ſemine fœniculi adornandum; & ad ſingulas lunæ phaſes, ad alvum laxandam aſſumere

juſſi

juſſi decoctum rhabarbarino-mannatum, & circa proximum ver denuo curam fontis Selterani per integros duos menſes, cum tripla lactis aſinini parte remixti adhibere: Aliquot menſes poſt, relatum mihi eſt ex Holſatia, inſigniſſimum mali levamen ab hac cura fuiſſe expertam fœminam illuſtriſſimam.

Epicriſis.

Sanguineam mictionem infeſtare quam maxime fœminas plethoricas, poſt ceſſantem menſtruam purgationem, neglecta ſanguinis miſſione, ſub victu præſertim lauto & motu corporis concitatiori, multis exemplis in praxi confirmatum habemus. Nihil vero ad calculi generationem & mictum cruentum proritandum, ſi dolores jam adſunt lumborum, magis valere, quam inconſulto & temere, calculum quæ pellunt propinare, etiam nobis compertum eſt. Optandum itaque foret, ut omnia lithontriptica, quæ rariſſime optatum habent uſum, è praxi medica ejicerentur, præſertim ſi acriora & calidiora fuerint; neque enim ante affectum nephriticum, neque in eo, neque poſt eum, utilitatem quandam habent. Denique quam circumſpectam, immodicæ omnes ſanguinis profuſiones, tractandi methodum expoſtulent per adſtringentia, etiam noſtra hiſtoria docere poterit, quum repreſſo ſanguinis fluxu, mox ſæva internas abdominis partes inceſſerunt ſymptomata. Venæ in brachio apertio, ubi jam plurimum ſanguinis per inferiora profluxerit, non ſemper tuta & utilis: quia largius extracto ſanguine partes vitales, cor & cerebrum, eo ſi deſeruntur, cum tota functionum œconomia labefactantur. Fons Selteranus cum aſinino nuptus lacte, in omnibus renum vitiis & doloribus ac ſpaſmis nervoſarum partium ſcorbuticis, eſt præſidium omnibus aliis longe ſuperius.

Observatio II.

Ex repulſa ſcabie cruentus micturus.

Vir ſexaginta annorum, olim hæmorrhoidum fluxui circa æquinoctia obnoxius, per annum iis caruerat & pruriginoſa ſcabie in toto corpore, præſertim circa anum, fuerat vexatus. Ad hanc tollendam variis uſus eſt medicamentis ſanguinem purificantibus, ut tinctura antimonii, tinctura ſulphuris tartariſata, quam cum decocto temperato ultra menſem aſſumſit. Externe, unguento ex balſamo ſulphuris, cum oleo amygdalarum dulcium & ſaccharo ſaturni parato, frequentius cutem inunxit. Quibus remediis adhibitis, feliciter quidem moleſtum cutis malum evanuit; ſed præter omnem opinionem, quum urinam redderet, apparuit illa craſſa, ſanguineo colore tincta, ſeceſſitque mox in fundum ſubnigricans cruor. Sic reddebatur aliquoties lotium, ſemper fere ſine incommodo, ſed quando alvum exonerabat, ſub illo niſu, immani fere dolore cruciatus fuit, cum magna ſtranguria. Venæ ſectione in pede ſingulis menſibus inſtituta, exhibitis ſimul infuſis ex manna, rhabarbaro, paſſulis & nitro, laxantibus, ac decocto ex avena, radice cichorii, floribus papaveris rhœados, ſummitatibus millefolii, ſucceſſive malum diſceſſit.

Epicriſis.

Notatu in hoc caſu perquam dignum eſt, quod à retropulſa ſcabie ſanguis cum mictu prodierit. Sed dubio omni procul id factum eſſe arbitror, quod materia ſeroſa, tenuis, cauſtica, renum & veſicæ vaſis ſe inſinuavit & acrimonia tenues eorum ſurculos ſauciavit, non aliter ac id à cantharidibus intro ſumtis ſubinde obtingere ſolet. Notabile etiam hoc eſt, quod exiguus dolor fuerit, quia ſanguis ex renibus promanavit; quando urina copioſe emiſſa fuit, gravior autem factus ſub alvi depoſitione, quia ſub vehementi niſu falſus ſanguis & acris ſine dubio ex veſicæ vaſculis expreſſus dolorem auxit.

Observatio III.

Mictio cruenta venæ ſectione curata.

Accerſitus ante aliquot annos ad Quæſtorem, virum quinquagenarium floridi, ſanguinei & carnoſi habitus, qui ſemper ſanus ac vegetus, nunquam etiam dolore ex calculo vexatus, vel hæmorrhoidum fluxu affectus, & qui nec ſanguinis miſſionem per totam vitam, niſi bis, vel ter admiſerat; is mane quum ſurgeret, emiſit præter omnem expectationem, ſine magna alteratione, urinam cruentam. Ego quum advenirem, fluxus jam per duos dies durarat, ſedimentum erat valde turbidum, craſſum, ſubnigricans. In patina uncias aliquot hujus urinæ probe ſubactæ ſuper prunas ardentes curavi incoquendas & vix dimidia parte exhalata, craſſamentum inſtar albuminis ovi coagulatum, nigricantis tamen coloris, remanſit, non ſecus ac ſanguis quando in cochleari argenteo ſupra candelam incoquitur. Inquiſivi in hujus fluxus, inſolentis plane, cauſam, nullam tamen aliam afferre potuit, quam quod liberalius potaſſet vinum in urbe vicina & poſt nocte menſe majo, valde frigida, mane per tria milliaria equo concitatius vectus ſit. Altero enim die poſt, hoc ſymptoma fuit ſequutum. Quare quum pulſus adhuc ſatis magnus & citatior eſſet, venæ ſectionem in manu, & loco cereviſiæ, quam ordinario bibebat valde ſaturatam, decoctum avenaceum, ex avena, radice ſcorzoneræ, cichorii, floribus papaveris rhœados, nitro & melle paratum, item pulverem præcipitantem cum liquoris anodyni aliquot guttis aſſumendum; infuſum quoque theiforme ex herba veronicæ, agrimoniæ, polygoni, ſummitatibus millefolii, floribus papaveris rhœados ſemine fœniculi ſæpius hauriendum ſuaſi, & præcepi, ut à vino abſtineret & ſingulis anni quadrantibus venæ ſectionem admitteret. Quo facto, non ulterius mictionem cruentam eſt expertus.

Epicriſis.

Non ſemel ſed ſæpius obſervavi copioſi & ſinceri ſanguinis mictum ex improviſo ſimul & ſemel factam & per intervalla ex levi cauſa recurrentem ſine ullo apparente ſigno vel veſtigio calculi renalis ante & poſt illum fluxum, idque in corporibus ſanguine temperato valde diffluentibus; nullum dubium eſt quin in plethoricis, præſertim poſt equitationis motum, facto concitatiori ſanguinis ad renes affluxu & impeditiori ejus per venas refluxu, extremitates arteriolarum emulgentium, quæ principium canaliculorum hydragogorum conſtituunt, nimis dilatatæ & diſruptæ, eum effuderint in canaliculoſam & papilloſam renum ſubſtantiam. Tali in caſu quies, aquæ frigidæ potus, abſtinentia ab omnibus ſpirituoſis, venæ ſectio, omnium optima ſunt præſidia.

Observatio IV.

Mictio cruenta cum dolore iſchiadico curata.

Laboravit ante aliquot annos vir conſularis vicinæ celebris urbis quinquagenarius, lautæ & vinoſæ diætæ deditus, tranquilli inſuper vitæ generis, dolore gravativo lumborum, cujus cauſam conſulti medici judicabant eſſe calculum renalem. Quidam tincturam *Amelungii* lithontripticam, alii baccas juniperi quinque ſingulis diebus mane devorandas ſuaſerunt; ſed nihil inde levaminis conſecutus eſt, ut potius dolores invaluerint, ipſum lateris dextri femur in conſenſum trahentes. Commendatus ipſi fuit pulvis ſpecificus antinephriticus, cujus baſis millepedes & ſal ſuccini volatile erant, quem circa ſingulas lunæ phaſes aſſumſit, urinæ quidem fluxus liberalior inde redditus, ſed per menſem uſurpato hoc pulvere, obſervavit quum urinam redderet, eam ſanguinolentam, ita ut interdum plus, interdum minus cruoris haberet. Medicus ordinarius à ſpecifico hoc ut penitus abſtineret ſuaſit, & medicamenta ad fluxum ſanguinis reſtringendum dedit, unde mictio reſtincta quidem, ſed non multo poſt ardor in oſſe ſacro ingens cum difficultate magna fæces egerendi fuit ſubſecutus, dolore mox totum femur, qui ad pedem uſque ſe protendebat, occupante. Hic poſtea venæ ſectione in pede afflicto admiſſa ſatis larga, & decocto temperante uſurpato ſuperius à nobis deſcripto, convaluit.

Epicriſis.

Ex hac conſtat hiſtoria, aliiſque innumeris comprobari exemplis poteſt, pernitialem admodum eorum, quæ urinam & calculum valide pellendi pollent facultate, uſum eſſe in plethoricis & quando de doloribus lumborum conqueruntur. Optandum certe foret, ut acriorum & nimis calidorum diureticorum, quæ ſale ſubtili cauſtico veſicatorio agunt, ut ſunt quæ ex inſectis prodeunt medicamina, non ſecus ac acriora & valentiora purgantia penitus in praxi & uſu medico exularent; quippe natura in excretionibus blande vult duci, non vi cogi; fortiora enim diuretica nunquam non teneram & vaſculoſam renum ſubſtantiam lædunt, calculoſque, ſi non adſunt, ingenerant, vel ſi adſunt fortiter expellunt, vaſiſque ſauciatis inde cruorem educunt aut inflammationes & exulcerationes contumaces & exitiales relinquunt. Novi à crebriori pulveris millepedum in aſthmate humorali uſu corporis atrophiam & funeſtam renum exulcerationem cum febre hectica ſucceſſiſſe. Si quis autem ejuſmodi cauſticis, cujus generis ſunt cantharides, aranearum, vermium majalium & millepedum ſpecies, ut in gonorrhœa virulenta non nunquam accidit, uti velit, ſuaſor ſum ut nunquam ſine miſcela nitri & camphoræ, quæ omnium optima eorum ſunt corrigentia, ea adhibeat.

Observatio V.

De rara mictus cruenti ſpecie ex veſica ejuſque ſphincteris vaſis.

Ineunte anno noctu colica prehendebatur vehementi ſexagenarius vir, qualem jam ante novem etiam menſes circiter fuerat perpeſſus, cui nunc acceſſit mingendi difficultas. Poſt aliquot dies remiſit quidem colicus dolor, ſed frequentior ad matulam ſtimulus fuit perpetuus, quin quandoque ſine cauſa conſpicua, mirum fuit exacerbatus. Interjecto aliquo tempore accedit tertium mictus ſanguinis, qui quandoque per octo & quatuordecim dies ſuccedit, quibuſque elapſis urina iterum quidem tantiſper inclareſcit, ſine tamen ægroti levamine. Atque hic mictus cruentus citius aut ſerius impetit, quo magis vel minus corpus motu exagitavit. Sic miſer jam ſeptem anni quadrantes ſub perpetuis viciſſitudinibus affligitur, nec unquam penitus ceſſavit dolor, licet interea variæ adhibitæ ſint medicationes, inter quæ etiam bis repetitus Egranarum potus. Poſt emiſſum in pede ſanguinem & appoſitas ano hirudines, datiſque ſubinde per epicraſin laxantibus, ſincerus ſanguis cum lotio non amplius profluit, ſed poſtquam refrixerat urina, dimiſit craſſum ſubrubicundum ſedimentum, tandemque plane moleculæ ſanguinis congrumati exciderunt intra aliquot dies vel viginti, quarum non nullæ magnitudinem digiti fere auricularis æquabant & quaſi in carnem videbantur mutatæ. Poſt aliquot dies ægrum inceſſit colica nephritica, & lapillos binos miliares elidebat, atque elapſis quatuordecim diebus eodem modo. Ex eo urina aliquamdiu manſit pellucida, neque etiam quicquam ex ipſa ad fundum ſeceſſit, ſed illud crebrioris mictus malum manſit, ita ut ſingula hora dimidia, quin quadrante, matulam poſcere cogeretur, cum ardore in ano, teneſmo & ſpaſmo circa glandem, ac pungente, ardente, ſcindente tam exquiſito in glande dolore, ut rigida penis ſubſequeretur tenſio. Interim urina nunquam plane fuit ſuppreſſa, alvus autem plerumque officii obliviſcitur & flatibus tumet, appetitus quoque vacillat cum ructibus, ſuccuſſatorium motum ferre nequit æger & circa lunæ phaſes tam notabile doloris percipit incrementum, ut plane non ſeſe movere ipſi ſit licitum. Somnus propter crebram urinæ emiſſionem interruptus. Vires mediocri adhuc ſunt firmitudine. In oſſe ſacro & dorſo dolor non ſentitur; ſed in pubis regione exterius quandoque pruritus, interius preſſorius & tractorius dolor verſus dextrum latus, quaſi ibi præternaturale quid conſiſteret, qui ſenſus, motu, tuſſi, ſternutatione exacerbatur. Urina interdum tanta vehementia exitum molitur, ut vel involuntarie erumpat; viciſſim non nunquam talis in membro eſt ſenſatio ac ſi exſtillaret urina, quod tamen non fit; poſt aliquas vero ſanguinolenti mictus inducias, rediit tandem illa eadem vehementia. Quare meum poſtularunt conſilium, qui quidem candide edixi periculo non vacare ejuſmodi malum, inveteratum maxime & in ſenili corpore, ne tamen ex neglectu ejus corruptio & ſphacelus lethalis partibus affectis accedat, utique omni cura eſſe providendum. Hunc in finem ſuaſi, ut quotannis minimum ter, vena in brachio pertunderetur; dein ut æger à vini ac cereviſiæ potu abſtineat, ac ordinarium habeat decoctum ex radice chinæ, ſarſaparillæ, ligno ſantalo rubro & citrino, nec non radice glycyrrhizæ, & ſtomachi cauſa unicum vini Burgundiaci aut ſimilis vitrum bibat. Tum videndum, ut alvus ſemper ſit aperta, idque ope maxime paſſularum rhabarbarinarum; aloëtica vero & acria purgantia cum cura eſſe vitanda. Exterius nihil fore conducibilius aqua ſclopetaria, triplicatis linteis pubis & perinæi regioni noctu maxime admota. Sic me ſpem fovere haud dubiam, fore, ut æger exinde levamen obtineat exoptatum.

Epicriſis.

Venit redditus à noſtro mictu ſanguis, non ut communiter fit, ex renum vitio, aut vaſorum emul-

gentium apertione, ſed potius ex ramo venæ hæmorrhoidalis externæ hypogaſtricæ, quæ in viris præſertim, ad veſicam maximeque ipſius cervicem complures ſurculos ſpargit, teſtantibus anatomicis oculatiſſimis, inprimis *Bauhino*. Eſt itaque mictus cruenti genus oppido rarum, non tamen deſunt inter obſervata medica ejus exempla. Sic HOECHSTATTERUS, in *obſerv. Dec. I. ſchol. in caſ. II. fundit ſæpius*, ait, *hæmorrhois externa ſanguinem in veſicam, ut abſque vitio renum mingatur, quod in nobili quodam licuit videre*. Ejuſdem indolis & noſtro perquam ſimilis caſus relatus legitur in *M. N. C. Dec. I. Ann. VIII. Obſ. XXIII.* Quod autem ex hoc fonte venerit ſanguis, teſtatum faciunt pathemata. Nullus enim in lumbis & renibus adeſt dolor, ſed continuus ad mingendum ſtimulus, cum doloribus in ano, pube & perinæo multis & variis. Quod ſi itaque ſanguis, ſub vita præſertim ſedentaria, accumulatur & circa hæc loca ſtagnat, vaſorum in cervice veſicæ orificia tandem dehiſcunt, & ſanguinem in veſicæ cavum fundunt, tumque multum ſanguinis illabitur. Quod ſi vero per tunicas aliquid tantum mora transſudat, ſenſim coagulatur, & cum veſicæ muco miſcetur, concreſcunt inde ejuſmodi moleculæ ſanguinis congrumati quaſi membrana veſtitæ, quæ poſtea excernuntur. Atque idem etiam factum eſſe habet allegata ex M. N. C. obſervatio, conceptis ſic verbis: *tandem cum maximo cruciatu & ardore vehementi in ima pube & circa virgam, varios magnos, ac oblongos ſanguinis grumos, inſtar hepatis lucii piſcis, mingendo ejaculabatur.*

Observatio VI.

Mictio ſubatra cruenta inſtar coffe, ſanata.

Ante duodecim circiter annos, vir generoſiſſimus, aulæ Cellenſis miniſter, meam opem ac conſilium requiſivit. Is jam ſeptuageſimum & ſextum annum complevit, conſtitutionis, per omnem ætatem, validæ & robuſtæ, ut nunquam fere ægrotaverit; lautiori quidem gaudebat victu, ita tamen, ut in poculis & venere modum ſervaverit. Solitus erat longo abhinc tempore, ſub cœlo ſereno corpus equitatione exercere, idque, cum paulo feciſſet validius, mane urinam, quæ antea ſemper erat naturalis, bruno & ſubatro colore tinctam prodiiſſe obſervavit, aliquot ſanguinis grumis urinalis vaſis fundo adhærentibus, & quotieſcunque equitatione vel alio fortiori motu paulo validius corpus agitaret, idem expertus eſt; quamdiu vero corpus permanſit quietum, urina & colore & conſiſtentia naturali erat, nihilque vitii habebat. Per aliquot jam menſes hoc inſolito accedente affectu, de nulla corporis laſſitudine, de nulla circa pubis vel lumborum regionem moleſtia, de nulla dyſuria conquerebatur, nullo unquam calculi veſtigio apparente, neque ullas unquam moleſtias ex hæmorrhoidibus percepit: interim bene appetebat, dormiebat. Venæ ſectionem per totam vitam rariſſime admiſit. Delectatus multum cibis qui grata acrimonia linguam feriunt, germanice *vom hohen* Gout. Medici ejus loci peritiſſimi de morbi cauſa & effectu nihil certi decernere poterant, & medicamentis, quæ nihil proficiebant exhibitis, per litteras petiit meam opem & conſilium. Judicavi mali originem & cauſam eſſe plethoram, quæ etiam ſenibus bene appetentibus & lautius victitantibus familiaris eſſe ſolet, præſertim ſi à ſanguinis miſſione, quæ in florida ſenecture longe utiliſſima deprehenditur, prorſus abſtineant. Suaſi itaque ſingulis menſibus venæ ſectionem in brachio, parca tamen manu, ad uncias tres vel quatuor adminiſtrandam, & ut loco potus ordinarii decoctum ex radice chinæ, ſcorzoneræ, raſura cornu cervi, ſantalo rubro & aniſo ſtellato biberet; ſubinde quoque pulverem ex lapidibus cancrorum, rhabarbaro & ſaccharo aſſumeret, ab omnibus acribus & ſpirituoſis abſtineret, corpuſque in quiete ſervaret. Quorum remediorum energia ita adjutus eſt, ut generoſus ejus gener, exactis aliquot ſeptimanis reſcripſerit, illum immunem hoc malo fuiſſe redditum. Poſt duos vero annos, maraſmo eum extinctum eſſe, mihi fuit relatum.

Epicriſis.

Binos, quoad omnes propemodum circumſtantias, ſimiles caſus, olim in praxi mea obſervavi. Ante viginti annos generoſus cameræ conſiliarius octuagenarius mihi aperuit, ſe ultra decem fere annos, urinam per intervalla, ſanguineo colore tinctam grumis interdum prodeuntibus ex ipſa urethra reddidiſſe, citra ullum tamen incommodum ſive ſanitatis offenſam. Nullam potuit mali hujus cauſam aſſignare, niſi quod per multos annos, vinum quod in vinea ſua rubrum, ſive Roſacer fuit natum, in frequentiſſimo & quotidiano fere uſu habuerit. Monui ut abſtineret ab hoc, ſed reſpuebat hoc conſilium, eo quod jam per viginti annos, hoc vino fuerit uſus. Secuta vero poſtea eſt crebrior cruoris mictio, quam lenta excepit febris cum maraſmo. Ante aliquot luſtra in fœmina ſeptuaginta & aliquot annorum vegetæ etiam conſtitutionis ſimilem urinæ colorem obſervavi per certa tamen intervalla apparentem. Colorem urinæ bruno-nigricantem in ſenili ætate quam maxime familiarem cruditatibus acidis, ſanguini permixtis, dum facile omnia alimenta in eorum ventriculo coaceſcunt, tribuendum eſſe exiſtimo, quæ humorum acida acrimonia plurimorum ſenilium morborum matrix ad vaſorum ſanguineorum in renibus reſeranda orificia etiam multum conferre videtur.

Observatio VII.

Iſchuria ex mictu cruento, potione mannata ſanata.

Hebræus LX. annorum ab aliquot jam annis doloribus ex calculo valde excruciatus, tandem ingentis magnitudinis unum cum cruenta excrevit urina, poſtea immani dolore in regione pubis corripitur, urina penitus ſuppreſſa, alvoque ita obſtipata, ut nec flatus nec quicquam excrementi inde prodiret, quæ per quatuor dies ſymptomata perſtiterunt, tormentis ita adauctis, ut nec quicquam ſomni capere, neque in uno loco quiete conſiſtere potuerit. Ad urinam eliciendam catheter ſed ſine effectu fuit applicatus, quum vix aliquot guttulæ urinæ profluxerint; hinc non ſine ratione judicavimus, uretheres ubi veſicam ingrediuntur à grumis ſanguinis eſſe obſtructos, quare pubis regioni veſicam ſpeciebus emollientibus in lacte coctis repletam applicari juſſimus: ingentem quoque infuſi herbæ veronicæ, urticæ mortuæ & radicis glycyrrhizæ quantitatem quotidie ebibere debuit; præterea clyſteres oleoſi emollientes in anum injecti plures, & nil levaminis inde fuit conſecutus, auctus potius ab urina ſuppreſſa fuit dolor in abdomine & lumbis cum extremorum refrigeratione mortique vicinus in continuo ſopore jacebat æger: quando paululum ſe recolligebat de ſummis querebatur anxietatibus quæ reſpirationem demere vi-

debantur. Dedi ad alvum, quæ erat ſtrictiſſima, laxandam ſequentem mixturam: recipe mannæ electæ uncias duas, ſolve leni calore in aquæ florum acaciæ unciis ſex, adde olei amygdalarum dulcium unciam ſemis, nitri purificati grana XII. eſſentiæ corticum aurantiorum drachmam ſemis, qua duabus vicibus aſſumta, atque intra quatuor horas repetita; habuit inde octo ſedes, quibus copioſa materia ſtercorea rejecta & ſimul tanta urinæ profluxit copia, ut aliquot repleverit matulas, quæ vero primum prodiit, inſtar loturæ carnium erat. Horum remediorum efficacia ex orci pene faucibus ereptus miſer, qui poſtea adhibitis idoneis ſtomachicis, roborantibus, bono vitæ regimine accedente, priſtinam valetudinem recuperavit.

Epicriſis.

Extra dubium eſt à ſanguinis grumis obſtructum fuiſſe introitum uretheris in veſicam, qui tranſverſim fit per ejus membranas; id vero mirum eſt, per alterum vacuum, urinam in veſicam non deſcendiſſe, quod à ſpaſmodica veſicæ conſtrictione factum credibile eſt, quia etiam vicinum inteſtinum rectum per conſenſum arctiſſime fuit occluſum. Perquam notabilis etiam eſt ſingularis effectus decocti mannati in hoc caſu, quod una cum clyſteribus & cataplaſmatibus emollientibus, ſpaſmo harum partium relaxato, urinæ liberum iter & fluxum conciliaverit. Neque ſemel ſed iterum à nobis obſervatum eſt, quæ alvum blanda virtute ſolvendi valent, in morbis veſicæ commodum etiam præſtare ſolatium.

Plures obſervationes inveniri poſſunt in *Conſult. Med. Sect. III. caſ. LXXVIII. LXXX.*

CAPUT VII.

De Hæmorrhagia cerebri.

THESES ET OBSERVATIONES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Quid intelligatur per hæmorrhagiam cerebri.

Hæmorrhagiæ cerebri appellatione, nos fortem & pernitialem illam apoplexiam ſanguineam comprehendimus, quæ ab effuſione cruoris in cerebro ex ruptis ibi, citra violentiam externam, vaſculis, oritur, & ſubito functiones animales & vitales quoque peſſumdat atque extinguit.

§. II.

Hanc demonſtrant defunctorum ſectiones.

Hæmorrhagiam cerebri exiſtere revera, ejuſdemque proximam cauſam eſſe rupturam vaſorum in eo, luculenter monſtrant ſectiones anatomicæ in defunctis inſtitutæ. His enim in comperto eſt; ſanguinem modo inter cranium & duram matrem, modo inter hanc & piam, frequentius hanc inter & cerebrum, frequentiſſime in hujus anfractus & ventriculorum meditullium, quandoque in baſin ipſius, interdum minori, interdum etiam ſatis magna copia, effundi. His quoque conſtat: ipſa ſanguifera vaſa per cerebri membranas & corticem diſcurrentia, ſanguine nunc liquido, nunc concreto turgida & veluti aneuriſmatica nunc etiam rupta conſpici. Poſſunt hanc in rem legi hiſtoriæ apoplecticorum diſſectorum à clariſſimo *Wepffero* conſignatæ.

§. III.

Cereb ejuſq vaſa ſangu emiſſ valid poſita

Pars igitur primario affecta eſt cerebrum, quod ad concipiendam ſanguinis ſtagnationem & inde oriundam hæmorrhagiam admodum diſpoſitum. Etenim inſignis ſanguinis quantitas, & minimum, teſte *Malpighio*, tertia pars, illius qui ex ventriculo cordis ſiniſtro in univerſum corpus ejicitur, eo per quatuor capaces ſatis arterias adducitur. Dein arterioſa hæc ſanguinem advehentia vaſa tortuoſum admodum ubique, & maxime in pia matre, ſervant tractum. Tum, quod maximum, ipſæ hæ arteriæ, poſtquam ſubierunt cranium, depoſita exteriori tendinea, potiſſimo motus ſyſtaltici inſtrumento, tunica, tenuiores longe ſunt, quam in reliquo corpore, & quaſi venas referunt. Ne dicam, adeo demum gracileſcere hæc vaſa, ut ſanguinis per ipſarum anguſtias in venulas ſocias tranſitus, ſenſus plane ſubterfugiat. Quæ omnia faciunt utique, ut ſanguis heic tardius circumeat, facile etiam ſubſiſtat, aditu in venas expedito facile intercludatur, novique acceſſu cumulatus continuo, alveos canalium admodum dilatet & ad conſequutura plura mala anſam præbeat.

§. IV.

Ruptio in min piæ me gis & rebri a violit.

Inprimis præſente jam ejuſmodi diſpoſitione, facilis poſtea in rupturam & effluxum eſt tranſitus, tum videlicet, ubi acceſſerint cauſæ, quæ ſanguinem majori copia & cum impetu ad caput congerunt, ejuſdem in ipſo ſtagnationem invitant ac liberum per venas recurſum valide ſuffiaminant. Sic enim demum fit, ut vaſa non modo cruore turgeant, ſed & ab appulſo jugiter novo nimium farcta, dehiſcant, rumpantur & ſanguinem effundant. Id quod maxime in piæ meningis nec non corticalis cerebri ſubſtantiæ vaſculis, æque ac iis, quæ choroideos plexus conſtituunt, contingere, cadaverum ſectione conſtat.

§. V.

Functio animale & vital inde læ duntur tandem extinguu tur.

Per effuſum in cerebro cruorem non modo ſubtiliſſimi liquidi, quod motum, robur & ſenſum præſtat partibus, ſecretio & diſtributio per nervos impeditur, ſed & totus circularis ſanguinis per cerebrum motus turbatur & intercipitur; ubi animales æque ac vitales functiones elangueſcunt & tandem penitus extinguuntur. Quæ omnia ſic omnino contingere, teſtatum faciunt pathemata illa truculenta, quibus hæc hæmorrhagia ſtipatur, & è quibus, ceu diagnoſticis ſignis, etiam cognoſcenda. Nimirum qui eam incurrunt in terram concidunt ſubito, omni mentis vi ac cogitatione, ſenſu quoque ac motu privantur omni, cuncta membra ſunt languida & flaccida, lingua obmuteſcit, palpebræ ſuſpenſæ & os hians comparent, deglutitio ſublata, & alvus, & veſica retinenda excrementa haud raro ſponte dimittunt. Atque hæc omnia læſam cerebri functionem & elangueſcens inde muſculorum robur produnt luculenter.

§. VI.

Hæmor rhagiæ rebri ej tus atq ſympton ta.

Difficili autem & intercepto ſanguinis per capitis interiora commeatui tribuenda reliqua quæ obſervantur phænomena. Quod ſcilicet genæ rubicundo admodum & florido colore ſuffundantur, facies tumeat, vaſa per faciem & maxime tempora diſcurrentia, turgeant, rupta in ore, naribus ac auribus ſanguinem interdum, maxime poſt mortem, ſundant, quin accedente putre-

dine,

dine, caput in miram distendatur magnitudinem; quod à sanguinis per carotides internas aditu denegato, & ea propter in externas facto impetu, merito derivandum. Quod oculi distendantur, promineant, rigidi & quasi vitrei compareant ac lacrimas uberius fundant, id lymphæ à sanguine stagnante copiosius secedenti in acceptis ferendum. Quod cor valide pulset, arteriarum quoque pulsus in principio magnus, postea languidus ac rarus sit, quod spiritus sit difficilis cum stertore & rhoncho, id sanguinis pulmones obruentis moli, eorundemque ea propter intercepto æquali reciproco motui, aërem rite nec expellenti, nec admittenti, imputandum. Quod demum vomitus & convulsiones cum dentium stridore variæ accedant, non aliunde quam à sanguine in duræ matris vasis hærente eandemque ad spasmum solicitante, deducendum.

§. VII.

Signa antecedentia. Jam sicuti omnis omnino hæmorrhagia supponit ac præviam habet sanguinis, in illa ubi succedit parte, nimiam ad rupturam usque congestionem; ita quod eadem in hac, quæ in cerebro fit effusione, præsto sit, est utique certum. Evincunt enim id omnes, quæ morbum hunc antecedunt ac prænunciant passiones, quas inter præcipuæ, capitis cum vertigine temulentia, ejusdemque præcipue in occipite, dolor pressorius & gravativus, formicationis sensus in artubus, visus modo per caligines, modo coruscationes, turbatio, oculorum humiditas & intumescentia, aurium susurrus atque tinnitus, memoriæ & ingenii aliqualis hebetudo, somnus profundus, incubo & insomniis stipatus, venarum jugularium turgescentia ac faciei præter consuetudinem rubore suffusio.

§. VIII.

Incessus difficultas. Quemadmodum porro ad inducendam sanguinis in certa parte congestionem, præter ejusdem abundantiam, tum ipsius validior per spasmum in aliis partibus eo suscitatus appulsus, tum etiam partis congestionem admittens quædam debilitas, concurrunt; ita, quin eadem hæc ad gignendam eam, quæ in cerebri vasis colligitur congestionem, conferant, neutiquam dubitandum. Huc enim redit omnis vis & efficacia illarum causarum, quas ad ingignendum hunc morbum, ceu antecedentes & procatarcticas conferre, ratio docet, experientia confirmat.

§. IX.

Plethorici maxime & ubi sanguinis solennes excretiones deficiunt huic malo obnoxii sunt. Ut de sanguinis plenitudine primum dicamus, propter eam omnino accidit, quod hæmorrhagia hæc frequentissime incidat in ætatem virilem, & juxta *Hippocratis aph.* 57. *sect.* 6. ab anno quadragesimo usque ad sexagesimum, ubi confecto corporis augmento, succi in vasis plus justo non modo accumulantur, sed & densiores fiunt. Hinc porro fit, quod qui temperamenti sic dicti sunt sanguinei, nec non obesi, cum iis, qui lautam, otiosam & sedentariam vitam sectantur somnoque indulgent, pernitiali hæmorrhagiæ huic admodum sint obnoxii. Idem accidere iis, qui propter suppressas, aut imminutas spontaneas hæmorrhagias, nec non omissas diu suetas antea artificiales subtractiones, nimiam sanguinis copiam colligunt & coacervant, uberius testantur medicorum observata. De neglecta sanguinis missione testes sunt *Acta Medic. Vratislav.* MDCCII. de narium hæmorrhagia suppressa, *Hildanus Cent. III. Obs. XI.* de hæmorrhoidibus retentis *Hippocrates, Amatus & Zacutus Lusitani*, & qui primo loco ponendus fuisset, *Lancisius, de subit. mortib.* de mensibus & lochiis cohibitis cum *Fontano Acta Nat. Curios.* passim; de vicaria etiam mensium per os & nares vacuatione *Hildanus Cent. III. Observ. XII.*

§. X.

Spasmi in remotis partibus multum ad genesin hujus hæmorrhagiæ conferunt. Tanto vero magis tantoque certius hæc sanguinis redundantia ad inferendum quod diximus damnum fit efficax, si accesserit altera illa causa, spasmus nempe in aliis externis remotisque à capite corporis partibus. Hujus enim tam infesta est operatio, ut non tantum sanguinis progressui in ea, quam detinet parte, fibras stringendo & vasa coarctando, obicem ponat, verum etiam eundem urgeat, ut aliorsum cum impetu ruat, ibi vasa oppleat, diducat tandemque perrumpat. Spasmum autem in hæmorrhagiis ferme omnibus, atque etiam in hac, præsto esse, testatur juncta magnitudini pulsus durities, strictura nervosarum in arteriis tunicarum prodens. Testatur quoque antecedens extremorum refrigeratio, nec non ille, quem quidam in artubus sentiunt, formicationis sensus. Atque etiam hanc ob causam fieri censendum est, quod experientia teste, hanc hæmorrhagiam sæpe incurrant, qui spasmis, in abdomine maxime, aliquamdiu fuerunt detenti, qui scilicet colicis passionibus, præsertim spasmodicis, hypochondriaco malo, doloribus ex calculo vesicæ item cystidis felleæ nec non diuturna alvi strictura laborarunt.

§. XI.

Affectus animi frequentes & potentes sunt hujus mali causæ. Ex quo jam ulterius concludendum, omnia quæ spasmum inducere apta, in numerum causarum hujus mali esse referenda. Conspicuus hoc nomine maxime est animi affectuum effectus, iræ inprimis ac terroris, quæ proxime in nervosas partes agunt, easdemque in anomalos spasticos motus adducendo, inæqualem quoque faciunt sanguinis circuitum, atque malum hoc sæpius accersunt; uti inter alios *Hildanus, Schenckius* ac *Forestus* fidem faciunt. Idem efficere valet venereum œstrum, quo motuum æquilibrio sublato, adeo in quibusdam exagitatum fuisse sanguinem, ut ipso in actu occubuerint attoniti, ex *Henrici* ab *Heers Observ. XVIII. Bartholino* & nostra *de morbis ex intempestiva venere oriundis, dissertatione*, constat uberius. Neque tantum impensior animi, verum etiam corporis commotio, ad sanguinem versus caput urgendum multum facit. Nos inter alia novimus à mica panis asperæ arteriæ illapsa, vehementissimam concitatam fuisse tussim, quam excepit hæmorrhagia in cerebro, lethali cum eventu.

§. XII.

Excretiones quæ in partibus externis fiunt retropulsæ sæpius causam præbent hujus diri affectus. Magna quoque ad inducendum hoc malum vis est materiæ illi acri, corruptæ & veneni tantum non naturam habenti, quæ à succorum vitalium connubio, salutari admodum consilio segregata, ad corporis ambitum propellitur, quando, vel sponte iterum recedit, aut per injurias externas repellitur; quippe quæ nervosis internis membranis illapsa, spasticas atroces suscitat strictura, per quas sanguis utique etiam agitur cum impetu ad caput ibidemque congeritur. Sic ex ulcerum manantium & fonticulorum coalitu id factum esse, auctor est *Wepferus*; ex coryzæ, pedum sudoris catarrhaliumque affectuum

ſuppreſſione, nec non retrocedente ſcabie, *Ephemerides naturæ curioſorum*; ex arthritide & podagra emanente vid. *Med. Syſtem. rat. tom. III. p.* 189. nec non *Wepferus*. Haud diſſimilem pernitialem effectum in internis nervoſis partibus edunt adſtringentia, præpoſtere, inprimis in hæmorrhagiis nimiis data, de quo notabile exemplum à nobis obſervatum & quod pluribus expoſitum in diſſertatione Altorffii habita, de *viro apoplexia ex inconſulta hæmorrhoidum ſuppreſſione extincto*, cujus auctor eſt Clariſſimus *Schultzius*.

§. XIII.

Malum quandoque fit epidemium à ſubita & inſolita aëris mutatione.

Merito præterea in numerum cauſarum hujus mali venit ipſe aër, cujus conſtitutionem inſalubrem & præternaturalem, epidemicum prorſus feciſſe hunc morbum, *Lommius* potiſſimum, *Baglivus* & *Lanciſius* affirmant. Maxime omnium vero generationi ejuſdem favet frigus, quod fibras cutaneas ſtringendo vaſaque in ambitu coarctando, ad interiora ipſumque caput urget ac pellit humores. Unde *Hippocrates* jam *Sect. III. aph.* 23. hyemalibus morbis annumeravit apoplecticum. Et *Piſo* notavit: quod, quando circa ſolſtitium hybernum boreas, corpora valde comprimens & mercurium ea propter in barometro ſurſum urgens ventus, repente inſurgit, diſpoſitos admodum infeſtare ſoleat attonitus morbus. Neque minus ad producendum hoc malum multum facit ſubita aëris mutatio. Nos certe crebrius obſervavimus, quod, ſi diuturnam aëris intemperiem frigido-humidam, vento diutius ex occidente & zephyro ſpirante, ſubito ventus frigidus valde ex borea excipit; aut etiam intemperiem aëris calidam & humidam cito ſequitur algida & conſtringens atmoſphæræ conſtitutio; facilis admodum in hunc morbum diſpoſitis ſit lapſus. Quo etiam fundamento nititur illa *Amati Luſitani Cent. I. curat. XXXVI.* obſervatio, qua admiſſo liberius corpori ex balneo fervido æſtuanti frigido aëre, apoplexiam acceſſiſſe memorat.

§. XIV.

Hunc morbum ut plurimum antecedit imbecillitas corporis.

Accedit cauſa, inter præcipuas numeranda, vaſorum ſcilicet & membranarum cerebri imbecillitas, ſive imminuta potentia motrix ſyſtaltica. Sine hac enim nec abundantia, nec appulſus ſanguinis, ad excludendum hoc malum ſufficiunt; at ubi adeſt, membranæ ſanguinem appulſum minus vegete protrudunt, vaſa eidem cedunt, lentus fit circuitus, ſtagnatio, farctus tandemque ruptura. Eſt autem hæc debilitas quandoque nativa & à parentibus accepta, qua fit, ut certis familiis, fatalis atque funeſtus ſit hic morbus, uti exemplis *Hoeferus*, *Foreſtus*, atque *Senhertus* confirmarunt. Alia demum accedit; quod patet in ſenibus, in quibus, quia partium omnium labaſcit robur, non mirum eſt, id etiam contingere in capite, ipſoſque ea propter frequentius pati hos manes.

§. XV.

Ad quam diſponit inordinatum vitæ genus.

Inter cauſas, quæ vaſa ac membranas cerebri tono privant debito, potiſſima utique eſt, ingluvies, intemperantia atque ebrietas, ex cereviſiis lupulatis, vino, maxime ſulphuris fumo infecto, nec non vini ſpiritu. Horum enim ea indoles, ut ſanguinem exagitent, expandant, eoque ſimul ipſa vaſa per quæ decurrit, diſtendant. Quod ubi accidit crebro, manet illa diſtenſio, ſyſtaltica vis infringitur & ad concipiendam morboſam ſtagnationem ſternitur via. Unde merito hinc cauſam repetit *Henricus ab Heer*, quod ſeptentrionalibus populis adeo frequens ſit hic morbus, ac uti *Lanciſius* obſervavit, nemo fere ſobriæ vitæ addictus eodem corripiatur. Nec diſpar ratio eorum, quæ capiti ſtuporem conciliant, opiatorum, abſynthii, lupuli, nicotianæ, croci, carbonum vivorum, muſti & cereviſiæ fermentantis vaporum, quibus dum ſucci & canales plus juſto rarefiunt ac diſtenduntur, impeditus utique fit progreſſus.

§. XVI.

Status cachecticus & polypoſæ concretiones.

Non minoris momenti ad funeſtam in cerebro hæmorrhagiam proritandam facit habitus corporis cachecticus cum dolore gravativo capitis junctus, ſub quo fibrillæ cerebri medullares & nervoſæ flaccidæ & nimis lubricæ evadunt, ſyſtaltica & oſcillatoria ſua virtute privatæ. Quæ cerebri diſpoſitio quod non modo ad hemiplexiam, ſed & ad fortem & ſanguineam apoplexiam multum conferat, nobis compluribus eſt compertum exemplis. Obſervavimus etiam aſthmaticos, præſertim quando truculentum hoc malum à polypoſis coagulis intra cordis ventriculos, vel vaſa pulmonalia hærentibus fovetur. Obſervatum quoque frequentius eſt, non modo grumoſas, ſed & polypoſas maſſas, ſinubus cerebri, præſertim longitudinali, ac venis jugularibus internis inhærentes, lethalem ſanguinis in cerebro effuſionem produxiſſe.

§. XVII.

Apoplexia ſanguinea diſtinguenda ab ea quæ fit à ſeri effuſione intra cerebrum.

Dein hic qui à ſanguinis effluxu in cerebro oritur attonitus morbus, probe diſcernendus ab illo, qui fit à ſeri ibidem ſeceſſu, & quem conſequitur hemiplexia & paralyſis totius lateris, ac vita quidem ſervatur, ſed admodum miſera. Hæc enim fit, quando quidem ſanguis nimia copia cum impetu congeritur ad caput, non tamen vaſa perrumpit, ſed propter diuturnam tantum ſtagnationem ſerum per poros ſecedit, ac deſcendens vel ad cerebri baſin, vel ad ſpinalis medullæ alterutrum latus, eidemque incumbens, liquidi ſubtilioris activi tam ſecretionem, quam influxum in nervos, intercipit, eoque partes in latere alterutro ſenſu privat ac motu. Ut prætereamus conſpicuam illam differentiam, quæ affectus inter ſoporoſos & hunc quem delineavimus intercedit, dum illi ſenſim non ſimul ac ſemel accedunt, neque ſenſus & motus abolitionem, ſed tantum ſub ſomnolentia ob nubilationem junctam habent.

§. XVIII.

Quæ hæmorrhagiæ cerebri ſint periculoſiſſimæ.

Quod cæterum *Hippocrates* de apoplexia *Sect. II. aph. XXXII.* conſignavit prognoſticon, id utique veritati reſpondet egregie: *vehementiorem*, ſcilicet qualis eſt quæ à ſanguine effuſo, *plane non*, *debiliorem* autem, ſive quam ſanguis ſtagnans & ſerum ſecedens gignunt, *difficulter ſolvi*. Niſi enim poſt venæ ſectionem & congrua adhibita auxilia intra XXIV. horas ſequatur levamen & ſymptomata remittant, ſpes ſalutis decollavit, & ex obſervatione *Aureliani* tertius dies longiſſimus moriendi terminus. Iſque funeſtus eventus metuendus tanto certius, ſi ſenes invaſit plethoricos morbus, ubi jam vires fractæ & cerebrum debile; ſi inebriationem ſummam, gravemque animi affectum iram & terrorem excipit; aut etiam ſi alii antea perpeſſo morbo ſupervenit. Mortem autem inſtare concludendum:

ſi

ſi ſtertor magis magiſque ingraveſcit cum reſpirationis difficultate; ſi cor palpitat vehementius arteriarumque pulſatio admodum magna, dura ſimul atque inæqualis; ſi, ubi pauliſper ad ſe redit attonitus, aliena tamen eſt mens; ſi convulſivi motus unius lateris ipſiuſque pectoris accedunt, frigidus præſertim in ſuperioribus ſudor hæret guttatim, ipſa exſpiratio frigida eſt, & urina, & alvi ſtercora ſponte elabuntur.

THESES THERAPEUTICÆ CUM CAUTELIS.

§. I.

Curatio, quomodo inſtituenda.

QUum adeo præceps & periculoſum ſit hoc malum, cito utique ac tempeſtive ſuccurrendum, ubi adhuc ſalutis ſpes, ac æger in loco temperato & lucido ita collocandus, ut cervice non nimis declivis ac ſupinus, neque etiam plane erectus cubet, pedeſque inprimis, vel plumis, vel integumentis, à frigore defendendi ac fovendi. Ipſa autem curatio reſpondeat cauſis. Inter quas quia præcipua antecedens ipſum effluxum ſanguinis redundantis in cerebri vaſis congeſtio eminens, cum imminuta motrice vaſorum ibi & membranarum potentia, eo quam maxime medicatio dirigenda: tum ut ſanguinis motus & impetus à capite divertatur; tum etiam ut partibus, ibi à robore defectis illud reddatur, ad redigendum iterum in motum, qui ſubſiſtit, ſanguinem.

§. II.

Principem locum tenet vena ſectio.

Ad exſequendum primum, ab omni ævo ceu efficax æſtimatum, & ab ipſa natura comprobatum remedium eſt in ſanguinis miſſione, mox in principio mali, ſine mora inſtituta. Huic merito primas in medicatione detulit cum *Nymanno Dodonæus obſerv. medic. cap. VIII. exercit. pract. p.*385. memorabili exemplo vetulæ LXXII. annorum, per eam ab apoplexia liberatæ, confirmat. Quin ipſam naturam hanc monſtrare viam, ex *Lanciſii* obſervatione patet, qua ſenem fere ſeptuagenarium apoplexiæ prodromis affectum, effuſiſſima narium, ad duodecim libras hæmorrhagia, ſanatum eſſe memorat.

§. III.

In commodis locis.

Quo vero pacto ſanguis ſit ſubtrahendus? non omnes eodem modo definiunt. Nonnulli, ac inter hos potiſſimum *Cathervvood*, in libello Anglice edito, arteriotomiam omnibus aliis ſanguinem mittendi modis anteponendam eſſe rationibus & exemplis docet. Cui ſententiæ calculum adjecerunt Germani quidam Medici, inter quos etiam *Loevv* ab *Erlsfeld in Medic. pract.* Nec improbandum videtur conſilium, ac dolendum modo, noſtris in oris, ob Chirurgorum ineptitudinem ac remedii novitatem, illud adhibere non eſſe integrum. Plurimi venæ ſectionem ſuadent; ſed quo in loco ſecanda ſit vena, iterum in diverſum abeunt. Alii venas in brachio, alii in fronte, naribus, nec non ſub lingua incidere jubent. *Morgagni* venarum occipitalium inciſionem eximie collaudat *Adverſ. anat. VI. p.*108. quia hæ venæ intra cranium cum utroque laterali ſinu communicant, eaque propter inſtituta ipſarum ſectione, ſanguis, quem in ſinus convecturæ erant, avertitur, atque hinc reliqui ſanguinis, qui per eoſdem ſinus progreditur, copia minuitur aliquantum, motus autem non ſine emolumento augetur. Quia vero harum venarum trunci profundius ſiti & non nunquam in plures minoreſque ramos diviſi reperiuntur, cucurbitulas & crebras altaſque inciſiones anteferendas putat. Quo quidem modo jam *Zacutus Luſitanus Med. Princ. hiſt. lib. I. hiſt. XXXIII.* bis apoplecticos ſe ſanaſſe refert. Ab exercitatiſſimis tamen & numero plurimis medicis *Severino, Lanciſio, Freindio,* à nobis in *Medic. ration. ſyſtem. tom. III. p.*608. venarum jugularium inciſio laudatur, quia cerebro valde vicina & quam optime ſpatium libertatemque fluendi facit ſanguini cerebro impacto ibique copioſius congeſto.

§. IV.

Cautelæ circa ſanguinis miſſionem tenendæ.

In ſanguinis miſſione tenenda hæc. Inſtituatur quam poteſt fieri cito, priuſquam ad atoniam uſque dilatatæ arteriolæ & à ſanguine effuſo cerebrum inundatum. Foramen infligatur ſatis amplum, ut ſanguis citatiori & liberaliori flumine efferatur, quia lentus effluxus juvat nihil. Adornetur in loco parti affectæ proximo, brachio ſcilicet vel jugularibus. Quantitas ſanguinis emittendi, ex vaſorum plenitudine, pulſus viriumque habitudine determinetur, ſemper tamen ſit larga. Si corpus plethoricum, temperamentum ſanguineum, morbus à ſanguinis evacuatione impedita ortus, iteretur ſanguinis ſubtractio, quin repetatur, quum *Dionis* perhibeat, ſepties demum inciſam venam profuiſſe. Sed primum celebretur in pede, poſtea in brachio, ſeu collo, ne, ſi ſecus fit, dato in parte ſuperiore exitu, ex inferioribus & corporis ambitu ad caput major invitetur affluxus.

§. V.

Clyſterum in hoc malo uſus.

Præter venæ ſectionem, ad divertendum ſanguinis à capite affluxum, præſtans virtus eorum, quæ alvum irritant fortius, non tamen draſticorum illorum catharticorum, quæ veneni quippiam recondunt, ſed quæ indolis innoxiæ, nerveas tantum inteſtinorum tunicas exſtimulant efficaciter & ad motum ſollicitant, qualia ſunt ſalia, gemmæ ſcilicet, Sedlicenſe & ammoniacum. Hæc indenda paulo liberaliori doſi clyſmatibus, ac præterea addendæ ſpecies, quibus flatus diſcutiendi & roborandi virtus ineſt, cujus indolis ruta, ſalvia, majorana, ſatureja, thymus, ſerpillum, flores lavendulæ, liliorum convallium, chamomillæ Romanæ, item ſemina carvi & anethi, unacum oleis expreſſis, rutaceo, chamæmælino ac laurino. Et ſic confecta enemata non nimia copia, ſed crebro, injicienda, ne iterum elabantur, & quidem miniſterio ſyringæ, quo eo altius penetrent ac pervadant.

§. VI.

Externorum excitantium.

Quæ vero nervoſas robore exutas partes roborant & ad motum exſtimulant eoque humoris ſubſiſtentis diſcuſſionem promovent, exterius partim, partim interius admovenda. Exterius præſtans virtus volatilium urinoſorum, mixtorum cum cephalicis; inter quæ palmam fert in liquida forma ſalis ammoniaci cum calce viva paratus ſpiritus, rutæ & majoranæ, vel lavendulæ oleo imprægnatus; in ſicca forma ſal volatile ſalis ammoniaci ſiccum, iiſdem oleis irroratum. Quæ vel naribus ad odorem admota, vel pluma ad interiora narium admiſſa, vel etiam per calamum ſcriptorium inſufflata, excitant efficaciter. Eundem in finem locis exquiſitioris ſenſus, maximeque pedum plantis, admoveri ſolent ea, quæ

doloris quendam ſenſum ibi excitant, ſicque univerſum nervoſarum partium ſyſtema ad contractionem ſollicitant. Quo nomine notæ ſunt frictiones aſperiores cum pannis aut excutia inſtitutæ, nec non urticationes; nota quoque veſicatoria ipſaque cauteria actualia, quorum novum & à *Lancisio* approbatum adhibendi modum, evulgavit *Dominicus Miſtichelli* in tractatu Itala lingua de apoplexia edito.

§. VII.

Cautiſſime interne danda ſunt ſpirituoſa.

Interius autem ſi deglutiendi facultas ſupereſt, aut reddita, neutiquam danda ſpirituoſa, aut volatilia; quippe quæ ſanguinem, jam tum æſtuantem, magis commovent ac rarefaciunt, eaque propter à *Pitkarnio* de *circul. ſangu.* merito rejiciuntur. Sed propinanda ea, quæ analepticam, excitantem & ſimul diſcutientem virtutem poſſident; inter quæ ſpectata virtus diaphoreticorum fixorum, cum cinnabari, ſuccino & nitro, quæ in pulveris forma cum aquis congruis, vel melius adhuc in potionem redacta porrigi poſſunt. Nobis quidem frequentioris & probati uſus mixtura hæc: recipe aquæ liliorum convallium cum vino, aceti deſtillati ana uncias duas, ſpiritus cornu cervi ſuccinati drachmam, antimonii diaphoretici, cinnabaris, lapidum cancrorum ana drachmam ſemis, ſyrupi corticum aurantiorum drachmas duas. M. Cui non nunquam, ad levem quendam ſtimulum nerveis ſtomachi fibrillis cum omnibus reliquis conſentientibus inferendum, tantillum tartari emetici adjicere ſolemus, ne tamen vomitum moveat.

§. VIII.

Ad arcendum hoc malum utiliſſima venæ ſectio æquinoctialis.

Sed quia hæc cerebri hæmorrhagia non tantum oppido periculoſa, verum etiam, licet curata fuerit, facile repetit; haud poſtrema medentis cura eo utique dirigenda, quo ejuſdem tam acceſſum, quam recurſum, arceat. Jam recte utique cum *Martiano* & *Ballonio*, ſenſit *Caſp. Hofmannus, lib. III. inſtit. med.* apoplecticos, quotquot ſint, eſſe plethoricos. Ideo, ut ſanguinis redundantia minuatur, danda eſt opera quam maxime. Hunc autem in finem nunquam non utilis ſanguinis miſſio, maximeque illa, quæ circa æquinoctiale inſtitui ſolet tempus, quo ſolennes fere eſſe ſolent ſanguinis & humorum commotiones, naturæque conatus ad eliminandum id, quod eſt in corpore ſuperfluum. Saluti ea propter etiam eſt, vel ipſius *Hippocratis* teſtimonio, hæmorrhoidum fluxus, maxime iis, qui eundem antea jam experti. Sed eundem ſine damno provocare & promovere, eſt utique artis. Nos ad obtinendum hoc, præter frictiones in ano & admiſſos fotus, maxime proficuam cenſemus hirudinum applicationem. Quibus utiliter adjungitur uſus elixirii balſamici, ex aloë correcta, croco, myrrha & ſuccino, cum menſtruo lixivioſo aquoſo, non ſpirituoſo parati, nec non pilularum balſamicarum circumſpecte datarum. Quæ tamen hæmorrhoides movent, minime adhibenda, ſi nulla ad fluxum adeſt diſpoſitio, ſed tum demum, quando emanere, aut parcius fluere incipit, alias, præſente plethora, plus nocent.

Fluxus hæmorrhoidalis, in diſpoſitis, promotio.

§. IX.

Alvus ſolvenda blandioribus.

Dein ad vindicandum ab incurſu hujus mali corpus, maximum utique eſt præſidium in debito alvi ſeceſſu. Etenim generalis fere canon eſt practicus: neminem facile capitis morbos incurrere, ſcui officium rite facit alvus. Interim tamen alvina hæc excretio neutiquam proritanda validioribus draſticis, quæ nerveas inteſtinorum tunicas impetuoſius aggrediendo, ſpaſmos ſuſcitant in iis, & inæqualem ſanguinis circuitum inducunt. Blandioribus potius & naturæ amicis hoc expediendum. Inter quæ commendabilia maxime rhabarbarina cum ſalinis abſtergentibus, nec non pilulæ polychreſtæ ac clyſteres.

§. X.

Caute mercandum cum balſamis & aquis apoplecticis.

Quæ præterea à quibuſdam commendantur aquæ & balſama ſic dicta apoplectica, tam interne uſurpanda, quam exterius temporibus, naribus ac nuchæ inungenda, ad curationem æque ac præſervationem hujus mali, noſtra quidem ſententia, in iis, quibus metus hæmorrhagiæ cerebri, plethoricis, ſanguineis, virilis ætatis perſonis, ſunt potius perquam nociva. De quo grave eſt teſtimonium *Dodonæi Stirp. hiſt. lib. VI.* ita habens: *ubi humorum copia adeſt, præſertim ſanguini permixtorum, non tutus hujus* (ſtillatitii lavendulæ liquoris) *uſus eſt, ſicuti neque compoſitionis, quæ ex ſtillatitio vino, in quo hujuſmodi herbæ, flores, ſeminave & aromata macerata ſunt, conficitur, quam plerique temere & indifferenter exhibent. Nam calidorum hujuſmodi caput implentium uſu, & morbus intenditur, & æger in periculum inducitur.* Tutiora longe infuſa theiformia cum aqua, ex herbis cephalicis, meliſſa maxime, betonica, ſalvia, cum cardamomo minori condita, quæ frequentius ſorbillata, ſanguinis motum æqualem ſervant atque ipſi etiam cerebro nerviſque conducunt.

§. XI.

Sed exacta victus ratio tenenda.

Nulla vero ab omnibus erit exſpectanda incolumitas, niſi ſimul acceſſerit exactum in vita victuque moderamen. Potiſſimum autem ad præſervationem momentum fert quies cum abſtinentia, quo *Celſus* magnos morbos curari perhibet. Quare vitanda ciborum repletio immodica eorumque varietas; vitanda vina dulcia potentia, omniaque inebriantia, valida corporis exercitia, maxime poſt cibum. Neque is qui malum hoc metuit poſt cœnam ſtatim eat cubitum; neque etiam capite nimis declivi cubet. Si aër ita comparatus, ut geneſi hujus mali ſit accommodus, corpus ei non committendum, ſed pedes maxime à frigore defendendi, quandoque etiam pediluvio tepido immittendi, & in conclavi temperate calido manendum. Motus ſubinde inſtituendus eſt placidus, animus liber ſervandus atque tranquillus, ſomnus nec nimis longus, nec nimis brevis ſit. Verbo vitentur omnia, quæ ſupra in cauſarum procatarcticarum numerum relata leguntur.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Balnei calidi Carolinarum uſus valde ſuſpectus.

Comes illuſtriſſimus, fere quinquagenarius, ſanguine ſuccique plenus, aliquot ante annos affectus fuerat aliquoties paralyſi, leviore tamen, cum loquendi difficultate. Inde petiit vicinas ditioni ſuæ Carolinas, iiſdemque uſus eſt tam interius, quam exterius. Sed quum inconſulto id feciſſet medico, neque ſanguinis miſſione, neque alvi purgatione, corpus prius rite præparaſſet, accidit, quum in balneum nimis adhuc calens deſcenderet, ut ſubito ſenſuum tam internorum, quam externorum uſu privaretur omni,

ſequuta

ſequuta mox reſpiratio valde citata, cum convulſivo quodam pectus attollente motu, arteriæ pulſarunt valide cum quadam duritie & facies intenſe rubuit. Secta fuit vena, admotum quoque naribus ſternutatorium, quo vehementior pectoris concuſſio cum ſummo ſtertore inducta. Latus ſiniſtrum totum omnis motus ac ſenſus fuit expers, manus tamen in eo convulſa perpetuo agitata. Mens plane non ſibi conſtitit & intra quinque horas excepit mors. Poſt quam ingens ſanguinis ac ſeri ſanguinolenti copia, per viginti quatuor & longius horas, è naribus manavit.

Epicriſis.

Si ullus thermalium aquarum ad balneum uſus circumſpectionem poſcit ac prudentiam, certe eſt Carolinarum. Harum enim ea indoles, ut terreo calcareo, nec non martiali quo pollent principio, corporis ſuperficiem conſtringant valide & ſanguinem ac humores ad interiora agant. Atque hinc eſt quod œdematoſos pedum tumores abigant cito, ac ubi corpus ſpaſmis obnoxium eſt ſimulque vaſa ſanguine turgent, graves paſſiones, cordis palpitationem vehementem, capitis dolorem acutum, cum virium dejectione & artuum debilitate inducere, quin febrem continuam æque ac intermittentem accendere valent. Ea vero propter etiam non mirandum, quod in illuſtriſſima hac perſona, ſanguine redundante & præſente jam in capite ad humorum ſtagnationem diſpoſitione, uſu inconſulto, ſanguis cum impetu fuerit congeſtus ad caput, ac tam in ipſius interioribus, quam exterioribus vaſa rupta, lethali cum eventu. Id enim luculenter arguit ſanguinolentum illud largum poſt mortem narium profluvium, quod factam in cerebro hæmorrhagiam ſemper prodit. Quod autem ſternutatorio admoto increvit ſpiritus cum ſtertore difficultas, id utique monet medentes, ut in apoplexia ſanguinea parcum eorum quæ ſternutamenta movent & circumſpectum, ſedato prius ſanguinis ad caput impetu, habeant uſum, ne ſanguis majori cum vehementia ad locum cui ſtimulus impreſſus ruat mortemque acceleret.

Observatio II.

Ex purgante acriori recidiva lethalis.

Fœmina generoſa, quinquageſimum ætatis annum agens, conſtitutionis ſanguineæ & texturæ admodum teneræ ac mollis, copioſum ſemper experta fuerat ſanguinis per menſes fluxum. Sed quum is quadrageſimo nono anno ob ætatis rationem retineretur, ipſa de anxietate & anguſtia præcordiorum, inflatione in latere abdominis ſiniſtro, gravitate & flacciditate artuum, vertiginoſo capitis ac gravativo dolore, cum ſomno inquieto & interrupto, graviter cœpit conqueri, licet vultum rubieundum admodum exhiberet. Accedente tandem hyeme, adeo exacerbata fuerunt hæc omnia, ut medici auxilium implorare cogeretur, qui ad diſcutiendos flatus ſalia dedit volatilia oleoſa, itemque carminativas eſſentias, ac præterea porrexit purgantem pulverem, ex reſinæ jalappæ ſcrupulo dimidio ac tartari vitriolati granis ſex. Quo quum ſexies non ſine acerbis torminibus fuiſſet purgata, inſequenti nocte inſultu correpta eſt apoplectico, pulſu tamen & reſpiratione adhuc integra. Secta fuit vena protinus & injectus clyſter acris; quibus ad ſe quidem rediit attonita, ſed ſuperfuit aphonia magnaque capitis debilitas. Hæc ut tolleret & recidivam arceret morbi artifex, obtulit denuo purgantem cum aqua liliorum convallium pulverem, ex reſinæ jalappæ granis XII. & vitriolati tartari granis X. Quo aſſumto, elapſa vix hora, rediit apoplexia & miſeram brevi tempore tradidit morti.

Epicriſis.

Inclinant utique in ſanguineam apoplexiam ſanguineæ fœminæ deſinente menſium fluxu, eaque propter venæ ſectione opus habent quam maxime, ne accedentibus aliis cauſis, in actum erumpat diſpoſitio. Ad quod ſi quicquam aliud efficax, eſt certe uſus purgantium validiorum ac tormina inducentium. Quæ inter merito numeranda funeſtis multis effectibus infamata jalappæ reſina in pulvere data; quippe quæ deglutita in ſtomacho facile coit ac plicis nerveæ inteſtinorum tunicæ adhæreſcens, ſpaſmos ciet ac oppido doloroſas tenſiones, quibus utique ſanguis urgetur ad ſuperiora, ibidemque effectus edit exitiales. Quo magis patet, graviter peccaſſe medicantem, qui accedente poſt oblatum hoc purgans apoplexia leviore, hac remittente, idem obtulit iterum in tanta copia, eoque recidivam induxit graviorem ſimul atque lethalem. Ac licet haud adeo incongrua videri poſſit noxios humores ad inferiora deducendi intentio, clementioribus tamen laxantibus, vel etiam clyſteribus id fuiſſet perficiendum, non iis, quæ inteſtinis ſpaſmos, ex torminibus cognoſcendos, inducunt, eoque ſanguinem ad caput urgendo, ut ibi perrumpat & lethum inferat, faciunt.

Observatio III.

Apoplexia levior, in graviorem & lethalem mutata.

Theologus celeberrimi nominis, quinquageſimum nondum ingreſſus annum, floridæ & ſanguineæ conſtitutionis ac vividi ingenii, ſanus ſemper ac vegetus; ob peculiares quoſdam ejus famæ ac exiſtimationis infeſtos caſus, in impenſam animi perturbationem cum anxio dolore & mœrore conjectus, & valde inquietus ſub parco etiam ſomno, ad levandum animum & ſupprimendam melancholiam, poculis vini, quæ alias etiam amabat, paulo largius ſe ſubinde invitabat. Procedente inde tempore ciborum amittebat appetentiam, & vacillante digeſtione perpetuis fere vexabatur ructibus ſine ullo ex alvo conſtipata prodeunte flatu; labaſcere incipiebant vires, ingenti quoque præcordiorum dolore & anguſtia premebatur, mœſtis ſimul mentem fatigantibus cogitationibus, repentine & inopinato cum omnium ſenſuum amiſſione cecidit in terram, pulſu tamen & reſpiratione manente ſalva; collectis vero intra bihorium, poſt remedia idonea data, paululum viribus, ad ſe rediit, ſed inde de genuum imbecillitate, de torpore & languore dextri lateris, nec non de debilitate memoriæ anxias inſtituebat querelas. Proprio ſuaſu petit Carolinas, non modo ut affectum depulſaret hypochondriacum, ſed itinere & converſatione mœſtabundas animo excuteret afflictiones. Quum ego jam præſens eſſem, enixe meum etiam quæſivit conſilium, ſuaſi ut moderatius biberet temperatiorem illum fontem vulgo *Mühlen-Brunnen*, quo per viginti dies inſigni cum euphoria utebatur. In reditu vero quum celebrem pertranſiret urbem, invitatus ab amicis, lautiſque conviviis exceptus nimium indulſit genio & vini potui. Sub nocturno frigido cœlo in patriam reverſus, de ſpirandi anguſtia

anguſtia & anxietatibus conqueſtus ſumſit diaphoreticos quoſdam pulveres, à quorum uſu purpura rubra in univerſo fere corpore comparere cœpit, conquerenti ſimul de immani capitis dolore medicus in conſilium vocatus venæ ſectionem in pede commendavit. Explorans meam de hoc remedio ſententiam, prorſus eam diſſuaſi ob metum recurſus purpuræ ad interiora. Medico nihilo minus magnum periculum ex neglectu venæ ſectionis prædicente, admiſit eam, quæ in pede ſatis largiter celebrabatur. Non ita multo poſt præcordialis anxietas majora ſumſit incrementa ſub extremorum refrigeratione, & purpura diſparente improviſo vehemens inſultus ſequebatur apoplecticus cum omnium ſenſuum amiſſione, cum ſtertore, pulſu valido & inæquali, facie exiſtente tumida & rubicunda. Quo gravi affectu intra octo horas Vir magnæ doctrinæ & ingenii in meliorem vitam transferebatur.

Epicriſis.

Plura in hac hiſtoria ſunt memoratu digna quæ in uſum pathologico-therapeuticum animadverti poſſunt; ac primum, quod in homine ſanguinei temperamenti, quando mœrori diuturno & gravi adjungitur prava diætæ ratio, inque primis immoderatior vini uſus, ſyſtema nervorum ita infirmari poſſit, ut pathemata formaliter hypochondriaca progignantur, quæ non facile alias in ejuſmodi temperamentum incidunt. Notandum quoque eſt, quod ob diuturnas mentis fatigationes & labores cum mœrore diutius infeſtante conjunctos, tam imbecille reddi poſſit cerebrum nervorumque ſyſtema, ut ad inſultus apoplecticos evadat diſpoſitum. Inſuper noſtro in ægro primus inſultus fuit leviſſimus, à ſolo impetuoſiori ſanguine ex imo ventre ad caput per ſpaſmos obortus, qui venæ ſectione, ſtagnantem in vaſis cerebri ſanguinem reſolvente & divertente, brevi potuiſſet ſubmoveri. Quia vero nullus affectus facilius recurrit, quam apoplecticus, præſertim ſi non accurata & exquiſita vivendi ratione, idoneiſque remediis avertatur; factum hinc eſt, ut poſt uſum Carolinarum, quæ magnum quidem hypochondriacorum præſidium ſunt, minus vero morbis capitis favent, non obſervata accuratiori diæta, gravior dein inſultus ſubſecutus fuerit & quidem in noſtro ægro lethalis, dubio procul, quod à larga venæ ſectione purpuracea materia ad interiora violentia majori converſa, ſpaſmos ſuſcitavit, quibus ſanguis impetuoſius adactus ad caput, tandem intus vaſa diſruperit. Cæterum de apoplexiæ aliis cauſis, ſpeciebus, & obſervationibus huc pertinentibus, in Parte III. *de morbis ex atonia ortis*, fuſius egimus.

SECTIO II.

SECTIO II.

DE

DOLORIBUS ET SPASMIS VARII Generis Internis & Externis, nec non Arthriticis & Rheumaticis.

CAPUT I.

De Dolore Cephalico.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Definitio. DOLOR cephalicus eſt valde moleſta in membranis capitis nervoſis à variis cauſis diſtractis ſuſcitata ſenſatio, quæ pro differenti gradu & loco varia & gravia ſæpius poſt ſe trahit ſymptomata.

§. II.

Sedes dolorum. Dolor diverſa in capite occupat loca, cujus rei nulla alia ſubeſt ratio, quam quod diverſis intra & extra cranium nervoſis membranis illud inſtructum ſit. Extra cranium occurrit tenuis ſed ſatis valida & exquiſitæ ſenſationis membrana, quæ immediate id cingit, & à carotide externa plures accipit in anteriori, media & poſteriori parte arteriolas; ramulos vero nervorum è vertebris colli & pari ſeptimo cerebri. Cohæret autem pericranium cum muſculis cranio vicinis ac per ſuturas cum duræ matris exteriori lamina: in qua membrana frequentiorem certe doloris cephalici ſedem reponimus; quod inter alia, idonea ad leniendum gravem dolorem externe applicata remedia, ſub forma emplaſtri vel epithematis, item ex fonte chirurgico, ſcarificationes, ſetacea, cauteria inuſta & veſicatoria, clare ſatis atque perſpicue demonſtrant. *in pericranio.* Neque tamen excludere hic volumus ipſam quæ caput tegit cutem, præſertim interiorem ejus partem vicinam pericranio, à qua etiam ſeparari poteſt, & quam plura ſanguifera percurrunt vaſa, tunc præcipue doloris ſedem conſtituentem, ubi is magis ſolet eſſe obtuſus, gravativus & preſſorius, cum in pericranio magis ſit acutus. *in cute.*

§. III.

in dura matre. Neque immunis à doloribus eſt interior, quæ cerebrum cingit membrana, ſic dicta dura mater, quæ ex fibris valde tendinoſis & nervoſis contexta atque ex duplici lamina conflata eſt, & à quinto & ſeptimo nervorum pari ramos accipit; arteriolis vero tribus donata: prima oritur à carotide interna, quæ ad anteriorem duræ matris partem abit, ſecunda, à carotide externa, quæ per foramen proprium intrat cranium & ad mediam partem vergit, tertia, à vertebralis internæ ramo externo, quæ per foramen jugularis internæ ingreditur cranium & ad poſteriorem duræ matris partem ſpectat. Rarior quidem ibi dolorum ſedes, ſed multo periculoſior: nam ſi ſanguis in ejus vaſis diu ſtagnat, vel copia aut acrimonia eorum vim motricem valde lædit, quam facile graviorem morbum capitis; atque in acutis phrenitidem vel convulſionem, præſertim ſi dolor ſit pulſatorius; in chronicis morbis paralyſin, hemiplexiam, nec non affectus ſoporoſos poſt ſe trahit.

§. IV.

Reliquæ membranæ ſedem non conſtituunt. Reliquæ tenues illæ membranæ, quæ cerebrum immediate involvunt, utpote pia mater atque arachnoides, quæ poſterior tamen potius externa piæ matris membrana videtur, cellulo-ſum interſtitium efformans per quod vaſa repunt, noſtra quidem ſententia minime moleſtæ ſenſationis ſedem conſtituere videntur, eo quod careant fibris tenſibilibus nervoſis elaſticis, atque etiam nervulorum ramulis ibi non conſpiciendis. *ratio.* Denique membrana valde exilis & ſenſilis, quæ ex tunica pituitaria naſcitur, & ſinus oſſis frontis inveſtit, non raro præbet acutiſſimi doloris domicilium. *Sed tamen membrana pituitaria.*

§. V.

Diſcrimen inter cephalalgiam & cephalæam. Ingens doloris in capite, ratione loci quem occupat, item ratione vehementiæ ac diuturnitatis diſcrimen eſt, quo inde etiam diverſa ab auctoribus ipſi impoſita ſunt nomina. Nam ſi levior eſt, & modo partem capitis afficit, dicitur cephalalgia; ſi diuturnior & gravior, ac totum caput occupat, cephalææ nomen accipit, quam GALENUS ita optime deſcribit: *pr. 3. tr. 2. cap. 35. cephalæa eſt dolor totius capitis diuturnus ægreque ſolubilis, qui à parva occaſione vehementes habet exacerbationes, adeo, ut neque ſtrepitum, neque vocem violentam, neque luminis ſplendorem, neque motum tolerare poſſit patiens, ſed tranquillitatem & obſcurum cubiculum quærat, idque ob doloris vehementiam; quippe alii ſe malleo percuti arbitrantur, alii caput contundi diſtendique ſentiunt, ac paucis ad oculorum radices dolor extenditur: quo in dolore totam capitis membranam vehementer affectam eſſe non dubitamus.*

§. VI.

inter hemicraniam & clavum hyſtericum. Sæpius fit, ut unum tantum latus dolor obſideat, altero ſalvo & ſine dolore; tunc græce hemicrania vocatur. Interdum etiam in certo tantum verticis loco circumſcripto fixus hæret, ita ut vix magnitudine groſſum vel imperialem æquet, mulieribus & quidem hyſtericis familiaris;

liaris; qui clavi nomine insignitur. Quandoque dolor frontem & loca supercilia acutissimus obsidet: alius solum synciput, alius occiput, alius verticem prope futuram, alius tempora magis occupat. Neque una eademque solet esse sensatio: nam alius acutus, pungitivus, lancinans dolor est, alius contusivus, gravativus & pressorius, alius rursus constrictorius, quidam æstuosus & inflammans, alius frigidus est, qualis in mulieribus potissimum verticem ferire solet, ut quasi se glaciem gelidam in ipso gestare conquerantur.

§. VII.

Causa generalis. In genere omnis doloris cephalici causam, à liberiori & æquabili sanguinis per vasa sanguifera, quibus cutis capitis, pericranium, ipsaque dura mater instructa sunt, progressivo & circulari motu impedito, tanquam à fonte derivamus. Nullus certe medicorum exactius, & secundum leges mechanicas, genesin doloris hujus demonstravit, ipso HIPPOCRATE, qui *lib. de flatibus* §. 13. ita rem perbelle exprimit: *sanguinis*, inquit, *transitus in capite magna angustia coarctatur, cujus abundantia ac concluſio dolorem excitat. Sanguis enim ipsa natura calidus existens, vi coactus, per angustam viam transire celerrime non potest, cum multa impedimento sint obstacula & oppilationes; quapropter etiam pulsus circa tempora.* Qui sane locus, Hippocrati non penitus incognitum fuisse sanguinis progressivum motum ex arteriis in venas, satis abundeque declarat: obstacula enim, quæ liberiorem transitum denegant vocat oppilationes, quæ in vasis revehentibus, quia carent impulsu, unde tardior & lentior motus, consistunt. Id quod etiam dissectiones ex gravi cephalæa mortuorum confirmare videntur: nam teste BONETO, WEPFERO, PECHLINO aliisque, sinus cerebri, jugulares etiam internæ & externæ venæ, sanguine mucoso crasso, imo pseudopolypis subinde infarctæ fuerunt repertæ: quod etiam nos in malo epileptico demortuis aliquoties observavimus. Si enim major sanguinis copia ad caput fertur, quam ipsæ venæ eadem celeritate reducere possunt, vasa arteriosa, & inter hæc maxime minima & capillaria, à congesto sanguine valde distenduntur & ipsæ membranæ insigniter tenduntur; qua ratione tristis illa sensatio excitatur.

§. VIII.

Pro conditione sanguinis variæ doloris species enascuntur. Notandum vero hoc loco est, quod pro conditione, intemperie vel vitio sanguinis, si vel nimia copia peccat, vel nimis spissus & glutinosus, vel sero valde acri refertus est, alia etiam atque alia inde doloris species enascatur. Nam quando is impetuose & nimia copia in membranas irruit, quod præcipue de plethoricis & ubi consueta per nares fluxio supprimitur, nec non de adolescentibus valet, dolor totum caput occupare solet; quod tunc calet, tumet, dolet, rubet, vasa turgescunt, fortiter pulsant, præsertim circa jugulum & tempora, nares aridæ & siccæ sunt, fauces ardor & sitis occupat. Talem dolorem veteres à causa calida suscitari dixerunt.

§. IX.

Quando dolor gravativus, obtusus & pressorius? Ubi sanguis in vasis capitis collectus multo scatet & mucido sero, vel ex obstructa aut suppressa, quod sæpius accidit, coryza aut gravedine, dolor in capite oboritur, tunc magis gravativus, obtusus, pressorius, maxime in antica parte atque in fronte esse solet, quandoque etiam caput instar ponderis grave est, ut vix in altum possit elevari. Non raro evenit, ut in ipsius capitis cute, in vertice præsertim, tumores quibus digiti imprimi possunt exsurgant, pulsu interea languido, facieque livida existente. Quod inde à longo jam tempore CELSUS notavit, *lib. IV. cap.* 2. ita differens: *præter hæc invenitur genus doloris, quod potest longum esse, ubi humor cutim inflat, eaque intumescit & prementi digito cedit.* Veteres hujusmodi dolorem à causa frigida deduxerunt.

§. X.

Qualis à lue venerea? Deterior doloris & magis pervicacis species est, qui accidit lue venerea valde affectis, cum materia serosa, acris, caustica firmius pericranio insidet & interdum ipsum cranium cariosum reddens difficillime remediis cedit atque sanescit. Ejusdem generis esse solet is dolor, qui à materia salino-causticæ indolis ad habitum corporis propulsa & postea retrocedente nascitur; uti id in arthritide, podagra, scabie, erysipelate capitis, gutta rosacea laborantibus, sæpius in praxi observavimus. In variolis & morbillis, antequam peccans materia naturæ robore ad extimam cutem propellitur, vel, quod pejus, si repellitur, atrox sæpe cum febre aut delirio, vel in infantibus cum epilepsia, dolor caput torquet; quo casu, ubi materia exigua caustica dolorem efficit, præternaturalis & vehemens membranarum potius strictura, quam earundem distensio, quæ à copia seri & sanguinis magis fit, locum habet. *à materia salina?*

§. XI.

Symptomata doloris acutissimi. Sæpius in capite dolor est acutissimus, fere intolerabilis, fixus & diutius affligens, qualis totius corporis & animi vires pessundat, somnum tollit, concoctionem impedit, nauseam & ciborum fastidium parit, & alios sæpe gravissimos capitis & nervorum morbos, ut sunt vertigo, oculorum caligo & suffusio, cœcitas, aurium tinnitus, convulsio, epilepsia, post se trahit, atque etiam reliquas nervosas corporis partes in consensum trahendo, vomitum, alvi strictu ram, extremorum refrigerationem, faciemque moribundo similem efficit. Id quod à veteribus quoque animadversum videmus. CELSUS enim *lib. IV. cap.* 2. scribit: *cephalææ notæ sunt: horror validus, nervorum resolutio, oculorum caligo, mentis alienatio, vomitus, vocis suppressio, corporis refrigeratio, animæ defectio.*

§. XII.

A quibus causis producantur Ad genesin doloris cephalici quod attinet, considerationem etiam digna est nativa vel à parentibus tracta nervosarum capitis partium imbecillitas; pars enim quo debilior, id est vi tonica & elastica sua naturali valde privata, eo facilius & promtius humorem alienum admittit, recipit ac retinet, atque inde stagnatio, partiumque nervosarum afflictio contingit. Novimus sæpius cephalalgiam hæreditariam, à parentibus debili capitis constitutione præditis acceptam; vidimus etiam à diuturno animi mœrore, à præpostera Venere, à nimiis lucubrationibus & mentis fatigationibus, item à nimis crebra sanguinis missione, vel effrenibus hæmorrhagiis caput ita debilitatum fuisse, ut graves inde dolores, nec non alii, qui vehementer caput infestant morbi, exorti fuerint.

§. XIII.

Causa remota quoque frigus.

Neque ex classe causarum, quæ vocantur remotæ, excludi debet frigus, quod uti omnibus nervosis partibus, si jam dolore premuntur, infestum est, & liberam transpirationem per cutim impedit: ita maxime nocet, si capiti denudato admittitur, vel si id non satis contra nocturnum frigus fuerit munitum, vel etiam, si à longo sermone vel motu corporis nimio, aut à sole, aut ab ira, vel ab ingestis largius potibus spirituosis & inebriantibus incalescens pluvioso cœlo, nocturno præsertim, repente exponitur.

§. XIV.

Cephalalgia symptomatica.

Memorandum id quoque est, cephalalgiam sæpius tantummodo esse symptoma, quod morbo demum accedit. Ita frequentius febribus continuis, intermittentibus quoque, & inter has maxime quartanæ jungitur: atque vix quicquam in praxi crebrius occurrit, quam quod mensibus inordinate prodeuntibus vel imminentibus, caput doleat gravissime; spasticæ videlicet dum ex imo ventre strictura, in caput suum effectum exerunt. Digestionis vitio & affectu sic dicto hypochondriaco laborantibus frequenter associatur: nam si prima regio vitiosorum humorum colluvie scatet, & inde oborientes spasmi ac flatus, humores ad caput plus justo urgent, nimia eorum congestio, vasorum distensiones, à quibus

it. hemicrania.

tunicarum nervosarum læsio fit, parit. Constat etiam hemicraniæ causam, à stomachi vitio frequentius oriri, dum hoc non bene coquente, multæ generantur cruditates, quæ cum succo ciborum chylosо permixtæ, per thoracicum ductum ad cor adductæ, ac protinus ad caput delatæ, antequam per congrua corporis emunctoria expurgatæ fuerint, dolores periodicos efficiunt; qui absoluta digestione ut plurimum invadunt.

§. XV.

Puerilis ætas, quare cephalalgiæ obnoxia?

Observamus porro ætatem puerilem valde doloribus esse obnoxiam, tum quod in hac ætate minus exacta servatur diæta & ventriculus cibis dulcibus, fructibus horæis, placentis ac lacticiniis oneratur; tum quod etiam vermes, quibus gignendis pueri peropportuni sunt, causam hujus mali præbent, dum putres & corrupti humores ad caput cum chylo delati, membranis motricibus elasticis tonum & robur naturale auferunt. Sciendum quoque est, non semper & continenter dolorem hunc cruciare, sed diluci-

Interdum remittit dolor.

da sua ac definita interdum habere intervalla, ut magno ægrorum solatio subindè remittat, & ad notabile etiam tempus ægros deserat, qui certis tamen postea horis, diebus, imo mensibus & annis revertitur: certo tunc indicio, causam magis in remotis partibus, maxime omnium in ventriculo ac visceribus imi ventris hærere; quorum vitio sanguinis liber progressus per universum corpus, maxime per caput, ubi impeditur, dolor excitatur: quod inprimis in viris, qui fluxui hæmorrhoidali sunt vel fuerunt obnoxii, vel malo hypochondriaco affecti, observavimus.

§. XVI.

Prognosis.

Neque semper sine periculo cephalalgia est: nam si causa doloris magis intra cranium inque membranis cerebri consistit, sique dolor vehemens & assiduus cum febre excruciat & som-

num pæne omnem adimit, phrenitidem non raro prænunciat; si vero subito in hypochondriacis vel in melancholiam pronis, præsertim graviori animi affectu præcedente oritur, & somnum atque appetentiam aufert, ac cum auditus difficultate vasorumque interna pulsatione jungitur, hæc vero cuncta sine febre fiunt; furorem præsagit. Ubi vero subitum & peracutum in capite dolorem aurium tinnitus, difficilis incessus, genuum imbecillitas, & impeditus tardusque sermo sequitur, signum est futuri morbi attoniti vel etiam hemiplexiæ; qui tamen magis in opposito latere quam in affecto excruciat, dum hoc percipiendo dolori non amplius par est. Neque prætermittendum esse censeo, quod in adolescentibus & junioribus, frequentiores cephalalgiæ, futuræ arthritidis vel podagræ indicium præbeant.

INDICATIONES CURATORIÆ.

§. I.

Indicationes quatuor.

Quod attinet ad curationem hujus mali, cum variæ ejus sint causæ, probe eæ debent discerni, quia eisdem removendis, omnis medendi ratio superstructa esse debet. In genere tamen omnes scopi hunc morbum curandi, sequentibus absolvuntur indicationibus. Primo sanguis & humores impetuose ad caput congesti si fuerint, partim ad loca ignobiliora derivandi, partim idoneis remediis discutiendi sunt. Secundo strictura membranarum capitis spasticæ, quarum causa plerumque est acris caustica materia, relaxandæ sunt, ut liberius fluida, quorum cursus per has impeditus fuit, nunc progredi possint. Tertio causa materialis vitiosa, peccans intemperie, temperanda & per convenientia emunctoria placide subducenda. Tandem ad avertendas recidivas, capiti & toti nervorum systemati idoneis remediis præsertim accurato diætæ & vitæ regimine robur conciliandum.

§. II.

Quando venæ sectio conferat.

Si causa doloris est nimius ex inferioribus locis ad caput per spasmos appulsus & irruens sanguis, non facile præsentius auxilium quam in ejus missione positum erit, quæ in locis non procul à parte affecta, melioris derivationis causa instituenda est, videlicet sub lingua aut in fronte, vel venæ jugularis externæ incisione, aut hirudinum pone aures applicatione: hac tamen adhibita observatione, ut si corpus nimis turgeat sanguine, primo vena circa pedum talos pertundatur, postea sequente vel secundo die vena circa caput aperiri potest. Consultum quoque judicamus, ante sanguinis detractionem, alvum sordibus deplere, quod commode & insigni cum levamine clysteribus fieri potest domesticis, vel etiam per infusum mannatum & rhabarbarinum, adjecto sale quodam aperitivo, ut cremore tartari, vel sale Sedlizensi.

§. III.

Quibus orgasmus secundus.

Ad compescendum vero nimium sanguinis abundantis & ebullientis orgasmum, mixturam blande diapnoicam & temperantem, ex aqua florum tiliæ, liliorum convallium, sambuci, cerasorum nigrorum, antimonio diaphoretico, nitro purificato, cornu cervi usto, cinnabari & syrupo papaveris albi compositam, dare expedit. Externe vero epithema discutiens & temperans

fronti & capiti cum linteo duplicato eſt applicandum, cujus formula hæc eſſe poteſt: Recipe aceti roſacei, rutacei ana unciam & dimidiam, ſpiritus roſarum drachmas duas in quo camphoræ grana ſex ſoluta, nitri purificati ſcrupulos duos, olei ligni Rhodii guttas quindecim: vel ſequens emulſio cum fructu uſurpari poterit. Recipe nucleorum Perſicorum, amygdalarum amararum ana unciam dimidiam, ſeminis papaveris albi drachmas duas, aquæ roſarum, florum ſambuci, ceraſorum nigrorum ana uncias duas. Fiat emulſio: adde nitri drachmam dimidiam, camphoræ in oleo amygdalarum dulcium ſolutæ grana quinque. M. D.

§. IV.

Quid faciendum ſi à ſero viſcido dolor oritur.

Alia vero medendi ratione opus eſt, ſi à ſeri viſcidi & vitioſi intra vel extra cranii membranarum vaſa ſtagnantis copia, dolor cum torpore & gravitate ſæpe valde diuturnus innaſcitur, ubi nec ſanguinis miſſiones, nec leniora laxantia quicquam efficaciter præſtare poſſunt, ſed tum dare convenit paulo valentiora, quæ craſſos glutinoſos humores diſſolvendi & ſimul per alvum expellendi facultate pollent. Id quod utrumque egregie præſtant, quæ ſequuntur pilulæ: Recipe gummi ammoniaci depurati, ſagapeni, myrrhæ electæ, aloës roſatæ, extracti hellebori nigri, reſinæ jalappæ, mercurii dulcis, cinnabaris præparatæ ana drachmam dimidiam, extracti croci, pulveris caſtorei, ſalis ſuccini ana grana XV. M. F. Pil. ex ſcrupulo numero XII. quorum ſex veſperi, & ſex poſtero die mane ſumi poſſunt; quo tempore etiam ab omni cibo abſtinendum & tenuia tantum juſcula ægro præbenda ſunt: tribus vero diebus exactis, idem repeti poteſt remedium. Vacuata ſic ſufficienter vitioſi ſeri copia, medicina utendum eſt tonica roborante & ſimul diuretica; quo fine ego multoties mixturam, quæ ex tincturæ antimonii acris partibus quatuor, eſſentiæ ſuccini & ſpiritus bezoardici Buſſii, vel tartari & liquoris noſtri anodyni mineralis, ſingulorum partibus duabus erat compoſita, ſummo cum fructu expertus ſum; cujus uſus, doſin bis vel ter de die ſumendo, per ſeptimanam & ultra continuari poteſt. Nam quæ fibras torpidas roborando earum vim motricem elaſticam excitant, ſimulque urinæ fluxum promovent, ea in hac cephalalgiæ ſpecie, quæ ab extravaſato ſero intra cutim & cranium, vel etiam in ipſo cerebro oritur, valde proficua obſervavimus. Præter hæc autem cum CELSO, laborem & exercitationem uſque ad ſudorem, vehementem fricationem, & cibos ac potiones quæ urinam movent, in tali doloris genere commendamus.

§. V.

Adhibenda externa prioribus in caſſum adhibitis.

Si his in uſum vocatis dolor non diſcutitur, confugiendum etiam ad externa, inter quæ veſicatoria virtutis ſunt expertiſſimæ, quia pernitioſo ſtagnanti humori exitum concedunt. Nos in uſu habemus emplaſtrum meliloti, cujus uncia cum drachma cantharidum miſceatur, adjectis granis aliquot camphoræ. Hoc magnitudine thaleri nuchæ applicari, & poſtea renovando illud, per longum tempus continuari poteſt; quod ſine ullo incommodo inſignem ſeroſi humoris copiam fundit. In malo graviori autem & ubi à ſero ſub cute capitis ſtagnante, tumor viſu, nec non ex dolore tactu cognoſcitur, B. WEPFERUS toti raſo capiti emplaſtrum veſicatorium, inſtar cucuphæ impoſuit, cujus effectus hic fuit, ut ſine obortis veſicis magnam ſeri viſcidi ſubtraxerit copiam: quod remedii genus jam tum ab ipſo RIVERIO, vide *ejus obſervat.* in pertinaci capitis dolore, ſummo cum fructu uſurpatum fuiſſe animadvertimus.

§. VI.

In dolore fixo qui conferas?

Interdum fit, ut præter conſuetudinem intenſus dolor, certum duntaxat locum occupet, à materia fixius & paulo profundius membranis inhærente, oriundus; quo caſu medicus Gallus cum prudentia doctus & in obſervatione curioſus CHESNEAU, vide *ejus obſervationes*, miraculoſum plane herbæ ranunculi pratenſis impoſitæ veſicantem effectum, non ſatis prædicare poteſt: de cujus herbæ ſpecie ſcribit, quod foliis anemonæ aſſimuletur, & maſticata linguam mordeat quam maxime; hujus folia in mortario marmoreo contuſa, & ſimul emplaſtro perforato appoſito, parti applicare jubet. Videtur hæc herba autem haud diſſimilem cum moxa poſſidere effectum, quæ etiam in ejuſmodi dolore à medicorum peritiſſimis magnopere æſtimatur. Ego rebus ſic ſtantibus, felici aliquoties cum ſucceſſu, raſæ prius quam occupavit dolor parti, ſiccum ſal volatile ſalis ammoniaci, cum æquali parte pulveris ſinapi mixtum imponi juſſi, eo quod paulo fortiorem diſcuſſionem, tam profunde inhærens vitioſus humor requirat.

§. VII.

Quid in gravatione?

Ubi vero dolor à ſuppreſſa coryza, ſive à muco, intra narium concamerationes & ſinus, detento oritur, expedit crebro, ſal quod vocatur Anglicanum, & nihil aliud eſt, quam ſal volatile ſiccum ſalis ammoniaci, cum oleo cephalico, ut lavendulæ vel majoranæ exaltatum, naribus admovere, vel etiam errhinum pulverem leniter ſternutationem moventem, qui ex herba majoranæ, betonicæ, maro vero, floribus benzoës & pulvere caryophyllorum concinnatur, ad interiora narium admittere.

§. VIII.

Quomodo tractandus qui ſit à ſero & ſanguine corrupto?

Quod ſi vero cauſa chronici & immanis doloris, in valde corrupti ſeri & ſanguinis maſſa, ut fit in lue Gallica & ſcorbutica, fundamentum ſuum habet, tunc utique neceſſarium eſt, congruis & ſpecificis remediis hiſce morbis ſanandis accommodatis cauſam morbi aggredi; quo faciunt quam maxime lignorum decocta cum antimonio crudo, ſi prius humores corrupti per alvum probe, per ejuſmodi quas jam ſupra dedimus pilulas, excluſi fuerint. Multum etiam tunc ex diæteticis confert abſtinentia ſive inedia per unum vel alterum diem, nec non labor & exercitatio corporis ad ſudorem uſque. Utile quoque eſt, in pertinaci tali morbo, ab impuro qui naſcitur ſero, per medicinam, ſudorem provocare: cui ſcopo egregie ſequens pulvis ſatisfacit. Recipe cinnabaris nativæ præparatæ, ceruſſæ antimonii ſive bezoardici mineralis, ſalis volatilis viperarum vel cornu cervi, nitri purificati, ſingulorum grana X. camphoræ granum dimidium, pro doſi, deſuper bibendo decoctum ſanguinem purificans.

§. X.

Quid in hemicrania proficias.

Hemicrania & præſertim periodica, cauſam latentem ut plurimum prima in regione habet, quando ventriculus cum annexo duodeno, vitioſa humorum colluvie refertus eſt, quam leniori-

ribus

ribus tunc emeticis evacuare proficit : alvum quoque ducere, & per inferiora ſordes expurgare, noxiumque humorem à capite derivare, interdum valde eſt neceſſarium; id quod optime, per pilulas polychreſtas balſamicas, fieri poteſt. Poſtea elixiria ſtomachica, tonum ventriculi & inteſtinorum roborantia, ſunt ſubjungenda. Si vero ab inordinato menſium vel hæmorrhoidum fluxu, cauſa doloris naſcitur, remediis quæ ſalutares excretiones in juſtum & convenientem ordinem redigunt, prudenter eſt utendum.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Quomodo & quando dolor leniendus.

Abſoluta ſic doloris cephalici cura, quaſdam neceſſarias adhuc cautelas & obſervationes ad eam ſpectantes ſubjicere haud erit inutile. Quandocunque dirus & acutus dolor, præſertim qui conſiſtit in ſyncipite & ſinubus frontalibus, tanta vi pollet, ut vires mirum in modum frangendo, vitæ diſcrimen minetur, ablatio cauſæ morbi minime erit prius exſpectanda, ſed ægro potius primo omnium levamen quoddam afferendum eſt; eo quod viribus amiſſis, medicus fruſtra ſemper laboret. Quin imo ipſa doloris acerbitas ſæpe tanta eſt, ut graviora ſymptomata, vigiliam aſſiduam, animi deliquia, febrem, inflammationem mentiſque alienationem accerſere poſſit. Erunt ergo tum remedia interna, tum externa, ad dolorem levandum primario dirigenda. Ego vero ex internis, primas utique partes maſſæ pilularum Wildeganſii, quando cum cinnabari nativa miſcetur, nec non pilulis Starckii deferre ſoleo. Prius vero ſemper ante uſum anodynorum enemate venter ſubducendus eſt. Inter externa nec tutius, nec virtute præſtantius invenimus remedium, quam linimentum ſpiſſius ex ſequentibus ingredientibus, ſub tali forma paratum. Sumitur nempe olei nucis moſchatæ expreſſi uncia dimidia, reſinæ ſtyracis, reſinæ corticis thymiamatis æquali pondere drachma, extracti croci, balſami Peruviani, utriuſque drachma dimidia, olei ligni Rhodii guttæ XII. M. linimentum fiat ſpiſſius, quod corio inductum, magnitudine imperialis, temporibus applicetur. Sedato doloris impetu per interne & externe adhibita anodyna, lene catharticum propinare juvat : poſtea ad alia, cauſam morbi penitus pro ejus conditione & natura per congrua remedia removendi, medicus confugere debet.

Si dolor ab humore extravaſato, vel in ſinubus frontis hæret

Quando dolor acutiſſimus vixque tolerabilis, cavernis narium, ſinubuſque oſſeis capitis diutius infixus hæret, qui ab exigua ſanguinis vel humoris extravaſati quantitate, ſub membrana hos ſinus tegente, producitur, ſedare non modo, per jam dicta remedia, doloris atrociam convenit, ſed & laborandum eſt, ut ſanguinis appulſus, ſub quo dolor augetur, minuatur; quod commodiſſime more Ægyptiacorum medicorum ſcarificatione facta in naribus, fieri poteſt, vel compendioſiori modo, ſi ſtraminis paulo durioris portio valide & ſubito naribus intrudatur, ut ſanguinis inde ſequatur profluvium.

§. II.

vel ſub membrana pericranii.

Si vero ſub membrana pericranii extravaſatus, mordax & acris humor incluſus, os incipit carioſum reddere, tum omnibus aliis in caſſum applicatis ad inciſionem accedendum eſt, quæ uti in paronychia ex ſimili fere cauſa orta, ita hic mirabile ferme adfert auxilium. Si vero jam caries ad diploën ipſamque lamellam inferiorem cranii penetraverit, unicum auxilium in trepanatione provide erit reponendum.

§. III.

Cura enemate incipienda.

Porro in genere ſciendum eſt, in omni, à quacunque etiam cauſa proficiſcatur, dolore cephalico, initium curationis ab injectione enematis, item à venæ ſectione, ſi plethora id exigit, faciendum eſſe, ita tamen ut alvi apertio huic præcedat. Poſtea de aliorum congruorum remediorum tam internorum quam externorum uſu erit decernendum. Sæpius plethora ſoluta, ad meliorem derivationem cauſæ peccantis à parte affecta, frontis venam aperire expedit. Et tunc Clariſſimi HEURNII monitum, quod *notis in aph. 68.* HIPPOCRATIS, *Sect. V.* inſinuat, dignum utique obſervatione eſt. Suadet nempe, *ante ſectionem, ut vinculum collo injiciatur, quo intumeſcat hæc vena, quæ oblique erit ſecanda, cavendo diligenter ne lædatur tunica pericranii.*

§. IV.

Arteriotomia.

Arteriotomiam in temporibus celebrandam, præſentaneam & pene mirandam, ceteris omnibus inaniter adhibitis, ſæpius opem ferre & lenimen, probatiſſimorum medicorum fide conſtat. Neque ego, quanquam nunquam hoc remedio uſus ſum, detrahere illi quicquam volo. Ita vero de hoc exiſtimo, quod ſi ſanguis ex ramo venæ jugularis externo aperto extrahatur, longe melius retardatum circularem ſanguinis motum in capite reſtitui, humoremque ſubſiſtentem vel extravaſatum, à quo pendet dolor, felicius dimoveri & excludi poſſe; dum videlicet ſanguis arterioſus, majori ut antea celeritate in ſpatium venæ ab extractione ſanguinis evacuatum fertur. Si vero, ex conſilio & deliberatione medicorum, temporalis vena pertundi debet, tunc optime hæc operatio juxta aurem prope articulationem mandibulæ, ubi periculo vacat, celebranda erit.

§. V.

Pediluvia.

In omni dolore, ubi vires non ferunt ſanguinis detractionem, neque ejus ſatis eſt, pediluvia, quæ nunquam non in hoc affectu utilia, modo ſint temperatiora, ad divertendum ſanguinis & humorum motum ad partes infernas, cum fructu adhiberi poſſunt; neque pedum frictiones paulo aſperiores cum pannis ſunt improbandæ; nec rubefacientia, ut taleoli raphani ruſticani cum ſale mixti pedibus imponendi, uſu ſuo deſtituuntur.

§. VI.

Cautelæ circa epithemata.

Circa epithemata actu frigida tenendum hoc eſt, quod cum ſumma circumſpectione applicanda ſint. Proſtant enim exempla nobis etiam cognita eorum, qui in febribus præſertim exanthematicis, variolis, morbillis, purpura, ubi natura per extremam cutim peccantem materiam ſub ſpecie halituum non ſine fructu excludere nititur, per crebrius in dolore capitis applicata frigidiora epithemata, in cœcitatem ad dies vitæ durantem, in epiphoras quoque ac ſuffuſiones oculorum ſunt præcipitati. Neque etiam ſemper confert in hoc dolore profligando, pluribus & variis topicis uti, quorum applicatio interdum plus periculi habet, plus etiam prudentiæ à

medico desiderat, quam internorum usus. Neque omnia, omnibus æque salutariter conveniunt: nam quæ alius ferre potest, ea alteri incommodant.

§. VII.

In paroxysmo. In ipso paroxysmo ad atrocem dolorem mulcendum, non una sed pluribus vicibus, insignem efficaciam à liquore nostro anodyno minerali, aliquot guttulis ejus, saccharo in pulverem redacto instillatis & in os sumtis, experti sumus. *extra eum.* Extra paroxysmum ad roborandum caput, vel etiam ut illud à recursu mali vindicetur, balsamo nostro analeptico quod vitale audit, si vel exterius temporibus aut vertici applicetur, aut naribus modeste hauriatur, vel ejus aliquot guttulæ saccharo instillatæ cum infuso Theiformi sumantur, peculiares plane, non sine ratione & experientia, virtutes & laudes tribuimus.

§. VIII.

In orgasmo sanguinis non evacuandum. Quandocunque nimium ebulliens & variis de causis in motum concitatiorem actus sanguis, doloris originem præbet, neutiquam purgantia vel evacuantia, sed potius refrigerantia & temperantia locum inveniunt: quo ego nomine plurimum solius aquæ frigidæ potui atque nitrosis tribuere soleo. Et certe in hac re non est de nihilo, eximium nostri HIPPOCRATIS monitum, qui *libr. de ratione victus in morb. acutis*, sic scribit: *Animadvertere oportet in iis quibus caput, vel ob exercitationes vel cursus, vel iter, venationem, vel alium quendam intempestivum laborem dolet; horum quidem nullos purgaveris.* Vult enim præclarus senex, ubi ex calore vel sanguinis fervore oboriatur dolor, purgantibus uti nos non debere.

§. IX.

Cephalæa hypochondriacorum. Sæpe fit, ut melancholiæ hypochondriacæ cephalæa conjungatur cum digestione depravata, macie corporis, timore & vultus colore vitiato: quo in casu venarum sectio, balnea aquæ dulcis, conveniens motus corporis, aquarum medicarum prudens usus, juscula medicata præsertim quæ fiunt cum succo cichorei, serum lactis caprini chalybeatum, nec non cichoreatum ceteris omnibus palmam facile dubiam reddunt.

METHODUS PRÆSERVATORIA.

Uti in omnibus capitis affectibus, ita etiam in dolore ejus hanc vivendi rationem suadet MERCURIALIS. *Consultat. Tom. I. p.* 140. *Consult.* 107. cujus integrum textum methodi præservatoriæ loco hic inserere minime tædet. *Aërem*, enim inquit, *inclementem & insuetum quantum fieri potest aut vites aut integumentis & cubiculis arceas, somno moderate utaris, nec unquam nisi duabus post cibum horis: capite semper elevato dormias: corpus & animum ita exercere oportet ne alterum ab altero labore vel otio vincatur. Neve curæ nimiæ, nimiæque cogitationes & studia calorem nativum hebetent. Alvum præ ceteris lubricam, nisi ita sit, quantum fieri potest serves; siquidem nihil est quod perinde caput afficiat & subinde vertiginosis affectibus occasionem præbeat, ac fæces in intestinis diu retentæ. Jam vero repletiones & crapulæ, quas interdum istarum plagarum habitatores, etiam si peregrini sint, committere coguntur maxime omnium tibi inimicæ sint: & idcirco eas ac vinorum generosorum assiduos potus fugias necesse est. Cibi omnes crassi, pingues, flatulenti, cujusmodi legumina & olera, pisces ac fercula multis aromatibus conferta, qualibus gens germana uti solet, nisi à te vitentur, ne mala tua in dies augeantur metuendum est.*

ENARRATIONES MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Contumax capitis dolor injuvene hypochondriacus ex repletione vini Rhenani sulphure infecti, curatus.

Studiosus viginti & aliquot annorum gracilis & tenerioris habitus, à studiorum intemperantia & nimiis lucubrationibus, dispositionem sibi contraxit hypochondriacam, cum digestione ciborum vitiata, alvi strictura, spasmis, flatulentiis, subinde etiam capitis dolore junctam. Invitatus ab amicis in convivium, magna & insolita vini Rhenani sed sulphuris fumo valde infecti copia se replevit, & ebrius factus. Ex hoc tempore gravi & continuo capitis dolore correptus fuit, qui tamen sinistrum maxime latus occupabat, ejusque anticam cum primis partem, frontem, oculum, aurem & dentes ejusdem lateris vehementer interdum stringebat ac obtundebat. Sub notabili vero tempestatis mutatione vel sub profundiori paulo mentis meditatione adeo increscebat, ut vires, somnum, appetentiamque prorsus fere adimeret. Suaserunt medici crebras venæ sectiones, alvus sæpius polychrestis pilulis subducta, & cephalica tam interne quam externe, neque minus stomachica adhibita, sed citra optatum successum. Ego potius, cum consilium à me peteret, dissuasi ulteriorem sanguinis missionem & medicamentorum frequentem usum. Pediluvia vero & pedum frictiones cum pannis asperis, neque minus caput crebrius perfricandum commendavi, atque ut illud & pedes in æquabili & temperato calore ac transpiratione contineret, maneque quotidie in lecto infusum Theiforme ex herba meliss, salviæ, veronicæ & semine fœniculi assumeret, blandum sudorem exspectando, auctor fui. Pro potu ordinario, loco cerevisiæ, decoctum ordinavi ex speciebus temperatis. Deinceps balsamo nostro liquido vitali sæpe inunctæ, ubi dolor nimis urgebat, nares, nucha, tempora. Quorum remediorum ope insigne levamen æger expertus est.

Epicrisis.

Dici vix potest, quam inimicum nervosis capitis partibus sit vinum sulphuratum. Et sicut vinum præsertim potens & generosum, inque specie vina dulcia ad capitis morbos: ita multo magis quodvis infesto sulphuris vapore refertum vel adulteratum disponit. Sulphuris enim particulæ dum altius se se insinuant membranarum poris in strictura eas adigunt. Vinum vero rarefaciendo sanguinem nimiam fibrarum nervosarum & vasorum efficit expansionem & distractionem: unde dolor oritur. Quod si vero semel & iterum solidis nervosis partibus inducta fuerit ingens infirmitas & earum vis motrix elastica naturalis læsa, affectiones quæ inde prodeunt præternaturales, ex facili causa, in iisdem partibus recurrunt. Deinceps observari quoque velim, in nulla corporis parte nervosas & sensu præditas membranas facilius lædi quam in capite, eo quod liberiori aëris accessui sunt expositæ. Quantam autem vim subitæ aëris & tempestatum mutationes, præsertim quæ ab uno extremo ad alterum vergunt, in mutando & lædendo nervosarum partium tono & ela-

& elatere habeant ; id dolores , ſpaſmi , convulſiones & aliæ partium nervoſarum præternaturales affectiones , quæ inde ingraveſcunt , oſtendunt luculentiſſime. Liquor noſter balſamicus ex ſinceris non adulteratis & temperatis oleis cephalicis confectus , infirmitati nervoſarum partium , exterius præſertim ſi applicetur , mirifice opitulatur ; niſi corpus admodum plethoricum ſit , & natura prorſus à ſuaveolentibus abhorreat.

Observatio II.

Cephalalgia pertinax , cum oculorum ardente & dolorifica defluxione juncta , in perſona diæta vinoſæ dedita ; curata.

Perſona quædam ſplendida annum jam ætatis quadrageſimum & tertium agens , validæ à natura conſtitutionis , à prima ſtatim adoleſcentia largiori vini potui aſſueta , cui etiam in hunc uſque diem nimium indulget , ſub tempeſtate valde ventoſa , humida & frigida , per aliquot ſeptimanas venationibus incumbens , non modo defluxione acri , ſalſa , dolorifica & ardente in utroque oculo , ſed & gravi & pertinaci cephalalgia cum cutis capitis tumore juncta corripitur. In conſilium & ego quoque accitus , fontem Selteranum vino intermiſcendum & veſicatorium noſtra methodo præparatum nuchæ applicandum ſuaſi ; acidulæ quoque Egranæ cum decenti regimine fuerunt uſurpatæ : & dolor inde valde miteſcebat. Balſamo vero vitæ cum inungeretur caput , materia ichoroſa , qualis ex ulceribus prodit , copioſe effluxit : cucupha quoque ex ſpeciebus balſamicis & cephalicis temperatis ad roborandum caput geſtata fuit. Qua ratione atrox ille dolor penitus ſublatus eſt.

Epicriſis.

In genere hoc attendi velim , eos qui pocula amant & fere quotidie ſe immergunt vino , ex tranſpiratione , qua difflari debent partes nimis calidæ & ſulphureæ , per auram frigidiorem admiſſam cohibita , graves in capitis morbos & dolores frequentius incurrere , quia in nullo corporis loco immediate & proxime magis quam in capite , præſertim ſi illud non ſatis tegumentis munitum ſit , tonus vaſorum & tunicarum nervearum à vento frigido penetrante læditur. Veſicatoria rite & paulo diutius applicata , ubi materia in partibus capitis externis vitioſa reſidet , eximiam ſolent opem etiam in acribus ſalſis & calidis oculorum defluxionibus præſtare. Ceterum in ejuſmodi morbis , qui à diſcraſia calida & ſulphurea ſanguinis , qualis ab exſuperante vini potu & cuticulari perſpiratione prohibita naſcitur , aquea diluentia , acidulæ , imo aqua ſimplex loco potus ordinarii magno & efficaci ſunt præſidio.

Observatio III.

Immanis cephalalgia cum auditus difficultate & tinnitu, ex neglecta venæ ſectione ſanguinis miſſione & hydropoſia curata.

Juvenis ſpongioſi habitus & ſanguineæ complexionis , à longo hinc tempore narium hæmorrhagiis obnoxius , ob paulo validiora corporis exercitia nimiumque veneris uſum & potum largiorem , frequentiores & largiores eas paſſus eſt : ad quas minuendas & compeſcendas ter ſinguli annis admiſit in pede venæ ſectionem. Poſtea vero eam conſueto tempore ſemel omiſit vel potius neglexit. Hinc immani corripitur cephalalgia cum auditus difficultate & tinnitu , caput totum rubore intumeſcit. Venæ ſectio inſtituitur in pede & multum ſanguinis extrahitur. Mitigatur inde quidem dolor ; neque tamen ſedem ſuam penitus relinquere voluit , donec ſtramine paulo duriori naribus intruſo largius ſanguinis ex iis ſtillicidium fuerit procuratum. Inde dolores mitigati fuerunt mirum in modum. Sed cum à ſupra memoratis cauſis ex facili dolores recurrerent , nec ſola venæ ſectio iis abigendis ſufficeret ; & quietam vitam & hydropoſiam nec non ſerum lactis acidulatum frequentius bibendum commendavi , interpolato quandoque pulverum nitroſorum uſu. Quibus ex toto integram valetudinem conſecutus eſt.

Epicriſis.

A ſola plethora in junioribus nares crebrius fundere ſanguinem , ſique hoc non accidit , capitis ægritudines inque primis cephalalgias ſequi , per crebram experientiam certiſſimum eſt. Quos morbos ſi natura non ſponte per narium hæmorrhagias ſolvit , medicus id arte præſtare debet evacuando ſanguinem ex venis non procul à capite diſſitis , inciſione venarum jugularium externarum vel quæ ſub lingua poſitæ ſunt ; meliori vero adhuc ſucceſſu per ſcarificationem in naribus vel apertionem venæ idoneo inſtrumento factam ; non neglecta tamen ſed probe obſervata hac cautela , quod videlicet , ſi nimia adſit ſanguinis exundantia , conſultius ſit , in diſſito loco à parte affecta ſanguinis miſſionem prius inſtituere , & poſtea non procul à morboſa parte ; quia dato exitu ſanguis ex partibus inferioribus ſpaſmo ſubinde affectis ſæpius cum impetu in læſam partem ruit , non ſine gravioris mali metu. In tali cephalalgiæ ſpecie topica , volatilia & ſuaveolentia calidiora fugienda eſſe cenſemus : ſed præſtat epithematibus paulo frigidioribus ſanguinem ebullientem reprimere , quod tamen etiam adhibita prudentia fieri debet , præmiſſa videlicet venæ ſectione , pediluviis , & alvi ſegnis per clyſteres decenti ſubductione.

Observatio IV.

Rheumatica cephalalgia , in ſacerdote hypochondriaco , Carolinis curata.

Vir quinquagenarius ſacerdotali munere fungens ſtudiis & meditationibus nimium indulgens , ex prava inde ſequuta digeſtione & ventriculi infirmitate , crebrius catarrhoſis defluxionibus , odontalgiis & cephalalgiis obnoxius fit : quæ tamen pathemata , cum plane abſtineret à prandio , ſumta tantum cœna multum decreverunt. Poſtea vero dolores à capite uſque ad colli & thoracis dextrum latus valde moleſti exporrecti ſunt , diutius perſeverantes. Quibus removendis varia à variis præſcripta ſunt remediorum genera , atque inter hæc interne eſſentiæ & elixiria cephalica , pulveres cinnabarini , fonticulus quoque nuchæ & brachio dextro inuſtus , celebrata venæ ſectio , externe affectæ partes oleis penetrantibus inunctæ : ſed ſine levamine. Scripſit ad me hiſtoriam , adjiciens , quod nares tenacem albicantem mucum ſed exili in copia fundant , & ſenſum ſe ponderoſi ſaxi in ſiniſtra capitis parte percipere : caput vix ſine dolore inclinari vel verti poſſe , ita ut linguæ etiam uſus valde difficilis ſit ; colli quoque glandulas comparere tumidas. Addidit quod ante biennium febris tertiana ipſum corripuerit , quæ , poſtquam materia largiter è pectore excreta fuit , levamen quoddam attulit. Mentionem quoque fecit doloris circa ventriculi regionem atque inflationis in hypochondriis. Dedi conſilium ut thermas Carolinas adiret & ſecundum præſcriptum à me regimen per menſem & ultra iis uteretur : injunxi demum

accuratum vitæ inſtitutum cum motu corporis ſufficiente & animi quiete; ſuaſorque fui, ut præmiſſis frictionibus in nucha & cervice cucurbitulas cum ſcarificatione apponendas curaret. Et inde eum melius ſe habuiſſe cognovi.

Epicriſis.

Non ſimplex cephalalgia hic affectus ſed potius rheumatiſmus, qui totum caput & vicinas partes occupat, meretur appellari: eo quod humor vitioſus non unam partem occupet, ſed per poroſam ſubſtantiam ſerpendo, in vicinas nerveas partes, eas lancinando & vellicando delabatur. Cauſam ſine omni dubio diſcraſia ſeri ſcorbutica, ex depravata ventriculi digeſtione & hypochondriorum vitio nata ſubminiſtravit. Originem primam vero dedit nimia ſtudiorum cum profundis mentis meditationibus intemperies, juncta cum lucubrationibus: quæ quantam vim, ventriculum & inteſtina infirmandi & totum corpus morbidum reddendi habeant, experientia ſatis apertum ac manifeſtum eſt. In tali ſtatu morbi particularia ut ita loquar remedia ſeu ſymptomatibus dicata nihil proficiunt, ſed, ſi ſalus & ſanitas ſperanda eſt, non ab aliis niſi ab iis, quæ vitiis fluidorum & ſolidorum amovendis ſufficiunt, cujus generis ſunt fontes medicati calidi vel frigidi cum regimine diætetico uſurpati, peti debent.

Observatio V.

Hemicrania ſanguinis evocatione è naribus & aqua frigida curata.

Fœmina nobilioris generis ſeptuaginta jam ſeptem annos tranſgreſſa ſanguinis plena, contumaci à quinquageſimo circiter anno, quo menſtrualis fluxus valedixit, hemicephalæa affligebatur. Ex quo tempore, multa licet atque varia ad ſedandos & abigendos hos dolores continuo adhibuerit remedia & frequentiores in brachio pariter ac pede venæ ſectiones inſtituerit; nullum tamen ex his percepit levamentum. Donec tandem ſanguis ex narium venulis ad uncias circiter VI. ope pennulæ intruſæ, in eo nimirum latere ubi dolor conſiſtebat, fuerit evocatus. Neque ullum aliud præter aquam frigidam ſimplicem in uſum eſt vocatum, ita ut non modo externe in duplicato linteo capiti ſæpius admota, ſed etiam interne ad tres quotidie menſuras triduum ſumta fuerit. Et ſic diu exoptatum, quæ DEI erat gratia, paſſionis valde dolorificæ perſenſit levamen. Qua de re ſimplici hac potione ſemper loco cereviſiæ eſt uſa, hauſto tantum inter prandendum uno exiguo vini cyatho.

Epicriſis.

Aquam ſimplicem frigidam puram tamen, tum interno, tum externo uſu, in multis & gravibus affectibus valde conducibile & efficaciſſimum remedium præbere, perpaucis quidem cognitum & credibile videtur. Nihilo minus & experientiæ & rationis & auctoritatis quoque multorum veterum Medicorum ſuffragio id ipſum eſt probatiſſimum. Egimus ex inſtituto in peculiari diſſertatione *de ſalubritate potus frigidi*, paulo prolixius: ubi evidentibus argumentis tam aquæ quam frigoris quoque in ea contenti eximias in morbis debellandis vires abunde demonſtravimus: nam magna ineſt vis frigoris elaſticam fibrarum & vaſorum corporis noſtri vim firmandi, roborandi & virtutem expanſivam interni liquidi calidi coërcendi, quo vis vaſorum à nimia expanſione valde debilitata ad ſtatum redeat naturalem, & ſanguinis ac fluidorum motus liber & æquabilis reſtituatur. Et ſicut potus ſufficiens aquæ ſimplicis & frigidæ, firmando tonum ſolidorum, humores fluxiles reddendo & ſalinas ſulphureas partes diluendo ac evehendo, multorum affectuum cauſam præſcindit; ita externe frigore ſuo etiam ſuccurrit iis morbis, qui à nimio vaſorum infarctu & expanſione originem ſuam ducunt. Nihilo minus quotidianus aquæ potus non omnibus naturis convenit, ſed ejus præſcriptum prudentiam medentis requirit.

Observatio VI.

Dolor fixus in vertice capitis ex ira & ſuperingeſto cibo, aquâ frigida ſublatus.

Vir erat Hebræus circiter quadragenarius ſtricioris corporis habitus, qui ab iracundia & ſuperingeſto cibo contraxerat dolorem in vertice capitis fixum, ſpatium occupans magnitudine imperialis, ſenſus hujus doloris quidem non adeo erat acutus, vibratorius, lancinatorius aut pulſatorius, uti alias in cephalalgia eſſe ſolet, ſed magis preſſorius & gravativus ſub cranio; neque erat perpetuus, ſed ſubinde maxime circa veſperam & noctem ingraveſcens. Nihilo minus tamen adeo graviter inde luebat, ut appetitus concideret, ſomnus abeſſet, vires mirifice deficerent, pulſus inordinatus, modo celer, modo rarus & languidus micaret, ipſe quoque animus abjectus eſſet & ſub paroxyſmo quandoque plane turbaretur. Pugnatum fuerat adverſus hunc dolorem tum à me tum ab aliis ſtrenue & efficaciſſimis aliis remediis. Sed licet quandoque inde remittere per aliquot dies videretur, levi tamen accedente occaſione ex ira aut aliis externis injuriis iterum vehementia recrudeſcebat priori ſimilis. Exactis inter hæc duobus circiter menſibus in conſilium ſimul vocatus eſt civitatis hujus medicus natione Gallus, ingenioſa curandi tentamina ſubinde non infeliciter adornans. Is purgato prius per aquam Sedlicenſem corpore, dedit conſilium, ut æger mane & poſt meridiem biberet dimidiam aquæ fontanæ frigidæ menſuram in lecto. Inde primum quidem factum refrigerium & ſymptomata viſa exacerbata, ſed elapſa hora pulſuum magnitudo increvit, & ſudor erupit largiſſimus cum doloris levamine. Hinc per ſeptem dies potum continuare præcepit, tam felici ſucceſſu, ut ſucceſſive dolor evaneſceret omnis. Ac licet elapſis aliquot hebdomadibus, poſt iram dolor hic repeteret, eodem tamen remedio per triduum uſurpato iterum feliciter eſt diſcuſſus, & æger ſanus jam eſt ac vegetus.

Epicriſis.

Sedem hujus atrocis doloris in eo loco ubi conjunctio eſt futurarum, coronariæ nempe & ſagittalis, qui in infantibus fontanellæ nomine venit, reponendam eſſe judico: nam ibi eſt pericranii cum dura matre arcta connexio; & proinde etiam dolor qui externe in illo loco extitit, in conſenſum trahendo duram cerebri membranam majorem ſymptomatum exacerbationem, virium proſtrationem, animique turbationem neque minus pulſuum inordinationem effecit. Cauſam ego mali eſſe bilem vitioſam ab ira commotam in flexura duodeni ſtagnantem & corruptam credidi, cujus vis ebulliens & acri-

monia

monia mire à frigidæ potu coercetur & reprimitur. Siquidem ego ſæpius in praxi mea, ex vehementi ira mox ante cibum ſumtum, gravem cephalæam animadverti, quam aliis nihil proficientibus, feliciter à ſeri lactis aciduli potu quotidie ad menſuram ſumti à me diſcuſſam memini. Secutæ inde fuerunt ſæpe ſex alvi de die dejectiones, & ſic expurgata bilioſorum humorum ſentina, deſiderata convaleſcentia ſecuta eſt.

Observatio VII.

Cephalæa ex quartana cort. chinæ profligata, Carolinis diſcuſſa.

Civis hujus urbis annorum quinquaginta febre per novem menſes laboravit quartana, quæ tribus corticis chinæ doſibus ſumtis præter expectationem evanuit: ſed in ejus locum graviſſima cephalæa, quæ mire torſit hominem, vires atterendo ſucceſſit: dolor erat continuus & valde gravativus qui maxime incrementa ſumſit peractis quatuor vel quinque horis à digeſtione, conjuncti ſimul erant dolor, tumor, imbecillitas manuum cum inſigni corporis debilitate. Poſtquam in caſſum multa fuerant uſurpata, venit ad me auxilium meum rogitans. In ſimilibus caſibus eſſentiæ noſtræ tonicæ uſum paulo protractiorem ſubinde convenientiſſimum expertus ſum: quoniam præter vim roborantem, ſerum vitioſum, tum per vias urinarias, tum per inſenſilem tranſpirationem eliciendi efficaciam poſſidet inſignem. Sed ſuaſi thermarum Carolinarum uſum, corpore prius, per ſalia deterſiva, aperientia, interpoſitis noſtris pilulis balſamicis probe præparato: & ſanatio ſucceſſit auſpicato.

Epicriſis.

Quartanæ familiariſſimum eſſe cephalicum dolorem ſymptoma ſatis conſtat. Cauſam hujus rei inde deducendam eſſe arbitror, quod in hac febre quam maxime humor corruptus, tenacis, fixioris acidæ potiſſimum indolis duodeno & valvulis tenuium inhærens, ſimili charactere præterlabentem chylum inficiat, qui poſtea ad minima & capillaria membranarum capitis vaſa delatus, liberiori fluidorum motui obicem ponens earum diſtenſionem dolorificam cauſari poteſt. Id vero non modo in capitis, ſed & aliarum nervoſarum partium minimis vaſculis evenit. Quamdiu motus febrilis durat, tam diu vaſorum obſtructio & humorum ſtagnatio neutiquam incrementum capit, propter celeriorem ſanguinis per ſolidas partes trajectionem. Quandocunque vero motus febriles corpori ſalutares ſupprimuntur, non mirum eſt, majores fieri infarctus & obſtructiones vaſculorum, indeque dolores artuum, capitis, tumoreſque œdematoſos ſequi, qui non meliori & tutiore ratione, quam laudatis jam tempeſtive adhibitis remediis poſſunt expugnari. Ejuſmodi in caſibus, ubi neque locus neque tempus vel occaſio eſt utendi aquis mineralibus, curam haud infeliciter cum decoctis blande diaphoreticis lignoſis & pulveribus ex cinnabari, ſale volatili, cornu cervi, vel etiam regulo antimonii medicinali & ſale abſinthii compoſitis, non omiſſis ex manna & rhabarbaro per infuſionem paratis laxantibus, bono cum DEO peregi. Atque inſignis quoque & expertæ virtutis, uſum eſſentiæ noſtræ roborantis, cujus mentio ſupra §. 4. p. 197. fit, reperi.

Observatio VIII.

Cephalalgia rheumatica ex menſium anomalia.

Fœmina tenerioris & ſanguineo-cholericæ conſtitutionis annum quæ jam trigeſimum complevit, vitæ nimium quietæ & inordinatæ diætæ indulgens, minus ordinatas nec ſufficientes per annum & ultra habuit menſtruales purgationes. Exinde de dolore in capite tenſivo, gravativo, lancinante diu conqueritur, qui primum totum occupavit caput, nunc vero ad ſiniſtrum latus declinat, ubi bregma, tempora, mandibulam, dentes, aurem, labia ejuſdem lateris pungitivo & urente dolore infeſtat, ad brachium interdum pertingens, frequens intercurrit horripilatio cum pulſu inæquali, duro & celeri. Ab hiſce incommodis ſequentibus liberata eſt. Primo ſingulis diebus pediluvia convenientia fuerunt ordinata: dein venæ ſectio in pede poſt menſes inordinate & parcius fluentes: tum quotidie infuſum loco Thée mane copioſe hauſtum, quod ex verbena, meliſſa, ſummitatibus millefolii, ſemine fœniculi, cubebis, floribus chamomillæ vulgaris conſtabat. Pilulæ noſtræ balſamicæ cum extracti croci & mercurii dulcis portione remixtæ, alternis diebus circa lecti ingreſſum, parciori doſi aſſumtæ fuerunt. Tandem externe balſamum noſtrum vitæ ſine ambra cum ſpiritus vini camphorati æqualibus partibus mixtum locis affectis dolentibus inunctum fuit; injuncto accuratiori vitæ regimine, motu corporis & ut frigida atque acida vitaret, nec non digeſtioni vacillanti cum cibis ſumendo elixirio noſtro ſtomachico, quod in notis ad Poterium deſcribitur, ſuccurreret. Et ita per DEI gratiam ad valetudinem exoptatam pervenit.

Epicriſis.

Quando in gravi capitis dolore etiam vicinæ nervoſæ partes in conſortium trahuntur, cephalalgia rheumatica oritur, quæ à ſero acri vellicante, ob interceptum per venas obſtructas ſanguinis circuitum, ſecedente ac extra vaſa poſito, & per poros & loculos ad membranas delato originem ſuam ſumit. Et tales rheumaticæ affectiones ab impuro ſero frequentiſſime in ſexu ſequiori, ob lunaris tributi minus rectum ſtatum eveniunt. Neque melior ac certior iis medendi ratio ſuppetit, ac ſi medicus operam & ſtudium in ordinem redigendo uterinam excretionem per convenientia remedia adhibet. Nihilo minus tamen ſemper, ſi talis caſus occurrit, ventriculi ſimul ejuſque digeſtionis habenda eſt ratio, ut bene temperatus chylus ad ſanguinis & humorum maſſam accedat, qui ejus intemperatam craſin ſenſim paulatimque, ſucceſſu temporis corrigere valeat. Quod vero dolor ſæpius unum tantum capitis & vicinarum partium latus petat, ex anatomicis repetenda erit ratio: quandoquidem conſtat, ſicut cerebrum in duo hemiſphæria diviſum; ita etiam in dextro & ſiniſtro latere diſtinctos ramos arteriarum, venarum, nervorumque extare & communicationem inter ſe habere, ut licet læſio fiat & circulatio non recte procedat quoad vaſa in uno latere, ſalvus tamen & integer motus ſanguinis circularis in altero hemiſphærio perſiſtat.

Observatio IX.

Nobilis adoleſcens qui vix ætatis annum deci- *Cephalæa à*

consueta narium hæmorrhagia suppressa.

mum octavum attigit, excitati alias & promti in studia ingenii, postquam sanguinis è naribus stillicidium cui frequentius obnoxius fuit, nescio ex qua causa, præter quod crebro venationibus sub cœlo frigidiori interfuerat, emanserit, insignem in capite aliquot jam menses torporem & obtusum ac gravativum dolorem, qui ad oculorum radices pertingit, persensit. Periit omnis animi & corporis vigor, ciborum appetentia, placidusque somnus. Facies erat pallida cum extremorum frigore & lassitudine. Opem à me & ipse & mater ejus efflagitarunt quam sollicite. Celebrata in pede fuit venæ sectio, & quia aliquid hypochondriaci subesse judicavi, præscripsi curam fontis Selterani cum debito regimine: sed effectu plane frustraneo. Postea infusum Theiforme ex temperatis herbis cephalicis mane hauriendum ordinavi: reiterandam quoque jussi venæ sectionem & tertio die post, cucurbitulas cum scarificatione nuchæ apponendas; errhinus quoque pulvis naribus frequentius admotus. Et non ita multo post cessavit dolor, rediit appetitus & quietus somnus, omniumque actionum vigor, ac pristinæ valetudini redditus fuit. Stillare quoque rursus sanguis, sed non largo flumine, cœpit è naribus.

Epicrisis.

Causam hujus gravis doloris & symptomatum quæ eum subsequebantur, à sufflaminata narium hæmorrhagia deducendam esse, extra dubium positum est. Vasa vero cerebri retento sanguine plus quam par est fuisse infarcta, testatum faciunt symptomata in nervosis primarum viarum partibus, non secus ac in hypochondriacis contingit, suscitata, idque tantum propter passionem & consensum nervorum: siquidem ante accessionem hujus doloris, ab ejusmodi pathematibus plane liber fuit, quæ sedato dolore etiam conquieverunt, ut adeo clare pateat, quanta sit capitis cum ventriculo & aliis nervosis corporis partibus consensio. Deinceps illud notari velim, in capitis morbis qui à redundantia sanguinis ortum ducunt, ejus missionem semper observari meliorem in loco capiti propinquiori ac in dissitis partibus. Pulveres errhinos & cephalicos naribus susceptos, vellicando & irritando in cerebri quoque membranas agitationem quandam dum efficiunt, à molesto humorum infarctu eas liberandi vim & potentiam exserere posse, haud videtur improbabile.

Observatio X.

Cephalæa, ex gonorrhœa virulenta, decocto sudorifero curata.

Juvenis vegetæ & robustæ constitutionis, annorum XX. & aliquot, virulenta gonorrhœa binis vicibus affectus, sed nescio qua methodo curatus. Aliquot menses post, ulcerosæ & prurientes pustulæ hinc inde in cute efflorescebant: quarum tamen major copia in dextra quam in sinistra capitis & reliqui corporis parte conspiciebatur, qua in regione etiam tumor testiculi durus & valde molestus consistebat. Præter languorem universi corporis, immaniter eum dolores in capite, præsertim nocturno tempore, torquebant, adeo, ut non modo somnum tollerent, sed appetitum etiam & vires imminuerent. Ad sublevandum hoc malum & chirurgorum & medicorum opera usus: sed nihil omnia, neque mercurialis quam adhibuerat salivatio profecerunt. Ultra anni dimidium atroci hoc malo afflictus & valde extenuatus me quoque in auxilium vocavit. Expurgatis prius lenissimis remediis aliquoties primis viis, decoctum cujus vires in purificando sanguine multoties expertus sum, tum ad sudorem eliciendum, tum ad corrigendam intemperiem, pro potu ordinario usurpandum & quidem sequentem in modum imperavi: Sarsaparillæ unciis IV. & antimonii crudi unciæ, salis gemmæ & salis tartari cujusque drachmam adjeci, & cum mensuris quinque aquæ simplicis puræ decoctio facta est in vesica stanno obducta, cui alembicus imponebatur. Decenti sic admoto igne, cum propemodum dimidia pars destillata esset liquoris forti odore nares ferientis, destiti ab ulteriori coctione & destillatum affudi residuo in vesica; facta filtratione, quod filtrum subiit servavi pro usu, eo quo sequitur modo. Dimidia ejus pars cum æquali portione decocti scorzoneræ & passularum miscebatur pro potu ordinario; quod remanebat in duas partes divisum fuit, quarum una mane, altera hora quinta pomeridiana calide fuit hausta, sudorem cum debito regimine in lecto expectando. Interpolatus quoque huic decocto interdum fuit usus tincturæ antimonii acris cum spiritus tartari & liquoris nostri anodyni mineralis tertia parte permixti. Qua cura per integras sex septimanas usus est. Sed testium dolorifico tumori simul duxi per idonea resolventia & discutientia topica prospiciendum; inter quæ emplastrum diachylon emplastro Vigonis cum mercurio permixtum, decima parte florum sulphuris, nec non balsami sulphuris antimoniati notabili portione adjecta, cataplasmate superimposito, quod ex radice enulæ, altheæ, iridis nostratis, cucumere asinino, floribus sambuci, semine cymini, carvi, cum aqua florum sambuci & vino coctis constabat, laudabile levamentum attulerunt, tumore ad dimidium & ultra discusso. Quibus remediis per DEI gratiam id consecuti sumus, ut ab omnibus incommodis liber, sanitati fuerit restitutus desideratissimæ.

Epicrisis.

Et gonorrhœa virulenta & Gallica lues, ex eorum sunt morborum numero, qui nisi radicitus idonea & satis efficaci cura exstirpentur, ob relictas vel in glandularum tubulosa substantia, vel etiam, ut nonnullorum fert sententia, in membranis quæ pinguedinem cingunt, altius impactas particulas, ex facili revivisscunt, dum ex latibulis suis excussæ & denuo cum lymphæ & sanguinis massa connuptæ, pernitiali sua vi, instar seminii vel fermenti sese multiplicant, omnis generis fluida inquinando. Cura horum affectuum, quæ per salivationem à mercurialibus excitatam, quasi specificum passim commendatur remedium, si immanis & chronicus capitis dolor fuerit junctus, non semper expectationi respondet; & proinde WILLISIUS *de anima brutorum cap.* 2. tali in casu eam rejicere, multis exemplis quæ recenset infelicis successus adductus, non veretur. Addo etiam illud, quod chirurgi quibus vulgo ea committitur, empirice ut plurimum, posthabita & individui & aliarum circumstantiarum ratione, hanc curam tractare soleant. Ceterum sudorifera, quæ antimonium crudum ingreditur, decocta, si decenti modo & artis lege præparata adhibentur, in hujusmodi venereis affectibus maxime recrudescentibus laudabilem opem subin-

de

de præſtitiſſe, compluribus exemplis edocti ſumus; neque etiam, ſine convenienti horum uſu, teſtium tumorem curatu non tam facilem, ſolis externis etiam alias valde efficacibus ſanari poſſe identidem nobis perſpectum compertumque eſt. De uſu vero & viribus ſupra laudatæ tincturæ antimonii acris cum aliis permixtæ illud inſinuandum eſſe duxi, quod morbis & præſertim capitis doloribus à colluvie ferosa ortis magnas vires medendi poſſideat, eo quod vitioſum ſerum cum per cutis meatus tum per renes inſigniter educat. Illud enim notatu dignum eſt, quod cachecticis gravativi dolores noctu maxime infeſtantes & per longum tempus durantes admodum ſint familiares, atque ægritudines quæ ex vitiata & impura lympha proveniunt ut plurimum inſequi ſoleant; unde cum WILLISIO loco citato p. 202. non ſemel annotavimus, plures poſt variolas, morbillos, imo purpuram, cephalalgiæ quotidianæ fuiſſe obnoxios, ubi & ſanguinem depurantia, quæ ſeri vitioſi copiam per renes efficaciter educunt, optimam locant operam: nam ſerum in cachecticis corporibus in cerebri ſinuoſitatibus imo ventriculis ſtagnans, dolorem illum ponderis inſtar gravem excitare valde eſt credibile.

Præter huc uſque recenſitos caſus, notatu dignos adhuc ſuppeditant conſultationes noſtræ medicinales *ſect. 1. caſ. 1. & 2.*

CAPUT II.

De Dolore cardialgico ſpaſmodico & flatulento.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Definitio realis cardialgiæ.

INter graves & acerbos, qui miſere genus humanum torquent, & corpus æque ac animum moleſte afficiunt dolores, is qui cardialgiæ nomine venit, non poſtremum ſibi vindicat locum. Neque vero cordis, ut vulgi fert opinio & germanice *Hertzens-Angſt* dicitur, dolor eſt, ſed ipſius ſtomachi, ceu partis valde nervoſæ & exquiſitæ ſenſationis, & præcipue ejus orificiorum, acutus circa ſcrobiculum cordis conſiſtens, cum ingenti anxietate, ſpirandi anguſtia, viriumque proſtratione, inquietudine, niſu vomendi, extremarum partium tremore & frigore, levi animi defectione junctus, à ſpaſmo vel inflatione ortus, totum ſæpe nervorum ſyſtema in conſenſum trahens.

§. II.

Quomodo dignoſcatur à ſpuria.

Neque vero omnis ſtomachi dolor, qualis ſubinde, à crudorum ingeſtorum copia & longiori eorum in ventriculo mora, preſſorius & anxius incidit, cardialgia nominanda, quia non eſt acutus, neque orificia ventriculi tunc valde dolent, neque jactatio corporis ac virium proſtratio, quæ propria fere & formalia hujus morbi ſunt ſigna, ſentiuntur: niſi cardialgiam hanc ſpuriam vocare velimus. Eſt vero pro magnitudine cauſæ dolor vel vehementior vel mitior; & hinc vel gravioribus vel levioribus ſtipatus ſymptomatibus.

§. III.

Sedes.

Acerbi hujus doloris ſedes, ex communi medicorum tam veterum quam recentiorum ſententia, ſiniſtrum tantum ſtomachi habetur orificium, quod jam olim HIPPOCRATES & GALENUS cardiam vocarunt; unde etiam hic dolor cardialgiæ nomen mutuatur. Nos vero potius dextrum, quod pylorus nominatur, orificium, imo totum, ratione tunicæ qua inſtructus eſt valde ſenſilis nervoſo-fibroſæ, ſtomachum adfici, vel ex eo elucescere arbitramur; quia circa cordis ſcrobiculum, ſub mucronata cartilagine ad latus dextrum, ubi conſtans pylori ſedes eſt, hic atrox incipit & conſiſtit ſemper dolor, & inde ad ſiniſtrum, quod in dorſo non procul à ſpinali medulla ſitum eſt & diaphragma circa vertebram thoracis undecimam vel duodecimam penetrat, ſe extendit. In iis enim qui cardialgia defunguntur dextrum potius quam ſiniſtrum orificium in ſectione affectum fuit inventum, adeo ut in quorundam pyloro, ulcera, abſceſſus, tumores, corruptiones ſphaceloſæ, quæ ſimul duodenum ipſumque ventriculi fundum affecerunt, annotatæ fuerint.

§. IV.

Dividitur in flatulentam & ſpaſmodicam.

Cum autem nunquam triſtis & anxia in anima excitetur ſenſatio, niſi à cauſa violenta partes nervoſæ & fibroſæ, vehementi diſtenſione continui diſſolutionem minante, vel valida conſtrictione, ſive ſpaſtica ſtrictura ſupra modum afficiantur: ita etiam obſervamus, cardialgiam aliam eſſe flatulentam, aliam ſpaſmodicam, adeo ut in illa, ab incarceratis flatibus, totus ſtomachus violenter diſtendatur atque diſtrahatur; in hac vero in arctius potius ſpatium criſpetur, coarctetur atque contrahatur.

§. V.

Signa flatulentæ

Non parum quoque refert diſcrimina & ſigna noſſe, quibus cardialgia flatulenta à ſpaſmodica diſtinguitur: in illa major ſpirandi juncta eſt difficultas atque anguſtia, eo, quod ventriculus inflatus, liberum diaphragmatis deſcenſum, qualis ad faciliorem ſpiritum trahendum ſumme neceſſarius eſt, intercipiat: dein tumor frequentius ad ſenſum ſat manifeſtus, inſtar ovi in ſcrobiculo cordis ad dextrum latus inclinans, obſervetur, dum pylorus inflato ventriculo ſemper attollitur: præter hæc ructuum adſit frequentia, quibus ex ore prodeuntibus, dolor nonnihil levari incipit: denique poſt cibum, præſertim qui inflat, aſſumtum dolor ordinario ingraveſcere ſoleat. Ubi vero pertinaciori ſpaſmo tota ventriculi ſubſtantia affligitur; tunc major circa præcordia anxietas, major virium defectio, corporis jactatio atque extremorum frigus percipitur.

Spaſmodicæ,

§. VI.

ex cauſa venenata.

Si ad veneni naturam accedens humor cauſa eſt, longe vehementiora & quæ plurimum habent periculi juncta ſunt ſymptomata. Ita ſubinde in capite dolor, vertigo, ſcotomia, agrypnia, mentis interdum emotio & convulſio: in cavitate thoracis, pectoris oppreſſio, cordis tremor & ſyncope, pulſus exiguus, debilis, interdum durus & inæqualis intermittens quoque: in abdomine, ventris tormina, alvi conſtipatio, urinæ ſuppreſſio: in partibus externis, refrigeratio, tremor, horror, ſudor frigidus, facies livida, con-

contracta, fœdi & flavescentis coloris in conspectum prodeunt.

§. VII.

Pathematum ex nervorum communicatione c. ventriculo explicatio.

Tam atrocia in universo corpore, à ventriculo male affecto, suboriri posse pathemata, is non mirabitur qui ex anatomicis didicit, par nervorum octavum, quod ad præcipuas nervosas corporis partes internas fertur, & iis vigorem, robur, motum & sensum largitur, valde notabiles & insignes duos ramos ad ventriculi sinistrum orificium spargere: atque internos per arcum minorem ad pylorum; externos vero ad fundum ventriculi ferri: & hinc consensionis, quam hæc nobilis pars cum systemate nervosarum partium alit, ratio ducitur quam aptissime. Neque enim ulla alia, in universo corpore pars est, quæ similem cum præstantioribus ejusdem partibus alat habeatque consensionem ac mutuam communicationem, præter stomachum; uti id fusius in *Medicinæ ration. System. Tom. III. Sect. I. c. V.* à nobis est expositum. Inter alia hujus rei luculenta testimonia, observationes hinc inde in medicorum, qui casus ad medicinam forensem spectantes ediderunt scriptis, repertæ id exhibent: quibus constat, à forti percussione cum manu vel instrumento duro circa cordis scrobiculum facta, gravissima protinus symptomata, ut quis statim in terram gelidus concidat, epilepsia, imo morte repentina corripiatur, insequi.

§. VIII.

Cum duplex sit cardialgiæ non secus ac colicæ species: altera nimirum flatulenta, quæ ab incarceratis fit flatibus, totam ventriculi cavitatem fortiter distendentibus, qualis vocari solet germanice *Ober*-Colic, *Hertz*-Colic: altera sit cardialgia spasmodica convulsiva, vulgo *hefftiger Magen-Krampff*, sequitur nunc ut inquiramus, qua ratione flatus, cum liberum alias habeant per aperta orificia transitum, firmiter in cavitate ventriculi includi & detineri possint. Hujus quidem phænomeni ratio vix à medicis est tacta. Nos ejusmodi vehementem inflationem, quæ incidit in ventriculum, etiam effectum spasmi esse, affirmare nihil dubitamus; qui tamen non totam ventriculi nervoso-membranaceam substantiam, sed tantum ejus orificia subtilioris sensationis infestat: unde iis valde coarctatis & clausis, non mirum est, vapores ex indigesta maxime crudorum ingestorum mole, mediante calore, cum non inveniant exitum, totum ventriculum mire distendendo ac distrahendo, atrocem cum summa anxietate & spirandi angustia dolorem excitare.

Causa inflationis est spasmus.

§. IX.

Subjecta cardialgiæ flatulentæ.

Sunt vero inprimis flatulentæ cardialgiæ obnoxii hypochondriaci, quorum stomachus copiosa colluvie biliosa & acida scatet; ex quo fit, ut à pastu aliquot horas, fortes circa præcordia tensiones, inflationes, gravesque dolores cum difficili spiratione experiantur, qui postea, ructibus ut plurimum acidis prodeuntibus, non nihil remittunt, vel vomitu superveniente acido pituitoso insigniter levantur, & demum paulatim redeunte calore ad ventriculum & extremas partes, quæ algescebant, solvuntur. Vidimus tale quoque vitium sæpius in iis, qui post morbum paulo diuturniorem, magnam sibi ventriculi infirmitatem contraxerunt, quando paulo avidius cibos, præsertim incongruos, ut sunt pingues, acidi & fermentescibiles; fructus quoque horæi, ingerunt, accedente simul corporis & quam maxime pedum vel regionis lumbaris refrigeratione, subortum & crebrius per intervalla reversum.

§. X.

interdum infantes lactentes.

Vidimus quoque ejusmodi ventriculi, cum dolore & respiratione difficili, inflationem, in infantibus lactentibus, à lacte in ventriculo coagulato & ibi stagnante acidoque facto, ubi tota præcordialis regio, sub costis spuriis, mire flatibus distenta & turgida, visui pariter ac tactui se offerebat. Vulgo id vitium dicitur *das Hertz-Gespann*. In mentem nobis etiam incidit exemplum cujusdam juvenis, qui, à nimia recentis & mollioris casei comestione, & desuper Rhenano non adeo spirituoso sed acidulo vino hausto, in flatulentam & gravem cardialgiam incidebat: quam medicus colicum dolorem, qui tamen longe inferiorem sedem habet, neque cum tanta spirandi angustia jungitur, reputabat. Neque hoc loco discrimen illud inter dolorem colicum, qui sub ventriculo in ea parte coli, quæ immediate ipsi substernitur, & inter stomachalem colicam, si ita loqui licet, præterire debemus; quia non semel sed aliquoties, hac in re deceptos fuisse medicos, animadvertimus. Ut itaque circumstantias loci dolentis, antecedentes causas, notas quoque quæ cardialgiæ propriæ sunt, item faustos remediorum successus, probe semper circumspectus medicus observet, non sine ratione monendum ducimus; nam unico discutiente applicato clystere, colicum sub ventriculo consistentem dolorem sublatum meminimus.

qui differt à colica.

§. XI.

A mensibus vel hæmorrhoid. suppressis.

Utut vero plerumque flatulenti & tensivi ventriculi doloris causa, vitiosus humor, qui intra duodeni cavitatem paulo diutius retentus, flatus ventriculi orificia spasmo constringentes excitat: scimus tamen occurrere exempla mali flatulenti, ubi nullam materiam vitiosam in ventriculi vel duodeni cavitate animadvertimus. Quod vel ex eo dijudicare potuimus, quia tales anxiæ & flatulentæ cardialgiæ, fœminis præsertim junioribus, restitante mensium fluxu, imo per primos menses gravidis, familiarissimæ observantur, & ructibus doloreque circa cordis scrobiculum & dorsum se manifestant, atque exacte circa mensium tempus revertuntur. Simile quid aliquando in viris, hæmorrhoidibus suppressis qui laborarunt, evenisse notavimus.

§. XII.

Causa efficiens.

Quamvis vero non adeo facile sit, hujus rei invenire causam, nos tamen quandocunque consideramus, à sanguine intra intestini coli vel recti membranarum vasa stagnante, spasmodicum dolorem in iis partibus effici; nullam aliam pariter hic subesse causam judicamus, quam, quod facta palindrome, sanguis ad regionem ventriculi & præcordialem delatus, atque vasa ventriculi infarciens, ejus potissimum orificia spasticis stricturis pariter afficere & infestare possit. Et confirmamur in hac sententia, cum inter frequentes observationes in comperto sit, in iis qui asthmate stomachali flatulento spasmodico, sæpius lethali, & ut plurimum hydropem post se trahente, laborarunt, post mortem infarcta & obstructa viscera sanguinea, præsertim hepar, vel etiam polyposas concretiones in cordis ventriculo repertas fuisse, quibus dum obex ponitur sanguinis libero circulo, facile ejus impetus

petus ad præcordia fertur, qui ſic cauſam tam anxii doloris, quem perpetuo ructus concomitari ſolent, ſubminiſtrat.

§. XIII.

Cardialgia ſpaſmodica ab animi affectibus.

Cum vero & ſine ſingulari vel plane nulla inflatione, ille acerbiſſimus & anxius ventriculi dolor, vulgo *Magen - Krampff*, non tantum orificiorum, ſed etiam totius ſubſtantiam, ob tunicam nervoſam, ſpaſmorum vehementia affligat, ejus etiam cauſas paulo exactius inveſtigare oportet. Jam vero nil propemodum in praxi frequentius occurrit, quam quod mox à vehementi iracundia, circa præcordia & cordis ſcrobiculum, & magis verſus dextram partem, compreſſorius & conſtrictivus dolor cum anxietate & anguſtia pectoris, nauſea, ciborum faſtidio, oris amaritie oboriatur. Hujus ergo mali cauſam non difficulter is reperiet, qui conſiderat talem eſſe iræ vehementioris vim atque indolem, ut maxime ſuum pernitialem effectum in præcordiis exerat, per quæ, ut bene explicat FERNELIUS *lib. IV. de febr. C.* 10. regio circa ventriculum, diaphragma, jecoris cavum & in eo ductus biliarii detenti, pancreas, in ſpecie ventriculus, ejuſque ſuperius orificium, & quæ ſub coſtis nothis, anteriora verſus & ſternum inflectuntur, intelligitur, ſpaſticis conſtrictionibus ea exercendo. Dein quoque ab ira valde commoveri bilioſum ſuccum, & ſyſtole canalium, qui bilem vehunt, intenſiori reddita, eam copioſius in duodenum effundi conſtat; ubi poſtea diuturniori mora, corroſiva fit & corrumpitur, & diarrhœæ, choleræ, vomitionis, atque etiam doloris cardialgici cauſam omnino ſubminiſtrat, quia acrimonia ſua, & pylorum & fundum ventriculi afficit. A terrore quoque paulo graviori cito induci poſſe cardialgiam multoties experientia docet: & mœrorem etiam ſenſim ſenſimque humores corrumpendo ad graves diuturnaſque cardialgias diſponere PLATERI *Obſerv. II.* teſtimonium exhibet.

§. XIV.

Symptoma aliquando eſt

Affectio ventriculi ſpaſmodica eſt frequenter ſymptomatica. Non pauca nobis ſunt cognita exempla ubi calculus in principio, vel quod pejus, in medio ureterum hærens, præter alia gravia accidentia, etiam vehementem cum intolerabili anxietate junctam cardialgiam excitavit. Simile etiam quid obſervavimus à calculis biliariis, ſi canalem cyſticum vel cholodochum pertranſeant, vel fixiorem in iis ſedem habeant. Qua de re in ſequenti Capite fuſius agere nobis conſtitutum eſt. Luculenter vero etiam hinc apparet, quomodo per conſenſum à ſolo motus vitio, pars corporis noſtri ſenſu prædita, abſque materiali ibi exiſtente cauſa graviter affici queat.

§. XV.

veneno.

Longe vero atrocior & plenior periculi ſpecies cardialgiæ eſt, quæ ab hauſto veneno urentis & cauſticæ indolis inducitur. Vulgatiſſimum atque innumeris funeſtis exemplis infamatum illud arſenicum, & ei ſimilia, non alia ratione perimunt, quam quod ſubtili & penetrante veneni acumine, altius in intima fibrarum nervearum ventriculi ſe inſinuant, eaſque diſcindendo ac arrodendo, ad immanes ſpaſticas ſtricturas adigunt atque exſtimulant: quæ poſtea univerſum nervoſarum partium genus in conſenſum trahendo, non modo ea ſymptomata, quæ cardialgiæ ſunt eſſentialia, ſed & inſuper ſæviora & funeſta, ut inflammationem ſphaceloſam, delirium, convulſiones, inducunt.

§. XVI.

ab emeticis.

Emetica ex ſtibii regulina ſubſtantia petita, ſi paulo fortiori doſi imprudenter offeruntur, non niſi cardialgica inducunt ſymptomata; quin aliis etiam intus concurrentibus cauſis, & ubi præcordia jam ſpaſmo adfecta ſunt, lethalem, non ſecus ac venena, quod multis, proh dolor! conſtat exemplis, operationem exſequuntur. Id quod etiam de acrioribus & validioribus purgantibus, quæ ſubtili, cauſtico, & veſicante principio agunt, quorum imprudenti uſu multi pereunt, intelligendum eſſe exiſtimamus.

§. XVII.

in febribus exanthematicis.

Ipſum peſtilentiæ virus, truculentam ſuam vim, primo omnium, in ventriculum ſpaſmis atque inflammationibus exercere, & graves cardialgicas paſſiones, ſæpe ſyncopticas inducere, in propatulo eſt. Petechiis, febribus purpuratis & malignis, ſi cardialgia ſuccedit, quod maxime in morbi vigore fit, lethale ſignum eſſe ſolet. Peſſimum quoque eſt, ſi cardialgia doloribus arthriticis, podagricis, quod evenit maxime, retrocedente materia ad interiora, item quando fœdis cutis & partium externarum exulcerationibus ſupervenit, quod frequentius accidere ſolet. Nam materia illa activæ cauſticæ indolis, ubi à nexu & implexu humorum ſequeſtrata, & ad cutis extima propulſa, relegit ſua veſtigia, atque nervoſis tenerioris & firmioris texturæ ventriculi & inteſtinorum tunicis ſe altius inſinuat, non ſecus ac venenum agere ſolet, ſique diutius perſiſtit, cardialgicas anxietates inducendo, hominem exanimat atque non raro interficit.

§. XVIII.

in dyſenteria epidemica.

Dyſenteriæ epidemicæ & malignæ, quando ea incaute comprimitur, infauſto & periculoſo ſane omine cardialgia ſupervenit: dum cauſtica acris materia, ex inteſtinorum inferioribus ad ſuperiora & ventriculum, retrogrado motu & impetu delata, principes has partes graviter infeſtat, ſubinde lethalia arceſſere ſymptomata conſueſcit.

§. XIX.

à vermibus.

Periculi quoque plena à vermibus innaſcitur cardialgia, quando videlicet, uti bene meminit TRALLIANUS, ex partibus inferioribus ſurſum ad ventriculum aſcendunt, ejuſque orificiis firmiter inhæreſcunt. Memorabile eſt quod proponit HERCULES SAXONIÆ *in prælect. pract. P. II. cap.* 7. ſcribens: *ante tres annos ego vocatus ad puerum undecim annorum, vermibus refertum, cui pilulas exhibui. Mane cum reverterer, erat mortuus. Curavi ventriculum aperiri, inveni triginta tres vermes dodrantodes vivos, ori ventriculi adeo tenaciter inhærentes, ut vix avelli potuerint.* Similia exempla legi poſſunt apud HENRICUM *ab* HEER, & LANCISIUM *tr. de mort. ſubitan.* nec non apud RIVERIUM *L. 9. cap.* 10. Repentinæ ejuſmodi mortis cauſam non aliam fuiſſe, quam ſyncopen invincibilem, à validiori cordis ſeu potius vaſorum ipſi vicinorum conſtrictione derivandam, veri eſt ſimillimum. Ex quo intelligitur, quanta ſit ad vitam ſervandam ſtomachi ceu nobilioris

bilioris partis præſtantia, ut igitur HELMONTIUS hac cauſa fuerit adductus, animæ ſentientis ibi ſedem collocare.

§. XX.

cauſæ abditæ

Sunt vero adhuc aliæ, atrocis ſtomachalis ſpaſmi abditæ cauſæ. Nam ubi dolor indeſinens eſt, & per multos trahit menſes, ut carnem ac omnes demum vires conſumat, labem ac vitium in partibus ſolidis ſubeſſe recte concluditur: quod etiam ſectionibus poſt mortem inſtitutis evictum habemus. Ita in tali chronico vitio, RIVERIUS, vid. *cent.* 1. *obſ.* 90. ſcirrhum, totum pancreas, pylori ac duodeni principium ambientem, invenit. JACOBUS HOLLERIUS, *de morbis internis pag.* 153. de quodam narrat, qui febre, cardialgia, vomitu, torminibus ventris, dejectionibus pici ſimilibus diu vexatus, tandem obierit. In cujus ſecto corpore inventum ulcus puſtulatum in ambitu, quod tunicas omnes ventriculi, qua parte in pylorum eſt aditus, exedit.

in partibus ſolidis vitiatis.

§. XXI.

à parotidibus retropulſis.

Alia adhuc dirum hunc affectum generandi ratio ac via per metaſtaſin eſt. Ita binis exemplis nobis conſtat, parotidum tumores in ſexu muliebri non adeo exiguos, externis quidem applicatis evanuiſſe, ſed brevi poſt cardialgiam cum anguſtia ſpirandi inſecutam fuiſſe. Obſervatum quoque à nobis eſt, & hemicraniam, & cardialgiam inter ſe alternaſſe, ita ut cardialgia ſublata hemicrania fuerit ſecuta, & poſtea, hac ipſa diſcuſſa, cardialgia redierit.

§ XXII.

Morbi deorſus.

Ceterum dolor ventriculi cardialgicus ex iis eſt morbis, qui, niſi diutius perſiſtant, non facile necent, niſi accedat inflammatio: quare non ſine periculo eſt, ſi aliis morbis præſertim febribus acutis & malignis ſuperveniat. Perite enim HIPPOCRATES prodidit *Sect. IV. aph.* 65. *in febribus circa ventriculum fortis æſtus & cordis morſus ſeu dolor malum eſt.* Porro etiam hic adfectus inter eos referendus eſt, qui certis & ordinatis temporum intervallis quandoque etiam inordinatis redit, & vel breviori, vel longiori tempore affligit, ac alio tempore mitior, alio vehementior eſt. Et uti ordinario fere cum frigore in dorſo, horripilatione cutis, non raro etiam oſcitatione & pandiculatione ejus acceſſio eſt, atque in vigore extremæ, inferiores maxime partes inalgeſcunt, adeo ut etiam calidum ſatis vehemens admotum vix percipiatur: ita hic dolor, non niſi calore redeunte in partibus extremis, calidoque tandem ſudore oboriente per totum corpus, ſolvitur atque diſcutitur. Et uti ſub frigore pulſus contractus & exiguus eſt, ita major & mollior ſub declinatione fit: quod etiam evaneſcentis mali certiſſimum eſt ſignum.

CURATIO.

§. I.

Indicationes quatuor.

Quemadmodum ſagax & peritus medicus, nec certa ad morbum tollendum remedia commendare, nec una eademque ſemper via ac methodo in curando procedere debet & poteſt; ſed opus habet, ut ad varii generis cauſas, ægrotantis naturam, & alias atque alias circumſtantias, morbos antecedentes & ſymptomata reſpiciat: ita etiam in hoc gravi & periculoſo morbo ſanando, idem fieri debere omnino neceſſe eſt. Nihilo minus tamen generales has medendi indicationes, pro ſcopo, per medicamenta ſuccurrendi, tenere debet, quæ hæ ſint: primo, ut materia vitioſa vel mole vel acrimonia peccans, circa ſtomachum hærens temperetur, corrigatur ac demulceatur, blandeque per diſcutientia vel commoda evacuantia removeatur: ſecundo, atroces dolores, qui vires mirum quantum deprimunt, ne inflammatio ſuccedat, ſopiantur: tertio, ſi ſymptomatica eſt, morbi primarii ratio habeatur, & quarto, ut tonus & robur ventriculi & inteſtinorum à dolorum & ſpaſmorum violentia labefactatorum idoneis remediis reſtituatur & confirmetur.

§. II.

Commendantur abſorbentia.

Quia ſæpius acidi pontici humores accumulati ac congeſti in ſtomachi regione, bilem in duodeno diuturna mora porraceam, æruginoſam & valde corroſivam reddunt, & arrodendo tunicas nerveas, præbent doloris cardialgici cauſam, idque non raro in hypochondriacis, nec non à nimia vinorum acidorum ingurgitatione & fructuum horæorum fermentatione evenit; ſolis utique abſorbentibus, nec non acrimoniam demulcentibus, non adeo difficulter curam expediri poſſe experientiæ conforme eſt. Quo nomine pulveres qui lapides cancrorum, cornu cervi philoſophice præparatum, conchas vel matrem perlarum, cryſtallum montanum vel melius glaciem Mariæ præparatam recipiunt, commendamus, præſertim ſi cum aqua carminativa leniter ſpirituoſa exhibentur. Pertinent huc quoque ad infringendam & mulcendam acrimoniam ex raſura cornu cervi gelatinoſa decocta probe ſaturata, decoctum avenæ excorticatæ, cum amygdalis dulcibus ſubactum & ſyrupo papaveris albi edulcoratum.

demulcentia.

§. III.

nitroſa.

Ubi vero bilis valde acris ſulphurea & calida, ab ira commota, cauſam hujus mali ſubminiſtrat, conſultum eſt, ejuſmodi jam laudatis pulveribus aliquot grana admiſcere nitri purificati pro doſi, atque in decocto eos exhibere. Opus vero interdum eſt correctam bilem leniter per alvum evacuare. Experientia etiam crebriori didicimus, in hoc atroci adfectu, ſi à bile nimis calida ebulliente & cauſtica obortus fuerit, ſolam aquam puram & frigidam, per vices, uſque ad menſuram dimidiam vel ultra hauſtam, tecto bene corpore & impoſito ſtomachali regioni calido fomento, inſigniter profuiſſe, ac ſubſecuto ſudore per univerſum corpus, dolorem ſummo cum levamine diſcuſſum: eoque remedio acrimoniam bilioſam non modo dilutam & temperatam, ſed & nimium æſtum depreſſum, ac denique ipſum robur, quod ingenti calore & dolore dejectum erat, quodammodo reſtitutum fuiſſe. Vidimus quoque, cardialgiam cum cholerica paſſione junctam hoc unico remedio ſummo cum levamine conquieviſſe. Pertinet huc quoque inſigniſſimus ſeri lactis, item emulſionum uſus.

laxantia.

aqua frigida.

§. IV.

Poſt tertianam emetico curatum.

Non rarum nec inſolens quoque eſt, poſt tertianam, anxium circa præcordia dolorem, cum

cum inſigni virium languore, ciborum faſtidio, oris ſiccitate, & animi leviuſcula defectione, lentoque calore interdum obſervari; quæ cuncta mala à bile acri & vitioſa, copioſius in duodeno, ſi virtus ejus motrix periſtaltica ſub morbo valde fracta fuerit, coacervata diutiuſque ſtagnante produci, exinde demum intelleximus, dum leni emetico, verbi gratia, uno vel altero grano tartari emetici, cum ſufficiente quantitate aquæ dato, effuſa magna ſaburra, conquieviſſe protinus hæc omnia mala vidimus. Referri huc optima ratione HIPPOCRATIS *Aph. XVII. Sect. IV.* meretur, qui, *non febricitanti, ubi cibi faſtidium, cordis dolor, vertigo tenebricoſa & oris amaritudo, purgatione per ſuperiora opus eſſe,* ſignificat.

§. V.

Vomitioni obviam eundum.

Sique cardialgiæ bilioſæ, quod ſæpius fit, vomitio jungitur, liquorem anodynum noſtrum mineralem cum aqua frigida fontana, vel aqua florum chamomillæ, millefolii, acaciæ, tiliæ, ſambuci, liliorum convallium, primulæ veris, cum præſentaneo levamine exhibuimus. Sub hoc ſtatu magnopere cavendum eſt, ne medicus calidas eſſentias ſtomachales vel carminativas porrigat, neque crebriori calidorum infuſorum uſu ægrum maceret, quippe hæc omnia dolorem magis augent, quam minuunt.

§. VI.

Qui ex cruditatibus oritur dolor aliter tractandus.

Ubi vero intenſus, preſſorius, & gravativus ſtomachalem regionem diutius infeſtat dolor, iſque à cruditatibus acido viſcidis, firmiter ventriculi aut duodeni tunicis inhæreſcentibus oritur, quod frequentiſſime in iis, qui ex morbo jam convaluerunt, ac qui etiam ab aliis cauſis infirmum habent ventriculum, evenit, tum utique alia curandi opus eſt ratione. Nam ſub tali caſu, medicamenta digeſtiva, & quæ ſalino oleoſo & aromatico incidente ac roborante principio agunt, neceſſaria ſunt: quo nomine probatæ & expertæ virtutis ea, quæ ſequuntur, proponere & laudare voluimus, ac primo pulverem qui ita habet: rec. radicis ari, pimpinellæ, zingiberis, galangæ, flavedinis corticum aurantiorum, ſeminis cymini, macis, ſingulorum drachmam, ſaccharı Canarienſis ad pondus omnium. M. f. Pulvis, qui convenienti doſi leniter cum vino optimo decoqui & propinari poteſt. Dein ſequens ſe commendabit mixtura: rec. eſſentiæ zedoariæ, carminativæ Wedelii, ſpiritus de tribus ana drachmas duas, balſami noſtri vitæ guttas XV. Interdum vero opus eſt, ut ante horum uſum, colluvies vitioſorum humorum, ſi nimia eſt, blande per ſuperiora educatur, præſertim ſi ad vomitum appareat diſpoſitio. Verum tunc non facile ultra radicem ipecacuanhæ aſcendere licet: cum hæc non tam valide nervoſas tunicas commoveat atque aggrediatur, nec poſt operationem, diſpoſitionem ad vomitum relinquat, ſicut ea quæ ex ſtibio parantur conſueſcunt.

§. VII.

aliter qui ex veneno.

Ab hauſto veneno cauſtico, item à nimis draſtico purgante & vomitorio, ſi quis in hoc malum, quod vitæ ſæpius præſens minatur periculum, conjectus fuerit, tunc vix efficacius auxilium, ac in uſu lactis recentis, item in oleoſis, oleo amygdalarum dulcium, olivarum, ſufficiente quantitate hauſtis, addita ſimul doſi theriacæ veteris expectandum erit. Præſtat vero in principio tantum lac ſolum, ſive melius ejus cremorem ſine theriaca dare, ne vomitus & ſeceſſus, quo ſæpius optime venenum & corroſiva materia ſimul expellitur, nimis cito ſiſtatur.

CAUTELÆ.

§. I.

Quomodo tractanda ſymptomatica.

Quando cardialgia ceu ſymptoma, aliis morbis ut acutis vel etiam exanthematicis ſupervenit, quod rarius fit ſine periculo exitialis inflammationis, tum pulveres bezoardici, cum aliquot granis nitri, & quarta parte vel dimidio grano camphoræ, ob vim blande diapnoicam & diſcutientem, non carent uſu eximio. Sed conſulo ob auſpicatum & meliorem ſucceſſum, ut cum emulſione, quæ ex amygdalis dulcibus, ſeminibus IV. frigidis, & ſemine cardui Mariæ, cum aquis florum præſertim ſambuci concinnata eſt, pulveres dicti propinentur. Sique materia à ſuperficie corporis retropulſa, veneni propemodum indolem referens, rurſus ad extimam cutim relegenda cenſeatur; liquorem noſtrum anodynum mineralem, cum quarta parte ſpiritus Buſſii vel tartari mixtum, & per vices pro re nata datum, adhibito ſimul conveniente & placido regimine diaphoretico, ſæpe numero convenientiſſimum & proficuum invenimus.

§. II.

Si à menſium defectu.

Quando à menſibus ſubſiſtentibus, & repreſſo inde ſanguinis impetu ad præcordia, mali origo eſt, tunc utique venæ ſectio in pede celebrata, modo non fiat in paroxyſmo, ſed eo remittente, nec ſub extremorum frigore, præſens & efficax auxilium præſtat. Poſtea reliqua curatio, cum blande anodynis & diſcutientibus externe adhibitis, erit conficienda. Nos in omni dolore cardialgico, ceu peculiaris virtutis remedium, flores chamomillæ vulgaris & quæ ex iis parantur, plurimum commendamus; cujus generis aqua florum chamomillæ, oleum deſtillatum delicatiſſimum verum, non cum oleo terebinthinæ adulteratum, in elæoſaccharum redactum, item Eſſentia bene ſaturata cum Spiritu florum chamomillæ non adeo ſpirituoſo & elæoſaccharo ejuſdem olei adornata, ad motus ſpaſticos ſopiendos, longe efficaciſſima. Spectat huc quoque extractum, quod cum aliis convenientibus, intra pilulas recipi poteſt. Vulgatiſſimum, ſed revera valde probatum domeſticum eſt decoctum chamomillæ florum, cum cereviſia vel juſculo avenæ excorticatæ, vulgo *Haber-Grùtz*, addito præſertim oleo amygdalarum dulcium, calide per vices hauſtum.

Laudantur ex chamomilla parata.

§. III.

Clyſterum uſus,

Deinde in omni dolore cardialgico, clyſteres ano infundere demulcentes & emollientes, nunquam non proficuum. Quales ex floribus chamomillæ, ex oleo horum cocto & deſtillato, item ſeminibus IV. carminativis parati, ſi ex lacte coquantur, ſunt omnium optimi. Sed opus eſt, ut bis vel ter quandoque injiciantur, nam blando ſuo tepore demulcente, nec non rigidas fibras laxante ac emolliente facultate, ut in omnibus fere gravioribus doloribus, ita etiam in hoc, inſigne levamen afferunt.

§. IV.

Externa.

In præcordiali & gravi dolore quoque, nun-

quam non exterius epigaſtricæ regioni applicata idonea remedia, magnæ obſervantur utilitatis; & inter plura alia ſummam & mirabilem efficaciam eorum, quæ ſequuntur, ſæpius experti ſumus. Inter quæ primum eſt linimentum, ita componendum: Recipe theriacæ, olei nuciſtæ expreſſi utriuſque unciam, caſtorei, croci, balſami Peruviani ana drachmam, olei de cedro, caryophyllorum ana guttas XX. camphoræ drachmam dimidiam. Alterum ſunt ſpecies quæ ſequuntur. Rec. herbæ menthæ, florum chamomillæ vulgaris, Romanæ, ſambuci, ſingulorum manipulum, baccarum lauri, juniperi utriuſque unciam dimidiam, ſeminis cymini, carvi, caryophyllorum, nucis moſchatæ, ana drachmas duas C. C. D. S. Species quæ ſacculo poſſunt includi & calide parti adfectæ applicari. Calor enim egregiam vim levandi & diſcutiendi poſſidet.

§. V.

Si à vermibus.

Si vermes cauſam ſubminiſtrant, tunc utique longe alia curationis eſt ingredienda via. Minime vero, ſi hoſpitium eorum eſt in ventriculo, fortiora anthelmintica, præſertim quæ acri, valida arrodente facultate, operationem ſuam exſequuntur, ut mercurialia, vitriolum Veneris, vel Martis, purgantia aloëtica, vel etiam ſalia alias non inutilia porrigenda; eo, quod hæc malum ſæpius exaſperent: ſed potius lac tepidum, cum oleo amygdalarum dulcium ſufficienti quantitate offerendum. Quæ demu cendo, eſcam pariter animalculis his, ne arrodant tunicas, præbendo aptiſſima ſunt; maxime omnium vero, eam quoque ob rationem, quia, ſi tepide lac in magna copia hauriatur, ventriculi inverſione facta; ingrati iſti hoſpites per ſuperiora ejiciuntur.

§. VI.

Hypochondriacis Carolinæ conferunt.

Hypochondriaco-ſpaſmodicæ paſſioni obnoxii, crebro recurrentibus hiſce anxiis doloribus, per longum tempus premuntur. Quo in caſu, omnibus aliis inaniter adhibitis, aquas thermales, præſertim Carolinas aliquoties uſurpatas utiliſſimas obſervavi. Sed harum uſus interdum reiterari debet. Hæmorrhoidalem fluxum inde ſecutum, maximo cum levamine, non ſemel experti ſumus. Ceterum elixir balſamicum noſtrum quod viſcerale audit, item quod in notis ad *Poterium* deſcripſimus, cum eſſentia caſtorei remixtum, nec non pulveres temperati leniter nitroſi, antiſpaſmodici, venæ ſectiones æquinoctiales, in chronicis iſtiuſmodi doloribus, magno ſunt præſidio.

§. VII.

Salia vitanda.

Qui cardialgicis paſſionibus ſunt obnoxii in & extra acceſſionem à medicamentis, quæ ſalinæ ſunt naturæ, provide ſibi cavere debent: quo pertinet uſus fontis Sedlicenſis, quem plus noxæ quam emolumenti attuliſſe obſervatum à me eſt.

§. VIII.

Methodus præſervatoria.

Ad recurſum pernitioſi hujus mali impediendum, plura occurrunt notatu digna. Primo non facile, qui ad hoc malum ſunt diſpoſiti, purgantia præſertim acriora admittere debent: quia hæc natura ſua, ſtomacho ejuſque partibus infenſa, ingentem, ſi crebrius uſurpantur, infirmitatem relinquunt: qua nihil ad recidivas contrahendas pejus eſt. Præter hæc, motum humorum ad primam regionem ex aliis partibus alliciunt. Videndum tamen nihilo minus, ut alvus ſemper maneat libera atque aperta, quod multo tutius fit, quando per alimenta id præſtare allaboramus. Deinde contra frigus quam maxime & præcordialis & dorſalis regio, ubi ventriculus cum orificiis ſitum ſuum occupat, ſufficientium integumentorum ope, munienda erit. Quam nocivum enim partibus nervoſis, & morbis qui in earum debilitate conſiſtunt, frigus ſit, dici non ſatis poteſt. Vix autem eo perduci homines poſſunt, ut veritati huic fidem faciant, eamque intelligant. Denique, victum quod concernit, ab omnibus exceſſiva qualitate & intemperie præditis, nimis ſalitis, fumo induratis, pipere, allio, aceto conditis, raphano ruſticano & huic ſimilibus abſtinere oportet. Viciſſim majorem in modum commendamus jura gallinarum, ac carnis vitulinæ; & ut ſibi à pingui carne temperent, inprimis quando potio frigida ſuperingeritur, vel externo frigore ſtomachalis regio tangitur, ſuademus.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Cardialgia ſpaſmodica ex animi affectibus & frigore, ſæpius recurrens.

Fœmina honeſta aliquot ſupra quinquaginta annos nata, habitus corporis ſpongioſi, ſucci & ſanguinis pleni, vitæ ſedentariæ addicta, decennio abhinc fluxum uterinum non amplius paſſa, venæ ſectionem binis vel ternis quotannis vicibus celebrans, vegeta atque continua ſanitate utens; ſex ante annos gravi & diuturno animi mœrore ob luctuoſos familiam ferientes caſus afficitur. Ab hoc tempore valetudo vacillare & moleſtiſſimus per quinque jam annos crebro redeuntibus paroxyſmis infeſtare cœpit morbus, à levi ſtatim frigore dorſo admiſſo vel ab animi commotione aut terrore originem mutuans. Morbi vero inceſſus hunc ſervare plerumque ſuevit modum. Præcedit nimirum oſcitatio, ſequente narium, aurium nec non faciei frigore. Stringuntur dein fauces, tum gelu dorſum, manus ac pedes occupat, poſtea ſcrobiculus cordis preſſorio, fixo & ardente dolore affligitur, qui extenditur ad ipſum dorſum ubi ventriculi orificium ſiniſtrum ſitum eſt, imperialis tantummodo ſpatium implens. Adeſt præterea ſumma anxietas, inquietudine juncta; pulſus contractus, frequens & debilis micat. In lecto conſiſtere nequit ſed exſurgere debet. Ad alvum & urinam reddendam neque minus ad vomendum ſtimulum quidem perſentit, neutris tamen ſubſequentibus. Inter omnia autem, quæ ægram acriter infeſtarunt ſymptomata, animadverti meretur illud, quod frigus quo dorſum corripitur adeo intenſum ſit, ut nulla, nec à calidiſſimo admoto lapide caloris percipiatur ſenſatio, quin ſub brevi temporis delapſu illud ſatis frigidum removeatur. Sed ad alvum firmiter clauſam ſubducendam, clyſteres emollientes & oleoſi injecti ſine effectu redierunt: neque flatibus per inferiora, neque ructibus per ſuperiora exitus ullus; ſive raro illud contigerit, fuit conceſſus. Tandem elapſis aliquot horis partes ſuperiores primo, dein inferiores ſenſim incaleſcere ac madeſcere incipiunt; donec ultimo largus ſudor prolicitur, & paroxyſmus, quatuor vel ſex interdum horas perſtans hoc ipſo ſolvitur. Sub decurſu paroxyſmi omnia fere remedia, cumprimis ſub frigore, ægra valde averſatur: conclave autem calidum, tegulas

calidas

calidas & linteamina calefacta extremis præſertim partibus admota ferre quam optime poteſt. Calore corpori reddito pocula aliquot infuſi Coffée cum liquore noſtro minerali anodyno, quarta balſami vitæ, vel dimidia elixirii ſtomachalis parte remixto aſſumit, quod unicum fere medicamentum naturæ ægrotantis conducibile reperi. Finito morbi impetu virium remanet defectus, & urina quæ modo in paroxyſmo aquæ inſtar limpida comparebat, rubicunda craſſum deponens ſedimentum prodit.

Epicriſis.

Affectus hic cardialgiæ chronicæ ſpaſmodicæ nomen jure meretur. Neque enim ventriculi inflatio ab incongruis ingeſtis oriunda, ſiquidem ægra accuratiorem ſervare diætam conſuevit, dici poterit: ſed nervoſum maxime genus affici atque compati & ortus & morbi progreſſus aperte loquuntur. Notatu enim dignum eſt, mœrorem affectui originem dediſſe, ac frigus demum & animi affectus eum excitaſſe. Animadverti quoque, morbum hunc paroxyſmi febrilis pene typum æquare, à lumbari regione, ubi magnus meſenterii plexus ſitum obtinet, initium ſumere, ac nervoſas corporis partes contrahendo, ſanguinemque & humores ad cor & vaſa majora repellendo tragœdiam ludere. Accedit quod acceperim ab honeſtiſſima fœmina, ægritudinem eſſe hæreditariam, quæ matrem, matriſque ſororem corripuerit, eaſque longo tempore excruciaverit. Ceterum conſului, ut frigus omni modo vitaret, atque ſedulo caveret, ne illud dorſum tentare poſſit, calidis idcirco pannis tegendum; ab animi quoque commotione nec non alimentis refrigerantibus quantum fieri poſſit abſtineret. Quandoquidem & pulverem noſtrum præcipitantem non bene ferre poteſt; elixirio autem ſtomachali cum liquore anodyno remixto, ſæpius utitur, nec non infuſum Coffée ter per ſeptimanam bono cum fructu uſurpat. Suaſi denique ut corpus motu decenti ſæpius exerceret, quia tum malum rarius affligere obſervavi.

Observatio II.

Cardialgica colica ex comeſtione carnis aſſatæ vervecinæ & frigore.

Mulier parvæ ſed obeſæ ſtaturæ atque plethorica, quadrageſimum jam annum ſupergreſſa, cognatum inviſendi gratia cum marito in propinquam civitatem iter fecit. Præter alia edulia carnem vervecinam pinguem aſſatam larga manu aſſumſit, cereviſiam triticeam, qua neutiquam alias fuerat uſa, ſuperbibendo. Veſperi ſub aura intenſe frigida domum reverſa, conqueri de anxietatibus & vehementi dolore circa præcordia cœpit, concomitante faciei & extremorum frigore, nocteque inquieta. Dolor non perſtitit in præcordiali regione, ſed per totum abdomen flatibus mire turgens ſe extendit: alvus ſimul erat adſtrictiſſima. Symptomata non modo nocte affligebant, ſed die etiam ſequente inſiſtebant. Opponebantur huic malo varia ex domeſticorum apparatu petita: panni quoque & tegulæ calidæ in uſum extrinſecus tractæ: ſed ſucceſſus fefellit. Accerſitus ego, ægram inveni anguſtiis circa pectus valde moleſtatam, ut ſpiritum ægre ducere potuerit, abdomine mire turgido, animique leviuſculis defectionibus intercedentibus. Adſtantes catarrhum ſuffocativum trepide metuebant. Ego ſingulis horis, duo pocula brodii tenuis ex carne gallinarum, una cum cochleare olei amygdalarum dulcium, additis X. liquoris noſtri anodyni mineralis & V. balſami vitæ guttulis præbere juſſi: poſt, enema, ex ſpeciebus carminativis, oleis expreſſis, adjuncto ſtimulo ſalino paratum ano injiciendum præcepi. Præſtabilem reliquerunt effectum, & flatus ac ructus ἄνω & κάτω non ſine levamine ſucceſſerunt. Tegulas valde calefactas removi, utpote qui non modo moleſtiam, ſed & doloris augmentum, ipſa id ægrotante aſſeverante, creabant: aſt linimentum, quo inungeretur locus affectus, ex axungia humana, oleo deſtillato carvi & aliquot granis camphoræ ſubſtitui. Ad levandam, qua premebatur, ſitim, infuſum Theiforme ordinavi. Præterea vini calidi medicati ex infuſione abſinthii, corticum aurantiorum & macis parati poculum aliquando porrexi. Poſtero die potiunculam mannatam, ex mannæ unciis duabus, cremoris tartari drachma, eſſentiæ corticum aurantiorum guttis XX. & olei amygdalini dulcis aliquot cochlearibus paratam propinandam curavi: cujus operatio duas poſt horas clyſtere ſecundata. Quibus id conſecuti ſumus, ut ingens vitioſorum humorum colluvies, tam per ſuperiora quam per inferiora, fuerit educta. Sudor denique per totum corpus erupit, & ſymptomatum vehementia DEO adjuvante ſenſim diſcuſſa. Ad recurſum vero morbi præſcindendum, ventriculi digeſtionem pilulis noſtris balſamicis atque elixirio carminativo adjuvimus.

Epicriſis.

Nihil ad ingenerandum ventriculi & inteſtinorum dolores ac flatulentias reperitur valentius, ac caro pinguis vervecina, ſuperingerendo frigidum inuſitatum potum, corpuſque ſpongioſum exceſſive frigidæ auræ committendo. Erit autem enarratus affectus cardialgico-colicus recte dicendus, eo quod coagulum pingue in duodeno ſubſiſtens, ventriculum & inteſtina flatibus mire diſtenderit, atque à tranſpiratione prohibita ſerum acre redditum, tunicas earum vellicando & irritando, ad ſpaſticas ſtricturas magis ſollicitaverit. Quæ cum in corpus plethoricum venæ ſectioni minus aſſuetum, ſed eam maxime abhorrens, inciderint; tam atrocia malo ſe ſociaſſe ſymptomata nemo mirabitur. Ceterum ut coagulum in duodeno diſſolveretur atque ſaluberrima tranſpiratio reſtitueretur, potus utique calidus erat præbendus: ſicut ad diſcutiendos flatus vinum abſinthites non in caſſum fuit adhibitum. Hoc quoque inſtar cautelæ tenendum reputo, quod in abdominis doloribus qui ab inflationibus oriuntur, extreme calida partibus affectis applicare non ſemper ſit conſultum; ut autem extremæ partes blando atque temperato calore foveantur ego quidem auctor ſum. In priori enim caſu, flatus qui ab aëre rarefacto & inteſtinis incluſo naſcuntur, à calore externo, ut experimentis phyſicis edocemur, majorem elaſticam & expanſivam vim acquirunt. Deinceps annotationem meretur, vitioſam materiam flatus in inteſtinorum canali excitantem nunquam felicius ac etiam tutius quam lenioribus convenientibus laxantibus, & clyſtere una vel altera hora poſt injecto eliminari poſſe; ſiquidem hac ratione primæ viæ non modo potentius à ſordium inquinamento liberantur, ſed flatus quoque verſus inferiora ducuntur.

Observatio III.

Cardialgia flatulenta

Quinquagenarius illuſtris, temperamenti ſanguinei

ex incongruorum ciborum nimia ingurgitatione.

guinei & animi excitati, ab anno & quod excurrit crebrioribus itineribus, arduis in officio Regis laboribus animique fatigationibus continuo detentus, ſex ante menſes febre corripitur continua bilioſa. Qua curata, per aliquot vero hebdomades revertente, iterumque depulſa ſanus egit atque incolumis. At vero iter denuo in Regia cauſa ſuſcepit, fame atque vigiliis vexatus domum revertitur. Eſuriens inter cibos reliquos halecem ſalitam, cucumeres aceto maceratos nec non fabas coctas liberalius ingeſſit, melones quoque cum ſaccharo avidius aſſumſit, hauſto inſuper vino acidulis Tönnſteinenſibus diluto; veſperi cereviſiæ triticeæ vulgo *Breyhan* ſat largam copiam, tabaci fumo fauces aridas ſtimulante, ingurgitavit. Sic lectum ingreſſus, anxietates circa præcordia perſentit, adeſt ſpirandi anguſtia, inquietudo, virium defectio, cum ſudore anxio frigido corpus totum perluente, adque vomendum ſtimulus perpetuus. Hauſit infuſum Thée paulo calidius, atque ingentem crudorum ciborum copiam vomuit, perſiſtentibus nihilo minus vix tolerabilibus anxietatibus. Alvus tenaciter adſtricta nihil flatuum emittens, ad mingendum quoque ſtimulus, urina tamen nulla effluente. Partes externas frigus obſidebat, atque pulſus exploratu durus & contractus erat. Vocatus in conſilium, liquoris anodyni mineralis CXXV. guttas cum balſami vitæ guttulis L. in aqua frigida vini dimidia parte remixta propinavi. Sacculum deinde avena igne torrefacta repletum regioni epigaſtricæ applicare atque in lectum concedere ægrotantem jubeo. Elapſa vix quarta horæ parte per ſuperiora pariter ac inferiora flatus ac ructus in maximum ægri ſolatium proceſſerunt. Factus quietus, ſumtis aliquot infuſi Thée poculis, calor in partibus extremis rediit: anxietas demum evanuit, corpus ſudore maduit, ac, placido ſomno inducto, ab omni dolore & morbo liber evaſit. Poſt hæc clyſterem carminativum applicandum curavi, à quo ingentem ſordium copiam depoſuit. Altero die ægrum acceſſi & faciem flavo colore tinctam inveni, urinamque bruni ictericei coloris deprehendi, parca quantitate emiſſam. Continuavi uſum liquoris noſtri anodyni mineralis, ſed longe parciori doſi, pulveriſque præcipitantis, aliquot olei chamomillæ guttulis adjectis. Quibus ſanitati in integrum reſtitutus, mox rurſus iter officii cauſa ſuſcepit.

Epicriſis.

Cardialgiæ huic atrociſſimæ flatulentæ anſam ſuppeditavit nervoſarum partium imbecillitas ab animi & corporis defatigationibus, nec non à morbo præcedente contracta. Hinc balſamum noſtrum vitæ blanda naturæque amicabili gaudens anathymiaſi ad roborandum, & ad ſpaſmum relaxandum liquorem noſtrum anodynum, ſucceſſu haud fruſtraneo porreximus; eo majori quidem doſi, quo morbi vehementia potentiorem requiſivit reſiſtentiam: ſemper enim proportio inter vires medicamenti atque obſiſtentes morbi ſeu potius cauſæ morbificæ debet intercedere.

Observatio IV.

Cardialgia ſpaſmodica ex hæmorrhoid. frigore ſuppreſſis, ve-

Princeps Sereniſſimus in quadrageſimo ætatis conſtitutus anno, liberaliori & vinoſæ diætæ aſſuetus ac ſanguine turgidus, per aliquot jam annos ſanguineam per ſedis venas expertus erat excretionem. Inſtante fluxu quum corpus frigidiori aëri juſto diutius exponeret; inſequente nocte & poſtero die, inquietudine, virium languore, æſtu, cum pulſu celeri, nec non anxietate cardialgica premi cœpit. Jungebantur animi levis defectio, ſitis inexſtinguibilis, abdominis tormina, alvuſque dura & renitens. Clyſter applicatus à flatibus ſtatim & ſine effectu repellitur. Obferuntur blande diaphoretica, nitro, caſtorei momento nec non cinnabari permixta, cum aquarum analepticarum vehiculo, ſed nihil inde levaminis perſenſit. Secta in pede fuit vena, ſed cum ultra quinque uncias ſanguinis non extraheretur, parum inde auxilii conſecutus; quin potius ſymptomata incrementa ceperunt. Nos ſanguinis abundantiam manifeſte cernentes, ad ſecundam venæ ſectionem tranſeundam nulli dubitavimus: qua libra pene ſanguinis è ſecta in pede vena fuit emiſſa. Adeo vero hoc auxilio adjutus fuit, ut mox circa præcordia dolor, ardor, anxietas remitterent, noxque quietior eſſet. Tandemque exhibitis analepticis diaphoreticis, enemate emolliente, atque interne infuſo mannato, ex toto cum ſanitate Sereniſſimus Princeps in gratiam rediit.

næ ſectione curata.

Epicriſis.

Sanguinem in vaſorum inteſtini recti & coli membranis ſtagnantem, ſpaſticis ſtricturis, & facta hinc ad ventriculum translatione orificii ejus vaſa infarcientem, cardialgicum excitare poſſe dolorem, enarrata hac morbi hiſtoria, quantum ego quidem memini, ſufficienter edocemur. Præterea ex curatione à nobis inſtituta elucet, in corpore plethorico venæ ſectionem vel binis vicibus cum emolumento poſſe adhiberi. Poſtremo id quoque elici poterit ſalutare poriſma: cavendum eſſe quam maxime iis, qui ejuſmodi criticis obnoxii ſunt hæmorrhagiis ſalutem portendentibus, ne circa vel in ipſa excretione talia admittant, quæ turbare eam vel plane ſiſtere valent; inter quæ, animi fortior commotio, terror præſertim, neque minus frigus externum, primas omnino ducunt.

Observatio V.

Cardialgia ſpaſmodica in plethorico ſub æſtuoſo cœlo proficiſcente, venæ ſectione ter inſtituta curata.

Sereniſſima ſtirpe prognatus juvenis vigeſimum & ſextum agens annum, carnoſus & ſanguine abundans, ex hæreditate à Sereniſſimo Parente in eum translata, jam tum hypochondriacis pathematibus ut & quandoque melancholia fuit affectus; à quibus mea opera, per DEI gratiam, binos ante menſes immunis degebat. Suaſi ut Carolinas adiret, antequam autem iter ſuſciperet, quod hoc anno adhuc erat prætermiſſum, ut venam ſecari pateretur. Neglecto à medico ordinario quod omni diligentia inculcaveram monito, veloci curſu ſub ſole fervente iter ſuum perficiens appulit thermas. Egit noctem inquietam, atque expergefactus ſumma circa præcordialem regionem anxietate ad vomitum inclinante, extremorum frigore, internorum æſtu, moleſta corporis jactatione torquetur. Accitus ego tum temporis præſens, plethoram ſolvendam præcipio. Inſtituta venæ ſectio, ſed chirurgo exiguam nimis aperturam faciente, ſanguinis vix uncia paulatim profluxit: & Princeps novam inciſionem admittere noluit. Hinc ſymptomatibus exacerbatis, non in lecto conſiſtere potuit, ſed noctem plane inſomnem egit. Altero mane, iterandæ venæ ſectionis neceſſitate multis

argu-

argumentis demonſtrata, eo perventum eſt, ut aperiri quidem venam ſed non ultra quinque uncias educi permitteret. Verum nec tum ſymptomata conquieverunt, utut remittere viſa fuerint. Dedi interea ſanguinis impetuoſum motum compeſcentia: quo nomine liquorem meum anodynum, pulverem præcipitantem nitroſum, nec non emulſionem ex ſeminibus IV. frigidis celebrem deprehendi. Quum vero ex toto ceſſare malum nollet, pulſus eadem celeritate agitaret, atque nox inquieta perſiſteret, multa opera impetravi, ut tertium, quarto videlicet ab invaſione die, venam ſecari concederet. Detractis VIII. circiter unciis, præcordiorum anxietas, inquietudo, ac febrilis calor confeſtim deſeruerunt immanibus tot doloribus maceratum Principem, non ſine inſigni ejus & adſiſtentium exultatione. Atque appetitu, ſomno, viriumque augmento redeuntibus, integræ ſanitati divinæ bonitatis adjutorio fuit reſtitutus.

Epicriſis.

Circa hunc caſum animadvertere quam maxime licet, ſanguine nimium abundantibus vehementem & diuturniorem motum ſubito & inprimis ſub cœlo æſtuoſo ſuſceptum valde pernitioſum atque infenſum eſſe; ſiquidem ſanguis copioſus inteſtina agitatione fortiter commotus valde turgeſcit, vaſaque diſtendens hinc inde ſtagnat atque ſubſiſtit, graves ſuſcitans ſpaſticas ſtricturas pariter ac impetuoſas ad partes congeſtiones. Similiter fieri obſervamus, quando corpora plethorica in balneum nimis calidum mittuntur, vel ſudorifera fortiora cum regimine calido obtruduntur: niſi enim ſymptomatibus ingraveſcentibus mature ſolvatur plethora, graves & periculi haud expertes ſcenam ludent ægritudines. Porro ex hac morbi hiſtoria docemur, quod immanes cardialgicæ paſſiones à ſolo ſanguine intra membranas ventriculi ſtagnante, ſine ulla vitioſorum humorum in ejus cavitate ſtabulante copia, excitari poſſint, atque unicum auxilium in ſufficienti ſanguinis detractione repoſitum ſit: qua neglecta vel inſuper habita, nec præſentiſſimæ alias virtutis ad vincendum talem morbum remedia quicquam perficere poſſe, recte colligitur.

Observatio VI.

Cardialgia ſpaſmodica ex plethora & hæmorrhoidibus non rite fluentibus.

Duobus abhinc annis ex Anglia hic caſus ad nos fuit miſſus & conſilium meum requiſitum. Illuſtriſſima fœmina, triginta annorum, ſanguineæ complexionis, ante decem jam annos graviſſima laboravit hemicrania, qua uſu thermarum Epſonienſium fuit liberata. Poſtea maritata, in ipſo puerperio idem malum rediit, atque identidem ope acidularum poſt aliquot tempus ſublatum fuit. Verum non ita multo poſt, intolerabilis inteſtinorum invaſit dolor, per decem dies in inferiori eorum parte conſiſtens cum tumore, qui etiam alvi depoſitionem valde difficilem reddebat. Ubi vero hæmorrhoides fluere cœperunt, ſublevatus quidem dolor, ſed inferior tumor alvi obſtructionem efficiens remanſit, atque etiam ſemper preſſione thoracis, quæ fit in fœminis per ligacula, increvit, qui tamen applicatione allii cum lacte levatus quodammodo fuit. Ab eo tempore labem contraxit ventriculus, ita ut à cibo minus ſalubri vel etiam copioſius ingeſto, anxia compreſſio & conſtrictio circa præcordia fuerit ſecuta: quæ in puerperio ſecundo atrocior reddita, licet carminativis & anodynis exhibitis quodammodo remiſerit, tamen ex toto vinci non potuit. Hanc medicus quidam expugnandam vomitorio promiſit; ſed tantum abfuit ut inde diminuta fuerit, quin potius incrementa majora cœperit. Neque vina medicata, neque laxantia, quæ in uſum ſubjunxit, quicquam profecerunt. Optimum tamen levamen vinum Hungaricum, in quo cinnamomum & caryophylli cum ſaccharo leniter coquebantur, ad duo pocula loco Thée hauſtum, præſtitit. Inde vero facies valde rubicundo pruriente tædii pleno colore perfuſa fuit, qui ſub graviditate multum remiſit. In ipſo vero ſubſequente puerperio tam atrox ſpaſmus ventriculum & præcordiorum regionem per ſeptem fere hebdomades indefinenter afflixit, ut vires inde mirum in modum fuerint profligatæ, omniaque fere ingeſta vomitu rejecta: pari modo à vino Gallico Frontignan vel Hiſpanico quodammodo ſævus hic dolor fuit ſedatus. Interea ſpaſmus primarum viarum ſemper continuat, adeo ut ab omni cibo, ſive in cœna, ſive in prandio ſumto, augeatur: ita, ut interdum caput & pectus conſtringendo, & abdomen comprimendo, afficiat. In ſcrobiculo cordis, circa dextri lateris coſtas ſpurias, dolor ſemper magnitudine ovi gallinacei percipitur, qui interdum remittit, ſed ſub ejus acceſſione, quam ira facile proritat, dorſum occupat & intenſum languorem, externarum quoque partium tremorem inducit. Ceterum, hæmorrhoidum internarum tumor, cum alvi obſtipatione, continuus & fere indivulſus mali hujus fuit comes. Cereviſiam aſſumens, ardorem ſemper cum dolore percipit, qui tamen ſumta magneſiæ doſi miteſcit; quare decocto ex maſtiche & cinnamomo parato, pro quotidiano utitur potu.

Reſolutio.

Meum de hoc affectu ejuſque cauſa & medendi ratione tale fuit judicium. Originem videlicet & cauſam tum cephalici tum cardialgici atque hæmorrhoidalis tumoris & doloris, à nimia ſanguinis ſpiſſi & impuri redundantia, vaſa ſanguinea membranarum capitis, ventriculi & inteſtini recti, præſertim cum ibi non invenerit exitum, ſupra modum diſtendente & diſtrahente, in perſona lautius abſque dubio & nimis quiete vivente, ducendam ac derivandam eſſe putavi. De ſanguinis miſſione nulla fuit mentio facta, quæ tamen ſumme fuiſſet proficua, perinde ac hirudinum ad venas ſedis applicatio. Tempore gravidationis ſemper melius ſe habuit, quia ſupervacaneus ſanguis in nutrimentum fœtus abſumtus eſt. Puerperium exactum, converſo rurſus per ſpaſmos hyſtericos puerperis ſolennes impurioris ſanguinis motu ac impetu ad conſuetas imbecilliores nervoſas partes, exacerbatio mali fuit ſecuta. Nihil omnino ad hanc cauſam removendam & eradicandam, neque emetica, laxantia, neque potus etiam ſpirituoſi, licet levamen quoddam palliativum præſtiterint, conferre potuerunt. Conſilium dedi, ut ter minimum quotannis venæ ſectio in pede adminiſtretur: dein, ut bis in anno curam cum aquis mineralibus inſtitueret, utpote quæ etiam inter initia hemicranicum dolorem ſuſtulerunt feliciſſime. Ejuſmodi enim aquarum ſubtilium & ſpirituoſarum ope, ſpiſſi & impuri humores corriguntur, diluti & fluxiles evadunt, excretiones ſalutares promoventur & partibus nervoſis robur adjicitur,

præsertim, si cura debito diætæ moderamine, motuque corporis decenti secundetur. Id quod nos etiam omni diligentia inculcavimus.

Observatio VII.

Cardialgia spasmodica Carolinis & Tæplicensibus curata.

Tribus circiter abhinc annis, Consiliarius & Nobilis ex Livonia ad me valetudinarium suum statum perscripsit, consilium meum efflagitans. Conquestus nempe est de immani dolore pressorio & spasmo circa præcordia, quo jam per aliquot annos correptus fuit: initium sumens cum extremorum frigore, ab hypochondrio sinistro ad cordis scrobiculum, sternum, pectus, dorsum, imo ad brachia se extendens, cum spirandi angustia, inquietudine, virium omnium dejectione atque anxietate afflixit, quandoque mitiori gradu & haud diu insistens. Admotis fomentis calidis, injectis clysteribus, exhibitisque internis diaphoresin moventibus remediis, sensim redeunte ad partes externas calore, vis mali imminuta quidem vel sopita fuit; attamen ex animi perturbatione aut frigore hiemali ad cutim penetrante, vel incongruo assumto potu ac cibo, promte & facile recruduit. Originem & causam hujus perquam molesti affectus intempestivis & immodicis venationibus, sub cœlo rigido & frigido susceptis, nec non liberalioribus vini potationibus adscripsit. Non nulli ex medicis à defectu hæmorrhoidalis fluxus mali causam accersentes, quem nunquam tamen expertus est, venam pertundi bis vel ter quotannis suaserunt: sed citra omnem salutarem succession. Exquisivit meam de usu Carolinarum sententiam. Ego consilium omnibus modis approbavi, eo, quod plures viderim simili affectu laborantes, qui non nisi interno horum fontium, externo vero Tœplicensium usu, ab atroci malo liberari potuerant. Adjeci illud, quod si stagnatio sanguinis in intestinis crassioribus exitum per venas sedis moliens causam præbeat mali, vix ullum præter has dari neque mihi cognitum esse remedium, quo, si modo natura ad hæmorrhoidalem fluxum inclinet, rectius & facilius promoveri possit. Scripsi quoque post aquarum thermalium potum, balneum Tœplicense in ejusmodi partium nervosarum affectibus longe utilissimum me observasse. Mira enim est ejusmodi aquarum subtilium in infirmis nervosis partibus roborandis, in spasmo constrictis relaxandis, atque in sanguinis & fluidorum motu versus superficiem corporis determinando, efficacia. Auscultavit Generosus & illustris patiens meo consilio: & antequam adiret thermas, suum ad me direxit iter. Ubi præscripto salutari regimine & idoneis atque necessariis medicamentis ipsum instructum dimisi. Quantum levaminis ab hac cura expertus fuerit, revertens dilaudare non satis potuit. Quum postea breviori tempore ac minori gradu accessio facta esset; altero anno, vernali tempore ipse rursus cum uxore has thermas petiit: & utriusque, tam externus quam internus horum fontium usus prosperrimo successu se probavit. Nam, quum per sex annos in sterili vixerint conjugio, uxor gravida reddita pulchrum & bene valentem filium peperit. Ex medicamentis quæ ipsi suppeditavi atque postea transmisi, elixirii visceralis cum liquore anodyno permixti, nec non pilularum balsamicarum polychrestarum, item pulveris præcipitantis nitrosi cum aliquot guttulis olei macis vel chamomillæ veri conspersi usum & virtutes, non sine singulari commodo atque emolumento expertus est.

Epicrisis.

Ejusmodi affectus chronici & inveterati, non tam fluidarum, quam potius solidarum nervosarum & partium, quæ motu & elatere præditæ sunt, nimiæ plerumque coarctationi debentur; quæ si in habitum & consuetudinem degeneraverit, omnia remediorum genera, quæ humoribus corrigendis unice dicata sunt, pene eludit. Hinc neque venæ sectiones, neque laxantia, purgantia, anodyna, diaphoretica, neque etiam diuretica, tali in casu usui sunt, ut potius malum sæpius adaugeant. Præcipuum vero auxilium in ejusmodi remedio, quod totam sanguinis massam omnesque partes solidas moderate & blande afficit, cujus generis fontes & balnea, est reponendum.

Observatio VIII.

Cardialgia, ex frigore & intemperantia, Carolinis, & recurrens balneo curata.

Vir triginta annorum, generosa stirpe ortus, robustæ alias naturæ & structuræ corporis; pectus & præcordia vix unquam commodis tegumentis defendit à frigore, sed linteis & levibus vestibus munitum libero aëri omni fere tempore exposuit. Præterea & ingluviei & poculis deditus, frequentius ad ebrietatem vinis varii generis se immersit. His de causis acerbissimos sæpe dolores, distensionem, lancinationem cum inappetentia, vomitu, anxietate circa stomachi regionem est expertus. Enixe & anxie remedium à me petiit & quæsivit. Misi identidem multa ad demulcendum dolorem interna & externa alias apta, sed speratus effectus non sequebatur, quia plane omnia diætetica respuebat præcepta. Tandem consilium dedi, ut thermas Carolinas & Tœplicenses adiret, iisque cum regimine debito uteretur: & inde etiam levamen, cum ipse ibidem essem, inveniebat præsentaneum. Sed exiguo post curam tempore, inter initia autumni, venationibus deditus, frequentius pedes & femora in stagna & piscinas dimisit. Inde valde refrigeratus; post varios cibos vinum in copia ingessit. Recurrit paroxysmus valde acerbus, qui etiam nundinis Lipsiensibus, me tum præsente, tam graviter eum affligebat, ut omnem fere respirationem tolleret & partibus extremis sudore frigido perfusis, crebroque recurrentibus animi deliquiis, morti videretur proximus. Fomenti calida externa & apta remedia interna allevamenti parum attulerunt. Suasi ut in balneum sive potius semicupium ex aqua & lacte paratum descenderet, & per horam imo amplius in eodem moraretur. Quo facto, postea in lecto liquorem anodynum mineralem cum dimidia parte spiritus Bussii remixtum ex aqua florum chamomillæ vulgaris propinavi. Tum sudore prorumpente id consecutus est, ut dolorum vehementia remiserit, alvus per aliquot dies clausa, jam soluta, & calor ad exteriora fuerit reversus.

Epicrisis.

Quam infestum sit frigus partibus nervosis, inprimisque regioni stomachali & præcordiali, vix credibile est; & plures suo damno id subinde experiuntur. Inde non semel sed sæpius asthma spasmodicum, affectum spasmodico-hypochondriacum & dispositionem ad fluxum hæmorrhoidalem, sed minus rite succedentem, vidi excitatam. Id quod facile ii ex medicis concipere possunt, quibus multa experientia cognitum perspectumque est, quantam consensionem & consor-

conſortium inter ſe partes corporis univerſi nervoſæ alant, adeo, ut una læſa ad reliquas facile idem vitium tranſeat. Deinceps id quoque debet animadverti, quod vitæ aulicæ addictæ, Serenæ & ſplendidæ perſonæ, præ aliis omnibus, ventriculi & maxime cardialgicis paſſionibus expoſitæ ſint; quia vitæ illud genus, quod ejuſmodi perſonis eſt familiariſſimum, cum exactam vitæ & diætæ rationem reſpuant ac perpetuo fere ſaluberrima medicorum hoc in genere præcepta inſuper habeant, ejuſmodi morbis invehendis, materiam, originem & cauſam ſubminiſtrat uberrimam. Poſſem multa recenſere exempla illuſtrium imo Sereniſſimarum perſonarum, quæ fervidiore æſtate glaciato potu, ita ventriculi & primarum viarum tonum atque inde bonæ digeſtionis opus deſtruxerunt, ut per omne pene vitæ tempus multa incommoda, quæ vix ulla medicina poterant tolli, circa præcordia perpeſſæ fuerint.

Observatio IX.

Cardialgia, ex iracundia, ab aſſumto vomitorio funeſta.

Vir in vigore ætatis conſtitutus, nec temperioris natura habitus, ſed ſatis validi, in iram vero valde proclivis, occaſione data, binis mox vicibus graviſſima animi incandeſcentia adeo turbatus, ut frigore & horrore extremæ partes tentarentur; immani mox corripiebatur circa præcordia anxio dolore cum ardore & morſu in ſcrobiculo cordis, nauſea & vomendi cupiditate juncto, totamque noctem tranſigebat inſomnem. Hiſce ſymptomatibus intra viginti quatuor horas maceratus, flagitabat à medico vomitorium & quidem inſtantiſſime. Iſte pulverem, qui tria grana tartari emetici continebat, porrexit. Inde paucam quidem & mucoſam virideſcentis coloris materiam, ſed ſummo labore & anxietate evomuit. Poſcebat aliam doſin, quæ ipſi etiam conceſſa, ſed protinus omnia in deterius converſa. Aſſociabantur continui ructus convulſionis quippiam præ ſe ferentes, ſed nihil amplius rejecit. Præbui vocatus liquorem anodynum mineralem, & videbatur ſymptomatum atrocia miteſcere & remittere per noctem. Sed ipſe patiens impatientiſſimus, altero mane, ob alvum firmiter clauſam, à flatibus hanc tragœdiam fuiſſe ortam reputans, petiit à medico priori ſalis Epſonienſis unciam, quo ad alvum aperiendam alias frequentius fuerat uſus; dedit, ſed protinus priora ſymptomata multo atrociora revertebantur, & viribus omnibus collapſis intra tertium ab emetico diem è vita diſceſſit.

Epicriſis.

Affectus iræ ſi vehementior fuerit, quam infeſtus ſit univerſo generi nervoſo maximeque ſtomacho, eum non modo ſpaſtica ſtrictura dum afficit, ſed & bilem in duodenum magna in copia effundit, graviſſima atque haud infrequenter funeſta, præſertim ſi non ocyus appropriata medicina malorum fomes præſcindatur, quæ inde ſequuntur pathemata ſatis abundeque teſtantur. Et ſicut tali in caſu, leniſſimo emetico, quod ex unciis duabus vel tribus olei amygdalarum dulcium, mellis uncia dimidia, & libra aquæ tepidæ paratur, ad ſpaſmum relaxandum & vitioſam bilem vomitu exturbandam, remedium vix datur præſentius: ita vitæ nihil infenſius nec pernitioſius, præter emeticum vehemens è minerali regno petitum excogitari poteſt, præcipue, ſi primo ſtatim poſt iram tempore porrigatur. Plures novi hac ratione mortuos, non aliter ac ſi verum venenum arſenicale aſſumſiſſent. Hac de re etiam peculiarem diſſertationem: *de emetico poſt iram veneno*, ad præcavenda graviſſima hinc inde illata damna, conſcribere permotus fui. Lethalis enim & cum convulſionibus juncta ventriculi inflammatio, niſi inter initia ſtatim congruis remediis occurratur, inſequi conſueſcit. Poſtremo ex hac morbi & mortis hiſtoria hoc eliciendum duxi, quod, ubi ventriculus ſpaſtice afficitur, medicamina ſalina majori doſi & ſine ſufficiente diluentium quantitate data, ad augendum potius quam minuendum dolorem & ſpaſmum, ſtimulando nerveas fibras, ſint apta atque diſpoſita. Hinc in omni cardialgicarum affectionum ſpecie, ſalini generis medicamenta ſemper diſſuadere ſolitus ſum.

Observatio X.

Cardialgia atonica & inflatione ventriculi, uſu pilularum de ſtyrace chronica facta.

Illuſtriſſimus vir tenerioris & paulo ſenſibilioris naturæ, quinquageſimum ætatis agens annum, à longo inde tempore, cardialgica & fere quotidiana, tempore præſertim autumnali & hiemali, ex ſtomachi inflatione, corripiebatur paſſione, quæ inde ſuam trahebat originem: Ipſe ob exſuperans prima in regione acidum, avidiſſime cibos juſto majori quantitate in prandio præcipue cepit. Sed alvus ſemper pigra exiſtens, nunquam recte reſpondit ingeſtis. Præter hæc, æſtivo tempore fructibus horæis, fragis, ceraſis, malis Perſicis, præter omnem modum, autumno vero uvis, & hieme dulcibus ſe replevit, corpuſque tegumentis idoneis minori diligentia à frigore defendit: omni poſthabita diætæ ratione, & ex toto dictis medicorum ſpretis atque contemtis. Poſt ſumtum cibum ad dextrum ſcrobiculi cordis latus tumor gallinaceum ovum æquans ſe prodidit: mox ſequebatur ſpirandi anguſtia cum facie rubicunda & anxiis ſtomachi compreſſionibus, nec non extremorum frigore, ut in lectum concedere teneretur. Admotis ventriculo & extremis partibus fomentis præcalidis, ructibus præcedentibus vomitu rejecit mucidam tantummodo materiam: poſt aliquot horas, reverſo calore madido in ſuperficiem corporis, à doloribus fuit liberatus. Ceterum Illuſtriſſimus hic Vir interdum autumno catarrhoſis defluxionibus cum gravi tuſſi & inquiete afficiebatur. Medici tum ad præſtandum lenimen, doſin pilularum de ſtyrace cum refracta aloëphanginarum doſi, repetitis vicibus porrigebant. Hinc mitiora quidem reddita ſymptomata; ſed poſtea morbus præcordialis cum inflatione cardialgica, longe majora ſumſit incrementa, adeo, ut quandoque per integram ſeptimanam graviter in lecto decumbere cogeretur. Opem vero tunc temporis atque levamen ſæpius inſigne fuit expertus à leni emetico, dum ab uno tantum tartari emetici grano ſoluto & cum potu diluente ſumto, magna ſaburræ & materiæ pituitoſæ copia vomitu fuit rejecta: quæ obſcuri bruni coloris cum eſſet, metum & ſuſpicionem incuſſit ſanguinis corrupti; cui etiam ſententiæ medici ordinarii ſuffragabantur. Sed ego poſtea accerſitus cum rem penitius inquirerem, Illuſtriſſimum Virum ſæpius uſum fuiſſe potu ſuccolade reperi. Judicavi inde hunc inſolitum colorem accerſendum: & obfirmavit me experimentum à me factum, ubi materia incocta & carbonibus injecta, nullum fœtidum odorem diffundebat.

Epicriſis.

Ex præfata morbi hiſtoria id ſaltim in uſum ſuum medicæ artis tirones depromere poſſunt, quod in tali cardialgiæ, quæ ab atonia & inflatione oritur ſpecie, doloris levandi cauſa, minime quæ opium ingrediuntur, ut ſunt pilulæ de ſtyrace, in uſum ducenda, præſertim quando cauſam morbi vitioſæ & copioſæ ex prava digeſtione provenientes cruditates ſubminiſtrant. Nam utut hæc ipſa cum aliis corrigentibus permixta, in morbis ubi ſpaſmorum atrocia urget circumſpecte data, locum invenire poſſint; tamen ubi robur ipſius ventriculi & primarum viarum deficit, & cruditatum ingens eſt proventus, nunquam, niſi augere velimus mala, præbenda ſunt. Ejuſmodi potius in caſibus, quæ leniter provocant vomitus, educendo ſaburram vitioſorum humorum, utilitatem afferunt deſideratiſſimam; quibus denique tonica & temperate balſamica interne & externe ſubſtitui poſſunt. Ceterum illuſtriſſimus vir omnia remediorum genera aſpernabatur, præter lapides cancrorum quibus cum aqua fontana quotidie fere veſperi utebatur, nec non aquam analepticam ſpirituoſam ex corticibus citri, aurantiorum, pomorum chinæ, cum vino Hiſpanico deſtillatam & julepo roſarum dulcificatam, quam non nunquam aſſumebat.

Plura qui de hac adfectione deſiderat exempla, adeat *Conſult. Medic. Sect. I. caſ. VII. IX. X.*

CAPUT III.

De doloribus & ſpaſmis præcordiorum à calculo felleo ortis, & de ejus generatione.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Calculi fellei ſæviter ſatis affligunt.

SÆviſſimæ quidem ſunt paſſiones, eæque dolorificæ, quæ univerſum nervoſarum partium ſyſtema vel maxime impetentes, totam motuum vitalium œconomiam pervertendo, à calculis in viis & canalibus urinariis ſuſcitantur: ſed non minoris ſævitiæ, nec minoris periculi ſunt illæ affectiones, quæ à calculoſis concretis intra canales bilioſos contentis proficiſcuntur. Uti vero interdum ægre admodum in ductibus qui conſiſtunt urinariis calculi, ita longe difficiliori ratione bilioſi dignoſcuntur & dijudicantur, adeo, ut demum poſt ſectionem atrocium variorum ſymptomatum, quibus per longum tempus afflicti fuerunt ægri, incognitæ cauſæ in ſenſus incurrant. Hinc quum frequentius, quam medici communiter exiſtimant, graves, pertinaces & vix explicabiles ab ejuſmodi calculis foveantur dolores & ſpaſmi, qui præſertim præcordia infeſtant; è re utique fore duximus, hanc in praxi medica utiliſſimam materiam ſpeciali capite includere.

§. II.

In homine crebrius reperiuntur.

Primo annotare licet, quod in nullo animantium genere crebrius ac in humano corpore folliculus felleus calculis refertus obſervetur, & quod hi ipſi ratione figuræ, coloris, magnitudinis, conſiſtentiæ, numeri mirifice inter ſe differant. Vix enim ulla in rerum natura reperitur figura, vix ullus color, qui non in calculis cyſtidis felleæ conſpiciatur. Alii ovalem & rotundam, alii exacte cubicam, quidam triangularem, ſexangularem, octoædram, pyramidalem etiam recipiunt figuram: ſunt, qui fabas, phaſeolos, lentes, piſa, caſtaneas, tribulos aquaticos, nucem moſchatam referunt. Mirum etiam in modum ratione coloris variare ſolent; ſunt, qui cretacei, gypſei, ex albo-cinerei, plumbei coloris obſervantur; frequentius flaveſcentes vel ex flavo rubicundi, bruno-nigricantes, nigri, virideſcentes etiam interſperſis maculis deprehenduntur; alii pluribus coloribus variegati; quidam exterius cruſta cretacea & gypſea obducti, interius nucleum habent ex bruno-rubicundum.

Figura & color variant.

§. III.

Item conſiſtentia.

Ingens etiam eſt differentia bilioſorum calculorum ratione conſiſtentiæ. Quidam ſunt friabiliores & molliores & tales ſunt plerumque albi, cineritii & flaveſcentes valdeque leves; alii ſunt magis compacti, ſolidi & graviores, & tales ſunt quam maxime qui ſaturatiorem colorem habent ex flavo-rubicundum nigricantem, & hi ſæpe lævigati & politi obſervantur. Licet vero ordinario plurimi lapides cyſtici aquæ injecti ſupernatent, tamen ſolidiores & compactiores, quales ſunt maxime lævigati & obſcurioris coloris, ſubmergi & fundum petere non ſemel obſervavimus. Deinde etiam ſæpius vidimus, eos, qui leviores aquæ ſupernatant, ſi paulo diutius in ea detinentur, deſcendiſſe, forſan quod in ipſis poris ſucceſſive particulæ aqueæ ſeſe inſinuaverint. Neque hoc prætermittendum eſſe ducimus, quod lapidum, qui ſupernatant, fragmenta & minores portiones in fundum ſecedant, non ſecus ac in pumice, qui grandioris molis ſupernatat, in pulverem vero redactus deſcendit.

§. IV.

Magnitudo & numerus.

Mirum etiam variat cyſticorum calculorum magnitudo & numerus. Nam certa auctorum probatiſſimorum fide & obſervatione conſtat, totam veſiculam à calculo ingentis magnitudinis, qui aliquot uncias pendebat, valde fuiſſe expanſam & totam ejus cavitatem impletam: quin interdum in defunctis numero triginta, quinquaginta, octoginta, imo trecentos, quorum alii ſunt majoris, alii minoris, alii mediæ magnitudinis, inveniri experientia docet.

§. V.

In ductibus bilioſis humanis rarius offendunur.

In ductibus bilioſis, qui immediate ex hepate vel intra vel extra ejus parenchyma proveniunt, concrementa etiam ſolida ex bile producta, in animantibus præſertim bovini generis frequentius, in humano vero corpore paullo rarius offendi, ipſa loquitur experientia. Dubio procul ob eam rationem, quia bilis hepatica longe liquidior, dilutior quoque eſt ac cyſtica, quæ craſſioris conſiſtentiæ & ſaturatioris etiam coloris, nec non amaricantioris ſaporis obſervatur: deinde, quia in ductibus hepaticis, ex quibus continuo in ſatis notabili quantitate ad duodenum bilioſus fertur humor, non tam diuturnam, quæ requiritur ad fluidi diſſipationem & ſolideſcentis materiæ concretionem, nectere poteſt moram. Si tamen, ut auctores teſtes ſunt, ibi offenduntur, longe friabilioris & mollioris

lioris ſunt conſiſtentiæ, aſperiores quoque, tubuloſi ac flaveſcentes.

§. VI.

Recenſentur experimenta cum calculis felleis humanis facta.

Experimenta, quæ cum calculis felleis ad eorum elementa & ingredientia paullo curatius perveſtiganda & diſcernenda, inſtituimus, hoc loco recenſere operæ pretium videtur. Primo obſervavimus, quod omnes illi, qui ſaturatioris & obſcurioris coloris pauloque ſolidioris texturæ, ſufficienter exſiccati, vel in maſſa, vel in pulvere, candelæ ardenti admoti mox inſtar reſinæ lucidiſſimam concipiant flammam, & toti, exigua ſaltim relicta materia nigra & cineritia fere inſipida, comburantur: illos vero, qui albi & cineritii coloris, gypſeæ & cretaceæ materiæ erant, flammam reſpuere, vel leviter ſaltim eam ſuſcipere & inſtar ceræ in lamina ferrea ignita fluere vidimus. Deinceps annotavimus, eos lapides cyſticos, qui ſolidioris fuerunt texturæ & ſaturatioris coloris, nec à ſpiritu vini rectificatiſſimo, nec ab aqua, accedente etiam leni coctione, diſſolvi potuiſſe. Alio vero tempore à nobis animadverſum eſt, lapides cyſticos, qui ingentis fuere magnitudinis & mollioris ſubſtantiæ, totam fere cyſtidis implentes cavitatem, ultra dimidium in aqua calida fuiſſe ſolutos.

§. VII.

cum calculis bovinis.

Non indignum porro obſervatione eſt, quod qui in hepate ejuſque ductibus in bove reperiuntur & eximuntur calculi ſaturate flaveſcentes & friabiles, difficulter admodum, vel exiguam ſaltem concipiant flammam, in nigrum vero cum fumo, qui crinium inſtar combuſtorum refert odorem, redigantur carbonem. Spiritus vini hiſce affuſus & leniori calore digeſtus, brevi tempore flavo colore tingitur & ſaporem valde amaricantem exhibet. In aquam calidam horum calculorum fragmenta injecta parumper diſſolvuntur, ſed ſaltim levis, flava cum amaricante ſapore extrahitur tinctura.

§. VIII.

cum bile bovina.

Recens bilis ex veſicula bovis deſumta tribus unciis æquans, tam amaricante prædita eſt ſapore, ut una guttula unciam aquæ amarore imbuere poſſit. Hujus uncia in vaſe ſtanneo leni evaporatione in extractum reſiniforme redacta, drachmam vix unam largitur, cujus portio flammæ admota lucidiſſime ardet, dimidio præterpropter in cineres abeunte. In ſpiritu vini rectificatiſſimo ægre ſolvitur, optime vero in aqua atque etiam ſpiritu vini aquoſo: color eſt flavus & ſapor valde amaricans. Quod ſi inſpiſſatæ bili bovinæ liquidiori tenuiſſima argillacea & gypſea materia intime permiſcetur, per exſiccationem exhibet maſſam paulo duriorem, quæ flammæ admota æque ac calculus cyſticus ardet.

§. IX.

Salia non faciunt ad generationem calculi.

His ita conſtitutis & accurate perpenſis plane apparet, ſalia nec alcalia, nec acida, neque neutra vel tartarea, ut communis fert opinio, ad generationem & concretionem bilioſorum calculorum concurrere; ſed eos ex ſulphurea paulo mucidiori bilis portione, intermixta plus minus teneriori glutinoſa vel tophacea materia calore ſucceſſive inſpiſſata in durum quoddam concreſcere mixtum, & variam figuram, variumque, pro differenti partium mixtum conſtituentium poſitu & ſitu, recipere colorem. Nam ſalibus tantummodo haud proprium eſſe ſub variis coaleſcere & concreſcere formis & figuris, id inter alia varii & elegantiſſime ſæpius figurati lapides ex ſola aqua calcarea in cryptis & ſpecubus ſubterraneis, ut ſunt Baumanniana, Scharzfeldiana, guttatim ſtillante producti, luculenter demonſtrant.

§. X.

Geneſeos ratio.

Genuinam autem tam diverſæ configurationis & coloris in progignendis calculis cyſticis rationem ac modum expedite concipere atque invenire, non tam explicatu promtum eſt ac facile, ſed tamen poſſibile videtur. Equidem, ſi conſideramus longe craſſiorem & ſaturatiorem quin etiam amaricantiorem eſſe, quæ in cyſtide detinetur, bilem, ac eam, quæ immediate ex ductibus hepaticis ad duodeni cavum defertur, utpote quæ longe tenuior, liquidior minuſque amaricans eſt: ſique ſimul attendimus bilem, ex qua in ejus folliculo efformantur calculi, ex hepate etiam per minimos ductus, qui recte cyſtico-hepatici nominantur & in tunicam celluloſam cyſtidis finiuntur, in ejus cavitate identidem liquidam & dilutam fieri; non aliam poſſumus durioris conſiſtentiæ reperire cauſam, quam quod in homine ob ſitum veſiculæ felleæ erectum bilioſus humor non continuo flumine promanet, ſed tum demum prorumpat, quando à ventriculo cibis referto ipſa premitur: hinc fit ut vacuo ſub longiori inappetentia ventriculo diutius ibi moram nectere & ſtagnare debeat, atque interea liquidior ejus pars tum per ipſos etiam poros ejus tunicarum, quæ microſcopio inſpectæ oculis non aliter ſe objiciunt ac pannus Indicus vulgo *Neſſel-Tuch*, foras propellatur, craſſiori quæ facile in coagulum abire poteſt, remanente parte.

§. XI.

Figura & coloris.

Prout vero bilis pro diverſa indole & conſtitutione ſeri excrementitii, quod materiam præbet, in tanta varietate corporum infirmorum, non unius ejuſdemque eſt mixtionis ac craſeos, ſed plus minus partibus terreſtribus, tophaceis & in coagulum abeuntibus, item ſulphureis magis vel minus exaltatis, referta, hinc variæ inde reſultant figuræ & colores. In cachecticis enim ſæpius calculi gypſei albicantes inventi ſunt, quinimmo in ipſis ictero chronico laborantibus, copioſa cretacea & gypſea, quæ dubio procul ductibus hepaticis inſedit, per alvum dejecta materia, morbum ſublatum fuiſſe binis obſervavimus exemplis. Ita etiam commemorant *M. N. C. Decur. II. anno VII. obſ.* 145. materiam tophaceam in puero atrophia laborante cum alvi dejectione copioſe fuiſſe eductam, quæ inſtar lateris modo rufo, modo fuſco, modo atro prædita fuit colore.

§. XII.

Cauſæ procatarcticæ

Ad generationem calculorum bilioſorum complures utique cauſas concurrere certiſſimum eſt. Has inter præcipuæ ſunt ætas inclinans: rarius enim in hominibus ætatis florentis, frequentius vero in ſenibus decrepitis ſexaginta, ſeptuaginta, octoginta annorum cyſtidem pluribus & durioribus etiam calculis refertam fuiſſe, permultis obſervationibus confirmamur. Qui deſidem agunt vitam & parum corpus exercent, præ iis qui mobile ſemper vitæ genus colunt, ad ejuſmodi calculoſas concretiones magis idoneos eſſe videmus. Sic quoque in fœminis cerebrius

ætas

vita otioſa

tardior

circulatio sanguinis. brius quam in viris reperiuntur. Quarum rerum hæ in promtu ſunt cauſæ. Progreſſus ſanguinis per venas meſeraicas, per portæ venam & hepar, uti ſecundum naturam & conſuetudinem ſemper paulo tardior & difficilior eſt quam in aliis viſceribus: ita in iis, qui vitam colunt ſedentariam, cujus generis præcipue ſunt ætate confecti & ſequior ſexus, longe ſegnior & difficilior redditur; unde ob impeditiorem ſanguinis per hepar progreſſum fit, ut partes aqueæ & fluidæ in vaſa ſecedant lymphatica, remanente & ſanguinis & bilioſi humoris, qui ex eo ſeparatur, craſſiori ſubſtantia.

§. XIII.

Spirituoſa. Porro ad horum calculorum frequentiorem proventum immoderatum ſpiritus vini item cereviſiæ craſſioris uſum plurimum conferre, non modo auctoritate & fide Cl. SYLVII conſtat, qui *prax. med. libr. I. p.* 302. teſtatur, ſe ex hujus aliorumque potuum generoſiorum abuſu aliquoties icterum & huic ſuccedentem aſciten ut plurimum lethalem obſervaſſe, hepate ſcirrhoſo multiſque calculis & tophis obſeſſo ſubinde reperto; ſed & ipſa ſana ratio id evincit: nam ſpirituoſa inque primis ſpiritus vini, & chylum & lymphàm & ſanguinem ad coagulum quam facile diſponunt. In laboribus enim chymicis ad cryſtalliſationis negotium promovendum ſpiritum vini mixturæ affuſum magnam vim habere, compertiſſimum eſt: præterea, potibus vinoſis & ſpirituoſis corpora nimis incaleſcunt, & diſſipato liquido ſanguinis & humorum incraſſatur maſſa.

§. XIV.

In fœminis quinquagenariis ſanguis ſpiſſus. Deinceps fœminas poſt quinquageſimum annum, ceſſante menſium fluxu, calculis non modo urinariis, ſed & biliariis atque inde gravibus obortis ſymptomatibus tentari, identidem experientia docemur; cujus vix alia ſubeſt ratio, quam quod ſuccreſcente majori ſanguinis in vaſis copia, hic difficilius moveatur, & hinc inde ſubſiſtens ſecedentibus partibus tenerioribus ſpiſſior reddatur. Nec rarius vidimus, ejuſmodi fœminas inexplicabilibus in epigaſtrica regione doloribus expoſitas fuiſſe, ita, ut morti vicinæ ob vehementes anguſtias & anxietates viſæ fuerint, ſuperveniente intenſo ſubinde extremorum frigore, dictorumque ſymptomatum ſingulis diebus circa mediam noctem recurſu, quibus acceſſit dolor in hypochondrio dextro ad totum abdomen interdum ſeſe extendens, cum fœdo ad flavum accedente, faciem totumque corpus deturpante colore; quæ tamen pathemata excluſis per alvum vel ſua ſponte vel artis beneficio excrementis argillaceis prorſus quieverunt.

§. XV.

Enarratio pathematum. Sunt vero varii & valde acerbi generis, quæ calculos ductibus biliariis inhærentes comitari & inſequi ſolent pathemata, ut etiam collective ſumta & conſiderata, eorum præſentiam arguant. Ordinaria fere ſunt: non vagus, ſed in una eademque ſede, hypochondrio nempe dextro circa regionem hepatis defixus & conſtans, premens, gravativus vel etiam acutus cum fœdo plerumque faciei colore, interdum ad epigaſtricam regionem & cordis ſcrobiculum ſeſe extendens dolor; cujus certis intervallis tanta fit exacerbatio, ut tormina ac cruciatus totam abdominis cavitatem occupent, juncta plerumque inappetentia, nauſea, conatu ad vomendum, circa præcordia anxietate, dolore cardialgico, animi defectione, alvo duriori & adſtrictiori: quibus tandem dira & contumax optimis haud auſcultans remediis accedit icteritia. Quidam afflictorum continuo ventris torminibus exagitantur & vitam per multos annos miſerrime trahunt; plurima pars hydrope perit. In quibuſdam gravativus, obtuſus, profundus ſatiſque contumax cum ſenſu ponderis dolor perſentitur, idque plerumque fit, quando mollioribus & minoribus calculis folliculus felleus valde diſtenditur.

§. XVI.

Dolor acutus quid indicet. Intenſior vero & acutior ſi perſiſtit & univerſum ſyſtema partium nervoſarum in conſenſum trahendo vehementes ſpaſticas ſtricturas, non modo circa partes vicinas, ſed etiam remotas, brachii nempe & artuum diſtenſiones, convulſiones epilepticas, neque minus cum pulſu duro & celeri febrem efficit; indicium eſt, calculum & mole & aſperitate inſignem firmiter ductibus biliariis inhæreſcere: ex quibus cauſis tandem fit, ut brevi mortem accerſat.

§. XVII.

Calculi per alvum ſeceſſus. Inter hæc vero omnia, quæ jam monuimus, ſigna, nihil datur certius vehementes à calculo felleo prognatas dijudicandi paſſiones, ac ſi ipſi cum excrementis per alvum ſecedunt; & tum non ſecus ac in calculis renalibus, quando hi ex ureteribus in veſicam fuerunt delati, omnes ſimul & ſemel dolores cum reliquis gravibus afflictionibus ceſſant atque exſpirant, ictero ſaltim excepto qui non ſimul, ſed ſenſim tandem evaneſcit, eo, quod bilis ſanguini & lymphæ intime immixta non tam facile & expedite rurſus è totius corporis ſphæra diſcuti poſſit. Calculi autem hi, qui per alvum deturbantur, non unius ejuſdemque coloris, magnitudinis & numeri obſervantur, atque etiam pro differenti horum ratione, ſedem quam occupare ſolent, ſubindicant: Nam ſi ſunt molliores, dilutioris, vel etiam tophacei & gypſei coloris, è ductibus hepaticis, quibus inhæſerunt profectos eſſe haud levi argumento eſt: ſi vero minores, ſi aſperi, ſi duriores, angulares & coloris paulo ſaturatioris, folliculi fellei hoſpites fuiſſe & per anguſtum illum canalem cum acerbiſſimis ſymptomatibus iter ſuum confeciſſe, haud obſcure colligitur.

§. XIX.

Nullo ſæpe ſymptomate ſtipantur. Ceterum teſtantur obſervationes cæque non raræ, poſt mortem veſiculam fellis multis lapidibus refertam inventam fuiſſe, ubi & corpus à fœdo flavo colore immune & ab aliis etiam gravibus paſſionibus liberum extitit. Cujus rei *ejus ratio.* cauſam ſine ulla dubitatione inde derivamus, quod calculi tam illi qui veſiculam felleam, quam etiam qui renum ſubſtantiam obſident, ſi quiete jacent, nullas valde ſenſibiles procreent moleſtias atque incommoda: quandocunque vero ita vel ratione ſedis vel ratione molis & figuræ ſunt comparati, ut nervoſas exquiſitæ ſenſationis membranas vel ductus violenter lancinent aut diſtendant, protinus tota œconomia actionum vitalium & animalium in univerſo corpore perturbatur. Idque non tantum fit, quando calculi per ductum cyſticum ad cholodochum iter ſuum conficiunt, ſed & quando ipſa veſicula fellea, quæ membranis nerveis ſenſibilibus ob dextri intercoſtalis nervi interſperſas ramificationes, gaudet, à nimium aucto bilis coagulo vehementer & ſupra modum

diſten-

diſtenditur, tunc non ſecus ac in veſica urinaria, ſi ingentis molis quandoque ad ſex vel octo uncias accedens, quale exemplum nuper habuimus, ibi hoſpitatur calculus, ſymptomatum acerborum caterva corpus obruitur. Legimus enim apud auctores ſpectatæ fidei, felleam veſicam tam grandem à copioſo intus hærente ſolida materia fuiſſe deprehenſam, ut naturalem magnitudinem vel triplum ſuperaverit.

§. XX.

Dolores ex calculo felleo periodici.

Dantur etiam dolores & ſpaſmi cum conſuetis ſymptomatibus juncti ex calculis felleis oborti, certis periodis invadentes & repetentes. Ita notabilis eſt caſus, quem B. PETERMANNUS in diſſert. *de ſcrutinio icteri ex calculo veſiculæ fellis* recenſet, ubi quidam ictero annuatim periodico cum doloribus afflictus eſt, qui vero poſt evacuationem lapilli baccæ lauri ſimilis ceſſavit: altero anno cum idem morbus rurſus invaderet, exhibitis convenientibus remediis rejecti ſunt per alvum plus quam ſexaginta calculi flaveſcentes, quorum alii rotundi & lævi, alii anguloſi & aſperi, alii molliores, alii duriores fuere, magnitudine partim phaſeolos & piſa, partim quoque lentes referentes.

METHODUS MEDENDI GENERALIS CUM CAUTELIS.

§. I.

Perſpectis ſic omnibus & ſingulis, quæ ad hiſtoriam hujus affectus, tum quoad cauſas & prognoſin, tum quoad eum dignoſcendum faciunt, pertinentibus circumſtantiis; ſequitur nunc, ut etiam ſolliciti ſimus de accommodatis ad eum tollendum vel mitigandum ſaltim, vel ad eorum generationem præcavendam præſidiis. Quemadmodum vero duplex ſemper morbis medendi via eſt; altera quæ in paroxyſmo, altera quæ extra eum locum invenit, dum in illo medici conſilium magis ad ſymptomatum, ſpaſmorum & dolorum ingraveſcentium mitigationem & allevamentum: extra paroxyſmum vero ad removendas cauſas directum eſſe debet; ita etiam hanc in præſenti affectu locum obtinere exiſtimamus.

§. II.

Spaſmus ſedandus anodynis & demulcentibus.

Nihil itaque antiquius eſſe debet medico, ac ut ſæva illa, quæ à ſpaſticis nervoſarum partium ſtricturis circa præcordia & etiam partes vicinas excitantur, quodammodo leniantur ſymptomata; cui ſcopo obtinendo, quæ anodyna, demulcente & fibras nimis ſtrictas relaxante virtute gaudent, egregie ſerviunt. Hujus generis ſunt ex pinguibus interne ſumendis oleum amygdalarum tam dulcium, quam amararum, recens ſperma ceti: externe vero pinguedo cati ſylveſtris, caſtorei &c. Ex demulcentibus lac, ſerum lactis dulce, emulſiones ex ſeminibus IV. frigidis, infuſa vel decocta ex radice altheæ, herba parietariæ, floribus malvæ, papaveris rhœados, ſambuci, quibus addi poteſt ſyrupus de althea Fernelii. Ex anodynis ſpiritus nitri dulcis rite præparatus, liquor anodynus mineralis, extractum croci, papaveris rhœados. Ex antiſpaſmodicis pulvis ex lapidibus cancrorum, cinnabari & nitro paratus, cui tantillum extracti croci adjici poteſt, pulvis antepilepticus Marchionis, pulvis lumbricorum terreſtrium, pulvis antepilepticus niger & qui ex raſura ungulæ alcis, cranii humani, nec non lepore ex utero ſecto & exſiccato parari ſolet, præſertim quando ex iis cum aquis florum blanda anodyna virtute gaudentibus concinnantur mixturæ.

§. III.

Externa.

Externe epithemata & ſacculi ex emollientibus & carminativis ſpeciebus parati, vel etiam veſicæ decoctis florum emollientium & paregoricorum repletæ partibuſque affectis applicatæ, plane ſingulare dolorum & ſpaſmorum lenimen afferre ſolent. Expedit quoque ad dolores ſopiendos clyſmata ex lenientibus parata ano crebrius infundere, nec non alvum per blandum laxans; quale eſt, quod ex manna, rhabarbaro, agarico recenter trochiſcato, cremore tartari & id genus aliis confici ſolet, leniter ducere.

§. IV.

Extra paroxyſmum cauſa morbi evellenda.

Extra paroxyſmum vero quieſcentibus ſpaſmis & doloribus ad cauſam mali funditus evellendam, ad obturatos meatus felleos aperiendos & ad calculos, ſi ipſis firmiter inhæreſcunt, quantum fieri poteſt, extra corpus propellendos utique alia medendi via eſt ineunda. Ea enim, quæ ſtrenua ſua virtute jam dictos effectus præſtant, in uſum vocanda, cujus generis ſunt infuſa & decocta ex aperientibus, reſolventibus, diſcutientibus & excretionem promoventibus, vel ex aqua ſola vel vino permixta parata v. g. radice rub. tinctor. graminis, aſparagi, petroſelini, pimpinellæ, ariſtolochiæ, curcumæ, cichorei, glycyrrhizæ; additis poſtea rhabarbaro, trochiſcis de agarico, tartaro tartariſato, terra foliata tartari vel ſale polychreſto & ſyrupo de althea Fernelii. Quæ decocta, ſi convenienti doſi & longo ſatis tempore in uſum ducuntur, in hiſce affectibus debellandis magna vi gaudere, experientia & multis obſervationibus evicti ſumus. Clariſſ. SYLVIUS *in prax. med. Lib. I. Cap. XLV.* & ex eo Celeberrimi nominis Itali medici LANCISIUS, item BIANCHI inter medicamenta calculos bilioſos ſpecifica quadam vi diſſolventia, decoctum radicis graminis, graminiſque ſuccum mirifice laudant atque commendant, hac potiſſimum ducti ratione, quod boves & oves menſe Maii, quo gramine viridi veſcuntur, ſenſim ab omni cruſta lapidoſa liberentur, quæ tempore hyemali, ubi fœno nutriuntur, in eorum folliculo fellis concreſcere ſuevit.

aperientibus

decocto radicis graminis.

§. V.

Radix pareiræ bravæ.

Præter hæc radix pareiræ bravæ haud ita diu ex Braſilia in Europam translata ad drachmas duas in libra una aquæ leniter decocta, potum admodum ſalutarem in omni calculo etiam in aſthmate humido præbet, ſi tertia ejus pars tribus ſingulis horis cum pauxillo ſacchari tepide bibitur: hac enim ratione icterum felleum cum torminibus & ingenti dolore ſtipatum intra viginti quatuor horas diſcuſſum in *l'Acad. Royale des Sciences Anno* MDCCX. p. 76. legimus.

§. VI.

Pulvere millepedum.

Nonnulli etiam millepedes vivos vino infundendos & ſiccatos in pulverem terunt & hos ipſos cum ſalibus neutris, ut ſunt terra foliata tartari, ſal polychreſtum, tartarus vitriolatus & tartariſatus, ſolutio oculorum cancri, parca & refracta doſi ad obſtructos hepatis meatus expediendos & ab omni bilioſa amurca liberandos maxime

Cura Avicennæ.

maximi faciunt. AVICENNÆ vero cura, uti in ictero chronico, à veteribus medicis magni semper habita est, ita etiam eam in iis, quæ in meatuum biliariorum obstructione & bilis ad concoctionem ciborum necessarii præpedito affluxu, consistunt vitiis, locum habere posse haud dubitandum est. Vetustissimus vero hic auctor lumbricos siccatos cum vino albo & saccharo ad saporis gratiam sumtos plurimum laudat, vel etiam horum pulverem cum syrupo de byzantiis in pilularem redigit formam & crebrius vesperi propinat, postridie superbibendo serum caprillum, ex lacte à capris, herbis prius aperientibus, fœniculo, apio, petroselino, rusco, lupulo, eupatorio, asparago, nutritis desumto, relicta ejus caseosa substantia paratum. Ceterum externis quoque leniendis gravioribus symptomatibus occurrere è re erit. Faciunt huc plurimum epithemata hypochondrio dextro applicata, quæ ex floribus chamomillæ vulgaris & Romanæ, herba scordii, absinthii & cardui-benedicti, aqua florum sambuci & vino rubro præparantur, si frequentius de die renovata admoveantur.

§. VII.

Ultima spes in aquis medicatis.

Hæc vero omnia quando inaniter & incassum longo tempore usurpata fuerunt, ultimo tandem spes est sanitatem recuperandi in aquis medicatis naturalibus tam thermalibus, quam etiam sic dictis acidulis; inter quas celebrioris famæ & effectus sunt thermæ Carolinæ, Aquisgranenses, aciđulæ Egranæ, Pyrmontanæ, quibus certe magna & efficax virtus inest rebelles chronicas, quæ ab obturatis & crasso humore farctis viscеribus, præsertim hepate, proveniunt, persanandi passiones, si corpore prius probe præparato, soluta nempe plethora, vel cacochymia attemperata, debito regimine tum interne tum externe adhibentur.

CURA PRÆSERVATORIA.

Præservatio libero sanguinis circulo per viscera obtinetur.

Cum in superioribus dilucide satis ostensum sit, quam gravia & sæpius funesta calculi fellei, præsertim si exitum per angustos & valde sensiles canales nerveos moliuntur, excitent symptomata; circumspecti nunc erit medici, ut, ubi in corpore ad eos progignendos dispositionem invenerit, id omnibus modis impediat. Quod nostra quidem sententia vix rectius & meliori successu fieri poterit, ac si diligenter ad progressum & cursum sanguinis per mesenterium, per viscera abdominis inprimisque per hepar attendat, an liber ille ac integer, an vero difficilis & præpeditus sit; quandoquidem ex hoc, tanquam ex fonte sicut plurimi hepatis morbi, ita etiam calculosæ concretiones in hoc viscere proveniunt. Nam quo spissior est sanguis & serum multis glutinosis partibus refertum, eo bilis ad coagulationem magis promta atque proclivis est: & quia graves illæ chronicæ passiones, cachexia, hydrops, ictерus, asthma hydropicum ex retardato sanguinis per hepatis viscus progressu identidem nascuntur, non mirum est, in corporibus, quæ ejusmodi morbis defunguntur, passim id testantibus observationibus, concreta calculosa in folliculo felleo vel etiam ductibus biliariis inventa fuisse.

Quæ huc faciant.

Quicunque itaque ex medicis hos morbos prudenter avertere vult, is ejusmodi remedia præscribere & in usum ducere debet, quæ in genere morbis, qui ex vitio hepatis nascuntur præcavendis dicata sunt, cujusmodi sunt fontes medicati & minerales, item potus diluentes, ut serum lactis cum convenienti regimine, sufficienti motu & exercitatione corporis usurpati, nec non medicamenta, quæ tenaces viscidos humores dissolvunt, & acidum, quod fere omnis coagulationis principium est, destruunt, uti sunt decocta ex radicibus quinque aperientibus, præsertim si cum sale polychresto, terra foliata tartari, nitro acuuntur, item elixir temperatum viscerale cum æquali parte essentiæ rhabarbari saturatæ permixtum, cujus frequentem usum in ejusmodi morbis hepatis præcavendis non modo tutissimum, sed & efficacissimum semper deprehendimus. Præterea tempestive instituta sanguinis missio, potus sufficiens, temperatus & modicus victus, parcior cerevisiæ crassæ, vini, spiritus vini ac calidorum medicamentorum purgantiumque usus, sicuti nunquam non à molestis & chronicis passionibus, ita etiam à præfatis hepatis morbis corpus egregie vindicant.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Calculi fellei in plethorico venæ sectionis expert

Vir generosus sexagesimum & sextum jam supergressus annum, sanguine & succis plenus, lautæ & vinosæ diætæ assuetus, jam fere per decem annos dolores modo ex calculo, modo podagricos est expertus. Ante aliquot annos immanes dolores accesserunt circa vesicæ regionem cum ingenti gravitatis ibi sensu, qui susceptо corporis motu augebatur. Aderat simul titillatio circa pubem & perineum, & veluti stillicidium sequebatur urinæ, ut vix potuerit inhiberi: stimulus quoque ad alvum deponendam persentiebatur, atque urina prodibat alba, turbida, cui sedimentum mucosum inerat; interea dolores nephritici & podagrici conquiescebant. Æger immensis fractus doloribus & viribus sensim privatus ac emaciatus tandem supremum diem obiit. Dissecto post mortem corpore, lapis in vesica VIII. uncias pendens inveniebatur, & pelvis renis sinistri, lapidem firmæ instar marmoris consistentiæ drachmas VI. pondere habentem involvit; in cystide vero fellis plus quam LXX. minoris vel majoris magnitudinis calculi deprehendebantur, quorum nonnulli tam pulchre lævigati, politi, variegatique erant coloris, ut jaspidum instar annulis aureis à curiosis includerentur.

Epicrisis.

Retulerunt mihi de hujus ægri statu, quod aversatione quadam naturali nunquam venæ sectionis remedium passus neque etiam inclinante ætate, sanguinis excretionem natura molita fuerit, quam tamen in juventute per nares frequentius fuit expertus. Relatum quoque accepi, quod pater ejus podagricis & nephriticis doloribus sæpius fuerit tentatus. Quibus circumstantiis probe animadversis, haud sine ratione colligi poterit, nimiam sanguinis & succorum exsuperantiam, in corpore, per nativitatem hæreditario quasi jure imbecillitatem ad calculum trahente, præsertim sub quieto reddito vitæ genere & intemperantiori vini usu, adeo numerosæ calculorum concretioni, non modo qui in vesica & renibus, sed & fellea cystide delituerant, primam originem & causam subministrasse. Sententia in hac ego confirmor exemplo celeberrimi nominis Archiatri, qui cum per totum vitæ cursum abstineret ab omni sanguinis missione,

per

per plures annos calculoſa nephritide laboravit, cui tandem acceſſit icteritia; ad quam tollendam dum præſcriberentur mixturæ vi aperiente & laxante pollentes, ſeptem per anum calculos excluſit. Ex quibus demum id in uſum præſervatorium ad dictos morbos avertendos colligere licet, quod venæ ſectio in ſtatu plethorico neglecta, ad procreandos dictos aditum patefacere poſſit morbos, tempeſtive autem admiſſa, corpus ab iis vindicari queat. Diſcere etiam id ex commemorata morbi hiſtoria licet, plures in fellea cyſtide calculos ſine incommodo & dolore conſiſtere poſſe, modo non affectent exitum per anguſtos canales, quorum nimia & violenta diſtenſio tot graviſſimorum & pene lethalium ſymptomatum vera & genuina cauſa unice evadere poteſt.

Observatio II.

Calculi fellei in hydropico & icterico, vomitu rejecti.

Primarius hujus urbis civis, ſexageſimum jam quintum agens annum, ictero & tumore hydropico laborabat. His plura remediorum genera fruſtra opponebantur. Tandem medicus hujus loci infuſum corticis medii ſambuci ex vino, paulo largiori porrexit doſi: inde factum, ut à medicamento & vomitiones & alvi dejectiones ſtrenue concitarentur, & quod valde erat notabile, per ipſum vomitum ſucceſſive numero viginti lapides ex flavo viridis coloris, diverſæ magnitudinis, valde latæ ſuperficiei, figuræ tam quinquangularis quam anguloſæ, drachmam vel unam & dimidiam ponderantes, quorum ego adhuc aliquot in rarithecio meo recondo, rejecti fuerunt; idque ſine præcedentibus lateris dextri torminibus. Ceſſavit inde quidem icterus, ſed remanſit tumor hydropicus, qui etiam augmentum ſumens, laborantem è vita ſuſtulit.

Epicriſis.

Id maxime præfato in caſu memorabile atque conſideratione dignum videtur, quod ſine atroci dolore præcedente, ex tam anguſto nerveo canali, qualis eſt cyſticus, tot numero lapides tam inſignis magnitudinis & figuræ potuerint propelli. Ego itaque in hanc deveni meditationem vel potius conjecturam, quod in ipſius duodeni flexura ejuſmodi lapides à bile craſſiori & terreſtriori ſucceſſive concreſcere & progigni potuerint. Nam quod in ipſis inteſtinis, præſertim ubi in flexuram abeunt, variæ formæ & magnitudinis calculi ex præterlabentibus humoribus apponi & compingi poſſint, id non pauca à fide dignis auctoribus memorata exempla teſtatum faciunt. Neque prætereunda hanc in rem eſt animadverſione digniſſima obſervatio, quam Cel. LUC. SCHROECKIUS. M. N. C. *Dec. I. ann. IX.* inſeruit, ita ſe habens: *mulier annorum ſeptuaginta quinque de ventris torminibus, flatibus, ac aliis pathematibus hypochondriacis ſæpius conquerens, reſpiratione ſubinde, ad ſuffocationis metum ſubſequentibus animi deliquiis ſuppreſſa, ita ut de vita ejus actum eſſe adſtantes judicarent, ſubito in colo obtuſos perſentiebat dolores, ſenſim adeo increſcentes, ac inteſtinum rectum lancinantes, ut præ atrocitate doloris diſrupturam ani pertimeſceret, donec tandem calculum valido conatu, divaricatis cruribus ſtando deponeret, ponderando unciam cum drachmis duabus, color erat caſtalinus eleganter lævigatus & potius ex cinereo flaveſcens variegatus, ex lamellis aliorum calculo-*

rum more ſenſim concreſcentibus conſtans: interna ſubſtantia meros oſtendebat circulos ſtriis interſectos; indicio haud obſcuro, eum fæces inteſtinales eſſe induratas. Pertinet huc quoque ſimilis obſervatio FERNELII quam *lib. VI. c. IX. de partium morb. & ſymptom.* prodidit, calculos in inteſtini coli, cœci valvulis fuiſſe repertos referens. In equis grandes lapides libram & ultra pondere æquantes, inſtar marmoris duros & politos, in flexuris inteſtini coli inferioris, Altenburgi & nuper in pago *Herrn-Goſſerſtädt* fuiſſe repertos & mihi monſtratos teſtari plena fide poſſum. Ceterum de calculis in inteſtinis progenitis SYLVATICUS *Cent.* III. *Conſultat.* VII. it. ZACUT. LUSITANUS *lib.* III. *prax. admirand. obſ.* 133. haud parum luculentum teſtimonium exhibent. Nihilo minus non plane etiam incredibile eſt, in ductibus biliariis hepatis minimos felleos calculos primum poſſe hærere, ſenſim à præterlabente bile augmentum capere, & ſucceſſiva horum ductuum ingenti dilatatione facta ibi diutius ſubſiſtere, donec per valida medicamenta fortiorem ſyſtolen ductuum intendentia expurgentur: atque in hanc ſententiam ob eam rationem deduci quiſpiam poterit, quod ſtatim à rejectione lapidum per vomitum icteritia ſublata fuerit.

Observatio III.

Intolerabiles dolores à calculis in cyſtide.

Ante aliquot luſtra artifex enſifaber, per integrum ante obitum biennium de intolerabilibus & fixis morſibus, doloribus, ardoribus circa præcordia in dextro hypochondrio, quaſi ignitos in corpore aleret carbones, conqueſtus eſt, qui totum ſæpe abdomen acerbiſſimis tormentis occupabant, cum fœdo faciei colore, animique deliquio intercurrente. Poſt mortem ejus veſica biliaria tota erat calculis repleta: nam ultra ſexaginta ſex grana, partim piſa, partim globulos referentia, bilis coagulatæ & lapideſcentis continebat. Circumjacentes vero partes, præſertim inteſtinum colon, nec non pars duodeni cum pyloro, item ventriculi fundus fœdo flavo colore tinctæ conſpiciebantur, earum tunica exteriori corroſa.

Epicriſis.

Sævi dolores & tormenta, quæ circa hepatis regionem in dextro hypochondrio fixam ſedem habent, non tam à calculo quam potius ipſa bile, per poros; cum non liberum habeat exitum, transſudante & partes circumjacentes arrodente oriuntur. Legi meretur de hac re STALPARTUS *van der* WIEL *cent.* I. *obſerv.* XLVII. qui in apertis infantum cadaveribus, ventris doloribus, nauſea, vomitu, febre ac convulſionibus, nec non cardialgia correptorum ventriculum non intrinſecus, ſed & extrinſecus bilis flavo colore infectum ſe reperiiſſe, fidem facit.

Observatio IV.

Saviſſimi dolores in hypochondrio dextro ab amurca biliosa.

Aliquot abhinc annis requirebat à me conſilium honeſta fœmina quadraginta & aliquot annorum, quæ à multo inde tempore pathematibus hyſtericis cum ſuffocatione junctis erat obnoxia, quandoque etiam incidebat in icterum recidivantem, modo longiori modo breviori tempore perſeverantem, ſub lauto victu, otio quoque maximam vitæ partem tranſigebat: vacuationes

menſium & hæmorrhoidum quibus ſubjecta erat, parcius & non ſtato tempore procedebant, corpuſque ingraveſcere ſubito & ex improviſo cœpit. Intolerabilem in dextro latere & ſub coſtis ſpuriis perſentiebat dolorem cum nauſea, vomendi conatu, vehementi præcordiorum anxietate, ſpirandique ad ſuffocationem difficultate: circa ſcrobiculum cordis perſiſtebat dolor vehemens preſſorius, qui etiam ad umbilicalem uſque ſe extendebat regionem. Alvus erat obſtructa, urina ſuppreſſa, pulſus cum æſtu celer & nocte levi delirio corripiebatur, ſummaque aderat corporis jactatio, inquietudo cum extremorum frigore: quæ cuncta, per biduum, mala & tormenta perſiſtebant. Suppoſito clyſtere fæces inſtar albi græci ſecedebant. Datis pulveribus anodyno-antiſpaſmodicis & infuſo florum chamomillæ vulgaris, potibus calidis oleo amygdalarum dulcium alteratis & fotu emolliente in veſica ſuilla loco affecto appoſito, remiſſio ſymptomatum ſenſim ſenſimque facta, ſeceſſerunt fæces naturali colore tinctæ, & abdominis quoque dolorifica diſtenſio atque inflatio, leni oborto ſudore interjectis aliquot diebus fuit diſcuſſa. Sedato morbi impetu per vices potio, quæ conſtabat ex rhabarbaro, radicibus quinque aperientibus, radice curcumæ, ſummitatibus centaurii minoris, agarico trochiſcato, terra ſoliata tartari, ſemine fœniculi, tartaro tartariſato, & nitro purificato ex aqua ſummitatum millefolii & vino propinata. Ita ſenſim magna copia craſſarum bilioſarum fæcum fuit educta, ægri optata virium cum tolerantia. Quæſitum à me fuit, quænam ad recidivam tam immanis dolorifici affectus præcavendam eſſent utilia remedia; & num inſtante vere acidularum potus conveniens ſit? In reſponſo ego cauſam atrocis hujus doloris & inſequentium ſymptomatum non quidem à lapide ſolido & compacto, ſed amurca bilioſa ductum cholodochum obturante, & bilis ad duodenum progreſſum retardante reponendam eſſe judicavi, eam ob rationem, quia mihi ſimiles in praxi caſus obtigerunt, ubi ipſis calculis per ſedem rejectis mox omnia gravia conquieverunt ſymptomata. Ego vero potum acidularum Egranarum, præſertim ſi calidæ bibantur, ſumme proficuum judicavi.

Epicriſis.

Male affectum in hac nobiliſſima ægra iecur eſſe ibique ſedem ponendam hujus ſubitæ & dolorificæ affectionis, ex hiſce cauſis judicandum cenſui: quia non ſemel, ſed aliquoties icterum perpeſſa; dein quod ſub paroxyſmo alvi ſcybala rejecta fuerint: tum, quod ſub otioſa vita & lautiori victu, præſertim ubi vacuationes per hæmorrhoides & menſes non rite ſuccedunt, quam facile obſtructiones in hepatis vaſis, quæ calculorum generationi velificantur, fieri poſſint. Et utut non ſemper miteſcente malo calculi ſub forma ejiciantur duri & ſolidi, ſuffecerit tamen, quod materia bilioſa tenax, ad concreſcendum valde apta, ſimilem in obturandis ductibus effectum ac calculus verus, quando exitum per anguſtos canales molitur, producere valet, quæ ſi ad cavitatem inteſtinorum delata cum reliqua vitioſorum ſaburra rejiciatur, dolor conquieſcit. Quod vero hæc affectio morboſa comitem non habuerit icteritiam, inde deducendum puto, quod obſtructio illius ductus non diu perſeveraverit. Tandem etiam & illud monendum exiſtimo, quod calculi fellei, ſi minoris fuerint molis cum fæcibus inſenſibiliter ſæpius projiciantur.

Observatio V.

Dolor fixus in regione hepatis excreta materia tophacea ſedatus.

Aliquot ante annos, contumaci icteritia, Vir Ampliſſimus annorum quinquaginta, tenerioris corporis & melancholici ſic dicti temperamenti, laborabat. Dolor fixus erat circa jecoris regionem lancinatorius & preſſorius. Quotieſcunque quippiam ore, ſive alimentum, ſive medicamentum aſſumebat, ſumma circa præcordia inſequente anxietate, vomitu mox omnia rejiciebat. Totum corpus flavo fœdo colore tinctum conſpiciebatur, fæceſque gryſei coloris prodibant. Ego in conſilium accitus, tum ad ſedandum dolorem & ſpaſmum, tum ad roborandum ventriculum efficacia alias remedia præſcripſi; ſed nihil opis tulerunt. Ex omnibus tamen arcanum duplicatum, minori ſed repetita doſi, item liquorem noſtrum anodynum, ex aqua ceraſorum nigrorum exhibitum, citra offenſam ferre poterat. Extrinſecus jecoris regioni epithema ex vino rubro, in quo coquebantur, herba abſinthii, flores ſambuci & chamomillæ vulgaris ac Romanæ, crebro imponebatur. Interne emulſio ex ſeminibus IV. frigidis, amygdalis dulcibus & amaris, ſemine papaveris albi cum aquis florum confecta, per intervalla frequentius fuit propinata. Ita ſenſim miteſcebant dolores atque ſymptomata, urina inſtar craſſæ cereviſiæ rubra prodibat & alvus ſponte aperiebatur, ac quod valde notabile erat, fæces ſecedebant albæ, tophaceam & calcaream minus ſolubilem ſubſtantiam referentes, cujuſmodi dejectiones cum difficultate per ſeptimanæ fere ſpatium continuabant. Quod naturæ beneficium, leni laxante ex rhabarbaro, manna, & cremore tartari ſecundavimus, ſubjunctis poſtea medicamentis temperate balſamicis. Ita intra menſis ſpatium cura fuit feliciter abſoluta.

Epicriſis.

Nobiliſſimus hic tenerioris & melancholicæ conſtitutionis vir, in officio valde laborioſo, quod ſedentariam vitam atque ingentes mentis contentiones & fatigationes expoſcebat, erat conſtitutus; & quum multo jam tempore ventriculi imbecillitate & ex hac proveniente lenta febre laboraſſet, ceteris nihil proficientibus, tandem à me leni emetico hæc fuit evicta, quo ingens vitioſæ & corruptæ bilis copia educta. Non mirum proinde eſt, eum incidiſſe in talem hepatis morbum. Illud vero in hoc caſu explicatu difficile admodum videtur, unde copioſa illa gypſea materia alvo excluſa prognata fuerit, ubi ſedem habuerit, & unde ejus color albicans ſuborta? Si conjecturæ rationali tamen locus eſt, crediderim in ductibus hepaticis eam in principio hæſiſſe, productam ex bile terreſtribus fixioribus particulis referta, pinguioribus vero oleoſis deſtituta; quæ poſtea ad ductum cholodochum delata, eum obſtruendo memorata concitavit ſymptomata; quandoquidem ego hac in ſententia ſum, multum bilioſum humorem, ratione materiæ & ingredientium ex quibus componitur, pro corporum diſpoſitione & maxime ſtatu valetudinario variare, adeo ut varii generis impuritates ipſis ſæpius immiſceantur: & ab hac cauſa omni procul dubio etiam, tanta ratione magni-

magnitudinis, coloris & conſiſtentiæ in calculis diverſitas, & tam valde differens bilioſi humoris actio & operatio nervoſis partibus plus minus infeſta ducenda & derivanda venit. Poſtremo illud hoc loco inſerendum putavi, epithemata ex roborantibus & leniter diſcutientibus parata, extrinſecus regioni hepatis in ictero pertinaci & aliis hepatis vitiis applicata robur & tonum huic viſceri conciliando egregiam opem ac levamen conferre : quod crebriori experientia confirmatus ſcribo.

Observatio VI.

Acutiſſimus circa hepar dolor ex calculo felleo.

Uxor Judæi quinquageſimum & quintum ætatis agens annum, macilenta & imbecillioris naturæ, animique diuturno mœrore ob calamitates domeſticas ſæpius perpeſſas valde macerata, colicis pariter ac cardialgicis doloribus ſæpius obnoxia, derepente à purgante aſſumto, in acutum & vix tolerabilem hepatis regioni firmius inſiſtentem incidit dolorem, intercurrentibus inteſtinorum cum alvo adſtricta doloribus qui per intervalla remittebant & quieſcebant. Accedebat ſeptimo die icterus, fœdo colore totum corpus perfundens. Quibus ſymptomatibus per menſem fere jactata, adeo privabatur viribus, ut morti propinqua videretur. Nil proficientibus euporiſtis, & quæ ab aliis præſcripta erant medicis, petitum etiam à me fuit auxilium. Juſſi ego primum, decoctum radicis curcumæ cum ſale tartari & aqua paratum valde ſaturatum, cum cereviſia potui dari. Dein potionem laxantem ex mannæ unciis duabus, cremoris tartari drachma & dimidia, nitri purificati granis XII. olei amygdalarum dulcium uncia una ſemis paratam, mane per vices hauriendam præcepi, qua octo ſedibus magna viſcidorum & bilioſorum humorum colluvies eſt educta. Tum regioni dolenti veſica ſuilla, olei calidi plena, ad demulcendam doloris ſævitiam fuit admota. Poſt aliquot dies dolores ſenſim miteſcebant & ægra cum ſanitate in gratiam rediit. Hoc paroxyſmo, mitioribus tamen ſymptomatibus ſtipato, aliquoties poſtea per annum cum affligeretur, non præſtantius unquam ac in dictis remediis auxilium invenit. Interea retulit mihi ægra, quod inter excrementa ſæpius duri globuli piſorum inſtar in paroxyſmo & extra eum prodirent. Ceterum Halberſtadium ſe contulit, ibique, ut intellexi, valetudinaria perpetua degit.

Epicriſis.

Fœminæ cachecticæ quam facile in morbos hepatis, icterum flavum & nigrum incidunt; neque mirum eſt huic viſceri calculos ingenerari, præſertim quando non amplius tributum lunare perſolvunt & mœrore afficiuntur. Ex curcuma petendi auxilium in hoc affectu permotus fui, ob hiſtoriam, quæ legitur in *Clave Pharmaceutica* B. mei *Parentis* & ſic audit. *Cum Clariſſ. Dominus* Chriſtianus Gueinzius, *meritiſſimus olim Gymnaſii noſtri Rector p. m. aliquando acutiſſimis dextri hypochondrii doloribus uſque etiam ad medicorum deſperationem de reſtitutione in ſanitatis plenum torqueretur. Medicis reliquis conſultantibus ultro citroque de remedio aliquo appropriato huic affectui adhibendo, tandem* D. D. BENEDICTUS OHEIMIUS *medicus ſine pari* ϛοχαϛικὸς *p. m. ſemi drachmam radicis curcumæ in hauſtu cereviſiæ calidæ butyraceæ propinavit, à cujus uſu elapſo bihorio dolores dicti non ſolum remiſerunt, ſed & per ſeceſſum ipſo ſalvo lapilli aliquot ſubluteo colore ſplendentes in pelvim ſubſtratam excreti fuerunt; quos quidam medicorum ex inteſtinis, ego autem ex fellis folliculo ſeceſſiſſe judicavi. Elapſis duodecim & circiter annis poſt eadem perpeſſus ſymptomata, ſed defuncto tunc laudato* D. OHEIMIO *p. m. & nullis excretis lapillis, in quos cauſam mortis refero, hujus iter adiit.* Potionem mannatam cum oleo amygdalarum dulcium ſæpius conducibilem ad calculos etiam renales, ſi ureteribus firmius inhæreſcunt, in veſicam promovendos deprehendi; qua non modo fæces inteſtinorum, ſed & flatus, qui ſymptomata augent & iter calculorum præcludunt, bonis cum ægri rebus educuntur.

CAPUT IV.

De Dolore & ſpaſmo iliaco.

§. I.

Evolutio nominis.

Inter graves generis nervoſi morbos, qui mentem permoleſta ſenſatione & corpus periculoſis pathematibus excruciant, referendi omnino ſunt ſævi inteſtinorum dolores, inter quorum numerum primas fere tenet, qui in ileo valde teneræ & ſenſilis texturæ conſiſtit & vulgo paſſio dicitur iliaca. HIPPOCRATES dolorem ilei, quia cauſa ibi reſidet, vocat : Græci chordapſon ſive morbum chordium appellarunt; quia inteſtinum ægrotans ad chordæ ſimilitudinem tenditur. Dicitur Latinis volvulus, quia inteſtina ex parte invicem convoluta apparent in defunctis. CORN. CELSUS tenuioris inteſtini morbum vocat.

§. II.

Definitio.

Eſt dolor inteſtinorum tenuium acutiſſimus facile in inflammationem tranſiens, ſub quo periſtalticus eorum motus ſecundum naturam ad inferiora vergens violenter invertitur, atque in inteſtinis contenta atque aſſumta vomitu rejiciuntur & extorquentur, ac nihil, neque flatus per alvum fortiter clauſam, deſcendere poteſt, gravia poſt ſe trahens & ſæpe funeſta ſymptomata.

§. III.

Morbi progreſſus.

Progreſſus hujus morbi una cum ſymptomatibus ita adornatur. Præcedunt alvi obſtructiones, mox acuti & ſæviſſimi prodeunt dolores, cum inflatione, diſtenſione, duroque ad tactum tumore regionis umbilicalis. Alvus prorſus eſt conſtipata & conſtricta, adeo ut neque flatus nec excrementa per eam tranſmittantur; poſtea ſuperius erumpunt flatus & primum bilioſa ac pituitoſa materia, antecedente nauſea, crebro vomitu protruditur, ſpiritus eſt difficilis & quicquid cibi vel potionis aſſumitur, tametſi id intro deſcendat, paulo tamen poſt, quia tranſire inferius nequit, iterum vomitu redditur, fæces ſubrubræ, non abſimiles ſtercoribus, cum fœdo ſæpe halitu ejiciuntur. Summa ſequitur virium proſtratio, calor præternaturalis, pulſus durus & contractus cum immodica ſiti, urina rubra eſt & difficulter redditur. Cum ad extrema ventum eſt, accedit ſingultus, delirium itemque nervorum diſtenſio, ſudore frigido perfunditur corpus, & atroces

convulsiones ac lipothymiæ vitæ sæpius finem afferunt. Ipse HIPPOCRATES *Lib.* III. *de morb.* ita exprimit volvuli generationem : *resiccatur intestinum & præ inflammationis caliditate obturatur, ut neque flatus neque cibi pertranseant, sed venter durus sit, & quandoque vomant primum mucosa, dein biliosa, postremum stercus.*

§. IV.

Anatome tlioſorum. Per dissectionem hoc morbo defunctorum, ileum inter se convolutum, & in una & altera parte, ubi mali sedes, inflammatum ac sphacelosa putredine corruptum apparet, & supra inflammationem ilei pars magna ab hac labe libera, flatibus adeo turget, ut ipsum colon amplitudine interdum superet.

§. V.

Ratio formalis. Ratio formalis hujus mali consistit in inverso plane intestinalium tunicarum nerveo-musculosarum motu peristaltico, à fortiori coarctatione, angustia & clausura in intestino ileo facta, qua nihil ad inferiora transmittitur.

§. VI.

Causam præbet hernia. Plerumque hujus miseræ ac dolorificæ passionis causam præbet hernia scrotalis vel inguinalis, quando intestini ilei portio intra processus peritonei eo impellitur, ubi illi in viris ad scrotum abeunt, in fœminis vero uteri ligamenta rotunda penetrant. Jam vero notum ex anatomicis est, hos processus, dum musculos abdominis perforant & transeunt, certis quasi angulis aut gradibus hanc facere penetrationem, ita ut, cum unum musculum perforarunt, intra eum & sequentem aliquantulum progrediantur, antequam alterum pro ulteriori itinere transeant; sapienti naturæ consilio, ut eo minus promte aliquid ad scrotum vel inguinalem regionem extra abdominis cavitatem prorumpat. Si vero cum violentia id fiat, ut eo ilei pars dilabatur, annulique nimium dilatentur; facile contingit, accedentibus præsertim aliis causis, ut pristinum locum repetere nequeat : atque sic firmius ibi inhæresçat & incarcerata sit, omnemque contentorum transitum plane impediat.

§. VII.

quæ in fœminis periculosior. In fœminis res est majoris periculi, cum processus ibi sint angustiores & difficilius prolapsa intestini portio reponatur : & licet in nonnullarum inguine tam exiguus tumor, ut vix fabam æquet, protrudatur, tamen sæviſſimam hanc passionem invehere potest. In herniis scrotalibus minus est periculi quo major intestinorum est prolapsus. Vidimus non semel sed sæpius vel tertiam intestinorum partem miro & magno tumore in scrotum descendisse, sine ullo succedente passionis iliacæ periculo, quia transitus contentorum commodius & facilius tunc fieri potest.

§. VIII.

causa etiam mutuus ingressus. Præter hernias, occasionem huic sævo malo producendo dat frequentius intestini ilei mutuus ingressus sive intus susceptio, quæ per sectionem mortuorum venit in conspectum. Et utut nonnulli auctores hanc plane negare & pro impossibili habere velint, contrarium tamen testantur experientia & observationes : inter quas attentione plane digna est Cel. PEYERI in *tract. de glandulis intestinalibus* relata de sectione fœminæ volvulo extinctæ, quæ ita habet : *patefacto abdomine ileum alicubi plane constrictum atque veluti injecto laqueo strangulatum vidimus; nimirum portio ejus quatuor digitos transversos longa, plurimum vero contracta ac angustata intra proximæ portionis superioris cavitatem prorsus abscondita latebat.* Simile quid à Clar. SYLVIO *in praxi Medic. lib. I. cap. XV.* descriptum est. Et talis ingressus in puella simili morbo extincta idem PEYERUS tribus distinctis locis, præsentibus nobilissimis Medicis Hardero & Brunnero, ostendit.

§. IX.

Quomodo is generetur? Genesis hujus phænomeni, licet prima fronte paulo difficilior videatur; non tamen omnem conceptum transcendit : nam si una portio ilei vehementer constringitur, fit ut in vicinam flatu distentam cum impetu intrudatur. Talis ingressus non modo maximi doloris, sed & inflammationis esse causa potest, quæ compressis & constrictis vasis ilei una cum mesenterii portione exoriri debet. Dein etiam sphacelatæ ejusmodi partes in sectione reperiuntur : & notabilis est casus quem LAZARUS RIVERIUS *Cent.* III. *Observ.* 26. prodidit; ubi in dissecto cadavere ileum in fine suo tribus complicationibus convolutum & quasi compactum in unam massam deprehendit, quæ tota sic convoluta portio gangræna erat affecta, una cum mesenterii proxima parte; reliqua intestina erant amplissima & flatibus mire distenta.

§. X.

& quæ ad id conferant. Ad funestum talem intestinorum ingressum qui causam ileo præbet, plura alia implicita mala conferre possunt : & testantur diversorum auctorum observationes, à lumbricis in ileo detentis & in dissectis cadaveribus repertis, si morsu dolores efficiant, iliacam passionem fuisse productam. HENRICUS ab HEER *observ. XXIV. pag.* 214. puellam secuit ab epilepsia ilio sam factam vermesque evomentem, in cujus ileo, circa finem, quinque complicationes vermium invenit, quarum aliæ inferne sursum repebant, aliæ supra deorsum complicabantur. Et in M. N. C. *Decur.* II. *ann. V. observ.* XIX. de fœmina triginta annorum refertur, quod ileo correpta cum fæce liquida evomuerit XVI. lumbricos teretes robustissimos, & animam sub frigido sudore efflaverit. In medio intestini ilei membranæ cuculli instar extensæ videbantur & foramen grossi magnitudine tenuissima membranula exterius tectum. Utrinque vero intestinum unius digiti longitudine, duodenum autem duorum digitorum transversorum latitudine nigrum & gangræna corruptum visebatur. Eandem morbi causam etiam confirmare & adstruere videtur LOMMIUS *lib.* II. *observ. Medicin.* dum ait : *si ad extrema ventum est, subinde lumbrici evomuntur.*

§. XI.

Inter causas etiam venena &c. Neque inter causas antecedentes quæ ileum excitare possunt, atque non modo stricturam & coarctationem ipsis intestinis inferunt, eaque ad inversam peristalticam motionem irritant, excludenda sunt venena, item purgantia acriora nec non emetica, præsertim si jam labe & vitio quodam intestina laboraverint. Ita CÆLIUS AURELIANUS, qui præter Hippocratem optime de acuto hoc tormento, quod Græci

ileon

ileon appellant, ſcripſit, inter cauſas, venenum potum aut cibo datum nec non fungos comeſtos refert. Et ALPINUS *de medic. method. p.*313. de *Guilandino* memorat, quod è colico dolore à devoratis catapotiis & hiera ad ſemi unciam, in ileon, quo extinctus eſt, inciderit. Neque nos tali in caſu largiorem pilularum, quæ aloën recipiunt, uſum probare poſſumus, utpote quæ poſt operationem non modo inteſtina exſiccant, ſed & uberiorem ſanguinis ad illa affluxum procurant, ut hinc etiam, ſecundum noſtram obſervationem, inteſtinorum in hac vel illa parte coarctationes, quæ liberum excrementorum tranſitum inhibent, & ad dolores colicos diſponunt, efficiant.

§. XII.

Nec non quæ inteſtina obturant.

Neque ex numero cauſarum paſſionis iliacæ obturationes inteſtinorum præſertim tenuium omittendæ veniunt, quas alimenta ſicca, conſtringentia, vel humido non ſatis diluta excitare conſueſcunt; inter quæ, teſtantibus obſervationibus à medicis paſſim notatis, frequens panis ſicci & bis cocti, ſpirarum, caſtanearumque eſus, pyra & poma maxime cydoniata, fructus immaturi & acerbi, in magna copia ſi devorentur, magnum momentum conferunt; præſertim ſi vita ſedentaria, mœror animi, qui omne robur & tonum ventriculo & inteſtinorum canali ſubtrahit, vel parcus potus, acceſſerint.

§. XIII.

aut inteſtina craſſa diſtendunt.

Præterea inteſtina craſſa à ſcybalis diutius retentis obſtructa & obturata acerbam hanc paſſionem, dum nihil, quod ore aſſumitur, tranſmittunt, ingenerare poſſunt, præſertim quando ex pudore aut loci defectu, vel alia ex cauſa ſtimulus ad alvum deponendam reprimitur & cohibetur. Accumulatur hinc maxima excrementorum copia, quæ poſtmodum tunicas inteſtinales tam violenter diſtendunt, ut vis earum elaſtica, ſyſtaltica & expultrix plane ceſſet atque deficiat. Hæc dum cogito, in mentem mihi venit ante aliquot annos à celebri quodam Archiatro Regio ad me facta relatio, quod nimirum Celſiſſimus Princeps, ex nimia cohibitione & retentione fæcum, iliacus factus fuerit; in cujus poſt mortem diſſecto corpore inteſtinum colon ſcybalis totum repletum & diſruptum in una parte inventum eſt, atque tanta ſcybalorum moles deducta, quæ pondere circiter viginti libras æquavit. Neque attentione indignum eſt, quod HENRICUS ab HEER in *obſervat. pag.* 54. narrat, ſe præſente, dum ileo demortui abdomen diſſecaretur, ſponte inteſtina crepuiſſe cunctorumque adſtantium veſtes inſigniter commaculaſſe, cum impetu erumpentibus & exploſis ſcybalis.

§. XIV.

ira quoque.

Ex ceteris vero omnibus cauſis antecedentibus, affectus iræ, præſertim ſi vehementior fuerit, ad iliacam paſſionem producendam, & quidem facilius in iis, qui vitio quodam inteſtinorum laborant, aut hernioſi ſunt, magnam habet potentiam. Neque deficit ratio: nam ea eſt natura ac indoles hujus affectus, ut nervoſas maxime partes ſpaſtice convellendo operationem ſuam exſerat, inque partibus etiam imbecillioribus, ad quas merito extra abdomen prolapſa inteſtini portio pertinet, quam facile, ob copioſiorem ſanguinis affluxum, ſtagnationem & ſtaſin, ex qua demum oritur inflammatio, producat.

§. XV.

An ſtercora evomi queant?

Quæſtio nunc occurrit curioſa ac non levis momenti: an nimirum, ut communis fert ſententia & veterum etiam medicorum aſſertio eſt, in noſtro morbo, præſertim quæ ab incarcerata hernia, vel à mutuo inteſtini ilei ingreſſu fit, ſtercora per os evomi poſſint? Dubitandi non levis ratio in eo poſita eſt, quod primo per coli valvulam, qua ilei ingreſſus in cœcum & colon munitus eſt, fæces non poſſint relabi & regurgitare: dein, quod nulla ratione concipi poſſit, quomodo per conſtrictam & firmiter incluſam in hernia tenuem ilei partem ſtercora penetrare queant. Ego quidem non in totum rejicere volo teſtimonium medicorum probatiſſimæ alias fidei, ſed tantummodo id, quod ipſe in aliquot vidi & obſervavi ſubjectis hic adducere volo; videlicet rejectam quidem vomitu fuiſſe materiam, quæ colore ſubrufo & externa ſpecie liquidas alvinas fæces referebat: quandocunque vero ipſa rejecta & collecta materia naribus fuit excepta, nullus plane fœtor vel gravis odor ſe prodidit, ut potius aſſumtarum rerum odorem habuerit, præterea & ipſa quaſi ebulliens cum ſpuma apparuerit. Nihilo minus ego haud negaverim, quando nec ab incarcerata hernia, nec à convolutione inteſtinorum, ſed à ſola ſpaſtica ilei ſtrictura dolor fuerit ortus, inteſtina vero craſſa, rectum & colon, validiſſima ſimul ſpaſtica ſtrictura laboraverint, poſſe hac ratione fæces valde liquidas, & ut alii obſervarunt, clyſteres per coli valvulam ad ſuperiora penetrare. Ceterum hanc de ſtercoribus vomitu in hoc malo rejectis obſervationem ulteriori & accuratiori medicorum animadverſioni atque examini commendatam velim.

§. XVI.

Prognoſis.

Quod attinet ad ipſam prognoſin, ſpes ſalutis ſupereſt, quam diu non adeſt inflammatio & clyſteres in alvum recipiuntur & reddúntur, dolores quoque locum mutant, neque dolor & vomitus aſſiduus eſt, ſed per intervalla urgent, atque malum ab obſtructis inteſtinis à contentis fæcibus, enatum fuerit. Major adhuc ſpes eſt, ſi medicamentum ore ſumtum laxans alvum perrumpens dejectionis initium facit. Si vero inflammatio jam præſens, quæ ex febre, vehementia torminum, urinæ ſuppreſſione, pulſu duro & celeri, ſiti inexhauſta, jactatione corporis & ſumma virium proſtratione atque extremorum frigore, dijudicatur, parum ſpei ſupereſt. Repentina vero & omnimoda doloris ceſſatio, ſummus virium lapſus cum pulſu debili, animi defectio, fœtor oris, inflammationem abiiſſe in ſphacelum certo denunciant. Quod reſtat, id ſciendum eſt, quod grave hoc malum, ſi inter initia, ad avertendam inflammationem & dolorem ſopiendum congrua opponantur remedia ad duas vel tres hebdomades, antequam prorſus conquieſcat, poſſit produci.

CURATIO.

§. I.

Tempus attendendum.

Si ullo in morbo temporis momenta attendere & obſervare juvat, profecto in morbo iliaco ſanando id neceſſarium eſſe exiſtimo: nam is ipſe tantæ eſt vehementiæ, ut intra tres quan-

quandoque dies ſatis validum hominem, niſi cita ope ſuccurratur, enecare poſſit. Quando vero quævis momenta temporis præcipiti gradu auſugiunt, ſubinde juvandi occaſionem ſecum arripiunt; & valet hic egregium illud HIPPOCRATIS monitum practicum, quod *libr. I. de morb.* medicinam qui faciunt, graviter inculcat, his verbis: *Si unquam aliquis in ullo morbo utilitatem attulit, eum juſto tempore attuliſſe neceſſe eſt.* Quo circa, ſi ullo in affectu certe in hoc diro, præcipiti & periculi pleniſſimo, medicus peritus ſtatim accerſendus eſt, cui nihil prius, nihil poſterius curæ cordique ſit, quam ut ſæviſſimo dolori, qui inflammationis & mortis etiam cauſam præbet ſufficientem, per convenientia tam interna quam externa remedia ſublevando proſpiciat.

§. II.

Methodus curandi Hippocratica.

Qui in veterum medicorum Græcorum lectione paulum verſatus eſt, is facile deprehendet, eos ſollicite & accurate admodum partium nervoſarum affectus inque primis dolores, tum quod ad eorum hiſtoriam, tum ad curationem pertinet, deſcripſiſſe; non ex alia ſine dubio cauſa, quam quod ob regionum præcalidarum, vitæ, & victus intemperati rationem ejuſmodi morbi ſæpius occurrant & opem medici requirant. Videbimus itaque quomodo & qua methodo HIPPOCRATES hujus mali curationem inſtruxerit & adornaverit. Deſcribit hanc ipſam *lib.* III. *de morb.* §. 15. Jubet hoc in affectu alvi apertionem tentandam per glandem ſatis longam ex melle paratam, quæ anteriori parte felle taurino oblinatur, & bis ac ter ſubmittatur; *quo combuſta*, ut inquit, *ſtercora circa rectum inteſtinum contenta educantur.* Poſt hæc clyſterem adhibendum docet. Et ulterius addit: *ſin minus hæc opem ferant, folle fabrili in ventrem indito flatus immittantur, à quo & ventrem & inteſtini contractionem diſtendere oportet*; dein extracto folle, clyſterem applicandum, qui non ex calefactoriis, ſed ex his qui ſtercora diſſolvunt ac colliquant parandus eſt, ſuadet; poſtea *obturata per ſpongiam ſede in aquam calidam laborans conſideat, continens clyſteris infuſum*; & addit: *ſi hoc infuſum ſuſceperit & rurſus dimiſerit ſanus evadet.* Annectimus quæ venerandus ſenex alibi ſcribit: *Supernum ventriculum quam citiſſime purgato, ac ſanguinem de capite ac cubitis detrahito, ut ſuperne alvus caleſcere deſinat; & partes ſupra ſeptum tranſverſum frigefacito, excepto corde. Infernas autem calefacito, homine in ſolio aquæ calidæ collocato, ac ſemper oleo illito.*

§. III.

Methodus Cæl. Aurel.

CÆLIUS AURELIANUS præclarus non minus Medicinæ ſcriptor *lib.* III. *acut. paſſion. cap.* XVII. in ilei tormento, quæ ſequuntur remedia proponit atque commendat. Per clyſterem nimirum oleum calidum purum, vel aquam cum æquali parte olei dulcis & cum hybiſco, per quem altheæ radicem intelligit, coctam donec aqua fuerit conſumta, ut olei pinguior natura mucilagine radicis temperetur, ano infundendam eſſe proponit. Veſicam quoque calidam ex oleo ſemiplenam, item mediocrem vaporationem pro mitigando dolore parti morboſæ applicandam jubet. Præterea ſi hæc nihil perficiant, *folliculo artis ceratiæ immittendum*, inquit, *ventum per podicem, quo diſtantia ventris atque inteſtinorum replicatis folliculis fiat*: & tunc ſtatim adhibendum clyſterem probat. Detracto ſupra dicto folliculo, podicem cum ſpongia deobſtruendum præcipit. Ceterum hoc affectu laborantem fovendum eſſe loco mediocriter calido atque lucido, adhibita requie cum ſilentio & abſtinentia cibi uſque ad triduum, potum quoque parcum dandum imperat; cavendumque eſſe monet, ne externa & cataplaſmata apponantur, quæ gravitate & pondere dolorem inferant. Nos vero curandi hanc veterum methodum non poſſumus improbare, ſed potius laudamus, modo convenienti tempore & ordine ſuſcipiatur. Directa enim quam maxime eſt ad alvi receſſum procurandum & ad ſtricturam inteſtini craſſi ſpaſticam, quæ huic obicem ponit, removendam, pariter etiam ad inflammationem in locis ſuperioribus, à qua ſummum imminet vitæ periculum, abarcendam. Nos ante omnia ad primam mali cauſam & originem in curatione adminiſtranda reſpiciendum ducimus.

§. IV.

Si cauſa ilei hernia, ea reponenda.

Igitur, quando cauſam mali incarcerata hernia præbet, quod ut plurimum fit, prima & præcipua cura eſſe debet, ut prius emollita inteſtini prolapſi portio, ſi non ſponte retroceſſerit, in ſuum locum reponatur. Quod ut facilius ac promtius contingat, primo clyſteres applicentur ſingulis bihoriis, ut flatibus abdomen depleatur: dein pinguibus & oleoſis pars affecta erit emollienda; quo fine veſica ſuilla axungia humana vel canina ſemiplena, parti affectæ applicari & totum quoque abdomen omento ex animante ut vitulo deſumto, vel ſi non fuerit ad manus, linteo mundo oleo raparum vel lini calido immerſo tegi poteſt. Poſtea ſupinus æger locari debet, ventre & abdomine paulo eminentiori, capite vero decliviori: & ſic cruribus diductis, chirurgus manu oleo amygdalarum inuncta, inteſtinum ſcroto prolapſum, molli contactu & intropulſione ſenſim digitorum adminiculo facta, in abdomen reponere tentet, ita tamen, ne inteſtinum complicetur, vel ullo modo lædatur: niſi enim tempeſtive repoſitio herniæ fiat, ſive ſit in inguine, ſive in ſcroto, ſive cruralis hernia fuerit, quam facile inflammatio in ſphacelum deſinens ſupervenire poteſt; quando videlicet ſanguis, ob coarctati & occluſi ac quaſi à tendinibus abdominis ſtrangulati ilei portionem, per vaſa ſanguinea compreſſa regredi nequit, is reſtagnat atque in ſphaceloſam putredinem abit.

§. V.

Dolores ſedandi.

Præcedenti non poſterior in hoc affectu eſſe debet indicatio, ut atroces & intolerabiles dolores convenienti medicina ſopiti conquieſcant. Nam ea eſt doloris vehementiſſimi vis ac potentia, ut lege conſortii, quod partes nervoſæ inter ſe habent, gravia illa ſymptomata, vomitus, ſingultus, anxietates, aſſidua vigilia, febris, delirium, virium exſolutio, inquietudines, neque minus ſtrictura totius canalis inteſtinalis uſque ad inferiora ipſumque anum, tremor quoque extremarum partium atque urinæ difficultas inde pendeant: quæ cuncta ſedato dolore miteſcere & placari ſolent. Ego itaque in ejuſmodi præcipiti caſu cum ſingulari fructu & non ſine ſummo levamine nullo non tempore aquam menthæ leniter ſpirituoſam, quæ etiam in ſe leni vi anodyna gaudet, cochleatim ſingulis horis cum

internis

X. vel XV. liquoris anodyni mineralis, duobus vel tribus laudani opiati juxta Helmontii methodum parati liquidi, guttulis remixti porrigere ſoleo. Exterius quoque ad ſingultum & vomitum compeſcendum epigaſtricæ regioni emplaſtrum ex theriacæ veteris & olei nucis moſchatæ expreſſi æquali portione, additis oleo menthæ & camphora concinnatum, ſuaſi imponendum. Sedato vomitu vel etiam ſingultu, feliciori cum fructu & ſucceſſu clementer laxantia, ex manna, cremore tartari, amygdalarum dulcium oleo retineri & operationem ſuam exſerere poſſunt; videlicet quando ex diutius retentis excrementis in inteſtinorum flexuris, malum oritur.

& externis.

Poſt alvus laxanda.

§. VI.

Inflammatio avertenda venæ ſectione.

Neque inter medendi indicationes neglectui haberi debet, quod inflammatio omnibus modis ſit avertenda, quia hæc tandem in ſphacelum abit & mortem infert: ſiquidem teſtantibus id paſſim obſervationibus, nullus facile iliacus abſque ſphacelatione inteſtinorum perit, ſive illa fuerit ex hernia, ſive convolutione, & mutuo inteſtinorum ingreſſu ſubnata. Ad hanc vero declinandam, præter clyſteres & externa emollientia, interneque data anodyna, quæ dolores, ſpaſmorum non modo, ſed & inſequentis inflammationis fabros egregie ſedant & demulcent, venæ ſectio magnam vim habet; quam ipſe etiam HIPPOCRATES ad febrem ſedandam & impediendam *loco citato* commendat. Et CÆLIUS AURELIANUS quoque *l. cit.* phlebotomiam ad dolorem levandum magni facit. Uterque auctor in cubitu eam inſtituendam eſſe monet. Nos in pede, in ſexu præſertim ſequiori, eam utiliter celebravimus. Eſt vero ſanguinis miſſio eo magis utilis ac neceſſaria imò reiteranda, quo major ſanguinis abundantia in vaſis deprehenditur.

§. VII.

Si jam adfuerit, diſcutienda.

Deinceps ad æſtum febrilem & inflammationem reprimendam, ſicut nunquam non nitrum depuratum omnia remediorum genera exſuperat, ita etiam in hoc morbo locum invenit commodiſſimum, ſi pro doſi VI. vel VIII. grana cum pulvere Marchionis permixta, addita interdum quarta, pro doſi, camphoræ grani parte, in decenti vehiculo per intervalla porrigantur. Tum quoque quam utiliter pulvis nitroſus antiſpaſmodicus in emulſione ex amygdalis dulcibus & amaris, ſemineque papaveris albi & aquis paregoricis compoſita, poteſt exhiberi. Exterius ad arcendam inflammationem partes dolentes, linimento, quod ex uncia axungiæ humanæ & camphoræ drachma conſtat, debent inungi.

§. VIII.

Ultimum auxilium in mercurio vivo.

Poſtremo, ſi malum omnibus jam laudatis & expertæ virtutis remediis reſiſtat, nec ullo cedere modo velit, ultimum neque contemnendum auxilium in uſu argenti vivi repoſitum eſt; quo etiam ipſe ego, ut in ſequentibus docebit obſervatio, bis feliciter uſus ſum. Neque etiam ullum facile reperiri hoc ipſo præſentius & efficacius, quando mutuus inteſtini ilei ingreſſus adfuerit, licebit remedium. Plures quidem novi qui in exhibendo hoc remedio valde ſunt timidi, ſed citra metus rationem: modo opportuno & convenienti tempore id fiat. Sic enim RHODIUS *Obſervat. Medicin. cent. II. obſerv.* 80. teſtatur hydrargyri uncias V. cum melle roſaceo ſolutivo hauſtas deploratum iliacum ſanaſſe. Libram dimidiam mercurii vivi impune ſumtam, ilico alvum exoneraſſe, memorat HENRICUS ab HEER *in Obſervation. Medicinal. p.* 56. qui plures morti vicinos hujus præſidio reſtituit. Quid? quod integram ejus libram ZACUT. LUSITANUS *Pr. adm. lib. II. obſerv.* 35. cuidam Duci ſtrenuiſſimo optimo cum eventu præſcripſerit. Ut taceam ejuſdem libras aliquot in aqua ſumtas, pluribus in iliaca paſſione periclitantibus, annotante PARÆO *Oper. Chirurg. lib. XX. cap.* 38. vitam ſervaſſe.

CAUTELÆ.

§. I.

Neque purgantia neque clyſteres validi admittendi.

Memori ſane, circa hunc affectum, mente tenendum exiſtimo, quod purgantia validiora alvum ducendi cauſa exhibere maximopere ſit inſecurum; dolorum enim pariter ac ſpaſmorum augmentum, nec non ſymptomatum omnium exacerbationem nunquam non inferunt. Neque clyſteres etiam ex valde calidis & carminativis concinnatos in uſum trahere conducibile eſt; multo minus interne eſſentiæ carminativæ ſtomachales vel vina medicata porrigenda: quippe hæc omnia ejus ſunt naturæ, ut in colica quidem flatulenta, & quæ à cauſa frigida, ut cum veteribus loquar, oritur, levamen afferre poſſint; minime autem ubi morbus eſt acutus, & omnia in vehementi motu ac impetu conſtituta ſunt.

§. II.

In defectu virium analeptica.

Ubi vero vires deficere incipiunt, & animi deliquia imminent, temperata analeptica omnino poſſunt uſui & præſidio eſſe, quæ videlicet ex aqua ceraſorum nigrorum, melliſſæ Turcicæ, liliorum convallium, menthæ, cinnamomi ſine vino paratæ ſunt; vel ipſum vinum generoſum cochleatim porrigi debet.

§. IV.

Ubi plethora vena ſectio.

Si ſtatus plethoricus adeſt, venæ ſectio ſtatim inſtituenda, imo ſi opus eſt reiteranda. Et plurimum quoque attendenda erit docta & circumſpecta obſervatio Clar. PASCOLII qui *Tom. II. Oper. pag.* 199. ita eleganter & prudenter ſcribit: *Si adſit febris, ſi viſcerum inflammationis indicia tametſi imminentis, vena ſtatim ſolvenda, in partibus potius infernis quam ſupernis. Hinc hirudines inteſtino præcipue recto admotas, mirum in modum profuiſſe ad ileum ſedandum hactenus pene ſemper obſervavimus; quum ſanguis qui ex vaſis hæmorrhoidalibus profluit, partem affectam proxime oneret.*

§. V.

Mercurius vivus rite depurandus.

Quando uſus argenti vivi internus utilis ac neceſſarius judicatur, ipſum prius probe depurandum, lavandum & per corium trajiciendum eſt; dein non facile ultra libram vel dimidiam offerri decet, quod optime fit cum juſculo pingui; tum, poſt ejus potum in latus dextrum aliquandiu æger decumbere, ut eo citius ventriculi orificio dextro egrediatur, & inſuper, ſi vires id permittant, corpus ambulatione vel vectione movere debet, ut eo melius ad inferiora deſcendere poſſit. Cavendum vero, ne inflammatione jamjam præſente & viribus dejectis, hoc me-

dicamento quis utatur, ne vulgus & adſiſtentes, ſi pereat æger, ab hoc remedio, quod ab omnibus fere ſuſpectum habetur, periiſſe ſibi vane perſuadeant.

§. VI.

Clyſteres proſunt. Magna vero ſalutis & convaleſcentiæ in miſerando hoc malo ſpes in clyſteribus eſt poſita, modo illi convenienti tempore & quantitate applicentur. Hi enim, ſi vehementi ſpaſmo conſtricta ſunt inteſtina craſſa, fibras eorum crebriori injectione relaxatas & flaccidas reddendo, inverſionem periſtaltici motus inhibent. Et præſtat tantummodo aquam calidam cum ſyrupo dialtheæ *Fernelii* permixtam non ſemel ſed aliquoties, & ſi vires patiuntur, una die ſingulis bihoriis, & quidem primo ſtatim die, ano infundere, ut ſtercora etiam liquidiora fiant.

§. VII.

Cæl. Aurel. circa Topica monitum. Quoad prudentem topicorum uſum, perplacet mihi CÆLII AURELIANI ſupra jamjam citatum à nobis monitum: qui à gravibus cataplaſmatibus abſtinendum eſſe docet, ne pondere & aſperitate paſſio & dolores increſcant. Sæpe enim tanta eſt ventris inflatio & diſtenſio, ut nec tactum cum manu paulo validiorem ferre æger poſſit.

§. VIII.

Alvo firmiter clauſa, fotus confert. Quandocunque alvus ob ſpaſticas ſtricturas ita clauſa eſt, ut nec ſyphonem, multo minus follem admittere aut recipere poſſit, tunc præſtat fotum temperate tamen calidum applicare & blandam ac ſucceſſivam puri olei tepefacti injectionem ſubtili ſyphone tentare, quo tunicæ inteſtini recti valde coarctati & ſpaſmo conſtricti hac ratione emollitæ, eo facilius poſtea, majorem quantitatem humidorum per clyſma in ſe recipere queant.

§. IX.

In declinatione morbi, balnea. Declinante & remittente morbo, lavacra, quæ etiam ſi vires ferunt pro circumſtantiarum ratione primis morbi diebus adhiberi poſſunt, convenientiſſima ſunt. Faciunt ad paſſionis ſolutionem & ad morboſas reliquias fibris relaxatis facilius expellendas; ſiquidem iis frequenter admodum & optimo conſilio *Methodici* in morborum declinatione utebantur, quemadmodum ex CÆLIO AURELIANO videri licet.

§. X.

In dolorum ſævitia, opiata. Ad mitigandam dolorum ſævitiam, quæ fere præcipuum tot gravium ſymptomatum & motus inverſi periſtaltici cauſam præbet, minime eſt metuendus opiatorum uſus, modo fiat ſtatim in principio ſi vires adhuc integræ, ſi plethora præſens ſoluta, & nullum ſphacelationis ſubfuerit indicium. De quorum inſigni uſu egregia B. WEDELII obſervatio, quam in M. N. C. *Dec.* I. *an.* 2. *obſervat.* 238. communicat, legi meretur.

§. XI.

Si hernia reponi nequit, inciſio. Si cauſa iliaci mali eſt hernia cruralis, atque ob non ſperandam inteſtini repoſitionem ſphaceli & mortis periculum imminet, ultimum auxilium & ſpes ſalutis in inciſione eſt, quæ, ſi dextre à perito chirurgo, adſiſtente docto medico, adminiſtretur, ſine omni metu eſt & ex orci faucibus ægrotantem eripere poteſt. Talem ſectionem non ita pridem in urbe celebri, in illuſtri fœmina ex iliaco affectu in ſummo vitæ periculo verſante, feliciſſime & ſalutifere ſumma chirurgi dexteritate celebratam eſſe intelleximus. Sed in ejuſmodi caſibus ut operatio mature & in tempore ſuſcipiatur, ac antequam indicia præſentem ſphacelum denuncient, valde neceſſarium eſt.

§. XII.

Recidiva præſcindenda. Plurimum etiam ſcire refert, malum iliacum ex eorum eſſe numero, quæ facile recidivant. Novi aliquot, qui ſecunda & tertia vice recurrente affectu demum extincti fuere, ſed hi quod bene notandum hernia laborarunt. Ut itaque corpus à periculi pleniſſima recidiva vindicetur; opus eſt, ut ſollicita nunquam non herniæ habeatur ratio: quæ hæc eſt, ut beneficio ſubligaculi intus retineatur, vel ſi id fieri non expedit, omni modo & cura à frigore defendatur, & inter cibos, qui inflant, ut ſunt fructus horæi, piſa, olerum ceparumque ſpecies, rapæ, maxime omnium vero quæ adſtringendi & ſiccandi facultate præditæ ſunt, evitentur, quo alvus libera & mollis ſervetur. Cumque ex multiplici obſervatione mihi compertum ſit, nihil præter iram & purgantia acriora hernioſos in iliacam paſſionem vel ejus recidivam præcipitare poſſe, ſedula utique opera danda eſt, ut hæc ceu valde pernitioſa declinentur.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Dolor & ſpaſmus ilei in hernioſo ſæpe recurrens. Ante triginta annos, Vir ſpectatæ in hac urbe auctoritatis, cognatione mihi conjunctus ſexageſimum jam annum ſupergreſſus, à viginti jam annis hernia laborabat ſcrotali, quæ temporis progreſſu ita increvit, ut tertia minimum inteſtinorum pars, extra abdomen in ſcroto detineretur: ſi erectus ſtaret, inſignis capitis magnitudinem præ ſe ferebat tumor, qui tamen in ſupino ſitu, relabentibus intro inteſtinis, minuebatur. Periculi quidem honoratiſſimus vir ab enormi hoc malo nihil paſſus eſt, præterquam, quod quinque vel ſex ante obitum annos, tarde & parum cum ſuccederet alvus, valde copioſos & moleſtos vomitus, aliquot horas perſeverantes ſuſtinere debuerit: quibus ingens copia humorum vitioſorum in inteſtinis collecta dejiciebatur, qui vomitus ſingulis fere novem vel decem diebus recurrebant, quos futuros tumor grandior & dolor preſſorius in ſcroto indicabat. Excretione hac exantlata ſalvus & vegetus perſtitit, appetitu bono gaudens.

Epicriſis.

De hac affectus hiſtoria, hoc noſtrum eſto judicium; quod tantæ molis tumor inteſtinalis in ſcroto, extra periculum mali iliaci ſit, quia fæces & flatus non poſſunt ita intercipi, ac id in hernia inguinali, crurali, vel ſcrotali, ubi exigua tantum inteſtini portio prolapſa, incarcerata & quaſi ſtrangulata à tendinibus abdominis hæret, acutiſſimis doloribus comitantibus, contingit. Dein nihil dubii eſt, quin in tam enormi inteſtinorum prolapſu, non relaxatio tendinum & annulorum, ſed potius diſruptio locum habeat: alias enim tam ſubito in ſitu ſupino, tota inteſtino-

ſtinorum moles intra abdomen recedere non potuiſſet. Tum in præfata obſervatione hoc inſignis momenti phænomenon non erit prætereundum, quod videlicet, præcedente dolore tenſivo in ſcroto, omnia propemodum quæ ante tres vel quatuor dies aſſumta erant, quod ex colore, odore & conſiſtentia liqueſcebat, æger evomuerit, intus remanentibus quæ in prandio tres vel quatuor ante inſultum horas comederat. Id noſtra quidem ſententia ita factum eſſe judicamus: inverſio videlicet motus periſtaltici in inteſtino ileo, in ſcroto quod detinebatur, incepit, ſed non per totum ventriculum penetravit, fundo ejus tantummodo affecto, minime autem arcu majori ſive ſacco, qui in latere ſiniſtro eſt locatus.

Observatio II.

Spaſmus ilei ex muſti repletione in hernioſo.

Honeſtus hujus urbis civis, ſatis vegetæ & robuſtæ conſtitutionis, annorum triginta & aliquot, ex hernia per multos jam annos ſine offenſa vel moleſtia laboravit: neque ſubligaculo intus eam detinuit. Autumno ingentem quantitatem muſti bibit, atque nocte, in ſomno frigefacto abdomine, dum evigilat, tumorem valde auctum & dolorificum perſentit, qui nolebat, ut antea, intra abdomen ſubire. Dolores ſuccedebant acerbiſſimi per integrum diem durantes, qui non in ſcroto tantum partem affectam, ſed abdomen & totum corpus occupabant, cum inſigni anxietate & conatu ad vomitum juncti. Anxie à me petiit auxilium, miſi peritum chirurgum, ut patientem inviſeret & relationem mihi faceret. Ego itaque ſuaſi, ut tumorem inungeret axungia omenti vitulini recenti & deſuper fomentum calidum continuo applicaret, quod ex lacte cocto cum floribus malvæ, verbaſci, chamomillæ, croco, ſemine anethi & cymini conſtabat, & blande ac modeſte repoſitionem manu tentaret. Interne per intervalla ſolam aquam menthæ cum aliquot granis extracti croci & julepo roſarum propinavi. Peracta repoſitione ſimul & ſemel, & omnes dolores & cuncta permoleſta ſymptomata ceſſarunt & conquieverunt.

Epicriſis.

Ex hoc jam clariſſime apparet quam caute & provide ſe hernioſi circa dextrum rerum non naturalium uſum gerere & cuſtodire debeant; cum levis etiam error funeſti affectus cauſam & originem ſubminiſtrare poſſit. Deinceps & hoc notari licet, quod ſolus acerbus dolor, qui partim nimia ilei intra ſcrotum detenti diſtenſione, partim etiam ejus intra annulos tendinum ſtrictura & arctatione fit, tam gravium ſymptomatum quæ iliacum malum formant & quæ ſæpenumero lethalia evadunt, vera & genuina cauſa cenſenda ſit.

Observatio III.

Dolor & ſpaſmus ilei ex uvis comeſtis, in hernioſa, mercurio vivo curatus.

Honeſta fœmina, uxor graviſſimi in urbe conſulis, cognatione mihi propinqua, annorum XL. in ſterili vivens conjugio, utpote cui nunquam fluxere menſes, tumore circa femoris curvaturam, in regione inguinali longo abhinc tempore correpta; in vinea ex unis nimium comeſtis, & ſub cœlo frigido ac humido refrigerata, perſentit mox tumorem duriorem, graveſque & acutos in eo dolores, qui nocte ingraveſcebant. In conſilium accerſitus cum jam per biduum nihil per alvum ſe dejeciſſe affirmaret; prima ſtatim cura fuit, ut alvus per clyſteres iterata vice infuſos aperiretur, & tam per externa quam interna remedia dolorum levamen afferretur. Seceſſerunt quidem excrementa, ſed non adeo ſufficienti copia: perſeverarunt tamen dolores, qui abdomen occupabant & ſomnum pariter ac appetitum tollebant: nec quicquam fomentis, cataplaſmatibus balneiſque proficientibus, tumore duro & dolorifico permanente. Nil igitur aliud agendum duxi, quam ut inflammationi verendæ perquam exitioſæ occurrem: quapropter venam in pede ſecandam curavi. Interne vero pulverem Marchionis leniter nitroſum ex aqua appropriata menthæ videlicet & ceraſorum nigrorum parva & reiterata doſi obtuli. Æſtus quidem non adeo intenſus erat, ructationes tamen ſingultuoſæ & ad vomendum conamina permanſerunt. Tertio ab invaſione die copioſæ infeſtabant, præcedente anxietate, vomitiones & quidem materiæ, tam ſubruſo colore quam ſpumeſcentia, liquidas, quæ alvo dejiciuntur, fæces referentis, conquerente etiam fœmina de malo odore. Ejuſmodi vomitus per tres fere continuabant dies; quibus ingens corruptorum humorum illuvies fuit protruſa. Ego re paulo curatius penſitata, materiam ſtercoream non habendam eſſe, ut adſtantes volebant, judicavi, ob nimiam ejectorum quantitatem, quæ in inteſtinis craſſioribus non poterat colligi, cum liquidorum deſcenſus, ob incarceratam ilei portionem prorſus eſſet interceptus. Cum vero & alvi conſtipatio, & ventris tormina & vomitiones & vigiliæ aſſiduæ, vires in dies magis dejicerent, & præſentaneum levamen uſque eo uſurpata remedia non adferrent, veni in hanc cogitationem, anne argentum vivum intro hauſtum poſſit in hoc caſu opportunum habere locum? Ego, cum medendi hæc ratio plane extraordinaria & plurimis ſuſpecta ſit, nolui ſolus hoc experimentum facere: ideoque petii ut medicus, quem ob candorem ſemper æſtimavi, advocaretur. Ille, cum meas perciperet rationes, idem ſentiit, aſſerens, quod ſine omni periculo id fieri & forſan deſideratiſſimo cum ſucceſſu poſſit. Mane itaque, dato prius pingui juſculo libram dimidiam rite depurgati argenti vivi uno hauſtu ſumendam porreximus, deſuper bibendum brodium carnis cum aliquot unciis olei amygdalarum dulcium. Prompte ægra aſſumſit. Poſt horam, leniorem per conclave deambulationem ſuaſimus. A medicamento ſumto omnis prorſus deſiſtebat vomendi conatus, & horas quinque poſt, in lecto, præter opinionem, alvus ſolvebatur. Linteis inſpectis apparebat mucida gryſei coloris materia multis argenti vivi globulis intermixtis, qui diligenter collecti unciam præter propter æquabant. Ex quo factum eſt, ut afflictionum omnium fere, quibus ante angebatur, facta fuerit remiſſio. Alvum ſemel ſponte dejectam poſtea clyſteribus demulcentibus & emollientibus, pauco ſtimulo ſalino addito, eluere & craſſa inteſtina purgare conſtituimus: interne quoque laxans rhabarbarinum & mannatum cum cremore tartari ex vino dedimus. Ita inſignis copia progreſſu temporis materiæ excrementitiæ, permixta nunquam non portione argenti vivi, ſeceſſit, idque ultra duas fere hebdomades. Ex quo per DEI gratiam evenit, ut periculoſe ægrotans fœmina meliuſcule

ſem-

ſemper habens ex orci quaſi faucibus hoc remedio erepta fuerit. Ultimo vero loco id non prætereundum eſſe cenſeo, quod collectis licet viribus ſomnoque ac appetitu redeunte, tremorem in artubus, atque vacillationem & impotentiam in pedibus ultra menſis adhuc ſpatium perceperit: quæ permoleſtæ affectiones, dextro nihilo minus balneorum uſu prorſus demum ſublatæ & diſcuſſæ fuerunt.

Epicriſis.

Ex hujus morbi & curationis progreſſu, id demum in uſum practicum depromere licet, quod paſſio iliaca acuti alias periculi atque exitii, opportune datis medicamentis quæ inflammationem arcent & dolores mitigant, in affectum quaſi chronicum minoris periculi poſſit converti. Deinceps non contemnendum in hoc atroci malo, ſed potius incomparabilem uſum & efficaciam argenti vivi eſſe, ex hac curatione intelligi & ediſci poteſt, licet modus operandi non adeo explicatu facilis ſit. Ego tamen ita rem concipio: argentum vivum intro hauſtum, dum fundum ventriculi petit, pondere ſuo reſiſtit ejus ſubverſioni, ſive inverſæ ejus motioni periſtalticæ, ut potius meo quidem judicio, eam ad inferiora, facta in contrarium compreſſione, rurſus dirigat atque convertat: & hinc etiam ratio reddi poterit, quare globuli plumbei paulo majoris molis intus deglutiti, ad curandum hunc difficillimum affectum commendentur; de cujus remedii ſalutari uſu quamvis multa mihi relata fuerint, nunquam tamen me experimentum feciſſe ingenue fateor. Tandem hoc addendum eſſe exiſtimavi, quod dejectiones illæ ſpumaſcentes liquidæ & bilioſæ, quarum materia partim per continuum humoris bilioſi & lymphatici per glandulas in inteſtina ſecreti affluxum, in ileo, progreſſu temporis colligitur, non modo à vulgo, ſed etiam à medicis pro veris ſtercoribus habeatur; licet in totum negare nolim, per vehementiorem inteſtini coli ſpaſmum quippiam ex eo putridi liquaminis ad tenuia conſcendere & ibi contenta inquinare poſſit.

Observatio IV.

Paſſio iliaca in infante ex terrore nutricis & dato auro fulmin.

Infans puer, unius anni, lac adhuc ex mammis ſugens, ex terrore nutricis, continuo ejulatu ac clamore noctem inſomnem degebat, abſque dubio ventris torminibus, quæ parca alvus & virideſcentes atque coagulatæ fæces denunciabant, per duos dies & noctes imo ultra excruciatus. Medicus ordinarius, cum ex clyſterum applicatione & uſu pulveris laxantis nullum conſpiceret levamen, duo auri fulminantis grana cum pulvere abſorbente permixta præbere decrevit. Inde vero nihil ſecutum levaminis, ut potius ſub majori alvi clauſura, vomitus & quidem virideſcentes inſecuti fuerint; quibus demum convulſiones epilepticæ jungebantur & mors. Conceſſa à parentibus, ad petitum meum, abdominis apertione, cui etiam medicus ordinarius interfuit, offendimus in medio ileo, mutuum ad articulum digiti, inteſtini ingreſſum. Supra quem tenuia inteſtina ileon, jejunum, imo ventriculus, in quo ſubvirideſcens putridus humor inventus, flatibus valde erant turgida.

Epicriſis.

Graves & ut plurimum funeſtæ, quæ per animi affectus inque primis terrorem, à nutricibus in infantes derivantur, ſunt afflictiones. Horum enim ea eſt indoles, ut pernitialem vim, maxime in inteſtina tanquam partes valde nervoſas exerant, quarum tonum & motum penitus ſubvertendo & pene infringendo, ventris tormina, alvi conſtipationem, convulſiones & epilepſiam quam facile accerſunt. Quibus infantum morbis ordinario fere dejectiones virides conjunguntur, non aliam ob rationem, quam quod retenta excrementa acidam corroſivam ob moram induant naturam, ut bilis permixta inde viridem colorem, non ſecus ac fieri ſolet, quando ſpiritus nitri cum bile miſcetur, contrahant. Uti vero aurum fulminans vel mercurialis proſapiæ medicamentum, ab admixtis ſalibus valde corrodentem & virulentam indolem acquirit, ita ſummopere cavendum eſt, ne infantibus tenerioribus, præſertim ſi acrium humorum copia obſeſſa ſunt inteſtina, ejuſmodi medicamenta porrigamus. Illa involutio quæ in conſpectum venit ilei inteſtini, ab atrocibus torminibus & ſpaſticis inteſtinorum contorſionibus abſque omni fuit dubio oborta.

Observatio V.

Dolor & ſpaſmus ilei in fœmina plethorica & hernioſa, ex ira vehementi.

Honoratior fœmina, quadraginta & aliquot annorum, animi in affectus valde proni, corporis gracilioris, vitam ſine motu amans quietam, venæ ſectionem ab aliquot annis, circa tempora æquinoctialia conſuetam, vere præteriti anni intermiſit, purgans vero infuſum, quo poſt ſanguinis miſſionem circa hæc etiam tempora ſubinde fuerat uſa, per tres dies uſurpavit. Interea vehementiori commovetur iræ affectu, quam inappetentia, virium languor ac artuum tremor ſequebatur; alvus quamvis eſſet obſtructa, nihilo minus ad eam exonerandam ægra ſæpius ſollicitabatur. Mox acerbas in regione hypogaſtrica dolores & tormina, cum præcordiorum anguſtia & crebra flatuum per os eructatione, perſentiebat. Ego accerſitus, ad alvum reſerandam, clyſterem ordinavi emollientem, cujus tantum levis portio fuit admiſſa. Interne ad flatus diſcutiendos, liquorem meum mineralem anodynum cum eſſentia corticum aurantiorum bene præparata æquali miſcui pondere & per intervalla præbui. Externe linteum aqua Reginæ Hungariæ & balſamo noſtro vitæ ebrium abdomini applicari jubebam. Sedatis doloribus ægra quievit & cœnavit; clauſa vero permanſit alvus. Sequenti ego die rurſus vocatus ſum, & tum dolores patiebatur prioribus longe acutiores & ſæviora tormina, cum ingenti abdominis inflatione, umbilici retractione, extremorum frigore & continuo ad vomendum conatu. Tum mihi aperiebat, quod ex laborioſo partu, ante multos jam annos, in inguine ſiniſtro contraxerit tumorem, qui ſine ſingulari ſanitatis incommodo modo prodiret modo regrediretur; nunc vero longe major & valde durus ſine regreſſu perſiſteret. Et quoniam nobiliſſima patiens omnia quæ ore aſſumſerat vomitu reddebat, iliacum malum imminere non ſine ratione judicavi. Prima itaque & princeps, cum ſtatum animadverterem plethoricum, fuit intentio, inflammationem, qua nihil ſane in hoc affectu eſt pernitioſius, avertere. Ad aliquot igitur uncias ſanguinem

guinem è vena pedis detrahi juſſi. Dein ad alvum ante omnia reſerandam medendi conſilium direxi: ſed quoniam ob firmam clauſuram, clyſterem non admitteret, decrevi ut ſucceſſive leni ſyphunculo aliquot unciæ olei raparum & chamomillæ cocti immitterentur, quo poſtea inteſtino recto relaxato, eo facilius clyſteres infundi poſſint; quod etiam conſecuti ſumus, & duo applicati fuerunt, ſed nihil educebant. Igitur quum præfatæ afflictiones, vomitus, ſingultus, inquietudo, vigilia, anxietas cum extremorum frigore perſiſterent; viſum mihi fuit, ſingulis bihoriis, clyſterem ex ſola ptiſana, oleo olivarum & ſyrupo dialtheæ FERNELII infundere & ad potum aquam fontanam puram frigidam, aqua menthæ correctam, cujus libræ ſalis abſynthii drachmam unam & ſucci citri unciam ſemis adjeci, commendare: abdomine cum linimento ex axungia humana, camphora, ſpermate ceti, & oleo hyoſcyami quod conſtabat, calide inuncto. Poſt ſex clyſteres injectos, flatus feceſſerunt copioſi: quibus continuatis, in balneum aquæ dulcis ægram dimitti jubebam. Paulo poſt egreſſa, alvum intra horam ter deponebat. Continuatum fuit balneum, & interne infuſum mannatum cum aqua fœniculi, addito cremore tartari & nitro antimoniato propinatum: ita ingens mucidæ, craſſæ & liquidæ biliioſæ materiæ copia alvo fuit educta. Sequebatur hinc ſtatim ſingulorum pathematum remiſſio, larguſque ſudor cum virium & pulſus augmento, quem promovere, exhibita mixtura ſudorifera, ex tinctura antimonii, liquore anodyno minerali & ſpiritu tartari compoſita, ſtudui. Sic permoleſta hæc affectio, Divinæ benignitatis adjutorio feliciter fuit depulſa.

Epicriſis.

Ex præfata hiſtoria id animadvertere licet, herniam, quanquam per longum tempus ſine valetudinis incommodo geri poſſit, nunquam tamen tutam, ſed formidandam eſſe. Hoc in caſu ad iliaci morbi geneſin, plethoricus ſtatus, aſſumtum purgans & demum ſuperveniens gravis iræ affectus ſymbolum ſuum contulerunt: utpote quæ omnia nerveæ inteſtinorum ſubſtantiæ ſunt infenſiſſima, naturalem & placidum fibrarum inteſtinalium verſus inferiora tendentem motum pervertendo & invertendo; quod ex flatuum & excrementorum pertinaci intra inteſtina retentione & inde pullulantibus ceteris ſymptomatibus judicandum eſt. Sanguinis miſſio, quam tantopere ceu ſummum hujus affectus remedium veteres, ut HIPPOCRATES, CORNELIUS CELSUS & CÆLIUS AURELIANUS, laudarunt, in hoc caſu ſumme proficua ac neceſſaria fuit. Quoniam vero ob ſpaſmum vehementem, intra inteſtina craſſa conſiſtentem, ſuperiora ſummo cum dolore inflantur, rationi utique conſentaneum eſt, hanc ſtricturam tollere: quod omnium optime fieri poteſt, per oleoſa humida in magna copia injecta, ut ſtrictæ inde fibræ flaccidæ & relaxatæ evadant. Placuit mihi præ ceteris cura quam CELSUS *Lib. IV. cap. XIII.* his verbis proponit. *Si dolor non quieſcit, etiam in alvum, ex parte inferiore, tres aut quatuor cyathos calidi olei dare convenit.* Et balnei uſum HIPPOCRATES ad felicem curam mirifice commendat. Cura abſoluta primarium quod huic fœminæ conſilium dedi, fuit, ut exquiſitam ſemper habeat vitæ & victus rationem, atque ab omni animi affectu ſe temperet: multiplici enim experientia edoctus ſum, his neglectis, malum quam promte recidivare; id quod præter HIPPOGRATEM ipſe CELSUS *loco citato* notavit: *facile*, inquit, *id malum redire conſuevit, & cum frigus ſubit, ſive aliqua jactatio, niſi bene jam confirmatis inteſtinis, revertitur.*

Observatio VI.

Iliaca paſſio ex ingluvie & ſumto valido purgante.

Berolini cum olim agerem, vir in Regiis ſervitiis conſtitutus, quadraginta & ultra annorum, gracilioris corporis habitus & naturæ cholericæ, ingenti ſemper gaudebat appetitu & varii generis eduliis ventrem quotidie infarciebat, nec jejunii patiens, vinum liberalius quoque hauriebat; alvus ordinario pigra erat & obſtructa; vomitus ſubinde pituitoſi liquaminis matutino præſertim tempore experiebatur. Poſteaquam in ſolennitate quadam, ſupra modum, placentas, carnes aſſatas, acetaria, condita mala cydonia devoraſſet, & alvus per aliquot dies clauſa nihil egeſſiſſet, male habuit. Venter enim durus, renitens, rugitibus & borborygmis hinc inde diſcurrentibus turgidus erat, atque continua ad vomendum aderat proclivitas. Opera medicaſtri uſus pilulas ad alvum aperiendam ſumſit purgantes; ſed ſine ſucceſſu. Augebantur potius anxietates circa præcordia cum continua nauſea. Rurſus ab eodem ſumſit pulverem purgantem, qui tamen nullam movebat ſedem, ſed decumbens omnia quæ aſſumſerat ore rejiciebat. Suppoſitoria & clyſteres omni effectu carebant. Uxor vehementer & anxie à me petiit conſilium. Ego accedens ægrum per decem dies nihil per alvum emiſiſſe deprehendi. Venter contactu erat durus, inflatus, & magna inquietudo atque anxietas, vigilia quoque affligebant. Bono vero cum DEO hac methodo miſer patiens eſt ſanatus. Primum ad vomitionem componendam præſcripſi mixturam Riverianam, quæ componitur, ex aquæ communis libra, ſucci citri uncia & ſalis abſinthii drachma, quam per vices aſſumſit. Dein ægrum chirurgo commiſi, cui injunxi, ut clyſteres ex decocto emolliente, in quo ſufficiens ſaponis Veneti quantitas ſoluta, ſingulis horis ano infunderet, & poſtea in balneum ex herbis emollientibus & ſemine lini paratum ægrum dimitteret. Ventri quoque applicare linimentum ex oleis expreſſis, atque interne, cum juſculo oleum amygdalarum dulcium, addito pauxillo vini, præbere juſſi: quæ cura alternis vicibus aliquoties fuit repetita, adeo felici cum ſucceſſu, ut brevi temporis progreſſu ingens copia fæcum conglobatarum duriſſimarum & pituitæ glutinoſæ, quibus poſtea ſucceſſerunt liquidiores, multis ſedibus intra duos dies fuerit educta; quam excretionem, ſemel aperta alvo, ſeri lactis potu per vices ſumto, in cujus menſura cremoris tartari uncia dimidia & mannæ electæ unciæ tres ſolutæ erant, promovendam decrevi: & ita per DEI gratiam à gravi malo æger fuit liberatus.

Epicriſis.

A ſola diutina fæcum alvinarum retentione, iliacum morbum ſubnaſci poſſe, præſenti edocemur hiſtoria; ex qua animadvertere etiam licet, tali in caſu purgantibus præſertim validioribus intro

intro ſumtis nihil eſſe pernitioſius, utpote quæ fruſtra plane dantur, cum ſummo potius detrimento: nam dum fortiter ſtimulando inteſtina, materiam immobilem & fæces aridas per inferiora movere & deturbare nequeunt, invertendo potius periſtalticum inteſtinalem motum, malum reddunt deterius, atque anxietates & vomitus augent. Balnea vero temperata, dum externe, & clyſteres interne, fibras tenſas emolliunt, fæces diſſolvunt & colliquant, non omiſſis internis congruis laxantibus, convenientiſſimum præbent auxilium; quia ipſam cauſam & originem mali expugnandi efficaciam ſatis præſtabilem poſſident.

Observatio VII.

Paſſio iliaca ex vermibus funeſta.

Puer ſeptem annorum ſpongioſioris habitus & coloris albidioris, dulcibus & fructibus horæis nimium uſus, carnes ac panem ſupra modum appetens, qui aliquot ante menſes unum vel alterum alvo dimiſerat lumbricum, in tormina ventris, alvi obſtructionem & inquietudinem incidebat. Fruſtra applicati clyſteres, & data fuerunt carminativa atque laxantia; augebantur potius cruciatus, aſſidui accedebant vomitus, & interdum per horam ſemi-mortuus in ſyncope miſer infans jacebat. Fœdos ex ore halitus & fæces reddidit: ſubſequebantur ſingultus & epilepſia, tandem mors.

Epicriſis.

Minime dubitandum eſt, affectum hunc fuiſſe iliacum, à lumbricis vel in inteſtino vel ventriculo reſidentibus ſubortum. Uti vero hi arrodendo & lancinando tunicas teneriorum inteſtinorum nerveas, graves in univerſo nervorum ſyſtemate concitant paſſiones: ita etiam motum inteſtinorum periſtalticum penitus ſubvertendi utique ſufficienti vi ac facultate pollent. Verique omnino ſimillimum eſt, lumbricos in ventriculo exiſtentes hujus mali exitialis cauſam fuiſſe. Incidit mihi in confirmationem hujus rei hiſtoria, quam ex relatione BEATI MEIBOMII habeo: Helmſtadii ſtudioſus, ante aliquot annos, ſupra umbilicum ferro vulneratus, continuo vomere cœpit primum cibos, dein materiam ſtercoris inſtar; ſub finem ſecundi diei mortuus eſt. Vulnerata quidem inteſtina arbitratus medicus, ſed ſectio facta plane oſtendebat, ventriculum antrorſum & retrorſum eſſe læſum, tam late penetrante vulnere. Ex quo diſcimus, læſo tantum ventriculo, ſalvis inteſtinis, totum poſſe inteſtinorum canalem inverti; nihil juvantibus ſuppoſitoriis & clyſteribus. Alias in tali affectu, aqua cum mercurio vivo puro decocta, addita vini quarta parte, remedium neſcio præſtantius: hac enim & necantur vermes & alvus ſolvitur; ſed tempeſtive, antequam ventriculi & inteſtinorum tunicæ ſint laceratæ, debet exhiberi.

CAPUT V.

De *inteſtinorum doloribus, atque in ſpecie, de colica flatulenta & ſpaſmodica.*

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

In dolore inteſtinorum nervoſæ partes patiuntur.

Inter graves generis nervoſi afflictiones, non immerito referri debent vehementes dolores, qui inteſtina ceu partes valde nervoſas & ſenſiles motuque propulſorio præditas obſident, atque per conſenſum alias etiam nervoſi generis partes, in locis remotioribus conſiſtentes, afficiendo, pernitioſas ſubinde afflictiones pariunt.

§. II.

Ratione loci & vehementiæ differunt.

Quemadmodum tenuia & craſſa inteſtina, ratione texturæ, capacitatis, functionis & ſitus differunt: ita etiam dolores, prout in iis ſedem ſuam figunt, ratione vehementiæ, periculi & aliorum accedentium affectuum differunt.

§. VII.

In tenuioribus acutiores ſunt.

Obſervamus longe acerbiores & acutiores oboriri dolores in tenuioribus quam in craſſis: id quod luculenter validiora purgantia & venena cauſticæ indolis teſtatum faciunt, cum tormina ſupra & infra umbilicum atque in medio etiam hujus compareant ſæviſſima. Et hanc ob cauſam ab HIPPOCRATE in genere omnes inteſtinorum dolores, iliaci denominantur; nulla facta in monumentis ſuis doloris colici mentione: quum noſtro tempore omnes fere qui inteſtina obſident dolores, colici dicantur atque habeantur.

§. IV.

Quinam dicuntur iliaci? qui colici?

Rectius itaque iliaci cenſendi erunt illi, qui medium graviter affligunt ventrem, ſive ſpaſmodice illum conſtringendo, ſive vehementer inflando; quum conta colici illi obtineant, qui in hypochondrio dextro & ſiniſtro hærent, & preſſione ac diſtenſione ingentes creant moleſtias. HOLLERIUS *de morb. intern. Cap. XXXIX.* ita coli dolorem deſcripſit: *inſiſtit in certo loco inſtar infixi pali; ſubinde tamen vagus ad inguina, ſiniſtrum & utrumque renem, ſurſum aliquando revolvitur, & locum mutat, ut ſunt flexus inteſtini coli, quod relicto recto in ſiniſtrum inguen divertit. Aſcendit inde ad ſiniſtrum renem ubi anguſtius eſt, quæ anguſtia & ſimul ibi occurrens flexura, cauſa eſt, ut hac in parte dolor ſit intenſior. Hinc ad ſplenem laxius intenditur, ſubitque hepar, atque aliquando in cyſtide fellis hæret; poſtremo in dextrum ileon deſcendit, ubi deſinit in cœcum.*

§. V.

Totus inteſtinorum tractus ſubjectum colicæ præbet.

Nos omnem inteſtinorum tractum pro ſubjecto & ſede dolorum agnoſcimus, ita tamen, ut una ejus parte graviter affecta, totus nervoſus canalis à faucibus ad podicem trahatur in conſenſum, ſive rectius præternaturales motiones imo inverſiones & læſiones motus periſtaltici, reliquis omnibus communicentur, adeo ut ſi vehementior cauſa fuerit, etiam totum univerſi corporis ſyſtema nervoſum gravius ſimul afficiatur.

§. VI.

Symptomata.

Affectiones & ſymptomata acerbiora, quæ inteſtini jejuni, ilei, coli, vel recti, ut apparet in hæmorrhoidibus cœcis, dolores comitatur vel ſubſequuntur, à ſpaſmo partium nervoſarum

quam

quam maxime oriuntur & ſunt ſequentia: horror, tremor partium externarum, ſudor frigidus, virium omnium proſtratio, inquietudo, corporis jactatio, ſumma anxietas & interna anguſtia, ſingultus, vomitus, alvus conſtipata, teneſmus, urinæ ſuppreſſio, ſpaſmus veſicæ, febris, pulſus contractus, ſpirandi difficultas, quandoque delirium & convulſiones epilepticæ.

§. VII.

Ratio formalis eſt vel ſpaſmus, vel nimia diſtenſio.

Sicut ratio formalis ſive proxima cauſa omnis doloris eſt nimis vehemens tunicarum & partium nervoſarum diſtenſio, diſtractio atque expanſio, vel earundem validior & ſpaſtica conſtrictio & coarctatio: ita etiam ab iiſdem cauſis inteſtinorum proficiſcitur dolor. Vel enim à flatibus retentis & occluſis, ſupra modum certi inteſtinorum tractus diſtenduntur & divelluntur, ut quaſi continui ſolutionem moliantur; vel ab humore mordaci cauſtico intra inteſtina vel etiam in eorum ſubſtantia membranacea contento, ſpaſmodica conſtrictione criſpantur, coarctantur, cum valde moleſta & ſenſibili paſſione: qua de cauſa etiam in ſcholis medicis diſtinctio inter dolorem inteſtinorum, ſive colicam flatulentam & ſpaſmodicam, adhuc viget & locum obtinet.

§. VIII.

Diſtinctio colicæ flatulentæ.

In dolore tenuium flatulento, mire abdomen inflatur & turget; & tanta ſæpius flatuum vis eſt, ut cutem ita diſtendat, ut dolor ipſo tactu exacerbetur: neque exempla deficiunt, à vehementia flatuum herniam umbilicalem fuiſſe ſubortam. Dolores ſunt acuti, alvus valde conſtipata, ſumma anguſtia, ſique ſimul ventriculus inflatur, reſpiratio valde difficilis evadit, & eructationes cum levi levamine ſubſequuntur; accedunt cardialgicæ paſſiones & inanes vomendi conatus.

§. IX.

à colica ſpaſmodica.

In colica ſic dicta ſpaſmodica & convulſiva, ventris arctior fit compreſſio & umbilici introrſum retractio, alvus eſt conſtipatiſſima, ut neque flatus transmittat, neque clyſterem facile recipiat. Adeſt ſimul ingens in lumbis dolor, ipſumque peritoneum muſculique abdominis violenter contrahuntur: extremorum adeſt refrigeratio, tremor, horror, pulſus durus & contractus, ſumma anxietas & quam facile animi deliquium ſupervenit.

§. X.

diſcrimen inter flatulentiam & colicam flatulentam.

Nos hoc loco monendum ducimus, inſignem eſſe differentiam inter flatulentiam inteſtinorum, & dolorem inteſtinorum flatulentum. Nam hic à ſola atonia, motu & robore inteſtinorum labefactato, in ſenibus potiſſimum & qui cibis inflantibus frigidis nimium utuntur, item in corporibus à prægreſſo morbo labefactatis naſcitur. Illa vero nunquam ſine labe inteſtinorum eſt, neque tam facile tollitur, & graviora habet accidentia, cum hic per ructus, per flatus & alvi ſolutionem facile terminetur.

§. XI.

inter dolorem nephriticum & colicum.

Illud quoque monitum non eſt prætereundum, dolorem nephriticum & qui à calculo renali fit, non confundendum eſſe cum eo cujus cauſa in ipſis inteſtinis reſidet: de qua confuſione jam olim à GALENO & ejus aſſeclis inſtituta fuit querela. Utut vero ratione ſymptomatum & effectuum multum inter ſe conveniant; in eo tamen eſt differentia poſita, quod dolor, ſi eſt à calculo, in lumbis fixior, pertinacior & acutior ſit quam in colica ſpaſmodica; in hac alvus longe conſtipatior & fortius occluſa ac in dolore nephritico: dein quod, alvo per enema ſoluta, remiſſio doloris colici fiat, quod non contingit in nephritide calculoſa: ad urinam quoque emittendam major in calculo adeſt ſtimulus, eaque tenuis, in paroxyſmo aquoſa & ſubinde arenoſa apparet. Et poſtremo, dolor ſecundum ureterum tractum ſucceſſive protenditur: id quod in inteſtinorum non obſervatur doloribus. Longe vero facilius eſt in iis qui ſemel vel bis dolore ex calculo laborarunt, notas ejus characteriſticas diſcernere.

§. XII.

Cauſa efficiens in alia parte ac dolens hæret.

In theoria vero dolorum inteſtinalium id maxime attendendum venit, quod horum cauſa, à qua oriuntur, longe aliam ſedem fixam habeat, quam ubi eorum exacerbatio percipitur. Ita nunquam fit inflatio inteſtini, niſi in alia parte vel tractu, cujuſdam inteſtini ſtrictura ſpaſtica, anguſtia vel etiam obſtructio ab excrementis aut alio humore tenaci præcedat vel conjuncta ſit: ſiquidem flatus in inteſtinorum canale, propter calorem & humorem aqueum ſemper præſentem, nunquam deſunt, ſed nullam creant moleſtiam, quia liberum habent ſpatium & æqualiter ſe expandere poſſunt; ſimul ac vero obice poſito, non poſſunt tranſmitti, & intercipiuntur, ſed in certo loco coacervantur, occluduntur & quaſi incarcerantur, tunc magna vi expanſiva agunt in inteſtinorum tunicas, eas ſupra modum diſtendendo & diſtrahendo.

§. XIII.

Quid fiat, ſi tenuia ſpaſmo afficiantur.

Quandocunque in tenuioris inteſtini quadam parte, ſicut in hernia ſcrotali, vel etiam à vermibus aut fœcibus induratis evenit, ſpaſmus, occluſio vel nimia coarctatio producitur, vel etiam quando in principio coli in dextro latere excrementorum copia ſtagnat, nec loco movetur, ingens & acerbe dolorifica abdominis inflatio, ſupra, infra umbilicum & in medio ejus, oritur.

§. XIV.

ſi rectum aut colon vel principium jejuni.

Quod ſi vero inteſtinum rectum vel inferior coli tractus vehementem patitur ſpaſmum, mire inflatur coli magna flexura in ſiniſtro hypochondrio verſus ſplenem, una cum illo, qui infra ventriculum tractus protenditur & juxta hepar poſitus eſt. Quando autem, quod frequentius in malo ſic dicto hypochondriaco & hyſterico occurrit, principium jejuni, vel finis duodeni ſpaſtice afficitur, ob vicinum & ſupra illud decurrentem ramum ſuperiorem meſentericum & intercoſtalem, ingens in lumbis oritur dolor, ipſumque duodenum & ventriculus flatibus mire implentur, diaphragmatis quoque liber motus impeditur; unde ingens illa præcordiorum anxietas, ſpirandique anguſtia, & ructus cum impetu, frequenter & fere ſine fine, erumpunt. Non ſemel ego ſed aliquoties obſervavi in colica ſpaſmodica inferiorem coli partem funis inſtar contortam & convolutam, tenue vero inteſtinum ad craſſitiem brachii expanſum fuiſſe repertum.

§. XV.

Colicæ ſubjectum. Inteſtinorum dolores adeo frequentes ſunt, ut nulla ætas, nullus ſexus, nullus corporis habitus & nullum temperamentum ab iis ſit immune. Infeſtant autem quam maxime infantes, fœminas, atque etiam ſenes, & quicunque tenerioris, debilioris & ſenſibilioris ſunt naturæ.

§. XVI.

Cauſa & generatio colicæ flatulentæ. Acerbæ & torminoſæ hæ inteſtinorum affectiones diverſi generis agnoſcunt cauſas, & pro harum differenti natura, genio & vehementia, variant ſymptomata, variat etiam & intenditur ſubinde periculum. Frequentiſſimam vero alvi ſcybala retenta & indurata, in inteſtinis craſſis, interdum in tenuioribus hærentia, cauſam præbent. Atque multum huc cruditatum acido-viſcidarum copia, cibi ſicci, aridi, adſtringentes, diuturnior ſomnus & vitæ genus motus ac laboris expers contribuunt. Et quandocunque ſub pigra & obſtructa alvo, cibi dulces, fermenteſcibiles, carnes pingues præſertim vervecinæ, cum potu frigido, vel refrigerationes pedum atque abdominis accedunt, inflatio abdominis intenditur & dolor acerbior fit. Atque in eo colicæ potiſſimum flatulentæ, & quæ veteribus à cauſa frigida producta dicitur, ratio & genius verſatur: cujus generatio & crebra invaſio imbecillitatem & atoniam inteſtinorum eorumque toni ac roboris defectionem indicat atque ſupponit; hinc obeſis, phlegmaticis, ſenibus & debilibus admodum familiaris eſt, præſertim ſi frigus improvide ad pedes, dorſum & ventrem admittatur.

§. XVII.

biliosæ. Alia colicæ ſpecies eſt bilioſa, quæ ſecundum veteres, à cauſa calida ſubnaſcitur, atque ab humore bilioſo, acri, corrupto, in inteſtinis tenuibus præſertim duodeno copioſius collecto & ſtagnante ortum ſuum trahit, à gravi frequentius ira, præſertim in corporibus calidæ & ſiccæ conſtitutionis, ſub æſtate fervida & ætate juvenili, vel virili, aut ab aſſumtis potibus nimis ſpirituoſis & calidis proficiſcitur, majorique tormentorum, poſt frigidum ſumtum potum vel tranſpirationem prohibitam, ſeſe prodit ſævitia. Symptomata quæ hanc inſequuntur potiſſima ſunt vox rauca, cardialgia, continuum ciborum faſtidium, vomitus materiæ bilioſæ porraceæ, ſingultus, intemperies æſtuoſa & febriculoſa, inquietudo, ſitis intenſa, os amaricans, urina pauca & rufa, cui quandoque alvi dejectio bilioſa & crebra ſuccedit.

§. XVIII.

in infantibus lactantibus. Datur quoque valde atrox & torminoſus inteſtinorum dolor in infantibus, à lacte ſtagnante per miſcelam bilis valde corrupto & corroſivo reddito, unde fæces plerumque ſecedunt virides, paucæ & coagulatæ, & ab arroſione tunicarum inteſtinalium ſubinde convulſiones epilepticæ lethiferæ tragœdiam ludunt.

§. XIX.

in pueris. Pueris valde familiaris & frequens eſt colica, quæ fit à vermibus ſi convoluti in inteſtino ileo hærent, cui ſæpe febris continua & ſyncope, ventriſque lancinatio ac ſi terebra perforetur, jungitur. Qualia exempla, apud ZACUT. LUSITANUM *Prax. admir. Lib. II. obſ.* 33. & HILDANUM *cent. I. obſ.* 57. legi atque conferri poſſunt.

§. XX.

in puerperis. Neque puerperæ ab immanibus abdominis doloribus immunes degunt, præſertim quando lochiorum fluxus deficit, & poſt partum abdomen non decenter ligatur, vel partium ventris accedit refrigeratio.

§. XXI.

Hypochondriacos ſæpe vexat. Frequentiſſimum etiam hypochondriacorum ſymptoma eſt atrox colicus dolor, iſque maxime occupat latera, & vel in dextro hypochondrio infra ſub oſſe ilii, ubi principium coli flatibus & ſtercoribus infarctum eſt, vel ſub hepate in flexura, quam colon facit, flatibus vel ſcybalis diſtenta, maxime omnium vero in ſiniſtro hypochondrio ſub diaphragmate & liene, ob maximam coli flexuram, tenſivus conſiſtit, cum alvi obſtipatione, urinæ difficultate, anxietate, anguſtia, interna inquietudine viriumque dejectione junctus. Nam, quia in ſic dicto hypochondriaco morbo valde læſus & vitiatus eſt inteſtinorum periſtalticus motus, nec flatus, nec ſtercora verſus inferiora rite moventur & deſcendunt; hinc in flexuris maxime inteſtinorum, ubi diminuta eſt vis motrix contractilis & elaſtica, illa morantur, ſtagnant, & graves ac dolorificas ejuſmodi diſtenſiones pariunt.

§ XXII.

Colica ſpaſmodica à ſero acri intra tunicas hærente. Alia adhuc ratio & natura eſt eorum dolorum inteſtina torquentium, qui fiunt à materia intra tunicas inteſtinales hærente, ſero videlicet impuro & acri. Et talis in corporibus ſcorbuticis ac purpura ſcorbutica vel ſcabie infectis, in arthriticis quoque & podagricis ſæpe numero obſervatur; quando vitioſa materia, deficiente naturæ robore, retinetur, nec ad extremas partes tranſmittitur, vel etiam ab iiſdem, ob varias externas cauſas, intra corpus per metaſtaſin transponitur. Et hæc ſpecies colicæ ſpaſmis maxime ſe exerens, ad ſpaſmodico-convulſivam ſpectat & ſæva conjuncta habet ſymptomata, difficilis etiam eſt curationis, ac inflammationem minatur, neque facile conquieſcit, niſi relegata materia ad extimas partes fuerit.

§. XXIII.

à ſanguine. Neque prætereunda erit gravior & identidem ſpaſmodico-convulſiva colica, à nonnullis ſanguinea vocari ſolita, à ſanguine nimium intra inteſtinorum, coli præſertim tunicas congeſto, ſtagnante & ſenſiles nerveas tunicas valde diſtendente. Et hæc fieri ſolet in fœminis à menſium fluxu ſuppreſſo: tunc hyſterica vocatur; vel etiam à conſueto hæmorrhoidum fluxu deficiente, vel violenter cohibito aut ſuppreſſo: tunc recte dici ſolet hæmorrhoidalis. Quæ ſicut ſæpius in praxi occurrit, ita etiam ejus cauſa medicis ut plurimum incognita eſt. Hac ſæpiſſime homines boni, robuſti & ſanguinei, habitus euſarci, qui lautius & liberius, ſub meri præſertim potu, degunt, otioſam colentes vitam, afficiuntur. Cujus colicæ ſanguineæ multa exempla & obſervationes Doctiſſimus CAROLUS PISO in egregio tract. *de morbis è colluvie ſeroſa oriundis* vid. *Sect. IV. cap. II.* poſteritati reliquit.

§. XXIV.

Colica ſaturnina. Immanis quoque eſt illa colicæ ſpaſmodicæ ſpe-

ſpecies, quæ à fumis ſaturninis, ore hauſtis & cum ſaliva deglutitis ortum ſuum ducit, atque iis qui mineras Saturni igne tractant & calcinant, vel plumbum ab argento in docimaſticis furnis ſeparant, ut in Hercinia fit, familiariſſima eſt, vulgo dicitur *die Hütten-Ratze*. Dolor eſt in inteſtinis intolerabilis, alvus conſtipatiſſima, nec clyſteribus neque laxantibus facile cedit, umbilici fit introrſum retractio, ſumma adeſt inquietudo & artuum tractio, nauſea & aſſiduus ad vomendum conatus, in pareſin vel veram paralyſin vel aſthma ſpaſmodicum quam facile terminatur, ac diu & miſere ſæpius ægrotantes torquet. Ejuſdem generis dolori, figuli qui vaſa figulina vitro ex plumbo obducunt, vulgo *glaſiren*, obnoxii ſunt. Teſtantur quoque obſervationes practicæ, quod medicamenta quæ Saturnus ingreditur, ut tinctura antiphthiſica *Garmanni* vel magiſterium Saturni, quibus medicaſtri in gonorrhœa ſupprimenda frequentius uti ſolent, invincibilem alvi ſtricturam cum immanibus tormentis ſtipatam relinquant. Quam gravia & periculoſa valetudinis damna atque incommoda, à vinis acidis lithargyrio immiſſo dulcificatis, ante aliquot annos in Suevia oborta fuerint, id exquiſite & docte in Diſſertatione, Præſide *Clar.* ZELLERO habita, *de noxa vini lithargyrio mangoniſati*, eſt deductum. Inde enim non modo dolores ſtomachi, abdominis, ſiniſtri hypochondrii cum forti alvi ſtrictura, item colica convulſiva, ſed & aſthma convulſivum oborta fuere.

§. XXV.

Colica endemia ſpaſmodica.

Reſtat adhuc alia colicæ ſpecies, quæ rectius endemia vocari poteſt, quia certis regionibus familiaris admodum eſt: ita Moraviæ, Auſtriæ, atque Hungariæ incolæ atrociſſimo colico dolore ſpaſmodico & convulſivo creberrime divexantur. Cujus rei nulla mihi alia ſuppetit ratio ac cauſa, quam vinorum in hiſce regionibus valde ſpirituoſorum largior potus & abuſus, præſertim ſi corporis accedat refrigeratio; ex quo fit, ut ſanguis nimium ebulliens, & in concitatiorem motum adactus, ſi neque per naturalem, neque per artificialem evacuationem invenerit exitum, in inteſtina incumbat & ibi accumulatus dira ſymptomata inferat. Cæterum hæc quoque jure referri ad colicam ſanguineam & ſpaſmodicam meretur.

§. XXVI.

Colica ex morbis prægreſſis.

Dantur etiam atroces colici dolores, qui alios morbos prægreſſos excipiunt: ita extant paſſim obſervationes, & nota mihi quoque ſunt exempla, ubi ex diarrhœa ab adſtringentibus cito ſuppreſſa, item poſt dyſenteriam, ab incauta diæta, & alimentis inflantibus & fermenteſcibilibus copioſe admiſſis, graves & exitiales ventris dolores ſucceſſerunt. A cydoniato largiori manu in diarrhœa exhibito, ſæviſſimos ventris dolores atque torſiones, ad ſtercoris uſque vomitiones lethales vidit FERNELIUS *lib. VI. Pathol. c. X.* quod identidem à fortioribus purgantibus haud raro obſervavimus. Neque iis qui in artis exercitio frequentius verſantur, obſcurum eſſe poterit, poſt intermittentes, tertianam, quartanam, perperam curatas, prava præſertim diæta accedente, ſæviſſima ſubinde in abdomine ſecuta fuiſſe tormenta: teſtante illud BINNINGERO *cent. III. obſ.* 34. *cent. IV. obſ.* 41. *it. lib. IV. obſ.* 8. *&* 9. quibus ſubmovendis non tam facilis conceditur locus; ſiquidem in modo memoratis morbis ingentem labem & vitium jam contraxit inteſtinorum canalis, ejuſque functio, quæ maxima ex parte, à convenienti, ordinata & ſucceſſiva conſtrictione & dilatatione, ſive periſtaltica motione dependet, adeo læſa ac labefactata eſt, ut dein multo facilius vitioſorum humorum colluvies ibi conſiſtere, & cauſam ejuſmodi & aliorum pravorum affectuum poſſit ſubminiſtrare.

§. XXVII.

Symptomatica, à calculo renali.

Porro colica ſpaſmodica, frequens imo aſſiduum fere aliorum affectuum & dolorum eſſe ſolet ſymptoma: ſic nihil frequentius contingit, quam quod dolori, ex calculo renum per ureteres deſcendente & ad veſicam iter faciente, gravis ſæpius abdominis cruciatus, cardialgia, nauſea & vomitio adjungatur: idque maxime fit ob conſenſum harum partium, quam nervus intercoſtalis hiſce communis præſtat. Qua de cauſa nonnulli medicorum colicum dolorem cum calculoſo ſæpe confundere, nec rite diſcernere ſolent: cujus jam ſupra facta mentio. Obſervamus quoque in praxi, à dentitione infantum dolorifica, convulſivam colicam cum alvi forti adſtrictione, quam demum epilepſia ſequitur, ſubortam; idque tantum ob mirificum illum nervoſarum partium cum aliis conſenſum.

§. XXVIII.

à calculo felleo,

A biliario calculo, in cyſtide fellea detento, ejus ductum lancinante, ventris dolorem ſubortum, præter alia, defunctorum diſſectiones teſtatum fecerunt. Ita in colicorum cadaveribus veſicam felleam lapidibus refertam BALLONIUS *lib. II. epidem. pag.* 253. item M. N. C. *ann. VI. & VII. obſerv.* 220. fidem faciunt. Et HORSTIUS *lib. IV. obſ.* 47. colicæ graviſſimæ, CCXXXIII. calculorum mediocris magnitudinis è folliculo fellis rejectione ſedatæ meminit. Quo loco non poſſum non peculiarem doloris colici cauſam inſinuare, quam *Clar.* NICOL. TULPIUS diſertis verbis in *Obſerv. Lib. II. c.* 37. prodidit, ita habentibus: *Colicus dolor ſæpiſſime fit à bile flava, innatante huic inteſtino, quæ ſæpius ab anatomicis cum animadvertatur, veriſimile eſt eam tranſudare paulatim per tunicas folliculi fellis, huic inteſtino quam aliis vicinioris. Qua propter male ſibi conſulunt illi, qui præ nimio ſtudio validius comprimunt jecur: exprimit quippe prona hæc flexi corporis incurvatio bilem.*

§. XXIX.

ab eroſione inteſtinorum externa.

Neque abſonum ſed veriſimile potius videtur, ab acri humore tunicas inteſtinales externe arrodente, dolores in toto inteſtinorum volumine concitare poſſe. Quam ſententiam clariorem faciunt obſervationes, quibus per ſectionem defunctorum conſtat, ex abſceſſu meſenterii rupto, purulentam materiam inteſtinis inhæreſcentem ante mortem ſævos dolores & tormenta produxiſſe. Quales WILLISIUS, BENIVENIUS, & WARTHONUS ſcriptis ſuis paſſim inſinuant.

§. XXX.

Colica chronica.

Præter dolores autem inteſtinorum, qui acutioris ſunt indolis & vel in ſalutem vel in mortem brevi terminantur, dantur etiam chronici qui ſunt generis, & diutius inſiſtunt, ac per

multas hebdomades imo per anni aliquando ſpatium excruciant, licet per intervalla ſuas habeant remiſſiones & exacerbationes. Horum poſt mortem demum fuit inventa cauſa, quæ in eo conſtitit, quod in quadam parte inteſtinum fortiter anguſtatum, conſtrictum, ſcirrhoſum vel calloſum fuerit deprehenſum: quare in totum motus inteſtinorum æqualis deſtruitur. Ita KERCKRINGIUS *Spicileg. Anatom. Obſ.* 50. in puero tormentis inteſtinorum qui obierat, cuncta flatu diſtenta, pylorum vero adeo exiguo foramine pervium vidit, ut flatum vix tranſmitteret; duodeni vero atque recti parietes ſubſidentes, conglutinatos & quaſi filo conſtrictos, ut nullus flatus ea perrumpere potuerit, invenit. Scirrhum coli HOLLERIUS *de morb. intern. Lib. I. cap.* 41. & RHODIUS *cent. II. obſ.* 76. deſcribunt. A callo quoque in inteſtinis colicam productam BENIVENIUS conſpexit: vid. *Libr. V. de abdit. cap.* 30. & 34. Inteſtinorum vero coalitum poſt dyſenteriam RHODIUS *cent. II. obſ.* 77. *it.* 82. annotavit; de qua re BARTHOLINUS *cent. VI. obſ.* 38. & *obſ.* 2. it. M. N.C. *an.* 1672. conferri poſſunt. Anguſtati quoque inteſtini & cartilagine obducti meminit BALLONIUS *epidem. Lib. I. p.* 58. Præterea de anguſtia inteſtinorum, perdocta diſſertatio *Clariſſ.* WALTHERI *Lipſienſium Prof.* lectu digniſſima eſt. Sæpius quoque in ſectionibus cadaverum colica ſpaſmodica demortuorum implicatio omenti obſervatur, manifeſto documento, vigere etiam in hoc motum quendam ſpaſticum. Ab hepate male affecto abdominis dolores chronicos obortos non raro vidimus, ita ut illud albicans induratum fuerit inventum, & cyſtis fellea calculis repleta. Quandocunque enim liberior ſanguinis per hepar tranſitus impeditur, à biliosis ſordibus non bene depuratur, & impetus quoque ejus ad inteſtina ruit; ubi ob copiam & nimiam diſtenſionem vaſorum tardius progrediens, ſtagnationes dolorificas in inteſtinorum membranis efficit.

§. XXXI.

Anatome colica defunctorum.

Ceterum, qui ſubito ex acuto inteſtinorum dolore pereunt, in iis plerumque inteſtina inflammata & ſphaceloſa reperiuntur. Ita SPIGELIUS in *libr. de Semitertiana*, in diſſectis hac febre extinctorum cadaveribus, qui ante immani dolore quaſi colico fuerant excruciati, inteſtina inflammata & eryſipelatoſa detexit: & adjicit, his in caſibus phlebotomiam omittere & purgationem, ut vulgus ſolet, ſubſtituere nefas eſſe. Sphacelatum quoque inteſtinum rectum, ab hæmorrhoidibus cœcis male curatis, nos vidimus.

§. XXXII.

Quando dolores ſalutariter ſolvuntur.

Salutariter vero ſæpe numero horum dolorum ſolvi ſolet atrocia, per ſudorem copioſe obortum, vel etiam per hæmorrhagiam narium, aut hæmorrhoidum fluxum ſupervenientem, item per expulſionem purpuræ ad extimas partes, aut per arthritidem & podagram ſuccedentem, vel macularum ſcorbuticarum proventum. Crebra enim & perquam notatu digna hinc inde reperiuntur exempla, ubi ex arthritide repulſa factæ fuerunt pertinaces colicæ, qua redeunte ubi illæ ceſſarunt. Sic colicæ ſæpius biliosæ diarrhœa ſuperveniente ſolvuntur, qua putrida & nigra materia evacuatur. Spectat huc quoque inſignis locus apud HIPPOCRATEM *libr. de hum.* §. 11. *cui inteſtinum in dextra parte dolebat & articulari morbo correptus, quietior erat.* Neque parum ſalutis promittitur, ſi dolores locum atque ſedem mutaverint.

§. XXXIII.

Quando minus ſalutariter terminatur.

Minus ſalutariter, colicæ inprimis ſpaſmodicæ & convulſivæ, viribus plane dejectis & diſſipatis, ac ſudore, colliquativo ſuborto, vel in veram paralyſin vel in notham ſive pareſin, vel in manuum & pedum ſtuporem terminantur; vel etiam ſi atrocior dolor urget, epilepſia, convulſiones, vel aliæ graves capitis affectiones, ut lethargus, carus, apoplexia finem vitæ faciunt. Multum vero periculi alit colica ſive convulſiva ſive biliosa, quæ cum actuali invadit horrore & atrocius affligit: nam deſignat inflammationem, quam, ſi non ſuccurramus, ſphacelus excipit.

CURATIO CUM METHODO MEDENDI.

§. I.

Medendi methodus, pro differentia cauſarum variat.

Sicut ex antecedentibus plenius perſpicere ac animadvertere licet, cauſas dirum hunc affectum excitantes mirum variare: ita nunc identidem colligi poterit, medendi methodum, pro differentia cauſarum quæ inteſtinorum dolores fovent, longe aliam atque aliam eſſe inſtituendam.

§. II.

Quid agendum, ſi, à fluxu ſanguineo critico ſuppreſſo dolor.

Quando itaque conſueto hæmorrhoidum vel menſium fluxu ſuppreſſo, in corporibus præſertim ſanguine abundantibus, immanis abdomen infeſtat dolor, cum gravi æſtu ac pulſu citatiore junctus, venæ ſectio in pede inſtituta, clyſmata emollientia, pulveres antiſpaſmodici leniter nitroſi & cinnabarini momento caſtorei remixti, nec non liquor noſter anodynus mineralis, additis eſſentia caſtorei & ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſi, neque minus pediluvia, dolorum ſævitiam mirifice mitigando, omne curationis in ipſo paroxyſmo abſolvunt punctum. Extra vero illud tempus, & præſervationis gratia laborandum eſt, ut menſium in fœminis & hæmorrhoidum in viris ſolennis reſtituatur fluxio; quo maxime omnium faciunt conveniens acidularum, thermarum, balneorumque vernali cumprimis tempore ſuſceptus uſus, præter hunc, pediluvia, motus & exercitatio corporis debito modo inſtituta, diæta commoda, pilulæ balſamicæ, atque infuſa theiformia ex herbis partim carminativis, partim uterinis compoſita erunt adhibenda.

§. III.

Si à bile copioſa cauſtica.

Quando dolor inteſtinorum à copia bilis efferæ & cauſticæ ſuam mutuatur cauſam & originem, eadem prope præcedente §. memorata remedia proficiunt. Palmam vero inter alia, pulvis nitroſus, una vel altera gutta olei millefolii veri deſtillati commixtus, ex aquæ florum chamomillæ vulgaris unciis III. vel IV. propinatus, quæ gratior adhuc & virtute præſtantior redditur, adjectione ſyrupi papaveris albi & ſpiritus nitri dulcis rite præparati, jure ſibi vindicat: ſicut autem hæc aqua, in omni abdominis dolore vehiculum remediorum præbet convenientiſſimum; ita multo felicius operationem ſuam exerit, ſi ejus deſtillatio cum cereviſia triticea inſtituatur. Præſtat quoque in hac colicæ ſpecie medicamenta in vehiculo ſubfrigido quam calido exhibere, & abſtinere à decoctis & infuſis calidioribus pariter à

regi-

regimine ſudorifero & balneis calidis: eo quod hac ratione bilioſus ferocior redditur humor, & partes nervoſas intimius penetrat. Hinc obſervationibus practicis edocemur, hujuſmodi in caſu, ſolum aquæ frigidæ potum, quo ipſe GALENUS in colica bilioſa uſus eſt, optime profuiſſe atque malum depuliſſe. Majorem autem hoc monitum attentionem meretur, ſi ex ira ſuſcitata fuerit torminoſa affectio.

§. IV.

Si à flatibus vel excrementis incarceratis.

Si fixus & tenſivus in dextro vel ſiniſtro hypochondrio vel infra ventriculum hæſerit dolor, certum indicium eſt, flatus vel excrementa coli flexuris incarcerata hanc ſcenam ludere. Tunc præcipuum curationis in eo poſitum eſt momentum, ut enemata emolliendi, diſcutiendi & roborandi virtute prædita injiciantur; non omiſſis externis linimentis carminativis & emollientibus, parti dolenti applicandis. Aperta ſic alvo, flatibuſque diſcuſſis atque propulſis, pilulæ noſtræ balſamicæ ad Becheri exemplar compoſitæ, interpoſito ſale digeſtivo, vel decocto mannato, cremore vel terra foliata tartari, & uno vel altero cochleare oleo amygdalarum dulcium permixto, porrigi debent.

§. V.

Si à ſpaſtica recti & coli ſtrictura.

Ubi rectum & inteſtini coli portio, in ſiniſtro præſertim latere, fortiori ſpaſtica ſtrictura afficitur, ita ut alvus nec flatui nec excrementis exitum concedat, neque clyſter commodo ano immitti queat; tunc totum abdomen oleis calidis & pinguibus fovendum eſt; v. g. oleo chamomillæ, anethi, rutæ, coctis, pinguedine taxi, canis, vulpis, caſtorei, humana, quæ etiam per clyſterem ad ſpaſticam illam ſtricturam relaxandam ano infundi poſſunt: quo facto, infuſum mannatum, quod ſupra memoravimus, erit offerendum.

§. VI.

In colica flatulenta quid conferat.

Colica flatulenta ex atonia & imbecillitate ventriculi & inteſtinorum, à cibis crudis male digeſtis & inflantibus, enata, carminativa & paulo calidiora admittit, quorum cenſum ſubeunt aquæ carminativæ ſpirituoſæ, ex ſemine cymini & carvi, corticibus aurantiorum, floribus chamomillæ vulgaris & Romanæ ac cardamomo cum vino deſtillatæ, eſſentia carminativa *B. Wedelii*, eſſentia corticum aurantiorum probe ſaturata, ſpiritu ſalis ammoniaci exaltata, liquor anodynus mineralis cum balſamo noſtro liquido, quod vitæ audit, permixtus, vel ſequens liquor carminativus: Recipe ſpiritus nitri dulcis vel liquoris noſtri anodyni mineralis, eſſentiæ corticum aurantiorum, tincturæ tartari ana drachmas tres, ſpiritus ſalis ammoniaci drachmam, olei carvi deſtillati, cymini, de cedro, chamomillæ vulgaris deſtillati, ſingulorum guttas VI. M. D. Doſin conſtituunt guttæ XXX. ad L. Hauſtus inſuper vini ſic dicti *Hippocratici* ex ſpeciebus aromaticis, v. g. corticibus aurantiorum, citri, macere, caryophyllis, cardamomo & ſaccharo parati, ſenibus præſertim & ubi ex refrigeratione abdominis & externarum partium malum traxit originem, inſigne & præſentaneum ſolet levamen præbere. Perutile quoque eſt, abdominis regionem tegulis & marmoribus calidis, item ſacculis avena, ſale communi, toſtis, ſemine carvi, milii, baccis lauri atque juniperi repletis, ſubinde fovere.

§. VII.

quid, ſi à materia retropulſa, oria.

Dolores abdominis, ubi à retropulſa materia exanthematica vel excretione critica, ſcabie, purpura, podagra, arthritide, rheumatiſmo, eryſipelate proficiſcuntur, nihil aliud agere prudens & rebus ſuis ſatagens medicus debet, quam ut leniter diaphoreſin promovere ſtudeat; id quod ego nonnunquam, eſſentia ſcordii probe ſaturata cum ſpiritu florum ſambuci non intenſe rectificato extracta, liquori anodyno noſtro ad dimidiam partem admixta, ſi ad guttas XXX. vel XL. in infuſo calido bis de die propinatur, feliciſſime perfeci: circa lecti vero introitum pulverem meum bezoardicum, pauxillo nitri & cinnabaris mixtum, adjecta ſucci citri recentis portione in idoneo vehiculo obtuli; non prætermiſſis emollientibus & demulcentibus clyſteribus, atque corporis in blanda diaphoreſi conſtitutione.

§. VIII.

Si à vermibus.

Quando ex vermibus inteſtinorum dolor in junioribus oboritur, ad dolorem ſopiendum primo decoctum ex emollientibus & paregoricis, floribus videlicet ſambuci, chamomillæ vulgaris, meliloti, verbaſci, ſemine fœnu græci, anethi, aniſi, croco, & lacte paratum, vel veſicæ ſuillæ incluſum, vel linteis exceptum abdomini applicari poteſt. Dein clyſteres ex iiſdem ſpeciebus in uſum frequentiorem ducendi ſunt, qui etiam ex lacte recenter mulcto parandi. Interne vero tinctura rhabarbari & tanaceti, quæ herba vere ſpecificum eſt anthelminticum, alvus ſollicitanda, & quandoque aquæ cum mercurio vivo coctæ uſus eſt interpolandus. Non raro contingit, ut hac ratione vermium glomera, quæ inteſtina obſeſſerant & anguſtarant, ejiciantur, ſedatis & placatis mox omnibus ſymptomatibus & graviſſimis abdominis tormentis.

§. IX.

Si ab hæmorrhoidibus cœcis.

Neque prætereundus eſt acerrimus ille & prope intolerabilis dolor, qui inteſtini recti tunicæ nerveæ exquiſitiſſimæ ſenſationis ſubinde inſidet & univerſi fere corporis partes in conſenſum trahit, à ſanguine hæmorrhoidali minima vaſcula obſidente ortum ducens, cœcarum hæmorrhoidum nomine notus: is enim peculiare curationis genus expoſtulat. Venam tunc ego non in pede, ſed in brachio ſecari præcipio, ad meliorem ſanguinis à partibus inferioribus ad ſuperiores derivationem. Exterius vero duo remedia experti ſſimæ virtutis deprehendi, quorum alterum eſt linimentum, quod ex drachmis tribus ſpermatis ceti, olei hyoſcyami drachma, camphoræ granis VI. & croci granis X. conſtat, quo calide inungi tumores debent; alterum eſt epithema, quod ex aqua calcis vivæ, cum aqua roſarum & florum ſambuci temperata, ſaturni ſaccharo & ſpiritu vini camphorato compoſitum, linteis tepide applicandum.

§. X.

Colica ſaturnina curatio.

In immani illa colica ſic dicta ſaturnina vere convulſivo-ſpaſmodica, quæ metallurgos affligit & immaniter excruciare ſolet, non invenitur præſtantius præſervativum, quam mane ſumtum juſculum pingue: in ipſa vero cura clyſteres mere oleoſi item oleum amygdalarum dulcium in copia hauſtum, cum vel ſine decocto mannato, omne exhauriunt punctum. Ad pareſin vero

vero ſanandam balnea aquæ dulcis, & poſt eorum uſum, inunctio ſpinæ dorſi & abdominis cum linimento, quod habet axungiam humanam, oleum nuciſtæ expreſſum, hyoſcyami, crocum & oleum roriſmarini, vix datur præſentius & certius auxilium.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

In colica ſpaſmodica purgantia vitanda.

In ſpaſmodico & convulſivo inteſtinorum & abdominis dolore, ubi alvus firmiſſime eſt clauſa, cane peius & angue acria purgantia, & ex iiſdem quoque parata clyſmata ſunt vitanda. Novimus, hac ratione inflammationem & mortem fuiſſe productam.

§. II.

Clyſteres plus una vice injiciendi.

Ad alvum longo temporis intervallo clauſam, ſi excrementis & ſcybalis induratis referta ſunt inteſtina, reſerandam, non ſufficit una clyſteris injectio, ſed duos vel tres intra horæ ſæpius ſpatium injicere oportet.

§. III.

Recto duris fecibus obſeſſo, fotus conferunt.

Aliquando accidit, ut induratum & compactum excrementum inteſtinum rectum occupans, flatuum ac ſcybalorum exitum penitus impediat. Tunc fotibus emollientibus fovenda anus, & ſuppoſitoriis pinguibus & ſalinis ſtimulanda alvus, nec non unciæ aliquot olei lini vel raparum cum decocto emolliente, in quo prius ſufficiens ſaponis Veneti portio ſoluta, ut duricies ſcybalorum emolliatur, per ſyphonem immittendæ.

§. IV.

Fumus tabaci quid præſtet.

Solus tabaci fumus per accommodatam ſyringam immiſſus, ad aperiendam alvum, omnia fere alia remediorum genera, teſtantibus id obſervationibus, fauſto ſuo effectu ſuperare creditur, utut ego certa de ſingulari ejus efficacia promittere nequeam. Id vero ſcio, quod experimentum hoc in equis ad alvum valide adſtrictam aperiendam maximi ſit virtutis. Novi etiam homines quoſdam plebeios atroci inteſtinorum dolore vexatos, fumi tabacini ſola deglutitione, ab omnibus cruciatibus in inſtanti fuiſſe liberatos.

§. V.

Alvo clauſa, carminativa nocent.

In omni graviori inteſtinorum dolore, antequam alvus fuerit ſoluta, calidiora carminativa & ſudorifera, balnea quoque nocentiſſima ſunt. Nam, dum materiam bilioſam vel corroſivam invehunt ſanguini nec ad partes exteriores præcipitant, anxietates augentur, & paralyſes, contracturæ, febres hecticæ imo convulſiones epilepticæ haud raro inducuntur.

§. VI.

Opiata in ſenibus exulent.

In ſenibus & imbecillis corporibus, ſi infeſtantur dolore abdominis opiata magis adhuc narcotica penitus exulent, item quando acerbiores dolores diutius perſeverantes vires admodum fregerunt. Quod etiam tenendum erit, ſi ex ſumma debilitate, nimiis ſudoribus corpora perfunduntur: paralyſin enim tam veram quam ſpuriam inde ſuſcitatam fuiſſe, vel etiam ſphacelum internarum partium inde productum fuiſſe meminimus.

§. VII.

Ubi prodeſſe ſint?

Nihilo minus in hypochondriacis & hyſterica paſſione detentis, vel ubi ſimul affligit ferina tuſſis, cum gravibus abdominis doloribus & eroſionibus, pilulæ balſamicæ noſtræ, vel aloëphanginæ extracto panchymagogo *Crollii* acuatæ, uno vel altero grano laudani opiati rite parati vel theriacæ cœleſtis adjecto, interpoſitis pulveribus nitroſo-ſalinis & abſorbentibus, inſigne dolorum & ſpaſmorum levamentum afferunt. Ita pilulas purgantes cum refracta doſi laudani opiati mixtas, multi celebres medici, nominatim RIVERIUS, POTERIUS, CRANIUS, HOLLERIUS & FORESTUS mirifice in abdominis doloribus deprædicant. Neque deficit ratio utpote remittente dolore & ſpaſmo, purgantis operatio longe promtior & felicior fæcum alvinarum dejectio ſequitur.

§. VIII.

Colica periodica quomodo tractanda.

Si atrox inteſtinorum dolor, certo temporis ſpatio recurrit; quod pluries menſibus *Martio* & *Octobri* contingit, flante & ſæviente maxime Borea vento, probabile eſt ejus cauſam ſanguinem intra inteſtinorum tunicas congeſtum eſſe, quia ſub tali tempeſtate ob regurgitantem ſanguinem, ejus in ſedis venis fit accumulatio. Qua de cauſa venæ ſectio in pede, ad hæmorrhoidum fluxum, ſi natura ejus fuerit aſſueta, promovendum, præſervationis gratia, commodiſſime inſtituitur. Sin vero quis criticæ hujus ſanguinis excretionis fuerit expers, conſultius ego ſemper deprehendi, brachii venam ſecare, quo ſanguis à partibus inferioribus derivetur ad ſuperiores, cum, ſi non invenit exitum per hæmorrhoides, major, per crebras ſectiones in pede adminiſtratas, ad partes inferiores fiat impetus atque affluxus.

§. IX.

Therma & acidulæ quibus proſint.

Hypochondriaci & hæmorrhoidarii flatulentiis ac ventriculi & inteſtinorum doloribus perpetuo fere exercentur. Si itaque malum inveteratum neque domeſticis, neque è pharmacia petitis obtemperare vult remediis; ego ſane nec præſentius nec efficacius, niſi in thermarum *Carolinarum*, vel aquarum mineralium temperatarum ut *Selteranarum*, imo *Embſenſium*, convenienti interno & *Tœplicenſium* externo per balnea uſu, unquam deprehendi auxilium; præprimis, ſi decente & ſat frequenti motu & exercitio corporis ſecundetur, diætæ quoque ſelectæ habeatur ratio.

§. X.

Colica puerperarum venæ ſectione profliganda.

Puerperis inteſtinorum & lumborum dolores ſunt familiariſſimi, præſertim ſi lochia non debito modo, quantitate ac tempore procedunt, ex quibus poſtea doloribus febres exanthematicæ, quæ ſi ingraveſcunt puerperam tollere conſueſcunt, oriuntur. Qua de re circumſpectus eo animum advertere debet medicus, ut convenienti methodo horum dolorum ſævitiam componat; quod optime fit, ſanguinis lochialis promotione, qui ſi medicaminibus morem gerere recuſet, venæ ſectio in pede tutiſſime celebratur, poſt quam ſtatim ſæpe numero prodeunt lochia, & dolores penitus ſopiuntur: quod crebra me docuit experientia.

METHODUS PRÆSERVATORIA.

Qui inteſtinorum & imi ventris doloribus frequenter recurrentibus infeſtantur; quod ego haud raro, in arthriticis, nephriticis, item hypochondriacis & hæmorrhoidariis animadverti; iis ante omnia exquiſita diæta & accurato vitæ regimine ſuperveniendum eſt. Id quod in eo maxima ex parte conſiſtit, ut primum ſedulo & omni ſtudio, quaſcunque occaſiones ad nocentiſſimas animi perturbationes, ut terrorem, iram & triſtitiam, fugiant: nihil enim reperitur, quod generi nervoſo adeo infenſum, & morbos in eo deſidentes tam confeſtim reſuſcitare magis idoneum eſt, quam vehementior animi commotio. Dein frigus Boreale, cujus ea eſt natura ac conditio, ut nervoſi generis morbos revocandi & exacerbandi maximam vim habeat, omni modo vitetur, & regio lumbaris, præcordialis & pedes quoque ab eo diligentius defendantur. Tum proſpiciendum eſt, ne legumina & inter hæc maxime piſa, fabæ, braſſica, caro pinguis vervecina, & frigidus præcipue huic ſuperingeſtus potus, admittantur. Denique, ut corpus non diu otioſum maneat, ſed frequentius exerceatur. Optime enim TRALLIANUS & etiam rectiſſime *libr. X.* in hiſce morbis motus commendat remedium, ita perhibens: *motus quicunque, & omnis exercitatio inſigniter iis conferunt, qui diutius tali morbo laborarunt & frequentius eo corripiuntur, ſi pedibus, ſi per equum, ſi etiam navigio movere corpus velint, item palæſtra & totius corporis perfricatio, locique mutatio & longa perigrinatio. Hæc enim omnia extenuant diſcutiuntque & totum corpus excrementis liberum reddunt, univerſum habitum corroborantia, ut in poſterum affectæ partes frigidum humorem colligere nequeant, imo ne aliunde influentem promte in ſe recipiant.* Poſtremo parciorem potum ſpirituoſorum & præſertim aquæ vitæ ſtomachalis carminativæ omnibus ſuadeo, utpote qui plus noxæ & incommodi quam fructus, à copioſiori harum rerum uſu reſultaſſe, crebro obſervavi: vulgaris quippe & damnandus error eſt, ad meliorem ciborum diſſolutionem & digeſtionem potus hoſce conferre; quum tamen hæc ipſa à latice ſalivali potiſſimum dependeat, neque ciborum ſolutionem ullo modo ſpirituoſa prorſus attingat; ſed potius è contrario, partes chyloſas in inteſtinis præcipitando, incraſſando, & poros obſtruendo, materiam ad ructus & flatus ſubminiſtrent.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Colica ſpaſmodico-convulſiva ex ira & ſuperveniente terrore.

Fœmina nobilioris conditionis erat, quæ quinquageſimum & ultra jam annum attigerat, ſtaturæ mediocris ſanguine & ſuccis plena. Per duos jam annos menſtrualis ſilebat purgatio; ceterum ſana & vegeta. Vehementi afficitur ira, & elapſis aliquot horis, ob infortunium quod ipſi nunciatur, ſummo & panico terrore atque tremore animus & corpus percelluntur. Nox erat inquieta. Sequenti confeſtim die regionem lumbarem & ingens frigoris ſenſus & dolor tenſivus tam acerbus corripit, ut in erecta ſtatura corpus ægerrime retinere potuerit. Brevi poſt, horrorem & refrigerationem præſertim partium externarum percipit; quam ventris dolores & tormina inſequebantur, cum ingenti præcordiorum anxietate. Perſuaſio fuit, ſpinam dorſi paſſam eſſe ſubluxationem. Unde ſpinæ facta fuit diſtractio; ſed dolores magis ingraveſcebant. Die tertio, poſtquam noctem inquietam tranſigerat, cardialgicæ accedebant anxietates cum ſumma ſpirandi anguſtia junctæ, inaneſque urgebant ad vomendum conatus. Pulſus erat celer & durus, pedes frigidi, alvus obſtipata, & ad urinam ſtimulus, ſed ejus parcior fluxus, & dolor lancinans in dorſo. In conſilium ego vocatus quæſivi, quia mater ejus per plures annos obnoxia erat renum calculo, an nunquam laboraverit hoc affectu? Negavit id ipſum. Porro interrogavi, an ſanguinis miſſionem neglexiſſet? Reſpondit annum eſſe elapſum. Aperuit mihi cauſam morbi ſupra tactam. Conſultum ante omnia viſum fuit, alvum injectis clyſteribus ſolvere, qui parum tamen utilitatis attulerunt. Poſtea venam pedis ſecari juſſi. Eduximus ſanguinem cum virium conſtantia & euphoria ad IX. uncias: atque ingens mox dolorum & ſymptomatum, cardialgiæ præſertim & vomitionis ſequebatur mitigatio; ſed dolor circa hypochondrium dextrum lancinatorius cum abdominis inflatione permanſit, neque alvus flatuum vel ſtercoris quicquam transmiſit. Clyſteribus carminativis & emollientibus, ac fomentis ejuſdem indolis abdomini applicatis inſiſtere placuit. Interne vero nihil aliud dedimus, quam oleum amygdalarum dulcium in juſculo avenaceo ex quo flores chamomillæ vulgaris decocti, item pulverem marchionis & bezoardicum, adjecto nitro, cinnabari & gutta olei chamomillæ veri, it. liquorem anodynum noſtrum, cui eſſentiæ caſtorei quarta pars admiſcebatur; potum paulo frigidiorem melius tulit quam calidum. Alvus paruit clyſteribus: ſed permanſerunt dicta ſymptomata. Memorabile fuit, quod alternatim abdomen mirifice fuerit inflatum cum tenſivo dolore, adeo ut tactum manus ferre nequiverit. Alio tempore ſumma fuit umbilici retractio cum ſpaſmodica ventris ſtrictura. Urinæ difficultas permanſit: dolor vero in dorſo & hypochondrio dextro, ubi prima lumbaris vertebra eſt, incipiebat. Hæc ſymptomata & meum & cognatorum animum tenuerunt dubium atque ſuſpenſum, num morbus ex calculo renali provenerit, an colica convulſiva hyſterica ſit? qua tamen nunquam fuit correpta. Die quæ erat ab invaſione ſeptima, mixturam præſcripſi ſequentem in modum. Rec. tincturæ antimonii acris, liquoris anodyni mineralis, utriuſque unciam dimidiam, ſpiritus tartari drachmas duas, eſſentiæ anodynæ gt. XII. M. Singulis tribus horis ſumſit triginta guttas cum aqua florum chamomillæ vulgaris, flor. ſambuci & ceraſorum nigrorum. Et inde obortus ingens per totum corpus ſudor, durans per totam noctem, ut lintea madefacta nimis mutare conveniens viſum fuerit: ægra ceterum inſigniſſimum levamen percipiente. Pulſus à naturali vix deflectere cœpit. Appetitus rediit & ſomnus; non tamen cedebat dolor in dorſo. Urina ſecedebat naturalis coloris, ſed ſine ulla arena vel craſſo ſedimento. Pilulæ datæ polychreſtæ, interpoſito ſale digeſtivo: & alvus etiam reſpondit; ubi multa fœtida & putrida egeſta fuerunt. Et ita ſenſim collectis viribus, adſiſtente Divina benedictione, ægra cum atroci hoc morbo rediit in gratiam.

Epicriſis.

Hic affectus rectiſſime colicæ convulſivæ titulum meretur, quæ à bile per iram copioſius in inteſtinum duodenum, cujus ſitus ad dorſum reflectitur, quod primam cauſam ipſius morbi ſuſtentabat, effuſa ortum duxit. Unde cardialgicæ anxietates, vomitiones & anguſtia ſequebantur. Quia vero à vehementia terroris, mox iram ſubſequentis, ſanguis ab exterioribus ad interiora maxime ad meſenterium ipſaque inteſtina fuit repreſſus & compulſus, flatulenta illa & ſpaſmodica inteſtinorum affectio eſt ſecuta. Fixus ille in dorſo dolor, noſtra ſententia, ramo meſenterico nervi intercoſtalis majoris, qui ut notum ex anatomicis eſt, una cum ramo meſenterico arterioſo ipſum duodenum ſupergreditur, ab hujus inflatione & copia ſanguinis, diſtento & compreſſo debetur. Neque vero hic gravior dolor & ſpaſmus tantum, in inteſtinorum volumine ſedem habuit, ſed & peritoneum, ipſius abdominis muſculos & lineam albam, ob plexum meſentericum & intercoſtales nervos partibus his communes, in conſenſum traxit; à qua cauſa retractionem umbilici & abdominis ducendam eſſe arbitror. Sanguinis miſſionem in tali ſtatu plethorico, ubi tanta eſt ſpaſmorum juncta atrocia, ad arcendam inflammationem, quæ, niſi ſanguine vel ſponte vel arte evacuato, promte ſequitur, perutilem imo neceſſariam judicavi: ſuadente id ipſum HIPPOCRATE in *coac. Sect. III.* ubi inquit, *dolores in lumbis ſanguinis fluxionem inducunt, & ſpinæ diſtorſionem ac ſpirandi difficultatem ſanguinis fluxio ſolvit.* Præter alia & hoc videtur notatu dignum, quod hic dolor typum febrilem ſervaverit, horrore & terrore incœperit, & ſudore ſeptimo die ſublatus fuerit, ut adeo recte dolor inteſtinorum ſpaſmodicus acutæ indolis nuncupari queat.

Observatio II.

Colica ſpaſmodica chronica, herniam producens, Carolinis & Tœpl. curata.

Triennium eſt, & quod excurrit, cum vir honeſtæ conditionis, mediocris ſtaturæ & ſtrictioris corporis habitus, vitæque ſedentariæ & lucubrationibus addictiſſimus, doloribus in dorſo & abdomine cum inappetentia & virium collapſu torqueretur. Quorum cauſam medicus in molimina hæmorrhoidalia rejiciens, ad hunc fluxum movendum varia præſcribebat remedia; ſed nihil ſanguinis, multum autem tenacis & albidæ materiæ, per alvum, alternis vicibus ſecedebat. Iter cum ſuſciperet Berolinum, exquiſitos & pungitivos in dextro hypochondrio ſub inguine, alvo ſimul valde adſtricta, patiebatur dolores; quos protuberans tandem tumor excepit, qui procedente tempore ex inguine in ipſum ſcrotum deſcendebat, multum ægro moleſtiarum faceſſens. Conſuluit celebrem in eadem urbe medicum, qui pilulis ſuis & aliis adhibitis medicaminibus, id quidem effecit, ut ſemel ſanguis per anum cum ægri quodam levamine erumperet. At vero fluxus hic, quum per annum reſtitaſſet, nullo medicamento revocari potuit: ſed dolores truculenti, quamvis per venam pedis ſanguis eductus fuerit, repetebant, & immaniter abdomen cruciabant; ingraveſcentes quando è lecto ſurgebat & leniter obambulabat, vel auræ frigidiori ſe exponebat. Acutus in regione umbilici conſtitit dolor, & permoleſta, quaſi ingentis globi ibi hærentis & prementis ſenſatio, quæ tam graviter ſæpe torquebat, ut æger corpus in erecto ſitu vix ſervare, ſed incurvare debuerit, lamentabili ſæpius voce doloris exprimens ſævitiam: nam tum prolapſum inteſtinum cum dolore lancinatorio & ardente valde diſtendebatur, atque in hypochondriis, dorſo & femoribus tam dolorificæ roſiones & ſtricturæ urgebant, ut rigidum & contractum corpus æger plane è loco dimovere non potuerit. Alvus firmiter erat occluſa, ut nec flatibus exitum concederet, nec clyſterem intromitteret. Acceſſio doloris, ab hora octava matutina fuit, qui ad meridiem duravit, vomituque deſivit; atque ingenti virium languore, abdominis ad tactum increſcente dolore, nauſea, ciborum inappetentia, ſudore nocturno, tuſſi ſicca, præcordiorum anxietate, marcore, urinæ ſuppreſſione comitatus ægrum mire maceravit. Miſit ad me hiſtoriam morbi. Suaſi, ad levandum malum, pulveris antiſpaſmodici uſum, qui ex lapidibus cancrorum, nitro, cinnabari & caſtoreo erat compoſitus, item liquorem anodynum cum refracta doſi ſpiritus bezoardici *Buſſii* remixtum, nec non elixir viſcerale inter cibos aſſumendum: balneum etiam aquæ dulcis & hirudinum ad anum applicationem, atque ut, loco cereviſiæ, aquam Selteranam cum pauxillo vini vel ptiſanam biberet, & alvum clyſtere oleoſo & emolliente apertam ſervaret, ordinavi. Proximo autem vere, meo ex conſilio, thermas Carolinas adiit; & abſoluta cum iis cura balneo Tœplicenſi, optimo & ſperato cum ſucceſſu ac levamine, uſus eſt.

Epicriſis.

Dolores inteſtinorum ſpaſmodici & flatulenti, ſi chronici ſunt, plerumque originem ſuam ſanguini intra tunicas inteſtinales nimium congeſto & ſtagnanti, ob impeditiorem per meſenterium & hepar circuitum, ſub vita ad otium & quietem compoſita, debent. Neque hi corpus facile deſerunt, niſi natura ſponte ſanguinem per ſedis venas emittat, ſi videlicet naturalis quædam ad hunc fluxum adſit diſpoſitio; qua deficiente nil pernicioſius eſt, ac ſanguinem commoventibus, aloëticis præſertim, & pilulis balſamicis, cujuſcunque etiam fuerint generis vel Auctoris, ad hunc fluxum naturam cogere velle. Tantum enim abeſt, ut ſymptomata inde remittant, quin potius à commoto & ebulliente inter tunicas nerveas ſtagnante ſanguine, ſpaſmi & dolores exacerbentur, cum tanta ſæpius vehementia, ut etiam nervus meſentericus magnus intercoſtalis & omnes partes ad quas ille ramos ſuos diſpergit, peritoneum quoque & muſculi abdominis cum inteſtinis in conſenſum rapiantur: atqui exinde herniam inguinalem & poſtea ſcrotalem fuiſſe ſubſecutam aliquoties notavi; quemadmodum ſimilem effectum à validiſſime operantibus draſticis & emeticis enatum vidi. Tunc vero ſemper deterior fit ægrotantium ejuſmodi conditio: nam ubi labem notabilem vel vitium quoddam inteſtinum vel tantum pars ejus contraxit, ſicut in herniis contingit, colica non modo affectos, ſed hypochondriacos quoque graviſſime luere perpetuum fere eſt; excrementa quippe in ejuſmodi tumore inteſtinali quam facile congeruntur & ſiſtuntur, atque ita totum motus periſtaltici adeo neceſſarium negotium perturbatur. Per remedia diætetica & accuratum vitæ regimen, moderationem animi affectuum, ſanguinis decentem per venas evacuationem, aqua-

rum

rum mineralium quæ temperie gaudent tam externum quam internum uſum, melius & citius, quam per multa medicamina nervina, calefacientia & purgantia ad deſideratam ſanitatem ægrotantes perveniunt: ſicut ego quoque in ejuſmodi morbis abſtinentiam ab omni cereviſia, & potum quo puriorem & ſimpliciorem eo præſtantiorem commendo.

Observatio III.

Colica biliosa ilisca in œnopota, ex frigore, epithemate &c. curata.

Quadraginta abhinc circiter annis, cum officio Phyſici Mindæ fungerer, vir honoratior annorum XL. cholericæ & in iram valde proclivis naturæ, ingenii vero acuti & vividi, cibos infumatos & ſalitos in delitiis habebat, & liberaliter quoque vino & ſpiritu vini utebatur. Hyeme, ſub aura valde algida, ex itinere domum reverſus, de dolore lumbari, acerbis ventris torminibus, alvo dura & conſtricta, quæ trium clyſterum injectionem eluſit, conquerebatur. Aderat calor præternaturalis, ſumma ſitis & vigilia. Admiſſis clyſteribus primo emollientibus, deinde carminativis, item ſumto decocto mannato cum oleo amygdalarum dulcium, & mixtura ex aqua menthæ, ſpiritu nitri dulcis, ſyrupo papaveris albi & pulvere præcipitante nitroſo propinata, malum fuit depulſum. At vero elapſo vix duarum hebdomadum ſpatio in eundem morbum ægrotans incidit, qui profligatus, etiam tertia vice repetiit, tam vehementi gradu, ut ego & medici adſtantes ſummum timeremus vitæ diſcrimen. Nam atrox dolor aſſidue affligebat, cum intenſo calore, ſiti inexhauſta, animi defectione, ingeſtorum & medicamentorum per ſuperiora rejectione, præter aquæ ſimplicis frigidæ potum cui quippiam calidi panis injectum, quem retinebat: alvus nullis clyſteribus vinci poterat: iliacum morbum ante oculos conſpiciebamus: neque ab ullo medicamento tam externo quam interno quicquam levaminis recipiebatur. Æger vero, quia per quinque continuos dies, aſſiduis vigiliis & jactatione corporis detinebatur, in extremum virium lapſum conjectus erat. Igitur, ad ſomnum conciliandum, ſequens excogitavi epithema, Rec. florum roſarum, ſambuci, lavendulæ ana pugillos tres, ſeminis papaveris albi, hyoſcyami, anethi, nuciſtæ, nucleorum Perſicorum, ſingulorum drachmam unam ſemis, croci drachmam; quæ ſpecies conciſæ & contuſæ, poſtquam in lacte ebullierant, applicatæ toti capiti fuerunt. Hujus tam felix erat operatio, ut per totam noctem placide miſer ægrotans dormiverit: à quo tempore omnia priora ſymptomata, conatus vomendi, dolor vehemens, inquietudo & anxietas conquieverunt, alvus quoque admoto ſuppoſitorio reſpondit. Datis poſtea convenientibus & temperatis ſtomachum & inteſtina roborantibus integre reſtitutus fuit. Ad præcavendam vero tam atrocis morbi vim & recurſionem, conſilium dedi, ut, quia non aſſuetus erat venæ ſectioni, eam bis vel ter quotannis admitteret; dein ut duriorem victum & largiorem vini, adhuc magis vero, ſpiritus vini potum evitaret. Mixtura quam ad ſtomachum roborandum præſcripſi, ex eſſentiæ carminativæ *Wedelii* uncia dimidia, eſſentiæ caſcarillæ drachma & dimidia, ſpiritus oleoſi *Sylvii*, guttis LX. conſtabat; quam, ante & poſt cibum ſumtum, per annum uſurpavit. Pro potu aquam ſimplicem commendavi, cui panis calidus recenter ex furno extractus injiciebatur. Ita à recurſu hujus mali plenarie fuit vindicatus.

Epicriſis.

Ex hac morbi hiſtoria & curatione paulo penſiculatius conſiderata, evidenter apparet, primo, ſub omni graviori dolore in parte quadam nervoſa ſuſcitato, univerſum nervorum ſyſtema in conſenſum rapi & atrocia in variis partibus induci poſſe pathemata. Dein quoque ingens illa capitis membranarum cum ventriculo & inteſtinis conſenſio, ex ea evincitur; cum capiti ceu parti à dolore valde remoto exterius tantum applicatum ſedativum remedium, in diſſitis partibus graviter affectis, vim ſuam & efficaciam exeruerit. Sicut vero omnes affectus nervoſi generis, ita etiam inteſtinorum & ventriculi dolores, facile ex neglecto vitæ regimine, inque primis per affectus animi immoderatos, per frigus & ventum Borealem exterioribus improvide admiſſum, nec non cibum & potum minus convenientem, recidivant: id quod facillime, in cholerici & ad iram proclivis temperamenti corporibus evenit; quibus aquæ frigidæ potus vino multo eſt convenientior: docente id ipſum GALENO *Libr. X. method. cap. VII.* De cujus etiam ſalutari uſu AMAT. LUSITANUS teſtatur, ſe atrocem inteſtinorum dolorem, aquæ frigidæ exhibitione, ſubito & incantamenti inſtar ſuſtuliſſe.

Observatio IV.

Colica ſanguinea ex diæta lauta & vinoſa, venæ ſectione & aquæ potu curata.

Anno circiter ſupra milleſimum ſexcenteſimum, octogeſimo quinto, cum Halberſtadii Provincialis medici nomine degerem, ad monaſterium Hammerslebienſe, cui medicus alius ordinarius præerat, ob plures religioſos ibi graviter laborantes, fui vocatus. Offendi ibi numero plures qui per longum tempus atrocibus ventris torminibus cum alvo pigerrima & conſtricta conflictabantur, de frigore quod ſuſtinere, horas primo mane in templo frequentando, debebant, contraxerant: quidam ex iis herniam inguinalem & ſcrotalem ſibi contraxerant: alii qui liberati erant, paralyſi & ſtupore manuum affecti. Erant homines repleti, euſarci, ſanguineæ complexionis, qui venæ ſectionem in anno vix ſemel admittebant, lauteque viventes mero non parum indulgebant. A dictis vero malis liberi permanſerunt, qui tenuiori victu & cereviſia ſimpliciori ſe ſuſtentabant. Igitur cum ex nimia ſanguinis abundantia ejuſque ſtagnatione inter inteſtina morbum prognatum judicarem, conſilium dedi, ut impoſterum ſanguinis miſſionem frequentius celebrarent, & ptiſanam cum vini portione remixtam biberent: datis medicamentis magis refrigerantibus & leniter carminativis, ſpiritu nitri dulcis præſertim, & ipſo nitro cum lapidibus cancrorum & croco permixto, quam valde calidis, quibus antea erant uſi. Suaſor quoque fui, ut vere approximante acidulas Pyrmontanas vel Egranas regimine cum convenienti biberent. Ad paralyſin vero tollendam, poſt balneum aquæ dulcis, linimento ex aqua Anhaltina, ſpiritu & ſale volatili lumbricorum terreſtrium, oleo nuciſtæ expreſſo, camphora & caſtoreo parato, partes affectas ut probe inungerent ſuaſi & edixi. Neque exiguum inde levamen conſecuti ſunt.

Epicriſis.

Sicut colica vulgo & in ſcholis medicis in bilio-

bilioſam & pituitoſam diſtingui ſolet : ita etiam ſanguineam, in plethoricis præſertim, ab iis rebus, quæ ſanguinem nimium in vaſis accumulant, excitari poſſe experientia nos crebrior docet. Nam ex menſium, in fœminis, in viris, hæmorrhoidum ſuppreſſo fluxu, acerbos abdominis dolores gravibus ſymptomatibus ſtipatos oboriri, noſtro tempore non novum eſt ; licet veteribus hæc morbi ſpecies videatur incognita. Equidem apud HIPPOCRATEM *Lib.* III. *de morbis* hæmatitis ilei nomen occurrit : ſed ſi penſiculate, quem deſcribit morbum conſideramus, longe alius eſt quam iliacus, cujus ſigna in eodem loco proponit : adeo ut nihil fere cum hoc habeat commune. Nam ileos, quo nomine omnes dolores ventris complectitur, vera hiſtoria *lib.* III. §. 15. cumulate & perfecte traditur. Rectius, optimus HIPPOCRATIS interpres FOESIUS in *œconomia* ſua, ac non ſine ratione, ſuſpectum eſſe hunc locum, & defectum atque mendum ſubeſſe judicat. Neque etiam in regionibus calidioribus, in quibus venerandus Senex egit, tam frequenter ex plethora vel fluxu hæmorrhoidali oboriuntur ægritudines, quam in noſtris meridionalibus & temperatioribus. Solent vero hujuſmodi dolores eſſe & longiores & atrociores, maxime quando cacochymia concurrit : hinc fit, ut, debilitato valde genere nervoſo, in paralyſin, epilepſiam vel alios morbos nervorum & capitis terminentur, præſertim, ſi non rite, per calidiora videlicet interna & externa, anodyna immoderate ſumta, tractentur. In regionibus præcalidis in Italia & præſertim Romæ, item in Hungaria, ſuperiori Auſtria, Moravia, ob abuſum vini generoſi, ſanguineæ & bilioſæ colicæ frequentiores ſunt. Neque ibi datur ad eas tollendas, præter uſum refrigerantium & præſertim aquæ frigidæ, præſidium facile convenientius & efficacius. Et ob hanc rationem non modo AMATUS, ſed & ZACUTUS, LUSITANI *hiſt.* 295. *pag.* 351. colicam à bile factam, aquæ frigidæ potu, & *Lib. II. obſ.* 25. *prax. adm.* nive curatam meminerunt. Conf. hac de re M. N. C. *cent.* V. *p.* 193. 194. *cent. X. p.* 273. item *Decur.* II. *An.* VIII. *obſ.* 13. & *Anno* X. *obſervat.* 139. Vidi quoque in paralyſi ab eadem cauſa exorta, balnea paulo frigidiora, plus efficaciæ quam calida præſtitiſſe.

Observatio V.

Colica ſanguinea, ex menſibus terrore ſuppreſſis, aqua frigida curata.

Anni propemodum ſex elapſi ſunt, quum Beat. D. D. NABOTH me Lipſiæ degentem, ad fœminam mercatoris primarii viduam, quæ graviſſimis abdominis doloribus, ex menſibus per vehementem terrorem ſuppreſſis torquebatur, duceret. Deliberatione invicem habita, primo ſanguinem è vena emittendum, dein clyſteres emollientes & oleoſos cum ſtimulo ſalino injiciendos curavimus, & mixturas carminativas ac ſedativas, quarum princeps ingrediens ſpiritus nitri dulcis fuit, propinavimus : ſed ſine effectu. Ipſe aſſeverabat, ſe modo in hac ipſa ægrotante, valde ſanguinea, quæ ante dimidium anni eodem morbo fuerat correpta, miro cum effectu & dolorum levamine, ſolo aquæ frigidæ uſum fuiſſe potu. Nolui prius in ejus deſcendere ſententiam, quum inflammationem vererer : ſed ipſe cum aſſertis & promiſſis ſuis inſiſteret, nolui moroſius repugnare : & res etiam felicius, ac putaram, ſucceſſit. Hic itaque aquæ frigidæ ſimplicis potum ad II. cyathos de die per vices ſumendum, tecto prius probe corpore & pedibus, curavit. Subſecuto largo ſudore, poſtea placido ſomno, omnes dolores abdominis conquieverunt. Affirmavit quoque, quod lintea aqua frigida madefacta, feliciſſimo ſæpius cum effectu, in tali caſu applicaſſet.

Epicriſis.

Quod in aqua frigida ſumma lateat medicina, ego multa experientia, qui ipſe : *de aqua medicina univerſali*, diſſertationem ſcripſi, edoctus fui. Sed uti omnia magnæ efficaciæ remedia, quæ à medicis ſagacioribus heroica audiunt, exquiſitum judicium ac prudentiam, omniumque cauſarum conſiderationem deſiderant ; ita id ipſum de aquæ frigidæ interno & externo uſu, maxime valere exiſtimo. Nam imprudenter & intempeſtive data, præſertim ubi metus inflammationis eſt, non poteſt non ſummum periculum, imo necem afferre. Nihilo minus ad calidam acrem materiam temperandam, nimium ſanguinis ebullientis æſtum reprimendum, ad vires ab immodico fervore collapſas reſtituendas, ad roborandum partium tonum, & ſyſtolen cordis & vaſorum augendam remedium efficaciſſimum utique præbet. Vidi ab ejus potu in cholerica paſſione miraculoſos plane effectus. Neque indignus animadverſione eſt locus apud LUDOV. SEPTALIUM, *quem libr.* VII. *animadverſ. p.* 248. inſinuat, & huc integer adduci meretur. *Contingit*, ſcribit, *aliquando ut colici dolores adeo vehementes ſint, ut omnem medicamentorum operam eludant, ac quocunque auxilio adhibito potius augeantur. In quo caſu erit ad contraria tranſeundum. Quum enim colici dolores majori ex parte, à materia frigida fiant aut à flatibus diſtendentibus ; ſit aliquando, ut aut ratione vigiliarum, dolorum, aut mœroris ob contumaciam aut invaleſcant nimium, aut inteſtina, accedentibus etiam calidis & foris appoſitis remediis, aut phlogoſi quadam tententur, aut etiam vera inflammatione incipiant affici, aut multa præexiſtens bilis ibidem transfundatur. Unde ad contraria erit tranſeundum & inſigniter refrigerandum. Quod mihi præterito anno contigit, in nobili quodam Hiſpano, qui cum colicis doloribus per aliquot dies acerrime fuiſſet conflictatus, ut jamjam mors eſſet præ foribus, nulli perſentirentur arteriarum, pulſus, ſudores eſſent reſolutorii, nulla denique ſupereſſet ſpes ſalutis, ne quidem apud medicos etiam præſtantiſſimos : accerſitus & ego, cum ſitim inextinguibilem, linguæ ſcabritiem, nigrorem atque duritiem ; pertactis autem hypochondriis & ventre inferiori, calorem illum in partibus æſtuantem adeſſe obſervaſſem, Hiſpano aquam multam nive etiam refrigeratam, bibendam exhibui, cum natura abſtemius eſſet. Et multæ aquæ potator in ſomnum prolapſus eſt, & quatuor horarum ſpatio cum dormiiſſet, dolore quodam inferioris ventris, à primo maxime, ut ipſe referebat, diverſo, excitatus à ſomno, miram bilis flavæ copiam evacuavit & à doloribus liber evaſit. Unde collegi, medicos, qui illius curationem ſuſceperant, in cauſa morbi illius longe deceptos fuiſſe, cum calidis remediis curationem inſtituiſſent, à frigida materia morbum factum judicantes.* Neque in colica flatulenta, à cauſa calida, frigida exterius applicata penitus improbanda veniunt : qua in re auctoritate eximiorum medicorum CRATONIS, item VALESCI de TARANTA niti licet, qui lintea aqua frigida madefacta & ventri impoſita in colicis doloribus ſedandis magni fa-

faciunt. Cui experientiæ, adſtipulantem quoque habemus rationem : nam flatus qui valide & mirifice tunicas & parietes inteſtinorum diſtendunt, nihil aliud ſunt ac aër calore rarefactus, elatere ejus valde adaucto; frigida igitur, ut experimentis mechanicis compertum eſt, cum aërem nimis rarefactum condenſent, atque in anguſtius ſpatium cogant, nec non fibris nimis relaxatis tonicam vim reddant, ut calefacto corpore ſanguis majori velocitate propellatur, efficiunt.

Observatio VI.

Colica convulſiva, ex gonorrhœa adſtringentibus ſuppreſſa.

Juvenis XXII. annorum ſtudiis operam navans, gracilioris corporis ſtructuræ, ex impura Venere, gonorrhœam ſibi contraxit; ad quam curandam Chirurgi opera uſus eſt. Hic primum fortiter corpus purgabat, dein adſtringentia, tincturam ſulphuris vitrioli, antiphthiſicam *Grammani* & pulveres ex magiſterio Saturni, terra ſigillata, ſuccino & oſſe ſepiæ compoſitos, ad ſiſtendum fluxum copioſe adhibuit. A quorum uſu per ſeptimanam continuato hæc mala inſecuta : atroces cruciatus in abdomine, quod durum tenſum & renitens erat, oborti, alvo prorſus obſtipata ; aderat inappetentia, inquietudo, & tremore ac tractionibus artus, femora, pedes torquebantur. Enixe meum expoſcebat auxilium. Neque infeliciter ſucceſſit curatio, quæ clyſteribus emollientibus & oleoſis crebrius injectis, infuſo mannato, ex ſero lactis, quod ſtimulo ſalino erat armatum, & pinguioribus juſculis, blandiſque internis carminativis, & balneo aquæ dulcis, intra novem dies abſolvebatur.

Epicriſis.

Quantam noxam improvide data adſtringentia, ventriculo & inteſtinis ceu partibus valde nervoſis & membranoſis inferant, tonum & motum eorum plane turbando & invertendo, dici vix poteſt. Atque innumeris exemplis, quam pernitiales ea, in alvi, ſanguinis, ſeminis fluxu ſiſtendo, effectus exerant, confirmare & illuſtrare poſſemus. Ex horum vero numero pejoris adhuc notæ ſunt, quæ ex Saturno depromuntur. Hæc uti exterius non carent ſua laude & virtute: ita interius uſurpata, fibras nerveas inteſtinales conſtringendo, veri veneni naturam & vim habent; adeo ut ipſa, ceu per ſe quidem non damnoſa, tamen quoad uſum internum damnanda, è re publica medica, jure meritoque exterminari debeant. Memoratus morbus recte dici poteſt colica convulſiva, quæ ab HIPPOCRATE *libr. de victu acutor.* §. 61. choleræ ſiccæ nomine venit; qui hunc in modum ejus naturam & curationem perite & optime exponit : *In cholera ſicca venter inflatus eſt & ſtrepitus inſunt. Dolor laterum ac lumborum : ſecedit autem nihil deorſum, ſed alvus adſtricta eſt. Talem obſervato, ut ne vomant, ſed alvus ſubeat. Infuſum itaque calidum ac pinguiſſimum quam citiſſime per clyſterem immittito, & oleo illitum in aquam plurimam calidam paulatim affundens, & ſi caleſcenti ipſi alvus ſubierit, morbus ſolutus eſt, à cibis vero abſtineat: ſique non remiſerit dolor, aſininum lac bibendum dato, donec purgatus fuerit.*

Observatio VII.

Colica flatulenta ex ira & ſuperingeſta carne ſuilla.

Vir quidam plebejæ ſortis, robuſti & obeſi corporis, XXX. circiter annorum, cereviſia ebrius, rixando in diverſorio cum ſui ſimilibus, domum brumali tempore revertitur, & carnem ſuillam pinguiorem cum magna panis copia ingerit. Alvi fluxus cum torminibus inſequebatur ; ſed, cum ſub cœlo frigido alvum deponeret, ſiſtebatur. Unde dolores ſæviſſimi totum occupabant abdomen, lumbos, hypochondria : atque alvus erat valde obſtipata, artus frigidi tremiſcebant, ſumma aderat anxietas & inquietudo, internaque præcordiorum anguſtia & conſtrictio; demum ſpaſmus & dolor genua infeſtabat eaque conſtringebat. Curatus fuit juſculo avenaceo, in quo flores chamomillæ & ſambuci cocti, quod cum ſalis Ebſonienſis & nitri doſi atque oleo amygdalarum dulcium per vices ſumſit, non omiſſis clyſteribus oleoſis & emollientibus, atque internis carminativis & anodynis. Poſtea crebro balnei aquæ dulcis uſu, ad convulſivas artuum tractiones leniendas, ſanatus eſt.

Epicriſis.

Ad ſubitam atrocis hujus ventris doloris generationem, variæ, ſed validæ concurrebant cauſæ : ebrietas, affectus iræ, & poſt hanc ingeſta pinguium & viſcidorum ciborum copia, frigus, & ab hoc alvi fluxus ſuppreſſio. Non mirum hinc eſt, ex flatibus intra inteſtinorum cavitatem excitatis à ſpaſticis tunicarum inteſtinalium contractionibus, intus retentis & incarceratis, tam atroces dolores & graviſſimas nervoſarum partium adflictiones fuiſſe productas. Et quia obſtructio alvi proxima cauſa horum malorum fuit, eam rurſus aperiri expediebat. Quod vero non promiſcue per purgantia & fortiter ſtimulantia, quæ dolores & ſpaſmos potius excitant, fieri debet, ſed per ſalia oleoſis & demulcentibus mixta, quo nomine ſal Ebſonienſe laudamus, quod ad unciam in aqua ſolutum & exhibitum, præmiſſis clyſteribus, ad flatus & excrementa provocanda, præ omnibus aliis laudem & commendationem promeretur. Balneis aquæ dulcis ex emollientibus & roborantibus paratis, ad robur partibus externis conciliandum, quod à vehementi dolore & ſpaſmo plane læditur & deſtruitur, in fine ejuſmodi morborum nil eſt convenientius, nil efficacius ; cum veteres, inter quos HIPPOCRATES, CÆL. AURELIANUS, TRALLIANUS, ARETÆUS, uſum eorum mirifice tollant atque commendent.

Observatio VIII.

Colica ſanguinea chronica, alternans cum arthritide, Carolinis curata.

Sereniſſimus S. R. J. Princeps ante aliquot annos per Archiatrum adverſam ſuam valetudinem, ſalutare conſilium ſuppeditandi cauſa, ad me perſcribere juſſit. Is cum in florente ætate conſtitutus, boni & ſanguinei corporis habitus, ingenii valde vividi & alacris, narium hæmorrhagiæ in juventute valde obnoxius eſſet; per integrum fere annum ſævis doloribus, & atrocibus inteſtinorum tormentis fuit affectus : quo factum eſt, ut in ingentem virium lapſum atque in corporis tabeſcentiam conjectus fuerit. Ad fluxum hæmorrhoidalem quædam adfuit ſuſpicio ; qui tamen non rite & ex voto procedebat. Ad hunc promovendum & dolores mitigandos varia uſurpata fuere remedia, & hæc quoque pilularum polychreſtarum & ad exemplar Becherianarum paratarum frequens uſus interceſſit : qui parum tamen profecit. Quæſitum itaque ex me fuit : utrum thermæ Carolinæ convenienti regimine uſurpatæ, tuto & exoptato cum fructu poſſint adhiberi? Ego reſponſum dedi, quod tam ad arthritidem, quam

quam ad dolores ventris ſpaſmodicos, nec tutius, nec præſtantius, harum thermarum uſu, cognitum mihi ſit atque perſpectum auxilium: quod multis exemplis confirmare valerem. Huic conſilio multi, & medici quoque, ob anceps remedium & verendum periculum, ſeſe opponebant; dubio procul ex hac cauſa, quod nullam prorſus de hiſce ſalutiferis fontibus, ratione ingredientium & virium, habuerint notitiam & experientiam. Sereniſſimus Princeps autem, pro eo quo pollebat judicii acumine, utpote omni hactenus deſtitutus fuerat auxilio, ſententiam meam amplexus, iter ſuſcepit, per hanc civitatem tranſiens: & fatigatus ex itinere hic advenit, ſed in uno pede tumore eryſipelaceo ingenti correptus, qui ſano vel triplo grandior erat. Altero die intolerabiles abdomen invadebant dolores, tanta cum ferocia, ut clamores & lamentationes exprimerent, & omnem ſomnum adimerent. Ad quos ſopiendos & ego & alius loci hujus medicus accerſebamur, ſed præter clyſteres emollientes & carminativos atque linimentum externum, pulverem ex antimonio diaphoretico, nitro, ſale abſinthii & lapidibus cancrorum paratum per vices dedimus; ſanguinem quoque è pedis vena emittendum curavimus; ſed parum inde levaminis perſenſit. Per tres & ultra dies dolorum perſtitit atrocia. Tandem conſultum duximus, præmiſſo fotu, hirudines quinque ano applicare, quæ ſanguinis aliquot uncias extrahebant: quo facto inſignis dolorum remiſſio & ſenſim plenaria ſanitatis reſtitutio, Divino ſub adjutorio eſt ſecuta. Data inſtructione de uſu harum aquarum decenti, adiit Carolinas & per IV. fere hebdomades iis interne uſus eſt: balneum quippe interdixi; pediluvium vero pro diſcuſſione tumoris in dies adhibuit. Quæ cura ex voto ſucceſſit: & ad nos ſanus & incolumis Sereniſſimus eſt reverſus, non ſine inſigni comitatus gaudio & applauſu. Immunis à truculento affectu tam colico quam podagrico per integrum manſit annum. Altero anno & iter & curam hanc repetiit, majorique virium augmento rediit, integra etiamnum, ut mihi relatum eſt, valetudine gaudens.

Epicriſis.

Quin arthriticus & colicus ſpaſmodicus dolor nimiam ſanguinis abundantiam, ejuſque impeditiorem per meſenterium & viſcera abdominis tranſitum, pro vera cauſa agnoſcat, nihil dubitandum eſt. Minus recte, ſed perperam horum malorum, per promotionem fluxus hæmorrhoidalis tentata fuit depulſio. Permultis ego exemplis compertum habeo, quod ſi natura non inclinet ad hunc fluxum, & meatus ad egerendum ſanguinem non ſatis ſint diſpoſiti, ejuſmodi calida gummoſo-reſinoſa & aloëtica, urgendo ſanguinem ad inteſtina, colon & rectum, detrimentum potius quam emolumentum afferre. Jam vero ipſa dictitat ſana ratio, quod longe tutior & certior hiſce malis medendi ſit via, ſi per viſcera abdominis inque primis hepar, liber ſanguinis motus & circuitus promoveatur: quod omnino per convenientem aquarum mineralium & maxime Carolinarum uſum præſtari & confici poteſt; cum multa mihi hiſce ſanatorum morborum obvia ſint auſpicatiſſimi ſucceſſus exempla. De cetero ſingularis & plane admirabilis, in ſedandis ejuſmodi doloribus, ex admotione hirudinum effectus meretur animadverſionem. Et inde luculenter intelligimus, ſanguinis miſſionem, quæ fit in partibus à loco affecto remotis, non tanti eſſe momenti & uſus, ac illam, quæ in locis propinquioribus inſtituitur; quamvis non negaverim, tali etiam in caſu, ſi corpora ſanguine nimium exundant, ante hirudinum applicationem, venæ ſectionem ſæpe numero utiliſſimam obſervari.

Observatio IX.

Tuta methodus curandi colicam ex morbis prægreſſis ortam.

Poſt crebriores ex calculo renali dolores, poſt alvi fluxus atque intermittentes perperam curatas, ſæpe numero ego in praxi inteſtinorum tonum & motum naturalem labefactatum & deſtructum notavi. Nam ab eo tempore, & alvus non rite reſpondit, & flatulentiis, borborygmis & aſſiduis eructationibus, concurrente præſertim ſedentaria vita, per longum temporis ſpatium decumbentes affecti fuerunt. Ad quas moleſtias & incommoda avertenda & tollenda, ſequenti methodo haud infeliciter ſæpe numero uſus ſum. Pilulas meæ compoſitionis leniter laxantes balſamicas, bis in ſeptimana ad grana XV. vel XX. mane ſumendas ordinavi, ubi præcedente die circa lecti introitum, ſalis aperitivi doſis, quod e. g. ex tartaro vitriolato, nitro, ſale Ebſonienſi, terra foliata tartari concinnari poteſt, præmiſſa fuit. Dein ad labefactatum inteſtinalem tonum & labem reſtituendum, eſſentiam carminativam B. *Wedelii*, quæ ob ſpiritum nitri, ejus compoſitionem ingredientem, ſingulari flatus diſcutiendi facultate pollet, quando cum dimidio eſſentiæ caſcarillæ, item una parte ſpiritus de tribus miſcetur, ego non ſatis dilaudare poſſum: cujus medicamenti conveniens pro circumſtantiarum ratione doſis, bis de die, mane ſcilicet & finita poſt prandium concoctione, in idoneo exhiberi poteſt vehiculo. Sed opera danda eſt, ut cibi fermenteſcibiles inflantes, pingues & qui difficilioris ſunt concoctionis, atque ante omnia frigus evitentur. Præterea & id quoque compluries in praxi mea annotavi, quod dolores colici & flatulenti, cum borborygmis & ructationibus, interna anguſtia atque gravitatis circa præcordia ſenſu, à ſola ſphincteris ani valida conſtrictione & anguſtia producti, hæc vero à copioſiori ſanguinis vel ſeri affluxu ad ejus venas internas vel externas hæmorrhoidales ſuborta fuerit: ex quo fit, ut nec flatus, nec excrementa liberum habeant exitum, ſed retenta reſiliant & verſus ſuperiora ferantur, plurimum moleſtiæ & incommodi procreando. Tali in caſu, quando fortior fit ad excernendam alvum niſus, is plane inanis eſt: exprimit quippe mucum inſtar albuminis ovi & quandoque prolapſum recti efficit; imo vidi herniam inguinalem inde productam, ſique hæc, vel ſcrotalis jam præſens fuerit, eam longe grandiorem factam. Atque hic tenendum, quod ſuppoſitoria, præſertim ſtimulantia, & acriorem dolorem & majorem affluxum excitando, malum exaſperent: quin potius clyſteres emollientes & interne pulveres abſorbentes nitroſos, item infuſum mannatum cum cremore tartari, & interdum ſi plethora urget, venæ ſectionem, commodiſſimum inveniſſe locum teſtari poſſum.

Epicriſis.

Ad tonum & motum inteſtinorum labefactatum, qui obſtructionis, flatuum, dolorum & mul-

multorum aliorum incommodorum cauſa ac fons eſt, reparandum & confirmandum, ego non modo remediis internis, ſed etiam clyſteribus accommodatis & idoneis uſus ſum feliciſſime. Et tales ſunt, qui ex ſpeciebus, quæ non tam evacuante ſed & roborante efficacia pollent, parantur; cujuſmodi ſunt herba ſalviæ, rutæ, flores chamomillæ Romanæ, baccæ lauri, juniperi, ſemen anethi, carvi, myrrha, quæ leni facta ebullitione, in vini Gallici & aquæ communis æquali portione, extrahantur & injiciantur. Quandoque portionem balſami noſtri liquidi vitæ, clyſteribus carminativis adjiciendam curavi. Sed neceſſarium eſt, ut ante horum uſum, alvus aperta & à flatibus libera ſit. Præterea, & hoc loco id monere conſultum duco, quod, ubi tumor in extremitate inteſtini recti, flatuum & incommodorum in imo ventre, obſtructionis quoque alvinæ cauſa ſit, pilulæ purgantes, item quæ aloën recipiunt & motum ſanguinis ad inteſtina craſſa dirigunt, niſi malum exacerbare & revocare velimus, plane non, vel cautiſſime exhibendæ ſint.

Observatio X.

Curatio colicæ, ex morbis exanthematicis, vel retrocedentibus, vel non expulſis.

Placet in genere quaſdam adhuc inſinuare obſervationes practicas non exigui momenti, quarum attentior conſideratio medicis junioribus haud parum utilitatis & adjumenti, in ſanandis inteſtinorum dolorificis affectionibus afferet. Nam ſæpius annotavi, familiariſſimo noſtro ævo qui fœminas præcipue corripit morbo, purpuræ videlicet, inteſtinorum dolorem ſæpius adjungi, idque maxime evenire, quando incauta victus ratione, vel importuna medicina, materia vitioſa non ſatis ad habitum corporis protruditur, ſed intus retinetur, aut à ſuperficie corporis retrocedit: qua ad inteſtinorum tunicas delata, ſubito tormina, aliaque gravia accidentia incidunt. Neque vero tam facilis labor eſt, peccantem humorem ad extimam rurſus cutem prolicere, ſed moderationis, temporis & patientiæ beneficio opus eſt. Leniſſima vero & æqualis eſt procuranda diaphoreſis, per crebrius datos pulveres diapnoicos cum tantillo nitri & cinnabaris: liquor etiam anodynus mineralis paucioribus liquoris *Buſſii* guttulis animatus, ad foras excludendam peſſimæ indolis materiam, plurimum valet. Uti vero in hoc morbo potus cereviſiæ nunquam non noxius; ita plus detrimenti, ſi retrocedens materia interiores nerveas partes obſidet, certo affert. Commodum itaque, ex demulcentibus & acrimoniam temperantibus placideque diaphoreticis ſpeciebus decoctum cum aqua paratum, per totum morbi decurſum offerendum. At vero cum ex frequenti obſervatione compertum habeam, dolorem colicum in iis qui purpuræ ſcorbuticæ ſunt obnoxii ſæpius repetere & gravibus accidentibus ægrotantes torquere, ſine ullo in extimis partibus apparente exanthemate; ego quidem ad avertenda hæc mala non efficacius remedium, præter uſum acidularum temperatarum cum tertia lactis vaccini, vel quod ego protulerim, aſinini parte facta miſcela, verno tempore ſuſceptum, reperire potui.

Deinceps frequentius id in praxi mea obſervavi, quod dolores inteſtinorum paulo acriores, ubi in extrema ætate conſtitutos adoriuntur, & paulo diutius inſiſtunt, vitalibus viribus valde attritis lethalem plerumque exitum poſt ſe relinquant. Cujus eventus ratio, mihi hæc videtur, quod ſenes ordinario, ob virium languorem & dyſcraſiam humorum intemperatam & ſcorbuticam, ex levi etiam partis externa læſione, in ſphacelum ſint proclives. Quod multo magis evenire puto, quando à dolore & ſpaſmo inteſtina, velut partes texturæ prorſus nervoſæ & fibroſæ, paulo acrius infeſtantur. Ex quo intelligitur, quam caute & provide, circa res diæteticas infirmi ſenes ſe gerere debeant, ne quicquam admittant, quod dolores & ſpaſmos in inteſtinis excitare aptum ſit.

Neque dum in hac materia verſamur, quæ non minoris in praxi momenti eſt, hanc obſervationem præterire poſſum ac debeo, quod bilioſa colica, ea præprimis quæ ex gravi progignitur ira, tertianæ ſive continuæ ſive intermittenti ſuperveniens, magni non expers ſit periculi, utpote quæ perperam per purgantia, emetica aut ſudorifera, vel nimium calorem externum tractata, quam facile in inteſtinorum tenuium inflammationem lethalem, præeuntibus anxietatibus & convulſionibus, tranſeat, & die paroxyſmi mortem plerumque accerſat. Ex quo diſcere tyrones poſſunt, quam provide & caute tractare debeant tertiana alias benigna detentos, tam gravi ſymptomate incidente. Ego in demulcentibus & temperantibus potionibus ac lenioribus laxantibus, cujus generis ſunt ſerum lactis bene depuratum, decoctum avenaceum, ex floribus chamomillæ vulgaris, emulſio amygdalarum dulcium, papaveris & ſeminum IV. frigidorum majorum cum ptiſana præparata, pulvis *Marchionis*, vel ex lapidibus cancrorum, nitro & rhabarbaro confectus, atque clyſteres emollientes, optimum & præſentaneum auxilium deprehendi.

Exempla adhuc legantur in *Conſult. Medic. Sect. III. caſ. XIII. XXI.*

CAPUT VI.

De acuto dolore & ſpaſmo ex calculo renali.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Dolor ex calculo renali difficilius dignoſcitur.

DOlor, qui ex calculo renali firmius urinæ meatibus impacto proficiſcitur, uti omnium quidem paſſionum, quæ genus humanum miſere torquent, eſt acerbiſſima: ita ſæpius fit, ut is, ſi quis prima præſertim vice ex hoc laboret, difficillime ab aliis, quæ circa regionem lumbarem conſiſtunt dolorificis affectionibus diſcernatur.

§. II.

Non omnis dolor circa lumbos eſt ex calculo renali.

Communis ſed peſſimus mox invaluit, ut, ſi quis circa regionem lumbarem doleat, ſtatim ex calculo renum ſe dolere exiſtimetur; cum tamen ibi complures valde ſenſilis indolis & dolori obnoxiæ ſint partes, ut muſculi lumborum externi & interni, ligamenta vertebrarum lumbarium nervea, plexus nervorum ſuperior meſentericus, ramus arteriæ meſeraicæ ſuperioris, & circa vicinia, flexuoſus inteſtini duodeni finis, neque minus ſigmoidea coli flexura; quæ ſingulæ, quando à vitioſo ibi ſtagnante, ſive ſanguineo, ſive ſeroſo impuro humore, vel nimis diſtenduntur, vel comprimuntur, dolorem ſatis gravem exhibent. Fit etiam quandoque, ut à rheumatiſmo has partes occupante tantus exſurgat dolor, ut quaſi lumbis per medium ſectis incurvatus incedere debeat æger, nec ſurgere queat. Quod itidem fieri ſolet, ſi à caſu, vel à magna oneris levatione, vertebræ cum nervis tan-

tillum à propria ſede recedunt. Neque tam raro evenit, ut à ſola ſanguinis copia, circa plexum meſentericum, & circa arterias emulgentes ſtagnante, in plethoricis vel hæmorrhoidariis, vel à neglecta conſueta venæ ſectione, ingens circa lumbos oboriatur dolor, qui vulgo pro calculoſo, ſed perperam, habetur: dum vel ſolius venæ ſectionis in pede beneficio, vel pulvere nitroſo diſcutiente ſubito ſæpe deſinit.

§. III.

Quomodo diſcernendus à colica.

Id vero frequentius contingit, ut dolor colicus cum nephritico calculoſo confundatur: nam, quando flexura coli circa lumbos quæ jacet, vel flatibus nimium diſtenditur, vel ſpaſmodice conſtringitur, non modo atrox in regione lumbari fit dolor, ſed & ipſe ad præcordia tranſit, nauſeam ac vomendi conatum efficit, urinæ fluxum impedit, alvum conſtringit, imo totum abdomen cruciatibus torquet, non ſecus ac à calculo fieri ſolet. Sed tamen, quia hic dolor ſpaſmodicus, non aſſiduus, non fixus, ſed magis vagus eſt, ac clyſteribus emollientibus alvo infuſis magnopere levatur: hinc peritus utique medicus, hunc à calculoſo, non adeo difficulter diſtinguere poteſt: cum hic magis preſſorius ſit, quod germanice exprimunt: *Es drücke ſie, als ein Klotz*, atque vires non tam intenſe deſtruat, per intervalla etiam remittat, ut ægrotantes ſæpius ſurgere & ambulare poſſint; quod in acerbo inteſtinorum dolore non accidit. Deinceps vomitus & nauſea, à calculo ſi dolor eſt, jejuno ventriculo magis urget, ac in uretra imo ipſa glande titillatio & ſenſus punctorius percipitur, urina ſabulo referta, teſticuli quoque retractio ac femoris ſtupor & contractio ejuſdem lateris fit, quod in dolore inteſtinorum vix obſervatur.

§. IV.

Calculus non niſi è ſede ſua dimotus atrociter afflixit.

Notabile eſt, quod calculi etiam prægrandis magnitudinis & ramis inſignibus præditi in renum ſubſtantia, placide ſine ullo doloris incommodo, per aliquot annos quieti deliteſcere poſſint; ſimul ac vero è ſede ſua dimoventur, & in anguſtos nerveo-muſculoſos canales, ureteres dictos deſcendunt, perque hos in veſicam exitum moliuntur, mox graviſſima invadunt ſymptomata: adeo, ut hi ipſi canales veram & fixam dolorum ex calculo ſedem ac domicilium conſtituant, qui tamen pro differente calculi magnitudine, aſperitate, ac figura, tunicas nerveas plus minus diſtendente & lancinante, vel intenſiores vel leviores evadunt. Quandoque tam crudeles ſunt, ut præter extremorum horrorem & refrigerationem, nauſeam, vomitum, ſpaſticam præcordiorum conſtrictionem, difficilem urinæ mictum, alvi ſtricturam, ſpirandique anguſtiam, ſtuporem cruris, retractionem teſticuli ad os pubis, inquietudinem, ingentem virium lapſum, ſyncopen, convulſiones etiam epilepticas concitent, vel plane fatalem iſchuriam inducant. Vidimus aliquando ægrotantes conqueſtos fuiſſe, ſe non alium ſenſum percipere, ac ſi quis cultro acuto vulnus profundum, ſecundum longitudinem ſpinæ, verſus veſicam continuo infligeret; ubi, in defunctis, ureteres inſtar farciminum à copia urinæ, cujus in veſicam influxum calculus circa introitum ureteris in veſicam hærens intercepit, extenſi & turgidi comparuerunt.

§. V.

In uretere ſæpe ſine ſingulari dolore ſine mictus

Res eſt experientia confirmata, quod interdum longo tempore lapis in uretere, ſine ſingulari dolore ſine mictus interceptione hærere & conquieſcere poſſit, ubi tamen mox ſubito & ex improviſo dolor revertitur acerbus, cum ciborum ſubſequente faſtidio, nauſea, vomitu & urinæ interceptione; forſan quod ab incommodo motu ſitum ſuum mutaverit lapis, & ſic aſperitate ſua, tunicæ nerveæ fibras magis offendat. Neque etiam ſemper iiſdem ſymptomatibus hic affectus ſtipatur: *nam*, ut ERASMUS de ſuo calculo loquitur in *Epiſtol.* ad *Perckmeyerum, ſubinde ſe novat, ut plane credatur aliud eſſe malum, quod maximam partem inde pendet, quod alia ſymptomata ſint ab initio, alia in progreſſu, interdum quieſcat, interdum ſe moveat & locum mutet.*

§. VI.

Siniſtrum renem præ dextro infeſtat.

Atqui etiam illud attentionem excitare debet, quod calculi ſiniſtrum renem, præ dextro, frequentius obſideant; quo fit, ut dolores ex renali calculo longe crebriores in ſiniſtro, quam in dextro latere obſerventur: id quod confirmat CAROL. PISO in *tract. de morbis ex ſeroſa colluv. oriund. c. II.* dum ſcribit: *ex centum calculoſa nephritide laborantibus octoginta & amplius renem ſiniſtrum dolent.* Neque hujus eventus ratio, adeo in obſcuro poſita eſt: in rene enim dextro, quia hepatis amplo viſcere tegitur & majori præ altero calore fovetur, promtior multo atque expeditior evadit ſanguinis per hujus renis vaſa progreſſio, ſeri itidem urinoſi ſeparatio: hinc non tam facile ſanguinis & urinæ fieri in hoc poſſunt ſtagnationes, ac in ſiniſtro, qui coli flexura obſeſſus, ob frequentem flatuum reſtagnationem magis premitur; ex quo fit, ut liberior ſanguinis per vaſa compreſſa interceptus curſus, difficiliorem laticis urinoſi per tubulos tranſcolationem, atque promtiorem ibi ſtagnationem & materiæ tartareæ ſeceſſionem & concretionem reddat atque efficiat.

§. VII.

Cauſæ eum è rene dimoventes.

Notabile idque experientia pariter ſuffultum eſt, quod calculus diutius in renum parenchymate vel pelvi deliteſcens, pluribus modis ac cauſis, è loco ſuo dimoveri atque in ureteris principium propelli poſſit: & inter has, primas fere tenent, fortior animi per iram conturbatio, corporis ſubita & vehemens per vecturam ſive equitationem commotio, inque primis penetrans, quod venti è plaga ſeptentrionali præbent, frigus improvide lumbis admiſſum, item diureticorum, cujus generis ſunt terebinthinacea, juniperina, cetera, quibus ſubinde ſed perperam medici ad præſervationem à calculo uti ſolent, liberalior uſus: Non ſemel quoque, ſed iterum iterumque obſervavimus, quod dolores colicæ flatulentæ, item ſpaſmi hypochondriacis, hyſtericis, hæmorrhoidariis familiares, nucleos calculoſos papillulis renalibus inhærentes protrudendo, occaſionem ad crudeles iſtos dolores ſubminiſtraverint.

§. VIII.

Cauſa remota calculi renalis.

Quod attinet ad cauſas remotas & ſic dictas naturales, quæ ad gignendos in renibus calculos & inde provenientes dolores ſymbolum ſuum conferunt; temperamentum ſic dictum ſanguineum, inter has non ultimum tenet locum. Nam corpora mollioris & ſpongioſioris texturæ, fœminini præſertim ſexus & quæ copioſum alunt in venis ſanguinem, diæta lauta & vinoſa utuntur, otioque & vitæ ſedentariæ indulgent, nec non placentis, lacte, caſeo delectantur, poſt quinquageſimum maxime annum, tributo lunari ceſſante, doloribus ex cal-

calculo fiunt obnoxia; à quibus plerumque libera & immunia, fluxu menſium rite ſe habente, perſiſtunt. Ex Viris ii, qui in adoleſcentia hæmorrhagiis narium, capitis doloribus frequentibus ſubjecti fuerunt, item qui hæmorrhoidali fluxui ſunt aſſueti, hoc ceſſante vel imminuto, calculoſis & podagricis affectionibus, ſub provectiori ætate, ſubinde tentantur. Senilem vero ætatem frequentius & calculo renum & veſicæ infeſtari experientia docemur, quia humores fiunt craſſiores & cibi in ventriculo aceſcunt, alvus fit pigrior & otium quoque calculorum generationi multum patrocinatur. Quo fortaſſe reſpiciens ERASMUS *de ſuo malo* ipſe ita jocatur: *Illud mirum videri poteſt, cum fœminæ ſterileſcant ætate, me ſenectus fecit fœcundiorem: nam indies crebrius parturio.*

§. IX.

Calculus & podagra ſunt morbi maxime hereditarii.

Accedit etiam hoc, quod vix ullus affectus tam crebro ex parentibus in liberos tranſmigrare obſervetur, quam calculus & podagra, quippe quæ cum illo, ratione diſpoſitionis ſolidorum & fluidorum plurimum affinitatis habet, quia uterque adfectus non modo hominibus ſanguine plenis, & qui vulgo dicuntur ſanguinei, eſt infeſtus, ſed ambo etiam in quadam nativa debilitate & atonia ſolidorum, videlicet in nephriticis, renum; in podagricis ligamentorum quæ articulos vinciunt, fundati ſunt. Crebrius quoque animadvertimus, morbos rheumaticos, arthriticos, podagricos quam facile transmigrare in nephriticos & hos rurſus per metaſtaſin in illos transformari & transponi, adeo ut etiam, ſi à dolore ex podagra quis diu immunis fuerit, in calculoſam nephritidem facile incidat, & vicè verſa. Neque raro contingit, utrumque affectum conjunctim & uno tempore atroci dolore hominem torquere.

§. X.

Ratio formalis calculorum renalium.

Quod attinet ad generationem calculorum in renibus, hanc tali modo concipere licet: quando, à nimis vehementi ſanguinis appulſu, ejuſque regreſſu per venas difficiliori, vaſa renum ſanguinea nimium diſtenduntur & infarciuntur, fit tandem, ut minima arteriolarum, ubi in papillulas & ſyphunculos urinoſos abeunt, aperiantur ac diſrumpantur, & ita à ſtagnante & extravaſato ſero ſanguineo, primum parvi abſceſſus atque ulcuſcula generentur, quæ ſucceſſive majora fiunt; in quibus, quando ſerum urinoſum multis tartareis limoſis partibus refertum ſubſiſtit, particulæ graviores & acuminatæ ſecedunt ac invicem concreſcunt, ita quidem, ut materia primo craſſior ac rudior ſabuloſa, dein etiam grana compactiora gignantur, quæ urinæ copioſius ſecretæ beneficio facile eluuntur, & ſæpius non ſine dolore foras propelluntur: ubi igitur tale craſſum ac grave ſabulum, in urina ſubſidet, haud dubium calculoſæ nephritidis indicium præbet. Quando vero hi acini, vel nuclei calculoſi, ſubſtantiæ renum ulceroſæ inſidentes, ſucceſſiva accretione majores & duriores facti, alluvione ſeri urinoſi tartareis partibus referti, vel aliis ex cauſis ad pelvim & principium ureterum feruntur, majores utique cruciatus, & atrocior ſymptomatum concurſus omnino metuendi ſunt, ſi videlicet, per anguſtos hos exquiſitioris ſenſus meatus, iter ſuum verſus veſicam conficere debent; ad quam ſi fuerint delapſi, protinus omnimoda ſymptomatum, cum ingenti decumbentis gaudio & virium reſtitutione, fit ſublatio.

§. XI.

quæ demonſtrantur.

Quod calculi autem in ipſo renum parenchymate ex ichoroſo vel ſanguineo purulento quodam ſtagnante humore generentur; id inter alia vel hæc evincunt, quod in nephriticis ſæpe quippiam purulenti vel ſanguinei, ut olim à CELSO jam notatum, cum urina ſecedat, calculoſis etiam mictio cruenta familiaris ſit, & renes poſt mortem valde magni flaccidi, atque exulcerati inveniantur: quid quod curatio id ipſum teſtetur, quæ omnium optime, per abſtergentia, vulneraria, conſolidantia, leniter conſtringentia perficitur. Neque vero ego inficias iverim, citra præviam ſubſtantiæ renalis læſionem, in pelvi vel majoribus renum ſyphunculis, ex urina ſtagnante, materiam etiam tartaream ſive arenulas aggeri & concreſcere ſenſim paulatimque in inſignis molis lapillos poſſe. Prout vero materia illa, ſive ſit ichoroſa, ſive tartarea, ratione coloris, craſeos & conſiſtentiæ differt & accretio major vel minor eſt; varii generis etiam lapilli concreſcunt: alii quippe ſunt prope ſaxei, dura conſtantes ſubſtantia; alii friabiles & male compacti, alii pallidi cinerei rubri ac Sanderachini; alii majores, minores, plus minus anguloſi & aſperi deprehenduntur.

§. XII.

Renum affectus difficilius in ſenibus ſanantur.

Omnes morbos nephriticos, ut ſunt renum infarctus, inflammationes, exulcerationes, dolores ex calculo, difficilius in ſenioribus ſanari experientia confirmat; quæ etiam HIPPOCRATIS teſtimonio, quod *aphor. VI. Sect. VI.* extat, ulterius ſtabilitur. Nam ſicut læſiones & exulcerationes internarum partium, propter humorum intemperiem & excrementorum abundantiam, quæ in provectiori ætate increſcit; ita etiam, quæ renibus & veſicæ inhæreſcunt, propter urinæ ingentem acrimoniam, difficillime ad ſanationem perducuntur.

§. XIII.

Quæ mortem præſagiant.

Si quando dolor atrox per plures dies & noctes non remittit, ſed aſſidue torquet, & vires valde atterit ac nullis vult medicamentis expertiſſimæ alias virtutis cedere, omnimoda quoque urinæ accedit ſuppreſſio, cum extremorum frigore & convulſione tendinum, mortem in propinquo eſſe, indicio eſt. Maxime vero omnium, dolor ex calculo, iis, exitum atque periculum minatur, qui antea diuturno animi mœrore macerati, vires amiſerunt: nam major virium mox ſequitur dejectio, partiumque internarum ſphacelatio. Neque res boni ominis eſt, quando lapis, longo tempore ureteri continuo inhæreſcit; perit enim ciborum inappetentia ac digeſtio, nauſea vero, & firmiter conatus ad vomendum, anxietaſque diutius perſiſtens, tandemque lentus hecticus calor, virium & carnis ſubſtantiam penitus conſumens, mortem accelerat.

§. XIV.

Tabes renalis perimit.

Poſt mortem miræ ſæpe magnitudinis valdeque compactus & ramis majoribus inſtructus calculus in renibus, qui toti per exulcerationem conſumti & membrana duriore tecti comparuerunt, repertus fuit, cum de dolore per vitam nunquam quis fuerit conqueſtus: & tali malo adfecti tabe inoriuntur, quæ renalis vocatur. Quidam vero ex calculi doloribus brevi tempore ſuccumbunt, & morbo acuto pereunt, dum acutiſſimum dolorem, ventriculi vel inteſtinorum, tandem inflammatio ſubſequitur: quidam ob totalem urinæ ſup-

it. inflammatio ſuperveniens.

preſſionem, in hydropem pectoris, lethargum vel convulſiones incidunt.

CURATIO.

§. I.

Indicationes curatoriæ.

Momentum profecto omne curationis poſitum eſſe videtur, tum in facili & ab omni moleſtia immuni calculorum excluſione, tum in impedienda ſabuli excrementitii generatione tanquam occaſionis & objecti ſæviſſimi doloris & aliorum ſymptomatum. Longe enim alia medendi via ac ratio eſt in ejus acceſſione; alia extra eam, quæ præſervatoria eſt.

§. II.

In paroxyſmo dolor & ſpaſmus ſedandus.

In ipſo paroxyſmo, ubi ſymptomatum ingens eſt exacerbatio, & ab atroci dolore tota œconomia functionum vitalium turbatur, primo omnium eo reſpiciendum eſt, ut dolorum vehementia idoneis remediis mitigetur, atque ſpaſticæ ſtricturæ, quæ non modo partes vicinas, ſed totum ſubinde nervoſarum partium ſyſtema lege conſenſionis afficiunt, idoneis remediis componantur ac ſopiantur; idque maxime eam ob cauſam, quia ſub tanto ſpaſmorum, qui meatus urinarios conſtringunt, impetu, calculi iter per ureterem in veſicam ægerrime perficitur. Inter probatæ vero & ſpectatæ virtutis remedia, quæ huic intentioni ſatisfaciunt, non poſſum non liquorem meum anodynum mineralem, ob efficacem & ſecurum uſum, dilaudare; quippe qui parciori ſed repetita doſi ſumtus, ſpaſmos circa primas vias ſedando, moleſtam illam ſenſationem, nauſeam ac vomitionem egregie tollit. Qui hujus autem medicamenti copia caret, huic ſpiritum nitri, rite, methodo noſtra, quam præſcripſimus in *Obſervat. phyſico-chym.* præparatum, plurimum commendamus; hic enim nullo amplius acore imbutus, blanda ſulphurea exhalatione, & flatus diſcutit, & ſpaſticas ſtricturas relaxat. Commodiſſime vero hi ſpiritus cum aquis ſedativis, ut ſunt, ceraſorum nigrorum, florum acaciæ, ſambuci, papaveris rhœados, tiliæ, primulæ veris, liliorum convallium, ulmariæ, & præcipue omnium florum chamomillæ & ſummitatum millefolii, adjecto ſyrupo papaveris rhœados vel albi: vel etiam in brodio carnis, cum aliquot cochlearibus olei amygdalini recentis & puriſſimi, ſine toſtione prævia parati, exhiberi poſſunt. Spectant huc quoque emulſiones, ex amygdalis dulcibus, ſeminibus IV. frigidis, papaveris, milii ſolis, ſemine dauci, cum jam dictis aquis præparatæ, & ſyrupi papaveris albi ſufficienti quantitate edulcoratæ. Quando vero leniora hæc, dolori mitigando non ſufficiunt, ad paulo validiora tranſeundum, & quidem opiata, per aliorum additionem valde correcta & ſecura reddita, cujus generis ſunt: maſſa pilularum *Wildeganſii*, *Starckii*, laudanum liquidum *Sydenhamii*, & cœleſtis theriaca; item trochiſci de *Alkekengi*, qui ob virtutis præſtantiam & ingredientia dolori mulcendo aptiſſima, laude omnino digniſſimi ſunt.

§. III.

Laudantur ex nitro.

Præter hæc dicta, nitroſa, & inter hæc nitrum tantum purificatum & cryſtalliſatum, vel artificiale ex ſpiritu nitri & ſale tartari compoſitum, vel nitrum antimoniatum, in compeſcendis præcalidis gravibus & acutis doloribus cum ſanguinis & humorum exæſtuationibus junctis, certe omnibus aliis remediorum generibus, virtute ac ſecuro uſu, ſuperiora ſunt, atque in morbis nephriticis laudem inſignem promerentur. Quam optime vero cum cancrorum lapidibus, cum cinnabari, vel pulvere Marchionis & aliquot granis trochiſcorum alkekengi vel maſſæ pilular. *Wildeganſii* miſcentur, & cum emulſione vel ſero lactis dulci propinantur.

§. IV.

Clyſteres.

Enim vero, ubi dolorum & ſpaſmorum vehementia fere intolerabilis eſt, ſola interna huic ſedando non ſufficiunt, ſed externis etiam occurrere oportet. Inter omnia autem deſideratiſſimi effectus clyſteres ſunt, ex emollientibus floribus, præſertim malvæ hortenſis, ſambuci, papaveris rhœados, millefolii, chamomillæ vulgaris, & verbaſci, cum ſero lactis decoctis, addito ſyrupo dialtheæ *Fernelii*, nitro & ſale Ebſonienſe confecti. Quando inferior recti & coli pars conſtrictiſſima eſt, ut flatus transmitti nequeant, ſed ad ſuperiora vergentes, anxietates augeant, enemata ex oleis & pinguedinibus, ano injecta, mirabilem attuliſſe opem, non una ſed pluribus vicibus à nobis eſt obſervatum. Alvo aperta, flatibuſque ſic exitu parato, ſtomachi vomibundæ inverſiones, cum anxiis præcordiorum intenſionibus, protinus remittunt.

§. V.

nec non balnea magnæ efficaciæ ſunt.

Deinceps, in mitigandis hiſce doloribus, veterum inque primis HIPPOCRATIS methodum, uti antiquiſſimam, ita optimam maximique habendam eſſe cenſemus, dum *lib. V. de intern. affection.* hæc tradit: *cum dolor in renibus preſſerit, multa calida lavato, & tepefactoria, qua parte maxime dolet, adhibeto.* Idem remedium TRALLIANUS *libr. IX. cap.* 4. his verbis valde commendat, *omnium optimum eſt balneum, ut quod non ſolum mitiget, ſed & curare poſſit: nam colicos frequenter ſolummodo lenit; nephriticos vero utraque ratione juvat, utantur vero ægri loci inunctione, chamæmelo, in balneo & diutius morentur, non ſemel tantum in die ſed bis vel ter lavare expedit.* Et profecto, balnea & inſeſſus ex aqua dulci, præſertim pluviali temperate calida, in ſiſtendis acerbiſſimis tormentis, vix habent ſui ſimilia, ſi modo crebrius repetantur. Atqui linimenta, ex axungia humana, cati ſylveſtris, canis, caſtorei, unguento dialtheæ parata, vel etiam veſicam, decocto florum emollientium antea recenſitorum, ex lacte, repletam, ac parti intenſe dolenti applicatam, ſingularem plane exerere virtutem & efficaciam, multiplici uſu confirmatum habemus.

lt. linimenta.

§. VI.

Spaſmo ſedato, calculi protruſio tentanda.

Quandocunque, legitimum horum uſum notabilis ſpaſmorum ſequitur remiſſio, pulſus ſedatior & mollior evadit, calor madidus ac æquabilis totum corpus occupat, & flatus probe ex ano deſcendunt; protruſio calculi idoneis remediis, ſub debita tamen adhibita cautione, tentanda venit. Vidimus ad obtinendum hunc ſcopum varia præſentiſſimi fuiſſe effectus, atque inter hæc largiſſime aſſumtum infuſum herbæ veronicæ & petroſelini, vel ex ſeminibus dauci, ſelleri, fœniculi, baccis alkekengi, radice glycyrrhizæ, ſummitatibus millefolii, paratum, eximium attuliſſe levamen, cumprimis ſi potus quodammodo ſpirituoſus, ut malvaticum juniperinum, horum uſum exceperit. Mirabilem quoque, in educendo ex viarum anguſtiis calculo, decocti antinephritici *Foreſti* largiorem potum, adjuncto corporis motu, efficaciam ſubinde præſtitiſſe, à nobis obſervatum eſt. Sed interdum paulo fortioribus

pel-

pellentibus opus eſt, quæ inter eminent ac tutiſſima ſunt mater perlarum, vel cochleæ aut teſtæ ovorum uſtæ cum ſucco citri in convenienti vehiculo exhibitæ.

METHODUS PRÆSERVATORIA.

§. I.

Præſervatio in progreſſu morbi difficilis.

Præſervatio pernicialis hujus mali, uti in principio quidem facillima, ita in progreſſu, ſi ex renum magno vitio & exulceratione, calculorum prognata fuerit ubertas, dolorumque crebrior recurſus, multis ſane difficultatibus implicita ac circumſepta eſt. Nam quia, complures, ut ſupra expoſuimus, ex ſanguine vel præter naturam exſuperante, vel multorum incongruorum viſcidorum ac acidorum alimentorum aſſumtione crudiori ac ſpiſſiore reddito, quam facile in hoc malum incidunt; certe ſanguinis decenti miſſione, motu & exercitatione corporis ſufficiente, nec non potionibus diluentibus, aquis medicatis præſertim *Selteranis*, item ſero lactis dulci & acidulo, ad arcendum moleſtiſſimum hunc & exitialem morbum, nihil facile præſtabilius ac efficacius reperire licet.

§. II.

Quando traumatica conferant.

Ubi vero continuus fit calculorum partus, opus eſt, ut ea in uſum ducantur, quæ virtute traumatica leniter conſolidante & adſtringente gaudent; quare à multis retro temporibus eſt obſervatum, imo plebeiis & domeſticis conſtat experimentis, decoctorum vel etiam infuſorum, ex herbis vulnerariis, & aqua vel cereviſia paratorum, ac cum butyro inſulſo, vel cum melle mixtorum longiori uſu, quoſdam penitus à malo hoc calculoſo fuiſſe liberatos: cujus generis præcipuæ ſunt, equiſetum, virga aurea, hedera terreſtris, fragaria, marrubium album, veronica, parietaria, millefolium cum ſummitatibus, malva, cortex radicis acaciæ, lycopodium, baccæ juniperi toſtæ, fraga exſiccata, acini & fructus cynosbati toſti; ex quibus ſpeciebus, cum melle Pruſſico albo, quod identidem conſolidante & balſamica ſua virtute renum morbis admodum amicum, electuarium paratum & mane ad cochleare dimidium uſurpatum, ſuperbibendo infuſum Thée, ingens ſolamen iis, qui per multos annos nephritide calculoſa laborarunt, attuliſſe, obſervatum eſt.

§. III.

Quando alcalina.

Alia jam, præſervandi à calculo, via ac ratio ſuppetit, per alcalina, quæ acidum & glutinoſum, tanquam præcipuum calculoſæ concretionis fundamentum, domant atque deſtruunt; & hinc eſt, quod cancrorum lapides, mater perlarum, teſtæ ovorum, conchæ & cochleæ ſimpliciter paratæ, vel etiam uſtæ, lapis lyncis & judaicus, nec non pulvis famigeratiſſimus *Volkhammeri*, qui ex lapidibus pretioſis calcinatis concinnatus creditur, vel ſimplex tantum oleum tartari per deliquium, liquor cinerum clavellatorum, vel nitri fixi, tinctura tartari, antimonii acris, frequentius in uſum ducta, calculorum generationem egregie impediant, & ab atrociori dolorum concurſu corpus vindicent.

§. IV.

Quando demulcentia.

Sunt quoque adhuc plura, non minoris ad præſervandum efficaciæ, præſidia, quorum legitimus uſus calculoſis admodum obſervatur proficuus. Et hæc ſunt quæ oleoſis, pinguiuſculis ac temperatis & quodammodo anodynis, demulcentibus particulis, ſpiculorum ſalinorum unionem, quæ ad concretionem ſolideſcentem eſt neceſſaria, impediunt; quantum enim pinguia, exigua etiam doſi admixta, cryſtalliſationis negotium impediant, ex chymicis perquam notum eſt. Ad hanc claſſem merito referre poſſumus, fructus & ſemina quæ blando & dulci oleo gaudent, ut ſunt, ſemina IV. frigida majora, milii ſolis, ſaxifragæ, papaveris albi, cardui mariæ, amygdalæ dulces & amaræ; nuclei ceraſorum & malorum Perſicorum, quæ vel in pulverem cum ſaccharo vel in emulſionem redacta, frequentiuſve uſurpata, non ſatis ab iis, qui huic adfectui obnoxii frequenter ſunt, dilaudari poſſunt. Neque vero, inter optima & ſpecifica ad renum vitia corrigenda præſidia, radix glycyrrhizæ, ſilentio prætereunda eſt, cujus pulvis vel infuſum in demulcendis & contemperandis acribus ſalium particulis, in detergendis mucoſitatibus, magnæ efficaciæ eſt. Atque etiam ex compluribus aliis millefolium ejuſque ſummitates in renum vitiis ſpecificam plane & mirabilem edunt efficaciam, quando ejus infuſum vel decoctum per longum ſatis tempus quotidie uſurpatur. Vidimus hoc modo aliquot ab omni calculoſa affectione, cui diutius obnoxii erant, prorſus liberatos: nam hæc herba multiplici ratione proficua eſt, & præter virtutem conſolidantem & demulcentem, ob oleum vere anodynum, quod exacte cum oleo florum chamomillæ ratione coloris & virtutis convenit, dolores & ſpaſmos ſedandi efficacia pollet.

§. V.

Alvi habenda ratio.

Ante omnia vero, ſicut in cunctis morbis chronicis, ita etiam in calculo præcavendo, ventriculi & ejus digeſtionis, nec non alvinæ excretionis, ut hæc ſingula ſe recte habeant, ratio habenda eſt. Placuit mihi hac in re inſignis plane locus AETII, quem *cap. XVI. p.* 177. prodidit, ita ſe habens: *præſervat à calculo moderatus cibus bonæ concoctionis; nam cruditates non ſolum exaſperant morbum, ſed etiam gignunt; inde abſtineant ægri, à ſatietate, à cœna, ſæpe vomant & abſinthium aſſidue bibant, ac per certum tempus per ventrem ſe purgent. Cibos ſumant, è quibus neque ſatietates neque cruditates eveniunt. Urinam etiam cientibus utantur, paſtinacam in dies edentes valde percoctam, fœniculum, pulegium, calaminthen; ex marinis ſtrombos, locuſtas, gammaros; per plures autem dies radicis eryngii decoctum bibant, ſimiliter dictamni. Oportet aquam per omnem vitam eſſe puriſſimam & percolatam, vinum tenue album, urinam ciens; exercitationibus utendum modicis & frictionibus in balneo, ex nitro aſſato, ac fece vini uſta & pumice.* In quo genere TRALLIANUS quoque audiendus, qui *l. c.* hanc diætæ rationem præſcribit: *probe faciunt, qui bibunt aquam & evitant omnia quæ ex pipere conſtant, & non ſolum acres, ſed & craſſi ſucci cibos, ut ſimilaginem, ova dura, placentas & quæ ex lacte parantur, ipſum lac & caſeum, item vina admodum nigra & auſtera. Ad hæc cavendum, ne ægri culcitris indormiant ex anſerum plumis confectis, hæ ſiquidem renes valde calefaciunt. Præterea, ne multum ſtent; magis vero ſtudendum, ut vel moveantur vel conſideant.* Et paulo ante: *bibere oportet, ante omnem cibum, aquam tepidam: nihil renes enim à recremento magis vacuos temperatoſque reddit, ut non amplius calculos procreare poſſint; nam temporis ſpatio igneus eorum calor à tepore aquæ extinguitur.* Exinde dubio omni procul prodiit ſecretum illud eximium ZECCHII relatum in ſuis *Conſultation.* nempe hauſtus aquæ calidæ ad libram unam circiter, ſtatim ante prandium. Et CAROL.

PISO, multis ante *Zecchium* annis, hoc idem aquæ calidæ remedium comprobavit, dicens, quod poſt primum excretum calculum, nunquam in poſterum alii geniti fuerint, ſi quis uſum hunc aquæ calidæ multo tempore continuaverit.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

§. I.

Reſpiciendum ad corpus ægrotantis.

At vero, cum ad perſanandum æque ac protelandum hoc malum, potiſſimum medici momentum in eo ſit repoſitum, ut pro differenti corporum conſtitutione, ratione ætatis, temperamenti, læſionis functionum, nec non ſenſibilitatis aliarumque cauſarum, alia atque alia medicamenta, debito tempore, & convenienti ordine adhibeat; è re utique duxi, quaſdam cautiones & obſervationes, in praxi utiles atque neceſſarias, hoc loco ſubnectere. Primo omnium, attente & penſitate conſiderare oportet: remedia, quæ præſervationis vel curationis gratia in uſum veniunt, non æque omnibus convenire, neque ſemper eundem effectum ac levamen præſtare, ob differentem valde & mutabilem corporis, ratione fluidorum diſpoſitionem, & ſolidarum plane peculiarem texturam & inde pendentem ſenſationem, quæ Græcis idioſyncraſia vocatur; quare interdum variari debent medicamenta, ſiquidem ſucceſſu temporis, etiam ipſa natura iis aſſueſcere ſolet, ut effectu laudato, quem ante ediderunt, nunc carere obſerventur.

§. II.

Sæpe natura ſponte calculum protrudit.

Obſervatum quoque ſæpius eſt, ex improviſo, naturam nullis remediis coactam, ſed ſibi relictam, ſe ad calculum protrudendum accingere & feliciter id præſtare. Simile quid ſubinde in partu animadvertimus, cum non ante facile remedia proficiant aliquid, quam in ſubſidium venerit natura: qua de cauſa fit, ut empyrici ſæpe ſuis inanibus remediis gloriam reportent. Solers itaque & in ſanandis morbis occupatus medicus, id probe attendat, quod natura ſæpe ſola, nulla remediorum ope adjuta, à violentis ſpaſmis, doloribus & motibus remittat & conquieſcat; (id quod tamen non intellectui imaginario vitali adſcribendum eſt; cum cauſæ ac rationes phyſicæ ſubſint,) ſiquidem magna prudentiæ medicæ pars in eo conſiſtit, ut temporis illud momentum, quo natura ſe ad agendum & corpus à morbo liberandum armat, ſedulo æſtimetur. Hinc conſultum quandoque eſt, ubi ad tempus fruſtra adhibita fuere medicamenta, ſubſiſtere ac ferias agere, ut quies quaſi naturæ concilietur, quia ipſa ſæpius ſua ſponte & præter omnium opinionem, plus præſtat, quam medicus cogendo & ſtimulando.

§. III.

Quando diuretica exhibenda?

Quemadmodum diuretica & urinam pellentia, eaque paulo acriora & vehementiora, ut ſunt terebinthinacea, juniperina, ſuccinata, alliacea, porracea, & ex petroſelino parata, neque ad præſervationem in plethoricis, neque in paroxyſmo nephritico, ſive is ſimplex tantum ſit, ſive ſimul calculoſus, unquam proficiunt, ſed malum deterius reddunt atque ſymptomata exaſperant: ita prudens eorum uſus non plane damnandus & interdicendus eſt. Quare in plebeiis, robuſtioribus, humidioris & ſegnioris naturæ corporibus, præſertim ubi præſervandi fine exhibentur, non modo tonum vaſorum renalium roborando, ſed & copiam ſeri impuri tartarei, per renes, ejiciendo, commodam collocare operam poſſunt.

§. IV.

Circa motum cautela.

Uti tempeſtiva, modica ac æqualis motio ſive vectio, naturæ in calculis pellendis admodum idonea, & congruorum pellentium uſum, diluentia, præſertim quæ mole operantur, ut acidulæ, thermæ, lactis ſerum egregie ſecundat, ut celeriter ſæpe calculi, è ſede ſua, quam occuparunt fixam, dimoveantur: ita etiam obſervatum fuit, intempeſtivam vectionem vel equitationem, plurimis damnum attuliſſe, quia è ſede ſua non incommoda calculum expulſum, in tranſverſum egerunt, ut nunc acutis ſuis angulis membranæ ſenſili nerveæ magis fuerit alliſus; ſubſequente inde majori ſpaſmorum ſævitia, imo lethali quandoque iſchuria.

§. V.

Vena ſectio etiam in paroxyſmo non inutiliter celebratur.

Tempeſtiva & ſufficiente venæ ſectione non modo ad præſervandum à calculo, non facile ſuperius ac efficacius reperitur præſidium, præſertim, ubi corporis natura ad excernendam nimiam ſanguinis quantitatem eſt diſpoſita; ſed ejuſdem quoque remedii utilitas, non raro in ipſo paroxyſmo ſeſe commendat, nimirum, ubi plethora cum pulſu celeri, magno æſtu ac intenſa ſiti aſſociata eſt. Doloris enim vehementioris ea indoles ac vis eſt, ut, ſpaſmis liberiorem ſanguinis circuitum per venas maxime impedientibus, cum impetu ad alia incongrua loca copioſum ſanguinem adducendo, epilepſiam, convulſiones, lethargum, delirium, apoplexiam ſanguineam, mictum cruentum, febres inflammatorias & hujus generis alia, de quibus nobis exempla ſunt nota ac obvia, concitet; quæ ſingula prudenti ſanguinis miſſione averti poſſunt.

§. VI.

In ſcorbuticis calculoſis, diluentia ac demulcentia danda.

Quando nephritis calculoſa incidit in corpus ſcorbuticum, ſive impuris excrementitiis humoribus refertum, & noſtro tempore, purpuræ graſſanti chronicæ obnoxium; ſub ipſo paroxyſmo, concurrente ſimul impuritate ſcorbutica, varia & terroris plena ſe immiſcent ſymptomata, quæ inſignem, in præſcribendis medicamentis, medici prudentiam requirunt ac deſiderant. Neque enim facile alia, niſi diluentia, ac demulcentia, ut ſerum lactis acidulum, vel dulce, præbenda ſunt; ab omni cereviſiæ & vini potu abſtinendum; ſerum lactis vero calide, vel temperate frigidum ſumtum, cum temperatis diaphoreticis, tali in caſu maximi uſus fuiſſe obſervavimus.

§. VII.

Plethorici à balneis abſtineant.

Balnea, utut quandoque præſentiſſimi levaminis & magnæ neceſſitatis ſint; abſtinendum tamen ab iis penitus, in plethoricis nimis repletis & pinguibus corporibus, ubi ſimul ſpirandi anguſtia ac difficultas adeſt. Ante itaque horum uſum, ſolvenda plethora, alvus laxanda, & dolorum vehementia compeſcenda.

§. VIII.

Colica hæmorrhoidalis ſupervehinc

Non raro jungitur affectioni calculoſæ colica ex hæmorrhoidum vitio, convulſiva; prudentis

niens quomodo tractanda?

hinc medici eſt, hæc omnia probe diſcernere, & caute in prognoſi & curatione procedere: maxime omnium vero, ratio eſt habenda atrocis inteſtinorum doloris, ut vel venæ ſectione, vel hirudinum applicatione, vel alvi, per clyſteres commodos, apertione, ei ſuccurramus. Sæpe fit, ut, quando calculus uno & maximo impetu fertur per ureteres, intolerabilis per dorſum & totius abdominis regionem, cum magna virium jactura oboriatur dolor, qui tamen protinus uno quaſi momento conquieſcit, quando videlicet celeri itinere calculus in veſicam delabitur.

§. IX.

In virium proſtratione opiata fugienda.

Ubi diutius torquet dolor & virium adeſt proſtratio, ætas quoque ſenilis vel animi mœror præceſſit, pulſuumque obſervatur debilitas; opiata inſtar veneni eſſe fugienda, inter quæ peſſima maſſa pilularum de cynogloſſa, & ratione, & experientia multiplici confirmatum habemus. Præſtat tunc potius naturam analepticis leniter ſpirituoſis aquis, ut ſunt, aqua menthæ, melilſæ, liliorum convallium, cinnamomi ſine vino, addito uno vel altero grano ambræ & extracti croci, modico quoque vini uſu, erigere, nec non externus, nimis debilitatum tonum inteſtinorum, linimentis ſpirituoſis balſamicis, quantum fieri poteſt, reſtituere.

§. X.

Inter aquas minerales, Carolinæ optimæ ſunt.

Ex aquis mineralibus & quidem thermalibus, nullæ ſunt, quæ, ob calcaream quia pollent terram, potentius calculoſam tartaream materiam reſolvunt & exturbant, quam ipſæ *Carolinæ*; cum quibus tamen provide agendum. Vidimus, poſt harum uſum internum, intra menſis ſpatium, quingentos & ultra calculos, leves, qui lentis & ciceris magnitudinem æquabant, ſucceſſive fuiſſe excretos. Sed poſtea blande conſolidantibus & temperate balſamicis opus eſt, ut cavitates renum calculis excluſis exhauſtæ, in ſe coëant & carne repleantur: omnium vero ſecuriſſimum, & uſui tam præſervatorio quam curatorio, aptiſſimum eſſe fontem *Selteranum*, qui præter ſubtiliorem aquam, ſal alcalinum in ſinu ſuo fovet, neque minus in vitiis & læſionibus veſicæ reliquis omnibus remediis ſuperior eſt, innumerabili experientia evictum habemus & ſcribimus. Dein quoque, ubi magna ſcorbutica humoribus inhæret impuritas, atque ſimul adeſt partium exulceratio, dictum fontem cum lacte, debito modo miſcere, & ſufficienti ſatis temporis ſpatio adhibere, conſultiſſimum eſt.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Vertigo cum nephritide calculoſa ex pleſhora.

Vir generoſus in dignitate Conſiliarii Cameræ conſtitutus, quinquagenarius, complexionis admodum robuſtæ, quindecim jam ante annos à tertiana febre, inſignem ſibi contraxit ventriculi imbecillitatem, cum flatulentia abdominis & crebrioribus ructibus conjunctam. Ante X. annos vertigo caput crebrius corripuit, quæ ſuperveniente è naribus hæmorrhagia mox ceſſavit. Poſteaquam vero circa æquinoctia venæ ſectionem admittere cœpit, immunis prorſus ab hoc affectu permanſiſſet, niſi venæ ſectio fuerit omiſſa, ubi brevi poſt inſultum quendam de novo eſt expertus. Sexennium elapſum eſt, ex quo graviores ſæpe numero à calculo renis ſiniſtri paſſus eſt dolores; poſtquam nempe vitam magis ſedentariam coluit. Major doloris atrocia in regione inguinali ſentitur, calculo circa introitum veſicæ perſiſtente, & tunc pauca cum ardore prodit urina: acerbior in lecto dolor eſt, mitior, ſi ambulare poteſt atque etiam ſub motu & largiori infuſi Thée potu; ita calculi deſcenſum in veſicam cum inſigni levamine ſæpius procuravit. A clyſteribus & linimentis anodynis, item ab oleo amygdalarum dulcium interne ſumto, inſigne percipit levamen. Si dolor urget, facies flava evadit, corpus ſudore frigido perfunditur, adeſt nauſea, vomitus & præcordialis anxietas. Debet ſedulo ſibi cavere à cibis qui inflant atque etiam à frigore boreali: ab his enim paroxyſmus facile reſuſcitatur. Extra acceſſionem urina multum ſemper ſabuli continet. Colica etiam flatulenta ſæpius ipſum affligebat. Conſilium quod à me expetiit, dedi, ut mutaret potum, qui erat domeſtica craſſioris ſubſtantiæ cereviſia: & noſtram *Lœbejünenſem* diuretica & antinephritica virtute celebratiſſimam biberet. Dein ſuaſi, ut ſingulo mane infuſum ſummitatum millefolii cum radice glyzirrhyzæ largius paulo ſumeret, & ter in menſe pilulas meas balſamicas mane uſurparet, ſumta prius, præcedenti die circa ſomni horam, ſalis mei aperitivi drachma. Eſſentiæ quoque carminativæ B. *Wedelii* cum liquore anodyno mixtæ uſum interpolandum, ad flatuum diſcuſſionem ordinavi. Qua methodo per aliquot jam annos à dolore ex calculo prorſus liberatus eſt: neque à flatibus & ructibus tam moleſta, ut antea, ſentit incommoda.

Epicriſis.

Et vertiginem & nephritidem calculoſam in hoc ægro, tum à nimia ſanguinis & humorum exundantia, tum à pravo primarum viarum ſtatu originem ſuam accepiſſe, extra omnem dubitationem collocatum eſt, ubi concurrens vita ſedentaria & potus cereviſiæ craſſioris & minus diureticæ, ac flatuum in primis viis, præſertim quæ hypochondrium ſiniſtrum occupant, copia, ad calculorum ortum & generationem, in ſiniſtro præſertim rene plurimum contulit. De cereviſia Löbejünenſi, quæ ex aqua valde levi & ſubtili, ſcaturiente ex petroſo tractu, coquitur, inſuper valde tenuis, minus ſpirituoſa & alba eſt, ac cito per urinam decedit, hoc memoratu dignum eſt, quod & à calculo & à podagra omnes fere immunes ſint, qui ordinario eam bibunt. Maximum profecto & curationis & præſervationis à calculo momentum, in quotidiano congruo potu poſitum eſt: hinc qui diſpoſitionem, ſive hæreditariam, ſive adſcititiam ad calculum habent, cereviſias inebriantes & craſſiores omni ſtudio vitare debent: laudantur vero cereviſiæ tenues, albæ, valde diureticæ & quæ non flatus ingenerant. Ubi non ſalubris haberi poteſt cereviſia, ego decoctum, radicis eryngii, graminis, aſparagi, chinæ, fœniculi, cichorei, glycyrrhizæ, addito pauxillo nitri ad potum, non ſine inſigni ſubſequente ſucceſſu commendare ſolitus ſum. Neque omne vinum calculoſis utile eſt: Moſellanum ad præſervationem, quia citius per alvum & urinam redditur, omnium eſt optimum. Ubi autem calculi partus ex labe renum inveteravit, vinum mulſum bonæ notæ vel recens Hungaricum moderata doſi ſumtum eſt valde proficuum.

Observatio II.

Dolor & ſpaſmus ex calculo renali in plethorico.

Vir in L. ætatis anno conſtitutus lautæ ſemper ac vinoſæ diætæ aſſuetus, ſanguinis ac ſucci plenus, ceterum ſatis ſanus, inopinato in ipſo itinere, per aliquot milliaria curru quo vehebatur ſuccuſſus, dolore in regione lumbari valde acerbo afficitur; domum reverſus dolor increſcit, & ad umbilici regionem ſe protendit. Accedit tuſſis vehemens, alvus conſtipata & urina guttatim cum ardore exit. Remittunt per intervalla dolores. Nihil ad ſopiendum dolorem & quod ad facilem calculi excluſionem pertinet ex remediis diæteticis & pharmaceuticis fuit omiſſum: ſed citra præſentaneum effectum. Ex conſilio amici ſumſit infuſum Thée, cum aliquot olei amygdalarum dulcium unciis, ad menſuram & ultra. Inde excitatus eſt vomitus & cum magno niſu multa ejecit aquea & pituitoſa: non ita multo poſt, dolores & alia ſymptomata quieverunt, & altero die inſignis magnitudinis calculus cum urina excretus eſt. Petiit à me ad recidivam præcavendam, remedium. Suaſi venæ ſectionem ter in quovis anno celebrandam & infuſum herbæ veronicæ, ſummitatum millefolii & radicis glycyrrhizæ multa in quantitate ſumendum. Et nunquam abhinc rurſus à calculo moleſtias perſenſit.

Epicriſis.

Non ſemel ſed ſæpius, à motu paulo fortiori per currum vel per equitationem, calculum protruſum derepente acerbiſſimas paſſiones produxiſſe novimus. Evenit hoc, quando in pelvi concretus calculus latitat, ſalvo renum parenchymate. Annotavi quoque aliquoties, & à motu corporis validiori, & fortiori in vomitum niſu, lapidem ex anguſtiis meatuum, inſperato in veſicam elicitum fuiſſe, præſentaneo mox ſequente levamento & ſymptomatum mitigatione. Venæ ſectionem, ubi ſanguis abundat, ego ad præſervandum & calculum arcendum, maximi ſemper feci & facio: nam ſicut hæmorrhoidum fluxus, teſtante id *Hippocrate* vetuſtiſſimo medicinæ parente, ab hoc malo præſervat: ita ubi hic fluxus deficit, vicariam venæ ſectionem præſtare operam poſſe, & ſanæ rationi & experientiæ conſentaneum eſt.

Observatio III.

Dolor nephriticus nothus venæ ſectione ſublatus.

Vir qui vix quadrageſimum annum attigit, ſanguineæ conſtitutionis, texturæ mediocris & macilentioris, nullo unquam morbo nedum calculo correptus fuit, comeſſationibus & poculis ſæpius interfuit; derepente in vehementem circa regionem lumbarem incidit dolorem, cum horrore & refrigeratione extremorum. Succedit vehemens æſtus cum pulſu celeri & magna ſiti: alvus eſt dura & flatibus diſtenta. Quidam morbum pro ſubluxatione vertebrarum dorſi, ad quam tamen defuit occaſio, exiſtimarunt; alii habebant pro febre ardente. Sed quum conatus adeſſet ad vomitum, & urina pauca cum ardore proflueret, circa vias urinarias vitium ſubeſſe judicavi. Dedi, præmiſſis clyſteribus & fomentis externis, liquorem anodynum, decoctum hordei cum amygdalis dulcibus in emulſionem redactum; cui portio nitri ad æſtum reſtinguendum adjecta fuit. Sed levamenti inde nihil ſequebatur. Quum vero ſitis, æſtus & dolor urgerent, die quæ erat quarta, ad arcendam quam verebar inflammationem, venæ ſectionem in pede ſuaſi; & ſanguine ad aliquot uncias educto, non ita multo poſt magna remiſſio omnium dictorum ſymptomatum ſequebatur. Continuavimus cum ante dictis remediis, alvus clyſtere aperta, urina liberalius profluxit, dolores ſopiti, ſudor occupabat totum corpus, & ſeptimo ab invaſione die, per urinam, arenacea tantummodo grana, ſplendida & acuminata, nullus vero calculus prodibant.

Epicriſis.

Dolores ex lumbis acriores quando repente invadunt, febrilem interdum typum ſervant: quo ſæpe factum eſt, ut morbus pro febre ardente habitus fuerit; quod maxime fit in ſanguine repletis, quando plexus nervi meſenterici vel à flatibus in duodeno vel colo ſtagnantibus, vel potius ab adjacente arteria meſeraica ſuperiore ſanguine valde diſtenta fortiter premitur, & demum ipſi renes & ureteres nervoſi per conſenſum ſive ſecundario compatiuntur. Rectius vero ſecundum meam ſententiam hic morbus, dolor nephriticus nothus vocari poteſt, uti videmus in *Riverii obſ.* 58. *cent. II.* Fruſtra tunc ſola antinephritica opponuntur, quæ niſi per venæ ſectionem, ſanguinis in locis affectis congeſtio tollatur, omni propemodum effectu carent. Miſſo ſanguine clyſteres carminativos alvum ſubducentes & quæ nimiam ſanguinis ebullitionem ſedant, præſentaneam opem tuliſſe obſervavi: quin imo in dolore valde acuto à calculo, venæ ſectionem ad arcendam inflammationem in corpore ſanguine pleno ſalutarem, & feliciorem ſemper medicamentorum operationem animadverti, quo ex TRALLIANO *lib. IX.* inſignis locus reſpicit: *Si ſanguinis copiam ſubeſſe aut inflammationem una cum calculi obſtructione ſuſpiceris, venæ omnino ſectionem prius adhibeto: ita nempe haud delinques, ſi medicamentum offeras; laxatione enim facta, & meatibus rarefactis multo magis auxilia quæ adhibentur propriam vim oſtendunt.* Quæ ſententia *obſervatione XV. cent. II.* à RIVERIO notata magis adhuc confirmatur: *vidua dolore nephritico vehementiſſimo vexabatur, qui à rene ſiniſtro ad pubem uſque, ſecundum longitudinem ureteris exporrigebatur, cum urinæ acrimonia & frequenti micturitione: huic neque clyſteres cum aqua benedicta neque cum terebinthina; neque cum laudano, neque vomitus ingens qui ſponte veniebat; neque ſemicupium; neque laudanum aſſumtum quicquam profuere, dolore clamoſo per biduum perſeverante. Tandem aperta fuit vena malleoli, & ſtatim ſanguine miſſo dolor ingens quievit, ſuperſtite tamen dolore obtuſiori.*

Observatio IV.

Nephritis calculoſa hæreditaria.

Fœmina annos quæ habebat XL. à parentibus calculoſis nata, ante viginti jam annos, bis minimum in anno tormento hoc cum conſuetis ſymptomatibus comitato, excruciata fuit. Singulis noviluniis allii quædam fruſtula cum ſpiritu vini ad præſervationem ſumſit. Venæ ſectione rarius uſa; ac jam modo per annum & ultra eam omiſerat. Per ſex menſes permoleſtus in lumbo ſiniſtro continuo afflixit dolor, qui protenſus ad inferiora, ejuſdem pedis in eodem latere movendi potentiam & contracturam induxit. Perpetuus in urina emittenda eſt ardor. Afflicto lateri incumbere ægerrime poteſt: nam increſcit ſemper dolor & fit acerbior. Abdomen flatibus turget, appetitus languet, liquida plus juſto appetit, pedes ſemper frigidi, ut ab admotis valde calidis integumentis vix incaleſcant. Menſes quidem tempus ſuum adhuc

huc ſervant; ſed quando imminent atrox dolor & ſpaſmus totum abdomen pervadit. Quæſitum à me fuit, anne hoc malum tolli penitus poſſit, & an thermæ Carolinæ proficuæ ſint?

Epicriſis.

Plura ſunt in hoc caſu, quæ & obſervationem & cenſuram merentur. Primo uti omnes ægritudines, quæ à parentibus ad liberos tranſmittuntur: ita etiam nephritides calculoſæ difficillime evelli & eradicari poſſunt, & mox in adoleſcentiæ vel juventutis annis ſeſe ſiſtunt, atque accuratiſſimam vitæ rationem expoſtulant: nam *calculoſam hæreditariam diſpoſitionem*, ut eleganter dicit ARETÆUS *lib. II. cap. III. fœcundam, ſterilem nemo reddere poteſt: facilius enim eſt uterum à pariendo prohibere*; quæ ſi non obſervatur & morbus per multos jam annos inveteravit; nulla convaleſcentiæ ſpes ſupereſt: ob hanc potiſſimum rationem, quia affectuum hæreditariorum ratio in ſolidarum partium nativa labe & vitio poſita eſt: quod in actum deductum creſcentibus annis majorem vim acquirit. Quam pernicioſus ſit, in tali affectione hæreditaria, pellentium ut allii & aliorum præmaturus uſus, exprimi vix poteſt: nam cauſticis ejuſmodi rebus plus adhuc renum ſubſtantia læditur; quam ob rem non mirum eſt, in valde miſerum ægram noſtram ſtatum fuiſſe conjectam, cum procul omni dubio in rene ſiniſtro inſignis ulceroſa jam præſens fuit corruptio: ubi ab aquarum mineralium & præſertim *Carolinarum* potu, qui ſi proficere debet, largiſſimus ſit neceſſe eſt, lubens abſtineo, ne ſubſiſtentes aquæ ſolidæ partis corruptionem magis augeant. Ego ſub tali ſtatu ad mitigandos dolores balnea aquæ dulcis commendare ſoleo, ſique acerbiores ſunt, trochiſcos de alkekengi, qui moderatiori, ad ſcrupulum, doſi, præſens ſolamen afferunt. Extra paroxyſmum decocta & infuſa ex mitioribus traumaticis, omnium convenientiſſima ſunt: inter quæ radix altheæ, eryngii, herba hederæ terreſtris, veronicæ, virgæ aureæ, urticæ mortuæ, ſummitates millefolii, baccæ alkekengi, cortex radicis acaciæ, ſemen dauci, fœniculi, item baccæ juniperi toſtæ, ſi ex iis paretur infuſum & adjecto melle Pruſſico albo dulcificetur, longo & præſtabili uſu & efficacia ſeſe admodum commendant. Huc pertinet etiam decoctum antinephriticum *Foreſti*, quod ob inſignem aptorum ingredientium virtutem non laude ſua defraudandum eſt, pariter ſyrupus dialtheæ *Fernelii*: atque decoctum herbæ equiſeti ex cereviſia alba, adjecto butyro inſulſo & melle, plebeium & domeſticum quidem, ſed non ſpernendum remedium. Plus enim ſemper efficaciæ & ſecuritatis à temperatioribus iſtiuſmodi Galenicis & ſimplicibus, quam à pretioſis exoticis, ut ſunt acmella, pareira brava & id genus alia, & activioris indolis chymicis ſperari poteſt. Nam, ut ingenue fatear, uti victus quo ſimplicior, eo gratior & ſalubrior; ita etiam idem de medicamentis valere exiſtimo. Ego quoque in tam inveterato malo, non ſine inſigni fructu, medicamentum leniter alvum ſubducens, ex manna atque rhabarbaro, per infuſionem paratum, vel rhabarbarum cum terebinthina in pilulas redactum commendare & uſurpare ſoleo: nam qui calculoſos & non integros habent renes, ii quam maxime ſibi providere debent, ut inteſtinalis excretio probe reſpondeat.

Observatio V.

Dolor nephriticus cum numeroſa calcu-

Illuſtriſſimus Comes, ſex ſupra quadraginta annos natus, ſanguineæ & robuſtæ conſtitutionis, à primis annis integra valetudine gaviſus, in deliciis ſemper habuit venationes: ex quo factum, ut interdum imum uſque ventrem in piſcinas & aquas ſtagnantes ſe demiſerit. A longo inde tempore pedes habuit valde frigidos, ut fervidis pannis vix ad calorem naturalem reduci potuerint. Per decem annos uſque eo hæmorrhoidalem excretionem paſſus eſt, ſingulis ut plurimum menſibus, quæ vero per duos aut tres quandoque reſtiterunt. Imi ventris doloribus, quos ſpaſmi & flatus excitant, nunquam fere obnoxius fuit: inopinato autem acerbiſſimi dolores lumbum ſiniſtrum, ubi ren ſitum obtinet, invadunt, qui interdum ita aſperati ſunt, ut ſummus hic vir nec ambulare, nec ſe erigere, potuerit; atqui ſtationem ſuam nonnunquam deſeruerunt & imum ventrem occuparunt, juncto ſimul vomitu & ciborum faſtidio. Duobus abhinc annis, longinquo itinere peracto, triginta duos calculos cum acutiſſimis doloribus ſtipatos, per urinam una vice excrevit; quorum minimi magnitudinem ſeminis cannabis æquabant. Et ita immanes iſti dolores ſimul & ſemel exſpirarunt. Interea dolores circa lumbos in ſiniſtro latere inſiſtebant ſæpius, quandoque comite ſummo cruciatu, qui excretis calculis, cum multa pituita remiſſior factus. Hoc non obſtante fluxus hæmorrhoidalis omni bimeſtri ſpatio permanſit. Sub equitatione quicquam etiam cruoris mictu reddidit. Miſſus eſt ad Carolinas; à quarum potu per XXII. dies ſub debito regimine continuato, per vices, decem, viginti & ultra ducenti, cum urina, albi & cinericei coloris calculi emiſſi ſunt; cujus ſedimentum erat valde tenax & viſcidum, igni injectum odorem fœtidum volatilem & urinoſum ſpargens. Peracta cura, conſilium dedi, ut balneum *Toeplicenſe* per quatuordecim dies in uſum duceret; & optime inde ſe habuit. Petiit à me, ut præſervationis gratia curam inſtruerem, quæ ſequens fuit. Ordinavi infuſum, ex ſpeciebus leniter traumaticis, quarum in ſuperioribus facta fuit mentio, mane loco Thée ſumendum. Dein, ter minimum quotannis, præmiſſo pediluvio, venam pedis ſecandam ſuaſi. Tum pro potu ordinario, decoctum ex radicibus ſcorzoneræ, graminis, chinæ, cortice ligni ſaſſafras, ſemine fœniculi, & paſſulis præſcripſi. Poſthæc, uſum pulveris antinephritici bis vel ter in ſeptimana, cum emulſione amygdalina ſumendi, commendavi, ex hac formula. Recipe lapidum cancrorum unciam ſemis, cochlearum uſtarum, ſeminis lycopodii, arcani duplicati, nitri depurati ana drachmam, olei macis guttas VI. M. f. Pulv. D. Demum, quarumcunque pilularum, quæ aloës ingreditur, quarum inſignem antea quantitatem ſæpius devoravit, item purgantium uſum, ſtudio & non ſine fundata ratione, ſplendido huic viro, non ſecus ac aliis qui renum vitio laborant, præſertim ſi ſanguine corpora ſuperabundant, penitus interdixi, & clyſteres injiciendos eſſe præcepi. Quorum remediorum diutius continuato uſu, & ſtudioſe ſimul ſervata accurata victus ratione, ſummus hic vir tortura & tyrannide tam immanium dolorum à tam frequenti calculorum partu provenientium, liberatus, jam ſanus & incolumis, per Summi Numinis gratiam degit.

lorum excretione.

Epicriſis.

In hac morbi enarratione & ejus curatione, plura occurrunt practica momenta paulo curatius obſervanda. Primo, quod & fluxus hæmorrhoidalis & calculus ſimul in uno ſubjecto obvenire & incidere poſſint. Quod quibuſdam paradoxon videri poteſt, qui ſanguinis per venas ſedis profluvium, pro certiſſimo, adverſus calculum & podagram, præſidio ac præſervativo agnoſcunt. Verum aliquot

aliquot mihi obvia fuerunt exempla, eorum, (inque primis celeberrimi medici B. *Dolæi* recordor) qui nephritici & podagrici, fluxui hæmorrhoidali, his alternatim graviter infestantibus, obnoxii fuerunt. In præsenti casu considerationem meretur, quod refrigeratio, pedibus à longo tempore à descensu in stagnantes aquas inducta, sanguinis motum versus abdomen nimium urgendo, in corpore præsertim plethorico stagnationibus cum in renibus tum in intestinorum volumine, à quibus hi dicti morbi propullularunt, ansam præbuerit. Secundo, tam copiosa calculorum per unam vicem, exclusio, parenchyma renis sinistri, à copiosiori sanguinis congestione, plane vitiatum, labefactatum & destructum arguit; quandoquidem sine vasculorum urinariorum ruptura & extravasatione humoris, tam larga accretio lapillorum fieri nequit: sed notandum quod hi calculi minus compacti, valde friabiles & tophacei fuerint, qui longe facilius & citius ex muco quodam viscido terreo, generari possunt, ac duri & compacti. Tertio, mirabilis plane thermarum Carolinarum is est effectus, ut mirifice, sale suo alcalino, sordes viscidas resolvant, eluant, exulceratas partes mundent & canaliculos muco obstructos aperiant; quo postea roborantia & traumatica eo meliorem & auspicatiorem operationem exerere queant.

Observatio VI.

Nephritis calculosa cum podagra, in Sene, ex massa pilulari de cynogloſſa usu, funesta.

Incidit in memoriam casus quoad abusum anodynorum memorabilis, qui in principatu Halberstadiensi, olim mihi obtigit. Erat vir venerabilis religiosus, dignitate Abbatis ornatus, LXX. & ultra annorum, sanguineo cholericæ complexionis, staturæ macilentioris, ingenii præcellentis, calculi & podagræ doloribus jam diu vexatus. Hic ipse suus sibi erat medicus. Prædicabat mihi sæpius tum balneorum aquæ dulcis, tum, si nimium urgerent è calculo dolores, pilularum de cynogloſſa insignes ad dolorem sopiendum virtutes. Ad excludendum vero calculum, oleum amygdalarum dulcium cum succo citri, item succum citri cum matre perlarum, se usurpasse affirmabat. Extra paroxysmum liberalis infusi Thée erat potator. Per plures annos hisce præsidiis non sine felici successu se usum fuisse memorabat. Sed ob quosdam fortunæ infestos sibi obtingentes casus, & inde consecutum animi mœrorem, vires cum appetitu non parum langueſcere & corpus cum facie lurida marceſcere cœperunt. Post aliquot tempus, calculus consueto more renem sinistrum adoriebatur, & diutius paulo ac ante dolor lumbis & ureteribus inhærens persistebat. Ipse pro more sumebat pilulas de Cynogloſſa ad X. grana, usum earum aliquoties repetendo. Sed in ingentem conjectus virium prostrationem meum consilium requisivit. Ego accedens, ipsum offendi omnibus viribus dejectum, cum pulsu valde debili & formicante, qui proximam mortem significare solet. Analeptica probatissimæ virtutis externe & interne in usum ducebam, sine tamen effectu. Dolorem quippe nullum amplius percipiebat, soporque cum extremorum frigore eum opprimebat; ita ut secunda post accessionem meam die placide obiret.

Epicrisis.

Quæ dolorum sopiunt atrociam remedia, quæ inter palmam opiata tenent, minime è praxi medica exterminanda esse; ego quidem persuasus sum. Atqui idem nobiscum sentire tenentur ii, qui medicos opio utentes impostoræ publice accusare non dubitarunt, cum nihilo minus in praxi sua pilulas de cynogloſſa, quæ, præter opium, semen hyoſciami habent, ad sistendas enormes hæmorrhagias frequentem in usum ducant & plurimi faciant. Ego, ante quam liquoris anodyni mineralis præstantia, quæ vitrioli sulphuri debetur, in componendis & sedandis enormibus hæmorrhagiis & doloribus, mihi innotuit, non infeliciter opiatis rite correctis me usum fuisse, affevero. Sed uti omnia magnæ activitatis remedia, ita etiam hæc, judicium & circumspectionem medici, qui omnes circumstantias probe pensitare & ad rationem subducere didicit, desiderant. Ubi enim ætas juvenilis, satis adhuc adest virium, pulsus magnus, & dolorum ac spasmorum immanitas virium & motuum vitalium destructionem minatur, divinam certe præstant opem: sed ubi præ dolorum atrocia & à morbo præcedente, vel ex mœrore, jam attritæ vires fuerint, in ætate præsertim senili; ipsa sana, qualem omnibus medicis practicis apprecamur, ratio dictitat, ejusmodi remedia summe exitialia esse. Neque diffitendum, medicis sanioris praxeos præceptis destitutos, sæpe numero ingens damnum & periculum miseris ægrotantibus inferre: id quod probe animadvertit CAROL. PISO *l. c. lib. IV. c.* 2. inquiens: *incredibile est dictu, quot nimium credulos intemperante vel laudani nostro ævo celeberrimi vel pilularum de cynogloſſa usu, Themisones & circumforanei mittant in orcum.*

Observatio VII.

Rheumatica renum & ureterum affectio.

Vir sexaginta & quatuor annorum, ante duos annos, tumore cum dolore, pedis pollicem satis acerbe obsidente corripiebatur, qui venæ sectione admissa atque diapnoicis internis discutiebatur. Post novem dies cruciatus hi lumbos acriter invadebant, cum magna mingendi difficultate & ingenti circa inguinalem regionem pressorio & æstuante dolore, qui invalescens omnem urinæ profluxum plane impediebat. Ad quod symptoma tollendum, nec balneum aquæ dulcis, nec fomenta externa, neque medicamina interna antinephritica cum anodynis refracte juncta, quicquam profuerunt. Ilia quando manu fortiter comprimebantur, urina effluebat sed parcior, multum tophaceæ albæ & tenacis materiæ continens. Alvus erat obstructa, & sub frequenti desidendi cupiditate nihil reddebat. Aquam *Selteranam* quæ ad manus erat, post aquæ dulcis balneum, in lecto per duos dies largiter bibendam suasi. Postea tres mannæ unciæ cum drachma & dimidia cremoris tartari, atque granis sex trochiscorum alhandal, in infuso ex aqua fuerunt exhibitæ; cujus tam felix erat operatio, ut non modo ingens excrementorum copia per aliquot sedes dejecta, sed & largior urinæ fluxus, non sine insigni levamine, secutus fuerit.

Epicrisis.

Rheumaticam renum & viarum urinariarum affectionem, si quis prædictam passionem denominare velit, mea quidem sententia non errabit: nam sæpius observavi, subito eos qui arthriticis & rheumaticis fluxionibus obnoxii sunt, dolore in lumbis & mingendi difficultate corripi, cum serum impurum tophacea & tartarea materia refertum, ad renale cribrum copiosius fertur, & in uretere, præsertim ubi introitus est in vesicam, collectum ac stagnans, gravem dysuriam parit: quia propter dolorem, alvi excretio supprimitur, ab intestino recto excrementis farto, magis adhuc vesicam comprimente, & dolor & mingendi impotentia augentur. Sub ejusmodi morbi circumstantiis, utique non convenientius

auxi-

auxilium, præter balnea, aquas medicatas & laxantia, inveniri licet. Ego profecto, ſi à tali cauſa iſchuria proficiſcitur, mirabilem eorum quæ alvum efficaciter aperiunt, ſæpius opem expertus ſum: nam expedita alvo, & expurgatis ſordibus, uberior eſt urinæ ad veſicam aditus, & lege conſenſionis, quam nervoſæ partes inter ſe alunt, ipſa etiam veſica cum ureteribus ſimul afficitur & ad contractionem atque urinæ expulſionem ſollicitatur. Neque temni hanc in rem debet monitum CELSI *lib. IV. cap.* 13. *in renum affectibus oportet ſolvere alvum, ſi aliter ea non reſpondeat.*

Observatio VIII.

Monita quædam, circa antinephriticorum uſum.

Cum maximum curationis & medendi methodi momentum in convenienti, ratione temporis & ordinis, antinephriticorum uſu repoſitum ſit; non abs re, ſed operæ pretium mihi viſum eſt, generalia quædam eximii in praxi uſus, ex longa experientia mihi enata monita proponere atque ſubjungere. Primo omnium, plurimum ſcire refert temporis rationem: num recens ſit malum; num per plures jam annos quis eo laboraverit; an valde inveteratum? item qualis ſit renum ſtatus & conditio? num ſaltim flaccidi & à tono & robore naturali dejecti; an eorum ſubſtantia corrupta exulcerata; & ſeri vel urinæ aut etiam ſanguinis extravaſatio adſit? Facilius curatu eſt morbus inter initia, præſertim quando à nimia ſanguinis ad hoc viſcus in plethoricis fit congeſtio, vel etiam quando rheumatiſmo renes afficiuntur. Tunc omnia quæ urinam pellendi facultate pollent, & quæ acrimoniam ſalinam cauſticam conjunctam habent, vel ſanguinem nimium commovent, perniciosiſſima ſunt: ſed potius ſanguinis miſſio, per ſectionem venæ, hæmorrhoidum apertionem, atque ſubjunctus diluentium, ſeri lactis, & aquarum medicatarum temperatarum, item nitroſorum pulverum uſus, omne abſolvere curationis punctum poſſunt. Ubi vero jam malum radices egit in renibus, iique late affecti, vel eorundem vaſcula disrupta, ut latex urinoſus ſubſiſtens tartaream gravem materiam dimittat, & calculorum frequenter jam fuit excluſio: tunc abſtinendum utique eſt à fortioribus acrioribus & ſanguinis maſſam valde commoventibus diureticis. Nihilominus, quæ urinæ fluxum inter alimenta & medicamenta placide promovent, & majorem materiæ tartareæ in magnæ molis calculos accretionem impediunt, egregio uſui ſunt: qualia ſunt, præter ſerum lactis dulce & acidulum, præter lac aſininum purum vel cum fonte *Selterano* mixtum, pariter ac acidulas; juſcula ex radicibus quinque aperientibus parata, infuſum baccarum juniperi & acinorum cynosbati toſtorum, ex medicamentis arcanum tartari, tinctura tartari, liquor nitri fixi, & id genus alia. Proſunt tunc etiam, ad ulteriorem corruptionem renis arcendam temperatiora traumatica ſupra recenſita, in infuſo vel decocto exhibita.

Si vero malum jam inveteraverit, ſubſtantia renum valde corrupta & exulcerata, ætas quoque ſenilis fuerit; abſtinere præſtat ab omnibus ſalinis, & potiſſimum acribus diureticis, item nitroſis refrigerantibus, ſanguinis miſſionibus, fortiori corporis motione, equitatione: ſed infuſa traumatica, cum ſyrupo dialtheæ *Fernelii* edulcorata, mel Pruſſicum cum rob juniperi mixtum, item mel cum pulvere radicis pimpinellæ, ſi ad illius libram, uncia hujus adjiciatur, malvaticum juniperinum, moderatus vini Hungarici, Canarienſis potus, eleoſacchara terebinthinæ Venetæ, balſami de Mecha, de Capaiva, quando videlicet ſacchari unciæ horum drachma admiſcetur, item balnea temperata ex aqua dulci, omnium tutiſſima & convenientiſſima ſunt. Malum enim eſt incurabile & uſque ad mortem comitatur; hinc non niſi mitigantia & vires reficientia deſiderat.

Cum vero nihil utilius nihil ſalutarius nephriticis & calculoſis unquam, præſervandi inprimis ſcopo, deprehenſum fuerit, alvo libera atque aperta, & primis viis à ſordibus & excrementis probe expurgatis; præcipua omnino medici intentio eſſe debet, ut, ſi natura hac in re deficiat, commodis & idoneis alvinam excretionem promovere ſtudeat remediis. Sed ego hoc in genere, nec tutius, neque convenientius aut efficacius ſcio & reperi laxans, ipſo rhabarbaro electo & optimæ notæ, quod in pulverem cum abſorbente & abſtergente ſale, vel in pilulas cum terebinthina Veneta redactum & circa lecti introitum uſurpatum, leniter & citra virium jacturam, roborando potius renum viſcerum & ventriculi tonum, ſordes altero die egregie ſubducit.

Poſtremo, hanc, circa antinephriticorum & urinam cientium uſum, cautelam omnibus medentibus commendatam volo, ut neque nimium urinæ fluxum promoveant, neque etiam eum tardiorem & parciorem reddant: utrumque ſiquidem noxium; nam ſi à ſanguine, quod fluidum, tenue & albidum eſt, in nimia quantitate ſegregatur, remanet craſſius, quod obſtructiones efficit & facile coit; ſi vero illud in coagulum redactum non abſtergitur & educitur, ſucceſſive in majorem molem accreſcit.

Coronidis loco ad illuſtranda & confirmanda hæc à me ſuppeditata non inutilia monita, egregium & obſervatione dignum locum, ex CASPARO HOFFMANNO, huic tractationi annectere haud dubitavi: ſiquidem *lib.* II. *medicam. officinal. cap.* 102. *p.* 483. ita perite ſcribit: *in curatione calculi ſemper bene diſtinguere opus eſt remedia: nam ita pauciores haberemus calculoſos. Qui enim perpetuo utuntur propriis dictis diureticis, præcipue non purgatis primis viis, ad locum affectum materiam calculoſam adducendo, malum faciunt pejus: tanto melius illi faciunt, qui præſervationis gratia ſingulis anni quadrantibus evacuant primas ſic dictas vias, dein lacte amygdalino per aliquot dies utuntur. Pro curatione autem ante omnia leniter purgandum; poſtea utendum domeſticis & improprie dictis frigidis, quæ tonum reddunt renibus*: Nam in quovis corpore adeſt quidem materia calculi, quæ tamen non ita ſtatim coit & concreſcit, niſi tonus & vigor renum expulſivus vitietur; unde altero rene bene habente, alter calculoſus eſſe ſolet. Et hanc ob cauſam CELSUS *lib.* IV. *c.* II. *p.* 207. renes ubi affecti ſunt, & diu male habent, abſtinere etiam ab omnibus ſalſis, acribus, acidis, & liberaliter bibere & molliter ſolvere alvum jubet.

CAPUT VII.

De gravi ſpaſmo & dolore veſicæ & adjacentium partium.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Definitio. VEſica, ceu pars corporis nervoſo-muſculoſa, frequenter & ex facili obnoxia eſt ſpaſmo, per quem, intenſiorem & præternaturalem corporis veſicæ,

veſicæ, nec non ſphincteris conſtrictionem, ſive ſtricturam, coarctationem & fibrarum criſpaturam intelligimus, & ex quo poſtea, ceu fonte, plures aliæ morboſæ affectiones & ſymptomata pullulant ac deducuntur.

§. II.

Proceſſus morbi qui ex calculo veſica oritur.

Grave illud tormentum, quod veſicæ diu inhærens calculus ſæpius excitat, cum aſſiduo mingendi ſtimulo & difficillimo ac dolorifico mictu, nonniſi ſpaſmum ceu cauſam arguit. Propter ſpaſticam enim ſtricturam, quæ non modo veſicæ tunicam muſculoſo-nerveam, ſed & ejus ſphincterem ipſamque urethram vehementer afficit, doloroſum urinæ fit ſtillicidium & tantus nixus in pube, ut urina vix cohiberi poſſe videatur, quæ tamen, ut primum ſtillare cœpit, mox iterum penitus retinetur. Accedit dolor in toto coli tractu, qui graviſſimus ſæpe glandem duntaxat occupat, ut annotante HILDANO *lib. III. de lithotom. veſ.* & BAGLIVO *Opp. pag.* 343. ingens hic doloris, pruritus & continuæ irritationis in glande penis & virgæ extremitate, in adultis æque ac pueris obvius ſenſus, merito inter pathognomica calculi ſigna referendus ſit. Jungitur quoque crebrior deſidendi ſtimulus, ſive teneſmus, ob arctam recti cum veſica connexionem, nervorumque communionem. Prodit ſub hac dyſuria urina plerumque alba & turbida, cum ſedimento mucoſo, eo quod ipſe ſpaſmus fibrarum muſcularium, forti ſtrictura & compreſſione, ex interiori mucoſa veſicæ tunica copioſius lympham exprimit mucidam, glutinoſam, quæ immixta urinæ, ſedimentum illud quod fundum petit mucidum ſuppeditat. Sæpe vero tenuis aquoſa minus colorata, ſub ejuſmodi gravi dolore, & ſpaſmo urina emittitur, qui ſpaſmus mutua conſenſione & communicatione etiam ad tubulos renum urinarios penetrat, ut non niſi tenue & aquoſum ex ſanguine per emulgentes adducto tranſmittant. Præterea æger ſub mictu ſæpe graviſſimos patitur dolores, crura bina tranſverſim complicat, coxas comprimit, caput ad terram inclinat, manuque altera, interdum etiam ambabus, ventrem juxta pubis regionem quantum poteſt coarctat & ſub ejuſmodi dolorifica mictione, tremuli interdum & quaſi convulſivi totius corporis motus, ut probe obſervavit VIEUSSEN *in Nevrologia pag.* 203. concitantur. Nam veſicæ nervuli acerrime à quacunque etiam cauſa vellicati & ſpaſmo affecti, eundem tremulum & convulſivum motum per nervos intercoſtales nervis ſpinalibus communicant & ſic ceteris omnibus partibus inferunt. Obſervamus etiam ſub ſtranguria & vehementi dyſuria, alvum obſerari & flatus cum fæcibus retineri, quæ conquieſcente dolore, promte iterum ſecedunt.

§. III.

Qui itidem à ſtaſi ſanguinea fit.

Conſtat quoque obſervatione, hæc omnia recenſita ſymptomata, & adhuc acerbiora, non tantum à calculo veſicæ, verum etiam à ſanguinis ſtaſi & ſtagnatione intra veſicæ vaſa ſanguifera, quam ſæpius ſequitur gravis inflammatio, fieri. Vulgaris enim error eſt, quo hæc pathemata tantum vel calculo veſicæ, vel urinæ acrimoniæ adſcribuntur, cum tamen obſervationes & diſſectiones cadaverum abunde doceant, ægros non modo iiſdem ſymptomatibus, quæ calculus in veſica hærens profert, ſed & majoribus fuiſſe affectos cruciatibus, nullo plane poſt mortem invento calculi veſtigio. Nam quemadmodum à menſium vel hæmorrhoidum fluxu ſuffl aminato, ſanguis regurgitans ad vaſa ventriculi & inteſtinorum, & intra eorum tunicas ſenſibiles ſtagnans, diſtractione & compreſſione vehementia tormina, anxietates, dolores, convulſiones ac ſpaſmos concitat: ita etiam, quando vel ex vitio & emanſione fluxus hæmorrhoidalis, vel aliis ex cauſis, ſanguis ad veſicæ corpus magna copia delatus ibi ſtagnat, non mirum eſt, quod in hac ſenſibili parte, ſpaſmos & quæ ab iis proficiſcuntur ſymptomata producat.

§. IV.

Sæpe veſicæ ſpaſmus & inflammatio à ſuppreſſo hæmorrhoidum vel menſium fluxu.

Simili modo à ſuppreſſo hæmorrhoidali fluxu nonnunquam fit mictus cruentus, quo cohibito, dolor, ſpaſmus & inflammatio veſicam infeſtant; cujuſmodi atrox ſpaſmus, qui demum funeſtam progignit inflammationem, interdum quoque à menſium plenario defectu, & earum poſt quinquageſimum annum emanſione in fœminis plethoricis ortum ducit. Nam qui morbis veſicæ moriuntur, inflammatione & ſphacelo, ob ſanguinis in vaſis pertinacem & fixiorem ſtaſin, vaſa minima nimium diſtendentem, pereunt, ita plerumque, ut hæc inflammatio non modo veſicam, ſed & rectum inteſtinum afficiat, ubi ſimul hæmorrhoidalia vaſa ſanguine nigro infarcta, cum penis livore, & venæ cervicis ſanguine admodum diſtentæ & varicoſæ comparent, fidem faciente BONETO *pag.* 673. *Obſervat.* 22. *& pag.* 664.

§. V.

Cauſa proxima eſt ſpaſmus.

Eſt vero unica funeſtæ ejuſmodi inflammationis cauſa, eaque principalis, validus veſicæ ſpaſmus, qui, quo validior eſt, eo vehementius ſanguinis ſtaſin & incarcerationem in vaſis auget, & reſolutionem ejus ac diſcuſſionem impedit, ut tandem vel in abſceſſum & ulcus tranſeat, & chronicum fiat malum, vel in ſphacelum brevi tempore perimentem concedat. Et profecto vehemens ille veſicæ ſpaſmus, qui præſente inflammatione augetur, cauſa eſt plurimorum gravium illorum ſymptomatum, inflammationem veſicæ ſtipantium, quæ inter, teſte AETIO & ORIBASIO, referenda potiſſimum continua febris, magnus æſtus, dolor, ardor ac tumor infra perinæum & ſupra pectinem atque pubem, urinæ ægerrima & cum magno conatu & dolorifico ejulatu guttatim facta emiſſio, frequens deſidendi ſtimulus, quibus demum accedunt bilis vomitus, dolor capitis, ſitis, difficilis anhelitus, faciei cum oculis rubor, lingua ardens cum nigritie, immodica vigilia, delirium, inquietudo, extremorum frigus ipſaque mors. Dignus memoratu eſt de funeſto morborum veſicæ eventu HIPPOCRATIS locus *libr. prænotion. pag.*464. ita habens: *Veſicæ duræ & dolentes penitus quidem horrendæ & perniciosæ ſunt, perniciosiſſimæ vero quæ cum febri continua fiunt. Etenim dolores* (qui utique ſpaſmorum effectus ſunt) *ab ipſis veſicis ad occidendum ſufficiunt, & alvi non egerunt hoc tempore, niſi durum quoddam, & hoc coactæ. Solvit autem urina purulenta micta, quæ albam ac levem ſubſidentiam habet. Si vero neque ab urina quicquam remiſerit dolor, neque veſica molliatur, & febris continua fuerit, in primis circuitibus morbi ægrum moriturum eſſe, timor eſt.*

§. VI.

Quod probatur & ulterius explicatur.

Sunt certe hæc veſicæ inflammationem quæ comitantur, inque variis corporis partibus conſpiciuntur ſymptomata graviſſima; omnia tamen paulo curatius conſiderata, vix aliam cauſam, quam vehementem ſpaſmum, qui in veſica, ceu parte affecta, incipit & per univerſum nervoſarum partium

gnus

genus inde propagatur, agnoſcunt. Nam quando ſortiſſima ſtrictura & criſpatura fibras vicinarum partium, inteſtini videlicet recti & ſphincteris ani prehendit; vel aſſiduum deſidendi calcar, vel adeo impenſa adeſt ani conſtrictio, ut nec flatus, nec fæces tranſmittat, neque etiam clyſterem admittat. Quumque ſolenniter validior ſpaſmus partem cui diutius inſedit debilitet, demum & in ea relaxationem relinquat, fit, ut ani etiam procidentia, præſertim in ſenibus & infantibus, conſequatur. Quandocũque veſicæ gravior ſpaſmus ad ſuperiora porrigitur, & quidem ad inteſtina, borborygmos & tormina cauſatur, & ubi ad ventriculum pergit, inappetentia, mala digeſtio & vomitus fiunt: de quo conſenſu veſicæ cum ventriculo præclara ſunt quæ habet CELSUS *libr. VII. cap. 27. pag.* 486. *non ignoramus*, inquiens, *orto veſicæ ulcere, ſæpe affici ſtomachum, cui cum veſica quoddam conſortium eſt; exque eo fit, ut neque retineatur cibus, neque ſi quis contentus eſt, concoquatur, neque corpus ălatur.* Idem porro ſpaſmus veſicæ ſub inflammatione, quum muſculum diaphragmatis & nervos tunicaſque nervoſas pulmonum ac bronchiorum afficit, ægram & difficilem cum anxietate præcordiorum relinquit ſpirationem: ad cordis vero muſculos & tunicas arteriarum muſculoſo-nerveas delatus, duriores, contractos & celeriores efficit pulſuum ictus, cum febre continua & ſiti inexhauſta, quæ itidem ſpaſticæ ſtricturæ mollium & glanduloſarum in lingua & faucibus partium debetur. Majoris vero periculi eſt, ſi ad membranas cerebri & nervorum principia pertingit; tunc enim aſſiduæ vigiliæ, mentis alienatio, convulſiones, extremorum frigus ac horror, inæqualis & intermittens pulſus, mortem ſignificant imminentem.

§. VII.

Inter cauſas remotas ſerum ſcorbuticum.

Quamvis vero gravia & ſæpius lethalia ſymptomata ſint, quæ ex inflammatoria ſanguinis, ſive ſinceri & puri, ſive impuri ſtaſi in veſicæ vaſculis ſuboriuntur: nihilo minus tamen mitiora minuſque funeſta ſunt illa veſicæ vitia, quæ à ſero ſalſo, impuro, corrupto veſicæ tunicis firmius inhæreſcente eaſque lancinante ſubnaſcuntur, cujus generis ſunt illi dolores cum valde difficili & guttatim ſuccedente mictu. Paſſim ejuſmodi pathematum in obſervatis medicorum fit mentio, inprimis tamen memoratu dignus DRAWITZIUS, qui jam ante ſeculum omnium fere optime, germanico idiomate *de ſcorbutico* integrum ſcripſit tractatum, in quo *pag.* 350. *& ſeqq.* plures affert obſervationes & caſus ægrorum, qui de doloribus ſævis ſub urinæ emiſſione conqueſti, quorum cauſa non veſicæ labes ulla aut calculus fuit, ſed humor tantum impurus ſcorbuticus, è quibus memorabilis maxime, quem conſignavit de lanione, qui quum nunquam antea ex calculo laboraſſet, ſubito atroces in pedibus perſenſit dolores, qui hinc depulſi, urethram invaſerunt, cum intenſo ardore & difficultate guttatim vix mingendi, applicatis tamen diſcutientibus ceſſarunt quidem, ſed ad pedes redierunt, conſequente eorundem tumore.

§. VIII.

Materia arthritica & podagrica.

Neque minus multoties obſervavimus in ſenibus, veſicæ vitia, maximeque dyſuriam, tum ob vitam ſedentariam, tum ob dyſcraſiam humorum ſcorbuticam, quæ in hac ætate fere perpetua eſt, inprimis tamen quod ceſſantibus rheumaticis, arthriticis & podagricis doloribus, difficilis accedere ſoleat mictus, qui repetentibus priſtinis doloribus, ſponte diſcedit iterum. Crebrioris quoque obſervationis eſt, ſcorbuticos, quibus purpura chronica noſtro jam tempore admodum ſolennis, hac, ob refrigerationem corporis, vel alias cauſas, ut venæ ſectionem crebrius inſtitutam, retrocedente, vel intus remanente, experiri ingentem mingendi difficultatem cum præcordiorum anxietate, inquietudine, vigilia & interno æſtu, quæ, expulſa rurſus ad ſuperficiem corporis purpura, diſparent iterum ac evaneſcunt.

§. IX.

à pure ex renibus in veſicam delabente.

Sed alia adhuc ratione ſpaſmus & dolor veſicæ introducitur, ex renum videlicet vitio. Interdum enim ex his purulenta & viſcida materia, interdum calculi per ureteres in veſicam delabuntur. In utroque caſu, niſi peregrinus hoſpes tempeſtive foras ejiciatur varia ſontica mala & in his vehementiſſimum ſpaſmum ciere valet. Quodſi enim tenacior & acrior materia eſt, parietibus veſicæ, inprimis circa collum adhæret & ſtranguriam, dyſuriam, teneſmum inflammationemque excitat, vel membranas veſicæ clandeſtine ac lente magis erodit, atque ita hanc exulceratam reddit. Si vero aliarum cauſarum acceſſione in calculum tandem illa transformata fuerit, vel is jam factus in renibus ad veſicam migravit, aſpredine ſua vel pondere hanc continuo laceſſit eademque mala quæ modo recenſuimus, producit: in poſteriori autem caſu fundus quoque veſicæ & latera, præſertim ubi calculus fuerit grandior, exulcerantur.

§. X.

à gonorrhœa.

Interdum veſicæ collum irritant, tendunt ac ſpaſmo affligunt, diverſæ ab iis quas hactenus enarravi cauſæ, e. g. quando gonorrhœa, ſive benigna ſive maligna fuerit, diutius in hoſpitio ſuo, hoc eſt in glandulis binis proſtatis collo veſicæ appoſitis, commoratur; mora hic venereis inquinamentis corruptus humor deterior redditus, ulcera nunc leviora nunc graviora, & inflammationes in parte affecta parere, & ſi horum quoque vitiorum curatio perverſe peragatur, ſimili labe alias ſæpe partes inprimis proxime adjacentes afficere, ſubinde obſervatur. Mingitur tunc urina purpuracea, & veſicæ ſcabies, imo & exulceratio præſertim circa cervicem frequentius accedit. Atque hinc eſt, quod gonorrhœa virulenta laborantes urinam ſæpius turbidam & quæ multum viſcidi & ſanioſi ponit ſedimenti reddant.

§. XI.

ab inflammatione inteſtini recti.

pure &c.

Cauſarum, unde gravior veſicæ ſpaſmus proficiſci non nunquam ſolet, cenſum quoque ſubire videntur, inflammatio inteſtini recti vel ejuſdem ulcus, eadem coli vitia, partium omnium interiorum abdominis abſceſſus, ex quibus ruptis, pus in abdominis cavitatem effuſum, verſus veſicam tandem progreditur; corruptio inprimis omenti longius protenſi, ſanguis quacunque de cauſa in abdomen effuſus, aqua in hydrope ad veſicam libere ruens, inflammatio & ulcus uteri maxime ejuſdem cervicis, & id genus alia; quorum omnium exempla paſſim apud BONETUM & alios occurrunt.

§. XII.

Ab externis.

Devolvimur nunc ad cauſas externas à quibus veſicæ ſpaſmus provenire poſſit. Pertinent vero

huc contuſiones & ictus graviores in pubis & perinæi regionibus, ſectio calculi imprudenter inſtituta, in qua vel à cultri ineptiori adminiſtratione, vel à calculi, præſertim majoris & aſperioris extractione, vulneris à ſectione facti curatio perverſe inſtituta, catheter ad explorandum calculum vel in urinæ ſuppreſſione vel alia de cauſa incurioſius intruſus, ſphincter præſertim veſicæ arctius conſtricto, aut à tumore, caruncula, ſcirrho vel alio vitio via præcluſa; fiſtulæ in ano exſectio, in qua ani ſphincter arctius cum veſicæ collo connexus incaute nimis vulneratus, aut ejuſdem vulnus negligentius habitum fuit. In fœminis huc referri debet partus difficilis, in quo veſicam & hujus inprimis collum ita ſæpe premi afficique, ut inde ulcus & fiſtula proveniant, MEAURICEAU *aph.* 285. confirmat. Cæterum hic notari meretur ſingularis cantharidum malignitas, qua veſicæ infeſtæ ſunt. Eas enim ſive intra corpus aſſumtas, ſive externe tantummodo applicatas, ſpaſmum, inflammationem & ulcera interdum ciere ſatis obſervationibus conſtat, quarum exempla exhibentur in M. N. C. *Dec. I. An. II. obſ.* 105. *An. VIII. obſ.* 88. Potum denique frigidæ poſt ſectionem calculi, vehementem ſpaſmum concitare, aut lethali gangrænæ, aut fiſtuloſo ulceri occaſionem præbere, ex obſervationibus practicis conſtat.

§. XIII.

Cur ſpaſmus veſicæ per intervalla infeſtet.

Hiſce quoad cauſas quæ ſpaſmum veſicæ cient, expoſitis; ratio porro reddenda peculiaris iſtius phænomeni, cur ſymptomata, uti difficilis & dolorifica mictio & quæ ipſi juncta ſunt mala, cauſa materiali, ut calculo vel dyſcraſia ſcorbutica, perpetuo præſente, per intervalla tantum infeſtent & tantopere affligant? Ita vero hoc explicandum videtur: omnes atroces in parte nervoſa ſenſibili dolores, paulo diutius obhærentes, inducunt demum & relinquunt in ea, quam tenuerunt, ſede debilitatem & atoniam, qua præſente, dolores quidem non amplius percipiuntur, ſed propter ipſam hanc imbecillitatem, ibi de novo ſucceſſive ſuccreſcentes in corpore impuri humores colliguntur, ſtagnant & ſubſiſtunt, novaque ſic ad reſuſcitandos paroxyſmos gignitur & coacervatur materia. Debilitas enim, teſte CELSO, omnibus morbis opportuna; ideoque inſtar univerſalis pathologici canonis tenendum: languidas à prægreſſa morbi violentia partes, quam facile recipere morbificum humorem, qui ſenſim congeſtus, vel ſponte, vel à levi cauſa exagitatus, novum adducit inſultum; & hinc merito periodicorum affectuum origo repetenda.

§. XIV.

Quomodo is excitetur.

Pluries obſervavimus, calculum in veſica exiſtentem, per certa tantum intervalla multa incommoda, ut mingendi crebrum & difficilem conatum, cum ardore & dolore, ventris torminibus, extremorum frigore & virium languore excitaſſe, idque maxime ventis ex borea flantibus, vel ſi inflantes cibi aut cereviſiæ minus defæcatæ ſumtæ, aut inſolita animi commotio præceſſit, aut corporis partes extremæ nimium refrigeratæ, vel etiam ſanguinis conſueta miſſio diutius omiſſa, hanc procul dubio ob rationem: quod hæc omnia ejus naturæ ac indolis ſunt, ut partim excretiones ſalutares ſupprimendo, partim etiam copiam humoris impuri augendo, eum ad veſicam tanquam partem debiliorem propellendo, movendis & revocandis novis inſultibus occaſionem præbeant. Crebrioris quoque obſervationis eſt, colicas flatulentas junctas eſſe veſicæ vitio, præſertim ardenti & dolorificæ mictioni, & omnia alimenta, quæ inflant, hoc quoque exacerbare, & carminativa contra, ſive flatus diſcutientia, optimo eſſe præſidio.

§. XV.

à mictu cruenta

Ad veſicæ morbos qui ſpaſmo ſtipati ſunt referri etiam merito debet cruenta mictio, quæ tamen non omnis, ut vulgi medicorum fert opinio, ex renibus & vaſis emulgentibus fit, ſed ſæpius proxime & immediate ex veſicæ vaſis ſanguiferis, præſertim ramis venæ hæmorrhoidalis externæ perruptis, ſuccedit. Cognoſcitur ſanguinolentus ejuſmodi ex veſicæ vaſis mictus, quando difficultas mingendi conjuncta, ardor cum teneſmo circa anum, ſpaſmus circa glandem & dolor pungitivus à glande ad perinæum affligit, cum rigida penis tenſione, nec non ubi ſimul adſunt borborygmi & flatulentiæ in abdomine, inappetentia, ructus quoque frequentes junguntur; item ſi mictio cruenta & ſtipantia ipſam ſymptomata poſt ſanguinis miſſionem in pede, poſt hirudinum applicationem circa anum, remittunt & ceſſant. Et quamvis ejuſmodi ſpecies mictionis cruentæ ex veſica non adeo familiaris ſit & frequens, annotata tamen non nunquam fuit, & proſtat obſervatio HOECHSTETTERI *Decur. I. ſchol. in caſ.* 2. M. N. C. *Decad.* I. *ann.* VIII. *obſerv.* 23. Mingitur interdum ſanguis ſincerus una cum urina, vel loco hujus urina bruni coloris, inſtar coffée, ut vidimus in ſene octogenario quotieſcunque equo vectus fuerat: frigefacta urina ſedimentum ponebat denſum, rubicundum. Graviſſima vero quoque incidere ſolent ex ſanguine intra veſicam concreto, ſymptomata, quæ recenſet LOMMIUS *in obſervat. p.* 195. crebro enim anima deficit, ægra fit ſpiratio, & pulſus obſcurus, parvus & frequens, oritur multa nauſea, animi anxietas & frigidus ſudor, hinc totus homo fit imbecillis & pallet & extremis partibus refrigeſcit, quæ quidem omnia vehementi ſpaſticæ ſtricturæ, quæ per totum ſyſtema nervorum propagatur, recte adſcribenda. Fiunt tamen etiam à ſanguine in veſica condenſato maximi cruciatus & ardores vehementes, in ima pube & circa virgam, qui referente *obſervat.* jam *citata M. N. C.* in momento quaſi evanuerunt, poſtquam æger magnos & oblongos ſanguinis grumos, inſtar hepatis lucii piſcis, mingendo rejecerat. Sed de curatione hujus mictionis cruentæ, quæ naſcitur ex veſica affecta, recte judicat LOMMIUS *l. c.* quod tardius curetur, quam illa, quæ à ſuperioribus locis proficiſcitur.

§. XVI.

à ſero impuro ſcorbutico.

Neque etiam prætereundum, quod veſicæ ſpaſmus qui ſtranguriam & dyſuriam parit, ab urina etiam, præſertim in ſenibus, ſcorbuticis & cacochymicis, valde ſalſa, acribus, tartareis ſalino-ſulphureis & limoſis excrementitiis partibus referta, naſcatur. Tam ſalſa enim quandoque deprehenditur urina, ut linguam arrodat & ex urethra ſtillans vicinas partes excoriet, quæ utique diutius in veſica ſtagnans, vellicando fibras nerveas, ſphincterem claudit, urethram anguſtat, & lancinatione & arroſione tunicarum ingentes dolores parit. Si vero in urina cum dolore excreta moleculæ furfuraceæ & exilia ac copioſa filamenta apparent atque ſubſident; veteres affectum veſicæ ſcabiem appellarunt,

quid veſicæ ſcabies?

runt, quia mucidam & villoſam tunicam arroſam arguunt.

§. XVII.

ex plethora in vitæ ſedentariæ addictis.

Diximus ſuperius, quod quidem calculus in veſica contentus occaſionem ſæpius præbeat ad vehementes & dolorificos cum dyſuria junctos ſpaſmos, per intervalla infeſtantes; monendum tamen & illud eſt, quod ſpaſmi veſicæ, etiam aliis ex cauſis proficiſcentes, ad ipſius calculi in veſica generationem & concretionem primam originem & fundamentum frequentius ſuppeditent. Contingit hoc quam maxime in ſenibus plethoricis, vitæ ſedentariæ addictis & qui ob perſpirationem languidiorem urinam ordinario valde tinctam & ſcoriis tartareis limoſis ſaturatam mingunt. Nam ob ſpaſmum dyſuria fit, & liquor urinoſus dum paulo diutius retinetur, mora deponit tenacem glutinoſam materiam, quæ ſalibus tartareis involuta, utique principium ad ſucceſſivam concretionem calculoſam ſuggerit, niſi congruis medicamentis opportune ſubducatur, & urinæ, ſublato ſpaſmo, liber paretur exitus.

§. XVIII.

Spaſmus veſicæ quando lethalis?

Inter morbos veſicæ utique vehementior ſtrictura, graviſſima & ſæpe mortifera eſt, præſertim ubi cum vehementiori dolore febris acuta, veſicæ durities juxta pubem obſervata, alvique & urinæ ſuppreſſio juncta eſt. De qua in *Prognoſticis & in coacis præſag.* ita ſcripſit HIPPOCRATES, *veſicæ duræ ac dolentes omnino malæ, peſſimæ fere cum febre continua: nam qui dolor inde eſt, necando homini ſatis eſſe poteſt, atque ii alvo non multum dejiciunt.*

§. XIX.

Quando mitior, varie terminatur?

Mitis inflammatio eſt, ſi dolor atque durities eſt moderata, ſine acuta febre. Varios vero exitus habere ſolet, aliquando critice, eryſipelate in cute oborto ſolvitur & ſenſim hac ratione diſcutitur: vel in ſuppurationem vergit; & tunc urina eſt purulenta quæ album habet & leve ſedimentum: quod ſi pure ita erumpente, urina in copia profundatur; tumor ſubſidet, veſica remolleſcit, febris imminuitur atque excrementorum exitus patet. Peſſimum eſt, quando in ſphacelum lethiferum mutatur.

CURATIO.

§. I.

Plethora ſolvenda.

Vidimus quot & quam gravia mala atque incommoda, ex dolorifico veſicæ, urethræ & vicinarum nervoſarum partium ſpaſmo, eaque ſecundum variæ indolis cauſas oboriantur. Nunc breviter etiam ſtrictimque explicandum erit, qua opportuna via ac methodo hiſce malis per convenientia remedia ſuccurrendum ſit. Quod ſi igitur ex nimia ſanguinis copia vegetæ naturæ ſenibus præſertim, qui vitam diu ſine ſufficienti corporis motu egerunt, hic morbus vel ingruit vel ſaltim verendus eſt; omnino maxima præſidii & auxilii ſpes in tempeſtiva & ſufficienti ſanguinis miſſione, erit reponenda. Idque eo magis quando ex ſubſiſtente menſium vel hæmorrhoidum fluxu, aut omiſſa & diutius aſſueta venæ ſectione vel ſcarificatione, mali cauſa ſuborta creditur: nam monente jam HIPPOCRATE *aph. 36. Sect. VI.* in urinæ difficultate *ſecare oportet internas.*

§. II.

Diluentibus temperatus mendum.

Ubi ſeri impuri, ſcorbuticis, acrioribus, ſalinis partibus turgidi, copia peccat, & ab ejus colluvie & decubitu in veſicam & partes pelvi incluſas irruente, aut à ſcorbutica purpura, quæ noſtro tempore frequentior ſubeſt, malum ſuam duxit originem; tunc vigili cura allaborandum eſt, ut ab iſtis heterogeneis impuris partibus referta ſanguinis & humorum maſſa depuretur, & nimia ſeri copia per congrua emunctoria educatur. Cui ſcopo obtinendo, diluentia temperata, ſatis larga quantitate & longiori tempore uſurpata, cujus generis ſunt acidulæ temperatiores, quæ puriori & leviori aqua ac tenero ſale alcalino imbutæ ſunt, qualem prærogativam, præ reliquis omnibus aquæ *Spadanæ* & *Selteranæ* ſibi vindicant, quippe quæ convenientiſſimæ ſunt & apprime pectoris, renum & veſicæ vitiis, ubi labem ac vitium hæ partes receperunt, ſpecifica quadam virtute opitulantur, egregie ſatisfacere poſſunt. Longe majorem vero utilitatem in purpura ſcorbutica præſtant ac fœnerantur, quando, per miſcelam cum lacte præſertim aſinino, horum fontium uſus ſuſcipitur.

§. III.

Diæta ſtricte parendum.

Sicuti vero diætæ tam in præſervando quam in curando malo primæ ſunt partes, adeo, ut, qui leges medicorum aſpernantur atque rejiciunt & arbitrio ſuo vivunt, nunquam à calamitoſis ejuſmodi malis liberari vel ſaltim levamen recipere poſſint: ita in tam diuturno morbo, ubi nervoſæ & valde ſenſibiles partes affectæ ſunt, maxime id neceſſarium eſt; eo quod levem in victu errorem, nervoſæ ſtatim partes luere debent. Sedulo itaque monendi ægrotantes, ut à cibis ſalſis, acribus, acidis, item vegetabilibus, quæ inflant, quæ adſtringunt, nec non ab omnium cereviſiarum & vini acidi auſteri potu prorſus abſtineant: moderatus vero dulcium, inprimis Hungarici, uſus, non modo non nocet, ſed egregie prodeſt. Meretur hic allegari locus ex AETIO *Serm. XI. c.* 22. de ſcabioſa veſica; *à mordacibus igitur & quæ humores acres ac ſalſiores reddunt, abſtinendum. Exhibenda autem vina dulcia, lac, & gallinæ, aut hædorum, aut agnellorum juſcula.* Et quamvis motus & exercitatio corporis, ad avertendos ejuſmodi morbos, dum & nimiæ ſanguinis multitudini reſiſtit, & liberum per vaſa humorum tranſitum conſervat, magnam vim habeat; tamen, ſi dolore & ſpaſmo affectæ partes nervoſæ imi ventris, quies magis quam motus ſalutaris evadit, qui tunc maxime nocet, præſertim ea motus ſpecies, ſub qua ſanguis magis ad inferiora pellitur, ut nimia vocis elevatio & longior ac intenſior oratio, ſuperiorumque partium agitatio, geſtatio & oneris ſublevatio.

§. IV.

In paroxyſmo ſpaſmus mulcendus.

Porro, ubi paſſio ſpaſtica cum ingenti cruciatu & mingendi difficultate urget, nihil præſtantius, clyſteribus emollientibus oleoſis, balneis atque ſemicupiis eſſe, crebriori deprehendi experientia; & idem quoque paſſim obſervata medicorum confirmant, mereturque hanc in rem legi elegans obſervatio DRAWITZII in libro *de ſcorbutico malo pag.* 153. Sunt quoque in paroxyſmo ex uſu vapores, ex floribus emollientibus & anodynis, ut ſunt flores chamomillæ vulgaris, meliloti, ſambuci, malvæ, verbaſci, millefolii in lacte decoctis, debito modo admiſſi ad partem affectam,

quippe qui leniendo & mulcendo, ſpaſmos & dolores egregie complacant. Interne vero liquor anodynus noſter mineralis, ſive ſolus, ſive cum carminativis mixtus, nec non pulveres antiſpaſmodici, ex pulvere Marchionis, ſpecifico cephalico *Michaelis*, nitro purificato, addito pauxillo croci & caſtorei, cum emulſione ſeminum quatuor frigidorum majorum propinati, reliquis certe omnibus palmam præripiunt. Et eadem hæc remedia, etiamſi inflammatio imminet & febris adeſt, locum habere poſſunt, modo doſis nitri adaugeatur.

§. V.

Si ab acri retrocedente materia, fonticuli, it. decocta proſunt.

Quando denique ex rheumatica quadam partium externarum fluxione retrocedente ad interiora, veſica morbum patitur, vidimus fonticulos brachiis inuſtos fructum non pœnitendum præſtitiſſe. Quo in caſu decoctum demulcens ac leniter diaphoreſin ciens, ex radice ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, chinæ, raſura cornu cervi, radice glycyrrhizæ, graminis, cichorei, ac ſemine fœniculi concinnatum, nec non liquor noſter anodynus mineralis cum ſpiritu bezoardico *Buſſii* permixtus, nunquam fruſtra adhibentur.

§. VI.

Mictus cruentus.

Si mictus cruentus in veſica ortus, ſpaſticæ veſicæ affectioni jungitur, vel exulceratio ſupervenit, externe diſcutiendi & roborandi fine aquam vulnerariam, *l'eau d'arquebuſade*, vulgo dictam, pubi & perinæo, haud fruſtraneo ſæpe effectu, applicari juſſi, vel ſacculos ex mentha, meliſſa, foliis myrthi, lauri, floribus roſarum, chamomillæ vulgaris & Romanæ in vino rubro decoctus crebrius externe veſicæ regioni apponi curavi. Interne vero, ne ſanguinis grumi in veſica forte relicti cum muco tartareo ibi hærente coire & calculum producere queant, commodiſſime, abſtergentia & traumatica leniora, quæ inter eminent virga aurea, alchymilla, ſummitates hyperici, millefolii, radix caryophyllatæ, altheæ, glycyrrhizæ, ficus, cetera, ſub infuſi vel decocti forma, cum primis ſi hæc ipſa, melle Pruſſico, vel ſyrupo è dialthea *Fernelii* probe edulcorentur, in uſum vocari poſſunt: ſicuti non minus decoctum *Foreſti*, item ſperma ceti, ſanguinis grumis in veſica hærentibus reſolvendis remedia aptiſſima præbent.

§. VII.

Abſceſſus aperiendus.

Quando inflammatio in abſceſſum, qui ex ſymptomatum exacerbatione & ſenſu quaſi ponderis in perinæi & pubis regione dijudicatur, abiit; ut ille mature aperiatur & pus è veſica derivetur neceſſe eſt: diutina enim mora acrius ſemper hoc redditum, vicinas partes arrodit, ſimilique modo afficit atque exedit, fiſtulas aliaque peſſima ſymptomata introducit. Ad quod gravius malum avertendum, injectio lactis tepidi, cum ſpeciebus emollientibus cocti, tentanda eſt, ac ſi parum illa proficiat, ultima ſpes in operatione chirurgica eſt reponenda, quæ per cultrum in eo perinæi loco, ubi ſectio calculi, cum magno quem vocant apparatu, peragi ſolet, inſtituitur. Quam in rem annotationem merentur bina, quæ ex RIOLANO deſumſit exempla BONETUS *in ſepulchr. Libr. III. p. 634. ſeqq.* In fœminis res aliter cedit, neque iis hoc auxilio opus eſt, eo quod orificium veſicæ amplius poſſident & liberior ad ipſam acceſſus patet. Ulcere autem aperto ac probe expurgato, eadem quæ modo memorata ſunt in §. *præced.* remedia, erunt proficua.

CAUTELÆ.

§. I.

Sanguinis detractio, qua ratione inſtituenda.

Quando multitudo ſanguinis, ſui depletionem exigit, conſultius eſt, per venas ſuperiores primo, ob revulſionem ſufficientem, ejus copiam detrahere; altero vel tertio die, derivationis gratia aperiendæ ſedis venæ, ſi tumeſcant & promineant, vel ſi id commode non fieri poteſt, in malleolo vel poplite ſectio poteſt inſtitui. Sub habitu corporis ſpongioſiori ſanguine ac ſucci pleno, in ſexu præſertim ſequiore, ad revocandos verſus exteriora ſanguinem & humores, cucurbitulæ partibus ſuperioribus & inferioribus applicatæ plurimum utilitatis afferre poſſunt.

§. II.

Quando ea proſit.

quando noceat.

Sed monendum hoc loco eſt, quod hujuſmodi ſanguinis detractiones ubi plethora urget, in principio, ad inflammationem vel arcendam, vel ubi jam adfuerit, ad eam diſcutiendam, aut majorem impediendam multum valeant & proſint; ubi vero non ſatis eſt virium & ſanguinis, atque exulceratio præſens, plus noceant: quia virium robur detrahunt, cujus tamen præſentia ad expugnandum & ſolvendum morbum impendio eſt neceſſaria.

§. III.

Purgantia fugienda.

In omnibus veſicæ doloribus & ſpaſmis, à quacunque etiam cauſa proficiſcantur, validiora purgantia nunquam exhibere convenit, neque in principio, neque in progreſſu: metuendum enim eſt, ne exagitati humores ad partes afflictas magis impellantur & præcipitentur. Remittente vero dolore & ſpaſmo, atque morbo inclinante, alvum ſolvere, & inteſtina à ſtercoreis ſordibus, quæ per dolores & ſpaſmos plerumque retinentur, liberare, utile omnino, imo neceſſarium ſubinde eſt. Sed benignioribus id ſemper præſtandum erit; cujus generis ſunt mannata, rhabarbarina, ſyrupus roſarum ſolutivus, cum ſero lactis vel lacte aſinino propinata.

§. IV.

Clyſterum uſus proficuus.

Ad ſpaſmorum ferociam mitigandam præter externa linimenta & fomenta, clyſteres ex lenientibus & emollientibus conflati, ſunt injiciendi, eo quod blando ſuo calore ac tepore rigidas ſpaſmo afflictas vicinarum partium fibras molliendo & relaxando, inſigne dolorum ſolatium atque allevamentum afferant, ſed exigua quantitate, ne comprimantur inde veſicæ parietes, applicandi erunt.

§. V.

In exulceratione veſicæ Carolinæ nocent.

Ubi ingens veſicam & ei connexas partes corripuit exulceratio, quæ ex copioſo viſcidæ materiæ ſedimento, & lenta quadam vires & carnem depaſcente febre apparet; ab interno & largiori *Carolinarum* uſu abſtinendum eſſe, ex damno, quod inde emerſit, maximo didici: ob ſtagnantem enim aquam & corruptio & febris intenditur.

§. VI.

Injectiones.

Injectionibus anodynis, ad temperandam humorum acrimoniam, neque minus ad efferatos dolores ſopiendos, commodus utique locus concedendus. Parari illæ poſſunt ex albumine

ovo-

ovorum no. IV. conquaſſato & in aquam redacto, addendo lactis fœminini uncias duas, butyri recentiſſimi drachmam: vel etiam emulſio artificialis ex ſemine cucurbitæ, papaveris albi, aqua florum ſambuci, roſarum & ceraſorum nigrorum concinnari in talem uſum & finem poteſt.

§. VII.

Acria vitanda. Ab omnibus diureticis, acrioribus in ſpaſtica hac affectione maximopere abſtinendum: nam ubi viæ urinariæ exulcerationem paſſæ ſunt, ab adhibito eorum uſu dolores & ſpaſmos exacerbari atque longe crudeliores reddi, nullum eſt dubium.

§. VIII.

Anodyna. Ubi dolores ſunt vehementiſſimi atque exinde gravia metuenda ſunt ſymptomata, anodyna quæ valide dolorum ſævitiam compeſcunt, ne vires nimium frangantur & febris cum urinæ difficultate augeatur, vel amentia provocetur, uſui poſſunt eſſe. Et vidi à trochiſcis de alkekengi ad drachmam dimidiam pro doſi ſumtis, ægrotantes inſigniter ſublevatos. Cavendum tamen maximopere ab eorum uſu eſt, ubi ab ætate ſenili, ab affectu animi, mœrore præſertim, virium adeſt proſtratio.

ENARRATIONES MORBORUM.

Observatio I.

Spaſmus veſicæ diurnus funeſtus. Vir circiter quadragenarius, cauſarum patronus, per aliquot jam annorum ſpatium, immanes plane ac intolerabiles dolorum juxta pectinem & pubem, cum ſumma urinæ difficultate & quandoque ſuppreſſione, vigilia, virium defectione, extremorum frigore, & tremore, per intervalla paſſus eſt cruciatus, ut ſæpius ad deſperationem adactus, vitæ ſibi finem propter atrociſſima tormina, gladio procurandi ſatius duxerit. Tormenta hæc per aliquot hebdomades aſſidue affligebant, poſtea remittebant, quamvis non prorſus ceſſarent, ita tamen ut officio ſuo quadantenus fungi potuerit; dein poſt unam vel alteram, eodem inſultu revertebantur. Urina pauca & turbida effluebat, viſcidum deponens ſedimentum. Cumque per aliquot annos hoc malo affectus eſſet, viribus tandem conſumtis, in quadrageſimo ætatis ſuæ anno obiit: omnes per totam civitatem in auxilium vocaverat medicos: quorum alii cauſam tam immanis cruciatus in veſicæ calculum; alii in ejus ulcus rejiciebant. Sed aliud longe partis affectæ poſt mortem docuit ſcrutinium; veſica quippe integra, omni vacans inflammatione, fuit inventa, nec veſtigium ſabuli aut calculi in eà repertum. Ipſa vero veſicæ membranacea ſubſtantia præter naturam valde craſſa & denſa erat, copioſis amplis ac diſtentis ſanguiferis vaſis, quorum nonnulla calami ſcriptorii capacitatem æquabant, obſita, & ſanguine craſſo & atro repleta.

Epicriſis.

Dolor & ſpaſmus partium nervoſarum atque membranacearum, ab humore vitioſo, vel intra cavitatem, vel in ipſa textura & compage tunicarum nerveo-fibroſarum hærente progignitur. Poſterior cauſa, quanquam minus à medicis uſque eo fere cognita, atque in eorum ſcriptis ta-

cta ſit, frequentiſſima tamen: teſtante id inter alia, cardialgia, dolore ilei & coli ſpaſmodico, à ſanguine intra tunicas ventriculi & inteſtinorum nervea ſtagnante ſubortis. Simili ratione, in veſica, quæ ex meris tunicis & membranis nerveo-muſculoſis, ſubtilis ſenſationis conſtat, à ſanguine intra vaſa nimium congeſto & nerveas partes divellente ac diſtrahente, vehementem ſuboriri poſſe ſpaſmum, non modo vero eſt ſimillimum, ſed & ſectio in præſenti caſu inſtituta, id luculenter apertum reddidit. Neque mirandum eſt, quod calamitoſi hi interdum cruciatus inducias egerint & ad tempus quieverint, hoc videlicet contigit, quando ex variis cauſis ſanguinis ad veſicam appulſus quodammodo diminutus & retardatus fuit. Medicamenta, quæ ad dolores levandos, ad acrimoniam humorum obtundendam, ad exulcerationem mitigandam; ad urinæ fluxum provocandum fuerunt exhibita, ſupervacanea & nullius uſus fuiſſe, jam quiſque ſagacioris ingenii & judicii medicus ex facili intelliget.

Observatio II.

Spaſmus veſicæ, ex materia podagrica retropulſa. Vir generoſus, militum præfectus, LX. & ultra annorum, podagricis doloribus ſubinde vexabatur, & complures ante annos, fluentes habebat hæmorrhoides, quæ tamen per magnum temporis ſpatium ſiluerunt. Autumno dolere incipiunt pedes cum ſpaſticis tractionibus: ſed is minime hæc curans, iter aliquot milliarium, ſub cœli temperie valde humida & frigida ſuſcipit. Dolores quidem evaneſcebant, ſed poſtea incidit in mingendi difficultatem cum ardore & dolore circa pubem & radicem penis, virium dejectione & conatu ad vomendum, alvo obſtipata, horrore artuum & æſtu intercurrente intenſiori junctam. Ego in conſilium accitus, venæ ſectionem in pede, quum per integrum fere annum eam neglexiſſet, ſuaſi. Interne pulveres diaphoreticos, nitroſo-cinnabarinos, item liquorem anodynum cum ſpiritu Buſſii remixtum, ad tranſpirationem placidam promovendam exhibui. Exterius regioni dolenti linimentum applicari juſſi, ex aqua Anhaltina, camphora, croco, oleo nuciſtæ expreſſo & pauxillo opii compoſitum; nec non, ad alvum aperiendam, clyſteres emollientes, ex floribus anodyna quadam virtute imbutis, injiciendos curavi. Et intra ſeptem dies, morbo per copioſiorem ſudorem ſoluto, ſanitati fuit reſtitutus.

Epicriſis.

Hanc urinæ, cum ſtranguria & febricula, difficultatem, ab humore ſeroſo acri, qui pedum digitos obſidebat, retropulſo, ſubortam dijudicavi, & rheumatiſmum eryſipelaceum veſicæ ſubſtantiam occupantem pro cauſa agnovi. Eaque propter ejuſmodi remedia cum intrinſecus tum externe uſurpanda duxi, diſcutiendi quæ pollent facultate, & quæ cum inſigni alias fructu in eryſipelate affectis tutiſſima & convenientiſſima deprehendi. Ex quo, praxeos medicæ fundamentis initiati diſcere poſſunt, quantum interſit, ad expeditam & felicem ſanationem morbi conficiendam, veram ejus cauſam inveſtigare, & ſtatim inter initia, ad eam amovendam congrua & idonea remedia in uſum advocare.

Observatio III.

Spasmus vesicæ, à materia scorbutica purpuracea retrocunte.

Theologus magni nominis hujus loci sexagesimum ætatis annum supergressus, sanguineæ constitutionis, vitæ sedentariæ, lucubrationibus & mentis fatigationibus nimium deditus, doloribus subinde gravativis & pressoriis circa os sacrum & regionem pubis corripiebatur, atque tum maxime, quando sermonem sacrum alta voce diutius paulo protraheret; qui, corpore quiescente & sanguine misso, quodammodo remittebant. Purpura scorbutica sæpius eum afflixit, tandem in gravem primum per intervalla dysuriam incidit, cum horrore & febricula alternante, & ingenti circa pubem dolore. Demum superveniebat paresis manus dextræ: quæ quamdiu perstitit, remissior fuit dysuria; illa vero evanescente, atrocior vesicæ spasmus & dolor cum assiduo urinam mittendi stimulo illico repetebat. Duravit hoc malum per aliquot septimanas. Varii generis tentata à medicis remedia. Missus aliquoties intra morbi decursum, è pedis vena, sanguis: sed citra fructum. Tanta enim doloris & spasmi in pube & pectine secuta est atrocia, ut appetentiam ciborum, somnum & vires penitus dejiceret, atque urina pauca & cum summa difficultate effluereret, purulentæ quippiam materiæ continens. Inducias quandoque dolores agere videbantur:, sed mox redierunt. Tandem vesicæ inflammatione, ex parte exulceratione, febreque acuta purpuracea supervenientibus, vitam cum morte, non sine summo totius civitatis luctu commutavit.

Epicrisis.

Quando in hac gravis morbi historia enarrata phænomena & circumstantias probe rationi subjicimus, & paulo attentius consideramus; abunde constare arbitror, causam funesti hujus mali neque in vesicæ calculo, neque in humore acri intra cavitatem vesicæ detento, sed in decubitu sanguinis serosi scorbutici intra membranas ejus delitescentis esse quærendam & constituendam: quem postea inflammatio cum febre acuta & purpuracea exitiosa insecuta est. Mea quidem sententia nullum dubium supersest, quin à purpura retrocedente, ob incautius paulo, intra morbi hujus decursum subinde admissum frigus, & crebrius celebratam venæ sectionem, quæ difflationem humoris morbifici per extimam cutim valde moratur, vis morbi multum increverit. Placet vero hoc loco similem quandam notatu dignam observationem, M. N. C. insinuatam, adjicere, quæ abunde docet, à sero impuriori intra vesicæ tunicas stagnante lethales fieri posse vesicæ inflammationes. Ita enim legimus, *Dec. II. ann. VII. observ.* 143. quendam sanguineo-cholericæ constitutionis à juventute stranguria afflictum, increscente ætate commissisque in diæta erroribus, frequenti ac dolorifico paucæ & pallidæ urinæ, singulis fere vel vix dimidiæ horæ quadrantibus cruciatum fuisse mictu, una cum tenesmo. Quod malum postea-quam ultra annum frustra omnibus datis durasset, octo ante obitum hebdomadibus accessisse in urina reddenda impedimentum, brevi tamen iterum cessans, intumuisse, doluisse pedes, ac erupisse passim in dorso & pedibus pustulas, cum ardore, subsequente spontanea ruptura, exulceratione, tandemque leniori quasi gangræna. Mature quidem topicis hæc fuisse abacta, in regione pubis autem intensissimum dolorem subsecutum tam incredibilem, ut æger ejularet, mens alienaretur, paralysi latus sinistrum afficeretur, tandemque motibus convulsivis ipsa mors accederet. Exemta post mortem vesica, interius totam nigricantem conspectam fuisse, sphacelatam, sine ullo tam sabulo quam calculo.

Observatio IV.

Dolor vesicæ, ab oneris elevatione, ex terrore accedente, acutissimus redditur.

Honesta fœmina, in urbe vicina degens, quæ annum superavit quadragesimum, mediocris staturæ & sanguineæ ut vocant complexionis, menstruorum fluxum ordinatum persentiit, venæ sectionem etiam aliquoties admisit; aliquot abhinc menses, supra vires aliquoties facta onerum elevatione, insignem gravativum instar ponderis circa regionem pubis & os sacrum percepit dolorem; quo præsente menstruus etiam fluxus parcior. Demum ex terrore accedente, spasmus ad inguina acutissimus redditus est, ita ut, ægra id ipsum fatente, longe superaret dolores, quos fœminæ in partu etiam laborioso sustinere debent, cum summa urinam emittendi difficultate & continuo meiendi & desidendi desiderio stipatus. Excepta urina crassum semper deposuit sedimentum, fibrosis quibusdam moleculis in ea natantibus. Ciborum periit appetentia, atque somnus, ob urgentem urinæ stimulum, difficilis & interpolatus. Auxilium à me petiit. Ego sanguinem ut in brachio mitteret, & loco cerevisiæ decoctum ex speciebus emollientibus & leniter carminativis biberet, auctor fui. Interdixi autem vinum Rhenanum, & ut in quiete corpus servaret suasi: liquorem quoque anodynum nostrum cum croci essentia mixtum, ad usum internum commendavi: neque minus infusum Theiforme, quod herbam veronicæ, virgæ aureæ, flores malvæ, summitates millefolii, radicem altheæ, eryngii, glycyrrhizæ, nucistam & semen fœniculi habebat, mane hauriendum præcepi. Dedi quoque consilium, ut vesicæ regioni frequenter epithema, quod ex vino rubro cum floribus lavendulæ, chamomillæ Romanæ, sambuci atque rosarum rubrarum decocto, parabatur, applicaret. Hæc quidem usurpavit ægra, & quamvis nondum ex toto malum fuerit depulsum, levamentum tamen eam exinde recepisse mihi rescriptum est.

Epicrisis.

Affectus qui ex læsa vesicæ substantia oriuntur, præsertim si per aliquod jam duraverint tempus, curatu non tam faciles sunt ac esse forsan putantur. Possunt tamen opportunis adhibitis remediis mitigari, ut per plures annos trahere adhuc vitam, licet cum molestia, possint hoc vitio laborantes: cum alias incauta victus ratione, vel importuna per medicamina tractatione, lethalem facile eventum sortiantur. Perquam enim ardua & difficilis res est, vasa vesicæ sanguinea, à fortiori impetu & appulsu sanguinis in eadem, nimium relaxata, ad pristinum tonum reducere, & motus naturæ aliquoties eo directos avertere. Ex hac porro morbi historia illud in usum convertere possumus, quod à sola causa externa, videlicet corporum gravium sublevatione & gestatione, in sanguine abundantibus, impetuosa ad partes inferiores in abdomine contentas, quæ quo nobiliores & sensibiliores eo gravius

vius luunt, ſanguinis enaſci queat congeſtio; quæ certe multorum, niſi cita ope ſuccurramus, funeſtorum ſymptomatum fons atque origo evadit. Neque ullo modo mirandum eſt, congeſtionem illam in noſtro caſu vehementiores turbas excitaſſe, quum terror ſupervenerit, cujus ea indoles ac facultas eſt, ut univerſam humorum maſſam, motu vitæ plane contrario atque infenſiſſimo, ab exterioribus ad interiora cogat atque repellat.

Observatio V.

Urinæ ſuppreſſio ex gonorrhœa.

Vir annorum XXXVII. ſanguineo-cholerici temperamenti, habitus corporis macilentioris, prima ſtatim in juventute, Veneri atque Baccho hoſtias aſſidue litaverat, lauto inſuper uſus vitæ & victus genere: ſanus alias atque robuſtus, niſi quod aliquoties gonorrhœam dignam factis mercedem deportaverit, quæ ſemper brevi fuit ſanata. Ante aliquot annos, improviſo quodam horrore & frigore cum alternante æſtu corripitur, ac inde in totalem incidit urinæ ſuppreſſionem. Medicus calculum veſicæ ſubeſſe ratus, ſuaſit balneum, & tincturam ex cantharidibus præbuit; ac applicato cathetere reſtitutus urinæ fluxus. Exactis tribus menſibus, idem malum reverſum eſt, idque aliquoties. Poſtea alterius medici conſilio uſus eſt, qui ordinavit emulſiones refrigerantes & antiſpaſmodicas, quibus uberior & liberior redditus urinæ curſus. Anno abhinc prior morbus denuo cum horrore, frigore, alternante æſtu, & totali urinæ ſuppreſſione repetiit. Meam vero opem non modo ob præſens malum, ſed etiam ob impotentiam qua laborabat, popoſcit. Ego infuſum Theiforme, pulverem antiſpaſmodicum, & mixturam ex tinctura tartari, liquore anodyno & balſamo Peruviano commendavi: quibus naturalis urinæ fluxus reſtitutus. Poſtea urinæ non penitus quidem ſuppreſſa, ſed fili tenuiſſimi inſtar, prævio ſemper horrore per certa intervalla prodiit. Semen quando vult ejaculari, ad orificium urethræ ſubſiſtit, poſtea ſenſim exſtillat & induſium madefacit. Notabile adhuc, quod urina ſubſiſtat prius, dein cum impetu prorumpat, præcedente ſonitu, *als wenn eine Rübe zerbrochen würde.* Sanatus fuit, diuturno per aliquot menſes fontis *Selterani* uſu, pro potu ordinario. Et ad alvum laxandam quæ ſæpius erat ſtricta, pulvis magneſiæ cum arcano duplicato & nitro mixtus conduxit.

Epicriſis.

A gonorrhœa venerea perperam & nimis cito curata, ego in praxi mea, morbos veſicæ & vicinarum partium poſt longum ſæpius tempus demum ſucceſſiſſe, multoties obſervavi. Et ratio ex anatomicis quam facile petenda eſt. Notum enim eſt glandulas proſtatas, quæ plerumque ſedem gonorrhœæ conſtituunt, collo veſicæ, adeoque ejus ſphincteri & urethræ principio eſſe annexas. Quod ſi itaque hæ glandulæ vel nimium relaxatæ & tumefactæ, aut ſcirrhoſæ, comprimunt veſicæ collum, vel acrem exſudantes humorem ſphincterem & urethram ſpaſmo ac dolore afficiunt, mictum difficilem & ad tempus penitus ſuppreſſum, imo interdum cum dolore & ſpaſmo conſequi, minime mirandum eſt. Et tale vitium quoque in præſenti caſu, dictis partibus inhærere, ſymptomata ſatis perſpicuum reddunt: nam propter compreſſum veſicæ collum, ejaculatio ſeminis non modo impeditur, ſed & urina tenuis quaſi filum prolicitur, & quandoque ejus fluxus penitus intercipitur; quod ſi vero, ob molem tandem prorumpit, orificium urethræ cum vi aperitur: unde talis ſonitus, qualis in caſu enarratur, emergit. Ego pro potu ordinario fontem *Selteranum* ſuaſi, cujus eximiam virtutem ac facultatem in renum & veſicæ morbis, ad leniendos dolores & ſpaſmos, urinæ fluxum promovendum, canales obſtructos aperiendos, atque mucum viſcidum detergendum non ſatis dilaudare poſſum. Et quoniam in gonorrhœa inveterata, & in morbis veſicæ & urethræ ex hac prodeuntibus, per aliquot exempla, mirabilem thermarum Carolinarum potum, & earum aquæ ſalutiferæ in membrum injectionem crebriorem, deprehendiſſem; non dubitavi ejus uſum & fructum de meliori commendare.

Observatio VI.

Vehemens veſicæ dolor, è gonorrhœa perverſe curata.

Quondam in Principatu Halberſtadienſi me conſulebat magnæ dignitatis vir quinquagenarius, ſanguineæ complexionis ac venæ ſectionis oſor, ob inſanos & immanes fere ſpaſmos & dolores, quibus, præſertim Borea flante, in pube, perinæo & radice penis torquebatur. Juncta ſimul aderat urinæ difficultas, ſtranguria alvique pigrities, cum horrore extremorum, atque vigilia. Remittebant ſæpius hi dolores ad tempus, poſt revertebantur majori vel minori impetu. Quum morbi hujus pertinacis & infeſti primam inveſtigarem originem; accepi, Dn. ægrotantem aliquoties in juventute laboraſſe gonorrhœa; quæ quidem à chirurgis curata, ſed ab eo ſtatim tempore, difficultatem in urina emittenda, cum ſenſu conſtrictionis circa has partes ipſum percepiſſe. Ipſe jam à multo tempore, propter continuas in officio occupationes, vitæ ſedentariæ nimium indulgebat: nihilo minus data occaſione, qua crebro utebatur, vinum liberaliter bibit, à victu quoque duro & infumatis carnibus, quibus aſſuetus erat non abſtinuit. Ad levandos dolores, ſe nihil melius & efficacius inter omnis generis remedia deprehendiſſe referebat, ac juſcula, in quibus herbæ emollientes, ut parietaria, malva cum floribus atque althea decoctæ erant; quæ etiam cum aqua calida infuſa, & cum ſyrupo dialtheæ Fernelii edulcorata, inſigne allevamentum tulerunt. Ego, morbo & ejus cauſis probe in examen vocatis, eum vix eſſe ſanabilem, propter magnam læſionem in veſica & ejus collo, edixi. At quia urina lentum viſcidum ac arenoſum deponebat ſedimentum, vel jam rudimenta calculi præſentia, vel futura, ipſi præſagium feci. Ut itaque morbi ferociam leniret & à gravioribus veſicæ morbis ſe præmuniret, interdixi cibos ſalſos & infumatos, omneque cereviſiæ & vini genus; ac ut fontem *Wildungenſem*, quem jam olim uſurparat, pro potu ordinario biberet, balneis frequentius uteretur ex aqua dulci, decocta memorata ex emollientibus continuaret, ad roborandum vero imbecillum ventriculum, qui perpetuus fere continuorum dolorum comes eſt, vini Hungarici optimi & recentioris hauſtulum intra cibos ſumeret, ac intra menſis ſpatium, pilulis ex pulvere rhabarbari, extracto rhabarbari & therebinthina Veneta paratis, alvum ter minimum ſubduceret, auctor fui ſuaſorque. Quibus

bus monitis, vir ſumme prudens quum obtemperaret, ad ſexageſimum & tertium annum, nunquam tamen ab omnibus doloribus prorſus immunis, vitam protraxit.

Epicriſis.

Gonorrhœa ex impura venere contracta, quo familiarior juvenili ætati eſt, eo minus recte ejus ſanatio ſuſcipitur; quia affecti non periti & circumſpecti medici conſilio, ſed chirurgorum ope uti conſueſcunt, qui fluxum plerumque adſtringentibus nimis cito compeſcunt; ex quo fit, ut vel ſtatim in graviora incurrant mala, vel diſpoſitio quædam prava in locis affectis relinquatur: quæ demum in provectiori ætate, concurrentibus aliis erroribus ſeſe exerit, atque variis pathematibus ac vitiis præſertim circa veſicam manifeſtat. Nam, poſt quinquageſimum annum, lentior ac difficilior incipit fieri ſanguinis in partibus inferioribus & extremis, ut ſunt, quæ in pelvi jacent, per venas recurſus & reditus; præſertim in ſanguineis qui vitam ſine motu & exercitatione, atque in occupationibus agere debent. Quando itaque ſanguis non exitum habet, neque per ſedis venas, neque per artificialem evacuationem; in veſica & vicinis partibus imbecillioribus facile ſubſiſtit, & nimium ibi collectus, propter vehementem tunicarum nervearum diſtractionem & divulſionem, graviores excitat ſpaſmos ac criſpaturas ſphincteris ac urethræ; qui difficultatem meiendi relinquunt. Urina autem mingitur turbida & viſcoſa, non aliam ob rationem, quam, quod à ſtagnante intra veſicæ ſubſtantiam ſanguine, humor inſtar albuminis ovi viſcidus magno niſu exprimitur, ſimili ratione, ac fieri ſolet in hæmorrhoidibus quæ vulgo vocantur albæ; qui mucus poſtea cum partibus tartareo-terreis urinæ paulo diutius in veſica detentæ commixtus, calculos quam facile in veſica procurat, & non raro ejuſmodi affectibus quo laboravit noſter patiens adjungitur, niſi congrua vitæ, diætæ, & medendi ratione id præpediatur. Quod vero ſæviente Borea ſpaſmi & dolores partium internarum ingraveſcere ſoleant, ventis vero ex contraria plaga flantibus miteſcant; id à nobis ſæpius animadverſum eſt: & quanta vis ac poteſtas ſit ambientis atmoſphæræ, quæ, à ventis, teſtante Barometro, mirifice modulatur, partes corporis noſtri maxime nervoſas diſtendendo ac ſtrictiores reddendo, inde luculenter demonſtratur.

Observatio VII.

Spaſmus veſicæ, in vitæ ſedentariæ addicto, funeſtus.

Clariſſimi nominis vir, magnus literator, ſexagenario major, ſanguineo-melancholici temperamenti, qui continuis lucubrationibus, mentis laboribus & ſedentaria vita maximam ſuæ vitæ partem peregit, ante tres annos mingendi difficultate, cum ponderis cujuſdam preſſorio ſenſu in regione inguinali corripitur. Urina non modo viſcidum ſedimentum, ſed multa concrementa calculoſa cinericei coloris depoſuit. Quæ ſymptomata, ſuccedente tempore, ſemper propter dolorem & ſpaſmum, iſchuriam, dyſuriam, urinæ incontinentiam, ani procidentiam & teneſmum, vigiliam quoque, ſequentes per annos increſcentia, ita vires ejus paulatim attriverunt, ut ſexageſimo ſexto ætatis anno extremum ſpiritum reddere debuerit.

Epicriſis.

Morbos qui veſicam infeſtant, ut ſunt calculi, exulcerationes, mictus cruentus, dyſuria, ſtranguria, recte & perite ſatis, primis artis noſtræ conditor Magnus *Hippocrates* inter ætatis ſenilis affectus retulit. Ad quorum generationem difficilior ſanguinis regreſſus, tum per venas hæmorrhoidales tum per hypogaſtricas, ſedentaria & motus expers vita, ſanguinis interniſſa detractio, & impuri ſeri viſcidi tartarei, ob excretiones per cutim, urinam, ſub hac ætate labaſcentes, cumulatio multum omnino conferre poſſunt. Sed hos morbos, ſi ingruunt, difficilioris ſanationis imo inſanabiles eſſe, graviſſimus idem Auctor pronunciat. Placet nobis hunc in finem ex M. N. C. *Dec.* II. *an.* IX. ſimilis argumenti caſum adducere, cui ſimul anatome eodem morbo defuncti annexa proſtat. Fuit autem Matrona ſexagenaria, per viginti annos vidua, ſanguinei temperamenti, quæ à deambulationibus plane abſtinens, ſedentariam ſolitudinem quærens, ob mœrorem lacrymis ſeſe fatigans, doloribus ad os ſacrum, pariter ac colicis afficitur, aliquando & ſtranguria; dein etiam pedum tumore: hinc magis motu corpus deſtruitur. Ingraveſcente ad os ſacrum malo calculos ad piſorum magnitudinem cum ſabulo egerebat: tandem viribus fatiſcentibus, appetitu debilitato, cruciatibus ſtranguriæ gravioribus, & accedente teneſmo, parum ſabuli cum fœtido & purulento muco excreto, placide animam exhalavit. Aperto corpore intus veſica rugoſa & ad magnitudinem pomi contracta conſpiciebatur, & non tantum ulcerata interior ejus tunica, ſed vaſa etiam nigra in ipſa prominentia ſe offerebant, urethra nimis ampla ut manubrium cultri anatomici promte trajici poſſet, veſica fellis colore inſtar rob ceraſorum cum calculis minutis nigerrimis conſpectui ſe prodidit.

Observatio VIII.

Spaſmus veſicæ, ex ſpiritus vini &c. abuſu ortus, funeſtus.

Incidit in memoriam caſus, quem, ante quinquaginta propemodum annos, cum Mindæ Weſtphalorum ut Phyſicus Provincialis medicinam facerem, annotavi. Vir erat ſexagenarius, qui, cum ob copioſi ſpiritus vini ingurgitationem & victum duriorem, vitamque otioſam, rheumaticis & nephriticis doloribus plures per annos obnoxius fuiſſet, tandem in febrem lentam cum mictu difficili quandoque purulento dolore gravativo & ardore in lumbo ſiniſtro ſtipatam incidebat. Corpus macie erat conſumtum, & vires in dies decreſcebant. Tandem intolerabilem circa regionem pubis paſſus eſt cruciatum, cum totali fere urinæ ſuppreſſione junctum. Ad quem ſublevandum, neque externa neque interna probatæ virtutis anodyna & diſcutientia remedia quicquam opis contulerunt. Ex quo factum, ut viribus pæne omnibus dejectis, exacto aliquot hebdomadum ſpatio diem ſupremum placide ſubiverit. Conceſſa à cognatis defuncti corporis ſectione, renem ſiniſtrum ulcere penitus conſumtum & exeſum inveni, in pelvi autem inſignem, aliquot unciarum, craſſi, fœtidi puris copiam conſpexi, veſicæ tunicis valde laceris atque arroſis. Dexter ren ſatis erat magnus, cujus ureter inſtar pollicis diſtentus: ventriculum valde parvum & contractum, eo quod ultimis diebus nihil aſſumſerat, deprehendi.

Epicri-

Epicriſis.

Ex diſſectione hoc affectu defuncti cadaveris, id diſcere & animadvertere licet, ſæviſſimum veſicæ dolorem & ſpaſmum cum urinæ ſuppreſſione, à cauſa externa, purulenta nempe materia, quæ ex eroſa renum ſubſtantia in inferiorem veſicæ ſedem deſcendit, nerveas membranas extrinſecus corrodendo, contingere poſſe. Lethalis vero iſchuria ex eo ſecuta fuit, quod non modo collum & ſphincter veſicæ ab acredine materiæ hujus purulentæ conſtrictus, ſed etiam ab urinæ copia compreſſus fuerit: unde factum, ut uſus catheteris immiſſi plane fuerit fruſtraneus. Atqui hic recordor ſectionis nobilis aulici ante viginti fere annos inſtitutæ, qui gladio vulneratus ex lethali iſchuria, per decem fere dies durante, *Dælitii* quæ eſt civitas Miſnienſis, ſub ſummis dolorum tormentis animam efflavit. Reperimus, abdomine aperto, in cavitate pelvis uncias aliquot ſanguinis coagulati, qui paulatim ſenſimque ex vulnere non adeo inſigni vaſis ſanguinei in omento ſtillavit in ipſam pelvim, & valde comprimendo veſicæ collum, non modo vehementiſſimos dolores, ſed etiam urinæ ſuppreſſionem inſanabilem reliquit.

Notabiles adhuc extant caſus in *conſult. medic. ſect. III. caſ. XC. XCIII.*

CAPUT VIII.

De doloribus & ſpaſmis externarum partium rheumaticis & arthriticis.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Quid arthritis veteribus fuerit?

VEteres medicorum omnis generis dolores, qui vel externas partes muſculoſas, vel oſſium juncturas & articulationes infeſtabant, arthritidis nomine comprehenderunt atque ſic in monumentis ſuis propoſuerunt, ignorato vocabulo rheumatiſmi. ARETÆUS *lib. II. cap. XII.* de arthritide ita ſcripſit: *quibuſdam in omnem corporis ambitum vagatur, & demceps tranſitus quoque in dorſi thoraciſque muſculos fit; incredibile eſt quam late malum ſerpat: vertebræ dorſi cerviciſque dolent & in ſummo ſacri oſſis dolor inhæreſcit, & paulo poſt cum renibus & veſica communicatur.* Superiori vero ſeculo, Clariſſimi Galliæ medici, quos inter primas omnino partes, CAROLUS PISO, RIVERIUS, BALLONIUS, CHESNEAU, tenent, dolores, qui medios artus & muſculos cervicis, brachii alterutrius, thoracis antici & poſtici, humeros, ſcapulas, femora, manus, obſident atque affligunt, rheumaticos vocarunt. Arthriticos autem dixerunt eos, qui in articulis tantum & juncturis oſſium reſident; ita tamen, ut pro diverſitate partium affectarum differentes etiam denominationes factæ fuerint: ſi enim dolor in pedum articulis conſiſtit podagra; in manibus chiragra; in cubitu onagra; in dentibus dentagra; in vertebris dorſi lumbago; in articulationibus oſſis iſchii, dolor iſchiadicus audit. Verum noſtro etiamnum tempore, incipientem & facilius tranſeuntem arthritidem, chiragram, & podagram, rheumatiſmi nomine inſignire conſueſcunt.

quid recentiores dolores rheumaticos dixerint;

quid arthritidem?

qui pro diverſitate locorum diverſa nomina receperunt.

§. II.

Cur ſpecialiter hi affectus pertractentur?

Cum vero inſignis ratione partium dolentium, cauſarum, ſymptomatum & methodi medendi inter rheumaticos & arthriticos dolores ſit differentia, cum ſufficienti & ſtabili ratione, medicorum & ſagaciores & peritiores hos affectus ſpecialiori tractationi & explicationi ſubmittere haud dubitarunt. Neque eſt exigui in ipſa praxi medica momenti, arthritidis recentis & incipientis à vera radicata & inveterata differentia.

§. III.

Differentia rheumatiſmi,

ab arthritide.

In rheumatiſmo, muſculi cum eorum membrana communi & tendinibus ubi oſſibus inſeruntur, gravi dolore & ſpaſmo hinc inde in artubus aliiſque corporis regionibus afficiuntur; in arthritide vero ipſa ligamenta tendinoſo-nervea, quibus invicem oſſa conjunguntur & combinantur, quatenus illa perioſtio cohærent vehementius affliguntur. Sed uti in arthritide ac podagra incipiente dolor magis in ſuperficie ligamentorum hæret & urget: ita in inveterata, humor vitioſus, dolorum fomes, profundioris eſt ſitus, & ſpatium magis inter cavitates articulorum occupat. Deinceps quoque in eo differentia arthritidis veræ & rheumatiſmi conſtituenda venit, quod illa ſæpius recurrat, homines miſere exerceat, atque longiori tempore inſiſtat, difficilioris quoque ſit ſanationis; rheumatiſmus vero quandoque ſemel vel bis tantum per omnem ætatem adoriatur, neque tam diu inhæreſcat, facilius tranſeat & ſanationem promtiorem admittat. Variat quoque ſæpe ipſe dolor: nam in rheumatiſmo magis eſt tenſivus, preſſorius, gravativus cum frigore junctus, ſine conſpicuo tumore ac rubore; in arthritide vero lancinatorius, divulſorius, pungitivus & quaſi rupturam minans cum inſigni tumore & rubore percipitur.

§. IV.

Horum cauſa proxima.

Sicuti omnis permoleſtæ ſenſationis cauſa eſt humor ſive copia ſive intemperie peccans, intra vaſa minima tunicarum & membranarum nervoſarum ſtagnans atque congeſtus; qui violentia quadam eas diſtendit, vellicat, divellit, arrodit: ita etiam eandem cauſam in rheumaticis & arthriticis affectionibus locum habere extra omne dubium eſſe videtur.

§. V.

Dolores leviores, à tranſpiratione prohibita.

vel omiſſa venæ ſectione.

Pertinaciores, à diſpoſitione hereditaria,

Attenta conſtat experientia, non modo ætate florentes, juniores, ſanguineæ, & ſanguineo-ſeroſæ complexionis, ſpongioſioris corporis habitus, ab improvide admiſſo frigore, vel vento Boreali impetuoſius in partem irruente; ſed etiam plethoricos ſive fœminas, ſive viros vegetæ alias naturæ, omiſſa conſueta venæ ſectione vel ſcarificatione, poſt prohibitam cum primis tranſpirationem, rheumaticos e. g. in cervice, ſcapulis, humero, dorſo, ſterno, thorace, dolores vel levioris gradus arthritides experiri: cum natura debiles minus fibroſi & laxioris habitus, à parentibus arthriticis & podagricis geniti, & qui immoderato Veneris vel vini uſu, comeſſationibus, mentis fatigationibus & vehementioribus animi commotionibus, tono & robore valde imbecilles redditi fuere, vera profundiori & magis pertinaci

arthri-

arthritide imprimisque podagra afficiantur atque excrucientur.

§. VI.

& cum nephritide alternant.

Qui graviori præsertim inveterata arthritide laborant, ii, conquiescente hac, quam facile in nephritidem calculosam dilabuntur, & cessante hac, in arthritidem alternatim quasi recidunt: insuper quotidiana docemur experientia, arthriticos & maxime podagricos digestionis vitio plerumque laborare, & primas eorum vias ructibus, flatibus, spasmis & illuvie vitiosorum humorum, sub alvo pigriori esse turgidas: quin imo observamus plurimos podagricos esse hæmorrhoidarios, sive insultus ac motus, quamvis inaniter & sine bono successu & exitu, hæmorrhoidales experiri, doloribus in osse sacro pertinacius insistentibus & quandoque venis circa sedem tumescentibus.

§. VII.

Differunt dolores tam rheumatici quam arthritici, ratione causarum, &c.

Quemadmodum non una eademque humorum, qui dolores fovent atque ingenerant, indoles atque conditio est: ita etiam & ipsi dolores ratione gradus, genii, & symptomatum rheumatici & arthritici multum habent discriminis. Nam ubi sanguis tantum copia peccat & nondum multis impuris particulis est inquinatus, mitius solent affligere dolores: id quod in rheumatismo simplici, & incipiente arthritide plethoricorum occurrit. Longe vero gravior horum dolorum species est, quando à seri impuri & excrementitii colluvie foventur & sustentantur. Siquidem ego multoties observavi, uti in omnibus doloribus; ita etiam in iis qui partes externas & nervosas graviter afficiunt, rarius solum sanguinem bene temperatum & purum peccare, sed sero excrementitio ut plurimum esse stipatum: ita tamen, ut vel nimis sit tenuis & serosus, exigua rubicunda consistente portione refertus, vel sero viscido glutinoso tenaci imbutus delinquat; ipsa etiam excrementitia & impura salia multum ratione acrimoniæ volatilis fixæ salsæ & tartareæ in cruore differunt, quæ diversa hinc symptomata producunt: ut adeo pro dissidente inter se harum causarum natura & indole, rheumatismus non male à medicis exercitatis in sanguineum, in cacochymicum, scorbuticum, fixum & vagum, distingui possit.

§. VIII.

Hinc è vena missus sanguis differt.

Ex quo fit, ut sanguis in diversi generis doloribus è vena emissus, & ratione coloris & consistentiæ multum differat. Nam, quandoque in aquam calidam immissus multo tenaci muco ex fibris varie intertextis constante abundans conspicitur; interdum serum quod supernatat, mox instar glutinis vel corii concrescit, non secus ac in peripneumonia graviter affectis evenit; alio tempore serum valde tenue est, & sanguis coccinei coloris, quod fit sæpissime in rheumatismo vel arthritide vaga, indicio non incerto, sal ad alcalinam volatilem naturam vergens ei admixtum esse. CAROLUS PISO *in libr. de morb. ex colluv. seros. oriund. Sect. V. cap. III. p.* 433. in doloribus externi habitus massam sanguinis tanta serosa colluvie scaturisse observavit, ut sepositio in pelvi vigesima vix pars in fundo subsederit, quæ sanguinis colorem & consistentiam retinuit, reliquo liquore supernatante penitus aqueo, sed obducto pellicula viscida & alba.

in quo ratio formalis quærenda.

BALLONIUS quoque *libr. de rheumatismo*, aliquoties sanguinem, quem magna copia è brachio detraxit, impurum & in putridum serum resolutum vidit. Ego vero non semel sed multoties annotavi, quod in principio horum dolorum sanguis bonæ consistentiæ, longiori progressu, vel quando malum altius radices egit, admodum serosus, corruptus & pellicula tenaci imbutus fuerit emissus. Nam sanguis abundans primam quidem causam & originem hisce doloribus præbet, sed sub longiori morbi decursu, motu intestino calido per continuam agitationem in vitiosum serum convertitur: qua de causa ipse modo laudatus CAR. PISO, eruditissimus scriptor, omnes arthritidis & rheumatismi species inter morbos à colluvie serosa ortos retulit: id quod etiam urinæ copiosæ tenues, neque minus limosæ & turbidæ, atque copiosi fœtidi sudores, qui hisce doloribus adjungi solent, commonstrare videntur.

§. IX.

Ratio generica, ex Hippocr.

Quæstio nunc haud exigui in theoria medica momenti solvenda incidit: quomodo & qua ratione seri vitiosi à sanguine qui jugi per vasa & tubulos motu circumvolvitur, separatio, stagnatio & decubitus in partibus exterioribus nervosis fieri possit? Utut vero veterum theoria, subsidiis physicis & anatomicis plane destituta in evolvendis morborum causis ac generatione imperfectissima sit, nihilo minus HIPPOCRATES *libr. de flatib.* ratiocinio mere physico mechanico harum fluxionum dolorificarum causas & modum generationis pulchre exponere annisus est; ubi §. 13. 15. 16. meminit: sanguinem ipsa natura calidum vi coactum, per angustam viam, celerrime, propter obstacula & oppilationes, transire non posse, & hinc tenuissimum per venas excludere, atque id ipsum tenuissimum liquidum, cum coacervetur, per alios meatus fluere, & ubi tandem in loco constiterit, fluxiones & dolores in partibus fieri.

§. X.

Ex nostra sententia.

Nos vero, ut genesin horum morborum ad paulo clariorem conceptum redigamus, primo causas occasionales & antecedentes, deinceps modum quo invadere hi dolores solent spectare debemus. Jam autem per constantem & indubiam experientiam notissimum est, quod dolores artuum rheumatici incidant frequentissime in ea corpora, quæ præcedente intensiori motu, labore & exercitatione aut balneo calido vel aëre nimis fervido calefacta, inclementiori frigido cœlo, aut vento boreali subito expositа fuerunt; ubi non ita multo post, cum prævia quadam horripilatione & lassitudine, dolor gravativus pressorius & contractorius, hinc inde in partibus v. g. in cervice, scapulis, humero, dorso, lumbis, genubus vel in eo latere quod vehementia borealis venti profundius penetravit, interdum etiam in universo corpore oboritur: qui eo gravius affligit, quo corpus majori sanguinis copia turget. Ego insuper plus vice simplici observavi, permultos à largiori sanguinis per venam sectam missione, vel fœminas post sanguinis menstrui copiosioris profusionem, vel post eandem ex abortu factam, quin etiam post nimias alvi à purgantibus acrioribus vel sponte à natura inductas dejectiones, penetranti frigidæ boreali vel humido-frigidæ nocturnæ auræ ubi corpora paulo diutius commiserunt, in graves rheumaticas affectiones incidisse: idque non alia ex causa, quam

quam quod frigoris in poros corporis penetrantis vehementia, tubuli minimi venoſi, arterioſi, lymphatici, ſanguinem revehentes, & ad ſubſtantiam partium pro nutritione adducentes, compreſſi coarctati & occluſi fuerint : quo factum eſt, ut, cum ſeroſus latex vaſis ſuis amplius contineri & circulari non potuerit, inſtar fluvii ſeſe alveo efferentis, in ipſam partium ſubſtantiam modo hic modo illic magis exundaverit, ſive extra vaſa & circulum poſitus fuerit. Omnis vero humor extravaſatus, cum per ipſam moram à craſi blanda naturali deficiat & indolem plane alienam acquirat, partimque glutinoſus tenax, partim acris ſalſus evadat ; fit, ut à tenſione, compreſſione, lancinatione, & vehementi ſtrictura partium fibroſarum & nervearum moleſtiſſimi & acerrimi dolores ſæpiſſime cum frigoris glaciati ſenſu oboriantur : ſed quandoque etiam accidit, ut ſerum extravaſatum, non ſecus ac albumen ovi fieri ſolet, in tenue & corruptum liquamen quod amplius à calore fortiori non admittit coagulum, faceſſat, & ex uno loco præſertim ſuperiori ad inferiores per poroſam partium ſubſtantiam & habitum carnoſum tranſeat; nihil enim frequentius in praxi occurrit, quam quod rheumatiſmus locum ſuum mutet & ex capite in cervicem, in ſcapulas, humeros ac pectus præſertim in ætate minoribus tranſeat, in adultioribus vero in dorſum, coxendicam regionem & femora deſcendat.

§. XI.

Rheumatiſmus & arthritis vernali & autumnali tempore affligunt.

Conſtanti inſuper experientia confirmatum habemus, rheumaticas æque ac arthriticas affectiones frequentiſſime circa vernum tempus & menſe Octobris, ſub inſignibus aëris & tempeſtatum mutationibus, ventiſque repente ex contraria plaga ſe invicem excipientibus, corpora tam ſanguine quam ſero impuro plena impetere atque laceſſere, & quidem cum febriculoſa quadam commotione ſequentem in modum : Præcedit ſponta-

Eorum proceſſus.

nea laſſitudo & gravitas artuum cum extremarum partium refrigeſcentia, horripilatione & quodam rigoris ſenſu; ſubſequitur anxius internus æſtus præſertim circa præcordia, concitatior & ſtrictior pulſus, inquietudo, ſitis, inappetentia, alvi obſtructio, quandoque ſpirandi anguſtia: dolor poſtea gravis acutus vel gravativus, tenſivus, has vel illas partes occupat, qui noctu exacerbatur, non ſecus ac in febribus catarrhalibus fieri aſſolet : & utut febrilis hæc commotio alios gravius alios mitiori gradu affligat & facilius tranſeat, nihilo minus dolor in affectis partibus adhuc relinquitur, eaſque laceſſendo diutius ſæpe perſeverat. Cum vero omnis febrilis commotio ejus ſit genii & indolis, ut partes exteriores & nervoſas ſpaſmo afficiat, & tenuiſſimas vaſorum radices & apices coarctando & comprimendo, ſanguinem & humores in vaſis majoribus & interioribus accumulet, atque in corde & arteriis celeriorem ſyſtolen efficiat ; fieri aliter vix poteſt, quin cum magno impetu ſanguis in laterales arteriolarum ramos, qui ſanguinem coloris coccinei non vehunt, intruſus, tandem ſeroſam ſui extra vaſa portionem dimittat : & inde dolorum origo ſit. Sed monendum hoc loco eſt, quod dolorificæ hæ partium ſenſilium ſpaſticæ ſtricturæ non tam à ſero tenui in eas irruente, quæ pars maxime diffiatur, ſed potius à viſcidioribus ejus partibus, ſpiculiſque & aculeis ſalino-acribus relictis & intime earum poris ſe inſinuantibus proficiſcantur. Hinc etiam fit, ut non tam promte & facile, ob materiam vitioſam partibus altius impactam, hi affectus medicaminibus cedant.

§. XII.

Cauſa proxima impeditus circulus.

Ex dictis itaque luculenter conſtare poteſt, impeditum ſanguinis circulum & regreſſum per minima vaſa, proximam & evidentem cauſam ad generationem ejuſmodi rheumaticorum dolorum conſtituere : id quod clarius eluceſcere & demonſtrari poteſt exinde, quod, ut ego ipſe aliquoties obſervavi, à paulo ſtrictiori ligatura, poſt ſectam venam, ob inflictum paulo gravius vulnus in pedibus intra XXIV. horas relicta, dolor ipſos pedum & maxime pollicis articulos non ſecus ac in podagra fieri ſolet, per multos dies cum moleſtia durans invaſerit. Idem non ita pridem contingebat celebri medico, qui in ipſa ſura certas forte ob cauſas venam pertundendam curavit, ubi fortiori ligatura ob profundiorem venæ ſitum opus fuit; ſed factum exinde eſt, ut altero mane, atrox dolor cum tumore non modo ſuram, ſed ipſos quoque pedum articulos infeſtaverit, cujus per interna & externa remedia diſcuſſionem, ne deterius ſuccreſceret malum, magna cura & ſollicitudine moliri & procurare debuimus. Videmus etiam ex dictis, propinqua admodum cognatione rheumatiſmum cum morbo articulari conjunctum eſſe, huncque ſæpius ita mentiri, ut à quibuſdam arthritidis univerſalis & vagæ nomine inſigniatur : nam & hæc quandoque repente in plures irruit articulos, & ſpinæ vertebras & juncturas oſſium gravibus excruciat doloribus. Neque ignotum in praxi eſt, quod rheumatiſmus fixus ac vagus in iis qui ſæpius ac iterum eundem patiuntur, præſertim ſi aliunde debilitatem contraxerunt, in veram tandem arthritidem transformetur. Et quia hemicrania pleuritis & hepatitis ſpuria, de quibus ſupra actum, item odontalgia ſpecies rheumatiſmi ſunt, certum ac nihil dubii eſt, quin etiam earum generatio ſub iiſdem cauſis atque eodem modo procedat.

Quod exemplo illuſtratur.

§. XIII.

Rheumatiſmus omnes invadit,

Ceterum illud crebra animadverſione compertum eſt, nulli ætati, nulli ſexui rheumatiſmum parcere : quos alioquin ab arthritide fere immunes HIPPOCRATES *Sect. VI. aphor.* 29. & 30. pronunciat. Maxime vero omnium videmus, eos, quibus in juventute hæmorrhagiæ narium frequentiores fuere & dein ceſſarunt, rheumaticis eſſe obnoxios doloribus : quod itidem ab *Hippocrate lib.* II. *prorhet.* notatum eſt, ubi nos docet, quod in his, quibus circa articulos tumores & dolores fiunt, viſcera plerumque magna ſubſint, quibus in pueritia & juventute ſanguis è naribus fluere deſierit : ac proinde interrogandum eſſe admonet, de ſanguinis eruptione, factane in juventute fuerit ; item an pruriginoſæ, veluti ab urtica puncturæ vel in pectore vel in dorſo ſubſint, utpote quæ impuritatem ſeri abunde arguunt. Sed quod *Hippocrates* de hæmorrhagiis narium innuit, id intelligendum quoque eſſe arbitror de omnibus aliis ſanguinis ſalutaribus excretionibus. Nihil enim magis in praxi occurrit, quam quod fœminæ præſertim ſanguineæ complexionis, poſt quinquageſimum annum prorſus ceſſante ſanguinis fluxu, niſi tempeſtive venæ ſectionibus occurratur, vagis & gravibus hinc inde in partes irruentibus dolorum

præſertim, hæmorrhagiis ceſſantibus.

tor-

tormentis afficiantur. Neque amplius incognitum esse potest in arte exercitatis, hæmorrhoidalem fluxum consuetum, si debito modo & tempore procedit, à doloribus & rheumaticis & arthriticis viros immunes præstare posse; quibus sub ejusdem fluxus defectu vel suppressione tandem obnoxii fiunt. Neque tamen mihi ignota sunt exempla, ubi in debilitatis & cachecticis, præsente hoc fluxu nec dolores arthritici nec nephritici desierint.

§. XIV.

Qui ab his affectibus liberi?

qui iis obnoxii?

Denique quod ad generationem horum dolorum pertinet, non prætermittendum esse arbitror, eos qui corpus valide movent & exercent, qui parcius vivunt, & aquam potant, liberos plane ab ejusmodi afflictionibus permanere; cum contra qui vitam agunt otiosam, vinis & spirituosis potibus & comessationibus nimis delectantur ac Veneri intempestive & nondum matura ætate nimium dediti sunt, gravioribus rheumaticis & arthriticis doloribus crebrius exerceantur.

§. XV.

Causa ad eos disponentes.

Neque hoc loco omittendum est, quod ab aliis præcedentibus & diu inhærentibus morbis, febribus maxime intermittentibus, præsertim si male tractatæ fuerint, insignis ad hos affectus dispositio arcessatur. Ita BALLONIUS *lib. de rheumatism.* plurimos vidit, qui, quartana chronica laborantes, sub finem morbi, in graves artuum imo totius corporis dolores inciderunt. Novimus etiam doloribus ventris & colicis diu affligentibus artuum dolores vagos certis periodis infestantes satis acerbos successisse.

§. XVI.

Rheumatismus scorbuticus.

Datur etiam rheumatismus scorbuticus, in quo universa lymphæ & seri massa impuris excrementitiis salino-sulphureis acribus particulis, quæ subinde per exanthemata, maculas & purpuram sese manifestant, infecta est, atque ex prava dura salsa diæta, vita otiosa & sedentaria, familiari aëris gravidi & vappidi usura, diuturnaque tristitia, originem suam ducit: & exinde incolis regionum maritimarum solennis & frequentissimus esse solet.

§. XVII.

Venereus.

Gravior vero est rheumatismus venereus, qui horrendis dolorum tormentis, noctu præsertim intensioribus, certis nervosis partibus pertinaciter inhæresçens, eos qui ex impuro coitu, virulento & putrido miasmate universam lymphæ & sanguinis massam contaminarunt, misere excruciat. Quæ omnes commemoratæ huc usque causæ eo collineare videntur, ut serum sanguinis adaugeant, intemperatum ac impurum reddant, robur ac vires partibus solidis subtrahant, excretiones salutares imminuendo, ut postea ejusmodi seri stagnationes, fluxiones ac acerbæ & dolorificæ passiones inde resultent.

§. XVIII.

Solvuntur hi morbi per sudorem &c.

Atqui ex hisce jam clarius patet ratio, quare hi affectus salutariter copiosis urinis & sponte sudoribus obortis, nec non hæmorrhagicis excretionibus solvantur, vel cur à variis cutis efflorescentiis multum levaminis ægrotantes accipiant? quorsum pertinet aphorismus *Hippocratis* LXXIV. *Sect.* IV. *quibus spes est ad articulos futurum abscessum, eos liberat urina multa, crassa & alba prodiens, qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam exire incipit. Si vero sanguis è naribus profluxerit, brevis admodum fit solutio.* Per laboriosas vero febres nonnulli rectius rheumaticas intelligunt, quæ cum sensu doloris & lassitudinis in toto corpore accidunt. Annotatum quoque à nobis sæpius est, artuum dolores, ulceribus sponte subortis in pedibus, conquievisse, qui, postquam arte consolidata fuerunt, mox resuscitati sunt. Novimus pariter, immanes artuum dolores, oborta psora vel scabie lepræ albæ naturam habente, penitus sublatos. Nam sicut metastasis materiæ vitiosæ à partibus interioribus ad exteriores saluberrima est, ita contra, quæ ab externis ad interiora & ipsa viscera vergit est perniciosissima.

§. XIX.

Atque si rite tractentur, periculo vacant.

Affectus rheumatici, & incipientes podagrici quam diu in externis partibus versantur, neque perversa tractatione humor vitiosus introrsum ad nobiliores partes repellitur, omni vacant periculo, nec facile hominem è medio tollunt. Quemadmodum vero in primis annis, atque in adolescentia ejusmodi molestæ ac catarrhosæ fluxiones in capite, & rheumaticæ in partibus musculosis cum crebrioribus narium hæmorrhagiis insignem naturæ imbecillitatem sive tonum & robur solidorum dejectum designant: ita plures chronicas in juvenili & virili ætate, ratione caussæ & genii cum hisce affectibus correspondentes ægritudines præsagiunt, præsertim quando ex parentibus morbosis & hypochondriacis prognati fuerunt.

CURATIO.

§. I.

Indicationes therapeuticæ.

Ex hisce omnibus, quæ jam in medium à nobis prolata fuere, satis abundeque intelligi posse arbitror, totum curationis caput & methodum medendi rationalem in eo consistere, ut probe & pensiculate individui laborantis naturam, differentes causas: num incipiens sit, & à sanguinis copia & nimia mole, num à colluvie impuri seri provenerit, & jam malum radices egerit? consideremus, & secundum has circumstantias & differentias indicationes therapeuticas primum formemus, apta dein & convenientia remedia in usum proponamus.

§. II.

Venæ sectio statim in principio celebranda.

Quandocunque igitur corpus evidenter est plethoricum, & rheumatismus universalis omnes propemodum corporis artus cum febriculosa quadam motione graviter impetit atque infestat, adeoque secundum veterum scholas sanguineus est, omnino in venæ sectione & quidem statim in principio administrata, celerrimum & præsentissimum est reponendum præsidium. Id quod jam olim medicorum peritiores agnoverunt: qua de re insignis locus extat apud ALEX. TRALLIANUM qui *libr.* XI. ita scribit: *si humorem, qui in articulos confluxerit sanguineum esse suspicemur, ubi quidem nihil prohibet, vacuationem quæ per venæ sectionem adhibetur tentato: hac enim ratione multos novi aut in totum morbo liberatos aut raro fluxionibus correptos; eo, quod non neglexerint, sed veris statim initio sanguinem sibi detrahi curarint, non solum vacuandi,*

cuandi, ſed etiam præſervationis cauſa id facientes. Id quod etiam nos confirmamus: nam plures novimus, ſanguine ac ſuccis plenos, qui à cauſa externa tranſpirationem univerſalem ſufflaminante in immanes totius corporis dolores cum ſtupore & immobilitate partium repente conjecti, unice fere matura ſanguinis miſſione eaque intrepide & tuto, urgente neceſſitate, circa quartum diem repetita prorſus convaluerunt. Novimus etiam homines ſanguineo-cholericæ vel melancholicæ conſtitutionis, conſiſtentis ætatis, in dolores chiragricos & podagricos mitioris naturæ prolapſos, venæ ſectione circa æquinoctia, vel interdum etiam circa ſolſtitium æſtivum admiſſa, ab iiſdem & præſervatos & immunes redditos fuiſſe.

§. III.

Hinc in Gallia etiam valde æſtimatur.

Et quia rheumatiſmus ſanguineus in nulla regione familiarior ac in Gallia eſt, ob ſanguineam incolarum complexionem & victum copioſum ſanguinem ingenerantem; non mirum eſt, præſtantiſſimos Galliæ medicos, qui primum & optime de rheumatiſmo quicquam ſolidi & effato dignum literis prodiderunt, hoc remedii genus maximopere æſtimare ac collaudare. Ita BALLONIUS *libr. de rheumatiſm.* inquit: *laudamus impendio phlebotomiam in hoc morbo, quam ſalutare remedium eſſe teſtamur.* Pariter ac CAROL. PISO *l. c.* plurimum momenti tam in curatione, quam in præſervatione rheumatiſmi, in repetita ſanguinis miſſione ſitum eſſe affirmat, multaque notatu perquam digna in eam rem exempla ſubjungit. RIVERIUS *Cent. III. obſ.* 42. & *Cent. IV. obſ.* 42. ſeptem vicibus in juvene, atque in alio totidem inſtituta venæ ſectione, adhibitis paucis aliis remediis, contumacem rheumatiſmum feliciter abactum obſervavit. Maxime omnium vero ſpectandus LEONH. BOTALLUS primus ille venæ ſectionis in Gallia auctor, qui *libr. de curat. per ſanguin. miſſion. cap. XII.* pluribus & rationibus & exemplis confirmat, quantum utilitatis & levaminis præſentiſſimi in doloribus rheumaticis etiam repetita venæ ſectio attulerit. Ex Anglis SIDENHAMUS *in Oper. p.* 170. curationem non aliunde ac à phlebotomia petendam eſſe aſſeverat, eamque aliquot dierum ſpatio repetendam. Lectu quoque digniſſima eſt obſervatio, quæ in M. N. C. *Dec. II. an. IX. obſ.* 120. *p.* 290. extat, de rheumatiſmo univerſali, ſola venæ ſectione reiterata feliciſſime & brevi tempore curata. Multo vero magis hoc auxilii genere opus erit tam ad ſanandum, quam ad avertendum hoc malum in fœminis menſium defectu vel plenaria emanſione laborantibus, vel in viris quando conſueta hæmorrhoidum fluxio fuerit ſuppreſſa.

§. IV.

Pulveres dein diaphoretici cum aquis diapnoicis propinandi.

Præter ſanguinis miſſionem in affectione rheumatica & arthritica calida incipiente & cum febrili æſtuatione juncta, temperatiora diaphoretica cum nitroſis moderate mixta, mediocri ſed ſæpius repetita & continuata per tempus doſi oblata, ad æſtum, fervorem & orgaſmum ſanguinis temperandum, atque etiam ad humoris vitioſi lenem & ſucceſſivam diſcuſſionem æqualiter per univerſum corpus promovendam, præſentiſſimum levamen conferre & ratione & experientia ſuffulti aſſeveramus: quo in genere ceteris omnibus palmam præripiunt, pulveres ex lapidibus cancrorum, unicornu foſſili, cornu cervi ſine igne vel uſto, antimonio diaphoretico vel ejus ceruſſa, ſuccino, conchis præparatis, cinnabari, adjecta ſufficiente quantitate nitri purificati vel melius artificialis confecti, qui cum aquis diapnoicis & leni anodyna virtute conſpicuis, ut ſunt aquæ florum ſambuci, acaciæ, ulmariæ, tiliæ, ceraſorum nigrorum, cardui benedicti, mariæ, ſcabioſæ, propinandi ſunt: neque inutile, ſed valde commodum erit, ad febriles volaticos æſtus melius compeſcendos, ſucci citri quippiam, vel ad gratiam ſyrupum acetoſitatis citri in convenienti quantitate adjicere & hæc ſingula in mixturam redigere. Pro potu ordinario ſerum lactis cum ſucco citri vel cremore tartari acidulatum, aut tamarindinatum, vel aquam decoctam cum raſura cornu cervi, radice ſcorzoneræ, cichorei, glycyrrhizæ, graminis, ſemine fœniculi, commendamus.

§. V.

Quando cum venæ ſectione caute merandum?

Quandocunque vero rheumaticæ ejuſmodi afflictiones non tam ſanguinis puri & conſiſtentis copiam, ſed ſeroſi impuri plenitudinem & colluviem, in corporibus præſertim debilioribus ſeroſæ & phlegmaticæ conſtitutionis pro cauſa agnoſcunt, tunc omnino cautiſſime, præſertim in ipſa curatione cum ſanguinis miſſionibus agendum eſt. Recte hinc GALENUS *libr. VI. aphor.* 47. ſcribit: *illis, qui plenitudinis paſſionibus ſubjiciuntur, per venæ ſectionem ſuccurrendum eſſe, qui vero corruptos ſuccos in corpore fovent purgationem exhibendam*, ſeque hac ratione non modo plurimos ſervaſſe ſanos qui longo ante tempore ſingulis annis morbis caperentur, ſed & podagram & morbum articularem adhuc incipientem ex tali evacuatione multis jam annis fieri prohibuiſſe. Qui vero jam ſæpius cum hiſce fluxionibus conflictati ſunt, plus noxæ quam auxilii ex ſanguinis detractione ſunt conſecuti, præſertim, ſi corpore ſint imbecillo & frigido ac in ætate ſenili conſtituti.

§. VI.

Cura pro differentia canſarum inſtituenda.

Ex quibus jam liquido conſtare poteſt, quod veterum medicorum peritiores, differentiam dolorum maxime arthriticorum ſecundum cauſas in curando probe obſervandam eſſe animadverterint. Nam alia ratio eſt curandi rheumatiſmum vel etiam arthritidem incipientem eumque univerſalem in corpore plethorico, qui à ſanguinis præternaturali redundantia ob tranſpirationem interceptam proficiſcitur; alia medendi ratio eſt, ubi atrox dolor certæ tantummodo parti pertinaciter inhæreſcit, cum ingenti frigoris ſenſu ſtipatus & à vehementia hujus imprudenter admiſſi in corporibus ſeroſioribus excitatus: alia medendi via ineunda, quando ſtatus plethoricus longiori ſub morbi decurſu vel improvida medicatione in ſtatum cachecticum vel cacochymicum degeneravit, & parum ſanguinis boni & conſiſtentis, permultum vero liquaminis ſeroſi & excrementitii in vaſis continetur: quibus in caſibus ea, quam maxime remediorum genera indicantur, quæ ſeri vitioſi illuviem blande ſed ſufficienter tamen per congrua emunctoria, per alvum videlicet, per ſubcutaneum cribrum & per urinas evehunt.

§. VII.

Bilioſæ ſordes per blanda laxantia educendæ.

Quod ad uſum evacuantium attinet, nullo modo hic vi agendum, ſed paulatim & ſucceſſive bilioſæ & viſcidæ ſeroſæ ſordes per mitiora & temperatiora medicamina educendæ. Cui ſcopo

obtinendo, ex noſtra quidem experientia, egregie ſatisfaciunt, infuſa ex aqua dimidia vini parte remixta, cum radice cichorii, pimpinellæ, polypodii, rhabarbaro, foliis ſennæ ſine ſtipitibus, herba cardui benedicti, ſummitatibus centaurii minoris, agarico, corticibus aurantiorum, citri, cortice ligni ſaſſafras, paſſulis minoribus & tartaro tartariſato leniter decoquenda. Utile quoque eſt rhabarbarum manſum ad ſcrupulos duos vel drachmam cum uvis pinguibus vel Corinthiacis : nam noſtra certe experientia rhabarbarum in ſubſtantia ſumtum abundantius multo & duplo plus quam ſi in decocto & infuſo detur, educit, quippe ſimul tonum inteſtinorum & viſcerum inſigniter roborat. Bis autem minimum vel ter in hebdomade ejuſmodi evacuans exhibere convenit, ut ſordes ex primis viis à prava digeſtione relictæ evocentur, quæ alias ad morbum fovendum & ſuſtinendum, ejuſque vim augendam permultum conferunt. Atqui hujus generis alterantibus & evacuantibus, in doloribus periodice, ſive certis horis irruere atque infeſtare ſolitis, nunquam carere nos poſſe multoties edoctus ſum.

§. VIII.

2] Vitioſum ſerum per mitiora diaphoretica evocandum.

Primis viis ſic probe evacuatis, vitioſi ſeri molem, per decocta liberiorem tranſpirationem quæ expediunt & leniter ſudorem movent, educere & utiliſſimum & neceſſarium eſt : qualia ex radicibus & lignis, ut radice chinæ, ſarſaparillæ, cichorei, glycyrrhizæ, ſcorzoneræ, ligno & cortice ſaſſafras, ligno ſantali citrino, guajaci, ficubus & paſſulis minoribus parari poſſunt. Si malum quodammodo radices egerit & inveteraverit, antimonium crudum cum dupla portione pulveris bezoardici & diaphoretici ſupra deſcripti, convenienti doſi & tempore exhibitum opem non ſpernendam præſtitiſſe à me pluries obſervatum eſt. Ceterum liquor qui diuretica diaphoretica & ſimul tonica efficacia inſigniter ſeſe commendat, ex tinctura tartari, antimonii acris, cum liquore anodyno minerali & ſpiritu tartari decenti proportione permixto componendus, accommodatiſſimum remedium eſt, & præſentiſſimo cum fructu uſurpatur.

§. IX.

Rheumatiſmus corpus ſcorbuticum infeſtans, diluentibus & demulcentibus abigendus.

Quandocunque rheumatiſmus ſive fixus ſive vagus ſcorbutico corpori inſidet, & evidentibus ſe ſignis ac ſymptomatibus prodit, curationi paulo longius inſiſtendum erit. Neque enim tam promte & facile tota lymphæ & ſeri maſſa intemperata, corrupta & ſalinis excrementitiis partibus deturpata, in nativam & priſtinam dulcedinem & conſiſtentiam reduci poterit. Conveniunt tunc maxime diluentia demulcentia, paulo majori copia & longiori tempore exhibita : inter quæ, ſerum lactis dulce mannatum, vel acidulum tamarindinatum, aut purum cum ſuccis herbarum antiſcorbuticarum permixtum, item aquæ minerales temperatiores : *Selteranæ*, *Wildungenſes*, *Tœnnſteinenſes*, vel in robuſtioribus, *Pyrmontanæ*, *Egranæ* cum dimidia lactis aſinini vel vaccini parte maritatæ, & ſub convenienti diætetico regimine uſurpatæ, omne fere curationis exoptatæ punctum complent.

§. X.

Si ex lue Gallica provenerit, &c.

Si rheumatiſmus ex luis venereæ reliquiis in ſanguinis maſſa contentis, ut non raro evenit, originem ſuam ducit, duriori cuneo opus eſt, utpote, niſi decocta lignorum ſudorifera, per antimonii crudi vel etiam mercurii dulcis additionem armata & nobilitata, prudentem in uſum vocentur, raro ſperatus & ſalutaris effectus obtinetur.

lign. c. antim. cr. vel mercur. dulc. proſunt.

§. XI.

Topicorum uſus ſit cautus.

Quod attinet ad ipſa topica, quæ ad humoris certam partem obſidentis placidam & ſucceſſivam diſcuſſionem quidpiam conferre valent, magna etiam cautione in iis eligendis & exhibendis opus eſt, ne plus detrimenti quam emolumenti afferant. Si rheumatiſmus eſt ſanguineus, præſtat penitus ab iis abſtinere, & tantum moderato & æquali lecti & tegumentorum calore partes dolore affectæ fovendæ ſunt : ſiquidem tali modo longe felicius blanda materiæ quæ in vitio eſt diffiatio & exhalatio promovetur, ac ſi variis externis eam adjuvare velimus. Si vero ſpiſſus, immobilis & frigidus humor paulo altius & pertinacius, cum frigoris ſenſu ac ſtructura pororum, partibus inſidet; tunc omnino frictiones cum pannis aſperis & calidis inſtitutæ, è ſedibus ſuis fixis humorem tenacem potentiſſime evocant. Poſt frictiones cucurbitulæ cum vel ſine ſcarificatione applicandæ; ubi tamen animadverti illud debet, quod cucurbitæ cum ſcarificatione dolentibus ejuſmodi partibus appoſitæ, cum profundiori etiam vulnuſculorum inflictione, parum admodum ſanguinis eliciant : luculento ſatis documento, vaſorum ſanguineorum ramulos à ſpaſtica ſtructura ita coarctatos & compreſſos eſſe, ut ſanguinis circularem motum reſpuant; atque adeo non tam à ſanguine nimium ibi congeſto, quam ab humore viſcido & acri ſtagnante, hos dolorum faces accendi veri ſit ſimillimum.

Quando omittendus?

Quando admittendus?

§. XII.

Quando optime præſit?

Ubi igitur altius inſidet humor & immanes artubus dolores inducit, tunc omnino externis præſidiis ex toto carere vix poſſumus. Licet vero plura hunc in finem magnis ab auctoribus hinc inde celebrari ſoleant laudibus : ego tamen in nullo majorem juvandi efficaciam deprehendi ac in noſtræ inventionis nervino linimento, ſequenti modo conficiendo : rec. aquæ Anhaltinæ uncias duas, balſami Peruviani drachmas duas, theriacæ veteris drachmam. Infunde & per digeſtionem extrahe : colaturæ adde eſſentiæ croci, caſtorei, nuciſtæ ana drachmas duas, camphoræ drachmam. M. f. linimentum, quo dolentes artus ſæpius inungi debent. Si vero à diutius partem affligente dolore rigiditas, immobilitas cum ſtupore remanet, quæ affectio pareſis nomine venit, linimentum quod habet axungiam humanam, cujus duæ unciæ cum balſami Peruviani & olei caryophyllorum drachmis duabus permiſceantur, mirabilem plane præſtitiſſe efficaciam, per crebriorem uſum à nobis animadverſum eſt.

§. XIII.

Balnea in declinatione morbi conferunt.

Balneorum quoque tam naturalium quam artificialium caute adminiſtratorum uſus eſt inſigniſſimus. At vero neutiquam in principio aut in ſtatu morbi, ſed in declinatione potius, tum ad reliquias morbi ex intimis ſedis ſuæ penetralibus moderato ſudore eliciendas, tum ad membra per ſpaſticas dolorificas tractiones & agitationes imbecillia reddita roboranda & rigida emollienda, uſurpari debent. Inter alia vero balneum ex fonte *Lauchſtadienſi* in Miſnia, qui tenerrimum Martis crocum alit, atque natura admodum

ſub-

ſubtilis ac levis eſt, paratum, innumeris exemplis hoc fine & ſcopo adhibitum, opem deſideratiſſimam tuliſſe ego religioſe poſſum aſſeverare: qua de re diſſertationem noſtram de hoc fonte germanico & latino idiomate conſcriptam ad legendum atque conferendum commendo.

CAUTIONES ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Circa venæ ſectionem cautelæ.

Quantumvis ſanguinis miſſio etiam paulo largior, in externarum partium doloribus, qui à ſanguinis ſpiſſioris abundantia & ſalutaribus excretionibus impeditis proficiſcuntur, maxime quando in principio adminiſtratur, divinum plane ſit remedium: ſed tamen, ſi dolor diutius perſeverans, digeſtionem atque laudabilem chylificationem ipſasque vires deſtruxerit, ut ſeroſa magis quam ſanguinea plenitudo corpori ſit infenſa, ipſumque corpus annis jam confectum fuerit, provide certe cum ea mercandum eſt. Idem tenendum eſt, quando ipſo in paroxyſmo cum febrili commotione affligente, metaſtaſes materiæ vitioſæ ad externos artus natura molitur; quo tempore, non aliter ac in eryſipelate, negotium naturæ ſalutare turbare & ſubvertere minime convenit.

§. II.

Præſervative celebranda.

Non ſemel ego ſed aliquoties obſervavi, venæ ſectionem rite ante æquinoctia inſtitutam corpora ſtrictioris habitus, ſanguineo-melancholici & ſanguineo-cholerici temperamenti à catarrhalibus defluxionibus, item rheumaticis & arthriticis paſſionibus, quibus crebro obnoxia fuerunt, egregie præſervaſſe, adeo, ut ad avertendos hoſce affectus, præſertim ſi ſufficiens corporis motio ac labor, abſtinentia à potibus ſpirituoſis, à diæta lauta & carnea, acceſſerit, non facile excellentius detur remedium.

§. III.

Cura lactea quando noceat?

Diæta & cura lactea, utut in doloribus artuum vagis & ubi acrimonia ſubtilis & bilioſa peccat, ſuo quidem uſu & fructu non deſtituatur: nihilo minus tamen, ubi vaſorum, vel à ſanguine conſiſtente, vel à nimis ſeroſo adeſt plenitudo, & ventriculus cum inteſtinorum tractu atonia laborant, ne inde viſcerum infarctus emergat & ad cachexiam via pandatur, abſtinere ab ea cautius erit.

§. IV.

Si à ſuppreſſis hæmorrhoidibus, hæ promovendæ.

Quando ſufflaminatus hæmorrhoidum fluxus ejuſmodi dolorum cauſam præbet, conſultiſſimum eſt opportune eum procurare. Cavendum tunc, ne venæ ſectio in partibus ſuperioribus inſtituatur, quam in pedibus celebrare expedit. Poſtea vero, quæ moderate hunc fluxum movere & ciere valent, ad quorum claſſem referendæ pilulæ *Avicennæ*, *Becherianæ*, noſtræ & his ſimiles, interpoſitis pulveribus temperantibus & nitroſis, qui æſtum internum ad ſupprimendum fluxum multum conferentem infringunt, ſubjungenda ſunt; quæ ſi non proficiunt, & tormina ac vomitiones dolorum externorum comites evadunt, ad applicationem hirudinum, mirabilis nonnunquam efficaciæ remedium, omnino confugiendum erit.

§. V.

Calidiora & ſpirituoſa fugienda.

Caveant ſibi porro ſtudioſiſſime omnes qui catarrhoſis rheumaticis & arthriticis paſſionibus tentari & affligi ſolent, & quorum natura ad motiones ſpaſticas, pariter ac ſanguinis & humorum congeſtiones parata & diſpoſita eſt, ab omnibus fortioribus, calidioribus, diureticis, ſudoriferis, acrioribuſque purgantibus, nec non ab omnibus ſpirituoſis balſamicis ſic dictis quæ ſanguinem in orgaſmum concitant medicamentis, item à potibus ſpirituoſis & generoſis, poſt quorum uſum urina valde tincta & rubra apparet: caveant quoque ſibi, quantum fieri poteſt, à potu cereviſiæ, niſi ea ſit medicinalis, qualis eſt quæ non caput gravat, bene per urinam ſecedit & digeſtionem adjuvat: ſed pro potu vel puram aquam fontanam vel mineralem temperatam, aut decoctum gratum nullum pariens faſtidium ſibi eligant. Idque eo majori ſedulitate iis obſervandum commendamus, qui purpuram ſcorbuticam noſtri ævi quaſi endemium & familiariſſimum morbum, vitalibus ſuccis immixtam & immerſam fovent atque recondunt.

§. VI.

Quando activiora chymica uſurpanda?

Quando dolor & atrox & pertinax inferiores corporis partes ut oſſa iſchii & coccygis diutius obſidet, & individua ægrotantia paulo ſunt robuſtioris ac firmioris texturæ, medicamina potentioris efficaciæ & virtutis chymica, ut mercurius dulcis, præcipitatus ſolaris bene præparatus, regulus antimonii medicinalis, quæ etiam decoctis ſudoriferis addi poſſunt, ad craſſum & lentum tartareum & vellicantem humorem è ſedibus ſuis intimis dimovendum, auxilium utique pollicentur ſpectatiſſimum.

§. VII.

Quando anodyna?

Quando dolores immaniter urgent, quod in ſenſibilioribus fieri ſolet, ita ut vires, appetentiam, omnemque ſomnum adimant, & neque ſanguinis detractiones, neque nitroſa & temperantia, neque liquor noſter anodynus iis mitigandis ſufficiant, non inconſultum eſt, à lenioribus, videlicet emulſione ſeminis papaveris albi & ejus ſyrupo, ad fortiora paulo anodyna tranſire, atqui ad maſſam pilular. *Wildeganſii*, vel pilulas *Starckii* aut de ſtyrace, imo ad unum vel alterum laudani opiati granum, addendo croci extracti pauxillum confugere: cum alias opiata non temere in ejuſmodi affectibus uſurpanda ſint, utpote quæ, ut crebrius obſervatum, tam contumaces ejuſmodi affectus reddunt, ut poſtea omnia alia remedia etiam efficaciſſima ſpernant, efferatiuſque inhærendo & medicis & ægrotantibus plurimum negotii faceſſant.

§. VIII.

Veſicatoria & cucurbitæ quando uſurpandæ?

In rheumatiſmo ſcapularum incipiente, nihil eſt præſtantius veſicatorio intra ſcapulas poſito. Si vero in plethoricis accidit, quod ſæpius obſervavi in fœminis poſt ceſſantem circa annum quinquageſimum menſium fluxum, cucurbitulæ cum ſcarificatione partibus inferioribus ſingulis menſibus appoſitæ, juvamentum attulerunt inſigniſſimum.

§. IX.

Animus ab omnibus affectibus liber ſit.

Quemadmodum illa corpora, quæ ad anomalas ſolidorum & fluidorum motiones, & ad horum translationes ſive congeſtiones à natura diſ-

posita sunt, & vulgo sensibilioris indolis vocantur, mobilissimi sunt animi & ab ejus affectibus, qui præcipuam hisce morbis causam ac fundamentum subministrant, facillime offenduntur: ita servata animi quies & tranquillitas, sufficiens etiam corporis motus, & abstinentia ab iis rebus quæ multis modis animum turbare atque disponere ad affectus possunt, in iis morbis commendatissima esse debet.

ENARRATIONES MORBORUM.

Casus I.

Affectio rheumatica calculosa in fœmina plethorica.

Fœmina quinquaginta & aliquot annorum, post plenariam mensium cessationem, ante biennium per uterum æque ac per alvum enormes quandoque sanguinis experta est profusiones: quibus medicus satis opportune venarum sectione & medicamentis orgasmum sanguinis temperantibus antispasmodicis leniterque diaphoreticis subvenit, infusum insuper ex millefolii comis, quæ herba maxime sanguinis nimiis effusionibus compescendis dicata, subjungens. Quibus adhibitis, satis diu hæmorrhagiæ tam uterinæ quam alvinæ disparuerunt: procedente vero tempore dolores valde gravativos circa regionem lumbarem & pungentes tractorios circa ossa coxendicis ægra experiebatur. Ad hos mitigandos, licet præter venæ incisionem & leniter laxantia, temperata diaphoretica & nitrosa usurpata fuerint, nullum tamen levamentum attulerunt; sed perstiterunt dolores, fixum quasi locum occupassent. Postea mox ad scapulas & pectus, mox ad genua, relicta priori lumbari & ossis ischii sede vagabantur; quam tamen exspirante superiorum partium cruciatu denuo repetebant. Calculorum quoque interdum excretiones cum urina non sine molestia successerunt, calculosis & rheumaticis doloribus crebrius alternantibus: qui tamen acerbiores semper ab animi affectibus & tempestatum varietate redditi, ægram ita excruciarunt, ut cum viribus penitus omnibus caro quoque consumeretur, præsertim quum jam per annum & ultra cum hisce malis conflictari debuerit. Notabile vero quam maxime id fuit, quod, quum ægra ad constantem & graviorem dolorem, qui lumbarem & ischiadicam regionem indesinenter infestabat, aliquo modo leniendum, situm dorsi curvum sibi selegisset, inferiorum dorsi vertebrarum ligamenta adeo fuerint relaxata, ut è situ suo quodammodo protrusæ prominuerint, & sine dolore erecta incedere vix potuerit. Interea ad dolores tam rheumaticos quam nephriticos sedandos, & sanguinis missiones & anodyna cum diaphoreticis mixta, & antinephritica temperatoria, ast singula irrito plane effectu, præscripta fuerunt. Petiit ergo à me salutare quoddam, adversus pertinacem hunc duplicatum affectum, consilium.

RESOLUTIO CUM CONSILIO.

Ex hac morbi descripti historia, plura notatu digna ad usum tam pathologicum, quam therapeuticum accõmodanda elici possunt. Primo quidem, quod mensium totalem suppressionem, quæ ordinario circa quinquagesimum annum contingit, in fœminis plethoricis vitæ sedentariæ addictis & quæ sensibilioris animi atque tenerioris etiam corporis sunt texturæ, graves sæpius hæmorrhagiæ per uterum vel etiam per venas hæmorrhoidales sequantur: ubi summa cura atque cautione in applicatione remediorum opus est, ne forte adhibitis fortioribus stypticis & opiatis plane sistantur, neque etiam modum excedant & sic corpus valde debilitantes aliis ex debilitate oriundis morbis ansam porrigant. Secundo, in nostra ægrotante, effusiones sanguinis per hæmorrhoides, quæ haud infeliciter sæpius mensibus deficientibus succedunt, humorum stagnationes in aliis locis & quidem maxime circa regionem lumbarem & ischiadicam, cum per vicinas alvi venas vitiatus fuerit exitus, exceperunt. Ab ejusmodi vero sanguinis & humorum stagnatione circa majora vasa, & progressu in circulum eunte impedito, seri fit secessio, quod tartareis salibus & rudioribus terreis particulis onustum in tubulosa renum substantia facile concrescit in calculum, atque etiam ad ligamenta tendinosa & glandulosa quæ ossa coxendicis cingunt atque ligant, delatum, graves atque diuturnos cum impotentia motus efficit dolores. Eadem quoque seri à sanguine in inferiori corporis regione stagnante copiosior secessio, luxationis vertebrarum lumbarium omni procul dubio fuit causa; ad quam plurimum utique situs incurvatus, qui doloribus in hisce partibus leniendis quodammodo inservit, contulit: laxatis enim à seri exundantia ligamentis, facilis est ossium è sede sua protrusio. Tertio attendi etiam in nostro casu meretur, conversio motuum sanguinis & dolorum è regione lumbari & ischiadica ad partes superiores scapulam, pectus, manus, quandoque etiam genua, quæ ut plurimum aëris & cœli intemperiem & variationem vel gravem animi affectum iram præsertim & terrorem pro causa agnoscit: quorum utique ea est natura, ut partibus præcipue membranaceis firmiter constrictis motum humorum invertant & ad alia loca transponant. Methodum autem huic malo medendi quod attinet, eam ita instruendam esse arbitrati sumus. Primo omnium sanguinis missionem instituendam curavimus: quippe hæc dolores semper leviores efficit ac priora mala ex sanguinis congestione in affectibus spasmodicis ad nobiliores partes prodeuntia impedit. Dein infusum Theiforme ex chamomillæ vulgaris floribus, summitatibus millefolii & semine fœniculi compositum, somno peracto satis larga copia mane in lecto hauriendum præscripsi: cujus utique virtus in omnibus affectibus chronicis & spasticis, non satis deprædicanda, eo quod humoribus fluxilitatem fœnerando & acrimoniam hostilem, quæ spasmorum genitrix est, temperando, liberiorem sanguinis cursum & ab eo dependentes utilissimas sordium excretiones egregie promovet. Tum pro potu ordinario, ob eandem fere efficaciam, decoctum ex radice scorzoneræ, chinæ, sarsaparillæ & rasura ligni sassafras, atque abstinentiam ab omni cerevisia vel aliorum potulentorum genere, quæ sanis & integris quidem corporibus non adeo facile nocent, ast valetudinariis & imbecillis nunquam proficua observantur, impense commendavi. Demum, pulveres leniter diaphoreticos absorbentes & qui spasmis resistunt, humorumque acrimoniæ temperandæ idonei sunt, quorum censum subeunt, qui ex cerussa antimonii sive materia perlata *Crugneri*, lapidibus cancrorum, cinnabari, adjectis, nitro, pauxillo extracti castorei, vel etiam, nisi alvus obstricta obstet, theriacæcœlestis aut sulphuris nostri antim. fixati, conficiuntur præscripsi: qui vel sub lecti introitum vel etiam mane, adhibito regimine blande diaphoretico, ex aquis antispasmodicis v. g. florum acaciæ, tiliæ, primulæ veris, ceraforum nigrorum porrigi

pos-

poſſunt. Injunxi denique hæc medicamina non per ſaltum, ſed per gradus & procedente tempore virtutem ſuam exſerere; quare uſum eorum diutius protrahendum eſſe edixi. Et quoniam alvinæ excretionis ſemper habenda ratio, clyſteribus pariter ac alimentis lenientibus ex paſſulis & pomis Porſtorffianis eam expedire convenit. Subluxationi unguento ex axungia humana & oleo lavendulæ occurrendum eſſe ſtatui. Hoc itaque conſilio quum per hebdomadum aliquot ſpatium ægrota uteretur, & aquas *Selteranas* poſtea quoque uſurparet, adſpirante Divino favore, cum ſanitate in gratiam rediit.

Casus II.

Rheumatiſmus aurium, ex ſuppreſſa per frigus coryza.

Inſignis hujus urbis artifex, in re pictoria clarus XXXIX. annorum, vitæ ſedentariæ valde addictus & Veneri plus juſto deditus, ante biennium die ſereno menſis Septembris iter facit Lipſiam, quum caput coryza tentaretur. Noctu dum ſomnum capiebat, ex improviſo aperta feneſtra, frigidior ventus dextrum capitis latus non ſatis tectum impetit: poſtero die circa aurem ejuſdem lateris perſentiit dolorem valde acutum & æſtuantem, ita ut quaſi ignitus clavus aurem transfodere videretur. Is porro ex aure dextra ad ſiniſtram etiam ſe protendebat, & plenarium non modo auditus, ſed etiam guſtus & odoris ſenſum adimebat; quo acerbo dolore accedente per duas & ultra ſeptimanas ita excruciatus fuit, ut ob aſſiduas vigilias in lecto decumbens inſania propemodum correptus fuerit. Accerſitus medicus in chirurgica arte exercitatiſſimus, cauſam inſolentioris hujus affectus, abſceſſum intra cranium & cutem, vel intra cranium & cerebrum reputans, trepanationem proponebat, quam patiens autem reſpuebat. Ex noſtro igitur conſilio abraſum fuit totius capitis capillitium & applicatum emplaſtrum leniter diaphoreticum & veſicatorium cum refracta cantharidum admixtarum doſi. Quo effectum eſt, ut ex aure dextra, ichoroſa multa ſenſim paulatimque effluxerit materia, per aliquot dierum intervalla perſiſtens. Unde in hac aure auditus quidem reſtitutus eſt, quod poſtea etiam in ſiniſtra contigit; nihilo minus tamen obſervabat, quod intra hoc tempus dolor ad dextrum humerum, ex eo in ejuſdem lateris regionem iſchii, poſtea in ipſum genu & tandem in pollicem pedis deſcenderit, ut ſine baculo vix incedere potuerit; licet nunquam antea podagra fuerit vexatus. Nihil autem amplius ex medicamentorum claſſe ei, præter infuſum theiforme ex ſpeciebus lenem diaphoreſin promoventibus, nec non pulveres diaphoreticos cum pauxillo nitri & cinnabari nobilitatos, præſcripſimus: quibus per Dei gratiam intra dies octo perfectæ ſanitati fuit redditus.

Epicriſis.

Peculiarem fluxionum dolorificarum ſive rheumatum ſpeciem prædictus caſus exhibet, atque clarius commonſtrat, quomodo humor ſeroſus in capite, ex coryza, ob acceſſum inclementioris & penetrantioris frigidæ auræ, ſpiſſior, immobiliſque redditus & extra vaſa conſtitutus, hoſtili ſubtilique per moram acrimonia imbutus, ex partibus ſuperioribus ſucceſſive ad inferiores ejuſdem lateris per poroſam membranarum nervoſarum muſculis communium ſubſtantiam deſcendere, in articulatione partium ad tempus decumbere, graviter affligere & ad extremos uſque pedes iter & progreſſum ſuum abſolvere poſſit. Et quoniam tale quid à medicis etiam antiquiſſimis obſervatum fuit, non mirandum eſt, eos credidiſſe quod omnes defluxiones ſeroſæ ex capite tanquam fonte proveniant originemque ſuam trahant, & inde in ſubjacentes partes deriventur. Commode etiam hic caſus ad rheumatiſmum aurium ſive otalgiam referri poteſt, qui ut ſæpius obſervavi, abſceſſu ſalutariter ſolvitur. Demum, emplaſtri diaphoretico-veſicatorii operatio animadverſionem quandam meretur, quod videlicet hujus efficacia morbidus humor fixiorem ſedem occupans, è loco ſuo in alium demigrare debuerit: id quod facilius in capite quam in aliis partibus muſculoſis & pinguibus, ad quas vix ac ne vix quidem ejus energia pertingere poteſt, ſi ejuſmodi dolorificis fluxionibus affliguntur, effici & præſtari poteſt.

Casus III.

Rheumatiſmus oſſis iſchii ſacri & coccygis pœnæ ſectione iterata curatus.

Judæus habitus corporis ſpongioſi in quadrageſimo ætatis anno conſtitutus, temperamenti mere ſanguinei, affectibus animi parum deditus, temperate ſemper vixit & binis annuatim vicibus circa æquinoctia ſanguinem è brachii vena detrahi curavit. Sex jam præterlapſi erant anni, quibus vere ſemper & autumno podagra laborabat, quæ pedum pollices dolore, ardore & intumeſcentia exagitans, vix ultra decem dies duravit, & nullis in uſum vocatis medicaminibus, ſponte evanuit. Ab hæmorrhoidali fluxu plane fuit immunis. Menſe Auguſto, alvi fluxu maxima ex parte cruento cum doloribus lancinatoriis circa hypochondria ſubito corripitur. Adjungebatur teneſmus, ut æger vicies ſellam petere debuerit, ſæpius non niſi muco albo depoſito. Decem hic fluxus dies continuavit, ſub quibus finceri quidem ſanguinis circiter menſuram dejecit. Licet vero valde debilitatus fuerit, vires tamen non ita multo poſt recuperavit. Ceterum dolor podagricus in principio Septembris invadere ſolitus jam penitus ſiluit: acutus vero dolorificus ſenſus oculos ita afflixit, ut lacrymas ſtillare debuerint. Hic quidem intra aliquot dies ceſſavit, ſed ad dextrum oſſis iſchii latus delatus ad os quoque ſacrum & coccygis protenſus fuit: qui per menſis fere ſpatium durans, circa proximum æquinoctium ita invaluit, ut tolerari prorſus, noctu præſertim, nequiverit, atque omnem ſomnum ademerit. Acceſſit vero hujus doloris vehementia per paroxyſmos, & quidem circa horam tertiam pomeridianam cum frigore, ſubſequente poſtea pulſu celeri & æſtu corporis. In principio hujus affectus ante V. hebdomades venæ inſtituta fuit ſectio, ſanguinis valde craſſi & nigri ſex unciis emiſſis: ſed in caſſum. Accerſor in conſilium: ubi ægrum vehementi dolore & languore excruciatum inveni, utpote qui nihil ex alimentis expetiit, nec dormire potuit, de nocturno æſtu conquerens. Porrexi itaque pulverem præcipitantem nitroſum una cum liquore anodyno minerali: & inde altero die meliuſcule ſe habere cœpit, mitigata doloris quodammodo ſævitia. Febricula tamen rurſus acceſſit circa tempus conſuetum. Sequente mane quum pulſus validius adhuc micaret, venam pertundi jubeo: quæ ſecta in pede fuit. Et quoniam ſanguis cum impetu proſiliret, decem minimum unciæ cum virium conſtantia emiſſæ fuerunt. Hac autem evacuatione id conſecuti ſumus, ut ſimul & ſemel omnis dolor ex oſſe ſa-

cro & iſchii qui etiam ad genua ſeſe extenderat, evanuerit; quin imo æſtu febrili penitus ceſſante, nocte inſequente placida quiete gaviſus eſt; & abhinc vires amiſſas rurſus colligere cœpit.

Epicriſis.

Plura notatu digna poriſmata practica præfato ex caſu eruere non ſine fructu poſſumus. Primo videlicet, quod fluxus qui à medicis habitus eſt dyſentericus, hæmorrhoidalis potius cenſendus ſit: in dyſenteria enim non ſic ſimul & ſemel ſeri & ſanguinis copia deponitur, neque etiam ſine acerbiſſimo dolore & torminibus abdominis, quibus patiens noſter caruit, id contingit, ſed dolor magis hypochondriacam regionem feriit, intra quam, ut notum eſt ex anatomicis, inteſtinum colon ſitum obtinet: atque hoc per ſpaſmum affecto, ſanguinis liber per vaſa ejus ſanguifera circuitus impeditus, & hinc per minima vaſorum hæmorrhoidalium oſcula in anum effuſus eſt. Dein etiam notandum eſt, dyſenteriam non adeo cito evaneſcere, quæ nunquam ſine febre affligit: teneſmus vero, ut ego non ſemel obſervavi, non modo dyſentericos, ſed hæmorrhoidibus cœcis quoque laborantes vexare ſolet. Interea animadverſione dignum eſt, ægrum, qui nunquam alias fluxus hæmorrhoidalis veſtigia expertus eſt, jam modo inſigni cum impetu & quidem ſatis largiter eum paſſum fuiſſe. Quod autem quieverit inde dolor conſuetus podagricus, id ſine dubio ob naturæ imminutum robur factum fuiſſe judico, utpote ſub quo ſerum vitioſum ad partes externas cum energia protrudi non potuit. Relicta interim arthritica materia primo oculos invaſit, & dein ad ligamenta & membranas oſſis iſchii, coccygis & ſacri delata eſt. Ibi vero propter vehementes ſpaſmos liberiorem ſanguinis circuitum ac progreſſum quum impediverit, ingens ejus circa has partes ſtagnatio hoc modo inducta fuit. Quapropter non ſine ſufficienti ratione, largiorem venæ ſectionem in pede inſtituendam ſuaſi, videlicet ad ſtagnantem ſanguinem à loco affecto derivandum & ejus circulum æquabilem reſtituendum. Id quod etiam feliciſſime ſucceſſit.

Casus IV.

Rheumatiſmus ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis, Carolinis & Tæplicenſibus depulſus.

Vir generoſus gracilioris & ſanguineæ conſtitutionis annum ducens trigeſimum, aliquot ante luſtra, gravativum circa os ſacrum perſentiebat dolorem, qui vero mox ſanguinis ex venis ſedis profluxu ſedatus fuit. Intra anni ſpatium, ſanguinea hac excretione propter crebras animum valde exagitandi occaſiones cohibita, & neglecto omni remediorum uſu, atrox dolor junctus ſimul cum tuſſi valida brachium ſiniſtrum tam moleſto cum ſenſu lancinabat, quaſi acutis cultris caro diſcinderetur. Exactis aliquot menſibus dextro quoque brachio eundem doloris inſultum & impetum experiebatur, citra omnem ſalutiferum tot adhibitorum remediorum, venæ ſectionis, purgantium, ſudoriferorum, veſicatoriorum, cucurbitularum effectum. Nulla præſens erat contractura, quia brachiorum motus ſartus tectus remanſit, ſed talem modo percipiebat ſenſationem ac ſi ingens ex plumbo pondus ipſi inhæreret, cum adeo ingenti manuum infirmitate, ut nihil quod grave erat apprehendere vel retinere potuerit. Per intervalla etiam ſpaſmus manus occupabat perquam moleſte atque atrociter ut ſomnum ægre capere potuerit. Hos ſat acerbos dolores poſtea excepit gravior aurium & fere intolerabilis dolor, qui ſenſim cum cephalalgia lancinante, valde acuta & vehementi vires & appetentiam ciborum enervante ipſam corporis carnem conſumebat. Hæc ſymptomata non quidem continuo infeſtabant, ſed per intervalla, imo certis periodis præſertim pro atmoſphæræ diſpoſitione revertebantur & exaſperabantur. Expetiit à me conſilium. Suaſi, ut rite prius præparato per venæ ſectionem in pede & per nodulum laxantem corpore, thermas *Carolinas* adiret, iiſque cum convenienti regimine uteretur. Quarum cura abſoluta, ut in uſum externum thermas *Tæplicenſes*, ad imbecillum partium robur confirmandum & reſtituendum duceret, auctor fui. Cui conſilio cum morem gereret æger, ex voto ſanitas ſucceſſit: nam ab eo tempore hæmorrhoidalis fluxus reverſus, corpusque ab hujuſmodi doloribus diu immune perſtitit.

Epicriſis.

Quandocunque conſuetus hæmorrhoidum fluxus inordinatus fit, vel plane ſupprimitur, multa non modo valetudinis ſequuntur incommoda, ſed maxime omnium ad morbos ex corrupto & vitioſo ſero qui originem trahunt, corpus diſponitur: in quorum claſſem dolores externarum partium ſive dolorificas rheumaticas & artuum paſſiones merito referre debemus, utpote quæ ab humore ſeroſo excrementitio hinc inde in partibus ſenſibilioribus & nerveis ſtagnante & ſecedente oboriuntur. Sanguis enim quando per vaſa meſeraica & viſcera abdominis inque primis per lienem & hepar non jugi & perenni motu ac curſu libere fertur, ſed reſtagnat atque moram nectit, inteſtina & calida agitatione, in liquamen putridum corruptum fatiſcit; quod dein ſanguini permixtum & ad debiliora loca translatum, dolores & ulceroſas ſæpe fluxiones efficit. Ex eodem fundamento ac fonte purpuræ ſcorbuticæ, quæ intus retenta cauſam ſæpiſſime graviorum in artubus dolorum præbet, geneſis derivanda venit; eo, quod conſuetas & ſalutares ſanguinis in fœminis per uterum, in viris per hæmorrhoides vacuationes cohibitas & compreſſas hos ipſos preſſo pede inſecutos fuiſſe, multoties à nobis obſervatum eſt.

Casus V.

Rheumatiſmus capitis, ex admiſſo frigore, venæ ſectione curatus.

Ante aliquot annos, generoſus vir in ſexageſimo & ſexto ætatis anno conſtitutus, poſt febrem quartanam, quæ per dimidium anni eum exercuerat, vagis doloribus hinc inde in artubus & partibus externis quam maxime circa lecti introitum exacerbatis vexabatur. Cum aliquando menſe Majo, matutino frigori caput paulo incautius exponeret, dirus & lancinans cervicem ipſasque ſcapulas dolor invadebat, qui per intervalla adeo efferatus erat, ut nec caput ullo modo flectere potuerit. Nunquam integerrimus vir admiſit ſanguinis miſſionem, neque per venarum ſectionem neque per ſcarificationem; quum tamen eſſet ſanguinis & ſuccis plenus, appetitu integro & pulſu magno gauderet. Suaſi venæ inciſionem; quam, licet natura non reſpueret, omnibus qua fieri potuit rationibus detrectabat. Cum vero gravioribus aſſidue torqueretur doloribus nullumque à præſidiis exhibitis

per-

perſentiret levamen, tandem ad inſtantiam meam chirurgus accitus, & celebrata venæ ſectione, cruoris octo minimum unciæ detractæ ſuerunt. Ab eo mox tempore inſigne dolorum allevamentum percepit, & quod notabile erat, poſt ſectam venam noctu copioſum ſemper profudit ſudorem præter modum & conſuetudinem: quo dolor non modo penitus abactus, ſed & omnes corporis vires priſtinum incrementum receperunt.

Epicriſis.

Similem fere hiſtoriam apud LEONH. BOTALLUM *libr. cit. cap. XII. p.* 201. legere licet, quam ad verbum huc recenſere nobis è re viſum eſt: *Dominum de Varenes*, inquit, *à Regis cubiculo, annos ut minimum quinque & ſeptuaginta natum, dolor aſſiduus & lentus ad cervicem & humerum à multis menſibus detinebat, quem medici frequenti medicamentorum purgantium uſu & calefacientibus litubus curare ſtuduerunt: à quibus ille cum parum aut nihil levaretur nos conſuluit, qui ſalutarem diximus futuram ſanguinis miſſionem. Ille contra objicit inconſuetudinem mittendi ſanguinis, ſenilem ætatem, inchoantem hiemem, morbum fieri à frigidis humoribus & flatibus: quæ omnia, teſtantibus aliis medicis, tale auxilium dehortabantur, quare non poſſet intrepide acquieſcere noſtræ ſententiæ. Diebus aliquot poſt, morbi perſeverantia & incremento impulſus, ad nos rediit, ſic animo affectus ut polliceretur, ſe poſt hac nulla in re à noſtris conſiliis receſſurum. Mitti ſanguinem juſſimus, ex brachio affectæ partis, ad uncias decem: poſt aliquot dies parem modum ex adverſo cum maxima utilitate, tandem iterum ex altero, & ſic liberatus eſt. Non tamen interea contemſimus purgantium & litum calefacientium & diſcutientium uſum. Ab eo tempore dictus patiens familiariſſime & cum maxima utilitate pedum, quibus vix poterat inſiſtere, viſus & totius corporis, primum bis & ter in anno, poſtea quinquies & ſexies meo conſilio ſibi ſanguinem mittit, firmius incedens nunc, quam ageret abhinc decennium.*

Casus VI.

Rheuma chronicum ſuperiora, pectus maxime, cum febre affligens.

Dum hæc ſcribimus, tranſmiſſa nobis eſt ab Excellenti Uratislavienſium medico hiſtoria, quæ accuratam morbi rheumatici generationem, progreſſum & medelam quoque complectitur. Circa cujus ulteriorem curam, quum meum conſilium requireretur, id ipſum hoc loco recenſere non inconſultum mihi viſum eſt. Dominus de H. LXVIII. annos natus, fibra forti atque elaſtico vaſorum robore natura inſtructus. Olim itinerum incommodis & aëris variis injuriis aſſuetus: jam ſedentario vitæ generi, in publici, quod obit muneris gratiam addictus. Ante hos viginti annos apoplexiæ impetum expertus eſt, cruore ex raninis ſponte larga copia erumpente ſolutum. Inde aliquoties arthritidem perſenſit, quindecim poſterioribus annis non amplius obſervatam. Verſus autumnum ſuperioris anni irrepſere ſenſim ventriculi flatuoſæ preſſiones, thoracis conſtrictiones, brachiorum, maxime circa cubitum, tenſivi dolores. Hæc omnia uſque adeo tandem invaluere, ut miſſo licet ſub finem Septembris è brachii dextri vena media ſanguine (qui tenax erat, & præpingui muco abundans, ſeroque deſtitutus) die XXVI. Octobris novum apoplexiæ metum inferrent. Complicari ea die cum febre continua cœpit malum, hac fere ratione, quavis veſpera, modo levius, modo gravius affligens: Poſt repetitam aliquoties oſcitationem & perceptum brachii ut plurimum ſiniſtri gravativum dolorem ingruit ſpaſmus dolorificus cubitum utrumque, præcipue ſiniſtrum infeſtans, mox pectoris muſculos in conſenſum trahens, præcordia ſtringens, ſuſpirioſam reſpirationem producens, ſudorem univerſalem exprimens, manibus interea algentibus. Remittit & intenditur per vices talis impetus, donec tandem elapſis aliquot horis ceſſet pedetentim, laſſitudine, torpore, & rheumatici doloris ſenſu relictis. Hic talis totum thoracem ambiens aſthmate ſtipatus rheumatiſmus, ubi in ſummo vigore conſtitutus erat, durum, citatum, febrilem pulſum, aliquoties oculorum hebetudinem, tinnitum, vertiginem, ſuſpectumque ſoporem comites habebat. Aliquando diſtentum flatu hypochondrium ſiniſtrum indoluit, ſæpius nucha, ſcapulæ, dorſum. Quandoque in ipſo ſomno ægrum noſtrum obruens ſpaſmus, loquelam præpediendo, ſiderationem comminatus eſt. Febris ſocia, in lentam & maraſmoden abire viſa, ſub tertii dierum ſeptenarii finem acquievit, poſtquam duplex comparuit ſolutionis modus. Præterquam enim quod lotium primo febrile & bilioſum, à quarta febris die turbulentum, ſabuloſum, pure quaſi & ſubcruento tabo remixtum viceſima die in naturale mutatum eſt; copioſæ etiam & per totam corporis ſuperficiem diffuſæ miliares puſtulæ rubræ comparuere. Rheuma interim ſpaſmis ſocium ſilente febre continuavit, ita tamen ut ſenſim miteſcens, poſt quadrageſimum diem penitus tandem viſum fuerit ſe recepiſſe. At vero poſt repetitas per vices intentationes, die morbi octogeſimo quarto novus malorum impetus ſubitæ mortis metum omnibus incuſſit, urgente inter ſummas præcordiorum anguſtias extremorum frigore, marcore, ſtertore, faciei livore, extruſoque cum tuſſi aliqua ſpumoſo ex aſpera arteria & florido cruore ad drachmam fere unam vel alteram. Quod ſi hæmorrhoidum ulla ante adnotaſſemus molimina, ſanguinis illam per os effuſionem, cum medicis ſolas hæmorrhoidales venas in deliciis habentibus, pro fluxu hæmorrhoidum anomalo habituri fuiſſemus. Viſus autem potius è glandulis per interiorem fiſtulæ ſpiralis membranam diſſeminatis & ſpaſmorum vi dilatatis, aut etiam miliaribus ibi quoque hærentibus puſtulis diſruptis extravaſatus cruor. Angebamur tunc imminentis vel aſthmatis convulſivi vel apoplexiæ, vel denique, fluente iterum tabida & ſubcruenta urina, lentæ conſumtionis metu. Saltim ſuſpicio erat morbum in conſuetudinem abiturum virium collectioni obfuturam. Sed & hac vice poſt ſectam altera ab impetu illo die venam (qua ſanguis non adeo tenax è brachio educebatur) ita paulatim Divino auxilio adjutus eſt æger noſter, ut non niſi rheumatis illius chronici rudera ſuperſint. Poſcunt tamen & hæc quotidie ſe manifeſtantia maturum adultæ experientiæ conſilium, ne tertium ferociens malum omni auxilio majus experiamur. Inter remedia quibus obſecutum fuiſſe viſum eſt rheuma cum aſthmate complicatum, eminent oleum amygdalarum dulcium, ſub emulſionis forma largiori copia propinatum, chamomillæ cohobatum decoctum, frictio, abluitio externa frigida calida & frequens. Nec ſine omni effectu in uſum voca-

vocata : liquor mineralis anodyn. D.Hoffmanni, ſpecificum cephalicum, pulveres ſolares, lumbricorum ſuccus, pulvis antiſpaſmodicus, & quæ demulcendo inalo apta credidimus. Quibus tamen certa & fida magis deſiderantes, reſcire avemus, quæ cum de morbi, tum de curæ inſtituendæ ratione Excellentiſſimo Hoffmanno videantur. Interque alia præoptamus, ut ſi forte præparata Viri Practicotati ex balſamo Peruviano, ex amaricantibus extractis ſub forma elixirii viſceralis, aut genuinus liquor mineralis, tanquam nervis & viſceribus amica pharmaca, facere in rem noſtram videantur, eorum apparatus ſimul nobis concedatur.

EPICRISIS CUM CONSILIO.

Accuratius paulo deſcripta hæc morbi hiſtoria, quanta valetudinis incommoda genus vitæ valde mobile & laborioſum ſubito in quietum mutatum adferat, luculenter ſatis demonſtrat. Vidi ſæpiſſime ſplendidas perſonas, venationibus cum celerrima equitatione conjunctis, vulgo Par force *Jagdten*, quotidie fere aſſuetas, ſi eas ob urgentes quaſdam cauſas omiſerint, in graves diutinas paſſiones, quæ à ſtagnationibus intra viſcera abdominis & exinde ſubortis valde intemperatis impuris & corruptis humoribus, originem ſuam traxerunt, delapſos fuiſſe: cujuſmodi fuerunt flatulentæ & ſpaſmodicæ inteſtinorum conſtrictiones, cum pigra alvo, anguſtia præcordiorum ac pectoris, dolore & artuum laſſitudine, ſpirandi difficultate, febreque lenta conſociatæ. Non mirum hinc eſt, idem expertum fuiſſe præſentem generoſum ægrum, in quo, ob inclinatam ætatem, impuriores adhuc redditi humores, fibroſum ac nervoſum mobile & ſenſibile ſyſtema ad ſpaſticas ſtricturas atque febriles commotiones ſollicitarunt; unde ex nimiis hinc ortis ad partes ſanguinis congeſtionibus, in capite inſultus apoplectici, in pectore infarctus aſthmatici, in artubus dolores vagi tenſivi, producti fuerunt. Quam difficulter vero, quando vitium tum ſolidorum tum fluidorum in habitum quaſi degeneravit, ejuſinodi chronicæ affectiones, quæ accuratum vitæ regimen & aſſiduum remediorum valde ſalutarium per plures fere annos expoſtulant uſum, ſaneſcant, iis qui in artis opere diutius verſati ſunt, quam optime cognitum perſpectumque eſt. Et quoniam ex intermiſſione motus, laboris & exercitationis corporis, quæ alias optimum eſt ſanguinis depuratorium, & juxta *Hippocratem* nervoſarum & muſculoſarum partium cibus ac nutrimentum, præcipua horum pathematum cauſa fuit ſubnata, utique ſecundum noſtram experientiam & ſententiam, tum ad ejuſmodi chronicum affectum mitigandum, tum ad pejora mala avertenda, motus, modo commode hic fieri poſſit, v. g. per vectionem, vel equitationem, omnibus modis ſuadendus eſt. Præterea in talibus caſibus ab omnis generis cereviſia abſtinendum, potanda decocta ex ſpeciebus demulcentibus parata, vel fontes temperati, ut *Selterani*, aut ſerum lactis; & quoad cibos, ab omnibus acidis, ſalſis, viſcoſis, acribus, eſt abſtrahendum: inter remedia vero ſolum elixirium temperatum balſamicum, ex amaris temperatis cum menſtruo aquoſo paratum, ſæpius & diutius, moderata tamen doſi uſurpatum, ſpirituaſcentiam blandam fluidis & tonum ſolidis conciliando, omnibus aliis medicamentis longiſſime præferendum eſſe, experientia fida & crebriori edocti ſumus. Denique iteratis vicibus, aut per ſcarifi-cationes aut venarum inciſiones, ſanguinis nimiam copiam demendo, promtior & expeditior circulus promoveatur. Et hæc fuit mea de cura hujus mali ſententia, quam ad Doctiſſimum Virum tranſcribere non dubitavi.

CASUS VII.

Rheuma ſcapularum, calidiori pharmaco, exacerbatum & ad caput delatum.

Vir robuſtus, ſanguine & ſuccis plenus, annorum quadraginta, acerbo ſcapulæ dextræ dolore conflictatus, ſine præcedente ſanguinis miſſione, ſine primarum viarum per laxantia abſterſione, à medico pro ſudore eliciendo bezoardicam tincturam, æquali pondere cum ſpiritu cornu cervi ſuccinato permixtam, largiori paulo doſi aſſumſit. Sed ne ullus quidem inde ſudor, nec nocte nec mane ſecutus, licet corpus probe ſtratis munitum & involutum fuerit. Scapularum vero dolor poſtmodum non ſolum longe acerbior fuit redditus, ſed etiam colli muſculum in conſenſum pertraxit, ut in nullum latus caput flectere æger potuerit. Acceſſit præterea ingens capitis in latere dextro dolor, quem acris & calida oculorum defluxio cum rubore diutina excepit. Adminiſtrata venæ ſectione, & alvo per convenientia remedia ſucceſſive depleta, uſurpatis quoque infuſis herbarum Theiformibus atque pediluviis, hæc ſymptomata quadantenus quidem remiſerunt : ab eo autem tempore defluxio ſeroſa in palato cum continuo uvulæ delapſu per annum & ultra permanſit. Cui tandem vitio amovendo frequens tabaci fumus egregie inſerviebat; licet diutius adhuc, tempeſtate præhumida regnante, in faucibus & uvula nimia relaxatio obſervata fuerit.

Epicriſis.

Ex præſenti caſu praxeos medicæ tyrones diſcere poſſunt, quantum detrimenti invehere poſſint medicamenta alias ſatis apta & innocentia, quando non debito ordine & tempore uſurpantur. Niſi enim prius demta fuerit vaſorum plenitudo per ſanguinis detractionem, quæ motum circulatorium liberum, & tranſpirationem quoque auctiorem impedit; niſi etiam ante horum uſum, cruditates copioſæ & vitioſæ ex prima regione idoneis laxantibus eductæ fuerint, ſudorifera poſitive ſic dicta, quæ calida & expanſiva vi agentia, cum impetu quodam crudos & rudes humores in anguſtias vaſorum & glandularum protrudunt atque accumulant, ut inde non tantum dolores in vicinas partes ſe propagent, ſed & acres defluxiones, dum, ubi ſanguis ſtagnat, ſerum ſecedit & depluit, hinc oboriantur, nunquam qui cum ratione curam ſuſcipere annititur, exhibere debet.

CASUS VIII.

Rheumatiſmus pectoris, ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis.

Non ita pridem acceſſit ad me quidam hujus loci cauſarum patronus, trigeſimum ætatis annum ſuperans gracilioris quidem ſed fibroſi corporis habitus, qui mihi aperuit, quod per quindecim & ultra annos ſingulis fere menſibus ſanguinis fluxum per ſedem expertus fuerit; ad quem diſpoſita tota ejus familia, quæ in Thuringiæ oppido adhuc degit, ita ut non ſolum pater & mater continuo hunc fluxum paſſi fuerint, ſed etiam in liberos imo ipſas fœminas circa annum duodecimum & decimum quintum, menſibus

licet

licet rite fluentibus, idem iſte redundaverit. Conqueſtus hic fuit, quod per quatuor fere menſes, ex cauſis minus ſibi cognitis, hæmorrhoides ceſſaverint. Et ab eo tempore non modo inſigni animi & corporis languore, ſed etiam dolore tenſivo & conſtrictivo in ſterno, toto thorace, cum frigoris quodam ſenſu, atque reſpiratione præſertim poſt motum difficiliore alvoque pigriore correptus fuit. Quater ex inciſa pedis vena, conſilio celebris hujus urbis medici, ſanguis largiter emiſſus: ſed omnem citra ſalutarem effectum. Indicavit ſimul æger, poſtquam, à fortiori corporis motu ante aliquot ſeptimanas ſuſcepto, hæmorrhoidalis fluxus, ſed exigua in quantitate comparuiſſet, omnem dolorem & moleſtiam ſimul & ſemel conquieviſſe & ſenſum calidioris fluidi à thorace ad ipſam pelvim ſucceſſive deſcendentis, ſeſe animadvertiſſe; ſed mox ceſſante fluxu ſuperiorem priſtinum locum dolores repetiiſſe. Ipſe quidem non ſine ratione affectum hæmoptycum inde metuens, auxilium meum efflagitavit. Ego nihil aliud ſuaſi, quam ut motu moderato primum, dein intenſiori, corpus quotidie ad lenioris ſudoris eruptionem uſque exerceret, & mane in lecto infuſum Theiforme, ex herba veronicæ, cardui benedicti, radice glycyrrhizæ & aniſo ſtellato biberet, neque pediluvia ante lecti introitum negligeret; circa illud vero tempus, quo alias ipſæ hæmorrhoides fluere ſolebant, pilularum Becherianarum aliquot doſes, præmiſſo pulvere digeſtivo nitroſo ſumeret. Quibus non juvantibus, optimum inter alia eſſe conſilium, hirudines ani venis applicare, edixi.

Epicriſis.

Rariora certe ſunt fluxus hæmorrhoidalis exempla, liberos in prima ætate per diſpoſitionem parentum hæreditariam infeſtantis: qui uti hoc in genere quaſi naturalis, ſalutaris & criticus habendus, ita omni cura & ſollicitudine per paulo exquiſitiorem victus rationem conſervandus, neque ullo modo impediendus, niſi mox difficiles & ſubitaneas morboſas afflictiones expectare velimus: inter quas ſunt illæ præcipuæ, quæ à tranſlatione ſanguinis ex partibus inferioribus ad ſuperiores facta pullulant, & rheumatiſmi nomine veniunt. Sicuti vero effrenem illum & incoercibilem ſanguinis mittendi hodie epidemice quaſi regnantem methodum, in ſanandis maxime chronicis affectibus valde improbamus: ita etiam ad ſolennes & criticas ſanguinis evacuationes, per uterum vel per inteſtini recti venas provocandas, ſæpius repetitam venæ ſectionem plus damni quam commodi tuliſſe, certa & multiplici experientia confirmatum habemus.

Casus IX.

Rheumatiſmus, ex ira & ſuperingeſto ſp. volat. &c.

Subit jam animum hiſtoria fœminæ ad trigeſimum annum accedentis, ſanguineo-cholericæ complexionis, quæ gravi ira ſupra modum excandeſcens, brevi poſt ingentem anxietatem & circa præcordia anguſtiam, cum tremore artuum, appetitus dejectione & ciborum tædio perſenſit. Sumſit hac de re ab amico volatilem cornu cervi ſpiritum liberaliori doſi, & ad eliciendum ſudorem corpus in lecto compoſuit. Incaluit inde quidem ſortiter, ſed nec udor nec ſudor ſequebatur. Ab eo tempore in artubus, cruribus, brachiis, ſcapulis, gravativos preſſorios dolores, & in univerſo corpore languorem cum lento calore perpeſſa eſt: quibus ſymptomatibus noſtra adeo fuit afflictata, ut caro penitus conſumta, & hinc phthiſi imo hectica ipſa laborare videretur. Lactis tandem caprini cum infuſo veronicæ diluti uſu, diutius per ſeptimanas aliquot continuato, infuſo ex manna & cremore tartari interpoſito, atque etiam pulveribus leniter diaphoreticis ac nitroſis, cum acido citri & aquis temperantibus analepticis uſurpatis, priſtinæ valetudini patiens fuit reſtituta.

Epicriſis.

Caſus recenſitus præclarum nobis documentum ſuppetit, quam pernitioſum ſit, materiam naturæ prorſus hoſtilem per minus convenientia loca, contra monitum *Hippocratis aph. I. Sect.* 21. educere. Per vehementem animi excandeſcentiam, non modo totum ſyſtema nervoſum & vaſculoſum vehementi præter naturam motu agitatur & concutitur, ſed & inſuper plane ſingulari modo ductus qui in hepate conſiſtunt & ex eo prodeunt biliarii nervoſo-fibroſi, convulſivo quodam motu afficiuntur, ut bilioſus omnis propemodum humor in duodeni cavum effundatur, qui ibi ob hoc ipſum ſpaſmo identidem per conſenſum affectum paulo diutius ſubſiſtens & retentus, graviorum quæ iræ affectum ordinario inſequi ſolent pathematum cauſam materialem & fomitem præbet. Ad hæc itaque avertenda prudens & peritus medicus iis utitur remediis, quæ motus effrenes nervoſarum partium ſedandi, bilioſas excrementitias ſordes contemperandi & leniter per alvum educendi facultate pollent. Nihil autem à vero medendi ſcopo magis alienum eſt, quam medicamento calido & volatili motus ſolidorum concitatiores reddere, illuviemque corruptam bilioſam ad ſanguinis maſſam & ad interiora ſenſilium & nervoſarum partium invitare atque adducere.

Casus X.

Rheuma ex ſeri impuri copia, partes tam internas, quam externas affligens in ſene enatum.

Præſenti in opere dum occupatus ſum, occurrit mihi caſus, dignus qui commemoretur: quare ipſum huic tractationi ſubnectere operæ pretium duxi. Vir erat ſexagenario major, firmiore & animo & corpore, atque elaſtico fibrarum robore inſtructus, qui raro per vitam adverſa valetudine tentatus, biennio abhinc circiter, colicis quidem atque cardialgicis paſſionibus per vices affligentibus, attamen convenienti remediorum uſu ſtatim mitigatis atque depulſis correptus eſt. Menſe Januario hujus anni vicinam urbem tendit, judiciales quaſdam compoſiturus lites. Quum autem impetrata judicis ſententia voto minus reſponderet, vehementer & ſupra modum animo commotus eſt, corpus dein multis modo laboribus & vigiliis fatigatum, inter diſcurſum per plateas, frigoris vehementiæ improvide expoſuit. Hinc ſtatim ciborum periit appetentia, & alvus ſegnior reddita fuit, ita ut perpaucas feces ano protruſerit, imo per aliquot dies officii ſui oblita fuerit. Domum reverſus patiens de languore univerſi corporis, doloribus abdominis ex uno hypochondrio in alterum divagantibus, nec non de anxiis & cardialgicis præcordiorum ſtricturis circa ſcrobiculum cordis, cum pertinaci alvi clauſura ſtipatis conqueri cœpit. Rebus ſic ſtantibus, mihi in conſilium vocato, primo omnium, ſtrictiorem alvum per enema emolliens nec non infuſum mannatum cum oleo amygdala-

rum

rum dulcium permixtum relaxare fecesque reſtitantes educere viſum fuit. At vero pauca in quantitate duriſſima ſcybala nigricantis & quaſi aduſti coloris ſeceſſerunt: doloribus morſibuſque in abdomine perſiſtentibus & per certa intervalla acrius affligentibus. Suaſi dein, ut lactis ſerum cum cremore tartari acidulatum atque manna nobilitatum, per aliquot hebdomades mane ad menſuram biberet. Poſtea quum ſanguinem redundantem & ejus miſſionem neglectam adverterem, pedis venam pertundendam curavi: ubi emiſſæ aliquot ſanguinis unciæ, ſatis bene quoad cetera conſtituti, niſi quod permultum lentæ & viſcidæ pituitæ, aquæ calidæ immerſus deponebat. Unde æger parum levaminis perſenſit. Interim tamen alvus quinquies vel ſexies de die fuit ſoluta, multumque pituitæ una cum durioribus excrementis eductum. Sed dolores cum cardialgici tum colici, licet aliquando mitigarentur, continuabant, dorſum & lumbos ſæpe repetentes. Quibus æger tandem ita enervatus fuit, ut aſſidue in lecto decumbere cogeretur. Ex medicamentis internis nihil intentatum vel omiſſum, quod ad diſcutiendos flatus, ad ſedandas ſpaſticas ſtricturas, ad acrimoniam temperandam & infringendam, atque æquabilem tranſpirationem conſervandam commodum proficuumque viſum fuit: & tamen parum adjumenti inde perſenſit æger, niſi quod obſervatum ſit, dolores hos acerbiores magis ad artus & externas partes, interiori ſede relicta, converſos eſſe; quandoquidem mox ſcapulas, mox lumbos, mox pectus, mox præcordia invadebant, capite tamen ab iis libero relicto. Somnum interdum placidum capiebat, ciboſque concoctu faciles ingerebat, alvus vero rariſſime ſponte libera fuit & urina nunquam non parce profluxit. Interea cum jam per duos & quod excurrit menſes hoc malo conflictatus fuiſſet æger, non parum vires exhauriebantur. Percipiens vero pulſum adhuc valentem & plenum, pedis venam iterum ſecandam præcepi, è qua longe alia facie emanavit ſanguis quam prior erat: nam vix ſexta ejus pars rubicunda erat, quæ ſero placentulæ inſtar innatabat, ſuperius lento, viſcido muco obductus. Sed neque etiam inde adjumentum quoddam percipiebat ægrotans. His rebus ita conſtitutis, meum conſtantiſſime cum domeſticis ſuis efflagitavit auxilium, rogans, morbum, ejus naturam, totumque progreſſum paulo accuratiori meditationi & acriori judicio ſubjicerem. Ad hanc itaque rem incumbens, ex inſpecto ſanguine judicabam, vitium non, ut antea forte exiſtimaveram in ſolidis eſſe, ubi anguſtiam vel ſcirrhoſitatem quandam in inteſtinis præſentem divinaram, ſed ſeri excrementitii colluviem non tam partes internas quam externas adfligentem, horum dolorum cauſam & fomitem exiſtere. Hanc itaque non commodius niſi per alvinam regionem educi poſſe credidi. Nolebam vero in corpore viribus valde fracto atque inteſtinis ſpaſmis & torminibus jam extreme debilitatis acre quoddam purgans per ſuperiora exhibere. Itaque cum in conſiliis *Riverianis* me aliquoties legiſſe meminerim, aquam benedictam *Rulandi* ad aliquot uncias in enemate, optimo cum fructu ad ſeroſam colluviem educendam adhibitam fuiſſe, tentare & hoc auxilii genus conſtitui. Et cum ad manus non eſſet aqua illa benedicta, tartari emetici ſolutionem huic ſubſtitui, atque in talem formam redegi: Rec. tartari emetici in aqua menthæ ſoluti grana VIII. vini Hiſpanici uncias ſex M. Hanc mixturam cum clyſteris emollientis domeſtici tribus partibus anoquum infundendam juberem, mox inde largiſſima viſcidorum humorum ſecuta eſt excretio, magna ſecum liquidarum copia ſtipata, quam poſtea tres ſedes exceperunt, ſed cum paucioribus excrementis: quo facto juſcula quædam analeptica porrigere juſſi. Et bene ſe habuit æger. Sed tertio die poſt, cum intolerabilibus per IV. dies abdominis cruciatibus cum diarrhœa & teneſmo copulatis, corriperetur, interne theriacæ veteris doſin, item oleum amygdalarum dulcium ter, vel quater per diem cum ſero lactis, vel infuſo veronicæ exhibui, & exterius abdomen inungendum linimento, ex theriaca in aqua Anhaltina ſoluta, cum balſamo Peruviano commixta, juſſi. Atqui inde & alvi dejectiones & tormina ex voto conquieverunt ac remiſerunt. His peractis mixturam diaphoreticam, quæ ex liquore noſtro minerali, ſyrupo croci ſaturato & quarta parte ſpiritus tartari compoſita erat, propinavi. Unde placido ſecuto ſudore, vique dolorum mitigata ſenſim paulatimque ad ſe redire videtur ægrotans.

Epicriſis.

Chronicus hic gravis morbus, ad dolores rheumaticos ab excrementitii ſeri copia originem ſuam trahentes, nervoſasque partes internas æque ac externas infeſtantes, referri debet. Senes vero quam maxime ad ejuſmodi morbos à ſero vitioſo oriundos diſpoſita aptaque habent corpora, quia ob bilis lentorem & inertiam, vacillantemque inteſtinorum tonum alvus pigrior fit, atque adeo à fecibus retentis corruptæ ſordes ad ſanguinis maſſam feruntur, quæ ob languidiorem perſpirationem ſenili ætati familiarem & communem magis magiſque ſuccreſcunt. Credibile igitur eſt, eodem modo hos dolores fuiſſe excitatos. Et quia per ipſius morbi paulo longiorem decurſum, in corpore omni motu & exercitatione vacante, ipſe ſanguis & humores boni atque laudabiles in corruptum ſeroſum liquamen converſi ſunt, vero eſt ſimillimum, contumaciam hujus affectus inde eſſe petendam. Denique notabilis hæc obſervatio non prætereunda eſt, quod emetica & paulo fortiora infuſa per clyſterem, ad copioſas ſeroſitates è corporis latibulis eliciendas & exturbandas, tutiori longe modo ac validiora purgantia ore aſſumenda adhiberi poſſint.

CAPUT IX.

De rheumatiſmo odontalgico.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

ODontalgia, ſive dentium acutus, gravis & perquam moleſtus dolor non niſi rheumatiſmi ſpecies eſt, à ſeri impurioris decubitu, ligamenta & tunicas nerveo-glanduloſas, quibus radices dentium in alveolis maxillarum arctius circumveſtiuntur atque obfirmantur, valde lancinantis & arrodentis ſubortus; qui varia moleſtaque poſt ſe trahit ſymptomata. *Definitio generica.*

§. II.

Nos non ſemel ſed pluries obſervavimus, ar- *Sæpe ex*

tuum,

rheumatiſmo odontalgia oritur. tuum, ſcapularum, humerorumque dolores, in capitis ſæpenumero tranſiiſſe latus, atque dentes pariter ac maxillas moleſtiſſime invaſiſſe. *Et vice verſa.* E contra, capitis & dentium dolores, ſede ſua mutata, in humeros, brachia vel ſcapulas deſcendiſſe, identidem à nobis haud raro eſt animadverſum. Quin, per experientiam obvium eſt, maxillam ſuperiorem cum dentibus ſuis, dolore & ſpaſmo frequentius ac inferiorem affici.

§. III.

Interdum in ipſa dentis cavitate reſidet. Alia porro ſedes eſt odontalgici doloris, qui in ipſius dentis cavitate, videlicet in funiculo iſto veſiculari, ex membrana nervoſa, vaſe arterioſo, venoſo & lymphatico compoſito reſidet, videlicet ſi is ipſe graviter, vel nimia, à ſero ſtagnante, diſtenſione, vel ſpaſtica conſtrictione afflictatur, præſertim ubi dens eſt carioſus, ipſaque caries ad funiculum modo dictum pertingit: ſiquidem certa & quotidiana experientia conſtat, carioſos dentes rheumaticis affectionibus maxime tentari, eo quod quam facile, ob imbecillitatem hujus partis humores ibi ſtagnant atque ſubſiſtunt.

§. IV.

Symptomata. Quemadmodum in arthritide dolor, rubor, tumor, & febricula præſens eſt: ita hæc omnia quoque in odontalgia fieri animadvertimus. Jungitur inſuper copioſa ſalivæ ex ore profuſio, quæ non aliam agnoſcit cauſam, ac ſpaſinum dolorificum, qui dum vaſa lymphatica & venoſa conſtringit, liberum ſanguinis & ſeri regreſſum impedit; quam ob rem à ſubſiſtente ſanguine ſalivalem illum laticem in glanduloſa faucium loca copioſius ſecedere æquum eſt.

§. V.

Odontalgia ex tempeſtatum mutatione oritur. Rheumatiſmus intemperati & ſubito mutati aëris plerumque ſoboles evadit; atqui non ſecus res in odontalgia cedit, quæ in corporibus diſpoſitis præſertim cacochymicis quam facile oritur, ſi ea ex calida ſubito in frigidam auram ſecedunt, vel ſi vere & autumno tempeſtas per vices auſtrina calida atque frigida eſt.

§. VI.

Fœminas frequentius ac viros affligit. Uti fœminæ præ ſexu virili rheumatiſmis magis ſunt obnoxiæ: ita etiam odontalgiam frequentius experiuntur. Id quod maxime contingit, quando utero gerunt, vel defectu menſium laborant, aut alimentis acidis, ſalſis & alvum adſtringentibus, item dulcibus plus juſto delectantur: *Hos tamen acerbius.* quippe quæ, etiam externe denti carioſo admiſſa, deſubito ſæpe dolorem proritant. Nihilo minus, ſi viros hic dolor apprehenderit, acerbius multo affligere ſolet.

§. VII.

Rarius rheumaticos & arthriticos infeſtat. Experientia rurſus conſtat, quod qui rheumatiſmo vel arthritide laborant, rarius odontalgia corripiantur, ſed dentes integros habeant; cum contra dentium doloribus magis ſint expoſiti, qui hujuſmodi artuum & muſculorum affectionibus vacant.

§. VIII.

Facile revertitur. Qui dentium doloribus ſemel iterumque excruciantur, ii rurſus ex facili & leviore cauſa in eundem incidunt, non ſecus ac in arthriticis & podagricis tentationibus id fieri aſſolet, propter debilitatem quam dolores hujuſmodi pariunt atque relinquunt.

§. IX.

Malum quandoque exitum ſortitur. Acerbior dentium dolor in corpore ſenſibili atque impuro gravia inducit ſymptomata, vigiliam nempe, febrem, appetitum proſtratum, delirium, refrigerationem extremorum, imo convulſiones, præſertim in infantibus, propter ſyſtema nervoſarum partium in conſortium ſive motuum morboſorum communicationem pertractum.

CURATIO.

§. I.

Indicationes. Quoniam odontalgicus dolor, ab illuvie plerumque ſeroſa ortum ſuum ſortitur, utpote quæ à ſanguine copioſius ad caput congeſto & ſentius in vaſis procedente, ſeparata, in ligamenta tendineo-nervea depluit; potiſſimum medendi huic moleſto affectui in eo reconditum erit momentum, ut ſerum ſcorbuticum impurum primum à capite divertatur & derivetur; dein, ut correctum præparatum atque mobile redditum, per congrua emunctoria è corporis ſphæra eliminetur; demum parti affectæ juſtum robur reconcilietur, & hac ratione materiæ peccantis decubitus atque affluxus præpediatur.

§. II.

Humor vitioſus divertendus, per clyſteres. Primum quod concernit noſtrum propoſitum ſcopum, huic clyſterum injectiones peccantem humorem divertendi gratia, quam maxime opitulabuntur. Ut plurimum enim ſub gravioribus quibuſcunque dolorum tormentis alvus pertinacius renititur, quam per enema lenitivum & ſtimulans ſalinum emollire atque educere nihil eſt convenientius: utpote, à cujus applicatione ingens ſtatim dolorum levamentum ægrotantes recepiſſe obſervavimus. Præſtat tamen ea ex domeſticis uſitatis, quam ex variis purgantium atque emollientium ſpeciebus curioſius conflare. Dein quoque inter ea, quæ humorum impetum *Pediluviis.* à partibus ſuperioribus ad inferiores invitant, pediluvia egregiam operam collocant: quæ ex ſola aqua pluviali vel fluviatili cum furfuribus triticeis, adjecto ſapone Veneto decocta præparari atque circa ſomni tempus in uſum vocari poſſunt; adhibita tamen hac cautela, ut pedes diutius atque paulo profundius in ea dimittantur, neque nimis calide, ſed tepide tantummodo admoveantur.

§. III.

Ope laxantium. Huic prædictæ intentioni non minus ſatisfaciunt, quæ leni ſtimulo alvum clementer ſubducunt, inter quæ, uti in omnibus tam arthriticis quam rheumaticis, ita etiam in odontalgicis affectionibus, mannata & ex caſſia recenti parata, utpote quæ ſimul acrimoniam humorum contemperandi virtutem poſſident, præſertim ſi in ſero lactis dulci vel lacte aſinino, aut etiam in fonte minerali v. g. acidulis Schwalbacenſibus diſſolvuntur, præcipuas ſibi partes vindicant.

§. IV.

Venæ ſectio quando adhibenda? In corporibus ætate florentibus & quorum vaſa nimio ſanguine turgent, ſi vel ob tranſpirationem prohibitam, vel aliis demum ex cauſis, acerbi oboriuntur dentium dolores, primæ æque ac ſecundæ indicationi therapeuticæ omni ex parte ſatisfacit venæ in pede inſtituta ſectio; quæ utique tam

tam ad humores ad ſuperiora congeſtos, inferius invitandos, quam ad æquabilem eorum per omnis generis vaſa circuitum reſtituendum ut & materiam hoſtilem è corpore eliminandam præſidium atque auxilium pollicetur inſigniſſimum, aliis omnibus præferendum.

§. V.

Diaphoretica. Quod ſi materia peccans odontalgicos dolores efficiens, diſcutienda atque educenda eſt, egregie huc conferunt ipſa diaphoretica, blandiora tamen & ſedativa ſimul virtute conſpicua, è quorum numero electuarium ex rob ſambuci, admixtis cornu cervi uſto, antimonio diaphoretico & nitri aliquot granis, cum aqua florum ſambuci propinatum, laudem certe meretur ampliſſimam, præſertim ſi repetatur & regimen ſudoriferum exactius paulo obſervetur.

§. VI.

Acidularum uſus. Non raro evenit, ut horum dolorum ſævitia à ſeroſa foveatur illuvie, quod fit in cacochymicis, ſcorbuticis, & catarrhoſis phlegmaticis corporibus, ubi malum ſæpius quoque revertitur. Tunc autem ego ad moleſtiſſimum malum præſcindendum non certius, tutius nec præſentius, quam in convenienti thermarum vel acidularum uſu inveni præſidium, præcipue ſi in ſubjectis tenerioribus & bilioſis cum lacte aſinino permiſcentur.

§. VII.

Saculi ſpeciebus emollientibus repleti. Jam quod remedia externa concernit, ſacculi ex ſpeciebus paregoricis emollientibus, videlicet ex floribus ſambuci, meliloti, chamomillæ vulgaris, baccis lauri, juniperi, ſemine carvi, milii & ſale toſto parati, qui ſi tepide applicantur, ex omni remediorum genere ſecuriſſima ſunt. A ſuffimigiis quoque v. g. fumo ſuccini, reſinæ ſtyracis, benzoes, olibani, gummi elemi, per infundibulum vel linteorum ope dentibus affectis admiſto, inſigne dolorum levamen ſecutum fuiſſe novimus. Interea tamen non omnes æque hanc medicationem ferre potuiſſe, & in quibuſdam graves capitis dolores, hemicraniam, vertiginem, oculorum dolorem preſſorium ſic excitatos fuiſſe obſervavimus.

Suffimigia.

§. VIII.

Balſ. vitæ, externe. Quod ſi vero dolor acerbus maxime in carioſo dente conſiſtit, liquor anodynus mineralis vel ſolus, vel cum balſamo noſtro vitæ permixtus, ope goſſypii dentibus inditus egregium præſtare ſolet levamen. In corporibus humidioribus una vel altera olei caryophyllorum gutta, item olei origani Cretici, nec non buxi deſtillati carioſo denti inſtillata vel cum goſſypio applicata, opem non contemnendam affert. Mixtura ex ſpiritu vini camphorato cum croco, caſtoreo & opio permixta gingivis atque excavatis dentibus admota, non ſecus ac ejuſmodi linimentum in rheumatiſmo & arthritide exterius applicatum, inſignis perſæpe levaminis eſſe ſolet.

Ol. deſtillata.

Mixtura ex camph. & opio &c.

§. IX.

Diæta. Cæterum, uti accuratum vivendi regimen ad præſervationem affectuum chronicorum, & etiam dolorum, utile ſemper ac proficuum eſt: ita illud ipſum in noſtro affectu non minorem adfert utilitatem. Diæta vero primario in eo conſiſtit, ut ægri ab omnibus ſalſis acribus induratis & nimium aromatiſatis cibis, vino præſertim acido & liquoribus ſpirituoſis, omnibuſque alvum duram & adſtrictam quæ reddunt abſtineant, auram frigidiorem, ventum præcipue ex Borea flantem quam ſedulo vitent, caputque maxime ab eo arceant. Et ſicut in omnibus rheumaticis affectionibus præcavendis nullum præſtantius ipſo ſufficienti motu & exercitatione corporis datur remedium: ita id ipſum quoque in chronicis & ſæpe recidivantibus odontalgiis commendationem meretur.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES.

§. I.

Cauteria. Quando atrocior odontalgia à dente carie infecto atque excavato proficiſcitur, ſi ſitus id permittat, cauterium ignitum ab exercitato chirurgo dextre applicatum, omnia decantatiſſima etiam remedia ſuperat: ſiquidem funiculo illo nerveo, in quo doloris ſedes eſt, exuſto, & putredine, ignis ope, è dente ſublata, dolorem non modo penitus exſpiraſſe, ſed & fœtidam cariem prohibitam fuiſſe, pluries etiam in nobis ipſis obſervavimus. Quin hac ratione quoque dens ſervari poteſt, ſi modo ejus cavitati poſtea cera cum maſtiche mixta, quo impediatur ciborum & aëris frigidioris ingreſſus, intrudatur.

§. II.

Quæ ſi non locum inveniunt dens evellendus. Quod ſi vero dirum illum in dente dolorem excitans caries, cavitatem efformaverit minus idoneam, ut cauterium commode non admitti poſſit: externa tamen, atque interna quoque in uſum vocata remedia nullius efficaciæ ſunt, nihilo minus à diutius affligente dolore gravioris mali periculum imminet; vix datur certius remedium, ac dentis affecti, à circumſpecto chirurgo, idonea encheireſi celebrata evulſio.

§. III.

Soluta tamen prius plethora. Sed tenendum circa hanc operationem, ne ipſo in paroxyſmo, ubi dolorum vehementia quam maxime urget, inſtituatur. Neque facile in plethoricis, ubi capitis, temporum & genarum venæ tument, vaſaque arterioſa vehementius pulſant, niſi prius juſta ſanguinis extracta fuerit quantitas, dentis evulſionem tentare convenit. Teſtantur enim practicorum hinc inde recenſitæ obſervationes, lethalem perſæpius hæmorrhagiam, à dentibus præſertim molaribus improvide extractis excitatam fuiſſe.

§. IV.

Sectio raninarum. Obſervationum fide conſtat, venarum ſublingualium inciſionem in graviori odontalgia eximiam tuliſſe opem. Nos etiam hoc medendi genus admittimus, ſub hac adhibita tamen cautione, ut inciſio venarum paulo ſubtilior ſit, alvuſque libera exiſtat: quin imo pediluvia in uſum, prius quam vena ſecetur ducenda ſtatuimus. Si vero nimia ſanguinis copia corpus turgeat, ſanguinem è pedis vena detrahere expedit: ubi dolore adhuc perſiſtente, poſtea forte raninas pertundere conducibile erit.

§. V.

Externa non perpetuo juvant. Peculiare id habent remedia odontalgica externa, ut nunc juvamentum afferant, nunc in eodem corpore nihil efficiant, & nullum adhuc conſtans & perpetuum contra dentium cruciatus reperiatur remedium. Securiſſimum itaque *Hinc diſ-*

eſt,

cutientia ſecuriſſima.

eſt, ſtagnantium & acrium humorum lenem & ſucceſſivam procurare diſcuſſionem, & ab aëris frigidi injuria partem affectam quam ſedulo defendere: id quod ſacculi ſuperius recenſiti, mitiora quoque diaphoretica omni ex parte præſtant.

§. VI.

Purgantia quibus conducant?

In corporibus cachecticis, quorum vaſa ingenti vitioſi ſeri colluvie repleta ſunt, & quæ artuum doloribus alias frequenter vexata fuerunt, blandiora evacuantia in caſſum exhibentur. Sed duriori cuneo hic opus eſt, atque ad paulo validiora properandum. Inter plura alia autem, quæ huic ſcopo inſerviunt, pilulæ ex gummi ammoniaco depurato, trochiſcis alhandal, extracto fibrarum hellebori nigri, mercurio dulci, cinnabari præparato, croco & caſtoreo compoſitæ eminent, & ob laudatiſſimum ſucceſſum, expectationi deſideratæ reſpondent.

§. VII.

Mixtura dolores extemplo ſedans.

Mixtura ex ſpiritu vini camphorato, eſſentia croci, nuciſtæ, & ſpiritu cornu cervi volatili vinoſo concinnata, ad guttas aliquot naribus excepta, admirandum plane in modum acutiſſimos etiam dentium dolores in momento ſedat atque profligat: cujuſmodi effectus à liquore anodyno cum balſamo vitæ liquido noſtro maritato identidem expectandus. At vero dolendum maximopere eſt, hanc dolorum exſpirationem modo ad tempus plerumque perſiſtere. Ratio autem hujus phænomeni in eo poſita eſt, quod nervi qui ad mandibulas, dentes atque nares tendunt, ex uno trunco pari videlicet quinto originem mutuentur.

§. VIII.

Omnibus irritis, opiata corr. proſunt.

Dolores dentium ſi tanta ferocia inſiſtunt, ut cuncta remediorum genera penitus eludant, ego inſigni cum fructu porrexi pilulas, ita à me excogitatas: Rec. maſſæ pilularum aloephanginarum drachmam, de ſtyrace drachmam dimidiam extracti croci grana ſex. M. f. l. a. Pil. No. LX. D. S. 6. *bis* 8. *auf einmahl.*

ENARRATIONES MORBORUM.

Casus I.

Odontalgia, ex vehementi motu, ſub ſævis tempeſtatibus, ſæpius repetito, oborta.

Sereniſſimus Princeps, firmæ & robuſtæ quoad fibras & habitum corporis conſtitutionis, qui inculpata, & conſtanti valetudine quadrageſimum jam annum ſuperaverat, continuis venationibus & vehementioribus corporis exagitationibus, ſub inclementiori frigido & humido aëre, ſub ſolis intenſiori æſtu, ſub ventis ſæviter ſæpe regnantibus, ita fatigavit vires, ut naturam ad permoleſtas defluxiones in capite & circumjacentibus partibus frequentius laceſſiverit. Quæ non modo in capite, ſed & in maxilla præcipue in dentibus acerrimum dolorem pariunt, atque per intervalla ex capite in ſubjacentia loca collum, humeros, ſcapulas delatæ, atroci dolore muſculoſas ac nervoſas has partes affligunt, principium vero aſperæ arteriæ obſidentes permoleſtam cum raucedine tuſſim inferunt. Ceterum ſub quietiori jam corporis ſtatu & vitæ inſtituto ingraveſcere hæc ſymptomata videntur, quippe & ciborum appetentia minuitur, & alimenta minus probe digeſta flatus & borborygmos cum alvo pigriori excitare ſolent. Ego in conſilium arceſſitus, primum atroci illi dentium dolori, qui valde urgebat, ſubveniendum eſſe duxi: quem in finem latus affectum linimento, ex una balſami noſtri vitæ & duabus liquoris anodyni partibus inungere juſſi; quod etiam goſſypii ope denti qui carioſus fuit admotum, levamen non mediocre attulit. Poſtea exquiſitam victus rationem imperavi: quæ in eo conſiſtebat, ut omnem aërem inclementem, ventos impetuoſos maxime, ac ſolis æſtum evitaret, & exercitationes corporis, equo vel curru vehendo, vel ambulando cum moderatione tamen, quia iis aſſuetus erat, non intermitteret; locó potus ordinarii decoctum temperatius ex radice chinæ, cortice ligni ſaſſafras, paſſulis, atque pauxillo cinnamomi paratum bibat, parcius vero vinis ſpirituoſis utatur, vel ſaltem tenuia Moſellana & huic ſimilia, aut valde diluta cum aqua hauriat. Præter rectam vivendi rationem, in qua conſtanter pergere debet, etiam hæc malo expugnando accommodata remedia ad uſum propoſui. Adeoque infuſum Theiforme ex meliſſa, ſalvia, veronica, betonica, corticibus citri recentibus, cardamomo, juſta doſi mixtis, mane ſumendum in lecto cum lenioris ſudoris expectatione ſuaſi. Ante prandium elixirii noſtri balſamici drachmam cum pauxillo vini & aquæ caperet, atque ad alvum liberam ſervandam bis in ſeptimana paſſulas Corinthiacas 1 habarbarinas ad unciam, ante lecti introitum ſumeret, conſului: ad tuſſim vero levandam, oleum amygdalarum dulcium ſine igne paratum, cum duabus partibus ſyrupi capillorum veneris permixtum, in avenaceo juſculo circa noctem uſurparet auctor fui. Præterea frictiones in capite & dolore affectis partibus mane & ſero adhibendas, cum pannis ſuccini fumo imbutis, calidis, plurimum commendavi, atque ante omnia ut caput & partes ſuperiores à frigore muniret, ſuaſi. Cucupham quoque in capite geſtandam ex herba majoranæ, ſatureiæ, floribus ſpicæ, roriſmarini, chamomillæ Romanæ, ſuccino, benzoe, ſtyrace, cardamomo præſcripſi. Quibus remediis adjutus per divinam gratiam, à moleſtis iſtis rheumaticis doloribus immunis redditus, jam ſine ullo valetudinis impedimento ex voto vivit Princeps Sereniſſimus.

Epicriſis.

Quemadmodum ad conſtantem tuendam ſanitatem, & ad morboſas à corpore avertendas afflictiones, nil nec efficacius nec ſecurius conveniente & ſufficiente corporis motu, labore & exercitatione eſt: ita attenta etiam obſervatione animadvertimus, non modo ex intermiſſo corporis motu, ſed etiam ex nimiis, vehementibus inopportunis & ſub inclementi cœlo inſtitutis exercitationibus viam ad morbos apertiſſimam ſterni: videlicet quandocunque illæ ſubito omittuntur. Nam quo celerior ſub ipſo motionum impetu & agitatior fluidorum & ſolidorum eſt motus & progreſſus, eo tardior & imbecillior poſtea evadit, quando prorſus corporis exercitium negligitur. Hinc preſſo pede ſanguinis & humorum ſtagnationes, decubitus, ſeri ſeparationes, ejus extravaſationes atque in ſubjectas partes defluxiones, præſertim eas, quæ aëris injuriis expoſitæ imbecilliores & à naturali tono dejectæ fuerunt, aliaque permoleſta accidentia inſequuntur; quemadmodum ſuperius haud ignobile exemplum ſatis luculenter demonſtrat. Ceterum, quoniam natura aſſiduis & quotidianis iiſque validioribus exercitationibus fuit adſueta, non penitus eas intermittendas, ſed ſub modo & moderatione continuandas eſſe cenſui.

Casus II.

Rheuma dentium è colluvie ſeroſa prognatum cura emaciante abigendum.

Cum nuper ad aulam Sereniſſimi Principis vocarer, conſultum me adiit fœmina honeſta ante XL. annos nata, ſanguine & ſuccis plena, quæ ſub priori conjugio & ante illud etiam in primis juventutis annis largiter ſemper ſanguinis menſtrualis fluxum experta eſt, atqui, dum ſingulis fere annis liberos peperit, ſatis valens & ſalva permanſit. In altero conjugio, quod plane fuit ſterile, per aliquot annorum ſpatium, tempore potiſſimum vernali & autumnali, permoleſtis & gravibus in capite defluxionibus, coryza, gravedine, dentium acerbo dolore, tumoribus faucium, uvulæque prolapſu miſere admodum fuit tentata: quæ ſymptomata duos, quandoque trés menſes continuarunt. Tumor internus faucium non mediocris ita ſæpius compreſſit mandibulas, ut os deducere, niſi quantum ſufficeret ad ſorbillanda juſcula vel tenuiores cibos capiendos, non potuerit. Multis uſa domeſticis & pharmaceuticis remediis: ſed cunctis effectu plane fruſtraneo. Cum in pleniorem morbi ſtatum ejuſque cauſas inquirerem, cognovi eam cum marito inferiorem domus humili loco ſitæ ſtationem inhabitare & in ipſa dormire, quæ cum minus à ventibus perflari queat, aër incluſus quam facile vappidus & humidus redditur; deinceps in quieto ſemper vitæ genere verſata eſt: tertio in conjugio ſterili vixit & menſes longe parciores quam ſuperioribus annis experta, ſingulo quoque vere & autumno venæ ſectionem in brachio admittere conſuevit. His perſpectis & diligenter expenſis, vitioſi ſeri potius illuviem in hoc corpore, quam ſanguinis redundantiam peccare judicavi. Quare non tam ad ſanguinis quantitatem detrahendam, quam ad ſeri intemperati & impuri nimiam copiam impediendam imo è corpore exturbandam, & ad robur toti corpori, capiti inprimis, conciliandum medicationis conſilium direxi. Suaſi igitur, ut mutaret conclave & dormitorium, atque in loco difflabili altiori vitam ageret: dein, ut intermedio tempore quo libera erat ab hoc affectu, à copioſiori cibo, carnibus elixis & pinguioribus juſculis, à cœna etiam abſtineat, & corpus labore & motu moderatiori exerceat, præcepi. Loco cereviſiæ craſſioris aquam coctam cum cinnamomo, cortice l. ſaſſafras, paſſulis & quarta vini parte mixtam bibat; & ut ſingulis menſibus, bis vel ter pilulis meis balſamicis polychreſtis, & totidem in ſeptimana vicibus elixirio balſamico temperato utatur edixi. Demum balſamo noſtro liquido caput inungendum, & aqua cum vino remixta, in qua aliquot guttulæ balſami dicti inſtillatæ, os frequentius colluendum commendavi.

Epicriſis.

In ejuſmodi diuturnis crebrius recurrentibus rheumaticis affectibus profligandis, medicus qui conſultatur, probe ſemper prius ſtatum corporis, cauſas antecedentes & concurrentes inveſtigare debet: ſiquidem utplurimum ſagax & circumſpectus Philiater, permoleſtas has diuturnas fluxiones ſeu rheumata, à tenuiore & excrementitio ſero ex atonia ſolidorum oriundo potius, quam à ſanguinis boni redundantia dependere atque produci deprehendet. Et tunc peſſimo conſilio largiores ſanguinis detractiones proponuntur, quæ naturam imbecilliorem reddunt & ad morboſas afflictiones diſponunt. Ego in doloribus rheumaticis arthriticis neque minus in catarrhoſis defluxionibus, ſingulari ſemper cum fructu diætam, ut ita loquar, emaciantem commendavi & imperavi; quæ in detractione copioſi alimenti, abſtinentia, ab omnibus quæ copioſum alunt nutrimentum tam cibis quam potibus, ſufficienti motu & exercitatione corporis, tenuique ac levi potu conſiſtit; interpoſito nonnunquam apto balſamico laxante & roborante. A quibus auxiliis, in ejuſmodi abigendis & avertendis morbis, ampliorem me ſemper conſecutum fuiſſe opem, ac ab aliis pharmaceuticis remediis omnibus, ſancte adſtruere & affirmare poſſum.

Casus III.

Sævus dentium dolor ex admiſſo corpori lethorico frigore, aqua frigida curatus.

Juvenis annorum XXX. corpore carnoſo & boni habitus, ſanguine abundans, hyemali tempore domi bene paſtus & cibis nutrientibus ſaturatus, vini quoque non raro hauſtum interponens, ſub libero vernali, ventoſo & humido cœlo, non tecto ſatis & munito corpore iter per aliquot milliaria facere debuit. Hinc domum reverſo, ingens laſſitudo corpus, caput moleſta cum vertigine gravitas, dentes vero immanis admodum dolor irruebat atque invadebat, qui noctu acerbior erat. Quum per annum ſanguinis miſſionem non paſſus fuerat, ex meo conſilio venæ circa pedis malleolum facta inciſio, & plus quam decem unciæ extractæ; quæ vacuatio cum euphoria celebrata quandam horum pathematum remiſſionem largita fuit, pulſu inde valentiori reddito. Ipſe ſponte ſua ante lecti ingreſſum, quum per ſyringam tabaci hauriret fumum, aquæ frigidæ fontanæ menſuram ſucceſſu temporis epotavit, cubitumque petens corpus ſtratis probe texit atque circumvolvit. Hinc largiſſimus in toto corpore ſubortus ſudor per integram noctem manavit. Inde expergefactus, omnis dolor à capite & dentibus, feliciſſime fuit abactus.

Epicriſis.

Quandocunque dolores gravativi & rheumatici artuum, capitis, imo dentium, à ſanguinis κατ' ἔξοχην ſic dicti conſiſtentis & rubicundi redundantia, quæ impeditioris humorum circuitus & ſecretionis atque excretionis imminutæ parens eſt, potius quam à ſeri impuri copia & decubitu in euſarcis & bene paſtis corporibus oboriuntur; ipſa ratio ſana medico-practica dictitat, ad liberiorem circuitum ſanguini & humoribus conciliandum, ſectionem venæ remedium eſſe apriſſimum. Et tunc ordinario pulſus major, auctior & fortior poſt ſanguinis vacuationem ſequitur, qui certum minimeque fallax, ex redundante illo purpureo liquore morbum proveniſſe, indicium exhibet. Deinceps inſignes aquæ puræ fontanæ frigidæ ſudoriferas & diſcutientes virtutes, hic caſus magis conſpicuas atque illuſtriores reddit. Ego ſemper in hac hæreſi fui, aquam frigidam fontanam puram, terreſtrioris calcareæ vel ſalinæ materiæ expertem, incomparabilem multis in morbis præbere medicinam, tum ratione frigoris fibras attonitas firmantis & roborantis, tum reſpectu mineralis ætherei ſpiritus, quo nulla aqua deſtituta, viribus identidem amici; quin & ratione fluxilitatis ac tenuitatis, qua craſſos humores mobiles, fluxiles atque libero progreſſui aptos reddere valet. Sed hoc remedium, quod utique magnæ utilitatis eſt, & recte heroicum dici poteſt, maxima eget cautione & circumſpectione. Quam hiſce capitibus includere non dubitamus: quorum primum eſt, ut imbecillo & tenui

cor-

corpori, ubi motus languent & venæ ſero turgent non exhibeatur: ſecundum, ut tantummodo corporibus ſanguine, calore, & motu vegetiore adhuc plenis præbeatur, quo in totius corporis ambitum actuari & diſtribui poſſit: tertium, ut non uno hauſtu, ſed ſucceſſive ac per vices ingeratur: quibus addimus quartum, ut corpus poſt epotationem vel motu ad ſudorem uſque exerceatur, vel in lecto calidis tegumentis probe foveatur.

Casus IV.

Odontalgia ex incongrua dieta.

Fœmina XXX. annorum, victui craſſiori ſalino indulgens & otioſæ vitæ dedita, ſanguine abundans, alvum patitur crebrius tenſam atque ſtrictam, menſiumque defectum experitur. Sanguis è vena miſſus apparuit glutinoſus. Autumno graviſſimo corripitur dolore circa nucham, qui ſeſe ad aurem extendit, parotidem totamque dextram maxillam cum inflatione atque rubore occupans, in dente carioſo ejuſdem lateris graviſſimum dolorem excitat. Pulſus erat febriculoſus, arteriæ fortiter circa tempora pulſabant, ſomnus inquietus vel plane nullus, & perpetuo ſalivalis latex ore effluxit. Ut his medelam faceret, externe utebatur linimento, quod habebat oleum hyoſcyami, carvi & parum camphoræ, à quo dolor minime mitigatus, ſed potius exacerbatus fuit, inflammatione in facie aucta. Curata vero eſt ſequentibus. Primum mixturæ, ex liquoris anodyni uncia dimidia, camphoræ, laudani opiati cydoniati utriuſque granis tribus paratæ, quindecim guttas vel viginti, tribus de die vicibus ſumſit. Secundo, loco potus ordinarii decocto hordei, ſcorzoneræ & raſuræ ligni ſaſſafras, cum ſemine papaveris albi in emulſionem redacto fuit uſa. III. Nuchæ & capiti ſequens applicatum fuit linimentum: Rec. aquæ Anhaltinæ, ſpiritus florum ſambuci ana unciam, ſpiritus ſalis ammoniaci drachmas duas, nitri artificialis, quod præparatur ex ſpiritu ſalis ammoniaci & ſpiritu nitri, camphoræ utriuſque drachmam dimidiam, opii grana decem, olei nuciſtæ deſtillati guttulas quindecim. M. Quod exterius adhibitum, egregium plane tulit ſolatium. IV. Mitigato pauliſper dolore, alvus vacuata fuit cum infuſo, quod capiebat folia ſennæ, rhabarbarum, agaricum, cremorem tartari, & paſſulas minores, cum aqua & vino. Utut vero dolores ex parte remiſerint, remanſit tamen fixus in gingiva circa dentis ſedem cruciatus, cum inſigni inflatione & rubedine, qui ad aliquot menſes durabat. Ex conſilio itaque medici, & opera chirurgi extracto dente, materia ichoroſa & putrida in copia ſucceſſive ex alveolo effluxit, cum plenaria doloris remiſſione. Foramen vero relictum uſu adſtringentis medicaminis fuit clauſum.

Epicriſis.

Ex hac morbi relatione diſcendum eſt, quod odontalgia frequentius conjuncta ſit cum phlegmone ſeu eryſipelacea quadam defluxione; quare etiam eodem modo ac via ſanatio utriuſque affectus inſtituenda. Et quemadmodum in eryſipelaceis affectibus exterius applicata oleoſa nunquam proſunt, ita etiam in hoc caſu ea non bene ferre potuit ægrota, ſed dolor potius diſcutientibus, temperatis & diaphoreticis auſcultavit. In cacochymicis corporibus, maxime, ſi humorum adſociatur abundantia, frequentiſſime gignitur & quidem circa autumnum odontalgia; quo tempore etiam arthriticæ affectiones familiarius occurrunt. Rebus itaque talem eventum ſortientibus, ad præſervationem venæ ſectio, decocta lignorum temperata, convenientia evacuantia, abſtinentia à vino, cibiſque ſalitis acrioribus, utiliſſimam, depurando totam ſanguinis maſſam, locant operam. Porro, cum fiſtula facile generetur in maxilla, quando in ejus alveolis materia acris putrida ſtagnat & exitum non invenit, quæ non modo ipſum dentem, ſed oſſeam etiam maxillæ ſubſtantiam exedit, corrodit & ulcus difficulter ſanabile, quod cognoſcitur ex dolore, tumore & rubore, nec non putridæ materiæ poſt compreſſam gingivalem carnem effluxione, efficit; ut mature ipſe dens extrahatur, quo corrupta illa materia non ſolum habeat exitum, ſed etiam medicamenta proxime ipſi ulceri applicari poſſint, maxime eſt neceſſarium.

Casus V.

Odontalgia, ex omiſſa conſueta V. Sect.

Fœmina XXX. annos nata, venarum ſectioni diu adſueta, quotannis eam, quotieſcunque uterum tulit, omiſit, ob vanum & nullis rationibus innixum metum, ne hoc evacuationis genus periculum portendat. Sed ſemper fere affecta eſt gravi odontalgia, juncta cum tumore faciei ſeroſo. Inter præludia vero hujus recurrentis affectus, ad frequentiam illius præſcindendam uſa eſt eſſentia, quæ conſtabat ex terra catechu, ſanguine draconis, pauxillo aluminis uſti & ſpiritu vini; quæ tam externe, quam interne ſumta, mox acerbiſſimi capitis ſecuti ſunt dolores, cum ſumma præcordiorum anxietate, inſigni virium defectu animique deliquio conjuncti. His ceſſantibus ſymptomatibus tumor utramque maxillam occupavit, quem externa applicata cataplaſmata non ſublevarunt, ſed exacerbarunt, ita ut intenſiori febre facta & intercurrentibus animi deliquiis abortum paſſa fuerit. Tandem emplaſtro manus Dei pertinax ille in ſcirrhoſam duritiem abiturus tumor fuit depulſus.

Epicriſis.

Gravidis familiariſſimæ ſunt propter plethoricum & cacochymicum ſtatum, & ob impeditiorem perſpirationem, menſiumque defectum, œdematoſi vel etiam eryſipelacei capitis & odontalgici affectus, qui matura venæ ſectione, & eorum uſu, quæ alvum clementer cum euphoria & per epicraſin movent, motuque inſuper & victu moderato præſcindi feliciter poſſunt. Si quis itaque excretionem humoris vitioſi, ſi jam imminet imprudenter velit impedire, quod fit adſtringentibus; non poteſt aliter fieri, quin materia à ſanguine jam ſegregata & corrupta in internas & nobiliores partes irruat, longe graviora ſymptomata inducendo. Notabile porro eſt, quod non ſecura ſemper ſint cataplaſmata ex diſcutientibus etiam compoſita, quia ſæpius repellendi facultatem, dum videlicet humida non quiſque ferre poteſt, nanciſcuntur. Deinceps tumor ſeroſus facile tranſit in ſcirrhoſam duritiem, præſertim ſi nimiis ſpirituoſis diſcutientibus fuerit tractatus, qualis diutius inhæret, & difficillime reſolvitur, neque facile emollientibus ad ſuppurationem diſponi poteſt. Egregiam vero virtutem non ſemel ſed aliquoties tali in caſu experti ſumus, ab emplaſtro ſic dicto Manus Dei, quod maximam partem ex gummatibus compoſitum, atque in *Charas Pharmacopœa Regia* deſcriptum eſt.

Casus VI.

Dolor dentium periodicus, ex vini & dulcium intemperantia.

Vir sanguineo-melancholicus vino adsuetus & dulcibus ultra modum delectatus, ex carioso dente dira sæpius tormenta, præcipue autem tempore nocturno passus est. Dolor hic erat periodicus: incipiebat enim circa decimam horam, excrucians usque ad tertiam matutinam, nullo extrinsecus apparente tumore aut calore præternaturali. In cavitate dentis hærebat particula spongiosa exquisitissimo sensu prædita. Hujus foramini intrusa fuit essentia castorei, cui tantillum laudani opiati admixtum erat. Ita quidem doloris atrocia quievit, nec per biduum reversa est; sed tertio die recruduit, & eadem hora rediit: non autem eodem remedio, sed ex camphora indita remisit. Elapsis aliquot diebus, cum idem dolor recurreret, nec camphora, nec prædicta essentia ullum levamen afferebant; sed potius tunc ad oleum caryophyllorum confugiendum fuit, cujus una & altera guttula denti carioso immissa levamen attulit. Accidit vero ut, cum sequenti septimana malum eodem modo infestaret, neque unum ex hisce tribus, utut singula applicata fuerint, quidquam in allevando malo præstiterint. Suasi, ut interne electuarium superius recensitum, cujus basin constituit rob sambuci, repetitis vicibus sumeret; externe vero balsamum nostrum vitæ naribus susciperet & denti essentiam castorei inderet: quo dolor etiam mitigatus fuit. Tandem dentis extractione facta, dolor nunquam rediit.

Epicrisis.

Hæc memoratu digna observatio luculenter docet, quam incerta & infida sint specifica sic dicta antodontalgica externa, idque hanc ob rationem, quod fibrarum & pororum in partibus solidis textura, & ab ea dependens debilitas non semper eadem maneat, sed brevi ab ipsis etiam medicamentis mutari possit: quo fit, ut idem remedium non eundem, sed alienum plane sæpe numero præstet effectum. Parum itaque auxilii cum expectandum sit ab externis, consultius semper procedimus, si curam ejusmodi affectuum congruis internis remediis adgrediamur & prosequamur, affectamque partem tantummodo in temperato calore & in exspiratione æquabili & liberiori detineamus.

CAPUT X.

De dolore & spasmo otalgico.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

CIrca dolorum & spasmorum doctrinam dum versamur, ille etiam qui ad aures pertingit & non minori sævitia ac ceteri affligit, non reticendus erit: licet breviter, quicquid de hoc affectu commemorandum, dicamus. *Definitio.* Est vero otalgia gravis dolor, in aurium cavitate sive meatu auditorio consistens, à sero acri extravasato, & subsistente intra membranam nerveam meatum auditorium cingentem exortus.

§. II.

Genesis & causa.

Pertinax hic aurium dolor, eos, qui rheumatismis & catarrhalibus defluxionibus sunt obnoxii, frequentius adoritur, vel, si sudor consuetus supprimitur, aut caput sudore madidum ventis frigidioribus desubito exponitur, prognascitur. Sæpe causa, inflammatio vel ulcus aurium est, ubi insignis ardor, dolor tensivus, pulsatilis, rubor, febris imo delirium junguntur: interdum à vermibus excitatur, & dolor vagus lancinans atque rodens percipitur. Præclare ARETÆUS *lib. II. cap. III.* de aurium dolore sequentem in modum differit: *Acusticus porus difficillime sæpe doloribus vexatur, ut etiam occipitium teneant & oculos atque buccarum musculos, & perseveratione quadam tardissima tempora & caput. Aliquando etiam humoris fluor per easdem cavernas fit quem græci rheumatismum vocant, & ita jugis ut sæpe vulneret altiora atque corrumpat, & ossa carie inficiat.*

§. III.

Processus & symptomata.

Otalgia tanta sæpius vehementia affligit, ut in provectioris atque adultæ ætatis hominibus delirium excitet, cum summa inquietudine & anxietate conjunctum; quinimo epilepsiam sic fuisse introductam nos observavimus. Phlegmaticos autem licet minori gradu infestet, horrendos tamen in cholericis, capitis dolores cum quadam mentis alienatione, vigiliis & inquietudine infert.

§. IV.

Horum ratio.

Ratio, cur aurium dolores tam crudeliter lædant, ut tolerari vix possint, in eo potissimum posita videtur, quod membrana aurem quæ investit, osseo illo meatui firmiter annectitur, adeoque magis tenditur, nec non à dura matre originem sortitur, nervorumque irreptatu dives est. Quo magis autem membranæ nerveæ tensæ atque expansæ sunt, eo acutioribus doloribus eæ sunt obnoxiæ: quemadmodum id liquido appareret in periostio, intra quod & subjectum os contentus sæpe humor horrenda symptomata producit, quod in panaritio aliisque ossium vitiis videre est.

§. V.

Prognosis.

Sæpe otalgia symptoma febrium acutarum evadit, ubi materiæ morbificæ ad aurem per metastasin fit translocatio; quemadmodum in morbo Hungarico interdum evenit, ubi surditas vel ingens saltim auditus difficultas exoritur. Quæ si in declinatione febris accidit infallibile convalescentiæ præbet signum: sed tunc vitium in auris internæ membrana & nervo acustico hæret. Quando vero metastasis ad aurem externam pertingit, tunc otalgia suboritur, quæ, nisi cito succurramus, ob doloris atrocitatem demere vitam potest. Qui ex lapsu vel casu in terram otalgiam patiuntur; ubi materiam sanioſam per aures reddidere, è medio omnes sublati sunt, teste RIVERIO *observ. XVIII. p.* 291. HIPPOCRATES vero in *coac. prænot. pag.* 538. §. 58. de exitu hujus morbi sequentia habet: *auris dolor pertinax, cum febre acuta & alio quodam signo aliquantum maligno juvenes quidem septima die occidit, & citius delirio correptos, si non multum pus effluxerit ex aure, aut sanguis è naribus, neque aliud quoddam bonum signum compareat, Seniores autem tardius & minus tollit: nam & aures suppuratione præveniunt & minus delirant. Verum multi ex his*

his recidivant, atque ſic pereunt. Monere autem hoc loco debeo, quod hoc decretum *Hippocratis* magis de dolore & tumore inflammatorio parotidum intelligendum ſit.

METHODUS MEDENDI GENERALIS.

§. I.

Dolor componendus.

In curatione hujus dira tyrannide aures exercentis affectus, omni ratione eo annitendum eſt, ut dolorum illa vehementia, quæ cauſam interdum graviſſimis ſymptomatibus præbet, componatur vel ſaltim mitigetur. Id quod variis quidem modis tentari atque obtineri poteſt. Nos autem aliis cunctis, pulveres nitroſos cinnabarinos, liquorem noſtrum anodynum mineralem, nec non emulſiones ſeminum IV. frigidorum majorum præferimus. Quibus nihil proficientibus, ad opium rite correctum fugiendum eſt, quo nomine maſſam pilularum de ſtyrace, *Starckei*, *Wildeganſii*, laudanum liquidum *Sydenhami*, vel cydoniatum *Helmontii* commendamus.

§. II.

Externis.

Externe emplaſtrum anodynum tempori lateris affecti nec non pone aures applicatum, quod ex maſtiche, galbano, croco, oleo nuciſtæ expreſſo, caſtoreo, opio compoſitum eſt, deſidetiſſimas fert ſuppetias. Dein etiam vapor ex lacte & ſpeciebus fragrantibus atque emollientibus auri immiſſus materiam peccantem non modo emendat, corrigit atque ad ſuppurationem diſponit, ſed & fibras nerveas nimis tenſas relaxando dolorem ſolvit. Convenit quoque veſicam ſuillam decocto cum lacte ex floribus malvæ, verbaſci, ſambuci, meliloti, chamomillæ vulgaris, nympheæ, papaveris rhœados, ſemine lini & pauxillo croci repletam exterius adfecto lateri admovere. Fumus quoque nicotianæ cum fiſtula inverſa auri immiſſus, item millepedes in oleo olivarum vel amygdalarum amararum infuſi, nec non oleum ſcorpionum ad dolorem, ſi ab inflammatione vel ſero acri provenerit, compeſcendum, maxime valere creditur.

§. III.

Humor ſtagnans diſcutiendus.

Quemadmodum autem ubicunque humor reſtagnat atque ſubſiſtit, is promovendus atque diſcutiendus eſt: ita etiam pulveres diaphoretici, leniter nitroſi, cinnabarini, cum aquis diapnoicis atque analepticis propinati opportuniſſimam in hoc affectu locabunt operam. Plethora ſi urget, vena ſecanda: atque alvus renitens clyſteribus emollientibus, vel internis laxantibus ex manna, caſſia & rhabarbaro paratis, ad officium redigenda. Dignus certe eſt qui hac occaſione commemoretur locus apud modo laudatum ARETÆUM, ubi curationem hujus mali pulchre admodum propoſuit. *Utendum* inquit, loc. cit. *requie corporis atque abſtinentia & ſilentio ſummo: etenim organo auditorio accepta voce aures neceſſario commoventur, & propterea majores dolores efficiunt. Locandi præterea ægrotantes calido in lecto, & ſi dolor coëgerit, phlebotomandi, atque tertia die levi atque ſartili cibo reficiendi, & ob mitigationem doloris exterius admovenda vaporatio tepidi liquoris vel ſacculi ex polline tenera confecti. Tum cataplaſmata laxativa, & cum dolor initium ſumſerit, ſtatim erunt admovendæ ſanguiſugæ quas hirudines appellant circa fines auriculæ, vel circa ejus poſteriora cucurbita admota, ſcarificando, adhibita ſpongiarum calidarum. Ipſam quoque cavernam involuta lana per ſpecillum oleo calido tinctum, paulatim penetramus, atque illic lana derelicta ferramentum detrahimus.*

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES.

§. I.

Quid agendum, ſi à cauſa externa in aurem illapſa otalgia oriur?

Quandocunque dolor aurium à cauſa externa, immiſſa v. g. dura mole in aurem provenit, cujus rei exempla apud HILDANUM proſtant, tunc in ipſa doloris ſævitia neutiquam tentanda erit extractio cum forcipe vel alio inſtrumento: eo, quod non modo fruſtra hoc tentamen ſuſcipitur, ſed & dolor mirum adauctis ſymptomatibus intolerabilis redditur. Sub doloris enim impetu nerveus auditorius meatus vehementiori ſpaſmo conſtringitur, ut adeo, quacunque demum etiam leviori vi externa accedente, dolor exacerbetur, & meatu ſic anguſtiore evadente, materiæ exitus eo magis prohibeatur. Rebus ita ſe habentibus, fotus ſupra dicti potius locum invenit applicatio, vel aliquot olei amygdalarum amararum in aurem inſtillatio; quippe quod præter vim demulcentem, ſedativa quoque facultate eſt inſtructum: qua ratione, dum membranæ tenſæ emolliuntur & relaxantur, ſola oborta ſternutatione, corpuſculum illapſum ſimul & ſemel ſponte excuſſum fuiſſe, novimus. Atqui, cum huc apprime quadrent, quæ monumentis ſuis reliquit TRALLIANUS, non poſſumus, quin ejus de hac re ſententiam ad verbum recenſeamus, quæ *libr.* III. *cap.* III. ita ſe habent: *Si lapillus, aut faba, aut aliud quicquam in aurem incidat, ſpecillum lana involutum in reſinam terebinthinæ aut glutinoſum aliquod intingito, ac ubi in aurem injeceris leniter protrahito, & ſternutamentum excitans, os & nares obturato. Nam ſpiritus intentione, quæ ita fit, id quod intus impactum eſt, expellitur. Hoc autem continuo facito diligentiam adhibito, ut quam primum eximatur. Sin autem neque ſic exciderit, inflammatione oboriente, convulſiones ſæpe comitantur, ut etiam ægri de vita periclitentur. Quare oleum quoque tepidum frequenter infundere oportet: ſic enim locis inflammatione liberatis, id quod inſidet, facile eximetur.*

§. II.

Materia purulenta diutius effluens divertenda.

Otalgia plerumque à cauſa interna ſolvitur & abſceſſu finitur, dum materia purulenta ichoroſa, ex ipſis glandularum meatum auditorium externe obſidentium atque cerumen alias largientium poris & tenuibus canaliculis, ſtillat. Ad quas etiam in infantibus, præſertim qui ſpongioſioris corporis ſunt habitus, tantus ſæpe humoris ſeroſi fit affluxus, ut ingens fœtidi & purulenti humoris copia quotidie exeat. Sub tali morbi ſtatu humorum impetus per laxantia leniora, mannata, rhabarbarina, paſſulata, aliquoties repetita divertendus, vel pediluviorum, veſicatoriorum, aut cucurbitularum ope in provectioris præſertim ætatis hominibus, ad inferiora invitandus eſt. Hac ratione moleſtus hic aurium fluxus ſucceſſive minuitur, & ſalvo auditus organo ſanatio perficitur.

§. III.

Leniter exſiccanda.

Quando major jam puris copia poſt inflammationem præcedentem ex aure effluxit; tunc, præter ea, quæ humorum impetum, à capite & auribus divertunt, quæ leniter exſiccant, putredinique reſiſtunt

reſiſtunt exterius admovenda ſunt. Veteres eo fine paſtillos, ex aloë, croco, myrrha, ſarcocolla, confecerunt, & aurium cavernis indiderunt, vel mulſum ex vino factum cum mali punici cortice, nardo, amygdalis amaris, croco, myrrha, alumine, vel herbarum vulnerariarum ſuccis coctum, cavernæ aurium, ſi humor fortius effluxerit, infuderunt. Qua de re evolvendus CÆL. AURELIANUS *libr. II. cap.* 3.

§. IV.

Tamen non ſubito inhibenda.

Cavendum vero eſt, ne diutino aurium purulento fluxui, à quacunque etiam cauſa proveniat, externis validioribus exſiccantibus & fortioribus adſtringentibus deſubito obex ponatur. Exinde enim ingentem parotidum tumorem, cum ſummo dolore ſæviſque ſymptomatibus ſtipatum, profectum fuiſſe, noſtra pariter & aliorum fide conſtat.

§. V.

Parotides in febr. quomodo abigendæ?

Quandocunque febribus acutis ſupervenit atrox ille aurium dolor cum intumeſcentia parotidum; non præſentius auxilium, ac in cucurbitularum cum ſcarificatione in nucha appoſitione, & ſolius cataplaſmatis emollientis, ex caricis pinguibus, croco, melle, ſucco ceparum toſtarum & radice liliorum alborum parati tepido uſu, me inveniſſe plena fide teſtor.

§. VI.

Vermes vel eliciendi vel enecandi.

Si dolor à vermibus aurem ingreſſis ortum traxerit, lacte tepido auribus immiſſo hi eliciendi, vel oleo abſinthii, nucleorum Perſicorum aut amygdalarum amararum ſunt enecandi.

ENARRATIONES MORBORUM.

Casus I.

Otalgia ſuffimigiis & emplaſtro brachii tumori applicatis inducta.

Nobiliſſima Virgo quinquageſimum quæ jam complevit annum, activi ingenii, ſanguineæ conſtitutionis, decem abhinc annos dolorificis partium externarum fluxionibus à ſanguine nimium abundante, & ob ejus tardiorem progreſſum impuriore reddito ſubortis continuo fere fuit obnoxia. Me quum hac de re conſuleret, ut ter minimum ſingulis annis nimiam redundantis ſanguinis quantitatem è ſecta vena detrahi curaret, auctor fui: unde melius etiam ſe habuit. Conſueta vero hac ſanguinis eductione æquinoctio autumnali intermiſſa, atque ſudore nocturno uſitato, ex improvida brachii dextri refrigeratione, cohibito, poſtero die ingenti dolore una cum tumore in ejuſdem brachii cubitu tentata fuit; qui adeo ſenſim increſcebat, ut brachium neque flectere neque attollere potuerit. Ad hanc moleſtiam abigendam, amicarum ſuaſu, frequentius ex guminatibus reſinoſis, ſuccino, tacamahaca, uſa eſt ſuffimigio: quo remiſſior quidem dolor redditus, ſed tumor mutata ſede ſuperiorem humeri partem invaſit, qui inſignem in magnitudinem increſcebat. Huic cum à chirurgo emplaſtrum applicaretur, evanuit ex parte quidem, ſed in dextrum capitis latus irruens, in aure potiſſimum horrendum & acutum dolorem, ut vix ferendo illi par eſſet ægrota, introduxit. Totum dein caput inſigniter tumefactum comparuit, auditus aderat ſumma difficultas, atque è naribus aliquot ſanguinis guttæ cum mucoſis multis humoribus ſeceſſerunt. Conſilium meum, cum per medicinæ candidatum qui mihi ad manus erat exquireret, conſultum primo omnium duxi, ut aperiretur vena pedis ſiniſtri, quo abundanti nimium ſanguini quodammodo exitus detur; deinceps, ut infuſo foliorum ſennæ & rhabarbari cum decocto paſſularum minorum, ſordes è primis viis blande educerentur. Quibus præmiſſis, tenuem victum & pro potu decoctum, ex radice ſarſaparillæ, glycyrrhizæ & floribus papaveris rhœados ſumendum imperavi; atque ad ſucceſſivam tranſpirationem & uberiorem pravi humoris ſubſiſtentis promovendam difflationem, ut æquali lecti calore corpus foveret, & mixturam, ex aqua florum ſambuci, cornu cervi uſto, antimonio diaphoretico & pauxillo nitri frequentius uſurparet, laterique dolenti ſacculum ſupra deſcriptum leniter caleſactum applicaret, ſuaſi. Et ita circa undecimum diem, largo ſudore ſponte erumpente, totum corpus fuit perfuſum, evaneſcente penitus permoleſto accidente. Cum vero auditus gravitas cum dolore preſſorio remaneret, conſilium dedi, ut panis cum ſemine fœniculi igne cocti, recenter ex furno extracti & diſciſſi vaporem meatui auditorio reiteratis vicibus admitteret. Quo pacto expurgata demum pilulis balſamicis & cephalicis noſtris, ſordium mole, priſtinæ valetudini ſenſim ſenſimque Nobiliſſima patiens fuit reſtituta.

Epicriſis.

Ex hujus affectus generandi, pariter ac eum curandi modo, medicorum juniores plura ad praxin utilia momenta capere & depromere poſſunt. Primo, quod dolores ejuſmodi rheumatici, à venæ ſectione neglecta & ſudore conſueto ſalutari cohibito, originem ſuam ducere poſſint. Dein, quod ad eos abigendos ſuffimigia non ſatis ſint ſecura remedia, dum tonum cutanearum fibrarum nimium augendo, pravorum humorum motum ad interiora convertunt, quum potius ejuſmodi vitioſi humores ſenſibilioribus corporis partibus & poris inhæreſcentes ſucceſſive & placide commovendi, & ad liberiorem exhalationem incitandi ſint. Et quod, tertio, in ejuſmodi pertinacibus rheumatibus profligandis longe magis circumſpecte & efficaciter agat medicus, ſi non multis activioribus ſudoriferis naturam laceſſat, ſed tempus expectando, blandis & temperatis ad diapnoën diſponentibus remediis utatur: qua ratione contingit, ut natura ſponte ſæpe critice & ſalutariter morbum ſolvat.

Casus II.

Otalgia immanis, ex ingeſta vini copia & ſequente refrigeratione.

Generoſus ſenex ſexagenario major, macilentioris ſtaturæ ſed floridæ faciei, olim cum inter Weſtphalos medicinam facerem, conſultum me adiit, qui à convivio, in quo vinum liberalius potaverat, ſub aura nocturna peregre domum reverſus, altero mane de gravativo capitis dolore, ſiniſtrum præſertim latus affligente conquerebatur. Huic mox dolor auris valde acutus ſucceſſit, qui tam atrociter intra paucos dies invaleſcebat, ut non modo omnem ſomnum adimeret, ſed & tremorem partium univerſi corporis cum frigore excitaret, adeoque non fruſtraneus eſſet convulſionum metus. Intolerabilibus plane dolorum tormentis miſerrime excruciatum ſenem inveni, qui non niſi a globo per ſclopetum trajecto levamen optabat: tantæ inſaniæ & deſperationi proximus erat. Exterius, dolente in parte nihil præternaturale conſpiciendum erat. Itaque alvus aliquoties à clyſteribus ut aperiretur, curavi:

curavi: atque interne non nisi pulveres antepilepticos, cum nitro, cinnabari & pauxillo laudani opiati remixtos propinavi, vaporem quoque decocti florum chamomillæ cum lacte auri frequentius admovendum præcepi: eo quod intra meatum auditorium consistere dolorem, conquerebatur. Tandem elapso die septimo, mitescente doloris sævitia, corpus madore perfusum, pulsus redditus sedatior & mollior, qui ante contractus & durus erat, urina quoque antea valde tenuis & aquosa, crassius nunc sedimentum deposuit, & denique sponte aperto abscessu, ex aure successive duobus purulentæ materiæ cochlearibus effluentibus, omnia & singula gravia symptomata penitus remiserunt atque evanuerunt.

Epicrisis.

Mirari omnino subit, senem nostrum tam valenti & robusta natura adhuc gavisum fuisse; ut adeo gravem capitis affectum, qui totum nervosum systema afflixit, feliciter superare potuerit. Atqui in hoc genere hæc ipsa curatio, quæ plus naturæ quam arti debetur, insigne autocratiæ naturæ exemplum præbet. Venæ sectionem cui non adsuetus erat, nolui admittere, nec fortioribus, sed lenissimis tantum remediis atrocissimum morbum in sene pertractare æquum duxi. Et hæc viri magna auctoritate in principatu Mindensi pollentis è tam gravi morbo evasio, mihi tum temporis juveni medico, magnam supra meritum meum famam & existimationem conciliavit.

Casus III.

Otalgia divina mira crudelitate ludens, effluxu puris soluta.

Generosæ fœminæ, viduæ consiliarii Aulici filia, decem annorum puella, tenerioris & mollioris naturæ, de languore, inappetentia & doloribus abdominis, pungitivo etiam circa hypochondria, querelas cum ejulatu instituit maximas. Somnus erat exiguus, cum pavore plerumque comitatus. Præsentiam vermium horum pathematum causam cum judicavissem; quæ iis & enecandis & expellendis accommodata videbantur, à me fuerunt præscripta: at vero in cassum adhibita. In lecto detenta per mensem & ultra, perpetuas de hisce symptomatibus movebat querimonias. Tandem facta dolorum ex imo ventre evanescentia, cephalalgia cum auditus difficultate graviter tentabatur. Accessit assidua vigilia, adeo ut per quatuor & quod excurrit hebdomadum spatium ne horam quidem capere somnum potuerit. Quotidie delirabat; nec quicquam cibi vel potus assumsit, auditu penitus amisso. Nihil ad vitam & vires conservandas præter intritum cerevisiæ cum pane cepit: quippe medicamina cuncta, omnia jusculla atque alimentorum genera respuebat. Frequenter ægram invisebam: & quum urgeret consilium mœstissima mater, me nihil certi de morbo ejusque eventu edicere posse fassus sum, DEO, naturæ & tempori opus relinquere consultius ducens. Tandem præter omnem opinionem evenit, ut nocte multum purulentæ materiæ aure effluxisse deprehensum fuerit, majori quantitate sensim succedente. Ita ad miraculum intra diem & noctem rediit somnus, revertit auditus, utut adhuc gravis, & pedetentim appetitus & vires revocatæ sunt: verbo, DEI ac naturæ beneficio reddita valetudini fuit nobilis puella, bona adhuc dum & prospera valetudine utens.

Epicrisis.

Et hoc quoque exemplum plane evincere & demonstrare potest, causas morborum adeo abstrusas sæpe esse, ut mentis acie medicus vix eas penetrare possit. Videmus tamen iterum ex enarrata historia, quomodo solus atrocior capitis dolor omnes functiones animales & naturales pervertere imo propemodum destruere valeat, atque à sola violenta nervosarum & fibrosarum partium agitatione, commotione & distractione proxime proficiscatur. Hinc etiam fit, ut dolore sublato, tanquam causa horum acerborum symptomatum proxima, omnia ad pristinum & naturalem statum redeant.

CAPUT XI.

De dolore podagrico & arthritico vero & inveterato.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Differentia podagræ incipientis à radicata.

Discrimen podagræ & arthritidis recentis ab ea quæ radicata & inveterata est, insigne in prognosi & praxi medica habet momentum: nam illa est magis transitoria, ætate florentes & sanguine ac succis plenos ob vitium in rebus non naturalibus commissum corripit, & rheumatismi simplicis species est; hæc vero magis hæreditaria, corpora imbecilliora invadit atque in sanguine & sero corrupto radices agit, difficulter etiam tollitur, & sæpius ad mortem usque durat.

§. II.

Historia podagræ ex Sydenhamo.

Quum nemo ideam, historiam, ac progressum podagræ melius & rectius SYDENHAMO, qui ipse fuit podagricus, delineaverit; placet hoc loco ex ipso auctore breviter & concinne eam exponere: *podagra exeunte Januario, aut incipiente Februario derepente & nulla fere præsensione antecedente ingruit, nisi quod ventriculi cruditate, aut apepsia ad septimanas aliquot æger laboraverit; corporis interim intumescentia quasi ventosa ex gravitate, quæ in dies augetur, donec tandem detonet paroxysmus, quem paucis diebus præit torpor & quasi flatuum descensus per femorum carnes cum affectione ανασπασεις, tum etiam pridie paroxysmi, appetitus voracior, non tamen naturalis. Sanus lecto somnoque committitur; hora vero secunda post mediam noctem excitatur à dolore pollicem pedis ut plurimum occupante, quandoque vero calcaneum, suram aut talum: hic dolor eum refert, qui ossium dictorum dislocationem comitatur, cum sensu quasi aquæ tantum non frigidæ partis affectæ membranis affusæ. Mox sequitur rigor cum horrore & febricitatione aliquali. Dolor autem hic primo remissior gradatim intenditur (pari passu rigor & horror recedunt) idque in singulis horis, donec tandem sub noctem ad apicem pervenerit, se ad varietatem ossiculorum tarsi & metatarsi, quorum ligamenta obsidet, perbelle accommodans; nunc tensionem violentam, vel ligamentorum istorum dilacerationem, nunc morsum canis rodentis, quandoque pressuram & co-*

arctationem exprimens. Ad hæc, ita vivum exquisitumque habet sensum pars affecta, ut nec linteorum superincumbentium pondus, nec cubiculi à fortiori ambulatione concussionem ferre valeat: hinc mille conamina, situs tum ipsius corporis, tum membri affecti mutatione assidua, doloris sedationem incassum exambit; quæ tamen non contingit ante horam secundam tertiamve matutinam (decurso scilicet nycthemeri spatio à primo appulsu paroxysmi;) quo tempore æger post materiæ peccantis modicam digestionem & diffiationem aliqualem, subito à dolore respirat. Jam leni madore perfusus somno concedit, à quo evigilans, dolore multum imminuto, partem affectam tumore recenter occupatam cernit. Intra paucos dies alter pes eodem dolore torquetur, easdemque excitat tragœdias, nonnunquam etiam ambos pedes in initio occupat: postquam utrumque pedem exercuerit, qui sequuntur paroxysmi abnormes sunt, tum etiam quoad durationem; hoc tamen ubique servat, quod dolor noctu recrudescat, mane vero remittatur; atque ex serie horum paroxysmulorum constat paroxysmus, qui dicitur podagræ, diuturnior breviorve pro ægri ætate, &c. quod in vegetioribus, & iis, quos podagra rarius invisit, diebus sæpe quatuordecim fit; in senioribus, atque iis, quos sæpius afflixit, duobus mensibus; iis vero, qui aliquot annis podagrici fuerunt, non prius valedicit, quam ætas adultior eam fugaverit.

§. III.

Ulterior progressus & terminatio.

Ad quatuordecim primos dies urina coloratior est, quæ post separationem sedimentum rubrum, & quasi arenulis refertum deponit; nec æger utplurimum nisi tertiam potulentorum quæ assumsit partem per vesicam reddit; alvus item ad dictos fere primos dies constipata est. Appetitus prostratio, rigor totius corporis sub vesperam, partium etiam non affectarum gravitas & molesta sensatio integrum paroxysmum comitantur. Recedentem paroxysmum excipit pedis affecti pruritus vix ferendus, maxime inter digitos, unde decidunt furfures, & pedes ipsi quasi ab epoto veneno desquamantur.

§. IV.

Symptomata morbi post annos aliquot infestantis.

Atque hoc modo se habet podagra regularis, cum vero vel indebita medicatione turbetur, vel diuturnior invaserit jam per annos aliquot, phænomena sunt multum diversa à jam descriptis. Jam manus, carpos, cubitos, genua, aliasque regiones occupat; quandoque digitos distorquens, motu paulatim privans, tandemque concretiones, circa articulorum ligamenta, tophaceas generans, cretam vel oculos cancrorum æmulantes; nonnunquam in cubitis tumorem subalbum ciet, fere ad ovi magnitudinem, qui sensim inflammatur; nonnunquam femur occupans, sensum exhibet quasi ingentis ponderis appensi, sine dolore tamen notabili; ad genu exinde petens, id acrius urget, artus jam habet æger fere undequaque contractos & impeditos, ita ut claudicet, & permoleste prorepat.

§. V.

Descriptio arthritidis ex Aureliano.

Ex veteribus omnium optime historiam arthritidis descripsit CÆLIUS AURELIANUS *Lib. V. cap. II. morborum chronicorum* hunc in modum: *sequitur autem passione articulari tentatos torpor, atque formicatio eorum articulorum qui tanguntur, & difficilis flexio, atque rursum extensio: item gravedo & vacandi dulcedo, & ad parvum motum vehemens labor, atque dormientibus sensus quidam resonantium articulorum, & cum de somno surrexerint, veluti saltu earundem partium afficiuntur: tum horror, vel rigor, atque tremor sine ulla manifesta ratione partium sequuntur. Dehinc cum passio se extollere cœperit, in podagricis dolor alterius pedis, aut utriusque cum punctionibus nascitur, incipiens à vestigio aut plantæ cavitate, vel sæpius à majore digito, attestante torpore, & gravedine, & difficili motu, cum horrore rigido, atque inæquali per membra, & aliquando plurimo fervore, aliquando frigore, ut alii refrigerantia, alii calida desiderent ægrotantes, & propterea quidam alteram calidam, alteram frigidam podagram putaverint nuncupandam. Item initio, ut sæpe contingit, similis color patientium atque sanarum videtur partium, attestante æqualitate, nullo emergente tumore. Dehinc inflatio partium fit cum rubore. Quapropter relevatio altiorum sæpe sequitur. Tum pejorante passione arthritica sufficitur passio, cum in unum omnium cogitur articulorum consensus, & facile ex articulo in articulum venit dolor, nec desinens priusquam cunctos invaserit nodos. Sæpe denique prioris articuli dolore declinante secundus invaditur, atque eodem similiter mitescente tertius sumit exordium, consentiente etiam vesica, atqie spinæ majoribus nervis, quos τένοντας appellant: & in stomacho etiam nausea vel vomitu jactantur ægrotantes. Tunc articuli tumentes inflantur, ac deinde durescunt, & solidati saxeam faciunt qualitatem: tunc etiam nigriores efficiuntur, atque contorti, ut in obliquos partes digiti vertantur, aut reflexi supinentur, aut vicinis adfixi incumbant, & aliquando humore purulento vel mucilento collecto, aut viscoso generent poros, quos non transitus dicere poterimus: dehinc etiam lapides sufficiant, qui quidem articulos solvant, & cutem distendant, atque erumpentes promineant, & chirurgia detrahantur: aut exilientes cyathis, cum ferramento tollantur, quod nos laureolum dicere poterimus, & rursum renascantur. Tum membra dolentium partium, cessante nutrimento, tenuata langiescunt, & arida efficiuntur. Erunt præterea ægrotantes parvis ex causis mobiles atque iracundi, siquidem motum vel actum non sine querela accipiant.*

§. VI.

Ratio formalis podagræ.

Podagræ igitur rationem formalem, si rectius investigare velimus; consistit ea ipsa in vehementi spasmo, quo membranæ ac ligamenta nerveo-tendinosa, quibus ossa in sedibus suis collocata retinentur & firmantur, violenter lancinantur, divelluntur, distrahuntur sæpe ad rupturæ usque vel pali infixi sensationem, à sero vitioso acri-salso, per minimas arteriolas & exiles glandulas ligamentorum copiosius advecto suscitatus, cum febrili motione & partis adfectæ inflammatione conjunctus.

§. VII.

Symptomata spasmo debentur.

In hoc adfectu atrocem spasticum dolorem fibrillarumque & membranarum nervearum stricturam excipiunt atque indicant varia phænomena & quæ hoc dolore correptis contingunt symptomata: videlicet invadente dolore pori cutis in pede angustantur, influxus sanguinis & refluxus debitus impeditur, sudor ac transpiratio nunc cohibetur, nunc augetur, membrum rigore

ac

ac rubore concutitur, venæ diſparent, & valde ſenſibilis in parte affecta diſtenſio & diſtractio percipitur, concomitante æſtu, rubore & ſubſequente tumore. Spaſmus autem hic non tantum in afflicta parte incipit & ſubſiſtit, ſed ulterius ſerpit, inque conſenſum trahit alias eximioque ſenſu præditas internas partes, quæ, ſimili ſpaſmo affectæ, varia producunt ſymptomata. Unde non ignota poteſt eſſe ratio, quare frequens oſcitatio, flatuum deſcenſus per femoris carnes, horripilatio per dorſum ac lumbos, ac febriculoſus pulſus, præcordiorum anxietas, animi defectio, ſomni inquietudo, torpor atque vermiculatio articulorum, ciborum inappetentia, nauſea, in ſuris quaſi convulſio, vomitus ubi imminet paroxyſmus vel jam præſens eſt, ægros infeſtet? quæ omnia ex ſpaſmodica conſtrictione & inde reſultante ſanguinis motione non poſſunt non originem ſuam repetere.

§. VIII.

Id demonſtratur. Hujus argumenti veritas, nimirum quod arthritici & podagrici doloris eſſentia in ſpaſtica fibrillarum nervearum contractione verſetur, ulterius exinde clarius demonſtrari poteſt, quod, quandocunque materia ſeroſa acris arrodentis indolis è partibus dolentibus perverſa medicatione aut alia ſontica cauſa ad nobiliores internas partes nervoſas repellitur, atroces in iiſdem dolores & ſpaſmi excitentur. Ita in praxi frequentibus & fere quotidianis conſtat obſervationibus, à materia podagrica retrocedente, ſi ea fertur in cranii membranas, gravem cephalalgiam, in membranas dentium atrocem odontalgiam, in tunicas ventriculi, ejus ſpaſmum, ſingultum, vomitus ſeu cardialgiam, in pulmonum tunicas nerveas, tuſſim convulſivam & aſthma ſpaſmodicum, in membranas coſtarum pleuritidem ſpuriam, in tunicas inteſtinorum, graviſſima tormina & colicum dolorem, denique in viis urinariis & veſica iſchuriam & ſpaſmum excitari.

§. IX.

Cauſa efficiens Expoſita ſic indole podagræ, quæ in ſpaſmo dolorifico, omnium ferme ſymptomatum parente conſiſtit, excutiendum ulterius remanet, quænam hujus effectus cauſa, atque in quibuſnam partibus geneſis mali exiſtat? Medicorum recentiores ferme omnes in hac ſententia videntur convenire, podagram morbum eſſe metaſtaticum ſalinum, à collectione ſalis fluidi acris ſtimulantis intra membranas ac ligamenta articulorum productum. Cujus generis autem ac ingenii illud ſal ſit, diſſentire videntur. Alii acidum, alii ſal tenue corroſivum bilioſum, alii auſterum & ſtypticum principium incuſant. Nos purum & ſibi relictum acidum in animantium corporibus vix reperiri exiſtimantes, tartareum illud eſſe aſſerimus, ita tamen, ut acidum quoad figuram ſuam ſcindentem ſpiculatam, haud ſecus ac in tartaro prædominetur. Interim tamen non negamus, pro diverſitate morbi atque ægrorantium natura ac temperamento, & pro cauſarum antecedentium diverſa indole, majori volatili acredine bilioſa, vel fixiori, ſerum, quod ſalium morboſorum eſt vehiculum, eſſe imbutum; unde etiam arthritis variat, & volatilis & fixus exſurgit dolor, magis vel minus ardore atque inflammatione infenſus.

non eſt ſal acidum vel bilioſum,

ſed tartareum.

§. X.

Quæ ſententia ſtabilitur. Multa autem ſunt, quæ peccantem materiam tartaream ſubinde peccare evincunt. Etenim experientia compertum eſt, ad calculum diſpoſitos utplurimum evadere podagricos, & hos è contrario calculo tentari; ita ut affectus hi invicem ſororientur, & unus in alterum facile abeat. Serum autem in dictis morbis tartarea ſalſedine imbutum eſſe, nemo qui gnarus rerum medicarum eſt, ibit inficias. Accedit, quod in conſummata podagra vel iſchiatide ligamenta juncturarum eroſa à ſabulo tartareo ibi ſubſiſtente reperta in ſectionibus fuerint. Quin imo tophacea materia, quæ intra articulos in ſenum qui acido abundant, podagra, copioſe quandoque reperitur atque eximitur, manifeſtiſſime naturam tartarei ſalis, quod ex acido & copioſa terra conflatum eſt, demonſtrat. Ita KERCKRINGIUS in *ſpicileg. anat. obſ.* 28. ſub examine chymico ex ejuſmodi tophis ſive materia podagrica, elicuit ſpiritum quendam inter ſpiritum tartari & ſalis ammoniaci quodammodo medium, hoc nimirum acidiorem; illo vero mitiorem: & oleum, oleo tartari fœtido colore, fœtore & conſiſtentia in omnibus ſimile: nec non ſal ex capite mortuo quod extraxit, ab eodem ſale tartari parum abludens, niſi quod ſapore quodam extraneo infeſtus, ingratam quandam pariebat nauſeam.

§. XI.

Et ulterius probatur. Sic obſervatum quoque fuit ab auctoribus, podagricorum excrementa nimirum ſputum, urinam, ſudorem collecta, prævia evaporatione, præbuiſſe materiæ candeſcentis concretæ in tartari conſiſtentiam inſignem copiam. vid. PECHLINUM *obſ.* 25. & KERCKRINGIUM *l. c.* Notavi ego in Viro generoſo, qui ſubinde podagra divexari ſolet, ſequentia: hic paroxyſmum imminentem præſentire ſolet maxime ex colore annuli, quem digito gerit, ex mercurio mediante venere ac tutia confecti, qui aliquot dies ante paroxyſmum & per totum morbi curſum livorem ac nigredinem contrahit, qui ſponte tandem deſinit, priſtino redeunte colore ſub declinationis tempus. Id quod curioſum phænomenon mea ſententia effluviis ſalino-ſulphureis per tranſpirationem prodeuntibus adſcribendum venit. Taceo materiam in articulis podagricorum collectam, & quandoque veſicatoriorum vel aliorum remediorum uſu effluentem, ſumme corroſivam, ipſo ſenſu teſte, naturam præ ſe ferre. Confirmare inter alia præſentiam tartarei fluidi ſalis in podagricis videtur nimia potatio vinorum tartareo taliſmodi ſucco ſcatentium, quæ podagram generare ſolent frequentiſſime; item nimia ciborum appetentia & voracitas, maxime ante tempus invaſionis, quæ ſine dubio lymphæ acidæ abundanti in ſalivali & gaſtrico fluido debetur.

§. XII.

Sal tartareum cum mucilaginе glandulaſum congreditur. Congreditur autem tartareum hoc ſal cum mucilaginoſo ac pingui, quo articuli & juncturæ omnes gaudent, rore ac glutine, quod ſecundum naturam inſipidum, oſſa, juncturas, ac cartilagines lævigare & obducere ſolet. Notabile enim eſt, ſub membranoſo ligamento, quo articuli firmari ſolent exſtare tunicam mere glanduloſam ac veſiculoſam, quæ etiam ſynoviæ ſedes eſt, in quam terminantur maxime in homine multæ vaſorum ſanguiferorum ramificationes, hæcque tunica, propter laxitatem ſuam minime inſervit oſſium conjunctioni, ſed mucilaginem certam inſtar ovi albuminis, licet non ſemper

adeo

adeo claram & limpidam ſecernit. Præterea in majoribus articulis exſtant quoque corpora glandulosa pinguedine obſita, quæ ſimilem mucilaginem à copioſis ſanguineis vaſculis ibi ſecernunt ad lubricandas junctúras ipſaſque ab incaleſcentia & attritione conſervandas, uti copioſe pariter ac ſolide id deduxit celebris Anglus CLOPTON HAVERS, *in Oſteologia.* De hoc ipſo glutine articulorum jam dudum divus HIPPOCRATES *in Libr. de locis in homine,* ſequentia pronunciavit: *Humidum nativum articulorum ubi male valet, male habent articuli; ubi benè, & ipſi articuli.*

§. XIII.

Exinde coagulum, quod cruciatuum cauſa mediata eſt.

Quotieſcunque itaque ſerum ſalſum excrementitium in ſanguine ſuperabundans deſcendit per glandularum poros nimis laxatos ad ipſos articulos, non modo coagulum mucilaginis efficit, quod difficilius poſtea reſolvitur, vel etiam, ſi in copia adfuerit, in gypſeum corpus tandem convertitur, verum & intra ſubtiliſſimi ſenſus membranas incarceratum propter anguſtiſſimas vias, minus commode propellitur nec evaporat, ſed deteſtabiles cruciatus in parte affecta ſuſcitat: cujus ſæpius tanta eſt ſenſibilitas, ut omnia quantumvis leniter admota tegumenta vel medicamenta officioſamque manum vel è longinquo reformidet. Attentione dignum eſt, nihil magis mucilaginem articulorum deſtruere atque coagulare, quam acidum tartareum ſal lenius v. g. acetum vini, vel vinum rubellum album, neque tantam mutationem atque coagulationem ipſi inducere aliud potens, uti oleum vitrioli &c. ſicuti id variis experimentis clariſſime demonſtravit *Clopton Havers l. c. p.* 258. evidenti ſcilicet documento, vina tartarea aptiſſima eſſe ad procurandos paroxyſmos arthriticos, ubi tonus glandularum debilitatus eſt & patiens aliquam ad hunc affectum diſpoſitionem habet.

§. XIV.

In podagra calida ſerum ſulphureum, acre &c.

Quemadmodum vero in ſenibus neque minus in hypochondriacis & calculoſa nephritide laborantibus podagricis ſeroſa ſanguinis pars tartareo fixiori acido referta eſt: ita in corpore bilioſo calidæ temperaturæ virili, ubi arthritis & podagra magis calida vaga, dum ex una parte in alteram tranſit, ſerum bilioſis acribus ſulphureis imo alcalinis onuſtum eſt. Sic *Acta Erud. Ann.* 1698. referunt, Medicum Anglum *Colbatch* ſerum podagricum miſcuiſſe cum ſyrupo violarum, & ſemper colorem cœruleum in viridem mutatum obſervaſſe.

§. XV.

Paroxyſmus podagricus, febre ſtipatur.

Deinceps quoque illud animadverſione dignum eſt, quod nullus paroxyſmus podagricus ſine motu febrili ſit, quem præcedens laſſitudo corporis inquieta, horripilatio, refrigeratio extremorum, oſcitatio, alvi obſtipatio, pulſus citatior, ſitis, vigilia & ſubſequens æſtus, ejuſque circa noctem exacerbatio, urinæ in principio tenues & aquoſæ, ſpaſmo vero remittente, craſſæ cum ſedimento, neque minus ſolutio doloris & ſpaſmorum per ſudorem copioſiorem ſatis evidenter arguunt: cujus motus febrilis beneficio fit, ut excrementitiæ ſeroſæ ſalinæ peregrino charactere imbutæ ſordes, ex parte per varii generis in corpore noſtro organico conſtituta colatoria & emunctoria foras ſalutariter eliminentur atque excernantur. Hic motus quoque auctior febrilis ſolidorum & fluidorum, qui non actu electivo, multo minus morali & rationali fit, genuina cauſa eſt ſævorum dolorum ac ſpaſmorum in partibus extremis, qui paroxyſmis in podagra nunquam non aſſociantur, dum videlicet ad nervoſas & valde ſenſilis texturæ articulorum membranas & ligamenta, quibus complures exiguæ glandulæ inhærent & quæ minus congrua ſunt ſalium excrementitiorum emunctoria, cum impetu impurus ſeroſus ſanguis advehitur & congeritur; ubi poſtea ichoroſus ille latex præter naturæ ordinem ſeparatus, ſtagnans & ſubſiſtens ejuſmodi atroces naturæ humanæ plane infenſos ſpaſmos & dolores concitat; qui quo vehementiores ſunt, eo plus febrilem æſtum incendunt, atque ſymptomata exacerbant. Siquidem id probe tenendum eſt, duplicem in paroxyſmis ejuſmodi arthriticis & podagricis obſervari febrem, eſſentialem & ſymptomaticam, illa ad naturam catarrhalis, vel in ſanguineis ad ſynochæ ſimplicis genium accedit, cum qua paroxyſmus incipit & progreditur, noctuque habet ſuas exacerbationes: altera vero ſymptomatica doloris acerbioris ſoboles eſt, & inflammationem inſequitur.

§. XVI.

Ratio cur materia vitioſa certas ſolum partes occupet.

Quod autem humor vitioſus non intra omnes articulos & quidem mediante tunica ligamentorum glanduloſa, ſed duntaxat certis in partibus ſeparetur, ut videmus in chiragra, gonagra, podagra & affectione iſchiatica; id potiſſimum tono & robori deſtructo horum ligamentorum, quæ articulos firmant, adſcribendum eſt. Quod vero ad pedes frequentius feratur ac deſcendat, hæc ſubeſſe ratio videtur, quod pedes frigori humido, quod valde eorum naturalem tonum lædit, plus quam aliæ partes expoſiti ſint; deinceps quod à calceorum preſſione ac ſtrictura copioſi tubuli arterioſi & venoſi minimi, per quos libere humor redire & circulari debet, valde comprimantur: accedit quod lentior & tardior per partes à fonte caloris corde nempe remotas, ob ſitum etiam perpendicularem, lymphæ ac humorum ſit circulatio. Supereſt adhuc una ratio & quidem præcipua, ſcilicet quando pedes dolor affligit, cogimur quieſcere, ne deterius fiat malum; quies autem ulterius nocet, dum humores ob motum ceſſantem, ibi magis tenentur ſubſiſtere, & ita imbecillitas augetur: ſic edocemur familiari exemplo, quando pedem diu in uno ſitu tenemus, vermiculationis ſenſum oboriri. Vocanda huc quoque eſt in auxilium, nativa pedum imbecillitas à parentibus podagricis contracta, quæ partim in ſpirituaſcentia humorum deficiente, & inde reſultante partium ſolidarum maxime extremarum debilitate, vel in ipſa prava textura & conformatione, & pororum diſpoſitione conſiſtit. Idem obtinet in aliis artubus, quos occupare ſolet dictus dolor arthriticus.

§. XVII.

Copioſus ſeri impuri proventus.

Unde vero tanta ſeri excrementitii ex parte ſalſi & tartarei, ex parte etiam acris bilioſi colluvies, in arthritidis & podagræ ſubjectis corporibus ingeneretur, quæ proinde & motuum febrilium podagricorum & acerbiſſimorum dolorum veram & materialem cauſam conſtituit, vix aliam quam naturæ ægrotantium debilitatem & vitium in uſu rerum non naturalium commiſſum reperire & incuſare licet. Per naturæ debili-

ex debilitate.

debilitatem vero nihil aliud intelligimus, quam talem, à nativitate, ſolidorum, quæ fluida continent, movent, imo motibus vitalibus ſecretoriis, excretoriis præſunt, non ſatis validam & robuſtam conformationem & ſtructuram à parentibus potiſſimum acceptam: hinc natura debiles & morboſi parentes, ut ſunt hypochondriaci, hæmorrhoidarii, podagrici, calculoſi, aliiſque anomalis motibus obnoxii, etiam liberos in hos morbos proclives generant. Nam quando ipſos podagricos, qui diutius hoc morbo affecti ſunt, ſpectamus ac conſideramus, plerique ſunt habitus minus fibroſi, ſpongioſi, tenerioris, qui nervos & tendines habent exiguos, copioſis & valde exilibus vaſis donati, qui ſanguine multo ſeroſo, qui è vena emiſſus in oculos incurrit, abundant, & hinc etiam in primis annis narium hæmorrhagiis & in provectiore ætate hæmorrhoidum fluxui ſunt obnoxii & aſſueti, animi quoque ſunt inconſtantioris mobilioris, ad omnis generis paſſiones vitalibus motibus nocivas proclives; quæ cuncta ſatis totius naturæ microcoſmicæ imbecillitatem arguunt atque demonſtrant. Accedunt poſtea ſatis inſignes diætæ atque in regimine vitæ aberrationes & vitia, quæ ita ſunt comparata, ut non modo partium ſolidarum tonum, robur ac vim ſyſtalticam motricem plus debilitent ac labefactent, ſed etiam multos crudos, intemperatos, naturæ & ſuccis vitalibus, qui blandi eſſe debent, plane alienos humores invehant, & ob imminutum ſalutarium excretionum negotium plus juſto in corpore retineant & accumulent.

§. XVIII.

Ad quam conferunt: Venus immoderata.

Ex iis vero, quæ nervoſis & motricibus partibus vires & robur ſubducunt, primum merito locum Venus immoderata obtinet. Nam ſemen, uti delibatiſſimæ & ſpirituoſæ lymphæ in ſanguine ſoboles eſt, ita ſi intemperantius exhauritur, non poteſt aliter fieri, quin & partes fluidæ ſubtilitatem & blandam ſpirituaſcentiam, ſolidæ vero vigorem & elaterem amittant, atque adeo omnes functiones corporis non exiguum inde capiant detrimentum. Et hinc poteſt etiam ſecundum ſcita *Hippocratis*, ratio repeti: quare pueri, quare mulieres & eunuchi non facile podagram patiantur? Hinc quoque poëtis Bachi & Veneris filia nuncupata eſt; unde antiqui verſus:

E ſolvilumba venere, ſolvilumboque
Baccho, creata eſt ſolvilumba chiragra.

Et Latini Poëtæ carmen:

Ut *Venus enervat vires, ſic copia vini,*
Et tentat greſſus debilitatque pedes.

Notabile autem hoc eſt, quod arthritis ex abuſu Veneris ſæpius unice ſuam originem petat, & quod omnes arthritici & podagrici, propter ſal illud tenerum ſtimulans in lympha & ſanguine contentum, ad Venerem præ aliis magis ſint proclives, adeoque magis magiſque enervando vires, malum contumacius reddant.

§. XIX.

Vini potus largior.

Præterea ſpiritus, corporis noſtri motores, non parum invertit & nervis debilitatem addit vini & maxime generoſi vel etiam tartarei acidi largior potus, utpote partes vini ſulphureæ nimis celeriter per venas rapiuntur ad caput, ſubeuntque poros nervorum & ſpiritibus ſeſe aſſociant, quorum craſin ob cruditatem & heterogeneam indolem ſuam valde invertunt, ut munere ſuo in regendis machinæ artubus defungi minus recte queant Experientia multiplici deprehenſum eſt, nihil plus ad tartaream illam, aut quomodocunque appellare libet, materiam podagricam & arthriticam generandam aptum eſſe quam vinum; quæ etſi in corporibus quibuſdam ſequeſtretur, tamen in illis quæ viſcerum debilitate laborant, ſervatur atque in ſanguine accumulatur.

§. XX.

Quod tamen limitandum.

Datur tamen vinorum magna diverſitas. Quæ enim in arenoſis terris proveniunt, minus materiæ ejuſmodi tartareæ continent. Dixit WEPFERUS *Dec. I. An. 2. c. 39.* raros apud Schaffhuſanos eſſe podagricos & calculoſos, neque convulſivos motus frequentes, & potiſſimum id fieri à vino rubello ſalubri. Sic etiam memini Jenæ, quamvis ab incolis ejus loci ſatis liberaliter bibantur vina vernacula, non tamen multos eſſe podagricos. Contra obſervatum fuit, quæ in terra pingui argilloſa & limoſa proveniunt, ad fovendam podagram eſſe paratiſſima; cujus generis ſunt *Bohemica, Hungarica, Auſtriaca &c.* Neque obſtat, vina magnam quantitatem tartari terreſtris, qui ſæpius vias urinarias magis detergit, poſſidere, utut in podagra progignenda minoris efficaciæ ſint aliis, quæ talem quantitatem non complectuntur, ſed forſitan ſubtiliori ac penetrantiori acido, quod cum ſuccis vitalibus facillimam init copulam, inſtructa ſunt. Sic vini *Tockavienſis* libræ quatuor deſtillatæ vix drachmam dimidiam; totidem autem libræ *Rhenani* drachmas minimum quinque largiuntur. Multo magis autem talia vina nocent, ſi ad ebrietatem uſque ingurgitantur, quo ſpirituum vigor naturalis magis extinguitur & lympha tenuis inſpiſſatur, ut deinde viſcerum tono debilitato minus commode illa, quæ in vinis nociva atque pernicioſa ſunt, excludi queant.

§. XXI.

Affectus animi.

Sicut affectuum intemperantia in excitandis & fovendis morbis plurimum valet: ira id maxime in chronicis affectibus, inter quos podagra primas tenet, animadvertimus, & quidem hanc potiſſimum ob rationem, quod diuturnior triſtitia animique angor, intenſior cura ac ſollicitudo, profundior quoque & haud interrupta meditatio, neceſſarias corporis vires ſuffurando & vitales humorum motus, neque minus ſecretorios & excretorios imminuendo, exſuperans pabulum atque materiam, impuritates videlicet varii generis ſalino-ſulphureas, ad geneſin hujus affectus ſubminiſtrent. Ita vehementior quoque animi commotio & ira ipſos arthriticos paroxyſmos deſubito ſæpe cum febrili quodam motu excitat.

§. XXII.

Luxuria & deſidia.

Ulterius, luxuria, nimia voracitas, continuæ comeſſationes, cum vita ſedentaria otioſa & deſidi ſi conjunguntur, neque minus exercitiorum intermiſſio & ex mobiliori vitæ genere quietum & motus expers, & podagræ & aliis pertinacioribus morbis ingenerandis mirifico velificantur. Nihil enim magis, præterquam nimia ingeſtorum copia cum deſidia, magnum illud excretionum, ſine quibus ſanitas conſiſtere nequit, negotium ſupprimendo, ad impurorum humorum redundantiam, à quibus deinceps dolores, febrileſque motiones proveniunt, corpori ingenerandam conferre, attenta conſideratione diſcimus.

§. XXIII.

§. XXIII.

Transpiratio prohibita.

Et quoniam sufficienti, per jugem transpirationem facta, sordium valde activæ indolis aquoso-salinarum halituosarum expulsione, corpus ab innumeris morbosis afflictionibus nec non à paroxysmis & recidivis immune redditur: ita etiam in rebelli isto podagrico affectu, qui in corporibus gracilioribus minus densi & obesi habitus, perspirabilibus, paulo rarius sedem fixiorem tenet, neque in hominibus opificibus & qui labore & motu corpus continuo exercent facile gignitur, id ipsum observamus. Quare etiam æstivo tempore arthritici & podagrici paroxysmi silere & conquiescere solent; cum, è contrario, qui densi & pinguioris habitus sunt, literati & laboribus corporis & manuum vacantes, crebrius & diutius hoc affectu exerceantur, qui præsertim autumnali humido & frigido aëre, subita tempestatum mutatione ingruere & tragœdiam ludere solet: quinimo sudoris consueti intermissionem, notabilisque transpirationis, quæ ex indusiis inspectis cognoscitur, atque excrementorum inter pedis digitos defectionem, imminentem designare paroxysmum sæpe à nobis observatum est.

§. XXIV.

Hæmorrhagiarum consuetarum defectio.

Inter antecedentes doloris podagrici causas, non exiguum locum fluxuum sanguinis consuetorum, hæmorrhoidum & mensium intermissio vel interceptio tueri videtur: siquidem & firma experientia & unanimi veterum consensu & auctoritate confirmatum habemus, fœminas, quamdiu menses rite fluunt, & viros in quibus consuetus hæmorrhoidum fluxus rite, ratione modi, quantitatis & temporis se habet, à molestissimis hisce affectionibus immunes degere, imo hos fluxus doloribus istis supervenientes, corpora ab iis præservare: ex adverso vero, si solennes hæmorrhagicæ vacuationes, vel ex vacillante naturæ robore, aut ex perversa diæta, vel importuna & imprudenti medicatione restitant, deficiunt, vel supprimuntur; atroces dolorificas has passiones generari imo recrudescere & ingravescere observatione identidem firma & stabili constat: ut itaque ex hisce observatis clarissime eluceat, quantum ad depurandum sanguinem & ad morbos ex seri vitiosi colluvie succrescentes impediendos, hæ solennes licet præter naturam contingentes sanguinis excretiones valeant. Ex quibus tamen neutiquam id consequitur, ut nonnullorum nostri ævi medicorum & theoreticum & practicum dogma fert, tantum à fluxu hæmorrhoidali, ejus defectu & frustraneis ad eum excitandum naturæ moliminibus, originem hujus truculenti affectus arcessendam esse, & totum curationis opus ad illum provocandum collineare debere; cum hujus hypotheseos patroni, plethoram pro causa proxima materiali potissimum habeant, utut ei inter remotas locum concedamus. Nos vero vitiosam seri dyscrasiam atque impuritatem potius ad excitandum hunc affectum maximum momentum afferre arbitramur, cum nota nobis sint exempla, sub ipso paroxysmo podagrico, calculoso & arthritico, hæmorrhoides fluxisse: id quod inter alios, celeberrimi nominis medicus B. DOLÆUS, crebro per litteras apud nos conquestus est.

§. XXV.

Prognosis.

Ratione morbi eventus, quoad prognostica hæ observationes rarius fallunt: Podagra non facile è medio tollit hominem, nisi humor vitiosus, ob magnam virium expultricium imbecillitatem, ad summam corporis corticem propelli nequeat, sed intus retineatur: vel ab errore medentis aut ægrotantis ad interiora repellatur, quod HIPPOCRATES *libr. de affect.* affirmat: & tunc gravibus supervenientibus morbis, ut sunt lethargus, hemiplexia, apoplexia, asthma convulsivum & suffocativus catarrhus, peripneumonia, hydrops, inflammatio ventriculi & intestinorum, extinguuntur.

§. XXVI.

Juniores podagrici rarius diu vivunt.

Quemadmodum, quibus congenita & hæreditaria est arthritis & podagra, & qui ex pravo vitæ genere primis in eam annis incidunt, rarius diu vivunt: ita iis, qui demum provectiori ætate atque in senectute, dolore corripiuntur podagrico, longævitatem promittit; dum arthriticis & podagricis paroxysmis re vera criticis, humores excrementitii, impuri senectuti familiares corporique infensi, hac ratione expurgantur.

Seniores contra, longius.

§. XXVII.

Incipiens podagra facile abigitur.

Podagra incipiens, præsertim si rheumatismi sanguinei species est, moderata & convenienti diæta congruisque remediis, sanguinis præsertim missionibus opportune institutis, facile præcaveri & tolli potest: ubi vero jam multoties & singulis fere annis paroxysmus recurrit, & quos affligit, in articulis tophos habent, sicca alvo vexantur & senes sunt, ii, testante HIPPOCRATE *libr. II. prorhet.* nulla humana arte sanari possunt: hanc potissimum ob rationem, quia vitium non tam in fluidis, sed in solidis, eorum tono, robore, textura & conformatione naturali destructa, quod non facile tollitur, consistit. Hinc vetus dictum enatum: *solvere nodosam nescit medicina podagram.* Optime vero HIPPOCRATES *l. c.* ratiocinatur: *juvenes nondum callos habentes curari possunt, si accurate vivant laborisque sint amantes, alvumque bonam & apertam habeant.*

inveterata incurabilis.

CURA PRÆSERVATORIA.

§. I.

Præservatio facilior ac curatio.

Quamvis valde difficilis eorum morborum, qui congeniti sunt, quorum causa in labe tam fluidarum quam solidarum partium consistit, & quæ à prava vitæ & diætæ ratione foventur, ac in habitum quasi degenerarunt, sit curatio; attamen facilior longe & expeditior est eos præservandi, præcavendi, & avertendi via ac methodus. Quam cum medicus omnino & recte cognoscere & prudenter applicare debeat; nobis eam hic exponere est propositum: utpote quæ potissimum in causis hujus morbi, remotioribus dictis, declinandis & removendis consistit.

§. II.

Fugienda autem Veneris immoderata.

Primo omnium, qui vult degere immunis à pertinaci tam podagrico quam articulari affectu, temperet sibi, quantum possibile est, ab usu Veneris maxime immoderatæ, quam corporis languor & dolor subsequitur: subito namque exhaurit subtiliores spiritus, caput debilitat, mentem ac sensus infirmat atque convellit. Dein ebrietatem, copiosam vini potationem &

Ebrietas,

liquo-

liquorum inebriantium ingurgitationem omni cura & ſtudio fugiat : quippe hoc pacto multos ab arthritide liberatos novimus. TRINCAVELLUS *de ratione cur. particul. hum. corp. affect. libr.* XII. *cap.* XI. tradit, ſe noviſſe medicum Venetiis, qui, cum non parum infeſtaretur à podagra & ad ſenium uſque, & ſolum primum atque in quinquennium vinum interdixiſſet, liber tandem ab omnibus moleſtiis ita evaſerit, ut amplius uſque ad ultimum ſenium imo ad mortem horum dolorum fieret expers. Id quod CELSUS *lib. IV. cap.* 24. egregie confirmat, perhibens : *quidam cum toto anno à vino, mulſo, Venere ſe temperaſſent, ſecuritatem totius vitæ conſecuti ſunt.* Et SOLENANDER *S. V. conſ. I.* refert, viduam quandam Hiſpanicam, cum uſum vini, quo tamen pro more gentis pauciſſimo & dilutiſſimo uſa fuerat, omiſiſſet, podagra amplius non fuiſſe tentatam. Quin imo plures talis modi hiſtoriæ notiſſimæ ſunt eorum, qui, vel in carcerem conjecti vel ad paupertatem redacti, cum à vino abſtinuerint, ab arthritide & podagra liberati ſunt. Hinc præſtat ad præſcindendum graviſſimum morbum, aquam puram & levem quam vinum bibere. Ex hydropotis enim nemo facile eſt, qui hunc in morbum prolabitur : quorum exempla apud BRUYERIUM *de re cibaria lib. XVI. cap.* 13. SCHENCKIUM, HERM. *von Heyden, de podagra*, & PECHLINUM legi atque evolvi poſſunt.

Vinum præſ.

§. III.

At vero quamvis nonnullis podagricis vinum admodum ſit infenſum, negandum tamen non eſt, dari caſus, ubi ventriculi quædam & inteſtinorum imbecillitas à frigido humore, ut cum veteribus loquar, orta eſt, in quibus ad virium refectionem admitti illud debet, maxime ſi diluatur cum aqua & vetus excoctum optimæ notæ aſſumatur : quod eo magis locum invenit, ſi in conſuetudinem abiit vini potatio, nec ad ejus uſum ægrotans protinus ſentiat incommodum : de qua re conferri meretur PECHLINUS *obſ. XXXVII.*

Quod tamen quandoque proficuum.

§. IV.

Porro qui vitam à podagra liberam ducere, vel ejus dolores lenire atque mitigare intendunt, temperent ſibi à multo cibo tam in paroxyſmo, quam extra morbi acceſſum. Vere ſcribit HIPPOCRATES : *præcipuum ſanitatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis & impigrum eſſe ad laborem.* Sique profecto quid eſt, quod vitam ſervare poteſt à morbis diuturnis immunem, temperantia in victu eſt : hac enim alacritas & ingenio & corpori accedit. Conſiſtit autem hæc temperantia in eo, ut vel bis de die parum cibi aſſumamus, nec plenarie appetitum ſatiemus & cœnam intermittamus : id quod podagricis mirifice commendat TACKIUS p. 97. item SYDENHAMUS p. 579. qui prandium ſaltim commendat ; humoribus digerendis cum lectus ſolum ſit dicatus. Præcipue autem in paroxyſmis à cibo abſtinendum eſt. Nam ejus acceſſio, ipſo HIPPOCRATE teſte, damno eſt : *Eo enim tempore,* inquit, *reflui ſunt humores ad centrum corporis, unde opprimitur anxiaque evadit reſpiratio, & aliena regio ab impuris ſuccis occurritur. Si cibum tunc dederis in impuritatem ille abit, ac diſtento hypochondrio opprimitur pectus, unde anxia reſpiratio & calor cordis major.*

Nimius cibus.

præſ. in paroxyſmo.

§. V.

Facile hinc apparet ratio, quare egeni raro ſint podagrici, magis autem opulenti, voluptuoſi & qui per multas horas menſis accumbunt, utriculi inſtar abdomen diſtendentes. De opulento quodam Germano SCHENCKIUS apud *Caſp. de Reics Camp. elyſ. juc. quæſt.* tradit, quod hic, cum otio, deliciis, luxuque circumflueret, familiarem huic vitæ podagram arthritidemque adeo miſerabilem contraxerit, ut non niſi duobus ſuffultus adjutuſque famulis promoveri loco potuiſſet : verum lapſis ſenſim rebus ad paupertatem redactus tantam, ut & opibus deſtitueretur & famulis, nec niſi frugalis menſa ad vitam ſuppeteret ; hoc fretus & poculatim ipſe ſolus inceſſerit, & à podagra prorſus deſertus fuerit. Non incommode hinc PETRARCHA : *Si à podagra*, inquit, *liberari cupis, aut pauper ſis oportet, aut ut pauper vivas. Multos ab hac ægritudine liberaſſe traditur paupertas, vera defæcatrix corporum : quoſdam vero frugalitas, quam voluntariam ſeu fictam & imaginariam paupertatem dixerim. Vidiſti aliquos perpetua vini abſtinentia curatos : ita fit, dolore dolor, clavus clavo pellitur, ut antiquo dicitur proverbio.* Specialiorem autem paulo diætam podagricis commendat atque præſcribit GALENUS *lib. VI. de ſanit. tuenda*, his quidem verbis : *intemperantes in podagram & alios diutinos morbos incidunt, à quibus tota vita ſe explicare nequeunt. Cavendum ab eduliis ex paſta, ab acidis fructibus, cepis, allio, ſalſis, lardo, carne ſuilla.* Cæterum Vinum Moſellanum aut Neccarinum aqua deſtillata dilutum bibendum. Alvus ſollicitanda paſſulis, prunis Damaſcenis. A carnibus quoque annoſis & pinguibus abſtinendum. Parari debet veſtimentum pellibus agninis conſutum.

Opulenti frequentius, egeni raritus podagrici.

§. VI.

Poſtremo, qui à cruciatibus podagricis & articularibus immunes degere cupiunt, temperare ſibi debent ab omnibus gravioribus curis, animi laboribus, meditationibus & perturbationibus. Hæc enim elogio *Sydenhami* ad diſſolvendam ſpirituum, qui ſunt digeſtionum inſtrumenta ſyſtaſin, ac proinde ad podagræ incrementum multum faciunt. Refert PORPHYRIUS *in vita Plotini* quendam Regulum, quum captus eſſet pedibus, ſeſe ab omnibus curis abnegaſſe & à podagra fuiſſe liberatum. *Tanti*, inquiens, *in hoc morbo vincendo, animum quietum habere!* Ceterum commendandus eſt podagricis labor ac motus, qui firmitudinem & robur partibus fœnerat, tranſpirationem promovet, cruditates diſſipat, ad totius corporis habitus immutationem aptiſſimus, atque optimum ſanguinis depuratorium eſt, dum omnis generis excretiones promovendo, ab ejus naturali temperata craſi ſive temperie alienas, impuras ſalino-ſulphureas partes per congrua emunctoria ſeparat. Elegantiſſime ſcribit HIPPOCRATES *libr. prorhet. n.* 162. curari podagricos poſſe juvenes, in quibus nondum ſunt facti calli, qui laborem amant, qui vivunt accurate, & quorum alvus fluida eſt. Exercitium autem hoc non nimis ſit vehemens, ſed moderatum, quale eſt vectio in curru, ambulatio, ſcalarumque repetita aſcenſio.

Curæ & meditationes fugiendæ.

Motus cerebro inſtituendus.

§. VII.

Celeberrimus & maxime circumſpectus trium Imperatorum Archiater JOH. CRATO *conſ.* 14. tent.

Conſilium Cratonis.

tent. I. hoc pro præservatione podagræ consilium suppeditavit, dignum quod huic tractationi inseramus: *Primo monendi sunt podagrici, ne ullo modo corpus medicamentis affligant; sed recta victus ratione & mediocri diligentia articulorum dolores vitari posse sibi persuadeant. Abstineant à vinis* Moravicis, Austriacis, Hungaricis, *dulcibus & crassis: utantur cerevisia triticea. Ventriculi robur medicamentis purgantibus non debilitetur. Nostris pilulis uti possunt hora dimidia ante coenam, quæ sit parcior, singulis septimanis, dosin quæ est scrupulus, capientes. Singulis diebus matutine de nostro stomachali sumat. In lecto matutine sudet quotiescunque poterit: nam quo frequentius hoc fecerit, eo tutiorem se esse putabit. Mundare pedes oportet cum spongia intincta vino rubro, in quo sal sit decoctum. Topicis minus potius quam nimium est faciendum. Aër frigidus & humidus vitandus est.*

§. VIII.

Quibus hi affectus hæreditarii & chronici sunt curatiorem dietam servanto.

Præservatoria hæc cura uti universalis fere est, & ab omnibus ac singulis qui à gravibus valetudinis incommodis immunes esse volunt, servanda: ita potissimum quadrat & necessaria admodum est, in affectibus tam arthriticis quam podagricis, quando à parentibus liberi seminium quoddam multiplicativum ipsis vitalibus humoribus altius insinuatum, & quod inter pueritiæ vel adolescentiæ annos jam tum sese exerere incipit, acceperunt; quo in prima quasi herba suffocetur. Atque etiam hæc ipsa cura diætetica ad eos spectat, quos jam per plures annos hoc malum & chronicum & quasi habituale factum exercuit: eo fine & scopo, ut minimum dolores ac symptomata leviora & mitiora inde reddantur, breviores quoque fiant paroxysmi, & roborata sic quodammodo natura deteriores & exitiales affectus, qui excipere nunquam non solent podagram pertinacem & chronicam, corporis vires valde infringentes arceantur.

DE CURA SPECIALIORI PODAGRICORUM MEDICA.

§. I.

Podagra radicata non potest exstirpari.

Optandum quidem serio & vehementer esset, ut tam efficacia in rerum natura extarent remedia, quæ huic difficillimo morbo, ubi longo tempore in succis vitalibus & nervosis partibus radices egit, exstirpando sufficerent: sed, quoniam talia nondum per experientiam cognita atque comprobata sunt; eo tantummodo laborandum est, ut non modo diæta præscripta servetur, sed & aliis remediis languenti corpori succurratur, quo recursus hujus mali, si non prorsus tolli possit, pauciores tamen & breviores evadant, levioribusque symptomatibus stipati incedant paroxysmi. Et cum ordinario fere horum periodicorum dolorum, sive febris potius rheumatico-podagricæ incursus fieri soleat tempore vernali, item ante & post solstitium hibernum; opus est, ut antea congruis evacuantibus, alterantibus & massam sanguinis depurantibus, vitiosos humores doloribus istis podagricis pabulum administrantes, quo postea eo felicius paroxysmus sustineri possit, & corrigamus & eliminemus.

§. II.

Venæ sectio.

Ad hunc scopum, ex voto obtinendum, ego sanguinis missionem decenti tempore & quidem ante æquinoctium vernum, ubi massa sanguinis & seri singulari quodam interno ebullitionis quasi motu agitatur, & sic heterogeneæ partes quæ in eorum profundiori ac intimiori nexu tectæ & involutæ hæserunt, extrorsum vertuntur, unde omnis generis febres exanthematicæ, catarrhales, rheumatico-arthriticæ originem suam mutuantur, celebratam magni admodum facere soleo: id quod optime succedit, ubi corpora non adeo firma fuerint, quæ bene appetunt, vitæ sedentariæ indulgent, lautaque diæta utuntur. Longe vero magis necessaria est venæ sectio in iis, qui ob laxiorem multis exilibus vasculis donatum corporis habitum multum sanguinis & seri ingenerant & ad hæmorrhagicas excretiones proclives sunt, præcipue si hæ restitent vel parciores evadant. Et quoniam ante & post solstitium brumale mense Decembri, Januario, Februario, plerumque insolescunt & ingravescunt podagrici dolores, ego in fine Octobris si res postulaverit & plenitudo vasorum evidens fuerit, sanguinis missionem suadere solitus sum.

§. III.

Cucurbita cum scarificatione dorso pedis apponenda.

Deinceps non possum non ego hoc loco candide fateri, quod à cucurbita cum scarificatione dorso pedis, singulis trimestribus apposita, insignissimum allevamentum in pluribus, atque etiam in me ipso, qui non immunis fui ab ejusmodi insultibus podagricis, licet obtusioribus & non diu persistentibus, expertus fuerim. Rationem si quis hujus effectus exposcere velit, hæc satisfacere posse videtur: quod in nulla fere corporis parte, difficilior sanguinis circulus ex arteriis in venas, quam in extremo pede ejus præsertim digitis procedat; nulla etiam pars sit, quæ tanta copia musculorum tendinum, membranarum & ligamentorum tendineo-nerveorum, vasorum etiam sanguineorum instructa sit, ac extremi ipsius pedis compages. Quandocunque itaque hæ partes, ab ipsa nativitate, imbecillitatis quodam vitio laborant; non mirum est, sanguinis circulum sive itum ac reditum in illis ipsis admodum esse segnem, tardum & impeditum, præsertim quando ille copiosiori sero, excrementitiis salinis partibus referto scatet, & tempore paroxysmi, qui semper febrili motione fit & incipit, majori copia ad has partes appellitur: unde non possunt non humores stagnare, & vasa nimium distendendo eorumque nervosas membranas divellendo, dolores, cum inflammatione licet leviori producere. Atqui hinc utilissimum omnino est, ut sanguinem superfluum & stagnantem per has partes valde ad circuitum difficilem è vena extrahamus, & sic ejus liberiorem progressum promoveamus.

§. IV.

Vomitorium singulo mense exhibendum.

Quoniam paroxysmorum & rheumatico-arthriticorum & podagricorum evidens & materialis causa, in seri excrementitii abundantia & colluvie consistit: atque huic ingenerandæ vitiata prima in regione alimentorum digestio & cruditatum proventus multum velificatur; complures non minus periti ac eruditi medicorum singulis mensibus vomitum excitandum commendarunt, ut ventriculi & duodeni cavitas, & qui huc pertingunt ex hepate & pancreate canales à sentina crudorum & vitiosorum humorum expurgentur. vid. HILDANUS *cent.* VI. *obs.* 34. MERCATUS *de morbis intern. lib.* IV. *cap.* 18. RIVERIUS *in Praxi lib.* VI. SYLVIUS *in Pr. pag.* 153. Alii vero pro cura vernali vel autumnali, ad primam regionem & totum corpus à sordibus pro-

probe expurgandum, infusa ex variis laxantibus, roborantibus & aperientibus concinnata usurpanda suadent.

§. V.

Thermæ Carolinæ omnia remedia superant.

Ego, ut fideliter & candide pro more meo dicam, non certius, non efficacius & magis genuinum in ejusmodi affectibus & avertendis & minuendis, vel, si medicina inopportuna turbatis motibus intro inversa vitiosa materia fuerit, in ordinem redigendis, quam in usu thermarum & quidem Carolinarum inveni remedium: quarum virtus & energia, in calculo, podagra inveterata, & in hac, si fuerit ad interiora repressa, ad partes exteriores revocanda, hæmorrhoidum quoque fluxum, si causam & occasionem malo suggesserit, restituendum, incomparabilis est. Cujus veritatis permulta imo millia exempla, adducere integrum esset, ut adeo, qui eam vel in dubium vocare vel plane negare gestiunt, aut improbitatis, aut insciliæ sese ipsos accusent. Nam hæ aquæ in larga satis quantitate potatæ, ob spirituosum quo pollent elementum, & ob salia mineralis prosapiæ quæ in sinu fovent, tenues non modo & fluxiles reddunt humores, atque obstructa & infarcta minima vasa aperiunt, sed & per omnia quæ evehendis à corpore alienis & morbidis humoribus dicata sunt excretoria, per hepaticos ductus videlicet, per alvum, per subcutaneum emunctorium, per vias urinarias, per mucum bronchiorum & narium, copiosissime & sine ulla virium jactura per multos continuos dies materiam peccantem educunt. Hinc certe universalis morborum chronicorum præservatorii & curatorii nomen, si non altiores malum egerit radices, jure sibi vindicare possunt: siquidem ego, qui has salutiferas aquas viginti circiter vicibus frequentavi, sancte affirmare possum, quod non per artem existat vel inveniri possit tale remedium aut medicina, quæ huic, quam Benignissimi, qui curam etiam corporis nostri habet & semper habuit Creatoris beneficio pientissimo animo acceptam referre debemus, æquiparari possit. Atqui id etiam observavimus, quod si sub ipsa cura irruat hic affectus, longe mitior, brevior & placidior semper procedat & finiatur. Neque etiam aliis mineralibus fontibus thermalibus & quas acidulas salutare vulgo consueścunt, modo pro differentia corporum & naturarum recte & cum debito regimine & convenienti methodo præscribantur, usurpentur, commendentur, laudes & energias suas detrahere volumus, cum passim etiam indubia adsint faustissimi effectus in ejusmodi radicatis & chronicis morbis exempla. Possunt vero temperatiores aquæ minerales, ad quas pertinent *Wildungenses*, *Selteranæ*, *Veteraquenses* in Silesia, loco potus, si tertia admisceatur vini pars, per totum anni decursum in usum duci.

Neque acidulæ laudibus carent.

§. VI.

Quibus non inferiores potus alii temperantes.

Postremo quoque potibus diluentibus, acrimoniam salsam temperantibus & demulcentibus, leniterque evacuantibus, ut sunt lac, serum lactis, summam, tum præservandi tum curandi scopo adhibitis, virtutem adscribimus, quippe eam exeruisse multiplici experientia comprobatum est. Id autem remedii genus, in eodem morbo antiquissimos jamjam maximi feciśse, HIPPOCRATES & CELSUS loquuntur. Ille enim passim speciatim in *libr. de affect.* in difficillimis podagricis & articulationum doloribus, lac asininum commendat. Hic vero *libr. IV. cap.* 24. ita scribit: *quidam cum asinino lacte poto ex toto se eluissent, in perpetuum hoc malo evaserunt.* Præterea quoque PLINIUS, *sunt inter exempla*, inquit, *qui lac asininum bibendo liberati sunt podagra, chiragraque.* Novimus nos non paucos lactis bubuli per aliquot annos usu, item aquæ pluvialis pro potu ordinario, perplures à doloribus podagricis annos immunes vixisse. De cura vero lactea prudenter instituenda, infra in cautelis & monitis plura subjiciemus.

§. VII.

Diaphoretica laudantur.

Porro, ad methodum tam præservatoriam quam curatoriam, nihil securius, nihil accommodatius, regimine diaphoretico, salutari consilio procurato, inveniri potest. Nam si verum, uti est verissimum, quod sanguis serosus impurior, qualis maxime ex transpiratione prohibita redditur, causa antecedens & materialis paroxysmorum podagricorum sit; ipsa certe sanior dictitat ratio, quæ experientia confirmatur, atrocem hunc morbum, quam optime & tutissime, facta liberiori transpiratione, vel ea quæ secundum naturam fit restituta, esse remedium omnibus aliis superius. Et quoniam hac de re insignissimus & notabilis admodum locus in CAROLI PISONIS utilissimis observationibus: *de morbis à serosa colluvie oriundis Sect. V. cap. II.* extat; operæ pretium nos duximus eundem nostræ tractationi subnectere. Verba autem laudati elegantioris Auctoris hæc sunt: « Denique quod spectat ad » vacuationem seri per cutim eamque sensibilem, » hanc plurimi facio, ut debeo, quia & revulsio- » nis vim habet, & maxime est opportuna in his » affectibus, quippe quæ naturæ convenientissi- » ma, cum ea seri portio, quæ per cutem insen- » sibiliter ex naturæ instituto continenter quotidie » exspirare debet, suppressa quacunque ratione & » introrsum depulsa materiam præstet arthriticis » doloribus, ut antehac demonstratum. Quamob- » rem consulo, ut Illustris Præsul sudorem quo- » tidie, si fieri potest, aliqua arte promoveat, aut » certe insensibilem exspirationem: quod ut con- » sequatur, inprimis densitati cutis, quam infert » inclementia aëris, præsertim hyberno tempore » consulere debet, nam quæ à polysarcia aut æ- » tate densitas infertur, de ea nulla providentia » haberi potest. Ergo accurate videat, ut bene » tectus incedat semper, & de nocte potissimum » stragulis levibus quidem sed calidis, pluma vi- » delicet aut pelle insartis desuper subterque stra- » tis opertus dormiat, & ita opertus ut sponte » sudor, sub diluculum erumpat: quod eveniet, » si non ita de mane expergiscatur, sed aliquan- » tisper quietem in lecto longiorem capessat; & » si sudor nihilo minus non erumpat, is multa » longaque provocetur universi corporis frictio- » ne. Quod si eo frustretur, aut hisce modius » eum provocare tædiosum illi est, suadeo cer- » te, ut semel in hebdomade hypocaustum jeju- » nus adeat, ibique per horulam sudet, quod » primum tentabit, ubi plethoræ corporis venæ » sectione prius providerit, ut avertat cutaneos » affectus, qui ab insolito hypocausti usu spon- » te emanare solent. Atqui si his artibus sudor » erumpens minus emendandæ colluviei seri » in corporis habitu stagnantis satisfacere po- » test, certe auctor sum, ut ineunte vere & au- » tumno, quibus anni temporibus fluxiones re- » petere solent, utatur decocto sudorifico si- » ve sarsæparillæ sive radicis Sinarum, idque » per unam aut alteram septimanam, vel certe

„ *ſyrupo Ambroſiano*, ſi metus ſit à viſcerum & ſanguinis æſtu.

CURATIO.

IPSO IN PAROXYSMO.

§. I.

Imminente paroxyſmo, alvus ſubducenda.

Ego imminente paroxyſmo, qui ex laſſitudine inſolita & inquieta, appetitu adaucto & gravitate capitis & artuum cognoſcitur, primam regionem ante omnia leniter à ſordibus alvinis, neque minus à collectis in duodeno & reliquo inteſtinorum canali vitioſis humoribus deplendam, & expurgandam ſuadere ſoleo; id quod tutiſſime tum per clyſteres emollientes & temperate carminativos, tum interne per infuſa rhabarbarina & mannata, cremore tartari exaltata, perfici poteſt. Memini, me olim ſtatim ſub initio doloris podagrici & arthritici, inſigni ſæpe cum fructu uſum fuiſſe ſequenti mixtura: rec. aquæ florum acaciæ uncias duas, cinnamomi ſine vino unciam dimidiam, pulveris Cornachini drachmam, ſyrupi roſarum laxativi, vel cichorei cum rhabarbaro unciam ſemis. Nam inſtar aphoriſmi practici medicorum juniores teneant hoc: mitiores ſemper dolores evadere, in quocunque etiam loco conſiſtant, ſi prima regio prius ſordibus ſuis, ante uſum aliorum medicamentorum, probe fuerit expurgata; quæ alias migrando in ſanguinem inque partes affectas penetrando, & dolores intenſiores reddunt, & graviora ſymptomata producunt. Atque in eo quoque laudandum eſt SOLENANDRI conſilium, quod extat *in Oper. ſuis p.* 78. ubi ſcribit, ſe in paroxyſmi podagrici principio magno cum ſucceſſu exhibere aliquod purgans ſolere, primum id edoctum ab ALEX. TRALLIANO *libr. II.* Et ſingulare eſſe, PECHLINUS *obſ.* 26. eruditiſſime innuit, quod arthritici leniorem plerumque experiantur inſultum, detracta ex primis viis vitioſa materia.

§. II.

Materia vitioſa podagrica per tranſpirationem auctam diſſlanda.

Cum vero omnis doloris articularis & podagrici paroxyſmus motum febrilem comitem habeat, cujus etiam beneficio, natura optima morborum medicatrix, ſolenniter & feliciſſimo ſæpe cum ſucceſſu morbum curare, & quæ eum excitat vitioſam & hoſtilem materiam convenienti tempore, per congrua emunctoria evacuare atque foras reſcribere ſolet: idque in doloribus maxime per ſufficientem & auctiorem tranſpirationem perfici, dum non modo tota ſanguinis & ſeri maſſa depuratur, ſed & ipſe dolorem in pedibus creans vitioſus humor ſucceſſiva diſſlatione & exhalatione excernitur; prima ac princeps medentis debet eſſe intentio ac cura, ut placidam continuam & non interruptam diaphoreſin, ſuo conſilio & auxilio procuret & moderetur. Præſtare id opportuniſſime poſſunt ipſa infuſa, quæ loco Théе, ex herba ſcordii, cardui benedicti, veronicæ, radice glycyrrhizæ, corticibus citri recentibus parantur: cui ſcopo identidem egregie inſerviunt mixturæ, ex aquis deſtillatis, cardui benedicti, galegæ, ſcordii, ſucco citri, lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, cinnabari, nitro purificato, & ſyrupo acetoſitatis citri, ſingulis debita doſi & proportione ſumtis concinnandæ. Inſtar omnium vero poteſt eſſe liquor noſter anodynus mineralis, ſi cum quarta parte ſpiritus *Buſſii*, & tartari volatilis roboretur: de quo triginta vel quadraginta guttæ pro doſi, ex ordinario decocto vel infuſo jam laudato propinari poſſunt. Præſtat vero ejuſmodi medicamenta mane, cum expectatione lenioris ſudoris in lecto exhibere. Veſperi & circa noctem pulveres temperantes bezoardici nitroſi, cinnabarini, cum aquis analepticis, diapnoicis, vel cum emulſione amygdalarum dulcium aut ſeminum quatuor frigidorum majorum commodiſſime porrigi poſſunt.

Quo ſpectant infuſa Thée & mixturæ.

§. III.

Neque minus decocta.

Expedit etiam pro feliciori ſanationis obtinendo ſcopo in hoc affectu, pro ordinario potu, decocti temperantis & diluentis paulo liberaliorem uſum commendare, ex quo ſummum me ſæpius fructum percepiſſe recordor. Species hæ ſunt: rec. radicis chinæ, ſarſaparillæ, polypodii ana uncias duas, liquiritiæ, cichorei ana unciam, corticis ligni ſaſſafras unciam dimidiam. Quarum dimidia pars in quinque aquæ menſuris & una vini coquantur ad conſumtionem ſeptimæ partis: quo decocto non modo pro ordinario potu & ad extinguendam ſitim utendum, ſed & ex eo medicamenta propinanda ſunt, atque inſuper ſingulis duabus horis, octo unciæ calide bibendæ ſunt, idque ſtatim à morbi inſultu faciendum. Inde urina copioſe fertur & corpus in continua perſpiratione ſervatur, alvus quoque fluida & laxa manet; ſi vero hæc officii ſui fuerit immemor, ſupra propoſitum laxans exhibendum; abſtinere quoque ab omnibus juſculis pinguibus nutrientibus expedit. In doloribus autem vagis præſertim à ſcorbutico humorum inquinamento qui oriuntur, ſerum lactis dulce vel acidulum, item fons Selteranus cum lacte remixtus utiliſſime pro potu dantur.

§. IV.

Topica quæ, & ubi conferant.

Ad mitigandos artuum, ſi acerbius affligant dolores, cautiſſime cum ipſis topicis procedere æquum eſt: quia multiplici experientia teſte, plus damni quam emolumenti attuliſſe conſtat. Conſultius autem & ſecurius eſt, partes dolentes culcitris levioribus plumaceis involutas, in quiete & temperato æquabili calore retinere, ut lenis & ſucceſſiva humoris vitioſi diſſlatio procuretur. Ceteris vero externis omnibus minus noxiis, antiquiſſimum illud cataplaſma, ex mica panis albi, lacte, vitello ovi, croco & floribus ſambuci paratum, mea quidem ſententia præferendum erit. Poteſt etiam, præſertim in arthritide vaga, ſuccus lumbricorum terreſtrium addi. Novi quoque non ſine inſigni levamine in acerbioribus doloribus, fruſtum carnis ex recentis mactato animante parti affectæ applicatum fuiſſe: quod poſt viginti quatuor horas amotum, fœtidum ſparſit odorem. A tinctura ſulphuris volatili, quæ ex calce viva, ſale ammoniaco & ſulphure paratur, cum charta bibula, membris affectis, non quidem ſtatim in principio, ſed circa finem & ubi tophi metuendi admota, ob fortiorem procuratam diſcuſſionem, effectus laudatiſſimos vidi: ſed non omnes hoc medicamentum, ob ſummum, quem ſpargit fœtorem, ferre poſſunt. Dolore & paroxyſmo ſublato, quando ingens in partibus affectis imbecillitas movendique impotentia remanet, balſamum noſtrum ſpirituoſum liquidum, cum aqua Reginæ Hungariæ dilutum, moderate inunctum inſigne robur afferre crebro obſervavimus.

CAU-

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

§. I.

Venæ sectio in quibusdam caute administranda.

Venæ sectio, utut in corporibus, quæ sanguine plus quam sero abundant, atque in ætate juvenili constituta, diæta simul lauta vinosa delectantur, ad præcavendos paroxysmos podagricos & arthriticos utilissimam præstet operam, atque etiam, ubi à defectu excretionis hæmorrhoidalis vel menstrualis morbus vel ejus paroxysmus metuendus, plane necessaria sit; neque etiam imminente paroxysmo in arthritide valida & vaga reformidanda, sed intrepide admittenda: nihilo minus ubi corpus valde debilitatum, excrementirii seri copia obsessum, ex vitio bonæ digestionis & excretionis insufficientis prognati, cautius est ab ea abstinere; & quidem hisce de causis, quia cum excrementitio sero, portio etiam consistentis sanguinis non sine virium jactura amittitur; secundo, quia criticus ille naturæ motus ad exteriora & peripheriam corporis vergens intercipi potest, quod in febribus erysipelaceis sæpius fieri videmus; tertio, quia, candide quod fateri debeo, aliquoties post venam sectam acerbiorem symptomatum impetum animadverti.

§. II.

Cura lactis.

Circa curam podagræ per lac; sive potius ejus paroxysmorum ad magnum & notabile tempus suspensionem, id observavimus: quod, si hac finita ad pristinum victum & vivendi genus ægrotantes redierint; vel ipsi paroxysmi bono omine reverti cœperint, vel loco horum, in corporibus præsertim senilibus & imbecillioribus, pathemata spasmodica, in abdomine colica, ventriculi cardialgicæ inflationes, dolores nephritici cum ischuria, & non adeo longum post temporis spatium mors fuerit insecuta. Insuper etiam circa lacteam curam, quæ alias ad expugnandos atque avertendos arthriticos & podagricos dolores, non destituitur laude & effectu, id monendum ducimus, quod, ubi corpus plethoricum, vel sero abundantiori impuro turget, vel ob tonum ventriculi & intestinorum labefactatum, prima regio semper fere cruditatibus vitiosis obsessa est, aut si pathemata hypochondriaca, quod sæpius fit, subsint, atque ipsa natura lacticinia respuat, prorsus hanc damnandam esse judicemus, quippe in viscerum ulteriorem infarctum, in cachexiam, hydropem & hecticam febrem tali pacto ægrotos præcipitari posse certum est.

§. III.

Purgantia fortia ipso in dolore non exhibenda.

Recte monet CRATO *lib. V. in consil.* quod fortiter & violento impetu evacuantia, eo quod naturæ & inprimis ventriculo vim inferant, nequaquam inchoantibus & perseverantibus doloribus exhiberi debeant. Hinc perite TRALLIANUS *lib. XI. p.* 601. suadet, in podagra talia purgantia esse adhibenda, quæ stomachum non subvertunt, & addit rationem hanc: *nam hujus cura in omnibus affectibus haberi debet, ut ne ventriculi os ab iis quæ adsumuntur offendatur. Ipsi namque infirmanti omnes nervi consentiunt & fluxionibus tentantur.*

§. IV.

Decoctum Viennense.

Quod attinet ad decoctum Viennense, nostro tempore ad podagram curandam medicamen famigeratissimum, cujus insignes virtutes una cum modo usurpandi in *M. N. C. cent. I. obs.* paulo curatius describuntur, à multis qui eo ipso usi sunt, magnopere quidem collaudatum memini, quorum autem corpora robustioris paulo constitutionis erant. Neque prorsus ejus usum improbare velim: sed, quoniam plerumque debilioris, tenerioris, & sensibilioris naturæ podagrica affectione laborantes esse solent, ab hermodactylis & à ligno guaiaco, quæ istud ingrediuntur, & omnino sale acri stimulante prædita sunt, lubens abstineo, qui securiora tantum amo & approbo, quæ inter hoc quod supra à nobis traditum est decoctum præcipuum locum obtinebit.

§. V.

Topicorum circa usum.

Externa remedia partibus dolentibus applicata, utut raro careant noxa, longe tamen periculosiorem in corporibus sanguine vel sero impuro repletis, sive cacochymicis, sensibilioris naturæ, hypochondriacis & hystericis, in quibus nervorum & fibrarum systema spasmis jam adsuetum est, sortiuntur eventum: siquidem plurimarum observationum fide constat, lethales horum applicationem excepisse affectus, quos inter apoplexiam, hemiplexiam, memoriæ amissionem, asthma convulsivum, cardialgiam, colicam spasmodicam, ventriculi & intestinorum inflammationem nominasse sufficiat.

§. VI.

Spirituosa topica quibus conscrant.

Topica spirituosa ac camphorata in subjectis segnioribus & humidioribus non adeo nocent: in siccioribus vero, si materiam podagricam non retropellant, ad calculum tamen disponunt, vel tophorum generationi velificantur, aut molestissimas partium contracturas relinquunt.

§. VII.

Pauciora & secura remedia usurpanda.

Non possumus non, iterum iterumque monere, in affectibus podagricis & articularibus, paucioribus & fidis remediis tantummodo utendum esse, rejectis insecuris & ancipitibus, quæ sæpius damna intulisse animadverti. Hinc mihi perplacent, quæ tradit Clariss. Romanorum Medicus ALEX. PASCOLIUS *Oper. tom.* III. *Sect.* III. *cap.* V. *p.* 220. *At enim vero*, inquit, *ut quicquid in eo morbi genere, quem in publicis nosocomiis non minus, quam in ædibus aliorum privatis, crebro præ manibus habuimus, ad hoc temporis observavimus, ingenue ut nostri moris est fateamur; proferre non dedignabimur eos, quibus aut nihil prorsus, aut nihil propemodum in rheumatismo fecimus, felicius ut plurimum evasisse, quam alii, quos validioribus artis præsidiis subjecimus. Quæ res porro effecit, ut posterioribus annis ejusmodi ægrotantes tractando, præter victum tenuem & congruum, ac uberrimas potiones ex aqua vel simplici vel per levem infusionem sarsaparillæ, glycyrrhizæ, florum papaveris rhoeados, hisque similium medicatos, nihil aliud præbere consueverimus; quo solo temporis processu, sudores plane criticos, optimo cum successu excitavimus.*

§. VIII.

Venæ sectio repetita.

Galliarum medici celeberrimi, quos inter CHESNEAU, BOTALLUS, RIVERIUS, CAROL. PISO, referendi, in doloribus podagricis & arthriticis crebro repetitam venæ sectionem maximopere laudant & commendant, præservandique potissimum fine & scopo celebrant: quæ tamen methodus in nostris septentrioni vicinis hominibus, quorum corpora non tanta sanguinis abundant copia, haud curate quadrat. Nihilo minus, si morbus non adeo inveteratus & corpus ad sanguinis abundantiam ingenerandam pronum fuerit, levior & sæpius repetita venæ sectio, seu singulis potius mensibus in pede admissa scarificatio, præmisso tamen semper leniori laxante, non erit infructuosa. Eximius plane est locus, quem de venæ sectione utilissime frequentius repetita, habet laudatus PISO *l. c. Sect. V. cap. I. p.* 406. hic merito apponendus: *Addo autem*, inquit, *singulis mensibus, quoniam eadem experientia me docuit, quotiescunque per inducias vel paucarum septimanarum æger corpus refecerit, sanguinisque jacturam reparaverit, tum prima quoque commotione aëris & alteratione sive ad algorem, sive ad æstum omnino arthritim recrudescere. Et certe sæpe audivi magnos viros ex arthriticorum familia, nihil longo usu reperisse retardandis cohibendisque fluxionibus arthriticis, si non prorsus tollendis, ipsa venæ sectione, eoque ejusdem usum etiam in affecta ætate non formidasse. Itaque repetita placet venæ sectio & per epicrasin: quod si probatur, nemo non videt omnino parca manu esse administrandam, & quantitatis hunc esse scopum, ut providenter duntaxat ne turgeat sanguis in vasis & orgasmo spontaneo commoveatur.*

§. IX.

Tumor à solutione morbi relictus caute tractandus.

Paroxysmo finito & morbo soluto, in corporibus spongiosioris habitus & sanguine seroso turgentibus remanet sæpiuscule pedis affecti insignis & valde diffusus, qui impressa digiti vestigia relinquit, tumor, caute profecto tractandus: nam si quis eum pro incipiente hydrope habuerit, & ad hunc præcavendum vel abigendum, validioribus purgantibus uti velit, is non leve sanitati & vitæ damnum infligere poterit. Opus tunc potius est lenioribus laxantibus balsamica virtute eminentibus, ut sunt rhabarbarum in substantia, pilulæ *Cratonis*, *Becheri*, nostræ, mediocri quidem dosi, sed crebrioribus exhibitis uti. Externe autem pulvere, ex farina fabarum, camphora & floribus sambuci conspergendi pedes, & leniter non autem nimis valide, vinculis, ne uberior seri fiat affluxus & stagnatio, constringendi.

§. X.

Tophi resolvendi.

Ad tophos discutiendos & resolvendos in senili & inveterata podagra, ego non præsentius, ipso balsamo sulphuris antimoniato, quod ex sale scoriarum reguli antimonii simplicis, superinfuso oleo terebinthinæ & juniperi paratur, me deprehendisse, asseverare possum.

ENARRATIONES MORBORUM.

Casus I.

Podagra ab empirico retropulsa funesta.

Vir sexagenario major, sanguineo-cholericus, sanguine & succis plenus, habitus corporis robusti, animique ad iram valde proclivis, per complures annos doloribus convulsivis, colicis, spasticis, nec non podagricis misere divexabatur: quorum tamen malorum solamen, in usu *Carolinarum* singulis annis adhibitarum, nunquam non præsentissimum invenit. Nihilo minus, nescio sub quo infausto sidere, prudentissimus vir in empiricorum infelices manus irruit, qui, fiduciam addentes amplissimam, nostro pedibus per aliquot dies laboranti pulverem commendarunt, cujus dosis admodum quidem exigua, sed sapor valde constringens, & metallicæ sine dubio mercurialis & vitriolicæ naturæ erat. Oblata duabus singulis horis dosi, hacque ad duodecimam usque reiterata, omnes dolores & cruciatus simul & semel conquieverunt. At vero altero die, in gravissimas incidit cardialgicas anxietates, cum inquietudine, ventris tormentis, alvi pertinacissima adstrictione, animique intercurrente deliquio, comitatas: insuper nec corpus nec caput erectum detinere poterat: quæ symptomata brevi post, cum insultus apoplecticus exciperet, corpore mirum in modum inflato, capite in immensam molem turgescente, sanguineoque sero ex ore & faucibus effluente, nimiæ confidentiæ pœnas morte miserrima luere debuit.

Epicrisis.

Funestæ hujus catastrophes causa, vix alia inveniri vel excogitari poterit ac infesti remedii antipodagrici assumtio: quandoquidem sensibilioribus corporibus, si spasmodicis primarum viarum tentantur constrictionibus, ejusmodi mercurialia & metallica remedia semper nocentissima sunt, eo quod non nisi spastica quadam strictura operationem suam exerunt, & ita universum nervorum genus male afficiunt. Cui etiam in nostro casu repentina dolorum podagricorum remissio adscribenda venit, dum videlicet ob spasticam strictaram partium externarum, materia podagrica intro coacta fuit; qui spasmus simul effecit, ut sanguine plus justo ad pectus & caput propulso, ex nimia vasorum distensione ejus extravasatio in cerebro oborta fuerit. Hinc omnibus & singulis qui praxin exercere sustinent, non sine summa ratione suademus, ut in quibusvis morbis spasticis qui in sensibiliora præsertim corpora incidunt, cane & angue pejus, cuncta mercurialium, metallicorum, emeticorum atque acriorum purgantium genera, fugiant: inter quæ etiam mercurium dulcem, aurumque fulminans, ob inauspicati succedus, quem sæpius sub ejusmodi circumstantiis observavimus, effectum, reponere non dubitamus; siquidem à pulveribus sic dictis solaribus non raro maximas præcordiorum anxietates, comite singultu, in podagricis obortas, doloribusque licet mitigatis omnia intus pejora reddita fuisse novimus.

Casus II.

Tumor pedum erysipelaceus retropulsus.

Vir Illustris quadraginta & aliquot annorum, rheumatismis scorbuticis crebrius affectus, tumore erysipelaceo in dextro corripitur pede, quod ulcus olim purulentam materiam continenter stillans obsedit. Hic tumor inflammatorius radium rubicundum à glandulis inguinalibus, ad extremum usque pedem emisit. Altero die dolor metatarsum pedisque sinistri pollicem satis atrox

atrox cum insigni tumore invasit : unde plane immobiles redditi pedes fuere. Chirurgus in principio statim ad erysipelas profligandum spiritum camphoratum crocatum applicavit, & cum in alterum pedem dolor transiret spiritum removit, & hujus loco siccos pulveres cum camphora mixtos applicuit. Inde mox notabilis dolorum levatio & remissio in utroque pede successit : non ita multo post autem tam gravis circa præcordia anxietas & diaphragmatis constrictio, ut omnem penitus respirationem tolleret, cum æstu & plenaria appetitus prostratione secuta fuit, quibus alvina obstructio, cum inflatione associabatur. Præscripsi quum me consultum adirent, ad alvum leniter educendam, decoctum mannatum ; & ad flatus discutiendos materiamque retrocessam sudore difflandam, aliquot liquoris anodyni mineralis cum tertia spiritus Bussii parte remixti doses propinavi. Quo pacto & totum mox corpus largissimo sudore perfundebatur, & ipsæ hæmorrhoides quibus aliquando assuetus erat, denuo fluere cœperunt, omniaque sic evanuerunt symptomatibus penitus evanescentibus.

Epicrisis.

Similis fere casus, qui evidenter camphoratorum externum usum in podagra noxium declarat, aliquot ante annos in Illustrissima fœmina mihi occurrit : hæc enim postquam minium cum camphora remixtum pedibus podagra tentatis applicasset, hæc quidem siluit, ast non multo post cardialgici dolores, summa virium prostratio, vomitus, inquietudo, cum æstu febrili, alvus renitens & leve delirium accedebant ; quæ symptomata statim ab oblato cum emulsione ex seminibus IV. frigidis pulvere præcipitante nitroso, cum tertia parte grani unius camphoræ permixto pro dosi, remiserunt, & materia podagrica ad exteriores partes reversa est. Siquidem ego passim quoque animadverti, camphoram, cum exterius applicata noxam intulisset, interne exhibitam illata damna resarcivisse. Memorabilis quoque est observatio, quam recensет HAGENDORNIUS *cent. I. obs.* 28. ubi mercator ex dolore & tumore scorbutico laborans, applicato epithemate ex aquis destillatis cum cerussa & camphora, doloribus sedatis, loquelam amisit nec brachium movere potuit. Neque vero in totum camphoram ejusque spiritum in tumoribus & doloribus partium extremarum damnare & rejicere animus est, sed prudentia & distinctione naturarum opus esse velim : nam qui in artis versantur exercitio, subinde experiuntur, non omnia omnibus promiscue prodesse, atque id maxime valere in topicis, dum quod alterum juvat, idem alteri noceat. Est autem causa non tam dispositio peculiaris humoris peccantis, sed potius ipsa tensiva tonica fibrarum, pororum & vasorum cutis constitutio : habent enim omnes partes, & maxime quæ emunctorii & colatorii vices gerunt, suum peculiare robur, tonum, tensionem nec non suam quoque dilatationem, quæ species motus ad secretiones & excretiones summe necessaria, dependet potissimum à fluidi nervei influxu & nervearum membranarum tensione : qualis itaque hæc sit in omnibus individuis & etiam morbis eorumque temporibus, in exhibitione topicorum provide animadvertendum est ipsis medentibus. Quis enim non videt, si pori nimis fuerint constricti à dolore & spasmo, neutiquam tunc spirituosa calida conferre, sed potius ea quæ blande constrictas partes relaxant ; contra si nimia est post dolorem relaxatio, quod apparet ex tumore, dolore mitiori reddito, omnia unguenta humida unctuosa anodyna valde nocere, & potius tunc linimentis spirituosis nervinis utendum esse. Deinde utut quandoque topica egregie mulceant dolores & febrem mitiorem reddant, nihilo minus non semper illud valet, etiam in eodem individuo, paucis : quo robustior in expellendo est natura majorque corporis adest vigor, major quoque motus internus ; eo minus periculi inducunt externa decenter applicata ; quæ tamen, si vigor motuum cesset, si ætas senilis vel status cachecticus supervenerit, plane sunt seponenda. Illud enim unice intendat medicus necesse est, ut externis non sistat evaporationem materiæ peccantis, sed eam promoveat : verum, quoniam magna prudentia in hac re opus est, securius potius est abstinere ab omnibus externis & totum negotium curandi internis committere, partesque affectas in blando tepore servare. Dein etiam hoc observavimus, tophorum generationem, quæ fit maxime in arthritide fixa, improvidæ non raro externorum applicationi deberi, stupefacientibus præsertim & infrigidantibus. Meretur hic adduci B. WEDELIUS qui in *tr. de medicament. facultat.* scribit : *Frequenti experientia edocti sumus, plus damni ipsos podagricos inde passos, imo plures ex arthritide vaga hoc modo sibi fixam accersivisse, plurimos vero tophos, quod usurpaverint unctuosa & pinguia emplastica.* Hinc & ipse GALENUS *method. medend. libr. IV. cap.* 3. tophos in articulari morbo produci recte memorat ex humore glutinoso & crasso, quando is non paulatim digestus, sed violentis remediis totus simul exsiccatus est : & FERNELIUS *cons.* 12. geminari inde dolores observat. Cæterum non omnia topica, plane exterminanda esse in externis articulorum doloribus arbitramur ; siquidem quando adfectus partium inveteratus cum torpore quodam & insensibilitate relicta, qualis in senili ætate, sæpissime evenit, tunc sedata prius interna sanguinis & humorum ebullitione, ad roborandos nervos, & invitandum spirituosi elastici fluidi influxum in imbecilles partes, nervina linimenta balsamica virtute nobilitata, expectationi & medici & miseri ægrotantis eximie satisfaciunt.

Casus III.

Podagra, retrocedens ex frigore, lethalis.

Vir sanguineo-melancholicus annum agens quadragesimum quartum, habitus corporis strictioris, à decem annis passus est dolores tarsum pedis obsidentes, qui tamen non adeo vehementes erant, sed diaphoreticis facile cedebant, utplurimum autem circa mensem Januarii revertebantur. Hi quatuor ante annos acerbiores facti ægrum lecto adfixerunt, abhinc autem duobus annis prædicto tempore adhuc gravius afflixerunt. His cum ipsis luctaretur ægrotans, ingenti terrore affectus est, quem diuturnior cura & animi angor excepit : quo pacto dolores interiora occupantes, anxios in abdomine cruciatus excitarunt ; qui mox remiserunt, mox reversi sunt. Elapsis aliquot septimanis sævissimo

frigore regnante, iter ſuſcipere honeſtus vir debuit : à quo tempore dolores longe truculentiores invaſere, qui ventrem, brachia, fauciumque interiora aggreſſi, quandoque in capite ſubſiſtebant, atque ſomnum & quietem admodum turbabant, aliquando etiam effluxum materiæ fœtidæ purulentæ ex aure interna egregio cum allevamento excitabant. Menſe Junio ejuſdem anni acidulas Egranas uſurpavit, ſub quarum uſu quidem dolores ſiluerunt & cuncta bene ſucceſſerunt : abſoluta vero cura abdomen multo atrocius affligentes, appetitum penitus profligarunt : ubi alvus pigra, urina coloris naturalis ſed parcior reddebatur, virium aderat dejectio, & æger de fixo ac duro tumore ſupra umbilicum conquerebatur. Nauſea quoque premebatur & ſaliva copioſe ex ore ſæpius emanavit, vomituque nonnunquam & alimenta & medicamenta rejecta ſunt : ſiquidem dolor ſuperiora petere, fauces conſtringere atque ad ſcapulam uſque ſe extendere ſæpius ſolebat. Flatus ventrem diſtendentes per totum hinc inde inteſtinorum canalem cum fluctuatione & borborygmo percurrebant, & ad inteſtinum rectum ubi pervenerunt, mox regurgitabant, cum quaſi exitus ipſis præcluderetur. Notatu dignum fuit, quod per periodos dolores hi infeſtarint, hora pomeridiana quarta, media nocte & ante meridiana decima dum acceſſerunt. Variis uſus eſt remediis, & præcipua medendi intentio eo fuit directa, ut ad ipſos pedes rurſus derivaretur infeſta materia. Hinc frictiones, pediluvia in uſum vocata, venæ quoque in pede celebrata ſectio. Hirudines tandem applicatæ, nitroſa cum camphoratis ſine diaphoretico adminiſtrata, nec uſus carminativorum, ſtomachicorum balſamica temperata virtute inclytorum neglectus ; alvus quoque clyſteribus, lenioribuſque laxantibus ad officium redactus. Sed ſucceſſus ſperatus fefellit. A nulla tamen re præſentius levamen ac à potu lactis calidi cum infuſo florum ſambuci remixti expertus eſt, quippe per duos quandoque dies ab eo aſſumto dolores conquieverunt. Quatuor abhinc ſeptimanas elixir ſtomachicum ex amaris balſamicis extractis concinnatum exhibui, à cujus frequentiori uſu, dolores ſopiti, viresque cum appetitu erectæ fuerunt, adeo ut patiens domo egredi functionibuſque ſuis præeſſe potuerit. Sed inconſtans hæc valetudo fuit, ſiquidem in manu & dorſo dolores rurſus apparuerunt, ſomnum impediverunt, & tumor umbilicalem regionem obſidens, exterius manu percipi potuit. Tandem his malis dirius inſiſtentibus, ſuccumbere noſter debuit, documentum ſat clarum relinquens, contra mortis atrociam nullum inveniri remedium poſſe.

Epicriſis.

Ex præfata hiſtoria liquide apparet, quam contumax morbus ſit ille, & quantum negotii creet medentibus, qui ex doloribus podagricis in corpus retrocedentibus ortum ſuum habet. Singulare illud eſt, quod materia, abſque dubio, vellicans acris, indolis plus minus fixæ & volatilis, ſi in extremis articulorum membranis ſubſiſtat & ipſi denegetur ſedes & exitus, occupet in abdomine viſcera membranacea, nempe inteſtina, quæ maxime ex membranulis tendinoſo-nerveis conflata ſenſu acutiſſimo prædita ſunt, & ſimilis ſtructuræ ac texturæ cum ligamentis articulorum nerveo-tendinoſis ac glanduloſis ſunt, unde etiam propter affinitatem & ſtructuræ communionem materia peccans mox tranſit ad inteſtina, mox rurſus ex ipſis ad articulos. At vero, quod talem viam ac modum ſervet materia podagrica retropulſa, jam HIPPOCRATES ſuo tempore eleganter notavit *lib. VI. epidem. part. IV. aph.* 3. it. *Sect. II. p.* 20. hiſce verbis : *qui articulari morbo detentus inteſtini dolore dextra parte vexabatur, quietior erat ; hoc autem curato magis dolebat.* Et memoratu hanc in rem digna ſunt, quæ tradit SOLENANDER in *Conſil. pag.* 77. ubi ait : *in cura habui nobilem inveterata arthritide occupatum, in ſexageſimo quinto ætatis anno conſtitutum, qui colico dolore reprehenſus fuit. Auctor eram, ut arthritis revocaretur, pedum lotionibus, frictionibus, venæ ſectione in pede, monitus ab* Hippocrate & Benedicto Sylvatico in Conſil. *Obſtitit autem Senior medicus & æger interiit. Atqui ego*, pergit, *idem plane obſervavi in muliere, quæ arthritide fere ſemper laborabat, quando à doloribus coli liberata erat, & vice verſa, ceſſantibus coli doloribus miſere ex junctiuris afficiebatur.*

Casus IV.

Podagra funeſto omine retropulſa.

Vir ſtaturæ mediocris, circiter ſeptuagenarius, temperamenti ſanguinei, habitus corporis ſpongioſioris & robuſtioris, podagricis crebrius afflictus doloribus, aliquot abhinc menſibus ad ſedandam cruciatuum atrociam, ipſa in paroxyſmi acceſſione, partes dolentes, ſpiritu quodam à pharmacopœo ſibi miſſo, inunxit, à cujus crebriori & continuato uſu, omnis propemodum dolor evanuit. Exacto aliquot ſeptimanarum ſpatio ſæva in abdomine tormina paſſus eſt, juncta cum vomitu & alvo adſtrictiſſima. Medicus in conſilium accerſitus, ob metum iliacæ paſſionis, alvum clyſteribus aperiri curavit, aliaque interna, quæ inflammationi reſiſtunt & dolorem levant, in uſum vocavit. Inde non modo ceſſavit vomitus, alvuſque ſoluta, ſed & ſedatus fuit abdominis dolor, ita prorſus, ut æger è lecto ſurgere & in publicum rurſus prodire potuerit. Sed pauco interjecto tempore paroxyſmus modo deſcriptus, quia hæc valetudinis ſpes non diu perſeveravit, rediit, niſi quod vomitus lenior fuerit : & iiſdem iterum in uſum vocatis medicaminibus ad ſanitatem perductus eſt. Duabus vero elapſis hebdomadibus idem paroxyſmus repetiit, & adhibitis denuo remediis paruit. At vero aliquoties reverſus iterumque depulſus eſt : remanſit tamen omnium ciborum faſtidium, corpuſque in dies conſumi cœpit. Interea nunquam rurſus podagra affectus fuit, octiduoque nulla amplius perſenſit tormina : appetentia vero omnis periit, nec alvus niſi adjuta reſpondit, urina rubicunda, & ſemper adfuit oris ſiccitas cum humidi deſiderio, lectumque perpetuo cuſtodire ægrotus debuit ; qui rebus ita conſtitutis, inter vivos eſſe tantem deſiit.

Epicriſis.

Morbi, quem depinximus, decurſus atque eventus, plurimos admonere poterit, quam caute & circumſpecte cum podagricis ſenioribus ratione topicorum agendum ſit : ſiquidem ipſa natura, per ſenium & morbi vim debilitata tandem ſatiſcit, atque ad ſerum acre impurum, quod ar-

artuum doloribus materiam ſubminiſtrat, per criticum & febrilem motum ad extremas partes & ambitum corporis propellendum, redditur minus idonea; quare materia peccans in corpore remanens nervoſas & membranaceas ventriculi & inteſtinorum tunicas infeſtat, ventriſque tormina efficit: quæ ſi interna inflammatio excipit, ægri vel ſubito è medio tolluntur, vel ſucceſſive maraſmo aut hectico calore vires ipſamque carnem defurante conſumuntur. Notabile vero in præfata morbi hiſtoria fuit, quod podagricus dolor non redierit, ſed per paroxyſmos, hujus loco, ventris tormina, vomitus, ſitis, inappetentia afflictarint; quæ tamen ſymptomata per clyſterum oleoſorum, medicaminum diaphoreticorum, cinnabarinorum cum caſtoreo remixtorum uſum exſpirarunt: unde conſenſus inteſtinorum cum partibus nervoſis & tendinoſis manuum & pedum, quem in podagricis & chiragra affectis quam maxime obſervamus, liquido iterum evincitur. Nam in praxi medica perpetuum fere eſt, atrocia ventris tormina ut plurimum tranſmiſſo ad artus vitioſo humore ſolvi, & retropulſam etiam materiam arthriticam vel podagricam acerbiora ventriculi & inteſtinorum tormina & ſpaſmos ſequi. Alvus ejuſmodi in caſibus, ob tonum primarum viarum deſtructum, officii ſui nunquam non obliviſcitur, atque per clyſteres ſollicitata parum excrementorum, ſed multos fœtidos flatus emittit. Ceterum in ſenibus, appetitus omnimoda viriumque proſtratio, ſitis & oris ſiccitas, lentam febrem, mortemque imminentem indicant.

Casus V.

Podagra in hæmorrhoidario, ex opiatorum uſu funeſta.

Vir ſexaginta annos natus, ſpongioſi corporis habitus, hæmorrhoidali fluxui adſuetus, dolorum podagricorum utut mitiorum, vere & autumno ineuntibus, tentatus fuit inſultibus. Circa æſtatis exitum, horæos fructus refrigerantes liberalius paulo ingeſſit, & contra podagricos dolores panacæam ſic dictam ab empirico aſſumſit: quæ conſtabat, ex opii crudi in fruſtula diſſecti drachma, cui duæ aquæ liliorum convallium ſpirituoſæ unciæ affuſæ fuerunt, & ita leni digeſtione ſteterunt. Hujus liquoris cochleare circa lecti introitum medicaſter ſumendum juſſit: cujus uſus, quod placidiorem ſomnum conciliabat, per aliquot ſeptimanas continuatus eſt: & paroxyſmi, circa conſuetum alias tempus infeſtare ſoliti, mirum in modum allevati ſunt. At vero, elapſis aliquot hebdomadibus, menſe Octobris, febris cum totali virium ſuppreſſione, extremorum frigore & perpetua ſomnolentia inſecuta, ægrum omnium præter opinionem jugulavit.

Epicriſis.

Dici vix poteſt, quod tamen quotidiana declarat experientia, quam pernitioſum ſit, conſuetos podagricorum paroxyſmos valentioribus remediis ſupprimere, & materiam illam acrem cauſticam, quæ ſolenniter, utut cum dolore, per congrua emunctoria protruditur, intus retinere: quippe tali modo partium internarum inflammationes, ſpaſmi vel ſphacelationes, quam in noſtro ægro præſentem fuiſſe nulli dubitamus, perpetuo fere ſubſequuntur. Non potuit autem non, propinata narcotica medicina in corpore laxioris habitus, ſenio vicino & à refrigerantium fructuum abuſu jamjam debilitato, infauſtum relinquere effectum: quippe practicorum fide dignorum obſervationes confirmant, à ſolo refrigerantium abuſu, corpora podagricorum orci faucibus tradita fuiſſe.

Casus VI.

Podagra hæreditaria in hypochondriaco.

Ante quadraginta propemodum annos, cum in principatu Halberſtadienſi, provincialis medici munus obirem, me conſulebat Illuſtris regiminis Conſiliarius, qui parente hypochondriaco & podagrico natus, jam per decem annos & ultra, vix enim tunc trigeſimum quartum ſuperavit, & hypochondriacis pathematibus & doloribus podagricis fuit afflictus. Vere & autumno potiſſimum invadebant paroxyſmi, cum gravativa artuum laſſitudine, appetituque aucto, quem poſtea ſequebantur horripilatio cum extremorum frigore & tremore, vomituſque crebriores, quibus liquamina pituitoſa & valde corroſiva acida, quæ & dentes ſtupefaciebant, & pavimento immiſſa ebulliebant, copioſe educebantur. Succeſſit dein febrilis æſtus, & tertio vel quarto die acerbi dolores pedes oppetebant, qui ad aliquot ſæpe ſeptimanas perſiſtebant, & demum ſudore fœtido acidum ſpirante perque plures dies durante ſolvebantur. Id vero erat memorabile, quod, ſi vomitus non præceſſerint, paroxyſmi diutius ſemper & acerbius pedes afflixerint. Inter medicamenta, quibus per complures annos uſus fuit, non præſentius ſolamen atque lenimen, quam in pulvere abſorbente nitroſo, & eſſentia florum liliorum convallium, cum ſpiritu vini phlegmatico extracta & ſexta parte eſſentiæ caſtorei remixta expertus eſt. Tandem Illuſtris hic vir quinquageſimo ætatis anno, febre acuta Berolini defunctus eſt, & diſſecto corpore pancreas totum ſcirrhoſum, & valde tumentes etiam glandulæ meſenterii repertæ fuerunt.

Epicriſis.

Hypochondriacos procedente ætate demum fieri podagricos experientia teſtatur, id quod ratione quoque demonſtrari evidenter poteſt. Uterque videlicet affectus natura debiles & à parentibus iiſdem morbis laborantibus genitos quam maxime infeſtat, atque primarium vitium potiſſimum in depravata alimentorum digeſtione, crudorum ſuccorum abundantia, & excretionum, quæ ſanguinis & humorum depurationi inſerviunt, defectu conſiſtit. Deinceps aliquot exemplis compertum habeo, in diſſectis corporibus & hypochondriacorum & podagricorum, ubi ex ſuperveniente alio morbo extincta fuerunt, inter alias viſcerum corruptiones, pancreas ſcirrhoſum maxime deprehenſum fuiſſe, & ubi tale quid repertum fuit, ingentem ſemper acido-ponticorum humorum prima in regione colluviem adfuiſſe, quæ appetitus præter naturam aucti, cardialgicæ anxietatis, obſtructionis alvinæ, ructuum & vomitionum acidiſſimorum ſuccorum vera cauſa exſtitit. Quam inimicum vero acidum ſit ad ſanguinem delatum, dum temperatam ejus & gelatinoſam craſin imo fluxilitatem deſtruit, præternaturalem ſpiſſitudinem ingignit, excretioneſque retardando, cacochymiæ & viſcidæ & tartareæ genitrix ſit; is quam facile, qui fundamentis phyſico-mechanicis morborum generationem explicare novit, poterit penetrare. Ego itaque ſemper cum ſingulari fructu & hy-

po-

pochondriacis & nephriticis & podagricis, tum ad ſymptomatum mitigationem, tum etiam ad ſanationem, ſi adhuc ejus ſpes fuerit integra, medicamenta quæ acidum deſtruunt in primis viis, ut ſunt abſorbentia ſibi relicta terrea, quæ ſubinde, cum in ſal neutrum degenerent, alvum largius ſæpe ac ſi purgans ſumtum fuerit, ſolvunt, exhibeo; atque inſuper elixiria amara temperate balſamica, cum lixivioſis menſtruis parata frequentius uſurpanda, injungere ac commendare ſoleo. Tandem in præfata morbi hiſtoria id commemoratu dignum eſt, quod etiam in aliis ſæpe annotavi, leviores ſemper arthriticos & podagricos paroxyſmos fieri, quando natura vel ſponte vel arte adjuta ſeſe à colluvie vitioſorum humorum per vomitus ante acceſſum liberaverit; manifeſto indicio, originem dolorum eſſe in primis viis: in cujus aſſerti confirmationem ipſum adduco MARTIANUM, qui ita dicit: *in arthriticis doloribus, ob acorem in ventriculo peccantem à doloribus correptos memini, qui ab iiſdem liberati vel levati fuerunt, ubi acida evomuiſſent.* Quod identidem comprobat SYLVIUS *Oper. pag.* 786. aperte ſcribens, hanc curam per vomitionem utiliſſimam arthritidi, multiſque à ſe confirmatam experimentis. Imo eadem ratione non paroxyſmum tantum imminentem ſublatum, ſed & novi impetus ſemina extincta fuiſſe idem eodem loco ſcriptum reliquit. Atque ALPINUS de *medicina Ægypt.* multos ſe vidiſſe, qui, cum à podagræ calculique doloribus excruciati fuiſſent, crebro uſu vomitorii egregie adjuti fuerunt, affirmat.

Casus VII.

Podagra hæreditaria inveterata in corpore remanens, Carolinis expulſa & allevata.

Vir generoſiſſimus, ſexagenario major, ob inſignia merita in ſumma dignitate in hac provincia conſtitutus & Illuſtris regiminis conſiliarius, tenerioris & ſenſibilioris quoad corpus & animum conſtitutionis, à parente qui fere per totam vitam fuit podagricus, & pedes tophis obſeſſos habuit, genitus, ante triginta fere annos pathemata hypochondriaca, rheumatica, & podagrica expertus erat, quæ procedente ætate magis ingraveſcebant, & utut moderata admodum diæta & vitæ ratione inculcata uſus fuerit, ſingulis tamen annis vere & autumno ob podagram affligentem lecto decumbere, mox breviori temporis mox longiori intervallo, cogebatur. Aliquando vero conſueta podagra, præter morem & conſuetudinem, ſolito tempore non recurrebat: ſed quia materia vitioſa intra ſuccos vitales retinebatur, multis ac graviſſimis tentabatur ſymptomatibus: continuis nempe ventriculi eructationibus, cordis palpitationibus, tremore artuum, inquietudine, dolore capitis acuto, tractorio, lancinatorio, circa tempora, circa nucham, accedente cogitationum confuſione memoriæque debilitate. Conſulebat me atque Clariſſ. D. D. *Strauchium* Archiatrum Martisburgenſem, qui ſæpius frequentaverat *Carolinas*, atque inprimis ex nobis quærebat, num has thermas ſanitati ſuæ profuturas judicaremus. Hic longiori experientia edoctus, ſtatim conſilium probavit; cui ego quoque facile adſentiebam: & ille cum eo ad fontes hos ſalutiferos profectus fuit, à quarum interno uſu decenti cum regimine inſtituto, in tertia & ultima cura, vehemens paroxyſmus podagricus, qui tamen non niſi per ſeptem dies durabat, ipſos pedes corripiebat, remittentibus mox omnibus prioribus ſymptomatibus. Inde optime quum ſe habuiſſet, binis adhuc vicibus, aquas haſce thermales cum ſummo fructu ſemper uſurpavit.

Epicriſis.

Ego ſane complura poſſem recenſere & allegare exempla, quæ mirabilem & incomparabilem plane horum fontium virtutem & effectum in atrocibus & contumacibus morbis expugnandis, qui ab arthritica & podagrica materia remanente in corpore vel improvide retropulſa oborti fuerunt, demonſtrare valerent; qui potiſſimum in eo conſiſtebant, quod materiam morbificam ad priſtina ſua loca ex interioribus relegaverint, conquieſcente mox omnium ſymptomatum periculoſiſſimorum ſyndrome. Vidi colicas ſpaſmodicas, vidi aſthmata convulſiva, affectus ſoporoſos, morbos melancholicos cum ſenſuum & rationis perturbatione conjunctos, pertinaciſſimasque tuſſes, atque pulmonum infarctus, qui non niſi à materia podagrica remanente vel retrocedente originem ſuam habuere, hac ratione divino adjumento feliciſſime ſubactos & curatos; maxime vero, ſi non ſemel, ſed bis vel ter in uſum decentem fontes ducti fuerint.

Casus VIII.

Podagra levior, ex ira & refrigeratione facta gravior & metaſtatica.

Vir generoſus, perſtrenuus Chiliarcha, non procul ab hac urbe degens, corporis macilentioris, fibroſi tamen & robuſti, ſuperato jam ſexageſimo & ſexto anno, in gravem & exitialem incidit morbum, cujus profligandi cauſa, me in conſilium vocavit. Is jam ante decem annos doloribus podagricis, mitioribus tamen & obtuſioribus vernali tempore fuit obnoxius, neque minus his deficientibus, acerbis abdominis doloribus, ſive potius inteſtinorum ſtricturis ſpaſticis vexatus. Ante annum Generoſus hic vir, ſub initium hiemis, prægreſſa vehementi corporis refrigeratione, neque minus ingenti animi, quam tamen prudenter compreſſit, indignatione, deſubito truculento ad ſuffocationem uſque aſthmate convulſivo corripitur. Ego tertio die accedens morti ferme proximum inveni: nam ſub ſumma virium proſtratione ad animi uſque defectionem, pulſu duro, debili & tremulo, extremorum frigore, & ſub cogitationum ac rationis turbatione, ægerrime & cum ſonitu ſpiritum ducebat. Primo omnium clyſteres injiciendos, ad ſordes alvinas cum flatibus educendas, curavi: dein mixturas blande diaphoreticas & diſcutientes, ſingulis horis ſumendas, præſcripſi. Factum hinc DEI beneficio eſt, ut ad omnium adſtantium admirationem, intra quinque dies ſomnum, qui plane fuerat antea ſublatus, capere & reſpirare ſine moleſtia æger cœperit, atque ſucceſſive ingentem viſcoſæ materiæ copiam tuſſi ejecerit. Verum non ita multo poſt, de doloribus ac cruciatibus ipſius abdominis Generoſiſſimus Vir conquerebatur, qui in dies increſcentes intolerabiles evaſere. Alvus adſtrictiſſima, præcordiorumque adfuit anxietas atque inquietudo. Sed ſingula hæc adhibitis idoneis remediis, expulſa è ſede ſua materia hoſtili, conquieſcere cœperunt: relicta tamen ſtatione ſua in regionem inguinalem non procul à virili membro hæc ipſa deſcendit, atque in muſculis ibi conſpicuis, præcedente gravi dolore & inflammatione, abſceſſum efformavit inſignis certe magnitudinis, qui poſt ſuppurationem factam demum apertus plus quam libram

libram puris per vices fundebat. Dum conſolidari cœpit, truculenti dolores pedes infeſtare cœperunt : quos etiam commoda medicina abegimus, relicta tamen debilitate & tumore œdematoſo. Decurſus autem hujus morbi valde ancipitis & difficilis per trium fere menſium ſpatium duravit. Interea valetudini perfectæ fuit redditus Generoſiſſimus ægrotans.

Epicriſis.

Medicamenta, quæ in toto hujus morbi decurſu in uſum duxi, non alia fuerunt, præter clyſteres & cataplaſmata, quam mixtura ex ptiſana, aqua cardui benedicti, florum ſambuci & ceraſorum nigrorum, adjectis, pulvere meo bezoardico leniter camphorato, ſucco citri, liquore anodyno minerali, & ſucco papaveris albi compoſita : quandoque mixturæ ſimplicis aliquot guttas pro doſi adjeci. Qua plus quam viceſies reiterata uſus fuit. Præter hæc, infuſum Theiforme, ex herba veronicæ, ſalviæ, floribus ſambuci, ſemine fœniculi, & decoctum noſtrum uſitatum pro potu ordinario largius ſumendum præcepi, interpoſito interdum electuario vel elixirio pectorali, quia tuſſis longo tempore inſiſtebat. Ceterum me tam vehementem metaſtaſin in morbo nunquam obſervaſſe memini. Atque ex hac morbi hiſtoria & curatione, illud curioſi naturæ & medicinæ ſcrutatores, meo quidem judicio, addiſcere poſſunt, eam eſſe materiæ quæ dolores in articulis creat & fovet indolem & craſin, ut vix ab ulla medicina immutari, alterari & ejus pernitialis vis deſtrui poſſit : licet enim in præſenti caſu reliquerit ſuam ſedem, nihilo minus ſalva hoſtili indole & craſi permanente, eandem ſuam vim in aliis & compluribus locis exercuit, ut adeo remediorum, quæ vulgo & à chymicis æque ac medicis minus in praxi verſatis, tantis laudibus paſſim venditantur ac celebrantur, & ad aucupandum magis argentum quam ſalutem afferendam apta ſunt, inanis atque plane impotens facultas clare demonſtrari poſſit. Cordatus autem & prudens medicus in ſanando ejuſmodi morbo nihil aliud efficere vel præſtare poteſt, quam ut temperiem & texturam earum corporis partium quæ nondum ſimili vitio affectæ, integram ſervet, quo morboſa materia ſucceſſiva & blanda evaporatione & diſcuſſione per univerſale cutis emunctorium feliciter excludatur.

Plures invenies obſervationes in *conſult. medic. ſect.* IV. CLXVII. CLXX.

F I N I S.